
Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XII
G
31
NAPOLI

XII.
G.
31-32.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

R. P. ZACHARIÆ

PASQVALIGO,

DE

SACRIFICIO NOVÆ LEGIS,

TOMI DVO.

Digitized by Google

R. P. D. ZACHARIÆ

PASQVALIGO VERONENSIS,

CLERICI REGVLARIS
S. Theologiæ Professoris,

DE

SACRIFICIO NOVÆ LEGIS
QVÆSTIONES THEOLOGICÆ MORALES IVRIDICÆ.

TOMVS PRIMVS

Complectens Tractatus

DE
- *Sacrificio novæ Legis, eius effectibus, fructu, & valore.*
- *Offerentibus Sacrificium, applicatione, & pro quibus possit offerri, &c.*
- *Missæ integritate, ordine, perfectione, qualitate, congruentia cum officio, & defectibus supplendis.*
- *Quibus Sanctis, & Beatis Missa celebrari possit.*
- *Missis defunctorum.*

DE
- *Tempore, & loco, in quo est offerendum sacrificium.*
- *Consecratione, violatione, & reconciliatione Ecclesiarum.*
- *Oratoriis privatis.*
- *Altaribus, & eorundem ornatu.*
- *Altaribus privilegiatis.*





LVGDVNI,

Sumptibus IOANNIS-ANTONII HVGVETAN, & MARCI-ANTONII RAVAVD.

M. DC. LXII.

CVM APPROBATIONIBVS, ET SVPERIORVM PERMISSV.





Sanctissimo, ac Beatissimo

PATRI

DOMINO NOSTRO
ALEXANDRO VII.
PONTIFICI OPTIMO
MAXIMO;

ZACHARIAS PASQVALIGVS
CLERICVS REGVLARIS,
OSCVLATIS PEDIBVS,

Felicitatis, & Gloriæ incrementa.

INSITVS mortalium animis Dei cultus, BEATISSIME PATER; *eóque nulla vnquam extitit hominum Societas, aut Natio, cui sua potissimum propitiando, ornandóque Numini sacrificia non fuerint. Christianæ verò Reip. quam sanctior Religio, atque æternus ipse Dei Filius, non præclaris modò institutis, ac legibus, sed sanctissimis etiam vitæ suæ documentis, ac triumphali præsertim sanguine fundauit, vt purior sacrorum ritus, ita sacrificium contigit longè excellentiùs. Nihil quidem apud priscos olim Patres frequentiùs, quàm Aræ, Victimæ, Hostiæ: nihil magnificentiùs, quàm Sacerdotum in faciendis sacris insignia, & cultus. Hinc tortilis illa cohonestando capiti Cydaris: hinc illusæ auro vestes, ac tot gemmarum in vestibus nomina: hinc Syrmatum fulgor, redimicula, byssus, purpura. At vmbra hæc, & quædam veluti caligo rerum, quam lux Euangelij visa momento dissipasse. Affulsit namque regale Sacerdotium, quod veterem illam diuinorum infulam, ac maiestatem, precariam nempe, dignitate, ac splendore suo non tantùm inumbrauit, sed dispulit; successítque tot hostijs vna vbique terrarum Hostia, nempe Christus Dominus, qui genti mortalium redimendæ seipsum in Ara Crucis semel immolauit, ac citra cruorem, & vulnera semper immolat, Sacerdos simul, & Victima. Hoc ipse incomparabile Sacrificium explicandum pro ingenij tenuitate cum susceperim, haud liberum profectò fuit, alteri scriptionem, quæcunque ea demùm sit, quàm tibi,* PATER BEATISSIME, *atque inclyto tuo Nomini nuncupare. Etenim quicquid de augusto nouæ Legis sacrificio cuditur, cui congruentiùs, quàm Sacerdoti Maximo, Christíque æterni Sacerdotis in terris Vicario consecratur? Neque enim fas est, nisi ipsi sacrorum Principi ea addici, quæ de diuinis Mysterijs, sacrorúmque vi, ratione, ordine disceptantur. Vereor, vt ab assidua cura terrarum, atque à publicis, quæ regis, Romanæ reis commodis, vacet, hæc aliquandò per otium euoluere, aspectúque tuo dignari.*

Magnum id quidem esset, ac splendidum: Nihil quippè suis litterarum monumentis Auctor ipse optauerit luculentiùs, ac grandiùs, quàm illa magnæ Mentis studio percurri; ingenio quàm eruditissimo, sapientissimóque expendi, ac eadem, quæ Christiani Orbis habenas administrat, dextera peruolutari. At supra votum hæc; illud superabundans fuerit, sub augustissimis Maximi ALEXANDRI *auspicijs Opus in lucem prodire; Ac non tam amplissimam Pontificiæ dignitatis infulam, quæ illam mirificè ornant, nempe tanti Pontificis sapientiam, Religionis studium, singularem in summa fortuna animi moderationem, factam ad Imperij curas Mentem, vim Iudicij, æquitatem, clementiam prima statim fronte præseferre. Porrò quò potissimum spectas sacrificiorum institutio, ac ratio, eò etiam spectare scriptio hæc mea de Sacrificio videtur. Nam primò quidem supremam diuini Numinis maiestatem legitima, externáque ea religione, & cultu litando veneramur: Beneficia deinde, quæ nobis è cælo, ac largiori Dei manu fluxere, vt testemur, ad memoriæ, gratique animi monumentum ritè facimus: postremò, quæ cupimus, sacrificijs petimus, ac impetramus. Scilicet non alio commentarij hi mei collimauerint. Nihil quippè antiquius mihi, quàm proximum Deo caput, ipsámque Diuinitatis in sanctissimo Pontifice imaginem, ac lucem hoc studiorum meorum donario agnoscere. Obijcit mox eximia, ac prolixior, tua in nostrum Ordinem voluntas, quam cum sæpè aliàs, tùm in amplificando ad Senensem Aream Templo collato censu, visus est commonstrasse: eámque vt incredibili studio, atque obsequij auctoramento vniuersa prosequitur familia; Ita mihi imprimis hac Operis dedicatione deprædicare, ac gratias referre immortales contigit. Ad extremum, quæ tua est, singularis, ac suprà hominem benignitas, vt honestate beneuolentia, affectúque tuo addictissimum Apostolicæ Sedi, ac Sanctitati tuæ Ordinem pergas. Cum interim hoc maximè propositum nostratium votis sit, vt diù viuas saluti publicæ, Religionis bono, Principum documento, tuæ deniquè felicitatis, gloriæque incremento.*

ÆQVO,



ÆQVO,

AC STVDIOSO

LECTORI.

PRolixior euasit scriptio, quàm in efficta Idæa digesserim, HVMANISSIME LECTOR, & coactus sum plura intercidere, vt Opus ad finem vrgerem, quem certè nactus non fuissem, nisi imposuissem Dum enim putabam, volumen in vmbilico laborare, plura adhuc occurrebant, quæ ab Operis argumento videbantur aduocari. Verùm illud mihi Martialis Epigram. *lib.* 4. *in fine*, resonabat:

Ohe iam satis est ohe libelle;
Iam peruenimus vsque ad vmbilicum.

Et quid mirum, si exuberauerit materia. Sacrificium est, quod tractamus: illúdque quo diuinus, & sempiternus Sacerdos suam ordinauit Ecclesiam; in quo sacrificiorum omnium excellentias vnicè digessit; in quo ad miraculum vsque munera excitauit, quæ religiosissimè supremo Numini libarent noui Sacerdotes. Cuius ea dignitas, eáque maiestas, vt quæcunque ipsi siue affixa, siue affinia eiusdem radiis magnificentissimè coruscent, & non nisi prolixa, ac spectabili serie texant parerga luculentissima. Coge enim in vnum offerentes, operandi tempus, sacras, & augustas ædes: coge supplicem Populum operanti sese associantem, Aras, earúmque instructissimum ornatum, Sacerdotalem pompam, vasa litationi famulantia, Ritus sanctitatem, pietatémque redolentes, Cœremonias maiestate plenas, vberrimam è Sacrificio messem, pias in rem diuinam erogationes, & quæ alia plura calamus dare posset, & confestim senties, quanta Moles exurgat, scribenrem quemque fatigatura, & cui vix paginæ sufficiant. Nec miraberis, quod scriptio hæc adeò excreuerit; & eò magis, si senseris, quod vna aliqua huius Argumenti pars aliorum integra Volumina impleuerit. Quidquid descripsi, auctoritatis pondere, quoad potui, stabiliui, ratione quoque muniui. Et ideò non ita presè, vt libuisset; Præsertim cum animus fuerit, potiora quæque difficilia ita enodare, vt si quæ interciderint, ab iis lucem accipere possint. Ius nedum sacrum, sed Imperatorium quoque Theologiæ miscui, vt vtrique innixæ starent solidiores sententiæ, nec fuliginosis argutiis conquassarentur. Quas è suis veluti fontibus deriuare conatus sum, vt perenni, & non intermisso cursu fluentes originem suam, eámque synceram præseferrent; indéque puritatis notam haurirent. Auctores quotquot potui, lau-

daui, nec prætermisi quemquam euocare, nisi aut qui sub manu non fuerit, aut nondum, dum scriberem, commentationes suas euulgauerit. Omnes enim colo: omnium doctrina in pretio mihi est. Facilè enim ad veritatem enitimur, si aliena studia in ea insectanda non negligimus. Quam, si me assecutum existimaueris BENIGNISSIME LECTOR, id inter diuina munera repones: sin minùs, defluentem rerum humanarum conditionem indeficiente quoque ingenio, agnosces, & condolebis. Vale.



APPROBA

APPROBATIONES.

IVssv AA. RR. PP. Consultorum nostrorum, attentè perlegimus librum Theologicum Moralem, cum omnibus in eo contentis Tractatibus, cui Titulus, *De Sacrificio nouæ Legis, & annexis*, à R.P.D. Zacharia Pasqualigo Clerico Regulari, & sacræ Theologiæ Professore, compositum. Nihilque in eo alienum, vel à Catholica doctrina, vel à sacrorum Canonum decretis, vel à bonis moribus, vel à recta ratione deprehendimus. Imò verò summa diligentia, eruditione, ac studio; omnes quæstiones, & dubitationes ad idem sacrificium Missæ spectantes, collectas, examinatas, & iuxta saniorem doctrinam, acutè, piè, & prudenter terminatas: vt nihil ampliùs ad perfectionem sumpti Argumenti desiderari videatur. Itaque vt Typis, excussus, publicam lucem videat, non solùm dignissimum censemus; sed & necessarium, tam pro communi Doctorum, & studiosorum hominum vtilitate, quàm vt ab iisdem collatus cum aliis eiusdem Auctoris libris iam impressis, haud absimilis tanti ingenij fœtus agnoscatur. Romæ in domo sancti Andreæ de Valle Clericorum Regularium, die 3. Nouembris 1658.

D. FRANCISCVS MARIA ANNONVS S. Theologiæ Professor, & Cler. Regul.

D. THOMAS SERSALIVS Cler. Reg. & S. Theologiæ Professor.

Opus inscriptum, *De Sacrificio nouæ Legis, &c.* à P.D. Zacharia Pasqualigo nostræ Congregationis Theologo compositum: & iuxta præfixam assertionem PP. Theologorum, quibus id commisimus approbatum, vt typis mandetur, quod ad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem, &c. Datum Romæ in nostra Quirinali S. Syluestri domo, die 5. Decembris 1658.

D. AVGVSTINVS BOZZOMVS Præposit. Generalis Cler. Regularium.

Locus ✠ Sigilli.

D. IACOBVS SOTTANI Secret. Cler. Regul.

Vidit

Vidi ego infrascriptus iussu Reuerendiss. P. Raymundi Capisucchi sacri Palatij Apostolici Magistri absolutissimum Tractatum *De Sacrificio* ab A. R. P. ZACHARIA PASQVALIGO Clerico Regulari compositum, in quo nihil reperi, quod sacris Canonibus, Summorum Pontificum Constitutionibus, Oecumenicis Conciliis, sacrarum Congregationum decretis, aut declarationibus, vnanimi SS. Patrum, seu Doctorum consensui, bonisque moribus repugnet. Et quia noua, facilique methodo disponitur, cum copia breuitatem, cum probabilitate securitatem, cum acutissimis, & solidissimis fundamentis, & rationibus pietatem, ac deuotionem mirè complectens: necnon in probabilioribus, & tutioribus opinionibus seligendis, tradendis, & confirmandis apprimè singulare; dignissimum iudicaui, quod, si eidem Reuerendissimo videbitur, ad communem omnium vtilitatem typis excudatur. In quorum fidem, &c. Datum ex Conuentu S. Mariæ de Populo Vrbis hac die 25. Octobris 1658.

Fr. HIERONYMVS NICOLIVS Rom. S. Theologiæ Lector, I. V. D. & Parochus Ecclesiæ supradictæ manu propria.

Locus ✠ Sigilli.

Imprimatur,

Fr. RAYMVNDVS CAPISVCCHVS Ordinis Prædicatorum, Sacri Apostolici Palatij Magister.

Vberrimum

VBerrimum ac feraciſſimum doctrinæ campum aperit D. ZACHARIAS PASQVALIGO Veronenſis, Clericus Regul. in vtroque Tomo ſuarum Quæſtionum Theologicarum Moralium & Iuridicarum, *De Sacrificio nouæ Legis.* In illis ſiquidem quorumcunque dubiorum prædictum ſacrificium ſpectantium eruditam, ſolidam, & iuxta mentem Eccleſiæ, probóſque mores expreſſam diſcuſſionem exhibet; quapropter hoc Opus omni ex parte abſolutum iudico, adeóque prælo dignum. Lugduni die 26. Augusti 1661.

Fr. CYRILLVS MOREL Facult. Pariſ. Doct. Theol. & Carmeli Lugd. Prior.

VIſa Approbatione Doctorum Typis mandari permittimus hoc Opus inſcriptum, *De Sacrificio nouæ Legis, &c.* Lugduni die prima Septembris 1661.

DE NEVF-VILLE Vic. Generalis.



PERMISSION.



Ev la ſuſdite Approbation, ie n'empeſche pour le Roy qu'il ſoit permis aux Sieurs HVGVETAN & RAVAVD Marchands Libraires de cette Ville, d'imprimer le liure cy-deſſus énoncé, intitulé R.P.D. ZACHARIÆ PASQVALIGO *Veronenſis*, *De Sacrificio nouæ Legis*, en deux Volumes, auec les deffenſes à tous autres en tel cas requiſes & accouſtumées. Fait à Lyon, ce premier Septembre, mil ſix cens ſoixante-vn.

VIDAVD.

CONSENTEMENT.

SOit fait conformement aux concluſions du Procureur du Roy, ce premier Septembre 1661.

DVSAVZET.

OPERA

OPERA AVCTORIS
IAM EDITA.

Metaphysica, tom. 1. de Ente. fol.

Metaphysica, tom. 2. de Passionibus Entis. fol.

Sacra Speculatiua Doctrina. fol.

Sacra Moralis Doctrina. fol.

Decisiones Morales. fol.

Praxis Iubilai ordinarij, atque extraordinarij. fol.

Praxis Ieiunij Ecclesiastici, & naturalis. fol.

Quæstionum Canonicarum Moralium Centur. 1. & 2. fol.

Earumdem Centuria 3. & 4. fol.

Obseruationes ad Controuersias inter Episcopos, & Regulares Laureti de Franchis. fol.

De Sacrificio nouæ Legis, & adnexis. fol.

De Apparatu pro sacrificio, oblatione offerendi, &c. fol.

Singulares, & Selectæ Quæstiones. fol.

INDEX



INDEX QVÆSTIONVM PRIMI TOMI.

De Sacrificio Missæ.

De essentia Sacrificij.



De Sacrificio nouæ Legis.

Index Quæſtionum.

De qualitate Sacrificij Miſſæ.

De effectibus Sacrificij Miſſæ.

De diſpoſitione requiſita in Ordine ad effectus Sacrificij Miſſæ.

De fructu Sacrificij Miſſæ.

De fructu Sacrificij reſpectu offerentium.

De fructu Sacrificij reſpectu Eccleſiæ offerentis.

An

Index Quæstionum.

Digitized by Google

Index Quæſtionum.

De Miſſæ continuatione, integritate, perfectione Ordine.

Quanto

Index Quæstionum.

De qualitate Missæ, & congruentia cum Officio.

De quibus Sanctis Missa recitari possit.

De Missis Defunctorum.

Index Quæſtionum.

Digitized by Google

ã 4 Quid

Index Quæstionum.

An

Index Quæstionum.

An

Index Quæstionum.

De Altari.

De Altare fixo.

De Altari portatili.

De necessitate altaris pro offerendo Sacrificio.

1

Digitized by Google

F I N I S.



QVÆSTIONES THEOLOGICÆ MORALES, IVRIDICÆ DE SACRIFICIO NOVÆ LEGIS.



PVD Christianos vnicum tantum Sacrificium Deo offertur ex Christi institutione, cùm enim Christus tanquam Summus Sacerdos seipsum Patri in sacrificium obtulerit in Cruce, in expiationem peccatorum, & ad Deum nobis propitiandum, instituit pro Ecclesia Sacrificium, in quo eius Passionem, & eiusdem cruentam oblationem repræsentaremus: itavt in hoc vno Sacrificio ratione suæ excellentiæ omne genus Sacrificij contineatur, & proinde nullum aliud institutum sit. De hoc ergo in præsenti agendum est.



TRACTATVS PRIMVS.

De Essentia Sacrificij.

QVÆSTIO I.

Vnde deriuetur nomen Missa, *& quid significet.*

SVMMARIVM.

1. *Errores Hæreticorum circa nomen,* Missa.
2. *Nomen* Missa *an deriuetur ex Hebræo* Missah.
3. Missa *vox Latina.*
4. Missa *vnde dicta.*
5. *An à demissione Catechumenorum.*
6. *Catechumenis, cur non liceat Missæ interesse.*
Nomen Missa *varia significat.*



1 Misso errore Lutheranorum, qui volebant nomen *Missa* deduci à voce Hebræa *Muchnsim*, quæ Daniel. 11. significat Idolum Anti-christi, & proinde Missam esse Idolum Papæ Romani, nam falsitatis conuincuntur; siquidem Missa fuit ab initio Ecclesiæ, in quo non fuit Anti-christus; etiam secundum sensum Hæreticorum, cum iuxta ipsos natus sit post annum sexcentesimum, vt latè eos confutat Bellarmin. *lib. 1. de Missa, cap. 1.*

2 Aliqui deducunt nomen *Missa*, à voce Hebræa *Missah*, quæ Deuteron. 16. significat oblationem. Ita

Concilium Sennonense *in decretis fidei, cap. 11.* Petrus Bullinger. *lib. 4. de sacrific. Altar.* Satinetes *in Præfatione ad Græcas Lyturgias.* Io. Faber *lib. 1. de Missa Euangelica, cap. 1.* Canus *lib. 12. de locis Theolog. cap. 13. §. Præterea Melchisedech*, & alij. Contra hoc tamen obiicitur; quod si deriuaret à voce Hebræa, fuisset communis omnibus nationibus, sicut est vox Amen, Alleluya.

Magis autem communiter volunt, Missam esse vocem Latinam, & sic dictam à dimittendo populo, quasi idem sit, ac dimissio, sicut etiam dimissa pro dimissione vsurpabatur, vt notat Lindan. *lib. 4. Panoplia Euangel. cap. 37.* Pamel. *in notis ad Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 18. num. 263.* 3

Aliqui autem volunt, Missam sic dictam, quia explicato Euangelio per Episcopum, iuxta Concilium Laodicenum Catechumeni, & Energumeni dimittebantur à Diacono, vt desumitur ex D. Dionys. *cap. 3. de Ecclesiast. Hierarch.* & D. Gregor. *lib. 2. Dialog. cap. 13.* Alij verò volunt dici Missam à dimissione populi, quæ fit à Diacono completa Missa, quando dicit: *Ite, Missa est.* Ita refert Pamelius *in Tertull. lib. de Oratione, num. 1.* Alij denique volunt, dictam fuisse à missione: nulla facta distinctione inter dimissionem Catechumenorum, & eam que fit in fine. Ita Bellarm. *lib. 1. de Missa, cap. 1.* Vasquez *3. part. disp. 220. cap. 1. num. 8.* 4

Mihi tamen probabilius videtur, *Missam* dictam fuisse à dimissione Catechumenorum, vt desumitur ex D. Isidor. *lib. 6. Etymolog. cap. de diuinis offic. §. Missa*, vbi inquit, *Missa tempore sacrificij est, quando Catechumeni foras mittuntur, clamante Leuita. Et inde Missa est.* Rabano *lib. 1. de institutione Cleric. cap. 22.* Nam hoc pacto peculiari quadam ratione sacrificio 5

conuenit nomen Missæ, siquidem, cum sit actio, etsi Catechumenis non licebat interesse, eo quod, qui intersunt simul cum Sacerdote offerunt, & participant in sacrificio, ex natura sua missos faciebat Catechumenos præsentes, tanquam eos, quod vt compartícipes non admittebat; & hoc pacto dicitur *Missa* ab effectu, quia missos faciebat, qui non poterant esse participes fieri sacrificij.

6 Fuit autem vsurpatum nomen *Missa*, ad varia significanda, vt notat Vicecomes *lib. 1. de ritib. Missa, cap. 2.* Nam aliquando vsurpabatur pro celebritate, vt desumitur ex Capitulis Caroli Magni *lib. 2. cap. 20.* ea fortè ratione, quod dies festus sic denominaretur à principaliori functione, quæ in ipso celebratur. Aliquando verò significat illam partem præparatoriam quæ sacrificio præmitti solet, & constat recitatione precum, Euangelij, Prophetarum lectione, vt desumitur ex Concil. Valent. *cap. 1.* ibi: *Cum de Ecclesiastica regula tractaremus, antiquos Canones relegentes, inter Cætera hoc censuimus obseruandum, vt Sacro-sancta Euangelia ante numerum illationum, vel Missam Catechumenorum in ordine lectionum post Apostolum legantur; quatenus salutaria præcepta Domini nostri Iesu Christi, vel sermonem Sacerdotis; non solum Fideles, sed etiam Catechumeni, ac pænitentes, & omnes qui ex diuerso sunt, audire licitum habeant.* Vnde dicebatur *Missa Catechumenorum*, quia huic parti poterant interesse. Denique accipitur pro illa parte, quæ incipit ab oblatione, & tendit vsque ad finem. Ita D. Ambros. *epist. 33.* dum post dimissionem Catechumenorum habet, *Ego mansi in munere, Missam facere cœpi, orare in oblatione Deum, vt subueniret.* Isidor. *lib. 6. Orig. cap. 16.* *Missa tempore sacrificij est, quando Catechumeni foras mittuntur.* Hæc & alia obseruat Vicecomes citat. An autem omnia rectè perpendat Lector. Modo autem sumitur Missa pro toto illo officio, & ritu quo Eucharistia conficitur, & sic illam in præsenti sumemus.

QVÆSTIO II.

An omne opus bonum, sit Sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Omne opus bonum, est sacrificium.*
2. *An propriè sacrificium,* & num. seq.
4. *Sacrificium propriè distinguitur ab opere bono.*
5. *Id testatur Scriptura.*
6. *Opus bonum relatum in laudem Dei, non est nisi propriè sacrificium.*
7. *Propertio ipsius ad verum sacrificium.*
8. *Opera bona quomodo vocentur sacrificia.*
9. *Opus bonum quatenus verum sacrificium.*
10. *Varia significationes sacrificij impropriè sumpti.*

1 Difficultas procedit de opere bono relato in finem supernaturalem. Ratio dubitandi est, quia ex scriptura videtur desumi, quod omne Opus bonum relatum, ad laudem Dei sit sacrificium. Psalm. 49. *Immola Deo sacrificium laudis.* Et Psalm. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Et D. August. *lib. 10. de Ciuit. Dei, cap. 6.* qui inscribitur, *De vero perfectoque sacrificio.* Habet. *Proinde verum sacrificium est omne opus, quod agitur, vt sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.*

2 Prima sententia asserit, omne Opus bonum esse Sacrificium. Ita Gabr. *lect. 85. in can. Missa littera D.* Castro *de heresib. verbo* Missa, *heresi 1.* Et hæc opinio valdè placet Hæreticis nostri temporis, ex qua inferunt, in Missa non celebrari aliud Sacrificium, & proinde esse solum actum quendam Religionis erga Deum, neque requirere Ministrum specialiter consecratum ad hoc munus, sed omnes esse sacerdotes. Verum pacto, quod hi Catholici Auctores non intelligant de Sacrificio propriè dicto, sed tantum impropriè, vt sentiunt cæteri Doctores.

Secunda ergo, & communis sententia asserit, non omne Opus bonum relatum ad laudem Dei esse propriè sacrificium: sed sacrificium esse specialem actum Religionis distinctum nedum à cæteris actibus virtutum, sed etiam à cæteris actibus religionis externis relatis in honorem Dei. Ita D. Tom. 2. 2. *quæst. 85. art. 3.* Sotus *lib. C. de iust. & iure, quæst. 1. art. 3.* Canus *lib. 12. de locis Theolog. cap. 13.* Vasquez 3. *part. disp. 220. c. 1. num. 1.* Suarez 3. *part. disp. 73. de Eucharist. sect. 7. ver. Communis tamen.* Bellarmin. *lib. 1. de Missa, cap. 2. ver. Hæc faciunt.* Isambert. 3. *part. disp. 1. de Sacrificio Missæ, art. 1. ver. Hæc tamen.* Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp. 1. de sacrif. Missæ, difficul. 1. ver. Definitio.* Carpens. *tom. 2. Cursus Theologici tract. 13. disp. 1. sect. 1. num. 2.* Chellison. 3. *part. quæst. 83. art. 1. dub. 1. not. 4.* Nugnus *diffic. 1. ver. Pro explicatione.* Præposit. *dub. 1. num. 3.* Putean. *dub. 1. ver. Cæterum.* Mætat. *disp. 36. de Euchar. sect. 1. ver. Secundum est.* Bannius *er. 1. Theol. Moral. tract. 6. de sacrif. Miss. quæst. 1. assert. 1.* Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disp. 22. num. 3.*

Dicendum est. *Sacrificium propriè dictum distingui ab opere bono relato ad laudem Dei, & proinde omne Opus bonum non esset sacrificium.* Oppositum est damnatum, quatenus est damnata propositio Michaëlis Buij à Pio V. Gregorio XIII. & Vrbano VIII. quæ est 44. *Sacrificium Missæ non alia ratione est sacrificium quàm generali illa, qua omne opus, quod fit, vt sancta Societate Deo homo inhæreat.* Ex qua propositione desumitur opposita, quod Sacrificium Missæ sit speciali modo sacrificium, & quod operibus bonis non conueniat hæc specialis ratio sacrificij. Vnde existimo propositionem esse de fide.

Prob. in Scriptura sacrificium contra distinguitur ab operibus bonis, 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quàm victima.* Oseæ 6. *Misericordiam volui, non sacrificium.* Psal. 50. *Si voluisses sacrificium dedissem, vtique holocaustis non delectaberis sacrificium Deo spiritus tribulatus.* Si autem omne opus bonum esset propriè sacrificium non contra distingueretur à sacrificio. Confirmat. Opera bona relata ad honorem, & laudem Dei sunt communia omnibus, cùm quilibet possit illa exercere stante quacunque lege. Sed offerre sacrificium non est commune omnibus iuxta legem scriptam diuinam; sed solum Sacerdotibus ad id destinatis iuxta illud Apost. ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Rursus: *Nec quisquam sibi assumit honorem, sed qui à Deo vocatur tanquam Aaron.* Si autem omne opus bonum esset sacrificium propriè, omnes offerre possent sacrificium. Vnde cum non possint, sequitur, quod sit specialis actus requirens specialem ministrum saltem ex dispositione legali. Confirm. 2. lib. 2. Paralip. cap. 26. Azarias, cæterique Sacerdotes restiterunt, Oziæ Regi volenti offerre sacrificium, nam in hoc vsurpabat munus alienum. Offerre autem sacrificium esset munus proprium vniuscuiusque, si omne opus bonum esset sacrificium propriè.

Dicendum 2. *Opus bonum relatum in laudem Dei esse sacrificium impropriè ex aliqua analogia ad verum sacrificium, & propriè dictum.* Desumitur ex Scriptura quatenus opera bona vocat sacrificium. Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Et Psal. 49. *Immola Deo sacrificium laudis.* Et rursus. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Ergo, cùm opus bonum vocetur

tur sacrificium debet aliquo modo participare rationem sacrificij. Cùm autem opera bona sint diuersa speeie, non solum inter se, sed etiam à sacrificio propriè dicto; siquidem est actus specificus Religionis, non possunt participare secundum suam vltimam rationem specificam, sed solum secundum communem rationem analogiæ.

7 Ratio autem est. Quia sicuti sacrificium est protestatio quædam declaratiua, qua declaratur hominem subiici Deo, & Deum esse supremum Dominum, à quo cuncta dependent. Ita etiam quilibet actus eo ipso quod refertur ad laudem Dei, declaratur Deus, vt finis vltimus, ad quem omnia referenda sunt; & homo se illi subiicit tanquam suo fini. Et in hoc consistit analogia, & proportio ad sacrificium propriè dictum.

8 Ad rationem dubitandi constat ex dictis. Scriptura enim vocat saerificium opera bona, quatenus sunt talia, non propriè: sed secundum quandam analogiam. Sicut etiam quisque dicitur Sacerdos metaphoricè, & per quamdam analogiam ad Sacerdotes propriè dictos, iuxta illud Epist. 1. Petri, cap. 2. *Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias.* Deinde subdit, *Vos autem genus electum, regale sacerdotium.* Cum enim vocet Sacerdotes in ordine ad spirituales victimas; sicut spirituales victimæ non sunt propriæ victimæ, ita nec sacerdotium, aut saerificium.

9 Ad auctoritatem autem D. August. resp. Quod ibi loquitur de sacrificio spirituali, & metaphorico, vt constat etiam ex præcedenti *cap. 5.* quod vocat verum sacrificium in ordine ad Dei complacentiam, & respectu sacrificij externi sensibilis, coi non correspondet interior affectus. Tale enim sacrifieium secluso interiori affectu (excepto tamen sacrificio Missæ, de quo est specialis ratio, ratione rei oblatæ, & priocipalis offerentis) non placet Deo, iuxta illud Psal. 49. *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorũ potabo. Immola Deo sacrificium laudis.* Quare vocat verum sacrificium, non quia propriè sit tale; sed verum in sua analogia, & metaphora, sicut Christus dicitur vitis vera, Ioan. 7. nempe intra genus metaphoræ, cum tantum metaphoricè sit vitis. Et proinde est vitis vera respectu vitis alteriùs metaphoricæ, quæ, dum expectatur, quod faciat vuas, facit labroscas, vt notat idem D. August. *tract. 8. in Ioan.*

10 Ex his colligitur. Quod sacrificium impropriè sumptum, seu cum metaphora potest habere varias significationes; nam aliquando interior subiectio, qua quis se Deo subiicit vt supremo Domino iuxta illud Psal. 59. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*, dicitur sacrificium. Quia nimirum hæc humiliatio, & subiectio dat esse saerificio seosibili. Rursus significat etiam, vt dictum est, quæcunque opera booa quæ fiunt in laudem, & honorem Dei, iuxta illud Apostoli ad Rom. 12. *Obsecro vos, vt exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam Deo placentem.* Et ad Hebr. cap. 13. *Communionis, & beneficentiæ nolite obliuisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.* Quia nimirum hi quoque actus declarant aliquam subiectionem Deo, vt supremo Domino. Deoique significat etiam quemlibet cultum externum exhibitum Deo, vnde locus vocalis dicitur saetificium, iuxta illud Psal. 4. *Immola Deo sacrificium laudis.* Siquidem quilibet cultus declarat subiectiouem colentis erga Deum.

QVÆSTIO III.

An Sacrificium sit in genere oblationis, & quomodo.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium continet oblationem rei sacrificatæ.*
2. *Sacrificatio, & oblatio an distincta.*
3. *Ad Sacrificium non requiritur oblatio distincta ab actione sacrificandi.*
4. *Quomodo actio sacrificandi contineat oblationem.*
5. *Consumptio rei in alterius commodum continet oblationem.*
6. *Facta magis declarant animum, quàm verba.*
7. *In Sacrificio Christi in vltima cœna non interuenit oblatio distincta.*
8. *Oblatio cur exprimatur vt distincta ab actu sacrificandi.*
8. *Concil. Trident. cur definierit, Sacerdotes habere potestatem offerendi, & sacrificandi.*
9. *Eleuatio hostiæ qualis oblatio.*

SAcrificium continere quandam oblatiooem rei sacrificatæ, non potest verti in dubium, siquidem res ipsa, quæ sacrifiearur offertur Deo. Ita specialiter ij, qui definiunt sacrificium per oblationem vt, Suarez *disp. 73. de Euchar. sect. 7.* ver. *Vt autem.* Vasquez 3. *part. disp. 220. cap. 2. num. 14.* Isambert. *disp. 1. de sacrif. Miss. art. 2. init.* Putean. *quæst. 83. dub. 1.* Chellison. *art. 1. dub. 1. not. 6.* Præposit. *num. 7.* & alij communiter cum D. Thom. 2. 2. *quæst. 85. art. 3. ad 3.* Difficultas autem est, an ad rationem sacrificij requiratur aliqua oblatio supra illam, qua res oblata sacrificatur. 1

Ratio dubitandi est. Quia in ipsa ratiooe sacrificandi oblatio distinguitur ab ipsa sacrificatione. Malachiæ 1. *Sacrificatur, & offertur.* Concil. Trident. *sess. 23. cap. 1.* *Fateri etiam oportet in ea (Ecclesia) nouum esse visibile, & externum Sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Saluatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus, & sanguinem eius.* Confir. Hostia antequam sacrificaretur leuari solebat coram Domino in signum oblationis. Leuit. 23. & de facto in sacrificio Missæ prius offertur panis, & vinum, quam fiat consecratio. 2

Dicendum est. *Oblationem distinctam ab actione sacrificandi non requiri ad sacrificium: sed sufficere oblationem, quæ imbibitur in sacrificatione.* Ita ij omnes, qui voluot essentiam sacrificij Missæ consistere in sola consecratione. Et specialiter Malder. 2. 2. *tract. 10. cap. 3. dub. 1.* ver. *Secunda difficultas est.* Desumitur ex modo loquendi sacræ Scripturæ; nam sumit pro eodem, sacrificare, & offerre. Eeelesiast. 34. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* Vbi actio immolantis dicitur oblatio. Et rursus. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi sicut qui victimat Filium in conspectu Patris sui.* Vbi victimare, & offerre pro eodem sumontur. Leuit. 1. *Et offerent filij Aaron Sacerdotes sanguinem eius fundentes per altaris circuitum.* Vbi fundere est offerre. Fundere autem erat sacrifieare. 3

Ratio autem est. Quia ex ipso, quod res aliqua sacrificatur Deo, offertur etiam ipsi. Ergo non est necessaria aliqua specialis actio oblatiua distincta à consecutiua. Consequentia patet. Nam in tantum esset necessaria, inquantum in sacrificio debet aliqoid offerri Deo: vnde si actio sacrificatiua est etiam oblatiua, non erit necessaria specialis actio oblatiua. 4

Anteced. probatur. Sacrificium, qua tale est, tendit in honorem Dei, quia per ipsum formaliter exhibetur Deo supremus cultus, qui exhiberi potest, dum res sacrificata immutatur in honorem ipsius. Eo ipso autem, quod per rem sacrificatam colitur Deus per eius destructionem, dedicatur ipsi, in quo consistit oblatio.

5 Confirmatur. Eo ipso, quod res, quæ sacrificatur Deo, desumitur in eius honorem, facto ipso declaratur, quod ad ipsum pertineat ex destinatione sacrificantis. Ergo interuenit oblatio expressa in ipsa actione sacrificandi, sicuti si quis ex intentione donandi insumeret pecuniam in alicuius commodum, illa expensio contineret exercitium donationis, tanquam actio proueniens ex intentione donandi: & esset exterior donatio, quia esset actus exterior correspondens interiori donationi.

6 Confir. 2. Illa sacrificatio declarat animum offerendi Deo rem sacrificatam: siquidem est factum, quod sine animo offerendi stare non potest. Vnde statim ex tali actione quis arguit in sacrificatione animum offerendi Deo, & facta magis declarant animum, quàm verba *l. Certum si cert. pet. & cap. Dilecti. de appellat.* Ergo est actio etiam oblatiua; nam animus offerendi non potest declarari, nisi per aliquod factum, in qua contineatur aliqua externa oblatio.

7 Confir. 3. Quando Christus in vltima cœna instituit Eucharistiam, obtulit Deo in sacrificium corpus, & sanguinem proprium sub speciebus panis, & vini, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1. De sacrificio Missæ.* Et tamen non legitur apud Euangelistas, quod adhibuerit aliquam distinctam oblationem à consecratione. Ergo sacrificium non requirit oblationem distinctam à consecratione. Si quidem tradita fuisset ab Euangelistis, cum crediderint omnia necessaria.

8 Ad rationem dubitandi respond. Oblationem exprimi aliquando, vt distinctam ab actu sacrificandi, vt exprimatur, quod actus sacrificandi est etiam oblatio, vt in illo loco Malachiæ, nam sacrificium est etiam oblatio intrinsecè; vnde solet per oblationem definiri. Vel etiam quia aliquando adhibetur distincta oblatio, quæ tamen est tantùm virtualis; non autem necessaria ad rationem sacrificij. Concil. autem Tridentinum debuit necessariò adhibere vtrumque verbum consecrandi, & offerendi, quia definiebat contra Hæreticos, qui volebant quod Sacerdotes consecrarent quidem, non autem offerrent sacrificium, quippe per ipsos in Missa non continetur verum sacrificium: vnde *Can. 1.* definit, in Missa offerri verum sacrificium. Hinc in ordinatione Sacerdotum Episcopus dicit: *Accipe potestatem offerendi in Ecclesia sacrificium.* Offerre autem sacrificium est sacrificare, nam potestas, quæ tribuitur Sacerdoti in ordinatione, est potestas sacrificandi, quæ cum exprimatur per potestatem offerendi sacrificium, offerre, & sacrificare erunt idem.

9 Ad confirmat. supposito quod illa eleuatio hostiæ fuerit oblatio, non fuisse oblationem necessariam ad sacrificium, quasi sine ipsa non posset subsistere, sed fuisse oblationem ritualem: sicut etiam est modo oblatio panis, & vini, quæ in Missa præmittitur consecrationi.

QVÆSTIO IV.

Qualis oblatio sit sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Non omnis oblatio est sacrificium.*
2. *Sacrificium non fit nisi soli Deo.*
3. *Per quam differentiam oblatio fiat sacrificium.* Et num. seq.
4. *Oblatio fit sacrificium per immutationem tendentem ad consumptionem.*
5. *Fundamentum significationis propria sacrificij.*
5. *In omni sacrificio semper fuit facta immutatio rei oblatæ.*
6. *Immutatio rei oblatæ sufficit, vt oblatio sit propria sacrificij.*
7. *Sacrificium Melchisedech fuit cum immutatione.*
7. *Panes propositionis an fuerint sacrificium.*
8. *Oblatio non fit propria sacrificij per id, quod repræsentet sacrificium carnis.*

Licet omne sacrificium sit oblatio, quia includit in se rationem oblationis; non tamen contra omnis oblatio est sacrificium, vt notant communiter ad D. Thom. 2. 2. *quæst. 85. art. 3. ad 3.* Vnde necesse est quod ipsi superaddatur aliqua specialis qualitas, seu differentia, per quam distinguatur in simplici oblatione, & fiat talis specialis oblatio, & hæc qualitas, seu differentia modo inquiritur. 1

Est autem supponendum. Quod quando assignatur differentia penes id, quod sacrificium sit oblatio, quæ soli Deo fieri possit: oblatio verò simplex possit fieri etiam homini, assignatur, quidem aliquid proprium sacrificij, quàm licèt sacrificetur etiam iis, qui non sunt Deos, non tamen sacrificantur, nisi ex opinione diuinitatis, vt notat D. August. *lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 4.* vbi ait: *Quis verò sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum, aut sciuit, aut putauit, aut finxit?* Ioann. *lib. 1. contra Aduers. leg. & Phorph. cap. 18.* habet. *Dæmon sibi sacrificium non exigeret, nisi Deo vero deberi sciret. Nam obsequia cætera quæ diuinitati exhibentur, ausi sunt sibi etiam superbia fastu homines arrogare; rarissimi autem commemorantur, qui sibi, vt sacrificaretur, cum regia potestate possent ausi fuerunt imperare. Quicunque tamen ausi sunt, per hoc se Deos haberi voluerunt.* Verum esset explicandum, vnde habeat sacrificium, quod sit talis oblatio, vt non possit offerri, nisi soli Deo; hæc enim repugnantia habere debet suum fundamentum in ipsa natura oblationis. 2

Prima sententia asserit propriam qualitatem, seu differentiam, quam dicit oblatio in sacrificio, esse rationem significationis, quæ consistat in rebus. Ita Puteanus *3. part. quæst. 83. dub. 1.* vet. *Dico igitur.* Verum hæc differentia non distinguit oblationem in ratione oblationis à simplici oblatione, sed in alio genere, seu superaddendo formam extra genus oblationis, & proinde non importat differentiam, quæ sit propria oblationis, prout reperitur in sacrificio. 3

Secunda sententia asserit, immutationem rei oblatæ, esse propriam differentiam, quàm dicit oblatio, vt est propria sacrificij. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst. 85. art. 3. ad 3.* Et ij qui definiunt sacrificium per oblationem, in qua substantia rei oblatæ immutatur, vt Suarez *disput. 73. de Eucharist. sect. 3.* ver. *Qua duo.* Isambert. *3. part. disput. 1. de sacrific. Missæ, art. 2.* Vasquez *disput. 220. cap. 3. num. 20.* Proposit. *quæst. 83. art. 1. dub. 1. num. 7.* Carpens. *part. 2. curs. Theol. tractat. 23. disp. 1. sect. 1. num. 5.* Amicus *tract. 7. curs. Theol. disp. 32. sect. 1. num. 22.* Gaspard Hurtad. *de sacrament. disput. 1. de sacrific. Miss. difficult. 1. ver. Sacrificium ergo.* Alanus *lib. 12. de Euchar. cap. 3.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 1.* Mercer. *de sacrament. quæst. 83. dub. 4.* vet. *Resp. Secundò.* 4

Dicendum est. *Oblationem fieri propriam sacrificij per id, quod in re oblata fiat aliqua immutatio tendens ad consumptionem ipsius.* Ita Theophilactus in cap. 8. Epist. ad Hebr. *Sacrificium est, quod est per sanguinem aut ignem.* (Hoc est quod morte aut igne consumitur) 5

mirur) *Oblatio autem est ex fructibus, & sine sanguine, aut igne, aut alia immutatione fit.* Ratio autem est, quia sacrificium est specialis actus religionis, & speciali modo ordinatur in actum. Ergo etiam oblatio, qua constat, debet esse specialis oblatio, vt sit proportionata sacrificio. Non potest autem esse proportionata, nisi correspondeat significationi sacrificij, atque adeò nisi habeat aliquid super rationem simplicis oblationis in quo fundetur significatio propria sacrificij, & ratione cuius ita conueniat Deo, vt non posset tribui creaturæ. Hoc autem est immutatio circa rem oblatam, quæ tendat ad consumptionem. Siquidem hoc pacto oblatio fit apta ad significandum, quod sacrificium significare debet. Confirmat. In omni sacrificio tam apud cultores veri Dei, quàm apud Gentiles, semper facta fuit aliqua immutatio circa rem oblatam. Ergo talis immutatio appropriata oblationem sacrificio extrahendo à natura simplicis oblationis, quæ solum dicit rem donari.

6 Dices. Quod circa rem oblatam fiat aliqua immutatio non sufficere ad constituendam rationem sacrificij, & ideò non esse differentiam propriam. Resp. non sufficere quidem ad constituendam rationem sacrificij, sufficere tamen ad determinandam oblationem, vt sit oblatio propria sacrificij, & ideò importare propriam qualitatem, & differentiam oblationis, quæ interuenit in sacrificio. Et dato, quod per aliquid aliud possit fieri propria, de facto tamen hoc pacto fit propria.

7 Dices 2. Melchisedech obtulit sacrificium panis, & vini, *Gen.* 14. Rursus panes propositionis offerebantur absque vlla immutatione. Ergo sacrificium non requirit immutationem in re oblata. Resp. Scripturam narrare solum, quod Melchisedech obtulerit sacrificium panis, & vini: non autem narrare modum, quo sacrificauerit, quia hoc non esset necessarium; nec tamen negat, quod immutauerit: vnde præsumendum est, quod aliquo modo immutauerit, sicut posteà factum est cæteris sacrificiis; & ideò argumentum tanquam procedens ab auctoritate negatiua nihil concludit. Quod autem spectat ad panes propositiones, conantur nonnulli assignare circa ipsos mutationem: Verum cum nullibi habeatur ex Scriptura, quod continuerint sacrificium, melius negatur fuisse in ipsis oblatum sacrificium, vt negant Azor. *part.*.... *lib.* 10. *cap.* 17. *quæst.* 2. Malder. *tom.* 2. 2. *tractat.* 10. *cap.* 3. *de sacrific. dub.* 1. Lugo *de sacram. disput.* 19. *sect.* 1. *num.* 9. Isambert. 3. *part. disput.* 1. *de sacrific. Miss. art.* 3. vers. *Respondetur secundò.* Quod etiam ex eo colligitur, quia oblati panes perseuerabant supra mensam, nec remouebantur, nisi alij restituerentur. Nec obstat, quòd hi panes dicantur, Sancta Sanctorum de sacrificiis Domini; quia in his verbis redditur ratio, cum à solis Sacerdotibus deberent consumi in loco Sancto, quia videlicet erunt legaliter sanctificari, & quia erunt de sacrificiis, hoc est oblationibus.

8 Ex dictis colligitur. Quod oblatio, quæ est propria sacrificij non sit propria per id, quod habeat repræsentare sacrificium Crucis, vt notat etiam Purean. 3. *part. quæst.* 83. ver. *Sed neque isti.* Nam in primis repræsentatio ista non est intra genus oblationis, & proinde non potest determinare in genere oblationis. Deinde sacrificium Crucis est in ordine supernaturali, sacrificium verò in communi est in ordine naturali, & ideò non potest, oblatio, qua constat, fieri propria ipsius per ordinem ad supernaturale, accedit etiam, quod sacrificia Gentilium sunt vera sacrificia, & tamen non repræsentant sacrificium Crucis.

QVÆSTIO V.

An sacrificium sit formaliter in genere signi.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium habet duplicem partem materialem, & formalem.*
2. *Sacrificium est formaliter in genere signi sensibilis.*
3. *Sacrificio exprimimus animam nostram erga Deum.*
4. *Sacrificium vnde placeat Deo.*
5. *Non omne signum est ens rationis.*
6. *Sacrificium est signum ad placitum.*
7. *Sacrificium quatenus sit actus religionis.*

OBlationem, & immutationem, quæ fit circa rem, quæ offertur, materiali modo se habere, est supponendum tanquam certum. Sacrificium namque vt notant etiam Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 36. *de sacrific. Missæ, sect.* 1. ver. *Quartum est.* Isambert. 3. *par. disp.* 1. *de sacrific. Miss. art.* 4. ver. *resp. sanct. Augustin.* Constat ex duplici parte, nempe materiali, & formali. Pars materialis est oblatio cum immutatione, quæ fit circa rem oblatam. Pars verò formalis erit illa, qua sacrificium determinatur, vt speciali modo tendat in honorem Dei, & dicat supremum cultum ipsius. Neque enim iugulatio taurorum, effusio, aut quid simile dicit de se specialem cultum Dei & ideò indiget aliquo determinatiuo, quo determinetur ad hunc effectum. 1

Dicendum est: *Sensibilis sacrificium esse formaliter in genere signi.* Ita Diuus Augustinus, *lib.* 5. *de Ciuit. Dei, cap.* 5. vbi habet *Sacrificium visibile esse signum sacrificij inuisibilis.* Et *Epistol.* 49. *quæst.* 3. dicit, significatiua esse omnia talia sacrificia, & quarumdam rerum similitudines. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 1. & 2. Suarez *disput.* 73. *de Eucharist. sect.* 1. ver. *Ex his facilis.* Mærat. *tom.* 3. *sum. disput.* 36. *de Eucharist. sect.* 1. ver. *Quintum est.* Præposit. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 1. *num.* 7. ver. *Constat.* 2. Gaspard. Hurtad. *disput.* 1. *de sacrific. Missæ, difficult.* 1. ver. *Sacrificium ergo:* Carpens. *part.* 2. *curs. Theol. tract.* 23. *disput.* 1. *sect.* 1. *num.* 4. Amicus *tom.* 7. *Curs. Theol. disput.* 32. *num.* 6. & communiter, dum dicunt, sacrificium significare Deum authorem vitæ & mortis contra Nugnum 3. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *difficultat.* 1. Negantem, esse in genere signi, sed esse in genere qualitatis tanquam actus virtutis religionis. 2

Ratio antecedens est; quia sacrificium adhibetur ad exprimendum affectum nostrum & animum erga Deum, ita vt mediante ipso profiteamur recognoscere Deum, tanquam supremum Domini siue vitæ, & mortis, siue alio modo & nos illi vt tali subiicere. Ergo sacrificium habet rationem signi, quia signum est illud, quod ducit in cognitionem alterius. Sacrificium autem ducit in cognitionem nostri interioris sensus erga Deum & nostræ intentionis recognitionis. 3

Confirmat. Sacrificium est aliquid placens Deo, vnde exigit ipsum à nobis tanquam illi debitum. Ergo autem non potest ipsi placere illa externa oblatio, nec actio sacrificandi iuxta illud Psalm. 49. *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo.* Et Psalm. 50. *Vtique holocaustis non delectaberis,* quatenus scilic secundùm se accipitur, sequitur, quod debeat aliquid aliud indicare ratione cuius placeat Deo, nempe interiorem affectum, cuius sit signum. 4

Dices. Si sacrificium esset in genere signi, esset ens rationis. Respondeo negans sequel. Nam cùm omne signum est ens rationis, vt quando consistit in reali 5

connexione cum re significata, vt contingit in signis naturalibus, & etiam moralibus ad placitum. Sacrificium ergo est signum morale connexum cum illo interiori sensu de diuina Majestate, & affectu erga Deum vt supremum dominum, & se habet ad ipsum proportionato modo, sicut se habent verba ad conceptus internos. Cum autem hæc connexio sit realis, & realiter indicet interiorem sensum, & affectum, sequitur, quod significatio sit realis non secus ac realis est significatio verborum. Quod etiam ex eo constat; quia quod non est reale non potest causare effectum realem; signum autem causat effectum realem, quia realiter ducit in cognitionem rei signatæ, quod etiam facit sacrificium.

6 Dicendum 2. *Sacrificium esse signum ad placitum non autem naturale, cum aliqua tamen analogia ad significandam rem signatam.* Ita communiter, præsertim citati *num.* 2. contra August. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *difficult.* 2. *conclus.* 2. & 3. quia supponit quod sacrificium seclusa institutione significet excellentiam diuinam, sed ex falsa suppositione, nempe quod seclusa institutione sit sacrificium. Ratio est. Quia illud idem quod fit in sacrificio, potest etiam fieri extra sacrificium, & de facto fit, absque eo quod significet, prout significat in sacrificio, vt iugulatio vituli, aut combustio, & alia huiusmodi. Ergo non sunt supernaturalia, quia si essent talia, semper idem significarent, quandocunque ponerentur, quia significatio est inseparabilis à signis naturalibus. Rursus adest in signo analogia ad rem signatam: nam consumptio rei oblatæ in honorem Dei habet analogiam ad exprimendum affectum impendendi proprium esse in cultum Dei.

7 Ex dictis colligitur. Sacrificium, quatenus consistit in actione externa sacrificandi de se non esse actus religionis, sed solùm vt subest actui interno, qui est propriè actus religionis, & formaliter, & solum sacrificium participat rationem virtutis religionis tanquam actus ab ipsa imperatus, & eo modo, quo actus externus participat bonitatem interni. Cum autem non participet hanc rationem virtutis, nisi vt imperatus: atque adeò nisi quatenus ordinatur ad reuerentiam Dei & gloriam ipsius, vt habet etiam D. Thom. 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 4. Nec referatur, nisi quatenus assumitur tanquàm signum ad significandum internum affectum atque adeò non sit virtus, nisi prout dicit ordinem ad actum internum virtutis, sequitur, quod formaliter sit in genere signi moralis, siquidem tota participatio virtutis, quæ ei conuenit, consistit in hac ratione signi.

QVÆSTIO VI.

Quale signum sit sacrificium.

SVMMARIVM.

QVia etiam Sacramentum est signum, & à cæteris signis distinguitur, per id, quod practico modo significat interiorem sanctitatem, videndum qualem rationem signi importet sacrificium, si quidem diuersum est à sacramento & proinde est stabilienda eius differentia. 1

Conueniunt autem communiter, quod sacrificium duo significet alterum ex parte hominis, & alterum ex parte Dei, & quod id, quod significat ex parte hominis sit interna submissio, qua se submittit Deo, & quod ex parte Dei significet illam supremam excellentiam, ratione cuius est illi debita totalis submissio. Differunt tamen in explicando modum, quo hæc significantur. Aliqui enim volunt quod in Deo significet dignitatem primi principij, & vltimi finis, & supremi Domini rerum omnium. In homine verò subiectionem, & recognitionem talis excellentiæ, & potestatis. Ita Suarez *disp.* 73. *de Eucharistia, sect.* 2. ver. *Dico primò.* 2

Alij verò volunt quod ex parte Dei significet dominium, quod Deus habet in vitam, & mortem: & ex parte hominis cognitionem talis dominij, & submissionis proprij esse in ordine ad talem potestatem. Ita Vasquez 3. *part. disput.* 220. *cap.* 3. *num.* 25. Gaspar. Hurtad. *disp.* 1. *de sacrific. Miss. difficult.* 1. ver. *Sacrificium ergo.* Carpens. *part.* 2. *Curs. Theol. tract.* 23. *disput.* 1. *sect.* 1. *num.* 4. Præposit. 2. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 1. *num.* 7. Chellison. *dub.* 1. ver. *Notan.* 7. 3

Alij volunt ex parte hominis significare infirmitatem, ex parte verò Dei diuinam Majestatem. Ita Puteanus, 3. *part. quæst.* 83. *dub.* 2. *init.* & in idem videtur recidere Banona *tom.* 1. *Theol. moral. tract.* 6. *de sacrific. Miss. quæst.* 1. *assert.* 2. Dum vult ex parte hominis significare seruitutem: ex parte verò Dei principatum. Qui tamen modus dicendi nimis generaliter procedit, si quidem tam diuina Majestas, quàm principatus, significantur etiam per ea, quæ non sunt sacrificia, sicut etiam ex parte hominis, seruitus, & infirmitas. Sic adoratio latriæ significat Dei Maiestatem, & principatum. Et ex parte adorantis seruitutem, & infirmitatem. Idem etiam significat oratio, quando petimus, nos in iis adiuuari, in quibus à solo Deo adiuuari possumus. Vnde hæc significatio non est propria sacrificij. 4

Alij rursus volunt, quod ex parte Dei significet illam excellentiam, ratione cuius sit dignus, in cuius honorem vita nostra consumatur. Ex parte verò hominis affectum suæ destructionis, si esset licita, vel necessaria ad cultum Dei. Ita Lugo *disp.* 19. *de Eucharist. sect.* 1. *num* 5. & 6. Quæ tamen explicatio difficultatem patitur ex eo, quod est de aliquo conditionato. Cum enim destructio proprij esse neque sit licita, neque necessaria ad cultum Dei, affectus quoque absolutus de tali destructione non erit licitus, nec necessarius ad Dei cultum: & si quis illum haberet, peccaret. Affectus verò conditionatus, vt denudetur à peccato, oportet; quod in illius obiecto fingatur conditio, sub qua proponatur tanquam licitum, & honestum, cum tamen non sit tale, & proinde versabitur circa obiectum fictum, quale est obiectum de re illicitum & turpe, coniunctum per intellectum non honestate, & conditione impossibili; aut si remanet in puro esse conditionato; etiam affectus erit conditionatus, 5

Digitized by Google

conditionatus, hoc est erit voluntas habendi talem lem affectum, si obiectum esset licitum, & honestum. Ex hoc autem fit, quod sacrificium non possit significare hunc affectum, quia debet significare affectum debitum Deo, sicut est debitum ipsum sacrificium. Talis autem affectus, si est absolutus non potest esse debitus, quia est peccaminosum. Si verò est de obiecto conditionato, neque potest esse debitus, quia nulla lege præcipiuntur effectus circa obiecta conditionata; & in sacrificio debetur Deo affectus absolutus, quia debetur absoluta recognitio illius debiti, quo absolutè tenetur homo tanquam creatura erga Deum, vt suum creatorem.

Hinc neque Deus potest esse dignus, in cuius honorem vita nostra destruatur. Non potest esse dignus absolutè si quidem non potest esse dignus re illicita, & turpi, neque potest esse dignus ea conditione, quia cum Deus sit ens summè necessarium, & tale per essentiam quidquid ei conuenire potest, de facto habet, & quod de facto non habet, non potest conuenire.

Dicendum 1. *Sacrificium quatenus signum sensibile,*
7 *significare internum sacrificium spirituale, quo nos Deo sacrificamus.* Ita D. August. *lib.* 10. *De Ciuitat. Dei, cap.* 5. Dum dicit, sacrificium visibile, inuisibilis sacrificij signum esse. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 2. *in corpore.* dum dicit, significare sacrificium interius, quo anima se Deo offert. Ratio autem est. Quia sacrificium est aliquid morale, & proinde debet esse signum in genere morali ordinatum ad sacrificandum actum moralem interiorem, à quo omnis actus exterior recipit suam moralitatem, cum moralitas primò, & per se insit actibus, interioribus. Ergo debet significare sacrificium spirituale interius. Consequent. prob. Quia cum sit oblatio exterior, & non quæcumque, sed in qua esse rei oblatæ deuouetur Deo, vt proinde tendat ad consumptionem ipsius, debet significare interiorem oblationem proportionatam; nam signum debet adæquari cum re signata, ita vt in re signata sit id, quod est in significatione signi proportionato modo.

8 Dicendum 2. *Sacrificium spirituale internum, quod significatur ab externo consistere in eo, quod homo totum suum esse deuoueat Deo tanquam illi, à quo ipsum participat, & in cuius seruitium est impendendum: vnde respicit in Deo excellentiam vltimi finis, ratione cuius omnia in eius obsequium vtenda sunt, & sacrificium externum significat hanc excellentiam, & ex parte hominis affectum deuouendi se totum Deo.*

9 Ratio est. Quia sacrificium est supremus, cultus qui exhibetur Deo, quatenus Deus est; & in quo protestamur, quid Deo debeamus. Ergo sacrificium internum debet consistere in eo, quod totum esse nostrum deuoueamus Deo, cum debeamus ipsum totum eidem Deo tanquam ab ipso participatum vt insumendum in eius obsequium; ita vt ei quid minus protestaremur, non protestatemur totum debitum; quia sicut debitum adequat esse, ita etiam protestatio, & oblatio debet adæquare. Rursus solus Deus est talis, vt omnia debeant adæquatè in eius obsequium ordinari: Ergo vt sacrificium habeat hanc conditionem, quod non possit alteri exhiberi, debet esse adæquata ordinatio totius esse hominis in obsequiom Dei, nam etiam in obsequium inferioris potest homo se inadæquatè deuouere.

10 Confirm. In sacrificio externo totum esse rei oblatæ deuouetur in obsequium Dei: ita vt qui participant de sacrificio, participent tanquam de re facta ipsius Dei. Et proinde destruitur ad significandum, quod res secundum proprium esse insumitur in obsequium ipsius: Ergo sacrificium internum, quod significatur in externo, debet consistere in eo, quod totum esse hominis deuoueatur in obsequium Dei; nam cum sacrificium externum significet internum secundum modum, quo fit, debet in affectu hominis significare, quod in ipso fit; vnde cum res oblata secundum proprium esse, impendatur in obsequium Dei, debet idem significare in homine quoad affectum ipsius.

Ex his colligitur quoad praxim, in offerentibus 11
sacrificium debere interuenire hoc sacrificium internum seu affectum deuouendi se Deo secundum totum proprium esse, non solum quoad Sacerdotes, sed etiam quoad assistentes, quatenus in sacrificio participant, & Sacerdos nomine ipsorum offert. Quamuis enim actio externa sacrificij à solo Sacerdote exerceatur, oblatio tamen interna debet esse communis adstantibus omnibus, vt in sacrificio communicent, & vt nomine ipsorum Sacerdos dicatur offerre. Non est tamen necesse, vt interueniat talis affectus expressus, sed sufficit implicitus, & virtualis, qui censetur adesse, ex quo intendit assistere sacrificio, nam per hoc approbat illam actionem tanquam nomine suo exercitam, quæ ex natura sua dicit interiorem affectum deuouendi se totum Deo, supposito, quod assistens consentiat assistendo, quod nomine suo offeratur. Quando enim actio externa est voluntaria trahit etiam internam correspondentem, & facit quod saltem virtuali modo insit.

Secundò colligitur. Quod quando Ecclesia præci- 12
pit audire Missam, atque adeò assistere sacrificio, quod in ipsa offertur, præcipit etiam sacrificium internum, quia præcipit, quod assistentes sint præsentes Missæ tanquam sacrificio: & proinde quod ita assistant, vt nomine ipsorum offeratur, & communicent in illa actione sacrificatiua, & exhibeant cultum Deo per sacrificium. Præcipiendo autem hunc actum externum, præcipit etiam internum, qui venit in consequentiam ad externum, & sine quo haberi non potest; siquidem non potest esse sacrificium externum, nisi adsit internum, cum externum sit essentialiter signum interni: & ideo non potest quis conuenire ad sacrificium externum, & esse sacrificans exhibendo Deo illum cultum, nisi habeat sacrificium internum.

Tertiò colligitur. Quod, si quis cogeretur sacrifi- 13
care idolis, & non haberet affectum internum correspondentem actioni externæ, quamuis peccaret contra exteriorem confessionem fidei, non tamen committeret veram idololatriam, quia non offerret verum sacrificium; neque enim actio externa est verum sacrificium, nisi quatenus est signum interioris sacrificij, quo deficiente, actio externa est tantum sacrificium apparens: & falsum, cum non correspondeat signo res significata: si tamen adhiberet illud exterius signum, sicut præciperetur adhibere, tacitè consentiret in sacrificium, neque adeò haberet virtualem affectum sacrificandi idolis.

Quartò colligitur, in quo differat sacrificium à 14
laude. Significatio namque sacrificij non consistit in verbis, sed in re oblata, quæ per sui immutationem impenditur in obsequium Dei, & significat, quod etiam homo impendat totum suum esse in obsequium Dei. Laus verò consistit in verbis exprimentibus aliquam excellentiam diuinam, & significantibus correspondentem conceptum, quem de ipsis habet laudans. Et ita notat etiam Vasquez 3. *part. disput.* 93. *c.* 4.

Quintò colligitur discrimen inter sacrificium, & 15
adorationem, & oblationem. Adoratio namque consistit in aliquo extrinseco signo sensibili exprimente Dei superioritatem, & submissionem nostram. Simplex verò oblatio habet diuersam significationem; nam ex parte Dei significat dominium supra res omnes, ratione cuius ea offerimus tanquam sua: ex parte verò offerentis significat protestationem talis dominij in Deo, vnde habent significationem omninò diuersam à sacrificio.

Sextò

16 Sextò colligitur. Quod assistere sacrificio sit opus religionis perfectissimum : atque adeo opus virtutis excellentissimum, & maximè meritorium, si concurrant cætera requisita ad meritum. Et ratio est, quia assistens participat in sacrificio, cum offeratur etiam nomine ipsius; & proindè habet saltem virtualiter sacrificium internum ex vi illius actus, quo vult assistere sacrificio ; & dedicat se Deo secundum totum suum esse : affectus autem impendendi totum suum esse in obsequium Dei, est actus perfectissimus,& dicit virtualem amorem Dei super omnia ; nam cum quisque amet creata propter seipsum, dum seipsum deuouet Deo, deuouet etiam omnia, atque adeo præfert ipsum rebus omnibus, & etiam sibi ipsi.

QVÆSTIO VII.

An aliqua significatio mystica sit de ratione sacrificij.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificia veteris legis habebant significationem mysticam.*
2. *Significatio mystica non est de quidditate sacrificij. Sacrificium est ortum in ordine naturali.*
3. *Significatio mystica non est necessaria pro sacrificio.*
4. *Sacrificium externum quomodo se habeat ad internum.*
5. *Crucis sacrificium non habuit significationem mysticam.*
6. *Sacrificia quomodo habeant valorem ex sacrificio Crucis.*
7. *Sacrificium in ratione signi differt à Sacramento.*
8. *Sacrificia veteris legis habebant significationem mysticam in ordine ad sacrificium Crucis.*

1 Significatio mystica est illa, quæ repræsentat aliquod mysterium absconditum, cuius innumera exempla sunt in veteri testamento, vnde dubitatur, an talis significatio sit necessaria, & quidditatiua sacrificio,& ratio dubitandi ex eo sumitur, quod omnia sacrificia veteris legis habebant hanc significationem, nam repræsentabant sacrificium Christi in Cruce.

Dicendum est. *Significationem mysticam neque esse*
2 *quidditatiuam sacrificio, neque necessariam.* Ita communiter Suarez *disput.73.de Eucharist. sect.3.* ver. *Dico 2.* Mener. *de sacram. quæst.83. dub.2.* ver. *Resp. secundo.* Prob. Significatio mystica est in ordine supernaturali, siquidem habet terminum supernaturalem, nempe mysterium significatum. Sacrificium autem secundum se totum est in ordine naturali, tum quia in ordine naturali adhuc potuissent esse sacrificia, tum quia significatio interioris sacrificij, seu affectus, & ex parte Dei excellentiæ vltimi finis,est in ordine naturali, atque adeò etiam essentia sacrificij; quæ autem semel sunt in ordine naturali, non exigunt compleri sua essentia per aliquid supernaturale,tum quia Gentiles offerebant sacrificia, quæ erant merè naturalia, & erant vera sacrificia, nam tribuebant falsis Diis, quod vero Deo erat tribuendum, tum quia lumen naturæ dictat, esse sacrificandum Deo, & debitum sacrificij est debitum naturæ. Lumen autem naturale non se extendit ad dictandum aliquid supernaturale; cum non possit extendi extra propriam sphæram.

3 Confirm. Significatio mystica non prouenit ab intrinseca natura signi, sed ex aliqua ordinatione extrinseca instituentis signum in ordinem ad rem significatam mysticè : Ergo non potest esse essentialis, & necessaria sacrificio. Conseq. prob. Quia sacrificium, quamuis sit signum ad placitum, est tamen actus religionis ordinatus ad tribuendum Deo supremum cultum : Ergo significatio mystica non est ipsi necessaria, quia cum non sit actus religionis, nec in genere cultus, non potest determinare sacrificium in ratione cultus; & proinde non potest ipsi superaddi tanquam necessaria ab intrinseca institutione, cum sacrificium secundum se totum sit in genere cultus.

Confir. 2. Sacrificium internum, quod est specialis actus religionis, non habet aliquam significationem mysticam,siquidem consistit in affectu deuouendi se Deo, seu recognoscendi ipsum vt dominum mortis, & vitæ, seu recognoscendi in ipso excellentiam, quæ illi competit supra creaturas, ex eo, quod sit creator : Ergo sacrificium externum non requirit ad sui essentiam aliquam significationem mysticam. Conseq. prob. Quia essentia sacrificij externi consistit in significatione sacrificij interni, & illius excellentiæ diuinæ, quam requirit sacrificium internum, cum tota sita sit in ratione signi, nec debeat aliquid ampliùs significare, quàm dicat sacrificium internum tam in se, quàm ratione termini. 4

Confir. 3. Sacrificium, quo Christus obtulit seipsum Patri in Cruce, fuit verum sacrificium, & tamen nullum aliud sacrificium significabat, nec aliquam aliam habuit mysticam significationem : Ergo non est de ratione sacrificij, nec ipsi necessaria mystica significatio. Vnde, quando sacrificium illam habet, per accidens illi conuenit ex aliqua ordinatione extrinseca, vt conueniebat sacrificiis veteris legis, quæ ex ordinatione diuina significabant sacrificium Christi in Cruce. 5

Dices. Sacrificia omnia habent valorem, & virtutem ex sacrificio Christi in Cruce:Ergo in ordine ad ipsum debent habere aliquam significationem mysticam. Resp. Sacrificia omnia de facto habere valorem, & virtutem ex sacrificio Christi in Cruce ex ordinatione diuina, quia sicuti Deus constituit Christum caput generis humani, ita etiam voluit, quod omnes influxus gratiæ nobis per ipsum prouenirent in ordine ad finem supernaturalem, vnde cum sacrificia respiciant finem supernaturalem, accipiunt virtutem, & valorem in ordine ad ipsum ex sacrificio Crucis, non autem habent valorem ex natura rei, quia quoad esse sacrificij non dependent ab ipso; nam sicuti secluso sacrificio Crucis, & quod Christus sit Caput generis humani, adhuc habet locum sacrificium, non secus ac habet locum, quod Deus sit creator hominum, & finis ipsorum, atque adeo quod homo debeat ipsi totum suum esse, ita etiam haberet locum valor connaturalis sacrificij;& proinde valor ex sacrificio Crucis non est cæteris sacrificiis connaturalis, sed extrinsecus adueniens. 6

Dices 2. Mystica significatio est de ratione sacramenti : Ergo etiam de ratione sacrificij. Resp. Neg. conseq. Quia licet vtrumque sit in genere signi, non tamen habent idem genus proximum signi, imò, cum sacrificium habeat significare aliquid morale, nempe sacrificium internum, non indiget ad sui constitutionem aliqua significatione mystica. Et si valeret consequentia, oporteret dicere, quod sacrificium deberet significare interiorem sanctitatem, sicut significat sacramentum. 7

Ex dictis colligitur, quod cum omnia sacrificia veteris legis, vel instituta fuerint à Deo, vel ex instinctu ipsius oblata fuerint, & cum fide in Christum venturum, cuius meritis, & virtute omnes saluari sicuti, quotquot salui fuere, habuisse significationem mysticam in ordine ad sacrificium Crucis, cuius propitiationem in iisdem sacrificiis obtinebant. Omnia enim in figura iis contingebant, vt tradit Apostol. *Epistol. 1. ad Corinth. cap. 10.* & ita docet D. Augustinus *lib. 10. de Ciuit. cap. 5.* & *lib. 20. contra Faust.* 8

Digitized by Google

Faust. cap. 21. & *lib.* 2. *contra Aduers. Reg. & Prophet. cap.* 18.

QVÆSTIO VIII.

An ad Sacrificium sufficiat humana institutio.

SVMMARIVM.

1. *Deus præscribere potest hominibus sacrificia.*
2. *Deus potest tribuere hominibus potestatem instituendi sacrificia, & etiam talem potestatem sibi reseruare.*
3. *Sacrificium potest humana autoritate institui.*
4. *Homo habet facultatem dedicandi totum suum esse Deo, & exprimendi sensibiliter hunc suum affectum.*
5. *Potest homo exprimere suum sacrificium internum per voces.*
5. *Animus non magis verbis, quàm factis declaratur.*
6. *Non requiritur Dei institutio, vt sacrificium sit gratum Deo.*
7. *Cur homo non possit instituere Sacramenta, possit verò sacrificium.*

1 CVm sacrificium sit signum ad placitum, necessaria est institutio aliqua pro tali signo instituendo. Certum est autem, quod potest Deus præscribere hominibus sacrificia, quibus colatur, vt præscripsit in Lege veteri: & Christus instituit pro Lege noua Euangelica. Cum enim sit in Deo omnis potestas; est etiam potestas instituendi sibi sacrificia, alioquin si non esset, neque in cæteris esse posset huiusmodi potestas quia omnis potestas, quæ est extra Deum, est ab ipso participata: & proinde si non esset in ipso, nulla esse possent sacrificia.

2 Rursus etiam certum est posse hanc potestatem hominibus communicare, quia non requirit virtutem infinitam, cum institutio sacrificij solum dicat destinare rem offerendam Deo in signum interioris sacrificij, quod habeat aliquam analogiam cum ipso, & proinde potestas sacrificij instituendi solum dicat potestatem instituendi hoc signum; pro quo sufficit practica notitia rerum pro adinueniendo hoc signo; & voluntas addibendi. Econtra etiam potest sibi Deus reseruare hanc potestatem itavt non possint ipsi offerri aliqua sacrificia præter instituta ab ipso, vt de facto sibi reseruauit in Lege Euangelica. Et hoc non solum quando sacrificio intermiscetur aliquid supernaturale, vt est valor & impetratio, qualis conuenit nostro sacrificio ex meritis Christi; sed etiam, quando esset merè naturale. Quia cum omnis potestas, quæ conuenit homini; sit Deo subordinata potest prout libuerit ipsam restringere. Vnde solum difficultas est, an ex natura rei sacrificium institui possit humana authoritate.

3 Dicendum est. *Sacrificium, quantum est ex natura sua institui posse humana authoritate; nec opus esse diuina.* Ita Suarez *disput.* 73. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *In hac re.* Marcer. *de sacrament. quæst.* 83, *dub.* 3. ver. *Resp.* 2. Bannius *part.* 1. *Theol. moral. tractat.* 6. *quæst.* 1. ver. *Tertia demum.* Isambert. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 2. ver. *Quarto additur.* & alij communiter. Et desumitur ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 1. *ad* 1.

4 Ratio est. Potest homo propria facultate humana, offerre Deo sacrificium internum: Ergo etiam instituere, sacrificium externum. Anteced. constat. Quia naturalis ratio dictat, quod debeat recognoscere Deum, vt suum principium, à quo participat esse; & vltimum finem, propter quem est factus, & proinde quod ipsi debeat totum proprium esse, & consequenter debeat se totum in eius obsequium impendere; & in virtute huius dictaminis poterit elicere affectum congruentem quo se totum deuoueat Deo, in quo consistit ratio sacrificij interni; quæ omnia naturali facultate haberi possunt. Conseq. prob. Habet homo facultatem exprimendi proprios actus internos, & conceptus per actus externos, seu per signa sensibilia, vt constat in verbis exprimentibus conceptus internos: Ergo poterit etiam signo externo proportianato exprimere sacrificium internum.

Confirmat. Posset homo per aliquas voces exprimere suum sacrificium internum. Si quidem sacrificium internum pertinet ad conceptum animi internum, cum consistat in speciali actu interno, & per voces potest omnem conceptum internum exprimere: Ergo poterit etiam exprimere per aliquas res proportionatas ad exprimendum, seu per aliquod factum; si quidem animus non magis verbis, quam factis declaratur. *l. Certum. ff. si cert. pet.* & *l. Paulus ff. rem rat. habet.* & *l. Pro harede. ff. De acquir. hered.* & cap. *Dilecti* 2. *De appellat.* 5

Dices. Sacrificium debet esse gratum Deo: Ergo non potest offerri, nisi sit ab ipso institutum, alioquin offerretur, quod ignoraretur, an sit ipsi gratum. Respond. neg. conseq. quia certum est, quod sacrificium eo ipso, quod est sacrificium, sit gratum Deo. Nam ex duobus constat, nempe sacrificio interno & signo externo. Sacrificium internum non potest non esse gratum Deo; quia consistit in oblatione sui ipsius in obsequium Dei, & in solutione debiti recognoscendi Deum, vt primum principium, & finem vltimum, vti omnia, etiam nos ipsos totos debeamus. Signum autem externum eo ipso, quod est congruum ad significandum sacrificium internum, & ad cultum Dei, non potest non esse gratum, & acceptum, si quidem est tale, non ratione sui, sed ratione interni sacrificij, quod significat. 6

Dices. 2. Non potest homo instituere sacramenta: Ergo nec etiam sacrificia. Respond. neg. conseq. quia aliqua potestas requiritur ad instituenda sacramenta, quæ non requiritur ad instituenda sacrificia. Cum enim sacramenta debeant sanctificare, & sanctificatio excedat facultatem humanam, non potest homo aliquid in signum huius sanctificationis constituere, cum non possit huic signo connectere actionem sanctificatiuam. Sacrificia autem non sanctificant, nec sunt signum alicuius, quod excedat humanam facultatem, siquidem sunt signum interioris sacrificij, quod consistit in actu humano morali, qui est in facultate hominis. 7

QVÆSTIO IX.

An sacrificium institui possit priuata auctoritate.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificij institutio an requirat publicam auctoritatem.*
1. *Sacerdos publica auctoritate constituitur.*
2. *Signa ad placitum non possunt institui à priuata persona.*
3. *Sacrificij institutionem non requirere publicam auctoritatem: qui asserant.*
4. *Publica auctoritas non requiritur ad institutionem sacrificij ex eius natura.*
4. *Internum sacrificium non requirit publicam auctoritatem.*
5. *Priuata persona habet ius ad cultum Dei priuatum.*

Digitized by Google

6. *Publica auctoritas non variat sacrificium in ratione signi.*
7. *Sacrificium publicum, & legale requirit publicam auctoritatem.*
8. *Qualibet ciuilis societas debet habere commune sacrificium.*
9. *Communitas tenetur ad sacrificium.*
10. *Quale sacrificium dicat ordinem ad Sacerdotem.*
11. *Signa ad placitum quando non possint institui à priuata persona.*
12. *Quale sacrificium requirat communitas, & an possit stare sine ipso.*
13. *Si in mundo esset tantum vnus homo, an, & qua auctoritate offerret sacrificium.*

1 PRima sententia asserit, ad instituendum sacrificium requiri publicam auctoritatem. Ita Suarez *disp.23. de Eucharist.sect.4.* ver. *Ex his vlterius.* Ifambert. *3.part.quæst.83.disp.1. art.1.* ver. *Quartò additur.* Coninch *de Sacram. quæst.83. art.1. dub.5. num.11.* Carpens. *part.2. Curs. Theol. tract. 23. disp. 1. sect. 1. num.7.* Lugo *de Eucharist.disp.18.sect.1. num 11.* Prob. Sacerdos non constituitur priuata auctoritate, sed publica, & habet pro officio offerre sacrificio nomine publico, iuxta illud Apost. ad Corinth. cap. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, qua sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Item. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Ergo etiam sacrificium institui debet publica auctoritate; quia sacrificium, & sacerdotium sunt connexa correlatiuè, ita vt quod de vno disponitur, altero quoque censeatur dispositum.

2 Secundò. Institutio signorum ad placitum non est penes priuatam personam, sed penes rempub. siquidem debent esse communia, vt possint ducere io cognitionem. Sacrificium autem est signum ad placitum. Tertiò. Facultas congregandi homines in vnam rempublicam, & eos regendi non est priuata, sed publica: ergo etiam facultas instituendi sacrificium; siquidem sacrificiū est id, quo vniuntur in vnam Religionem. Confir. Respub. debet per modum vnius corporis cultum exhibere Deo: ergo debet habere sacrificium publica auctoritate institutum, quod nomine publico offeratur. Confir.2. Non possunt homines in vnum corpus reipublicæ debito modo congregati, nisi conueniant in vnum nomen religionis; quod fieri non potest, nisi conueniant in vsu sacrificiorum; & hoc non potest habere locum, nisi sacrificia sint in communi, publica auctoritate instituta.

3 Secunda sententia asserit, posse institui priuata auctoritate. Ita Vasquez *3.part.disp.220.cap.2.num.19.* Mercet. *de sacram. quæst.83. dub.3.* ver. *Resp.3.* Chellison. *3.part.quæst.83. art.1. dub.1.* ver. *Dicitur oblatio.* Amicos *tom.7.Curs.Theol.disp.32.n.8.* Martin.*disp.38. de Eucharist.sect.1. num.12.*

4 Dicendum est. *Sacrificium, quatenus sacrificium est, & ex natura sua non requirere publicam auctoritatem; atque adeo institutum priuata auctoritate fore verum sacrificium.* Prob. Ad offerendum spirituale sacrificium internum Deo, non requiritur publica auctoritas; ergo nec ad offerendum sacrificium externum sensibile. Anteced. constat. Nam ea dictamine naturæ vnicuique proprio, & interno inducitur ad recognoscendum Deum tanquam eum, cui debeat totum proprium esse, & ad se ipsi deuouendum: vnde non solum potest propria auctoritate, sed etiam aliquando debet hunc actum elicere, in quo consistit internum sacrificium. Conseq. prob. Quia quilibet ius habet ad exprimendos per sensibilia signa sensus suos internos; qui, sicuti sunt sub eius dominio, ita potest etiam cæteris eos communicare.

5 Confir. Vnusquisque etiam vt priuata persona habet iūs ad cultum externum Dei, imò etiam tenetur: Ergo habet ius etiam ad externum sacrificium tanquam contentum sub cultu, & tanquam ad actum, ad quem præcipuè tenetur: ergo cum concesso fine concedantur etiam media, sine quibus non potest perueniri ad ipsum, poterit sibi eligere, & instituere externum signum, quod sit nota interioris cultus, & sacrificij.

Confir. 2. Publica auctoritas non variat sacrificium in ratione signi, neque ei tribuit aliquam specialem rationem significationis, siquidem tota significatio sacrificij est in ordine ad sacrificium interius, & ad terminum sacrificij interioris, ita vt non exigat aliquid aliud significare. Hanc autem totam significationem potest habere sacrificium institutum priuata auctoritate; & publica auctoritas solum faciet quod sacrificium sit auctorizatum, non autem, quod sit sacrificium: Ergo quantum est ex sua natura non exigit institui publica auctoritate. 5

Dicendum 2. *Ad sacrificium, quatenus publicum est, & nomine publico offerendum, requiritur publica auctoritas, aut instituens, aut institutum approbans.* Addidi aut approbans, quia non est necesse, quod sacrificium publica auctoritate instituatur, sed sufficit, quod priuata institutum, publica auctoritate approbetur nomine publico offerendum. Hæc conclusio, sicut etiam & præcedens est D.Thom.2.1.*quæst.85. art.4. in corpore*: vbi habet, quod aliter tenentur ad sacrificia, qui fuot sub lege, nam tenentur ad ea secundum determinationem legis: qui autem non erant sub lege tenebantur tantum ad sacrificia; non autem ad hæc, vel illa. *Et ad 3*, vbi habet quod Sacerdotes offerunt sacrificia ordinata pro omnibus ad cultum diuinum, & quod quædam sunt sacrificia, quæ quilibet potest pro se, Deo offerre. 6

Prob. Societas hominum, quatenus facit vnum corpus politicum, ita ordinatur ad finem ciuilis societatis, vt etiam ordinetur ad finem vltimum; nam finis societatis ciuilis subordinatur fini vltimo, & ideo mediante ipso tendit ad vltimum: ergo debet habere media necessaria ad finem vltimum assequendum. Inter autem hæc media præcipuus est cultus Dei, & in cultu Dei sacrificium tanquam exigitum à Deo, & debitum iure naturæ. Et proinde qualibet ciuilis societas debet habere sacrificium tanquam medium necessarium ad suum finem. Non potest autem habere, nisi aut publica auctoritate instituatur, aut alias institutum ab ipsa approbetur, quia quæ sunt communitatis debent in communi auctoritate fundari; nec potest priuata auctoritas regulare, quæ ad immunitatem spectant. 7

Confir. Non minus tenetur homo ad sacrificium, quàm teneatur ipsa communitas, quatenus communitas; nam vtrobique militat eadem ratio. Ideo enim homo tenetur ad sacrificium, quia accepit esse à Deo, & quia illi debet totum, quod est: at communitas quoque accepit à Deo suum esse communitatis, quia cum hoc quoque, sit aliquod bonum, est à Deo participatum, vnde consequatur etiam in esse ab ipso, & debet se ad ipsum ordinare vt ad finem: ergo debet habere publica sacrificia, quæ offerat, vt satisfaciat proprio debito, non potest autem habere, nisi propria auctoritate publica, aut instituat, aut approbet, & acceptet iam instituta, ea sibi appropriando. 8

Ad 1. neg. conseq. ad prob. resp. Sacrificium publicum, quod nomine publico offertur, dici relatiuè ad Sacerdotem: non autem sacrificium priuatum, seu quatenus sacrificium est. In sacrificio namque considerari potest, & quod sit signum interioris sacrificij; & hoc pacto non dicitur relatiuè ad 9

Sacerdo

Sacerdotem, sed tantum ad rem significatam. Et quod nomine publico offeratur, & hoc pacto, quia est actio publica, dicit ordinem ad publicum Ministrum, atque adeo ad Sacerdotem, siquidem Sacerdos est publicus Minister, vt habet Apost. *in epist. ad Hebr. cap.5.*

11 Ad 2. Institutionem signorum ad placitum non posse esse à priuata persona, quando sunt signa communia concernentia communem conuersationem, nam tunc debent saltem communi consensu auctorizari. Quando verò sunt signa priuata, potest institutio esse à priuata persona, quia sufficit, quod ducant in cognitionem, quos ipsa voluerit, vt constat in secretis notis, vulgò *Fifre*, & etiam in eorum sententia, qui volunt, Angelos inuicem loqui per signa spiritualia, & habere specialia signa in ordine ad quemlibet Angelum, vt cum ipso secretò loqui possint. Quamuis si loquamur de signo sensibili, in quo consistit sacrificium, cum habeat analogiam ad rem significatam, & præ se ferat externum cultum Dei vnumquemque facilè docet in cognitionem. Sacrificium autem est signum ad placitum præscindens ab eo, quod sit publicum vel priuatum; & ideo potest vtroque modo institui.

12 Ad 3. resp. Procedere solum de sacrificio publico; nam ratione ipsius vniuntur populi in vnam religionem: quia cum debeat offerri pro omnibus; & omnes in ipso communicare, debet omnibus esse commune, atque adeo publicum. Ad 1. confir. conceditur totum, nam solum probat, quod stante communicare, debet adesse etiam sacrificium commune. Ad 2. confir. resp. Falsum assumere, nam constat, hæreticos variarum sectarum vniri in vnam aliquam rempublicam absque communi sacrificio, & in politicis rectè gubernari. Deinde si argumentum rectè procederet, solum probaret, quod Respub. debet habere commune sacrificium, non autem quod ex sui natura exigat institui publica auctoritate.

13 Ex dictis colligitur. Quod si esset in mundo vnus tantum homo, posset Deo offerre sacrificia, quia haberet idem debitum offerendi, quod nunc habent singuli homines. Si autem sibi institueret sacrificia, non videtur, quod institueret priuata auctoritate, sed publica, quæ esset in ipso in habitu, eò quod auctoritas publica cum per se primò sit in singulis, à quibus confertur in aliquos paucos, aut etiam in vnum ita exigente bono regimine, si adesset vnicus homo, tota resideret in ipso; sicut cum ius eligendi sit apud totum collegium, si reducatur collegium ad vnum, totum ius remanet apud ipsum.

QVÆSTIO X.

Cur martyrium non sit sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Martyrium non est sacrificium defectu institutionis publicæ.*
2. *Et quia Martyr non concurrit actiuè ad effusionem vitæ.*
3. *Et quia non est actus religionis.*
4. *Martyr non potest offerre Deo propriam vitam morte sacrificandam.*
5. *Cur mors Christi fuerit sacrificium.*

1 QVi putant, ad sacrificium requiri institutionem publicam facilè respond. Quod, licet martyres offerant in obsequium Dei propriam vitam, non habet tamen hæc oblatio rationem sacrificij, quia deest publica institutio, sine qua non potest esse sacrificium. Ita specialiter Lugo *disp.19. de Euchar. sect.1. num.14.*

2 Alij verò volunt, martyrium non esse sacrificium, quia martyr non concurrit actiuè ad fundendam propriam vitam, sed tantum merè passiuè se habet sustinendo mortem illatam à Tyrannis. Ad sacrificium autem requiritur, quod sacrificans actiuè concurrat, nedum ad oblationem, sed etiam ad immutationem, quæ fit circa rem oblatam. Ita Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disp.32. num. 14.*

3 Dicendum est. *Martyrium non esse propriè sacrificium, quia non est actus Religionis, sed fortitudinis, quo Martyr exponit propriam vitam in testimonium fidei.* Ratio est. Quia sacrificium externum debet esse signum institutum ad significandum sacrificium internum: occisio autem martyris non est tale signum, sed est testimonium, quod exhibet veritati fidei, & imperatur à fortitudine.

4 Dices. Posse eundem actum habere diuersa motiua diuersarum virtutum: & proinde posse martyrem intendere mediante morte testimonium fidei exhibere, sed etiam significare suum sacrificium internum, quo se totum deuoueat Deo, vt suo primo principio, & vltimo fini. Resp. Posse quidem eumdem actum procedere ex diuersis motiuis variarum virtutum: non tamen ex motiuo illicito, quia tunc non esset amplius virtus, sed peccatum. Cum ergo Martyr non sit dominus propriæ vitæ, nec etiam potest velle eam offerre Deo morte naturali sacrificandam: & si hæc vellet, non rectè vellet. Vnde non potest illam assumere in signum interioris sacrificij, nec habere talem intentionem, præsertim quia in noua lege sacrificium est institutum à Christo: & præter ipsum non est licitum aliud sacrificium.

5 Ex dictis colligitur, cur mors Christi in Cruce fuerit sacrificium, quia nimirum habebat potestatem propriæ vitæ; & ideo potuit eam tradere, & mortem subire in obsequium Dei, sicut habetur Isaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et Ioan. 10. ait ipse Christus. *Ego pono animam meam, & nemo tollit eam à me, sed ego pono eam.* Quam potestatem cum non habeant martyres, nec etiam possunt propriam vitam in sacrificium Deo offerre. Hanc autem potestatem ideo habuit, quia fuit constitutus Caput generis humani in ordine ad redemptionem, & ideo debuit posse se offerre in sacrificium pro expiandis hominibus.

QVÆSTIO XI.

An pro sacrificio sufficiat mutatio moralis rei oblatæ.

SVMMARIVM.

1. *Ad sacrificium non requiritur occisio hostiæ viuentis.*
2. *Quæ mutatio hostiæ requiratur ad sacrificium.*
3. *An mutatio physica.*
4. *Non requiritur mutatio consumptiua hostiæ.*
5. *Mutatio consumptiua excludit signum ad placitum, si esset necessaria.*
6. *Sacrificium quatenus signum potest esse multiplex.*
7. *Sacrificium ex institutione requirit aliquam consumptionem rei oblatæ.*
8. *Signa ad placitum semel instincta non possunt amplius mutari.*
9. *Consumptio an habuerit locum in sacrificio Melchisedech.*
10. *Filia Iephtæ cur non potuerit offerri in sacrificium.*
11. *Sacrificium vnde distinguatur à simplici oblatione.*
12. *Cur dedicatio Leuitarum non fuerit sacrificium.*
13. *Ad sacrificium requiritur oblatio rei permanentis.*

Digitized by Google

14. *Non ex natura ſacrifitij, ſed ex inſtitutione.*
15. *De ratione ſacrificij non eſt, quod res oblata non ſit propria offerentis.*
16. *Significatio ſacrificij in quo conſiſtat.*

1 SVpponendum eſt tanquam certum contra Matthæum Gallenum *de ſacrificio Miſſ. cap.* 6. Ad rationem ſacrificij non requiri, quod ſit occiſio hoſtiæ viuentis. Conſtat enim ex Scriptura; plura fuiſſe ſacrificia, in quibus hoſtia viuens immolata non fuit. Tale fuit ſacrificium Melchiſedech, in quo ſolum panem, & vinum obtulit. Similiter Leuit. 7. traduntur ſacrificia abſque vlla hoſtia viuente. Et ratio eſt, quia immutatio deſtructiua ſaluatur reſpectu materiæ tam viuentis, quàm non viuentis: & ideo, quod ſit viuens, vel non viuens materialiter ſe habet ad ſacrificium.

2 Prima ſententia aſſerit. Ad Sacrificium non requiri mutationem deſtructiuam rei oblatæ, ſed poſſe ſaluari cum quacunque mutatione; vt eſſet aliqua eleuatio, conſecratio, fractio, aut alia ſimilis, Ita Suarez *diſput.* 73. *de Euchariſt. ſect.* 5. ver. *Ex his ergo.* Et videtur etiam D. Thom. idem ſentire 2. 2. *quæſt.* 85. *art.* 2. *ad* 3. dum dicit, quod ſacrificium dicitur ex eo, quod circa res oblatas aliquid fit quo ſacræ fiant. Fundamentum eſt, quia, vt ſacrificium ſit ſignum interioris, & inuiſibilis ſacrificij, non requirit mutationem conſumptiuam, quæ quando interuenit, materialiter ſe habet, ſiquidem proteſtatio ſupremi dominij Dei, non minus proteſtari poteſt deſtructione rei oblatæ, quàm productione. Vnde Melchiſedech non deſtruxit panem oblatum in ſacrificium, cum exhibuerit comedendum Abrahæ & ſociis, vt tradit Clemens Alexand. *lib.* 4. *Strom.*

3 Secunda ſententia docet, requiri aliquam mutationem phyſicam conſumptiuam rei oblatæ. Ita Alao. *lib.* 2. *de Euchar. cap.* 3. Henriquez *lib.* 9. *ſumm. cap.* 1. *num....* Aragon. 2. 2. *quæſt.* 85. *art.* 2. Malder. *tract.* 10. *cap.* 3. *dub.* 1. ver. *Tertia nihilominus.* Victoria *Relect. de temp. num.* 7. Carbo. *de legib. lib.* 15. *cap.* 5. Bellarm. *de ſacrific. Miſſ. lib.* 1. *cap.* 2. Amicus *tom.* 1. *Curſus Theolog. diſput.* 32. *num.* 20. Martio. *diſp.* 38. *de Euchar. ſect.* 2. *num.* 10. Præpoſit. 3. *part. qu.* 83. *art.* 1. *dub.* 1. *num* 2. ver. *Vnde videtur.* Et ita tenet D. Th. 2 2. *quæſt.* 86. *art.* 1 *in corpore*, dum ait, tunc oblationem eſſe ſacrificium, quando exhibetur in cultum Dei aliquid conſumendum in aliquod factum.

4 Dicendum 1. *Sacrificium præciſa inſtitutione non requirere in re oblata immutationem conſumptiuam.* Prob. Sacrificium eſt ſignum ad placitum ſacrificij interioris, & inuiſibilis, & ſolùm requirit aliquam aptitudinem, ſeu analogiam ad ſignificandum: Ergo ex ſui natura non requirit mutationem conſumptiuam rei oblatæ. Conſeq. prob. Res oblata ſecluſa conſumptione poteſt habere analogiam ad ſignificandum interius ſacrificium: Ergo cum ſacrificium ſolum requirat ſignum analogum, non requiret conſumptionem rei oblatæ. Hoc autem anteced. conſtat; nam ſacrificium interiùs in eo conſiſtit, quod homo recognoſcat, ſe debere Deo, totum proprium eſſe, & proinde concipiat affectum, quo illi ſe humiliet, & ſe totum illi deuoueat, tanquam ſuo principio, & vltimo fini. Hoc autem exprimi poteſt non ſolùm verbis, aut aliqua actione tranſeunte, ſed etiam re aliqua permanenti, vt ſi ſe Deo dedicaret in effigie propria, aut aliquo alio ſimili ſigno.

5 Confirm. Si eſſet neceſſaria conſumptio rei oblatæ ad hoc ſignificandum, ita vt non poſſet alio modo ſignificari, eſſet conſumptio ex ſui natura determinata ad hoc ſignificandum, ſiquidem diceret ordinem ad ipſam tanquam ad eam, ſine qua non poſſet ſignificari; vnde eſſet ordo neceſſarius ſignificabilis: & conſequenter conſumptio rei oblatæ correſponderet neceſſariò ordine ſignificatiui ſacrificio interiori, quia ſignum & ſignificabile mutuò ſe reſpiciunt: Ergo non eſſet ſignum ad placitum, ſed naturale, nam ex natura ſua eſſet determinata ad ſignificandum interiùs ſacrificium.

6 Confir. 2. Signum ad placitum eo ipſo quod eſt ad placitum, ſignificat ex libera impoſitione, ita vt ita ſignificet, quia ex beneplacito inſtituentis eſt impoſitum, ad ita ſignificandum: vnde ex hoc fit, quod poſſit eſſe multiplex itavt tàm vnum, quàm alterum eſſe poſſit ab inſtituente: Ergo cùm ſacrificium ſit ſignum ad placitum, poteſt eſſe multiplex, nec requiritur conſumptio rei oblatæ quaſi per ipſam ſolam ſignificari poſſit, nec dici poteſt, quod ſine conſumptione rei oblatæ, non ſit aptum ſignum; nam adhuc ſine ipſa poteſt habere aliquam analogiam ad rem ſignificatam, quia analogia conſiſtit in quacunque proportione ſigni, & ſignificati.

7 Dicendum. 2. *Ex vi inſtitutionis requiri ad ſacrificium mutationem aliquo modo conſumptiuam rei oblatæ itavt ſtante inſtitutione non poſſit ſaluari ſacrificium abſque tali conſumptione:* Dixi, Ex inſtitutione, quia ex prima inſtitutione, acceptum eſt in ſignum interioris ſacrificij conſumptio rei oblatæ, & talis conſumptio ex communi conſenſu hominum vnà etiam ipſius Dei authorizata eſt tanquam ſignum interioris ſacrificij. Qua authorizatione ſtante, fit, quod modò non poſſit eſſe ſacrificium, ſine tali conſumptione, quia iam tale ſignum eſt determinatum, & à Deo authorizatum, & ideo immutari non poteſt aſſumendo aliud ſignum. Sic ius gentium factum eſt modo immutabili, quia communi omnium conſenſu eſt introductum. Dixi aliquo modo conſumptiuam, quia non eſt neceſſaria totalis conſumptio, ſed ſufficit moralis conſumptio pro dara immutatione phyſica. Nec requiritur, quod res oblata ſecundum ſe totam conſumatur, ſed ſufficit, ſi ſecundum aliquam partem, vt conſtat ex ſacrificiis veteris legis, in quibus pars rei oblatæ conſumebatur, & pars remanebat Sacerdoti.

8 Ratio autem eſt Quia ea eſt natura ſignorum ad placitum, vt ſemel inſtituta & approbata, non poſſint amplius immutari, quod inde prouenit, quia hæc reſpiciunt communicationem humanæ ſocietatis, qua homines inuicem communicant, & inſtituta ſunt in auxilium eiuſdem communicationis, vnde, ſi ſemel inſtituta & acceptata poſſent immutari, non adiuuarent humanam communicationem, ſed illam confunderent: Ergo cum ſacrificium ſit ſignum ad placitum, cum ſemel inſtitutum fuerit in immutatione conſumptiua rei oblatæ, & auctorizatum auctoritate diuina, non licet amplius immutare, & proinde non poterit eſſe ſacrificium, niſi interueniat talis mutatio.

9 Ad fundamentum primæ ſententiæ reſp. probare ſolum, quod ex natura ſacrificij non requiratur mutatio conſumptiua, vt dictum eſt in prima concluſ. non autem, quod non requiratur ſtante inſtitutione, quam Deus quoque ſecutus eſt in ſacrificiis ab ipſo ordinatis. Quod autem ſpectat ad ſacrificium Melchiſedech, quamuis ſcriptura non narret mutationem conſumptiuam, non tamen negat fuiſſe factam, vnde præſumi debet, quod interuenerit, nec obſtat, quod dederit Abrahæ, & ſociis panem ſacrificij commedendum, nam potuit tantum conſumere aliquam partem, aut ipſum totum in ordine ad aliquam conſumptionem alterare. Et hoc ſimiliter dicendum eſt de vino; nam potuit perdere aliquam partem vini.

10 Dices. Si ex natura ſacrificij non requireretur mutatio conſumptiua, filia Iephte potuiſſet offerri in holocauſtum Deo iuxta votum patris ſine occiſione, quæ tamen ex errore Patris occiſa eſt, cum crederet votum obligare.

obligare. Resp. neg. conseq. Quia tunc quoque sacrificium non ex natura sacrificij, sed ex institutione requirebat murationem consumptiuam: & Iephte vouerat sacrificare eo modo, quo solebat, sacrificari: quia votum intelligitur de materia iuxta communem vsum accepta. Vnde votum ieiunandi intelligitur de ieiunio, vt communiter celebrari solet.

11 Dices 2. Sequeretur quod sacrificium, quantum est ex natura sua, non distingueretur à simplici oblatione, nam in tanrum distingoirut, in quantum consumptiuè immutatur res oblata. Resp. neg. sequel. nam consumptio rei ublatæ pertinet ad sacrificium, vt qualificatiua signi ex institutione, vnde adhuc sacrificium distingueretur ab oblatione in ratione signi, nam diceret ordinem ad interius saerificium, quem ordinem non diceret simplex oblatio.

12 Dices 3. sequeretur, quod Leuitæ quando Num. 8. offerebantur Deo in Ministerium sacrificati fuissent, quia se dedicabant Deo. Quod Iudith sacrificasset, quando dedicauit Deo spolia Holofetnis. Resp. neg. sequel. Quia vt dictum est, stante instimrione nun potest esse sacrificium sine mutatione consumptiua rei oblatæ. Deinde vt oblatio sit sacrificlum debet significare interius saerificium, quod in prædictis casibus non interuenit, quia Leuitæ se dedicabant Deo non secundùm proprium esse, sed secundùm seruitium in ordine ad speciale munus. Iudith autem dedicauit spolia in gratiarum actionem pro victoria, non autem in signum interioris sacrificij, quod est adeo necessarium pro sacrificio, vt etiam si interueniat consumprio rei oblatæ, vt qaando offertur thus & crematur, non adsit Saerificium, nisi adsit urdo ad interius sacrificium.

13 Ex dictis colligitur. Ad Sacrificium requiri oblationem rei permanentis, vt communiter docent præsertim Suarez *disp. 73. de Euchar. sect. 5.* ver. *Dico primò.* Quod constat ex Sacra Scriptura, siquidem in omnibus Sacrificiis, quæ in ipsa leguntur, reperitur res permanens oblata. Et ratio est, quia cùm debeat fieri consecratio Deo, & immutatio coosumptiua, requiritur subiectum proportionatum, quud non potest esse, nisi sit permanens in propriu esse.

14 An autem boc sit necessarium ex vi institutionis tantùm, an etiam ex natura Saerificij, probabilius videtur, quod non si necestaria res permanes ex natura sacrificij, sed solum ex institutione; nam absque re permanenti potest significari interius saerificium; si quidem, quæ sunt in animo, non minùs significari possunt rebus permanentibus, quàm etiam actionibus externis: & verba ipsa optimè explicant animum, quamuis non habeant esse permanens, vnde in Sacra Scriptura, non solùm res, sed etiam plures actiones institutæ sunt tanquam signa mystica, nec obstar, quod sacrificium requirat oblationem, nam etiam actio transiens, non solùm tanquam virtuosa potest referri in Deum vt finem, sed etiam potest offerri Deo tanquam obiectum ipsi placens. Sie dicitur quis offerre alicui suam serultutem, quamuis consistat solum in actionibus transeuntibus. Oratio dicitur offerri Deo Tob. 12. *Ego obtuli orationem tuam Domino.*

15 Colligitur 2. Non esse de ratione sacrificij, quod res oblata sit propria offerentis, contra Malder. 2. 2. *tr. 10. cap. 3. dub. 1.* ver. *Ex quo obiter.* Sed omninò materialiter se habere. Licèt enim peccaret, qui rem alienam in sacrificium offerret, quia vteretur re aliena inuito Domino, adhuc tamen saerificium esset verum sacrificium, licèt non acceptum Deo: nam adhuc concurrerent omnia essentialia; suppono namque quod interueniat interius, sacrificium; illa autem oblatio externa cum immutatione rei oblatæ sufficienter significaret interius sacrificium, nam eodem modo significaret, ac si esset propria ufferentis, & ideo saluaretur vera ratio sacrificij, nam, quod res oblata sit propria offerentis, vel aliena, non variat rationem significatiunis, atque adeò nec ratiunem Sacrificij.

Colligitur 3. Significationem, quam dicit sacrifi- 16
cium consistere in re oblata, & actione, quæ circa ipsam exercetur: itavt sicut res oblata, est subiectum actiunis, ita eriam sit subiectum significationis, siquidē ratione actionis determinatur ad significandum. Vnde quamuis sacrificium consistat materialiter in re permanenti, formaliter tamen dicit aliquid transiens, siquidem significatio, in qua formaliter consistit, est aliquid transiens, sicut etiam est actio, ratiune cuius res oblata determinatur ad significandum.

QVÆSTIO XII.

An ad Sacrificium requiratur Sacerdos, & Altare.

SVMMARIVM.

1. *Quæ sint necessaria pro quocunque sacrificio.*
2. *Ex natura sacrificij an requiratur Sacerdos.*
   Ex naturali ratione descendit, quod quisque possit interius sacrificium offerre Deo, signo sensibili.
3. *Ad sacrificium legale requiritur Sacerdos.*
4. *Sacrificium debet esse commune.*
5. *Altare non requiritur ex natura Sacrificij.*
6. *Est necessarium pro publico sacrificio.*
   Conuenientia institutionis Altaris.

DIuus August. *lib. 4. de Trinit. cap. 14.* quatuor enu- 1
merat, quæ debent concurrere ad Sacrificium: nempe qui offerat, quòd offerat, cui offerat, & pro quo offerat: Ex dictis constar requiri quod offerat, & qualis debeat esse oblatio. Obiatio autem debet fieri soli Deo, nam per ipsam protestamur nos debere totum esse nostrum, & ipsum deuouemus, vnde cum ipsum solum, Deo debeamus, soli etiā fieri potest hæc protestatio, & deditio. Offerri autem debet sacrificium pro hominibus, quia talis protestatio, quæ fit in sacrificio est propria ipsorum, & ideo pro ipsis fieri debet. Quæ constant ex supradictis, & hæc omnia expressit Apost. ad Hebr. 5. dum dixit, *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Et cap. 8. *Omnis Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur; vnde & necesse est, & hunc habere aliquid, quod offerat.* Difficultas autem est, quomodo requiratur Saeerdos: nomine autem Sacerdoris intelligitur specialis persona deputata ad hunc effectum offerendi sacrificium.

Dicendum est, contra Cuninch. *de sacram. quæst. 83.* 2
art. 1. dub. 1. num. 19. Ex natura sacrificij non requiri Sacerdotem, sed posse quemlibet offerre sacrificium. Ita ij omnes, qui putant, saerificium pusse institui priuata authoritate. Et specialiter Amicus *tom. 3. disp. 33. num.* .... Martin. *disp. 39. de Eucharist. sect. 1. num. 14.* Præposit. 3. *part. quæst. 83. art. 1. dub. 1. num. 9.* Ratio est, quia potest quisque offerre Deo sacrifieium internum: ergo etiam externum. Conseq. prob. ex ratione, quàm adducit D. Thom. 2. 2. *quæst. 85. art. 1.* Est connaturale homini per sensibilia signa exprimere suos sensus interiores, & ideo ex naturali ratione procedit, quod sensibilibus signis offerat Deo suum interius sacrificium: ergo si offert sacrificium interius, ex naturali ratione sequitur, quod possit signo sensibili exprimere boc saerificium interius, hoc autem signum est externum sacrificium. Constat etiam ex eo quod tam Cain, quàm Abel ubtulerunt sacrificium.

Dicendum 2. *Ad sacrificium legale, seu publicum,* 3

requiri Sacerdotem ex vi institutionis. Et hoc voluit Apostol. ad Hebr. 5. dum dixit, *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, &c.* Hoc constat inductione, nam in omni lege positiua fuerunt deputatæ speciales personæ ad offerendum sacrificia, imò neque apud Gentiles, omnes offerebant sacrificia, sed tantum speciales Ministri ad id deputati, qui similiter dicebantur Sacerdotes.

4 Ratio autem est. Quia instituta humana societate, & Republica, sicuti in ciuilibus communicant homines, ita debent etiam communicare in diuinis. Nam cum ciuile corpus Reipublicæ debeat ordinari, in Deum, vt in suum finem, & non possit ordinari, nisi mediante Religione, & cultu ipsius, nisi haberet vnicum cultum communem, & vnicam Religionem, non esset corpus perfectum, quia deficeret vnitas Religionis, & vnitas ordinis in finem: Ergo debent habere vnicum commune sacrificium, sine quo non possont communicare, & vniri in eadem Religione: vnde D. August. *lib. 19 contra Faust. cap. 11. In nullum nomen Religionis, seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum visibilium consortio colligerentur.* Si ergo debent habere sacrificium commune, debent etiam habere Sacerdotes communes, qui nomine ipsorum offerant.

5 Quod autem spectat ad altare. Dicendum 3. *Non esse necessarium ex natura sacrificij.* Ita Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disput. 33. num.* . . . . Martin. *disput. 38. de Eucharist. sect. 1. num. 14.* contra Coninch, *de Sacrament. quæst. 83. art. 1. dub. 1. num. 26.* Ratio est. Quia altare in sacrificio solum concurrit, vt locus, cui imponitur res oblata in sacrificio, & in quo fit illa immutatio circa ipsam, quæ est necessaria. Hoc autem non requiritur ex natura sacrificij, quia quantum est de se, oblatio fieri potest in quocumque loco; nec per hoc quod fiat in hoc, vel in illo loco immutatur significatio, in qua consistit essentialiter sacrificium, nam non dependet à loco, sed ab actione circa rem oblatam, quæ est eadem in quocumque loco fiat. Confirmat. Sacrificium Christi in Cruce, Item Abel, & Cain, fuerunt vera sacrificia, licèt absque altari.

6 Dicendum 4. *Altare esse necessarium pro sacrificio solemni & publico ex institutione, ita vt & altare non sit, nisi propter sacrificium, & sacrificium non possit offerri nisi in altari.* Desumitur ex D. August. *lib. 20. contra Faust. cap. 21.* Vbi docet quod sicut sacrificium offertur soli Deo, ita etiam altare non erigitur, nisi ad sacrificandum. Et D. Fulgent. *lib. 2. ad Monim. cap. 3.* Loquens de Altari. *Non ob aliud ædificari solitum, nisi ad sacrificium Deo offerendum, Veteris Testamenti lectio frequenter insinuat.* Imò quoties tam in veteri, quàm in nouo Testamento fit mentio Altaris ponitur tanquam destinatum ad sacrificium, & non ad aliud.

7 Aliunde autem non potest assignari ratio, quàm ex ipsa institutione, à quo originem habuit quod sacrificia offerrentur in altari. Conuenientia autem institutionis in eo consistit, quod sacrificium sit actio, per quam summus cultus Deo exhibetur nomine publico, à ministris ad id specialiter deputatis: Ergo reuerentia debita Deo, debet etiam redundare in hanc tationem, ita vt reuerenti modo fiat. Vt autem fiat reuerenti modo requiritur locus specialiter ad id deputatus, & proprius, in quo aliæ actiones prophanæ non exerceantur.

QVÆSTIO XIII.

An ad Sacrificium requiratur actus Religionis.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium requirit actum Religionis internum.*
2. *Sacrificium internum dicit actum Religionis.*
3. *Quem cultum contineat sacrificium.*
4. *Pro sacrificio sufficit actus Religionis putatiuus.*
5. *Ex vi falsæ opinionis possumus veros actus elicere.*
6. *Quomodo sacrificium externum impleat præceptum sacrificandi.*
7. *Dedicationes Templorum, &c. Cur non sint sacrificia.*
8. *Sacrificia Gentilium fuerunt vera sacrificia.*

1 QVia sacrificium est actus externus, difficultas est an ipsi debeat correspondere actus internus Religionis à quo imperetur, ita vt sit actus talis virtutis, sicut actus externi participant ab internis rationem virtutis. Dicendum est. *Sacrificium requirere actum Religionis internum, à quo proueniat.* Ita communiter cum D. Thom. *quæst. 85. art. 1.*

Probatur sacrificium est essentialiter signum interioris sacrificij, ita vt non sit verum sacrificium, nisi ipsum significet: Ergo requirit essentialiter interiorem actum Religionis, cùm requirit interius sacrificium cuius sit signum, & sacrificium interius consistit in actu Religionis, cùm dicat, quod homo concipiat affectum, se totum tradendi Deo, tanquam à quo recognoscit proprium esse, & cui ipsum totum debet, qui est actus Religionis perfectæ, soluens Deo, quod debitum est.

3 Confirm. Sacrificium continet summum cultum Dei, & ita proprium ipsius, vt non possit exhiberi alteri. Quia nimirum homo in eo profitetur debitum, quo ipsi quatenus Deus est, hoc est primum principium, à quo participat esse, & vltimus finis, ad quem ordinari debet idem esse: Ergo est actus Religionis, quatenus obligat ad colendum Deum, vt Deus est.

4 Dicendum 2. *Ad rationem sacrificij non requiri necessariò actum Religionis verum, sed sufficere putatiuum.* Ratio est. Quia sacrificium exterius constituitur in ratione sacrificij per id, quod significet sacrificium interius, nec autem sacrificium interius haberi potest absque vero actu Religionis, sed cum solo putatiuo, quia potest voluntas concipere, & promere affectum, in quo consistit exterius sacrificium ex iudicio practico falso, quod scilicet debeatur honor proprius Dei ei, qui non est Deus; nam voluntas tanquam potentia, vera manu ducitur, ab intellectu; & ideo ipso errante circa obiectum virtutum, promit actus putatiuos virtutis, quorum vi postea operatur.

5 Dices. Ergo sacrificium quoque erit putatiuum non autem verum, quia originem habet à falsa existimatione. Respondeo negans conseq. Nam in virtute falsæ opinionis possumus facere, quæ vera sunt, sic possumus lugere aliquem mortuum, pro ipso preces, sacrificia offerre ex falsa opinione quod mortuus sit. Si ergo quis habeat falsum aliquod practicum iudicium in cuius virtute eliciat actum Religionis, qui non possit esse verus actus Religionis defectu obiecti, circa quod versatur eò, quod putet esse verum obiectum Religionis, cùm non sit, poterit inde consorgere actus veri sacrificij etiam interni, nam poterit elicere verum affectum, in quo consistit interius sacrificium.

6 Dices 2. Si quis teneretur offerre sacrificium, satisfaceret

facerct per solum opus externum sacrificaodi: Ergo non requiritur internus actus Religionis. *Resp.* satisfaceret per solum opus externum assumptum, vt tale est: non autem per opus externum assumptum quocumque modo. Quando autem assumitur opus externum, vt est sacrificium externum, assumitur vt signum intentionis sacrificij. Quatenus autem assumitur vt tale, interuenit actus Religioois implicitus, quia voluntas vult implicitè, quod sit signum interioris sacrificij. Alioquin hac voluntate implicita seclusa, non esset verum sacrificium, sed esset mendacium, quia exterius homo profiteretur, quod interius oon sentit.

7 Ex dictis colligitur, cur dedicationes templorum, altarium, consecrationes vasorum sacrorum non sint sacrificia, quia nimirum non assumuntur tanquam signa protestatiua interioris sacrificij; ac proinde non important summum cultum, qui Deo exhiberi debet, sed potius sunt in ordine ad talem cultum, vt præparatoria quædam.

8 Colligitur 2. Sacrificia Gentilium, licet falsis Diis oblata, fuisse vera sacrificia; vt notant etiam Lugo, *disput.19.de Eucharist. sect.* 1. *num.*13. Amicus *tom.* 7. *Curs. Theol. disput.* 33. *num.* 32. & 34. Quia stante opinione falsa sacrificantium, ille idem cultus exhibetor Diis falsis, qui Deo vero per sacrificium exhibetur, & eandem protestationem continebant. Nec obstat quod non erat in Diis falsis illa excellentia, quam sacrificium debet significare, & proinde quod non poterit significare, atque adeo fuerit falsum signum nam noo debet sacrificium illam significare, vt in se est, sed vt ait in apprehensione offerentis: vode sufficit, quod diuinam excellentiam in falsis Diis apprehenderint. Nec item obstat, quod non apprehenderint illam excellentiam ob quam Deo debetur sacrificium, cùm non sit pro tanto necessarium, sed potius sufficiat, quod apprehenderint excellentiam diuinam, ratione cuius sit debitum sacrificium internum, quia externum significat solum excellentiam diuinam vt terminum, & motiuum sacrificij interni.

QVÆSTIO XIV.

Quomodo sit definiendum sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium diuersimodè definitur.*
2. *Ordo ad sacrificium internum explicandus in definitione sacrificij.*
3. *Sacrificium quid sit.*
4. *Sacrificium debet totalem dependentiam sacrificantis protestari.*
5. *Sacrificium quomodo debeat significare totalem dependentiam.*
6. *Oblatio, & actio consumptiua cur non explicanda in sacrificio.*
7. *In sacrificij definitione an explicandum quod exhibeatur soli Deo.*

1 HVc vsque explicata sunt, quænam sint de ratione sacrificij: vnde facile erit ex dictis colligere definitionem. Solent autem diuersæ definitiones, seu descriptiones afferri, quæ sunt duplicis generis; nam aliæ dicuntur physicæ, quia explicant esse physicum: aliæ dicuntur metaphysicæ, quia explicant esse metaphysicum quæ tamen procedunt iuxta extrnis opiniones, quoad ea, quæ pertinent ad essentiam sacrificij: vnde alij plura, & alij pauciora explicant in definitione.

Difficilè tamen separari potest definitio physica à metaphysicæ, siquidem neutro modo definiri potest, nisi exprimatur id, quo tanquam per formam constituitur in suo esse: vnde eum constituatur in suo esse per ordinem ad sacrificium internum, debet necessario explicari iste ordo, ita vt sicuti ipso secluso non esset sacrificium, etiam si cetera omnia concurrerent: ita nisi explicetur, nec physicè, nec metaphysicè explicabitur natura sacrificij. Eo ipso autem, quod explicatur iste ordo, ponitur aliquid metaphysicum. 2

Dicendum igitur ita definiri posse. *Sacrificium est cultus sensibilis expressiuus totalis dependentiæ, & subiectionis practico modo respectu Dei.* Dicitur cultus sensibilis, quia est actus exterius Religionis. Cum enim exhibeat Deo supremum cultum, consequenter imperatur à virtute Religionis, quatenus versatur circa cultum exteriorem Dei. Dicitur expressiuus; quia ita est cultus, vt etiam in genere cultus aliquid significet: & proinde non solum est in genere cultus, sed etiam in genere signi. Sacrificium enim ita exterius colit Deum, vt tamen aliquid aliud significet, quod similiter concurrat ad cultum. Ex quo fit, quod licet sacrificium sit signum ad placitum, non potuit tamen institui in quocumque signo, sed debuit esse signum nedum analogum, seu proportionatum rei significatæ, sed etiam debuit esse in genere cultus, quia cum imperetur à virtute Religionis in ordine ad colendum Deum, non potuit esse nisi actus exterior Religionis. 3

Verbo autem. *Totalis dependentiæ, & subiectionis.* Ponuntur ad determinandam significationem sacrificij, quæ ratione rei significatæ qualificatur, & accipit suam differentiam, per quam à cæteris contra distinguitur. Cum enim sit cultus significatiuus interioris cultus, seu sacrificij spiritualis, debuit assignari pro termino, seu re significata hic interior cultus, qui non sit maximus, qui possit Deo exhiberi, debet consistere in practica recognitione totalis dependentiæ à Deo vt primo principio, & totali subiectione, qua se totum deuoueat Deo, vt vltimo fini, propter quem est creatus. 4

Additur, *Practico modo.* Quia sacrificium non debet quocumque modo hanc dependentiam, & subiectionem significare, sed etiam debet exhibere, ita vt interueniat affectus, quo sacrificans se Deo subiiciat recognoscendo se totaliter ab ipso dependere; & sui affectus exhibens totalem subiectionem debet à sacrificio significari. 5

Non est autem necessarium in definitione explicare oblationem, & quod circa rem oblatam interueniat actio consumptiua. Tum quia oblatio materialiter se habet, & tanquam subiectum significationis, tum quia actio immutatiua rei oblatæ, vel non est necessaria ex natura sacrificij in communi; vel si est necessaria, sufficienter exprimitur eo ipso, quod dicitur, quod debeat esse expressiuus totalis dependentiæ, & subiectionis; non enim alia ratione requiri potest, nisi vt significet: eo ipso autem, quod dicitur expressiuus, explicatur immutatio circa rem oblatam, nam explicatur quidquid requiritur ad exprimendum interius sacrificium. 6

Nec item est necessarium ponere in definitione quod exhibeatur soli Deo, ut modum dicitur, quod sit expressiuus totalis dependentiæ & subiectionis, quam sacrificans profiteatur, seu exhibeat in illo sacrificio, sequitur, quod fiat soli Deo, si exhibeatur eo modo, quo exhibendum est, nam cum totalis dependentia sit solum respectu Dei, & soli exhiberi possit totalis subiectio, sequitur quod sacrificium sit cultus proprius solius Dei, si eo modo exhibeatur, quo exhibendum est. 7

QVÆSTIO

QVÆSTIO XV.

An Deo sit Sacrificandam.

SVMMARIVM.

1. *Qui non sustulerint sacrificia sensibila.*
2. *Sacrificium est offerendum Deo.*
   Sacrificia semper fuerunt in vsu.
   Plura sacrificia in Lege Scripta.
3. *Quomodo homo teneatur mediante cultu recognoscere Deum.*
4. *Quæ sacrificia Deus non approbet.*
5. *Quomodo sacrificia non sint propter Deum.*

1 NOn defuerunt, qui sustulerunt omnem Dei cultum externum, præsertim per sacrificia cruenta, quorum meminit D. August. *lib.* 1. *contra aduers. leg. & Prophet. cap.* 18. Et Auerroes *lib.* 12. *Metaph.* Opinatus est, omnia sacrificia sensibilia esse contemnenda. Et ratio dubitandi desumitur ex sacra Scriptura nam Deus videtur respuere sacrificia Psalm. 39. *Sacrificium, & oblationem noluisti.* Psalm. 50. *Holocaustis non delectaberis.* Esai. 1. *Sanguinem hircorum, & taurorum nolo; quis enim hæc requisiuit de manibus vestris?* Oseæ 6. *Misericordiam volo, non sacrificium,* Et alia similia habentur in sacra Scriptura.

2 Dicendum est. *Sacrificium esse offerendum Deo tanquam ipsi gratum.* Ita communiter sensus hominum, siquidem etiam Gentiles cognouerunt hanc veritatem, & suis falsis Diis obtulerunt sacrificia. Probat. autem desumitur ex praxi seruata ab initio mundi, nam semper fuerunt in vsu sacrificia. *Gen.* 4. Abel, & Cain obtulerunt sacrificium, & ad sacrificium Abel. respexit Deus, atque adeò ipsum approbauit. *Gen.* 8. Noë post diluuium obtulit holocaustum super altare, odoratusque est Dominus odorem suauitatis. *Gen.* 14. Melchisedech obtulit in sacrificium panem, & vinum. *Gen.* 15. Abraham similiter obtulit Deo sacrificium, & alia passim legimus sacrificia in Scriptura, quæ fuerunt Deo accepta. Confirmat. In lege scripta, plura sacrificia fuerunt instituta à Deo, vt constat præsertim ex lib. Leuitici, vnde non potest dici, quod non fuerint Deo accepta, dum ipse ordinauit sibi offerri. Denique pro expiatione generis humani ordinauit Deus sacrificium proprij Filij in Cruce. Vnde remanet certum de Fide, quod sacrificium sit ipsi offerendum tanquam quid acceptum.

Ratio autem est. Quia homo tenetur mediante cultu, recognoscere Deum tanquam suum principium, & finem: & ideò debet talem cultum ei exhiberi, in quo eluceat hæc recognitio, siquidem cultus debet esse proportionatus colenti, & culto, & ideò debet declarare ordinem, quem colens, & cultus seruent ad inuicem. Rursus. Quia homo constat ex anima, & corpore; & secundum vtrumque debet recognoscere Deum, vt principium, & finem, ideò cultus debet vtrique correspondere, ita vt non solum proueniat ab anima per actus internos, sed etiam à corpore per actus externos. Talis autem cultus exhibetur per sacrificium.

4 Ad rationem dubitandi Resp. Scripturam declarare, quod Deus non approbet sacrificia non absolutè, sed talia sacrificia, qualia plerumque erant sacrificia populi Hebræi; nempe sacrificia vacua, ita vt non haberent, quod significarent; nam offerebantur à peccatoribus in propitiationem pro peccatis, existimantibus, Deum per illa sacrificia placari absque pœnitentiâ, & continuabant peccata. Vnde cum Propheta. Psalm. 50. dixisset. *Holocaustis non delectaberis,* subdit, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Et in illo cap. 1. Esaiæ cum respuisset sacrificia. Subdit: *Neomeniam, & sabbatum, & festiuitates alias non feram iniqui sunt actus vestri*: Et infrà: *Manus enim vestra sanguine plenæ sunt.* Quibus verbis reddit causam ob quam abominetur sacrificia, festiuitates, &c. Vnde etiam D. Clemens Papa, *lib.* 6. *Const. cap.* 21. inquit, *Recusabat sacrificia populi sæpenumero in eum peccantis, & existimantis, cum sacrificiis, non pœnitentia, placatum iri.*

Deinde etiam in similibus locis sacræ Scripturæ significatur, quod sacrificia non sint propter Deum, quasi redundent in vtilitatem ipsius: sed propter nos ipsos, quia ex ipsis beneficium percipimus. Neque enim sublatis sacrificiis Deo aliquid deest, at nobis multum deesset, & ideò ostendit, se non curare, quod ipsi sacrificia offerantur, sed iure indignari, si ità offerantur sacrificia vt cætera negligantur, præsertim opera misericordiæ, vt insinuatur *Marci* 12. dum dicitur, Misericordiam esse maiorem holocaustis. 5

QVÆSTIO XVI.

An Sacrificium sit de lege naturæ.

SVMMARIVM.

1. *Cultus Dei est de iure naturæ.*
2. *Sacrificium, vnde iure naturæ,* & num. seq.
4. *Homo de iure naturæ subditus alicui superiori.*
5. *Cultus sacrificij cur, Deo debitus.*
6. *Cultus externus Dei, est de iure naturæ.*
7. *Antiqui Patres quomodo obtulerint sacrificium spontanea voluntate.*
8. *Solum sacrificium est sufficiens modus colendi Deum.*
9. *Adam an sacrificauerit.*
10. *Quale ius naturæ commune omnibus.*

SVpponendum est tanquam certum. Cultum Dei esse de iure naturæ, ita vt ad ipsum teneamur ex lege naturali. Cum enim in Deo sit suprema excellentia, & suprema prouidentia, ita vt singula ab ipso dependeant, non solum quoad esse, sed etiam quoad gubernari, sequitur ex dictamine legis naturalis, quod ei debeatur honor ratione excellentiæ, & cultus ratione gubernationis iuxta, ea quæ tradit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 102. *art.* 2. *in corpore.* Et ideò consurgit virtus Religionis, ad quam pertinet exhibere Deo cultum, & honorem vt primo principio creationis & gubernationis. Vnde Malachiæ 7. conqueritur Deus, quod cùm sit pater, & creator omnium non vt talis honoretur. *Si ergo pater, vbi honor meus.* Et hoc explicatur in primò præcepto Decalogi, *Vnum Deum coles*; non solum enim ibi præcipitur, vt solus Deus colatur, sed etiam vt colatur, si enim de lege naturæ est colere parentes, quia dant esse, à fortiori erit de lege naturæ colere Deum, quia est primus, & & principalis auctor nostri esse. Vnde difficultas est, qualis cultus sit de iure naturæ, an ille, qui consistit in sacrificio. 1

Prima sentent. negat, esse de iure naturæ. Ita Suarez *disp.* 63. *de Euchar. sect.* 8. ver. *Dico* 3. Meret. *de Sacrament. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 6. *resp.* 2. Prob. quia Anaclet. Papa *Epist.* 2. dicit Antiquos Patres spontanea voluntate sacrificium, obtulisse, & Clemens Roman. *lib.* 6 *constit. cap.* 20. Dicit non ex obligatione, sed ex voluntate sacrificasse. Secundò. Quia præter sacrificium sunt alij modi sufficientes colendi Deum; ergo ex eo quod cultus sit de iure naturæ, non sequitur, quod sit etiam sacrificium. 2

Secunda

3 Secunda sententia asserit, esse de iure naturæ. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 1. Caiet. *ibid.* Præposit. *dub.* 1. *num.* 8. ver. *Petes primò.*

4 Dicendum est, *Sacrificium esse de iure naturæ.* Hoc autem ita accipi debet, vt non sit de iure naturæ tanquam primum principium immediatum, sed tanquam deductum ex aliis principiis, vt notat Caiet. *num. præced.* citat. Prob. De iure naturæ est, quod homo subdatur alicui superiori ob defectus, quos in se experitur tam secundum animam, quàm secundum corpus, cuius ope adiuuetur, & dirigatur, tanquam à primo principio; nam sicut naturaliter dependet in esse, & conseruari, & adiuuari ab hoc principio, ita etiam ratio naturalis diceret, quod debeat ipsi se subiicere tanquam ei, cui totum seipsum debet & ipsum colere sicuti par est: Ergo de iure naturali est, quod ipsi offerat sacrificium. Conseq. probat. Quia ius naturale obligat ad recognoscendum hoc primum principium, sicut debet recognosci: debet autem recognosci tanquam primum principium, cui homo se totum debeat, quod fit per sacrificium.

5 Confirmat. De iure naturali est soluere vnicuique, quod ipsi debetur. Deo autem debetur cultus sacrificij: nam vnicuique debetur cultus proportionatus, & in quo appareat radix debita, vnde prouenit. Cum ergo quisque debeat Deo proprium esse tanquam illi, à quo ipsum accepit, & à quo conseruatur; & rursum debeat ipsum habere pro vltimò fine, debet ipsum ita, colere, vt protestetur, se illi debere proprium esse, & se totum viuere debere in eius obsequio; hoc autem solum præstari potest per sacrificium.

6 Dices sufficere sacrificium internum. Contra. De iure naturæ homo tenetur colere Deum non solum interius, sed etiam exterius; siquidem debitum colendi radicatur non solùm in anima, sed etiam in corpore; & ius naturale obligat ad cultum, secundum mensuram radicis, vnde prouenit debitum: Ergo tenetur colere secundum actionem corporalem, atque adeò externam: Ergo si tenetur offerre sacrificium, tenetur etiam offerre externum sacrificium.

7 Ad fundamentum in oppositum resp. Antiquos Patres obtulisse sacrificium spontanea voluntate, & non ex obligatione, quatenus nulla lege extrinsecus cogente ante legem Scriptam sacrificabant. Non autem quod non sacrificarent ita dictante Lege naturæ. Vnde D. Clemens in illo loco habet, Antiquos Patres naturali lege admonitos sacrificasse; vnde etiam per ipsum lex naturalis distrahat, de sacrificio.

8 Ad secundam resp. Nullum alium modum colendi Deum præter sacrificium esse sufficientem, vt colatur, sicut est colendus; cum enim in cultu debeat Deus recognosci vt primum principium, & vltimus finis, itavt cultus hanc excellentiam declaret, & per solum sacrificium declaretur, sequitur, quod sacrificium sit necessarium ad debitum cultum.

9 Dices. Adam non sacrificauit debuisset autem sacrificare, si sacrificium esset de iure naturæ. Resp. cum D.Thom. 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 1. *ad* 2. Adam sacrificasse, licèt Scriptura non faciat mentionem de eius sacrificio, quia non commemorat omnia sacrificia, sed ea tantum, in quibus aliquid peculiare continetur.

10 Dices. 2. Si sacrificium esset de iure naturæ, omnes in hoc conuenirent, quod offerrent sacrificium, quod ius naturæ est commune omnibus, quod tamen est falsum. Resp. Si sacrificium esset de iure primario, omnes conuenirent in hoc saltem, quod cognoscerent, offerendum esse sacrificium. Secus autem, cum sit de iure tantum Sacerdotio. Nam solum ius naturæ primarium consistens in primis principiis est commune omnibus; ius verò secundarium, quod consistit in conclusionibus deductis ex primis principiis, non est commune omnibus, quod præcipuè iis contingit, de quibus dicit Apost. ad Rom. 1. *Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.*

QVÆSTIO XVII.

Quotuplex sit sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium quomodo non sit diuisibile in species.*
2. *Sacrificium diuiditur ratione materiæ.*
3. *Sacrificium aliud cruentum aliud incruentum.*
4. *Sacrificium aliud, holocaustum, aliud hostia.*
5. *Sacrificia alia legis naturæ, alia legis scriptæ.*
6. *Discrimen inter sacrificia legis naturæ, & legis scriptæ, &c.*
7. *Sacrificium diuiditur ratione finis.*
8. *Sacrificium Missæ continet eminenter omnium aliorum prærogatiuas.*

SVpponendum est, si sacrificium secundum suam formalem actionem consideretur, non posse diuidi in plures species, & proinde esse vnius tantùm speciei. Dupliciter enim considerari potest, vel in genere Religionis, prout est talis actus: vel prout in hoc genere habet significare, & induit rationem talis signi. Primo modo non potest sortiri species diuersas, quia deberet sortiri ex motiuo formali, seu specificatiuo, cum omnis actus virtutis à suo motiuo specificetur. Ad hoc autem non potest sortiri, quia in quocunque sacrificio est vnum, & idem motiuum, nempe exhibere Deo supremum cultum ipsi debitum, quatenus est primum principium, & vltimus finis. Sed neque secundo modo potest habere diuersas species, nam significatio semper est eadem cum idem semper significetur tam ex parte Dei, quàm ex parte hominis; siue hoc, siue illud sacrificium adhibeatur. Vnde solum diuidi potest materialiter ratione subiectæ materiæ, & aliarum qualitatum concernentium esse materiale ipsius. 1

Ratione ergo materiæ, quæ offertur diuiditur: nam vel offerebantur liquores, vel aliquid solidum. Si primum, sacrificia dicebantur libamina, seu libamentum. Si verò offerabatur aliquid solidum, vel hoc solidum erat animal occidendum, & sacrificium aliquando dicebatur victima, & aliquando hostia. Vel erant fructus terræ, & sacrificium dicebatur immolatio. 2

Hinc autem consurgit alia diuisio sacrificij, nempe in cruentum, & in incruentum. Cruentum erat quando, quod offerebatur mactabatur, & sanguis spargebatur, & proinde habebat locum solum in oblatione animalium. Incruentum autem erat, quando sanguis non spargebatur. Vnde hæc dimissio ita pertinet ad materiam, vt simul etiam fundetur in modo offerendi, 3

Tertiò diuiditur sacrificium ratione consumptionis rei oblatæ. Nam vel res oblata tota consumebatur in sacrificio: vel solum pars aliqua. Si primum, sacrificium est holocaustum, quod ita dicitur iuxta vim linguæ Hebrææ quasi ascendens, quia scilicet dum totum igne consumebatur, totum quoque sursum ascendebat in fumum, & vaporem; vel iuxta linguam Græcam, quasi totum incensum, quia totum igne incendebatur. Vel tantum pars rei oblatæ consumebatur: & tunc, vel quod supererat reseruabatur sacerdotibus, & dicebatur Hostia pro peccato. Vel reseruabatur partim pro sacerdotibus, & partim pro sacrificantibus, & dicebatur Hostia pacifica. De quibus agit D. Thom. 1. 2. *quæst.* 102. 4

Quartò diuiditur ratione originis. Nam sacrificia vel habuerant originem ex lege naturæ: vel ex lege scripta. In primò genere fuerunt omnia sacrificia illius temporis, in quo homines nulla lege præter quam naturali regebantur, quæ ideo dicuntur legis naturæ, quia ipsa dictante fuerunt instituta. Secundum autem genus adhuc diuiditur iuxta duplicem legem, veterem, 5

& nouam. Primum genus cnntinet nmnia ſacrificia veteris Legis ſcriptæ, quæ erant ſacrificia legalia, & ſnlemnia, quia à Lege inſtituta erant. Secundum verò genus continet vnicum tsntùm ſacrificium, in qun Chriſtus offertur, quod eſt ſacrificium ſnlemniſſimum, & in perpetuum duraturum.

6 Hoc autem diſcrimeo eſt inter hæc ſacrificia, qond ſactificia legis naturæ nullum ex ſe habebant valorem, ſed tantùm ex npere opetantis ratinne fidei, & veterorum actuum ſacrificantis. Sacrificia verò Legis veteris ſolum habebant aliquem valotem legalem, quatenus poterant auferre immunditiam legalem. At ſacrificium nouæ Legis habet valorem ex npere operatn, ratione cuius cauſat ſuos proprins effectus. Rurſus ſacrificia legis nsturæ, & veteris babebant ſignificatinnem myſticam vltra moralem in ordine ad futura, nam ſignificabant ſacrificium Crucis Chriſti, cuius erant figura: vnde Apoſt. dicit 1. *Ad Corinth.* 7. quod omnia in vmbra contingebant eis, Sacrificium verò nouæ Legis repræſentat ſacrificium Crucis Chriſti iam exhibitum.

7 Denique ſacrificium diuiditur ratinne finis. Vel enim ordinabantur ad ſolùm cultum Dei; vel etiam ad aliquem alium finem conuertentem ipſns ſacrificantes. Si primum, ſacrificium eſſet holocauſtum: & prninde tnta res oblsta comburebatur. Si ſeeundum vel ordinabatur ad aliquid Deo teddendum, vel ad aliquid obtinendum. Si primum, reſpiciebat gratiarum actionem, & dicebatur hoſtia pacifica, ſeu ſacrificium laudis. Si ſecundum, vel nrdinabatur ad obrinendam remiſſionem peccatorum, & dicebatur hnſtia pro peccato, cuius effectus erat conferre legalem remiſſionem peccati, & ſacrificare Deo pto ipſo. Vel nrdinabatur ad impetrandum aliquod beneficium: & erat ſacrificinm impetratorium: pnterat autem hoc ſactificium adhiberi io ordioe ad ea omnia: quæ à Deo nbtineri pnſſunt.

8 In Lege autem noua non ſunt neceſſaria tam multiplicia ſacrificia, qnia ſacrificium Miſſæ tanquam omnium excellentiſſimum continet eminentet omnia geneta ſacrificinrum, & ideò ſnlùm ſufficit ad nmnes effectus perfectiori modn exhibendns; vnde D. Leo Papa, *ſerm.* 8. *de Paſſione*, baber, *Nunc carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum vna corporis, & ſanguinis ſui implet oblatio; & ita in te vniuerſa perficis myſteria vt ſicut vnum eſt pro omni victima ſacrificium, ita vnum de omni gente ſit regnum.*

DE SACRIFICIO NOVÆ LEGIS.

EXPLICATA oatura ſacrificij in commuoi, ageodum eſt de ſacrificio nouæ Legis, quod cum ſit omoium emineoriſſimum, plures etiam prærogatiuas habet, quæ ſingulæ ordine ſuo eſſent explicaodæ; prius autem agendum eſt de exiſtentia ipſius, nam acriter ab Hæreticis noſtri temporis impugnatur.

QVÆSTIO XVIII.

An in noua Lege detur verum ſacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Hæretici negant ſacrificium nouæ Legis.*
2. *A quibus reiiciantur.*
3. *Sacrificij nouæ Legis exiſtentia.*
4. *Prænunciatum à Malachia.*
5. *Futurum in omni loco, & proinde diuerſum à ſacrificio Crucis.*
6. *Sacrificia Gentilium non congruunt vaticinio Malachiæ*
7. *Nec item ſacrificia ſpiritualia.*
7. *Sacrificia ſpiritualia non poſſunt dici oblatio munda.*
8. *Preces Chriſtianorum non ſunt ſacrificium prænunciatum à Malachia.*
9. *Sacrificium nouæ Legis prænunciatum ab Eſaia.*
10. *In noua Lege inſtituti ſunt Sacerdotes.*
10. *Sacerdos & ſacrificium ſe mutuò inferunt.*
11. *Omnis lex debet habere ſacrificium.*

SVmitur ſacrificium in ſua omnimoda proprietate 1 prout eſt actus ſpecialis religionis contra diſtinctus nedum à cæteris actibus religionis. Tale autem ſacrificium dari, negant Hæretici noſtri temporis, vt Lutherus, *in formula Miſſæ pro Eccleſia Vitembergenſi.* Caluinus, *in formula adminiſtrandi ſacramenta pro Eccleſia Geneuenſi*, Philipp. Melanch. *in Locis cap. De ſacrificio.* Ioan. Brennius, *in Confeſſ. Vitembergenſi.* Matthias Illiſarus *in Theolog. pro Confeſſ. Antuerp.* Theodorus Beza, *in ſua Confeſſ. cap.* 7. §. 3. Petrus Maryr, *in cap.* 4. *&* 10. *Epiſtol.* 1. *ad Corinth.* Chemnit. *part.* 1. *Exam. Concil. Trident.* & alij.

Contra autem hos Hæreticos ſcripſerunt in hoc 2 puncto Theodorus Clictoueus, *lib.* 1. *Propugn. Fidei*, Ioann. Echiuſ. *De ſacrificio Miſſæ.* Martin. Preſeſius. *De Tradit. part.* 3. *conſiderat.* 4. Doido *lib.* 4. *de Scripturis, & Dogmat. Eccleſ. cap.* 5. *part.* 4. Ioann. Taber, *lib.* 2. 4. *&* 5. *de Miſſa, & Euchariſtia.* Roſſenſis. *De viſibili Sacerdot.* Catharin. *lib. de Verit. incruent. ſacrifi.* Richard. Tapper. *artic.* 16. Pighius *lib.* 1. *De Hierarch. Eccleſiaſt. cap.* 5. & *Controuerſ.* 5. *&* 6. Hoſius *in Confeſſ. Polonica. cap.* 46. Cindan. *lib.* 4. *Panopl. cap.* 37. *& ſequent.* Tiletan. *in Apolog. pro Concil. Trident.* Gaſpar. Caſalius *de ſacrific. Miſſæ*, Caſtin *lib.* 10. *contra Hæreſ.* verbo *Miſſa.* Caiet. *Opuſcul. de ſacrific. Miſſ. ſeu tractat.* 10. *tom.* 3. Guillelmus Alanus *lib.* 2. *de Euchariſt.* Sotus *in* 4. *diſtinctione* 13. *quæſt.* 2. Canus, *lib.* 12. *De Locis Theologicis. cap.* 13. Valent. *tractat. de ſacrific. Miſſæ.* Bellarminus, *lib.* 1. *de ſacrific. Miſſæ, cap.* 5. *& ſequent.* Suarez, *diſput.* 74. *de Euchariſt. ſect.* 1. *& ſequent.* Iſambert. 3. *part. diſput.* 2. *de ſacrific. Miſſ. art.* 1. *& ſequentibus*, & alij plures, *ad qu.* 83. 3. *p.* D. Tho. & vbi *de Sacrament.*

Dicendum eſt. *In Lege noua Euangelica dari verum ſacrificium propriè dictum.* Eſt de Fide & deſumitur ex *can.* 3. *&* 9. Apoſtol. Concil. 1. *Niceno Can.* 14. Toletano 1. *Can.* 5. Lateranenſi ſub Innocentio III. *cap.* 1. & nouiſſimè hæc veritas definita eſt in Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. & *ſect.* 1. Plures autem Scripturæ tam ex veteri, quàm ex nouo Teſtamento ſolent afferri, & ponderari; plures etiam auctoritates ſanctorum Patrum, quæ videri poſſunt apud Doctores, *num.* 2. citatos, præſertim Bellarmin. *cap.* 6. *& ſequent. lib.* 1. *De ſacrific. Miſſæ*, & apud Lorioum, *in Theſauro.* 3

Probat. Malach. 1. Deus repudians ſacrificia vete- 4 ris Legis, ait, quod erat futurum ſacrificium mundum, quo coleretur à Gentibus in toto orbe. Eius verba per Prophetam ſunt. *Ad vos, ô Sacerdotes, non eſt voluntas mihi in vobis, & munus* (ſacrificium) *non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in Gentibus.* Loquitur autem Propheta tanquàm de præſenti,

præsenti, quia proprium est Prophetarum prædicere futura, tanquam si essent præsentia, quod autem in hoc loco sit sermo de abrogatione sacrificiorum veteris legis, & de sacrificio nouæ legis, quod ipsis erat successurum tradunt communiter PP. & Expositores. Iustin. Martyr *Dial. cum Triphone.* Irenæus *lib. 4. cap. 32. 33. & 34.* Tertull. *lib. 3. contra Marcionem.* Cyprian. *lib. 1. contra Iudæos, cap.* 16. Euseb. *lib. 1. de demonstr. Euang. cap. vlt.* Io. Chrysost. *in Psal. 95.* Hieron. *in illum locum Malach.* August. *lib. 1. contra aduer. leg. & Proph. cap. 20.* & *lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 35.* Damascen. *lib. 4. de fide, cap.* 14 Theodoret. *in illum locum Malach.* & alij Expositores *ibid.* & hoc loco vtitur Concil. Trident. *cap. 1. sess. 22.* ad confirmationem dogmatis definiti.

5 Dices. Hunc locum Prophetæ intelligi de sacrificio Crucis, quod solum agnoscunt Hæretici pro vero sacrificio. Sed reiicitur hæc responsio. Quia sacrificium Crucis fuit tantum vnicum; in vno determinato tempore, & in vno determinato loco. At sacrificium, de quo loquitur Malachias, est multiplex, quia offertur in omni loco, & proinde nec est determinatum ad vnum locum, sed vbique à solis ortu vsque ad occasum, & est pro omni tempore, quia indefinitè loquitur, & reddit causam talis sacrificij, quia magnum est nomen Dei in Gentibus; vnde cum continuò sit magnum, continuum quoque debet esse sacrificium. Deinde loquitur de sacrificio, quod offertur à Gentibus. Sacrificium autem Crucis non fuit oblatum à Gentibus, sed ab ipso Christo. Rursus comparat Ecclesiam Iudæorum cum Ecclesia subsequutura, & à Christo instituenda, nam, vt colligitur ex antecedentibus, & subsequentibus, ibi loquitur de Christo venturo, & ait, reprobanda fore sacrificia præsentis Ecclesiæ, & pro recta Ecclesia nouum sacrificium instituendum, atque adeo de sacrificio futuræ Ecclesiæ loquitur, atque duraturo durante ipsa Ecclesia, quale non fuit sacrificium Crucis.

6 Secundo respondent Hæretici. Intelligi de sacrificiis Gentilium, qui cum ex motibus cœlorum cognouerint Deum, illi sacrificabant; quorum sacrificia dicuntur munda, comparatione sacrificiorum Iudæorum: quam expositionem amplexatus est etiam Arias Montan. *in locum illum Malach.* Verum non potest congruere verbis Prophetæ. Nam si sit sermo de sacrificiis illorum, qui inter Gentiles offerebant sacrificia vni Deo, non congruunt verba prophetiæ *in omni loco*; nam hi homines erant admodum rari. Si verò de cæteris sacrificiis: non poterant esse Deo accepta, quia erant sacrificia iniquorum non minus, quàm Iudæorum, & erant coniuncta cum idololatria. Secundò, loquitur Propheta de sacrificio, quod erat successurum sacrificiis Iudæorum, quod non conuenit sacrificiis Gentilium. Tertiò, loquitur de sacrificio futuro in aduentu Messiæ. Quartò, Deus dicit, se non suscepturum sacrificium de manu Iudæorum, quia habebit sacrificium sibi acceptum ab ipsis Gentibus, & proinde loquitur de sacrificio, cuius intuitu reprobatur sacrificium Iudæorum. Hoc autem non est reprobatum, nisi intuitu sacrificij nouæ Legis, non autem intuitu sacrificiorum Gentilium. Quintò, Sacrificia Gentilium non possunt dici oblatio munda, neque ratione rei oblatæ, & actionis sacrificatiuæ, quia erant eiusdem rationis cum sacrificiis Iudæorum; neque ratione offerentium, quia regulariter peiores erant Gentiles, quàm Iudæi. Sextò, non potest dici, quod constituerint Gentiles Ecclesiam Dei, Propheta autem loquitur de sacrificio Ecclesiæ Dei, non loquitur de sacrificio, quod offertur apud Gentes in omni loco, ex eo quod eius nomen sit magnum in Gentibus, à Solis ortu vsque ad occasum; atque adeo ex eo quod apud ipsos colatur. Illa autem congregatio, apud quam colitur Deus est Ecclesia ipsius.

Resp. 3. Prophetam non loqui de sacrificio propriè 7
dicto, sed improprio sacrificio, quales sunt laudes orationes, & quæcumque bona opera, quia non explicat, quale sacrificium sit futurum, & alioquin in nouo Testamento habemus sacrificia spiritualia, vt 1. *Petr. 2. ad Rom. 12. ad Hebr. 12. ad Philipp. 2.* Contra. Deus ibi per Prophetam reddit causam, cur sit reprobaturus sacrificium externum Iudæorum, quia ab ortu solis vsque ad occasum erat isti offerenda oblatio munda. Illa namque dictio, *Enim, ab ortu enim solis*, facit causalem: Ergo loquitur de sacrificio proprio, quod erat successurum sacrificio Iudæorum. Secundò, Propheta loquitur de sacrificio nouo, quod tanquam acceptum Deo erat introducendum loco sacrificiorum Iudaicorum. Sacrificia autem spiritualia erant tunc in vsu, nam iusti ea offerebant, & erant Deo accepta. Tertiò, Propheta loquitur de sacrificio mundo. Sacrificia autem spiritualia non sunt magis munda, quàm sacrificia Iudæorum, nam pollui possunt à malitia operantis, sicut polluebantur sacrificia Iudæorum. Imò secundum ipsos Hæreticos, omnia opera bona sunt immunda, quia sunt peccata mortalia, licet non imputentur. Quartò. Propheta dicit, quod oblatio erit munda in omni loco: non posset autem esse munda in omni loco, si offerentium malitia pollui posset; nam tunc in aliquo loco esset munda, & in aliquo non munda. Sacrificia autem spiritualia pollui possunt malitia offerentium. Quintò. Propheta loquitur de sacrificio publico; nam loquitur de sacrificio, quod ei offertur ex eo, quod eius nomen sit celebre ab ortu solis ad occasum, atque adeo ex eo, quod apud omnes Gentes colatur cum celebritate nominis, quod fieri non potest, nisi sacrificium sit publicum; sacrificia autem impropriè dicta, & spiritualia sunt priuata. Sextò. Sacrificatur, & offertur oblatio munda, quæ verba significant non purè sacrificium, sed sacrificium cum oblatione alicuius rei, quæ sit oblatio munda, ita vt sit talis seorsim ab actione sacrificandi. Hoc autem non potest habere locum in sacrificio spirituali, in quo est eadem actio sacrificandi, & res oblata. Septimò. Loquitur de sacrificio, quod erat futurum magis gloriosum sibi, quàm sacrificia Iudæorum, ita vt hæc sint contemnenda in comparatione illius; nam loquitur de sacrificio correspondente celebritati sui nominis, quæ erat futura magna apud omnes Gentes à solis ortu ad occasum. Hoc autem conuenire non potest sacrificio spirituali. Octauò. Ponit antithesim inter sacrificia Iudæorum, & inter sacrificium subsequuturum, quod in illis offendebatur Deus, & gloria ipsius destruebatur & in hoc, quod erit glorificandum nomen ipsius; vnde oportet, quod sit sacrificium publicum, & sensibile, vt possit contraponi sacrificiis Iudæorum, & vt gloria possit esse publica, & sensibilis, & contraponi publico contemptui. Nonò, Ponit antithesim etiam inter Sacerdotes, cùm ad Sacerdotes Hebræorum dicit, *ad vos, ò Sacerdotes, qui despicitis, nomen meum*, & de Sacerdotibus substituendis ait, *Purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum: & erunt offerentes Domino sacrificium in iustitia*: Ergo loquitur de sacrificio, quod per Sacerdotes, vt essentiales ministros, offertur, nam dicit de illorum sacrificio, *Munus non suscipiam de manu vestra*; & de horum sacrificio, quod offeretur oblatio munda: Sacrificium autem, quod offertur per Sacerdotes est sacrificium propriè dictum.

Dices hunc locum explicari ab aliquibus Patribus 8
de precibus Christianorum. Resp. Non posse explicari de puris precibus, quia preces non sunt oblatio munda, cum possint inquinari ab errantibus. Vnde Septuaginta Interpretes vertunt, *In omni loco, incensum*

offertur nomini meo, & oblatio munda: Vnde qui explicant de precibus, explicant ratione verbi *Incensum*, nam incensum significat orationem, & volunt, quod Prophetia procedat etiam de oratione, quatenus coniungitur cum sacrificio. Vel quia cùm hoc sacrificium perficiatur essentialiter verbis consecratoriis, quæ à Patribus dicuntur oratio, nomine orationis intelligunt sacrificium Missæ, quod est verum sacrificium, vt infrà. Vel denique cum sacra Scriptura habeat plures sensus, quando explicant hunc locum Malachiæ de orationibus, non explicant secundum sensum litteralem, sed secundum mysticum, & spiritualem.

9 Confirmat. Esaiæ 19. *Cognoscent Ægyptij Dominum in die illa, & colent eum in hostiis, & muneribus.* Et rursus. *In die illa erit altare Domini in medio Ægypti.* Et cap. 66. *Assumam ex eis Sacerdotes, & Leuitas, dicit Dominus.* Hoc est ex populis Christianis. Hierem. 33. *Non interibit de Dauid vir. Qui sedeat super Thronum domus Israel. Et de Sacerdotibus, & de Leuiticis, non interibit vir à facie mea, qui offerat holocaustomata.* In his autem Vaticiniis, quæ respiciunt Legem Euangelicam clarè habetur, quod in Lege Euangelica sit futurum sacrificium, Sacerdotes, & Altare. Et proinde verum sacrificium, quia improprium non offertur super Altare, neque à Sacerdote assumpto de populo, sed à quolibet. Neque de sacrificio Crucis, tum quia Deus non habuit votum per ipsum ab Ægyptiis, tum quia, dicit Propheta futuros plures Sacerdotes, qui offerant holocausta, atque adeo plura sacrificia.

10 Confirm. 2. In Lege Euangelica instituti sunt Sacerdotes tanquam speciales ministri Dei. Ad Hebr. cap. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia.* Et rursus. *Nemo assumit sibi honorem, sed qui à Deo vocatur tanquam Aaron.* Et cap. 7. *Translato enim Sacerdotio, necesse est, vt & Legis translatio fiat.* Et constat ex continua, & vniuersali praxi constituendi Sacerdotes ab initio nascentis Ecclesiæ: Ergo in Lege Euangelica est etiam institutum sacrificium, nam Sacerdotes habent pro munere principali, offerre sacrificium: & ita ex Dei ordinatione coniuncta sunt, vt debeant se inuicem inferri, nec possint mutuò separari, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1. De Eucharist.*

11 Confirm. 3. Omnis lex cùm habeat dirigere populos ad vltimum finem, exigit habere Sacerdotes, & sacrificiũ; siquidem tenẽtur populi colere Deum, & Lex debet ipsis præscribere cultum, quem Deus exigit, atq; adeo sacrificium, quia talis cultus exigitur à Deo vt primo principio, & nostro vltimo fine: Ergo cum Lex Euangelica sit instituta à Christo, & sit omnium perfectissima, debuit esse instituta cum suo sacrificio, alioquin valdè imperfecta fuisset circa cultũ Dei. Hinc Apost. Ad Hebr. 7. *Translato Sacerdotio, necesse est, vt & legis, translatio fiat.* Quia nimirum Sacerdotium, Lex, Sacrificium ita inuicem connectuntur, vt posito vno cætera quoque ponantur. Et rursus eodem cap. 7. *Lex enim homines constituit Sacerdotes,*

QVÆSTIO XIX.

Quomodo sacrificium Crucis non obstet sacrificio nouæ Legis.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Crucis sufficit pro omnibus.*
2. *Repetitio sacrificiorum quando necessaria.*
2. *Sacrificium Crucis non excludit sacrificium quatenus cultum.*
3. *Stante sacrificio Crucis sunt superflua sacrificia veteris Legis.*
4. *Sacrificium Crucis quomodo perficiat sanctificatos.*
5. *Sacrificium Crucis requirit sacrificium applicatiuum.*
6. *Quæ sacrificia excludantur à sacrificio Crucis.*
7. *Facta remissione peccatorum, quæ oblatio non habeat amplius locum.*
8. *Voluntariè peccantibus quænam hostia pro peccato non relinquatur.*

OBiiciunt Hæretici contra existentiam sacrificij propriè dicti. Christus se obtulit in Cruce in sacrificium pro peccatis hominum, & fuit sufficientissimum ad consumandos sanctificatos. Ad Hebr. 10. *Vna enim oblatione consumauit sanctificatos*: Ergo non fuit necessarium aliud sacrificium, quia sacrificium Crucis fuit ita perfectum, vt sanctificauerit omnes, & ideo sicuti, quando sacrificium non perficit sanctificatos remittendo peccata, debet iterari, vt habet Apostolus eodem cap. *Lex per singulos annos ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere, alioquin cessarent offerri*: Ergo cum sacrificium Crucis perfectos faciat, debuerunt cessare alia sacrificia. Confirm. Ibid. habet Apostol. *Vbi autem horum* (peccatorum) *remissio, iam non est oblatio pro peccato*: Ergo si per sacrificium Crucis facta est remissio peccatorum non habet locum secundum Apostolum alia oblatio sacrificij. Confirm. 2. Rursus Apost. *eodem cap.* habet. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia*: Hoc autem esset falsum, si adesset sacrificium propriè dictum in noua lege, quia posset offerri pro peccatis de nouo cõmissis. 1

Resp. Apostolum in illo cap. loqui de sacrificio in ordine ad remittenda peccata, & sanctificandos homines. Vnde dato, quod stante perfectione sacrificij Crucis non essent necessaria alia sacrificia, solum non essent necessaria in ordine ad remissionem peccatorum, & sanctificationem; non autem, sequitur, quod non essent necessaria in ordine ad exhibendum debitum cultum Deo. Nam cum quisque singillatim teneatur colere Deum indiget sacrificio, vt exhibere possit supremum cultum. Si ergo ex auctoritate Apostoli inferretur superfluitas aliorum sacrificiorum, solum inferretur in ordine ad sanctificationem, seu sacrificia expiatiua. 2

Sed neque hoc infertur: quia scopus Apostoli est ostendere Hebræis, ad quos scribit, quod non sint necessaria sacrificia legata, imò superflua, & abrogata in ordine ad remissionem peccatorum, & sanctificationem. Et sic arguit. Ideo offerabantur sacrificia, vt essent propitiatoria pro peccatis, & iterabantur, quia nunquam perficiebant sacrificantes, seu eos, pro quibus offerebantur. Nunc autem habemus sacrificium Crucis, quod vnica oblatione perfecit sanctificatos, & ideò non sunt amplius adhibenda sacrificia veteris Legis; nec speranda remissio peccatorum, nisi recurratur ad sacrificium Crucis. 3

Vnde Apost. ex perfectione sacrificij Crucis infert abrogationem veterum sacrificiorum, non autem negationem sacrificij in Lege Euangelica. Licèt enim sacrificium Crucis perfecerit sanctificantes, non tamen perfecit in actu exercito, sed tantùm in actu signato, quatenus habet talem propitiationem, vt sit sufficiens pro omnium peccatis: si omnibus applicetur; neque enim possit, facere tunc sanctificatos nondum natos, & ideo postquàm nati sunt, debet ipsis applicari. Hoc autem fit diuersis modis, sed præcipuè mediante sacrificio nouæ Legis. Quare sacrificium 4

crificium Crucis fuit perfectissimum quoad sufficientiam, & consummationem, non autem quoad applicationem. Et ideò requiritur sacrificium applicationis, quæ sicuti debet esse continua, ita etiam ipsius continuari debet durante lege.

5 Neque hoc detrahit sacrificio Crucis, imò ostendit eius perfectionem. Nam posito sacrificio perfectissimo non est opus alio sacrificio in eo genere, in quo est perfectissimum: atque adeo cum sacrificium Crucis sit perfectissimum in ratione consummatiui, nam Apost. dicit, *Vna oblatione consummauit sanctificatos*, non est opus alio sacrificio consummatiuo, cum verò non sit singulis applicatum, opus est sacrificio applicatiuo, quo cum pluribus, & pluribus applicetur, declaratur eius perfectio, & valor. Præsertim quia, sacrificium applicatiuum est quodammodo idem cum consummatiuo, cum sit idem principalis offerens, & eadem res oblata: & proinde est commemoratiuum sacrificij Crucis. Et ideo Apostolus excludens omnia alia sacrificia, non excludit sacrificium nouæ legis, nam communicat cum sacrificio Crucis, quod si admittitur, admittendum est etiam sacrificium applicatiuum, vt quædam extensio illius.

6 Dices. Ratio Apostoli ad excludendam iterationem sacrificiorum est, quia vnica oblatione Christus consummauit sanctificatos; & ad ponendum in veteri lege, quia illa sacrificia non perficiebant, quia erant imperfecta; ergo in noua lege secundum rationem allatam ab Apostolo est excludenda iteratio sacrificiorum. Resp. Rationem Apostoli in eo fundari, quod ob perfectionem sacrificij Crucis debeant excludi sacrificia veteris legis tanquam insufficientia, non autem sacrificium nouæ legis, quod sit quædam participatio, & extensio sacrificij crucis, sed solum alterius sacrificij, quod non communicet cum sacrificio Crucis. Quia enim sacrificium Crucis est perfectissimum, ideo habet, quod possit communicari omnibus; vnde exigit habere annexum sacrificium communicatiuum, quo se singulis communicet. Et ideo quia sacrificium crucis durat in sacrificiis, quæ quotidie offeruntur, tanquam in suis participationibus, ideo ab Apostolo sumuntur pro vno, & eodem sacrificio, cum pertineant ad ipsum tanquam eiusdem applicatiua, & completiua.

7 Ad primam Confirm. Sensus illorum verborum, *Vbi autem horum remissio, iam non est oblatio*, esse, quod facta remissione peccatorum, iam non habet amplius locum oblatio pro peccato: intelligit necessarium de oblatione legalis, seu sacrificio, quod erat institutum pro propitiatione peccatorum. Intentio enim Apostoli erat remouere Hebræos à sacrificiis legalibus, & ideò ea variis motiuis desumptis ex sacrificio Crucis ostendit eorumdem insufficientiam, & inanitatem.

8 Ad secundam Confirmat. Voluntariè peccantibus post acceptam notitiam, nempe Christi, & Euangelij non relinqui hostiam pro peccatis, nempe hostiam legalem, quæ dicebatur hostia pro peccato: nam cum incœperit lex noua, erat huiusmodi sacrificium abrogatum, quia nouum sacrificium Crucis pro omnibus oblatum erat, & erat sufficientissimum, & ideò solum opus erat applicatione ipsius.

QVÆSTIO XX.

Quomodo non obstante perpetuitate Sacerdotij Christi, adsit sacrificium in noua Lege.

SVMMARIVM.

1. *Sacerdotium Christi est sempiternum.*
2. *Quomodo admittat successionem.*
3. *Christus continuò per Sacerdotes offert sacrificium.*
4. *Multiplicitas sacrificiorum quomodo excludatur ab Apostolo.*

EX perpetuitate Sacerdotij Christi arguunt Hæretici contra existentiam sacrificij nouæ Legis. Sacerdotium Christi est perpetuum iuxta illud Apostoli ad Hebræos 7. *Hic autem eò, quod maneat in æternum sempiternum habet Sacerdotium: vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis*: Ergo non successerunt ei alij Sacerdotes, quia in tantùm Sacerdotes sibi inuicem succedunt, in quantum morte finitur eorumdem Sacerdotium, vt habet Apostol. eod. cap. 7. Ad Hæbr. *Et alij quidem plures facti sunt Sacerdotes idcirco, quod morte prohiberentur permanere*: Ergo cum Sacerdotium, & sacrificium sibi inuicem correspondeant, dum non successit Christo nouus Sacerdos, nec etiam successit eius sacrificio nouum sacrificium. 1

Resp. Sacerdotium Christi esse quidem sempiternum, & ideò quà sempiternum est; non admittere successionem: vnde cum Christus sit summus Sacerdos, non habet successores in summo Sacerdotio, sed ipse perpetuò fungitur suo munere. Non per hoc tamen fit, quod non adsint alij Sacerdotes minores, qui sint ministri ipsius, sicut etiam in Lege veteri aderant alij Sacerdotes præter summum. Et hæc est mens Apostoli nam comparat Christum cum Sacerdotibus ordinis Aaron, qui fuerunt summi Sacerdotes, & ponit Anthithesim, quod isti sibi inuicem succederent, quia morte finiebatur Sacerdotium. Christus verò in suo Sacerdotio nullum habeat successorem, cùm in æternum maneat. 2

Ea non fit; quod continuò in Ecclesia tanquam summus Sacerdos, & principalis offerens concurrat ad omnia sacrificia commemoratiua sacrificij Crucis, quæ à suis ministris, seu vicariis quotidie offeruntur nomine ipsius. In hunc enim finem ascensurus in cœlum instituit Sacerdotes, vt proprios ministros, vt nomine ipsius offerrent commemorando sacrificium Crucis, iuxta illud, quod dixit in vltima cœna: *Hoc facite in meam commemorationem.* 3

Dices. Apostolus excludit multiplicitatem sacrificiorum, non solum excludendo multiplicationem Sacerdotum, sed etiam quia sacrificium Crucis fuit perfectum, nedum quoad rem oblatam, & offerentem; sed etiam ex vnitate sacrificationis vt constat ex illis verbis cap. 7. Ad Hebr. *Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes primò pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel seipsum offerendo*: Ergo ex perfectione oblationis, seu sacrificationis, qua seipsum obtulit, excludit multiplicationẽ actionis sacrificandi. Resp. Excludere multiplicationem actionis sacrificatiuæ, quæ non pertineat ad sacrificationem in Cruce, & non sit aliquo pacto eadem cum ipsa. Cum enim sacrificium nouæ Legis sit institutum ad commemorandum sacrificium Crucis, vt notat D. Ioann. Chrysost. *hom.* 17. *in Epist. ad Hebr.* censetur idem sacrificium cum sacrificio Crucis nedum quia est eadem res oblata, & idem principalis offerens, sed etiam, quia licèt sit diuersa actio physica, est tamen eadem moraliter, quatenus est repræsentatio sacrificij Crucis etiam in actione sacrificandi: & ideò Apostolus sub sacrificio Crucis, comprehendit etiam sacrificium commemoratiuum ipsius. 4

QVÆSTIO XXI.

Quando incœperit sacrificium nouæ Legis.

SVMMARIVM.

1. *Christus in vltima cœna obtulit seipsum in sacrificium.*
2. *Christus debuit sacrificare secundum ritum Melchisedech.*
3. *Melchisedech fuit propriè Sacerdos.*
4. *Obtulit verum sacrificium in pane, & vino.*
4. *Melchisedech typus Christi.*
5. *Quomodo fuerit typus.*
6. *Sacrificium Christi debuit esse perfectius sacrificio Melchisedech.*
7. *Verba Christi in vltima cœna explicant oblationem sacrificij.*
8. *Et quod tunc perageretur.*
9. *Christus in vltima cœna se dedit discipulis per modum hostia imolata.*
10. *Idem potest esse sacramentum, testamentum, & simul etiam sacrificium.*
10. *Nil possumus Deo offerre, quod ab ipso non accepimus.*
11. *Sacrificium vltima cœna cur non præcesserit redemptionem.*
12. *Sacrificium vltima cœna quomodo commemoratiuum sacrificij Crucis.*
13. *Quomodo etiam applicatiuum sacrificij Crucis.*
14. *Christus in vltima cœna quomodo significauerit, se offerre sacrificium.*

1 IN Concilio Tridentino nonnulli conati sunt defendere, Christum in cœna non obtulisse proprium sacrificium: aut saltem non fuisse propitiatorium. Quod tamen reiectum fuit à Concilio, & Propterea *sess. 21. cap. 1.* definiuit, *Christum in vltima cœna obtulisse in sacrificium corpus suum sub speciebus panis, & sanguinem sub speciebus vini.* Vnde id est tenendum tanquam certum de Fide contra Hæreticos nostri temporis. Quod etiam tradunt communiter Patres Irenæus *lib. 4. cap. 32.* Ambros. *in Psalm. 38.* Cyprian. *lib. 2. Epist. 3.* Nyssen. *Orat. 1. de Resurrect.* Chrysost. *hom. 24. in 1. Ad Corinth.* & *Hom. 2. in Epist. 2.* August. *Concione 2. in Psalm 33.* & *Epist. 5. ad Marcellin.* & *De Ciuitat. Dei. lib. 17. cap. 20.* & *lib. 20. contra Faust. cap. 21.* Leo Papa *serm. 7. de Possessione.* Rupert. *lib. 2. in Exod. cap. 6.* & alij apud Corcium *tom. 2. Thesauri. lib. 6. art. 5.* & Parrel. *lib. 1. Liturgiun. Prophet. 1.*

2 Prob. Christus fuit Sacerdus secundum ordinem Melchisedech, in Psalm. 109. *Tu es Sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Et ad Hebr. 7. idem explicatur de Christo: Ergo debuit aliquando sacrificare iuxta ordinem, & ritum Melchisedech in pane, & vino, nam Melchisedech. *Genes. 14.* Sacrificium in pane, & vino. Hoc autem Christus fecit in vltima cœna cum Apostolis, quando sub speciebus panis, & vini se tradidit Discipulis tanquam victimam immolatam & hoc argumento nititur Concil. Trident. dicto *cap. 1. sess. 21.*

3 Resp. Hæretici. Melchisedech non fuisse Sacerdotem, sed tantum Principem, quia vox Hebræa correspondens voci *Sacerdos.* Significat sattrapam, seu principem. Contra, quia vox illa Hebræa, licèt aliquando significet Principem, regulariter tamen significat Sacerdotem. Deinde iam textus dixerat, quod erat Rex, dum dixit: *Rex Salem*, vnde cum subdat, quod erat Sacerdos, oportet, quod intelligat de Sacerdote propriè dicto. Secundò dum hæc figura in Epist. ad Hebræos explicatur de Christo, explicatur etiam de proprio Sacerdotio. Tertiò. Textus habet, *Erat enim Sacerdos Altissimi:* Malè autem diceretur Sattrapa, aut Princeps Altissimi. Quartò. Christus fuit propriè Sacerdos, vnde non posset dici Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Quintò. Septuaginta Interpretes intellexerunt de Sacerdote propriè dicto, nam verterunt per vocem ἱερεὺς, quæ significat apud Græcos Sacerdotem propriè dictum.

Resp. 2. Melchisedech tunc non sacrificasse, sed tantum protulisse panem, & vinum, quo reficerentur Abraham, & milites, nam scriptura solum dicit, quod protulerit panem, & vinum, non autem quod sacrificauerit. Imò neque in Epistola ad Hebr. Vbi declaratur typus Christi, non traditur modus, quo sacrificauerit, nec dicitur, quod obtulerit, sed quod protulerit. Contra. Quia proferre significat etiam offerre. Vt in lib. Iud. *cap. 6. ver. 18. & 19.* vbi in Hebræo est eadem vox, quæ in illo *cap. 14.* Genes. Secundò. Textus assignans rationem, cur protulerit panem & vinum ait. *Erat enim Sacerdos Altissimi.* Significans, quod ad ipsum, quia erat Sacerdos, pertinebat sacrificare. Nec obstat, quod in Hebræo loco dictionis, *enim*, sit littera Vau, quæ habet vim copulæ, sed etiam dictionis causalis, ita vt modo pro copula, pro causali sumatur. Imò si sumeretur pro, Et, haberet adhuc enim causalis, & redderet rationem, cur protulerit panem, & vinum; dum subdit, *Et erat Sacerdos Altissimi*, per hæc verba declarat, quod proferendo panem, & vinum, se expressit vt Sacerdotem, nam si voluisset tantum exprimere dignitatem, expressisset, quod esset Sacerdos, quando dixit, quod erat Rex Salem. Tertio. Cum Melchisedech vt Sacerdos fuerit typus Christi debuit sacra Scriptura explicare sacrificium ipsius in quo fuit typus: non explicat autem aliquod aliud sacrificium. Quod autem in Epist. ad Hebr. non explicetur modus sacrificij Melchisedech, nihil obstat, quia sufficit quod fuerit in Genesi explicatum sacrificium, nec inseruiebat intentioni Apostoli, qui tantùm intendebat declarare Sacerdotium, & sacrificia veteris Legis cessasse, quia adueniebat Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. 4

Resp. 3. Christum non fuisse typum ratione alicuius sacrificij, sed ratione nominis, quod significat regem iustitiæ, & quia fuit *Rex Salem*, hoc est Rex panis, qualis fuit Christus; & quia fuit simul Rex, & Sacerdos secundum ordinem Melchisedech: Ergo Melchisedech fuit typus Christi, quatenus Sacerdos sacrificans, non esse Sacerdos secundum ordinem, dicit esse Sacerdotem iuxta ordinem seruatum in sacrificando. Secundò. Non potest Melchisedech esse typus, quatenus Sacerdos, nisi in ordine ad sacrificium, cum Sacerdotium dicat ordinem ad sacrificium; fuit autem quatenus Sacerdos, nam Christus fuit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. 5

Resp. 4. Ex hoc solum sequi, quod Christus debuerit tantum offerre panem, & vinum, sicut obtulit Melchisedech. Contra. Quia debuit offerre panem, & vinum, non in figura, sed in esse figurato. Sicut enim sacrificium Melchisedech fuit figura sacrificij Christi, ita etiam res oblata fuit figura rei offerendæ à Christo. Res autem figurata in pane, & vino, oblato à Melchisedech erat corpus, & sanguis Christi sub speciebus panis & vini, seu quatenus cibus, & potus spiritualis. 6

Confirmat. Ex verbis Christi, quibus declarauit, quid esset, quod daret, quando Discipulis porrexit panem, & vinum. Nempe. *Hoc est corpus meum, quod pro nobis datur.* Et apud Lucam. *Quod pro nobis frangitur.* Vbi notandum est, quod dicit *pro nobis*, & non *vobis*, & addidit, *In remissionem peccatorum.* Et idem etiam 7

etiam dixit de Calice, nempe, *Qui pro vobis fundetur in remissionem peccatorum.* Vnde sic arguitur. In vltima cœna Christus dedit corpus suum, & Sanguinem in remissionem peccatorum pro Discipulis, & cæteris: Ergo obtulit sacrificium. Conseq. prob. Verba *dare*, & *tradere*, & *fundere in remissionem peccatorum*, imputant sacrificium ratione subiectæ materiæ, cum dicuntur de aliquo sensibili permanenti, quod cum sui immutatione offertur Deo in remissionem peccatorum, quod est sacrificium propitiatorium. Vnde etiam sacrificium Crucis significatur his verbis. Ad Rom.8. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ad Tit.2. *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret.* Ad Galat.1. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.* & cap. 2. *Et tradidit sacrificium pro me*: Ergo cùm tunc de præsenti corpus Christi daretur, & eius sanguis funderetur in remissionem peccatorum, fuit oblatum sacrificium verum, & proprium.

8 Resp. Hæretici. Intelligi de datione, fractione, & effusione, quæ interuenerunt in passione, & præsertim in Cruce. Contra. Christus protulit illa verba de suo corpore, & sanguine, prout tunc dabatur discipulis sub speciebus panis, & vini: Ergo debent intelligi de illa actione quam tunc exercebat; non auté de passione præsertim cum verba sint prolata in tempore præsenti, debent de præsenti significare. Nec obstat, quod in canone Missæ dicatur, *Effundetur*, quia Ecclesia hoc facit propter aliquod mysterium; vt autem videamus quid tunc Christus fecerit, debemus attendere ad verba ab ipso prolata. Secundò. In cœna Christus dedit discipulis seorsim corpus, & seorsim sanguinem: Ergo illa verba non sunt accipienda in ordine ad passionem, sed ad illam præsentem actionem, nam ideo Christus dedit seorsim sanguinem discipulis, vt declararet, quod tunc fundebatur in remissionem peccatorum. Tertiò. Verbum funditur apud Lucam 22. non dicitur de sanguine, sed de calice, nam ita habet, *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur*, quod magis constat ex textu Græco ŧ τοτὸ ποτήριον εκχ μνομένον. In passione autem non fuit effusus. Quartò. Verbum frangitur non potest verificari in passione, siue ratione tristitiæ, siue ratione lacerationis carnis, nam dicitur tantum de solidis, & duris, & ideo solum verificari potest de corpore Christi, vt erat tunc sub speciebus panis, nam panis propriè dicitur frangi.

9 Confir. 2. Christus exhibuit in cœna discipulis seorsim corpus suum, & seorsim sanguinem sub speciebus panis, & vini: Ergo per modum rei sacrificatæ, vt declararet tunc obtulisse seipsum in sacrificium. Conseq. prob. Tum quia sanguis & corpus seorsim exhibent speciem occisi, voluit autem Christus se repræsentare occisum, vt intelligeremus obtulisse se in sacrificium. Tum quia voluit repræsentare carnem vt aptam ad cibum, & sanguinem ad potum, atque adeo vt quid immolatum, ita vt comedendo, & bibendo participarent de sacrificio. Ita arguit D.Gregorius Nyssenus *orat. 1. de resurrect.*

10 Objicit Lutherus. Cœna Domini est sacramentum, & testamentum. *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*: Ergo non potest esse sacrificium, quia sacrificij ratio pugnat cum ratione sacramenti, & testamenti, quia in sacrificio nos Deo aliquid offerimus, & in sacramento aliquid datur nobis; & testamentum continet promissionem hæreditatis. Sacramentum, & testamentum fide accipitur: sacrificium ex fide procedit, nec per testamentum hæres aliquid dat testatori, sed contra ab ipso accipit. Resp. neg. conseq. Ad prob. Non pugnare, quod eadem actio sit simul testamentum, sacramentum, & etiam sacrificium. Christus enim potuit se dare in sacramentum pro nobis, & etiam in testamentum, ita vt, quod daret in testamento, esset illud idem sacramentum, quod peragebat; & etiam potuit se dare Patri in sacrificium pro nobis; vnde semper dans est Christus, donata eius homo acceptans, & ratificans donationem Deus. In Missa autem ordinaria, in qua Sacerdos offert sacrificium Deo, adhoc dans principalis est Christus, qui est principalis offerens cum Sacerdos offerat tantum in persona Christi, & nomine ipsius, accipiens autem est Deus, qui acceptat sacrificium, qua acceptatione facta, homo accipit de sacrificio, tanquam de ipso participans, sicut etiam in veteri lege Sacerdotes, & cæteri participabant de rebus oblatis. Quod autem participatur, est sacramentum, nam in ipsa actione sacrificandi res oblata fit sacramentum. Nec repugnat, quod offeramus Deo, quod ab ipso accipimus. imò nil possumus offerre, quod non acceperimus, iuxtà illud 1. Paralipom. cap. 29. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Vnde possumus etiam quod accipimus à Deo, statim dare ipsi, & quod damus, etiam reaccipere sanctificatum. Sic in veteri testamento, quod dabant sacrificantes, reaccipiebant legaliter sanctificatum, in sacrificiis, de quibus participabant.

11 Objiciunt 2. Si Christus in vltima cœna obtulisset sacrificium, consumeret nostram redemptionem, quia abundè satisfecisset Deo pro nobis; nam tale sacrificium fuisset infiniti valoris, & fructus, & ideo satisfecisset pro omnibus peccatis, etiam futuris, quod tamen est falsum, nam sua morte consumauit redemptionem. Resp. neg. sequel. Nam idem argumentum fieri posset de quolibet opere Christi, quia quodlibet opus erat valoris infiniti, cum esset opus personæ infinitæ, & infinitè Deo gratæ. Non consumauit autem redemptionem illo sacrificio, neque alio opere, sed sola morte, quia sola mors fuit ordinata, & acceptata pro satisfactione generis humani. Vnde nec pretium nostræ redemptionis fuit bis exactum à Deo, sed tantum semel, quia opus mortis susceptæ fuit tale pretium.

12 Objiciunt 3. Si Christus obtulisset sacrificium, fuisset commemoratiuum suæ passionis, quia fuisset eiusdem rationis cum eo, quod offertur in Missa. Non potuit autem esse commemoratiuum, quia nondum passio extiterat. Resp.neg.min. Nam commemoratio, & repræsentatio non solum potest esse rei præteritæ, sed etiam futuræ: vnde illud sacrificium vltimæ cœnæ fuit repræsentatiuum, & commemoratiuum sacrificij crucis, vt futuri. Sicut etiam agnus, quem immolauerunt Hebræi; qui fuit proprium sacrificium, fuit sacrificium commemoratiuum transitus Domini interficientis Ægyptios, qui nondum extiterat, sed erat futurus, vt desumitur ex tex. Exod. 12. Neque fit, quod sacrificium Missæ non sit idem cum sacrificio vltimæ cœnæ, nam quod vnum repræsentet sacrificium crucis futurum, & alterum præteritum, non ponit diuersitatem, quia vnitas habetur ratione repræsentationis eiusdem sacrificij, non autem ratione eiusdem temporis: seu potius determinationis eiusdem, nam vtrumque repræsentat etiam idem tempus, nempe illud, in quo fuit sacrificium Crucis, quod respectu Crucis est futurum, & respectu alterius est præteritum.

13 Obiiciunt 4. Si Christus tunc obtulisset sacrificium, fuisset applicatiuum sacrificij Crucis, sicut etiam est sacrificium Missæ. Non potuit autem esse applicatiuum, quia nondum erat oblatum. Resp. neg. min. Quia sicut sacrificium Crucis applicabatur iustis omnibus ab initio mundi post peccatum Adæ, cuius virtute iustificabantur, ita etiam potuit applicari per sacrificium vltimæ cœnæ. Et ratio est, quia hæc applicatio non est applicatio physica, quæ requirat

existen

existentiam rei applicatæ: sed est tantum moralis, quæ in eo consistit, quòd in aliquo repræsentetur res applicanda, & præsentetur Deo pro eo, cui applicatur, pro quo sufficit, quod sit in præcognitione Dei, & moueat ipsum ad aliquid agendum: vt autem aliquid moueat agens finali modo, non requirit existentiam realem, sed sufficit intentionalis in cognitione, vt constat in causa finali.

14 Obiiciunt 5. In verbis Euangelij non habetur, quod Christus obtulerit sacrificium: ergo nec nos dicere debemus. Resp. Aliud esse, quod Christus dixerit, se offerre sacrificium, & aliud, quod obtulerit. Neque enim ex eo, quod non dixerit, licet inferre, quod non obtulerit, sed sufficere quod exercuerit illam actionem, quæ sit sacrificium. Quod autem exercuerit, constat ex dictis. Imò etiam significauit Christus exercito modo, quod offerret sacrificium, dum dixit, quod pro vobis datur, frangitur, funditur in remissionem peccatorum: nam eò ipso, quod corpus, & sanguis Christi pro discipulis offerebatur in remissionem peccatorum, exprimebatur sacrificium.

QVÆSTIO XXII.

An in Missa offeratur proprium sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *In Missa offertur verum, & proprium sacrificium.*
2. *Concilia id tradunt.*
3. *Concordant Patres.*
4. *Actio sacrificatiua instituta à Christo, exercetur in Missa.*
5. *Sacrificium Missæ traditur ab Apostolo.*
6. *Mensa Dæmoniorum quænam sit.*
7. *Quid sit esse participem mensæ Domini.*
8. *Commemoratio, & repræsentatio quando sit res commemorata & repræsentata.*
9. *Manducatio, & potatio versantur circa corpus, & sanguinem Christi.*
10. *Destructio victimæ pro sacrificio, quando fiat.*
11. *Sacrificium Missæ partim idem partim diuersum à sacrificio Crucis.*
11. *Sacrificium Crucis quomodo non possit iterari.*
12. *Lex euangelica non potuit carere sacrificio.*

1 HÆretici, de quibus in superioribus, sicut negant in vniuersùm sacrificium in Ecclesia, ita etiam negant offerri in Missa proprium sacrificium. De fide tamen est. *In Missa offerri verum, & proprium sacrificium.* Hanc veritatem latè defendunt Doctores integris voluminibus, quos supra . . . . adduxi pro existentia sacrificij in vniuersum in noua lege, & ex Recentioribus Scholasticis confirmant Bellarm. *lib. 1. de sacrific. Miss. cap. 6. & sequentib.* Suarez *disp. 74. de Eucharist. sect. 2.* Tanner. *tom. 4. sum. disp. 5. quæst. 9. dub. 1. num. 11. & sequent.* Vasquez *3. part. disp. 221. cap. 31.* Granad. *controuer. 6. tract. 14. disp. 1. sect. 2.* Isambert. *disp. 2. de sacrific. Miss. art. 7. & 8.* Nugn. *quæst. 83. art. 1. part. 2. dub. 1.* Chellison. *dub. item 1. dicto 2.* Mercer. *proposit. 2.* Putean. *dub. 3.* Syluius *quæsito 1. conclus. 2.* Præposit. *dub. 3.* Conioch *dub. item 3. num. 48.* Maurat. *disp. 36. de Euchar. sect. 2.* Baronius *tom. 1. Theol. moral. tract. 6. quæst. 3.* Hurtad. *de Sacram. disp. 1. de sacrific. Missæ, difficul. 2.* Carpens. *part. 2. Curs. Theol. tract. 23. disp. 1. sect. 1.* Lugo *de Eucharist. disp. 19. sect. 2.* Martin. *disp. 38. sect. 3.* Auersa *quæst. 11. sect. 1.* Amicus *tom. 2. Curs. Theol. disp. 33. sect. 1.* Gabr. à S. Vincent. *de Sacram. disp. 1. de sacrific. Miss. quæst. 3. ver. Nostra sententia.*

Idem quoque desumitur ex Concil. Nicæno *can. 14.* 2
Ephesino *in epist. ad Nestor.* Tolet. 1. *cap. 9.* Bracharensi III. *cap. 1. & 2.* Altisiodoren. *cap. 8.* Laodiceno *cap. 19. & 58.* Lateranen. relato *in cap. Firmiter, de sum. Trinit.* Constantien. *in Bulla Martini V.* Florent. *in Decreto fidei*: & nouissimè id definiuit contra hæreticos nostris temporis Concil. Trident. *sess. 22. can. 1. de Eucharist.* ibi. *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, & proprium sacrificium; aut quod offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.*

Idem etiam tradunt communiter Patres. Andræas 3
Apostol. *in Actis eius martyrij scriptis à Diaconis Achaiæ,* ibi: *Omnipotenti Deo, qui vnus, & verus est, ego omni die sacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum quotidie in altari Crucis sacrifico. Cuius carnes postquam omnis populus credentium manducauerit, & eius sanguinem biberit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseuerat, & viuus: & cum verè sacrificatus sit, &c.* Dionys. *cap. 3. de Eccles. Hierar.* Iustin. Martyr *Dial. cum Triphone.* Cyril. Hierosolimit. *Catech. myst. q. 5.* Chrysost. *homil. 24. in epist. 1. ad Corinth.* & *homil. 61. ad popul.* Ambros. *epist. 33. ad Marcel. soror.* & *lib. 1. Offic. cap. 41.* August. *lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 10.* Hieronym. *lib. 3. contra Pelag. cap. 5.* Cyprian. *lib. 2. epist. 3. aliàs 63.* Irenæus *lib. 4. contra hæres. cap. 32.* Cyril. Alexandr. *anathemat. 11.* Tertull. *lib. ad Scap. cap. 2.* Clemens Roman. *lib. 6. constit. cap. 23.* Damascen. *lib. 4. de fide, cap. 14.* Martin. Papa *epist. ad Burdegulens.* Anaclet. Papa *epist. 2. cap. 1. & 2.* Alexand. I. *epist. 1.* Siricio Papa *epist. ad Himer. cap. 7.* Innocent. I. *epist. 3. ad Exuperant.* Leone Papa *epist. 82. cap. 2.* & plures alij passim à Patribus referuntur. Quibus accedit traditio vniuersalis Ecclesiæ, quæ semper à sui initio vsque nunc tenuit, quod in Missa offeratur verum, & proprium sacrificium. Et idem etiam habetur in vniuersis Liturgiis incipiendo à Liturgia Iacobi fratris Domini.

Prob. Quando Christus in vltima cœna obtulit se- 4
ipsum in sacrificium Patri, & instituit Eucharistiam, dixit Apostolis 1. ad Corinth. 11. *Hoc facite in meam commemorationem*: Ergo cum in his verbis iusserit discipulos, & eorundem successores exercere illam actionem, quam ipse tunc exercuit, consequenter tradidit ipsis potestatem ad eam exercendam: Ergo cum tunc Christus obtulerit seipsum in sacrificium Patri, tradidit discipulis potestatem offerendi seipsum in sacrificium, vt arguit Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1. de Eucharist.* Ergo cum actio, quam Christus exercuit, exerceatur in Missa, & vtatur Sacerdos iisdem verbis, quibus vsus est Christus, offeretur in ipsa verum, & proprium sacrificium, sicut oblatum fuit à Christo.

Confir. ex Epist. 1. ad Corinth. 10. *Fugite ab idolo-* 5
rum cultura, vt prudentibus loquor: vos ipsi iudicate, quod dico: Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus. Videte Israël secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo dico, quod idolis immolatum sit, aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem, vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. In quibus Apostolus intendens auertere Corinthios ab idololatria, quia habebant aliud sacrificium verum, de quo participarent, & ita arguit. Est impossibile, quod quis participet de sacrificiis idolorum, & de sacrificio oblato vero Deo: Ergo cum sitis participes sacrificij veri Dei, dum

corpus

corpus Domini accipitis sub specie panis, & sanguinem sub specie vini, non debetis participare in sacrificiis Gentilium; & proinde supponit Apostolus, quod consecratio panis, & vini sit proprium sacrificium. Rursus qui participant in sacrificiis dæmoniorum fiunt socij ipsorum, & qui participant in sacrificij Dei, fiunt socij Dei: Ergo nolite immolare dæmoniis, quia cum sitis participes mensæ Domini, non potestis esse participes mensæ dæmoniorum. In quibus opponit mensam Domini, mensæ dæmoniorum, & ideò cum per mensam dæmoniorum intelligat sacrificium, per mensam quoque Domini intelligat sacrificium, quod Deo offertur, ratione cuius habemus societatem cum Deo, sicut sacrificantes demoniis habent societatem cum ipsis.

6 Resp. Hæretici. Per mensam dæmoniorum intelligi communem mensam Gentilium, non autem Altare, quia Gentiles non manducabant ad Altare. Contra. Quia solebant Gentiles discumbere in loco idolorum vbi sacrificabatur, & ibi immolata comedere. 1. Ad Corinth. 8. *Si quis viderit eum, qui habet scientiam, recumbentem in idolio*; hoc est in loco idolorum, & sacrificij. Et hoc prohibet Apostolus non autem conuiuari cum Gentilibus. Imò concedit seclusо scandalo comedere idolatitia in communi mensa Gentilium. Quia in tantum prohibet, in quantum comedere est consentire in sacrificia. Secundò. Communis mensa Gentilium non erat mensa dæmoniorum, quia non erigebatur in honorem ipsorum. Tertiò. Nomine mensæ intelligit Altare in quo immolabatur; nam antea dixerat, *Illi qui edunt hostias participes sunt altaris*: Vnde cum dicit, *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum*, debet intelligere de Altari, quia intelligit de participatione hostiæ dæmonibus immolatæ.* Quartò. Quia Apostolus vult, vt fugiant mensam dæmoniorum, ne communicent Gentilibus in cultu idolorum: Ergo intelligit de illa mensa, quæ continet eorum cultum. Non autem de mensa communi, nam hæc non continebat cultum idolorum.

7 Secundò Resp. Sumentes Eucharistiam participare de sacrificio Crucis: non verò de sacrificio Altaris. Contra: quia vniuersaliter dicit, qui edunt hostias, participes esse Altaris, atq; adeò sacrificij, in quo immolatæ sunt hostiæ: & hinc infert, quod immolantes, seu participantes in sacrificiis dæmoniorum, habent societatem cum ipsis, & nolle, Corinthios fieri socios dæmoniorum, quia non possunt esse participes mensæ Domini, & mensæ demoniorum: Ergo intelligit de sacrificio Altaris, & non de sacrificio Crucis, quia intelligit de sacrificio, de quo comeditur, & bibitur. Secundò. Contra ponit mensam sacrificij idolorum, mensæ Eucharistiæ, & dicit, qui participat de vna, non posse participare de alia comedendo de sacrificio: Ergo intelligit de sacrificio, quod offertur in conficienda Eucharistia, seu in altari Eucharistiæ. Tertiò. Loquitur de mensa, in qua Calix, qui est sanguis Christi, & panis, qui est corpus Domini ministratur: Ergo cum, qui fit particeps huius mensæ, fiat particeps sacrificij, iam in hac mensa offertur sacrificium.

8 Obiiciunt. Hæretici commemoratio, & repræsentatio non est res repræsentata, & commemorata. Missa autem est commemoratio, & repræsentatio sacrificij Crucis, iuxta verba Christi. Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*: & proinde docent Patres, sacrificium Missæ esse exemplar, & commemorationem sacrificij Crucis. Ita Cyprian. *Epist.* 63. Chrysost. *hom.* 17. *in Epist. ad Hebr.* August. *Epist.* 23. *ad Bonifac.* Resp. commemorationem, & repræsentationẽ puras & artificiales nõ esse rem repræsentatam, & cõmemoratam: secus autem si non sunt purè tales, sed repræsentatio naturalis; Missa autem ita est commemoratio sacrificij Crucis, vt etiam sit sacrificium, vt constat ex verbis Christi, dum dicit, *Hoc facite in meam commemorationem*; neque enim dicit facite meam commemorationem, sed *Hoc facite*, nempe facite hoc, quod ego nunc ago; ita tamen vt sit in meam commemorationem. Vnde quod iniunxit faciendum, non erat nuda commemoratio, sed illa ipsa actio Christi secundum suam substantiam, quæ fuit oblatio sacrificij, & ideò sacrificium Missæ ita est sacrificium, vt simul etiam sit commemoratio sacrificij cruenti Crucis. Vnde est idem sacrificium, sed diuerso modo oblatum, cum sacrificio Crucis: & ratione diuersi modi oblationis habet quod repræsentet sacrificium Crucis. Sic Filius est imago patris ipsum repræsentans, & tamen est eiusdem naturæ cum ipso.

Obiiciunt 2. Manducatio, & potatio, quibus corpus Christi, & sanguis dicuntur destrui, recipitur in accidentibus panis, & vini, non autem in corpore ipso, & sanguine: Ergo non interuenit verum sacrificium, quia in sacrificio victima debet in seipsa destrui. Resp. Quod sicuti substantia panis, & vini dicitur manducari, & potari, quamuis potatio, & manducatio sit tantùm immediatè circa accidentia, quatenus est actio sensibilis, quia scilicet versatur etiam circa substantiam, vt stat sub accidentibus. Ita etiam versatur circa corpus, & sanguinem Christi, vt stat sub accidẽtibus panis, & vini; & corpus dicitur manducari, & sanguis potari. Vnde Christus dixit Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* 9

Deinde destructio victimæ quam requirit sacrificium, non consistit in potatione, & manducatione, quia æquiualet hæc participationi hostiæ immolatæ, quæ interueniebat in sacrificiis veteris Legis. Et subsequitur sacrificium; sed debet imbibi in actione sacrificatiua ita vt ipsa sacrificatio sit etiam destructio victimæ. In quo autem consistat hæc destructio in sacrificio Missæ explicabitur infra. 10

Obiiciunt. 3. Si sacrificium Missæ, esset proprium sacrificium, vel esset idem, quod sacrificium Crucis, saltem repetitum, vel diuersum. Non primum quia obstat Apost. Ad Hebr. 9. *Neque necesse est, vt sæpè offerat semetipsum* Et infrà. *Quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium: hic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Vbi notandum, quod exhaurire dicit exercitam remissionem peccatorum. Sacrificium Crucis consistit in reali occisione; sacrificium Missæ in manducatione, & potatione; vnde non possunt esse idem. Non secundum, quia non esset, illud sacrificium, quod in Missa admittunt Catholici. Resp. Sacrificium Missæ esse partim idem, & partim diuersum à sacrificio Crucis. Est idem quoad rem oblatam, & quoad principalem offerentem, qui est Christus. Est verò diuersum quoad modum offerendi. Nam Christus in Cruce se obtulit occidendum physico modo, vnde fuit cruentum sacrificium, quia se obtulit destruendum in propria specie. Neque obstat, quod sacrificium Crucis non possit repeti, quia intelligitur quoad satisfaciendum pro genere humano, nam sacrificium Crucis continet pretium superabundans humanæ redemptionis; non autem, quod non possit repeti cum diuerso modo oblationis pro applicando dicto pretio. Exhaurire autem non dicit actualem remissionem, sed tantùm sufficientiam, nam cum dicitur, *Semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*, sensus est, vt multorũ peccata per ipsum exhaurirentur, non immediatè, sed eorum, quibus applicatur, & ideò dicit multorum, non autem omnium, quia non applicatur omnibus. Quod autem sacrificium Crucis consistat in reali occisione, & non sacrificium Missæ, facit solum, quod modus oblationis sit diuer- 11

ſus. Quod autem modus oblationis ſit diuerſus, ſolum facit quod ſacrificium ſit diuerſum ſecundum quid; non autem quoad ſubſtantiam, in quo ſenſu Catholici dicunt eſſe idem.

12 Ex dictis colligitur Legem Euangelicam non eſſe ſine ſacrificio. Cum enim lex Euangelica ſit lex Gratiæ, & omnium perfectiſſima, abſurdum valdè fuiſſet, ſi caruiſſet ſacrificio. Cum enim natura duce homines inducantur ad ſacrificandum, vt proinde omnis lex, ſeu ſecta falſa habuerit ſua ſacrificia, quibus cultum, quem ratio naturalis oſtendit debitum Deo, exhiberet Deo vero, ſiue Diis falſis: non debuit lex Euangelica inſtituta à Chriſto carere ſuo ſacrificio. Nec ſufficit ſacrificium Crucis, quia requiritur ſacrificium ad exhibendum illum cultum Deo, quem quiſque ſpecialiter tenetur exhibere, pro quo non deſeruit ſacrificium Crucis, quia cum ſit iam peractum, non poſſunt in ipſo homines de nouo colere Deum: & ideò fuit neceſſarium aliud ſacrificium.

QVÆSTIO 23.

An ſacrificium Miſſæ à ſolo Chriſto inſtitui potuerit.

SVMMARIVM.

1. *Chriſtus tradidit Diſcipulis ſacrificium, & poteſtatem ad offerendum.*
2. *Ritus ſacrificij eſt inſtitutus ab Eccleſia.*
3. *Suppoſita inſtitutione Euchariſtia an Eccleſia potuerit adhibere in ſacrificium.*
4. *Euchariſtia eſt opus diuina virtutis excedens facultatem creatam.*
5. *Modus, quo ſit Euchariſtia eſt eſſentialiter ſacrificatio.*
5. *Eſt Miſſa repræſentatio ſacrificij Crucis.*
6. *Si Euchariſtia confectio non eſſet ſacrificium, Eccleſia non poſſet inſtituere in ſacrificium.*
7. *Res oblata in ſacrificio debet eſſe apta, vt ſit ſub dominio offerentis.*
8. *Actio Baptizandi an poſſit ordinari in ſacrificium.*

1 SVpponendum eſt tanquam certum de Fide. Sacrificium Miſſæ inſtitutum fuiſſe à Chriſto in vltima dum ſeipſum Patri obtulit in ſacrificium ſub ſpeciebus panis, & vini; nam cum tunc iuſſerit Apoſtolos facere, quod ipſe fecit, tradidit ipſis ſacrificium offerendum, & ſimul etiam poteſtatem offerendi, vt definit Concil. Trid. *ſeſſ.*27.*cap.*1. & *can.*2. Vnde ſolum difficultas eſt, an ſi Chriſtus non inſtituiſſet hoc ſacrificium, potuiſſet inſtitui ab Eccleſia.

2 Quia autem in ſacrificio Miſſæ conſideratur ſubſtantia ſacrificij, & ritus, cum quo offeratur. Certum eſt, ritum nedum potuiſſe inſtitui ab Eccleſia, ſed etiam de facto fuiſſe inſtitutum; vnde etiam varius eſt iuxta diuerſas Eccleſias, vt habet Concil. Trid. *ſeſſ.* 22.*c.*5 *de ſacrific. Miſſæ.* Qui quidem ritus ex Apoſtolica conditione originem duxit, nam ipſi Apoſtoli aliquem ritum ſolemnem pro hoc ſacrificio inſtituerunt, & ordinatur ad maieſtatem ſacrificij declarandam. Solum ergo dubitatur de ſacrificio quoad ſubſtantiam.

3 Suarez *diſp.*74.*de Euchar. ſect.*3.*ver. Sed quæret aliquis*, Lugo Card. *diſp.*19.*ſect.*2.*n.*132. Mærat. *tom.*3. *cum diſp.*33. *de Euchar. ſect.*7. *in fine.* docent, quod ſuppoſita inſtitutione Euchariſtiæ potuiſſet illam ordinare in ſacrificium, ſi Chriſtus non prohibuiſſet, quia eſt actio apta, & decens pro ſacrificio, & Eccleſia habet poteſtatem inſtituendi ſacrificia in qualibet actione proportionata: vnde potuiſſet inſtituere hoc myſterium ſub ratione holocauſti, & ſacrificij laudis, & impetratorij, & aliquo modo propitiatorij, vel impetrando tantùm, vel etiam aliquam ſatisfactionem applicando per modum indulgentiæ, licèt non propriè, & in rigore ex opere operato. Secus autem non ſuppoſita inſtitutione Euchariſtiæ, quia non habet poteſtatem conficiendi corpus Chriſti, cum talis poteſtas ſit maximè ſupernaturalis.

Et quidem hæc poſterior pars omnino certa eſt; 4
nam confectio Euchariſtiæ inuoluit replicationem corporis, quæ eſt opus, quod non poteſt fieri, niſi diuina virtute; & ideo non poteſt confici Euchariſtia, niſi Deus ſe obliget ad ponendum corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis; & ſanguinem ſub ſpeciebus vini. Rurſus in confectione Euchariſtiæ ſubſtantia tota panis, & vini conuertitur in corpus, & ſanguinem Chriſti remanentibus accidentibus; quod quidem opus requirit virtutem diuinam, & ideo non poteſt ſecluſa inſtitutione diuina conuenire Eccleſiæ præſertim quia Eccleſiæ conuenit tantum poteſtas moralis; non autem aliqua poteſtas phyſica circa corpora.

Rurſus ſuppoſita inſtitutione Euchariſtiæ, non ha- 5
bet locum ordinatio ipſius in ſacrificium, ſiquidem ex vi modi, quo conficitur, eſt eſſentialiter ſacrificium, & ideò non poteſt ſuperuenire inſtitutio, per quam de nouo fiat ſacrificium. Ratio eſt. Quia modus, quo fit Euchariſtia, eſt conſecratio per quam corpus Chriſti ponitur ſub ſpeciebus panis, & ſanguis ſub ſpeciebus vini. Hæc autẽ conſecratio eſt eſſẽtialiter ſacrificatio, vt tradit etiam ipſe Suarez *diſp.* 75. *ſect.* 4. ver. *Dico tamen.* Quia nimirum per ipſam exercetur illa actio, quam Chriſtus exercuit in vltima cœna, quando ſe in ſacrificium obtulit patri ſub ſpeciebus panis, & vini, vt habet Concil. Trid. *ſeſſ.*22.*c.*1. Vnde etiam Chriſtus Diſcipulis dixit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Deinde confectio Euchariſtiæ eſt realis & viua repræſentatio Paſſionis Chriſti, & ſacrificij Crucis, cum corpus & ſanguis ſeorſim ponantur ſub ſpeciebus: & ideò ex ſui natura eſt ſacrificium, quia in tantùm de facto eſt ſacrificium, in quantum eſt talis repræſentatio: & proinde non poteſt ipſi ſuperuenire alia inſtitutio, ratione cuius acquirat rationem ſacrificij.

Denique ſuppoſito, quod confectio Euchariſtiæ 6
ex natura ſua non eſſet ſacrificium, Eccleſia non haberet poteſtatem inſtituendi ipſam vt ſacrificium. Ratio eſt. Quia ſacrificium eſſentialiter includit oblationem victimæ, nam oblatio victimæ eſt fundamentum ſignificationis ſacrificij. Eccleſia autem, quamuis haberet poteſtatem conficiendi Euchariſtiam, & diſtribuendi fidelibus, non haberet tamen poteſtatem offerendi in ſacrificium corpus, & ſanguinem Chriſti: quia poteſtas quam haberet eſſet limitata ad conficiendum, & diſtribuendum corpus Chriſti poteſtas autem offerendi eſt diuerſa, & vna conceſſa non cenſetur conceſſa altera.

Confirm. Poteſtas offerendi rem aliquam in ſacrifi- 7
cium ſupponit, quod res oblata, aut ſit ſub dominio offerentis; aut ſaltem ex natura rei poſſit eſſe, vt cum res aliena offertur: quia cum oblatio dicat diſponere ad libitum de re oblata, requirit, quod res oblata ſit apta ex natura ſua, vt poſſit homo ad libitum de ipſa diſponere, atque adeò quod poſſit eſſe ſub eius dominio. Vnde non poteſt quis ſeipſum in ſacrificium offerre; quia non habet dominium propriæ vitæ, nec ex natura rei poteſt habere. Chriſtus autem nec eſt ſub dominio Eccleſiæ, nec ex natura rei aptus eſt eſſe. Tum quia eſt caput eiuſdem Eccleſiæ. Tum quia eſt perſona diuina, tum quia non ordinatur ad vſum hominum.

8 Confir.2. Actio baptizandi esset apta, vt ordinaretur in sacrificium, non secus ac erat effusio vini, quia per oblationem consumitur aqua, & est actio sacra, & Deo accepta, & tamen non posset ab Ecclesia ordinari, vt esset sacrificium, quia nimirum sacramenta non sunt sub dominio Ecclesiæ, sed tantum sub vsu, itavt solum possit vti in eum finem, in quem instituta sunt à Christo: Ergo ob eamdem rationem, si confectio Eucharistiæ non esset sacrificium, non posset Ecclesia instituere, quod esset, quia adhuc esset sacramentum, cuius tantum vsum haberet, non dominium.

QVÆSTIO 24.

An præter sacrificium Missæ sit, vel possit esse in Ecclesia aliud sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *In Ecclesia nullum sacrificium præter sacrificium Missæ.*
2. *Sacrificium Crucis est sufficientissimum pro obtinendis omnibus beneficijs.*
3. *Sacrificium Missæ continet eminenter omnia sacrificia.*
4. *Oblatio Cerei Paschalis non est sacrificium.*
5. *Ecclesia non habet facultatẽ instituendi sacrificia.*
6. *Omnis potestas Ecclesiæ est à Christo.*
6. *Quam potestatem habeat Pontifex in Ecclesia.*
7. *Cur modo homines non possint instituere sacrificia.*
8. *Potestas instituendi sacrificia est reseruata Christo.*
8. *Vbi superior manus apponit non potest inferior se ingerere.*
9. *Oblatio Cerei Paschalis cur non sit sacrificium.*
10. *Sacrificium non potest modo institui à priuata persona in ordine ad priuatum cultum.*

1 SVpponendum tanquam certum. In Ecclesia de facto nullum aliud esse sacrificium, præter sacrificium Missæ, vt supponunt Concilia præsertim Tridentinum *sess.*22. communiter PP. & Doctores cum D.Thom. 2. 2. *quæst.* 85. *per totam*, & *in* 4. *dist.* 12. *&* 13. Et specialiter Suarez *disp.*74.*de Euchar.sect.*4. ver. *In hac re.* Vasquez 3.*part. disp.*223. *cap.*6. Præposit. *quæst.*83.*art.*1. *dub.*4. *num.*25. Vnde D.August. *lib.*8.*de Ciuit.Dei, cap.vlt.* habet. Vnum esse tantum sacrificium Christianorum: & *de spiritu, & littera, cap.*11. Sacrificium Christianorum esse vnicum, & singulare: & rursus, *lib.*20. *de Ciuit. cap.* 21. habet: *Sacrificamus Deo, illo dumtaxat ritu, quo sibi sacrificari noui testamenti manifestatione præcepit.*

2 Ratio autem desumi potest ex iis, quæ habet Apostol.*ad Hebr.cap.*7. Sacrificium Crucis fuit perfectissimum, & sufficientissimum ad sanctificandum, sanctificatione perfecta, atque adeo ad perducendos homines ad gloriam, vbi habetur consummatio sanctificationis; & consequenter ad obtinenda omnia alia beneficia à Deo, quia sicuti homo dirigitur ad vltimum finem, ita & omnia beneficia, quæ ipsi conferuntur, sicut in ordine ad eumdem finem, & fuerunt ex vi sacrificij Crucis, quo fuit obtentus finis: ergo sufficit sacrificium Missæ, nec fuit necessarium aliud sacrificium, quia cum sit applicatiuum sacrificij Crucis, vt habet Concil. Trident. *sess.*22. *cap.* 1. Potest nobis obtinere in virtute sacrificij Crucis, quicquid per ipsum in habitu Christus nobis obtinuit: vnde quodcumque aliud sacrificium esset superfluum.

3 Accedit etiam, quod sacrificium Crucis tanquam omnium eminentissimum, cum in ipso offeratur Christus, qui est res infiniti valoris, & principalis offerens sit idem quoque Christus, qui tanquam infinita persona, & summè digna summè dignificat suas operationes, continet eminenter omnia sacrificia, vt habet Leo Papa *serm.*8.*de Passione*, ibi: *Omnes differentias hostiarum vna corporis, & sanguinis sui implet oblatio*; & ideo tanquam intenta in isto eminenter essent superflua, & consequenter non debuerunt instituti.

Quod etiam constat ex praxi, siquidem in Ecclesia nullum aliud agnoscitur sacrificium: & dum Ecclesia præcipit cultum Dei per sacrificium, ad hoc solum obligat. Nec obstat, quod quædam oblationes dicantur sacrificium, vt dum à D.Gregor.Papa oblatio incensi cum Cereo Paschali in eius benedictione dicitur sacrificium. *Suscipe sancte Pater incensi huius sacrificium conspectiuum*, nam dicuntur sacrificium impropriè, quatenus quidquid Deo offertur, præsertim solemniter, vocatur sacrificium. Solum ergo difficultas est an in Ecclesia sit potestas offerendi, seu instituendi aliud sacrificium à sacrificio Missæ. 4

Dicendum est. *Ecclesiam non habere facultatem instituendi sacrificium.* Ita Suarez *disp.*74. *de Euchar. sect.*4.ver.*Hinc addo.* Vasquez *disp.*223.*cap.*6.Io.Lugo *disp.*19.*n.*35. Coninch.*de sacram.quæst.*83.*art.*1.*n.*14. Lessius *lib.*2.*de iust. & iure, cap.*38.*n.*27. Præposit. 3. *par.q.*83.*art.*1.*dub.*4.*n.*25.ver.*Quamuis.* Mærat.*tom.*3. *disp.*36.*de Euchar.sect.*8.ver. *Respondeo tertiò.* Francis. Lugo *de sacram. lib.*5. *cap.*1. *quæst.*5. *num*9. & alij. 5

Ratio autem est. Quia cum Christus sit caput Ecclesiæ, & proinde omnis potestas sit penes ipsum, non potest Ecclesiæ conuenire aliqua potestas, quæ non sit deriuata à Christo. Non constat autem, quod tradiderit Ecclesiæ potestatem instituendi sacrificia. Confir. Ecclesia regitur à summo Pontifice, vt à supremo capite visibili gerenti in terris vices Christi. Ipse autem, & consequenter Ecclesia non habet potestatem instituendi sacrificia; nam habet solum potestatem in Ecclesia vt Vicarius Christi, & ideo secundum mensuram, cum qua est illi data à Christo. Non constat autem ex Scripturis, aut traditione, quod sit data potestas instituendi sacrificia. 6

Dices. Hanc potestatem conuenire Ecclesiæ, aut hominibus ex natura rei, quia eo ipso, quod possunt, & debent offerre sacrificium Deo, habent etiam potestatem instituendi. Contra. Tunc haberent potestatem offerendi sacrificium, si essent in statu puræ naturæ, nam tunc solum deberent colere Deum cultu naturali vt auctorem naturæ. At modo sunt eleuati ad statum supernaturalem, & tenentur colere Deum cultu supernaturali, ordinato ad significandum debitum hominis erga Deum in ordine supernaturali, & ad se promouendum ad supernaturalem finem. Et ideo cum ordo rerum supernaturalis non sit sub dispositione humana ex natura rei, sed etiam est modo sub ipsa instituere sacrificium. 7

Confir. principaliter. Christus de facto instituit Ecclesiam ponendo leges fundamentales ipsius, ordinando sacramenta; præscribendo sacrificium sibi offerendum sufficientissimum pro omnibus effectibus, pro quibus ordinari possent omnia alia sacrificia: Ergo cum sacrificium sit vnum ex principalibus fundamentis cuiuscunque legis, dum Christus instituit sacrificium, & omnia alia fundamentalia legis nouæ, signum est quod sibi reseruauerit hanc potestatem. Præsertim, quia ex natura rei, vbi superior manum apponit, non potest inferior se ingerere. Cap. *Vt nostrum, De appellat.* Et tradunt Gonzalez *de mensib.glos.*62. *n.*27. Couaru. *cap.*9. *Practica.n.*4. Valasc. *consult.*105.*n.*63.Innocent.*in cap.Cum. M.Ferrar. de constit.* Bald.*in c.*1.§.*Ad hæc, De pace iuram.firm.* & *in l.sicut proponis* 1.*C.Quomodo, & quan.iud.* Salicet.*ibid.* 8

Imola *in l. Si expressum, ff. de appellat.* Ias. *Concil.9. num.1. lib.3.* Alban. *Concil.73. num.1.* Menoch. *Concil.301. num.4.* Vnde cum Christus manum sppo-suerit institutioni sacrificij, semanet ipsi reseruata, ita vt sit vnum de signis supremæ potestatis, quam habet supra Ecclesiam.

9 Dices. In oblatione Cerei Paschalis concurrunt omnia necessaria ad sacrificium, nam offertur, consecratur, consumitur, nam accenditur, dum consecratur, & in ipsa consectstione pars aliqua illius consumitur: Ergo habet rationem sacrificij. Resp. neg. anteced. Quia deest principale requisitum, nempe, quod assumatur vt signum protestatiuum interioris sacrificij, in quo consistit forma sacrificij, & sine quo non est sacrificium: vnde illa consumptio non determinat oblationem, vt sit sacrificium, quia ipsa non determinatur ab institutione, quod sit signum rationis sacrificij.

10 Ex dictis colligitur. Non posse nedum ab Ecclesia institui aliud sacrificium; sed neque etiam à personis priustis in ordine ad deferendum Deo priuatum cultum. Quia licet sacrificium institutum à Christo sit publicum, & commune; quia tamen est institutum nedum pro communitatè, sed etiam pro singulis, ideo remanet ipsis prohibitum vti aliis sacrificiis priuatis. Et ratio est. Quia homo ratione peccati originalis factus est natura filius iræ, & inimicus Dei, & constitutus sub captiuitste Dæmonis, & factus indignus, quod Deus acceptet cultum sibi ab eo exhibitum. Ratione verò redemptionis liberstur ab hac captiuitate, & reconciliatur Deo: vnde etiam ex redemptione habet, quod Deus acceptet cultum sibi ab ipso exhibitum, & ideo non potest vti alio sacrificio, nisi illo, quod sibi obuenit ex beneficio redemptionis, quia non habet, quod placeat Deo, nisi quod sibi confertur intuitu redemptionis, quæ fuit origo omnium gratiarum diuinarum.

QVÆSTIO 25.

An Gentiles possint modo vero Deo sacrificium offerre.

SVMMARIVM.

1. *Gentiles ignorantes Christum non peccant, si sacrificent vero Deo.*
2. *Quid si habeant notitiam Christi.*
3. *Sacrificium oblatum Deo vero præter sacrificium Missæ, quibus prohibitum.*
4. *Lex Euangelica an afficiat Gentiles.*
4. *Institutio sacrificij Missæ quomodo sit abrogatio aliorum sacrificiorum.*
5. *Christus quomodo abrogarent omnia alia sacrificia.*
6. *Sacrificium Missæ quomodo subrogatum cæteris sacrificiis.*
7. *Catechumeni an possint offerre sacrificium Deo vero.*

1 SVpponendum est tanquam certum, quod Gentiles ignorantes inuincibiliter Christum, non peccant, si offerant vero Deo sacrificium. Nam in hoc sequerentur ductum hominis naturalis dictansis esse Deo sacrificium offerendum: & offerrent sacrificium, quod olim licitum fuerat. Sic etiam tempore legis Mosaicæ, qui non erant de populo Iudaico offerebant sacrifica ab hominibus instituta. Vnde quamuis modo omninò prohibita, excusarentur ratione ignorantiæ. Solum difficultas est, an stante cognitione Christi, posset Gentilis adhuc Deo offerre sacrificium, præsertim si intendat venire ad Ecclesiam Christi, sed inculpabiliter differat.

Præpositus 3. *part. quæst.83. art.1. dub.4. num.28.* 2
asserit, non posse offerre. Primò. Quia Christus instituendo sacrificium Eucharistiæ, non solum Mosaica, sed etiam quæcunque alia sacrificia abrogauit. Secundò. Christus iussit, vnumquemque ingredi Ecclesiam: Ergo ita videtur vnum instituisse sacrificium, vt reliqua abrogauerit. Tertiò. Sacrificium Eucharistiæ est substitutum nedum sacrificiis Mosaicis, sed etiam legis naturæ, vt habet Concil. Trid. *sess.22. cap.1. in fine. Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum natura, & legis tempore similitudines figurabantur, vtpote quæ omnia per illa significata velut illorum omnium consummatio, & perfectio complectitur.* Et neque sacrificia legis naturæ habent amplius locum.

Dicendum est. *Gentiles posse adhuc offerre sacrifi-* 3
cium vero Deo, siue habeant cognitionem Christi, siue non, ita vt quamuis aliundè peccent, non tamen peccent ex eo præcisè, quod offerant sacrificium. Prob. Sacrificium, quod offerunt Gentiles, non est malum ex se, sed solum, quia ratione circunstantiæ temporis est prohibitum: ergo ij tantum peccant, si offerant, quibus prohibetur offerre. Gentilib. autem non prohibetur offerre; tum quia tota prohibitio habetur solum, eò quod est institutum sacrificium Missæ; itavt solum ex vi talis institutionis remaneat prohibitum: ergo iis solum prohibetur, pro quibus est institutum sacrificium Missæ: non autem Gentilibus, pro quibus non est institutum. Tum quia si esset ipsis prohibitum sacrificium, tenerentur ad sacrificium Missæ, quia prohibitio alterius sacrificij consurgit indirectè ex obligatione ad sacrificium Missæ; tum quia in tantum extinguitur ius naturale ad sacrificium, seu etiam debitum, in quantum subrogatur aliud ius, seu debitum altioris sacrificij: Ergo cùm hæc subrogatio non fiat quoad Gentiles, non extinguitur in ipsis ius, seu debitum sacrificij naturalis; tum quia, sacrificium naturale intra terminos legis naturalis est licitum, & saltem recta ratio dictat esse offerendum Deo: ergo quandiu Gentilis remanet intra terminos legis naturæ est illi licitum offerre sacrificium, quia facit aliquid, quod est secundum dictamen nouæ rationis. Remanet autem intra terminos legis naturæ, quandiu fit Christianus. Tum quia leges Ecclesiæ non extenduntur ad eos qui sunt extra gremium ipsius, iuxta illud Apost. 1. ad Corinth.5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare:* Ergo cum prohibitio alterius sacrificij sit prohibitio legis Euangelicæ, non afficiet Gentiles, qui foris sunt.

Ad 1. Resp. Christum instituendo sacrificium 4
Missæ abrogans omnia alia sacrificia, non per se prima, sed consequutiuè ad legem Euangelicam: vnde abrogatio non habet bonum, nisi quatenus subintrat lex Euangelica; & ideo sicuti antequam subintret non habet bonum sacrificium Missæ, ita nec etiam aliorum abrogatio.

Ad 2. Distinguitur consequens, Christus ita in- 5
stituit verum sacrificium, vt reliqua abrogauerit in consequentiam ad institutionem nouæ Ecclesiæ, & nouæ legis Euangelicæ: non autem absolutè. Vnde primò iussit vnumquemque ingredi Ecclesiam, & apposito ingressu aut illo vno sacrificio à se instituto, & à cæteris abstinere: & proinde præceptum de sacrificio non dirigitur absolutè ad omnes, sed solum ad eos, quo sunt ingressi Ecclesiam; atque adeo quamuis peccent ingrediendo, non tamen peccant vtendo sacrificiis alias licitis.

Ad 3. Sacrificium Missæ esse subrogatum Mosaïcis, 6
&

& Legis naturæ in Lege Euangelica, quia vt illorum consumatio, & perfectio ea eminenter continet. Vnde cum subrogatio sit facta intra legem Euangelicam, qui nondum subsunt huic Legi, nec etiam subsunt subrogationi: & proinde respectu ipsorum non remanent abrogata sacrificia aliàs licita.

7 An autem Catechumeni offerre possint sacrificium verò Deo, videtur affirmatiuè respondendum, quia militant rationes allatæ etiam quoad ipsos, cum nondum sint sub Lege Euangelica. Sed tenendum est, quod non possint, quia licèt nondum sint ingressi Ecclesiam per Baptismum, sunt tamen ingressi per votum, & affectum Baptismi, & ideò pertinent ad Ecclesiam Christi, non secus ac nouitij pertinent ad Religionem, quamuis non sint propensi, quia sunt in via ad ipsam, & ideò non se debent gerere tanquàm si continuò essent extra Ecclesiam offerendo sacrificia aliena ab Ecclesia.

QVÆSTIO 26.

An sacrificium Missæ sit vnum.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Missæ est aliquo modo vnum.*
2. *In Offertorio Missæ an speciale sacrificium*, & num. sequent.
4. *Oblatio panis, & vini in Missa est institutione Ecclesiæ, & ideò non est sacrificium.*
5. *Verba Offertorij in Missa congruunt in sacrificio, in quo offeratur Christus.*
6. *Oblatio panis, & vini vt præparatio ad sacrificium, & in ordine ad ipsum dicitur sacrificium.*
7. *Immutatio panis, & vini in Missa cur non arguat sacrificium.*

1 SVpponendum est sacrificium Missæ esse aliquo modo vnum; nam tanquam de vno sacrificio loquuntur Concilia, & Patres: vnde Concil. Toletan. XII. vocat singulare sacrificium: & Concil. Trident. *sess. 22. in finem.* vocat verum, & singulare sacrificium. Et D. Leo Papa, *serm. 7. de Passione.* August. *lib. 10. De ciuit. Dei, cap. 20. & lib. 17. cap. 10. & de Baptism. lib. 3. cap. vltim. & contra Aduers. Leg. & Prophet. cap. 20. & contra Faust. lib. 20. cap. 18. & 21.* Ita loquuntur, vt supponant esse vnum sacrificium. Et suffragatur Ecclesia, dum orat. *Deus, qui legalium differentiam hostiarum vnius sacrificij perfectione sanxisti.* Vnde necessariò aliqua ei vnitas concedenda est, præsertim, quia omnes actiones Missæ fiunt vnico contextu, & vna in ordine ad aliam, quod sufficit ad inducendum aliquam vnitatem. Solum difficultas est, an ita sit vnum, vt non coalescat ex pluribus sacrificiis.

2 Prima sententia asserit, præter sacrificium, in quo offertur corpus, & sanguis Christi, aliud quoque esse sacrificium, in quo offertur panis, & vinum, quod perficitur in offertorio. Ita Richard. *art. 16. contra Luther.* Carsal. *lib. 2. de sacrific. Missæ, cap. 25.* Et fundamentum desumitur ex eo, quod in Missa dicitur offerri panis & vinum. Ita loquuntur Patres Cyprian. *Epist. 63.* Irenæus *lib. 4 cap. 32.* vbi habet quod Christus præcepit offerri in sacrificium panem & vinum. Gregor. *lib. 3. Dialog. cap. 23.* Fulgent. *De Fide, cap. 18.* Alexand. 1. *Epist. 1.* Imò Clemens Papa *Epist. 2.* vocat holocausta formulas panis quæ offeruntur. Secundò, In sacrificio Missæ panis & vinum consecrantur, & immutantur. Ergo eorum oblatio habet rationem sacrificij.

Secunda sententia communis tenet, quod nullum interueniat sacrificium in oblatione panis, & vini. Ita Suarez *disp. 75. de Eucharist. sect. 1. ver. Prima opinio.* Coninch. *de sacrament. quæst. 83. art. 1. dub. . . . n. 71.* Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 3. in fine.* Martinon. *disp. 38. de Eucharist. sect. ... num.* 50. Bellarmin. *lib 1. de Missa, cap. vlt.* Amic. *tom. 7. Curs. Theol. disp. 33. sect. 2. num. 33.* Chellison. *3. par. quæst. 83. art. 1. dub. 2.* ver. *Dico 1.* Nugn. *dub. 1. conclus. 2.* Francisc. Lugo *de Sacrament. lib. 5. cap. 2. quæst. 1. num.* 8. 3

Dicendum est. *Oblationem panis, & vini in Missa non esse sacrificium: sed præparationem ritualem ad sacrificium.* Prob. Oblatio panis, & vini est ex institutione Ecclesiæ: Ergo non potest esse sacrificium. Anteced. constat, quia Christus, quando instituit sacrificium in vltima cœna, non vsus est huiusmodi oblatione, nec aliunde habetur, quod illam instituerit. Conseq. prob. Tum quia, si Ecclesia instituisset tanquam sacrificium, non miscuisset ipsam cum sacrificio instituto à Christo. Tum quia non habet Ecclesia potestatem instituendi sacrificia. Tum quia Ecclesia nunquam expressit, quod intenderit in illa oblatione offerre sacrificium; Tum quia superfluum esset tale sacrificium, cum fiat tantùm in Missa, in qua offertur sacrificium corporis, & sanguinis Christi, quod continet omnem perfectionem omnium sacrificiorum. 4

Confir. Verba, quæ instituit Ecclesia proferenda dum fit oblatio panis, & vini in Missa non congruunt tali sacrificio, sed tantum sacrificio, in quo offeratur corpus, & sanguis Christi, nam dum offertur panis, dicitur, *Pro omnibus Christianis viuis, atque defunctis, vt mihi, & illis proficiat ad salutem in vitam æternam.* Et dum offertur Calix, *Vt in conspectu diuinæ maiestatis tuæ pro nostra, & totius mundi salute cum odore suauitatis ascendat.* Offerri autem pro salute totius mundi, & pro omnibus fidelibus Christianis non potest conuenire sacrificio ab Ecclesia instituto, sed tantùm sacrificio repræsentatiuo, & applicatiuo sacrificij Crucis: Ergo illa oblatio est tantum inchoatio quædam præparatoria substantialis sacrificij ad quod offertur in Missa; ita vt ratione sacrificij ad quod ordinatur, possint de ipsa offerri illa verba, non ratione sui ipsi non conueniant. 5

Ad fundamentum in oppositum, resp. Quod ex eo, quod dicatur in Missa offerri panis, & vinum, non colligitur, quod in illa oblatione habeatur distinctum sacrificium, quia puta oblatio non est sacrificium, cum etiam fiat Sanctis: vnde solum est oblatio præparatoria ad sacrificium. Quando autem patres vocant hanc oblationem sacrificium, aut holocaustum, cum considerant ipsam seorsim, sed vt ordinatam ad sacrificium, & quia in ipsa incipit sacrificium, vt in quadam rituali præparatione; ideo dicitur sacrificium, & panis dicitur hostia quatenus sub accidentibus ipsius est futura hostia offerenda in sacrificio. 6

Ad 2. Panem, & vinum non consumi, seu immotari in ipsa oblatione, sed solum in consecratione; vnde ex hoc potius fit, quod oblatio non sit sacrificium, quia non immutat, nec constituit rem oblatam. In consecratione autem, licet panis, & vinum conuertantur in corpus Christi, non tamen hæc immutatio fiat, quod panis & vinum sacrificetur, quia non est per se primo intenta, sed solum propter verificationem verborum, & præsentiam corporis Christi sub speciebus. In sacrificio autem mutatio est per se intenta in re oblata, quia ordinatur ad significationem propriam sacrificij. 7

QVÆSTIO 27.

Quanam sit victima huius sacrificij.

SVMMARIVM.

1. *Victima sacrifiicij Missæ est totus Christus.*
2. *Communis consensus Patrum quoad hoc.*
3. *Sacrificium Missæ cur debeat habere eamdem hostiam cum sacrificio Crucis.*
4. *Christus in Missa offertur per se primò.*
4. *Victima quæ per se primò offertur quænam sit.*
4. *Sacrificij Crucis, & sacrificij Missæ est eadem hostia cum solo modo offerendi diuerso.*
5. *In sacrificio Crucis, & Missa idem per se primò sacrificatur.*
6. *Quid requiratur vt sacrificium Crucis incruento modo repræsentetur.*
7. *Corpus & sanguis Christi quomodo offerantur in Missa.*
8. *Christus quomodo sit victima sensibilis.*
9. *Victima an debeat præsupponi sacrificio.*
10. *Christus quomodo possit offerri, licet non sit sub potestate offerentis.*
11. *Christus cur possit pluries in sacrificium offerri.*
12. *Eadem actio vt sacrificatiua attingit Christum vt obiectum: vt destructiua corpus, & sanguinem seorsim.*
13. *Oblatio vt repræsentatiua sacrificij Crucis versatur circa corpus, & sanguinem seorsim.*

1 NOmine victimæ intelligitur res oblata, quæ est omninò necessaria pro sacrificio, quia in sacrificio debet semper aliquid Deo offerri. Conueniunt autem communiter Catholici, quod in sacrificio Missæ offeratur totus Christus. Ita D.Th. 3. *par. quæst.* 83. *art.* 1. Nugn. *par.* 2. *difficul.* 1. *conclus.* 1. Syluius *quæst.* 4. Mercer. *dub.* 1. Præposit. *dub.* 5. *num.* 31. ver. *Nec solum.* Suarez *disp.* 75. *de Eucharist. sect.* 1. ver. *Dico* 1. Granad. 3. *par. controuer.* 6. *tract.* 14. *disp.* 2. *num.* 1. Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp.* 1. *de sacrific. Missæ. dif.* 2. ver. *de Fide tamen.* Palaus *par.* 4 *oper. mor. tract.* 12. *disp. vn. pun.* 1 *num.* 6. Marat. *tom.* 3. *sum. disp.* 36. *de Eucharist. sect.* 7. ver. *Quartum est.* Bellarmin. *lib.* 1. *de sacrif. Miss. cap.* 27. *propos.* 2. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 8. *num.* 1. Coninch. *de sacram. quæst.* 83. *art.* 1. *num.* 75. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *Dico secundo.* Martin. *disp.* 38. *de Eucharist. sect* 4. *num.* 41. Francisc. Lugo *de sacrament. lib.* 5. *cap.* 2. *quæst.* 6. *num.* 71. Isambert. 3. *par. quæst.* 83. *disp.* 2. *art.* 10. *proposit.* 2. Qui tamen vult, Christum non per se primò, sed ex consequenti immolari. Amicus *tom.* 7. *Curs. theol. disp.* 33. *sect.* 2. *n.* 14.

2 Idem etiam docent communiter Patres. Chrysost. *homil.* 17. *in Epist. ad Heb.* August. *concione* 1. *in Psal.* 34. Ambros. *lib.* 1. *offic. cap.* 48. & *lib.* 1. *in Lucam, cap.* 1. Nyssen. *orat.* 1. *Paschas*, Gregor. *lib.* 4. *dialog. cap* 58. Euseb. Emyssen. *homil. de corpore & anima.* Cyril. Alexandr. *anathematis.* 11. Dionys. *cap.* 3. *de cælest. Hierarch. par.* 2. Theophylact. & alij Exposit. *in cap.* 7. *Epist. ad Hebr.* & in actis Martyrij Andreæ Apost. habetur. *Ego quotidie sacrifico Deo agnum immaculatum.* Ita etiam docet Conc. Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. dum de Christo ait: *Celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israël immolabat, nouum instituit Pascha seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit.*

Ratio est. Quia sacrificium Missæ est commemoratiuum sacrificij Crucis non per nudam, & puram repræsentationem, sed per repetitionem eiusdem sacrificij, licet diuerso modo iteratam, vt docent communiter Patres, & Concil. Trident. citato *cap.* 1. *sess.* 22. Ergo debet esse eadem hostia, seu res oblata, alioquin si esset diuersa, sacrificium quoque esset diuersum, nec repræsentaret, aut commemoraret sacrificium Crucis reali modo, seu substantialiter, sed ad summum pura commemoratione, vt volunt Hæretici. In sacrificio autem Crucis res oblata fuit Christus, iuxta illud ad Tit. 2. *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret.* Et ad Galat. 1. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.* 3

Dicendum 2. *Christum offerri in Missa per se primò: non autem tantum ex consequenti.* Est contra Isambert. *num.* 1. citat. Prob. In sacrificio Crucis res oblata per se primò fuit totus Christus: Ergo etiam in sacrificio Missæ. Antecedens patet. Tum quia Christus in Cruce sacrificauit propriam vitam; tum quia in sacrificio cruento res, quæ per se primò offertur non est sanguis, & corpus animalis quod occiditur, sed ipsum animal, ita vt corpus, & sanguis sint partes, quæ relinquuntur ab actione sacrificatiua; tum quia illud per se primò sacrificatur, circa quod immediatè versatur actio sacrificatiua, atque adeo actio immutatiua, & destructiua rei oblatæ, quia actio sacrificatiua est destructiua, actio autem destructiua per se primò versata est circa ipsum Christum. Conseq. prob. Quia in sacrificio Crucis, & sacrificio Missæ est eadem hostia, & diuersitas est solum in ratione offerendi, quia cruentè in Cruce fuit oblata, & incruentè offertur in Missa, vt habet Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. Vna *enim, eadem est hostia sola offerendi ratione diuersa.* Si autem per se primò non offerretur Christus, sed solum ex consequenti, hostia esset diuersa quia in vno offerretur per se primò Christus, & in alio tantum ex consequenti. 4

Confir. Sacrificium Missæ, & sacrificium Crucis est idem quoad hostiam. Vt docent communiter Patres, & habet Concil. Trident. *num. præced.* citatum: Ergo debet sacrificari in vno per se primò, quod per se primò sacrificatur in alio. Quia si quid diuersum per se primò sacrificaretur, actio sacrificatiua haberet obiectum per se, diuersum in vno sacrificio, vt in alio, atque adeo essent diuersa sacrificia specie, non autem idem cum diuersa ratione, seu modo offerendi, quia actiones sumunt suam speciem ab obiectis, quæ per se primò attingunt. 5

Confir. 2. Sacrificium Missæ debet incruento modo repræsentare sacrificium cruentum Crucis: Ergo debet habere pro re oblata per se primò ipsum Christum. Conseq. prob. Non potest repræsentare sacrificium cruentum Crucis incruento modo, nisi separet sanguinem à corpore, cum in hoc consistit repræsentatio separationis realis in propria forma à corpore Christi, quæ fuit facta in Cruce; & non potest separare, nisi per se primo actio sacrificatiua versetur circa Christum, vt quoddam totum constans ex corpore, & sanguine, cum separatio supponat unionem separatorum: Ergo debet res per se primò oblata esse ipse Christus. 6

Dicendum 3. *Corpus, & sanguinem Christi prout sunt partes offerri in hoc sacrificio consequutiuè, & quatenus sunt in ipso Christo per se primò oblato: & quatenus prout separata sunt terminus actionis sacrificatiuæ facientis circa rem oblatam repræsentationem cruenti sacrificij.* Prob. In sacrificio cruento Crucis corpus & sanguis Christi, quatenus partes, fuerunt oblatæ consequutiuè ad oblationem eiusdem Christi, & secundum separationem adinuicem fuerunt terminus 7

actionis

actionis sacrificatiuæ. Ergo etiam in sacrificio Missæ. Anteced. constat: nam hostia per se primò oblata in sacrificio Crucis fuit ipse Christus totus: corpus autem, & sanguis ratione eiusdem Christi. Rursus corpus, & sanguis, quatenus partes inuicem separatæ resultarunt ex morte, atque adeo ex actione sacrificatiua, quatenus destructiua victimæ: quod autem resultat ex destructione victimæ, non per se primò offertur, sed solum ad oblationem victimæ. Conseq. prob. Quia sacrificium Missæ habet eandem hostiam cum sacrificio crucis, & est repræsentatiuum illius: atque adeò debet actio sacrificatiua ponere suo modo separationem sanguinis à corpore, & facere eosdem terminos, vt ipsum repræsentet. Ergo debet habere pro termino corpus & sanguinem tanquam separatum ex vi actionis sacrificatiuæ; Ergo corpus, & sanguis offeruntur solum ex consequenti, & vt partes resultantes ex oblatione hostiæ conciliante actione sacrificatiua.

8 Obijcitur contra primam conclusionem. Hostia, quæ offertur in sacrificio, debet esse sensibilis, quia sacrificium est signum sensibile, quod saluari non potest nisi oblatio sit sensibilis; & non potest esse sensibilis, nisi res oblata sit sensibilis. Christus autem in sacrificio Missæ non est sensibilis, cum ibi existat insensibili modo. Resp. Vt sacrificium sit sensibile, sufficere, si hostia sit quomodocumque sensibilis; Christus autem in sacrificio Missæ est ensibilis ratione specierum, sub quibus existit. Sic etiam in cœteris sacrificiis offertur tota victima, quæ tamen non est sensibilis secundum propriam substantiam, secundum quam offertur, sed solum secundum accidentia.

9 Obijcitur 2. Victima debet præsupponi sacrificio, Christus autẽ non præsupponitur in sacrificio Missæ, nam ibi fit vel per actionem addoctiuam, vel productiuam. Resp. Christum præsupponi oblationi, cum existat in cœlo: quod autem fiat præsens in sacrificio Missæ ex vi consecrationis sub speciebus panis, & vini, non pertinet ad substantiam victimæ, sed tantum ad modum offerendi. Vnde quod absolutè existit, ponitur sub speciebus sacramentalibus & sub illis offertur, quod non est aliud, quam ponere victimam vel per actionem adductiuam, vel productiuam iam existentem in loco, vbi offertur, & illam præparare. Deinde in tantum sacrificium prærequirit existentiam victimæ, in quantum debet adesse, quod offeratur: vnde si sacrificans posset producere victimam, non esset necessaria eiusdem præexistentia. Sacerdos autem nouæ legis potest producere victimam.

10 Objicies 3. Quod offertur debet esse sub potestate offerentis, & eiusdem dominio. Christus autem non est sub dominio sacerdotis. Resp. victimam debere esse sub dominio offerentis, vt licitè offeratur sacrificium, non autem vt sacrificium sit verum sacrificium. Deinde sacerdos habet ius ad offerendum ipsum Christum concessum ab eodem Christo, in vltima cœna, dum dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*, vt docet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1.* Rursus non offert nomine suo, sed nomine Christi, qui habet potestatem se offerendi.

11 Adijcitur 4. Christus semel tantum seipsum obtulit. Ergo non amplius offertur in Missa, nam cum ipse sit principalis offerens, adhuc seipsum offerret. Deinde quia, quod semel Deo oblatum est, non potest de nouo offerri. Resp. Neg. conseq. Quia semel tantum Christus se obtulit cruento modo. De quo loquitur Apostolus: incruento autem modo pluries se offert; nam ita instituit hoc sacrificium incruento modo, vt esset iterabile, vt constat ex eiusdem Christi verbis. *Hoc facite in meam commemorationem.* Nec absolutè valet, quod pluties se offerat, quia hoc sacrificium est idem cum sacrificio crucis. Ad 2. Probat. Resp. oblationem huius sacrificij esse commemorationem sacrificij Crucis; vnde oblatio non est noua oblatio tanquam rei non amplius oblatæ, sed noua oblatio sed potius eadem assumpta vt sit commemoratio prioris oblationis. Et falsum est, quod res oblata non possit amplius offerri, nam religiosus potest renouando vota seipsum Deo de nouo offerre, tunc enim noua oblatio est quædam confirmatio & commemoratio oblationis præteritæ.

Obijcitur 5. contra 2. & 3. conclus. Id per se primò offertur in sacrificio Missæ, quod per se primò ponitur ex vi verborum speciebus panis, & vini. Sed ponitur per se primò ex vi verborum corpus, & sanguis. Ergo. Maior prob. Actio consecratiua est actio sacrificatiua. Ergo quod per se primò attingit, offertur in sacrificium, attingit autem per se primò corpus, & sanguinem, quæ per se primò vtrumque significat. Resp. neg. maiorem. Ad probat. disting. consequens, offertur per se primò in sacrificium, quod per actionem consecratiuam attingitur vt obiectum per se primò, non autem quod per se primò attingitur vt terminus. Actio enim sacrificatiua habet obiectum, seu materiam, circa quam versatur; & terminum, quem facit, cum enim in sacrificio debeat interuenire hostia offerenda, & debeat destrui in honorem Dei: interuenit obiectum, seu materia, circa quam versatur actio destructiua; & etiam terminus, seu id, quod resultat ex destructione. Quia autem, quod destruitur, est id, quod offertur, ideo actio sacrificatiua, quatenus est oblatio per se primò versatur circa rem destruendam, quæ proinde per se primò offertur, terminus autem resultans ex destructione non offertur per se primò, sed in consequentiam ad rem oblatam; Hoc quia in sacrificio Missæ repræsentatur sacrificium cruentum, in quo destruitur vita victimæ, ideo corpus, & sanguis, prout seorsim ponuntur ex vi verborum sub speciebus, se habent vt terminus resultans ex actione sacrificatiua quatenus repræsentatiua destructionis vitæ victimæ, non autem per se primò attinguntur oblatione sacrificatiua vt oblatiua. 12

Obijcitur 6. contra eandem conclus. Christus in vltima cœna obtulit corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini, & præcepit sacerdotibus, quod offerent sub earumdem rerum symbolis, vt habet Concilium Trident. *sess. 22. cap 1.* Ergo quod offertur per se primò & id quod per se primo continetur sub iisdem symbolis, nam eo modo offeruntur, continentur. Resp. Concilium loqui de oblatione, seu sacrificatione, repræsentatiua sacrificij Crucis, vt constat ex contextu, & ideo meminit corporis, & sanguinis seorsim sub diuersis speciebus, quia solum hoc pacto repræsentant sacrificium Crucis: vnde non loquitur de obiecto per se primò oblationis, seu materia, sed de termino tanquam de eo, in quo repræsentatur sacrificium Crucis, in facto esse & de actione non quatenus oblatiua, sed quatenus fractina repræsentationis sacrificij Crucis. 13

QVÆSTIO 28.

Quomodo Christus sit victima in hoc sacrificio.

SVMMARIVM.

1. *Christus offertur in Missa vt existens sub speciebus*
2. *Concil. Trident. id docet.*

3. Sacrificium

3. *Sacrificium Missæ quomodo correspondeat sacrificio Melchisedech.*
4. *Verba consecrationis declarant, quomodo Christus offeratur in sacrificium.*
5. *Quomodo Christus sit præsens sacrificanti.*
6. *In sacrificio victima debet esse sensibilis.*
7. *Modus existendi Christi sub speciebus panis, & vini ratione corporis & sanguinis, non tollit, quin totus Christus per se primò offeratur.*
8. *Cur Christus non offeratur bis in sacrificio Missæ.*
8. *Consecratio vtriusque speciei est vna adæquata oblatio.*

1 Difficultas est, an offeratur, vt in propria specie naturali existens: an verò aliquo alio modo. Dicendum est. *Christum non offerri vt in propria specie naturali existens, sed vt existens sub speciebus panis, & vini.* Ita communiter Suarez *disp. 75. de Eucharist. sect.* 1. ver. *Dico* 2. Granad. 3. *par. controuer. 6. tract. 14. disp.* 2. *num* 2. Isambert. *quæst.* 38. *disp.* 2. *de sacrif. Missæ, art. 10. proposit.* 3. Nugn. *art.* 1. *par.* 2. *difficul.* 2. *conclus.* 2. Mercer. *dub.* 1. Syluius *quæsito* 1. Præposit. *dub.* 5. Amicus *tom.* 2. *Curs. theol. disp.* 33. *sect.* 1. *num.* 90.

2 Conclusio est certa. Nam traditur communiter à Patribus, & à Concilio Tridentino *sess.* 22. *cap.* 1. dum inquit. *Corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum Symbolis Apostolis, quos tunc noui testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba. Hoc facite in meam commemorationem.*

3 Prob. Sacrificium Missæ fuit figuratum in sacrificio Melchisedech: & Christus fuit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Ad Hebr. 7. Ergo, quod offertur, non est Christus in propria præsentia, & specie naturali, sed sub speciebus panis, & vini. Conseq. prob. Sacrificium Missæ debet in re oblata correspondere sacrificio Melchisedech, quod fuit in pane, & vino corporali: Ergo correspondet, quatenus sit in pane, & vino spirituali. Solum autem corpus Christi, vt est sub speciebus panis, & sanguis, vt est sub speciebus vini, sunt panis, & vinum spirituale.

4 Confir. Quando Christus dixit Apostolis, *Comedite, hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur.* Protulit hæc verba de corpore suo, non quomodocumque, sed existente sub speciebus panis, quia loquebatur de corpore suo, prout porrigebatur discipulis: Ergo tunc sacrificabatur, vt existens sub illis speciebus, quia de eodem corpore eodem modo existente dixit, *Quod pro vobis datur.* In sacrificio autem Missæ eodem modo offertur, ac in sacrificio vltimæ cœnæ.

5 Confir. 2. Victima quæ offertur, debet esse præsens offerenti, vt possit circa ipsam exercere actionem sacrificatiuam: Ergo cum corpus Christi vt in propria specie existens, non sit præsens Sacerdoti, sed solum sub speciebus, non offeretur, nisi vt existens sub eisdem speciebus.

6 Confir. 3. Res, quæ offertur in sacrificio, debet esse sensibilis, vt actio offerendi possit sensibili modo circa ipsam versari. Christus autem, licet in propria specie existens sit secundum se sensibilis, non est tamen sensibilis nobis ob distantiam cum existat in cœlo, & ideo circa ipsum non potest versari sensibili modo actio oblatiua.

7 Dices. Si Christus offerretur, prout existit sub speciebus panis, & vini, non offerretur per se primò totus Christus, sed corpus & sanguis, quia ratione corporis, & sanguinis existit sub speciebus. Resp. neg. conseq. Quia licet existat sub speciebus ratione corporis, & sanguinis, existit tamen totus: & aliud est, quod existit sub speciebus, & aliud modus existendi, offertur autem, quod existit, non autem modus existendi. Quod autem existat ratione corporis, pertinet ad modum existendi, non autem ad rem existentiam, & ideo non facit, quod per se primò offeratur corpus. Imò neque offertur ratione modi existendi, sed offertur ratione sui, sicut ratione sui est victima.

Instabis. Si offerretur totus Christus per se primò sub speciebus, & non secundum rationem corporis, & sanguinis, bis offerretur in eodem sacrificio, cum totus contineatur sub vtraque specie, & offeratur prout stat sub vtraque specie, hoc autem est absurdum. Resp. neg. conseq. Quia sicuti Christus sub vtraque specie constituit vnicum tantum sacrificium, ita etiam oblatio ipsius sub vtraque specie facit tantum vnicam oblationem. Et ratio est, quia sicuti species non multiplicant rem oblatam, ita nec etiam multiplicant oblationem: vnde consecratio vtriusque speciei, est tantum vnica oblatio, quæ quia tendit repræsentatiuo modo ad destructionem victimæ, ideo ita offert, vt tendat ad ponendam in re oblata separationem secundum esse repræsentatum inter corpus, & sanguinem; & ideo, cum tam oblatio, quàm separatio fiat per verba consecrationis, debent habere vim ponendi sub speciebus distinctim corpus, & sanguinem, vt in ipsa oblatione repræsentetur oblatio Crucis, seu destructio victimæ facta in Cruce per mortem Christi, & separationem sanguinis à corpore. Vnde oblatio secundum vnicam speciem non est oblatio adæquata Christi, sed tantum per vtramque speciem, siquidem ita debet esse oblatio, vt fundet etiam destructionem victimæ per separationem sanguinis à corpore repræsentatiuo modo, quam non potest fundare, nisi prout versatur circa vtramque speciem. 8

QVÆSTIO 29.

An species panis, & vini sint pars rei oblata.

SVMMARIVM.

1. *Species panis, & vini an sint pars rei oblata, &* num. sequent.
3. *Sacrificium est essentialiter sensibile.*
4. *Modus loquendi Patrum significat species non offerri.*
5. *Hostia non esset eadem in sacrificio Missæ, & Crucis, si species offerrentur.*
6. *Species cur non sint pars rei oblata.*
7. *Coniunctum ex Christo, & speciebus est quid diuersum à solo Christo.*
8. *Sacramentum non offertur in Missa.*
9. *Si species offerrentur, per se primò offerrentur.*
10. *Species quomodo pertineant ad rem oblatam.*
11. *Sacrificium, quatenus sacramentum, quibus constet.*
12. *Sacrificium quomodo intrinsecè sensibile.*
13. *Accidentia corporis Christi cur oblata in Cruce.*
14. *Quid requiratur, vt sacrificium Christi correspondeat sacrificio Melchisedech.*
15. *Sacrificium, & sacramentum non sunt idem.*
16. *Quomodo totum, quod attingitur per actionem sacrificatiuam sit res oblata.*
17. *Christus vt persona diuina an offeratur in sacrificium.*

Prima sententia asserit: Species panis, & vini esse partem rei oblatæ, atque adeo offerri simul cum

cum ipso Christo. Ita Henriquez *lib. 9. sum. cap. 3. num. 7.* & *cap. 7. num. 1.* Suarez *disput. 75. de Euchar. sect. 1.* ver. *Dico 4.* Mærat. *de sacrament. quæst. 83. art. 1. lib. 1.* ver. *Respond. Ad primũ.* Cardin. Lugo *de Eucharist. disput. 19. sect. 7. num. 98.* Auersa *quæst. 11. sect. 3.* ver. *Dico tertiò.* Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disput. 33. sect. 2. num. 38.* Franciscus Lugo, *De sacrament. libr. 5. cap. 2. quæst. 6. num. 74.* Tannet. *tom. 4. disputat. 5. quæst. 9. dub. 2. num. 28.*

2 Prob. ex cap. *Hoc est. De consecrat. distinct. 2.* vbi dicitur; *Sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus conficitur, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne, & sanguine.* Ergo eum constare appellet partem, species erunt pars huius sacrifici, seu hostiæ. Secundò. Sacrificium debet esse essentialiter, & intrinsecè sensibile, nam definitur ab August. *lib. 10. De Ciuit. Dei cap. 5.* Inuisibilis sacrificij visibile signum. Et Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1.* docet de hoc sacrificio, quod Christus reliquit Ecclesiæ visibile sacrificium: Ergo cum corpus Christi, sub speciebus non sit sensibile, sed tantum ratione specierum, species pertinebunt ad intrinsecam rationem rei oblatæ tribuendo sensibilitatem sacrificio. Nec sufficit ordo ad species, quia hic ordo non est sensibilis. Tertiò, sensibilitas intrinsecè prædicatur de sacrificio: Ergo species, in quibus fundatur prædicatum sensibilitatis debet esse pars essentialis, & non tantum terminus. Quartò, accidentia corporis Christi fuerunt pars rei oblatæ in Cruce: Ergo etiam accidentia panis, & vini erunt pars sacrificij Missæ. Quintò, Christus instituit hoc sacrificium tanquam summus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech: Ergo debuit offerre aliquo modo panem, & vinum sicut obtulit Melchisedech: Ergo res oblata est Christus quatenus est panis vitæ. Est autem panis vitæ simul cum speciebus. Sextò, sacramentum Eucharistiæ includit intrinsecè species: Ergo etiam victima huius sacrificij, quia in hoc sacrificio res oblata cedit in vsum fidelium tanquam verus cibus; cedit autem tanquam sacramentum includens intrinsecè species. Septimò, Consecratio non terminatur ad solum Christum, sed etiam ad species, seu ad sacramentale compositum: Ergo cum consecratio sit actio sacrificatiua, res oblata erit totum id, quod ipsa attingit.

3 Secunda sententia asserit, species nullo modo esse partem rei oblatæ, sed offerri solum Christum. Ita Vasquez *3. part. disp. 222. num. 43.* Coninch. *De sacrament. quæst. 83. art. 10. dub. 4. num.*.... Lessius *de diuin. perfect. lib. 12. n. 96.* Mattin. *de Eucharist. disp. 38. sect. 5. num. 51. & 53.* Palaus *part. 4. oper. moral. tractat. 22. disput. vnica, punct. 1. num. 6. in fine.* At Isambert. *3. part. quæst. 83. disp. 2. art. 10. proposit. 3.* qui vult, species esse tantum conditionem Granad. *controuer. 6. tract. 14. disp. 2. num. 5.*

4 Dicendum est. *Species panis, & vini non pertinere ad rationem victimæ tanquam partem ipsius: & proinde non esse rem oblatam.* Desumitur ex Patribus, quatenus explicando quid in hoc sacrificio offeruntur, non dicunt offerri species, neque coniunctum ex Christo, & speciebus, sed tantum, offerri Christum, aut corpus, & sanguinem ipsius sub speciebus panis, & vini; & hoc modo loquitur etiam Concilium Tridentinum *sess. 2*.. *cap. 1.* Vnde cum explicantes rem oblatam ponant in rectò solum corpus, & sanguinem Christi, & species in obliquò, sequitur, quod nolint, species esse partem rei oblatæ, nam ipsæ quoque ponendæ essent in rectò, sicut ponitur corpus, & sanguis Christi.

5 Prob. Res, quæ offertur in hoc sacrificio, seu hostia est eadem cum hostia, seu re oblata in sacrificio Crucis, vt tradit Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 2.* dum ait. *Vna enim, eadem est hostia; idem nunc offerens Sacerdotum ministerio qui seipsum tunc in Cruce obtulit sola offerendi ratione diuersa.* Si autem species essent pars rei oblatæ, & intrinsecè pertinerent ad ipsam, non esset eadem hostia, seu res oblata: Ergo. Sequel. minor. Probat. Quia in Cruce fuit oblatus solus Christus: in hoc autem sacrificio res oblata non esset solus Christus, sed coniunctum ex Christo, & speciebus panis, & vini, ita vt hæ species essent pars essentialis constitutiua victimæ.

Dices. Vt res oblata sit eadem, sufficeret quod sit idem indiuiduum substantiale, licèt diuersum accidentaliter: quia indiuiduatio sumitur, à substantia, non ab accidentibus. Sic etiam Christus fuit oblatus in Cruce cum sua præsentia propria; & in sacrificio Missæ offertur absque propria præsentia, sed cum præsentia sacramentali. Contra. Species iuxta hanc responsionem non variant indiuiduum rei oblatæ substantialiter, sed solum accidentaliter: Ergo non sunt pars essentialis rei oblatæ, quia pars essentialis ponit aliquam partem essentiæ, & proinde facit differre rem, quam constituit, essentialiter. Si autem non sunt pars essentialis, neque etiam erunt res oblata, quia quidquid est res oblata, est pars essentialis rei quatenus oblatæ. 6

Secundo reiicitur. Res oblata est illud coniunctum ex Christo, & speciebus, ita vt species sint pars intrinseca institutiua huius coniuncti: Ergo res oblata est essentialiter diuersa, quia licèt species sint accidentia, quatenus tamen sunt pars intrinseca constitutiua coniuncti, faciunt essentialiter differre, quia tamen non considerantur vt accidentia, sed vt pars constitutiua, atque adeò essentialis illius coniuncti. Sic etiam coniunctum ex subiecto, & albedine essentialiter, diuersum à solo subiecto. 7

Confirm. Si species essent pars hostiæ, ita vt offerretur Christus simul cum speciebus, res oblata esset ipsum Eucharisticum sacramentum. Hoc autem dici non potest. Tum quia sacramentum non est institutum, vt offeratur Deo, sed vt inseruiat pro hominibus. Tum quia Patres docent, Christum in hoc sacrificio esse integram hostiam. Sequel. prob. Quia offerretur coniunctum ex corpore Christi, & speciebus panis: hoc autem coniunctum est sacramentum. 8

Dices. Non offerri sacramentum, quia non offeruntur æquè principaliter species, sed tantum secundariò. Et adhuc Christum esse integram hostiam, quia hostia supponit pro substantia non autem pro accidentibus; species autem sunt accidentia. Contra. Offeruntur species quatenus sunt pars rei oblatæ dans ipsi sensibilitatem necessariam pro re oblata, ita vt pertineant ad essentiam rei oblatæ per eosdem Doctores: Ergo non offeruntur secundariò, sed per se primò, quod est essentiale rei oblatæ. Rursus. Historia supponit pro eo toto, quod est essentiale rei oblatæ, nam supponit pro tota re oblata. Species autem secundum Doctores oppositæ sententiæ sunt essentiales rei oblatæ. 9

Dicendum secundò: *Species pertinere ad rem oblatam non vt partem constitutiuam, sed vt rationem, qua res oblata fit proximè offeribilis; atque adeò non esse id quod offertur, sed id, quo hostia fit offeribilis sacrificio visibili, seu quo applicatur, vt subsit sensibili tractationi, & acquirat qualitatem offeribilitatis in ordine ad hominem.* Ratio est, 10

quia species concurrunt in re oblata iuxta suam naturam: atque adeò sensibiliter qualificando rem oblatam: Ergo non confetuut aliud rei oblatæ, quàm qualitatem sensibilitatis, atque adeò aptitudinem, vt possit ab omnibus offerri in sacrificio visibili.

11 Ad 1. Resp. In illu text. qui desumptus est ex D. Augustin. nomine sacrificij intelligi sacramentum, vt notant etiam Gloss. *ibid.* verbo. *Hoc est.* & colligitur etiam ex contextu, nam dum assignantur illa duo, quibus sacrificium constat, dicitur. *Sacramento, & re sacramenti, id est, corpore Christi.* Nomine autem sacramenti intelliguntur species sacramentales: sacramentum autem, & res sacramenti non habent locum in sacrificio, sed in sacramento tantum.

12 Ad 2. Sacrificium esse intrinsecè, & essentialiter sensibile, si sumatur pro ipsa actione sacrificandi: non autem si sumatur pro re oblata. Quia sufficit, quod quocunque modo possit subesse sensibili tractationi; pro quo sufficit, quod sit vestita accidentibus sensibilibus, licèt ipsa accidentia non sint intrinseca rei oblatæ. Primo autem modo est intrinsecè sensibile, quia consistit in humana actione externa, quæ ex genere suo est intrinsecè sensibilis. Hinc solutum remanet tertium, nam sensibilitas prædicatur intrinsecè de sacrificio, vt est actio sacrificandi, non autem vt est res oblata.

13 Ad 4. nego conseq. Quia accidentia corporis Christi oblati in Cruce fuerunt ipsi connaturalia, & ab intrinseco exigita: & ideò erant pars integralis, & perfectiua corporis Christi: sed sic autem species panis respectu corporis Christi oblati in Missa, vnde sunt, non sunt pars in tegulis corporis Christi, ita nec etiam pars rei oblatæ.

14 Ad 5. nego conseq. Quia, vt Christus institueret sacrificium secundum ordinem Melchisedech sufficit, quod obtulerit seipsum sub speciebus panis, & vini: itavt sicut in pane, & vino oblato à Melchisedech figurabatum sacrificium Christi, ita hoc idem sacrificium responderet illi quoad symbola, sub quibus offertur, & quoad rem figuratam, quæ fuit cibus, & potus spiritualis, qui consistunt in corpore, & sanguine Christi, cum ipse dicat Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*

15 Ad 6. negat. conseq. Quia sacrificium, & sacramentum non sunt idem formaliter. Nam sacramentum est formaliter sensibile signum sanctificatiuum; & ideò Eucharistia dicit esse essentialiter speciem. Res autem oblata solum ex se dicit, quod sit res quædam apta offerri Deo, & solum exigit sensibilitatem, vt possit sensibili modo tractari, & ideò sufficit, quod tantum ex accidenti sit talis. Ad prob. Rem oblatam in hoc sacrificio cedere in vsum fidelium, non quatenus offertur, sed quatenus est terminus actionis destructiuæ; seu repræsentatiuæ destructionis victimæ, atque adeò possit dicit partes resultantes ex actione sacrificatiua: sic etiam quando animal sacrificabatur non ipsum animal cedebat in vsum, sed partes ipsius, nempe caro.

16 Ad 7. Distinguitur consequens. Res oblata est totum id quod attingitur per actionem sacrificatiuam, vt obiectum, & materiam, non autem vt terminum, quia actio sacrificatiua potest considerari in sacrificio Missæ, vt productiua victimæ seu adductiua, & vt oblatiua est enim peculiare in hoc sacrificio, quod per actionem sacrificatiuam producatur victima. Vt oblatiua attingit rem oblatam eam Deo offerendo. Vt productiua nedum producit victimam, sed etiam facit sacramentum non quidem producendo species, sed conuertendo substantiam, quæ est sub ipsis in corpus, & sanguinem Christi, & vniendo speciebus iisdem.

Ex dictis colligitur. An in hoc sacrificio offeratur Christus, quatenus persona diuina. Resp. enim non offerri, quia non est offeribilis, nisi creatura in sacrificium. Vnde cum in Christo nihil sit creatum, nisi natura humana, ipsa sola est formaliter offeribilis: persona autem diuina non est offeribilis, nisi ratione communicationis idiomatum: ratione cuius etiam prædicata quæ repugnant, dicuntur de Deo. 17

QVÆSTIO 30.

An in hoc sacrificio offeratur panis, & vinum.

SVMMARIVM.

1. *Panis, & vinum quatenus pertineant ad hoc sacrificium.*
2. *An sit materia sacrificij, seu res oblata.* & num. sequent.
4. *Cur panis, & vinum non sit res oblata.*
5. *Panis, & vinum sint terminus à quo actionis sacrificatiuæ.*
5. *Panis, & vinum sunt incompossibilia cum re oblata.*
6. *Ex vi actionis sacrificatiuæ substantia panis, & vini excluditur à re oblata.*
7. *Actio sacrificatiua non potest attingere panem, & vinum vt rem oblatam.*
8. *Panis, & vinum offeruntur in Missa simplici oblatione.*
9. *Cur dicantur hostia.*
9. *Quomodo accipiendi Patres; quando dicunt, panem, & vinum offerri.*
10. *Panis, & vinum figuratum constituunt sacrificium secundum ordinem Melchisedech.*
11. *Panis, & vinum quomodo destruantur in sacrificio Missæ.*

COnueniunt communiter Doctores præsertim infra citandi, quod panis, & vinum pertineant ad hoc sacrificium tanquam materia ex qua fit victima, quæ offertur. Cum enim conuertantur in corpus, & sanguinem Christi ex vi verborum consecrationis, consequenter sunt terminus à quo huius conuersionis, & materia ex qua. Vnde solum difficultas est, an etiam sint materia, circa quàm versetur oblatio. Et quia certum est offerri in Missa per verbalem oblationem, atque adeò tanquam materiam ex qua facienda est victima, per conuersionem in ipsam, dubitatur, an sint materia sacrificij, provt est oblatio, qua offertur corpus Christi, itavt etiam ipsa offerantur. 1

Prima sententia asserit, offerri etiam panem, & vinum quoad substantiam. Ita Suarez *disput.* 75. *de Eucharist. sect.* 1. ver. *Dico vltimò.* Tanner. *tom.* 4. *disp.* 5. *quæst.* 9. *dub.* 2. *num.* 28. Aricus *tom.* 7. *Curs. Theol. disp.* 33. *sect.* 2. *num.* 34. Præposit. 3. *part. quæst.* 83 *art.* 1. *dub.* 5. *num.* 31. Card. Lugo *disp.* 19. *de Eucharist. sect.* 7. *num.* 99. Franciscus Lugo. *lib.* 5. *de sacram. c.* 2. *quæst.* 5. *num.* 56. Bellarmin. *lib.* 5. *de Eucharist. cap.* 27. *propos.* 1. Conineb. *De sacrament. quæst.* 83. *artic.* 1. *dub.* 4. *num.* ..... Auersa *quæst.* 11. *De Eucharist. sect.* 3. ver. *Dico primò.* Prob Quia in Missa ante consecrationem offertur panis, & vinum, & aliæ sunt sententiæ in Missa, quæ declarant panem, & vinum offerri, & quamuis tunc non perficiatur sacrificium 2

Digitized by Google

sacrificium indicunt tamen, quod ordinantur ad sacrificium tanquam materia in ipso offerenda. Secundò, quia Patres docent, panem, & vinum in boc sacrificio offerri specialiter Cyprian. *lib. 2. epist. 3.* Irenæus *lib. 4. cap. 32.* Hieron. *epist. ad Euagr.* August. *in Psal. 109.* in illud: *Tu es Sacerdos, &c.* Gregor. *lib. 2. Dialog. cap. 23. & lib. 4. cap 55.* Theopbylact. cæterique. Expositor. *in cap. 5. ad Hebr.* Tertiò, Cbristus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, non esset autem, nisi obtulisset, & instituisset offerendum panem, & vinum. Quartò, panis & vioum destruuntur vt materia præsupposita sacrificio, quod non conuenit Christo, quia vt præsupponitur sacrificio oon immolatur, nou vt sic non immutetur, neque per modum termini resultantis ex actione oblatiua, quia in propria specie non resultat ex ea actione: Ergo panis, & vinum sunt materia oblata.

3 Secunda sententia asserit, esse tantum terminum à quo, nec vllo modo pertinere ad rem oblatam: Ita Valent. *tom. 4. disput. 6. quest. 12. puncto* 1. Vasquez 3. *part. disp. 222. cap. … num. 51.* Isambert *quest. 83. disp. 2. de sacrific. Missæ, art. 10. in fine.* ver. *Atque iuxta* Granad. *controuer. 6. tract. 14. disp. 2. num. 4.* Gaspard. Hurtad. *de sacrament. disp. 1. de sacrific. Missæ, difficul.* 3. ver. *Vasquez verò.* Martin. *de Eucharist. disp.* 38. *sect. 8. num. 42.*

4 Dicendum est. *Panem, & vinum quoad suam substantiam nullo modo esse materiam oblatam in sacrificio Missæ, sed tantùm terminum à quo materia oblata.* Prob. Res oblata in sacrificio Crucis fuit solus Christus. Ergo etiam in sacrificio Missæ, atque adeò nullo modo offertur panis. Conseq. prob. Quia vt habent communiter Patres, & Conci. Trident. *sess. 22. cap. 2.* Eadem est hostia in sacrificio Crucis, & sacrificio Missæ sola offerendi ratione diuersa. Si autem offerretur etiam panis res oblata esset diuersa, & non sola ratio offerendi.

5 Confirm. Panis, & vinum, sunt terminus à quo victimæ oblatæ, itavt desinant esse ex vi actionis qua Christus offertur: Ergo non possunt vniri cum re oblata, vt materia oblationis. Anteced. constat. Quia substantia panis, & substantia vini conuertuntur per transubstantiationem in corpus, & sanguinem Christi, vt definit. Concil. Trid. *sess. 13. cap. 4 & can. 2.* ex vi verborum consecrationis, atque adeò actionis sacrificatiuæ. Conseq. prob. Terminus à quo habet oppositionem cum termino ad quem, & ob incompossibilitatem excluditur ab essendo termino ad quem: Ergo non potest concurrere cum ipso, vt sit materia oblationis; quia si concurreret, esset compossibilis in ratione rei offerendæ. Quod autem non est compossibile cum alio in essendo, nec etiam est compossibile in aliqua ratione, quia esse est primum fundamentum omnium aliarum rationum.

6 Confirm. 2. Ex vi actionis sacrificatiuæ ponitur victima, vt per eandem actionem sacrificetur; vt ex vi eiusdem rationis sacrificatiuæ desinit substantia panis, & vini: Ergo substantia panis, & vini excluditur ex vi eiusdem actionis sacrificatiuæ, vt sit materia oblationis; quia, si positio victimæ per actionem sacrificatiuam facit, quod sit res oblata, desitio substantiæ panis & vini ex vi eiusdem actionis erit causa, quod non sit res oblata. Quia si affirmatio est causa affirmationis, negatio quoque est causa negationis.

7 Confirm. 3. Panis, & vinum conuertuntur in victimam; nam conuertuntur in corpus, & sanguinem Christi: Ergo non possunt esse victima, aut pars ipsius, aut aliquo modo materia oblata. Conseq. prob. Quia actio sacrificatiua est eadem cum actione conuersiua, & versatur circa victimam, seu rem oblatam vt terminum ad quem, ita vt offerat deducendo ad esse: Ergo cum respiciat panem & vinum vt terminum à quo, & non deducat ad esse sed faciat desinere, non potest attingere ipsum vt rem oblatam. Tum quia res oblata terminat actionem sacrificatiuam vt factiuam, atque adeò vt terminus ad quem panis autem, & vinum terminum tanquam terminus à quo, & vt sui ipsius exclusiuam. Tum quia, quod conuertitur in aliud, non solum non est ipsum, sed neque remanet ad communicandum cum ipso in aliqua ratione.

Ad 1. Resp. Illam oblationem panis, & vini, quæ 8
sit in Missa non esse oblationem sacrificatiuam, sed simplicem oblationem, qua offertur materia, ex qua facienda est hostia sacrificanda. Et eodem pacto accipiendæ sunt aliæ sententiæ, quæ habentur in Missa, & quibus significatur offerri panem, & vinum. Dicitur autem panis hostia, quia in ipsa tanquam in materia, ex qua facienda est, præexistit hostia, & ipsam repræsentat: vnde cum nondum sit præsens hostia, offertur, Deo simplici oblatione, tanquam præparatoria, in pane tanquam in typo. Quia cum sit futura panis spiritualis, & vestita accidentibus panis, assumitur panis vt materia præuia tanquam typus illius.

Ad 2. Quando Patres dicunt, panem, & vinum 9
offerri, vel intelligere de simplici oblatione; vel de pane, & vino spirituali repræsentato sub speciebus panis, & vini naturalis: non autem, quod offeratur in sacrificio panis, & vinum secundum propriam substantiam.

Ad 3. neg. min. Quia, vt saluetur, quod Christus 10
sit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, sufficit, quod obtulerit, & offerendum instituerit panem, & vinum figuratum in sacrificio Melchisedech, nempe corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini, seu panem & vinum spiritnale.

Ad 4. Panem, & vinum destrui, non vt materiam 11
circa quam, sed vt materiam ex qua, atque adeò non per modum termini ad quem, sed termini à quo. Destructio autem, quæ est propria sacrificij, debet versari circa rem oblatam, vt materiam circa quam, & vt terminum ad quem, quod non contingit in pane, & vino, cum destruantur vt terminus à quo. Quomodo autem Christus in boc sacrificio immutetur sufficienter, explicabitur infrà.

QVÆSTIO 31.

An sacrificium Missæ consistat essentialiter in consecratione.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Missæ consistit essentialiter in consecratione.*
2. *Patres id affirmant.*
3. *In qua actione ponenda essentia sacrificij.*
3. *Per quam actionem Christus obtulerit sacrificium in vltima Cœna.*
4. *Sacrificium Missæ repræsentat sacrificium Crucis.*
4. *Consecratio repræsentat sacrificium Crucis.*
5. *Sacerdos offert sacrificium in persona Christi.*
6. *Proprium munus Sacerdotis quodnam sit.*
6. *Sacrificium est actus proprius Sacerdotalis potestatis.*
7. *Consecratio ita est preparatio materiæ, vt simul etiam sit sacrificatio.*
8. *Quomodo consecratio sit productio, & destructio victimæ.*

Dicendum est: *Sacrificium Missæ consistere essentia-* 1
liter in consecratione. Cōueniunt in hoc commu-

niter Theologi quamuis differant, an consistat etiam in aliqua alia actione de quo infra. Ita D.Thom. 3.p. *quæst.*82.*art.*4.*ad* 1. dum inquit consecrationem esse sacrificium. *& quæst.*83. *art.*4. Richard. *art.*16. *contra Luther.* §. *Eamdem Fidei.* Tiletao. *in Apolog. cath. confut. cap.* 15. §. *Ad hoc sophisma.* Cæsarius *lib.*2.*de sacrific. Miss. cap.*25. Torrian. *lib.* 8. *Constit. Apostol. cap.* 5. *num.* 3. & *cap.* 14. Alan. *lib.*2.*de sacrific. Miss. cap.*15. Gabr. *sect.*15.*&* 26. *in Laron.* Sotus *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. Bellarmin. *lib.*1. *de sacrific. Miss. cap. vltim.* Henriq. *lib.* 9. *sum. cap.* 9. *num.*1. Azor. *tom.*1. *lib.*10. *cap.*19. *quæst.*1. Coninch. *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 5. *num.* 96. Facundez *præcep.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.*4. *num.*8. Vasquez 3. *part. disput.* 222. *cap.* 5. Scortia *lib.*1. *de sacrific. Miss. c.*5. Cardin. Lugo *disput.* 19. *de Eucharist. sect.*5. *n.*64. *& sequent.* Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 36. *de Eucharistia, sect.*4. Martin. *disput.*38. *sect.*4. *num.*43. Auersa *qu.*11. *sect.*2. ver. *Tertia sententia.* Gaspard. Hurtad. *disp.* 1. *de sacrific. Miss. difficult.* 8. Becan. *De Eucharist. cap.*25. *quæst.*6. Suarez *disput.* 75. *de Eucharist. sect.*4. ver. *Dico tamen.* Caspens. *part.*2. *Curs. Theol. disp.*1. *sect.* 2. *num.* 17. *tractat.* 23. Marchin. *de sacrament. Ordin. tractat.* 3. *part.* 2. *cap.* 1. *num.*14. Tannet. *tom.* 4. *sum. disp.* 5. *quæst.* 9. *dub.* 2. *num.* 39. ver. *Tertia igitur.* Amicus *tom.* 7. *Cursus Theol. disp.* 33. *sect.* 3. *num.* 58. Valent. *tom.* 4. *disput.* 6. *quæst.* 11. *part.* 1. Salmeron. *tract.*29. *sect.*4. Granad. 3. *part. controuer.*6. *tract.*14. *disp.*3. *sect.* 1. *num.*2. Mercer. *de sacrament. quæst.* 83. *art.*1. *dub.* 2. *proposit.*6. Syluius *quæsito* 2. *conclus.* 4. Præposit. *dub.* 7. *dicto* 1: Putean. *dub.* 4. *conclus. penult.* Chellison. *dub.*2. *dicto vltim.* Isamber. *disput.* 3. *de sacrific. Missæ, art.* 1. Lessius *libr.* 2. *de Instit. & iure. cap.* 38. *dub.*1. *num.* 16. Palaus *part.*4. *oper. moral. tractat.* 22. *disp. vnic. punct.*2. *n.*2. Bann. *tom.*1. *Theol. moral. tract.*6. *quæst.*4. *assert.*3. Franeis. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 2. *quæst.* 3. *num.* 43. Martinon. *de Eucharist. disp.*38. *sect.* 4. *num.* 43. & alij contra Scot. *in* 4. *dist.*13. *quæst.*2. §. *Ad quæstionem.* Gabr. *quæst.*1. *art.* 3. *dub.*2. Echius *lib.*3. *de sacrificio Missæ, cap.*9. Clitonæus *lib.* 2. *contra Luther. cap.*16. Nugnus 3. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *part.* 2. *difficult.* 2. *conclus.*2.

2 Traditur etiam communiter à Patribus Irenæo, *lib.* 4. *contra Hæres. cap.* 22. *num.* 7. Nysseno *orat.* 1. *De Christi Resurrect.* Gregor. Magno *lib.* 4. *Dialog. cap.* 18. Isidoro *lib.*6. *Etymolog. cap.*18. *de Offic.* §. *Sacrificium dictum.* Simone Thessalonicensi. *De mysteriis Eccles. cap.* 23. *apud Turrian. in cap.* 50. *lib.* 8. *constit. Apostol.* Cyprian. *lib.* 2. *epist.* 3. *quorum verba refert.* Vasquez 3. *part. disp.* 22. *cap.*6. Cypriano *sermon. de Cœna Domini.* Chrysost. *homil. de perdit. Iudæ.* & definitur à Concilio Tridentino *sess.* 22. *cap.*21. & *can.* 2. Dum tradit, quod Christus per illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem,* præcepit Apostolis, & successoribus in Sacerdotio, quod sub iisdem rerum Symbolis corpus, & sanguinem suum offerrent. Vnde faciendo quod fecit Christus offerunt per Concil. Christus autem consecrauit.

3 Probat. In illa actione consistit essentialiter sacrificium per quod Sacerdos facit, quod fecit Christus instituendo hoc sacrificium in vltima Cœna. Hæc autem est consecratio. Maior est certa de Fide, nam vt definit Concil. Trident. modo citatum Christus instituendo sacrificium visibile, quod relinqueret Ecclesia, ordinauit Apostolis, & cæteris Sacerdotibus, quod facerent, quod ipse fecit in vltima Cœna: atque adeò dum faciunt, quod fecit Christus, offerunt sacrificium, & proinde in illa actione consistit essentialiter. Merit. etiam est de Fide. Nam Concilium Tridentinum *eod. cap.* 1. tradit, quod istud sacrificium fuit oblatum à Christo, quando obtulit corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini: vnde quando sub iisdem speciebus Sacerdotes offerunt, faciunt, quod fecit Christus. Quod autem hæc oblatio ita sit in consecratione, ex textu Euangelij, nam Christus præcipiendo Apostolis, quod facerent, quod ipse fecit, præcepit consecrationem, quia ipse consecrauit conuertendo panem in corpus suum per illa verba, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Rursus Christus tunc exercuit duas actiones, vnam consecrationis, alteram distributionis Eucharistiæ: præcipiendo autem quod facerent, quod ipse fecit, non præcepit distributionem, sed consecrationem, quia, vt habet Concil. Trident. citatum, præcepit, quod offerrent corpus, & sanguinem suum sub iisdem Symbolis, oblatio autem non fit in distributione. Tum quia quando Christus distribuit, erat iam facta oblatio; vnde de corpore dixerat, *Quod pro vobis datur*, & de sanguine, *Qui pro vobis funditur.*

Confirm. In illa actione consistit essentialiter sacrificium, in qua repræsentatur sacrificium, Crucis. Repræsentatur autem in consecratione. Maior est certa, quia sacrificium Crucis, vt docent communiter Patres repræsentatur in sacrificio Missæ, quod eatenus est sacrificium, quatenus ipsum repræsentat & habetur etiam ex Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. dum de hoc sacrificio à Christo instituto habet, *Quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur eiusque memomoria in finem vsque sæculi permaneret*; & etiam declarant verba Christi. *Hoc facite in meam commemorationem*, Lucæ 22. Minor etiam est certa. Quia sicut sacrificium Crucis peractum fuit per effusionem sanguinis, ita dum per consecrationem ponitur sanguis separatus à corpore, repræsentatur hæc effusio. Vnde Concil. Trid. modo *citat.* habet, *Nouum instituit Pascha seipsum ab Ecclesia, per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum immemoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, &c.* Immolatur ergo Christus repræsentando immolationem Crucis, quando ponitur repræsentatiuè effusio sanguinis à corpore sub signis visibilibus, quia tunc repræsentatur effusio facta in Cruce. 4

Confirm. 2. In illa actione consistit essentialiter sacrificium, quæ exercetur à Sacerdote in persona Christi. Consecratio autem fit nomine Christi, & in persona ipsius, itavt Sacerdos repræsentet ipsum Christum, & in persona ipsius proferat verba consecrationis. Maior traditur in Patribus, dum docent, quod Christus est principalis offerens, itavt Sacerdotes tanquam ministri offerant in persona Christi. Et etiam à Concil. Trident. *sess.*22. *cap.*2. dum docet quod nunc quoque est idem offerens, qui tunc in Cruce. *Vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit.* Minor etiam est certa. Nam sola consecratio ex omnibus actionibus Missæ exercetur in persona Christi, cum Sacerdos in persona Christi proferat verba consecrationis: imò sint ipsa verba Christi, quibus consecrauit. 5

Confirm. 3. In illa actione consistit essentialiter sacrificium in qua exercetur proprium munus Sacerdotis, propter quod consecratur. Proprium autem munus Sacerdotis, propter quod consecratur, & ad quod in consecratione accipit potestatem, est consecratio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. Maior constat. Quia Sacerdos, quà, talis est, dicit ordinem ad sacrificium; itavt inuicem consecrentur tanquam actus proprius, & officium, vt habet Apost. Ad Hebr. 7. *Omnis Pontifex constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia.* Et Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. *Sacrificium, & Sacerdotium* 6

cerdotium

cerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, vt vtrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in nouo testamento sanctæ Eucharistiæ sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet in ea nouum esse visibile, & externum sacerdotium. Quia nimirum sacerdotium respicit sacrificium, & actum proprij muneris, & propriæ potestatis. Minor etiam constat, quia Christus instituit Apostolos Sacerdotes tradendo eis potestatem consecrandi, dum dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*: vt notat etiam Concil. Trident. *sess. 22. c. 1.* & *sess. 23. cap. 1.* habet in sacerdotio tradi potestatem consecrandi.

7 Dices. Consecratio est præparatio materiæ sacrificandæ: Ergo non consistit in ipsa essentialiter sacrificium, quod debet supponere rem sacrificandam. Antecedens constat, quia per ipsam ponitur corpus Christi sub speciebus. *Resp.* Consecrationem non solum esse præparationem materiæ sacrificandæ, sed etiam sacrificationem, quod indicauit Christus in verbis, quibus consecrauit in vltima cœna, dum dixit, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, & de Calice, *Qui pro vobis funditur*, nam per hæc verba significauit, oblationem tunc fieri, nam dixit offerri, dum pronunciauit verba consecrationis. Vnde illa actio sacerdotis respicit Christum vt terminum, & etiam vt rem oblatam, & proinde ponendo sub speciebus etiam offert.

8 Dices 2. Implicat, quod eadem actio sit productio victimæ & consumptio. Consecratio autem est productio victimæ. Econtra verò sacrificium est consumptio. *Resp.* Consecrationem non esse quomodocumque productionem victimæ, sed productionem secundum esse repræsentatiuum sacrificij Crucis, & ideo producit victimam, vbi stat, sub tali repræsentatione, atque adeò formaliter per partes, & ex vi verborum, neque secundum corpus, & sanguinem. Vnde, ita est productio, vt non destruat, quod producit, sed producat repræsentationem victimæ in esse destructo, sicut si produceretur corpus & anima seorsim per replicationem.

QVÆSTIO 32.

An consecratio sit formaliter actio sacrificandi.

SVMMARIVM.

1. *Consecratio an actio distincta à sacrificatione.*
2. *Quomodo formaliter distinguantur.*
3. *In consecratione repræsentatur sacrificium Crucis.*
4. *Cur consecratio, & sacrificatio distinguantur formaliter.*
5. *Cur ad sacrificium non debeat supponi res offerenda.*
6. *Quisque intendit offerre per illam actionem, in qua consistit sacrificium.*
7. *Sacramentum, & res oblata possunt eadem actione fieri.*
8. *Eadem actio potest ponere Christum sub speciebus, & offerre.*
9. *Quos actus possit exercere potestas sacerdotalis.*

1 NVgnus 3. *part. quæst. 83. art. 1. part. 1. difficul. 1. conclus. 2.* asserit sacrificationem nedum esse diuersam formaliter ab actione consecrandi, sed etiam realiter, ita tamen, vt præsupponat consecrationem tanquam præparationem victimæ. Et hoc, ait, se putare adeo certum, vt oppositum sit prorsus improbabile: in quo tamen loquitur contra omnes Scholasticos, & Patres, vnde potius eius opinio censuram mereretur, præsertim cum ex leuibus rationibus moueatur. Prob. Ita se habet consecratio ad hoc sacrificium, sicut vnio hypostatica ad sacrificium Crucis, quia sicut per hanc fit Deus homo, qui offertur in Cruce, ita per illam fit Christus sub speciebus: Ergo sicut vnio est per actionem distinctam à sacrificio Crucis, ita etiam consecratio erit realiter distincta à sacrificio. Secundò. Nemo ex offerentibus intendit offerre per illam actionem, per quam consecrat, sed vel per eleuationem, vel quando benedicit. Tertiò. Sacramentum, & sacrificium sunt res valdè differentes, nam sacramentum est in genere signi, sacrificium in genere religionis: Ergo non efficiuntur vna, & eadem actione. Quartò. Non offerretur corpus Christi prout existit sub speciebus, quia prout sub ipsis non, præexistit consecrationi, vel per ipsam ponitur: vnde cum sacrificium sit oblatio rei permanentis, debet versari circa Christum sub speciebus, vt circa materiam. Quintò. In die Parasceues adest sacrificium, & si occurrat in die festo omnes censent, se teneri audire illam Missam, & tamen non adest consecratio.

Tenendum tamen est. Vnam, & eamdem actionem esse consecrationem, & sacrificationem; ita vt eadem actio sit suo modo factiua termini, & oblatiua eiusdem, & proinde sacrificatio, & consecratio solum distinguantur secundum diuersas rationes formales; & quatenus respicit Christum sub speciebus vt terminum, seu vt dicit positionem Christi sub speciebus, sit consecratio, quatenus verò offert Christum sub speciebus sit sacrificatio. Ita communiter omnes præsertim citati *quæst. præcedent. num. 1.* Et hoc ipsum conuincunt rationes adductæ *quæst. præced.* 2

Præterea probatur. Per actionem consecratiuam ponitur seorsim à corpore sanguis Christi sub speciebus: Ergo actio consecratiua est etiam sacrificatiua. Conseq. prob. Sacrificium Missæ, quà tale est, repræsentat sacrificium Crucis, quod imputauit oblationem vitæ Christi per separationem sanguinis realem à corpore: Ergo cum consecratio ponendo sub speciebus sanguinem seorsim à corpore, repræsentat sacrificium Crucis, nam repræsentat realem effusionem, erit etiam actio sacrificatiua. 3

Quod autem differunt formaliter, etiam prob. Quando duæ actiones ex genere suo realiter, & formaliter distinctæ vniuntur in vnicam actionem physicam, adhuc in ipsa distinguuntur formaliter, quia retinent suas proprias rationes formales. Sed productio victimæ, & oblatio ipsius ex genere suo distinguuntur realiter, cum fiant in diuerso tempore, & etiam formaliter, quia alius est conceptus productionis, & alius oblationis, imò oblatio ex natura sua supponit productionem: ergo cum hæ duæ actiones in sacrificio Missæ vniantur realiter, remanebunt distinctæ formaliter. 4

Ad primum neg. assumptum. Ad probat. neg. paritatem: nam in sacrificio Crucis Christus fuit offerens, & res oblata. Vnde quia nemo potest facere seipsum, ideo Christus debuit secundum suam existentiam præcedere, vt posset seipsum offerre, & consequenter debuit accipere existentiam per diuersam actionem ab oblatione. At quando offerens offert quid diuersum à seipso, potest etiam ipsum facere, si aliàs habeat potentiam. 5

Ad 2. neg. assumptum. Quia si loquamur de iis, qui ignorant, in quo essentialiter consistat sacrificium, saltem implicitè intendunt offerre per illam actionem, in qua consistit. Si verò sciant, in quo consistat, omnes intendunt offerre per consecrationem, quia licet plures admittant pro essentia con- 6

secrationis aliquam aliam actionem, volunt tamen, quod coosistat etiam in consecratione.

7 Ad 3. neg. conseq. Nam sicut non obstaute ea diuersitate, sacramentum, & res oblata coëunt in vnam, & eamdem rem, ita etiam possunt vna, & eadem actione fieri, ita vt actio factiua sacramenti sit etiam oblatiua victimæ, quæ est eadem cum sacramento. Nulla enim actio factiua sacramenti, & oblatiua habent adinuicem repugnantiam, vt non possint esse eadem ratio realiter.

8 Ad 4. neg. sequel. Eadem enim actio potest ponere Christum sub speciebus, & simul etiam offerre: atque adeo, esset oblatio rei permanentis, & productio ipsius. Et sicuti actiones transeuntes, dum fiunt à oobis in obsequium, & cultum Dei, simul etiam ipsi offeruntur, ita vt ipsum agere in obsequium Dei sit offerre; ita etiam cum Sacerdos habeat potestatem ponendi sub speciebus corpus, & saoguinem Christi, eo ipso, quod ponit, etiam offert, quia ponit, vt repræsenier sacrificium cruentum Crucis in commemorationem ipsius, per quod habetur oblatio. Ad 5. autem negatur assumptum, vt constabit ex dicendis.

9 Fortius Nugnus vrgere poterat ex Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. vbi habet, in sacerdotio traditam fuisse potestatem consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus, & sanguinem Christi, & Can. 1. definit, sacerdotium importare potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum corpus, & sanguinem Domini: Ergo eum ponat consecrare, & offerre, tanquam actus distinctos, non erunt vna, & eadem actio. Resp. neg. consequen. Quia Concilium solum intendit declarare, qualis sit potestas sacerdotalis, & quam vim habeat: hoc autem facit assignando actus, quos potest exercere. Ponit autem actum oblationis seorsim à consecratione, quia Hæretici, contra quos definit, admittebant consecrationem, quam tamen nolebant esse oblationem, quia negabant sacrificium nouæ legis, vt ostenderet, quia consecrando etiam offeruot sacrificium. Si autem potuisset solam esse oblationem, non explicasset facultatem ponendi Christum sub speciebus; & ideo debuit vtrumque explicare,

---

QVÆSTIO 33.

An in Officio Parasceues offeratur sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Officium Parasceues continere sacrificium, qui suadeant.*
2. *Non continet sacrificium.*
3. *In Sabbato sancto cur dicatur non celebrari sacrificium.*
4. *Preceptum audiendi Missam non afficit diem Parasceues incidente festo.*
5. *Cum oblatione vnius speciei non saluatur sacrificium.*
6. *Apud Græcos in quadragesima præter quam Sabbato, & die Dominico non fit consecratio, sed offeruntur præsanctificata, & cur.*
7. *In orationibus officij Parasceues quid intelligatur nomine sacrificij.*
8. *Officio Parasceues non conuenit ratio sacrificij.*
8. *Cur in ipso adhibeatur sacramentum.*
9. *Esse impetraturum, & alia attributa officij Parasceues non sunt propria sacrificij.*

1 PRima sententia asserit, in die Parasceoes offerri verum sacrificium, Ita Nugn. 3. *par. quæst.* 83. *art.* 1. *par.* 2. *difficul.* 2. *post conclus.* 2. ver. *Quintò prob.* Gabr. à S. Vincent. *de Sacrament. disp.* 1. *de sacrific. Miss. quæst.* 4. ver. *Secunda ratio est.* Prob. Recitetur Oratio, *In spiritu humilitatis*, in qua dicitur, *Sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, &c.* Et Sacerdos dicit, *Orate fratres, vt meum, ac vestrum sacrificium acceptabile fiat.* Nec dici potest, quod intelligatur de sacrificio improprio, quia orationes dicuntur in cæteris Missis, in quibus est certum offerri sacrificium: & proinde idem, & eodem modo semper oomen sacrificij significat. Secundò. In illa actione interuenit oblatio religiosa rei permanentis, circa qoam aliquid fit, nam hostia eleuatur benedicitur, frangitur, & consumitur: & proinde illi conuenit definitio sacrificij. Tertiò. Illa actio est actus religionis, & habet omnes effectus sacrificij, nam est impetratoria, & satisfactoria, vt constat ex orationibus, qoæ adhibentur ex illo officio, quæ ordinantur ad obtinendum, quod petitur in ipsis mediante oblatione, quæ tunc fit.

Communis tamen sententia tenet, quod io illa die non offeratur sacrificium. Ita D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 2. *argum.* 2. iuncta responsione ad ipsum. Richard. *in* 4. *dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 2. Gabr. *lect.* 14. *in Can. Miss.* Vgo Victor. *lib.* 3. *Miscellan. cap.* 43. Palud. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. Maior. *dist.* 12. *quæst.* 2. Valdens. *de sacram. cap.* 88. & 89. Raban. *de instit. Cler. cap.* 67. Nauar. *cap.* 25. *Manuel. num.* 88. Couarno. *in cap. Alma mater, par.* 1. §. 5. *num.* 6. & communiter Canonistæ com Glos. *in cap. Visum est, de consecrat. dist.* 3. Suarez *disp.* 75. *de Euchar. sect.* 4. ver. *In confirmatione.* Durand. *de diuin. offic. lib.* 6. *cap.* 77. *n.* 32. Henriquez *lib.* 9. *de Missa, cap.* 8. *num.* 5. & *cap.* 9. *num.* 2. Vasquez 3. *part. disp.* 222. *cap.* 7. *num.* 72. Granad. *controuer.* 6. *cap.* 14. *disp.* 3. *sect.* 4. *num.* 15. Isambert. *quæst.* 83. *disp.* 3. *art.* 1. *in fine.* Mercer. *art.* 1. *dub.* 8. ver. *Ad sextam resp.* Putean. *dub.* 4. ver. *Resp. Ecclesiam.* Syluius *quæsito* 2. *conclus.* 4. ver. *Ad* 1. *argum.* Præposit. *dub.* 7. *num.* 46. Gaspard. Hurtad. *de sacram. disp.* 1. *de sacrif. Miss. difficul.* 8. ver. *Ad secundam.* Caspens. *par.* 2. *Curs. Theol. tract.* 23. *disp.* 1. *sect.* 2. *n.* 25. Tanner. *tom.* 4. *sum. disp.* 5. *sect.* 9. *dub.* 2. *num.* 45. Marinon. *disp.* 38. *de Euchar. sect.* 6. *n.* 67. Auersa *quæst.* 11. *sect.* 2. ver. *Resp. cum communi.* Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 5. *quæst.* 3. *num.* 29. Marchin. *de sacrament. ordin. tract.* 3. *par.* 2. *cap.* 1. *num.* 19. 2

Dicendum est. *In die Parasceues non celebrari, seu offerri sacrificium.* Desumitur ex Innocent. Papa cap. *Sabbato, de consecrat. dist.* 3. dum ait, Traditionem Ecclesiæ habere, isto biduo (Feria sexta Parasceues, & Sabbato sancto,) sacrameota penitus non celebrari: non autem sacramentorum intelligit sacrificia; & posteà etiam Sabbatum sanctum, quia Missa, quæ modo celebratur, est Missa resurrectionis, quæ antiquitus celebrabatur in nocte diei Resurrectionis, vnde adhuc in præfatione dicitur, *Te quidem Domine omni tempore, sed in hac potissimum nocte* & in Oratione *Communicantes* dicitur, *Et noctem sacratissimam celebrantes Resurrectionis, &c.* 3

Facit etiam declaratio S. Congregationis emanata *die* 19. *Febr.* 1622. apud Gauant. *in Rubr. Missal. par.* 3. *tit.* 29. *num.* 24. per quam declarauit, quod, quando incidit festum Annunciationis in Feria sexta Parasceues, non teoentur fideles audire illam Missam, seu Officium, quod tunc celebratur. Et id ea ratione declarauit, quia tunc non offertur sacrificium. 4

Prob. In Feria 6. Parasceues adhibetur vnica tantum species sacramentalis, nempe corpus Christi sum specie panis: Ergo non interuenit sacrificium. Conseq. prob. De iure diuino est, quod sacrificium offeratur cum vtraque specie, vt desumitur ex 5

Coocil.

Concil. Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. vbi de Chriſto ait. *Corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earundem rerum ſymbolis Apoſtolis, quos tunc noui Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem.* Nempe vt offerrent ſub iiſdem ſymbolis, quia præcepit, quod facerent, quod ipſe fecit; obtulit autem ſub vtraque ſpecie: & Can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem; Chriſtum non instituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, vt ipſi, aliique Sacerdotes offerrent, corpus, & ſanguinem ſuum* (hoc eſt, ſub iiſdem ſpeciebus) *anathema ſit:* Ergo cum ſacrificium de iure diuino requirat vtramque ſpeciem, tunc non aderit ſacrificium. Eccleſia namque non diſpenſat, vt in illa die offeratur ſacrificium aliter, ac eſt inſtitutum à Chriſto: præſertim cum non adſit ſufficiens cauſa diſpenſandi.

6 Confir. Apud Eccleſiam Græcam, vt deſumitur ex *Can. 52. Trullano,* & *Can. 49.* Concil. Laodicenſis tempore quadrageſimæ non fiebat conſecratio panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti, præterquàm in Sabbato, & Dominica, & in feſto Annuntiationis B. Virginis; ſed tantum ex præſanctificatis, hoc eſt antea conſecratis à Sacerdotibus fiebat ſacrũ miniſterium, ſicut modo fit in Paraſceue: vbi aduerte, quod non dicitur ſacrum ſacrificium, non alia ratione, niſi quia Eccleſia in diebus luctus, quales ſunt dies ieiuniorum; non putabat eſſe agendum diem feſtum, qualis eſt offerre Deo ſacrificium, vt notat Balſamoo. *in illum Canonem 52. Trullanum,* vbi ita ait. *Sacrificium præſanctificatorum eſt oblatio ſacrificij iam peracti, & perfecti. Ieiuniorum autem dies ſunt dies luctus, & compunctionis in expiationem peccatorum. Et quia Deo ſacrificium offerre eſt feſtum diem agere, ſtatuerunt Patres, non fieri nouam conſecrationem tota quadrageſima, niſi Sabbato, & Dominica, &c.* Ergo ſecundum ſenſum Eccleſiæ Græcæ offerre præſanctificata non eſt offerre ſacrificium. In Paraſceue autem offeruntur ſolum præſanctificata præcedentis diei, in quo cum ſacrificium fuerit peractum etiam quoad conſummationem, non poteſt dici, quod ſit continuatio, aut complectio præcedentis ſacrificij.

7 Ad 1. reſp. In illis otationibus nomine ſacrificij non iotelligi actionem ſacrificandi, ſed rem ſacrificatam. Sacrificium namque pro vtroq; ſumitur, nam aliquando ſignificat actionem ſacrificandi, vt 1. Reg. 2. *Detrahebant homines à ſacrificio Dei.* Nempe ab actione ſacrificandi, aliquando verò rem oblatam in ſacrificio, vt Pſal. 105. *Comederunt ſacrificia mortuorum:* & 1. Reg. 2. *Vt comederetis primitias omnis ſacrificij Iſraël:* & 2. Paralip. 32. *Multi etiam deferebant hoſtias, & ſacrificia.* 1. Iudic. 6. *Portans ſacrificio, & offerens tibi.* Et in hoc ſenſu ſumitur in illis orationibus; verum non videtur euacuata difficultas. Quia in illis orationibus dicitur ſacrificium noſtrum & ſacrificium meum, ac veſtrum: nam per iſta pronomina videtur coarctari ſacrificium, vt ſignificat actionem ſacrificandi. Reſp. Non coarctari ſacrificium per illa pronomina ad actionem ſacrificandi, ſed ſolum ſignificari, quod res illa, quæ dicitur ſacrificium, quia fuit hoſtia oblata in præcedenti ſacrificio, fiat ſacerdotis, & adſtantiam quoad verum pro illo ſacro miniſterio ex deſtinatione Eccleſiæ.

8 Ad 2. neg. Illi actioni conuenire definitionem ſacrificij: nam in primis, cum ſit victima, quæ ſuperfuit ſacrificio, non poteſt de nouo offerri in ſacrificium: vnde deeſt materia apta ad offerendum pro ſacrificio. Deinde id, quod adhibetur in illo miniſterio eſt ſacramentum; non eſt autem conceſſum ſacramentum hominibus ad offerendum in ſacrificium, ſed ſolum in vſum ſanctificandi. Et ideo cum in illo die non ſit ſacrificium, adhibetur ab Eccleſia ſacramentum tanquam participatio anterioris ſacrificij cum illa fractione ſacra, vt in illo quoque die, in quo ceſſat ſacrificium ob commemorationem Dominicæ paſſionis, non careat fructu Dominicæ paſſionis, vt notat etiam D. Th. *3. par. quæſt.* 83 *ar.* 2. *ad* 2. Rurſus illa functio neque eſt inſtituta, neque aſſumitur vt ſignum interioris ſacrificij, quo ſecluſo non poteſt habere rationem ſacrificij, quia deeſt quod formaliter requiritur ad ſacrificium.

Ad 3. Illam actionem eſſe quidem actum religionis, imperatoriam, & ſatisfactoriam, non tamen 9
ſequitur, quod ſit ſacrificium, quia hæc attributa ſunt communia omnibus actibus virtutum, & ideo tanquam generi non conſtituunt actionem in tali; vel tali ſpecie: neque poteſt aliqua actio eſſe ſacrificium, niſi ſit ſignum interioris ſacrificij, atque adeo ordinata ad hoc proteſtandum.

QVÆSTIO 34.

An oblatio vocalis præcedens conſecrationem pertineat ad ſacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Oblatio vocalis eſt pars integralis ritus Miſſæ.*
2. *An ſit pars ſubſtantialis ſacrificij,* & num. ſequent.
5. *Chriſtus non poteſt offerri in offertorio.*
6. *Offertorium omiſſum non eſt ſupplendum.*
7. *Offertorium an pars ſubſtantialis integralis ſacrificij.*
7. *Tempore Apoſtolorum cum quibus orationibus Miſſa celebraretur.*
8. *Subſtantialia ſacrificij quænam ſint.*
9. *Chriſtus an adhibuerit oblationem in ſacrificio vltima cœna.*
10. *Quando alia hoſtia poſt offertorium accipitur eſt facienda noua oblatio.*

CErtum eſt, quod ſi ſumatur ſacrificium; non ſolum, vt dicit ſubſtantialia, ſed prout dicit 1
etiam totum ritum: quo peragitur, hanc oblationem eſſe partem integralem ipſius. Hoc autem pacto includit omnes ritus inſtitutos ab Eccleſia, ex quibus coaleſcit integer modus ſacrificandi. Vnde cum hæc oblatio ſit vnus ex his ritibus, erit etiam pars integralis; verum hoc potius eſt eſſe partem ritus, quàm eſſe partem ſacrificij; nam ſacrificium propriè importat ſubſtantialia. Vnde difficultas eſt, an ſit pars ſubſtantialis ſaltem integralis ſacrificij.

Prima ſententia affirmat, Sacrificium conſiſtere 2
in hac oblatione: & tribuitur Scoto *in 4. diſt.* 13. *quæſt.* 2. §. *Ad quæſtionem.* Sed ibi potius videtur ponere diſtinctum ſacrificium. Quia; cum nondum ſit facta conſecratio, non poteſt in illa oblatione offerri corpus, & ſanguis Chriſti, ſicut debet offerri.

Secunda ſententia aſſerit non pertinere ad eſſen- 3
tiam ſacrificij, eſſe tamen partem integralem ipſius. Ita Bellarmin. *lib.* 1. *de Miſſa, cap* 27. *propoſit.* 4. Henriquez *lib. 9. de Miſſa, cap. 3. num.* 6. & *in Can. littera L.* Fundamentum eſt, quia eſt pars illius actionis, quæ tunc exercetur, & ponitur in omnibus Liturgiis tàm Græcis, quàm Latinis. Verum hoc ſolum probat, quod ſit pars integralis ritualis, non autem pertinens ad ſubſtantiam.

Tertia

Digitized by Google

4 Tertia sententia asserit, nullo modo pertinere ad substantiam sacrificij. Ita Alan. *lib.2. de sacrific. Miss. cap.18.* Suarez *disp.75. de Eucharist. sect. 3. dict. 1.* Facundez *precep.1. Eccles. lib.3. cap.3. num.5.* Vasquez *3. par. disp.222. cap.1. n.10.* Chellison. *quæst.83. art.1. dub. 2.* ver. *Dico 1.* Putean. *dub. 4. conclus. 1.* Syluius *quesito 1. conclus.1.* Præposit. *dub.6. num.33.* Nugn. *par.2. difficul.2.* Mercer. *dub.2. propos.1.* Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp.1. de sacrific. Miss. difficult.4.* Amicus *tom.7. Curs. Theol. disp.33. sect.3. n.43.* Auersa *de sacram. quæst.11. de Eucharist. sect.1.* ver. *Deinde ferè.* Marchin. *de sacram. ordin. tract.3. par.2. cap.1. num.12.* Gabr. à S. Vincent. *de sacram. disp.1. de sacrific. Miss. quæst 4.* ver. *Mihi circa.*

5 Dicendum est. *Oblationem vocalem, quæ præcedit consecrationem non pertinere ad substantiam sacrificij Missæ.* Prob. In sacrificio Missæ debet offerri Christus, seu corpus, & sanguis ipsius, quia Christus instituendo Apostolos Sacerdotes, ordinauit, vt in sacrificium offerrent corpus, & sanguinem ipsius, vt definit Concil. Trident. *sess.22. can.2.* In oblatione autem illa vocali non potest offerri, quia cum nondum sit facta consecratio, nondum adest Christus sub speciebus, vt offerri possit. Nec illa actio alio modo potest pertinere ad substantiam sacrificij, quàm vt oblatio.

6 Confir. Si ista oblatio pertineret ad substantiam sacrificij, sine ipsa sacrificium non haberet sua substantialia; & proinde si ex aliquo accidenti committeretur, esset supplenda, sicut suppletur consecratio alterius speciei, aut etiam consumptio, per alium quoque Sacerdotem, sed non possit consecrans. Hoc autem est falsum, quia nullibi præscribitur hoc supplementum, sicut præscribitur supplementum alterius speciei, & consumptionis.

Dicendum 2. *Oblationem vocalem præcedentem consecrationem non esse partem integralem substantialem, sed merè ritualem.* Sequitur ex dictis. Quia, si esset pars substantialis integralis, non esset sine ipsa sacramentum substantialiter completum. Prob. Tempore Apostolorum in Missis verbis consecrationis addebatur sola Oratio Dominica, vt refert D. Gregor. *lib.1. Registri, Epist.63.* Si autem oblatio vocalis esset pars substantialis integralis, fuisset adhibita ab Apostolis, nam non obtulissent sacrificium incompletum substantialiter.

7 Confir. Totum sacrificium quoad substantiam consistit in oblatione victimæ, siquidem quæ non versantur circa victimam eam attingendo, sunt tantum ritualia, seu præparatiua, seu subsequentia, nam victima est obiectum totius sacrificij substantialiter accepti. Illa autem oblatio vocalis non attingit victimam, cum nondum adsit, sed est tantum præparatio quædam moralis materiæ ex qua facienda est victima. Confir.2. Post oblationem vocalem dicitur Oratio, *Veni sanctificator omnipotens æterne Deus, & benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini præparatum:* Ergo cum sit tantum facta oblatione, præparatum sacrificium nondum erit inchoatum substantialiter, atque adeo oblatio non erit pars integralis substantialis.

8 Dices. Christus adhibuit oblationem, vt constat ex illis verbis. *Gratias agens benedixit, fregit, &c.* Ergo oblatio est saltem pars integralis sacrificij. Resp. neg. anteced. Quia ex illis verbis non colligitur, quod à Christo fuerit facta oblatio panis, nam neque gratias agere est offerre, neque benedicere, neque frangere, cum sint actiones longe diuersæ, & adhibeantur etiam extra sacrificium: & ideo non colligitur ex ipsis aliqua oblatio verbalis adhibita à Christo.

9 Dices 2. Si contingat, quod Sacerdos aduertat ante consecrationem, hostiam esse fractam notabiliter, ita vt populo scandalo esse possit, aut non esse triticeam, aut esse corruptam, debet aliam accipere, & saltem mente offerre: Ergo hæc oblatio est saltem pars integralis sacrificij, alioquin non præscriberet Ecclesia, vt præscribit *in Rubr. tit. Defectu panis, num.4.* & tit. *De defect. in ministerio, num.9.* quod de nouo fiat oblatio. Resp. neg. conseq. Nam ex dicta præscriptione arguitur solum, quod oblatio panis, & vini præcedens consecrationem sit ritualis; & quia Ecclesia non vult materiam consecrari, nisi prius fuerit oblata, ideo præscribit, quod repetatur oblatio, quando substituitur noua materia.

QVÆSTIO 35.

An oblatio vocalis subsequens consecrationem pertineat ad substantiam sacrificij.

SVMMARIVM.

1. *Oblatio in Missa post consecrationem.*
2. *Sacrificium an consistat essentialiter in oblatione post consecrationem,* & num. seq.
4. *Oblatio post consecrationem versatur circa corpus & sanguinem Christi.*
5. *Oblatio post consecrationem non est tradita à Christo.*
6. *Actio sacrificij exercetur in persona Christi.*
7. *Oblatio post consecrationem cur non possit esse actio sacrificatiua.*
8. *Quomodo versetur circa corpus, & sanguinem Christi.*
9. *Actus adæquatus sacerdotalis potestatis in ordine ad sacrificium est offerre, & consecrare.*
10. *Verba illa,* Offerimus præclaræ Majestati tuæ, *cur non sint falsa; licet non sint actio sacrificatiua.*

FActa consecratione Sacerdos facit aliam oblationem, dum dicit, *Vnde & memores Domine nos serui tui, sed & plebs tua sancta eiusdem Christi Filij tui Domini nostri offerimus præclaræ Majestati tuæ Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, &c.* Dubitatur ergo, an in hac oblatione consistat essentia sacrificij saltem partialiter. 1

Prima sententia est affirmatiua. Ita Clitonæus *lib.2. contra Luther. cap.16.* Scot. *in 4. dist.13. quæst.2. §. Ad quæstionem.* ver. *Si obijcit.* Gabr. *quæst.1. art.3. dub.2. in fine.* Qui videntur velle præsertim Scotus, quod tota ratio sacrificij consistat in hac oblatione supposita tamen consecratione tanquam præparatione materiæ: vnde dicunt Eucharistiam de se esse sacrificium aptitudinaliter, quatenus est apta, vt offerri possit. 2

Secunda sententia asserit oblationem istam esse quidem de essentia sacrificij, non tamen esse totam essentiam, quia constat sacrificium essentialiter etiam aliis actionibus. Ita Sotus *in 4. dist.13. quæst.2. art.5.* Canus *lib.11. de locis Theolog. cap.13. art.4.* Castro *lib.10. contra hæres. verb.* Missa, *heresi 2.* Viguer *cap.16. Instit. Theol. §.3. ver. 11. init.* Azor. *par.1. Instit. Moral. lib.15. cap.19. quæst. 1.* Henriquez *lib.9. de Missa, cap.9. n.1.* & *in Com. littera A.* vbi alios citat. Fundamentum est, quia hæc oblatio versatur circa corpus, & sanguinem Christi: Ergo erit oblatio, quæ constituit sacrificium, cum in consecratione non interueniat. Secundò, Concil. Trid. *sess.23. cap.1.* tribuit potestati sacerdotali tanquam actus proprios, & distinctus consecrare, & offerre sacrificium, 3

Digitized by Google

sacrificium, actus autem propriùs Sacerdotalis potestatis attingentis victimam, est sacrificare.

4 Tertia sententia asserit hanc oblationem nullo pertinere ad essentiam, aut substantiam sacrificij, sed sine ipsa completum esse quoad substantiam. Ita Suarez *disput.75. de Euchar ist. sect.3.* ver. *Secundò dicendum est.* Vasquez *3. part. disp. 222. cap. 1. num. 8.* ver. *Ego verò.* Valent. *tom. 4. sum. disp. 6. quæst. 11. punct. 1. quæst. 1. §. 2.* ver. *De quæstione* Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 3. num. 8.* Reginald. *lib. 29. Praxis fori pænit. cap. 9. sect. 1. num 147.* Præposit. *3. part. quæst 83. art. 1. dub 6. num. 33.* Mercer. *dub. 2. propos. 2.* Chellison. *dub. 2. dicto 1.* Putean. *dub. 4. conclus. 2.* Syluius *quæsito 2. conclus. 1.* Gaspar. Hurtad. *De sacrament. disp. 1. de sacrific. Miss. difficult. 5.* Auersa *quæst. 11. de Euchar. sect. 2.* ver. *Et patet facilè.* Lugo Card. *disp. 19. de Eucharist. sect. 3. n. 38.* Martinon. *disp. 38. sect. 6. n. 61.* Franciscus Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 2. quæst. 1. num. 10.* Marchin. *de sacrament. ord. tract. 3. p. 2. cap. 1. num. 12.*

5 Dicendum est. *Oblationem verbalem, quæ fit post consecrationem esse tantum Ritualem, & non pertinere ad essentiam aut substantiam sacrificij.* Prob. Christus non vsus est hac verbali oblatione, neque illam tradidit Apostolis tanquam adhibendam in oblatione sacrificij: Ergo non pertinet ad substantiam sacrificij. Anteced. constat, quia nullus Euangelistarum refert talem oblationem, cum tamen referant modum, quo Christus obtulit sacrificium, & quem tradidit seruandum ab Apostolis, & cæteris Sacerdotibus. Conseq. probat. Christus in vltima cœna instituit Apostolos Sacerdotes, & ipsis ordinauit quod offerrent sacrificium, vt tradit Concilium Trident. *sess. 22. cap. 1.* per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et tradidit modum offerendi, dum dicit, quod facerent, quod ipse fecit: Ergo illa vocalis oblatio post consecrationem non pertinet ad substantiam sacrificij, quia non fuit tradita, nec adhibita à Christo, dum tradidit modum seruandum, cum tamen totam substantiam sacrificij tradiderit.

6 Confirm. Ista oblatio non fit in persona Christi, vt per se patet: Ergo non pertinet ad substantiam sacrificij. Conseq. prob. In hoc sacrificio principalis offerens est Christus, vt tradunt communiter Patres, & docet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 2. de Eucharist.* Ergo, cum Christus concurrat ad totam substantiam sacrificij vt principalis offerens, actio, quæ non exercetur in persona Christi non potest pertinere ad substantiam sacrificij.

7 Confirm. 2. Per hanc actionem nulla mutatio fit circa victimam, cum sit tantum deprecatio quædam, seu verbalis declaratio ministerij exhibiti tunc Deo: Ergo non potest pertinere ad substantiam sacrificij tanquam actio sacrificatiua, quia actio sacrificatiua debet immutare victimam. Nec potest alio modo pertinere; nam si pertineret tanquam oblatio, atque adeò actio sacrificatiua pertineret.

8 Ad 1. Secundæ sententiæ resp. Hanc oblationem versari circa corpus, & sanguinem Christi non factiuo modo, sed modo speculatiuo, seu deprecatiuo, & declaratiuo. Vt autem aliqua actio pertineat ad substantiam sacrificij, debet versari circa victimam factiuo, modo, non debet circa ipsam aliquid operari. In illa aut vocali oblatione Sacerdos rogando Deum, declarat, quid exhibeat Deo in illo ministerio, quod explicatur per tempus præsens, quia licèt sacrificium sit peractum quoad oblationem, durat tamen adhuc in suis partibus virtualibus. Et nondum sit consumptum, rogat Deum pro effectu sacrificij obtinendo in consumptione vt declarant preces subsequentes.

9 Ad 2. Concil. Trid. non tribuere potestati Sacerdotali illos actus tanquam distinctos, sed tanquam vnicum; vsus est autem diuersis vocabulis nempe consecrandi, & offerendi, vt explicaret adæquatè actum proprium Sacerdotalis potestatis in ordine ad sacrificium. Nam Hæretici negabant, quod iste actus esset oblatio sacrificij, & solum admittebant consecrationem. Concil. autem declarat, quod iste actus nedum sit consecratio, sed etiam oblatio, ita vt vtrumque includat.

Dices. Si illa oblatio non pertineret ad substantiam sacrificij falsò diceret Sacerdos, *Offerimus præclarè, maiestati tuæ:* nam reuera non offerret. resp. Falsò diceret, si illa verba referantur ad oblationem substantialem: secus autem si referantur ad ritualem. Nam oblatio substantialis perficitur vera actione oblatiua: Ritualis verò complectitur totum ritum sacrificij, & ideò verificantur, quandiu durat sacrificium, quia totus ritus computatur per modum vnius actionis oblatiuæ ritualis. Sic etiam subditur, *Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime Altare tuum, &c.* Sic etiam ante consecrationem pluries adhibetur verbum offerendi, quod videlicet verificatur solum de oblatione rituali. Verba enim debent accipi secundum subiectam materiam, de qua proferuntur. 10

QVÆSTIO 36.

An sacrificium Missæ includat tanquam partem essentialem fractionem Hostiæ, & mixtionem.

SVMMARIVM.

1. *Fractio Hostiæ an sit pars essentialis sacrificij,* & num. seq.
1. *Fractio Hostiæ quid repræsentet.*
2. *Fractio Hostiæ est ritus communis, etiam Ecclesiæ Græcæ.*
4. *Omissa fractione Hostiæ sacrificium non est imperfectum.*
5. *Fractio Hostiæ quando omittenda.*
6. *Tota substantia sacrificij est in oblatione.*
6. *Fractio an sit immutatiò victimæ.*
7. *Quomodo fractio Hostiæ significet fractionem corporis Christi.*
8. *Sensus cap.* Cum frangitur, *de consecrat. dist. 2.*
8. *Fractio panis facta à Christo in vltima cœna præcessit consecrationem.*
9. *Christi Passio, Resurrectio, & Ascensio repræsentatur in sacrificio Missæ.*
10. *Mixtio particulæ Hostiæ in Calice non pertinet ad substantiam sacrificij.*

PRima sententia asserit, fractionem esse partem essentialem sacrificij. Ita Canus *lib. 12. de locis Theolog. cap. 13. ad 4.* Valent. *tom. 4. sum. disp. 6. qu. 11. punct. 1. quæstiune. 1. §. 2.* ver. *De quæstione.* Estius *in 4. dist. 13. §. 12.* Prob. Fractio repræsentat fractionem corporis Christi in Cruce, iuxta illud 1. Corinth 11. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur:* & habetur ex cap. *Cum frangitur, de consecrat. dist. 2.* Secundò. Illæ actiones sunt de essentia sacrificij, quas exercuit Christus in vltima cœna offerendo seipsum Patri in sacrificium; sed exercuit etiam fractionem, iuxta illud Euangelistæ ...... *Fregit, deditque discipulis suis.* 1

Secunda sententia asserit, esse partem integralem sacrificij. Ita Bellarm. *lib. 1. de sacrif. Miss. cap. 27. propos. 6.* Quia nimirum adhibetur in Lyturgiis omnibus tàm Græcis, quàm Latinis. Verum hoc solum probat, quod sit ritus cómunis tàm Ecclesiæ Græcæ, quàm Latinæ: non auté, quod sit pars integralis integrans substantiã sacrificij, sed tantum integrans ritũ. 2

3 Tertia sententia asserit, nullo modo pertinere ad substantiam sacrificij. Ita Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1. ver. Sed rogas.* Henriquez *lib. 9. de Missa, cap. 9. num. 11. & in com. littera O.* Suarez *disp. 25. de Eucharist. sect. 3. vet. Dico 3.* Facundez *pracep. 5 Eccles. lib. 3. cap. 3. num. 9.* Vasquez *3. par. disp. 222. cap. 2. num. 13. & 14.* Præposit. *quæst. 83. art. 1. dub. 5. num. 34.* Mercet. *dub. 2.* Proposit. *dub. 6. num 34.* Syluius *quæsito 2. conclus. 2.* Putean. *dub. 4. conclus. 3.* Chellisson. *dub. 2. dicto 3.* Gaspat. Huttad. *de sacram. disp. 1. de sacrific. Missæ, diffic. 6.* Coninch *quæst. 83. ar. 1. dub. 5. num. ....* Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 2. ver. Et patet.* Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disp. 38. sect. 3. num. 49.* Martin. *de sacram. ordin. tract. 3. par. 2. cap. 1. n. 12.* Logo Card. *disp. 19. sect. 3. n. 40.*

4 Dicendum est. *Fractionem non esse partem essentialem sacrificij, neque pertinere ad eius substantiam, sed esse tantum partem ritualem.* Ita D.Th. *3. part. quæst. 83. art. 6 ad 6.* Vbi docet, omissionem fractionis & mixtionis non reddere sacrificium imperfectum, ita vt necesse sit aliquid reiterare.

5 Ratio est. Quia, si contingat ante fractionem hostiam decidere in calicem, ita vt tota sanguine madefiat, præscribit Ecclesia in Rubric. Missal. *Tit. de defectib. occurrentib. in minister.* Quod Missa continuetur, nihil reiterando omittendo fractionem, & alia signa: Ergo non pertinet ad substantiam sacrificij, quia si pertineret, præciperet Ecclesia, quod suppleretur, sicut præcipit de ceteris. Confir. Tota substantia sacrificij consistit in oblatione, ita vt quod est extra lineam oblationis non sit de substantia sacrificij, siquidem sacrificium est in genere oblationis protestatiuæ, & ideo secundum totam suam substantiam debet intra idem genus determinari: Ergo cum fractio non sit oblatio, siquidem iam præcessit oblatio, non poterit pertinere ad substantiam sacrificij.

6 Dices. Pertinere ad oblationem tanquam immutationem victimæ, quæ fit in sacrificio. Contra. Dum frangitur hostia totus Christus remanet sub qualibet parte, vt definit Concil. Trident. *sess. 13. can. 3.* Ergo, cum Christus in hoc sacrificio sit victima, & nulla in ipso per fractionem fiat immutatio, non importabit illam mutationem, quæ fit in victima. Non sic de manducatione, quia verè corpus Christi sub speciebus panis deglutitur: at non frangitur sub speciebus, cùm totum remaneat sub qualibet parte: vnde modus existendi sub speciebus repugnat fractioni.

7 Ad 1. primæ sentent. resp. Fractionem, quæ fit in Missa significare fractionem corporis Christi in Cruce ex institutione Ecclesiæ, non autem ex institutione Christi; & ideo significat tanquam ritus, non tanquam sacrificium. Ad prob. Illa verba, *Quod pro vobis frangitur* idem significare, ac quod pro nobis datur, seu offertur, vt constat ex eisdem verbis Christi ab aliis Euangelistis relatis. Ad Cap. *Cum frangitur. De consecrat. dist. 2.* resp. ibi non esse sermonem de fractione, quæ fit in Missa, sed de fractione panis consecrati in ordine ad distributionem, vt declarant subsequentia verba; ita enim ibi habetur: *Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quam Dominici corporis in Cruce immolatio, eiusque sanguinis de latere effusio significatur;* iuxta illud Apost. 1. ad Cor. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortē Domini annunciabitis.* Quia scilicet mors Christi in Cruce recolitur etiam in participatione sacrificij, quia participatio sacrificij, ratione victimæ dicit ordinem ad actionem sacrificationam.

8 Ad 2. Fractionem panis factam à Christo in vltima cœna, non fuisse fractionem panis consecrati, nam præcessit consecrationem, quia priùs fregit, antequam diceret, *Hoc est corpus meum*: & ideo fractio hostiæ, quæ fit in Missa non correspondet illi fractioni, quia fractio, quæ fit in Missa est ritualis ordinata ad mysterium; fractio verò facta in vltima cœna fuit ordinata ad distributionem.

Instabis. Ex Concil. Ephesino *in epist. ad Nestorium.* In hoc sacrificio repræsentatur Christi passio, resurrectio, & ascensio: Ergo istæ actiones, cum habeant significationem horum mysteriorum pertinent ad substantiam sacrificij. Resp. In hoc sacrificio adæquatè sumpto, quatenus includit substantiam, & vinum repræsentari illa Mysteria, & hoc intendit Concilium Ephesinum, non autem in sacrificio accepto secundum suam propriam substantiam, quia tali pacto repræsentat solum sacrificium Crucis. 9

Ex dictis colligitur. Neque mixtionem particulæ hostiæ in calice pertinere ad substantiam sacrificij, sed esse tantum ritum ab Ecclesia institutum. Quod ex eo conuincitur, quia Christus in vltima cœna obtulit sacrificium perfectum secundum substantiam, & tamen non miscuit panem consecratum cum Calice. 10

QVÆSTIO 37.

An distributio Eucharistiæ pertineat ad substantiam sacrificij.

SVMMARIVM.

1. *Missa priuata quænam dicantur ab Hæreticis.*
1. *Missa, in qua solus Sacerdos communicat est licita.*
1. *Sed est priuata, sed adhuc publica.*
2. *Distributio facta à Christo in vltima cœna non infert necessitatem distribuendi in Missa Eucharistiam.*
3. *Quam cœnam priuatam reprehendat Apostolus ad Corinth.*
4. *Distributio Eucharistiæ non pertinet ad substantiam sacrificij.*
5. *Si pertineret, Missa in qua solus Sacerdos communicat, esset illicita.*
6. *Sacrificium secundum totum suum esse, est actus sacerdotalis potestatis.*
6. *Sumptio Eucharistiæ non esset licita extra sacrificium, si esset pars substantialis.*
7. *Eucharistiæ sumptio quomodo arguat immolationem Christi.*

SVpponendum est; Lutherum, & sequaces reijcere Missas priuatas. Nomine autem Missæ priuatæ intelligunt eas, in quibus solus Sacerdos communicat, & proinde videntur sentire, quod communicatio adstantium requiratur, non quidem ad complementum sacrificij, quia non admittunt sacrificium in Missa, sed ad complementum illius mysterij. Verum Concilio Trident. *sess. 22. can. 8.* ita definit. *Si quis dixerit Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.* Et *cap. 6.* Reddit rationem, cur neque in hoc sensu sint priuatæ quia videlicet offerantur à publico ministro Ecclesiæ, atque adeo nomine Ecclesiæ, ita vt fructus ad omnes fideles pertineat, qui spectant ad corpus Christi mysterium. Vnde neque etiam in lege veteri semper ij participabant de sacrificio, pro quibus offerebatur. Et Hanc Catholicam veritatem defendunt qui scripserunt contra Hæreticos prædictos, Caiet. *3. part. quæst. 80. art. 12. quæst. 1. ad 2.* Valent. *tom. 4.* 1

sum.

ſum. diſp.6. quæſt.11. punct.1. quæſtiunc.2. §.4. Bellarmin. *lib.2. de ſacrific. Miſſæ, cap.9.* ver. *Vltimò priuata,* & *cap.10. ad 4. obiect.*

2 Nec obſtat. Quod Chriſtus dixerit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quia quamuis ipſe diſtribuerit diſcumbentibus ſacrificium oblatum, non tamen ita intellexit de diſtributione, vt voluerit, eſſe ſemper annexam ſacrificio, ſed ſolum generaliter iniunxit, quod diſtribuerent Euchariſtiam tamquam paſtores ſuis ouibus, proinde iuxta ipſarum indigentiam, nam ex natura rei ſequitur, quod tunc paſtos debeat paſcere oues, quando indigent: & iden Chriſtus reliquit hanc obligationem iniunctam ſacerdotibus determinandam iuxta rei naturam.

3 Nec ſubſiſtit alia obiectio, quod Apoſtolus nimirum 1. *ad Corinth.* 11. reprehendat priuatam Cœnam, & dicat, non poſſe Dominicam Cœnam celebrari, vbi agitur priuata, quaſi communio ſolius celebrantis ſit priuata cœna. Qui ibi Apoſtolus per Dominicam Cœnam non intelligit diſtributionem Euchariſtiæ. Sed cœnam, quam in communi celebrabant fideles, ad repræſentandam cœnam vltimam Chriſti cum diſcipulis, vt conſtat ex illis verbis, *Vnus eſurit, alius autem ebrius eſt.* Quæ non habent locum in participatione Euchariſtiæ. Ita Chryſoſtomus explicans illum locum, & alij communiter. Reprehendit autem Coninch. Quia diuites non admittebant pauperes ad ſua fercula, qui eſuriebant, quia non habebant, vnde ſaturarentur, & ideo faciebant priuatam cœnam de communi, vt conſtat ex illis verbis, *Vnuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum.*

4 Dicendum eſt. *Diſtributionem Euchariſtiæ, quæ fiat præſentibus ſacrificio non pertinere ad ſubſtantiam ſacrificij.* Eſt certum apud Catholicos; quia in plurimis Miſſis nulla fit diſtributio Euchariſtiæ: imò rarò fit. Ita autem ſpecialiter tradunt Henriquez *lib.9. de Miſſa, cap.9. num.12.* Bellarmin. *lib.1. de ſacrific. Miſſ. cap.27. propoſit.7.* Suarez *diſp.75. de Euchariſt. ſect.3. in fine.* Facundez *præcep.1. Eccleſ. lib.3. cap.3. num.11.* Reginal. *lib.29. praxis fori pœnit. cap.9. ſect.1. num.147.* Vaſquez *3. part. diſp.222. cap.2.* Præpoſit. *quæſt.83. art.1. dub.6. num.35.* Putean. *dub.4. concluſ.4.* Mercer. *dub.5. propoſit.4.* Coninch *dub.5. n.89.* Auerſa *quæſt.11. de Euchar. ſect.2.* ver. *Et poteſt.* Marchin. *de Sacram. Ordin. tract.3. par.2. c.1. n.8.*

5 Prob. Concil. *ſeſſ.22. can.8.* definit, Miſſas in quibus ſolus Sacerdos communicat, non eſſe illicitas. Eſſent autem illicitæ, ſi diſtributio Euchariſtiæ adſtantibus eſſet pars ſubſtantialis ſacrificij, nam ſacrificium remaneret ſubſtantialiter imperfectum, quod eſt contra reuerentiam debitam ſacrificio.

6 Confir. Sacrificium ſecundum totum ſuum eſſe ſubſtantiale eſt actus, omninò proprius ſacerdotalis poteſtatis. Miniſtrare autem Euchariſtiam non eſt actus ſacerdotalis poteſtatis ita proprius, vt non poſſit inferiori committi, nam committi poteſt Diacono: & antiquitus, quando fiebat communio ſub vtraque ſpecie, miniſtrabat ſanguinem. Confirm.2. Miniſtratio Euchariſtiæ non eſt oblatio, ſed participatio rei oblatæ: itavt præſupponat victimam immolatam. Sacrificium autem eſt in genere oblationis, & intra ipſum debet compleri. Confir.3. Poteſt dari miniſtratio Euchariſtiæ ſine ſacrificio, vt cum quis ſumit miniſtratam Euchariſtiam ex præſanctificatis. Si autem ſumptio eſt pars ſubſtantialis, non eſſet licita extra ſacrificium, quia non eſt licitum ponere ſolam partem ſubſtantialem ſacrificij.

7 Obiicitur ex D. Gregor. *lib.4. Dialog. cap.58.* Chriſtus pro nobis in hoc myſterio immolatur; & reddens rationem inquit, *Eius quippe corpus ſumitur, & ſanguis, non in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur:* Ergo immolatio conſiſtit in ſumptione. Reſp. neg. conſeq. Quia D. Gregor. non reddit rationem formalem, cur Chriſtus in hoc ſacrificio immoletur: ſed tantùm aſſignat rationem à poſteriori, nam ex participatione victimæ ſacrificatæ infert ſacrificium, iuxta illud 1. ad Corinth. 10. *Nonne qui edunt hoſtias participes ſunt Altaris!*

QVÆSTIO 38.

An conſumptio, quæ fit à Sacerdote pertineat ad eſſentiam ſacrificij.

SVMMARIVM.

1. *Conſumptio eſt tota ratio ſacrificij ſecundũ aliquos.*
2. *Simul cum conſecratione ſecundum alios conſtituit ſacrificium.*
3. *Chriſtus in vltima cœna conſumpſit ſacrificium.*
4. *Conſumptio non eſt tota eſſentia ſacrificij.*
5. *Conſumptio non pertinet ad eſſentiam ſacrificij.*
6. *Patres, ex quibus id ſumitur.*
7. *Suffragantur Euangeliſtæ.*
8. *Conſumptio non eſt actus proprius poteſtatis ſacerdotalis.*
9. *Sacrificare eſt actus proprius poteſtatis ſacerdotalis.*
10. *Chriſtus vt ſempiternus Sacerdos, eſt principalis offerens.*
11. *Conſumptio non eſt apta exerceri in perſona Chriſti.*
12. *Conſumptio non dicit deſtructionem victimæ requiſitam in ſacrificio.*
13. *Deſitio Chriſti ſub ſpeciebus non eſt apta pro immutatione victimæ.*
14. *Conſumptio, licet ponat Chriſtum in via deſitionis non eſt apta pro immutatione victimæ.*
15. *Conſumptio non poteſt eſſe actio ſacrificatiua.*
16. *Conſumptio eſt pars integralis ſacrificij.*
16. *Sacerdos cur debeat conſumere ſacrificium.*
17. *Quæ deſtructio victimæ requiratur in ſacrificio Miſſæ.*
18. *Ex Concil. Tolet. colligitur conſumptionem ſupponere ſacrificium peractum.*
19. *Conſumptio ſacrificij facta à Chriſto, non infert eſſe partem eſſentialem.*
20. *Conſecratio ſiſtit victimam ad altare, & offert.*
21. *Frangi, & fundi in ſacrificio vltimæ cœnæ dicitur in ordine ad oblationem.*
22. *Sacrificium cur debeat conſumi ab alio Sacerdote, ſi conſecrans fiat impotens.*
22. *Cur conſecranda alia Hoſtia, aut Calix, ſi conſecratus ſumi non poſſit.*
23. *Ad holocauſtum quid requiratur.*

PRima ſententia aſſerit, non ſolum pertinere ad eſſentiam ſacrificij, ſed in ea ſitam eſſe totam rationem ſacrificij. Ita Ledeſma *1. par. 4. quæſt.23. art.4. in fine.* Gabr. à S. Vincent. *de ſacram. diſp.1. de ſacrific. Miſſ. quæſt.4.* ver. *Noſtra ſententia.* Fundamentum eſt. Quia de ratione ſacrificij eſt, quod in re oblata fiat aliqua immutatio, per quam aliquo modo conſumatur. In ſola autem conſumptione fit immutatio victimæ, cum manducetur. Secundò. In hoc ſacrificio debet repræſentari mors Chriſti, & eius ſepultura. Repræſentatur autem in conſumptione, 1. ad Cor. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* 1

Secunda ſententia aſſerit, pertinere ad eſſentiam ſacrificij tanquam partem eſſentialem, itavt conſiſtat tàm in conſecratione, quàm in conſumptione. Ita Sotus, qui malè à quibuſdam pro præcedenti ſententia citatur, *in 4. diſt.13. quæſt.1. art.3. §. Dubium* 2

ergo, & *quæst.2. art.1. §. Sed rogas.* Canus *lib.12. de locis, cap.13. §. Quarum verò.* Gabr. *lect.26. in Can. Missæ.* Viguer. *cap.16. Theolog. instit. §. 3. ver. 11. init.* Bellarmin. *lib.1. de Missa, cap.27. propos.7.* Castro *lib.10. contra heres. verbo* Missa, *heresi 2. §. Propter istam.* Henriquez *lib.9. de Missa, cap.9. num.1.4. & 5.* Azor. *part. 1. lib.10. cap. 19. quæst.1. in fine.* Valent. *tom.4. disp.6. quæst.11. punct.11. quæst.1. §.2.* Facundez *præcep. 1. Eccles. lib. 3. cap. 4. num. 25.* Reginald. *lib.29. praxis fors pœnit. cap.9. sect.1. num.147.* Scortia *de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 5.* Putean. *3. part. quæst.83. dub.4. conclus. vlt.* Lugo Cardin. *disp. 19. de Eucharist. sect. 5.* Auersa *quæst.11. de Eucharist. sect.2. ver. Tertia sententia.* Amicus *tom.7. Curs. Theol. disp. 33. sect.3. num. 58.* Francisc. Lugo *lib.5. de Sacrament. cap.2. quæst.3. num.43.*

3 Prob. Ex Concil. Tolet. 11. relato in cap. *Relatum, de consecrat. dist. 2.* Quale *sacrificium erit, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* Quasi significet, absque hac participatione sacrificantis non esse sacrificium. Secundò. Christus instituendo hoc sacrificium, & ipse sumpsit, vt colligitur ex illis verbis; *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.* Et, *Non bibam amodò ex hoc genimine vitis, &c.* Vnde quando dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*, ad vtrumque retulit consecrationem, & sumptionem. Tertiò. Per consecrationem victima sistitur ad Altare; non autem immolatur, nam Genes. 22. Abraham posuit filium suum super Altare, nec tamen immolauit: Ergo requiritur aliqua alia actio ad complendum sacrificium. Hæc autem est sumptio. Quartò. Christus in vltima cœna sumpsit corpus, & sanguinem suum, quod significant illa verba, *Quod pro vobis datur*, ex text. Græco, *Frangitur*: & de Calice, *Qui pro vobis funditur*, nam frangere dicit distribuere ad manducandum, iuxta illud Esaiæ 58. *Frange esurienti panem tuum*: & fundere dicit destructionem rei liquidæ, quæ offerebatur in sacrificio: Ergo cum sint essentiales sacrificio actiones, quas Christus sacrificando in vltima cœna exercuit, consumptio Sacerdotis erit essentialis, quia in suis verbis eum Christus expressit, quibus confecit sacrificium. Quintò. Si contingat sacrificium non posse consumi à celebrante, debet etiam à non ieiuno consumi, quamuis seruari possit. Hoc autem non esset necessarium, si consumptio non pertineret ad essentiam sacrificij, nam si adesset præceptum, licet diuinum, cessaret, dum fit impotens, qui debet implere, vt constat etiam in aliis præceptis diuinis.

4 Tertia sententia asserit, consumptionem non pertinere ad essentiam sacrificij. Ita Alan. *lib. 2. de sacrific. Missa, cap.15.* Toletan. *in Apologia, cap. 15.* Oxoniens. *de sacrific. cap. 71.* Catherin. *Opusc. de sacrific. Miss.* Palat. *in 4. dist.8. disp.1. & 4.* Turrian. *in lib.8. constit. Apostol. cap.5.* Ricard. *art.6. contra Luther.* Casalius *lib.2. de sacrif. Missa, cap.25.* Arcad. *lib.5. de sacram. cap.57.* Alphonsius de Lenne *de offic. Capel. quæst.7. sect.4.* Suarez *disp.75. de Euchar. sect.5.* Martin. *disp.38. sect.4. n.43.* Vasquez *3. part. disp.222. cap.4. & 5.* Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp.1. de sacrific. Missa, difficul. 7.* Caspens. *part. 2. Curs. Theol. tract.25. disp.1. sect.2. num.23.* Lessius *lib. 2. de Iust. & iure, cap.38. dub.2.* & *lib.12. de perfect. diuin. cap.3.* Tanner. *tom.4. sum. disp. 5. quæst. 9. dub.2. num.41.* Mercer. *3 par. quæst.83. art.1. dub.2. proposit.5.* Syluius *quæsito 2. conclus.3.* Chellissen. *dub. 2. dicto 2.* Præposit. *dub. 2. num. 47.* Malder. *2. 2. tract.10. cap.3. dub.1. §. Ad quartum.* Coninch *de sacram. quæst.83. art.1. dub.5.* Palaus *part.4. oper. moral. tract.22. disp. vn. punct.2. num.2.* Bannius *tom.1. Theol. mor. lib.5. quæst.4. assert.2.*

5 Dicendum 1. *Consumptionem factam à celebrante non importare totam essentiam sacrificij.* Constat ex supradictis, vbi ostensum est, consecrationem esse de essentia sacrificij; & etiam ex dicendis, amplius constabit. Et ratio est. Quia certum est, quod sacrificium consistit essentialiter in illa actione, quam exercuit Christus in vltima cœna, quando seipsum obtulit in sacrificium, & quam iniunxit faciendam Apostolis, & Successoribus, quando tradidit potestatem offerendi sacrificium, dicens, *Hoc facite in meam commemorationem.* Hæc autem non fuit saltem sola consumptio, sed consecratio, quia certum est ex relatione Euangelistarum, quod Christus consecrauit, & quod hanc actionem iniunxit Apostolis; & non est certum, quod sumpserit de sacrificio: vnde nec est certum, quod hanc actionem iniunxerit discipulis, iniungendo, quod facerent, quod ipse fecit. Siquidem iniunxit actionem, quam referont exercitam fuisse à Christo.

6 Dicendum 2. *Consumptionem sacrificij non pertinere ad essentiam sacrificij.* Hæc est sententia D. Thom. *3. part. quæst.79. art.5.* Vbi habet, Eucharistiam habere rationem sacrificij, in quantum offertur, & rationem sacramenti in quantum sumitur, & *art.7. ad 3.* Quod sumptio pertinet ad rationem sacramenti, & oblatio ad rationem sacrificij: & *quæst.83. art.4. in corpore.* Sacrificium esse peractum, cum Sacerdos dicit, *Supra quæ, propitio ac sereno vultu respicere digneris*: & *quæst.80. art.12. ad 3.* Quod repræsentatio passionis Christi habetur in ipsa consecratione, & ideo non debet corpus sine sanguine consecrari. Sacrificium autem consistit in tali repræsentatione.

7 Desumitur autem ex Patribus, quatenus docent, quod peracta consecratione sit etiam absolutum sacrificium. Cyril. Catech. 5. Myst. *Deinde verò postquam confectum est spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum pro communi Ecclesiæ pace.* Hæc autem obsecratio fit ante sumptionem in omnibus Liturgiis. Gregor. Nyssen. orat. 1. de Christi Resur. *Cum Corpus suum discipulis congregatis edendum, & sanguinem bibendum præbuit, tunc aperte declarauit, agni sacrificium iam esse perfectum; nam victima corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cum corpus edendum, & sanguinem bibendum discipulis exhibuit, iam arcana, & non aspectabili ratione corpus erat immolatum.*

8 Desumitur etiam ex narratione Euangelistarum. Nam expressè dicunt, quod Christus consecrauit referendo verba consecrationis, sicut etiam facit Apostolus 1. *ad Corinth.* 11. & tamen non referunt, quod Christus sumpserit de sacrificio. Rursus dicunt, quod tradens Christus Apostolis potestatem offerendi sacrificium, dixit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Hoc est, Facite, quod ego facio. Si autem sumptio sacrificij esset de essentia non omisissent narrare factam esse à Christo, quia verba illa, *Hoc facite, &c.* referuntur ad actionem Christi narratam.

9 Prob. Sacrificium, quatenus est actio sacrificandi, esset actus proprius potestatis, & characteris sacerdotalis, ad quem per se primò ordinatur. Hæc autem potestas non ordinatur per se primò ad sumptionem sacrificij, sed ad consecrationem. Maior est de fide ex illo Apostoli ad Hebr. cap. 7. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Ecce ergo, quomodo offerre sacrificium, est actus proprius, propter quem constituitur Sacerdos. Min. etiam definitur à Concilio Tridentino *sess. 23. can. 1.*

de

de sacrament. Ordin. vbi ita habet. *Si quis dixerit, non esse in nouo Testamento Sacerdotium visibile, & externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum Corpus, & Sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi*, &c. *Anathema sit.* Actus ergo consecrandi, & offerendi est proprius, ad quem per se primò ordinatur potestas Sacerdotalis, non autem consumptio. Nec obstat, quod c. 1. *illius sess.* addat esse potestatem ministrandi corpus, & sanguinem Christi, nam ministrare dicitur respectu non sacrificantium, quod ex commissione conuenire potest Diacono, non autem est consumere sacrificium. Rursus in forma, qua consecratur Sacerdos, potestas, quæ illi traditur in ordine ad sacrificium explicatur solum per actum offerendi. Nec dici potest, quod potestas Sacerdotalis sit etiam in ordine ad consumptionem, vt ad actum connexum. Nam solum est in ordine ad ipsam vt quid consequens, ad oblationem sacrificij, & proinde vt ad certum supponentem sacrificium iam peractum, quia consumptio sacrificij, dicit victimam immolatam iam esse.

10 Confirm. In sacrificio Missæ, principalis sacrificans est Christus, & minister sacrificat nomine Christi. Vnde Apostolus ad Hebr. 7. habet, quod alio non Sacerdotium morte finitur, Christus autem habet sempiternum Sacerdotium, & tradit Concil. Trident. *sess. 22. cap. 2. de sacrific. Missæ.* dum dicit, quod nunc Christus offert Sacerdotum ministerio: Ergo sacrificium in illa tantum actione consistit, quæ exercetur nomine Christi, & in persona Christi, vt ex illis verbis præparatoriis, *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, &c.*

11 Dices. Etiam consumptionem exerceri nomine Christi, nam cum consecratio sit in ordine ad consumptionem eo ipso, quod consecratio fit nomine Christi, fit etiam consumptio tanquam consequens ad consecrationem. Contra consumptio sacrificij est perceptio sacramenti in ordine ad ipsius effectum obtinendum, & ad participandum fructum sacrificij: Ergo non est actio apta exerceri in persona Christi, quia ipsi repugnat, nam non potest percipere fructum sacrificij. Confirm. Totus fructus sacrificij correspondens offerentis est proprius primò, & per se ipsius offerentis, itavt quoad hanc portionem sit principalis participans: Ergo non consumit nomine Christi, alioquin Christus deberet esse principalis participans, & Sacerdos non participaret, nisi nomine Christi.

12 Confirm. 2. Ideò consumptio esset pars essentialis, quia importaret destructionem victimæ necessariam pro sacrificio. Sed non importat: Ergo non est pars essentialis. Minor probat. Tota mutatio, quæ fit in consumptione, consistit in motu locali, in fractione specierum, & in desitione corporis, & sanguinis Christi, quando desinit esse sub speciebus dum corrumpuntur in stomacho. Prima, & secunda mutatio fiunt etiam in Missa ante consumptionem, & proinde non sufficiunt. Rursus quia mutatio secundum locum non est destructio victimæ: & fractio nullam ponit mutationem in corpore Christi, cum totum remaneat sub qualibet parte, & non fiat aliqua destructio ipsius.

13 Tertia autem mutatio, qua desinit corpus Christi sub speciebus, neque sufficit, tum primò, quia non fit in Altari, nec quando Sacerdos vacat sacrificio, sed in stomacho Sacerdotis, postquam completa actione sacrificandi discessit ab Altari. Secundò, quia non fit per actionem protestantis Sacerdotalis, sed per actionem vitalem virtutis vegetatiuæ. Tertiò, quia desitio corporis Christi ex actione, qua fit, est secundariò intentio, nam primò, & per se actio ordinatur ad destructionem specierum. Destructio autem victimæ in sacrificio est per se intenta, itavt actio per se primò, ad ipsam tendat. Quartò, illa destructio non versatur circa victimam, nec ordinatur ad honorem Dei, nec est actio moralis: sed versatur circa sacramentum, & fit naturali modo per actionem naturalem, nec continet cultum Dei; sed functionem naturalem animæ vegetatiuæ. Quintò, eo ipso, quod victima destruitur in cultum Dei, etiam ipsi offertur: vnde in hac destructione interueniret tota ratio sacrificij, nempe oblatio, & destructio victimæ in protestationem, &c. Et proinde consecratio non pertineret ad rationem sacrificij contra communem censum sanctorum Patrum. Sextò, destructio victimæ, quæ fit in Missa, debet esse repræsentatiua destructionis factæ in Cruce, sicut totum sacrificium est repræsentatiuum sacrificij Crucis. Desitio autem Christi sub speciebus non repræsentat destructionem factam in Cruce, quia hæc fuit separatio sanguinis à corpore, quæ non repræsentatur per desitionem sub speciebus.

Dices. Licèt per consumptionem Christus non desinat, poni tamen in via desitionis: & hoc sufficere, vt illa actione tanquam magis sensibili dicatur immolari. Verum hæc responsio non potest aptari omnibus rationibus, *numero præcedenti*, adductis; quatenus tamen aliquibus aptari potest, reiicitur. Primò, quia Sacerdos non dicitur sacrificare nisi propriam, & veram actionem sacrificatiuam exerceat circa rem oblatam, siquidem à sua actione denominatur sacrificare, & non potest denominari, nisi sit propriè sacrificatiua. Consumptio autem, licèt ponat rem oblatam in via desitionis, cum consistat tantum in motu locali, non est actio propriè sacrificatiua, neque infert primò, & per se destructionem victimæ sicut debet inferre actio sacrificatiua. Secundò, si sufficeret ponere victimam in via desitionis, non magis consumptio Sacerdotis, quàm quælibet alia actio, qua victima poneretur in via desitionis posset complete essentialiter sacrificium; & saltem posset institui ab Ecclesia, nam esset eadem formaliter, & quoad substantiam actionis, quia poneret in via desitionis, siquidem Ecclesia sicut potest variare sacramenta circa ea, quæ materialiter se habent, itavt non pertineant ad substantiam, ita etiam sacrificium. 14

Tertiò. Actio, qua victima ponitur in via desitionis, est manducatio, & potatio, qua corpus, & sanguis Christi sumuntur sacramentaliter: Ergo non est actio sacrificatiua, non quia attingit victimam, vt sacramentum, atque adeò vt iam immolatam, & destructam, iuxta illud Gregorij Nysseni, *orat. 1. de Christi Resurrect.* quod etiam continet rationem naturalem. *Cum corpus suum Discipulis congregatis edendum, & sanguinem bibendum præbuit, tunc apertè declarauit agni sacrificium iam esse perfectum.* Et subdit rationem: *Nam victimæ corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit.* Tum quia manducatio, & potatio ex genere suo non continet cultũ Dei, sed ad summum continere potest per accidens vel ratione finis extrinseci, vel ratione materiæ, vel ex aliquo alio intrinseco. Actio verò sacrificatiua ex intrinseca sua ratione continet supremum cultum Dei. Quartò, poni in via ad destructionem præcedit destructionem, cùm sit applicatio rei ad causas destructiuas: Ergo non est formaliter destructio, sicuti applicatio ad comburendum non est combustio. Sacrificium autem consistit in formali destructione victimæ, quia per ipsum fit protestatio, in qua consistit significatio sacrificij. 15

Dicendum 3. *Consumptionem sacrificij esse partem integralem ipsius, itavt pertineat ad aliquid intrinse-* 16

 cum

cum complementum, licèt non essentiale. Hoc autem desumitur ex eo, quod consumptio debet semper adhiberi, itavt si prior hostia non potest sumi, debeat alia consecrari, quod non esset necessarium, si sacrificium esset integrum. Ratio est. Quia per hoc sacrificium fit sacramentum Euharistiæ ordinatum ad vsum humanum, & ad substentationem spiritualem animæ, itavt hoc sacrificium sit communicatiuum sui fructus, & tanquam sacrificium, & etiam mediante sacramento, quod ponit in esse: Ergo cum finis sacrificij sit communicare suum fructum, debet consumi à Sacerdote tanquam sacramentum, ne frustretur fine communicandi suum fructum tanquam sacramentum: Ergo si non consumatur, non erit integrum in ratione sacrificij, quia sicuti ex positione ipsius ponitur communicatio fructus eiusdem, ita ex positione perfecti esse, & integri, ponitur perfecta, & integra communicatio. Vnde è contra si non ponitur integra communicatio, neque etiam ponitur integrum esse, & proinde consumptio integrat esse, sicut integrat communicationem fructus. Hinc D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 2. *ad* 2. docet in Feria Sexta Parasceues sumi Eucharistiam præconsecratam, ne illa die Ecclesia careat fructu Dominicæ Passionis.

17 Ad fundament. 1. sent. neg. minor. Nam, vt ostensum est, immutatio, quæ fit in consumptione non est illa, quæ requiritur pro sacrificiu, vt constat ex dictis, imò tanquam consumptio sacrificij iam peracti debet supponere immutationem propriam sacrificij. Ad 2. neg. min. Nam mors Christi, fuit cruenta per separationem corporis à sanguine; & ideò, vt repræsentetur per modum sacrificij, sicuti debet repræsentari in sacrificio Missæ, requiritur aliqua similis separatio, cum sit eadem res oblata in sacrificio hoc, quæ fuit in sacrificio Crucis.

18 Ad 1. secundæ sententiæ ex Concil. Toletano resp. Ex illo textu colligi oppositum, scilicet, quod ante consumptionem sit peractum sacrificium. Non reprehendit eos, qui plures sacrificabant, & non nisi semel participabant de sacrificio oblato, & statuit toties, quoties sacrificatur, participandum per consumptionem de sacrificio oblato, & inter alia hæc habet. *Quasi non sit toties illi verò & singulum sacrificio participandum, quoties corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, immolatio facta constiterit.* Ex quibus constat, quod participatio sacrificij supponit immolationem factam. Vnde, quomodo subdit, *Quod erit illud sacrificium*, dictio, *Quod* non cadit supra qualitatem essentialem sacrificij, sed supra qualitatem integritatis, quia scilicet erit sacrificium imperfectum carens sua parte integrali.

19 Ad 2. Dato, quod Christus in vltima cœna sumpserit seipsum sub speciebus panis, & vini, & etiam quod per illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, iniunxerit, quod sumerent, non per hoc tamen inferri potest, quod pertineat ad essentiam sacrificij, sed ad summum, quod pertineat ad sacrificium. An autem ad essentiam, an verò ad aliquam integritatem, remanet inquirendum ex natura earumdem actionum. Ex natura autem actionis, constat ex dictis non pertinere ad essentiam sacrificij.

20 Ad 3. Per consecrationem victimam nedum sisti ad Altare, sed etiam immolari, quia in ipsa consecratione fit repræsentatio sacrificij Crucis; sacrificium autem, quia tale est, consistit in hac repræsentatione. Nec efficit, quod additur, quod Abraham, sistens ad Altare filium non immolauit, nam illa fuit actio merè localis, & ideò non habuit vim immolandi, sicut habet consecratio.

21 Ad 4. Frangi, & fundi non dici de sacrificio Christi in ordine ad consumptionem, quia hæc fractio, & fusio est illa, quæ fit in ordine ad distributionem, quæ non est essentialis sacrificio, vt dictum est in superioribus, sed in ordine ad consecrationem, per quam cum ponatur sanguis seorsim à corpore, repræsentatur effusio sanguinis facta in Cruce, & fractio corporis lacerati in passione. Quando autem dicitur, quod omnes actiones, quas tunc Christus exercuit, sunt essentiales sacrificio, non potest subsistere nam gratiarum actio, distributio, &c. essent essentiales.

22 Ad 5. neg. sequel. min. Nam debet ab alio Sacerdote consumi, vt perficiatur sacrificium, quoad suam integritatem, non quia præceptum diuinum obliget illum Sacerdotem, sed quia ita Ecclesia præscribit. Neque si esset de essentia sequeretur, quod deberet consumi, siquidem ad eum solum pertinet cum plura essentialiter, qui incœpit. Instabis, si aliquid consecratum inficiat hostiam, aut Calicem, debet de nouo consecrari alia hostia, aut Calix in ordine ad consumptionem, vt præscribunt Rubric. Missal. *tit. de defect. occurrent. in minist. num. 6. & 7.* Hoc autem non præscriberetur, nisi consumptio esset pars essentialis. Resp. neg. sequel. min. Quia ideò debet consecrari in illo casu alia hostia, non vt perficiatur sacrificium quoad suam essentiam, nam neque perficeretur, quia sicuti essent duæ consecrationes, ita essent, duo sacrificia incompleta essentialiter. Et ideò si perficeretur vnum, remaneret alterum essentialiter imperfectum, neque enim duplex essentia vnico complemento essentiali perfici posset. Sed ideò debet consecrari, vt sacrificium sit completum integraliter, seu vt habeatur integra participatio sacrificij, & integro modo perficiatur tale mysterium, & fiat illud conuiuium ad quod ordinatur sacrificium.

23 Instabis, Sacrificium Missæ, est etiam holocaustum: Ergo debet totum consumi; per solam autem sumptionem totum consumitur, & proinde sumptio pertinebit ad essentiale complementum. Resp. Si argumentum concluderet, sacrificium in quo de consecratis aliquid seruatur, non esset holocaustum, quia non consumitur totum; nam licèt consumatur sub vtraque specie, adhuc tamen remanet de sacrificio participandum in veteris; alioquin, si non remaneret, Laïci non participarent de sacrificio, contra illud Apostoli 1. Ad Corinth. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & Calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis*; ideò enim annunciant, quia participant de sacrificio repræsentante mortem Christi. Deinde non est de ratione holocausti, quod tota res oblata consumatur, alioquin sacrificium Crucis non fuisset holocaustum, quia corpus Christi post mortem non fuit consumptum, imò mansit incorruptum, iuxta illud Psalm..... *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Solum ergo ad holocaustum requiritur, quod tota res oblata ordinetur in cultum Dei, & maneat ipsi consecrata. Ex hoc autem sequebatur, quod in sacrificiis, Mosaicis tota combureretur, ne cederet in vsus prophanos; & ex hoc factum est, vt dicatur, de ratione holocausti, quod tota res oblata comburatur.

QVÆSTIO 39.

An consumptio sacrificij fuerit apta, vt institueretur in sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Consumptio an potuerit institui pro essentia sacrificij.* & num. seq.

3. *Consumptio*

3. *Consumptio supponit sacrificium.*
Est participatio sacrificij.
4. *Consumptio non est destructio apta pro sacrificio.*
5. *Non est apta pro significatione sacrificij.*
6. *Consumptio est vsus sacramenti, & propter vtilitatem hominum.*
7. *Consumptio non tendit in cultum Dei.*
Quale fuerit iuge sacrificium agni.

1 SVarez *disp. 75. de Eucharist. sect. 5.* ver. *Dico secundò.* asserit, consumptionem potuisse institui tanquam partem essentialem huius sacrificij, itavt sine ipsa, consectario non esset completum sacrificium. prob. Quia consumptio importat quamdam maiorem sensibilem consummationem rei oblatæ, & plenius repræsentat mortem Christi vsque ad sepulturam. Secundò. In sacrificio Melchisedech, quod fuit figura sacrificij Missæ, non fuit facta aliqua mutatio sensibilis circa panem, & vinum oblatum præter esum, & potum ipsius: Ergo etiam comestio & potus in sacrificio Missæ potuit institui, vt esset immutatio rei oblatæ atque adeò pars essentialis sacrificij.

2 Vasquez autem *3. part. disput. 222. cap. 4. num. 27.* asserit, quod consumptio non sit apta, vt possit institui pro sacrificio: & quod si institueretur esset distinctum sacrificium à consecratione; & notat suppresso nomine, quod Suarez sibi contradicit, dum ait in consumptione expressius significari mortem Christi, & tamen non fuisse necessarium, quod pro sacrificio institueretur.

3 Dicendum est. *Consumptionem non fuisse aptam, vt institueretur pro sacrificio siue seorsim sumpta, siue simul cum consecratione, si sumatur secundum circunstantias, & qualitates, quas modo habet.* Ratio est. Quia consumptio ex natura rei consequitur ex consecratione tanquam participatio sacrificij oblati: Ergo ex natura rei supponit sacrificium iam peractum, & consequenter ex natura sui non potest amplius pertinere ad essentiam sacrificij. Anteced. prob. In Consecratione ita offertur Christus vt simul etiam fiat sacramentum, quo mediante sacrificium habet communicare suum fructum: Ergo cum consumptio supponat sacramentum: iam confectum, supponit etiam confectum sacrificium, quia sacramentum fit per actionem sacrificatiuam. Rursus per consumptionem sumitur id, quod est factum per actionem sacrificatiuam: ergo est participatio sacrificij iam oblati. Conseq. etiam prob. Nam eo ipso, quod versatur consumptio circa terminum actionis sacrificatiuæ, supponit sacrificium peractum. Rursus est participatio fructus, quod per actionem sacrificatiuam ponitur in sacramento, vt in causa: Ergo supponit actioné sacrificatiuam iam sortitam esse suum effectum, atque adeò sacrificium peractum.

4 Confirm. In tantùm potuisset institui in sacrificium, inquantum est plena destructio victimæ. At non est destructio apta pro sacrificio, nam destructio quæ fit in sacrificio, debet tendere tota in honorem Dei, & cultum ipsius. Destructio verò, quæ fit in consumptione tendit in vtilitatem sumentis, quia sumitur tanquam sacramentum, quod est cibus, & potus spiritualis ad reficiendam animam.

5 Confirm. 2. Quando significatio consistit in rebus, debent res, quæ assumuntur ad significandum, esse aptæ pro tali effectu, itavt aptitudo consistat in aliqua analogia ad rem significatam, vt constat in materiis sacramentorum. Consumptio autem non habet aptitudinem pro significatione sacrificij; nam in sacrificio debet significari interior affectus offerentis, quo se Deo submittit, & recognoscendo ipsum vt primum principium, & vltimum finem, se totum illi dedicat. Ad hoc autem significandum requiritur aliqua oblatio, seu quod aliquid exhibeatur Deo, quia traditio non potest significari, nisi per aliquam exhibitionem, nam dare non potest significari per accipere, cum opposita sint. Vnde cum consumptio dicat accipere à Deo, non per ipsam accipitur sacramentum, & participatio de re oblata, non erit apta, vt accipiatur tanquam signum dationis.

Confirm. 3. Consumptio est vsus sacramenti: Ergo habet illum finem exercitum, propter quem est institutum sacramentum; qui non est alius, quàm vtilitas & profectus spiritualis vtentis: Ergo non est apta vt assumatur in sacrificium, cum non sit apta pro illius significatione; nam finis actionis sacrificatiuæ est cultus Dei. Esse autem immediatè propter Deum, & immediatè propter creaturam opposita sunt, ideò esse propter, creaturam non est aptum ad significandum, quod est immediatè propter Deum. Vnde vsus sacramenti potiùs significat affectum sumentis erga seipsum, quàm erga Deum. 6

Ad 1. Suarez. Resp. Consummationem rei oblatæ non esse proportionatam pro significatione sacrificij, quidquid sit, an sit maior, quàm in consecratione; quia vt dictum est, non habet pro fine intrinseco cultum, & honorem Dei, qualis debet esse finis actionis sacrificatiuæ: sed proprium commodum consumentis. Ad 2. neg. Assumptum; nam, vt dictum est in superioribus, in sacrificio Melchisedech aliqua pars panis fuit consumpta igne; & aliqua pars vini effusa per modum libaminis. Quod autem addit de iugi sacrificio agni, nempe quod esus, & potus, panis, & vini, qui cum agno offerebatur, complebat sacrificium, falsum est, vt notat Vasquez *disput. 222. de Eucharist. num. 29.* nam vt desumitur ex lib. Num. *cap. 28.* & Exodi *cap. 29.* non offerebatur panis, sed similia conspersa oleo, & vinum in libamentum, & omnia comburebantur, quia offerebantur in holocaustum. 7

QVÆSTIO 40.

An consumptio sacrificij sit necessario facienda de oblatis in illa Missa.

SVMMARIVM.

1. *Consumptio sacrificij an debeat esse de consecratis in illo sacrificio.* & num. seq.
3. *Consumptio est participatio de sacrificio oblato.*
4. *Cur debeat versari circa materiam oblatam.*
5. *Ecclesia præcipiens nouam consecrationem, si prius consecratum sumi non possit, declarat consumptionem debere esse de tunc oblatis.*
6. *Conseruans tunc consecrata, & sumens de præconsecratis peccat grauiter: nec opposita opinio practicari potest.*
7. *Consecrans magnam hostiam, & paruis potest consumere in paruis.*
8. *Quid si fracta fuerit hostia magna.*
9. *Consumens in præconsecratis, teneretur consumere res oblatas, etiam sumpta ablutione.*
10. *Consecrans paruam hostiam non potest exhibere adorandam magnam aliàs consecratam.*
11. *Peccaret mortaliter.*
12. *Si non posset consumi in bonis consecratis, nec etiam deberet consumi in præconsecratis.*

CVm consumptio sit necessaria tanquam pars integralis sacrificij vt dictum est, dubitatur modo, 1

do, an debeat verſari circa conſecrata in illo ſactificio, an verò ſeruari poſſit, quod tunc eſt conſecratom, & ſumete de præconſecratis, & ſeruari, qood tune coofecraiur. Ita Henriquez *lib. 9. de Miſſa, cap. 9. n. 2.* Facundez *precept. 1. Eccleſ. lib. 3. cap. 4 n. 26.* Bonac. *diſput. 4. de ſacrament. queſt. vlt. punct. 2. num. 5.* Fundamentum eſt, quia in vtraque hoſtia eſt idem corpus Chriſti, & ideò parùm refert, ſi ſactificium conſumatur in vna, vel in alia.

2 Secunda ſententia aſſerit, debete conſumi in hoſtia tunc conſecrata. Ita Præpoſit. *3. part. queſt. 83. art. 1. dub. 7. n. 50.* Fauſtus *lib. 2. de Eucharist. queſt. 29.* Barthol. *Ab Angelo Dial. 5. §. 558.* Diana *part. 5. tr. 13. reſol. 96.* Lugo Card. *diſp. 19. de Euchariſt. num. 76.* Auerſa *queſt. 11. de Euchariſt. ſect. 2. ver. Sextò ſumptio.* Gaſpar. Hurtad. *De ſacrament. diſp. 6. de Euchariſt. difficult. 9. in fine.* Martinoo *diſp. 38. de Euchariſt. ſect....* *num. 69.* Syluius *3. part. queſt. 83. art. 1. quæſito 2. concluſ. 4. ad 7. argument.* Gamach. *tom. 3. ſum. tractat. de ſacrific. Miſſa, cap. 5.* Iſambert. *3. part. queſt. 83. diſp. 3. de ſacrif. Miſſa, art. 50. init.* Tamburin. *Opuſc. de ſacrific. Miſſæ, lib. 2. cap 8. §. 8. num. 18.* Quintanadura. *tom. 2. ſingul. tractat. 2 ſingul. 9. num. 1.*

3 Diccndum eſt. *Conſumptionem debere fieri in tunc conſecratis; non autem in præconſecratis.* Prob. Conſumptio eſt participatio de ſacrificio oblato, itavt ſiue ex præcepto diuino, ſiue ex quocunque alio capite fiat, debeat ex ſui natura eſſe participatio ſacrificij, alioquin ſactificium eſſet mutilum, & imperfectum: vnde Concil. Toletan. II. relatum in cap. *Relatum. De conſecrat. diſtinct. 2.* Qtale *erit ſacrificium cuius nec ipſe ſacrificans particeps eſſe cognoſcitur.* Sed ſumptio, de præconſecratis non eſſet participatio ſacrificij: Ergo non interueniret vera conſumptio ſacrificij, quia non interueniret participatio. Min. prob. Quia ſactificiom, quod de præſenti offertur eſt diſtinctum à ſacrificio præconſecratorum; nam ſactificium ſumptum pro re oblata dicit non ſolum rem oblatam, ſed etiam intrinſecum ordinem ad actionem ſacrificatiuam, quæ ſi ſit diuerſa, erit etiam diuerſum ſacrificium.

4 Confirm. Conſumptio ſacrificij dicit ordinem ad oblationem tanquam complementum illius, itavt actio conſumptionis exigatur ab actione ſacrificatiua tanquam ſui complementum: Ergo vtraque debet conſumi circa eandem materiam oblatam, nam ſi verſarentur circa diuerſam, vna non perficeret aliam, quia debet perfici vt ſacrificatiua, & non perficitur, niſi circa eandem materiam fiat, quia ipſa incipit & relinquit perficiendum; & ideò cum conſtituat materiam in eſſe immolato, & relinquat conſumendam, debet eandem conſumere, alioquin non erit conſumptio ſacrificij tunc peracti.

5 Confirm. 2. Si poſſet adhiberi aliquid præconſecratum Eccleſia non præciperet, quod ſi caſu aliquo non poſſit ſumi hoſtia, aut ſanguis conſecratus, alia de nouo conſecretur, aut alius calix, quia ſine noua conſecratione poſſet conſumi ſacrificium ex præconſecratis; vnde noua conſecratio eſſet ſacrilega, quia fieret abſque neceſſitate; in tantum præſcribitur, in quantùm eſt neceſſaria pro complemento ſactificij, ex quo etiam capite ſit licita: Atque ex his ſolutum remanet fundamentum oppoſitæ ſententiæ; nam licèt ſit idem Chriſtus ſub vtraque hoſtia, non eſt tamen ex vi eiuſdem conſecrationis, nec pertinet ad idem ſacrificium, & ideò hoſtia præconſecrata non ſufficit, vt dicatur conſumi tunc ſacrificium peractum.

6 Ex dictis colligitur. Quod Sacerdos ſumens hoſtiam præconſecratam, & conſeruans conſecratam ad effectum renouandi Euchariſtiam, peccaret mortaliter, quia in re graui faceret contra præſcriptionem ſaltem Eccleſiæ, & reuera non compleret ſacrificium, ſed relinqueret impetfectum, ſicuti ſi nullo pacto conſumeret. Et quamuis adſit opinio in oppoſitum, non poteſt tamen reduci ad praxim; quia dato, quod eſſet probabilis, quia tamen eſt probabilitas facti, non autem iuris, debet excludi à praxi alioquin Sacerdos ſe exponeret periculo relinquendi ſacrificium imperfectum; ſicut etiam in ſacramentis ob periculum imitationis non poſſumus vti materia, aut forma probabili, quando poſſumus vti certa.

Colligitur 2. Vt notant etiam nonnulli ex citatis *num. 2.* pro ſecunda ſententia, præſertim Diana, & Auerſa. Quintanadura *tom. 2. ſingul. tractat. 2. ſingul. 9. num. 8.* Quod ſi Sacerdos ſimul cum hoſtia magna conſecraſſet paruas conſeruandas, poſſet conſumere in aliqua ex paruis, & magnam conſeruare, vt ſi eſſet publicè exponenda Euchariſtia, nec adeſſet commoditas conſecrandi de nouo hoſtiam magnam, quia nimirom non adeſſet amplius Sacerdos qui celebraret. Omnes enim illæ hoſtiæ ſiue magnæ, ſiue paruæ, pertinent ad idem ſacrificium, nec quantitas diuerſa exigit, quod potuis vna quàm altera conſumatur, ſed Sacerdos ad libitum conſumere poterit, cum qua libuerit. 7

Eſt tamen aduertendum, hoc ſolum locum habere, ſi ante fractionem aduertat motiuum conſecrandi hoſtiam magnam: nam facta fractione debet in ipſa conſumi, quia non eſt amplius apta conſeruari. Rurſus hoc non poſſe fieri, niſi ex rationabili cauſa, nam ceſſante cauſa debet ſeruari ritus Eccleſiæ conſumendi in hoſtia magna. 8

Colligitur 3. Si Sacerdos conſumeret ex præconſecratis, ſi tempore dèbito aduerteretur, ſe malè feciſſe, teneretur ſumere, quod eſt conſecratum in illo ſacrificio, etiam ſi ablutionem ſumpſiſſet. Et ratio eſt, quia reuera non conſummaſſet ſacrificium, & ideò deberet conſummare Et quia conſumptio ſacrificij præualet præcepto de ieiunio, ideò licèt non ieiunus, deberet adhuc conſumere. 9

Colligitur. 4. cum Marchant. *In Reſolut. paſtor. tractat. 4. cap. 5. queſt. 3.* Sacerdotem, qui conſecrauit hoſtiam paruam, non poſſe magnam præconſecratam oſtendere populo adorandam, etiam ſi faceret pro vitanda admiratione, quod etiam notant Diana, & Auerſa, *num. 2.* citati. Nam populus ſicut participat in oblatione ſacrificij, dum nomine ipſius Sacerdos offert iuxta illud Apoſtoli ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia*, ita etiam debet adorare Chriſtum prout eſt victima illius ſacrificij, atque adeò vt terminauit actionem conſecratiuam eiuſdem. 10

An autem moraliter peccaret, nihil dicunt citati Doctores. Puto autem valdè probabile, quod mortaliter peccaret, quia in re graui faceret contra ritum Eccleſiæ. Ad tollendam autem admirationem, ſi qua forte timeretur, poſſet vtramque hoſtiam magnam, & paruam eleuare, & hoc pacto ſacrificium à ſe confectum exponere adorandum. 11

Colligitur 5. Quod ſi caſu aliquo non poſſet conſumi hoſtia conſecrata, nec poſſet haberi tempore opportuno materia apta pro conſecratione, non deberet conſumi in præconſecratis. Quia in tantùm requiritur conſumptio, in quantum eſt neceſſaria pro perfectione ſacrificij, conſumptio autem in præconſecratis non perficit, quia non verſatur circa oblata in illo ſacrificio. 12

* * *

An

QVÆSTIO 41.

An consumptio sit pars integralis sacrificij ex vi institutionis.

SVMMARIVM.

2. *Consumptio an sit de iure diuino.* & numero sequeori.
3. *Sacrificium Missæ cur ex vi institutionis exigat consumptionem ad sui complementum.*
4. *In consumptione sacrificij fit repræsentatio mortis Christi.*
5. *Vnde colligatur, quod consumptio sacrificij sit ex institutione Christi.*
9. *Consumptio cur spectet ad Sacerdotem.*
6. *Præceptum diuinum de consumptione, vnde colligatur.*

1 PRima sententia asserit, consumptionem non esse de iure diuino, & proinde non esse partem sacrificij ex vi institutionis. In hanc sententiam magis inclinant Soarez *disp.* 75. *de Eucharist. sect.* 5. *in fine.* Mercer. *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 2. *propos.* 5. *ad* 4. Fundamentum est, quia, licèt consumptio ex traditione Apostolica, vt habet Concil. Trid. *sess.* 2. *cap.* 8. Non tamen sequitur, quod sit de iure diuino, nam non omne, quod est traditione Apostolica, est etiam de iure diuino. Deinde quia Canones antiqui, qui de hac materia loquuntur, vt Cap. *Comperimus.* & cap. *Relatum. de sacrament. dist.* 2. Solum indicant præceptum, an autem sit iuris diuini, non explicant, nec ex ipsis colligi potest.

2 Secunda sententia asserit, esse de iure diuino, & proinde ex vi institutionis sacrificium esse consumendum. Ita Palud. *in* 4. *distinct.* 11. *quæst.* 1. *art.* 1. *conclus.* 4. Sotus *distinct.* 12. *quæst.* 1. *art.* 8. *ad* 8. & *distinct.* 13. *quæst.* 2. *art.* 6. ver. *Secundò arguitur.* D. Antonin. 3. *part. tit.* 13. *cap.* 6. §. 3. Angelus *verbo* Eucharist. 2. *num.* 6. Tabiena *num.* 32. Syluester *num.* 9. Armilla *verb.* Communicatio, *num.* 7. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 66. *conclus.* 1. Bellarmin. *lib.* 4. *de Eucharist. cap.* 25. *ad vlt.* Azor. *par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 19. *quæst.* 4. Henriquez *lib.* 9. *de Missa cap.* 36. *reg.* 5. Vasquez 3. *part. disput.* 211. *cap.* 5. *n.* 47. Reginald. *lib.* 29. *Praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 1. *num.* 147. Conioch. *de sacrament. quæst.* 82. *art.* 1. *dub.* 5. *num.* 95. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 20. Martinon *disput.* 38. *de Eucharist. sect.* 6. *num.* 69. Auersa *quæst.* 11. *sect.* 2. ver. *Quartò etiam.* Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 2. *quæst.* 4. *num.* 50. Præposit. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 8. *num.* 48. ver. *Notandum.* Et communiter, præsertim qui volunt esse partem essentialem.

3 Dicendum est. *Consumptionem esse de iure diuino, quatenus necessaria ex vi institutionis.* Prob. Hoc sacrificium exigit consumptionem ex vi institutionis ad sui complementum: Ergo consumptio est necessaria ex vi institutionis, nam ex vi institutionis exigit habere suum complementum. Anteced. prob. Victima per hoc sacrificium fit cibus, & potus sacramentalis ordinatus ad vsum, & consumptionem tanquam ad finem sibi intrinsecum: Ergo consumptio seu vsus ex vi institutionis requiritur tanquam complementum, alioquin victima frustraretur suo fine, quem exigit ex vi institutionis, & careret illa perfectione, quam vnaquæque res habet, quando assequitur suum finem.

4 Confirm. Hoc sacrificium est essentialiter ex vi suæ institutionis repræsentatiuum mortis Christi: Ergo ex natura sua, & ex vi institutionis requirit consumptionem ad complementum, & integritatem huius repræsentationis. Conseq. prob. In consumptione huius sacrificij fit aliqua repræsentatio mortis Christi ex institutione diuina, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Quatenus scilicet repræsentatur sepultura atque adeò Christus mortuus, & quatenus caro facta, cibus repræsentat Christum mortuum: Ergo ex institutione pertinet ad complementum sacrificij, cum pertineat ad complementum repræsentationis mortis Christi.

5 Ad 1. resp. Consumptionem sacrificij non solum haberi ex traditione Apostolica, sed etiam ex institutione Christi, ita vt traditio fundetur in institutione. Institutio autem habetur ex natura, ex qualitate sacrificij; siquidem habetur, quod per sacrificium victima fiat cibus, & potus, atque adeò quod ex natura sacrificij sit participabilis, imò debeat participari, nam frustra per sacrificium fieret cibus, & panis, nisi instituens voluisset, quod vt talis participaretur, ita vt participatio pertineret ad complementum sacrificij, cum victima debeat poni in termino, ad quem ex vi sacrificij ordinatur. Hæc autem participatio spectat ad Sacerdotem, tum quia ad ipsum spectat complere sacrificium; tum quia, cum sit actus publicus correspondens sacrificio publico, debet vsurpari à Ministro publico; tum quia cum Sacerdos offerat sacrificium nomine Ecclesiæ, & fructus participationis sit eiusdem Ecclesiæ, debet ab ipsa percipi in suo ministro.

6 Ad 2. Satis colligi præceptum diuinum positum in ipsa institutione sacrificij, & illo cap. *Relatum. De consecrat. distinct.* 2. dum dicitur, *Quale erit illud sacrificium, cuius nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* Quasi dicat Concilium; sed erit tale, quale debet esse ex vi suæ institutionis, sed imperfectum. Si enim non exigeret consumptionem tanquam partem integralem ex vi suæ institutionis, sed tantùm ex præcepto Ecclesiæ, seclusa consumptione adhuc sacrificium esset tale, quale deberet esse ratione institutionis, & proinde non rectè diceretur cum admiratione, & interrogatione, *Quale erit, &c.* Deinde licèt non colligeretur ex sacris canonibus, sufficit tamen quod colligatur ex institutione.

QVÆSTIO 42.

Quomodo in sola consecratione possit consistere essentia sacrificij.

SVMMARIVM.

1. *Significatio sacrificij an in consecratione possit saluari.*
2. *Mutatio in sacrificio est, quod ex pane non mactato fiat corpus Christi mactatum.*
3. *Ex pane fit corpus Christi viuum cum omnibus partibus illi connexis.*
4. *Consecratio non facit corpus Christi mactatum.*
5. *Mutatio necessaria pro sacrificio, an consistat in destructione panis.*
6. *Quomodo hæc destructio possit sufficere.*
7. *Mutatio debet esse in victima proportionaliter ad sacrificium Crucis.*
   Aliàs sacrificium non differret sola ratione à sacrificio Crucis.
8. *Immutatio an cōsistat in exhibitione victimæ occisæ.*
9. *Corpus Christi non exhibetur in Altari occisum, sicut nec in vltima cœna.*
10. *Immutatio sacrificij an consistat in productione Christi.*

11. *Si consisteret esset sacrificium diuersum à sacrificio Crucis, nec sacrificaretur Christus.*
12. *Actio sacrificatiua debet repræsentare actionem sacrificatiuam sacrificij Crucis.*
13. *Actio sacrificatiua non potest consistere in productione.*
14. *Consecratio panis in corpus Christi an actio immutatiua sacrificij.*
15. *Corpus Christi non remanet tanquam quid de pane destructo.*
16. *Destructio, & oblatio debeat esse circa eamdem rem.*
17. *Immutatio an consistat in eo, quod Christus ponatur in statu inepto ad corporeas functiones.*
18. *Actio sacrificatiua, vt tribuit corpori Christi modum essendi indiuisibilem, non destruit.*
19. *Non potest esse destructiua, non sit positiua, & tribuat esse replicatum.*
20. *Est opposita actioni destructiua, qua Christus desinit esse sub speciebus.*

1 EX dictis in superioribus constat, essentiam sacrificij consistere in sola consecratione. Cum in Missa nulla alia adsit actio, in qua possit consistere. Verum difficultas est, quomodo tota essentia sacrificij possit saluari in sola consecratione. Cum enim sacrificium sit signum interioris sacrificij, & ipsius significatio fundetur in rebus, non autem in verbis, quatenus nimirum Deo res aliqua offertur, & in eius honorem destruitur, non apparet quomodo in consecratione possit saluari hæc significatio, siquidem Christus offertur, non tamen destruitur.

2 Variè autem difficultatem resoluunt Theologi. Prima autem responsio est Simeonis Thessalonicensis *de mysterijs Ecclesiæ, cap.* 23. Nicolai Cabassilæ, *in Exposit. Liturgiæ, cap.* 32. Volunt enim, mutationem, quam requirit sacrificium in eo consistere, quod ex pane non mactato fiat corpus Christi mactatum: sicut quando sacrificatur ouis, ex oue non mactata fit ouis mactata. Et hæc mutatio quatenus consideratur in corpore Christi vt subiecto, est illa, quæ constituit sacrificium.

3 Hæc tamen responsio subsistere non potest; nam in tantum videtur saluare rationem sacrificij; in quantum panis conuertitur in corpus Christi mactatum, non hoc dicit, quod ex pane non mactato fiat Corpus Christi mactatum. Hoc autem dici non potest. Primò, quia verba consecrationis, quibus fit conuersio panis in corpus Christi, proferuntur in persona Christi, qui cum modo sit viuens, dum in persona ipsius dicitur, *Hoc est Corpus meum*, significant corpus Christi viuum, non autem mactatum, & ideò conuersio fit in corpus viuum. Secundò. Ex pane ita fit corpus Christi, vt ex vi naturalis connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur, ponatur etiam anima sub speciebus panis, & totus Christus, vt definit Concil.Trident. *sess.* 13. *cap.* 3. & *can.* 1. Ergo ex pane non fit corpus Christi mactatum. Tertiò. Si ex pane fieret corpus Christi mactatum; consequenter etiam ex vino fieret sanguis realiter separatus à corpore Christi: vnde sacrificium esset cruentum, non autem incruentum. Quartò. In vltima cœna Christus se obtulit in sacrificiũ conuertendo panem in corpus suum, & tamen non fuit factum ex pane non mactato corpus Christi mactatum, nam nondum Christus mactatus fuerat, & consequenter nec corpus erat mactatum.

4 Accedit etiam, quod immutatio victimæ, quæ requiritur in sacrificio, debet fieri ex vi actionis sacrificatiuæ: vnde cum actio sacrificatiua sit eadem, ac consecratiua, deberet per ipsum corpus Christi constitui in esse mactato, nam mactatio, prout est in corpore Christi vt subiecto, dicit immutationem, quæ requiritur pro sacrificio. Non constituitur autem in ratione mactati per consecrationem, quia nulla mactatio conuenit corpori Christi præter eam, quæ facta est in Cruce: ex sic per conuersionem panis in vinum nulla fit mactatio.

Secundò alij dicunt. Quod mutatio, quæ requiritur ad sacrificium consistit in destructione panis & vini, quæ fit in consecratione, dum conuertuntur in corpus, & sanguinem Christi, refertur hæc explicatio à Bellarmino *lib.* 1. *de Missa, cap.* 27. *propos.* 8. Vasquez 3. *par. disp.* 222. *cap.* 6. *num.* 51. & ab aliis Recentioribus. 5

Contra autem hunc modum dicendi obijciunt, quia sequeretur, quod panis, & vinum sacrificaretur non autem Christus: vnde non esset eadem victima, quæ fuit in sacrificio Crucis contra definitionem Concilij Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. Nec ipse Sacerdos esset etiam victima, sicut loquuntur Patres. Hæc autem procedunt supposito, quod secundum hanc expositionem non offeratur Christus, quia si offeratur, cessant obiecta. Potest autem dici, quod offeratur; & quod immutatio, quæ fit per destructionem panis, & vini adhuc afficiat sacrificium; quia non actio sacrificatiua sit etiam productiua victimæ, dum corpus Christi fit per conuersionem ex pane, iam ista immutatio habetur ex vi actionis sacrificatiuæ, quæ efficit pro sacrificio, quia sicuti est speciale in hoc sacrificio, quod victima fiat ex re præexistenti, ita etiam est speciale, quod destructio non fiat in victima, sed in re, ex qua fit victima. 6

Verum si hoc dicatur, adhuc reijci potest. Nam hoc sacrificium est idem cum sacrificio Crucis sola ratione offerendi diuersa, vt habet Concil. Trident. *sess.* 22 *cap.* 2. quatenus scilicet in sacrificio Crucis Christus cruentè oblatus est, & incruentè offertur in sacrificio Missæ: Ergo sicut immutatio facta est in victima in sacrificio Crucis, ita etiam debet fieri in sacrificio Missæ, quia modus offerendi incruentè non variat rationem sacrificatiuam genericam, quæ ex genere suo facit mutationem in victima. Confir. In Cruce actio sacrificatiua fuisset destructiua victimæ: in Missa autem esset productiua, & non destructiua: Ergo non esset sola ratio offerendi diuersa, vt habet Concil. Trident. Sed esset diuersum sacrificium, nam vnum destrueret victimam, & alterum produceret, & proinde actio sacrificatiua haberet diuersum terminum, à quo specificaretur. 7

Tertiò alij volunt. Quod immutatio victimæ non solum consistat in destructione panis, & vini, sed etiam in exhibitione Christi occisi super altare, ita vt tanquam victima occisus in Cruce exhibeatur sit occisus in altari. Asserunt enim, non esse necessarium, quod victima occidatur in altari, nam tempore legis Mosaïcæ. Aliquando victima priùs occidebatur, & postea adornata in altari exhibebatur. Ita Galat. *De sacrificij Mis. cap.* 2. 8

Huic expositioni obstat primò. Quod corpus Christi non exhibetur in altari occisum, sed viuum, nam exhibetur tale, quale significatur per verba consecrationis. Significatur autem viuum, quia proferuntur in persona Christi viuentis, & proinde significant corpus, quod modo habet Christus. Secundò. Per occisionem Christi in Cruce fuit exhibitum sacrificium cruentum: vnde si exhiberetur corpus Christi occisi in Cruce super altare, exhiberetur hostia sacrificij cruenti, & ideò si in virtute præteritæ occisionis esset sacrificium, esset quoque cruentum, non autem incruentum. 9

Tertiò.

Tertiò. Christus in vltima cœna obtulit seipsum in sacrificium, & non exhibuit se vt occisum in Cruce, quia nondum erat facta occisio: Ergo nec in sacrificio Missæ exhibetur in Altari vt occisus in Cruce, nam hoc sacrificium est idem cum sacrificio vltimæ cœnæ.

10 Quartò alij explicant. Quod immutatio hostiæ quæ saluat rationem sacrificij consistat in productione Christi sub speciebus panis, & vini. Volunt enim quod non minus destructio victimæ, quàm productio sit apta ad significandum Deum auctorem vitæ & mortis, seu supremum rerum dominum, & vltimum finem. Quia autem in sacrificio aliquando, quod desumitur est minus principale, & quod resultat ex destructione est magis principale: aliquando verò è contra quod destruitur, est magis principale, quàm quod resultat ex destructione. Quando ergo, quod destruitur est magis principale, tunc sacrificium consistit in destructione. Quando verò, quod resultat ex destructione, est magis principale, tunc consistit in protectione illius, quod resultat ex destructione. Quia ergo in sacrificio Missæ; ex destructione panis resultat corpus Christi, quod est magis principale, ideò hoc sacrificium consistit in productione corporis Christi. Addunt etiam aliqui, quod corpus Christi immutatur, quia acquirit sub speciebus modum essendi indiuisibilem, quo est totum in toto, & totum in qualibet parte. Rursus fit etiam immutatio supernaturalis circa accidentia panis, & vini, quatenus sine subiecto, & inhærentia consectatur. Ita Suarez *disput. 75. de Eucharist. sect.* 4. ver. *Video.* Lessius *lib. 2. de instit. & iure. cap.* 38. *num.* 14. *&* 15. Auersa *de Eucharist. quæst.* 11. *sect.* 4. ver. *Dicendum ergo.* Coninch *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 5. *num.* 96. Amicus *tom.* 7. *disp.* 33. *sect.* 3. *n.* 76. Granad. 3. *part. controuersia 6. tract.* 14. *disp.* 3. *sect.* 2. *num.* 6.

11 Verum hæc quoque explicatio suas difficultates habet. Et primò. Quia actio sacrificatiua in sacrificio Crucis non solum esset diuersa ab actione sacrificatiua in sacrificio Missæ, sed etiam illi opposita; nam vna esset destructiua victimæ, & altera productiua: Ergo sacrificia non differrent solum penes diuersum modum offerendi, quod vnum sit cruentum, & alterum incruentum, sed etiam essent diuersi generis, sicuti sunt actiones sacrificatiuæ. Imò solùm materialiter haberent eandem victimam, formaliter verò diuersam, nam in vno esset Christus quatenus omnis, in altero quatenus productus: vnde vnum sacrificium terminaretur ad non esse Christi secundum humanam naturam, quatenus per ipsum separaretur anima à corpore: alterum verò ad esse Christi Confirm. Quando affirmatio est causa afirmationis, negatio quoque est causa negationis: Ergo cum destructio victimæ sit causa formalis, cur Christus sit sacrificatus in Cruce, negatio destructionis erit causa, cur Christus non sacrificetur eo sacrificio, quo est sacrificatus in Cruce. Et non destructio ponat substantiam sacrificij illius, negatio illam tollet. Dum autem sacrificium Missæ constituitur in productione, excluditur destroctio, atque adeò substantia sacrificij Crucis.

12 Secundò. Sacrificium Missæ est repræsentatiuum sacrificij Crucis, vt docent communiter Patres, & habetur ex illis verbis Christi. *Hoc facite in meam commemorationem*, & declarat Concilium Tridentinum, *sess.* 22. *cap.* 1. ibid. *Vt dilecta sponsa esse Ecclesiæ visibile relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur, eiusque memoria in finem vsque sæculi permaneret.* Itavt victima oblata repræsentet victimam oblatam in Cruce, etiam actio sacrificatiua repræsentet actionem sacrificatiuam Crucis, quia si victima oblata repræsentat in vno victimam oblatam in alio, actio quoque sacrificatiua debet repræsentare actionem sacrificatiuam alterius, quia per ipsam victimam constituitur in esse oblato, & sacrificato. Si autem consisteret in productione victimæ, neque victima actio sacrificatiua repræsentaret victimam; & actionem sacrificatiuam Crucis: Ergo non potest in ipsa consistere. Min. prob. In sacrificio Crucis victima, vt est terminus actionis sacrificatiuæ dicit constitui in esse destructo, in sacrificio autem Missæ diceret constitui in esse producto: in sacrificio Crucis actio sacrificatiua est actio destructiua; in sacrificio autem Missæ esset productiua. Productio autem, & esse productum non possunt repræsentare destructionem, & esse destructum.

Tertiò. In sacrificio victima ita offertur Deo, vt dedicetur in obsequium ipsius, itavt in actu exercito inseruiat cultui ipsius, quod habetur per destructionem, quia destructio declarat, quod vsus ipsius sit in honorem & cultum Dei. Hoc autem non potest præstare productio; nam per productionem res accipit esse; non autem vsus ipsius conuertitur in cultum Dei, quia vsus non dicit dare esse, sed supponit esse: Ergo non potest actio sacrificatiua consistere in productione, quia daret esse, non autem esset vsus eiusdem esse in cultum Dei. 13

Quinta explicatio est Bellarmini *lib. 1. de Missa, cap. vlt.* Qui vult, quod immutatio in eo consistat, quod panis conuertatur in corpus Christi: est enim illud, quod superest ex tali conuersione; sic etiam animalia dicebantur sacrificari eo, quod mortua superessent in sacrificio. Rursus per talem conuersionem res oblata ordinatur ad veram realem, & externam mutationem, & destructionem, quia exhibetur corpus Christi in forma sibi, & sanguis in forma potus. 14

Sed neque hæc explicatio subsistere potest. Primò, quia corpus Christi non remanet tanquam aliquid de re destructa, sed est quid de nouo productum, in quod conuertitur res destructa: de qua non remanent, nisi accidentia: vnde potius deberent dici sacrificari accidentia panis, aut saltem ipse panis, qui destrueretur, & de quo remanerent accidentia, sicut dicebatur sacrificari victima, de qua remanebat cadauer, aut cineres, quando comburebatur. 15

Secundò. Eadem actione, qua offertur victima, etiam destruitur: Ergo destructio versari debet circa eandem materiam, circa quam versatur oblatio. Hæc autem explicatio non ponit destructionem in corpore Christi, sed in pane, & solum vult, quod corpus Christi ordinetur ad externam destructionem, quod non sufficit; quia victima non sacrificatur per id, quod destineretur ad destructionem, quæ fit in sacrificio. Confir. Quod corpus Christi ordinetur ad externam destructionem in forma cibi, dicit ordinari ad vsum sacramenti, atque adeò constituitur in esse sacramenti. Vnde sacrificium offerri non esset aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari, quod damnat Concil. Trident. *sess.* 22. *can.* 1. 16

Sextò alij explicant. Consecrationem ideò esse actionem sacrificatiuam, quia per ipsum Christus destruitur humano modo realiter, nam transfertur in statum decliuiorem, & ineptum ad suos vsus naturales corporeos: siquidem accipit modum essendi indiuisibilem, quo fit inhabilis ad suas functiones corporeas: imò fit aptus ad alios vsus per modum cibi, & potus. Per hanc autem immutationem censetur Christus morali modo destrui. Ita Lugo Card. *disp.* 19. *de Eucharist. sect.* 5. *num.* 67. Martinon. *disp.* 38. *sect.* . . . . . *num.* 63. Franc. Lugo *lib.* 4. *de sacrament. cap.* 2. *quæst.* 2. *num.* 34. 17

18 Hæc quoque expositio suas difficultates patitur. Nam actio sacrificatiua ita debet offerre victimam vt simul etiam illam destruat, itavt offerendo destruat & destruendo offerat. Actio autem consecratiua, quatenus terminatur ad modum essendi indiuisibilem corporis, & sanguinis Christi, non ordinatur ad destruendum, sed ad dandum nouum modum essendi sine præiudicio prioris: atque adeò ex natura sua non est actio destructiua etiam humano, & morali modo, sed productiua, & cumulatiua, seu extensiua esse præexistentis.

19 Secundò. Actio, qua tribuitur corpori Christi modus essendi indiuisibilis, est positiua tendens ad esse positiuum, nam est actio conuersiua panis in corpus Christi, quæ vt definit Concil. Trident. *sess.* 15. *can.* 2. est transubstantiatio, quæ proinde terminatur ad substantiam. Actio autem positiua non potest habere pro termino ad quem destructionem eiusdem termini. Confirm. Hæc actio non potest destruere aut ponere in statu decliuiori Christum, prout stat in cœlo cum sua præsentia naturali, nam neque ipsum priuat suo modo existendi, neque quicquam aliud facit circa ipsum. Neque potest destruere, aut ponere in statu decliuiori Christum secundum esse replicatum, quod habet sub speciebus: quia hoc esse tale est, quale debet esse ex vi actionis, quo ponitur: Ergo neque destruitur secundum esse replicatum, cum secundum hoc accipiat esse; neque secundum ipsum ponitur in statu decliuiori tendente ad destructionem; quia non potest aliquid poni in statu decliuiori, nisi declinet ab illo statu, quem habet ex vi actionis, qua ponitur in esse. Quod non contingit in Christo, secundum esse replicatum.

20 Tertiò. Actio qua ponitur Christus sub speciebus sacramentalibus secundum modum essendi sacramentalem est opposita actioni, qua Christus desinit sub speciebus, cum vna faciat existere, & alia desinere: Ergo si vna est destructiua, altera non erit destructiua. Certum est autem, quod actio, qua desinit corpus Christi sub speciebus, est destructiua, & proinde actio, qua ponitur sub speciebus non erit destructiua.

QVÆSTIO 43.

Quomodo saluetur immutatio victimæ in sacrificio Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Quam immutationem dicat sacrificium Missæ.*
2. *Separatio sanguinis à corpore in sacrificio Missæ quomodo realis.*
3. *Destructio victimæ conuenit sacrificio Missæ vt est repræsentatiuum, sacrificij Crucis.*
4. *Repræsentatio separationis sanguinis à corpore coniungitur cum vera ratione sacrificij.*
5. *In sacrificio vltra mysticam interuenit etiam realis destructio.*
6. *Mystica destructio quando sufficiat pro sacrificio.*
7. *Sacrificium quando debeat inferre destructionem realem.*
8. *Repræsentatio realis destructionis dependens ab eius existentia quomodo sufficiat pro sacrificio.*
9. *Verba consecrationis quomodo exigant separationem sanguinis à corpore.*
10. *Sacrificium Missæ cur non requirat mortem victimæ.*
11. *Sacrificium an consistat in aliqua actione vaga.*
12. *Sacrificium consistit in determinata actione exercita à Christo, vt per quam sit idem cum sacrificio Crucis.*

Dicendum est. *Immutationem seu destructionem victimæ in sacrificio Missæ per id saluari: quod ex vi verborum fiat quædam separatio sanguinis à corpore, quatenus ex vi verborum ponitur sub speciebus panis solum corpus Christi, & cætera per concomitantiam tantum, & sub speciebus vini solus sanguis, cætera verò solum per concomitantiam.* Atque adeò quantum ex vi verborum, & consequenter ex vi actionis consecratiuæ, & sacrificatiuæ exhibetur Christus tanquam mortuus facta separatione sanguinis, & corporis. Ita Vasquez 3. *part. disput.* 222. *cap.* 7. *&* 8. Lessius *de diuin. perfect. lib.* 12. *num.* 95. Mæratius *tom.* 3. *disput.* 36. *de Eucharist. sect.* 4 *&* 7. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 9. & *num.* 24. Chellison 3. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 2. ver. *Respondeo. Igitur melius.* Syluius *quæsito* 2. *conclus.* 4. ver. *Sed nec deest.* Carpens. *part.* 2. *Curs. Theol. tract.* 23. *disput.* 1. *sect.* 2. *num.* 18. Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp.* 1. *de sacrific. Missæ. diffic.* 8. ver. *Et ratione.* Et cum his coincidit etiam Malder. 2.2. *tr.* 10. *c.* 3. *dub.* 1. verb. *Vt igitur in argumento.* 1

Hæc autem immutatio est realis, quia actio per quam fit, realis est, cum sit ipsa conuersio panis in corpus Christi, & vini in sanguinem, & habet etiam terminos reales, nam in consecratione panis habet pro termino formali corpus, & cætera solum consequutiuè; & in consecratione vini habet pro termino formali sanguinem, & cætera pro materiali, quatenus ponuntur cum ipso ex vi connexionis naturalis. Vnde infert etiam realem immutationem in Christo quatenus facit ipsum existere sub speciebus panis ratione corporis, & alio modo facit existere sub speciebus vini: qui quidem modus essendi, quantum est de se inferret destructionem Christi, nisi obstaret connexio partium, atque adeò actio consecratiua est destructiua Christi etiam secundum esse quantum est de se, licèt stante connexione partium inferat solum destructionem secundum modum essendi, quia modus essendi sub speciebus, facit quod separatim existat sanguis à corpore, quæ quidem separatio non cadit supra esse, sed supra modo essendi, seu supra ratione, ex vi cuius corpus, & sanguis existunt sub speciebus. 2

Ratio autem est, quia sacrificium Missæ est repræsentatiuum sacrificij Crucis iuxta illud Christi, *Hoc facite in meam commemorationem.* Et tradunt communiter Patres, & Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. *de Eucharist.* & hæc repræsentatio conuenit ipsi, quâ sacrificium est: Ergo cum destructio victimæ conueniat sacrificio, quâ sacrificium est, debet conuenire sacrificio Missæ quâ repræsentatiuum est: Ergo cum sit repræsentatiuum, quatenus dicit corpus, & sanguinem seorsim, debet destructio quoque ei conuenire ex vi eiusdem rationis, vt conueniat, quatenus repræsentatiuo, atque adeò quatenus sacrificium est. Conuenit autem quia dicit, talem modum essendi sub speciebus in quo apparet separatio corporis à sanguine. Confirm. Destructio sacrificij peracti in Cruce consistit in separatione reali sanguinis à corpore: & ideò sacrificium est cruentum, quia separatio est realis: Ergo cum sacrificium Missæ sit repræsentatiuum sacrificij Crucis, & sic incruentum, consistet in separatione secundum modum essendi sub speciebus; quia per hanc & repræsentat realem separationem, & incruento modo se habet. 3

Dices. Hoc sacrificium non est nuda commemoratio sacrificij peracti in Cruce, vt definit Concil. Trident. *sess.* 22. *can.* 3. Sed est etiam verum sacrificium: 4

Digitized by Google

cium: Ergo non solum debet dicere mysticam, seu repræsentatiuam destructionem, sed etiam veram, & realem: & proinde non debere repræsentare solum destructionem factam in Cruce. Resp. Non esse nudam commemorationem sacrificij peracti in Cruce; quia est etiam verum sacrificium; & hoc definit Concilium contra Hæreticos, qui dicebant, esse nudam commemorationem, quia volebant, non esse verum sacrificium. Vt autem sit verum sacrificium, sufficeret, quod in ipso verè offerretur Christus cum repræsentatione destructionis factæ in Cruce. Nam ista repræsentatio non est nudum signum, & commemoratio nuda passionis, quia fit in ipsomet Christo, qui in suo corpore, & sanguine illam repræsentat, & proinde est substantialis repræsentatio, & est sufficiens ad significandum Iesum, vt auctorem vitæ, & mortis, seu vt primum principium, à quo totum esse recognoscendum est, & vltimum finem, in cuius obsequium totum esse impendendum est: nam illa repræsentatio fit, vt hæc dependentia, & hoc debitum in persona Christi profiteatur. Accedit etiam, quod cum Christus sit principalis offerens, dum in seipso facit repræsentationem propriæ mortis se offerendo Patri, declarat affectum se totum tradentis in obsequium Patris, qui est interius sacrificium, atque adeò oblatio externa cum ilia repræsentatione mortis declarat hunc affectum; & ideo huiusmodi repræsentatio est sufficiens destructio pro sacrificio, nam illa tantum destructio requiritur, quæ possit declarare interius sacrificium.

5 Verùm licet sufficeret hæc repræsentatio destructionis factæ in Cruce, interuenit tamen etiam realis destructio, in qua fundatur repræsentatiua: nempe destructio secundum modum essendi sub speciebus; nam cum sub vna existat ratione corporis, & sub alia ratione sanguinis, fit quædam destructio ratione modi essendi, nam per ipsum sanguis habet modum essendi seorsim à corpore, & corpus seorsim à sanguine, qui quidem realis est, & conuenit corpori, & sanguini secundum esse replicatum ea vi actionis realis physicæ. Hinc per hunc modum essendi exhibetur Christus per modum mortui sub speciebus, quamuis in se non sit mortuus, & hoc fit ex vi actionis sacrificatiuæ: hæc autem exhibitio sufficit ad protestandum totum id, quod protestari posset realis destructio, nempe totalem submissionem respectu Dei, & recognitionem supremæ Maiestatis, & alia huiusmodi.

6 Dices 2. Repræsentatio mortis Christi in sacrificio Missæ est mystica: Ergo etiam destructio est mystica, cum consistat in repræsentatione. Mystica autem destructio non sufficit pro sacrificio. Resp. Mysticam destructionem non sufficere pro sacrificio, quando non coniungitur cum reali destructione eiusdem victimæ. Sufficere verò, quando coniungitur. In sacrificio autem Missæ coniungitur. Nam cum in ipso eadem hostia offeratur, quæ fuit oblata in sacrificio Crucis; vt habet Concil. Trident. *sess.22. cap.2.* Mystica destructio coniungitur cum reali facta in Cruce circa eamdem rem oblatam: & facit quod sacrificium Missæ sit repetitiuum sacrificij Crucis, sed incruento modo.

7 Instabis. Sacrificium Missæ, licet sit idem cum sacrificio Crucis quoad rem oblatam, non est tamen idem quoad actionem offerendi: vnde vnum est cruentum, alterum incruentum: Ergo actio sacrificandi debet inferre in re oblata, quod ipsi competit ex genere suo. Conuenit autem inferre destructionem realem, & non mysticam tantum. Resp. Sacrificium Missæ, dicere quidem actionem diuersam sacrificandi, sed cum habitudine ad sacrificium Crucis, quod ex intrinseca sua ratione debet repræsentare: vnde non est sacrificium independenter à quocumque alio, sed dependenter à sacrificio Crucis. Conuenit autem inferre destructionem realem in re oblata sacrificio, quod est tale independenter ab alio sacrificio: non autem sacrificio, quod in esse sacrificij dependet ab alio; nam, quando repetitur oblationem eiusdem victimæ, sufficit, si in eadem victima actio sacrificatiua ponat repræsentationem realis destructionis semel factæ, aut faciendæ; nam hoc pacto virtualiter ponitur realis destructio, & sufficiens significatio illius, quod per sacrificium debet significari. Et proinde est verum sacrificium, quia offert victimam iam realiter destructam cum repræsentatione illius destructionis, atque adeò virtualiter illam renouat.

Præterea, vt dictum est, destructio non solum est mystica, sed etiam realis, non quoad esse, sed quoad modum essendi: & proinde significatio moralis sacrificij fundatur ita in ipsa, vt possit etiam fundari in mystica; siquidem non minus potest esse signum interioris sacrificij, & affectus tradendi se in totale obsequium Dei, seu recognoscendi ipsum vt auctorem vitæ, & mortis mystica repræsentatio destructionis realis cum dependentia ab existentia eiusdem destructionis realis, quàm sit ipsa realis destructio; nam repræsentatio realis destructionis cum dependentia ab ipsius existentia declarat affectum eiusdem destructionis realis, quia sicut illam repræsentat, ita etiam repræsentat affectum erga ipsam, aut factam, aut faciendam. 8

Dices 3. Verba consecrationis, quamuis ponant formaliter sub speciebus solum corpus, & solum sanguinem, non tamen exigunt, quod simul cum corpore non ponatur sanguis, aut ne cum sanguine ponatur corpus: Ergo neque, quantum est de se, sunt separatiua sanguinis à corpore. Resp. Non exigere, quod non ponatur sanguis simul cum corpore, & è contra, quoad esse, seu quoad realem vnionem, quia sine reali separatione ipsorum adinuicem possunt verificari: exigere tamen, quod dum ponitur corpus, non ponatur sanguis quoad eumdem modum essendi, & è contra; nam si Christus, sicuti modo ratione corporis existit sub speciebus, existeret etiam ratione sanguinis, non magis dici posset, *Hoc est corpus meum*, quàm, *Hic est sanguis meus*; vnde verba non verificarentur. Hinc autem fit, quod licèt verba de se non sint separatiua corporis, & sanguinis quoad connexionem, quam habent tanquam partes adinuicem, sint tamen separatiua, & de facto separent quoad modum essendi, quod sufficit pro immutatione victimæ. 9

Instabis. Quamuis fiat separatio corporis, & sanguinis quoad modum essendi, non tamen fit quoad realem connexionem, quam habent adinuicem: Ergo cum ratione huius realis, & naturalis connexionis impediatur mors, & destructio victimæ, impeditur etiam sacrificium. Resp. neg. conseq. Quia cum hoc sacrificium sit sacrificium dependenter ab alia sacrificatione eiusdem victimæ, atque adeò quatenus repræsentatiuum talis sacrificationis, non requirit mortem victimæ; sed solum, quod in ipsa fiat talis mutatio, per quam consurgat realis repræsentatio sacrificationis eiusdem victimæ, à qua dependet. Hæc autem immutatio, quæ est fundamentum repræsentationis fit secundum modum essendi sub speciebus, vt dictum est. Neque fit quod sit nuda repræsentatio, nam adhuc interuenit Christus vt vera victima, in quo ratione modi essendi ponitur realis repræsentatio cruentæ sacrificationis, & reuera offertur. Neque est eadem ratio de sacrificio Abrahæ, quia interuenit tantum voluntas prompta ad sacrificandum Filium. Non verò fuit facta aliqua 10

immutatio in ipso, per quam repræsentaretur aliqua alia sacrificatio; neque sacrificium ipsius fuisset sacrificium cum dependentia ab alia sacrificatione, quam debuisset repræsentare.

11 Ex dictis colligitur contra Nugn. *3. par. quæst. 83. art. 1. part. 2. difficul. 2 conclus. 3.* Quid dicendum de eius sententia in qua asserit, quod sacrificium non consistit in consecratione, sed in aliqua ex quinque actionibus quæ consequuntur consecrationem, quæ sunt eleuatio, oblatio, fractio hostiæ, commixtio, & consumptio. Vult autem, quod non consistat in aliqua ex his determinatè, sed in vna, vel in alia; nam si omittatur prima, secunda erit essentialiter sacrificiū, & si apponatur prima, & omittatur secunda, adhuc erit verum sacrificium, & sic de cæteris. Vnde per ipsum prima actio, quæ ex istis ponitur, est illa, quæ essentialiter importat sacrificium. Quod si obiicias, quod sacrificium est determinatum in particulari, & proinde debet consistere in aliqua actione determinata particulari. Resp. Ita esse, & de facto quodlibet sacrificium habet suam essentiam in aliqua determinata actione particulari, quia semper fit cum aliqua ex illis actionibus determinata, vel pluribus, vel omnibus: itavt posita vna, & prætermissa alia, aut è contra, adhuc subsistat essentia sacrificij. Quia ad vnitatem indiuidualem sacrificij solum requiritur aliqua ex illis actionibus.

12 Verùm hæc sententia falsa est. Primum, quia sacrificij essentia non potest in aliqua actione consistere, quam Christus non exercuerit in vltima cœna: non exercuit autem quatuor priores actiones. Secundò. Sequeretur, quod sicut istæ, quinque actiones sunt inter se essentialiter diuersæ; ita etiam sacrificium Missæ posset habere diuersitatem essentialem; itavt modo potest esse vnius essentiæ, & modo alterius, nam cum vna ex illis actionibus, esset vnius essentiæ, & cum alia esset alterius essentiæ. Tertiò. Sacrificium Missæ quoad actionem sacrificandi non esset idem cum sacrificio vltimæ cœnæ, quia sacrificium vltimæ cœnæ peractum fuit cum diuersa actione ab illis quatuor prioribus. Quartò. Illæ quatuor priores actiones non fuerunt institutæ à Christo, aut saltem non constat, quod fuerint institutæ: vnde essentia sacrificij constitueretur in actione, quæ non esset instituta à Christo, aut saltem non constaret fuisse institutam.

QVÆSTIO 44.

An consecratio vtriusque speciei pertineat ad essentiam sacrificij.

SVMMARIVM.

1. *Vna species validè consecratur sine alia.*
2. *Consecratio vtriusque speciei in quo sensu non dicat partes essentiales sacrificij.*
3. *Essentia sacrificij an saluetur in consecratione vnius speciei.* & num. seq.
4. *Fundamenta partis affirmatiuæ.*
5. *Pars negatiua.*
6. *Consecratio vnius speciei dicit rationem sacrificij, sed non talis sacrificij.*
7. *Consecratio vtriusque speciei requiritur ex vi institutionis ad finem sacrificij.*
8. *Vtraque species necessaria ad repræsentandum sacrificium Crucis.*
9. *Mystica separatio sanguinis à corpore requirit vtramque speciem.*
10. *Vna species non valet repræsentare separationem sanguinis à corpore.*
11. *Qualibet species esset de se sacrificium, si vtraque non esset necessaria.*
12. *Sacrificium Missæ vt tale dicit mactationem mysticam victimæ.*
13. *Eucharistia quomodo repræsentet mortem Christi.*
14. *Cur consecrata specie panis, in eius manducatione repræsentetur mors Christi.*
15. *Christus an Lucæ 24. consecrauerit.*
16. *Quomodo sub qualibet specie offeratur totus Christus.*
17. *In consecratione vnius speciei non reperitur repræsentatio sacrificij cruenti.*
18. *Vna species quid repræsentet.*
19. *Consecrata vnica sola specie an habeatur sacrificium.*

SVpponendum est tanquam certum validè posse consecrari panem, & vinum seorsim, itavt, etiam si priùs consecraretur Calix, teneret consecratio, quod contingere potest, si Sacerdos consecraret materiam ineptam, quam putaret esse panem, nam tunc deberet post consecrationem Calicis consecrare solum panem, vt præscribitur in Rubricis Missal. *De defect. lib. occurrent. &c.* & ita tradunt communiter Doctores cum D.Thom. *3. part. quæst. 78. art. 6.* & Innocentio *lib. 4. de Myster. Miss. cap. 23.* Ratio autem est, quia consecratio vnius speciei quoad effectum est independens à consecratione alterius. Cum enim fiat ex vi significationis verborum, quatenus habent efficaciam ponendi effectum, quem significant, ideò vt vera sint, debet statim poni effectus significatus; & ideò ponitur in vna specie independenter ab alia: vnde si non sequatur consecratio alterius speciei, adhuc prima reuera est consecrata, & continet corpus, aut sanguinem Christi non secus, ac si alia quoque esset consecrata. 1

Supponendum 2. Ex hoc sequi, quod hæ duæ consecrationes non possunt esse partes ita essentiales, vt si tantom vna ponatur, nihil existat de sacrificio, sicuti nihil existit de Sacramento, si ponatur, aut tantum materia, aut etiam sola forma. Sed difficultas est, an sint de essentia sacrificij tanquam partes, quæ tamen habeant suam partialem essentiam vna independenter ab alia non secus, ac corpus, & anima, ita tamen, vt simul concurrant ad constituendum vnum sacrificium, sicut constituitur vna natura humana per corpus, & animam. 2

Prima sententia asserit, essentiam sacrificij posse saluari in consecratione vnius tantum speciei: ita vt consecratio vtriusque speciei spectet tantum ad integritatem sacrificij. Ita Casalius *lib. 2. de sacrific. Miss. cap. 25.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 9. num. 10.* Nugn. *3. part. quæst. 83. art. 1. par. 2. difficul. 2. conclus. 4.* Bonac. *disp. 4. de Sacram. quæst. vlt. punct. 2. num. 7.* Pitigianus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 3.* Marchin. *de Sacram. Ordin. tract. 4. part. 2. cap. 1. num. 15.* Gabr. à S. Vincent. *de sacram. disp. 1. de sacrific. Miss. quæst. 6. ver. Nostra sententia.* Et hoc quoque tenere debent, qui putant consecrationem vtriusque speciei non esse de iure diuino. 3

Prob. Christus Lucæ 24. consecrauit in vna tantum specie, ergo in vna subsistit sacrificium. Secundò. Sub qualibet specie offertur totus Christus: Ergo sub qualibet est integra ratio sacrificij. Tertiò. In qualibet specie reperitur tota definitio sacrificij, nempè oblatio, immutatio victimæ, nam nulla immutatio fit in consecratione vnius speciei, quæ non fiat in consecratione alterius; & tota etiam protestatio, quæ fit in consecratione vnius, fit etiam in consecratione alterius. Quartò. Per consecrationem solius panis, aut solius vini repræsentatur passio Christi, nam repræsentatur aut corpus seorsim à sanguine, 4

ſanguine, aut ſanguis ſeorſim à corpore: Ergo habetur in qualibet ſpecie tota ratio ſacrificij. Quintò. Si Sacerdos tantum conſecraret corpus, aut ſanguinem verè diceretur ſacrificate: Ergo ſacrificium ſubſiſtit in vna tantum ſpecie.

5 Secunda ſententia aſſerit, Conſecrationem vtriuſque ſpeciei eſſe de eſſentiâ ſacrificij. Ita D. Thom. 3. *part. quæſt.*76. *art.*2. *ad* 1. & *quæſt.*80. *art.*12. *ad* 3. Sebaſtian. Perez *de ſacrific. Miſſ. cap.*14. Alan. *lib.*2. *de ſacrific. cap.*7.19. & 20. Valent. *tom.*4. *ſum. diſp.*6. *quæſt.*8. *punct.* 5. §.6. ver. *Eſt enim obligatio.* Suarez *diſp.*75. *de Euchariſt. ſect.*6. ver. *Dico ſecundò.* Bellarmin. *lib.*4. *de Euchar. cap.*22. *propoſ.*2. Qui malè ab aliquibus pro oppoſita ſententia citatur. Vaſquez 2. *part. diſp.*223. *cap.*3. & 4. Iſambert. *quæſt.*83. *diſp.*3. *de Euchar. art.*9. qui tamen addit, ſacrificium Miſſæ requirere conſecrationem vtriuſque ſpeciei, prout dixit expreſſam ſignificationem ſui proprij ſignificati: Secundum autem ſignificationem minus expreſſam, ſufficere conſecrationem vnius ſpeciei. Chelliſſon. *art.*1. *dub.*3. ver. *Dico* 2. Præpoſit. *dub.*8. *n.*54. Mercer. *dub.* 2. *circa fin.* ver. *Ex his colligitur.* Syluius *quæſito* 3. Granad. *controuer.*6. *tract.*10. *diſp.*3. *ſect.*3. Caſpenſ. *part.* 2. *Curſ. Theol. tract.* 23. *diſp.*1. *ſect.*2. *num.*28. Gaſpar. Hurtad. *de ſacram. diſp.*1. *de ſacrif. Miſſ. difficul.* 2. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.*22. *diſp. vnic. punct.* 11. *num.*6. Auerſa *quæſt.*11. *de Euchar. ſect.*5. ver. *Dico* 2. Conioch *de ſacram. quæſt.*74. *art.* 1. *num.* 3. & *quæſt.*83. *art.* 1. *dub.* . . . . *num.* 102. Lugo Cardinalis *diſp.*19. *de Euchariſt. ſect.*8. *num.*105. Facundez *præcep.*1. *Eccleſ. lib.*3. *cap.*5. *n.* 4. Mærat. *tom.*3. *ſum. diſp.* 36. *de Euchariſt. ſect.*3. Franc. Logo *lib.*4. *de ſacram. cap.*1. *quæſt.*1.

6 Dicendum eſt. Ad eſſentiam ſacrificij Miſſæ prout eſt tale ſacrificium, requiri conſecrationem vtriuſque ſpeciei. Dixi, *prout eſt tale ſacrificium*, quia non Inquiritur modo, an ratio ſacrificij ſaluari poſſit in vnica tantum ſpecie, ſed an eſſentia ſpecifica huius ſacrificij requirat neceſſariò conſecrationem vtriuſque ſpeciei, nam certum eſt, quod in conſecratione vnius ſpeciei, reperitur ratio ſacrificij ſaltem inadæquatè; cum in ipſa offeratur Chriſtus, & habeatur ſignificatio proteſtationis ſacrificij interioris, quæ habetur in in conſecratione vtriuſque ſpeciei.

7 Deſumitur autem ex Concil. Trident. *ſeſſ.*22. *cap.*1. *de Euchariſt.* vbi loquens de Chriſto habet. *Vt dilecta ſponſa ſua Eccleſiæ, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur, &c. Corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis quos tunc noui Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem.* Ex quibus hæc habentur, quod Chriſtus obtulit ſeipſum in ſacrificium ſub ſpeciebus panis, & vini, atque adeò per conſecrationem vtriuſque ſpeciei. Quod diſcipulis præcepit vt offerrent ſub vtraque ſpecie. Quod horum finis fuerit, vt viſibile ſacrificium Eccleſiæ relinqueret, quo repræſentaret paſſionem ipſius. Vnde fit, quod inſtituerit ſacrificium ſub vtraque ſpecie, tanquam vtraque ordinata ad finem ab ipſo intentum, & proinde, quod vtraque ſpecies pertineat ad conſtituendam ſpeciem huius ſacrificij.

8 Prob. Sacrificium Miſſæ quà tale eſt ſecundum ſuam rationem propriam, & ſpecificam, eſt repræſentatiuum ſacrificij cruenti Crucis, vt habet Concilium Trident. citat. *num. præced.* & dixit ipſe Chriſtus Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo requirit eſſentialiter conſecrationem vtriuſque ſpeciei. Conſeq. prob. Sacrificium cruentum Crucis dicit ſeparationem ſanguinis à corpore, & conſequenter etiam animæ, quia dicit profuſionem vitæ Chriſti ſecundum naturam humanam, quæ facta eſt mediante effuſione ſanguinis, atque adeo ſeparatione ipſius à corpore. Per vnicam autem ſpeciem non poteſt repræſentari hæc ſeparatio ſanguinis à corpore: Ergo nec repræſentari ſacrificium Crucis cruentum. Min. hæc prob. Licèt vna ſpecies repræſentet corpus, & alia ſanguinem tantum, non tamen, repræſentat aut corpus ſine ſanguine, aut ſanguinem ſine corpore, ſicut imago Petri, licèt repræſentet ipſius corpus quoad eſſe ſenſibile, non tamen repræſentat ſine ſubſtantia, aut ſine anima: imò etiam indirectè repræſentat vtrumque: Ergo non ſufficit ad repræſentandam ſeparationem ſanguinis à corpore. Poſita verò vtraque ſpecie ſufficienter repræſentatur, nam ponitur ſeparatio, non in eſſe Chriſti, ſed in modo eſſendi, cum ſub vna exiſtat ratione corporis, & ſub alia ratione ſanguinis.

Confir. Ex vi conſecrationis vnius tantum ſpeciei inchoatur ſolum myſtica ſeparatio ſanguinis à 9
corpore, nam ratione naturalis connexionis partium ponitur totus Chriſtus ſub qualibet ſpecie: Ergo per conſecrationem vnius ſpeciei non habetur adæquata ratio ſacrificij, quia nón habetur adæquata repræſentatio ſacrificij cruenti Crucis. Anteced. prob. Myſtica ſeparatio corporis, & ſanguinis non habetur ſecundum eſſe reale Chriſti, ſed ſolum ſecundum modum eſſendi ſacramentalem ſub ſpeciebus, quatenus ſpecies determinant repræſentationem ſanguinis, atque adeo Chriſtum, vt ratione corporis ſtet ſub vna ſpecie, & ratione ſanguinis ſub alia: Ergo cum hæc determinatio habeatur tantum inadæquatè per vnam ſpeciem, neque etiam habetur adæquatè per vnam ſpeciem ratio ſacrificij.

Dices. Sufficere, ſi repræſentet implicitè occi- 10
ſionem Chriſti, & ſeparationem inter corpus, & ſanguinem. Vnicam autem ſpeciem repræſentare implicitè. Contra. Hoc ſacrificium eſt inſtitutum, vt in ipſo repræſentetur ſacrificium Crucis, vt ex illis verbis Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, deducit Concil. Trident. *ſeſſ.*22. *cap.*1. Ergo debet eſſe expreſſa repræſentatio: quia qui intendit facere repræſentationem alicuius rei, facit expreſſam, & non tantum implicitam. Deinde ſpecies repræſentant cruentum ſacrificium Crucis, quatenus repræſentant corpus, & ſanguinem ſeorſim: Ergo vt repræſentatiuæ, ſunt partes conſtituentes formalem repræſentationem, atque adeò vna tantum non erit virtualis repræſentatio, ſed pars repræſentationis. Rurſus in tantum vna ſpecies poſſet virtualiter, aut indirectè repræſentare ſacrificium Crucis, in quantum ex vi verborum contineret ſolum corpus, & cætera tantum per concomitantiam, & proinde repræſentaret corpus Chriſti exangue. Sed hoc non habet, niſi per ordinem ad conſecrationem alterius ſpeciei, nam in tantum repræſentat ſeparationem, in quantum contraponitur alia ſpecies, quæ repræſentat ſanguinem, ſiquidem ſeparatio non eſt niſi reſpectu alterius, & cum hæc ſeparatio ſit, ſecundum modum repræſentandi, debet modus repræſentandi ſe habere ſeparatim reſpectu, modi repræſentandi alterius ſpeciei: & aliud eſt repræſentare Chriſtum ſolum ſub ratione corporis, & aliud repræſentare corpus ſeparatum à ſanguine. Vna ſpecies independenter ab alia repræſentaret ſolum corpus, non autem ſeparationem.

Confirm. 2. Si non requireret hoc ſacrificium ad 11
ſui eſſentiam conſecrationem vtriuſque ſpeciei; ſed in vna tantum ſaluaretur, ſequeretur, quod eſſet duplex ſacrificium, in quo vterque offerretur Chriſtus.

stus. Hoc autem dici non potest, quia Christus instituit vnicum tantum sacrificium, in quo ipse immolaretur, itavt sub vtraque specie fiat vnica tantum immolatio, vt tradit Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. *Nouum instituit Pascha seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum.* Et quia est vnica tantum victima, nempè Christus: vbi autem est vnica tantum victima, ibi est tantum vnica immolatio. Sequel. prob. In qualibet speciei cuiuslibet consecratione, repetiretur essentia sacrificij: Ergo cum sint actiones inter se distinctæ realiter, multiplicabitur realiter essentia sacrificij, atque adeò etiam sacrificium.

12 Dices. Per consecrationem vnius tantum speciei adducitur victima ad altare, & offertur Deo: Ergo in ipsa saluatur tota ratio sacrificij, quamuis cum minus expressa repræsentatione sacrificij Crucis. Resp. neg. conseq. Quia adductio victimæ ad altare & eius oblatio, dicit tantum rationem sacrificij in communi: non verò talis sacrificij. Quia autem hoc sacrificium vt tale, dicit mactationem victimæ repræsentatiuam, ideò non potest saluari in consecratione vnius tantum speciei, in qua, sicut inchoatur tale sacrificium, quod completur per consecrationem alterius speciei; ita etiam inchoatur solum ratio sacrificij completi in communi, quod perficitur per talem differentiam, sicut in corpore est incompletè illa substantia, quæ determinatur per differentiam naturæ humanæ. Vnde etiam ad anteced. dici posset, quod per consecrationem vnius speciei incompletè adducitur, & offertur victima, quia adducitur, & offertur secundum mensuram modi essendi sub speciebus.

13 Instabis. Eucharistia quatenus sacramentum, habet repræsentare sacrificium cruentum, seu mortem Christi; & tamen saluatur in vnica specie, & per ipsam illud repræsentat, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Quod fit per vnicam speciem, tum quia id habet praxis Ecclesiæ; tum quia dictio, &, stat disiunctiuè pro dictione, *vel*: Ergo etiam sacrificium poterit repræsentare in consecratione vnius speciei. Resp. Eucharistiam non repræsentare mortem Christi, nisi quatenus est victima, quæ superfluit sacrificio, atque adeò dependenter ab ipso sacrificio, seu actione sacrificandi: vnde licet in vna specie sit totum sacramentum, non tamen est tota repræsentatio, sed tantum inadæquatè; quia se habet vt pars victimæ occisæ, & cum ordine ad aliam partem repræsentat, & quatenus supponit victimam occisam mysticè in consecratione vtriusque speciei: nec repræsentat quatenus sacramentum, sed quatenus terminus actionis sacrificatiuæ separantis mystico modo sanguinem à corpore: non autem quatenus dicit vim refectiuam animæ, secundum quam est sacramentum. Vnde neque in Eucharistia fit talis repræsentatio per vnicam speciem, sed semper cum ordine ad aliam, quia est cum ordine ad occisionem mysticam Christi, atque adeò ad consecrationem vtriusque speciei.

14 Instabis 2. Si Sacerdos consecraret tantum speciem panis, in manducatione illius repræsentaretur adhuc mors Christi: Ergo non per ordinem ad consecrationem vtriusque speciei. Resp. Neg. conseq. Quia per accidens esset, quod non fuisset consecrata altera species: de se autem exigeret consecrationem alterius, & proinde Eucharistia sub specie panis diceret ordinem ad consecrationem alterius speciei, quia cum hic ordo sit transcendentalis, non requirit existentiam termini; sed sufficit, quod ex vi suæ institutionis sit possibilis, & debeat interuenire. Sic si pictor pingeret medietatem equi, illa figura repræsentaret equum inadæquatè, sed cum ordine ad aliam medietatem, quam coëxigeret.

Ad 1. resp. Non esse certum, quod tunc Christus consecrauerit; & si consecrauit, non est certum, an consecrauerit in vna tantum specie. Quicquid tamen sit, dato quod consecrauerit, id fecit ex suprema auctoritate, quam habebat, vt institutor sacrificij, & non est visus sacrificio instituto pro Ecclesia in vltima cœna, sed alio speciali sacrificio, tunc sibi benè viso. 15

Ad 2. Sub qualibet specie offerri totum Christum, sed inadæquatè, quantù est ex parte modi oblationis; nam Christus ita in hoc sacrificio offertur, vt simul etiam ex vi oblationis mystico modo mactetur; hoc autem non fit adæquatè per oblationem sub vna specie, cum sub ipsa repræsentetur adæquatè occisio, sed tantum per oblationem sub vtraque specie. 16

Ad 3. neg. assumptum. Quia non reperitur ratio repræsentatiua sacrificij cruenti, quæ tamen pertinet ad definitionem huius sacrificij, cum sit essentialiter repræsentatio sacrificij Crucis. Imò neque reperitur adæquatè definitio sacrificij in communi, nam ratio signi protestatiui non est adæquatè in vna specie, cum non sit instituta vt adæquatum signum: sicut nec etiam reperitur adæquata ratio oblationis, nec adæquata ratio protestationis, nec adæquata ratio immutationis victimæ, quæ consistit in modo essendi sanguinis, & corporis separatim sub speciebus. 17

Ad 4. neg. assumptum. Nam aliud est, Christum repræsentari secundum solam rationem corporis, & aliud repræsentari corpus seorsim, & separatum à sanguine. Primum habetur per vnicam speciem: secundum non potest haberi nisi concurrente vtraque specie, quia non potest intelligi separatio, nisi intelligatur inter duo extrema: atque adeò nec quod aliqua repræsententur vt separata, nisi in medio repræsentante sint duo extrema, ex vi quorum repræsentetur separatio. 18

Ad 5. In illo casu incompletè sacrificaret spectato hoc sacrificio, nam poneret solum vnicam partem ipsius; per accidens tamen consurgeret aliud diuersum sacrificium, sicut si organizaretur corpus, & Deus non infunderet animam, & ita nasceretur: nam tunc illud corpus non esset homo, sed tantum pars hominis, & esset quid diuersum omninò à cæteris corporibus. 19

QVÆSTIO 45.

An consecratio sub vtraque specie sit de iure diuino.

SVMMARIVM.

1. *Consecratio sub vtraque specie secundum aliquos non est de iure diuino.*
3. *Consecratio sub vtraque specie est de iure diuino.*
3. *Vnde id colligatur.*
4. *Vtraque species requiritur pro repræsentatione sacrificij Crucis.*
5. *Verba, Hoc facite, referuntur ad sacrificium, & communionem, sed diuerso modo.* *Verba significat iuxta subiectum materiam.*

EX modò dictis constat, consecrationem sub vtraque specie esse de iure diuino, quia est necessaria ex vi institutionis. Quia tamen nonnulli id negant, ideò de hoc specialiter agendum est, vt etiam ex hoc capite constet, necessariam esse consecrationem 1

ſecrationem vtriuſque ſpeciei. Prima ſententia aſſerit, conſecrationem vtriuſque ſpeciei eſſe tantùm de iure humano. Ita Adrian. *in 4.qu.6.de Euchariſt. §. Pro reſponſione*. Maior. *diſt. 9. quæſt. 3. §. Tertiò arguitur*. Claudius Xainctes *Repet. 10. de Euchariſt.cap.3.§.Ex aduerſariis*. Fundamentum eſt factum Chriſti, qui in Emaüs *Lucæ 22.* Conſecrauit tantùm ſub vna ſpecie; de quo tamen dictum eſt in præcedenti *num.15.* Deinde quia Chriſtus iniūxerit per illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, quod conſecratio fiat ſub vtraque ſpecie, ſicuti facta eſt per ipſum. Verum cùm per hæc eadem verba iniunxerit etiam miniſtrationem Euchariſtiæ, & tamen non cenſeatur iniuncta ſub vtraque ſpecie, neque etiam erit iniuncta oblatio ſacrificij ſub vtraque ſpecie.

2 Secunda ſententia aſſerit, vtramque ſpeciem requiri de iure diuino. Ita D.Thom. 3. *part. quæſt.74. art. 1. & quæſt. 80. art. 12. ad 3.* Gabr. *ſect. 10. in Can. Miſſæ, Littera D.* Hoſius *in Confeſſ. Catholica cap.40.* Marſil. *in 4. quæſt.6. art.1. punct.1. dub.3.& 4. part.3. concluſ.* Sotus *diſtinct.9. quæſt.1. art. 2. in fine.* Palud. *diſtinct. 11. quæſt. 1. art. 1. concluſ. 3.* Caiet. *3. part. quæſt. 80. art. 12.* Suarez *diſput. 43. de Euchariſt. ſect. 3. ver. Tertiò ex his.* Bellarmin. *lib. 4. de Euchariſt. cap. 24. ver. Quantum incommodum.* Syluester *verbo* Euchariſtia 1. *num. 6.* Valent. *tom. 4. ſum. .... diſp. 6. quæſt. 10. punct. 4.* Henriquez *lib. 8. de Euchariſt. cap. 13. num. 1.* Facundez *præcept. 1. Eccleſ. lib. 3. cap. 5. num. 4.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 19. quæſt. 2. ver. Tertium.* Vaſquez *diſput. 223. de Euchariſt. cap. 3. num. 12.* Chelliſun *quæſt. 83. art. 1. dub. 3. ver. Dico 1.* Præpoſit. *dub. 8. num. 53.* Iſambert *diſput. 4. de ſacrific. Miſſæ, art. 1.* Caſpenſ. *part. 2 Curſ. Theol. tract. 23. diſput. 1. ſect. 2. num. 28.* Gaſpar. Hurtad. *de ſacrament. diſput. 1. de ſacrific. Miſſæ, difficult. 10.* Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 22. diſput. vnic. part. 11. num. 8.* Coninch. *de ſacrament. quæſt. 83. art. 1. dub. 5. num. 102.* Auerſa *q. 11. de Euchariſt. 4. ſect. 5. ver. Dici tamen.* Lugo Card. *diſput. 19. ſect. 8. num. 106.* Bonae. *diſput. 4. de ſacrament. quæſt. 2. punct. 3. num. 5.* Reginald. *lib. 29. praxis fori pœnit. num. 13.* Franciſc. Lugo. *lib. 4. de ſacrament. cap. 1. quæſt. 1. num. 15.* Gabr. à S. Vincent. *de ſacrament. diſput. 1. de ſacrific. Miſſæ, quæſt. 6. quæſito 1.*

3 Dicendum eſt. *Conſecrationem vtriuſque ſpeciei eſſe de iure diuino.* Probat. *Lucæ 22.* Chriſtus inſtituens hoc ſacrificium, & conſtituens Apoſtolos Sacerdotes & tradens modum ſacrificandi dixit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo iniunxit, quod ſacrificium offerretur ſub vtraque ſpecie. Conſeq. probat. Tum quia vt habetur. 1. Ad Corinth. 11. hæc verba prolata fuerunt à Chriſto poſt conſecrationem vtriuſque ſpeciei; vnde cum iniunxerit, quod facerent, quod ipſe fecit, iniunxit conſecrationem vtriuſque ſpeciei. Tum quia Concil. Trident. *ſeſſ. 22. cap. 1.* Ex his verbis Chriſti colligit præceptum; *Corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum Symbolis, Apoſtolis quos tunc noui Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba. Hoc facite in meam commemorationem.* Et can. 2. definit per hæc eadem verba Chriſtum ordinaſſe, vt Sacerdotes offerrent corpus, & ſanguinem ſuum.

4 Confirm. Vtraque ſpecies nedum fuit inſtituta à Chriſto, ſed etiam requiritur ad perfectam, & expreſſam repræſentationem ſacrificij cruenti Crucis, ita vt in vna ſpecie non repræſentetur totaliter: Ergo ſacrificium ſub vtraque ſpecie eſt de iure diuino. Conſeq. prob. Quia Chriſtus inſtituit hoc ſacrificium, & tradidit Eccleſiæ, vt in ipſo repræſentaretur eius Paſſio, cuius commemorationem illi iniunxit, vt habet Concil. Trid. cit. *cap. 1. ſeſſ. 22.* ibi: *Nouum inſtituit Paſcha ſeipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis ſenſibilibus immolandum in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, quando per ſui ſanguinis effuſionem nos redemit, &c.* Et proinde remanet iniunctus etiam modus commemorationis ſub vtraque ſpecie.

Ad fundamentum oppoſitæ ſentent. neg. Conſeq. 5
Nam eſt diuerſa ratio de communione, ac de ſacrificio. Cum ergo illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, referantur ad ſacrificium, & communionem, & de vtraque contineant præceptum, debent accipi diuerſo modo iuxta ſubiectam materiam, nam verba ſignificant iuxta ſubiectam materiam, & qualitatem ipſius. *l. Cum Pater. §. Donatum. ff. de leg. 2.* & *l. Si vno. ff. Locati.* & cap. *Solitæ. De maiorit. & obedient.* Vnde ſi referantur ad diuerſa debent accipi diuerſo modo proportionaliter, iuxta ipſorum conditionem. Cum ergo in ſacrificio requiratur, & intendatur repræſentatio Paſſionis Chriſti, & in Euchariſtia refectio ſpiritualis animæ, Eccleſia conſiderans quod hæc repræſentatio non habetur perfectè in vna ſpecie; & quod refectio ſpiritualis habetur, ideò declarauit præceptum Chriſti, quod relatum ad ſacrificium cadat ſub vtraque ſpecie, & relatum ad ſacramentum non cadat; & proinde quod diuerſo modo accipiendum ſit in ordine ad vtrumque iuxta ipſorum naturam.

QVÆSTIO 46.

An Pontifex diſpenſare poßit, quod ſacrificium fiat in vnica tantum ſpecie.

SVMMARIVM.

1. *Pontifex an poſſit diſpenſare, quod ſacrificium offeratur in vnica ſpecie.* & num. ſeq.
2. *Fundamenta partis affirmatiuæ.*
3. *Pars negatiua.*
4. *An adſit ſufficiens cauſa diſpenſandi.* & num. ſeq.
6. *Pontifex non poteſt variare ſubſtantiam ſacrificij, & ideò nec quod fiat in varia ſpecie.*
7. *Vtraque ſpecies ſpectat ad ſubſtantiam ſacrificij.*
8. *Poſita vnica ſpecie tantùm variatur ſubſtantia, & modus ſubſtantialis ſacrificij.*
9. *Pontifex quando poſſit diſpenſare in iure diuino.*
10. *Modus repræſentandi ſacrificium Crucis fundatur in vtraque ſpecie.*
11. *Pontifex non poteſt interpretari ius diuinum de vtraque ſpecie, quod hic, & nunc non obliget.*
11. *Pontifex, quando poſſit interpretari ius diuinum.*
12. *Ars præſcribit inuariabiliter.*
13. *Inſtitutio dat formam ſacrificio.*
13. *Interpretatio, quæ deſtruit actum non habet locum.*
14. *Pontifex an aliquando diſpenſauerit, quod fieret conſecratio in vnica ſpecie.*
15. *Pontifex non diſpenſat in iure diuino, ſed relaxando obligationes facit ipſum ceſſare.*
16. *Cur non ſit opus ſimul conſecrantes conſumere ſacrificium.*
17. *Eccleſia negando viaticum non diſpenſat in iure diuino.*
18. *Ius diuinum permittit, quod ſimplex Sacerdos confirmet vt extraordinarius miniſter.*
19. *Integritas confeſſionis quomodo ſit de iure diuino.*

Difficultas procedit non tàm de diſpenſatione, quam de declaratione, quia dato, quod ſummus Pontifex non poſſit diſpenſare in iure diuino, 1

potest tamen declarare, quod hic, & nunc ex aliqua rationabili causa non obliget. Prima ergo sententia asserit posse dispensare. Ita ij, qui putant consecrationem vtriusque speciei esse tantùm de iure humano specialiter vero Albert. *lib. de corpore Domini.* Gabr. *sect.53. in Can. Missæ, Littera E.* Alanus *lib.2. de Eucharist.cap.*20. Sainctes *repet.*10. *de Euchar. c.5.* Angelus *in summ. verbo* Eucharistia 1. *n.* 20. Tabiena *eod.num....* Pisanel *verb.* Eucharistia 2. *n.*20. D.Anton. *3.p.tit.13.c.6.§.1.circa fin.* Turrecrem. *in c. Comperimus. De consecr.dist.*2. Henriquez *lib.*8 *de Euchar. c.13.n.1.* Azor. *part.1.lib.10.c.19. q.2.* ver. *Tertium.* Facundez *precep.1.Eccles.lib.3.c.5.n.6.* Nauar. *cap.25.Manual. num.*91. Camerota *De Euchar.c.6.conclus.3.* Isambert. *3.p.q.83.disp.4.de sacrific. Miss. art.* 2. Imò quod vrgente necessitate possit priuata auctoritate consecrari sub vna tantùm specie tradunt Maior. *in 4. dist.9. q.3.ad 5.* Paludan. *dist.11.q.1.num.3.* Reginald. *lib.29. Praxis fori pœnit.n.*14. Bonac. *disput.4.de sacram.qu.3. punct.3.num.*8. suprà S.Vincent. *de sacram. disput.1.de sacrific. Miss.q.6.quæsito* 2. Quia volunt, quod præceptum diuinum de consecrando sub vtraque specie sit affirmatiuum, & proinde quod obliget semper, sed non pro semper.

2 Prob. Quia de facto Pontifex dispensauit cum Noruergis, vt sine vino offerrent sacrificium, vt refert Volater. *lib.2.Geograph.cap.4.* & ex eodem Pantain. *in Chron.ann.*1490. & de Innocent. IV. Claud. Sainct. *num.precep.citat.* Sed in hoc errauit sumendo Innocentium IV. pro VIII. de quo Volater. & Panuctii id referunt. Secundò, potest Pontifex ex potestate sibi commissa dispensare in iure diuino, vt in voto, iuramento, matrimonio, etiam secundum plures Doctores: Ergo etiam in consecratione in vtraque specie. Tertiò, est etiam de iure diuino, quod fiat consumptio sacrificij in vtraque specie à Sacerdote consecrante, & tamen qui ordinantur Sacerdotes, licèt consecrent, dispensantur, ne in Missa ordinationis sumant sub specie vini. Quartò, ob aliqua delicta negat Ecclesia aliquando viaticum, licèt eius sumptio sit de iure diuino. Quintò, licèt sit de iure diuino quod minister confirmationis sit Episcopus, ex commissione tamen Pontificis potest esse simplex Sacerdos. Sextò, ius diuinum solet interpretari, ne obliget quando vrget in contrarium grauis causa vt contingit in integritate confessionis quæ tamen est de iure diuino.

3 Secunda sententia asserit, Pontificem non posse dispensare, vt fiat consecratio in vna tantùm specie. Ita Sotus *in 4. distinct. 9. quæst. vnica art. 1. in fine:* Syluester *verbo* Euchatistia 1. *quæst.5.* Armilla *num.*10. *in fine.* Valentia *tom.4.sum.disput.6. quæst. 10. punct.* 10. Bellarmin. *lib. 4. de Eucharist.cap.*24. ver. *Quartum incommodum.* Suarez *disp.* 47. *de Eucharist. sect.4. dicto* 3. Qui tamen oppositum putat probabile. Gaspar. Hurtad. *De sacrament. disput. 2. de sacrific. Missæ, difficult.* 10. ver. *Ad tertium.* Palaus *part. 4. oprer. moral. tractat.* 22. *disput. vnica. punct.* 11. *num.* 9. Chellisson 3. *part. quæst.* 83. *art.1. dub. 3. in fine.* Præposit. *dub. 9. num.* 55. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.5.* ver. *Sed dices.* Coninch. *De sacrament. quæst.* 83. *art. 1. dub. ..... num.* 102. Nugnus 3. *part. quæst. 74. art. 1. conclus.* 3. Lugo Cardin. *disput. 19. de Eucharist. sect. 8. num.* 105. Francisc. Lugo *lib.4. de sacram.cap.1.qu.2. n.*23.

4 Dicendum 1. *Non posse adesse sufficientem causam, seu necessitatem dispensandi in hoc præcepto de consecratione sub vtraque specie.* Prob. Vel hæc causa esset priuata, vel publica. Si primum: non potest esse sufficiens, nam priuata publicis præualere non possunt. Vnde cum sacrificium pertineat ad ius publicum, & consecratio in vtraque specie sit ex institutione Christi, & pertineat saltem ad ritum substantialem sacramenti, non poterit contra ipsum præualere causa priuata; nec Pontifex poterit illi derogare, vt inseruiat causæ priuatæ.

5 Si verò dicatur, quod causa sit publica, hæc non potest esse alia, nisi quia non possit confici in vtraque specie, quia desit vinum, aut panis, nam si adest materia pro vtraque specie, nulla ratio exigere potest quod in vna tantùm conficiatur. Hæc autem necessitas ob defectum materiæ non potest adesse, quia materia ad loca omnia, vbi deest comportari potest; & de præsenti comportatur, ita vbique præsto sit, etiam in locis, vbi non colligitur, & eodem modo semper potuit comportari, & proinde nunquam adfuit, necessitas quæ exigeret talem dispensationem: Præsertim quia sacrificium non est necessarium pro quouis tempore: vnde si pro aliquo tempore deesset materia supersederi posset.

6 Dicendum 2. *Pontificem non posse dispensare, quod fiat consecratio in vnica tantum specie.* Prob. Licèt Ecclesia habeat potestatem circa sacramenta, statuendi quæ opportuna iudicauerit, debet tamen semper remanere salua eorumdem substantia, vt declarat Concil. Trid *sess.21.cap.* 2. Circa quam non potest se ingerere. Et quod dicitur de sacramentis, debet accipi etiam de sacrificio ob identitatem rationis, ita vt possit quidem variare, quæ non sunt de substantia, non tamen possit in aliquo immutare substantiam ipsius. Sed consecratio vtriusque speciei importat substantiam sacrificij: Ergo non potest dispensare, quod fiat in vna specie.

7 Min. propositio prob. Primò, quia licèt dicatur, sacrificium posse saluari in vnica specie; non tamen dici potest, quod altera species non importet substantiam sacrificij, siquidem importat oblationem, & victimam, quæ sunt substantialia sacrificio. Secundò, quia hoc sacrificium est essentialiter, & substantialiter repræsentatiuum sacrificij cruenti Crucis: Ergo totum id, quod importat hanc repræsentationem est de substantia sacrificij, vtraque autem species importat. Tertiò. Ea definitio, quæ conuenit sacrificio, prout in vna specie, conuenit etiam sacrificio prout in alia specie, præcisa sola ratione corporis, & sanguinis: Ergo si in vna specie est substantia sacrificij, erit etiam in alia. Quartò, substantia sacramenti est tàm in vna, quam in alia specie: Ergo etiam substantia sacrificij, quia sacramentum consequitur ad rationem sacrificatiuam substantialiter acceptam, tanquam effectus ipsius. Quintò, ex vtraque specie consurgit vnicus modus adæquatus repræsentandi sacrificium cruentum Crucis, siquidem expressa repræsentatio potest haberi tantùm per vtramq; speciem: Ergo cùm iste modus sit substãtialis sacrificio, erit etiam vtraq; species in quo fundatur. Sextò, verba consecrationis vnius speciei non significant adæquatam oblationem substantialem: Ergo neque illam efficiunt, nam solum operantur secundum mensuram suæ significationis. Anteced. prob. Significant tantum corpus, aut tantùm sanguinem: Ergo non significant adæquatè oblationem substantialem; nam oblatio substantialis, quæ fit in sacrificio est oblatio totius Christi repræsentans oblationem Crucis cum separatione sanguinis à corpore, & ideò vt sit adæquatè, & adæquatè correspondeat oblationi Crucis, debet habere pro termino corpus, & sanguinem, vt seorsim se habentia.

8 Dices. Substantiam sacrificij reperiri quidem in vtraque specie; quia tamen est sufficienter in vna, non variari substantialiter sacrificium, si offeratur in vnica tantùm specie. Contra. Quidquid sit, an sufficienter saluetur in vna specie, adhuc tamen altera species est pars substantialis sacrificij: Ergo si omitteretur,

retur, aliquid substantiale, detraberetur sacrificio, & proinde non remaneret salua substantia ipsiua. Deinde modus repræsentandi sacrificium Crucis est substantialis huic sacrificio: Ergo cum fundetur in vtraque specie, & prout fundatus in vna dicat aliquid, quod non dicit, prout fundatur in alia, sublata vna, specie mutaretur substantialiter sacrificium; & Ecclesia dispensans, vt offerretur in vna specie excederet terminos suæ facultatis.

9 Confir. Dato, quod Pontifex dispensare possit in iure diuino, non tamen potest dispensare in omni iure diuino, sed tantum, quando constat, quod Christus legislator reliquerit potestatem dispensandi, aut ex traditione, aut ex necessitate dispensationis, quia scilicet, non possit seruari, nisi aliquando fiat dispensatio ob necessitatem, cui aliter obuiari non possit. Et præsertim si sit ius diuinum primarium, quale est ius sacramentorum, ius sacrificij, &c. At neque ex traditione, neque ex vrgentia necessitatis prædictæ constat de tali potestate eum semper seruatum fuerit ius sacrificij sub vtraque specie: & proinde remanet indispensabile, & subintrat regula, quod inferior non potest dispensare in lege superioris absque eius facultate.

10 Confir. Vtraque species pertinet ad repræsentationem sacrificij cruenti ex institutione Christi, ita vt in vnica tantum non possit expresè repræsentari sacrificium Crucis, sed ad summum implicitè, & indirectè: atque adeò in vtraque fundatur modus expressus repræsentandi passionem Christi: Ergo cum Christus voluerit ex vi institutionis repræsentari in hoc sacrificio cruentum sacrificium, non poterit Ecclesia facere contra institutionem, & finem intentum à Christo concedendo sacrificium imperfectum, & contra finem intentum à Christo: neque carentem illo modo repræsentationis, quod instituit Christus.

11 Dicendum 3. *Neque posse Summum Pontificem interpretari, quod ius diuinum de sacrificio in vtraque specie non obliget hic, & nunc.* Ita specialiter Suarez *disp. 43. sect. 4. de Euchar.* ver. *Dico* 4. Prob. Tunc interpretatio habet locum, quod lex hic, & nunc non obliget, quando aut ex fine legislatoris, aut ex alio motiuo colligi potest, quod casus ex mente legislatoris non comprehendatur sub dispositione legis: & si præuidisset, non ita sanxisset. Sed in præsenti hoc non potest dici; tum quia non potest dici quod Christus non præuiderit casum, cum omnia sciret, atque adeò dedisset Ecclesiæ facultatem declarandi casus, in quibus nollet suam institutionem obligare; tum quia hoc habet locum, quando lex versatur circa aliquam materiam in communi, & de ipsa disponit, in qua potest contingere notabilis mutatio ratione circumstantiarum: & proinde quando lex supponit materiam, quam regulet; non autem quando illam facit. Lex autem de sacrificio præscribit immediatè de ipso, & tradit modum, & formam cum qua est celebrandum: Ergo cum materia immediata huius dispositionis sit modus, & substantia sacrificij, quæ est vna materia indiuidua, in qua ex accidenti non potest contingere mutatio ratione extrinsecorum, neque etiam habebit locum interpretatio.

12 Confirm. Lex, & constitutio sacrificij præscribit sacrificium per modum artis: Ergo præscribit inuariabiliter, ita vt non relinquat locum interpretationis offerendi ipsum alio modo. Anteced. constat. Quia ars tanquam ratio eorum quæ facienda sunt, ostendit formam introducendam in externam materiam: hoc autem præstat institutio sacrificij, vnde Christus, postquam in vltima cœna obtulit sacrificium, quasi ostendisset modum & artem sacrificandi, dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*: quasi diceret: Ostendi vobis ideam, seu formam sacrificandi, eodem modo vos quoque sacrificate. Conseq. prob. Quia ars dicit quandam ideam artificialem, quæ si seruatur in operando, fit opus ab ipsa præscriptum: si non seruatur, fit aliud opus: vnde si non fiat secundum artem, quæ ostendit scamnum, aut arcam, non fit scamnum, nec arca. Hoc autem est præscribere inuariabiliter: vnde non potest dici, quod ars in tali casu non ita præscribit, quia semper præscribit eamdem formam, & ideò non habet locum interpretatio, quod hic, & nunc, non ita præscribit, sed permittat aliter fieri. Quare cum institutio sacrificij semper sit eadem, semper eodem modo præscribet, & exiget fieri sacrificium.

Confirm. 2. Institutio sacrificij non supponit actum, circa quem versatur aliàs habentem suum esse; sed ipsum instituit, & facit de nouo, dans illi totam suam substantiam, & formam intrinsecam; itavt forma intrinseca proueniat ex institutione, nam institutio inducit intrinsecam formam sacrificij, atque adeò substantialem: Ergo non habet locum interpretatio, quod sacrificium possit offerri in vnica specie ex quacunque causa. Conseq. prob. Illa interpretatio non potest habere locum, quæ destruit substantiam actus; nam si non potest seruari forma substantialis actui, cum actus non subsistat, fit, quod habeat locum interpretatio, quod non sit ponendus absque forma præscripta, quia tunc non poneretur actus ille, sed aliùs diuersus, siquidem forma substantialis dat esse rei, vt communiter docent cum Aristot. *Physic. cap. 9.* & tradunt tanquam axioma iuristæ ex *l. Diuus, ff. de in integr. rest.* & *l. Is, qui quadraginta; §. Quædam, ff. Ad leg. Falcid.* & *l. Marcus, ff. de vindit. & demonstrat.* & Clement. *l. de reb. Eccles. non alienan.* quoad actus præscriptos à lege: Ergo quando non potest offerri sacrificium secundum formam præscriptam institutione, non habet locum interpretatio, quod possit offerri sine illa forma, sed potiùs, quod non debeat offerri, cum non sit de necessitate absoluta. Forma autem, quam præscribit institutio, & est ipsi intrinseca, est, quod offeratur in vtraque specie, & cum expressa repræsentatione sacrificij Crucis: nam cum tali forma est institutum à Christo, & consignatum Apostolis custodiendum. 13

Ad 1. resp. Illam relationem communiter haberi pro fabula, cum nullum adsit vestigium talis dispensationis. Imò fabricatis seipsam redarguit, dum dicitur Pontificem dispensasse, vt offerrent Calicem sine vino: nam dispensasset quod in alia materia, quam in vino sacrificarent, & conficerent sacramentum; quod nemo vnquam somniauit esse possibile. Et ideò oportet, quod iste auctor, à quo veteri accepere, errauerit ex falsa relatione imperitorum. 14

Ad 2. Probabilius negatur, posse Pontificem dispensare in iure diuino, iuxta Cap. *Sunt quidam*, & Cap. *Contra statuta.* 25. *quæst.* 1. Neque vrgent exempla de iuramento, & voto, nam tunc Pontifex non dispensat in obligatione quæ oritur ex voto, & iuramento, sed relaxat promissionem, & iuramentum nomine Dei, quam potestatem Christus tradidit suo Vicario. Facta autem relaxatione, corruit etiam obligatio. Nec etiam fauet exemplum matrimonij rati; nam solum dissoluitur contractus, qui licèt in tali specie sit perpetuus, ex genere tamen suo est dissolubilis, & ex dissolutione corruit obligatio, quæ erat naturalis; vnde neque in hoc fit aliqua dispensatio in iure diuino. 15

16 Ad 3. Esse de iure diuino, quod consumatur sacrificium à consecrante? Quando autem plures simul consecrant, quia requirit solum sacrificium consumi, non requiritur consumi ab omnibus, sed sufficit, quod consumatur à principali consecrante; quia cum ipse trahat cæteros, ad ipsum quoque spectat dirigere ritum sacrificij. An autem in tali casu posset consumi ab aliquo alio ex consecrantibus: certum est, quod esset contra praxim Ecclesiæ, & cum sit res grauis, consecrans principalis peccaret mortaliter, quia non consumeret: & peccaret etiam grauiter, qui consumeret, quia sibi consecraret, quod iuxta ritum Ecclesiæ non conueniret. An autem faceret contra ius diuinum non est ita certum. Probabilior tamen est pars negatiua, quia consumptio sacrificij spectat ad eum, qui offert, omnes autem sacrificantes offerunt simul cum principali: & ideò posset Ecclesia statuere quod simul cum principali consumerent, sicut statuit quod simul consecrent. Si tamen contingeret, quod principalis sacrificans non posset consumere, tunc aliquis ex consacrificantibus posset, & deberet consumere, nec alius posset, quia ius, & debitum consumptionis tunc deuoluitur ad consacrificantes.

17 Ad 4. Ecclesiam negando viaticum non dispensasse in iure diuino, sed vsum fuisse potestate, quam habet circa dispensationem sacramentorum, vt tradit Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. per quam ita potest moderari, vt distribuat iuxta quod, iudicauerit sumentibus expedire. Tunc autem iudicauit expediens denegare viaticum ob aliqua delicta.

18 Ad 5. Pontificem committendo simplici Sacerdoti, vt sit Minister confirmationis, non dispensare iure diuino: quia ius diuinum solum prohibet, quod sit ordinarius Minister: permittit autem, quod ex commissione Pontificia sit extraordinarius; vnde potiùs seruatur ius diuinum, quàm dispensetur.

19 Ad 6. constat ex dictis num. 11. quomodo talis interpretatio non habeat locum. Hoc est ea ratio de præcepto diuino de integritate confessionis; nam hoc præceptum non obligat ad absolutam integritatem, sed ad integritatem moraliter possibilem, & ideò de se absque vlla dispensatione non ostenditur ad casum, in quo sit moraliter impossibilis. Vnde inquit Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *de Sacram. pænit.* quod nihil aliud exigitur à pœnitentibus, quàm quod exponant peccata, quæ occurrunt præmisso diligenti examine, quæ autem occurrunt censentur inclusa in illa ipsa confessione. At præceptum diuinum obligat ad absolutam oblationem sacrificij in vtraque specie. Idem etiam dicendum de satisfactione, quæ licèt de iure diuino sit pars integralis sacramenti pœnitentiæ, non tamen eam absolutè exigit, sed solum quando censetur necessaria; vnde illam relinquit sub prudenti iudicio confessarij.

QVÆSTIO 47.

Quomodo nonnulla difficultates circa consecrationem vtriusque speciei sint ex dictis resoluendæ.

SVMMARIVM.

1. *Moralis impossibilitas an excuset à consecratione vtriusque speciei.*
2. *Ob vitandum scandalum an possit consecrari vnica tantum species.*
2. *Quid ob vitandam mortem, quando periculum ex improuiso superuenit.*
3. *Quid si quis mortem minitetur, nisi ita fiat.*
4. *Sacerdos an excusetur à mortali, quando defectu materiæ prompta ex mentis perturbatione non consecrat alteram speciem.*
5. *Sacerdos an possit consecrata prima specie ire ad procurandam materiam pro consecratione secundæ, si deficiat.*
6. *Latinus potest consecrare in fermentato ad supplendam consecrationem primæ speciei.*
7. *Possitne consecrari in vna specie, quando aliàs aliquod præceptum nequit seruari.*
8. *Paruæ hostiæ an noua consecratione consecrari possint durante Missa.*
9. *Noua probatio consecrationis importat nouum sacrificium.*
10. *Consecrans seorsim paruas hostias an teneatur consecrare nouum Calicem.*
11. *Consecrans bis panem, an teneatur alterum Calicem, si moneatur postquam discessit ab altari.*
12. *Si quis metu mortis consecraret in vnica tantum specie, an alius Sacerdos teneretur supplere.*

EX dictis in præcedenti quæst. colligi potest solutio quarumdam difficultatum. Prima est, an præceptum diuinum de consecratione vtriusque speciei, ita strictè obliget, vt neque moralis impossibilitas excuset. Resp. Quod tunc moralis impossibilitas excusat, quando non præuisa superuenit, iam vna specie consecrata; vt si consecrato pane non adesset vinum, & quod infusum est Calici, non sit aptum pro consecratione: aut si consecrata vtraque specie aduertat non fuisse panem triticeum, & materia, quæ deberet de nouo consecrari non possit haberi sine graui periculo, aut scandalo, tunc enim cessaret huiusmodi obligatio, vt notant etiam Henriquez *lib.* 1. *sum. cap.* 15. *num.* 1. Suarez *disp.* 43. *de Eucharist. sect.* 4. ver. *Dico ergo primò.* Azor. *part.* 1. *lib.* 11. *cap.* 19. *quæst.* 2. Bonac. *disp.* 4. *de sacrament. quæst.* 2. *punct.* 3. *num.* 8. Reginald. *lib.* 29. *praxis fori pænit. num.* 14. Isambert. 3. *part. quæst.* 83. *disp.* 4. *de sacrific. Miss. art.* 2. *in fine.* Francisc. Lugo *lib.* 4. *de Sacram. cap.* 1. *quæst.* 2. *num.* 21. ver. *Suppono* a Præposit. *infra citand.* Ratio est, quia tunc intentio fertur in consecrationem vtriusque speciei, & concipitur sacrificium perfectum: quod autem ex executione non perficiatur, est per accidens ob impedimentum occurrens, quò redditur complementum impossibile. Præceptum autem tunc cessat obligare, quia non obligat ad impossibile; imò consecrans non tam facit sacrificium imperfectum, quàm patitur esse tale: & proinde non est causa huius imperfectionis. 1

Quod autem additur de scandalo non placet Præposit. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 8. *n.* 56. ver. *Deduco* 3. Nec mihi etiam placere potest: quia si altera species haberi posset, deberet Sacerdos expectare donec offeratur, & monere populum de necessitate perficiendi sacrificium, & ita tollere scandalum: quod si addit quis scandalizaretur, non esset curandum scandalum: quia esset scandalum passiuum ex malitia illius, qui scandalizatur. An autem posset Sacerdos cessare à consecratione alterius speciei ob vitandam mortem imminentem, & non præuisam ante inceptionem sacrificij, vt si dum Sacerdos consecraturus est secundam speciem, superueniat inimicus occisurus eum, nisi fugiat. Resp. Affirmatiuè cum citatis Doctoribus, quia tunc consecratio alterius speciei fit moraliter impossibilis, quod valet etiam si mortis periculum non sit certum, sed solum probabile. 2

Secunda

3 Secunda difficolras eſt, an poſſit conſecrati in vnica taotum ſpecie, ſi quis minitaretut mortem, niſi ira fieret. *Reſp.* Enim,noo poſſe ſed porius mortem oppetendam eſſe, vt ſpecialiter notant, Suatez *diſput.43.de Eucharist.ſect.4.* ver. *Dico ergo.* Franciſc. Lugo *lib.4. de ſacrament. cap.1. quæſt.2. num.22.* ver. *Fit ſecundò.* Quod non ſolum accipi debet ſi Miſſæ eſſent in odium fidei, ſed etiam boc ſecluſo. Et ratio eſt, quia præceptum dioinum, dum præſcribit modum offerendi ſacrificium, habet annexam prohibitiooem de non offereodo ſacrificio imperfecto, & diuerſo ab inſtitutiooe, quod ex eo conſurgit, quia præceptum poſitiuum coarctat ad modum præſcriptum, & ideò racitè prohiber oppoſitum. Præceptum autem negatiuum non eſt violandum, etiam obſeruandam vitam.

4 Tertia difficultas eſt. An Sacerdos peccaret, ſi omitteret conſecrationem alterius ſpeciei, quando reperiret, materiam conſecrandam non eſſe proiomptam & ita mente perturbaretur, vt noo conſideraret, quod eſſet procuranda maretia pro conſecratione alterios ſpeciei. *Reſp.* Enim cum Præpoſito 3. *part.quæſt.83 art.1.dub.8.num.56.*ver. *Reduco 3.* Quod excuſaretur ſaltem à mortali,quia pertubatio mentis operatur quod omiſſio cooſecrationis alterius ſpeciei non ſit deliberata, arqoe adeò impurabilis, quod etiam dicendum eſt; ſi Sacerdos bona fide putaret, ſe tunc non teneri ad procurandam materiam pro conſecratione alterius ſpeciei.

Quarta difficultas. An ſi deficeret materia pro conſectatione alterius ſpeciei prima iam conſecrata, & non eſſet præſtò qui eam procuraret, moraliter ramen eſſet poſſibilis, & poſſet Sacerdos diſcedere ab altari, vt illam procuraret. *Reſp.* Relicta prima ſpecie conſecrata ſub cuſtodia, poſſe, & debere diſcedere ab altari ad procutaodam mareriam neceſſariam monitis adſtantibus de tali oeceſſitate. Et ratiò eſt, quia præceptum de vtraque ſpecie debet, ſi poteſt, omni meliori modo adimpleri, & ideò eligenda ſunt media neceſſaria. Præſertim quia ob cauſas minus graues licet diſcedere ab altari, & poſtea redire ad complendum ſacrificium, quia non fit ipſi irreuerentia, ſi interpoleretur ex rationabili, & neceſſaria caoſa. Sed quid ſi poſſet tantùm procurari per fœminam, an ad ipſam procurandam ingredi poſſet domum Regularium. *Reſp.* Non poſſe, ſed potius Sacerdotem debere diſcedere ab altari, ſi Miniſter non ſit aptus ad illam procurandam, quia ingreſſiui obſtat præceptum cum excommonicatione: Sacerdori autem non obſtat, ſtante rationabili cauſa, ne diſcedat ab altari.

5 Quiora difficultas an Latinus poſſet conſectare in fermentato, & Græcus in azimo ob ſupplendam conſecrationem panis, & noo poſſit haberi azimus, aut fermeotatus iuxta ritum Eccleſiæ conſecrantis. Fieri eoim poreſt, quod facta conſecratione Calicis Latinus aduertat, Hoſtiam eſſe corruptam, & iohabilem conſecrationi, & proinde conſecrationem fuiſſe nullam, & non habeat panem aaimum, nec niſi de longe afferri poſſit. *Reſp.* Poſſe conſecrare, in fermentaro, niſi in loco, vbi celebrat inueniretur azimus. Ratio eſt, quia præceptum conſecrandi in azimo, aut fermentato eſt humanum Eccleſiaſticum: præceptum autem de conſecrando in vtraque ſpecie eſt diuinum, & proinde in coocurſu facit ceſſare humanum. Si tamen poſſet haberi azimus, quamuis per horam eſſet expectandus, aut etiam per aliquid amplius, deberet Sacerdos expectare, quia conſecratio in aaimo eſt ritus grauiſſimus. Et hoc locum habet, etiam quando hoſtia cooſecrata non poſſet ſumi, ſed iuxta Rubricas eſſet alia conſecranda.

6 Sexta difficultas. Ao celebrari poſſit conſecrando vnicam ſpeciem, qoando aliàs non poſſet ſeruari aliquod præceptom. *Reſp.* Non poſſe, etiam ſi præceptum ſit grauiſſimum, vt eſſet audire Miſſam, ſumere communionem Paſchalem, mioiſtrare victimam, aut quid ſimile. Ita cootra Maiorem *in 4. diſtinct. 9. quæſt. 3. §. Tertiò arguitur.* notant quamplures præſertim Præpoſit. *3. part. quæſt. 83. artic. 1. dub. 8. num. 56.* Iſambert. *diſput. 4. de ſacrific. art. 1.* ver. *Notandum eſt.* Franciſc. Lugo *lib.8. de ſacrament. cap.1. quæſt.2. num.22.* ver. *Hinc fit.* Nam vel præceptum, quod ſolum cum conſecratiooe voius ſpeciei impleri poteſt, eſt humanom, & tunc ceſſat, vt pote in concurſu cum diuino. Vel eſt diuioom; & tunc vtpotè purè affirmatiuum cedit diuino, quod habet annexum negatiuum non ſacrificandi alio modo. Quia præceptum de viatico, etiamſi ſit diuinum, non obligat abſolutè, ſed quando poſſibilis eſt obſeruantia: quæ non cenſetur poſſibilis, quando exigeret oon obſeruari aliud præceptum diuioum. Quod etiam valet, poſito, quod præceptum ſacrificandi io vtraque ſpecie eſſet humanum: nam ex praxi Eccleſiæ eſſet ſanctiſſimum, & magis quàm præceptum celebrandi cum ſacris veſtibus; ſiquidem Eccleſia nunquam in ipſo diſpenſauit: & ideò adhuc eſſet ſemper inuiolabiliter ſeruandum.

Septima difficultas. An celebrans, ſi dum celebrat præſententur paruæ hoſtiæ conſecrandæ pro communione adſtantium, & circa ipſas nullam habeat inteotionem nec formalem, nec virtualem, & facta conſecratione id aduertat, poſſit conſecrare proferendo ſuper ipſas de nouo verba conſecrationis. *Reſp.* Non poſſe, ſiue id aduertat poſt cooſecrationem Calicis, ſiue ante, vt notat etiam Præpoſit. *3.part. quæſt.83. art. 1. dub.8 num.56.* ver. *Reſpond. id nullo modo.* Ratio eſt; quia cum verba conſecrationis ſint actio ſacrificatiua, dum proferentur de nouo ſupra nouam materiam, ſub qua ponitur corpus Chriſti, offertur de nouo ſacrificium: vode eſſent duo ſacrificia vnum completum, cui correſponderet conſecratio in altera ſpecie, & alterum imperfectum io ſola ſpecie panis oblatum, & ideò Sacerdos committeret graue ſacrilegium, quia offerret ſacrificium imperfectum contra inſtitutionem, Chriſti; & peccaret etiam contra præceptum Eccleſiæ de non offerendo ſacrificio, niſi ſemel in die. 7

Nec dici poteſt, quod habeatur pro vno, & eodem ſacrificio, quatenos ſub vnico ritu, & ſub vnica celebratione offertur, quia adhuc multiplicatur tota ſubſtantia ſacrificij, penes quam attenditur vnitas, vel pluralitas ſacrificij, non autem penes cibum, com cibus ſit accidentalis ſacrificio: & in ſecuoda conſecratione panis inchoaretur oova repræſentatio Paſſionis Chriſti, & relinqueretur imperfectum. Si tamen Sacerdos io hoc procederet bona fide, pútans id eſſe licitum, excuſaretur à peccato ratiooe inuoluntarij, quia illa actio quatenus contraria inſtitutioni Chriſti, & præcepto Eccleſiæ, non eſſet voluntaria. 8

Verum ſi contingeret, quod Sacerdos in celebratione ſecunda vice conſecraret panem, teneretur etiam ſecooda vice cooſecrare Calicem: qoia vrgeret præceptum diuioum de cooſecratione ſob vtraqoe ſpecie, & de complemento noui ſacrificij; nam facta noua conſecratione panis, ſtatim ſubintraret obligatio ex diuino præcepto de complendo nouo ſacrificio, & excluderet præceptũ Eccleſiæ de non conſecraodo bis in eadem die, cum boc ſit præceptum Eccleſiæ & humanum. Vnde teneretur iubere ſibi afferri alium Calicem, & io ipſo conſecrare nouum vinum mixta aqua. Et vtrumque ſumere, ſumeodo etiam de ſpeciebus ſecunda vice cooſecratis. Si tamen timeretur ſcandalum adſtantium, ad ipſum euitandum, poſ- 9

set Sacerdos consumere prius sacrificium, & deinde in eodem Calice, quasi sumeret purificationem consecrare proferendo verba consecrationis, quasi recitaret consuetas orationes præuias ad sumptionem purificationis. Si tamen bona fide omitteret secundam consecrationem Calicis, aut ex mentis perturbatione, excusaretur à peccato.

12 Octaua difficultas. An si Sacerdos in eadem Missa bis consecraret panem, vt in casu, de quo supra, teneretur de nouo consecrare Calicem, si bona fide non consecrauit secunda vice, & de hoc moneatur postquam discessit ab Altari. Resp. Si totum sacrificium tunc consecratum in specie panis est consumptum vel ab ipso Sacerdote, vel ab adstantibus, non teneri, quia in tantùm teneretur, in quantum deberet complere secundum sacrificium; tunc autem non adesset sacrificium, quod compleretur; quia neque in actione, quæ est transiens, neque in termino, seu in victima immolata superesset. Imò non posset perfici repræsentatio sacrificij Crucis, sed poneretur alia imperfecta repræsentatio; quia in tantùm repræsentatur, in quantum corpus, & sanguis simul existunt seorsim sub diuersis speciebus. Si autem superessent aliquæ particulæ, seu hostiæ paruæ, aut etiam vna, teneretur de nouo accedere ad Altare, & consecrare Calicem, vt perficeret sacrificium, quia sacrificium, quod adhuc superesset, esset imperfectum. Atque cum hostia, quæ superesset & Calice consecrato deberet exequi ritum Ecclesiæ non secus, ac si esset prima celebratio recitando consuetas orationes, & implendo præscriptas cæremonias, & consumendo in vtraque specie.

13 Nona difficultas. An si Sacerdos metu mortis consecraret in vnica tantùm specie, teneretur alius Sacerdos supplere consecrationem Calicis. Affirmat Præposit. 3. *part. quæst.* 83. *dub.* 8. *num.* 57. ver. *Obiter.* Quando potest haberi commode alius Sacerdos. Quod tamen debet intelligi, posito, quod qui consecrauit, non consumpserit speciem consecratam, nam tunc non adesset sacrificium quod perficeretur. Hinc si Sacerdos consecrato pane fugeret ab Altari, quia inimici eum aggrederentur, vt occiderent, positus in loco tuto; si posset habere speciem consecratam, deberet perficere sacrificium consecrando Calicem, aut redire ad Altare, si tutò posset, aut etiam consecrando extra Ecclesiam, quia præceptum de vtraque specie præualet omnibus præceptis Ecclesiæ vt pote humanis, & ordinatis ad decentiam illius actionis, cum ipsum ordinetur ad substantiam sacrificij. Si tamen consumpsisset speciem consecratam, antequam fugeret, non teneretur aliud præstare, vt constat ex dictis.

QVÆSTIO 48.

Quomodo aliquando fieri possit noua consecratio panis, aut vini stante priori.

SVMMARIVM.

1. *Si aliqua species veneno inficiatur, noua est consecranda.*
2. *Cur de nouo consecranda.*
3. *Ecclesia non potest variare substantiam sacrificij.*
4. *Consecratio noua speciei pro infecta, pertinet ad complementum prioris sacrificij.*
5. *Species veneno infecta non est amplius species sacramentalis. Corrumpitur moraliter.*
6. *Sub specie veneno infecta an desinat esse corpus vel sanguis.*
7. *Panis, & vinum notabiliter alteratum per superinductionem extraneæ substantiæ non potest consecrari.*
8. *Ecclesia præcipiens consecrari nouam speciem loco infectæ veneno, supplet defectum sacrificij.*

Ecclesia præscribit in Rubricis Missal. *Tit. de defect. contingent. in ipso minist. num.* 6. & 7. Quod si contingat post consecrationem, quod aliquid venenosum inficiat hostiam, aut Calicem, fiat noua consecratio Calicis, aut hostiæ: & quod præconsecratum erat, conseruetur donec corrumpatur, &c. Ex hoc autem oritur difficultas contra supradicta. Nam videtur sequi, quod Ecclesia possit dispensare, quod fiat consecratio in vna tantùm specie, nam in hoc casu, facta consecratione vtriusque speciei, vna tantum postea consecraretur. Rursus si contingeret, quod Sacerdos consecraret paruas formulas post consecrationem panis, aut etiam vini, non teneretur consecrare etiam Calicem contra id, quod dictum est. 1

Pro solutione huius difficultatis est aduertendum quod motiuum Ecclesiæ in præcipienda hac noua consecratione, est perfectio sacrificij, licèt enim sacrificium peractum sit secundum totam suam essentiam, quia tamen nondum est consecratum, & proinde non habet totam suam integritatem, neque sortitum est finem, ad quem ordinatur ad effectiuum sacramenti, ideò Ecclesia, quia non potest sumi species consecrata veneno infecta, vt sacrificium sortiatur suum finem tanquam effectiuum sacramenti, præscribit consecrationem alterius speciei in ordine ad consumptionem. Vnde hæc consecratio est iuxta exigentiam sacrificij, siquidem ex institutione diuina exigit compleri etiam integraliter, & obtinere, suum finem, vt effectiuum sacramenti, & conuiuij spiritualis. 2

Difficultas autem est. Quomodo id possit præstare; nam sicuti non habet facultatem variandi substantiam sacramentorum, vt habet Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. ita nec etiam potest variare substantiam sacrificij, cum sit eadem ratio, nam vtrobique obstat institutio Christi. Dum autem præscribit consecrationem vnius tantùm speciei, videtur variare, nam substantia sacrificij consistit in consecratione vtriusque speciei, cum in vtraque fiat oblatio Christi: vnde supra dictum est, quod si dispensaret Ecclesia, vt fieret consecratio in vna tantùm specie, variaret substantiam sacrificij. 3

Dicendum est. *Ecclesiam præcipiendo in dicto casu nouam consecrationem panis aut Calicis non variare substantiam sacrificij, quia talis consecratio pertinet ad prius sacrificium vt pars ipsius, non secus ac consecratio, cuius terminus in speciebus sacramentalibus infectus est veneno.* Ratio est. Quia eo ipso, quod species sacramentaliter inficiuntur veno, non sunt amplius species panis, aut vini vsualis ob alterationem in ipsis factam. Sicut panis, aut vinum veneno infectum, quamuis physicè sit secundum substantiam vsuale, non est tamen tale absolutè, & secundum moralem æstimationem, nam ob alterationem in ipso factam, non solum desinit esse aptus pro nutritione, sed etiam ordinatur ad tollendam vitam: Ergo species veneno infectæ non sunt amplius aptæ pro sacramento, quia sacramentum dicit species panis, & vini vsualis, itavt sub ipsis possit corpus, & sanguis Christi ordinari ad cibum, & potum: Ergo non sont amplius aptæ, vt sint pars sacrificij io facto esse, seu terminus illius, quia terminus dicit sacramentum consurgens ex actione sacrificatiua: Ergo eodem pacto se habent, ac si non essent, & ideò vel complendum sacrificium, quod superest io parte habili 4

habili debet repeti consecratio speciei factæ inhabilis, ita exigente sacrificio, vt possit sortiri effectum cunsumptionis adæquatè, & suam integritatem.

5 Confirm. Eo ipso, quod species sacramentales inficiuntur veneno corrumpuntur moraliter, itavt fiant aliæ ob alteratiunem in ipsis factam, quia licèt remaneat esse physicum ipsarum, quia tamen acquirit talem mutationem, vt sit inhabile ad id, pro quo prius inseruire poterat, censetur moraliter corrumpi, cum non retineat pristinum statum: Ergo moraliter etiam corrumpitur pars sacrificij, & ideò subroganda est per consecrationem nouæ materiæ, cum adhuc sacrificium permaneat in suo esse.

6 Confirm. 2. Probabile est, quod tunc quando species sacramentales veneno inficiuntur, desinat esse sub ipsis corpus, aut sanguis Christi. Et ratio est, quia tunc desinit esse sub ipsis, quando fit in illis talis mutatio, vt non sint amplius species illius panis, aut vini consecrati, vt habet D.Thom. 3. *part. quæst.* 77. *art.* 8. *in corpore*; & proinde quando miscetur cum ipsis vinum non consecratum, itavt peruadat mixtio totam quantitatem specierum, desinit esse sub ipsis corpus, aut sanguis Christi, quia non sunt eædem numero species materiæ consecratæ. Sed etiam, quando inficiuntur veneno, substantia venenifera se ipsis miscet, & facit, quod non sint amplius species materiæ consecratæ, quia non sunt species cibi, aut potus habilis pro nutritione, & cibatione, nec in se habent illam naturalem congruentiam, quam habent species panis, & vini ad hunc effectum; sed sortiuntur qualitatem contrariam, nec sunt amplius habiles ad repræsentandum in signo sensibili cibum, aut potum spiritualem, cum in tantum repræsentent, in quantum habiles sunt ad repræsentandum cibum, aut potum corporalem in ordine ad actionem manducatiuam, aut potatiuam: Ergo ob eamdem rationem desinet sub ipsis corpus aut sanguis Christi.

7 Quod amplius declarari potest. Si panis, aut vinum notabiliter alteretur per superinductionem alicuius substantiæ, quæ eorumdem partes ita peruadat, vt reddantur inhabilia ad cibum aut potum, vt cùm hostia aliàs consecrabilis tangitur substantia rubra, non possunt consecrari, & si super ipsa proferantur verba consecrationis, consecratio erit inualida, non alia ratione, nisi quia, vt sortiantur effectum, proferri debent supra materiam aptam pro cibo, & potu. Sed etiam, quando species inficiuntur veneno, fiunt inhabiles pro cibo, & potu: Ergo eodem modo se habent, ac cum simul cum substantia panis acquirunt eandem inhabilitatem: Ergo sicut tunc panis est inhabilis, vt consecretur, ita etiam species erunt inhabiles, vt conseruent sub se corpus Christi, quia quod est inhabile ad facere, est etiam ad conseruare, quando habilitas requiritur etiam ad conseruationem.

8 Ex dictis constat. Quod Ecclesia in prædicto casu non dispensat, quod fiat consecratio in vnica tantùm specie, sed præscribit, quod, cum sacrificium ex accidenti remaneat cum vnica tantùm specie, aut absolutè, si Christus desinet esse sub infecta, aut saltem sub vnica specie habili, ponatur altera species ad complendum sacrificium in facto esse seu in termino, ita exigente natura sacrificij, vt completo modo obtineatur finis ipsius, quatenus efficit sacramentum. Vnde non immutat, sed supplet substantiam sacrificij iuxta potestatem quam habet disponendi de sacramentis, & sacrificio, prout ipsorum dignitati congruerit. Et ideò est diuersa ratio, quando consecrantur formulæ noua consecratione, quia hæc secunda consecratio non fit ad supplendum aliquid de sacrificio oblato, & consequenter non potest communicare cum ipso; sed pertinet ad nouum sacrificium.

QVÆSTIO 49.

An partes huius sacrificij dicant ordinem essentialem adinuicem.

SVMMARIVM.

1. *Panis prius consecrandus, quàm vinum ex institutione Christi.*
2. *Si prius consecraretur Calix tenet consecratio.*
3. *Consecrationes vtriusque speciei non habent inter se ordinem essentialem.*
4. *Mutato ordine consecratio est valida, & ideò etiam oblatio.*
5. *Mutato ordine consecrationum saluantur eadem constitutiua sacrificij.*
6. *Mystica separatio sanguinis à corpore, non requirit praeexistentiam corporis sub speciebus.*

CVm hoc sacrificium constet ex consecratione duplicis speciei, dubitatur, an essentialiter requirat ordinem inter has duas consecrationes, itavt vna debeat aliam præcedere, aliàs pereat essentia sacrificij. Certum est autem, quod debeat prius consecrari panis, quàm vinum, itavt graue esset sacrilegium, si oppositum fieret, nam fieret non solum cōtra ritum vniuersalem, sed etiam contra institutionem Christi, qui, vt constat ex narratione Euangelistarum prius consecrauit panem, quam vinum. Et dum dixit Discipulis, *Hoc facite in meam commemorationem*, ordinauit non solum, quod consecrarent, sed etiam quod seruarent ordinem, quem ipse seruauit in consecratione. Nam pronomen, *Hoc*, refertur ad factum Christi, prout tunc se habuit in indiuiduo: quia stat demonstratiuè, & proinde demonstrat non solum substantiam facti, sed etiam qualitates, ordinem, & modum, & vt demonstratum, iniungitur exequendum. Solum dubitatur, an si inuerteretur ordo, subsisteret essentia sacrificij. 1

In qua difficultate adhuc certum est, quod consecratio esset valida, quia inuersio ordinis non variat substantiam significationis verborum, cum eadem modo significent, siue cum vno, siue cum alio ordine proferantur. Vnde cum causent effectum ex vi significationis, vtpotè quia vt verba Christi ex vi suæ institutionis non possunt esse falsa, ponent corpus, aut sanguinem Christi per transubstantiationem sub speciebus, non secus ac si cum debito ordine proferrentur, alioquin si Sacerdos bona fide proferret verba consecratiua panis supra materiam inhabilem, quia tunc nihil operarentur, non conficeret consecrando posteà Calicem, quod est contra sensum Ecclesiæ, dum præscribit in tali casu esse iterandam solam consecrationem panis: quare solum videndum est, an inuerso ordine illa consecratio esset sacrificium. 2

Dicendum est. *Consecrationes vtriusque speciei non habere inter se ordinem essentialem, & proinde si prius consecretur Calix, quàm panis, adhuc futurum verum sacrificium.* Ita Suarez *disp.* 75. *de Eucharist. sect.* 6. ver. *Sed quæret aliquis.* Tanner. *tom.* 4. *disp.* 5. *quæst.* 9. *dub.* 2. *num.* 46. ver. *An verò.* Sotus *in* 4. *distinct.* 12. *quæst.* 1. *art.* 6. Bonac. *disput.* 4. *de sacramentis. quæst.* 2. *punct.* 3. *num.* 3. & 7. Francisc. Lugo *lib.* 4. *de sacrament. cap.* 1. *quæst.* 1. *num.* 16. 3

Ratio est. Quia siue prius consecretur vna species quam altera, semper ratione efficaciæ verborum 4

sub

sub specie panis ponitur corpus, & sub specie vini sanguis Christi: Ergo saluatur tota substantia, & essentia sacrificij, cum sacrificium consistat in oblatione Christi sub speciebus panis & vini, vt habet Concil. Trident. *sess. 22 cap. 1. de sacrific. Miss.* Hæc autem oblatio fit ex vi consecrationis, itavt eadem actio sit oblatio, & consecratio: & ideò, si vt consecratio sortitur effectum, debet etiam sortiri, vt oblatio. Et potest declarari exemplo hominis, quamuis prius organizaretur corpus, & posteà crearetur anima, & ei infunderetur, adhuc tamen si ante organizationem corporis Deus crearet animam, & posteà organizato corpori infunderet, adhuc compositum esset homo, quia haberet easdem partes quibus componitur. Hoc autem contingit etiam in sacrificio inuerso ordine consecrationis, & ideò adhuc erit verum sacrificium.

5 Vnde confirm. Variato ordine consecrationis adhuc consecratio habet eosdem terminos: Ergo etiam idem sacrificium. Anteced. constat, quia mutatio ordinis tanquam extrinseca non variat intrinsecam efficaciam verborum, sicut non variat significationem: vnde etiam ponunt in esse eumdem terminum, alioquin non fieret consecratio, quia non poneretur ex vi verborum sanguis sub speciebus vini, & corpus sub speciebus panis. Conseq. probat. Quando interueniunt eadem constitutiua, interuenit etiam idem constitutum, seu compositum tàm autem ex parte actionis, quàm ex parte termini interueniunt eædem partes constitutiuæ, nempe eædem consecrationes, & iidem termini, & ideò erit idem sacrificium tàm in fieri, quam in facto esse.

6 Dices. In hoc sacrificio debet fieri mystica separatio sanguinis à corpore: Ergo cum debeat priùs præexistere corpus, vt possit ab ipso separari sanguis, debet prius consecrari panis, vt sacrificium sit validum. Resp. neg. conseq. Quia solum argumentum probat, quod debet præexistere corpus sub speciebus, vt mystica separatio sanguinis à corpore imitetur naturalem: non verò, vt absolutè fiat, nam co ipso, quod ponitur sanguis ex vi verborum sub speciebus vini, & posteà corpus sub speciebus panis, intelligitur mystica separatio, quia in eo consistit quod corpus, & sanguis repræsententur seorsim, nec potest intelligi, nisi percipiatur vtraque species, siquidem separatio dicit essentialiter ordinem ad plura extrema: hæc autem repræsentatio seorsim corporis & sanguinis saluatur semper, siue prius, siue posteà consecretur panis, cum consurgat ex eo, quod ex vi verborum ponitur corpus sub speciebus panis, & sanguis sub speciebus vini, non autem ex eo, quod prius vnum, aut alterum ponatur.

QVÆSTIO 50.

Quomodo resoluendæ nonnullæ difficultates spectantes ad essentiam sacrificij Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Conuersio panis, & vini an pertineat ad rationem sacrificij.*
2. *Si corpus Christi, & sanguis esset sub speciebus, sed non ex vi verborum, an prolatis verbis, fieret sacrificium.*
3. *Verba consecrationis, si non ponunt corpus Christi sub speciebus, nihil operatur.*
4. *Si verba consecrationis essent ista, Hoc est Christus, non fieret sacrificium.*

EX dictis in superioribus resolui possunt nonnullæ difficultates quatum prima est, an ad rationem sacrificij Missæ per se requiratur conuersio substantiæ panis in corpus, & vini in sanguinem Christi. Affirmatiuam partem tenet Suarez *disp. 75. de Eucharist. sect. 5.* vet. *Ad secundam rationem*, quia inquit ratione termini, à quo, saluatur destructio rei oblatæ requisita in sacrificio, quia hoc est singulare in hoc sacrificio, quod res, quæ destruitur, minus principaliter offeratur, & quod producitur, sit id quod principaliter offertur. Sed negatiuam tradunt Vasquez *3. part. disp. 223. cap. 4. num. 38.* Cbellison. *quæst. 83. art. 1. dub. 3.* ver. *Hinc sequitur tertiò.* Et ratio est. Quia conuersio atque adeò destructio panis, & vini pertinent tantum ad modum, quo corpus, & sanguis Christi ponuntur sub speciebus: non autem ad rationem talis oblationis repræsentatiuæ sacrificij Crucis, in quo consistit ratio talis sacrificij, quia sicuti seclusa conuersione, posset poni sub speciebus, vt sub signo sensibili corpus, & sanguis seorsim, sicuti modo, ita adhuc haberetur repræsentatio sacrificij Crucis, atque adeò substantia talis sacrificij. Præsertim, quia non pertinet ad rationem sacrificij, quod victima fiat hoc, vel illo modo, sed quod offeratur Deo in protestationem interioris sacrificij. 1

2 Secunda difficultas est. An si antea esset corpus, & sanguis Christi sub speciebus, sed non ex vi verborum, & postea proferrentur verba consecrationis, interueniret verum sacrificium. Affirmat Vasquez *3. part. disp. 223. cap. 3. num. 39.* ver. *Deinde ex dictis fit.* Quia inquit per verba fieret mystica separatio sanguinis à corpore, in quo consistit ratio sacrificij, non antea non magis corpus, quàm sanguis, sed totus Christus esset per se sub qualibet specie, ex vi autem verborum corpus inciperet esse per se sub speciebus, & cætera per concomitantiam: & sic etiam de sanguine.

3 Verùm difficultatem patitur. Nam in tantùm modo corpus est sub speciebus panis ex vi verborum, & cætera per concomitantiam, in quantum ponitur sub ipsis secundum mensuram significationis, secundum quam resultat modus essendi sub speciebus. Supposita autem existentia corporis Christi sub speciebus, sicuti verba non ponerent, ita neque acquireret nouum modum essendi, siquidem modus essendi, fit per significationem, & per ipsam quoque fit corpus Christi sub speciebus; vnde, si non fit, quod verba significant, neque etiam fiet modus, cum quo res significatur fieri, & cui intrinsecus est.

Tertia difficultas. An si consecratio ita esset instituta, vt per consecrationem cuiuscunque speciei poneretur; per se primò totus Christus, vt si diceretur, *Hoc est Christus*, seu *Hic est Christus.* Saluaretur ratio sacrificij. Et negatiuè respondet Vasquez *citata disp. 223. de Eucharist. cap. 4. num. 40.* Et rectè. Quia non repræsentaretur sacrificium Crucis, siquidem non fieret separatio mystica sanguinis à corpore: vnde non esset illud sacrificium, quod modo est. Sed nec etiam esset sacrificium, quia neque destrueretur victima, neque etiam immutaretur: nam non sufficit destructio panis, aut vini, cum hæc non fit per se intenta, nec etiam nouus modus essendi Christi sub speciebus, vt constat ex dictis suo loco, cùm per hoc acquirat nouum esse, non autem aliquo modo destruatur. 4

QVÆSTIO

QVÆSTIO 51.

Quomodo se habeat sacrificium Missæ, ad sacrificium vltimæ cœnæ.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Missæ est idem cum sacrificio vltimæ Cœnæ.*
2. *Differunt solum secundum differentias accidentales.*
3. *Quænam sint ista differentiæ accidentales.*
4. *Christus concurrendo ad sacrificium Missæ non meretur, & cur.*
5. *Mereretur, si esset in statu merendi.*
6. *Christus concurrens ad oblationem sacrificij, an influat valorem.*

1 SVpponendum est tanquam certum de fide, sacrificium Missæ esse idem cum sacrificio vltimæ Cœnæ non solum quoad rem oblatam, sed etiam quoad modum offerendi, vt tradit Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1.* nam in vtroque hostia oblata est ipse Christus, & modus offerendi est etiam idem, quia in vtroque oblatio se habet incruento modo, & sub iisdem rerum Symbolis, nempe speciebus panis, & vini; & etiam per eamdem actionem consecratiuam. Vnde solum difficultas est, quomodo differant quoad cætera.

2 Supponendum secundò. Non posse hæc sacrificia inter se differre formaliter in ratione sacrificij, sed tantum materialiter, & per differentias accidentales, vt notat etiam Vasquez *3. part. disp. 224. cap. 1. num. 1.* Nam sacrificium formaliter est signum protestatiuum interioris sacrificij, seu illius submissionis, & affectus quibus Deum recognoscit vt suum principium, & vltimum finem, & se totum illi deuouet: Vnde non est capax diuersitatis formalis, vt alibi etiam dictum est, cum sit actus religionis constitutus in vltima specie, nec possit habere diuersitatem siue ex obiecto formali, siue ex termino, quem respicit nempe Deum, sed solum ratione materiæ, in qua fundatur significatio, vel ratione aliorum extrinsecorum.

3 Dicendum est. *Sacrificium Missæ, præter differentiam numericam à sacrificio cœnæ, differro etiam per varias differentias accidentales.* Ita Henriquez *lib. 9. sum. cap. 14. num. 7.* Suarez *disp. 76. de Eucharist. sect. 1.* ver. *Dico primò, &c.* Tanner. *tom. 4. sum. disp. 5 quæst. 9. dub. 2. num. 47.* Vasquez *3. part. disp. 224. cap. 1. num. 6.* Chellisson. *quæst.* 83. *art. 1. dub. 4.* ver. *Hinc sequitur.* Syluius *quæsito 5. in fine.* Præposit. *dub. 9. num. 61.* Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 22. disp. vnica punct. 3. num. 3.* Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disp. 1. de sacrific. Missæ, difficult. 12.* vet. *Hæc ergo.* Carpens. *part. 2. Curs. Theol. tract 23. disp. 1. sect. 2. num. 34.* Ratio est, quia interueniunt plures differentiæ, nam victima oblata habuit diuersum statum, siquidem in sacrificio Cœnæ, erat mortalis, & quæ poterat physicè occidi, & erat in Cruce occidenda; modo autem est immortalis, & nonquam amplius occidenda. Secundò, sacrificium Cœnæ erat repræsentatiuum sacrificij cruenti futuri: sacrificium autem Missæ est repræsentatiuum sacrificij cruenti iam peracti. Tertiò ex parte offerentis, quia in sacrificio Cœnæ, offerens est solus Christus, qui immediatè per seipsum obtulit. In sacrificio autem Missæ Christus offert per Ministrum, vt habet Concil. Trid. *sess. 22. cap. 1.* Quartò, per sacrificium Cœnæ, Christus meruit sicuti per omnes alias suas actiones morales. Per sacrificium autem Missæ non meretur, quia iam consummatum est meritum Christi, nec ipse est amplius in statu merendi,

Et licèt Vasquez *3. part. disp. 224. cap. 1. num. 6.* putet, non prouenire ex hoc capite, quod Christus non mereatur, sed quia iam oblatio sacrificij est posita sub alterius potestate, nec est amplius sub potestate libera Christi, nec vt actus moralis proximè ab ipso elicitur. Adhuc tamen & hoc capite, quod non sit in statu merendi rectè saluatur, quod per talem oblationem non mereatur, quia inter alias conditiones ad meritum requiritur status merendi. Quo secluso, etiamsi omnes aliæ conditiones interuenirent actus non esset meritorius: vnde modo Christus non meretur per actus, quos proximè elicit, & sub libera potestate ipsius existunt.

Imò si Christus esset in statu merendi, posset mereri, vt principalis offerens sacrificij Missæ, nam ideò quis non meretur, quando consistit alteri actum virtutis exequendum, vt cum quis dat seruo eleemosynam erogandam pauperi, nam solum meretur, quando committit, non autem quando seruus erogat, quia tunc quando actus commissus exequutioni mandatur, committens non habet nouum actum liberum, quo concurrat ad illam exequutionem; & si haberet, rursus mereretur. At Christus cum de præsenti cognoscat omnes oblationes sacrificiorum, quādo offeruntur, non solum sibi in ipsis complacet, sed etiam, cum nomine suo offerantur, per specialem actum voluntatis ad illas concurrit, & proinde mereretur, si esset in statu merendi, quia adhuc exerceret circa sacrificium actum liberum, qui esset in sua potestate. 4

An autem ex eo, quod Christus nunc offerat per ministros, sequatur, quod non influat in actionem sacrificatiuam illum valorem, quem influxit in sacrificium vltimæ Cœnæ, vt vult Vasquez *num. præcedent.* citat. constabit ex dicendis infrà, vbi de valore sacrificij Missæ. Interim sufficit, quod dato, quod modò nō influeret, adhuc differentia esset accidentalis sacrificio, vtpotè prouenens ab extrinseco, nempe à qualitate, & conditione personæ offerentis. 5

QVÆSTIO 52.

Quomodo se habeat sacrificium Missæ ad sacrificium Crucis.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Crucis, & Missæ quomodo idem, & diuersum.*
2. *Non sunt idem numero.*
3. *Sunt idem in re oblata: & hoc volunt Patros.*
4. *An specie distinguantur.* & num. seq.
6. *Differentia horum sacrificiorum est formalis.*
7. *Signa distinguuntur formaliter ex modo significādi.*
8. *Sacrificium Crucis, & Missæ important diuersa signa.*
9. *Ritus diuersus an variet sacrificium.*
10. *Eadem victima in sacrificio Missæ quomodo plaries destruatur.*
11. *Quando plures portiones panis consecrantur, est vnum sacrificium.*
12. *Sacrificium nouæ Legis quomodo differat à sacrificiis veteris Legis.*
13. *In quibus perfectionibus illa excedat.*

DVo certa sunt nempe sacrificium Crucis, & sacrificium Missæ esse idem quoad rem oblatam, & principalem offerētem, quia est idem Christus qui offert, & idem Christus, qui in vtroq; offertur. Et esse diuersum quoad modum, & rationem offerendi, cum in Cruce Christus cruento modo, & in sua præsentia naturali oblatus fuerit, & in Missa offeratur incruen- 1

to modo, & sub speciebus sacramentalibus. Ita Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. dum habet. *Vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.*

2 Hoc autem stante. Non possunt sacrificium Crucis, & sacrificium Missæ esse idem numero formaliter, & solum diuersum materialiter, vt volunt nonnulli, quorum meminit Vasquez mox citandus. Quia licèt vtrumque contineat eundem cultum Dei, & idem Christus in vtroque modo infinito offeratur, adbuc tamen important distinctas actiones sacrificandi saltem numero, & entitatiuè, atque adeò distinctos numero cultus Dei, seu actus religionis, quia prædicata formalia, & specifica multiplicantur numero ex multiplicatione rei, cui conueniunt: sic dico actus latriæ, licèt habeat eundem cultum Dei, idem motiuum, sunt formaliter diuersa numero; & ex hoc solum fit, quia non sint diuersa specie, si aliunde non haberet aliam diuersitatem specificam. Et ita etiam docet Vasquez 3. *part. disp.* 224. *c.* 2. *n.* 10.

3 Hinc quando Patres videntur docere. Quod sacrificium Missæ sit idem numero cum sacrificio Crucis, vt Chrysost. *hom.* 17. *in Epist. ad Hebr.* & *hom.* 2. *in* 2. *epist. ad Timoth.* Cyprian. *lib.* 2. *epist.* 3. *in ordine* 63. & alij, accipiendi sunt de identitate quoad rem oblatam, & quoad principalem offerentem, vt declarat Concil. Trident. *num.* 1. allatum; neque enim alia identitas numerica in se ordinare potest. Imò si hæc duo sacrificia differunt in ratione offerendo, vt habet Concil. citat. necessariò debent distingui numero, quia in eadem oblatione numero non potest esse diuersa ratio offerendi. Solum ergo dubium remanet, an hæc duo sacrificia distinguantur essentialiter seu specie.

4 Prima sententia asserit, quod hæc duo sacrificia important quidem actiones specie diuersas, qualis est cruenta mactatio, & mystica, non tamen specie differunt, quia significant eundem affectum interiorem. Ita Sotus *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. Valent. *tom.* 4. *disput.* 6. *quæst.* 11. *punct.* 1. Vasquez 3. *part. disput.* 224. *cap.* 2. *num.* 11. ver. *Porrò ex his.* Syluius 3. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *quæsito* 5. ver. *An autem.* Gaspar. Hurtado *de sacrament. disput.* 1. *de sacrific. Miss. difficult.* 13. ver. *Ita tamen.* Fundamentum huius sententiæ est. Quia sacrificium est in genere signi, quod, cum dicat ordinem ad rem signatam, per quem in suo esse essentiali constituitur, non potest diuersificari specie, nisi etiam terminus, seu res significata sit specie diuersa; non est autem in præsenti specie diuersa, quia significant eundem interiorem affectum, & eundem cultum Dei.

5 Secunda sententia asserit, differre specie. Ita Suarez *disput.* 76. *de Eucharist. sect.* 1. ver. *Distinctione igitur.* Tanner. *tom.* 4. *disput.* 5. *quæst.* 9. *dub.* 2. *num.* 47. ver. *sacrific. Missæ,* Præposit. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 9. *num.* 62. Chellisson. *dub.* 4. ver. *Hinc sequitur.* Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 2. *quæst.* 6. *num.* 77. Fundamentum est, quia licèt in motiuo virtutis idem sint, in ratione tamen signi sensibilis valdè diuersa sunt, sicut etiam in ritu offerendi, vnde licèt sit eadem victima, & idem motiuum, actio tamen est diuersa, & ideò in genere signi erunt diuersa. Confirm. Licèt sacramenta idem significent, nempe interiorem sanctitatem, quia tamen differunt in ratione signi, nempe in materia, & forma, sunt diuersa specie. Confirm. 2. Sequeretur, quod nostrum sacrificium non differret à sacrificiis Mosaicis, quia etiam ad ipsa concurrebat idem motiuum, & significabant eundem affectum. Confirm. 3. Ex diuerso ritu sacrificandi est etiam diuersum Sacerdotium, etiamsi sub eadem ratione, & ex eodem motiuo sacrificium offerri possit, & ob hanc rationem distinguitur Sacerdotium secundum Aaron, & secundum ordinem Melchisedech: Ergo ex diuerso ritu sacrificandi diuersificabitur specie etiam sacrificium.

Conueniunt Auctores vtriusque sententiæ in assignanda eadem differentia, & solum concordant, an talis differentia sit specifica formalis, an verò solum materialis. Mihi tamen probabilius videtur, quod sit specifica formalis. Ratio est; quia est in genere signi, sub quo formaliter constituitur formalis essentia sacrificij. Primò quidem quia sacrificium Crucis significabat tantùm interiorem affectum Christi, & cultum, quem Deo exhibebat: sacrificium autem Missæ, cùm sit commemoratiuum sacrificij Crucis commemorat etiam eundem affectum Christi, & insuper significat affectum sacrificantis, imò etiam totius Ecclesiæ, cuius nomine Sacerdos offert; & proinde cum habeat diuersum terminum, habet etiam diuersum significatum. 6

Secundò. Quia signa non solum distinguuntur formaliter ex diuersitate rei significatæ, sed etiam ex modo significandi; nam quando modus significandi est intrinsecus significationi, variat essentiam signi. Sic idem tempus potest significari per horologia solaria, aut lunaria, aut quæ pulsant per certos pulsus, aut indicando numerum horarum descriptum in circulo, & tamen hæc omnia signa differunt specie, & formaliter in ratione signi, cum habeant modum significandi diuersum, & sibi intrinsecum; sacrificium autem Missæ, & sacrificium Crucis habent diuersum modum significandi sibi intrinsecum, nam vnum significat ex vi cruentæ & physicæ mactationis; alterum ex vi incruentæ mactationis, seu ex vi repræsentationis physicæ, & cruentæ mactationis, qui quidem modus est diuersus. 7

Tertiò. Ideò sacramenta sunt diuersa specie formaliter, quia sunt diuersa signa sensibilia; & ideò sunt diuersa signa, quia important diuersa verba, & diuersam materiam, quibus componuntur. Sed etiam sacrificium Crucis, & sacrificium Missæ important diuersa signa: Ergo distinguentur specie formaliter. Min. prob. Ratio signi in sacrificio non consistit in re oblata, aut offerente, quia hæc non constituunt sacrificium, nam possunt esse absque sacrificio, sed in ipso modo oblationis, quia sicuti sacrificium consistit in oblatione, in qua fundatur ratio signi, ita in diuerso modo oblationis fundatur diuersa ratio signi. In sacrificio autem Crucis, & sacrificio Missæ est diuersus modus oblationis, nam in illo victima destruitur cruento modo per actionem physicam destructiuam: in hoc autem destruitur incruento modo, & oblatio fit per verba, ita vt tota actio sacrificatiua consistat in verbis consecrationis: qui est diuersus modus offerendi, & destruendi victimam, cum in sacrificio Crucis verbum nullum interueniat, quod habeat vim destruendi, aut offerendi, sed tota ratio in facto consistat. 8

Ex his colligitur, quod ritus sacrificandi quantumuis diuersus, non variat essentialiter sacrificium, nisi sit intrinsecus oblationi, quia non variat rationem signi, neque actionem sacrificatiuam: sacrificium autem secundùm suam essentiam consistit in ratione signi, & in actione sacrificatiua. Vnde totus ritus sacrificij Missæ extra consecrationem non facit ipsum differre in ratione sacrificij à cæteris sacrificiis, vtpotè ipsi accidentalis, & originem habens ex institutione Ecclesiæ, quæ iam supponit essentiam sacrificij in suo esse constitutam. 9

Colligitur 2. Quod licèt sit eadem victima in sacrificio Crucis, & sacrificio Missæ, & non possit, nisi semel destrui, cum destructio consistat in priuatione 10

tione vitæ, adhuc tamen sacrificium est multiplex. Non solum, quia eadem victima posset pluries destrui, si pluries vitam recuperaret, sed etiam, quia sacrificium Missæ non consistit in cruenta, & physica destructione victimæ, sed in mystica, & repræsentatiua, quæ potest pluries, & pluries multiplicari stante replicatione eiusdem victimæ; nam per ipsam acquirit nouum modum essendi, ratione cuius æquiualet nouæ victimæ.

11 Colligitur 3. Cum Vasquez 3. *part. disput.* 224. *cap.* 2. ver. *Postremo obseruandum est.* Quod cùm in sacrificio Missæ consecrantur plures portiones panis, adhuc est vnum sacrificium numero; nam eadem numero victima sub iis omnibus offertur; idem est offerens tàm principalis, quàm ministerialis, eadem actio sacrificatiua, & solum multiplicatur terminus à quo, seu materia ex qua fit victima, & species sacramentales, quod non sufficit ad multiplicandum numero sacrificium, quia hoc consistit in actione signi, & actione sacrificatiua, qua non multiplicata, nec etiam multiplicari potest sacrificium. Nec obstat, quod tunc plura sint numero sacramenta; nam ideò multiplicatur sacramentum, quia in suo esse includit species sensibiles. Nec valet argumentum à multiplicatione sacramenti, ad multiplicatiunem sacrificij, nam sacramentum fit per sacrificium, & sicuti vnica oblatione possunt offerri plura, ita etiam sacrificans potest vnica actione sacrificatiua efficere plura sacramenta, ipsam applicando pluribus materiis.

12 Colligitur 4. Cum Suarez 3. *part. disput.* 76. *de Eucharist. sect.* 1. *in fine.* Tanner. *tom.* 4. *disput.* 5. *quæst.* 9. *dub.* 2. *num.* 49. Sacrificium nouæ legis differre essentialiter à sacrificiis veteris legis non solum materialiter, quatenus est diuersa victima, quæ offertur, diuersus offerens; sed etiam formaliter in ratione signi; tum quia illa sacrificia significabant solum affectum submissionis respectu Dei vt primi principij, & vltimi finis; at sacrificium nouæ legis, quatenus in Cruce peractum, non solum hunc affectum significabat, sed etiam affectum satisfaciendi Deo pro genere humano & restituendi ipsi honorem debitum ablatum per peccatum; quatenus verò in Missa peragitur, significat etiam eundem affectum per modum commemorationis. Rursus etiam varius est modus significandi illum eundem affectum vtrique sacrificio communem, vt iam constat ex dictis.

13 Colligitur 5. Cum Suarez *disput.* 75. *de Eucharist. sect.* 2. *init.* Tanner. *tom.* 4. *disput.* 5. *quæst.* 9. *dub.* 5. *num.* 90. Sacrificium nouæ legis longissimè excedere in perfectione sacrificia veteris legis. Tum ratione rei oblatæ, quæ est persona infinita, tum ratione offerentis, quia similiter principalis offerens est persona infinita, & minister est speciali modo sanctificatus, & excellentius consecratus, tum ratione actionis sacrificatiuæ, quæ non est naturalis, sicut in illis sacrificiis, sed supernaturalis, & admirabilis, cum fiat per transmutationem vnius substantiæ in aliam, & replicationem Christi, tum quia aut fit per ipsum reconciliatio inter Deum, & genus humanum, aut etiam iam facta recolitur, & fit applicatio valoris ipsius. Vnde Apostolus *ad Hebr.* 7. declarat imbecillitatem sacrificiorum veteris legis in comparatione ad istud, quia non poterant sanctificare, nec perficere sanctificatos, sicut facit sacrificium Crucis, & per huius applicationem præstat sacrificium Missæ.

***

QVÆSTIO 53.

Quomodo se habeat sacrificium ad sacramentum.

SVMMARIVM.

1. *Ratio sacrificij & sacramenti quomodo inuicem se habeant.*
2. *Conuersio panis, & vini concurrit effectiuè ad sacrificium.*
   Sacramentum an pertineat ad sacrificium.
3. *Sacramentum subsistit in vnica specie, non verò sacrificium.*
4. *Sacrificium est posterius sacramento.*
5. *Sacramentum ex institutione non potest separari à sacrificio, & è contra eadem actio est sacrificatiua & effectiua sacramenti.*
6. *Sacrificium & sacramentum quomodo differant.*
7. *Sacrificium quomodo includat sacramentum.*
8. *Ratio sacrificij non potest separari à ratione sacramenti.*

IN sacrificio Missæ duo concurrunt, tàm si consideretur actio, quàm si consideretur terminus. Nam actio dicit actionem oblatiuam, seu oblationem ipsam: & effectionem sacramenti. Terminus verò dicit victimam immolatam, & sacramentum. Est autem supponendum, vt notat etiam Vasquez 3. *p. disp.* 224. *cap.* 4. *in fine.* Quod ratio sacrificij, & sacramenti non sunt ex natura rei inuicem connexæ, sed tantum accidentariè ex institutione Christi. Nam in tantum Christus sub speciebus habet rationem sacramenti, in quantum voluit ipse Christus, quod esset signum sensibile causatiuum gratiæ per modum cibi, & potus, quod si non haberet annexam productionem gratiæ, nequaquam esset sacramentum, sed solum sacrificium. Ex quo fit, quod ex natura rei non habeant inter se aliquem ordinem prioris, & posterioris, cum talis ordo non sit inter ea, quæ accidĕtariè coniunguntur. Ex intentione tamen coniungentis videtur prior esse ratio sacrificij, quam ratio sacramenti, quia videtur, quod Christus voluerit esse cibum, & potum quod superest ex sacrificio, & quod voluerit homines, participare de victima, quo stante voluerit etiam esse cibum & potum sanctificatiuum. 1

Supponendum 2. quod licèt conuersio substantiæ panis, & vini non requiratur ad sacrificium, vt in superioribus dictum est, quia absque tali conuersione fieri posset mystica repræsentatio Passionis Christi, & oblatio eiusdem Christi, de facto tamen talis conuersio concurrit effectiuè ad sacrificium, quia eadem actione, qua fit conuersio, fit etiam mystica mactatio, & repræsentatio Passionis Christi, nam conuersio fit ex vi significationis verborum; & ex vi eiusdem significationis fit separatio mystica sanguinis à corpore, quæ cum consistat in eo, quod sanguis per se primò sit sub speciebus vini, & corpus sub speciebus panis, & ita sub illis ponantur ex vi significationis verborum, iam ex vi eiusdem, fit dicta mystica separatio; nam significatio in forma consecrationis est vna, & eadem indiuisibilis. Hinc non rectè Vasquez 3. *part. disp.* 254. *cap.* 4. in fine existimat rationem sacramenti pertinere ad rationem sacrificij, seu immolationem, & rationem victimæ: nam licèt fortè non pertineat vt signum sanctificatiuum, quia potuisset Deus non annectere illi gratiam: pertinet tamen, quatenus, corpus, & sanguis sortiuntur rationem cibi, & potus, non id habent ex vi significationis verborum, quatenus operantur mysticam separationem sanguinis à corpore: cum id debeant quatenus corpus 2

tantùm per se primò ponitur sub speciebus panis, & sanguis sub speciebus vini.

3 Supponendum 3. Hoc esse discrimen inter sacramentum, & sacrificium, quod sacramentum subsistit etiam in vnica tantùm specie, licèt nòn habeat in ipsa totam suam integritatē per modum conuiuij, vt notant etiam Suarez *disput. 76. de Eucharist. sect.* 3. ver. *Primò igitur.* Tanner. *tom.* 4. *disp.* 5. *quæst.* 9. *dub.* 2. *num.* 51. Sacrificium verò non potest subsistere, quia ex genere suo separatio non potest intelligi, nisi in duobus extremis. Vnde nec separatio sanguinis à corpore potest intelligi, nisi intelligatur vtrumque extremum seorsim se habens, atque nisi intelligatur vtraque species consecrationis.

4 Ex hoc autem fit, quod sacrificium sit in fieri, & in facto esse posterius tempore sacramento prædicto modo sumpto, quia in consecratione primæ speciei habetur effectio sacramenti, & sacramentum in facto esse, & non habetur sacrificium, nisi inadæquatè. Rursus etiam, quod possit haberi vsus sacramenti validus, quamuis non licitus autequam compleatur sacrificium, vt si quis sumeret hostiam consecratam ante consecrationem Calicis. Hic tamen vsus esset illicitus, tum quia non potest haberi participatio de sacrificio, nisi sit completum; tum quia prima participatio debet esse ipsius sacrificantis.

5 Dicendum est. *Stante institutione, quæ de facto est, non posse separari rationem sacrificij à ratione sacramenti, & contra, sed tantum ratione distingui.* Quod tamen intelligi debet, si fiat comparatio inter sacrificium, & sacramentum adæquatè sumptum, vt est integrum conuiuium, aut inter sacramentum sub vnica specie, & sacrificium inadæquatè acceptum. Ita Suarez *disput.* 76. *de Eucharist. sect.* 3 vet. *Sed superfunt.* Tanner. *tom* 4. *disput.* 5. *quæst.* 9. *dub.* 2. *n.* 52. Ratio est. Quia vt dictum est, eadem actio consecratiua ex vi eiusdem significationis verborum efficit vtrumque; nam ponit sub speciebus corpus, & sanguinem Christi per se primò, vnde simul facit sacramentum, quia ponit corpus, & sanguinem in statu cibi, & potus, & etiam sacrificium, quia mysticè separat sanguinem à corpore, in quo consistit ratio sacrificij: & ideò ex vi præsentis institutionis non possunt separari. Rursus corpus Christi sub speciebus panis, & sanguis sub speciebus vini sunt sacramentum in facto esse: & sunt etiam sacrificium in facto esse, quia sunt victima immolata, in qua repræsentatur Christus mortuus ratione mysticæ separationis sanguinis à corpore.

6 Differunt tamen formaliter. Nam actio consecratiua, quatenus conuertit panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi, est effectiua sacramenti: quatenus verò separatiua sanguinis à corpore mystico modo, est sacrificatiua, quia dicit actionem mysticè mactatiuam victimæ. Ratione autem termini, seu etiam in facto esse differunt formaliter; nam corpus, & sanguis Christi, prout sub speciebus panis, & vini habent rationem cibi, & potus, sunt sacramentum: prout autem sanguis, & corpus separatim se habent, dicunt terminum sacrificij, cum ratione talis separationis, habeant rationem victimæ occisæ.

7 Ex dictis colligitur contra Suarez *disput.* 76. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *Sed superfunt.* Rationem sacrificij non includere essentialiter rationem sacramenti. Nam aliud est includere ex vi præsentis institutionis, & aliud includere essentialiter nam cum primò stat quod adhuc includat accidentaliter, & separabiliter; si enim productio gratiæ non esset ipsi alligata, neque esset signum sensibile productiuum gratiæ, atque adeò nec sacramentum: posset autem non habere annexum. Secundum autem diceret, quod neque potuisset per Dei potentiam institui tale sacrificium, quin etiam esset sacramentum, quod est falsum. Rursus sumendo sacrificium pro actione sacrificandi de facto includit sacramentum in fieri, quia est etiam actio effectiua sacramenti, licèt non sit talis essentialiter: vnde neque in hoc Suarez rectè procedit, dum vult, quod non includat sacramentum.

Colligitur 2. contra Suarez *cit.* 6. *sect.* 3. *disput.* 76. *de Eucharist.* ver. *Secunda difficultas.* Amicus *tom.* 7. *Curs. theol. disput.* 33. *sect.* 4. *num.* 91. Rationem sacrificij non posse separari à ratione sacramenti itavt non possit, quis conficere vnum, & non alterum, aut è contra siue id proueniat ex errore, siue ex praua intentione, sed necessariò conficiat vtrumque. Et ratio est. Quia vtrumque de facto fit per verba consecratiua, quæ ex institutione Christi operantur, & ex vi significationis, in cuius virtute causant, vtrumque efficiunt vnde cum non possit quis inuertere institutionem Christi, nec immutare vim significatiuam verborum, non potest dimidiare eorumdem virtutem, itavt causent vnum effectum, & non alterum, sed si hoc intenderet, esset similis illi, qui applicaret ignē alicui subiecto, & vellet ipsum comburere, sed non calefacere. 8



DE QVALITATE SACRIFICII MISSÆ.



QVALITAS sacrificij Missæ consideratur in ordine ad suos effectus, quatenus scilicet ex suis conditionibus ita qualificatur, vt habeat vim ad hos, vel illos effectus. Et hæc qualitas modo explicanda est.

QVÆSTIO 54.

An sacrificium Missæ sit propitiatorium.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Missæ est Eucharisticum, seu gratiarum actionis.*
2. *Est etiam Lautreticon, seu honerarium.*
3. *Includit perfectiones omnium sacrificiorum.*
4. *Negant Hæretici esse propitiatorium.*
5. *Est propitiatorium.*
6. *Ex definitione Concilij Tridentini.*
7. *Ex Patribus.*
8. *Munus Sacerdotis est offerre sacrificia pro peccatis.*
9. *Sacrificia Veteris Legis erant propitiatoria.*
10. *Et verè propitiatoria.*
11. *Non solum quoad culpas legales, sed etiam quoad peccata.*
12. *Sacrificium Missæ est propitiatorium, quia habet eandem victimam cum sacrificio Crucis.*
13. *Et quia est applicatiuum sacrificij Crucis.*
14. *Quomodo sine sanguinis effusione non fiat remissio peccati etiam in noua Lege.*

SVpponendum est tanquam certum. Sacrificium Missæ esse *Eucharisticum*, hoc est gratiarum actionis, quod non solum tradunt communiter omnes Scholastici, sed admittunt etiam Hæretici negantes esse 1

esse verum sacrificium, vt Lutherani, & Caluinistæ. Et ita docent communiter Patres Dionys. *cap. 3. de Ecclesiast. Hierar. part,3.*D.August. *Epist.*120. & *lib.* 20.*contra Faust.cap.*21. & *lib.*1. *contra Aduersar. leg. & Prophet. cap.* 18. Irenæus *lib.* 4. *contra Hæres. cap.* 32. & alij. Et ratio est, quia hoc illi prouenit ex natura sacrificij in communi. Cum enim per sacrificium recognoscatur Deus vt primum principium, & vltimus finis, atque sacrificans se totum deuoueat Deo, facto ipso exercet gratiarum actionem, & concipit affectum grati animi, quem exprimit interiori deuotione erga Deum, vt suum benefactorem.

2 Supponendum 2. Hoc sacrificium esse etiam *Lauteuticon*, hoc est honorarium, seu exhibitiuum cultus, quod etiam admittunt Hæretici, & tradunt communiter Patres, & constat etiam ex vaticinio de hoc sacrificio Malach. 1. vbi Deus anouncians hoc sacrificium futurum, complicat honorem, quem inde ipsi proueniet. Et sequitur etiam ex natura sacrificij in communi, siquidem per ipsum exhibetur Deo supremus cultus. In hoc autem sacrificio cultus ex genere suo supremus crescit ex qualitate victimæ quæ est persona infinita: ex qualitate offerentis, qui similiter est infinitæ dignitatis, & ex modo quo offertur, nempe commemorando sacrificium Crucis.

3 Supponendum 3. Hoc sacrificium ratione suæ perfectionis includere perfectiones omnes cæterorum sacrificiorum, & ideò illi conueniunt attributa omnium aliorum sacrificiorum, vt notant D.August. *lib.* 20. *contra Faust.* & *lib.* 17. *de Ciuit. Dei cap.* 5. Leo Papa *serm.* 7. *de Passione.* Chrysost. *in Psal.*95. & declarat Ecclesia in orat. Dominicæ sextæ post Pentecost. dum dicit. *Deus qui legalium differentiam hostiarum vnius sacrificij perfectione sanxisti.* Et Concil. Tridens. *sess.* 22.*cap.* 1. *in fine*, dum habet de hostia huius sacrificij; *Hæc illa est, quæ per varias sacrificiorum natura, & Legis tempore similitudines figurabatur, vtpotè, quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio, & perfectio complectitur.* Et indicat rationem, quia, significabatur per omnia sacrificia tàm Legis naturæ, quàm Legis Mosaïcæ, itavt essent similitudines huius sacrificij, oportet quod habeat in se aliquid, quo illis omnibus correspondeat, imò quod etiam sit excellentius, siquidem illi erant tantùm similitudines, & proinde debet habere talem perfectionem, quæ similitudinario modo potuerit in omnibus aliis repræsentari. Modò autem videndum est, an sit propitiatorium.

4 Negant Hæretici tam Lutherani, quàm Caluinistæ, vt Lutherus: *De captiuitate Babylonica cap.*1. Chemnit. *part.* 2. *Examin. Concil. Trident. sess.* 22. *cap. De Missa.* Caluin. *lib.* 40. *instit. cap.* 181. §. 13. *& sequent.* Apologia confess. August. *art. de Missa.* Confessio Vitemberg. *cap.* 16. *de Eucharistia.* Cum enim negent esse sacrificium, consequenter etiam negant illi attributum sacrificij, quod est esse propitiatorium.

5 Tenendum tamen est, sacrificium Missæ esse propitiatorium. Ita docent communiter Scholastici præsertim recentiores, qui scripserunt contra prædictos Hæreticos, & præsertim Suarez *disput.*76. *de Eucharist. sect.* 2. Vasquez 3.*part. disput.* 224. *cap.*3. Bellarmin.*lib.*2.*de Missa, cap.*2. Granad. 3. *part. controuers.*6. *tract.*14. *disput.* 5. *sect.*2. *num.* 5. Isambert. *quæst.*83. *disput.*5. *de sacrific. Miss. art.*2. Chellisson. *art.*1. *dub.*6. ver. *Dico* 1. Præposit. *dub.* 10. *num.* 64. Putean. *dub.*5. *conclus.*1. Syluius *quæsito* 12. Mercer. *dub.*4. Marat. *tom.* 3 *disput.* 37. *de Eucharist. sect.* 8. Bannius *part.*1.*Theol. moral. tract.*6. *quæst.* 9. Martinon *disp.* 39. *de Eucharist. sect.*1.*num.*1. Tanner.*tom.*4. *disp.* 5. *quæst.*9. *dub.*4. *num.* 78. Gaspard. Hurtad. *de sacrament.disput.*1. *de sacrific. Missæ difficult.*15.

Et ita definiuit Concilium Trident. *sess.* 22. *cap.*2. 6
his verbis. *Et quoniam in diuino hoc officio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruentè obtulit, docet Sancta Synodus, sacrificium illud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, vt si cum verò corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Et can. 3. *Si quis dixerit Missæ sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in Cruce peracti, non autem propitiatorium, &c. Anathema sit.*

Ita etiam tradunt Patres. Iacobus Apostol. in Li- 7
turgia. *Offerimus tibi incruentum sacrificium pro peccatis nostris, & ignorantiis populi.* Origenes *hom.* 13. *in Leuit.* ponderans verba Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, ait, *Inuenies, quod ista est commemoratio sola, quæ propitium facit hominibus Deum:* Chrysostomus in Lyturgia. *Idoneos nos redde ad inferenda tibi dona, & sacrificia pro peccatis nostris, & populi ignorantiis.* August. lib.20.de Ciuit. cap. 25. *Omnes qui sic offerunt, profectò in peccatis sunt, pro quibus dimittendis offerant, vt cum obtulerint; acceptumque Deo fuerit, tunc dimittantur.* Cyprian. *lib. De cœna Domini.* post init. loquens de hoc sacrificio ait, *Simul medicamentum, & holocaustum, ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens.* Ambros. *lib.* 5. *de sacrament.* habet, Participationem huius sacrificij esse medicinam, qua purgamur à peccatis. Iustin. *Dialog. cum Triphone*, habet, Eucharistiam offerri pro expiatione peccatorum. Basilius *in Lyturgia*, Hoc sacrificium abolere peccata. Cyril. *Cathec.* 5. *mystagogica ante med.* vocat hostiam propitiationis. Hieronym. *in cap.*1. *Epist.ad Tit.* vocat sacrificia immaculatas victimas pro peccatis populi, & Sacerdotum. Gregor. *lib.* 4. *Dialog. cap.* 58. Hanc victimam salutarem saluare animam ab interitu. Concil. Bruchatense *Can.*1. habet, *Quid de cætero pro delictorum, expiatione Domino dabitur quando in ipsa sacrificij oblatione exoratur.*

Prob. Ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus* 8
assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Offerre autem sacrificia pro peccatis est sacrificia ordinari ad remittenda peccata, quod est esse propitiatoria. Vnde sic arguitur. Munus Sacerdotis in vniuersum est offerre sacrificia pro peccatis, seu propitiatoria: Ergo etiam in Lege noua debet hoc munus exercere. Nullum autem est aliud sacrificium, in quo exerceat, quam sacrificium Missæ & proinde sacrificium Missæ est pro peccatis.

Confirm. sacrificia tàm Legis naturæ, quàm Le- 9
gis Mosaïcæ erant propitiatoria: Ergo etiam sacrificium Missæ. Anteced. est de fide. *Iob.* 1. Ipse Iob quotidie offerebat sacrificia pro peccatis filiorum. *Et cap. vltim.* Deus iussit, vt amici Iob sacrificarent pro peccato suo. *Et Leuitici* 4. 5. *&* 6. traduntur plura sacrificia pro peccato. Conseq. prob. Tum quia illa sacrificia significabant non solum sacrificium Crucis, sed etiam sacrificium Missæ: vndè August. quæst.56. In Leuit. *Illis sacrificiis vnum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum, à Crucis sacrificij sanguine in alimentum, sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur.* Tum quia hoc sacrificium continet perfectiones omnium veterum sacrifi-

ciorum, vt dictum est *num.* 3. atque adeò etiam perfectionem propitiationis. Tum quia sactificium Crucis non impediuit vetera, quin essent pinpitiatoria, eum tamen exercuerit suam vim ab ioitio mundi: vnde nec etiam impediet sactificium Missæ. Tum quia sacrificium Missæ non est minus sacrificium, quàm fuerint veteta, nec minus perfectum.

10 Resp. Caluinus. Sacrificia vetera non fuisse propitiatoria propriè, sed quia adumbtabant sactifictum Crucis, quod fuit propriè propitiatotium. Ita *lib.* 4. *Instit. cap.* 18. §. 13. Contra. Quia Scriptoræ habent, quod teuera purgarent peccata. Leuit. 4. *Offeret sacrificium, & orabit Sacerdos pro peccato eius, & dimittetur ei:* & alia huiusmodi habenrut in veteris capitibus. Rursus Iob offerebat sacrificia pro filiis, vt placaret itam Dei contra filios, quod non habuisset locum, nisi fuissent verè propitiatotia.

11 Resp. 2. Per peccata, quæ per sactificia expiabantur non intelligi culpas offensiuas Dei, sed defectus legales. Contra. Per sacrificia, licèt peccata non remitterentur ex opere operato, sicut remittebantur defectus legales; erant tamen causa, vt remitterentur mediis auxiliis gratiæ, quibus homo mouebatur ad pœnitentiam; vnde Iob, vt dictum est, offerebat sacrificia ad placandum Deum erga filios, qui cum non essent sub lege Moysis, non contrahebant maculas legales. Rursus Auferebant maculas legales: Ergo erant propitiatoria, quia reddebant propitium Deum legaliter.

12 Confir. 2. In sacrificio Missæ offertur eadem victima, quæ fuit oblata in sacrificio Crucis, vt habet Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. & idem est etiam principalis offerens; & proinde sacrificium est idem quoad substaotiam, & solum diuersum quoad modum offerendi, quia vnum est cruentum, alterum incruentum, vt habet idem Concil. Ergo cum sacrificium Crucis fuerit propitiatorium, erit etiam tale sacrificium Missæ, cùm esse propitiatorium conueniat sacrificio Missæ ratione suæ substantiæ, & hanc rationem insinuat Concil. Trid. *cit. num.* 6.

13 Confir. 3. Sacrificium Missæ est applicatiuum sacrificij Crucis, vt habet Concilium Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. Ergo est propitiatorium. Conseq. prob. Quia applicare sacrificium Crucis est applicare virtutem ipsius ad obtineodos effectus, quos per ipsum Christus obtiouit nobis applicandos: obtinuit autem nobis applicandam placationem Dei, & remissionem peccatorum, in quo consistit propitiatio. Vnde Concil. modo citatum, *Vt Ecclesiæ sua visibile relinqueret sacrificium, quo illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, peccatorum applicaretur, &c.*

14 Obiiciunt Hæretici. Sine sanguinis effusione non fit remissio ad Hebr. Ergo cum in sacrificio Missæ non effundatur sanguis, siquidem est incruentum, non fiet per ipsum remissio peccatorum, atque adeò non erit propitiatorium. Resp. Apostolum loqui de remissione, quæ fiebat in lege Mosaïca, vt patet ex contextu, præsertim ex illis verbis, *Omnia ferè in sanguine secundum legem* (hoc est Mosaïcam) *mundantur.* Nec dicit absolutè, quod oon fiat remissio sine sanguine, sed addit particulam, *Ferè*, ad significandum, quod non fiat, vt plurimum sine sanguine, fiat tamen aliquando, vt constat ex Leuitico *cap.* 16. *&* 26. & ex lib. Num. *cap.* 19. *&* 31. Quatenus tameo hinc infertur, quod in nouo Testamento remissio peccati non fiat sine sanguine, verum est, quia sanguis Christi effusus in Cruce se extendit ad remissionem cuiuscumque delicti, quatenus in virtute ipsius omnia remittuntur. Vnde sacrificium Missæ remittit delicta applicando sactificium Crucis, atque adeò sanguinem ibi effusum.

QVÆSTIO 55.

An sacrificium Missæ sit impetratorium.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Missæ est impetratorium.*
2. *In omnibus Liturgijs funduntur preces in ordine ad obtinenda beneficia per sacrificium.*
2. *Sacrificium Missæ offertur pro varijs beneficijs obtinendis.*
3. *Pro varijs necessitatibus.*
4. *Sacrificium Missæ obtinet beneficia nobis promerita per sacrificium Crucis.*
5. *Sacrificia legis naturæ, & legis veteris erant impetratoria.*
6. *Sacrificium Missæ vnde habeat quod sit impetratorium.*
7. *Missæ sacrificium quomodo ordinetur ad obtinenda beneficia temporalia.*
7. *Impetratio temporalium conuenit secundariò sacrificio.*
8. *Sacrificium non impetrat temporalia, nisi in ordine ad spiritualia.*
9. *Sacrificium vt impetret requiritur intentio offerentis circa rem impetrandam.*

Differt propitiatio ab impetratione, quod illa est in ordine ad remissionem peccatorum: impetratio verò est in ordine ad cætera beneficia. Dicendum est, *Sacrificium Missæ esse impetratorium cuiuscumque generis beneficiorum Dei.* Ita communiter Catholici, præsertim Bellarmin. *lib.* 2. *de Missa, cap.* 4. Suarez *disp.* 76. *de Eucharist. sect.* 2. Vasquez 3. *part. disp.* 223. *cap.* 3. *num.* 23. Grauad. 3. *part. controuers.* 6. *tract.* 14. *disp.* 3. *sect.* 3. *num.* 12. Isambert. *quæst.* 83. *disp.* 3. *de sacrific. Missæ, art.* 4. Putean. *art.* 1. *dub.* 5. *conclus. vlt.* Chellison. *dub.* 6. ver. *Dico* 2. Præposit. *dub.* 10. *num.* 65. Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp.* 1. *de sacrific. Missæ, difficult.* 15. ver. *Addimus.* Ruteus *de fructu Miss. lib.* 1. *disp.* 2. *quæst.* 3. *init.* 1

Desumitur autem ex omnibus Lyturgiis tam Græcis, quàm Latinis, vt Iacobi Apostoli, Chrysostomi, Cyrilli, &c. in quibus funduntur preces pro obtinendis beneficiis in virtute illius sacrificij: & ex Patribus, Tertulliano *lib. de corona militis*, vbi habet, Hoc sacrificium offerri consueuisse pro natalitiis. Cyrillo Hierosolimit. *Catech.* 5. *Mystagogica. ante med.* vbi dicit, Nos orare pro communi Ecclesiæ pace. Chrysostom. *Hom.* 18. *&* 21. *in Act. Apost.* vbi habet, Offerri hoc saecrificium pro fructibus. Prosper. *lib. de prædict. Dei, cap.* 6. vbi habet, Hoc sacrificium oblatum fuisse pro dæmoniaco, & fuisse liberatum. Gregor. *Homil.* 37. *in Euang.* Beda *lib.* 4. *Histor. Anglor. cap.* 22. August. *lib.* 22. *de Ciuit. Dei, cap.* 8. ait, Solere offerri pro purganda domo à dæmone. Euseb. *lib.* 4. *de vita Constantini, cap.* 45. 2

Definitur etiam à Concil. Trident. *sess.* 22. *can.* 3. Si quis *dixerit Missæ sacrificium, &c. Neque pro viuis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere, anathema sit.* Si igitur offerri debet pro aliis necessitatibus, iam habet vim impetrandi ea bona, quibus occurratur huiusmodi necessitatibus. 3

Et rationem indicat Concil. Trident. illa *sess.* 22. *cap.* 2. illis verbis: *Cuius quidem oblationis cruentæ fructus per hanc* (incruentam) *vberrimè percipiuntur.* Vnde conficitur argumentum. Sacrificium Missæ est applicatiuum sacrificij Crucis, & mediante hac applicatione operatur, vt percipiantur fructus ipsius: 4

Ergo

Ergo est impetratorium cuiuscumque generis beneficiorum. Conseq. prob. Christus per sacrificium Crucis promeruit nobis omnia beneficia: Ergo, cum per sacrificium Missæ percipiamus fructus sacrificij Crucis, erit impetratorium beneficiorum.

5 Confir. Sacrificia legis naturæ, & Mosaïcæ erant impetratoria, vt constat ex Iob. *cap.*10. *&* 43. & ex Leuitico *cap.*7. & *lib.*2. *Reg. cap.vlt.* vbi Dauid obtulit sacrificium pro cessatione pestis: & *lib.* 1. *Esdra, cap.* 6. Immolabant pro consecratione Darij, & filiorum ipsius: & *lib* 2. *Machab. cap.*3. mediante sacrificio Ozias vitam impetrauit Heliodoro: Ergo etiam sacrificium nouæ legis. Tum quia est magis perfectum; tum quia magis participat de efficacia sacrificij Crucis, dum applicat nobis fructus ipsius; Tum quia in ipso includantur bona omnia per alia sacrificia significata, vt habet Concilium Trident. *sess.*22. *cap.*1. *in fine.*

6 Confir. 2. Ratio naturalis dictat, & experientia ostendit, quod munera conciliant animos, & promerentur beneficia. In sacrificio autem non solum offertur munus Deo, sed res quæ offertur, est omnium maximè appretiabilis, cum sit ipse Christus. Rursus Offerentes se totos dedicant per sacrificium in obsequium Dei, cum sacrificium sit signum interioris affectus, quo subiicimur Deo vt primo principio, & vltimo fini, & nos totos illi dedicamus. Quod etiam ex eo confirm. Quia persona, quæ interponitur ad impetrandum mediante sacrificio, est ipse Christus tanquam principalis offerens, qui cum sit Deo summè gratus, & iam meruerit infinito modo, est potens ad obtinenda nobis omnia beneficia, quæ aliàs promeruit.

7 Dices. Sacrificium siue secundum victimam, siue secundum valorem spectatum, est summæ dignitatis, & summi pretij: Ergo fit ipsi iniuria, si ordinetur ad obtinenda beneficia temporalia. Resp. Ordinari tanquam causam ad effectum, in quo nulla est indecentia; siquidem etiam Deus ordinauit Christum, qui erat persona infinita, ad effectus finitos: & sicut possumus petere à Deo, vt nobis conferat bona temporalia, ita etiam possumus vti sacrificio, vt moueamus Deum ad ea nobis conferenda, quia sacrificium non ordinatur immediatè ad bona temporalia, sed ad impetrandum à Deo, vnde habet rationem medij impetratiui apud Deum. Deinde. Non ordinatur per se primò ad bona temporalia, sed secundariò: nam per se primò ordinatur ad cultum Dei, & solùm secundariò ad beneficia obtinenda. Et quia cultus Dei est essentialis sacrificio, hîc finis non potest ab ipso separari stante quacumque ordinatione extrinseca offerentis. Denique quia secundum rectum ordinem, bona temporalia sunt appetenda in ordine ad spiritualia, ideò quando sacrificium adhibetur pro iis obtinendis, dicit ordinem etiam ad bona spiritualia, & his mediantibus, etiam ad vltimum finem.

8 Ex dictis colligitur cum Ruteo *de fructu sacrific. Miss. lib.* 1. *disp.* 2. *quest.* 3. ver. *Quoad beneficia.* Sacrificium Missæ non se extendere ad impetranda temporalia secundum se, sed solum quatenus sunt in ordine ad spiritualia, & ad illa conducunt. Et ratio est. Quia impetratio fundatur in meritis Christi; hæc autem non se extendunt nisi ad spiritualia, aut ad temporalia, quatenus ex ipsis spiritualia habent aliquo modo causam; nam principaliter Christus meruit nobis salutem, & ratione ipsius ea, quæ ad ipsam conducunt.

9 Colligitur 2. Cum eodem Ruteo citato, ver. *Aduerte item.* Sacrificium pro effectu impetrationis requirere intentionem saltem virtualem impetrare volentis circa rem impetrandam. Ratio est. Quia sacrificium, quantum est de se, non est determinatum ad hoc, vel illud determinatè impetrandum, sed tantùm habet vim impetrandi in genere: & ideò, vt impetret aliquid determinatum, debet ad ipsum impetrandum applicari, quod fit per intentionem offerentis, seu impetraturi beneficium. Vt autem impetret pro Ecclesia, cuius etiam nomine offertur, requiritur quidem intentio eiusdem Ecclesiæ, quæ semper interuenit, præsertim quoad ea, quæ petuntur à Deo in orationibus, quæ in Missa recitantur: non autem requiritur aliqua intentio offerentis, nam cum Ecclesia sit etiam ipsa offerens in persona sui Ministri, sufficit eiusdem intentio pro applicando sacrificio ad hunc effectum.

QVÆSTIO 56.

An sacrificium Missæ sit satisfactorium.

SVMMARIVM.

1. *Missæ sacrificium est satisfactorium.*
2. *Sacrificium Missæ applicat satisfactionem sacrificij Crucis.*
3. *Sacrificium Crucis cur satisfactorium.*
4. *Missæ sacrificium quomodo satisfactorium.*

SAtisfactio in sacrificio consideratur in ordine ad pœnas debitas peccatis: vnde idem est quærere, an sit satisfactorium, ac quærere, an habeat vim remittendi pœnas debitas pro peccatis. Dicendum est. *Sacrificium Missæ esse satisfactorium.* Ita communiter Theologi, & Patres, dum docent. Quod propitiatio sacrificij valet etiam quoad pœnas relaxandas. Et est de fide definitum à Concil. Trident. *sess.*22. *can.*3. ibi: *Si quis dixerit, Missæ sacrificium neque pro viuis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere, anathema sit:* & idem etiam tradit *cap.*2. *in fine.* 1

Ratio est. Quia sacrificium Missæ est applicatiuum sacrificij Crucis, vt docet Trident. *sess.*22. *cap.*1. itavt per ipsum vbertimè percipiantur fructus sacrificij Crucis: Ergo est satisfactorium. Conseq. prob. Christus per sacrificium Crucis satisfecit Patri pro peccatis totius generis humani, & pro pœnis iisdem debitis; & hæc satisfactio est fructus sacrificij Crucis: Ergo dum sacrificium Missæ applicat sacrificium Crucis, applicat etiam satisfactionem tanquam eiusdem fructum. 2

Confir. Ideò sacrificium Crucis fuit satisfactorium, quia in eo fuit oblata victima grata, & auspicabilis Deo, præponderans in valore cuicumque debito relicto ex peccato. Sed in sacrificio Missæ offertur eadem victima, vt habet Concil. Trid. *sess.*22. *cap.*2. Ergo erit satisfactorium. 3

Dices. Ex hoc sequeretur, quod esset satisfactorium ratione sui ipsius, non autem, quia applicaret sacrificium Crucis. Resp. Esse quidem satisfactorium ratione sui, quia ratione sui applicat sacrificium Crucis. Licèt enim habeat victimam præponderantem cuicumque debito, quia tamen est eadem cum victima sacrificij Crucis, ideò est applicatiuum ipsius, & in eadem victima fit commemoratio sacrificij Crucis. Hinc non est satisfactorium ratione sui, quasi independenter à sacrificio Crucis: sed ratione sui cum dependentia tamen ab ipso. Sicuti enim victima transmittitur ab illo sacrificio ad hoc, & fit in hoc quædam illius innouatio: ita etiam virtus sacrificij Crucis transfunditur in hoc sacrificium. 4

DE

DE EFFECTIBVS SACRIFICII MISSÆ.

IN superioribus ostensum est, quod quamuis sacrificium Missæ sit honorarium, nempè institutum ad colendum Deum modo ipso, ad hæc tamen est etiam propitiatorium, & impetratorium, & proinde habere debet suos proportionatos effectus, de quibus modò agendum est.

QVÆSTIO 57.

An sacrificium Missæ habeat aliquos effectus ex opere operato.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Missæ operatur omnes effectus sacrificiorum veteris legis.*
   Operatur effectus sacrificij Crucis applicando ipsius virtutem.
2. *Modus causandi ex opero operato, & ex opere operantis, inseruit pro explicanda efficacia sacramentorum, &c.*
3. *Quid sit causare ex opere operato,*
4. *Sacrificium Missæ producit aliquos effectus ex opere operato.*
5. *Sacrificium Missæ non inquinatur malitia offerentium.*
6. *Quia est idem cum sacrificio Crucis, eodem modo, ac ipsum operatur suos effectus.*
7. *Et quia applicat virtutem sacrificij Crucis,*
8. *Per sacrificium Missæ percipiuntur fructus sacrificij Crucis.*
9. *Sacrificium Missæ habet suam efficaciam independenter à Ministro.*

1 QVia sacrificium Missæ æquiualet, & supereminet omnibus sacrificiis veteris Testamenti, vt in superioribus suo loco dictum est, ideò etiam debet habere omnes effectus ipsorum, sed supereminentiori modo; præsertim quia est applicatiuum sacrificij Crucis applicando ipsius virtutem, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1. circa medium:* vnde etiam applicabit effectus eiusdem sacrificij, quos pro nobis causabit. Atque cum hoc sacrificium sit idem quoad substantiam cum sacrificio Crucis cum sola diuersa ratione offerendi, vt habet ibid. Concil. *cap. 2.* habebit etiam quoad substantiam eosdem effectus.

2 Est autem aduertendum, quod quamuis antiquitùs non esset in vsu modus iste loquendi, *Causare ex opere operato, & causare ex opere operantis*, attamen cœpit esse in vsu tempore Innocentij III. vt constat ex eius, *lib. 3. de mysterio Miss.* & latè ostendit Vasquez 3. *part. disput. 109. cap. 5.* & optimè inseruit ad declarandam efficaciam sacramentorum, & sacrificij Missæ: explicat enim id, quod habetur præcisè ex vi ipsorum independenter à Ministro, & quid dependenter ab ipso Ministro.

3 Rursus etiam est aduertendum, quod non concordant Doctores in explicando, quid sit causare ex opere operato. Quidam enim volunt quod causare ex opere operato sit causare præcisè per efficaciam sacramentorum, seu sacrificij datum à Deo, independenter omninò à Ministro, atque adeò independenter à bonitate, & meritò ipsius, ita tamen vt etiam semper sequatur effectus infallibiliter. Ita Layman *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. cap. 1. num. 3.* Facundez *præcep. 1. Eccles. lib. 4. cap. 2. num. 19.* Bann. *part. 1. Theol. moral. tract. 6. de sacrific. Miss. quæst. 10.* E contra verò alij volunt, quod ad effectum ex opere operato non requiratur, quod sequatur infallibiliter, sed sufficere, si requiratur ex sola efficacia sacramenti, seu sacrificij independenter à meritis, & dignitate Ministri, ita vt proueniat ex virtute, quam ex institutione sua habent sacramenta, & sacrificium. Ita Garzia *in sum. tractat. 3. difficult. 1. dub. 7. punct. 1. num. 6.* Dicastil. *de sacrament. tract. 5. disput. 3. dub. 3. num. 65.* Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disp. 33. de sacrific. Miss. sect. 5. num. 123.* Et hic modus dicendi sufficienter explicat modum causandi ex opere operato, quia talis modus non importat influxum aliquem operantis, præterquam in actionem sacramentalem, & immolationem, sed totus effectus prouenit ab intrinseca, & propria efficacia operis absque habitudine quoad sui valorem, & virtutem ad Ministrum. E contra verò effectus ex opere operantis dicit habitudinem quoad valorem, & virtutem ad personam operantem, à qua dignificatur, & accipit pretium. Vnde modo explicato sufficienter contra distinguuntur hi duo modi causandi, nec est necesse ponere conditionem, quod effectus ex opere operato proueniat infallibiliter, & semper. Et quamuis hic modus operandi imitetur causas naturales, non est tamen omninò similis, & ideò non imitatur in eo, quod causa applicata semper producit effectum.

Dicendum est. *Sacrificium producere aliquos effectus ex opere operato pro ijs, pro quibus offertur.* 4
Conueniunt in hoc communiter Doctores, præsertim D. Thom. 3. *part. quæst. 79. art. 5.* & *quæst. 82. art. 1.* & *in 4. distinct. 12. quæst. 2. art. 2. quæstiun. 2.* & *distinct. 45. quæst. 2. art. 1. quæstiun. 3.* & *art. 3. quæst. 1. ad 3.* Albert. Magn. *distinct. 13. art. 31.* Sotus *ead. dist. quæst. 2. art. 1.* Caiet. *tom. 2. Opusc. tract. 3. de Miss. celebrat. quæst. 2.* Scot. *lib. 20.* Castro *verbo* Missa. *heresi 2.* Petr. Sotus *Lect. 7. de Eucharist.* Canus *lib. 12. de locis Theol. cap. 13. ad 9.* Couar. *in cap. Alma mater, part. 1. §. 5. num. 6.* Corduba *in quæstior. lib. 1. quæst. 6.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 13. init.* Suarez *de sacrament. disp. 79. sect. 1. §. Dico primò.* Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 4. cap. 1. n. 2.* Nugnua 3. *part. tract. de sacrific. Miss. quæst. 1.* Marchin. *de Sacram. Ordin. tract. 3. part. 2. cap. 10. num. 1.* Garzia *in sum. tract. 3. de Eucharist. difficult. 1. dub. 7. punct. 1. num. 6.* Dicastil. *de sacrament. tract. 5. disp. 3. dub. 3. num. 65.* Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disp. 33. de sacrific. Miss. sect. 5. num. 122.* Vasquez 3. *part. disp. 229. cap. 2.* Coninch *de sacram. quæst. 83. art. 1. num. 116.* Bonae. *disp. 4. de sacram. quæst. vlt. punct. 4. num. 7.* Franc. Lugo *de sacram. lib. 5. cap. 4. quæst. 1. num 5.* Bellarmin. *lib. 2. de sacrific. Miss. cap. 4.* Mærat. *tom. 3. sum. disp. 37. de Eucharist. sect. 1.* vet. *Secunda sententia.* Montagnol. *de valore sacrific. Miss. cap. 15. conclus. 2.* Leander *de sacram. tract. 8. disp. 3. de sacrific. Miss. q. 1.* Gabriel à S. Vincent. *de sacrament. disp. 2. de sacrific. Miss. quæst. 1.* vet. *Vera ergo.* & alij passim, vbi agunt de effectibus sacrificij in particulari.

Prob. Ex Concil. Trid. *sess. 22. cap. 1. de sacrific. Miss.* 5
Indignitas, & malitia Ministri offerentis non inquinat, atque adeò non reddit vacuum sua efficacia hoc sacrificium, ita enim habet: *Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest:* Ergo non dependet in

suo

suo esse, dignitate, & valore, atque adeò efficacia à Ministro, sicut dependent opera ab operante: Ergo producit suos effectus ex vi propriæ efficaciæ independenter à qualitate Ministri, nempè bonitate, aut malitia, atque adeò ex opere operato. Alioquin si ex se non haberet suam efficaciam, sed esset efficax ex opere operantis, inquinaretur ab ipsius malitia, quia indignus Minister non potest dignificare, sed inquinat suas actiones.

6 Confirm. Sacrificium Missæ est idem sacrificium cum sacrificio Crucis, itavt sit eadem hostia, & idem offerens principalis, sola offerendi ratione diuersa; vt habet Concilium Trident. *sess.22. cap.2.* Ergo producit suos effectus ex opere operato, quia sacrificium Crucis habet efficaciam ex opere operato, ratione rei oblatæ, quæ fuit infiniti valoris, & non tantùm ratione offerentis. Vnde sanguis Christi dicitur effusus in remissionem peccatorum, & 1. ad Timoth. 2. de Christo dicitur: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Et proinde sanguis Christi est pretium humanæ redemptionis.

7 Confirm. 2. Sacrificium Missæ repræsentat sacrificium Crucis, & est applicatiuum virtutis ipsius in remissionem peccatorum. Vnde Concil. Trident. *sess.22. cap. 1. de sacrific. Miss.* de ipso dicitur, *Quo cruentum illud semel in Cruce peragendum, repræsentaretur, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ quotidiè à nobis committuntur, peccatorum applicaretur.* Applicare autem virtutem sacrificij Crucis in remissionem peccatorum est operari ex opere operato, quia ex natura sua, quà sacrificium est, habet applicare virtutem sacrificij cruenti: vnde per ipsam applicatam producuntur effectus, atque adeò independenter à bonitate Ministri offerentis, & independenter etiam à malitia, quatenùs non impedit applicationem, & proinde, neque effectus.

8 Confirm. 3. Per sacrificium Missæ percipiuntur fructus sacrificij Crucis, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. capit. 2. de sacrific. Miss.* ibi: *Cuius quidem oblationis cruentæ per hanc* (oblationem sacrificij Missæ) *vberrimè percipiuntur:* Ergo cum non possit communicare fructus sacrificij Crucis, nisi ex institutione, dum ratione institutionis communicat, ex natura sua communicabit, atque adeò ex opere operato: non verò ex opere offerentis.

9 Ratio autem est. Quia in hoc sacrificio Christus est principalis offerens, & Sacerdos est merus minister, itavt non offerat nomine proprio, sed Christi. Et ideò non potest dare efficaciam sacrificio in ordine ad suos effectus, quia, si daret, ita essent effectus sacrificij, vt etiam essent effectus dantis efficaciam sacrificio. Si autem Sacerdos esset causa effectiua sacrificij, non merè ministraliter se haberet, nec offerret nomine alieno, sed proprio, quia esset auctor effectuum sacrificij. Dum autem non dat efficaciam sacrificio pro suis effectibus, habebit independenter à Ministro, & proinde ex opere operato.

QVÆSTIO 58.

An sacrificium Missæ habeat effectum aliquem ex opere operato pro Sacerdote, quatenùs offerens est.

SVMMARIVM.

1. *Sacerdos pro se offerens percipit fructum sacrificij.*
2. *Quatenus offerens est, an percipiat fructum ex opere operato,* & seq.
4. *Sacrificium quatenus causet ex opere operato.*
5. *Sacrificium vnico tantum modo causat ex opere operato, nempe per applicationem.*
6. *Sacrificium cui applicet virtutem sacrificij Crucis.*
7. *Sacrificium in quorum vtilitatem institutum.*
8. *Oblatio vt talis prodest ei, pro quo fit.*
Sacramenta non producunt suos effectus ex opere operato in ministro.
9. *Quid præstet sacrificio esse oblationem mundam.*
Actio sacrificatiua quomodo habeat vim impetrandi pro Sacerdote.

QVod Sacerdos, quando offert pro seipso, percipiat illum fructum ex opere operato, quem cæteri percipiunt, quando pro ipsis offertur sacrificium, certum omninò est; alioquin esset peioris conditionis cæteris. Solum difficultas est, an præter hunc fructum percipiat aliquem alium ex opere operato, quem obtineat, etiam quando cæteris applicat sacrificium, & vt offerens est. 1

Prima sententia asserit offerentem, quatenus offerens est, percipere fructum ex sacrificio ex opere operato, præscindendo ab omni oblatione facta pro seipso. Ita Sotus *in 4. distinct. 13. quæst. 4. art.* 1. Henriquez *lib. 9. sum. cap. 16. num. 2.* Canus *lib. 12. de locis Theologicis, cap. 13.* Suarez *disput. 79. de Eucharist. sect. 8. ver. Tertiò quod pertinet.* Layman. *lib. 5. Theol. mor. tract. 5. cap. 2. n. 18.* Bonac. *disp. 4. de sacramen. quæst. vlt. punct. 4. num. 2.* Filliuc. *tractat. 5. num. 72.* Auersa *de Eucharist. quæst. 11. sect. 9. ver. Hæc pars.* Francisc. Lugo *de sacrament. lib. 5. cap. 4. quæst. 5. num. 49.* Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disp. 33. de sacrific. Miss. sect. 6. num. 171.* Prob. Sacrificium habet effectum ex opere operato: Ergo maximè correspondet illi, per quem Christus operatur. Secundò. Ita fit in actionibus omnium sacramentorum: Ergo etiam in oblatione sacrificij, cum sit actio instrumentalis ad fructum Christi applicandum. Tertiò. Oblatio vt fit à Sacerdote est propriè sacrificatio semper munda est, & grata Deo: Ergo correspondet suum fructum offerenti. Quartò. Actio sacrificandi, vt fit, est impetratiua: Ergo impetrat pro Sacerdote ex opere operato, quia habet vim impetrandi ex opere operato. 2

Secunda sententia est negatiua. Ita Vasquez 3. *part. disp. 231. cap. 3. num. 12.* Coninch. *de sacrament. quæst. 83. artic. 1. dub. 9. num. 162.* Garzia *in sum. tract. 3. de sacrific. difficult. 1. dub. 7. punct. vlt. num. 53.* Caspens. *tom. 2. Curs. Theol. tract. 23. disput. 2. sect. 3. num. 24.* Mærat. *tom. 3. tract. de Eucharist. disput. 38. sect. 5.* Isambert. *disput. 7. de Eucharist. sect. 6. ver. Nostra propositio.* & in hanc etiam sententiam recidit Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disp. 3. dub. 6. num. 152.* dum vult, quod qui concurrunt ad offerendum aliquo speciali modo, percipiant aliquem fructum ex opere operato, quatenùs pro ipsis etiam offertur sacrificium: & proinde non quatenùs offerentes. 3

dez *præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 6. num. 17. & 24.* Prob. Oblatio huius sacrificij est fructuosa ex opere operato, ergo omnis offerens eo modo, quo offert, est particeps huius fructus. Confirmatur. Ecclesia instituit, vt Sacerdos tanquam publicus minister offerret nomine omnium fidelium; ita etiam admittente natura sacrificij, quod est commune omnibus, & tanquam applicatiuum sacrificij Crucis, ad omnes ex natura sua se extendit, quibus eius virtus applicari potest: Ergo non alio fine, nisi vt tanquam offerentes participare possint effectus sacrificij ex opere operato.

3 Secunda sententia, quæ est communis, negat participare aliquem effectum ex opere operato. Ita Henriquez *lib. 9. sum. cap. 20. num.* .... Suarez *de sacrament. disputatione 79. sect.* S. ver. *Secundò de Ecclesia.* Coninch. *item de sacrament. quæst. 83. artic. 1. dub. 9. num.* .... Vasquez *3. part. disp. 231. cap. 3.* Aioicus *tom. 7. Cursus Theolog. disput. 33. de sacrific. Miss. num. 195.* Caspens. *tom. 2. Curs. Theolog. tractat. 23. disput. 2. sect. 3. num. 24.* Isambert. *de Eucharist. disput. 7. sect. 7.* ver. *Quod denique.* Ruteus *lib. 1. de fruct. sacrific. Miss. disp. 4. quæst. 2. dub. 1. num.* 8. Mærat. *tom. 3. disp. 38. de Eucharist. sect. 5.* Dicastil. *de sacram. tract. 5. disp. 3. dub. 6. num. 141.* Quod probant nonnulli ex eo, quod non concurrant ad offerendum aliquo proprio actu, quod tamen non conuincit; quia si sacrificium confert fructum ex opere operato offerentibus sufficiet moralis concursus ad offerendum, qualis est in omnibus membris Ecclesiæ; nam Ecclesia repræsentans omnes fideles tanquam propria membra mandat Sacerdoti tanquam suo, & publico omnium ministro, vt nomine omnium offerat, quod sufficit, vt omnes moraliter influant in oblationem.

4 Dicendum est. *Fideles, quatenus vt membra Ecclesiæ offerentes sunt, non percipere ex hoc sacrificio fructum aliquem ex opere operato.* Sequitur ex eo, quod sacrificium non habet producere fructum ex opere operato, nisi pro iis, pro quibus offertur. Et insuper probatur influxus, quo fideles omnes concurrunt ad offerendum sacrificium, non est propriè sacrificium, sed se habet in genere efficientis, & pertinet ad actionem factiuam sacrificij, per modum mandati: Ergo non potest causare ex opere operato aliquem effectum. Quia sacrificium non causat ex opere operato, nisi quatenùs sacrificium est; & ideo, si in illo influxu non est ratio sacrificij, nec etiam erit vis causatiua ex opere operato. Deberet autem esse, quia si percipiunt fructum quatenùs offerentes debent percipere ex vi actionis sacrificatiæ, atque adeò ipsa continere debet virtutem causatiuam ipsius.

5 Confir. Qui percipit fructum sacrificij ex opere operato, se habet passiuè, & respectu fructus percepti, & respectu sacrificij: & consequenter sacrificium se habet actiuè respectu percipientis, quia est causa in genere efficientis illius fructus: Ergo non potest percipi, nisi sacrificium versetur tanquam causa causaras circa percipientem tanquam circa subiectum: Ergo non percipiet quatenùs offerens, cum vt talis se habeat actiuè respectu sacrificij.

6 Dices. Quia vsus sacramenti consistit in receptione, omnes, qui debitè recipiunt, percipiunt fructum ex opere operato: Ergo quia vsus sacrificij consistit in oblatione, omnes, qui offerunt percipient. Resp. neg. sequel. Nam falsum est, quod recipientes sacramentum percipiant fructum, quia vsus ipsius consistat in receptione, sed ideo percipiunt, quia per vnum, & receptionem applicatur sacramentum ad causandum in recipiente, ita vt sacramentum vniatur cum recipiente in ratione agentis, & passiui. At per oblationem non applicatur, non sacrificium ad causandum in offerente; nec facit quod vnientur in ratione actiui, & passiui.

Dices 2. Christus potuit instituere sacrificium, vt 7
tribueret fructum ex opere operato offerenti, quatenùs offerens est. Et aliàs hoc est concertaneum dignitati tanti sacrificij: Ergo dicendum est, quod ita instituerit. Resp. Quidquid sit de anteced. neg. consequent. Nam non valet arguere à possibilitate, & conuenientia, nam etiam plura alia sunt possibilia, & conuenientia, & tamen Deus eo non facit. Deinde antecedens habet difficultatem; nam aliud est, quod poruerit Deus instituere sacrificium, vt ex opere operato afferret fructum offerenti: & aliud quod offeret, quatenùs offerens est, atque adeo ex vi oblationis. Primum de facto habetur, si modo offerat pro se, & potuit etiam facere, quod aliquo alio modo afferret ipsi fructum ex opere operato. Secundum videtur impossibile, & est idem, ac si diceretur, quod possit dari agens, qui ab effectu, quem causat recipiat aliquos alios effectus ex vi actionis, quod producit primum effectum, atque actuo, quod ex vi actionis suæ: qua actio est, patiatur. Cùm enim sit impossibile, quod sacrificium tribuat effectus ex opere operato, nisi comparetur tanquam causa ad recipientem tanquam subiectum; erit etiam impossibile, quod sacrificans ex vi sacrificationis percipiat aliquos effectus ex sacrificio ex opere operato.

Ad fundamentum in oppositum neque quod obla- 8
tio quatenùs actio, qua fit sacrificium, & ab ipso contradistincta sit fructuosa ex opere operato, ad hoc conueniat tantùm sacrificium quà sacrificium, quod solum est fructuosum ex opere operato per modum causæ, atque adeò solum respectu illius, cui tanquam subiecto applicatur, quæ aplicatur, quæ applicatio fit per determinationem oblationis ad ipsius vtilitatem. Sic etiam sacramenta suam fructuosa ex operato, sed non respectu illius qui ea ministrat, sed solum respectu recipientis. Ad confirm. neg. conseq. Quia Ecclesia non potuit intendere, quod non potest esse, & quod non potest est contra naturam sacrificij, quod habet prodesse iis tantum, pro quibus offertur. Voluit ergo, quod Sacerdos offerret nomine omnium fidelium, quia voluit, quod ab omnibus coleretur Deus in sacrificio, tanquam in eo, quod continet publicum cultum, & hoc pacto sacrificium spectaret ad omnes.

QVÆSTIO 60.

An qui concurrunt aliquo actu proprio ad oblationem percipiant, quatenus offerentes fructum ex opere operato.

SVMMARIVM.

1. *Concurrentes actu proprio ad oblationem, an vt offerentes percipiant fructum ex opere operato.*
3. *Sacrificium vnde habeat, quod causet ex opere operato.*
4. *Fructus sacrificij ex opere operato debet determinari ab offerente.*
5. *Concurrens aliquo speciali actu ad sacrificium quem fructum percipiat.*
   Excellentia sacrificij Missæ supra alia sacrificia.
6. *D.Thom. explicatus.*
7. *Quinam percipiat maiorem fructum audiens Missa, an is, pro quo offertur sacrificium.*

8. *Sacrificio Missæ, an respondeant aliquis specialis fructus ex opere operato prout offertur à Christo.*

1 Difficultas procedit de omnibus, qui quocumque modo concurrunt cum Sacerdote ad offerendum, quia est eadem ratio de omnibus, cùm nullus offerat, sicut offert Sacerdos, sed tantum cooperetur aliquo modo oblationi, quod valet etiam in audientibus Missam, nam ratione præsentiæ cooperantur. Prima autem sententia tenet, quod omnes isti percipiant aliquem fructum, quatenus offerentes sunt ex opere operato. Ita Henriquez *lib. 9. sum. cap. 20. num. 2.* Suarez *de sacrament. disput. 79. sectione* 8. ver. *Quarto de cæteris.* Canus *lib. 12. de locis Theologicis, capite* 13. Sotus *in 4. distinct. 13. quæst. 4. artic.* 1. Amicus *tom. 7. Cursus Theolog. disputat. 33. de sacrific. Miss. sect. 6. num.* 175. Layman. *lib. 5. Theolog. moral. tractat. 5. cap. 2. num.* 18. Bonae. *disputat. 4. de sacrament. quæst. vlt. punct. 4. num.* 7. Fillinc. *tractat. 5. num. 72.* Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 9.* ver. *Hac pars.* Francisc. Lugo *de sacram. lib. 5. cap. 4. quæst. 5. num. 49.* Rureus *lib. 1. de fructu sacrific. Miss. disput. 4. quæst. 3. num. 5.* qui alios citat. Prob. Sequeretur, quod audiens Missam non perciperet maiorem fructum, quàm qui non audit, si Sacerdos pro neutro offerat, aut offerat pro vtroque quod est absurdum. Confir. In sacrificiis veteris legis, qui concurrebant ad ipsa, percipiebant fructus ex opere operantis: Ergo cum hoc sacrificium sit excellentiùs, percipiet ex opere operato.

2 Secunda sententia docet, non percipere fructum ex opere operato, quatenùs offerentes sunt. Ita Vasquez *3. part. disput. 231. cap. 3. num.* 12. Coninch *de Sacrament. quæst. 83. art. 1. dub. 9. num.* 162. Garzia *in sum. tractat. 3. de Eucharist. difficult. 1. dub. 3. punct. vlt. num.* 53. Mætat. *tom. 3. sum. disput. 38. de Eucharist. sect. 6.* Caspens. *tom. 2. tract. 23. disput. 2. sect. 3. num.* 24. Isambert. *de Eucharist. disp. 7. sect. 6.* ver. *Quod denique.* Dicastil. *de sacram. tract. 5. disp. 3. dub. 4. num.* 552. quatenus docet, quod non percipiunt, quatenus offerentes, sed quatenùs pro his omnibus offertur sacrificium.

3 Dicendum est. *Concurrentes aliquo proprio actu ad oblationem sacrificij non percipere, quatenus ratione concursus offerentes sunt, aliquem fructum ex opere operato.* Prob. Sacrificium non causat aliquem fructum ex opere operato, nisi quatenùs applicatiuum virtutis sacrificij Crucis: Ergo non causat, nisi quatenùs offertur à Christo, seu à Sacerdote in persona Christi: Ergo non causat alium fructum ex opere operato præter illum, qui prouenit indeterminatus ex natura sacrificij, & debet à Sacerdote determinari in commodum huius vel illius. Anteced. constat. Quia hoc sacrificium habet totam suam efficaciam, sicut habent etiam sacramenta à sacrificio Crucis, & ideò habet efficaciam applicando virtutem sacrificij Crucis, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1. de sacrific. Miss.* Conseq. prima prob. Quia in tantùm est applicatiuum sacrificij Crucis, in quantùm id habuit ex sua institutione, quando fuit primum oblatum à Christo in vltima cœna, nam tunc voluit, quod ratione suæ oblationis applicaret virtutem sacrificij Crucis, vt habet Concil. loco citato, atque adeò quatenùs semper offerretur ab ipso Christo tanquam à principali offerente. Conseq. secunda prob. Fructus, quem causat sacrificium, vt offertur à Christo, est ille, quem habet pro iis, pro quibus offertur, nam Christus offerens sicuti facit per sacrificium applicari virtutem sacrificij Crucis, ita etiam mediante sacrificio facit redundare fructum in eos, in quos dirigitur sacrificium, vt communicatiuum eiusdem fructus; dirigitur autem tantùm in eos, pro quibus offertur, atque adeò est fructus indeterminatus pro hoc, aut illo.

Confirm. Sacrificium habet aliquem fructum ex opere operato indeterminatum de se, sed ex voluntate Sacerdotis determinandum pro hoc, aut illo: Ergo non habet alium fructum ex opere operato præter istum: itavt totus fructus ex opere operato sit determinandus ab offerente. Consequent. prob. Causatio sacrificij ex opere operato est vna, cum vna sit etiam eius essentia: sicut etiam est vnus modus causandi: Ergo si semel subiicitur voluntati offerentis quoad determinationem subiecti, in quo producat suos effectus, subiicietur totaliter, præsertim in ordine ad eumdem effectum, qualis esset satisfactio. Non enim fieri potest quod modus causandi ex opere operato eiusdem effectus, cùm imitetur modum operandi naturalem partim subiiciatur, & partim non subiiciatur quoad determinationem subiecti voluntati offerentis. 4

Ad fundamentum in oppositum neg. sequel. Quia audiens Missam, aut aliquo alio speciali modo concurrens ad oblationem sacrificij habet aliquem specialem fructum ex opere operantis. Et ratione illius specialis influxus sacrificium habet specialem vim impetrandi. Ex opere etiam operato percipit maiorem fructum audiens Missam, aut alio actu concurrens ad oblationem, quia specialiori modo offertur pro ipso, oblatio enim fit secundum mensuram influxus in oblationem. Ad confir. neg. sequel. Nam excellentia huius sacrificij supra sacrificia veteris legis, & præcipua consistit in eo, quod ex opere operato sit applicatiuum virtutis sacrificij Crucis in eorum fauorem, pro quibus offertur. 5

Ex dictis colligitur, quomodo sit accipiendus D. Thom. quando *3. part. quæst. 79. art. 5. in corpore* habet. Oblationem huius sacrificij satisfactoriam esse pro illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus. Neque enim contradistinxit offerentes ab iis, pro quibus offertur, quasi quatenùs offerentes percipiant aliquem fructum ex opere operato, sed vt significaret, quod specialiter Sacerdos recipit fructum diuersum ab eo, quem recipiunt ij, pro quibus offertur, non quà offerens est, sed quia etiam pro seipso offert, & magis speciali modo, quàm pro illis, pro quibus generaliter offert. Nam cum offerens sacrificium non debeat excludi à participatione fructus ipsius, quilibet offerens censetur offerre etiam pro seipso. 6

Secundò colligitur. Quinam percipiat maiorem fructum, an qui audit Missam, & participat in illa communi communicatione fructus sacrificij pro omnibus circumstantibus: an verò qui non audit, sed pro ipso applicatur sacrificium. Et quidem quoad satisfactionem, videtur certum, quod ille percipiat maiorem fructum, pro quo applicatur sacrificium; siquidem cùm sacrificium speciali modo offeratur pro ipso, etiam speciali modo illi communicat suos effectus. Quoad impetrationem verò auxiliorum, præseruationem à malo; maiorem fructum percipere, qui audit, atque à fortiori ipsum offerentem. Ita quidam Recentiores. Quod tamen difficultate non caret, loquendo de impetratione, quantum est ex vi sacrificij. Quia dum sacrificium pro aliquo specialiter offertur, applicatur ipsi etiam secundum suam vim impetratiuam. Et proinde cùm sit speciali modo applicatum ad impetrandum pro ipso, etiam impetratio pro ipso erit 7

Digitized by Google

erit specialis quoad omnia, quæ sacrificium impetrat.

8 Tertiò colligitur. Huic sacrificio non correspondere aliquem fructum ex opere operato, quatenùs præcise offertur à Christo, & quod, cui libuerit, Christus applicet; quod tribuitur Scoto *Quodlib.* 20. Quod tamen non correspondeat tradunt Suarez *disp.* 76. *de sacrament. sect.* 8. ver. *Primò igitur.* Coninch. *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 1. *numer.* 149. Filliuc. *tract.* 5. *num.* 72. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 4. *quæst.* 5. *num.* 46. ver. *Circa primum.* Ratio est. Quia fructus, qui prouenit à sacrificio, quatenùs offertur à Christo, vt principali offerente, est ille, qui relinquitur applicandus ad libitum Sacerdoti, nam sicut Sacerdos offert nomine Christi, ita etiam determinat fructum sacrificij nomine Christi in huius, vel illius vtilitatem; neque enim sacrificium habet diuersos fructus, prout est à Christo, & prout est à Sacerdote nomine Christi: Cùm enim Sacerdos offerat nomine Christi, & in persona ipsius, est cum ipso vnus, & idem offerens, & proinde sacrificium non habet fructum dependenter ab vnó, quod non habeat etiam dependenter ab alio, semota tamen proportione.

QVÆSTIO 61.

An sacrificium Missæ habeat aliquos effectus, qui non sint ex opere operato, nec ex opere operantis.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium an habeat effectus, qui nec sint ex opere operato, nec ex opere operantis.*
   Conditiones effectus ex opere opere operato.
3. *Impetratio conuenit sacrificio ex opere operato.*
4. *Effectus sacrificij ex opere operato quinam sint.*
5. *Effectus ex opere operato, & ex opere operantis in quo distinguantur.*
6. *Impetratio quomodo proueniat à sacrificio.*
7. *Pro effectu ex opere operato non, requiritur specialis promissio.*
8. *Effectus ex opere operato requirit in ministro specialem applicationem.*
9. *Effectus ex opere operato an debeat sequi infallibiliter.*
10. *An requirat singularitatem vel vniuersalitatem.*
    Impetratio sacrificij cur debuit esse vniuersalissima.
11. *Conditiones accidentales effectus ex opere operato.*

1 CVm sacrificium Missæ habeat aliquos effectus ex opere operato, & etiam ex opere operantis, siquidem cùm sit de se opus bonum exercitum à publico ministro Ecclesiæ, habet rationem meriti, vim impetrandi, &c. Difficultas remanet, an habeat aliquos effectus, qui nec sint ex opere operato, nec etiam ex opere operantis Affirmat Suarez *disput.* 79. *de Eucharistia sectione* 2. ver. *Dicò primo.* & sequentibus, qui vult habere ex vi suæ institutionis specialem vim ad impetranda ea, pro quibus obtinendis offertur. Hanc autem impetrationem non esse ex opere operantis, quia est à sacrificio independenter à Ministro. Nec ex opere operato. Primò quia non fundatur in speciali permissione distincta à substantiali institutione, sicut requiritur ad opus operatum, sed consequitur ex intrinseca natura, & maiestate sacrificij, quod est ex se aptum ad impetrandum. Secundò. Quia effectus ex opere operato non requirit, quod minister ipsum specialiter intendat. Sacrificium autem non exercet vim impetratiuam, nisi accedat intentio offerentis, & destinantis sacrificium ad hoc, vel illud impetrandum. Tertiò quia effectus ex opere operato est infallibilis respectu non ponentis obicem quia fundatur in absoluta promissione. Effectus autem impetrationis non sequitur infallibiliter ex sacrificio. Quartò quia opus operatum definitur ad certum effectum, & ad certas personas; hæc autem impetratio extenditur ad omnes, & ad quoscunque effectus diuinæ beneficentiæ.

2 Secunda sententia negat, habere aliquos effectus, qui nec sint ex opere operato, nec ex opere operantis. Ita specialiter Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 37. *de Eucharist. sect.* 7. ver. *At contrariæ,* asserens, ita sentire communiter Theologos. Et vult impetrationem, quæ est à sacrificio, esse ex opere operato, Gabr. à S. Vincent. *disput.* 2. *de sacrific. Miss. quæst.* 3. *difficul.* 4.

3 Dicendum est. *Sacrificium Missæ habere vim impetrandi ex opere operato.* Et proindè omnes eius effectus esse ex opere operato, vel ex opere operantis, si dependeant etiam à Ministro. Desumitur ex Concil. Tridentin. *sess.* 22. *cap.* 2. *de sacrific. Miss.* vbi, cùm dixisset, quod per hoc sacrificium percipiuntur fructus oblationis cruentæ in Cruce, infert. *Quare non solum pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis ritè, iuxta Apostolorum traditionem offertur.* Si ergo ex eo, quod per ipsum percipiuntur fructus sacrificij Crucis, sequitur quod pro nostris necessitatibus, atque adeò quatenùs impetratiuum offeratur, fit, quod impetratio sit fructus sacrificij Crucis, atque adeò ex opere operato, nam quæ confert sacrificium in virtute sacrificij Crucis, confert ex vi suæ institutionis, atque adeò ex opere operato.

4 Prob. Effectus, quos habet sacrificium independenter à Ministro, & à bonitate morali, quod oblatio recipiat ab ipso, proueniunt ex natura ipsius, & ex vi institutionis, cùm aliundè non possint prouenire, si sint veri effectus sacrificij? & talis est impetratio, vt concedit etiam Suarez: Ergo sunt effectus ex opere operato. Quia effectus ex opere operato in eo consistit, quod proueniat ex efficientia alicuius operis independenter eb effectore illius, sed solum ex natura illius operis quod ponitur, quia ex se præcisè habeat producere talem effectum:

5 Confirm. In hoc distinguuntur effectus ex opere operantis, & effectus ex opere operato. Quod ille prouenit ab operante tanquam à causa à qua incipit habere esse, itavt operans transfundat de suo in effectum. Effectus autem ex opere operato immediatè procedit ab opere ipsius operantis, itavt in tali opere independenter ab operante habeat suum esse, & ab ipso primò incipiat, vt constat in sacramentis, quorum effectus ex opere operato non continentur tanquam in causa in Ministro, sed primò incipiunt à sacramento, vt inductione patet: & quia causantur significatione, quæ est in sacramento, & non in ministro. Et hi duo modi adæquant omnes effectus, itavt nullos alius dari possit, quod non contineatur sub aliquo ex his modis ob contradictoriam oppositionem annexam. Nam vel effectus ita prouenit à sacrificio, vt ab ipso primò incipiat, & non dependeat ab operante: vel non. Ad primum mem-

brum spectat totum id quod excludit dependentiam ab operante. Ad secundum quidquid non excludit & proinde illum habet; extra autem hæc duo membra non potest dari aliud: Ergo in sacrificio Missæ omnis effectus vel erit ex opere operato, si proueniat ex natura sacrificij independenter à Ministro, qualis est impetratio. Vel ex opere operantis, si dependeat à ministro.

6 Confirm. 2. Vel impetratio, sicut quilibet alius effectus, prouenit à sacrificio ex vi alicuius qualitatis, seu moralitatis, quam recipiet à ministro. Vel præcisè ex vi illius, quod habet ex natura sua secundum mensuram institutionis, nullo autem alio modo potest prouenire, cùm in sacrificio nihil aliud sit, nisi, quod habet ex institutione, vel à ministro. Si primum, erit effectus operis operantis, quia dependebit à ministro operante, & per suam operationem influentem. Si secundum, erit effectus ex opere operato, quia erit tantum effectus operis eiusdem ministri, non autem ministri. Sic quicquid causant sacramenta ex vi suæ institutionis, & independenter à ministro, est ex opere operato.

7 Neque discrimina illa, quæ affert Suarez concludunt oppositum. Et quod spectat ad primum, falsum est, quod ad opus operatum requiratur specialis promissio Dei distincta à substantiali institutione. Nam sacramenta causant gratiam ex opere operato ex vi suæ significationis substantialis, atque independenter à promissione extrinseca; nam institutio substantialis habet pro termino signum sensibile cum sua substantiali significatione, ex vi cuius causat.

8 Secundum quoque discrimen non subsistit, nam licèt in ministro non requiratur specialis intentio de effectu ex opere operato, requiritur tamen specialis applicatio causæ ponentis effectum ex opere operato ad subiectum, in quo est ponendus. Quod etiam contingit in effectibus sacrificij, cum debeat sacrificium illi applicari, qui debet percipere effectus, quod contingit etiam in impetratione. Quod autem debeat impetratio dirigi ad hanc, vel illam rem, quæ desideratur, se habet materialiter, & non facit quod requiratur specialis intentio respectu impetrationis, qua impetratio est, sed respectu rei impetrandæ.

9 Sed neque subsistit tertium discrimen. Duo enim requiruntur, vt effectus ex opere operato sequatur infallibiliter. Primum, quod ex parte subiecti non adsit obex. Alterum, quod agens ex opere operatio applicetur secundum suam institutionem; quia si applicetur extra mensuram institutionis, nihil ageret, cùm tota vis agendi sit institutio. Hæ autem duæ conditiones, si concurrant, impetratio sacrificij Missæ erit infallibilis. Vnde quando non obtinetur effectus, signum est, quod non applicatur secundum mensuram suæ institutionis. Mensura autem institutionis est, vt impetret iuxta voluntatem Christi vt principalis offerentis.

10 Denique quartum discrimen non est alicuius momenti. Nam vt effectus sit ex opere operato, non requirit de se neque vniuersalitatem, neque singularitatem, sed debet proportionari suæ causæ. Sic in Sacramentis non extenditur vltra personam suscipientis; in sacrificio autem Missæ extenditur ad omnes pro quibus offerri potest sacrificium, vt constat in effectu satisfactionis, quem communiter admittunt esse ex opere operato. Imò effectus impetrationis non extenditur ad plures, quàm se extendat effectus satisfactionis. Debuit autem effectus impetrationis esse vniuersalissimus, quia cùm sacrificium Missæ sit repræsentatiuum sacrificij Crucis, & applicatiuum virtutis ipsius, oportuit, vt per ipsum possemus impetrare omnia, quæ Christus meruit nobis per sacrificium Crucis: & proinde non potuit coarctari, ad certas personas, neque ad certas res, sed respicere ad totam beneficentiam Dei.

Ex quibus colligitur, quod illæ conditiones, quas 11
Suarez ponit vt proprias effectus ex opere operato, non sint propriæ, sed accidentales: & proinde non possint ipsum constituere in suo proprio esse; vt obseruat etiam Mærat. *tom. 3. disp. 97. de Eucharist. sect. 7. ver. Verum ego.* Sic prima, quæ est promissio conuenit etiam effectui ex opere operantis, nam meritis correspondet gloria, vt effectus fundatus in promissione. Secunda, quod effectus ex opere operato sequatur absque speciali intentione operantis conuenit etiam effectui ex opere operantis, nam ex bonis operibus iustorum absque vlla eorum intentione sequitur augmentum gratiæ & gloriæ. Infallibilitas verò conuenit similiter effectibus ex opere operantis, vt iustificatio ad contritionem, præmium ad meritum. Demùm extendi ad plura, vel pauciora potest eidem effectui competere, vt est impetratio per orationem, quæ potest dirigi pro vna tantum, & pro pluribus personis, & pro vna gratia, & pluribus, & ideo hoc importat conditionem merè accidentalem: vnde non extrahit impetrationem ab ordine effectuum ex opere operato.

QVÆSTIO 62.

An Missæ sacrificium remittat peccata mortalia.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Missæ remittit peccata mortalia quoad culpam.*
2. *Concilij Tridentini definitio.*
3. *Munus Sacerdotis est offerre munera, & sacrificia pro peccatis.*
4. *Remissio peccati habetur à sacrificio Missæ, vt fructus sacrificij Crucis.*

HÆretici qui negant, hoc sacrificium esse propitiatorium, negant etiam remittere peccata mor- 1
talia. Apud Catholicos tamen certum est, aliquo modo remittere peccata mortalia. Vnde dicendum est, *Sacrificium Missæ remittere aliquo pacto peccata mortalia.* Et ita specialiter tradunt D. Thom. *in 4. dist. 12. quæst. 2. art. 2. quæst. 2. ad 4.* Bellarmin. *lib. 5. de Missa cap. 2.* Alanus *lib. 4. de Eucharist. cap. 3.* Suarez *disp. 79. de Eucharist. sect. 3.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 15.* Vasquez *3. part. disp. 228. cap. 1.* Sotus *in 4. dist. 13. q. 2. art. 1.* Valent. *3. part. disp. 6. quæst. 11. punct. 1.* Cassalius *lib. 2. de sacr. Miss.* Petrus Sotus *sect. 7. de Eucharist.* Gabr. *lect 85. in can. Miss.* Canus *lib. 12. de locis theol. cap. 13.* Pighius *controuers. 5.* Ruard. Tapper. *art. 16.* Aragon. *2. 2. quæst. 85. art. 3.* Durand. *in 4. dist. 12. quæst. 4.* Palud. *quæst. 1. art. 3.* Lindan. *lib. 4. Panopl. Euangel. cap. 51.* Facundez *præcep. 1. Eccles. lib. 4. cap. 2* Nugn. *3. part. quæst. 83. art. 1.* Bonac. *disp. 4. de sacrament. quæst. vlt. punct. 3.* Martinon. *disp. 39. de Eucharist. sect. 1.* Coninch. *de sacram. quæst. 83. art. 1. dub. 8.* Auersa *quæst. 11. de Euchar. sect. 6. ver. Secundò iam.* Mærat. *tom. 3. sum disp. 37. de Eucharist. sect. 9.* Isambert. *3. part. disp. 6. de Eucharist. art. 1.* Amicos *tom. 7. Cursus theol. disp. 33. de sacrific. Miss. sect. 5. num. 124.* Caspens. *tom. 2. Cursus theolog. tractat. 23. disputat. 2. sect. 1.* Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disputatione 3. de Sacrificat. Miss. difficultat. 1.* Putean. *3. part. quæst. 83. art. 1. dubio quinto.* Dicastil. *de sacrament. tractatu quinto, disp.*

disp.3. dub.1. Leander *de sacram. tract. 8. de sacrific. Miss. quæst.2.* Francisc. Lugo *de sacram. lib.5. cap.4. quæst.3.* Ruteus *lib.1. de fruct. sacrific. Miss. disput.2. quæst.1. dub.1.*

2 Et est definitum in Concil. Trident. *sess.22. cap.2. de sacrific. Miss.* vbi habet: *Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Et *can.3.* damnat dicentes hoc sacrificium non debere offerri pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, &c. vbi est adnotandum, quod ponit peccata, pœnas, & satisfactiones vt quid distinctum, ad significandum, quod nomine peccatorum intelliguntur peccata quoad culpam.

3 Ratio autem est. Quia ad munus Sacerdotis spectat placare Deum hominibus mediante sacrificio, atque adeò operari, quod Deus dimittat peccata. Ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Et ideò debet sacrificium esse aptum ad delenda aliquo pacto peccata.

4 Confirm. Sacrificium Missæ est applicatiuum sacrificij Crucis, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1. de sacrific. Missæ*; & per ipsum percipimus fructus oblationis cruentæ, vt habet *cap. 2.* Ergo cum virtus sacrificij Crucis sit ad delenda peccata, & fructus ipsius sit remissio peccatorum, per sacrificium Missæ habebitur deletio, & remissio peccatorum, quia applicatur virtus sacrificij cruenti cum fructu.

QVÆSTIO 63.

Quomodo sacrificium Missæ remittat peccata mortalia, & causet primam gratiam.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Missæ per aliquos delet peccata immediatè.*
2. *Patres solum docent sacrificium dimittere peccata.*
3. *Sacrificium secundum aliquos per accidens dimittit peccata immediatè.*
4. *Sacrificium quomodo dimittat peccata.*
5. *Si sacrificium dimitteret peccata immediatè, sacramentum pœnitentiæ non esset necessarium ad salutem.*
   Posset Sacerdos accedere ad celebrandum in mortali cum sola attritione.
6. *Sacrificium non dimittit peccata causando per accidens primam gratiam.*
   Sacrificium si per accidens causaret primam gratiam non posset offerri, nisi pro iusto.
7. *Non esset ordinatum ad delenda peccata.*
8. *Sacrificium remittit peccata obtinendo auxilia ad pænitentiam.*
9. *Quomodo obtineat donum pœnitentiæ, si is, pro quo offertur debet esse contritus.*
10. *Sacrificium ex sui natura non potest delere peccata immediatè.*
11. *Sacrificium remittit peccata iuxta sui naturam.*

1 Difficultas procedit de sacrificio Missæ, quâ sacrificium est, non autem quâ sacramentum est, & in eo consistit, an immediatè remittat peccata causando primam gratiam, an verò aliquo alio modo. Prima sententia asserit, remittere peccata immediatè causando primam gratiam instar sacramentorum, si tamen non reperiat obicem. Intelligitur autem quoad eos, pro quibus offertur, quos si inueniat attritos, dat primam gratiam, & delet peccata. Hæc sententia tribuitur Catherino *Opusc. de sacrific. Missæ, & in cap.11. Epist. ad Hebr.* Piglio *controuers.5. §. Sed hoc.* Gabr. *lect.85. in Can. Miss. littera L.* Turriano *lib.1. in Can. Apost. cap.24.* Canisio *part.2. Catechis. cap.4. quæst.7. de Eucharist.* Qui tamen obscurè loquuntur. Eam probabilem putant Tapper. *art.16. contra Luther.* Casalius *lib.2. de sacrific. Miss.* Et absolutè eam tradunt Viguer. *cap.16. Instit. Theol. §.3. ver.18. init.* Aragon. *2. 2. quæst.85. art.3. dub. de valore Miss. not.3.*

Afferuntur pro hac sententia nonnulli Patres, vt Martialis *Epist. ad Burdegal. cap.3.* Alexandrum I. *Epist. 1. Decret. cap.4.* Ambros. *lib.1. Offic. cap.48.* Hieronym. *Epist.146.* Cyril. Hierosolymit. *Catech.5.* & cap. *Cum omne crimen.* de *consecrat. dist. 2.* ex Epist. Iulij Papæ *ad Episcopos Ægypti.* Verùm non dicunt, quod immediatè remittat peccata causando primam gratiam, sed solum quod dimittit peccata, quod alio modo saluari potest. Neque ex eo, quod sit sacrificium propitiatorium, & institutum ad expianda peccata, sequitur, quod hoc modo debeat remittere; sed sufficit, quod remittat per modum sacrificij iuxta mensuram suæ institutionis. 2

Secunda sententia docet, quod per accidens remittit immediatè peccata, & causat primam gratiam, nempe si offeratur pro attrito tantùm, qui tamen putet, se esse contritum eo modo, quo sacramenta viuorum per accidens causant primam gratiam. Ita Valent. *tom.4. disp.6. quæst.11. punct.1. §.22.* Tolet. *lib. 2. sum. cap.6.* ver. *Imprimis.* Quod tamen *cap. sequent. 3.* limitat ad eos, qui aliquo modo concurrunt ad offerendum. Et probabile putat Corduba *lib.1. quæst.3. not. 4. opin.4.* Quia cum sacrificium non sit minus nobile, quàm sacramenta, non debet ipsi negari, quod sacramentis conceditur. 3

Tertia sententia asserit. Non causare gratiam immediatè, atque adeò nec immediatè remittere peccata, sed tantùm mediatè, quatenùs obtinet à Deo donum pœnitentiæ. Ita D. Thom. *in 4. distinct. 12. quæst.2. art.2. quæstiunc.2. ad 4.* vbi habet, quod hoc sacrificium delet peccata, *Non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.* Durand. *quæst.4. num.5. in fine.* Macer. *quæst.1.* Palud. *quæst.1. art.3. conclus.2.* Gabr. *lect.85. in Can. Miss. littera L.* Syluester *verbo* Missa *1. quæst. 8.* Ruard. *art. 6. contra Luther.* ver. *Manifesta est.* Henriquez *lib.9. sum. cap.15. num.1.* Bellarmin. *lib.2. de Missa, cap.4. propos.2.* Lindan. *lib.4. Panoplia Euang. cap.51.* ver. *Proinde, & cap.55.* Azor. *part.1. lib.10. cap.20. quæst.3.* Corduba *lib. 1. quæst. 3.* Martin. Auila *de tradit. part.3. considerat. 5.* Suarez *disp.79. de sacram. sect. 3. dicto 4.* Vasquez *3. part. disput.228. cap. 2. num.12.* Canus *lib. 12. de locis Theologicis, cap. 13. §. Harum trium.* Coninch. *de sacrament. quæst. 83. art.1. dub.8.* Bonac. *de sacrament. disp. 4. quæst. vlt. punct.3.* Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 6.* ver. *Communior tamen.* Ruteus *de fruct. sacrific. Miss. lib.1. disp. 2. quæst. 1. dub.2. num. 6.* Francisc. Lugo *de sacram. lib.5. cap.4. quæst.3. num.26.* Reginal. *in praxi, lib.29. cap.9. sect.2. n.156.* Facundez *præcept.1. Eccles. lib.4. cap.2. num.13.* Dicastil. *de sacram. tract.5. disp.3. dub.1. num.13.* Mærat. *tom.3. sum. disp.37. de Eucharist. sect.10.* Putean. *3. part. quæst.83. art.1. dub.5.* ver. *Cùm autem.* Isambert. *disp. 4. de sacrific. Miss. art.2. propos.2.* Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp.3. de sacrific. Miss. diffic.1.* Caspens. *par.2. Curs. Theol. tract.23. disp.2. sect.1.* 4

ſect.1. num.2. Granad. *3. part. controuerſ. 6. tract.14. diſput.15. ſect.2. num.9.* Leſſius *de ſacrament. quaſt.83. art.1. dub.8. num.38.* Pontius *in Curſu Theol. diſp.44. quaſt.10. concluſ.3. difficult.1.* Tanner. *tom.4. diſp.5. quaſt.9. dub.4. num.91.* Leander *de ſacrament. tract.8. diſput.3. quaſt.3.* Villalob. *part.1. ſum. tract.8. diſp.8. num. 3.* Palaus *part.4. oper. moral. tract.22. diſput. vnic. punct.6. num.3.* Angles *in Florib. quaſt. de valore Miſſ. difficult.4.* Nugnus *3. part. quaſt.83. art.1. dub.6.* Syluius *quaſt.14.* Præpoſit. *dub.13. num.* 8c. Gabr. à S. Vincent. *de ſacrament. diſp.2. de ſacrific. Miſſ. quaſt.2.* ver. *Quæres primò.* Amicus *tom.7. Curſ. Theol. diſp.33. de ſacrific. Miſſ. ſect.5. num.130.* Quartus *in Rubric. Miſſal. in Append. quaſt.2. puncti.1.* ver. *Secunda, & vera.* Layman. *lib.5. Theol. moral. tract.5. cap.1. num.4.* ver. *Porrò.* Ludouic. à S. Ioan. *part.1. ſum. quaſt.8. de Euchariſt. art.3. dub.1. concluſ.2.* Miraoda *tom.1. Manual. quaſt 41. artic.8. concluſ.2. & 4.* Becan. *de Euchariſt. cap.25. quaſt.13. num.3.* Alphonſus de Leone *de Offic. Capel. quaſt.7. ſect.6.* Machad. *de perfectomb. Confeſſ. tom.2. lib.4. tractat.12. ... docum.2.* Marchin. *de ſacrament. ordin. tractat.3. part.2. cap.10. num.3.* Baunius *part.1. Theol. moral. tract.6. de ſacrific. Miſſ. quaſt.8. dicto 2.* Garz. *in ſum. tractat.3. difficult.1. dub.7. punct.2. num.21.*

5 Dicendum 1. *Sacrificium Miſſæ non remittere per ſe immediatè peccata mortalia cauſando primam gratiam.* Prob. Si ſacrificium Miſſæ remitteret per ſe immediatè peccata homini attrito, pro quo offeratur, Sacramentum pœnitentiæ non eſſet neceſſarium ad ſalutem lapſis poſt Baptiſmum. Hoc autem Hæreticum contra definitionem Concil. Trident. *ſeſſ.14. cap.5.* & *can.6. de pœnitent.* Sequel. prob. Quia lapſi poſt Baptiſmum haberent ex inſtitutione Chriſti aliud remedium, nempè oblationem ſacrificij Miſſæ pro ſeipſis cum diſpoſitione per attritionem. Confirm. Poſſet Sacerdos, quando offert pro ſe ſacrificium, accedere ad celebrandum in peccato mortali cum ſola actione, quia per ſacrificium ei remitteretur peccatum, & non peccaret ita accedendo, quia vteretur medio inſtituto à Chriſto pro remiſſione peccati, ſicut non peccat accedendo ad ſacramentum pœnitentiæ cum ſola actione, & ei remitteretur peccatum ex vi oblationis, antequam ſumeret ſacrificium vt ſacramentum. Hoc autem eſt contra illud præceptum ex ei 1. ad Corinth. cap. ... *Probet autem ſeipſum homo*; & contra Concil. Trident. *ſeſſ.13. can.11. de Euchariſt.* vbi declarat, nec etiam ſufficere contritionem, ſed præmittendam eſſe confeſſionem.

6 Dicendum 2. *Neque per accidens cauſare immediatè primam gratiam, quando offertur pro ijs, qui ſunt tantum attriti, & putant ſe contritos.* Ratio eſt. Quia non poteſt per accidens cauſare primam gratiam, niſi per ſe cauſaret augmentum gratiæ immediatè, vt contingit in ſacramentis viuorum, quæ, quia cauſant augmentum gratiæ, poſſunt per accidens cauſare primam gratiam. Si autem hoc eſſet verum, ſequeretur, quod pro nullo poſſet offerri ſacrificium, niſi eſſet in gratia, & abſque conſcientia peccati mortalis; nec qui haberet conſcientiam peccati mortalis procurare poſſet, quod pro ſe offerreutur ſacrificia, ſed prius deberet ſe expiare per confeſſionem.

7 Confirm. Sacrificium Miſſæ eſſet ex ſua inſtitutione ordinatum ad augendam gratiam ſicut ſunt ſacramenta viuorum, ſi tantùm per accidens cauſaret primam gratiam: & proinde ex ſui natura ſupponeret primam gratiam, ſicuti ſupponunt ſacramenta viuorum, in eo, pro quo offerretur: Ergo non eſſet ordinatum ad delenda peccata, ſicuti nec eſt ordinata Euchariſtia, aut cætera ſacramenta viuorum; nam dum ſupponit primam gratiam ſupponit iam deleta peccata. Hoc autem eſt contra determinationem Concil. Trideot. *ſeſſ.22. cap.1. de ſacrificio Miſſæ*, vbi de hoc ſacrificio habet: *Quo cruentum illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur*, &c. *Atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, peccatorum applicaretur.* Si enim virtus ſacrificij Crucis per hoc ſacrificium Miſſæ applicatur in remiſſionem peccatorum, erit inſtitutum ad ita applicandam virtutem, atque adeò ad delenda peccata.

Dicendum 3. *Sacrificium Miſſæ mediatè tantum delere peccata, quatenus obtinet à Deo pro eo, pro quo offertur, auxilia gratiæ ad reſurgendum à peccato, vel mediante contritione, vel mediante ſacramento.* Deſumitur ex Concil. Trident. *ſeſſ.22. cap.2. de ſacrificio Miſſæ*, vbi determinans, quod hoc ſacrificium ſit propitiatorium, atque adeò remittat peccata, declarat etiam modum, quo remittit. Ita enim habet, *Docet S. Synodus, Sacrificium illud verè propitiatorium eſſe; per ipſumque fieri, vt ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Cum ergo ſacrificium placet Deum, & ipſe dimittat peccata concedendo donum pœniteotiæ, ſacrificium dinittet peccata obtinendo donum pœnitentiæ. 8

Hinc tamen oritur difficultas. Quia non videtur, quomodo ſacrificium obtineat donum pœnitentiæ, dum vt obtineat, requiritur, quod is, pro quo offertur, accedat ad Deum contritus, ac pœnitens, ſi enim eſt contritus, iam ſunt ei dimiſſa peccata, & proinde non requiritur, quod ſacrificium obtineat donum pœnitentiæ. Reſp. Concil. Trident. nomine contriti, ac pœnitentis intelligere contritum imperfectè, nempè attritum; nam attritionem vocat contritionem etiam *ſeſſ.14. cap.4. de ſacrament. pœnitent.* ibi: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur*, &c. Hæc autem attritio, ſeu contritio imperfecta ſufficit, vt reddat pœnitentem. 9

Prob. Sacrificium Miſſæ non poteſt remittere peccata, niſi modo conſentaneo propriæ naturæ, quia modus operandi ſequitur modum eſſendi: Ergo ſacrificium Miſſæ non poteſt immediatè dimittere peccata, ſed tantum obtinendo donum pœnitentiæ. Conſeq. prob. Sacrificium Miſſæ conſiderari poteſt, quà ſacrificium eſt; & quà tale ſacrificium. Primo modo tendit in Deum tanquam proteſtatio excellentiæ ipſius, & dum offertur pro aliquo, iſte fit proteſtatoe diuinæ excellentiæ: vnde ex hoc capite nihil recipit à ſacrificio, ſed dat Deo, & ſeipſum illi ſubiicit. Et propterea ex hoc capite non poteſt immediatè delere peccata, quia nullum dicit reſpectum ad ipſum: deleret autem, ſi deleret, quia importaret vim delendi, vt contingit in ſacramentis. Secundo modo eſt repræſentatiuum ſacrificij Crucis, & applicatiuum virtutis ipſius. Vt repræſentat ſacrificium Crucis non delet peccata, vt per ſe patet. Vt verò applicat virtutem ipſius, non poteſt delere, niſi mediante tali virtute; atque adeò per illud medium, in quo virtus ſacrificij Crucis communicatur; cùm virtus ſacrificij Crucis ſit quid generale in ordine ad omnia quæ concernunt noſtram ſalutem. Virtus autem ſacrificij Crucis ſe communicat nobis non immediatè, ſed medijs illis donis, 10

quæ

Digitized by Google

quæ nobis obtinet à Deo. Et ideò dum sacrificium Missæ remittit peccata applicando virtutem sacrificij Crucis, quæ nobis obtinet à Deo donum pœnitentiæ, remittit obtinendo hoc donum pœnitentiæ.

11 Dices. Hoc non sufficere, ad saluandum, quod sacrificium remittat peccata. Quia remittere peccata dicit aliquam specialem efficientiam circa remissionem peccatorum, qualis est in sacramentis. Resp. neg. anteced. & ad prob. resp. Remittere peccata non magis dicere efficientiam circa remissionem, quàm quemcunque alium concursum: vnde contritio dicitur remittere peccata, & tamen concurrit solum vt dispositio. Et proinde debet accipi iuxta naturam subiecti, cui, tribuitur: vnde quando dicitur sacrificium remittere peccata, debet verificari solum iuxta naturam sacrificij. Iuxta autem suam naturam non potest immediatè remittere, quia est actio secundum se totam datiua respectu Dei, & ideò solum remittere potest retrahendo à Deo remissionem.

QVÆSTIO 64.

Quomodo sacrificium Missæ sit propitiatorium, cum non remittat peccata, nisi impetrando remissionem.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium, an quatenus remittit peccata sit propitiatorium.*
2. *Sacrificium an sit propitiatorium, quatenus impetrat auxilia ad pœnitentiam.*
   Impetratio & propitiatio sunt diversa.
3. *Sacrificium an propitiatorium quatenus placat Deum, & respicit clementiam.*
4. *Sacrificij propitiatio in quo consistat.*
5. *Sacrificium Missæ appropriat ei pro quo offertur, sacrificium Crucis.*
5. *Propitiatio sacrificij ex Concil. Trident. in quo sita.*
6. *Sacrificium Missæ appropriat ei, pro quo offertur satisfactionem sacrificij Crucis.*
7. *Sacrificium Missæ quomodo propitiatorium.*

1 Difficultas oritur ex modo, quo remittit peccata; si enim remittit solum obtinendo donum pœnitentiæ, non exercet circa remissionem, nisi vim impetratiuam talis doni: & ideò quatenus remittit, erit solum impetratorium, non autem propitiatorium, quod tamen dici non potest, cum sit de fide, quod sit verè propitiatorium, vt definit Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 2. & Can. 3. de sacrificio Missæ.* Et proinde virtus propitiatiua debet esse distincta à virtute impetratiua.

2 Prima sententia asserit sacrificium esse propitiatorium, quatenus determinatè impetrat talia auxilia; nempe in ordine ad donum pœnitentiæ. Ita Suarez *disput. 79. de sacrament. sect. 3.* vers. *Dico quartò.* Vasquez 3. *part. disput. 228. cap. 2.* Dicastil. *tract. 5. de sacrament. disp. 3. de sacrific. Miss. dub. 1. num. 39.* & alij, qui hoc explicant solum per impetrationem auxilij ad pœnitendum, nec aliud ponunt, quo soluatur propitiatio. Hoc tamen non videtur sufficere ad saluandum, quod sit verè propitiatorium. Nam si impetrat tantum auxilia ad pœnitendum, nullam aliam virtutem exercet prætet impetratiuam, quæ non definit esse talis ex eo, quod sit circa talem rem. Quod autem sacrificium sit propitiatorium importat virtutem veluti specie diuersam, sicut etiam quod sit satisfactorium est quid distinctum ab impetratione. Accedit, quod hoc sacrificium habet omnes prærogatiuas veterum sacrificiorum, vt habet Concil. Tridentin. *cap. 1. in fine de sacrific. Miss. sess. 22.* Esse autem propitiatorium erat distincta prærogatiua, & constituebat sacrificum diuersum ab aliis.

Itaque alij volunt, esse propitiatorium, quatenus respicit diuinam clementiam, & tendit ad placandum Deum peccatori. Esse verò impetratorium, quatenus respicit diuinam liberalitatem. Ex eo autem quod Deus placatur, vtitur misericordia, & dimittit peccata concedendo donum pœnitentiæ. Ita Ioan. Lugo *De Eucharist. disput. 19. sect. 9. num. 141.* Garzia *in sum. tract. 3. de sacrific. Miss. difficult. 1. dub. 7. punct. 1. num. 25.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 8. quæst. 3. num. 28.* Sed adhuc remanet explicandum, quid sit placare Deum, nam non videtur esse quid distinctum ab impetratione doni pœnitentiæ. Si enim sacrificium impetret auxilia ad pœnitendum placatur Deus, quia se conuertit ad amandum pœnitentem. Imò quia quamdiù peccator non recedit à peccato per pœnitentiam est obiectum odij, & ita prius est dari auxilia ad pœnitendum, quam placari Deum: & ideò sacrificium Missæ prius impetrare debebit hæc auxilia, quàm placet. 3

Dicendum est. *Sacrificium Missæ per id constitui in esse propitiatorio, quod repræsentet Deo sacrificium Crucis applicatum illi, pro quo offertur sacrificium Missæ atque adeò etiam sanguinem Christi fusum pro remissione peccatorum ipsius, & proinde exigentem remissionem peccatorum, atque adeò auxilia, & donum pœnitentiæ pro eo, pro quo offertur.* Prob. Sacrificium Crucis fuit à Christo oblatum Deo pro satisfactione generis humani in communi, & remissione peccatorum, atque adeò ad placandum Deum hominibus: Ergo applicatum huic, vel illi est pro satisfactione peccatorum ipsius, atque remissione, & ad plancandum Deum ipsi. Sed per sacrificium Missæ applicatur: Ergo sacrificium Missæ applicando sacrificium Crucis satisfacit pro peccatis illius, pro quo offertur, & Deum illi placat: Ergo sacrificium Crucis sic illi applicatum exigit à Deo auxilia, & donum pœnitentiæ tanquam satisfactiuum pro peccatis illius, & placatiuum eiusdem Dei. Anteced. est de fide, & docetur à Tridentino *sess. 22. cap. 1. de sacrific. Miss.* Conseq. prima patet quia dum alicui applicatur, exercet respectu ipsius suam efficaciam, & proinde illam efficaciam, quam haber in communi respectu totius generis humani appropriat illi cui applicatur. Quod autem per sacrificium Missæ applicetur sacrificium Crucis, & virtus ipsius, traditur à Concil. Trid. *sess. 22. cap. 1. de sacrific. Miss.* 4

Atque hoc totum tradit Concil. Trid. *ead. sess. 22. cap. 2.* Si rectè ponderetur, ait namque. *Huius* (sacrificij) *quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit. Vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit. Sola offerendi ratione diuersa.* Si enim Deus dimittit peccata concedendo donum pœnitentiæ placatus oblatione huius sacrificij oportet, quod hoc sacrificium habeat vim placandi Deum. Non potest autem Deum placare huic peccatori determinato, nisi media satisfactione pro ipsius peccatis: & non potest satisfacere, nisi applicet commune satisfactiuum, nempe sacrificium Crucis; & proinde idem Concilium 5

ead. 22. *sess. cap.* 1. *de sacrific. Missæ.* Docet. Quod sacrificium Missæ sit applicatiuum sacrificij Crucis, & virtutis ipsius in remissionem peccatorum. Et *c.* 2. assignans rationem, cur Deus hoc sacrificio placetur, & concedat donum pœnitentiæ, reducit in identitatem hostiæ, & offerentis cum sacrificio Crucis, ait enim. *Vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens, &c.* Quibus significat, totum hoc fieri virtute sacrificij, quatenus repræsentatiui, & applicatiui sacrificij Crucis; in quo cùm contineatur condigna satisfactio, exigit concedi auxilia, & donum pœnitentiæ.

6 Confirm. Per sacrificium Missæ applicatur virtus sacrificij Crucis in remissionem peccatorum, vt habet Concilium Tridentinum, *sess.* 22. *cap.* 1. *de sacrificio Missæ.* Hæc autem applicatio non potest esse in communi in ordine ad omnes peccatores, quia tali pacto fuit applicatum à Christo in Cruce, cum ipsum obtulerit pro peccatis totius generis humani: Ergo applicabitur speciali modo pro eo, pro quo offertur sacrificium; nam eo ipso, quod applicatur sacrificium, appropriatur etiam quicquid inest sacrificio; inest autem applicatio virtutis sacrificij Crucis in remissionem peccatorum: Ergo appropriatur ipsi virtus sacrificij Crucis, quatenus est satisfactiuum pro iniuria, quia hoc modo est in remissionem peccatorum: Ergo exigit remitti offensam, atque adeò auxilia in ordine ad donum pœnitentiæ.

7 Ex dictis colligitur, Quomodo sacrificium Missæ sit verè propitiatorium, vt habet Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 2. *de sacrific. Missæ.* Nam est propitiatorium eo modo, quo est sacrificium Crucis. Nam cùm hoc propitiatorium fuerit, quatenus obtulit pretium pro satisfactione peccatorum, quoad offensam, generis humani, itavt etiam superabundanter satisfecerit remanet hoc pretium applicandum determinatè, & in specie huic, vel illi. Hoc autem præstat sacrificium Missæ, nam tanquam applicatiuum virtutis sacrificij Crucis, applicat eiusdem valorem, seu pretium pro satisfactione peccatorum illius, pro quo offertur, & hoc pacto satisfacit Deo, & mediante dono pœnitentiæ obtinet remissionem peccatorum. Et proinde est propitiatorium. Ex quo confirm. Posita explicatio, nam cùm hoc sacrificium sit idem cum sacrificio Crucis, cùm sola ratione offerendi diuersa, debet esse propitiatorium eo modo, quo est sacrificium Crucis: hoc autem est propitiatorium exhibendo satisfactionem pro peccatis.

QVÆSTIO 65.

An effectus remittendi peccata modo explicato sit ex opere operato.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium an remittat peccata ex opere operato. Qui negent.*
2. *Qui asserant.*
3. *Sacrificium Crucis efficacius ad emundandas conscientias, sacrificiis legis ad tollendas immunditias legales.*
4. *Sacrificium Missæ remittit peccata independenter ab offerente.*
5. *Sacrificium Crucis ex opere operato obtinuit remissionem peccatorum.*
6. *Sacrificium Missæ ex institutione sua delet peccata.*
7. *Quæ conferuntur ex opere operato an statim conferantur.*
8. *Effectus remissionis peccatorum per sacrificium vtitur tacita promissione.*

CVm remittantur peccata per sacrificium Missæ mediis auxiliis, & dono pœnitentiæ concessis intuitu ipsius, difficultas est, an hæc auxilia & donum pœnitentiæ proueniant ex opere operato. Prima sententia docet. Auxilia, & donum pœnitentiæ non esse effectum huius sacrificij ex opere operato. Ita Suarez *de sacrament. disput.* 79. *circa finem.* Filliuc. *tract.* 5. *de Eucharist. num.* 61. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 14. & alij, qui volunt non conferri infallibiliter, & ad effectum ex opere operato requiri infallibilitatem. Prob. Quando effectus est ex opere operato, sequitur statim ad applicationem medij. Sed saltem non statim ad oblationem sacrificij Missæ pro aliquo sequuntur auxilia, & donum pœnitentiæ, cum pluries non sequatur, aut saltem non statim conuersio. Confirm. Quia non nititur hic effectus sola promissione. 1

Secunda sententia asserit esse effectum ex opere operato. Ita Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 15. *num.* 1. Bellarm. *lib.* 2. *de Missa, cap.* 4. *propos.* 3. Vasquez 3. *part. disp.* 229. *cap.* 2. *num.* 12. Coninch. *de sacram. quæst.* 83. *art.* 2. *dub.* 8. *num.* 13. Auersa *de Eucharist. quæst.* 11. *sect.* 6 ver. *Dicique potest.* Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 20. *quæst.* 1. Amicus *tom.* 7. *Curs. theol. disp.* 33. *de sacrific. Missa sect.* 5. *num.* 143. *&* 150. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 4. *quæst.* 3. *num.* 16. Ruterus *de fruct. & applicat. sacrific. Miss. lib.* 1. *disp.* 2. *quest.* 1. *dub.* 3. *num.* 14. Isambert. 3. *part. disp.* 6. *de sacrific. Missæ art.* 2. *propos.* 2. 2

Dicendum est. *Sacrificium Missæ conferre auxilia, & donum pœnitentiæ in ordine ad remissionem peccatorum ex opere operato.* Desumitur ex Epist. *ad Hebr. cap.* 9. Vbi Apostolus comparat sacrificium Crucis cum sacrificiis veteris legis, & docet sacrificium Crucis esse efficacius ad emundandas conscientias à peccatis, quam fuerint illa ad tollendas immunditias carnis. Ita enim habet. *Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinus vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis* (nempe peccatis, vt explicant Patres) *ad seruiendum Deo viuenti.* Sacrificia autem veteris legis purgabant immunditias carnis ex opere operato, & proinde etiam sacrificium Crucis, eodem modo purgabit peccata. Cùm autem sacrificium Missæ applicet virtutem sacrificij Crucis in remissionem peccatorum, vt habet Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. *de sacrific. Miss.* Et proinde virtute sacrificij Crucis emundet à peccatis, eodem modo, nempe ex opere operato, emundabit. 3

Probatur. Sacrificium Missæ habet remittere peccata ex natura sua independenter ob omni influxu offerentis, itavt efficacia ipsius nullo modo ab ipso dependeat: Ergo habet remittere ex opere operato, nam quod potest ex se independenter à ministro, potest ex vi suæ institutionis, atque adeò habet suam efficaciam à Christo. Antecedens probatur. Sacrificium Missæ applicat virtutem sacrificij Crucis in remissionem peccatorum illius, pro quo offertur, atque adeò satisfactionem pro ipsis: Ergo ex natura sua habet remittere peccata exigendo auxilia, & donum pœnitentiæ; quia posita satisfactione, præsertim acceptata intuitu satisfactionis, tenetur Deus dare auxilia, & donum pœnitentiæ. 4

Confirm.

5 Confirm. Sacrificium Crucis ex opere operato obtinuit hominibus remissionem peccatorum: Ergo etiam sacrificium Missæ. Conseq. prob. Quia sacrificium Missæ est idem quoad substantiam cum sacrificio Crucis; est enim eadem hostia numero, & idem offerens principalis, & sola est diuersa ratio offerendi, quia in vno fit oblatio cruenta, in alio incruenta, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 2. de sacrific. Miss.* Vnde cum virtus sequatur substantiam sacrificij, si in vno est ex opere operato ad delenda peccata, erit etiam in alio.

6 Confirm. 2. Ex eo, quod hoc sacrificium sit idem cum sacrificio Crucis secundum substantiam infert Concil. Trident. *sess. 22. cap. 2. de sacrific. Miss.* Quod pro peccatis iuxta Apostolorum traditionem offertur: Ergo habet ex sui institutione iuxta dictam traditionem, quod deleat peccata. Quod autem conuenit ex vi institutionis, conuenit ex opere operato.

7 Ad fundamentum in oppositum respond. Falsum esse, quod omnia, quæ conferuntur ex opere operato, conferantur statim ad applicationem medij. Vt constat in auxiliis, quæ conferunt sacramenta in ordine ad suos peculiares fines. Si confirmatio ex opere operato confert auxilia ad profitendam fidem, & tamen solum confert, quando occasio exigit confessionem. Eucharistia confert auxilia ad perseuerandum, sed tunc, quando vrget tentatio, & occasio cadendi. Vnde licèt sacrificium Missæ non conferret statim auxilia ad pœnitendum, non tamen sequitur, quod non conferret ex opere operato. Deinde aut statim confert, aut paulò pòst tempore opportuno, quando superuenit debita dispositio. Confert tamen statim ius ad talia auxilia habenda.

8 Ad Confirm. Hunc effectum niti tacita promissione, quod sufficit, vt sit ex opere operato. Nam nititur institutione Christi, qua ita instituit hoc sacrificium, vt ordinaretur ad delenda peccata modo supra explicato, vt habetur ex Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1. de sacrific.* Quatenus docet, quod per hoc sacrificium applicatur virtus sacrificij Crucis in remissionem peccatorum. In hac autem institutione inuoluitur tacita promissio, quia eo ipso, quod instituit pro remissione peccatorum, tacitè se obligauit ad operandam hanc remissionem, & dedit sacrificio virtutem, seu instituit, vt esset applicatiuum sacrificij Crucis in hunc effectum, quod sufficit, vt sit ex opere operato.

QVÆSTIO 57.

An hæc auxilia, & donum pœnitentiæ habeantur infallibiliter ex sacrificio Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Missæ an infallibiliter conferat auxilia ad pœnitentiam. Qui negent.*
2. *Qui asserant.*
3. *Sacrificium Missæ continet incruentam effusionem sanguinis in remissionem peccatorum.*
4. *Applicat cum effectu virtutem sacrificij Crucis pro remissione peccatorum.*
5. *Auxilia ad pœnitentiam exhibita in virtute sacrificij Crucis sunt infallibilia.*
6. *Sacramenta cur conferant suos effectus infallibiliter.*
7. *Christus petens à Patre, quod concernit remissionem peccatorum, obtinet infallibiliter.*
8. *Sacrificium Missæ æquè propitiatorium, ac satisfactorium.*
9. *Cur non omnibus pro quibus offertur sacrificium remittantur peccata.*
10. *Quod confertur infallibiliter non est semper certum & determinatum.*
10. *Perseuerantia quomodo sit effectus Eucharistiæ.*
11. *Auxilia pro remissione peccatorum, vt sunt effectus sacrificij, an possint differri.*

PRima sententia negat, sequi infallibiliter hæc auxilia, & donum pœnitentiæ ex sacrificio Missæ. Ita 1
Duran. *in 4. dist. 12. quæst. 4. num. 5.* Corduba *lib. 1. q. 3. oper. 4.* Canus *de locis Theologicis lib. 12. cap. 23. ad 9.* Sotus *in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 7.* ver. *Sed percunctaris.* & *dist. 13. quæst. 2. art. 1.* ver. *Tertiò consequuntur.* Tolet. *lib. 2. c. 6.* ver. *Confert etiam.* Vasquez *3. part. disp. 228. cap. 3. num. 21.* & *disp. 229. cap. 2. num. 15.* Suarez *de sacrament. disp. 79. sect. 3.* ver. *Hac resp.* Facundez *precep. 1. Eccles. lib. 4. cap. 1. num. 12.* Dicastil. *de sacrament. tract. 5. disput. 3. de sacrific. Miss. dub. 1. num. 22.* Filliuc. *tract. 5. num. 61.* Martinon. *disp. 39. de Eucharist. sect. 1. n. 5.* Qui tamen oppositum putat probabile. Nugnus *3. part. quæst. 83. art. 1. dub. 4.* Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp. 3. de sacrific. difficult. 1.* ver. *Addimus* Petrus Ledesma *part. 1. sum. cap. 17. de Euchar. conclus. 11.* Bann. *tom. 1. Theol. moral. quæst. 8. de sacrific. Missæ,* ver. *Deo & soli.* Ioan. Baptist. de Bert. *de sacrific. Missæ, quæst. 8. dub. 3.* Prob. Quia experientia constat quod non omnes, pro quibus offertur sacrificium habent hæc auxilia, & donum pœnitentiæ. Confir. Effectus infallibilis est determinatus quoad numerum, perfectionem, & certam dispositionem recipientis. Hic autem non est talis, quia interdum datur vni, interdum multis, & aliquando obstinatissimo, & minus disposito. Confirm. 2. Non constat de aliqua promissione de his auxiliis. Confir. 3. Non minus est effectus Eucharistiæ perseuerantia, quàm sit pœnitentia sacrificij: perseuerantia autem non est infallibilis.

Secunda sententia docet infallibiliter conferri. 2
Ita Gabr. *in Can. Miss. lect. 26. littera G.* Sotus *lect. 7. de Eucharist. §. Primum non est.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 12. num. 2.* & *cap. 15. num. 1. in fine.* Aragon. *2. 2. quæst. 85. art. 3. dub. de valore Miss.* ver. *Tertiò est aduertendum,* Valent. *tom. 4. disput. 6. quæst. 11. punct. 1 quæst. tunc. 4.* Bellarm. *lib. 2. de Missa cap. 4. propos. 3.* ver. *Tertium est.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 20. quæst. 2.* ver. *Deinde sciendum.* Coninch. *de sacram. quæst. 83. art. 1. dub. 8. num. 138.* Auersa *de Eucharist. quæst. 11. sect. 6.* ver. *Dicique potest.* Franciſc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 4. quæst. 3. num. 31.* Machad. *de perfect. Confess. lib. 4. part. 1. tract. 12. docum. 2.* Garzia *in sum. tract. 3. de Eucharist. difficul. 1. dub. 7. punct. 2. num. 27.* Marchin. *de sacrament. Ordin. tract. 3. part. 2. cap. 10. num. 6.* Ruteus *de fruct. & valore Miss. lib. 1. disput. 2. quæst. 1. dub. 3. num. 16.* Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disput. 33. de Eucharist. sect. 5. num. 143.* Layman. *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. cap. 1. num. 7.* Isambert. *3. part. disput. 6. de sacrific. Miss. art. 2.* ver. *Respon. ea, quæ.* Mætat. *tom. 3. disput. 37. de Eucharist. sect. 10.* ver. *Qua licèt ita sint.* Quartus *in Rubr. Missal. in Append. quæst. 2. punct. 4.* ver. *Secunda sententia.* Leander. *de sacrament. tract. 8. disput. 3. quæst. 4.* Volunt enim sacrificium, quantum est de se, afferre infallibiliter hæc auxilia, & solum ex incapacitate subiecti frustrari. Non conueniunt tamen, an hæc auxilia sint efficacia, an verò solum sufficientia: sed de hoc infrà.

Dicendum est. *Sacrificium Missæ non solum ex opere operato, sed etiam, quantum est de se, infallibiliter dare auxilia ad pœnitendum in ordine ad remissionem peccatorum.* Desumitur ex verbis consecrationis Calicis ibi. *Qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Quæ etiam significant incruentam effusionem in remissionem 3

remissionem peccatorum quæ proinde fit in omni sacrificio, quantum est ex vi ipsius, sicuti etiam sæpè explicatur. Et ideò Alex. 1. *Epist. Decret. cap.* 4. Assignans causas, cur hæc verba posita sint in consecratione Calicis, ait, *Crimina enim, & peccata oblatis his Domino sacrificiis, delentur.* Et Ambr. *lib. 4. de sacrament. cap. 6.* explicans eadem verba, habet. *Si quotiescumque effunditur sanguis Christi in remissionem peccatorum sumitur, debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata dimittantur.*

4 Probat. Sacrificium Missæ ex sua institutione habet, quod applicet virtutem sacrificij Crucis in remissionem peccatorum, vt habet Concil. Trid. *sess. 22. cap. 1. de sacrif. Miss.* Ergo semper applicat. Ergo infallibiliter obtinet auxilia in ordine ad pœnitentiam. Conseq. prob. Quia cum sacrificium Missæ, semper sit tale, quale fuit institutum, semper etiam exercet, quæ sibi conueniunt ex vi institutionis; quia pertinet ad essentiam ipsius esse tale, quale est institutum, & ideò non potest in hoc variari. Conseq. 2. probat. Nam, vt ait Concilium, virtus cruenti sacrificij applicatur per hoc in remissionem peccatorum; non potest autem applicari in remissionem, nisi interueniant auxilia, quibus homo pœniteat. Aliud est enim quod possit applicare, & aliud, quod applicet. Concil. autem dicit, quod applicat; & proinde hæc virtus de facto debet impendi pro remissione. Non potest autem impendi, nisi in vita ipsius impendantur, & applicentur ea media, quibus remittuntur peccata: Ergo ex natura sacrificij impenduntur infallibiliter, quia semper sacrificium operatur effectus, qui illi conueniunt ex sua institutione. Præsertim quia cum sacrificium.

5 Confirm. Auxilia, quæ dantur in ordine ad pœnitentiam in virtute sacrificij Crucis, sunt infallibilia respectu eorum, quibus applicatur à Christo pro iis obtinendis virtus suæ passionis: nam talis specialis applicatio, facit, quod virtus passionis sit efficax ad ea obtinenda. Sed per hoc sacrificium, applicatur à Christo virtus propriæ passionis ad obtinenda auxilia ad pœnitentiam illi, pro quo offertur: Ergo. Min. prob. Sacrificium applicat virtutem sacrificij Crucis, atque adeò passionis Christi in remissionem peccatorum. Et Christus tanquam principalis offerens vtitur sacrificio ad applicandam talem virtutem illi, pro quo offertur, nam oblatio pro aliquo, facit quod sacrificium sit ipsi addictum quoad suos effectus.

6 Confirm. 2. Quia sacramenta sunt instituta ad dandam primam gratiam, aut ad augendam in ordine ad speciales fines, semper, & infallibiliter conferunt hunc effectum, nisi reperiant obicem: Ergo cum sacrificium sit institutum ad remittenda peccata mediis auxiliis, semper, & infallibiliter conferet, nisi reperiat obicem. Et ratio communis est. Quia non possunt non operari, nisi prout sunt determinata ad operandum ex vi propriæ institutionis, & ideò quæ habent operari ex vi propriæ institutionis, operantur infallibiliter, alioquin si aliquando non operarentur, non desinerent operari secundum mensuram propriæ institutionis, & non essent amplius talia, qualia sunt instituta. Quod autem sacrificium sit institutum ad remittenda peccata constat tum ex natura sacrificij vt sit, quod pro peccatis offertur ad Hebr. 5. Tum quia hoc sacrificium est institutum vt offeratur pro peccatis, & est verè propitiatorium, vt definit Concil. Trident. *sess. 22. cap. 2. de sacrif. Miss.* & *Can.* 3. Tum quia per ipsum applicatur virtus sacrificij Crucis in remissionem peccatorum, vt habet idem Concil. *cap.* 1.

7 Confir. 3. Quando Christus in virtute propriæ passionis, petit à Patre aliquid pro determinata persona, quod concernat remissionem peccatorum, obtinet infallibiliter, quia effusione sanguinis meruit, & fecit, sibi debitam remissionem peccatorum generis humani. Et dum specialiter petit exerceri cum aliquo id quod per passionem meruit, exauditur à Deo infallibiliter, nam & hoc per passionem suam meruit: vnde ad Hebr. 5. dicitur; *Exauditus est pro reuerentia sua.* Sed quando pro aliquo offertur sacrificium Missæ Christus petit à Patre in virtute propriæ passionis auxilia in ordine ad remissionem peccatorum specialiter pro ipso. Nam Christus est principalis offerens, & ex determinatione Sacerdotis offert pro eo, pro quo offert Sacerdos; offerre autem sacrificium, pro aliquo est petere pro ipso effectus sacrificij, seu quod sacrificium ipsi proficiat secundum suam institutionem. Rursus etiam petit in virtute propriæ passionis, quia sacrificium Missæ est repræsentatiuum sacrificij Crucis, & applicat virtutem ipsius.

Confirm. 4. Quia sacrificium Missæ est institutum ad obtinendam relaxationem pœnarum, quæ sunt debitæ peccatis, causat hunc effectum infallibiliter, si non reperiat obicem: Ergo cum etiam sit institutum ad remittenda peccata causabit infallibiliter etiam hunc effectum, quia ita est propitiatorium sicut etiam est satisfactorium; & sicut habet ex vi suæ institutionis, & naturæ vt sit satisfactorium, ita etiam habet, quod sit propitiatorium. Quod si non causaret infallibiliter, non esset proprium ipsius, esse propitiatorium. Quod enim proprium est, semper conuenit, & inseparabiliter, & ideò debet semper hoc sacrificium operari vt propitiatorium, atque adeò infallibiliter. 8

Ad fundamentum in oppositum resp. Non omnes, pro quibus offertur hoc sacrificium, recipere hæc auxilia, quia aut adest positiuus obex nempe voluntas volens perseuerare in malo; aut non sunt dispositi ad ea recipienda: requiritur enim certa dispositio, vt infra suo loco explicabitur: Adde etiam quod cum semper effectus extrinsecus appareat, non possunt hæc auxilia obseruari. Ad confirmat. neg. assumptum; nam etiam gratiæ sacramentales conferuntur infallibiliter, & tamen non sunt certæ, & determinatæ quoad perfectionem, & numerum. An autem possit hoc sacrificium causare hunc effectum pro pluribus, si pro pluribus offeratur, pendet ex eo, an æquè possit si pro pluribus, ac si pro vno tantum offeratur, de quo infra. 9

Ad 2. Confirm. Vt hic effectus sit infallibilis, non requiri promissionem superadditam institutioni, sed sufficere institutionem, quod scilicet institutum sit ad remittenda peccata, quia ex hoc præcisè habet annexam obligationem diuinam. De hac autem institutione constat ex dictis. Ad 3. confir. Esse diuersam rationem de perseuerantia respectu Eucharistiæ; quia Eucharistia non ordinatur ad hanc nisi quatenus est antidotum præseruatiuum à peccatis mortalibus, vt habet Concil. Tridentin. *sess. 13. cap. 2. de Eucharistia*; & proinde imitatur naturam remedij præseruatiui, quod non semper obstat cuicumque morbo, sed etiam solet vinci. Et ideò ordinatur solum ad aliqua auxilia vltra ordinaria in ordine ad præseruationem à peccato; quæ tamen infallibiliter conferuntur. At sacrificium Missæ est absolutè propitiatorium, & applicat satisfactionem pro offensa peccati sumptam ex passione Christi: & ideò debentur illi infallibiliter auxilia in ordine ad remissionem peccatorum. 10

Ex dictis colligitur. Quod si sacrificium non reperiat subiectum dispositum, non obtinebit ipsi tanquam propitiatorium hæc auxilia. Quia tamen potest obtinere vt impetratorium, fieri potest, quod impetret 11

petret

petret sed pro tempore futuro. Et ideò fieri potetit quod remissio peccatotum, solum contingat tempore mortis. Cùm etiam oon statim impetratio sortiatur suum effectum, imò nec habeat tempus determinatum, sed pendeat ex voluntate Dei, potest ex occulto suo iudicio differre hæc auxilia vsque ad tempus mortis. In quo imitatur sacrificium Crucis, quod licèr oblatum sit pro remissione peccatorum, & hominum salute, attamen etiam quoad prædestinatos non operatur semper statim ab initio vitæ ipsorum, sed aliquando differtur effectus vsque ad tempus mortis.

QVÆSTIO 67.

An auxilia, quæ confert sacrificium Missæ in ordine ad remissionem peccatorum, sint efficacia.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium confert saltem auxilia specialia pro remissione peccatorum.*
2. *An sint semper efficacia. Et qui asserant.*
3. *Qui negent.*
4. *Sacrificium obtinet auxilia ad pœnitentiam: sed non disponit ad obtinenda.*
5. *Per sacrificium inuenimus gratiam Dei. Sacrificio placatur Deus.*
6. *Ex vi sacrificij Deus concedit donum pœnitentiæ.*
7. *Conditionalis oratio deficiente conditione negat, quod affirmat ea posita.*
8. *In sacrificio Christus exhibet suam satisfactionem in particulari pro eo, pro quo offertur.*
9. *Deus tenetur cooperari effectui sacrificij.*
10. *Deus non potest non acceptare satisfactionem exhibitam per sacrificium.*
11. *Peccatores, pro quibus offertur sacrificium cur non semper conuertantur.*
12. *Placatio Dei per sacrificium an fiat per partes.*
13. *Sacrificium quomodo applicet satisfactionem pro offensa.*

1 COnueniunt omnes, quod hoc sacrificium conferat ad minùs aliqua auxilia specialia, quæ aliàs non darentur; alioquin si darentur tantum ordinaria, non haberent aliquem effectum, nec esset propitiatorium, quia nihil speciale operarentur circa remissionem peccatorum. Vnde hoc tàm certum est, quàm est certum quod sit propitiatorium. Solum difficultas est, an hæc auxilia sint efficacia, an verò tantùm sufficientia.

2 Prima sententia docet; Non semper esse efficacia, sed aliquando solum sufficientia. Ita Suarez *de sacrament. disput. 7. sect. 3. in fine.* Coninch. *quæst. 83. artic. 1. dub. 8. num. 140.* Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 4. cap. 2. num. 18.* Bonac. *disput. 4. de sacrament. quæst. vltim. part. 3. num. 4.* Gaspar. Hurtad. *disput. 5. de sacrificio Missæ, difficult. 1.* ver. *Addimus.* Quartus *in Rubr. Missal. in Append. quæst. 2. part. 3.* ver. *Neque secundò.* Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disput. 33. sect. 5. num. 145.* Mærat. *tom. disput. 37. de Eucharist. sect. 10.* ver, *Et quidem.* Ruteans *de valore sacrific. lib. 1. disput. 2. quæst. 1. dub. 2. num. 9.* Fundamentum est: quia experientia constat, quod non semper conuertuntur ij, pro quibus offertur sacrificium, quod non contingeret, si auxilium semper esset efficax. Confirm. Auxilium istud datur dependenter à libertate, quæ potest facere, quod frustretur.

3 Secunda sententia asserit, hoc auxilium esse semper efficax, quoad eos, qui sunt dispositi. Desumitur ex D. Thom. *in 4. distinct. 12. quæst. 2. artic. 2. quæstione 2. ad 4.* Vbi ita habet loquens de Eucharistia quatenus sacrificio. *Sed in quantum est sacrificium, effectus etiam habet in aliis, pro quibus offertur, in quibus non praexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantum. Et ideò si eos dispositos inueniat, eis gratiam obtinet, & per consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis impetrat.* Vbi est notandum, quod dicit, quod in dispositis delet peccata, obtinet gratiam, & impetrat contritionem. Cùm autem non possit obtinere contritionem in actu, & delere peccata, nisi interueniat gratia efficax, oportet, quod obtineat auxilia efficacia, quia si obtineret tantum sufficientia, frustrarentur suo effectu, & sacrificium quoque frustraretur quoad effectum remissionis peccatorum, & non esset verum, quod sacrificium deleret peccata, & impetraret gratiam contritionis; sed solum, quod impetraret aliqua auxilia pro contritione, & remissione peccatorum.

4 Dicendum est. *Sacrificium Missæ conferre dispositis auxilia efficacia ad pœnitentiam in ordine ad remissionem peccatorum.* Pro quo est aduertendum, quod aliud est conferre auxilia efficacia in ordine ad pœnitentiam supposita dispositione in subiecto; & aliud conferre auxilia ad disponendum subiectum. Primum modò asseritur, non autem secundum. Quia licèt sacrificium Missæ possit impetrare auxilia in ordine ad hanc dispositionem, non tamen hoc facit quatenus propitiatorium, sed solum quatenus impetratorium, atque adeò non ad obtinendam remissionem per illud ipsum, sed per aliud sacrificium, quod posteà offeratur.

5 Desumitur ex Concil. Trident. *sess. 22. cap. 2. de Eucharist.* vbi habet. *Docet sancta Synodus sacrificium illud verè propitiatorium esse: per ipsumque fieri, vt si cum verò corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Et huius rei reddit rationem, quia hæc oblatio est eadem cum oblatione Crucis, sola offerendi ratione diuersa. Hîc autem plura ponderanda sunt. Et primò, quod absolutè dicit, quod per hoc sacrificium fit, quod gratiam inueniamus, & misericordiam: non inuenimus autem gratiam, nisi medio auxilio efficaci. Secundò, quod huius sacrificij oblatione placatur Dominus; non placatur autem nisi det auxilia efficacia, quia non placatur, nisi iram deponat, & non deponit quousque non remittat peccata, & non dimittit, nisi medio auxilio efficaci.

6 Tertiò dicit, quod concedit donum pœnitentiæ, & peccata dimittit, donum autem pœnitentiæ non habetur, nisi interueniente gratia efficaci. Nec dici potest, quod ita doceat Concilium, quia aliquando hæc præstet medio auxilio efficaci. Tum quia Concilium absolutè, & indefinitè loquitur, quod in materia dogmatica habetur pro loquutione vniuersali. Tum quia definit propitiatorium esse, & ex eo, quod sit propitiatorium deducit hos effectus: vnde cum ex sui natura sit propitiatorium, debet semper hos effectus præstare, nisi reperiat obicem, cum semper vim propitiatiuam exerceat. Tum quia reddit rationem horum effectuum, quia sit

idem sacrificium cum sacrificio Crucis, quæ ratio militat semper, & cum semper habeat eamdem efficaciam, semper etiam præstabit eosdem effectus.

7 Quartò debet attendi modus loquendi Concilij conditionatus. Inquit enim sacrificium operari dictos effectus, *si cum vero corde, & recta fide; cum metu, & reuerentia contriti ac pænitentes ad Deum accedamus.* Quibus docet, sacrificium conferre dictos effectus interueniente conditione illius dispositionis. Cùm autem conditionalis oratio neget, & excludat vniuersaliter deficiente conditione, ita affirmat, & includit vniuersaliter ea existente, vt obseruant Angel. *Consil.* 373. *circa fin.* Craueta *Consil.* 344. *num.* 4. Non possunt autem concedi donum pœnitentiæ, & dimitti peccata, nisi interueniente auxilio efficaci ad hos effectus ordinato.

8 Prob. Per sacrificium Missæ applicatur virtus sacrificij Crucis à Christo tanquam principali offerente, atque adeò applicante ipso tanquam causa principali virtutem sacrificij Crucis. Ergo quando offertur pro aliquo in ordine ad remissionem peccatorum obtinet illi auxilia efficacia in ordine ad talem remissionem. Conseq. prob. Per applicationem virtutis sacrificij Crucis, exhibetur Deo sufficiens satisfactio pro peccatis illius fundata in satisfactione Christi, & exhibetur ab ipso Christo tanquam applicante virtutem sacrificij Crucis ad hunc effectum. Ergo stante acceptatione satisfactionis exhibitæ à Christo pro peccatis generis humani non potest Deus non acceptare talem satisfactionem in particulari, dum ab ipso Christo exhibetur: Ergo tenetur placari, & remittere peccata concedendo auxilia efficacia in ordine ad pœnitentiam.

9 Confirm. Quando Christus instituit hoc sacrificium & fecit, quod esset applicatiuum virtutis sacrificij Crucis in remissionem peccatorum interuenit etiam consensus Dei, quia cum remissio peccati spectet ad Deum, non potuit Christus vt homo instituere remedium pro remissione, nisi accedente consensu Dei: Ergo tunc Christus cum consensu Dei passionem suam, quam pro toto genere humano in communi obtulerat, voluit, quod specialiter, prodesset, & determinatè per sacrificium Missæ illi pro quo offerretur ad obtinendam remissionem peccatorum, itavt remedium commune fieret ipsi particulare, & in particulari exhibitum: Ergo stante illo consensu, Deus tenetur concurrere ad effectum sacrificij, itavt sequatur iuxta suam institutionem, atque adeò exhibere auxilia efficacia.

10 Confirm. 2. Quia sacrificium Missæ est institutum ad satisfaciendum pro pœna debita peccatis, obtinet semper hunc effectum, non alia ratione, nisi quia illi, pro quo offertur, applicatur virtus sacrificij Crucis tanquam satisfactiui, & exhibetur Deo, quam non potest non acceptare stante consensu in institutione sacrificij: Ergo neque poterit refutare satisfactionem pro offensa, dum idem sacrificium applicat pro eo pro quo offertur, sacrificium Crucis vt satisfactiuum pro offensa: Ergo non poterit non remittere offensam dando auxilia efficacia in ordine ad pœnitentiam, siquidem concensit in sacrificium quoad omnes effectus, quos habet ex institutione.

11 Ad fundamentum in oppositum resp. non semper conuerti eos, pro quibus offertur sacrificium, quia non semper sunt dispositi, vt possint recipere effectum. Sacrificium autem vt propitiatorium non habet disponere, sed circa dispositum operari. Ad confirm. Licèt auxilium detur in ordine ad cooperationem voluntatis, non tamen si objicitur voluntati, sed ipsum eam sibi subjicit, quia gratia non est pedisequa voluntatis, vt definit Concil. *Arausican.* 2. *can.* 6. Et si auxilium sit efficax, facit infallibiliter voluntatem operari, & proinde non frustratur suo effectu.

Ex dictis colligitur. An hoc sacrificium paulatim placet Deum, itavt prima oblatio incipiat placare, ex parte; secunda verò magis placet, & hic deinceps quousque omninò placetur. Aliquando ita contingere affirmant Lugo *de Eucharist. disp.* 19. *sect.* 9. *num.* 144. Garzia *in sum. tract.* 3. *difficul.* 1. *dub.* 7. *punct.* 2. *num.* 28. Vult autem Lugo quod partialis placatio in eo consistat, quod per primam oblationem ponatur titulus sufficiens, vt si offeratur iterum, aut bis omninò placetur Deus. Vel ex parte esse placatum dicere, quod si negabat Deus ob indignationem auxilia vt octo, & vt quatuor neget solum vt octo. Hæc tamen doctrina difficultatem patitur, & discurrit de Deo, sicut discurreret de homine. Nam Deum placari est deponere indignationem, & odium erga peccatorem; quod fieri non potest durante objecto indignationis, & odij; cùm non possit aliter tendere in obiecta, quàm ipsa sint habilia terminare actus voluntatis diuinæ. Durante autem offensa, & peccato, durat obiectum totalis indignationis, & odij. Neque quod ponatur titulus ad placationem accedentibus aliis oblationibus, facit incipere placationem, quia placatio est indiuisibilis, cùm consistat in eo quod Deus reconciliet sibi peccatorem, quod fieri non potest, nisi totaliter, cum offensa, & peccatum non possint partim remitti, & partim non remitti, & ideò non est eadem ratio de pœna, quia hæc potest partim relaxari, & partim non, cùm sit diuisibilis. Nec quod Deus deneget maiora auxilia, & non minora ob indignationem inducit placationem, quia si in dandis ijs respiceret ad indignationem numquam daret peccatoribus; sed cùm respiciat ad solam misericordiam stante maiori motiuo indignationis, dat vberiora aliquando, quàm det, vbi est minus motiuum indignationis, quia volt vti maiori misericordia.

Itaque cùm offensa aut in totum remitti debeat, aut in totum retineri, quia non potest Deus partim 13
reconciliari, & partim non reconciliari peccatori; Sacrificium Missæ tanquam applicans virtutem sacrificij Crucis in remissionem peccatorum, vt habet Concil. Trident. *sess.* 22. *capit.* 1. *de sacrific. Miss.* Debet applicare adæquatam satisfactionem pro offensa, cum in ordine ad ipsam non possit partim satisfieri, & partim non satisfieri; siquidem si satisfactio non est adæquata, non acceptatur. Vnde si non applicaret adæquatam satisfactionem, non applicaret virtutem sacrificij Crucis, & remissionem peccatorum: Debuit ergo institui vt adæquatè satisfactiuum pro offensa, quia hæc vt remittatur, exigit adæquatam satisfactionem. Et cùm sacrificium Crucis sit abundanter satisfactiuum debuit applicari, vt adæquatè satisfactiuum.

QVÆSTIO 68.

An, & quomodo per sacrificium Missæ remittantur peccata venialia.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Missæ remittit peccata venialia saltem obtinendo auxilia pro remissione.*
2. *Qui sentiant remittere immediatè.*
3. *Qui sentiant oppositum.*
4. *Sacrificium Missæ remittit peccata, sicut sacrificium Crucis.*
5. *Remittit quatenus propitiatorium.*

6. Et

6. *Et quatenus applicat in remissionem virtutem sacrificij Crucis.*

7. *Remissio venialium quomodo effectus proprius sacrificij.*

Quomodo tollat defectus amicorum Dei.

Sacramentalia non remmittunt immediatè peccata venialia.

8. *Sacrificium remittit peccata venialia ex opere operato.*

1 CVm sacrificiom Missæ remittat peccata mortalia modo supra explicato, eodem saltem modo remittet venialia, nempe exhibendo satisfactionem pro offeosa per applicationem satisfactionis sacrificij Crucis, & obtinendo aoxilia, quibus ad pœnitentiam conuertamur saltem virtualem, vnde postea sequatur remissio. Nec aliquid amplius colligitur ex cap. *iteratur*, & cap. *quid sit sanguis*, & cap. *vnum*, de *consecrat. dist.* 2. Quia in his text. solum dicitur, quod hoc sacrificium quotidie offertur, quia quotidie peccamus. Pro quo saluando sufficit, si quocumque modo conferat ad remissionem peccatorum. Neque hi text. necessariò accipi debent de solis peccatis venialibus, nam loquendo in communi, verificator etiam de mortalibus, quod quotidie peccemus, quia non transit dies, in quo plures mortaliter non peccent. Solum difficultas est, an directè, & immediatè remittat venialia ex opere operato.

2 Prima sententia asserit remittere per se, & immediatè peccata venialia ex opere operato. Citantur pro hac sententia nonnulli ex veteribus Doctoribus, sed si rectè perpendantur, non hoc docent. Nec de sacrificio oblato pro aliquo, sed de offerente, & de sacrificio consumato, nempè Eucharistia videtur loqui Canus *lib.* 11. *de locis Theologicis capit.* 13. *ad* 9. ver. *errant deinde*, cui item hæc opinio tribuitur. Ita autem tradunt Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 13. *numer.* 2. & *in com. littera* G. Corduba *in quæst. lib.* 1. *quæst.* 3. *operi.* 3. & *operi.* 4. Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 6. *quæst.* 11. *punct.* 1. *quæst.* 4. §. 21. ver. *Videtur autem*, Petrus Nauar. *lib.* 2. *de rest. cap.* 2. *num.* 354. Marchin. *de sacrament. ordin. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 10. *numer.* 18. Nugnus 3. *par. quæst.* 83. *ar.* 1. §. 3. *par. dub.* 1. Machad. *lib.* 4. *par.* 1. *tract.* 12. *docum.* 2. *in fine.* Filliuc. *tract.* 5. *cap.* 3. *num.* 64. Garzia *in sum. tract.* 3. *de sacrific. Mis. difficul.* 1. *dub.* 8. *punct.* 4. *nu.* 36. Alphonsus de Leone *de Offic. Capel. quæst.* 7. *sect.* 6. *num.* 34. Gabr. à S. Vincentio *de sacrament. disp.* 2. *de sacrific. Mis. quæst.* 2. ver. *Quæres secundò*. Prob. Remissio peccatorum assignatur à patribus tanquam effectus specialis huius sacrificij, & intelligunt de venialibus, cum non possit intelligi de mortalibus: Ergo debet ipsum causare per se immediatè ex opere operato. Confir. Hoc sacrificium est institutum ad tollendos defectus amicorum Dei. Hi autem sunt peccata venialia. Secundò sacramentalia remittunt venialia per se, & immediatè. Ergo à fortiori etiam sacrificium Missæ cum sit maioris virtutis.

3 Secunda sententia docet remittere tantum mediatè obtinendo auxilia, per quæ eliciatur aliquis actus, vnde consequatur remissio venialium. Ita Pighius *lib.* 2. *de Ecclesiast. Hierar. cap.* 5. Lindanus *lib.* 4. *Panoplia cap.* 51. Auila *de tradit. par.* 3. *considerat.* 5. Vasquez 3. *par. disp.* 228. *de sacram. cap.* 3. *num.* 17. Suarez *disp.* 79. *de sacram. sect.* 5. ver. *Sed quamquam*, Facundez *præcep.* 1. *Eccles. lib.* 4. *cap.* 4. *numer.* 4. Laiman *lib.* 5. *Theol. mor. tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 5. Coninch. *de sacrament. quæst.* 83. *ar.* 1. *dub.* 8. *numer.* 136. Tannet. *tom.* 4. *disp.* 5. *qu.* 9. *dub.* 4. *num.* 94. Lessius *de sacram. qu.* 83. *ar.* 1. *dub.* 8. *num.* 42. Gaspar Hurtad. *de sacrament. disp.* 3. *de sacrific. Mis. difficul.* 2. Carpens. *tom.* 2. *Curs. Theol. tract.* 23. *disp.* 2. *sect.* 1. *num.* 4. Dicastil. *de sacram. tract.* 5. *disp.* 3. *dub.* 1. *num.* 31. Amic. *tom.* 7. *Curs. Theol. disp.* 33. *sect.* 6. *num.* 159. Syluius 3. *par. qu.* 83. *ar.* 1. *qu.* 14. Præposit. *dub.* 13. *num* 82. Mæratius *tom.* 3. *disp.* 37. *de Euchar. sect.* 10. ver. *Atque hoc etiam*, Isambert. 3. *par. disp.* 6. *de sacrific. Mis. ar.* 2. *propos.* 1. Roteus *de fruct. & applicat. sacr. Mis. lib.* 1. *disp.* 2. *qu.* 1. *dub.* 4. *num.* 20. Lugo *de Euchar. disp.* 19. *numer.* 152. Martinon *disput.* 39. *de Euchar. sect.* 1. *numer.* 4. Auersa *qu.* 11. *de Euchar. sect.* 6. ver. *Communior tamen*. Bonac. *disp.* 4. *de sacram. qu. vlt. par.* 3. *num.* 5. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 4. *qu.* 4. *num.* 43. Bauni. *par.* 1. *Theol. moral. qu.* 8. *de sacrific. Mis.* Scortia *lib.* 1. *de sacrific. Mis. cap.* 8. *numer.* 3. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disp. vn. punct.* 6. *num.* 6. Quattus *in Rubr. Missal. in Append. q.* 2. *par.* 4. ver. *Secunda ergo*.

4 Dicendum est. *Sacrificium Missa non habere vim remittendi peccata venialia per se, & immediatè, sed tantum mediatè obtinendo auxilia ad aliquem actum, quo mediantè deleantur.* Desumitur ex Trideot. *sess.* 22. *cap.* 2 *de sacrific.* dum habet, quod per hoc sacrificium remittuntur peccata, quatenus Deus eius intuitu concedit donum pœnitentiæ, & assignans rationem cur remittat peccata, subdit. *Vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit.* Cum igitur remittat peccata quia est eadem hostia, & idem offerens cum sacrificio Crucis, non potest alio modo remittere, ac remisit sacrificium Crucis. Hoc autem non remisit immediatè, & per se, sed satisfaciendo Deo pro offensa.

5 Prob. Sacrificium Missæ non potest remittere peccata, nisi quatenùs est propitiatorium; quia ex tali capite remittit omnia peccata. Neque enim alia ratione illi conuenit remittere, quàm per modum sacrificij, & per modum sacrificij non potest remittere, nisi propitiando: Ergo non potest remittere per se, & immediatè, sed solum satisfaciendo Deo pro offensa, & obtinendo auxilia mediante satisfactione in ordine ad remissionem. Conseq. prob. Hoc sacrificium habet totam suam virtutem à sacrificio Crucis, siquidem ipsum repræsentat, & habet eandem hostiam, & eundem offerentem: Ergo non est propitiatorium, nisi quatenùs participat efficaciam propitiatiuam sacrificij Crucis: Ergo non propitiatur, nec alio modo remittit peccata, quam remittat, & propitiatur sacrificium Crucis. Ita autem solum propitiatur satisfaciendo Deo pro offensa, & obtinendo auxilia io ordine ad remissionem mediante pœnitentia.

6 Confirm. Hoc sacrificium remittit peccata applicando in eotomdem remissionem virtutem sacrificij Crucis, vt habet Concil. Trident. *sess.* 22. *capit.* 1 *de sacrific. Miss.* Ergo non potest remittere per se immediatè, cum remittat applicando talem virtutem, atque adeò & modo, quo talis virtus apta est remittere. Non est autem apta remittere, nisi satisfaciendo Deo pro offensa, & obtinendo ab ipso media proportionata pro remissione.

7 Ad 1. resp. Remissionem peccatorum assignari à patribus tanquam effectum proprium huius sacrificij, sed non esse solam remissionem venialium sed etiam mortalium. Est autem vtraque remissio effectus proprios huius sacrificij modo congruenti naturæ ipsius, itavt habent remittere per modum sacrificij, & propitiationis, qui modus facit, quod remissio sit propria huius sacrificij. Ad confirm. Hoc sacrificium esse institutum ad tollendos defectus seruorum, & amicorum Dei, qui sunt peccata venialia, propitiatorio modo, quo est modus congruens naturæ sacrificij. Ad 2. neg. Sacramentalia remittere per se immediatè peccata venialia, sed tantum mediante aliquo actu suscipientis

Ex

8 Ex dictis colligitur. Hoc sacrificium, cum remittat venialia, sicuti etiam remittit mortalia, remittere ex opere operato. Nam cum ex institutione sua sit propitiatorium, & applicans virtutem sacrificij Crucis in remissionem peccatorum, remittit in virtute sacrificij Crucis applicando pro offensa satisfactionem prouenientem à sacrificio Crucis independenter à ministro, & meritis ipsius. Hunc autem effectum non potest sortiri, nisi in homine iusto, cui tantum peccata venialia præcisè possunt dimitti; nam vbi est peccatum mortale, non fit dimissio venialium, nisi etiam dimittatur mortale. An autem pro sola dimissione venialium requiratur aliqua dispositio, explicabitur infrà suu loco.

QVÆSTIO 69.

An in concurrentibus ad oblationem, si dispositio non sit sufficiens pro remissione, suppleat sacrificium remittendo immediatè venialia.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium an suppleat dispositionem, si non sit sufficiens pro remissione venialium in coofferentibus.*
2. *Sacrificium obtinet auxilia ad acquirendum dispositionem pro remissione venialium.*
   Sacrificium peccata remittit solum vt propitiatorium.
3. *Sacrificium vt remittat peccata non debet reperire dispositionem sufficientem.*

1 NOn procedit difficultas de ministris offerentibus, sed de ijs pro quibus offertur, ita tamen vt ipsi concurrant ad oblationem aliquo modo. Prima sententia asserit supplere sacrificium, si dispositio sit insufficiens. Ita Fraxinel. *De obligat. sacer. sect. 3. prapos.* 4. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 20. *quæst.* 4. Rutens *de valor. & applicat. sacrif. lib.* 1. *disp.* 2. *quæst.* 1. *dub.* 4. *num.* 22. Franc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 4. *quæst.* 4. *num.* 43. ver. *Quia tamen.* Fundamentum est. Quia debet hoc saltem tribui sacrificio, cum conueniat etiam sacramentalibus.

2 Dicendum. *Sacrificium Missæ non supplere insufficientiam dispositionis remittendo immediatè per se peccata venialia, sed solum obtinendo auxilia ad sufficientem dispositionem.* Ita ij omnes, qui volunt, remittere tantum mediatè præter citatos, quos in præcedenti *num.* 3. attuli. Prob. Sacrificium ex institutione sua habet remittere peccata solum, quatenùs propitiatorium est: Ergo nunquam remittere potest, nisi mediatè. Antecedens. constat, nam non remittit peccata, nisi quatenùs pro ipsorum remissione offertur, quatenùs autem ita offertur, est propitiatorium. Conseq. prob. Esse propitiatorium non est aliud, quàm esse placatiuum Dei, offerendo congruam satisfactionem pro offensa per applicationem satisfactionis exhibitæ in sacrificio Crucis: Ergo si remittit tanquam propitiatorium, non remittit immediatè sed inducit Deum ad remittendum medijs congruis.

3 Neque fundamentum in oppositum subsistit. Quando enim dispositio est insufficiens obtinet à Deo auxilia pro dispositione sufficienti. Imò vt remittat debet reperire dispositionem insufficientem, quia, si esset sufficiens, in virtute ipsius remitterentur, & sacrificium reperiret remissa. Neque quando dicitur de sacramentalibus subsistit, quia non habent aliquam vim ad directè, & immediatè dimittenda venialia.

QVÆSTIO 70.

An remissio venialium sit effectus infallibilis.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Missæ remittit venialia infallibiliter.*
2. *Infallibiliter operatur in subiecto disposito.*
3. *Per sacrificium remitti possunt aliqua peccata venialia, & alia non remitti.*

QVi volunt remissionem mortalium, seu auxilia in ordine ad ipsam conferri infallibiliter per hoc sacrificium, idem etiam dicent de remissione venialium. Vnde dicendum est. Remissionem venialium esse effectum infallibilem huius sacrificij, si tamen subiectum, sit dispositum. Ita specialiter. Quartus *in Rubr. Missal. in Append. qu.* 2. *part.* 4. *in fine.* Pinel. *de sacrific. Mis. par.* 1. *cap.* 7. *dub.* 2. Suarez *de sacram. disput.* 79. *sect.* 5. *in fine.* Qui tamen hoc limitat quoad eos, qui concurrunt aliquo modo ad oblationem sacrificij, qui habent intentionem formalem vel virtualem, vt pro se offeratur sacrificium in ordine ad obtinendam remissionem, quia tunc habent aliquam dispositionem repugnantem aliquo pacto cum venialibus. Addit tamen iuxta sua principia, hunc effectum non esse propriè ex opere operato. 1

Prob. Sacrificium ex sua institutione habet efficaciam remittendi venialia propitiatorio modo, vt supra explicatum est, applicando virtutem sacrificij Crucis: Ergo quando reperit subiectum dispositum infallibiliter producit suum effectum, quia causa siue physica, siue moralis de se efficax producit infallibiliter suum effectum, si non reperiat obicem, & sit applicata subiecto disposito. 2

Ex dictis colligitur. Fieri posse, quod per hoc sacrificium remittantur solum aliqua peccata venialia, & alia non remittantur; cum enim vnum sine aliò remitti possit, possunt partialiter deleri. Nam vt remittantur tolli debet obex, & poni sufficiens dispositio in subiecto. Contingere autem potest, quod is, pro quo offertur sacrificium in ordine ad remissionem venialium habeat actualem complacentiam circa aliqua, & propositum saltem virtuale non recedendi ab ipsis: per hoc autem ponitur obex remissioni, & effectui sacrificij. 3

QVÆSTIO 71.

An hoc sacrificium conferret iustis augmentum gratiæ.

SVMMARIVM.

1. *Concurrentes aliquo actu ad offerendum, acquirunt augmentum gratiæ, si adsint necessariæ conditiones.*
2. *Sacrificium an causet immediatè augmentum gratiæ.*
3. *Quid si offeratur pro ijs, qui aliquo actu concurrunt ad offerendum.*
4. *Sacrificium non causat directè augmentum gratiæ.*
5. *Sacrificium non offertur pro augmento gratiæ.*

6. Sacrifi

6. *Sacrificium non habet vim causatiuam gratiæ.*
7. *Cur non habeat.*
8. *Sacrificium quomodo causet augmentum gratiæ.*
Ex nobilitate sacrificij non arguitur vis causatiua gratiæ.
9. *In vltima cœna Christi augmentum gratiæ, fuit ex sacramento, non ex sacrificio.*
Martyrium quomodo causet gratiam.
10. *Augmentum gratiæ an effectus infallibilis sacrificij.*
Auxilia pro augmento gratiæ non prærequirunt dispositionem.

1 Difficultas procedit de collatione gratiæ, quatenùs sacrificium est ex opere operato directè, & immediatè quoad eos, pro quibus offertur. Nam certum est, quod si concurrant aliquo actu ad offerendum, possunt in virtute eiusdem actus acquirere augmentum gratiæ, sicut acquirunt per alia opera bona, quia cùm sint in gratia merentur per opera bona augmentum gratiæ, & gloriæ.

2 Prima sententia asserit, causare directè, & immediatè ex opere operato augmentum gratiæ in iustis, pro quibus offertur. Ita Gabr. *in Can. Miss. lect.* 85. *littera R.* Petrus Sotus *lect.* 7. *de Eucharist.* Aragon. 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 3. *dub. de valore Miss. n.* 1.5. Viguer. *cap.* 16. *Instit. Theol.* §.3. *ver.* 18. *init.* Palat. *in* 4. *dist.* 8. *disp.* 1. *in fin.* Leander *de sacrament. tract.* 8. *disp.* 3. *de sacrific. Miss. quæst* 5. Machad. *lib.* 4. *part.* 1. *tract.* 12. *docum.* 3. *n.* 4. Marchin. *de Sacram. Ordin. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 7. Garzia *in sum. tract.* 3. *difficult.* 1. *dub.* 8. *punct.* 3. *n.* 333. Fundamentum est, quia Eucharistia non est minùs nobilis in ratione sacrificij, quàm sit in ratione sacramenti: Ergo, si causat vt sacramentum, causabit etiam vt sacrificium.

3 Secunda sententia asserit, causare augmentum gratiæ, quando offertur pro ijs, qui aliquo actu concurrunt ad offerendum. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 13. *qu.* 2. *art.* 1. §. *Isti ergo.* ver. *Merentur præterea*, sed obscurè loquitur Corduba *in quæstion. lib.* 1. *quæst.* 3. *dub.* 2. *opin.* 4. ver. *Sed vtrum.* & ver. *Item supposito.* Tolet. *lib.* 2. *sum. cap.* 6. *n.* 2. & *cap.* 7. *in fine.* Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 11. *punct.* 1. *qu.* 4. §.22. Limitant autem ad offerentes, quia gratia non augetur in aliquo absque proprio actu ipsius.

4 Tertia sententia docet, non conferre augmentum gratiæ directè & immediatè, sed solum obtinendo auxilia ad actus, quibus gratiam augeatur. Ita Can. *lib.* 12. *de locis Theol. c.* 13. *ad* 9. Azor. *par.* 1. *lib.* 10. *c.* 20. *qu.* 7. Suarez *de sacram. disp.* 79. *sect.* 4. *dicto* 1. Vasq. 3. *par. disp.* 228. *c.* 3. *n.* 17. & 19. Henriquez *li.* 9. *sum. c.* 13. *n.* 4. & *in com. littera Z.* Facundez *præcep.* 1. *Eccl. lib.* 4. *c.* 3. *n.* 2. Miranda *tom.* 1. *Manual. qu.* 41. *ar.* 9. *conclus.* 1. Petrus Ledesma *par.* 1. *sum tr. de Euc. c.* 17. *conclus.* 13. Hurtad. *de sacram. disp.* 3. *de sacrific. Mis. difficul.* 3. Bonac. *disp.* 4. *de sacram. q. vlt. pun.* 3. *n.* 5. Nugn. 3. *par. qu.* 83. *ar.* 1. *dub.* 6. *conclus.* 3. Præposit. *dub.* 13. *n.* 81. Granad. *controuer.* 6. *tr.* 14. *disp.* 5. *n.* 11. Villalob. *par.* 1. *sum. tr.* 8. *difficul.* 8. *n.* 3. Tanuer. *tom.* 4. *disp.* 5. *qu.* 9. *dub.* 4. *n.* 93. Lessius *de sacram. qu.* 83. *ar.* 1. *dub.* 8. *n.* 41. ver. *Iisdem rationibus.* Dicastil. *de sacram. tr.* 5. *disp.* 3. *dub.* 1. *n.* 7. Auersa *qu.* 11. *de Euc. sect.* 6. ver. *Communior tamen.* Palaus *par.* 4. *oper. moral. tr.* 22. *disp. vn. pun.* 6. *n.* 5. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. c.* 4. *qu.* 3. *n.* 30. Coninch. *de sacram. qu.* 83. *ar.* 1. *dub.* 8. *n.* 137. Marat. *tom.* 3. *disp.* 37. *de Euc. sect.* 12. *init.* Amicus *tom.* 7. *curs. Theol. disp.* 33. *sect.* 6. *nu.* 153. Caspens. *tom.* 2. *curs. Theol. tr.* 23. *disp.* 2. *sect.* 1. *nu.* 5. Pontius *in cursu Theol. disp.* 44. *qu.* 10. *conclus.* 3. ver *Ex his infero.*

5 Dicendum. Sacrificium Missæ non conferre augmentum gratiæ ex opere operato per se immediatè. Desumitur ex Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 2. *de Euchar.* vbi recensens effectus, pro quibus offertur habet, *Quare non solum pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed etiam pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur.* Ex quibus nullo omninò modo deduci potest, quod offeratur pro augmento gratiæ, nam hoc non pertinet ad peccata pœnas, satisfactiones, aut aliàs necessitates, siquidem augmentum gratiæ non pertinet ad aliquam necessitatem.

Prob. Virtus sacrificij est tantum propitiatiua, 6
satisfactiua, & impetratiua, vt colligitur ex dicto loco Concilij, & *can.* 3. Ergo non potest conferre augmentum gratiæ ex opere operato per se immediatè, quia non potest conferre tanquam propitiatorium, quia vt tale respicit peccatum, & ordinatur ad placandum Deum, & obtinendam remissionem, nec vt satisfactorium, quia vt tale respicit pœnas debitas peccatis, pro quibus satisfacit: nec vt impetratorium, quia vt tale respicit benignitatem, & liberalitatem in ordine ad concedendas gratias; atque adeò non confert ipsum immediatè aliquem effectum, sed impetrat à Deo concedendum modo consueto. Accedit etiam quod augmentum gratiæ supponit primam gratiam; & ideo, si esset effectus sacrificij Missæ, ex natura sua ipsum produceret, atque adeò non posset offerri pro aliquo, qui non esset in gratia, sicut non existenti in gratia non potest ministrari Eucharistia.

Confir. Sacrificium Crucis neminem immediatè, 7
& ex opere operato sanctificauit, aut ipsi contulit augmentum gratiæ. Ergo neg. hoc sacrificium: Tùm quia non producit suos effectus, nisi applicando virtutem sacrificij Crucis, quæ non est sanctificatiua, aut augmentatiua gratiæ immediatè; tùm quia est idem quoad substantiam cum sacrificio Crucis cum sola ratione offerendi diuersa; & ideò non potest causare immediatè eos effectus, quos ipsum non causauit. Ponderant etiam Doctores communiter, quod oblatum pro paruulis augeret in ipsis gratiam, aut pro dormientibus: & proinde absque proprio actu dispositiuo crescerent in gratia, quod esset verum, etiam si requireretur concursus ad offerendum, quia posset qui stipem dedit pro Missa, dormire, quando pro ipso offertur sacrificium.

Dicendum 2. *Causare augmentum gratiæ mediatè,* 8
impetratiuè, quatenus impetrat auxilia ad ea, quibus gratia augetur, & sunt sacramenta, & actus meritorij. Prob. Augmentum gratiæ nobis confertur ex meritis passionis Christi: Ergo sacrificium Crucis inter alia nobis meruit hoc augmentum, & proinde habuit vim ipsum obtinendi: Ergo cum hoc sacrificium sit idem quoad substantiam cum sacrificio Crucis, & applicet virtutem ipsius obtinebit nobis idem augmentum eodem modo. Confir. Augmentum gratiæ est fructus sacrificij Crucis; per hoc autem sacrificium vberrimè percipimus fructus illius sacrificij; vt habet Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 2. *de sacrif. Miss.*

Ad fundamentum in oppositum neg. conseq. Quia 9
ex eo quod Eucharistia, vt sacrificium, non sit minùs nobilis, quàm vt sacramentum, non sequitur, quod debeat habere eosdem effectus, sed sufficit, quod habeat effectus æquè nobiles, sed in suo genere. Imò ex eo, quod esse sacrificium, & esse sacramentum sunt diuersa, sequitur quod debeat habere effectus diuersos. Instari potest. Hoc sacrificium, quando in vltima cœna fuit à Christo institutum contulit augmentum gratiæ Apostolis; ergo etiam modò confert. Resp. Contulisse augmentum gratiæ quatenùs sacramentũ, quia sumpserunt Eucharistiam, non autem quatenùs sacrificium. Rursus etiam posset quis instare. Marty-

rium ob sui excellentiam fuit eleuatum, vt conferret gratiam: Ergo etiam sacrificium Missæ. Resp. Martyrium non fuisse eleuatum, vt conferret gratiam ex opere operato, sed conferre ex opere operantis, quia prouenit ex perfectissimo actu charitatis erga Deum, quæ cùm sit vltima dispositio ad gratiam, secum illam trahit.

10 An autem hic effectus sit infallibilis. Resp. Mærat. *tom. 3. disp. 37. de Euchar. sect. 12. ver. Posteriorius autem.* Non esse infallibilem quoad auxilium efficax in ordine ad actum, quo augeatur gratia, esse autem infallibilem quoad auxilium siue efficax, siue sufficiens. Ratio est. Quia non constat, iustum, pro quo offertur sacrificium, semper exercere aliquem actum, qui de condigno sit meritorium gratiæ, quem aliàs non exercuisset, & proinde quem exerceat ex vi sacrificij. Verùm, quia obtinet hæc auxilia, quatenus est impetratorium, ideò est eadem ratio de hoc effectu, & de cæteris, qui correspondent virtuti impetratiuæ, de quibus infrà, cùm de effectu impetrationis. Interim solum est aduertendum, quod hæc auxilia non requirunt aliquam præuiam dispositionem, sicuti requirunt auxilia ad obtinendam primam gratiam. Quia neque requirunt dispositionem, quando hæc auxilia dantur independenter à sacrificio, siquidem sufficit pro fundamento primæ gratiæ, vt actus sit meritorius de condigno maioris gratiæ, & proinde auxilia in ordine ad ipsum non requirunt aliam dispositionem, cùm non requirant ratione sui.

QVÆSTIO 72.

An, & quomodo sacrificium Missæ remittat pœnas temporales peccatis debitas.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Missæ remittit pœnas temporales peccatis debitas.*
2. *Remittit per se immediatè ex opere operato.*
3. *Applicat pro compensatione pœnarum satisfactionem sacrificij Crucis.*
4. *Satisfactionem exhibitam Deo in communi pro pœnis applicat huic, & illi in particulari.*
5. *Non remittit pœnas quarum debitum nondum est contractum.*

Neque hic effectus suspendi potest in futurum.

Deus acceptans satisfactionem pro pœnis debitis peccatis nondum commissis, tacitè consentiret in peccatum.

1 PRæscindendo à modo, quo hoc sacrificium remittit pœnas, quæ remanent soluendæ pro peccatis remissis, certum est de fide, eas remittere, nam Concil. Trid. *sess. 22. c. 2. de sacrificio Miss.* docet offerri nedum pro peccatis, sed etiam pro pœnis. Et *can. 3.* damnat dicentes non debere offerri pro pœnis. Et ita docent communiter Patres, & constat ex praxi Ecclesiæ, quæ offert sacrificia pro obtinenda remissione harum pœnarum. Et ratio est. Quia est applicatiuum virtutis sacrificij Crucis; vnde cum sacrificium Crucis habeat efficaciam satisfaciendi pro pœnis debitis peccatis, applicabit hanc satisfactionem, & hoc pacto pœnas relaxabit. Solùm difficultas est, quomodo remittat, an scilicet ex opere operato.

2 Dicendum est. *Sacrificium Missæ remittere pœnas peccatis debitas ex opere operato per se, & immediatè.* Ita communiter omnes Doctores Catholici. D. Th. *in 4. dist. 12. quæst. 2. ar. 2. quæstiun. 3.* & *3. part. qu. 79. ar. 5. in corpore.* Caiet. *ibid.* & *tom. 2. Opuscul. tract. 3. qu. 2. ver. Sacrificium igitur.* Sotus *in 4. dist. 11. qu. 2. ar. 5. conclus. 4. & dist. 13. qu. 2. ar. 1. ver. Secundum effectum.* Durand. *dist. 12. qu. 4. num. 5.* Palud. *qu. 1. ar. 3. conclus. 3.* Gabr. *lect. 27. in can. Mis. littera H. & lect. 17. littera B.* Viguer. *cap. 6. instit. Theol. §. 2. ver. 15.* Corduba *lib. 1. qu. Theol. qu. 3. opin. 4. dicto 2.* Canisius *de Eucharist. qu. 7.* Canus *lib. 12. de locis Theol cap. 13. ad 9.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 13. num. 1. & in com. littera A.* Valent. *tom. 4. disp. 6. qu. 11. punct. 1. quæstiun. 4. §. 22. ver. Videtur autem.* Bellarmin. *lib. 2. de Mis. cap. 2. & 7.* Tolet. *lib. 2. sum. cap. 6. ver. Confert etiam, & cap. 7.* Azor. *par. 1. lib. 10. cap. 20. quæsit. 5.* Vasq. *3. part. disp. 228 cap. 4. numer. 16.* Suarez *de sacram. disp. 79. sect. 6. dicto 1.* Facundez *præcep. 1. Eccles. lib. 4. cap. 1. num. 10.* Tanner. *tom. 4. disp. 5. qu. 9. dub. 4. num. 95.* Lessius *de sacrament. qu. 83. ar. 1. dub. 8. numer. 40.* Auersa *de Eucharist. qu. 11. sect. 6. ver. Tertio ergo.* Dicastil. *de sacram. tract. 5. disp. 2. dub. 2. numer. 41.* Lindanus *lib. 4. Panoplia cap. 51.* D. Antonin. *par. 1. sum. tit. 10. cap 2. §. 5.* Marchin. *de sacram. ordin. tract. 3. par. 2. cap. 10. num. 22.* Ruteus *de fructu sacrific. Mis. lib. 1. disp. 2. qu. 2. ver. Nota.* Mærat. *tom. 3. sum. disp. 37. de Eucharist. sect. 11. init.* Baun. *tom. 1. Theol. moral. tr. 6. de sacrif. Mis. qu. 6.* Garzia *in sum. tr. 3. difficul. 1. dub. 7. pun. 5. n. 39.* Amicus *tom. 7. curs. Theol. disp. 33. sect. 6. n. 165.* Palaus *par. 4. oper. moral. tr. 22. disp. vn. pun. 6. n. 7.* Pontius *in sacr. Theol. disp. 44. qu. 10. conclus. 3. ver. Prima est.* Faustus *de sacrif. lib. 2. qu. 46. ver. Respondeo affirmatiuè* Isambert. *3. par. qu. 83. disp. 6. de sacrif. Mis. ar 2. propos vlt.* Præposit. *dub. 14 num. 85.* Chellison. *dub 9.* Putean. *ar. 1. dub. 5. conc. 2* Coninch. *dub. 8. num. 141.* Granad. *controuer. 6. tract. 14 disp. 5 sect 3 nu. 14.* Gaspar Hurtad. *de sacram. disp. 3. de sacrific. Mis. difficul. 4* Caspens *tom. 2. curs. Theol. tr 23 disp 2 sect. 1 n. 6.* Villalob *par. 1. sum. tr. 8. difficul 8. num. 4* Ludouic. à S. Ioan. *par. 1 sum qu. 9 de Euc. ar. 3. dub. 2. difficul. 3. conclus. 4.* Miranda *tom. 1. Manual. qu. 41. ar. 11. init.* Bonac. *disp. 4 de sacram. qu. vlt pun. 3. n. 8.* Reginal. *lib. 29. Praxis Fori pœnit. n. 155* Filliuc *tr. 5 c. 6 n 67.* Gabr à S. Vincent. *de sacram. disp 2. de sacrific. Mis. qu. 2. quæsito 3.* Nugn. *3 par. quæst. 83 ar. 1. § In secunda part. dub 4.* Leander. *de sacram. tr. 8. disp. 3. quæst. 8* Francisc. Lugo *lib. 1. de sacram. cap. 4 qu. 1.* Laiman *lib 5. Theol. moral. tr. 5. c. 1. n. 6.* Quartus *in Append. ad Rubr. Missal. qu. 2. pun. 5. ver. Qualiter autem.* Obseruat autem Suarez citat. Hoc non esse de fide, quia Concil. Trident. solùm definit, offerri pro pœnis, atque adeò eas remittere. De modo autem, quo remittit, an scilicet, ex opere operato, an alio modo nihil dicit.

Prob. Sacrificium Crucis est satisfactiuum pro pœnis debitis peccatis ex seipso, & per virtutem propriam: Ergo hoc sacrificium ex opere operato remittit pœnas, quæ remanent luendæ pro peccatis. Conseq prob. Hoc sacrificium repræsentat sacrificium Crucis, & in ipso immolatur eadem hostia cum sola ratione offerendi diuersa, & proinde applicat virtutem, & efficaciam illius ad vtilitatem illius, pro quo offertur: Ergo etiam satisfactionem, quæ per ipsum fuit Deo exhibita pro pœnis debitis peccatis: Ergo ex opere operato remittit pœnas, quia remittit ex natura sua independenter à quocunque alio, sicut ex natura sua applicat efficaciam sacrificij Crucis. 3

Confirm. Ideò sacramenta & immediatè, & per se causant ex opere operato gratiam, & aliqua remissionem peccatorum, quia nobis applicant merita Christi seu potiùs id quod nobis meruit per suam passionem. Sed etiam hoc sacrificium applicat nobis satisfactionem qua Christus satisfecit pro pœnis debitis nostris peccatis: Ergo. Minor constat nam Christus obtulit suos dolores, & totam suam passionem non solum in satisfactionem pro offensa, sed etiam pro pœnis debitis peccatis, vnde Isaiæ 53. dicitur. *Verè languores nostros* 4

stros ipse tulit, hoc est suscepit pœnas, quibus nos dolere oportebat in satisfactionem pœnarum, quas subire debebamus pro peccatis. Rursus sacrificium hoc applicat ei pro quo offertur, efficaciam sacrificij Crucis, & proinde etiam satisfactionem, qua Christus satisfecit pro pœnis debitis peccatis ipsius.

5 Ex dictis colligitur cum Suarez *de sacrament. disp.* 79. *sect.* 10. ver. *Quartò requiritur.* Vasquez 3. *part. disput.* 231. *in fine.* Lugo *disput.* 19. *de Eucharist. sect.* 10. *numer.* 209. Quart. *in Rubr. Missal. in Append. quæst.* 2. *punct.* 5. ver. *Secunda difficultas.* Hoc sacrificium non remittere pœnas, quarum debitum nondum est contractum, quia nondum sunt commissa peccata, quasi illa satisfactio, quam exhibet sacrificium reponatur, vt postea, quando peccabitur, inseruiat pro satisfactione pœnæ quæ erit debita nouis peccatis. Cùm enim requiratur, quod peccata sint dimissa quoad culpam, vt pœna remittatur, non poterit remitti pœna, cuius debitum per peccatum nondum est contractum. Accedit quod hoc sacrificium non remittit pœnas nisi satisfaciendo pro ipsis; & ideò non potest exercere suam efficaciam satisfactiuam, nisi reperiat subiectum capax, nempè cum debito satisfaciendi. Nec suspendi potest satisfactio in tempus futurum. Quia cùm sit effectus ex opere operato, euanescit, nisi reperiat subiectum capax, vt constat etiam in effectibus sacramentorum. Rursus si Deus acceptaret satisfactionem, reponendã pro pœna debita peccatis nondum commissis, tacitè approbaret peccata committenda, nam in hac acceptatione contineretur virtualis consensus in peccatum; sicut qui acceptaret pecuniam depositam apud Campsorem pro extinctione debiti contrahendi, tacitè consentiret in contractionem talis debiti.

QVÆSTIO 73.

An sacrificium Missæ remittat alio modo pœnas debitas peccatis.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium remittit pœnas etiam vt impetratiuum.*
2. *Quomodo impetret remissionem pœnarum*: & numer. seq.
3. *Christus descendens ad inferos plures liberauit, quia non plenè satisfecerant.*
4. *Sacrificium impetrat remissionem pœnæ impetrando auxilia*, &c.
5. *Applicando satisfactionem Christi remittit pœnam, non autem impetrat remissionem.*
6. *Nulla pœna remittitur absque applicatione satisfactionis Christi.*
7. *Ecclesia quomodo petat relaxationem pœnarum.*
   Diuerso modo impetrantur beneficia ac relaxatio pœnæ.
   Quomodo remissa pœna liberatis à Christo.
   B. Virgo quomodo impetret remissionem pœnarum.
8. *Sacrificium non potuit institui, vt immediatè impetratiuum remissionis pœnæ.*

1 CONueniunt Doctores communiter, quod hoc sacrificium remittat pœnas debitas peccatis, non solum tanquam satisfactiuum ex opere operato, sed etiam tanquam impetratiuum. Ita præsertim infrà citandi. Ratio est. Quia vis impetratiua ipsius se extendit ad omne id, quod Christus nobis meruit per sacrificium Crucis, & ad omne id quod possumus à Deo liberaliter obtinere, siquidem fuit tantæ dignitatis, & valoris, vt possit mouere Deum ad danda nobis omnia bona tam spiritualia, quam temporalia. Et cum vis impetratiua sit diuersa, ab efficacia satisfactiua per id, quod remittat pœnas ex opere operato tanquam satisfactiuum, non tollitur, quin etiam possit impetrare remissionem earum, quæ supersunt. Solum difficultas est, quomodo impetret, an scilicet impetrando auxilia, quibus exerceamus opera satisfactoria, an verò immediatè, ita vt Deus condonet pœnas immediatè intuitu virtutis impetratiuæ sacrificij, & per modum solutionis de satisfactionibus Christi.

Prima sententia asserit, vtroque modo remittere pœnas. Ita Laiman *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 5. Lugo *disput.* 19. *de Eucharist. numer.* 158. Et hanc opinionem putat probabilem, & piam. Soarez infrà citand. sed dubiam. Prob. Ecclesia orat, & petit remissionem harum pœnarum etiam pro defunctis; & quamuis oratio sit satisfactiua, attamen priùs est, quod sit oratio, quàm quod sit satisfactiua, nec exhibetur Deo vt satisfactiua, sed vt deprecatiua. Confirm. Quia sacrificium Missæ immediatè impetrat alia beneficia huiusmodi. Confirm. 2. Christus descendens ad inferos liberauit plures animas à Purgatorio, quæ nondum plenè soluerant pœnas, vt docent communiter cum D. Thom. 3. *part. quæst.* 52. *artic.* 8. Et proinde per solam applicationem suæ satisfactionis. Confirm. 3. Adsunt plures reuelationes, quod B. Virgo, & alij Sancti per intercessionem liberauerint plures à pœnis Purgatorij, pro quibus satisfacere non poterant. Vnde etiam Ecclesia inuocat intercessionem ipsius, & sanctorum pro earumdem liberatione. 2

Secunda sententia asserit. Hoc sacrificium impetrare remissionem pœnarum tantùm mediatè, nempè impetrando auxilia, quibus fiant opera satisfactoria. Ita Suarez *disp.* 79. *de Euc. sect.* 6. ver. *Dico* 2. Facundez *præcep.* 1. *Eccles. l.* 4. *c.* 1. *n.* 11. Filliuc. *tract.* 5. *n.* 68. Auersa *qu.* 11. *de Eucharist. sect.* 11. *in fine.* Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 4. *quæst.* 2. *num.* 21. Ruteus *de valore sacrific. lib.* 3. *disput.* 1. *quæst.* 2. *num.* 3. 3

Dicendum est. *Hoc sacrificium non impetrare remissionem pœnarum, nisi mediatè obtinendo auxilia pro operibus satisfactorijs.* Prob. Quicquid hoc sacrificium præstat nobis, præstat in virtute sacrificij Crucis communicando nobis fructus ipsius: Ergo non potest alio modo nobis obtinere remissionem pœnarum, quam in virtute sacrificij Crucis. Sed sacrificium Crucis non obtinet immediatè impetratioè, sed solum satisfaciendo pro ipsa pœna, aut impetrando auxilia ad opera satisfactoria: Ergo neque hoc sacrificium impetrabit immediatè. 4

Confirm. Si impetraret immediatè, ideò impetraret, quia applicaret satisfactionem Christi. Sed quatenùs applicat satisfactionem Christi, non impetrat remissionem pœnæ, sed remittit quatenùs satisfactorium: Ergo talis modus remittendi non est distinctus à modo remittendi ex opere operato. Nec dici potest, quod non sit idem modus, quia non est infallibilis, nec fundatur in speciali promissione. Quia si aliquando remitteret pœnas immediatè, non alio modo remitteret, nisi applicando satisfactionem Christi. Quatenùs autem illam applicat est satisfactorium, & non impetratorium, & ideò ex hoc fit, quod debeat esse infallibilis, & fundatus in tali promissione si aliàs adest, quod applicando satisfactionem Christi, remittat pœnas. Et ideò non sit modus diuersus. 5

Sed neque hoc sacrificium obtinere potest immediatè remissionem pœnæ absque applicatione satisfactionis Christi, quia ex institutione redemptionis generis humani factũ est, quod neque peccata, neque pœna ijs debita remittãtur absq; congrua satisfactione. Idcircò enim Christus assumpsit onus satisfaciendi 6

pro peccatis, & pœnis debitis totius generis humani, vt remissio fieret præuia satisfactione. Vnde nulla pœna remittitur, nisi applicetur satisfactio Christi pro nobis exhibita, nam etiam opera nostra in tantum sunt satisfactoria, in quantum coniunguntur satisfactioni Christi, & ab ipso offeruntur Patri, vt habet Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 8. ibi. *Neque verò ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsoluimus, vt non sit per Christum Iesum.* Et post pauca: *In quo* (Christo) *satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Et ideò stante præsenti institutione nulla pœna remittitur sine satisfactione.

7 Ad fundam. In oppositum resp. Ecclesiam petere relaxationem pœnarum, sicut etiam petit remissionem peccatorum. Non petit autem remissionem peccatorum immediatè fieri, sed per illa media, quibus solent remitti: vnde etiam petit relaxari pœnas modo consueto, & per consueta media; atque adeò per modum satisfactionis, vt notat D. Thom. *in* 4. *dist.* 45. *qu.* 3. *ar.* 3. *ad* 6. Ad 1. confirm. Esse diuersam rationem de impetratione aliorum beneficiorum, nam pro ipsis concedendis non est facta specialis institutio, sicut est facta pro remissione peccatorum, & pœnarum; nam in hac ex Dei ordinatione relucere debet misericordia, & iustitia. Ad 2. Dum liberauit illas animas per applicationem suæ satisfactionis, oportet, quod sacrificium Crucis, vt satisfactorium fuerit ipsis à Christo specialiter applicatum, in cuius virtute satisfactum fuerit in specie pro pœna ipsis debita. Et hoc pacto etiam sacrificium Missæ remittit pœnas, sed hic modus, vt dictum est, non est distinctus ab eo, quo remittit ex opere operato. Ad 3. confirm. Suppositis ijs reuelationibus, illas animas non fuisse liberatas immediatè per intercessionem, sed per intercessionem fuisse adhibita media ordinata ad relaxationem pœnarum, quatenus B. Virgo, & alij Sancti obtinuerint, vt aut inspirarentur fideles ad ferenda suffragia, aut quod pœnæ fierent intensiores ita vt intensio compensaret diuturnitatem aut aliquo alio modo quo pro ipsis applicaretur satisfactio Christi.

8 Ex dictis colligitur. Christum non potuisse ita instituere sacrificium Missæ, vt tanquam impetratiuum immediate remitteret pœnas absque applicatione satisfactionis Christi. Cùm enim à Deo instituta sit satisfactio Christi vniuersalis pro omnibus, cuius intuitu culpæ & pœnæ remitterentur: & Christus hunc modum amplexatus sit, & obtulerit Patri suam satisfactionem pro omnium peccatis, conscius huius institutionis, non potuit in institutione sacrificij esse ipsis contrarius. Et proinde non potuit alio pacto instituere hoc sacrificium in remissionem pœnarum nisi vt applicatiuum satisfactionis Christi; vt autem applicatiuum talis satisfactionis est satisfactorium non autem impetratorium.

QVÆSTIO 74.

An effectus remissionis pœnæ sit infallibilis tàm pro viuis, quàm pro defunctis.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Missæ remittit pœnas animabus purgantibus.*
2. *Qui sentiant non remitti infallibiliter.*
3. *Communis sententia quod remittat infallibiliter.*
4. *Sacrificium Missæ ex sua institutione applicat satisfactionem Christi pro animabus purgantibus.*
5. *In Sacerdote est potestas offerendi sacrificium pro defunctis.*
6. *Cur sacrificium habeat infallibilem effectum pro defunctis, dato, quod indulgentiæ non habeant.*
7. *Animæ purgantes pertinent ad Ecclesiam militantem.*
   Ecclesia habet potestatem offerendi sacrificium pro defunctis.
8. *Animæ purgantes sunt in statu, vt alij pro ipsis satisfacere possint.*
   Sacrificium est institutum pro defunctis vt satisfactorium.

Sacrificium Missæ remittere pœnas, quas animæ existentes in Purgatorio pati debent est omninò certum; vt proinde Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 2. & *can.* 3. *de sacrificio Missæ*, definiat ritè iuxta Apostolorum traditionem offerri pro defunctis in Christo nondum plenè purgatis. Non potest autem offerri pro ipsis in alium finem, nisi vt satisfaciat pro pœnis, quas soluere debent, vt plenè purgentur. Vnde etiam *sess.* 25. *in decreto de Purgatorio*, habet. *Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs, potissimum verò acceptabili altaris sacrificio iuuari.* Solum difficultas est, an hic effectus sit infallibilis. Et quidem conueniunt omnes Doctores, quod respectu viuorum sit infallibilis, si subiectum sit dispositum, hoc est constitutum in gratia. Quia ex natura, & institutione sua sacrificium habet applicare satisfactionem Christi in fauorem illius pro quo offertur: & ideò non potest frustrari suo effectu, nisi ex incapacitate subiecti. Vnde difficultas solum remanet quoad animas Purgatorij. 1

Prima sententia asserit non esse infallibilem. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 6. *in fine.* ver. *Pari modo*, & *quæst.* 2. *ar.* 1. ver. *Tertiò assequuntur.* Canos *lib.* 12. *de locis Theol. cap.* 13. *ad* 9. Corduba *in quæstion. lib.* 1. *qu.* 3. *dub.* 1. *opin.* 4. ver. *Et hoc idem.* Toler. *lib.* 2. *sum. cap.* 6. *in fine.* Prob. Indulgentiæ non remittunt pœnas animabus Purgatorij infallibiliter: Ergo neque hoc sacrificium. Secundò. Animæ purgantes non sunt amplius membra Ecclesiæ visibilis: Ergo sacrificium visibile non potest eis prodesse infallibiliter, sicut prodest viuis. Tertiò, Non sunt in statu satisfaciendi, sed solum satispatiendi: Ergo sacrificium non potest vt satisfactorium satisfacere pro ipsis, sed solum per modum suffragij, hoc est ex acceptatione Dei de congruo. 2

Secunda sententia est communis, & asserit, infallibiliter remittere pœnas etiam animabus purgantibus. Ita D. Thom. *in* 4. *dist.* 45. *qu.* 2. *ar.* 1. *quæstiun.* 3. & *ar.* 13. *quæstiun.* 1. Palud. *qu.* 1. *ar.* 1. *conclus.* 3. & *ar.* 2. *conclus.* 5. Albert. Magn. *ar.* 2. *ad* 7. Durand. *dist.* 12. *qu.* 4. *numer.* 5. Ligner. *cap.* 16. *instit. Theol.* §. 3. *ver.* 12. Petrus Sotus *lect.* 7. *de Eucharist.* Nauar. *De indulgent. not.* 22. *numer.* 18. Canisius *par.* 2. *Catechis. qu.* 7. *de Eucharist. littera* B. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 13. *numer.* 1. & *in com. littera* C. & *cap.* 16. *numer.* 1. vbi *in com. littera* D. Cooarruu. *in cap. Alma mater. part.* 1. §. 5. *numer.* 11. Azor. *par.* 1. *lib.* 10. *capit.* 22. *quæst.* 10. Valent. *tom.* 4. *disp.* 6. *qu.* 11. *punct.* 1. *quæstiun.* 5. §. 24. & 25. Bellarmin. *libr.* 2. *de Purgat. cap.* 18. *difficul.* 3. & *libr.* 2. *de Missa cap.* 7. Suarez *disput.* 79. *de sacrament. sect.* 10. ver. *Nihilominus.* Hosius *in Confes. cap.* 41. Auila *de tradit. par.* 3. Vasquez 3. *par. disp.* 227. *cap.* 5. *numer.* 43. & *disput.* 231. *cap.* 7. *num.* 12. Facundez *precept.* 1. *Eccles. libr.* 4. *cap.* 1. *numer.* 18. Reginal. *in Praxi lib.* 29. *cap.* 9. *sect.* 2. *numer.* 157. Lugo *disput.* 19. *de Eucharist. sect.* 3. *numer.* 153. Martinon *disput.* 39. *sect.* 1. *numer.* 3. Auersa *qu.* 11. *sect.* 6. ver. *Tertiò ergo.* Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disput.* 3. *de sacrific. Miss. difficul.* 4. ver. *Vasquez verò.* Caspensis 3

part. 2.

part.2. Curs. Theol. tract. 23. *disput.2. sect.* 1. *num.* 6. Dicastil. *de sacrament. tractat.5. disput.2. dub.2.n.*51. Garzias *in sum. tract.* 3. *difficult.2. dub.7. punct.5.n.4.* Baun. *part.1. Theol. moral. tract.6. de sacrific. Miss. quæst.*6. Amicus *tom.7. Curs. Theol. disput.* 33. *sect.6. num.*167.& *num.*211. Isambert. 3. *part. quæst.* 83. *disput.6.art.2.* ver. *Quæres.* Præposit.*art.1. dub.*14.*n.*86. Cheliison. *dub.*9. Mæarat.*tom.3.disput.*37. *de Euchar. sect.*11. ver. *At quæres.* Francisc. Lugo *lib.5. de sacrament.cap.4. quæst.2.num.*15. Ruteus *de fructu sacrific. lib.3.disput.2. quæst.2.dub.1.num.*2. Palaus *part.4.oper. moral. tract.22.disput.vnic. sect.6.num.*9. Faustus *lib.2. de sacrific. Miss. quæst.*48. Quartus *in Rubr. Missal. in Append.quæst.2. punct.5.* ver. *Opposita sententia* Leander. *de sacrament.tract.8.disp.3. quæst.9.*

4 Dicendum est. *Hoc sacrificium remittere infallibiliter pœnas animabus existentibus in Purgatorio.* Probat. Hoc sacrificium est institutum à Christo etiam pro animabus Purgatorij in eum finem, vt eis pœnas remittat, vt constat ex dictis *num.* 1. Ergo infallibiliter remittit. Conseq. prob. In tantum hoc sacrificium remittit pœnas, in quantum applicat satisfactionem Christi, quam exhibuit per sacrificium Crucis pro peccatis, & pœnis debitis, nam alio modo non potest remittere, cum debeat compensari satisfactione proportionata ad seruandam iustitiam diuinam: Ergo cum ex institutione sua sit applicatiuum huius satisfactionis infallibiliter remittet. Conseq. hæc probatur. Quia interuenit compensatiuum harum pœnarum; interuenit institutio Christi, & consensus Patris in hanc institutionem, & ex parte animarum nullus adest obex: Ergo cum ex pacto inter Deum, & Christum sit stabilitus huiusmodi effectus, & nullus adsit obex, infallibiliter sequetur.

5 Confirm. In Sacerdote est potestas offerendi sacrificium pro defunctis nondum plenè purgatis. Vnde in ordinatione ei dicitur. *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis, & defunctis.* Ergo si in Sacerdote est potestas offerendi sacrificium pro defunctis, erit etiam in sacrificio efficacia ad iuuandos defunctos, atque adeò ex institutione, cùm tota eius efficacia pendeat ex ipsa: Ergo sacrificium exercebit infallibiliter suam efficaciam erga defunctos, quia adest efficacia in sacrificio, potestas in offerente, & nullus obex in recipiente; & ideò non potest sacrificium frustrari effectu, qui ei conuenit ex vi suæ institutionis.

6 Ad 1. in oppositum neg. conseq. Quidquid sit de antecedente, quia indulgentiæ applicantur defunctis ab Ecclesia, de qua est dubium, an habeat iurisdictionem in animas defunctorum quoad eas eximendas à pœnis mediante satisfactione Christi applicata per indulgentias. Diuersa tamen est ratio de sacrificio, quia hoc fuit institutum à Christo etiam pro animabus purgantibus, quarum est caput, & ideò habuit iurisdictionem, & potestatem ita instituendi, vt satisfaceret pro pœnis, quas soluere teneantur accedente consensu Dei: & ideò interuenit pactum, quod firmum manere debet.

7 Ad 2. Quamuis animæ purgantes non sint membra Ecclesia visibilis pertinent tamen ad ipsam tanquam nondum in termino positæ: & ideò potest Ecclesia visibilis se interponere pro ipsis apud Deum. Deinde si argumentum aliquid probaret, conuinceret, quod neque possit offerre sacrificium pro ipsis. Cùm igitur sacrificium sit relictum in manibus Ecclesiæ, vt habet Concilium Tridentinum. *sess.*22. *cap.* 1. *de sacrific.* & institutum sit, vt offeratur pro animabus purgantibus vt habetur ex traditione Apostolica, de qua *ibid.* Concil. *cap.* 2. *in fine.* Consequenter data est Ecclesiæ potestas offerendi pro ipsis, quàm in ordinatione, vt dictum est communicat suis ministris; quibus stantibus sacrificium operatur infallibiliter suos effectus.

Ad 3. Non esse in statu satisfaciendi per seipsas, 8 esse tamen in statu, vt alij pro ipsis satisfacere possint, præsertim applicando satisfactionem Christi. Neque hinc fit, quod satisfactio per sacrificium applicari possit solum per modum suffragij. Quia hoc sequeretur, si non esset institutum etiam pro ipsis; dum autem tanquam satisfactiuum est institutum, ipsis quoque satisfactio Christi iis applicatur ex pacto inito inter Deum, & Christum, quia institutio sacrificij fuit facta à Christo iuxta beneplacitum Dei. Et hoc exigebat natura sacrificij, quia cum sit repræsentatiuum sacrificij Crucis, & applicatiuum virtutis ipsius, debuit ex sua institutione extendi ad omnes, ad quos extenditur sacrificium Crucis. Hoc autem extenditur ad omnes vsque ad perductionem in gloriam inclusiuè.

QVÆSTIO 75.

An sacrificium Missæ remittat totam pœnam.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Missæ non remittit totam pœnam.*
2. *Secundum quam mensuram remittat.*
3. *Eucharistia confert gratiam secundum limitatam mensuram.*
4. *Gratiæ sacramentales non sunt institutæ semper efficaces.*
5. *Vnicum sacrificium potest aliquando remittere totam pœnam.*
6. *Sacrificia tollunt pœnam de se semper secundum eamdem mensuram.*
7. *Quid præstet Pontifex, quando concedit, quod celebrans pro alicuius anima eam liberet à Purgatorio.*

   Liberatio an sit infallibilis.

DIcendum est. *Sacrificium Missæ non remittere totam pœnam luendam pro peccatis, sed tantum partem iuxta taxationem Christi factam in institutione huius sacrificij.* Ita communiter D. Thom. 3. *part. quæst.* 79. *art.5. & 7. ad* 2. Suarez *de sacrament. disp.* 79. *sect.* 6. *init.* Caiet. 3. *part. quæst.* 79. *art.* 5. Sotus *in 4. distinct.*11. *quæst.* 2. *art.5. conclus.* 4. & *lib.*8. *de Iustit. & iure. quæst.* 2. *art.* 2. Syluester. *verbo* Missa, *quæst.*9. Tanner. *tom.4. disp.5. quæst.9. dub.4.num.*96. ver. *Neque tamen.* Layman. *lib.5. Theol.moral.tract.5. cap.1. num.5.* Petrus Nauarr. *lib.2. de Restitut. cap.1. num.* 352. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 4. *cap.1. num.*10. Isambert. 3. *part. quæst.* 83. *disput.* 6. *de sacrific. Miss.art.2.* ver. *Quæres vnum.* Francisc. Lugo, *lib.5. de sacrament. cap.* 4. *quæst.* 2. *num.* 12. Faustus *lib.2. de sacrific. Miss. quæst.*47. Desumitur ex Concil. Trident. *sess.*25. *in Decreto de Purgatorio.* Vbi habet, *Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili altaris sacrificio iuuari.* Vbi est notandum, quod dicit *Iuuari*, & non liberari, quia scilicet non remittit totam pœnam, nam remittendo totam, liberaret, sed tantùm partem. 1

Probat. Sacrificium non remittit pœnas, appli- 2 cando satisfactionem Christi per Crucis sacrificium exhibitam in compensationem earumdem: Ergo non remittit totam pœnam. Conseq. prob. Tùm quia non applicat, nisi ex vi institutionis Christi, neque adeò secundum mensuram institutionis ab ipso Chri-

sto deresminatam, quod noluit adæquare purum, sed voluis cotsespondete dispositioni diuinæ, quæ ita condonando peccata condonat pattem pœnæ, non autem rotam. Tùm quia sacrificium, cum ex opese operato remittar pœnas, debuit habere effectum æqualem cæteris paribus, atque adeò debuit determinari pœna remittenda ad cerram mensuram; si autem tota remitteretur, esset inæqualis, quia inæqualis est pœna semittenda. Tùm quia etiam sacramenta, quæ conferunt gratiam, secundum certam meususam conferunt determinatam à Christo, & non secundum totum augmentum, quod conferre possent, non obstante, quod hoc augmentum Christus nobis merueris.

3 Confitm. Sacramenrum Eucharistiæ, quamuis contineat Christum, per quem nobis tota sanctiras confertut, & qui nobis metuit omnem gratiam, quam sumus accepturi, noo tamen coofert nobis nisi graiiam secundum limitatam mensuram in eius institotione, quamuis potuerit conferre maiorem, & maiorem. Et hoc prouenit, qnia Christus communicauit nobis in mensura, quod nobis obtinuit per suam passionem, vt constat etiam in omnibus sacramentis: Ergo etiam eamdem mensuram setuauit in hoc effectu sacrificij.

4 Confirm. 2. Potuit Christus instituere gratias sacramentales temper efficaces, itavt in eo, in quo ipsæ adiuoant, oumquam, qui eas reciperent, deficetent peccando, & proinde in virtute gratiæ sacramentalis confirmationis nullus confirmatus in coosessione fidei deficeret, & sic de cæteris; & tamen non institnit, sed sulum in certa mensura: Ergo cùm in cætetis hanc legem setuauerit, dicendum est, quod eriam seruauerit in sacrificio Missæ quatenus satisfactorio.

5 Ex dictis colligitur. Fieri posse, quod per vnicum sacrificium tota pœna remittatur. Nam cum remittit secundum certam mensuram, fiesi potest quod pœna debita peccatis non sit maior illa mensura: tunc autem sota remittetur. Similiter eriam tota remitteiur, si sit illa minor illa mensura, quia sufficis, quod quocunque modo cadat sub illa mensura. Hinc per multiplicationem sacrificiorum tolli potest tota pœna, quammmuis magna, quia quodlibet sacrificium tollit suam postionem; vnde diuisa pœna in tot portiones æquales illi, quæ tollitut per primum sacrificium, tota tolletur per tot sacrificia, quot sunt illæ portiones.

6 Secundò colligitur. Omnia sacrificia, quantùm est ex opere operato, tollere pœnam semper secundum eandem mensuram, præscindendo ab extrinsecis ratione quorum maior mensura tolli potest. Et ratio est, quia omnia sunt eiusdem rationis, & pendens ab eadem institutione: vnde cum ratione institutionis habeant ralaxare pœoam, relaxabont semper secundum eamdem mensuram, quantum est ex vi precisè sacrificij.

7 Tertiò colligitur. Quid præstet Pontifex, quando concedit, quod celebrans pro alicuius anima; liberet eam à purgatorio. Dispensat enim satisfactiones, quæ sunt in thesauro Ecclesiæ, & coniungit cum illa parte, quæ ex vi sacrificij applicatus tali animæ vsque ad eam mensuram, quæ adæqnar pœnas omnes lueudas à tali anima, & proinde satisfactione adæquata exhibita, liberetur ab vlteriori pœna substinenda. Er daro, quod indulgentiæ noo sortiantur effectum infallibile circa animas purgaotes, in tali tamen casu sortiri videntur, quia coniunguotur cum satisfactione ex sacrificio Missæ in vnam adæquatam satisfactionem; & cùm hæc sostiatus effectum iufallibilem, vt dictum est, tanquam magis digna trahit secum ad effectum infallibilem etiam satisfactionem depromptam ex thesauro Ecclesiæ.

QVÆSTIO 76.

An remissio pœnæ sit maior, aut minor iuxta dispositionem recipientis.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium an remittat pœnam secundum mensuram dispositionis, & qui negatiuam partem teneant.*
2. *Fundamenta negatiua partis.*
3. *Qui teneant affirmatiuam.*
4. *Nomine dispositionis in ordine ad remissionem pœnæ quid intelligatur.*
5. *Satisfactio crescit secundum mensuram dignitatis personæ exhibentis.*
6. *Sacrificium cur non remittat plus pœnæ habentibus maiorem gratiam.*
7. *Sacramenta cur causent maiorem gratiam in melius dispositis.*
8. *Quinam actus disponunt ad recipiendum maiorem fructum satisfactionis ex sacrificio.*
9. *Satisfactio pro pœna exhibetur Deo nomine eorum, pro quibus offertur sacrificium.*
10. *Fructus sacrificij quomodo se habeat per modum donationis.*
11. *Dispositio etiam non necessaria auget effectum ex opere operato.*
12. *Remissio pœnæ est intrinseca illi cui remittitur.*
13. *Dispositio ad effectum sacrificij non debet esse formalis.*
14. *Augmentum satisfactionis sacrificij ex dispositione est ex opere operato.*
15. *Concurrentes ad sacrificium, dum pro se offertur recipiunt maiorem fructum ex opere operato.*

Difficultas procedit de selaxatione pœnæ ex opere operato, an videlicet ptoportionetur dis- 1
positioni illius, cui relaxatus, & fiat secundum maiorem, vel minorem mensuram iuxta maiorem, vel minorem, dispositionem quam repesit. Prima sententia negat remissionem pœnæ proportionari dispositioni, itavt maior, vel minor pœna relaxetur iuxta maiorem vel minorem dispositionem. Ita Durand. *in 4. distinct. 45. quæst. 3. num.* 8. Sotus *lib. 9. de Instit. & iure, quæst. 2. art. 2. ad* 2. *in fine.* Henriquez *lib. 9. sum. cap.* 18. *num.* 5. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 21. *quæst.* 3. Suarez *disput.* 79. *de sacrament. sect.* 10. ver. *Nihilominus censeo.* Valcot. *tom.* 4. *disput.* 6. *quæst.* 15. *punct.* 1. §. 25. Facundez *præcepto* 1. *Eccles. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 22. Coninch. *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 9. *conclus.* 14. Mercer. *dub.* 8. Faustus *lib.* 2. *de sacrific. Miss. quæst.* 56. Caspens. *tom.* 2. *Curs. Theol. tract.* 23. *disp.* 2. *sect.* 1. *num.* 12. Ruteus *de sacrific. Missæ, lib.* 5. *disp.* 3. *quæst.* 1. *dub.* 7. *num.* 42 Citant D. Thom. *in* 4. *distinct.* 44. *quæst.* 2. *art.* 4. *quæstiunc.* 1. Vbi habet, quod suffragium, quod alicui prodest ex alterius applicatione pendere solum ex applicantis intentione non ex dispositione recipientis. Verùm loquitur de suffragio ex opere operantis, quod habet totum suum, valorem ab operante ratione hooestatis, & ideò non potest ctescere ratione dispositioois subiecti, quia est mensa actus radiei soi principij. Non sit in sacrificio, quod ex opere operato applicas satisfactiooem Christi, & ideò potest maiorem, aus minorem applicare.

Probant. Sacrificium se habet per modum actio- 2
nis;

nis; ergo fructus potest augeri solum ex parte causæ effectiuæ. Illi autem, quibus applicatur fructus non se habent in genere causæ effectiuæ. Secundò, fructus sacrificij se habet per modum cuiusdam donationis, quatenus celebrans illum liberè applicat, cui libuerit: Ergo tota mensura sumenda est, ex voluntate applicantis non autem ab aliqua dispositione illius, cui applicatur, vt contingit etiam in donatione, quæ non crescit ex dispositione recipientis. Tertiò, in eo, pro quo offertur sacrificium, non requiritur dispositio quoad hunc effectum, nisi vt remoueat impedimentum, ergo nihil confert ad effectum. Quartò, hic effectus non recipitur in eo, cui, remittitur pœna, sed se habet per modum extrinsecæ satisfactionis, qua ab alio satisfit Deo pro debito ipsius; ergo non crescit ex dispositione subiecti, quia tunc solum potest crescere, quando in ipso recipitur, vt scilicet commensuretur dispositioni recipientis.

3 Secunda sententia asserit crescere secundum meliorem dispositionem illius, pro quo offertur, quæ consistat in deuotione. Ita D. Thom. 3. *part. quæst.* 78. *art.* 5. Vbi docet, Missam esse satisfactoriam pro illis, pro quibus offertur, secundum quantitatem deuotionis ipsorum, *art.* 7. *ad* 2. *Illis tamen prodest plus, vel minus secundum modum deuotionis eorum.* Nempe iis, pro quibus offertur. Caiet. *tom.* 2. *opusc. tract.* 3. *quæst.* 2. Sotus *in* 4. *distinct.* 11. *quæst.* 4. *art.* 5. & *lib.* 9. *de Iust. & iure. quæst.* 2. *art.* 2. Corduba *in quæst. lib.* 1. *quæst.* 3. *opin.* 5. *conclus.* 4. Syluester *verbo* Missa 1. *quæst.* 9. Becan. 3. *part. tract.* 2. *de sacrament. cap.* 3. *quæst.* 9. *n.* 5. Vasquez 3. *part. disput.* 231. *cap.* 7. *n.* 41. Lugo *disp.* 19. *de Eucharist. sect.* 10. *n.* 200. Arauio *de sacram. quæst.* 61. *art.* 1. *dub.* 3. *n.* 43. Garzia *in sum. tract.* 3. *difficult.* 1. *dub.* 7. *punct.* 6. *n.* 44. Marchin. *de sacrament. Ordin. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 11. *n.* 10. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 10. vet. *Octauo stante.* Mattinon. *disp.* 39. *de Eucharist. num.* 18. Lessius *de sacrament. qu.* 83. *art.* 1. *dub.* 9. *n.* 45. Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disp.* 3. *dub.* 6. *num.* 154. Francisc. Lugo *de sacrament. lib.* 5. *cap.* 4. *quæst.* 8. *n.* 74. Mæratt. *tom.* 3. *disp.* 39. *de Eucharist.* vet. *Quæres tertio.* Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disp.* 3. *de Eucharist. difficult.* 12. Isambert. 3. *part. quæst.* 83. *disp.* 6. *art.* 2. vet. *Posterior verò pars.* Amicus *tom.* 7. *Curs. Theol. disput.* 33. *sect.* 7. *num.* 262. Leander. *de sacrament. tract.* 8. *disput.* 3. *quæst.* 16.

4 Dicendum est. *Sacrificium Missæ remittere pœnas secundum maiorem, vel minorem mensuram dispositionis illius, pro quo offertur.* Nomine autem dispositionis non intelligitur gratia habitualis, quia si hæc est dispositio necessaria, est tantum necessaria vt remouens impedimentum, vt rectè Auctores prioris sententiæ, sed intelligitur illa dispositio, quæ consistat in quocunque actu, qui concernat effectum sacrificij, quæ nomine deuotionis intelligitur. Desumitur ex illis verbis Canon. Miss. *Quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio.* Fit enim mentio fidei, & deuotionis eorum pro quibus offertur, vt intuitu ipsarum moueatur Deus ad concedendum vberiorem effectum.

5 Probat. Eadem satisfactio secundum se crescit, & decrescit, in æstimatione prudentum iuxta maiorem, dignitatem personæ illam exhibentis: vnde postulatio veniæ proueniens à nobiliori persona pro eadem offensa, & respectu eiusdem personæ offensæ, est maioris pretij, & æstimationis, quàm si proueniret à minus nobili. Et ob hanc causã satisfactio Christi fuit summi valoris, quia exhibita fuit à persona infinita: Ergo satisfactio Christi applicata secundum eandem mensuram per sacrificium Missæ pro persona melius disposita erit maioris æstimationis: Ergo sufficiet pro exting[...] maiori pœna. Conseq. prob. Quia applicatio illius satisfactionis eam appropriat illi, pro quo offertur sacrificium, & operatur, quod exhibeatur Deo tanquam proueniens ab ipso. Rursùs dispositio, cùm consistat in actibus virtutum supernaturalium, significant personam, & proinde faciunt, quod illa satisfactio censeatur maioris valoris, tanquam exhibita à persona magis digna. Conseq. 2. prob. Satisfactio extinguit pœnam debitam secundum mensuram, sui valoris, & æstimationis: Ergo quò plus crescit in valore, & æstimatione eò maiorem pœnam extinguet.

Dices. Sequeretur, quod sacrificium plus pœnæ remitteret habentibus maiorem gratiam, quia cùm gratia dignificet, maior gratia magis dignificat. Resp. Hoc non sequi. Quia maior gratia dignificat magis secundum se, non autem relatiuè in ordine ad satisfactionem, quia de se absoluto modo se habet, nec respicit sacrificium, aut satisfactionem per ipsum exhibitam. Satisfactio autem crescit in pretio ex illa dignitate satisfacientis, quæ respicit satisfactionem. Et ideò crescit ex dignitate personali, quia in satisfactione submittitur persona cum sua dignitate personæ offensæ. Quod non contingit in gratia, quia cum nesciat satisfaciens an sit in gratia, aut quantum habeat, non potest eam in satisfactione submittere personæ offensæ, quia voluntas non fertur in incognitum. Et hoc si præcisè loquamur de gratia, quia si loquamur de dispositione, quæ consistit in actibus, cùm hi sint magis digni, quò à digniori persona, ratione maioris gratiæ proueniunt, magis dignificant elicientem in ordine ad satisfactionem. 6

Confirm. Sacramenta causant maiorem gratiam in melius dispositis, vt est communis Theologorum sententia, & loquens de Baptismo tradit Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 7. *de iustificat.* ibi. *Iustitiam in nobis recipientes vnusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Et ideò gratia crescit ad augmentum dispositionis, quia cum dispositio præparet, ad gratiam de congruo exigitur, quod gratia correspondeat dispositioni: & proinde sacramenta determinata sunt ad producendam gratiam secundum mensuram dispositionis. Sed etiam dispositio, quæ concernit satisfactionem, præparat subiectum ad recipiendam condonationem pœnæ: & proinde de congruo exigit, quod condonatio pœnæ correspondeat dispositioni; & quod sacrificium sit determinatum ad ita operandum, vt condonatio sit proportionata dispositioni. Rursus cùm dispositio coniungatur cum satisfactione quæ applicatur per sacrificium exigit de congruo, quod illa satisfactio acceptetur secundum mensuram dispositionis coniunctæ. 7

Si autem quæratur, quinam sint illi actus, qui disponunt subiectum ad recipiendum maiorem fructum sacrificij quoad satisfactionem. Resp. In ordine ad dignificandam satisfactionem, esse omnes illos, qui aliquo pacto dignificare possunt, ipsam satisfactionem, & humilitas, qua quis se Deo submittit, dolor de peccato præterito, propositum non offendendi de cætero Deum, affectus ad sacrificium tanquam ad cultum Dei, gratiarum actio pro peccatis remissis, & vniuersaliter omnes illi actus, qui continent aliquod obsequium erga Deum. Ex quo fit, quod maximè disponat actus ille internus, qui correspondet sacrificio externo tanquam causa illius, qui per hunc homo maximè subijcitur Deo, & recognoscit illius potestatem, vt suo loco explicatum est. Quod autem ad dispositionem in ordine ad recipiendam remissionem pœnæ, consistit in illis omnibus actibus, quibus subiectum de congruo fit dignum diuina misericordia, & clementia quia tum 8

satisfactio

satisfactio exhibita Deo per sacrificium coniungitur cum diuina clementia, & misericordia ratione cuius exigit maiorem pœnam relaxari.

9 Ad 1. resp. Eos, pro quibus offertur sacrificium, se habere etiam in genere causæ effectiuæ, nam dum offertur pro ipsis offertur etiam nomine ipsorum, & satisfactio exhibetur Deo nomine ipsorum, & cùm agatur de ipsorum vtilitate, præsumuntur ex voluntate interpretatiua ratum habere, quod fit nomine ipsorum. Vnde ratione dispositionis, quam habent augent pretium satisfactionis exhibitæ Deo, vt dictum est.

10 Ad 2. Fructum sacrificij, quatenus prouenit ex sacrificio, & applicatur à Sacerdote, se habere quidem per modum donationis; quia tamen donum non remanet apud donatorium, sed nomine ipsius offertur Deo, ideò crescit in pretio ex dignitate illius, cuius nomine offertur, vt explicatum est, & dispositio in donatario facit quod retrahat à diuina clementia maiorem fructum quàm alias retraheret.

11 Ad 3. Aliud esse, quod in eo, pro quo offertur sacrificium, non requiratur dispositio, nisi vt remouens impedimentum; & aliud, quod si vltra dispositionem, quæ remanet impedimentum, interueniat aliqua alia concernens effectum sacrificij, augeat ipsum. Sic in Baptismo paruulorum non requiritur dispositio, & tamen in adultis auget effectum. Sic plures dispositiones non sunt necessariæ pro cæteris sacramentis; & tamen si interueniant, augent effectum sacramenti, vt in Eucharistia pro qua solùm est necessaria gratia vt remouens impedimentum peccati. Et tamen si interueniant alij actus virtutum disponentes, augent effectum sacramenti. Quamuis ergo pro recipiendo fructu sacrificij non requiratur aliqua dispositio præter remotionem impedimenti, si tamen interueniat, augebit fructum ipsius.

12 Ad 4. Satisfactionem, quæ exhibetur Deo per sacrificium crescere in pretio, & æstimatione ratione dignificationis, quàm habet à dispositione illius, pro quo offertur, vt dictum est. Præter tamen satisfactionem, adest remissio pœnæ quæ consequitur ad satisfactionem, qua ratione sui termini est intrinseca illi, pro quo offertur sacrificium, siquidem in ipso extinguitur debitum pœnæ, quæ remittitur.

13 Ex dictis colligitur. Hanc dispositionem non debere esse necessariò formalem, sed sufficere virtualem, quæ scilicet fuerit priùs formalis, & postea transeat in virtualem. Vnde si quis curaret pro se offerri sacrificium, & se præpararet ad illius fructum recipiendum, si posteà dormiret, dum offertur sacrificium, quia virtualiter manet illa dispositio, reciperet fructum commensuratum dispositioni. Et ratio est; quia moraliter permanet illa dispositio, & cùm consideretur tanquam dignificatiua, consideratur secundum esse morale, & sufficit quod moraliter duret: sicut etiam, quando quis contra colligitur fit matrimonium per procuratorem, non requiritur tunc consensus formalis, sed sufficit semel exhibitus, & non retractatus.

14 Colligitur secundò. Hoc argumentum, quod in fructu sacrificij habetur intuitu dispositionis, esse ex opere operato, sicut etiam est gratia in sacramentis, quæ crescit ratione dispositionis. Nam habetur ratione satisfactionis, quæ per sacrificium exhibetur Deo, quæ, vt dictum est, acquirit pretium accidentale ex dispositione subiecti, & quia operatur secundum mensuram diuinæ clementiæ excitatæ per dispositionem subiecti, ideò meliori modo operatur, & proinde totus fructus prouenit ab ipsa sic qualificata. Sacrificium enim sicut & sacramenta, est determinatum ad producendum suum fructum iuxta mensuram dispositionis recipientis.

Tertiò colligitur. Eos qui aliquo actu concurrunt ad oblationem sacrificij, ratione huius actus percipere maiorem fructum non solum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, quatenùs pro ipsis offertur sacrificium. Ille enim actus est aliqua dispositio, quæ præparat subiectum in ordine ad effectum sacrificij, & ideò crescit effectus iuxta mensuram talis dispositionis. Vnde qui assistunt sacrificio non solùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato percipiunt maiorem fructum, quatenùs pro ipsis etiam offertur. 15

QVÆSTIO 77.

An sacrificium Missæ sit impetratorium bonorum temporalium.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Missæ est impetratorium beneficiorum Dei.*
2. *Sacrificium Missæ habet vim impetrandi bona temporalia.*
3. *Patres consentientes.*
4. *Sacrificium, est maximè aptum ad impetranda beneficia.*
5. *Oratio est impetratiua bonorum temporalium.*
6. *Quam efficaciam habeat sacrificium Crucis.* *Bona temporalia quomodo impetrabilia per sacrificium Missæ.*
7. *Sacrificium debet determinari ad hoc vel illud beneficium impetrandum, vt sit efficax.*

SAcrificium Missæ esse impetratorium beneficiorum Dei est certum de fide. Vnde Concil. Trident. *sess. 22. cap.* 2. definit, ritè offerri iuxta traditionem Apostolicam non solùm pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, sed etiam pro aliis necessitatibus. & *can.* 3. dãnat dicẽtes, non rite offerri pro aliis necessitatib. Vnde cũ loquatur indefinitè, nec coarctet ad hoc, vel illud genus necessitatum, comprehendet saltem omnes necessitates spirituales: atq; adeo offerri poterit pro obtinendo quocunque beneficio spirituali, quia quatenùs catenus ipso patimur necessitatem illius. Solùm difficultas est, an possit offerri pro necessitatibus, & beneficiis temporalibus. 1

Dicendum est. *Sacrificium Missæ habere vim impetrandi quæcunque bona temporalia, & ideo pro ipsis obtinendis offerri posse.* Ita communiter Doctores. Sotus *in 4. dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. ver. *Istis ergo.* Henriquez *lib.* 9. *cum cap.* 12. *num.* 3. *in fine.* Bellarmin *lib.* 2. *de Missa cap.* 3. Valent. *tom.* 4. *disp.* 6. *punct.* 1. *quæst.* 4. §. 23. Canis. *part.* 2. *Catechis. quæst.* 7. *de Euchar. littera B.* Azor. *par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 20. *quæst.* 7. Vasquez 3. *part. disputat.* 228. *capite* 4. *num.* 32. Suarez *disputat.* 79. *de sacrament. section.* 7. ver. *In hac re.* Becan. 3. *part tract.* 2. *de Sacram. cap.* 25. *quæst.* 12. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 41. *art.* 6. *conclus.* 2. Garzia *in sum. tract.* 3. *difficul.* 1. *dub.* 8. *punct.* 2. *num.* 11. Coninch *de Sacram. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 8. *num.* 118. Ruteus *de fructu sacrific. Miss. lib.* 1. *disp.* 2. *quæst.* 3. *n.* 2. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharis. sect.* 6. ver. *Quinto iuuat.* Lessius *de Sacram. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 8. *num.* 38. Dicastil. *de sacram. tract.* 5. *disp.* 2. *dub.* 2. *num.* 52. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 4. *quæst.* 1. *n.* 7. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disp. vnic. punct.* 6. *num.* 8. Mæratus *tom.* 3. *disp.* 37. *de Euchar. sect.* 12. *init.* Granad. 3. *part. controuers.* 6. *tract.* 14. *disp.* 5. *sect.* 3 *num.* 12. Layman *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 8. Fa- a

Facundez

eundez *precept.* 1. *Eccles. lib.4.cap.4.num.* 9. Bonacina *disp.4.de sacram.quæst.vlt.punct.3.num.*6.Reginald. *in praxi,lib.*29. *n.*151. *&* 155. Filliuc. *tract.5. cap.6. quæst.* 5. *num.*90. Gaspar Hurtad. *de sacram.disput.*5. *de sacrif. Missæ, difficult.*5. ver. *Addimus.* Caspensf. *tom.*2. *Curs. theol. tract.*23. *disp.*2. *sect.*1. *num.*7. Villalob. *part.* 1. *sum. tract.*8. *difficult.*8. *num.*6.

3 Desumitur autem ex Patribus Tertulliano *lib. ad Scapulam.* Oramus pro salute Imperatoris; & similia habet *lib. de Orat.* Dionys. *c.*3. *de Hierarc. Eccl.* Cyrill. Hierosolymit. *Catechis.* 5. *mystag.* vbi ait, *super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi &c.* Clemen. Romano *lib.*8. *Constit. Apostolicar. cap.*19. Vbi quod post consecrationem ait Diacon. *Oremus pro salubritate aëris, & fructuum maturitate.* Chrysost. *hom.*77.*in Ioan.* vbi ait, *Pro terra, marisque, & vniuersi orbis fructibus sacrificamus.* August. lib.22.de Ciuit. Dei cap. 8. *Perrexit vnus Sacerdotum, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio, Deoque protinus miserante cessauit.* Loquitur autem de vexatione dæmonis, qua vexabat domum. D.Basilio *in Liturgia*, post consecrationem. *Erue nos fortissime Domine à fame, lue, terræmotu, incendio, submersione.* Iacobo Apostolo *in Liturgia*, in qua oratur Deus, *Vt aërem temperatum reddat, rores benignos, fructuum magnam vim, & vt annus plenam nobis rerum copiam suppeditet.* Et similia habentur *in Liturgia* 5. Marci Euangelistæ. Ex quibus constat, quod semper fuit praxis Ecclesiæ offerre hoc sacrificium pro beneficiis temporalibus obtinendis à Deo atque adeò id esse iuxta traditionem Apostolicam: atque secundum institutionem Christi.

4 Ratio est, quia sacrificium ex genere suo est medium maximè aptum ad impetrandum à Deo beneficia, quippe redditur in ipso maximus cultus, qui reddi potest Deo: & homo maximè per ipsum subiicitur Deo, quatenus subiici potest & ideo est aptum ad conciliandam beneuolentiam Dei. Vnde etiam in lege veteri offerebantur Deo sacrificia ad impetranda beneficia temporalia sic Dauid 2. *Reg. cap.vlt.* obtulit sacrificium pro pestilentia sedanda, & obtinuit Onias 2. *Machabæorum* 3. obtulit sacrificium pro vita Heliodori, & alibi passim. Ergo hoc etiam sacrificium offerri potest pro beneficiis temporalibus impetrandis, siquidem successit in locum omnium sacrificiorum veteris legis, & continet eminentiori modo omnes prærogatiuas ipsorum ex Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. *de sacrificio Missæ.*

5 Confirm. Oratio est impetratiua bonorum temporalium, si fiat cum debitis circumstantiis, non alia ratione nisi quia cum humilitate exponit Deo nostras indigentias, & prouocat illius benignitatem. Sed etiam per sacrificium nos cum summa humilitate submittimus Deo, & confitemur nostram indigentiam, ratione cuius continuò ipso indigemus: Ergo si ordinetur ad aliquod beneficium etiam temporale obtinendum, erit impetratiuum illius, præsertim ratione summi obsequij erga Deum, quod in se continet.

6 Dices. Hoc sacrificium non habet aliquam efficaciam, nisi quatenus applicat virtutem sacrificij Crucis, & commonicat nobis fructus ipsius, vt habet Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. *de sacrific. Miss.* Ergo non potest ordinari ad impetranda beneficia temporalia, quia sacrificium Crucis non fuit ordinatum ad hæc beneficia, sed fuit oblatum pro redemptione generis humani, & pro iis, quæ concernunt salutem ipsius. Respondeo Beneficia temporalia posse considerari dupliciter. Secundum se præcisè, prout manent in puro statu temporalitatis. Et prout aliquo modo eleuantur ad statum spiritualium. Eleuantur autem per id, quod inseruiant tanquam fundamentum, aut aliquo alio modo simul cum spiritualibus ad salutem animæ. Primo modo non impetrantur mediante hoc sacrificio, neque ipsum est institutum à Christo ad ea impetranda; sed tantùm secundo modo. Et hoc pacto sunt fructus sacrificij Crucis, quia cum sacrificium Crucis sit ordinatum ad salutem, se extendit etiam ad omnia, quæ iuuant consequutionem salutis; atque adeò etiam indirectè ad temporalia, quatenùs coniuncta spiritualibus.

Ex dictis colligitur. Quod cùm sacrificium Missæ de se non sit ordinatum magis ad vnum beneficium, quàm ad aliud impetrandum siquidem ratione suæ excellentiæ est aptum impetrare omnia genera beneficiorum, non potest esse efficax ad impetrandum, nisi ab offerente determinetur ad hoc, vel illud beneficium, & proinde debet offerri Deo cum intentione respiciente beneficium impetrandum; sicut contingit etiam in oratione, quæ vt sit impetratiua, debet exprimere beneficium impetrandum. Non est tamen necessarium, quod intentio offerentis explicitè respiciat ad beneficium impetrandum, sed sufficit, si respiciat implicitè, vt si offerat iuxta intentionem illius, qui facit offerre. 7

QVÆSTIO 78.

An effectus impetrationis sacrificij sit infallibilis.

SVMMARIVM.

1. *Impetratio sacrificij est ex opere operato.*
2. *Impetratio ex vi sacrificij non est infallibilis.*
3. *Quomodo aliqui velint esse infallibilem.*
4. *Infallibilis impetratio per sacrificium aliquando est impossibilis.*
   Si impetratio esset infallibilis aliquando esset contra nostram salutem.
5. *Si impetratio sacrificij esset infallibilis fieri posset quod nemo damnaretur.*
   Et specialia beneficia spiritualia possent fieri communia.
6. *Impetratio requirit libertatem in dante.*
7. *Non semper adest voluntas, vt per sacrificium impetretur, quod petitur.*
8. *Sacrificium cur maximè aptum ad impetrandum.*

Qvamuis Doctores non conueniant, an hic effectus sit ex opere operato, cùm tamen non dependeat à ministro, nisi quatenus determinate debet impetrationem, sicut etiam determinat fructum per applicationem pro hoc, vel illo, sed proueniat ex efficacia sacrificij, & ex vi institutionis, siquidem secundum traditionem Apostolicam offertur pro necessitatibus ad impetranda Dei beneficia, vt habet Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 2. *de sacrif.* censendus est ex opere operato; præsertim quia beneficia, quæ per ipsum obtinemus, quatenùs conducunt ad salutem, sunt fructus sacrificij Crucis. Hoc autem sacrificium habet communicare nobis ex opere operato huiusmodi fructus. Solùm difficultas est, an hic effectus sit infallibilis. 1

Conueniunt communiter Doctores, quod effectus impetrationis non sit infallibilis, quia experientia constat, quod non semper impetramus ea, pro quibus curamus offerri sacrificium. Ita præsertim ij, qui volunt obtinere hunc effectum per modum 2

meriti de congruo, vt Sotus *in 4. distinct. 11. questione 2. artic. 7. ver. Sed percunctaris.* & *dist. 13. quæst. 2. artic. 1. ver. Isti ergo omnes.* Bellarmin. *lib. 2. de Missa cap. 5. § vlt.* Corduba *in qu. lib. 1. quæst. 3. dub. 2. opin. 4. ver. Tertio dicit.* Valent. *tom. 4. disp. 6. qu. 11. pun. 1. qu. 4. §. 23.* Tolet. *lib. 2. cap. 6. numer. 2.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 13. num. 3.* Suarez *disput. 79. de sacram. sect. 7.* Facundez *præcep. 1. Eccles. lib. 4. cap. 4. numer. 11.* Laiman. *libr. 5. Theol. mor. tract. 5 capit. 1. numer. 8. in fine.* Gaspar Hurtad. *de sacram. disp. 3. de sacrific. Miss. difficul. 5. ver. Obseruandum.* Caspens. *par. 2. curs. Theol. tract. 23. disp. 2. sect. 1 num. 7.* Rurcan. *de fruct. sacrific. lib. 1. disp. 2 qu. 3. numer. 4.* Vasquez *3. par. disp. 229. cap. 2.* Coninch *de sacram. qu. 83. ar. 1. dub. 8 conclus. 5. numer. 144. ver. Quatenus verò.* Bonac. *disp. 4. de sacram. qu. vn. pun. 3. num. 3.* Palaus *par 4. oper. moral. tract. 22. disp. vn. pun. 6. num. 9* Azor. *par. 1. lib. 10. cap. 12. qu. 4. in fine.* Mærat. *tom. 3. disp. 37. de Euchar. sect. 12. in fine.* Francisc. Lugo *lib 5. de sacram. cap. 4. qu. 1. num. 10.* Auersa *qu. 11. de Eucharist. sect. 6. ver. Quinto iuuat quoque.* Lessius *de sacram. qu. 83. ar. 1. dub. 8. num. 39. ver. Sed si propriè.* Dicastil. *tract. 5. de sacram. disp. 2. dub. 2. num. 56.* Becan. *3. par. tract. 1. de sacram. cap. 25. quæst. 11.* Quartus *ad Rubricas Missal. in Append qu. 2. pun. 6. ver. Respondeo, & dico.* Volunt tamen plures ex citatis præsertim Laiman, Coninch, Lugo, Quartus quod habeat semper impetratio aliquem effectum, itavt si non obtineat id, quod petitur, obtineat tamen aliquid aliud, quod magis expedit. Verum hoc est diuinare, quia non habemus pro hoc aliquod fundamentum: & cùm non impetretur, quod non petitur, non videtur habere locum alia impetratio, si id, quod petitur non conceditur.

3 Nonnulli tamen volunt impetrationem esse infallibilem. Ita Lugo *disp. 19. de Eucharist. sect. 9. nu. 139.* Garzias *in sum. tract. 3. difficul. 1. dub. 8. pun. 2. num. 12.* Gabr. à S. Vincent. *disp. 2. de sacrific. Mis. qu. 2. ver. Et respondeo.* Quia scilicet debet offerri ad impetrandum secundum voluntatem Christi, nam est determinatum ad impetrandum iuxta intentionem Christi, & in hoc habet suam infallibilitatem, quia tunc concurrit Christus vt principalis offerens repræsentando suam voluntatem Patri, ratione cuius sacrificium infallibiliter impetrat. Verum hoc est esse effectum fallibilem, quia scilicet non semper obtinet, quod nos petimus. Infallibilitas enim attenditur secundum vsum sacrificij, quem nos habemus: non possumus autem vti hoc sacrificio ad infallibiliter impetrandum, quia non impetrat, nisi nostra voluntas conformis sit voluntati Christi, & nos non possumus conformare, cum sit nobis ignota. Et ideò remanet fallibilis impetratio.

4 Itaque dicendum est. Effectum impetrationis huius sacrificij non esse infallibilem, neque quoad beneficia temporalia, neque etiam quoad spiritualia. Et præter experientiam probatur ex impossibilitate impetrationis: nam aliquando offertur sacrificium pro vna & eadem re obtinenda pluribus, quæ tamen vni tantum conferri potest, vt cùm vnus offert pro victoria vnius exercitus, & alter pro victoria contrarij: vnus pro electione vnius In Pontificem, & alter pro electione alterius, cùm tamen vnus tantum possit eligi. Rursus cum sit liberum vnicuique offerre sacrificium pro quolibet beneficio temporali, quod sit honestum, si impetratio esset infallibilis, sequeretur quod Christus ordinasset hoc sacrificium contra nostram salutem, quia non rarò contingit, quod ea intendamus impetrare per sacrificium Missæ, quæ, si concederentur, obessent nostræ saluti. Hoc autem non est possibile iuxta institutionem.

5 Similiter quoque quoad bona spiritualia non esse infallibilem impetrationem, constat ex eo, quod fieri posset, quod nullus damnaretur, quia pro vnoquoque offerri posset sacrificium ad impetrandam finalem perseuerantiam in gratia, quæ si infallibiliter obtineretur, vnusquisque saluaretur. Rursus aliqua beneficia spiritualia sunt tantum prædestinatorum, imò aliqua ex speciali priuilegio conceduntur tantum aliquibus sanctitate insignibus: Ergo si impetratio esset infallibilis possent per oblationem sacrificij ab vnoquoque obtineri. Denique posset quisque præseruari à peccatis non solum mortalibus, sed etiam venialibus per oblationem sacrificij ordinatam ad hoc spirituale beneficium obtinendum.

Ratio etiam à priori desumitur ex natura impe- 6
trationis, quæ requirit libertatem in dando in eo, à quo impetratur, quam excludit infallibilitas, quia importat talem connexionem, vt vnum ex natura sua trahat alterum tali pacto, vt non sequatur oppositum. Quod autem impetratio requirat libertatem in dante ex eo deducitur, quod impetrare est proposito aliquo motiuo, aut precum, aut meritorum, aut quocunque alio inducere ad faciendum aliquid, quod posset non fieri. Quod constat in oratione, quæ ex natura sua est ordinata ad impetrandum, & versatur circa ea, quæ nobis Deus potest negare, & potest concedere. Et ideò eò ipso, quod sacrificium est impetratorium, non potest vt tale habere effectum infallibilem, quia non arctat Deum ex aliquo pacto, aut institutione ad concedendum.

Dices. Christus est principalis offerens: Ergo si- 7
cuti reliquit in potestate sacerdotis applicare fructum sacrificij, quem habet à Christo, vt tali offerente, ita etiam reliquit in ordine ad impetrationem determinare voluntatem suam in ordine ad hoc vel illud beneficium: Ergo cum interueniat voluntas Christi petentis hoc beneficium ex determinatione sacerdotis, impetratio erit infallibilis, quia ob sua merita repræsentata in illo sacrificio, & per ipsum applicata non potest non exaudiri. *Resp.* Hæc locum habere, quando adest voluntas Christi de impetrando, quod petitur, quæ tunc per sacerdotem tanquam per ministrum repræsentatur Deo vt determinata ad tale beneficium. Quia tamen Christus ita instituit hoc sacrificium tanquam medium impetratiuum, vt seruaret in ipso naturam impetratiui, ideò non instituit vt medium infallibile. Et proinde neque semper Christus habet voluntatem tanquam principalis offerens impetrandi id, quod petitur, sed solum quando scit, quod Deus mouebitur ex oblatione sacrificij ad concedendum, nam habet suam voluntatem conformem voluntati diuinæ? Et quando non adest huiusmodi voluntas, neque etiam per sacerdotem repræsentatur Deo.

Ex dictis colligitur. Hoc sacrificium esse maximè 8
aptum ad impetrandum; siquidem in ipso repræsentantur & offeruntur Deo merita passionis Christi, quibus nihil potest esse magis gratum Deo: & proindè nihil est, quod magis mouere possit Deum ad concedenda beneficia. Præsertim quia accidit etiam voluntas Christi petentis saltem ratione institutionis huius sacrificij ad impetrandum, id, pro quo obtinendo offertur; & proindè tanquam persona summè cara non potest non exaudiri. Imò hoc sacrificium est primum impetratorium in particulari, quatenùs est idem secundum substantiam cum sacrificio Crucis, à quo omnia alia participant efficaciam impetrandi.

DE

Digitized by Google



DE DISPOSITIONE REQVISITA IN ORDINE AD effectus facrificij Miffæ.



VPPOSITIS iis, quæ in fuperioribus dicta funt quoad eos, pro quibus facrificium hoc offerri poteft, inquirendum venit, an in iis, pro quibus offerri poteft, requiratur aliqua difpofitio, vt percipiant effectus ipfius, & quia varij funt effectus ideò quoad fingulos eft inquirendum.

QVÆSTIO 79.

Quæ difpofitio requiratur pro effectu remiffionis peccatorum.

SVMMARIVM.

1. *Pro omni effectu facrificij requiritur ftatus viatoris.*
2. *Refurrectio quando fiat debita.*
3. *Pro effectibus facrificij requiritur Baptifmus.*
4. *Pro impetratione auxiliorum ad pœnitentiam non eft neceffaria fpecialis difpofitio.*
5. *Pro effectu propofitionis, quæ difpofitio fit neceffaria.*
6. *Difpofitio requifita à Concil. Trident.*
7. *Quod dependet à conditione non exiftit, ea non exiftente.*
8. *Media ad remittenda peccata requirunt noftram cooperationem.*
9. *Difpofitio an debeat effe præparata pro obtinenda remiffione peccatorum.*
10. *Vt quis per facrificium obtineat remiffionem, debet concurrere ad fatisfaciendum Deo.*
11. *Cur non omnibus, pro quibus offeruntur facrificia, remittantur peccata.*
12. *Pro remiffione venialium, an requiratur aliqua difpofitio.*

1 SVpponendum eft tanquam certum pro omni effectu huius facrificij requiri ftatum viatoris, fumendo hunc ftatum prout comprehendit etiam animas purgantes, quatenus nondum funt in termino fuæ viæ. Et ita notant communiter Doctores Henriquez *lib. 9. fum. cap. 14. n. 2.* & *cap. 16. num. 2.* & *in Comment. Littera I.* Bellarmin. *lib. 2. de Miff. cap. 6.* ver. *Pro iis*, & *cap. 8.* ver. *Quoad primum.* Viguer. *cap. 16. Inftit. theol. §. 3. ver. 12.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 22. quæft. 5. & 6.* Miranda *tom. 1. Manual. quæft. 41. art. 18.* Vafquez *3. part. difput. 227. cap. 5. num. 35, & 37.* Suarez *difput. 39. de facrament. fect. 10.* ver. *Nihilominus contraria.* Facundez *præcept. 1. Ecclef. lib. 4. cap. 1. num. 8.* Ruteus *de fruct. facrific. lib. 1. difput. 5. quæft. 1. init.* Francifc. Lugo *libr. 5. de facrament. cap. 4. quæft. 7. num. 65.* Garzia *in fumm. tractat. 3. diffic. ult. 1. dub. 7. part. 6. num. 42* & alij communiter. Ratio eft, quia efficacia huius facrificij non magis extenditur, quàm extendatur efficacia facrificij Crucis cùm folùm fit efficax applicando virtutem illius, & communicando nobis fructus Paffionis Chrifti. Sacrificium autem Crucis non fe extendit vltra viatores, quia beatis iam obtinuit gloriam & eos conftituit in termino. Damnatis autem non amplius prodeffe poteft, quia ratione ftatus funt incapaces.

Et quamuis in virtute facrificij Crucis conceffa fit Beatis refurrectio, & plures glorias accidentales ex hoc facrificio reportent. Attamen refurrectio non fit debita poft adeptam beatitudinem, fed fit debita fimul cùm ipfa, & gloria accidentalia non pertinet ad fructum facrificij, quia folum videtur reduci poffe ad impetrationem; non reducitur tamen quia non impetratur de nouo ipfis à Deo, fed ratione fanctitatis, cum qua deceffetunt, & ipfis debita. 2

Secundò fupponendum eft, quod ficut eft certum, quod pro remiffione peccatorum mortalium non requiritur ftatus gratiæ, alioquin non adeffent peccata quæ remitterentur, ita etiam certum, quod requiritur Baptifmus, vt docent communiter tàm in ordine ad hunc effectum, quàm in ordine ad effectum fatisfactionis, præfertim D. Thom. *3. part. quæft. 79. art. 7. ad 2.* Sotus *in 4. diftinct. 12. quæft. 2. art. 7. ad 2.* Tabiena *verbo* Miffa. *num. 8.* Henriquez *lib. 9. cap. 15. num. 4.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 21. quæft. 2.* Bellarmin. *lib. 2. de Miffa cap. 6.* ver. *Et de iis.* Vafquez *3. part. difput. 27. cap. 3. num. 10.* Suarez *difput. 79. de facrament. fect. 10.* ver. *Dico primò*, Miranda *tom. 1. Manual. quæft. 41. art. 18. conclus. vnic.* Facundez *præcept. 1. lib. 4. cap. 1. n. 16.* Ruteus *de valore facrament. lib. 1. difput. 5. quæft. 1. init.* Garzia *in fum. tract. 3. difficult. 1. dub. 7. punct. 6. num. 42.* & alij. Et ratio eft. Quia hoc facrificium eft inftitutum pro Ecclefia vifibili, & membris ipfius, atque adeò quatenus propitiatorium, eft ordinatum ad remittenda peccata iis, qui funt per Baptifmum membra Ecclefiæ. Deinde vel agitur de peccatis includentibus etiam originale, &, tunc, cùm non poffint remitti, nifi remittatur fimul originale, non poffunt remitti, nifi per Baptifmum, quia originale per folum Baptifmum remittitur. Si verò non includunt, iam funt commiffa poft Baptifmum, & poffunt remitti per hoc facrificium. Difficultas autem eft; an pro hoc effectu obtinendo requiratur aliqua alia difpofitio. 3

Tertiò fupponendum eft. Quod cùm hoc facrificium, quatenùs impetratorium, poffit impetrare à Deo auxilia in ordine ad pœnitentiam, quia efficacia impetratiua extenditur ad omne genus beneficiorum: non erit neceffaria aliqua alia difpofitio. Quia impetratio fe extendit ad omnes viatores, etiamfi non fint Baptizati, quia fe extendit ad omnes, qui funt capaces beneficiorum Dei, cùm habeat pro termino obtinere Dei beneficia. In tali tamen cafu remiffio peccatorum mediantibus auxiliis ad pœnitentiam pendebit ex mera liberalitate Dei. Et ideò reftat difficultas de remiffione per facrificium quatenùs propitiatorium, quàm fupra dictum eft, effe infaillibilem. 4

Communiter non videtur requirere aliquam aliam difpofitionem præparantem fubiectum ad hunc effectum, nifi fortè ij, qui putant vniuerfaliter requiri deuotionem, feu affectum erga facrificium, ad percipiendos effectus ipfius: Dicendum tamen eft. *Requiri difpofitionem præparatiuam fimilem illi, quæ requiritur, quando cum facramento remittitur peccatum: nempe actum fidei, & aliquam conuerfionem ad Deum, & dolorem de peccatis, qui confiftat in attritione.* 5

Hoc expreffè traditur à Concilio Trident. *feff. 22. cap. 2. de facrific. Miffæ*, vbi habet, *Per ipfumque* (facrificium) *fieri, vt fi cum verò corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, mifericordiam confequamur, &* 6

gratiam inueniamus in auxilio opportuno. In quibus tota prædicta dispositio ponitur. Nam cum dicitur, *Recta fide*, exprimitur dispositio actus fidei, quæ dicitur recta, quia debet esse sicuti oportet in ordine ad iustificationem, atque adeò est gratia, vt definit idem Concil *sess. 6. can. 3.* & illa, quam vt dispositionem ad iustificationem, ponit idem Concil. eadem *sess. cap. 6.* Dicitur *vero corde*, quia debet esse conuersum aliquo modo ad Deum per aliquem amorem imperfectum, sicut habet idem Concil. *eod. cap.* de illo, qui præparatur ad satisfactionem. Cor enim non est rectum, nisi sit directum ad Deum, quem debet respicere, vt vltimum finem; à quo si declinet non est amplius rectum, quia non declinat, nisi conuertendo ad terrena, & detorquendo suas cogitationes à via per quam debent incedere. Dicitur *Contriti, ac pœnitentes*, nempe contritione, ac pœnitentia imperfecta, quæ non remittat peccata, sed præparet ad remissionem. Additur, *Cum metu, & reuerentia.* Ad significandum principium, vnde prouenire debet dolor de peccatis, quia scilicet oriri debet ex motiuo se tenente ex parte Dei, & ex quo reuerentia erga ipsum consurgit.

7 Quod autem hi actus requirantur tanquam dispositio necessaria, sine qua non habeatur effectus, desumitur ex eodem Concilio, nam loquitur conditionate de hoc sacrificij effectu, ita vt declaret concedi sub illa conditione veri cordis, & rectæ fidei, metus, & reuerentiæ, contritionis ac pœnitentiæ, nam adhibet dictionem, *Si*, conditionalem; vt constat ex illis verbis: *Vt si cum vero corde, &c.* Et ideò deficiente hac conditione, effectus non habet locum; nam quod dependet in esse ab aliqua conditione, ea non existente, nec ipsum habet locum. *l. Pecuniam. ff. si cert. pet.* vbi Doctores, & *l. Hac conditio ff. de contrahenda emptione.* & *l. Necessario, §. quod si pendente. ff. de pœnit. & cum rei vend.* & *l. Cedere diem. ff. de verbor. significat.* Et communiter Doctores Cephal. *consil. 56. num. 12. vol. 1.* Afflict. *decis. 355. num. 4.* Roman. *Consil. 421 num. 2.* Bald. *consil. 478.* Rota *decis. 107. num. 6. part. 4. Recentior.*

8 Ratio autem est. Quia media, quæ ordinata sunt ad remittenda peccata, requirunt ex institutione sua nostram cooperationem, vt constat in sacramentis, quia non conuenit remitti peccatum, nisi peccator reuerti incipiat ad Deum: Ergo cum sacrificium sit ordinatum ad remissionem peccatorum à Christo, in quo ipse primò incipit promouere remissionem, requiritur nostra cooperatio, quia licèt non immediatè remittat, sicut remittunt sacramenta, est tamen primum mouens ex parte Christi ad remissionem, & ideò subiectum debet esse dispositum.

9 Sed adhuc dubium remanet. An hæc dispositio debeat esse præparata in ordine ad sacrificium, atque adeò debeat dispositus concurrere ad oblationem sacrificij aliquo actu, an verò sufficiat, quod præcisè sit dispositus, quamuis nihil cogitet de sacrificio. Resp. Hanc dispositionem debere esse in ordine ad recipiendum effectum sacrificij, atque adeò debere esse coniunctam cum voluntate recipiendi effectum sacrificij. Quod desumitur ex Concil. Trident. *sess. 22. cap. 2. de sacrific.* vbi cum declarasset, hoc sacrificium esse verè propitiatorium, & per ipsum fieri, vt mediante dono pœnitentiæ remittantur peccata, addit conditionem necessariam, videlicet, *Si cum metu, & reuerentia accedamus ad Deum.* Ergo est necessarius accessus ad Deum, vt per hoc sacrificium obtineamus remissionem peccatorum, atque adeò requiritur concursus in sacrificium tanquam in medium electum ad obtinendam remissionem peccatorum. Non accederemus autem ad Deum cum metu, & reuerentia ad obtinendam remissionem, nisi aliquo modo applicaremus medium per quod est obtinendum.

Deinde hoc sacrificium remittit peccata tanquam propitiatorium hoc est, tanquam applicatiuum ex satisfactionibus Christi, quantum sufficit pro peccatis illius, pro quo offertur: Ergo cùm peccata remittantur mediante exhibitione satisfactionis, debet is, cui sunt remittenda, concurrere suo modo ad satisfaciendum se submittendo Deo, quod est, quod dicit Concil. *Cum metu, & reuerentia*; satisfactio enim exhibita pro alio, & nomine ipsius, debet aliquo pacto ab ipso prouenire, præsertim in hoc casu, in quo debet peccator accedere ad Deum per pœnitentiam. Hinc etiam sacrificia veteris legis non remittebant peccata suo modo, neque offerebantur tanquam propitiatoria, nisi instante, eo pro quo erant offerenda. 10

Ex his colligitur. Cur non omnibus, pro quibus offeruntur sacrificia, non remittantur peccata. Non enim hoc prouenit, quia effectus non sit infallibilis, sed quia non reperit sacrificium subiectum dispositum, & cum conditionibus requisitis. Hinc quando offeruntur sacrificia pro nescientibus, sacrificium non sortitur hunc effectum in ipsis, quia dato, quod sint aliàs dispositi, non tamen sunt dispositi ad effectum huius sacrificij, & ideò non potest ipsis prodesse tanquam propitiatorium. Prodest tamen tanquam impetratorium, quia potest ipsis impetrare auxilia ad pœnitentiam, quamuis non infallibiliter, & solùm in virtute liberalitatis diuinæ. Est tamen aduertendum. Quod non requiritur, quod hæc dispositio sit actualis quando offertur actu sacrificium, sed sufficit, quod moraliter permaneat, quia præcisè disponere debet, & operari tantùm quod subiectum correspondeat proportionaliter, & moraliter efficaciæ sacrificij. 11

Ex dictis colligitur, an ad obtinendam per sacrificium remissionem venialium requiratur aliqua dispositio. Et quidem si loquamur de remissione, quæ fit per impetrationem auxiliorum, cùm tunc sacrificium non exerceat in ordine ad hunc effectum, nisi vim impetratiuam, non requiritur aliqua dispositio, quia ad obtinendum effectum impetrationis generaliter non requiritur dispositio, nisi forte effectus impetrandus illam requirat. At si loquamur de remissione per sacrificium, vt propitiatorium, tunc requiritur aliqua dispositio, ratione cuius aliquo modo velit satisfacere Deo in finem obtinendæ remissionis per illud sacrificium, vt obseruat etiam Suarez *disput. 79. de sacrament. sect. 5. in fine.* Ratio est. Quia quando, sacrificium remittit peccata vt propitiatorium, exhibet Deo condignam satisfactionem pro offensa ex satisfactionibus Christi, quod etiam contingit quoad peccata venialia. Hæc autem satisfactio supponit, quod qui offendit velit recedere ab offensa, qualiscumque sit, atque adeò quod velit obtinere remissionem, quod non potest fieri sine aliqua dispositione, & voluntate obtinendæ remissionis per sacrificium. 12

QVÆSTIO 80.

An ad effectum remissionis pœnæ, requiratur aliqua dispositio.

SVMMARIVM.

1. *Effectus sacrificij remissionis pœnarũ requirit actualem indigentiam.*
2. *An requirat statum gratiæ*, & nom. seq.
4. *Existens in peccato non est in statu satisfaciendi, aut satispatiendi.*

5. *Satisfactio*

5. *Satisfactio oblata pro aliquo nititur voluntati interpretatiuæ ipsius.*
Sacrificium non est institutum, vt satisfactorium pro existentibus in peccato.
6. *Deus benefaciens peccatoribus vtitur misericordia, & accipiens satisfactionem vtitur iustitia.*
7. *In acceptatione satisfactionis, quid attendatur.*
8. *Peccator quomodo capax fructuum sacrificij.*
9. *Cur peccatum offerentis non impediat fructum sacrificij, & impediat peccatum illius pro quo offertur.*
10. *Status gratiæ quando requiratur pro effectu satisfactionis.*
Dans eleemosynam pro sacrificio in mortali percipit fructum, si dum offertur, sit in gratia.
11. *Relinquens in testamento condito in mortali percipit fructum, si decedat in gratia.*
12. *Satisfactionis effectus an commensuretur gratiæ.*

1 PRæter conditionem viatoris, & Baptismi, quæ licuit est necessaria pro remissione culpæ, ita etiam est necessaria pro remissione pœnæ, quæ non remittitur, nisi remissa culpa, est necessaria ad hunc effectum remissionis actualis indigentia: hoc est, quod is, cui virtute sacrificij facienda est remissio, sit obnoxius alicui pœnæ, quia, si nullam habeat subiectæ pœnam, sacrificium non producit hunc effectum, neque satisfactio per ipsum applicata reseruatur in futurum, vt communiter omnes aduertunt præsertim Vasquez 3. *part. disp.* 231. *num.* 51. *in fine.* Suarez *de sacrament. disp.* 78. *sect.* 10. ver. Quartò requiritur. Lugo *disp.* 199. *de Eucharist. num.* 209. Filliuc. *tract.* 5. *num* 83. Facundez *præcep.* 1. *Eccles. lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 19. Bonac. *disp.* 4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.* 5. *num.* 5. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 10. ver. *Nono si.* Dicastil *de sacramen. tract.* 5. *disp.* 6. *dub.* 6. *num.* 172. Quia satisfactio in futurum est reseruata meritis Christi, & reposita in Thesauro Ecclesiæ. Nec solutio debitum præcedere potest. Solum difficultas est, an requiratur, quod is, cui est pœna remittendi, sit in gratia, an verò possit remitti non obstante, quod sit in peccato mortali.

2 Prima sententia asserit, non esse necessariam dispositionem gratiæ sanctificantis ad effectum remissionis pœnæ. Ita ij, qui volunt, non requiri statum gratiæ ad satisfaciendum pro pœna debita peccatis, & proinde nec ad ipsius relaxationem. Ita Durand. *in* 4. *dist.* 16. *quæst.* 2. *num.* 6. & 9. Gal. *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 3. Scotus *dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 4. Maior. *quæst.* 1. Nauarr. *cap.* 1. *in* 1. *num* 45. & 47. *de pænit. instit.* 6. Medina *C. de confess. num.* 3. *de satisfact. quæst.* 5. *dub. vlt.* Amicus *tom.* 7. *Curs. theol. disp.* 33. *sect.* 7. *num.* 240. Fundamentum est. Quia cùm pœna soluend sit temporalis compensari potest absque aliqua dignitate personæ per æqualem pœnam, aut æqualem satisfactionem exhibitam, quia in hoc attenditur solum æqualitas ad æqualitatem, non autem dignitas soluentis.

3 Secunda sententia asserit, requiri statum gratiæ in eo, pro quo offertur sacrificium, vt sortiatur hunc effectum. Ita ij, qui requirunt vniuersaliter statum gratiæ ad satisfaciendum pro pœna debita peccatis. D. Thom. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiuncula* 2. D. Bonau. *art.* 1. *quæst.* 3. Palud. *quæst.* 1. *art.* 3. *conclus.* 2. Richar. *art.* 1. *quæst.* 5. Alens. *part.* 4. *quæst.* 85. *num.* 1. *alias quæst.* 24. *num.* 4. *art.* 1. Adrian. *in* 4. *quæst.* 1. *de satisfact.* Ledesma 2. *part.* 2. *quæst.* 13. *art.* 2. & 3. Caiet. *in sum. verbo* Satisfactio, *cap.* 1. *in fine*, & *tom.* 1. *opuscul. tract.* 6. *quæst.* 2. *dicto* 2. D. Antonin. 3. *part. tit.* 14. *cap.* 20. §. 2. Tabiena *verbo* Satisfactio. *num.* 8. Angel. *quæst.* 6. Syluester. *quæst.* 7. Armilla *num.* 5. Petrus Sotus *sect. vlt. de sacrific.* Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 18. *num.* 3. & *in Comment. littera* K. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 14. *punct.* 3. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 56. *conclus.* 10. & alij in materia de pœnitentia, vbi de satisfactione. Et in specie loquentes de sacrific. Miss. D. Thom. 3. *part. quæst.* 79. *art.* 7. *ad* 2. Nauarr. *de orat. cap.* 19. *num.* 73. *in fine.* Sotus *lib.* 9. *de iust.* & *iure quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 3. Vasquez 3. *part. disp.* 231. *cap.* 7. *num.* 45. Suarez *disp.* 79. *de sacrament. sect.* 10. ver. *Tertiò requiritur.* Facundez *præcep.* 1. *Eccles. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 20. Coninch. *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 8. *num.* 145. & 165. Lugo *de Eucharist. disp.* 19. *sect.* .... *num.* 194. Filliuc. *tract.* 5. *num.* 93. Garzia *in sum. tract.* 3. *difficul.* 1. *dub.* 7. *punct.* 6. *num.* 42. Faust. *lib.* 2. *de sacrific. Miss. quæst.* 56. Ruteus *de fruct. sacrific. lib.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 1. *num.* 2. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 4. *quæst.* 7. *num.* 69. Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 30. *de Eucharist.* ver. *Quod ergo.* Gaspar Hurtad. *de sacrific. Miss. difficult.* 12. ver. *Ad remissionem.* Caspens. *part.* 2. *Curs. theol. tract.* 23. *disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 60. Leander *de sacram. tract.* 8. *disp.* 4. *quæst.* 13. Mercer. *de sacram. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 8.

Dicendum. *Sacrificium requirere gratiam habitualem pro dispositione, vt remittat pœnam temporalem debitam peccatis.* Prob. Existens in peccato mortali non est in statu satisfaciendi pro hac pœna temporali, nec satispatiendi pro illius compensatione: Ergo nec recipiendi satisfactionem aliundè applicatam, seu effectum satisfactionis, nempè remissionem pœnæ, sibi aliunde applicatæ. Anteced. est certum, quia opera peccatoria, saltem præscindendo ab iis, quæ fiunt pro adimplenda pœnitentia iniuncta, de quibus est alia ratio, non sunt grata Deo tanquam opera inimici, & ideo nō acceptantur vt satisfactoria. Rursus satis passiones, vt compensent pœnam, debent ad hunc effectum acceptari; & ideo est eadem ratio etiam de ipsis. Conseq. prob. Quia vt offeratur satisfactio pro aliquo, debet esse in statu, vt Deus admittat satisfactiones pro ipso, dum autem est in peccato non est in tali statu, quia sicuti non acceptarentur, si ab ipso offerrentur tanquam quid oblatum ab inimico, ita nec sic pro ipso ab alio offerantur, quia licèt satisfactio sit ipsi grata, non tamen est ipsi gratum, quod offeratur pro inimico. 4

Confirm. Quando offertur satisfactio pro aliquo, quia agitur de ipsius vtilitate, præsumitur tacitùs consensus, & voluntas interpretatiua ipsius approbans oblationem, & ideò censetur offerri etiam nomine ipsius. Ergo cum non sit in statu, vt Deus acceptet satisfactiones ab ipso oblatas, nec etiam acceptabit oblatas nomine ipsius. Confirm. 2. Christus instituit hoc sacrificium vt satisfactorium pro pœna debita peccatis, & proindè non est satisfactorium vltra mensuram institutionis. Non instituit autem, vt esset satisfactorium pro iis, qui sunt in statu peccati, alioquin dum ipsis communicasset beneficia suæ passionis, & non in ordine, ad reducendos ad Deum, exercuisset amicitiam cum inimicis Dei, & visus fuisset non curare de tali inimicitia, nec eam odisse atque adeò; nec habuisse suam voluntatem conformem voluntati diuinæ. Rursus sacrificium Crucis non fuit oblatum pro peccatoribus, nisi in ordine ad subleuandos à peccato: non autem pro satisfactione pœnæ, quia vt tales sunt destinati pœnæ æternæ. Hoc autem sacrificium correspondet ipsi. Confirm. 3. Christus habuit voluntatem conformem voluntati diuinæ: Ergo cum Deus odio habeat peccatores, debuit etiam Christus odio habuisse: Ergo non potuit ipsis conferre beneficia, quæ relinquerent in statu illo inimicitiæ cum Deo, nam hoc esset exercere amicitiam cum inimicis Dei: Ergo nec instituere sacrificium pro remissione pœnæ temporalis ipsorum quia hoc esset conferre ipsis summum beneficium. 5

6 Dices. Esse diuersam rationem de Deo, ac de hominibus, nam Deus amat etiam suos inimicos, & confert ipsis plura beneficia spiritualia, vt sunt auxilia gratiæ, &c. Ergo non est inuerisimile, quod non acceptet satisfactiones pro ipsis oblatas, & quod eis remittat pœnam. Resp. neg. conseq. Quia alio modo se gerit Deus, quando vtitur misericordia; & alio quando vtitur iustitia. Cum inimicis, quando confert beneficia gratiæ, vtitur misericordia, ratione cuius confert ipsis ea auxilia gratiæ, quæ perducunt eos ad amicitiam cum Deo. Et ideò tunc non habet rationem indignitatis ipsorum. At quando vtitur iustitia, seruat rigorem ipsius, & respicit ad dignitatem, vel indignitatem subiecti. Quando autem agitur de remittenda pœna & acceptanda satisfactione pro ipsa, vtitur iustitia, quæ non permittit, quod inimico relaxetur pœna intuitu alterius satisfactionis.

7 Ad fundamentum in oppositum, resp. Aliud esse quod attendi debet in compensatione pœnæ luendæ: & aliud, quod debet attendi in acceptatione compensationis. In primo debet attendi solum æqualitas rei ad rem, quæ adest, si exhibeatur tanta satisfactio, aut satispassio, quanta est pœna. In secundo autem interuenit beneficium, quia non tenetur Deus acceptare alias satisfactiones, præsertim alienas pro pœna debita, sed potest eam exigere, & ideò, vt acceptet debet interuenire fauor, & gratia, quam non adhibet Deus cum peccatoribus, quia tanquam contumaces contra Deum indigni sunt hoc fauore cùm rursus reos se fecerint pœnæ æternæ, quam Deus benignè in temporalem commutarat: & proindè non sunt digni beneficio, quo accepto abusi sunt.

8 Dices. Peccator est capax fructuum sacrificij Crucis, vnde recipit auxilia gratiæ tanquam fructum passionis: Ergo erit etiam capax remissionis pœnæ temporalis, & hoc magis commendat liberalitatem diuinam & efficaciam meritorum passionis Christi. Resp. Esse capacem fructuum qui tendunt ad ipsum reconciliandum Deo, quia Christus mortuus est pro peccatoribus, vt eos reconciliaret Deo, iuxta illud 1. Petri 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo*: hoc est reconciliaret Deo. Et ideò peccatoribus communicantur fructus passionis Christi in ordine ad reconciliationem cum ipso. Non autem fructuum qui dantur amicis Dei, qualis est remissio pœnæ temporalis.

9 Dices 2. Peccatum offerentis sacrificium non impedit eius effectum ex opere operato: Ergo nec peccatum illius, pro quo offertur. Resp. neg. conseq. Quia peccatum offerentis non tollit efficaciam sacrificij, quæ illi conuenit ex natura sua, & quam habet independenter ab offerente, quia ministerialiter tantum se habet. At peccatum illius, pro quo offertur ponit obicem, & ideò, licet non tollat efficaciam à sacrificio secundum se, reddit tamen irritam reddendo subiectum incapax ratione impedimenti.

10 Ex dictis colligitur. Hanc dispositionem gratiæ, vt sacrificium sortiatur suum effectum, requiri pro illo tempore, in quo offertur sacrificium, quia tunc solum subiectum debet esse congruo modo dispositum, quando est forma introducenda. Et ideò quamuis esset in peccato mortali, quando dat eleemosinam, vt sacrificium pro se offeratur, recipiet fructum, si sit in gratia, quando offertur. Imò recipiet etiam illum fructum, qui percipitur ratione cooperationis ad oblationem, quia, licet ponatur in esse, in statu peccati mortalis, quia tamen non est causa fructus, nisi quatenùs moraliter influit in oblationem, & tunc solum moraliter influit, quando offertur sacrificium; ideò sufficit, quod tunc sit capax talis fructus. Itaque si tunc is, pro quo offertur, sit in statu gratiæ percipiet fructum prouenientem à cooperatione ad oblationem, cùm hæc solum sit apta ipsum causare. Et ita obseruat etiam Amicus *tom. 7. curs. Theol. disp. 33. sect. 6. numer.* 238. è contra verò licet sit in gratia, quando procurat sacrificium, non sit tamen, quando offertur, nullum percipiat fructum.

Ex quo fit, quod si quis condens testamentum in peccato mortali relinquat eleemosinas pro missis celebrandis in suum beneficium, si moriatur in gratia, fructum ex ipsis percipiet ob allatam rationem. Deindè etiam, quia dispositio testamentaria non sortitur effectum nisi in virtute vltimæ voluntatis, quam habet qui moritur, in vltimo puncto vitæ. Ita vt totum quod dispositum est, censeatur dispositum in illo vltimo puncto, & ideò quatenùs dependet à statu gratiæ, regulatur secundum illud vltimum punctum, & sortitur suum effectum existente tunc disponente in gratia, qui dependet à statu gratiæ. Imò si tunc non existeret in gratia, & extitisset, quando condidit testamentum, eodem pacto res se habet, ac si testamentum conditum fuisset in statu peccati. 11

Secundò colligitur; cum Suare *disp. 79. de sacrament. sect. 10. ver. Nihilominus censet*, Vasquez 3. *par. disp. 231. cap. 7.* Mærat. *tom. 3. sum. disp. 39. de Eucharist.* ver. *At hic quæres*, Quod licet gratia requiratur tanquam dispositio ad recipiendam remissionem pœnæ temporalis per sacrificium, non tamen fit quod iuxta quantitatem gratiæ crescat, vel decrescat remissio pœnæ. Nam non requiritur per modum dispositionis trahentis formam, sed remouentis impedimentum & reddentis subiectum capax. Sic ad Eucharistiam requiritur tanquam dispositio prima gratia, & tamen effectus ipsius non commensuratur huic dispositioni, sed dispositioni, quæ consistit in actibus deuotionis actualiter præparantis subiectum, gratia enim est dispositio in habitu, quæ merè passiuè se habet, & non determinat perfectionem effectus sacramenti, vel sacrificij. 12

QVÆSTIO 81.

An sacrificium oblatum pro aliquo, sortiatur suum effectum, impeditum per peccatum recuperato statu gratiæ.

SVMMARIVM.

1. *Effectus remissionis pœnæ, an locum habeat remoto impedimento peccati*, & num. seq.
2. *Effectus remissionis pœnæ impeditus non amplius restituitur.*
3. *Sacrificium ex sua institutione non habet causare effectum in subiecto incapaci.*
4. *Sacrificium non habet causare effectum transacta oblatione.*
5. *Non est eadem ratio de sacrificio ac de sacramentis quoad effectum impeditum.*
6. *Sacrificium quomodo moueat Deum ad conferendum effectum.*

Effectus sacrificij est determinatum ad tempus oblationis.

PRima sententia asserit, quod quando sacrificium reperit impedimentum pro effectu remissionis pœnæ, reuiuiscit posteà eius effectus, quando is, pro quo oblatum est, resurgit ad statum gratiæ. Ita Nauarr. *de orat. cap. 19. conclus. 6. dicto 4. numer. 74.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 13. numer. 1. & in eom littera F.* Facundez *precep. 1. Eccles. lib. 3. cap. 12. numer. 17.* qui tamen posteà in *sequenti lib.* mutauit sententiam. 1

Matchin.

Marchin. *de ſacrament. Ordin. tract.* 3. *par.* 2. *cap.* 11. *num.* 6. Leander. *tract* 8. *de ſacram. diſput.* 3. *quæſt.* 14. Prob. Hic effectus eſt ex opere operato: Ergo conferretur recedente fictione, ſeu impedimento, ſicut confertur in ſacramentis. Confirm. Hic effectus eſt ex inſtitutione diuina, atque adeò eſt opus Dei, & Chiſti: Ergo recedente fictione ponetur ſicut ponitur in ſacramentis. Secundò. Merita Chriſti, & applicatio ſatisfactionis ipſius per ſacrificium ſunt ſemper præſentia Deo: Ergo ſemper mouent Deum ad conferendum effectum, atque adeò etiam eo tempore, quo tollitur impedimentum. Confirm. Omne fictum reſpectu Dei eſt præſens: Ergo etiam ſtatus gratiæ poſteà ponendus, atque adeò dum offertur ſacrificium Deus determinabit ad tempus capacitatis tunc ſibi præſens.

2 Secunda ſententia negat recedente impedimento conferri effectum remiſſionis pœnarum. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 19. *qu.* 1. *art.* 5. ver. *Neque verò.* Vaſquez 3. *par. diſp.* 231. *cap.* 7. *nu.* 51. Suarex *diſp.* 79. *de ſacram. ſect.* 10. ver. *Tertiò inquiri.* Facundez *præcep.* 1. *Eccleſ. lib* 4. *cap.* 1. *num.* 25. Lugo *diſp.* 19. *de Euchariſt. ſect.* 10. *num.* 195. Bonac. *diſp.* 4. *de ſacram. qu. vlt. pun.* 5. *num.* 5. Garzia *in ſum. tract.* 3. *difficul.* 1. *dub.* 7. *pun.* 6. *numer.* 48. Ruteus *de fruct. Sacrific. lib.* 1. *diſp.* 5. *quæſt.* 2. *numer.* 2. Mercer. *de ſacram qu.* 83. *ar.* 1. *dub.* 8. Franciſc. Lugo *lib.* 5. *de ſacram. cap.* 4. *qu.* 7. *num.* 70. Mærat. *tom.* 3. *ſum. diſp.* 39. *de Euchariſt.* ver. *Quæres poſtremò.* Marchad. *lib.* 4. *par.* 1. *tract.* 12. *docum.* 6. *num.* 3. Gaſpar Hurtad. *de ſacram. diſp.* 3. *de ſacrifie. difficul.* 12. Caſpenſ. *par.* 2. *curſ. Theol. tract.* 23. *diſp.* 2. *ſect.* 1. *num.* 10. Fauſtus *lib.* 2. *de ſacriſic. Miſ. quæſt.* 52.

3 Dicendum eſt. *Quando ratione ſtatus peccati effectus ſacrificij remiſſionis pœnarum impeditur, cùm confertur vlterius, quando recedit impedimentum.* Hoc ſtatuitur, quia non adeſt ſufficiens fundamentum ad dicendum oppoſitum, quod enim aliqua ſacramenta per plures Doctores, conferant ſuum effectum recedente fictione, id aſſerunt, quia habent pro priuilegiatis quoad hoc ex eo, quod non ſunt iterabilia, ne homo priuetur in perpetuum fructu ipſorum. Quod non habet locum in ſacrificio.

4 Prob. Sacrificium in tantum remittit pœnas temporales, in quantum ab offerente applicatur ad hunc effectum pro Petro, vel Paulo: atque adeò in quantum Deus acceptat talem applicationem iuxta pactum initum cum Chriſto in inſtitutione huius ſacrificij. Sed quando is, pro quo offertur, eſt in peccato mortali non acceptat: Ergo. Min. prob. Pactum initum cum Chriſto eſt de acceptanda applicatione offerentis quando verſatur circa ſubiectum capax effectus ſacrificij, quia eſt de ea acceptanda ſecundum menſuram inſtitutionis, & menſura inſtitutionis eſt, quod offeratur pro ſubiecto capaci cum pro eo tantum inſtitutum ſit: vnde ſi offeratur pro aliquo ſancto, ſeu beato, aut pro damnato, Deus non acceptat applicationem, quia non eſt ſecundum menſuram inſtitutionis: Ergo cùm is, qui eſt in ſtatu peccati, non ſit capax remiſſionis pœnæ temporalis, non eſt ſacrificium inſtitutum pro ipſo in ordine ad hunc effectum, atque adeò applicatio ad hunc effectum non acceptatur à Deo.

5 Confirm. Quamuis ſacrificium ſit cauſa moralis remiſſionis pœnarum, imitatur tamen in modo operandi cauſas naturales, præſertim in eo, quod producat ſuos effectus, quando applicatur ad producendum, ſiquidem producit ex opere operato: vt proindè exigit tunc a Deo produci, quando applicatur: Ergo ex natura ſua non habet producere tranſacta applicatione, atque adeò nec exigere, quod Deus producat, ſicut nec ordo cauſarum naturalium exigit effectum produci, quando non eſt ampliùs applicata cauſa, ſi dum applicata erat, fruſtrata fuit ſuo effectu: Ergo quod effectus producatur recedente impedimento, quando durante applicatione ſacrificij fruſtratus fuit ex incapacitate ſubiecti, non eſt ſecundum naturam ſacrificij, atque adeò nec ſecundum inſtitutionem. Non producit autem ſuos effectus, niſi ſecundum menſuram inſtitutionis.

6 Ad 1. in oppoſitum, neg. conſeq. Et dato, quod aliqua ſacramenta producant ſuos effectus recedente fictione, non eſt eadem ratio de ſacrificio, quia, vt dictum eſt hoc eis concedunt Doctores, non ex natura ipſorum, ſed ex ſpeciali priuilegio, quod habet fundamentum in quadam congruentia, quod homo non ſemper priuetur effectu ipſorum, ſicut priuaretur, cùm non ſint iterabilia. Ad confirm. negatur conſeq. Quia licet ſit opus Dei hic effectus, & ex diuina inſtitutione, non tamen habet ex inſtitutione ſua, quod ſtante impedimento in ſubiecto transferatur in aliud tempus; imò ex inſtitutione oppoſitum colligitur, vt conſtat ex hùc vſque dictis.

7 Ad 2. neg. conſeq. Quia omnia ſunt æquè ſemper præſentia Deo, atque adeò etiam impedimentum ex peccato effectus ſacrificij. Quia autem merita Chriſti non mouent. ad conferendum effectum ſacrificij, niſi ratione applicationis eiuſdem ſacrificij, ideò non mouent ad conferendum abſolutè, & in quocunque tempore, ſed ſolum pro tempore, in quo offertur, & cum in eodem tempore coexiſtat ſacrificio impedimentum, fruſtratur effectus. Ad confirm. Statum futurum gratiæ eſſe præſentem Deo, ſed non vt coexiſtentem oblationi ſacrificij in ordine ad idem tempus. Deus autem ſolum determinat effectum ſacrificij ad tempus, in quo ſacrificium exiſtit.

QVÆSTIO 82.

An in eo, cui per ſacrificium remittitur pœna, requiratur aliquis conſenſus, ſeu acceptatio.

SVMMARIVM.

1. *Non requiritur formalis acceptatio in eo, cui per ſacrificium remittitur pœna.*
2. *Interpretatiua acceptatio an ſit neceſſaria,* & num. ſeq.
3. *Pœna per ſacrificium relaxatur etiam nolenti.* *Suppoſita diſpoſitione voluntas non impedit effectum ſacrificij.*
4. *Nolente debitore poteſt ius pœnæ extingui.* *Satisfactio pro pœna ex vi ſacrificij applicatur à Chriſto, vt capite, &c.*

1 COnueniunt communiter Doctores, non requiri formalem conſenſum, ſeu acceptationem, vt ſacrificium ſortiatur ſuum effectum. Et ratio eſt; quia relaxatio debiti non requirit aliquam actionem debitoris, ſed fit tantum per actionem creditoris. Vnde in præſenti ſufficit, quod per ſacrificium exhibeatur Deo congrua ſatisfactio de ſatisfactionibus Chriſti potens extinguere debitum pœnæ, & quod à Deo relaxetur pœna. Et proinde, ſi offeratur ſacrificium Miſſæ pro aliquo, nihil eo cogitante de relaxatione aliqua pœna relaxatur. Solum difficultas eſt, an requiratur aliquis conſenſus tacitus virtualis, ſeu interpretatiuus, quo deficiente, aut nolente eo, pro quo offertur, recipere effectum, ſacrificium careat ſuo effectu.

2 Prima ſententia aſſerit, requiri virtualem, & inter

intepretatiuam voluntatem acceptandi. Ita Suarez *diſput.76. de ſacrament. ſect.* 10. ver. *Tria vero.* Subdit tamen, qund hæc virtualis, & interpretatiua voluntas acceptandi nulli deeſt, quia, cùm pœna ſit inuoluntaria, præſumitur quiſque velle à peccatis liberari, imò & cupere. Ex qun fit, qund ſi quis nnllet à pœnis liberari, per ipſum non recipetet hunc effectum ſacrificij.

3 Secunda ſententia negat requiri hanc virtualem, & interpretiuam voluntatem acceptandi, & proinde eum, qui nollet liberari à pœnis adhuc percipere effectum ſacrificij. Ita Lugn *diſput.* 19. *de Encharist. ſect.* 10. *num.* 196. Martinon. *diſp.* 39. *n.* 27. Aucrſa *quæſt.* 11. *ſect.* 10. ver. *Qumtò nec.* Franciſc. Lugo *lib.* 5. *de ſacrament. cap.* 4. *quæſt.* 7. *num.* 71. ver. *Adhuc Snarez.*

4 Dicendum eſt. *Quamuis virtualis, & interpratatiua volnntas acceptandi relaxationem pœna ſit in vnoquoque. Adhuc tamen, ſi quis expreſsè nollet, ſibi pœnam relaxari, per hoc ſacrificium relaxaretur.* Ratio eſt. Quia ſuppoſito, quod aliàs ſit capax relaxationis, quia ſcilicet ſit in ſtatu gratiæ, per id, quod nolit ſibi relaxari, non pnreſt impedire efficaciam ſacrificij, cùm ea ipſi enmpetat ex vi ſuæ inſtitutionis independenter ab eius voluntate. Et rurſus ſacrificium non debet operari apud ipſum, ſed apud Deum exhibendo talem ſatisfactionem per applicationem ſatisfactionis Chriſti, quæ extinguat acceptatum ius Dei ad exigendam pœnam, pto qua exhibetur. Hoc tntum fit independenter oinninn à voluntate illius, cui eſt pœna relaxanda, & abſque vlla voluotete ipſius etiam interpretatiua, temanet remiſſa pœna.

5 Confirm. In tantùm qois eſt reus pœnæ, in quantum Deus habet ius ad ipſam exigendam: Ergo hnc iure extincto, non amplius remanet reus pœnæ. Sed etiam ipſo noleute per ſacrlficium extingoitur. Qula ſicuti ſacrificium babet ex ſua inſtitutione, qund ſatisfaciat Deo pto pœna debita peccatis: ita etiam babet, quod extinguat ius ipſius ad exigendam pœnam: Ergo, ſi nfferatnr ſacrificium pro ipſo, & aliàs non ſit incapax huius effectus etiamſi nolit, extinguet ius Dei, & ipſe noo erit amplius reus pœnæ.

6 Et ratin à priori eſt, quia Chriſtus tanqoam Caput generis humani exhibuit Deo vniuerſalem ſatisfactionem pro peccatis, & pœnis ſieuti ratinne Capitis ad ipſum pertinebat. Hæc autem ſatisfactin remanet applicanda in particulari huic, vel illi. Quæ applicatio fit à Chriſto, vt principali offerente independenter à cuiuſque vnluntate, quia tanquam Capot auctoritatiuo modo diſponit, ita applicari per ſacrificium per Sacerdntem vt ſuum mioiſtrum; & ideò eenſetur offerri nomine illius, pro quo offertur ſacrificium ratione auctnritatis, quæ eſt in Capite cui ipſe eenſetur conſentire tatiooe ſubiectionis ad Caput, quamuis per aliam, voluntatem nolit, ſibi pœnam relaxari, quia hæc volontas ſieut nnn derogat ſubiectioni, quàm habet ad Caput, ita nec derog. voluntati vniuerſali ſequendi motum Capiris.

QVÆSTIO 83.

An vltra ſtatum gratiæ requiratur alia diſpoſitio in animabus purgantibus, vt obtineant effectum remiſſionis pœnarum.

SVMMARIVM.

1. *Quam diſpoſitionem requirant nonnulli in animabus Purgatorij pro effectu ſacrificij.*
2. *Solus ſtatus gratiæ eſt ſufficiens.*
3. *Sacrificium offertur pro omnibus animabus nondum plenè purgatis.*
4. *Omnes animæ purgantes capaces effectus ſacrificij.*
5. *Effectus ex opere operato in ſubiecto capaci non impeditur niſi ratione obicis.*
6. *Fructus ſacrificij.*
7. *Quomodo per deſcenſum Chriſti ad inferos aliqui nondum plenè purgati, fuerint liberat.*

PRima ſententia requirit pm diſpnſitionc vltra ſtatum gratiæ ad obtinendam remiſſionem pœnarum, quod defuncti dum viuerent, meruerint, qund ſibi ſacrificia proficerent. Vult autem quod bne meritum in eo conſiſtat, qund dum viuerent, euraucrint ſatisfacere pro propriis peccatis, & quod deuntionem habuerint ad ſuffragandum defunctis. Alioquin nnn iunari ſacrificiis, etiamſi ſpecialiter pro ipſis nfferantur. Ita Caiet. *tom.* 1. *opuſ. tract.* 15. *quæſt.* 5. §. *Quoad tertium.* Vaſquez 3. *part. diſput.* 231. *cap.* 7. *num.* . . . . Mæ rar. *tom.* 3. *ſum. diſp.* 39. *de Eucharist.* ver. *Addo ex citat.* Prob. Per id quod animæ decedant in gratia merentur, qund ſuffragia prodeſſe poſſint, nun autem qund actu poſſinr, quia eſſe capacem ſuffragiorum ſpectat ad meritum eſſentiale, actu verò iuuari ſpectar ad præmium accidentale. Hoc autem meritum conſiſtit, in dicta diſpoſitinne. 1

Secunda ſententia eſt communis, aſſerens, ſufficere ſtatum gratiæ, ratione eoius habilitantur ad percipiendum fructum ſacrificiorum, & ſuffragiorum. Ita Magiſter *in* 4. *diſtinct.* 45. D.Thom. ibid. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſtiunc.* 3. & *art.* 4. *quæſtiunc.* 1. Sotus *quæſt.* 2. *art.* 4. *concluſ.* 2. & *diſtinct.* 21. *quæſt.* 2. *art.* 3. D.Bonauent. *art.* 2. *quæſt.* 3. Adriao. *quodlib.* 8. *art.* 2. Franciſc. *diſtinct.* 20. *in fine.* Ruteus *lib.* 3. *de fruct. ſacrific. diſput.* 2. *quæſt.* 1. *num.* 2. 2

Dicendum eſt. *Præter ſtatum gratiæ non requiri in animabus purgantibus aliam diſpoſitionem meriti. Sed ſufficere voluntatem vniuerſalem, qua deſiderant iuuari ſacrificiis, & ſuffragiis Eccleſiæ militantis.* Ita deſumitur communiter ex Patribus, dum vniuerſaliter docent abſque vlla reſtrictione, animas Purgatorij iuuari ſacrificiis, & ſuffragiis fidelium, Deſumitor etiam ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. *de ſacrific.* Vbi definit ſine aliqua reſtrictinne. Hoc ſacrificium ex traditione Apoſtolica ritè nfferri pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis. Si aotem non omnes perciperent fructum, nnn eſſet offerendum pro nmnibus, ſed pro iis ſolùm, qui meruerunt percipere. 3

Prob. Omnes animæ purgaotes ſunt eapaces effectus ſacrificij, & ratione ſtatus gratiæ in quo ſunt poteſt ipſis prodeſſe, & poſſunt ſacrificia prn ipſis offerri: Ergo ſi offerantur percipiuut fructum remiſſionis pœoarum. Anteced. certom eſt, & admittitur à Caietano. Cnnſequent. prob. Ex parte ſacrificij adeſt efficacia io nrdine ad effectum: & ex parte ſubiecti nullum adeſt impedimentom, alioquin non adeſſet capacitas, quia impedimentum tnllit capacitatem ſaltem moralem: Ergn ſequetur effectus, cùm nihil adſit, à qun impediatur. 4

Cnnfirm. Effectus eſt ex opere operatn, atque adeò per modum cauſæ naturalis: Ergo requiritur io quocunque ſubiecto, in qnn noo adſit obex, qoia effectus ex npere operato, ſnlùm ratinne obicis in ſubiecto aliàs capaci impeditur. Præſertim quia non adeſt fundamentum requirendi in animabus purgantibus diſpoſitinnem aliquam prn hnc effectu, quæ non ſit neceſſaria in viuentibus. In viuentihus autem ſufficit ſtatus gratiæ. Confirm. 2. Animæ purgantes 5

ex

Digitized by Google

ex eo, quod decesserint in statu gratiæ meruerunt, quod sacrificia prodesse possent: Ergo etiam quod prosint. Quia vt actu prosint non requiritur, nisi quod actu applicentur, quia posita potentia expedita, est etiam possibilitas actus.

6 Hinc ad fundamentum Caiet. neg. assumpt. Quia fructus sacrificij non exhibetur animabus purgantibus per modum præmij, cùm nondùm sint in termino, vbi percipere habent præmium sibi debitum; sed exhibetur per modum satisfactionis ad compensandas pœnas, quas tenentur Deo soluere. Deinde quòd ad præmium accidentale requiratur meritum accidentale, asseritur sine sufficienti fundamento, quia præmium accidentale consequitur ad essentiale, vt patet in Beatis. Rursùs cùm fructus satisfactionis ex sacrificio participetur à viuentibus independenter à merito, eodem modo participabitur etiam à defunctis; aut si aliter contingit, assignandum est efficax motiuum ad ita afferendum.

7 Ex his colligitur. Quomodo sit accipiendus D. Th. *3. part. quest. 52. art. 8 ad 1.* dum ait, per descensum Christi ad inferos liberatos fuisse. *Qui iam sufficienter purgati erant, vel etiam qui dum adhuc viuerent meruerunt per fidem, & deuotionem ad mortem Christi, vt eo descendente liberarentur à temporali purgatorij pœna.* Nam hoc fuit aliquid speciale ordinatum contemplatione descensus Christi ad inferos. Cum enim Christus esset descensurus ad inferos tanquam mortis & Diaboli victor, & triumphator, Deus disposuit, quod deuotio erga mortem Christi haberet in illa occasione præmium liberationis. Et ideò ex casu particulari non licèt inferre regulam vniuersalem. Præsertim cùm D. Thom. explicet, quod mereri, vt sacrificia sibi prosint non est aliud, quàm reddere se habilem. Ita *in 4. dist. 45. art. 4. quæstiunc. 1. ad 2.*

QVÆSTIO 84.

Explicatur mens D. Augustini circa suffragia defunctorum.

SVMMARIVM.

1. *Augustini sententia circa iuuamen defunctorum per sacrificium.*
2. *Quod meritum præcedere debeat, vt defuncti iuuentur suffragiis.*
3. *Tres status animarum defunctorum.*
   Quinam status animarum defunctorum sit capax suffragiorum.
4. *Quos D. Augustinus excipiat à participatione suffragiorum.*
5. *Exceptio facit, quod omnia non exceptuata comprehendatur in regula.*

1 QVod circa prædicta difficultatem facit, est auctoritas D. Augustinus, nam videtur sentire, quod vt sacrificia prosint defunctis, debuit in ipsis præcedere meritum. Ita enim habet in Enchirid. cap. 109. *Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cum pro ipsis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosyna in Ecclesia fiunt, sed eis hæc prosunt, qui cum viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tàm bonus, vt non requirat ista post mortem, nec tàm malus, vt ei non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, vt ista non requirat. Et est rursus talis in malo, vt nec his valeat; cum ex hac vita transierit, adiuuari.*

2 Verùm si hic locus rectè perpendatur, manifestum fiet, quod D. August. non intelligit de merito aliquo speciali in ordine ad fructum sacrificij, & suffragiorum, sed de merito, quo quis debitor pœnæ meretur constitui in illo statu in quo percipere possit fructum sacrificij; qualis est status animæ purgantium, quàm obtinent, quia meruerunt sibi vitam æternam, & quia impediuntur à consequutione ratione debiti quoad pœnam, tanquam amici Dei merentur constitui in loco purgationis.

Hanc expositionem necessariò inferunt, quæ subiungit, distinguit enim tres status animarum defunctorum. Vnum, in quo animæ non indigent subleuamento sacrificiorum, &c. & est status beatitudinis, dum ait: *Est verò talis in bono, vt ista non requirat.* Alterum in quo iuuari non possunt animæ sacrificiis, & suffragiis; & est status damnationis, quem significat illis verbis. *Et est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cum ex hac vita transierit, adiuuari.* Et tertium, in quo, & indigent sacrificiis, & possunt ab ipsis iuuari, qui est status animarum purgantium, & constat ex illis verbis. *Est quidam viuendi modus, nec tàm bonus, vt non requirat ista post mortem, nec tàm malus, vt ei non prosint ista post mortem.* Vult ergo, sacrificia prodesse iis post mortem, qui nec fuerunt tam boni, vt non indigerent ipsis post mortem, quia scil. non transierunt statim ad beatitudinem, nec fuerunt tàm mali, vt non possint iuuari, quia scilicet non sunt damnati; & proinde vult, quod prosint omnibus, qui sunt in hoc statu medio. Et quia per proprium meritum se eximerunt à statu damnationis stante gratia Dei, ideò meruerunt, vt eis prodessent sacrificia. Quibus consonant etiam quæ habet *lib. 21. de Ciuit. Dei. cap. 24.* dum inquit, *Pro defunctis quibusdam, vel ipsius Ecclesiæ, vel quorundam piorum exauditur oratio, sed pro his, quorum in Christo regeneratorum, nec vsque adeò vita in corpore malè gesta, vt tali misericordia vt dicentur digni non esse: nec vsque adeo benè, vt talem misericordiam reperiantur necessariam non habere.* Ex quibus constat, quod solùm duo genera defunctorum excludit à participatione suffragiorum, nempe eos, qui ob vitam malè gestam reputantur indigni, qui sunt damnati, & qui ob vitam adeò benè gestam, non indigent ipsis, qui sunt beati, & proinde animæ purgantes omnes iuuabuntur suffragiis per D. August. quia exclusio aliquorum est aliorum inclusio *l. 12. inst. ff.* Soluto *matrim.* & *l. 21. C. de procurat.* & notat Menoch. *Consil. 158. num. 29* & *consil. 216. num. 22.*

Quod etiam ex eo constat. Quod D. August. vult declarare quibusnam defunctis sacrificia, & suffragia prosint, & statuere regulam, quod defuncti iuuentur suffragiis. Excipit autem ab hac regula beatos tanquam non indigentes, & damnatos tanquam indignos, & qui non sunt in statu, vt possint iuuari. Exceptio autem facit, quod omnia non exceptuata comprehendantur in regula. Vt notant Aret. *Consil. 142. num. 2.* Alexand. *Consil. 63. n. 1. lib. 2.* Dec. *in lib. 3. n. 1 ff. de reg. iur.* Ripa *in l. 2. §. Quod si in Par[illegible] n. 13. ff.* Soluto *matrim.* Nota *Consil. 259. n. 31.* Lodouic. *decis. 267. n. 6.* Rota *in Romana legatorum 3. Martij 1601. Coram. Corcino.* 4

QVÆSTIO 85.

An sacrificium prosit defunctis iuxta mensuram deuotionis, quàm, dum viuerent, habuerunt erga sacrificia.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium an prosit defunctis iuxta mensuram deuotionis in vita,* & num. seq.
3. *Effectus ex opere operato quando commensuratur actui recipientis.*

Deuotio in vita non poteſt poſt mortem eſſe diſpoſitio pro effectu ſacrificij.

4. *Actus eliciti in via non proſunt poſt mortem.*

5. *Defuncti quem fructum percipiant ex ſacrificiis.*

6. *Reuiuiſcentia effectus baptiſmi, &c. Non facit pro computando fructu iuxta menſuram deuotionis, &c.*

1 QVod fructus ſacrificij proueniat defunctis iuxta menſuram deuotionis, quam habuerunt erga ſacrificia, dum viuerent, tradunt Caiet. *tom. 2. opuſc. tract. 3. quæſt. 2.* Vaſqoez *diſp. 231. cap. 7. num. 50.* approbans ſententiam Caiet. Fuodamentum eſt. Quia fructus ſacrificij tanquam de ſe indeterminatus debet ex aliquo capite determinari. Hoc autem non poteſt eſſe aliud, quàm deuotio erga ſacrificium, quàm habent, vel habuerunt ij, pro quibus offertur.

2 Communis tamen ſententia quoad animas purgantes eſt in oppoſitum. Ita non ſolùm ij, qui negant remiſſionem pœnæ proportionem diſpoſitioni ſubiecti, vt Durand. *in 4. diſtinct. 45. quæſt. 3. num. 8.* Sotus *lib. 9. de Iuſtit. & iure, quæſt. 2. art. 2. ad 2. in fine.* Henriquez *lib. 9. ſum. cap. 18. num. 5.* Suarez *diſput. 79. de ſacrament. ſect. 10.* ver. *Nihilominus cenſeo.* Valent. *tom. 4. diſput. 6. quæſt. 11. punct. 1. §. 25.* Coninch. *de ſacrament. quæſt. 83. art. 1. dub. 9. concluſ. 14.* Mercer. *dub. 8.* & alij, quos addoxi ſupra ſuo loco. Sed etiam ij, qui volunt quoad viuos commenſurari deuotioni, quos item ſupra eodem loco adduxi, & in ſpecie Ruteus *lib. 3. de fruct. ſacrif. diſp. 2. quæſt. 1. dub. 2. num. 8.*

3 Itaque dicendum eſt. *Fructum ſacrificij non communicari animabus purgantibus ſecundum menſuram deuotionis, quam habuerunt ad ſacrificiu dum viuerent.* Prob. Effectus ex opere operato commenſuraretur deuotioni, in quantum deuotio eſſet diſpoſitio ad recipiendum; ſed oon poteſt eſſe diſpoſitio: Ergo. Maior conſtat quia in ſacramentis ideò commenſuratur aliquibus actibus, quia ſunt diſpoſitiones. Et ratio eſt, quia commenſuratio oritur ex eo quod in ſubiecto ſit aliquid quod de congruo exigat talem menſuram. Hæc autem exigentia non oritur, niſi ex diſpoſitione ſubiecti. Min. prob. Deuotio præterita non poteſt eſſe diſpoſitio ad præſentem effectum, quia diſpoſitio debet ponere in ſubiecto actualem præparationem.

4 Confirm. Deuotio iſta eſt actus viatoris: vnde non poteſt proficere animabus iam exiſtentibus in ſtatu, in quo per proprios actus non poſſunt amplius proficere. Vnde ſi non poſſunt proficere per proprios actus præſentes, multò minùs per præteritos, quia iam habuerunt totum id, quod potuerunt obtinere. Præſertim, quia fructus ſacrificij eſt per modum ſolutionis factæ ab Eccleſia compenſantis pœnas quas animæ purgantes ſuſtinere debent.

5 Dicendum 2. *Percipere tantum illum fructum, quem poteſt ex ſe ſacrificium conferre independenter ab omni diſpoſitione.* Prob. Animæ purgantes noo poſſunt ſe adiuuare in ordine ad ſatisfaciendum pro pœna, niſi ſatisfaciendo: Ergo fructus ſacrificij non poteſt creſcere pro ipſis ex aliqua diſpoſitione præhabita, etiam dum viuerent. Conſeq. prob. Quia illud incrementum eſſet ex ipſis tanquam ex eaoſa de coogruò, atque adeò poſſent aliquid vltra ſatispaſſionem.

6 Ex dictis colligitur, quod dato, quod reuiuiſcat effectus baptiſmi ſublato obiee ſecundum menſuram diſpoſitionis præhabitæ in eius ſuſceptione, non tamen ſeqoitur, quod ſacrificia debeant prodeſſe animabus Purgatorij ſecundum menſuram præhabitæ deuotionis, dum viuerent. Tum quia effectus baptiſmi reuiuiſceret ſecundum menſuram præparantis ſubiectum, quando actu fuit ipſi applicatus. Tum quia reuiuiſcentia contingeret, quando baptizatus poteſt propriis actibus ſibi prodeſſe. At effectus ſacrificij commenſuraretur diſpoſitioni, quæ non exiſtit quando applicatur, & quando non poteſt ſubiectum propriis actibus ſibi prodeſſe.

QVÆSTIO 86.

Quid fiat de fructu ſacrificij, ſi animæ quibus applicatur, non ſint capaces.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificia oblata pro defunctis incapacibus ſecundum aliquos proſunt indigentibus, & carentibus alijs ſuffragiis.*

2. *Determinatio eorum, quibus proſint ſacrificia pertinent ad Eccleſiam viſibilem.*

3. *Sacrificia oblata ex diſpoſitione defunctorum quando proſint animabus derelictis.*
Voluntas interpretatiua vnde colligatur.

4. *Offerentes pro defunctis, ſi non addunt applicationem conditionatam, interpretatiuè offerunt pro alijs animabus, &c.*

CVm in ſubiecto, pro quo offertur ſacrificium requiratur capacitas; quæ duo requirit quoad ſatisfactionem nempe indigentiam, & ſtatum gratiæ, fit quod defectu indigentiæ beati noo ſint capaces: & damnati defectu ſtatus gratiæ, ſi igitur iis applicentur ſacrificia, quid fiet de illo fructu. Quam plures docent, quod ex diuina miſericordia applicantur illis, qui indigent, & deſtituuntur ſuffragiis particularibus. Ita D. Thom. *in 4. diſtinct. 45. quæſt. 3. art. 4. quæſtiunc. 1. ad 3.* Adrian. *quodlibet. 8. art. 3.* Corduba *lib. 1. quæſt. 3. opin. 5. §. Et de reſiduo.* Fraxinel. *de obligat. Sacerd. &c. ſect. 3. §. 11. num. 3.* Ruteus *lib. 3. de ſacrific. diſp. 2. quæſt. 2. dub. 4. num. 12.* Et affert D. Thom. D. Damaſcen. *ſerm. de dormien.* vbi vbi inter alia loquens de iis, qui *Nec quicquam in Miſſas, piaſque erogationes relinquere poſſunt, &c.* ſubdens quod iuſtitia Dei non permittit, quod derelinquantur, concludit. *Quocirca pro ſua iuſtitia pauperi, ac rerum omnium inopia laboranti copias ampliſſimas rependes pro ſita ſapientia id agit, vt ea, quæ ipſi deſunt permutatione ſuppleantur.* Addunt congruentias, tum quia animæ derelictæ, id merentur, tum quia non eſt æquum, illa ſacrificia fruſtrari ſuo fructu. 1

Hæc opinio ſicut valdè pia eſt, ita ſubeſt graui difficultati: quia non apparet, qoomodo id fieri poſſit. Nam ſacrificium non prodeſt quoad ſatisfactionem, niſi iis, pro quibus offertur, & cùm oblatio pertineat ad Eccleſiam viſibilem, ita etiam determinatio mediante Sacerdote: Ergo ſi non poteſt fundari in determinatione Sacerdotis, introduceretur qoid extraordinarium, quod eſſet à Deo contra ſolitum curſum ſuæ diſpoſitionis, per quam relinquit Eccleſiæ viſibili, quæ ipſi tradidit. 2

Quod autem ſpectat ad ſacrificia quæ offeruntur ex mandato defunctorum pro ipſorum animabus atque adeò iuxta ipſorum intentionem applicantur à Sacerdote, videtur fundari poſſe voluntas interpretatiua ipſorum, quod proſint animabus derelictis, ſi non proderunt ipſis. Quia; quando diſponunt de celebratione ſacrificiorum, ſi interrogarentur, quid vellent fieri de fructu illorum, ſi ipſis non prodeſſet, & ſtante pio affectu reſponderent, quod vellent prodeſſe iis, qui nulla percipiunt ſpecialia ſuffragia, præſertim ſi eſſent piè diſpoſiti erga animas Purgatorij. Hoc autem ſufficit ad habendam voluntatē interpretatiuā. *l. pen. ff. de iure codicis, & l. ſi. ff. de hered. inſt.* & *l. Titius, §. Lucius.* 3

§. *Lucius. ff. De liber. & Pasch.* & ita notant Bart. *in l. In testamento l. num. 3. l. De test. milit.* Castrens. *in l. fin. num. 3.* vet. *Sed contra. ff. de instit. & subil.* Crauetta, *Concil. 785. num. 6.* Quod tamen locum non habebit si Sacerdos disponat de fructu supposito, quod ei non prosit, pro quo offertur sacrificium.

4 Maior difficultas est de iis, qui ita offerunt pro defunctis, vt non offerrent, si scirent, non profuturos; tunc enim non videtur habere locum voluntas interpretiua. Verùm adhuc fundari potest voluntas interpretatiua, supposito quod vlteriori dispositione conditionata, non applicent fructum sacrificij. Nam eo ipso, quod offerunt pro defunctis, & non applicant vlterius sacrificium, exercent actum pietatis erga defunctos; nec est verisimile, quod velint fructum sacrificij euanescere, & proinde eum ex vno actu pietatis alius similis soleat enasci, verisimile est, quod si cogitarent, vellent illa sacrificia prodesse cæteris defunctis, & iis præsertim, quibus suffragari maior pietas sit, qui sunt illi, quibus nulla specialia suffragia applicantur. Hoc autem sufficit ad fundandam voluntatem interpretatiuam, vt constat ex dictis. Nescio tamen an in omnibus fundari possit hæc voluntas, nam fortè vellent prodesse sibi ipsis, aut coniunctis defunctis, si non prodessent iis, pro quibus offeruntur.

QVÆSTIO 87.

An pro effectu impetrationis requiratur aliqua dispositio.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium impetrat pro omnibus viatoribus etiam non baptizatis.*
2. *Non prærequirit aliquam dispositionem in eo, pro quo impetrat.*
3. *Impetratio an magis, vel minus efficax iuxta mensuram dispositionis.* & numer. seq.
5. *Dispositio habet vim ad mouendum in ordine ad impetrationem.*
6. *Deus in concedendis beneficiis respicit ad dispositionem recipientium.*
7. *Sacrificium non impetrat secundũ totam suam vim.*
8. *Quæ dispositio faciat crescere, vel decrescere effectum impetrationis.*
9. *Sacrificium quomodo sit impetratorium.*
Sacrificium diuerso modo impetrat, ac oratio.

1 QVod is, pro quo offertur sacrificium ad aliquid ipsi impetrandum, debeat esse viator, certum est ex supradictis, quia pro solis viatoribus offerri potest, vt suo loco dictum est. Rursus quod non requiratur Baptismus etiam certum est, quia impetratio beneficiorum se potest extendere etiam ad infideles. Et cùm sacrificium Crucis oblatum sit etiam pro Infidelibus, & ipsis obtinuerit à Deo auxilia in ordine ad conuersionem; hoc quoque sacrificium, erit impetratorium pro infidelibus, quia cùm impetret applicando virtutem sacrificij Crucis, eius virtus se extendet, sicut se extendit sacrificium Crucis. Hinc etiam in veteri lege offerebantur sacrificia pro infidelibus. Vnde Onias summus Sacerdos 2. *Machab. cap. 3.* obtulit sacrificium pro salute Heliodori, & 1. *Esdra 6.* habetur, oblata sacrificia pro vita Regis Darij. Et ideò cùm hoc sacrificium eminentiori modo contineat prærogatiuas omnes veterum sacrificiorum, continebit etiam istam, quod offerri possit pro infidelibus.

2 Rursus non videtur necessaria alia dispositio pro effectu impetrationis; siquidem ad effectus sacrificij, non requiritur dispositio, nisi quatenùs sit necessaria ratione eorundem effectum. Effectus autem impetrationis, cùm consistat in beneficiis diuinis tàm spiritualibus, quàm temporalibus, non requirunt in persona cui conferuntur, aliquam dispositionem per se necessariam, cùm soleant conferri etiam iis, qui maximè indigni sunt. Solùm dubitatur, an si interueniat aliqua dispositio, quæ de congruò reddat dignum subiectum, cui est impetrandum beneficium, sortiatur impetratio meliorem effectum.

Prima sententia negat, conferri meliorem effectum impetrationis stante meliori dispositione. Ita ij, qui hoc vniuersaliter docent de fructu sacrificij Suarez *disput. 79. de sacrament. sect. 10.* vet. *Nobrium nu.* Mercer. *de sacrament. quæst. 83. art. 1. dub. 8.* Ruteus *de fruct. sacrific. lib. 1. disp. 3. quæst. 1. dub. 7.* Filliuc. *tract. 5. num. 84.* Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 4. cap. 1. n. 22.* & alij supra cit. cùm ageretur de effectu satisfactionis. Fundamentum est. Quia sacrificium impetrat secundum mensuram suæ efficaciæ, & provt determinatur ab offerente. Confirm. Impetrare se habet per modum actionis: & dispositio se tenet ex parte causæ passiuæ, & ideò non potest conferre ad impetrationẽ. 3

Secunda sententia docet, effectum impetrationis correspondere deuotioni; & dispositioni illius, pro quo impetratur. Ita Caiet. *tom. 2. Opusc. tract. 3. quæst. 2.* Aragon. 2. 2. *quæst. 85. art. 3.* Vasquez 3. *part. disp. 231. cap. 7.* Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 10.* vet. *Obiecto stante.* Hurtad. *de sacrament. disp. 3. de sacrific. Miss. difficult. 12.* Martinon. *disp. 39. de Eucharist. num. 28.* & alij dicto loco citati. 4

Dicendum est. *Impetrationem sacrificij esse magis, vel minus efficacem iuxta maiorem, vel minorem dispositionem illius, cui impetratur.* Prob. Indignitas illius, pro quo est impetrandum, potest impedire omninò effectum impetrationis: Ergo etiam dispositio, qua fit dignus de congruò beneficio impetrando, reddet impetrationem efficaciorem, & magis, vel minus, provt erit maior, vel minor dispositio. Anteced. constat, quia licèt Deus conferat beneficia iis, qui sunt indigni, regulariter tamen indignitas est motiuum retrahens Deum à benefaciendo. Conseq: prob. Dispositio reddens dignum de congruò opponitur indignitati, & proinde habet vim ad mouendum ad benefaciendum: Ergo maior, aut minor dispositio habet maiorem, aut minorem vim: Ergo sacrificium coniunctum cùm dispositione subiecti habebit maiorem, vel minorem vim impetratiuam. 5

Quod autem Deus in concedendis beneficiis, & vtenda misericordia respiciat ad dispositionem recipientium, habetur frequenter in Scriptura. Vnde Ierem. 5. *Circuite vias Ierusalem, & aspicite & considerate, & quærite in plateis eius an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.* Ex quo patet, quod Deus promptus erat ad benefaciendum, & miserendum intuitu cuiusdam dignitatis de congruò; & proinde acceptabit etiam sacrificium, quatenùs impetratorium iuxta dispositionem illius pro quo offertur. 6

Dices. Sacrificium ratione rei oblatæ, cùm sit Deo omnium acceptissima habet infinitam, aut certè summam vim impetrandi, itavt maior excogitari non possit: Ergo impetratio non erit maior, vel minùs efficax iuxta dispositionem subecti. Respond. Aliud esse loqui de vi, seu efficacia impetratiua, & aliud de impetratione. Sacrificium ratione rei oblatæ habet summam vim, & efficaciam ad impetrandum, quia tunc consideratur secundum se, & in actu primo. Non habet tamen impetrationem summam, quia cùm hæc consistat in 7

actu secuodo, attenditur secundum effectum impetrationis, & ideò aliquando est maior, aliquando minor, & aliquando etiam nulla, quia sacrificium nihil impetrat. Dispositio ergo nou auget vim impetratiuam sacrificij, sed solùm impetrationes quatenus facit, quod Deus accepter sacrificiuo ad magis impetrandum.

8 Quæres in quonam consistat dispositio, ratione cuius crescit, vel decrescit effectus impetrationis. Resp. consistere in iis omnibus, quæ reddunt subiectum dignum de congruò diuinis beneficiis, præcipuè autem consistit in gratia sanctificante; quia cùm hæc constituat amicum Dei, reddit etiam subiectum dignum de congruò beneficiis diuinis; nam congruum est, quod beneficia magis conferantur amicis, quàm inimicis. Deinde etiam illi omnes actus virtutum, qui possunt mouere Deum, ad benefaciendum; præcipuus autem erit concursus cum præsentia ad oblationem sacrificij, quia tunc exhibetur Deo maximus cultus, & maximuo obsequium, quod exhiberi possit, & ideò maximè conducit ad promerendam diuinam beneficentiam.

9 Ex dictis colligitur contra Ruteum *lib. 1. de fruct. sacrific. disp. 3. quæst. 1. dub. 5.* Sacrificium non esse impetratorium, quia tribuat virtutem impetrandi orationibus illi coniunctas, & quia faciat exaudiri orationem. Sed ex se præcisè habere vim impetrandi. Quod desumitur ex Concil. Trident. *sess. 22. cap. 2. de sacrific. Miss.* Nam ibi tradit, quod iuxta traditionem Apostolicam offertur pro necessitatibus. Si enim offertur pro necessitatibus, oportet quod ex se habeat efficaciam impetrandi, quod non nobis necessarium est, quia si non haberet, non offerretur pro ipsis, sed offerretur ad dandam efficaciam nostris orationibus, quibus impetraremus. Deinde, si dat virtutem impetrandi orationi, oportet quod ipsum habear talem virtutem, atque adeò quod eam possit exercere apud Deum. Et ratio est. Quia impetrare nihil aliud dicit, nisi quod proponatur Deo tale motiuum, ratione cuius moueatur ad faciendum, quod ab ipso petimus. Maximum autem motiuum mouendi Deum est hoc sacrificium, quà sacrificium est; tum quia in ipso exhibetur summum obsequium, quod exhiberi potest; tum qoia offertur in ipso res omnium gratissima. Rursus cùm Christus, quicquid impetrauit à Patre impetrauerit ratione sacrificij Crucis, oportet, quod ipsum sacrificium secuudum se sit impetratorium. Et proinde quod hoc etiam conueniat sacrificio Missæ.

10 Colligitur 2. Diuersam esse impetrationem sacrificij, & orationis, etiam quæ adhibetur in sacrificio. Nam impetratio orationis exigit statum gratiæ in eo, qui orat, vt sit efficax ad impetrandum, & ideò orationes mali Sacerdotis, offerentis sacrificium non impetrant. Imò neque etiam, vt sunt oratiooes Ecclesiæ habent vim impetrandi, si Sacerdos sit excommunicatus, quia sicut ipsi Ecclesia prohibet offerre sacrificium, ita dum offert, non potest offerre nomine ipsius, & proinde nec ipsius nomine funduntur orationes. Vnde in tali casu cessabit impetratio orationis, quæ funditur in sacrificio; non tamen cessabit impetratio sacrificij, quia hæc non dependet à bonitate ministri. Et ideò necesse est, quod sacrificium de se, & quà tale, habeat suam specialem vim impetrandi fundatum in ipsa oblatiooe.

* * *

DE FRVCTV SACRIFICII MISSÆ.

AD effectus sacrificij Missæ consequitur fructus, qui consistit in illis commodis, & vtilitatibus, quæ percipiuntur ex eodem sacrificio mediantibus eiusdem effectibus: & proinde est communis iis omnibus qui participant in effectibus sacrificij. Prouenit autem non solùm ex effectibus ex opere operato, sed etiam ex effectibus ex opere operantis.

QVÆSTIO 88.

Quotuplex sit fructus sacrificij Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Fructus sacrificij triplex, Generalissimus, Specialissimus, & Specialis.*
2. *Fructus Generalissimus sacrificij vnde proueniat.*
3. *Fructus specialissimus in quo fundetur.*
4. *Fructus specialis est fructus applicabilis per oblationem sacrificij.*

DIcendum est. *Fructum sacrificij Missæ esse triplicem nempe Generalissimum, Specialissimum, & Specialem.* Ita communiter Doctores. Præsertim Scot. *Quodlib. 20. art. 1.* Gabr. *lect. 26. in Can. Miss.* Adrian. *quodlib. 8. art. 3.* Nauar. *cap. 15. Manual. num. 91.* Aragon. 2. 2. *q* 85. *art. 3. §. Quartò est aduertendum.* Corduba, *in Quæstionar. lib. 1. quæst. 3.* Couarr. *in cap. Alma mater. part. 1. §. 5. n. 5.* Valent. *tom. 4. sum. disp. 6 quæst. 11. punct. 1.* Ruteus *De fruct. sacrific. Miss. lib. 1. disp. 1. init.* Est autem fructus generalissimus ille, qui prouenit ex sacrificio communis omnibus fidelibus, itavt pertineat ad omnes. Specialissimus est ille, qui est proprius Sacerdotis celebrantis, quem participat ex oblato sacrificio. Specialis autem, qui etiam dicitur medius, est ille qui correspondet sacrificio, vt offertur in persona Christi, & est sub dispositione Sacerdotis, vt tribuat, vti voluerit. Et proinde sequitur applicationem Sacerdotis, & participatur ab eo, pro quo offertur sacrificium. 1

Habent autem hi fructus suum fundamentum. Nam generalissimos ex duplici capite prouenit. Primò ex communione Sanctorum, quam profitemur in nono articulo Symboli. Fideles enim charitatis vinculo vniti tanquam membra efficiunt vnum corpus, & proinde participant inuicem vnus de alterius bonis, vt notat D. Thom. *Opusc. 6. art. 13.* quod præcipuè locum habet in sacrificio, quod tanquam publicum spectat ad omnes. Verùm hic modus non fundat fructum generalissimum communem omnibus fidelibus, nam peccatores tanquam non iam paginati cinculo charitaris non pertinent ad hanc communionem, neque est proprius sacrificij, nam conuenit etiam orationibus, & aliis bonis spiritualibus. Vnde proprius fructus, generalissimus huius sacrificij, & qui spectat ad omnes fideles, prouenit ex generali oblatione sacrificij, idem pro omnibus fidelibus offertur. Cùm enim fructus sacrificij, quà tale est, proueniat ex oblatione, dum adest generalis 2

oblatio

oblatio pro omnibus fidelibus, consurget etiam fructus generalissimus omnibus fidelibus communis. Quod autem interueniat hæc generalis oblatio, constat ex verbis Canonis in offertorio ibi. *Sed & pro omnibus fidelibus Christianis, viuis, & defunctis, &c.*

3 Fructus autem specialissimus, qui est proprius sacerdotis, & quem percipit ex sacrificio, quatenùs sacrificium est, fundatur in eo, quod offerat etiam pro seipso: & proindè participet de fructu, quem communicat sacrificium ijs, pro quibus offertur. Hæc autem oblatio non est illa, per quam offert sacrificium pro omnibus fidelibus, quia hæc fundat tantum fructum generalissimum, sed specialis qua specialiter pro seipso offert, quæ exprimitur in verbis Offertorij. ibi. *Suscipe sancte Pater, &c. Offero tibi pro innumerabilibus peccatis, offensionibus, & negligentijs meis, &c.* Neque enim ex eo quod offert pro alio excludit seipsum à participatione fructus sacrificij. Quia ita est constitutus ad offerendum pro populo, vt simul etiam constituius sit ad offerendum pro seipso, iuxta illud ad Hebr. 5. *Propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis*, & ideò participat ipse quoque de fructu sacrificij.

4 Fructus verò specialis, seu medius colligitur ex natura sacrificij, quod ex genere suo ordinatum est, vt offeratur pro hominibus; vnde ad Hebr. 5. dicitur, quod sacerdos ex hominibus assumitur *Vt offerat dona & sacrificia pro peccatis*; & ideò ex genere suo debet esse fructuosum ijs, pro quibus offertur. Rursùs hoc sacrificium est communicatiuum fructuum sacrificij Crucis, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 2. de sacrific.* Communicat autem ijs, pro quibus offertur; & proindè habet offerre fructum specialem applicandum ijs, pro quibus offertur sacrificium.

QVÆSTIO 89.

Vnde habeat sacrificium, quod producat fructum generalissimum.

SVMMARIVM.

1. *Fructus generalissimus fundatus in generali oblatione prouenit ex institutione Ecclesiæ.*
2. *An etiam proueniat ex institutione Christi.* & num. seq.
3. *Fructus generalissimus consequitur sacrificium vt offerendum pro tota collectione fidelium.*
   Sacrificium Crucis ex natura sua pro omnibus offertur.
4. *Cur non offeratur pro infidelibus.*
5. *Sacrificium pro omnibus offertur, quia applicat efficaciam sacrificij Crucis omnibus communem.*
6. *Et quia est idem sacrificium cum sacrificio Crucis.*
7. *Sacrificium Missæ ex natura sua est omnibus commune.*

1 QVæstio procedit de fructu generalissimo, qui prouenit ex quolibet sacrificio, non autem de fructu, quem omnes fideles perciperent, si sacerdos offerret sacrificium pro omnibus, applicando ipsis illum fructum, qui est sub libera dispositione sacerdotis, nam hic est fructus specialis, qui in tali casu communicaretur omnibus fidelibus. Fructus enim generalissimus prouenit ex eo, quod quodlibet sacrificium offertur pro omnibus fidelibus, vt in Offertorio panis. *Pro omnibus fidelibus Christianis viuis, & defunctis*, & in oblatione calicis. *Pro nostra, & totius mundi salute, cum odore suauitatis ascendat.*

In hac autem difficultate certum est, interuenire auctoritatem Ecclesiæ, nam ex vi canonis Missæ sacrificium offertur pro omnibus fidelibus, & cùm Ecclesia præscripserit canonem, præscripsit etiam hanc generalem oblationem. Vnde dubium remanet, an sit ex sola institutione Ecclesiæ.

Prima sententia asserit, quod tantum de iure Ecclesiastico hic fructus prouenit ex sacrificio, ratione generalis intentionis offerendi pro tota Ecclesia. Ita Nauarr. *capit. 25. Manual. numer. 111.* Azor. *part. 1. libr. 10. capit. 20. in fine.* Vasquez 3. *part. disput. 231. capit. 6. numer. 36.* Bonacin. *disput. 4 de sacrament. quæst. vltim. punct. 4. numer. 2.* Ruteus *de fructu sacrific. Miss. libr. 1. disput. 1. quæst. 1. dub. 1. numer. 19. ver. Quoad rationes.* Fundamentum est. Quia constat, de tali institutione Ecclesiæ ex verbis vtriusque offertorij panis, & calicis; nec adest fundamentum asserendi, quod aliunde proueniat. 2

Secunda sententia asserit, prouenire ex institutione Christi, quatenùs instituit offerendum vniuersaliter pro omnibus fidelibus: & proindè dum Ecclesia hoc ipsum instituit, præscripsit, quod institutum erat à Christo. Ita Henriquez *lib. 9. sum. cap. 25. numer. 3. ci ca med.* Ifambert. *3. par. q. 83. disp. 7. art. 12. ver. Tota responsio.* 3

Dicendum. *Fructum generalissimum prouenire ex sacrificio ratione institutionis, quatenùs est institutum, vt offeratur pro tota collectione fidelium.* Prob. Hoc sacrificium est institutum vt repræsentatiuum sacrificij Crucis, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1. de sacrific. Miss.* ibi. *Quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur*, & tanquam commemoratiuum illius, iuxta illud Christi, 1. ad Corinth. 2. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo ex institutione sua habet, quod eò ipso, quod offertur, offeratur pro omnibus. Conseq. prob. Non esset repræsentatiuum, & commemoratiuum sacrificij Crucis, nisi offerret, sicuti est oblatum ipsum sacrificium Crucis; atque adeò nisi offerretur pro omnibus sicuti ipsum est oblatum. 4

Dices. Sequeretur, quod offerretur non solum pro omnibus fidelibus, sed etiam pro cœteris, nam sacrificium Crucis pro omnibus indifferenter est oblatum. Resp. Hoc non sequi. Quia hoc sacrificium est relictum à Christo Ecclesiæ suæ sponsæ, atque adeò institit repræsentatiuum, & commemoratiuum sacrificij Crucis apud eandem Ecclesiam, & proindè non excedit commemoratio, & repræsentatio sphæram ipsius, ideòque nec extra eiusdem sphæram extenditur generalis oblatio, præsertim quia est institutum in beneficium ipsius, & non aliorum, nisi quatenùs Ecclesia vult ipsis communicare aliquem fructum impetrationis. 5

Confirm. Hoc sacrificium ex sua Institutione est efficax; & fructuosum, quatenùs applicat sacrificium Crucis, & eius virtutem ad operandum, & communicat fructus passionis Christi: Ergo ex vi institutionis offertur generaliter pro omnibus fidelibus. Conseq. prob. Offertur secundum mensuram suæ institutionis, atque adeò vt applicatiuum efficaciæ sacrificij Crucis: Ergo cum hæc efficacia sit generalis, se extendens ad omnes, erit institutum vt offerendum pro omnibus. 6

Confirm. 2. Hoc sacrificium est idem quoad substantiam cum sacrificio Crucis; nam est eadem hostia, idem offerens principalis sacerdotum ministerio, & sola ratio offerendi est diuersa, vt habet Concilium Trident. *sess. 22. cap. 2. de sacrific. Miss.* Vbi est aduertendum, quod non dicit, quod oblatio sit diuersa; sed solum, quod ratio, seu modus offerendi sit diuersus, quia vnus fuit 7

cruentus, alter verò est incruentus. Ergo si est idem sacrificium, & eadem oblatio, se extendit ad omnés fideles, sicut se extendit oblatio sacrificij Crucis. Fundamentum oppositæ sentent solutum manet, nam ex dictis constat, quomodo hic fructus proueniat ex institutione sacrificij, & quod Ecclesiæ præscriptio, quod pro omnibus offeratur, supponit quod ex institutione sua debeat offerri.

8 Ex dictis colligitur. Quod si Ecclesia non præscripsisset, quod pro omnibus fidelibus offerretur, neque Sacerdos offerret; adhuc tamen oblatio esset communis pro omnibus. Siqoidem cum sacrificium non solum ratione extrinsecæ institutionis, sed etiam ex intrinseca sua natura sit, quatenùs fructuosum, omnibus commune, trahit secum oblationem, & facit, quod ex natura sua sit omnibus communis.

QVÆSTIO 90.

In quo consistat fructus generalissimus communis omnibus fidelibus.

SVMMARIVM.

1. *Fructus generalissimus importat impetrationem.*
2. *Impetratio fructus generalissimi non est pro singulis, sed pro toto corpore Ecclesiæ.*
3. *Impetratio fructus generalissimi dirigitur ad omnia beneficia, quæ concernunt Ecclesiam.*
4. *Fructus generalissimus an contineat satisfactionem,* & num. seq.
6. *Oblatio sacrificij ipsum applicat vt satisfactorium.*
7. *Oblatio sacrificij applicat totam efficaciam, nisi specialiter determinetur.*
8. *Sacrificij efficacia determinatur etiam per generalem oblationem.*
9. *Ecclesia an & quomodo possit priuare communicatos fructu generali sacrificij.*
   Per generalem oblationem sacrificium offertur vt satisfactorium.
10. *Sacrificium oblatum in communi quomodo producat effectus in particulari.*
11. *Cur semper fideles habeant aliquam pœnam luendam pro peccatis.*
12. *Cur fructus generalissimus satisfactionis in plurimis frustretur.*

1 CONueniunt communiter Doctores, quod hic fructus consistat in impetratione, cuius effectum participent fideles in communi, quatenus efficiunt vnum corpus. Et supposito, quod pro ipsis offeratur sacrificium, vt reuera offertur, hic fructus ad minus concedendus est tanquam generalissimus, quia est illud minus, quod participare possunt. Fructus enim impetrationis est vniuersalior, quàm quilibet alius fructus, qui proueniat ex sacrificio, & ipsum semper secum affert; ideo si aliqui fructus est concedendus tanquam generalissimus, hic debet concedi.

2 Est autem supponendum. Quod hic fructus impetrationis non potest correspondere, singulis fidelibus in particulari, sed solum in communi quatenus efficiunt corpus Ecclesiæ. Et ratio est, quia vt sacrificium impetret, dirigi debet ad fauorem particularis personæ, pro qua est impetrandum, & ad particularia beneficia, quæ sunt obtinenda, si quidem efficacia impetratiua, illius est omninò in determinata. Hoc autem non fit in sacrificio Missæ cùm non petatur aliquid in particulari pro singulis fidelibus, sed solum in communi pro tota Ecclesia Vt constat ex illis verbis Canonis, *Imprimis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris.* Et rursus ex illis. *Ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ, eamque secundum voluntatem tuam pacificare, & coadunare digneris.*

3 Est tamen aduertendum, quod licèt in canone Missæ exprimantur solù aliqua beneficia, impetratio tamen sacrificij ordinatur ad omnia, quæ pertinent ad Ecclesiam in communi, quia dum sacrificium offertur pro Ecclesia ex interpretatiua saltem intentione ordinatur ad obtinenda omnia beneficia, quæ obtineri possunt, Ex quo fit, quod offeratur etiam pro ipsius Prælatis, quatenus personæ publicæ sunt, quamvis solum nominetur Pontifex, & Episcopus loci. Quia pertinet ad bonum commune Ecclesiæ, quod ipsi in regimine dirigantur, & prosperentur, & ideo ex natura sua impetratio, dum est pro Ecclesia communi ad hunc effectum ordinatur. Quare solum dubium remanet an præter impetrationem contineat fructus generalissimus etiam satisfactionem.

4 Prima sententia negat, fructum generalissimum continere satisfactionem. Ita Suarez *Disp.* 79. *de Eucharist. sect.* 8. ver. *secundo de Ecclesia.* Coninch. *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 9. *num.* 169. Præposit. *ibid. num.* 19. Filliuc. *tract.* 5. *num.* 77. Lugo Cardin. *disp.* 19. *de Eucharist. sect.* 10. *num.* 221. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 4. *quæst.* 6. *num.* 54. Quartus *in Rubr. Missal. in Appen. quæst.* 2. *punct.* 16. *dicto* 1. Prob. Hic fructus satisfactionis non potest prouenire omnibus fidelibus ex singulis sacrificiis de iure diuino, quia alioquin non posset Ecclesia priuare excommunicatos tali fructu. Nec de iure Ecclesiastico quia non adest, & ex orationibus institutis ab Ecclesia solum colligitur, quod sit fructus impetrationis, nam hæ tendunt solum ad impetrandum. Secundò. Sacrificia non offeruntur pro omnibus fidelibus in particulari, sed solum in communi prout efficiunt vnum corpus. Ergo nec fructus est particularis, sed generalis, atque adeo non est fructus satisfactionis. Tertiò cùm tot sacrificia offerantur, vix esset aliquis, qui remaneret debitor alicuius pœnæ.

5 Secunda sententia docet, hunc fructum generalissimum continere etiam satisfactionem. Ita Caiet. *tom.* 2. *Opuscul. tr.* 3. *q.* 2. ver. *Quo fit.* Scot. *quodlib.* 20. *ar.* 9. Adr. *quodlibet.* 8. *art.* 3. Maior. *in* 4. *dist.* 45. *q.* 1. Palud. *q.* *item* 2. Gabr. *lect.* 25. *in can. Miss.* Nau. *de orat. non.* 20. *num.* 52. & *in Manual. cap.* 25. *num.* 111. Gerson. 3. *part. Alphabeto* 77. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 18. *num.* 3. Valent. *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 11. *punct.* 1. Azor. *par.* 1. *lib.* 10. *capite* 20. *quæst.* 9. *in fine.* Vasquez 3. *part. disput.* 231. *cap.* 3. & 6. Aragon. 2.2. *quæst.* 83. *art.* 3. §. *Quocirca.* Facundez *præcep.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 23. Bonac. *disp.* 4. *de sacram. quæst. vlt. punct.* 4. *num.* 9. Reginal. *lib.* 29. *Praxis fori pœnit. num.* 157. Granad. 3. *part. controuers.* 6. *tract.* 14. *disp.* 7. *sect.* 2. *n.* 2. Rutena *de fine sacrific. lib.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 1. *dub.* 1. *num.* 16. Dicastil. *de sacram. tract.* 5. *disp.* 3. *dub.* 6. *num.* 141.

6 Dicendum est. *Fructum generalissimum sacrificij includere etiam satisfactionem, atque, adeo remissionem pœnarum.* Prob fructus generalissimus oritur ex generali oblatione, qua sacrificium offertur pro omnibus fidelibus: Ergo includit etiam fructum satisfactionis. Conseq. Prob. Oblatio generalis cadit supra sacrificium, atque ipsum applicat ad operandum in vtilitatem eorum, pro quibus offertur: Ergo facit operari secundum totam suam virtutem, atque adeò nedum vt impetratorium, sed etiam vt satisfactorium, & proinde facit producere totum suum fructum, quem aptum est producere pro iis, pro quibus offertur.

Confir. Particularis oblatio sacrificij applicat ipsum ad operandum secundum omnem suam virtutem

Digitized by Google

tem pro illo particulari, pro quo offertur, & vt operetur tantum vt impetratorium, & non vt satisfactorium, aut èconttra debet determinatè applicari secundum vnam virtutem, & non secundum aliam: Ergo etiam in generali oblatione, nisi determinatè applicetur secundum vnam virtutem, & non secundum aliam applicabitur ad operandum secundum omnem suam virtutem.

8 Confirm. 2. Dum sacrificium offertur pro omnibus fidelibus applicatur ad operandum in ipsorum vtilitatem secundum suam propriam efficaciam, atque adeò ex opere operato, alioquin secundum nihil operaretur: Ergo non magis applicatur ad operandum vt impetratorium, quàm vt satisfactorium. Conseq. prob. Ratione oblationis efficacia sacrificij ex qua proueniunt effectus ex opere operato remanet determinata ad eos, pro quibus offertur, tanquam ad subiectum circa quod se exerceat: Ergo exercebit suam efficaciam satisfactiuam, cum secundum hanc sortiatur effectum ex opere operato.

9 Ad 1. resp. Fructum satisfactionis prouenire omnibus fidelibus ex singulis sacrificijs ex generali oblatione pro ipsis. Quæ cum sit ex institutione Christi, vt dictum est in superioribus, prouenit ex Christi institutione. Potest autem Ecclesia priuare hoc fructu excommunicatos, quia est relictum eius potestati disponere de sacrificio, & sacramentis salua eorumdem substantia. Priuat autem indirectè separando eos à corpore suo. De iure quoque Ecclesiastico offertur sacrificium vt satisfactorium pro omnibus fidelibus, quia Ecclesia instituit hanc oblationem conformem institutioni Christi, & naturæ sacrificij. Et quod offeratur vt satisfactorium constat ex diuersis verbis canonis, vt in oblatione panis, ibi. *Vt mihi, & illis proficiat ad salutem.* Proficere autem ad salutem est satisfacere pro pœna debita. Et in oblatione Calicis. *Offerimus tibi Domine calicem salutaris, &c. pro nostra, & totius mundi salute.* Et rursus in Canone Missæ Sacerdos dicit. *Pro quibus tibi offerimus, &c. hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum.* Redimitur autem anima per hoc sacrificium, quatenùs est satisfactorium.

10 Ad 2. neg. conseq. Quia licet sacrificia offerantur in communi, producunt tamen effectum in particulari, quando aliter non possunt producere, quia tunc oblatio quoad talem effectum se habet, ac si fieret pro singulis, non est in communi, sed directa ad singulos. Talis autem est effectus satisfactionis, qui non potest habere locum in communi, sed solum singulariter in singolis. Sic etiam si fructus medius, seu specialis applicaretur pluribus in communi, sortiretur effectum singulariter in singulis.

11 Ad 3. in sequenti inquiretur, quanta sit pœna, & quomodo remittatur. Nunc sufficiat, quod pœna non remittitur omnibus fidelibus, sed tantum iustis; quia, vt dictum est in superioribus ad hunc effectum sacrificij requiritur status gratiæ: deindè in iustis crescit continuò pœna debita peccatis, quia frequentissimè peccant venialiter, iuxta illud, *Septies in die cadit iustus.* Et plures etiam tenentur ad pœnam debitam peccatis mortalibus dimissis. Idem argumentum fieri posset, quoad opera bona iustorum, quæ cum sint satisfactoria, remittunt semper aliquam pœnam.

12 Ex dictis colligitur. Fructum generalissimum, quatenùs comprehendit satisfactionem, esse quidem de se communem omnibus fidelibus, quatenùs ex vniuersali oblatione applicatur sacrificium ad ipsum pro omnibus producendum, frustrari tamen in plurimis ratione incapacitatis. Quia, vt dictum est in superioribus, pro hoc effectu percipiendo requiritur status gratiæ, in quo plurimi fidelium non reperiuntur: & ideò ad hos tantum pertinet fructus impetrationis in communi, vt est explicatum supra *num. 2.*

QVÆSTIO 91.

Quomodo fructus satisfactionis participetur ab omnibus fidelibus.

SVMMARIVM.

1. *Difficultatis punctus.*
2. *Fructus generalissimus satisfactionis est taxatus intensiuè, non extensiuè.*
3. *Commensuratur dispositioni recipientis.*
4. *Fructus generalissimus satisfactionis quomodo distribuatur singulis à Deo.*
5. *Fructus sacrificij est independens à fructu alterius sacrificij, orationum, &c.*
6. *Fructus generalis satisfactionis est idem, siue sint plures, siue pauciores ij, pro quibus offertur.*
7. *Sacrificium non applicat totam illam portionem satisfactionis Christi, quæ sufficiat pro extinguendo toto debito.*
8. *Fructus generalis non decrescit ex participatione plurium ratione modi quo applicatur.*
9. *Stante quocunque numero participantium fructus generalis est semper finitus.*

Difficultas procedit de fructu satisfactionis qui 1
prouenit ex generali oblatione pro omnibus fidelibus non quatenùs aliquo modo offerentes sunt, quia non percipiunt aliquem fructum ex opere operato, vel si perciperent, esset diuersus ab eo, de quo modo agitur. Difficultas autem est; singuli fideles, qui sunt in statu gratiæ ex singulis sacrificijs percipiant aliquem fructum, & quomodo, & an semper in æquali portione siue sint plures, siue pauciores, qui sint in statu gratiæ.

Prima sententia asserit, singulos fideles recipere 2
aliquem fructum ex singulis sacrificijs taxatum intensiuè, non tamen extensiuè, & proindè, licet communicatur pluribus, non tamen minui, sed æquè prodesse singulis, licèt pluribus applicatus. Ita Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. articul. 1.* Valent. *tom. 4. disput. 6. quæst. 11. punct. 1. §. 25.* Bonacin. *disput. 4. de sacrament. quæst. vltim. punct. 4. numer. 6.* Et ij, qui volunt, fructum sacrificij esse infinitum extensiuè, quos in suo loco referam. Fundantur in eo. Quod cum offeratur sacrificium pro adstantibus, quo plures essent, minorem fructum perciperent, & ideò expediret audire Missam, vbi adstant pauciores. Deindè quia Ecclesia non determinauit numerum eorum, quorum fit mentio in vtroque Memento.

Secunda sententia vult, singulos fideles recipe- 3
re aliquem fructum ex singulis sacrificijs ex opere operato, qui non augeatur ex paucitate; nec minuatur ex multitudine, quibus communicatur, sed crescat, vel minuatur iuxta recipientis dispositionem: vndè hæc sententia solum differt à præcedenti, quod velit fructum commensurari dispositioni recipientis. Ita Caietan. *tom. 2. Opusc. tractat. 3. quæst. 2. & 3. part. quæst. 79. art. 5.* Aragon. *2. 2. quæst. 85. articul. 3.* Canus *lib. 12. de locis Theol. capit. 13. circa finem.* Vasquez *3. part. disputat. 231. capit. 3.* Et alij, qui volunt fructum satisfactionis commensurari dispositioni recipientium, quos retuli supra suo loco.

Tertia sententia asserit, singulos fideles non re- 4
cipere

cipere fructum aliquē determiuatumex opere operato ex singulis sacrificiis quoad satisfactionem. Sed ex singulis sacrificiis ratione generalis oblationis exurgere quosdam gradus remissionis pœnæ, qui multiplicati ex omnibus sacrificiis totius mundi simul cum fructu orationum, bonorum, operum sacrificiorum specialiter omnibus fidelibus applicatorum, distribuatur à Deo iuxta suam prouidentiam omnibus fidelibus tam viuis, quàm defunctis eo ferè modo, quo fit collecta eleemosynarum, & distribuitur singulis pauperibus, non quod singuli participent singulas eleemosynas, sed quod singuli participent partem de illa collecta. Ita Ruteus *de fructu sacrif. lib. 1. disp. 1. qu. 1. dub. 2. n. 25. & 3.* & citat alios Doctores, qui tamen hoc expressè non docent, sed solum, ait, colligi ex iis, quæ docent. Quæ tamen sententia patitur graues difficultates ratione illius collectionis, & distributionis fructuum, nec euadit difficultates allatarum sententiarum.

5 Dicendum est. *Ex singulis sacrificiis ratione generalis oblationis singulos fideles percipere aliquem fructum satisfactionis ex opere operato secundum determinationem Christi habita ratione dispositionis. Atque sacrificium eodem modo esse, fructuosum respectu singulorum, siue fideles sint plures, siue pauciores.* Probatur. Quodlibet sacrificium habet producere suum effectum independenter ab alio, & independenter à quocunque alio opere satisfactorio; & quia producit ex opere operato, non potest suspendi eius effectus, siquidem producit ad modum causæ naturalis. Rursus hic effectus satisfactionis non potest produci in communi, sed in particulari tantum, quia consistit in relaxatione pœnæ, ad quam particulares personæ tenentur per applicationem sacrificationum Christi: Ergo in singulis fidelibus capacibus ex generali oblatione producit aliquem fructum satisfactionis, & relaxationis pœnarum. Conseq. probatur. Per generalem oblationem æqualiter offertur pro singulis capacibus. Ergo cum ex vi huius oblationis habeat producere fructum producet in omnibus cum non sit maior ratio de vno, quā de alio.

6 Quod autem eodem pacto producat, siue sint pauci, siue multi ex eo deducitur, quod non producit nisi applicando satisfactiones Christi, quæ pro omnibus Patri oblatæ sunt in communi: Ergo cum sacrificium hoc satisfactiones oblatas in communi applicat in particulari, & veluti singularizet appropriando huic, & illi; eandē satisfactionem applicabit, siue sint plures, siue pauciores, quibus applicanda est. Quia non sunt gradus aliqui satisfactionis, qui diuidēdi sint inter omnes; sed ex massa generali satisfactionū Christi desumenda est illa portio, quæ vnicuique per sacrificium applicatur. In massa autem generali adest tanta satisfactio applicabilis vnicuique ex vi generalis oblationis, quæ potest absorbere omne debitum pœnæ, quod ab ipso contrahi potest: & de hac satisfactione applicabili correspondente vnicuiq; desumitur illa, quæ applicatur: atque adeo remanet semper satisfactio applicabilis aliis, & aliis. Et ratio à priori est, quia satisfactio Christi est adeo magna, vt sufficere possit pro aliis, & aliis debitoribus in infinitum, & proinde æquiualet pluribus, & pluribus portionibus sufficientibus pluribus, & pluribus debitoribus in infinitum secundum quancunque summam debiti. Et ideo hoc sacrificium applicat satisfactionem Christi secundum plures, aut pauciores portiones, prout sunt plures, aut pauciores quibus est applicanda.

7 Dices si sacrificium applicaret satisfactionem singulis fidelibus de portionibus, quæ in satisfactione Christi ipsis correspondent, extingueret omne debitum pœnæ ipsorum, nam portiones correspondentes sunt tales, vt extinguere valeant non solum debitum pœnæ quod habent, sed etiam quodcumque aliud, quod habere possent. Resp. neg. sequel. Quia non applicat totam portionem, sed aliquid de ipsa secundum taxationem Christi factam in institutione sacrificij, quam verisimile est, esse modicam stante maxima vniuersalitate eorum, quibus est applicanda. Iuxta enim regulas liberalitatis, quò beneficia sunt vniuersaliora, eò minora sunt, & quò magis particularia sunt, eò maiora esse solent. Quamuis autem hæc regula non sit necessaria præsertim respectu Dei, est tamen verisimilis, siquidem videmus seruari in beneficiis gratiæ, nam gratias aliquas singulares, & maiores, sicut etiam excellentem sanctitatem videmus paucis concedi, ordinarias autem, & minores vniuersaliter.

8 Dices 2. Fructus specialis, seu medius est finitus etiam extensiuè, ita vt quò pluribus applicatur eò minor sit. Ergo etiam generalissimus. Resp. Anteced. infra esse examinandum. Interim stare cum finitate vtriusque fructus, quod non decrescat, etiam si pluribus applicetur, quia semper erit finitus, & solum maior, aut minor extensiuè. Deinde fructus generalis habet vnicum tantum modum applicationis, quia si generaliter applicatur, omnibus applicari debet: & ideò secundum vnicum hunc modum applicationis est determinatus à Christo in institutione sacrificij. Verum fructus specialis, seu medius habet plures modos applicationis, nam potest applicari vni tantum, & etiam pluribus: & ideo potuit à Christo sortiri diuersam determinationem, quando applicatur vni, & applicatur pluribus, ita vt quando applicatur vni applicaret certā portionem de satisfactione Christi, ex illa parte, quæ in generali massa ipsi correspondet vt applicabilis. Quando verò applicatur pluribus applicaret æquiualens, sed ex diuersis portionibus massæ vniuersalis, quę correspondent illi pluribus, & proinde ex multiplicatione eorum, quibus applicatur, decresceret fructus. Quid autem fructum sit, inquiretur infra suo loco. Deinde fructus medium continet illum tantum, qui relictus est liberæ dispositioni Sacerdotis. Et ideo dum de ipso disponit pro pluribus oportet vt diuidatur: vt generalissimus continet illum, qui pro singulis capacibus est determinatus à Christo. Est autem determinatus vni independenter ab alio.

9 Ex his autem deducitur. Quod licet sacrificium applicaret de satisfactione Christi aliquam portionem pluribus, & pluribus, crescente semper numero eorum, quibus applicaretur, non sequeretur quod fructus esset infinitum, quia semper & numerus quibus applicatur esset finitus in se, & omnes illæ portiones etiam simul sumptæ essent quid finitum quia finitum additum finito non facit infinitum. Et ideo non licet arguere, quod fructus sit finitus intensiuè, & ideo etiam sit finitus extensiuè, nam ex dictis non sequitur vlla infinitas.

QVÆSTIO 92.

An fructus generalissimus includat effectum propitiationis, seu remissionis peccatorum.

SVMMARIVM.

1. *Fructus generalissimus an includat propitiationem.*
2. *Propitiatio sacrificij est circa certam, & determinatam personam.*
3. *Recōciliatio tendit ad singulares volūtates vniendas.*

4. *Sacrifi*

4. *Sacrificium ex vi generalis oblationis prodest pro remissione peccatorum.*
5. *Existens in peccato mortali est capax bonorum, quæ fiunt in Ecclesia.*

1 DE hac difficultate nihil speciale inuenio apud Doctores; ex iis tamen, quæ tradunt, sententia negatiua colligitur. Ita ij, qui volunt, hunc fructum generalissimum consistere in sola impetratione. Et ij etiam; qui huic fructui tribuunt etiam satisfactionem, quia non extendunt vlteriùs hunc fructum. Quos omnes supra suo loco citaui.

2 Itaque dicendum est. *Fructum generalissimum non includere fructum propitiationis, seu remissionis peccatorum.* Prob. Propitiatio in eo consistit quod assumatur sacrificium ad placandum Deum, & ipsum reconciliandum peccatori: ergo non potest sacrificium hunc effectum sortiri ex vi applicationis generalissimæ pro omnibus fidelibus. Conseq. prob. Reconciliatio est ex natura sua personalis, quia exercetur cum persona determinata: Ergo quando sacrificium assumitur ad operandam hanc reconciliationem, debet assumi pro certa & determinata persona reconcilianda, itavt ipsa petat reconciliationem per illud sacrificium, siquidem, cum sit medium ad obtinendam reconciliationem, debet adhiberi ab eo, qui est reconciliandus, aut ab alio ex eius saltem interpretatiua voluntate, nam reconciliatio non fit sine voluntate illius, qui est reconciliandus. Hoc autem non potest habere locum in generali oblatione, ex qua consurgit fructus generalissimus.

3 Confir. Ex eo, quod reconciliatio sit personalis, & requirens conuersionem ad inuicem voluntatum, quæ priùs erant discordes, modo personali, singulari determinato instituenda est, itavt redundat ad singulares voluntates vniendas: Ergo cum per hoc sacrificium fiat reconciliatio, quatenùs per ipsum satisfactio Christi pro offensa exhibetur Deo, applicata pro reconciliando, debet hæc applicatio fieri determinato modo personali, hoc est, pro persona determinata, quæ velit reconciliari, quod non potest habere locum in oblatione generali. Præsertim quia ad obtinendum hunc effectum requiritur specialis dispositio in peccatore, vt suo loco dictum est.

4 Dicendum 2. *Ex vi generalis oblationis sacrificium prodesse in ordine ad remissionem peccatorum tanquam impetratorium, quatenus impetrare potest auxilia in ordine ad pœnitentiam.* Prob. Hoc sacrificium iuxta traditionem Apostolicam offertur pro nostris necessitatibus, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 2. de sacrific. Miss.* quia, quatenùs impetratorium, vt dictum est in superioribus, potest impetrare omnia beneficia diuina. Existens autem in peccato est in maxima necessitate auxilij diuini in ordine ad resurgendum, quia absolutè sine ipso non potest resurgere. Rursus ad hæc auxilia obtinenda non requiritur quasi tractatus personalis, sicut in reconciliatione, quia dantur à Deo etiam non cogitantibus de conuersione.

5 Ex dictis colligitur contra Peirin. *quæst. 3. de religioso. cap. 6. § 6.* Existentem in mortali capacem esse bonorum, quæ fiunt in Ecclesia, vt contra ipsum obseruat Ruteus *lib. 1. de fruct. sacrific. disp. 1. quæst. 1. dub. 3. num. 35.* Quia licet non sit capax aliquorum, vt est satisfactio pro pœna, est tamen capax aliorum, nam adhuc est membrum Ecclesiæ illi vnitum per fidem, licet mortuum: & ideo participare potest illa bona, quæ non requirunt statum gratiæ. Alioquin Ecclesia non oraret pro peccatoribus. Et cum sit capax fructus tàm generalissimi, quàm medij, seu specialis sacrificij, quatenùs obtinent vel impetratiuè, vel propitiatorio modo gratias prouenientes, & auxilia in ordine ad conuersionem, quia hæc non requirunt statum gratiæ, erit etiam capax aliorum bonorum, quæ non requirunt talem statum.

QVÆSTIO 93.

An, & quæ applicatio requiratur pro fructu generalissimo.

SVMMARIVM.

1. *Quæ applicatio requiratur pro fructu generalissimo.*
2. *Pro oblatione generalissima interuenit expressa intentio.*
3. *Intentio habitualis sufficit, sed tamen est necessaria pro fructu generalissimo.*
   Missæ priuatæ cur sint communes.
4. *Fructus sacrificij est communis omnibus ex vi offerentium.*

CVm fructus generalissimus consequatur ex oblatione, quæ fit communiter pro omnibus fidelibus, dubium insurgit, quæ intentio in ordine ad oblationem requiratur, vt sequatur hæc communis oblatio. Videntur communiter docere, quod sufficiat habitualis intentio. Nomine autem habitualis intentionis intelligitur intentio, quæ priùs formaliter extitit, sed de præsenti non est, sed censetur moraliter durare, quia non est retractata; vt etiam dictum est, cum ageretur de applicatione. Ita Adrian. *quodlib. 8. art. 3.* Aragon. *2. 2. quæst. 85. art. 3. §. Quartò est aduertendum.* Corduba *in Quæst. lib. 1. quæst. 3. init.* Suarez *disp. 72. de Eucharist. sect. 3.* ver. *In hac re;* & *disp. 3. de sacrament. in genere, sect. 5.* ver. *Dico secundò.* Bellarmin. *lib. 2. de Miss. cap. 4.* Fraxinel. *de obligat. Sacerd. sect. 3. prænot. 3.* Ruteus *de fruct. sacrif. lib. 1. disp. 1. quæst. 1. dub. 5.* Et ij, qui volunt hanc intentionem sufficere pro applicatione fructus medij, seu specialis, quos suo loco recensui. 1

Dicendum 1. *De facto interuenire pro oblatione communissima sacrificij intentionem expressam, & formalem Ecclesiæ declaratam per Sacerdotem offerentem.* Constat hoc ex oblatione panis; nam Sacerdos declarat, se offerre sacrificium pro omnibus fidelibus, vt in illis verbis: *Pro omnibus fidelibus Christianis, viuis, & defunctis, vt mihi, & illis proficiat ad salutem in vitam æternam:* ergo cum Sacerdos id exprimat ex præscripto Ecclesiæ, & nomine ipsius, interuenit expressa intentio Ecclesiæ de generali oblatione. 2

Dicendum 2. *Quamuis intentio habitualis sufficiat, non est tamen necessaria: sed eo ipso, quod offertur sacrificium, censebitur offerri pro omnibus, qui sunt membra vnita corpori Ecclesiæ, atque adeò non præcisa.* Prob. Hoc sacrificium ex institutione sua habet, quod sit publicum, & omnibus commune: ergo eo ipso, quod offertur, ex natura sua pro omnibus offertur, quibus est commune. Anteced. constat. Quia hoc sacrificium est relictum Ecclesiæ, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1. de sacrific. Miss.* atque adeò toti communitati fidelium. Vnde idem Concil. *cap. 6. eiusdem sess.* declarat, Missas priuatas esse communes, quia à ministro publico pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrantur. Conseq. etiam constat, quia eo ipso, quod offertur tanquam commune pertinet ad omnes quoad communicationem fructus. 3

Confir. Hoc sacrificium offertur à Christo principali offerente tanquam à Capite Ecclesiæ; & à 4

Sacerdote, vt ministro Christi, & publico etiam ministro Ecclesiæ, atque adeò nomine Christi, & Ecclesiæ: ergo ex vi offerentium absque alia intentione participatio fructus est communis omnibus. Conseq. prob. Ex eo, quod offertur à Christo, vt Capite Ecclesiæ, oblatio est ordinata in beneficium Ecclesiæ, quia non offert pro se, cum non indigeat, sed pro suo corpore Ecclesiæ, & membris ipsius. Rursus Sacerdos est institutus publicus minister, vt offerat publico modo pro omnibus, quia dum quis ordinat offerri sacrificium, intendit percipere fructum ipsius, atque adeò Ecclesia intendit percipere fructum in suis membris ex omnibus sacrificiis.

QVÆSTIO 94.

An ex radice charitatis proueniat ex sacrificio aliquis fructus omnibus fidelibus iustis.

SVMMARIVM.

1. *Communio bonorum non habet locum quoad peccatores.*
2. *Fideles percipiunt specialem fructum ex omnibus sacrificijs ob vnionem in charitate.*
3. *Communio Sanctorum quænam sit.*
4. *Iusti communicant in bonis corporis mystici Ecclesiæ.*
5. *Defuncti percipiunt fructum gaudij ex omnibus sacrificijs ob vnionem in radice charitatis.*
6. *Quæ bona proueniant iustis viuentibus ex omnibus sacrificijs.*
7. *Deus intuitu iustorum confert alijs iustis bona.*

1 QVia peccatores non communicant cum iustis in charitate, ideò quoad ipsos non habet locum communio bonorum fundata in radice charitatis. Est autem eadem ratio de sacrificio, ac de cæteris bonis operibus, quamuis speciali modo locum habeat in sacrificio, tanquam in eo, quod ex natura sua est bonum commune, & pro communi vtilitate Ecclesiæ institutum.

2 Dicendum 1. *Ratione radicis charitatis, & vnionis, qua fideles iusti vniuntur tanquam membra in corpore Ecclesiæ prouenire ipsis ex omnibus sacrificijs aliquem fructum:* sicut etiam prouenit ex omnibus aliis bonis operibus, itavt ex bonis operibus singulorum cæteri omnes percipiant aliquem fructum. Ita communiter Doctores præsertim D.Th. *Opusc. 6. cap.13. & in 4. dist. 45. quæst. 1. art. 1. quæstiune. 1. & 2. & quæst. 2. art. 4. quæstiune. 1. & 2.* Richar. *art. 2. quæst. 2. & 3.* Sotus *quæst. 2. art. 1.* Adrian. *quodlib. 8. art. 3.* Aragon. *2. 2. quæst. 85. art. 3.* Couar. *in cap. Alma mater. part. 1. §. 5. num. 5. & §. 6. num. 1.* Ruteus *de fruct. sacrif. lib. 1. disp. 1. quæst. 1. dub. 2. n. 37.*

3 Desumitur autem ex 9. *articulo* Symboli Apostolici, in quo profitemur: *Sanctorum communionem.* Hæc enim communio non est aliud, quàm illa communio, quam fideles iusti habent inuicem in bonis propriis eo, quod vniti sint adinuicem in charitate. Charitas enim facit, quod omnia bona spiritualia sint communia. Et ex illo 1. Ioan. 1. *Vt & vos societatem habeatis nobiscum.* Quia scilicet charitas ponit inter iustos hanc societatem ratione cuius locorum vnius, pertinet etiam ad alios.

4 Prob. Omnes iusti sunt membra corporis mystici Ecclesiæ, iuxta illud ad Rom. 12. *Singuli autem alter alterius membra:* ergo cum communicent in eodem corpore, communicant etiam in bonis eiusdem corporis: bonum autem cuiuscumque membri redundat in bonum corporis, atque adeò aliorum membrorum.

Dicendum 2. *Defunctos ex sacrificijs, sicut etiam ex cæteris bonis operibus ratione radicis charitatis percipere fructum gaudij, & consolationis.* Ita D. Thom. *in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 1.* Richar. *art. 2. quæst. 2.* Sotus *quæst. item 2. art. 1.* & communiter. Et desumitur ex illo 1. ad Cor. 12. *Si gloriatur vnum membrum congaudent omnia membra.* Et ratio est. Quia charitas facit, quod bona proximi æstimemus propria, quia cum diligamus proximum sicut nos ipsos, bonum ipsius habemus pro bono nostro, & ideo gaudemus de ipso. Simile ergo gaudium consurgit in animabus purgantibus ex sacrificiis, & aliis bonibus operibus, quatenùs considerantur tanquam bona aliorum membrorum. 5

Dicendum 3. *Iustis viuentibus ex sacrificijs, & alijs bonis operibus non solum prouenire prædictum gaudium; sed etiam fructum aliorum bonorum, tàm spiritualium, quàm temporalium.* Vt sunt præseruatio à peccato, à tentationibus, liberatio à malis, & alia huiusmodi beneficia. Ita Richar. *in 4. dist. 45. art. 2. quæst. 2.* Adrian. *quodlib. 8. art. 3. Littera E.* Corduba *in quæst. lib. 1. quæst. 3. §. Si quæratur.* Aragon. *2. 2. quæst. 85. art. 3. §. Quartò est aduertendum.* Ruteus *de fruct. sacrif. lib. 1. disp. 1. quæst. 1. dub. 4. n. 47.* 6

Ratio est. Quia bona opera reddunt magis gratos Deo eos, per quos exercentur, & proinde ad ostendendum, quod sibi de his operibus complacet, etiam erga ipsorum amicos se beneuolum ostendit, siquidem benefacere amicis illorum, quos amamus, est quædam remuneratio. Confir. Deus intuitu iustorum, quos amat, confert beneficia peccatoribus, quos odio habet, vt passim in Scriptura habentur exempla Gen. 18. Deus parciturus erat Sodomæ, si inuenti fuissent decem iusti, & cap. 19. sequenti liberauit Loth de incendio intuitu Abrahæ. Ierem. 5. *Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero, &c.* nempè Ierusalem. Si ergo Deus propter iustos parcit peccatoribus, & confert eis beneficia, à fortiori id faciet cum iustis. 7

QVÆSTIO 95.

An detur fructus specialissimus proprius Sacerdotis celebrantis.

SVMMARIVM.

1. *Offerens sacrificium acquirit fructum boni operis augmentum gratiæ, gloriæ, &c.*
2. *Sacrificium quos effectus habeat vt tale.*
3. *Fructus specialissimus ex opere operato an detur,* & num. seq.
5. *Sacerdos ita offert pro alijs, vt etiam offerat pro se.*
6. *Fructus specialissimus quos effectus comprehendat.*

SI Sacerdos offerat sacrificium, sicut debet offerre, acquirere sibi fructum talis boni operis, certum omninò est, qui præcipuè consistit in augmento gratiæ, & gloriæ. Verùm hic fructus est ex opere operantis; & est communis omnibus bonis operibus, quæ exercentur in gratia: & proinde de hoc non agimus, quia non agimus de sacrificio, quatenùs meritoriè exercetur. Sed de fructu, qui prouenit ex sacrificio, quatenùs sacrificium est, & proinde qui est independens à merito operantis, & fundatur in institutione Christi, & est ex opere operato. 1

Est

Est autem supponendum ex dictis in superioribus,
2 quod hic fructus non prouenit offerenti præcisè ratione oblationis ex opere operato, quia talis fructus non datur vt latè probatum est. Fructus enim, quem producit sacrificium, vt tale est, non excedit effectus sacrificij, quatenùs offertur à Christo, vt principali offerente, & ministerialiter à Sacerdote. Vt autem offertur à Christo, & ministerialiter à Sacerdote, non habet alium fructum, aut alios effectus, nisi quos sortitur per applicationem virtutis sacrificij Crucis, & communicationem fructuum ipsius. Hoc autem totum sicut obtinetur per applicationem, quam sacrificium importat, ita non participatur, nisi mediante applicatione sacrificij. Vnde videndum est, an detur aliquis alius fructus, qui sit ex opere operato.

3 Prima sententia est negatiua. Ita videntur sentire ij, qui ponunt fructum ex opere operato ratione oblationis actiuæ, nam videntur ipsum ponere, vt saluent fructum specialissimum pro Sacerdote. Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 4. ar. 2.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 16. num. 2.* Canus *lib. 12. de locis Theolog. cap. 13.* Suarez *disp. 79. de Eucharist. sect. 8. ver. Tertiò quod pertinet.* Auersa *de Eucharist. quæst. 11. sect. 9. ver. Hæc pars.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacram. cap. 4. quæst. 5. num. 49.*

4 Secunda tamen sententia admittit hunc fructum specialem ratione sacrificii. Ita Nauar. *in Manual. cap. 25. num. 111.* Valentia *tom. 4. disp. 6. quæst. 11. punct. 1. §. 25.* Vasquez *3. par. disp. 231. cap. 3.* Ruteus *de fruct. sacrific. lib. 1. disp. 1. qu. 2. dub. 1. num. 1.* Dicastil. *de sacrament. tract. 5. disp. 5. dub. 6. num. 152.*

5 Dicendum est. *Sacerdotem percipere fructum specialissimum sibi proprium ex sacrificio ex opere operato, quatenus sacrificium est.* Prob. Sacerdos ita offert sacrificium pro aliis, vt simul etiam offerat pro semetipso, iuxta illud ad Hebr. 5. *Debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis*, & constat etiam ex Can. Missæ, & Oblatione panis. *Suscipe sancte Pater, &c. Hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo viuo, & verò pro innumerabilibus peccatis, & offensionibus, & negligentiis meis.* Et in oblatione Calicis. *Pro nostra, & totius mundi salute cum odore suauitatis ascendat.* Ergo cum sacrificium producat fructus ex opere operato pro iis, pro quibus offertur, producet etiam pro sacerdote offerente, cum pro ipso quoque offeratur.

6 Dicendum 2. *Hunc fructum comprehendere omnes effectus sacrificij: atque adeò esse propitiationis, satisfactionis, & impetrationis.* Prob. Hic fructus prouenit ex oblatione facta pro ipso sacerdote: ergo prouenit ex sacrificio quatenùs applicatiuo sacrificij Crucis, & communicatiuo fructuum ipsius, quia quatenùs offertur pro aliquo exercet circa ipsum vim suam applicatiuam. Dum autem applicat virtutem sacrificij Crucis, producet omnes tres illius effectus, cum ad ipsos ordinetur virtus eiusdem sacrificij Crucis, stante capacitate subiecti.

QVÆSTIO 96.

An ex natura sacrificij offerens percipiat fructum specialissimum.

SVMMARIVM.

1. *Quid requiratur, vt fructus specialissimus, proueniat ex natura sacrificij.*
2. *Fructus specialissimus est ex natura sacrificij independenter ab applicatione.*
3. *Sacrificium eo ipso, quod offertur, pro Sacerdote quoque offertur.*
4. *Sacrificium Missæ vt vniuersale spectat ad omnes.*
5. *Sacerdos offerens sacrificium exercet officium mediatoris etiam in ordine ad se.*
6. *Christus ministerio Sacerdotis offert etiam pro ipso Sacerdote.*
7. *Sacrificium exigit participari ab offerente.*
8. *Sacrificium vt actio sacerdotis est ipsi fructuosa.*
9. *Sacrificium ex natura actionis ordinatur ad bonum offerentis.*
10. *Sacrificium applicat ex se fructum sacrificij Crucis.*
11. *Quid præstet Ecclesia præscribens oblationem sacrificij etiam pro ipso offerente.*

Resolutio difficultatis pendet ex eo, an scilicet ex natura sacrificij offeratur etiam pro ipso offerente vero, requiratur specialis determinatio offerentis, vt etiam pro seipso offerat. Cum enim hic fructus ex eo proueniat, quod sacerdos etiam pro seipso offerat, nisi sacrificium ex natura sua habeat, quod eò ipso, quod offertur, offeratur etiam pro ipso offerente, non proueniet hic fructus ex natura sacrificij, sed opus erit aliqua determinatione offerentis, qua proinde cessante, cessabit etiam huiusmodi fructus. 1

Dicendum est. *Hunc fructum specialissimum percipi ex natura sacrificij independenter à quacumque applicatione, seu determinatione offerentis eo, quod ex natura sacrificij etiam pro ipso offeratur.* Desumitur ex illo, ad Hebr. 5. vbi loquens de sacerdote inquit Apostol. *Debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.* Si enim sacerdos debet offerre pro semetipso, oportet, quod hoc debitum habeat suam radicem, quam non potest habere, nisi in natura sacrificij, quod ordinetur vt offeratur etiam pro ipso offerente. Et ex Conc. Trid. *sess. 22. cap. 6. de sacrific. Miss.* vbi declarat, Missas priuatas, in quibus solus sacerdos communicat, esse communes, quia à publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrantur. Cum igitur velit declarare, quod hæ Missæ, seu sacrificia sint communia, quia non offeruntur pro ipso solo celebrante, sed pro cæteris etiam fidelibus, oportet, quod sicut ex natura sua communia sunt, ita etiam ex natura sua offerantur tum pro ipso sacerdote, tum etiam pro cæteris. 2

Prob. Sacerdos offert hoc sacrificium vt publicus minister, & ex eo se gerit vt publicum ministrum, quia offert sacrificium publicum, quod spectat ad omnes: ergo ex natura sacrificii, & sui muneris eò ipso, quod offert, pro seipso quoque offert. Conseq. prob. Quia ex eo, quod sacrificium est publicum spectans ad omnes spectat etiam, imò multò magis ad sacerdotem, vtpotè ad eum, per quem ministerialiter offertur, & qui est potior pars communitatis. Rursus quia est publicus minister, est etiam minister pro seipso, cum & ipse proprio ministerio indigeat: ergo dum exercet proprium munus offerendo sacrificium, fit quod & ratione sacrificii, & ratione muneris pro seipso quoque exerceat; atque adeò offerat pro seipso. 3

Dices. Sacrificium esse publicum, non quia idem sacrificium spectet ad omnes, sed quia est institutum pro omnibus, ita vt modo pro vno, modo pro alio offerri possit. Contra, Sacrificium Crucis fuit publicum ratione oblationis, ita vt oblatio fuerit vniuersalis pro omnibus: ergo cum sacrificium Missæ sit idem quoad substātiam cum sacrificio Crucis, & solum differant, quia vnum est cruentum, alterum incruentum, 4

erit publicum, & vniuersale quoad oblationem pro omnibus, sicut & ipsum, quia esse incruentum non tollit vniuersalitatem oblationis.

5 Confirm. Sacerdos ratione sui muneris est mediator inter Deum, & populum fidelem, siquidem se interponit ratione muneris mediante sacrificio ad ipsum colendum, placandum, orandum, &c. Iuxta illud ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex omnibus assumptus pro omnibus constituitur in iis, quæ ad Deum sunt, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Ergo in eodem ordine non indiget ipse mediatore apud Deum, sed ipse sibi mediator est, cum non detur mediator mediatoris: ergo eo ipso, quod offerendo sacrificium exercet officium mediatoris, exercet etiam pro seipso atque adeò pro seipso offert, quia huiusmodi officium ita est in beneficium aliorum, vt etiam sit in beneficium sui ipsius, & est omnibus commune, & ideò, dum exercetur, pro ipso quoque mediatore exercetur, præsertim quia ipse afficitur exercitio mediatoris tanquàm propria actione, quæ est interpositio sacrificij pro iis, respectu quorum habet vim interponendi.

6 Confirm. 2. Christus in hoc sacrificio est principalis offerens tanquam summus Sacerdos, & Caput Ecclesiæ: & in hoc sacrificio repetit incruento modo cruentum sacrificium Crucis, & ad offerendum vtitur ministerio Sacerdotis: ergo ministerio eiusdem Sacerdotis offert pro ipso Sacerdote, & facit quod sacrificium ex natura sua inficiat eidem. Tum quia sacrificium est commune omnibus, sicut sacrificium Crucis. Tum quia Sacerdos meliori modo debet participare de fructu sacrificij, quod offert tanquàm commune omnibus, cùm sit minister ipsius. Nec obstat, quod principalis offerens relinquat Sacerdoti applicandum fructum sacrificij, quia hoc est verum solùm de fructu medio, qui ex natura sua est indeterminatus, non autem de fructu determinato ex natura sacrificij.

7 Confirm. 3. Ex natura sacrificij prouenit, quod sacrificans debeat participare de ipso sacrificio, seu re oblata. vnde Concil. Toletan. 11. vt refertur in cap. *Relatum, de consecrat. distinct.* 2. habet. Quale erit sacrificium, cuius nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur: ergo debet participare etiam de fructu sacrificij, quia si est inconueniens, & contra naturam sacrificij, quod sacrificans non participet, erit etiam inconueniens & contra naturam sacrificij, quod non participet fructum, quia cum sacrificium pertineat ad sacrificantem quoad participationem, pertinebat tàm quoad participationem secundum esse, quàm quoad participationem secundum fructum.

8 Confirm. 4. Licèt Sacerdos non sit principalis offerens, est tamen offerens vt minister, itavt oblatio sit actio propria ipsius, & cùm sit signum interioris sacrificij, per quem se totum deuouet Deo profitendo suam obligationem, & subiectionem; & ideò sacrificium, vt tale, est effectus, seu operatio ipsius Sacerdotis: ergo sacrificij fructus percipitur ab ipso Sacerdote, itavt eo ipso, quod ab eodem offertur, habeat communicare ipsi suum fructum, quem producit ex opere operato, tanquàm pro ipso oblatum. Conseq. prob. Quia actiones sunt fructuosæ ipsimet operanti, & ideò actio oblationis, facit quod sacrificium offeratur pro ipsomet offerente, sicut etiam contingit in cæteris oblationibus, in quibus res oblata censetur offerri pro ipso offerente, & ipsi proficit. Et ratio generalis est, quia sicuti actiones ordinantur ad finem operantis, ita etiam ad bonum ipsius: & proinde illud bonum, quod secum afferunt communicant operanti. Vnde cù oblatio sit actio facti vt sacrificij, ipsū facit in bonum offerentis, & quod ipsi fructificet.

9 Quod etiam ex eo declaratur, quod operans ex natura operationis intendit finem eiusdem operationis: itavt absque vlla expressione voluntatis ex solo exercitio operationis eiusdem finis sit volitus ab operante tanquam sibi proficuus, sicuti vt proficua exercetur operatio: ergo cum finis sacrificij sit non solùm colere Deum, sed etiam obtinere effectus sacrificij, & participare fructus sacrificij Crucis, dum Sacerdos vult offerre sacrificium, vult simul ex natura actionis finem sacrificij, atque adeò participare effectus ipsius, & fructus passionis Christi, & consequenter offerre pro se, cùm id sit necessarium ad participandum effectus.

10 Dices. Fructus sacrificij Crucis est indeterminatus, itavt indigeat speciali determinatione, vt prosit huic vel illi: ergo etiam fructus sacrificij Missæ, & proinde non potest esse applicatus Sacerdoti ex natura sacrificij. Resp. neg. conseq. Quia sacrificium Missæ applicat, & determinat fructum sacrificij Crucis, & cum id ei conueniat ex natura sua, quoad offerentem, & quoad Ecclesiam applicat ex se, quia ex se habet vniuersalem applicationem pro iis, quorum sacrificiū est; quæ illi conuenit ex natura sua, & sine qua non potest esse, cum eo ipso, quod sacrificium est, applicet virtutem sacrificij Crucis. Applicatio autem specialis debet determinari per Sacerdotem pro hoc, aut illo, quia cùm non sit in specie sacrificium huius, vel illius, nec etiam est determinatum ad ipsi fructificandum in specie.

11 Ex dictis colligitur. Quod Ecclesia præscribens oblationem sacrificij fieri etiam pro ipso Sacerdote, se accommodauit naturæ sacrificij, & voluit offerri, sicut exigit offerri, sicut etiam quando præscripsit offerri pro omnibus fidelibus. Considerauit enim tanquàm sacrificium publicum omnibus commune, atque adeò habens fructum correspondentem: & verbalem oblationem accommodauit vniuersalitati fructus ipsius, instituendo applicationem, seu oblationem vniuersalem pro tota Ecclesia, & fidelibus, & specialem pro Sacerdote.

QVÆSTIO 97.

An fructus specialissimus proueniat à sacrificio oblato à Sacerdote, vt priuata persona.

SVMMARIVM.

1. *Fructus specialissimus an sit à Sacerdote vt priuata persona.*
2. *Sacerdos vt priuata persona non habet potestatem offerendi.*
3. *Fructus specialissimus unde proueniat Sacerdoti.*
   Omnis fructus prouenit à sacrificio, vt applicat virtutem sacrificij Crucis.
4. *Fructus ex opere operato prouenit à sacrificio secundum institutionem.*
5. *Sacerdos in oblatione gerit tantùm personam publicam.*
   Quando quis potuit sustinere duplicem personam.
   Sacerdos vt priuata persona non potest offerre.
6. *Ad fructum specialissimum, non requiritur sanctitas offerentis.*
7. *Quæ dispositio requiratur in offerente, vt percipiat fructum specialissimum.*

SVarez *disp.* 79. *de sacrament. sect.* 8. ver. *Atque ex hac.* Roteus *lib.* 1. *de fruct. sacrific. disp.* 1. *quæst.* 2. *dub.* 1. 1

Digitized by Google

dub.1.num.3. & alij, volunt, hunc fructum specialissimum prouenire sacerdoti, quatenùs offert vt persona priuata. Volunt enim, quod in offerendo sacrificio gerat rationem duplicis personæ, nempè Christi, quatenùs offert vt eius minister, & propriæ, quatenùs ex eo, quod publicum ministerium gerit non exuit rationem priuatæ personæ. Asserunt igitur, quod fructus, qui correspondet oblationi sacrificij, vt est à persona publica, & repræsentante Christum, est fructus medius, de quo disponit sacerdos applicando, cui voluerit, & quod fructus qui correspondenti offerenti vt priuatæ personæ, sit fructus specialissimus proprius sacerdotis.

2 Dicendum est: *Fructum specialissimum non posse fundari in oblatione, vt est à sacerdote tanquam à priuata persona.* Prob. Sacerdos vt priuata persona non habet facultatem offerendi sacrificium, nisi impropriè, sicut habent cæteri, qui non sunt sacerdotes: ergo sacrificium non potest habere aliquem fructum correspondentem oblationi, vt est à sacerdote tanquam priuata persona, qui sit proprius eiusdem sacerdotis. Anteced. prob. Quia potestas, quam accepit sacerdos in ordinatione ad offerendum sacrificium, constituit ipsum publicum ministrum, & extra hanc nullam aliam habet, sed solùm offerre potest sicut offerunt Sacerdotes. Conseq. prob. Totus fructus, qui prouenit à sacrificio ex opere operato, prouenit ab ipso, vt sacrificium est: ergo ex vi oblationis; quia sacrificium fit vt tale: fit autem solum vt tale per potestatem sacerdotalem, atque oblationem publici ministri vt talis.

3 Dicendum 2. *Hunc fructum specialissimum prouenire sacerdoti ex sacrificio ex opere operato quatenus offertur in persona Christi à sacerdote vt publico ministro.* Prob. Omnis fructus sacrificij ex opere operato prouenit ab ipso prout applicat virtutem sacrificij Crucis, & communicat fructus illius: ergo prouenit ab ipso vt offertur in persona Christi, atque adeò à sacerdote vt publico ministro. Conseq. prob. Quia non applicat virtutem sacrificii Crucis, nisi quatenùs est commemoratiuum illius, atque adeò nisi quatenùs offertur à Christo vt principali offerente; vndè Concil. Tridentin. *sess. 22 capit. 2. de sacrific.* Infert effectus sacrificii ex eo, quod in hoc sacrificio sit eadem hostia, & idem offerens ministerio sacerdotum, qui fuit in ara Crucis.

4 Confirm. Fructus ex opere operato prouenit ex sacrificio ratione suæ naturæ, ex vi institutionis: ergo ex vi tantum illius oblationis, ratione cuius accipit suam naturam, secundum mensuram institutionis. Accipit autem ex vi oblationis factæ à sacerdote, vt publico ministro in persona Christi, & non vt à priuata persona, siquidem potest tantum conficere sacrificium ratione potestatis sacerdotalis, per quam constituitur publicus minister ad offerendum in persona Christi.

5 Ad fundamentum in oppositum resp. Sacerdotem, cum offert sacrificium, non exercere quidem rationem personæ priuatæ, & secundum ipsam nihil influere in sacrificium, seu actionem sacrificatiuam, quatenùs talis est, quia vt talis dependet solum à potestate publica ordinis. Et ideò in oblatione sacrificij non potest sustinere rationem duplicis personæ publicæ, & priuatæ, quia vt priuata nullum habet ius ad sacrificium offerendum. Tum enim solum potest quis sustinere rationem duplicis personæ, quando in ipso concurrunt plura iura, ratione quorum censeri potest secundum diuersos respectus. §. *Si tutor:* Instit. *de inoffic. testament.* & *l. Tutorem, ff. de his, qui vt indigni.* & *l. Cum quedam. C. de administr. tut.* Deindè non potest vt priuata persona offerre tanquàm principalis offerens: tum quia principalis offerens est Christus; tum quia non habet potestatem supra Christum, & ideò non potest cadere sub ipsius oblatione, quia oblatio supponit potestatem supra rem oblatam. Nec tanquam minister, quia vt minister Christi est publica persona, & offert nomine ipsius. Et ideò oblatio vt priuatæ personæ est omnino nulla.

6 Ex dictis colligitur contra Suarez *disput.79. de sacrament. sect.8. ver. Tertia differentia est:* Ad hunc fructum specialissimum non requiri sanctitatem in Sacerdote offerente. Quia cessat eiusdem fundamentum, quod proueniat ab oblatione prout est à priuata persona. Quo tamen admisso, supposito, quod esset ex opere operato, neque adhuc esset necessaria sanctitas, quia quæ sunt ex opere operato non dependent à bonitate, vel malitia ministri. Solùm defectu sanctitatis esset incapax alicuius effectus.

7 Secundò colligitur. Ad hunc fructum specialissimum percipiendum requiri in offerente illas dispositiones, quæ requiruntur in cæteris, pro quibus offertur, quia cum sit fructus eiusdem rationis cum cùm eo, qui huic, vel illi applicatur à Sacerdote, requirit etiam easdem dispositiones. Et ideò fructus satisfactionis requiret statum gratiæ. Fructus propitiationis accessum ad Deum cùm recto corde, pœnitentia, &c. Fructus verò impetrationis nullam dispositionem requiret, sicut nec in cæteris requirit. Rursus quando in cæteris, pro quibus offertur sacrificium, fructus crescit ex meliori dispositione recipientis crescet etiam in ipso offerente.

QVÆSTIO 98.

Quam portionem fructus dicat fructus specialissimus.

SVMMARIVM.

1. *Fructus specialissimus quàm portionem dicat.*
2. *Fructus specialissimus non est minor fructu medio cæteris paribus.*
3. *Sacrificium est institutum tàm pro populo, quàm pro Sacerdote.*
   Dictio, quemadmodum importat similitudinem.
4. *Offerens sacrificium habet maius ius ad ipsum, quàm is pro quo offertur.*
5. *Fructus specialissimus quoad modum communicationis est diuersus à fructu medio.*
6. *Fructus specialissimus non minuitur ex eo, quod pro alio offeratur sacrificium.*

1 NAuarr. *cap. 25. Manual. num. 111.* Nihil determinat de portione fructus, quæ prouenit celebranti, sed solùm docet vnam ex portionibus prouenire Sacerdoti, & eodem modo loquitur Valentia *tom.4. sum. disput.6. quest.11. punct.1. §.25.* Filliuc. *tract.5. cap.6. num.181. vult esse minorem.* Verum Henriquez *lib.9. sum. cap.18. num.5.* Docet fructum satisfactionis diuidi æquali portione inter Sacerdotem, & eum, pro quo offertur sacrificium. Vnde videtur excludere à participatione fructus satisfactionis Ecclesiam, seu fideles, pro quibus generaliter offertur.

2 Dicendum 1. *Fructum specialissimum, quem percipit celebrans ex sacrificio ex opere operato, non esse minorem, sed fortè maiorem eo, quem percipit is, pro quo offertur sacrificium.* Ita Nugn. *3. part. quæst. 83. artic. 1. part. 3. de sacrific. dub. 3. ver. Aduertendum est etiam.* Bordon. *tom. 1. Consil. Regul. resolut. 25. qu.8.* Intelligitur autem de quocumque fructu, tàm satisfactionis, quàm propitiationis, & impetrationis.

Digitized by Google

Rursus intelligitur cæteris paribus, seu independenter à dispositione oam fieri potest, quod is, pro quo offertur recipiat maiorem fructum ratione melioris dispositionis.

3 Prob. Sacrificium oon magis, est institutum vt offeratur pro hoc, vel illo, quam vt offeratur pro ipso Sacerdote, & proinde ratione sui muneris non magis debet offerre pro alijs, quàm pro se: ergo ex sua institutione habet, quod non sit minus fructuosum offerenti, quàm illi pro quo offertur. Antecd. constat ex illo ad Hebr. 5. *Propterea debet quẽadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis.* Quibus verbis denotatur, quod sacrificium est institutum vt offeratur tam pro populo, quàm pro ipso offerente cum quadam similitudine, & æqualitate: vt indicat dictio, quemadmodum, quæ importat similitudinem, vt notat Glos. *in l. 3. §. si quis duobus ff.* de *alimen. leg.* Ias. *in l. si in familia. num. 1. ff.* de *iurisd. omn. iud.* Dec. *num.* 17. Bertazol. *de claus. instrum. claus.* 21. *glos.* 23. *num.* 1. Et iuncta cum dictione *ita* inducit comparationem. Et proinde oblatio sacrificij debet dirigi eodem modo ad Sacerdotem offerentem, quo dirigitur ad populum. Cunseq. prob. quia si æquè offerendum est pro Sacerdote, ac pro cæteris, non debet esse ipsi minus fructuosum, cum sit institutum in hunc finem, vt sit fructuosum iis, pro quibus offertur.

4 Coofirm. offerens sacrificium habet maius ius ad ipsum, quàm habeat is, pro quo offertur: ergo cum offerat pro seipso, quoties offert pro aliis, debet percipere, si non maiorem, saltem æqualem fructum. Anteced. Constat, quia is, pro quo offertur habet tantum ius commune, quod habent cæteri fideles, quatenus scilicet sacrificium est institutum in beneficium ipsorum: Sacerdos autem non solum habet hoc ius, sed etiam speciale ratione potestatis offerendi ipsum, atque adeo tanquam ad actum proprium. Cooseq. prob. quia ius ad esse sacrificij est etiam ius ad participandum fructum ipsius: vbi autem est maius ius erit saltem æqualis fructus, si non maior; nam inconueniens esset, quod qui haberet maius ius, minorem perciperet fructum. Rursus cum sacrificium offeratur tam pro Sacerdote, quàm pro alio, cui applicatur, non potest esse, quod Sacerdos, qui tanquam minister est auctor sacrificij,

5 percipiat minorem fructum.

Dicendum 2. *Hanc portionem fructus specialissimi non esse compartem portionis, quæ prouenit illi pro quo offertur, sed fructum omnino distinctum, & diuersum quoad modum communicationis.* Et proinde vnum, & eundem fructum non diuidi in duas partes, quarum vna sit offerentis, & altera illius, pro quo offertur. Prob. Fructus specialissimus ratione modi cõmunicationis est determinatus ad offerentem ex natura sacrificij. Fructus verò medius, seu qui prouenit illi, pro quo offertur sacrificiũ ex modo communicationis est indeterminatus, itavt non communicetur, nisi determinetur ad talem, vel talem personam per offerentem: ergo cum vnus fructus sit determinatus, ex natura sacrificij, & semper conferatur, alter verò indeterminatus, erunt fructus diuersi ratione modi communicationis, licet ex eadem massa fructuum passionis Christi. Secunda pars anteced. est certa prima vero prob. sacrificium de se est propitiatorium, satisfactorium impetratorium, ergo ex natura sua exercet hanc efficaciam pro sacrificante, quia operationes tribuunt suum effectum operanti. Vnde si etiam offerens exerceat aliquam aliam actionem placatiuam Dei, satisfactoriam, aut impetratoriam, pro ipso placabit Deum, satisfaciet, aut impetrabit.

6 Ex dictis colligitur. Fructum specialissimum Sacerdotis proprium non minui ex eo, quod pro alio offeratur sacrificium: nec similiter minui fructum medium, quem percipit is, pro quo offertur sacrificium, itavt, si non offerretur pro Sacerdote, nec ipse aliquem fructum perciperet, non perciperet maiorem fructum. Ratio est, quia hi fructus habentur per diuersos modos communicationis, qui conueniunt sacrificio ex sua institutione, vnus independenter ab alio, & ideò ex cessatione vnius non cresceret alter. Vnde si Sacerdos offerens sit incapax, non crescit fructus medius; aut si offeratur pro incapaci non crescit fructus Sacerdotis.

QVÆSTIO 99.

An fructus specialissimus sit alteri applicabilis.

SVMMARIVM.

1. *Fructus specialissimus an sit alteri applicabilis,* & num. seq.
2. *Quæ suadeant esse applicabilem.*
4. *Offerens pro alio eo ipso vt publicus minister offert etiam pro se.*
5. *Fructus specialissimus remanet applicatus ex vi oblationis.*
6. *Sacerdos si non offerat pro se facit contra mandatum Ecclesiæ.*
   Fines mandati diligenter seruandi.
7. *Fructus specialissimus non est sub dispositione offerentis.*
8. *Applicatio fructus specialissimi pracedens oblationem est irrita.*
   Applicatio non potest inuertere modum operandi sacrificij.
9. *Effectus ex opere operato est personale.*
10. *Fructus specialissimus an eiusdem rationis cũ medio.*
   Fructus perceptus ex oblatione sacrificij non potest alteri applicari.

PRima sententia asserit, fructum specialissimum prouenientem sacerdoti ex opere operato esse applicabilem alteri ad debitum offerentis. Ita Maior *in 4. dist. 45. quæst. 2. art.* 4. Sotus *dist. 13. quæst. 2. art.* 1. Caiet. *tom. 2. Opusc. tract. 3. quæst.* 2. Nauarr. *cap. 25. Manual. num. 92. &* 111. Ledesma *2. part. 4. quæst. 10. art. 5.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 20. in fine.* Henriquez *lib. 9. cap. 18. num. 3. & cap. 21. num.* 7. Nugn. *3. part. quæst. 83. art. 1. dub. 3.* Filliuc. *tract. 5. num* 181. Bartholom. à S. Fausto *lib. 1. de indulgent. quæst.* 61. Mosses. *part. 1. sum. tract. 3. cap. 15. num,* 40. Bartholom. ab Angelo *dial. 5. §.* 507. Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 6. num.* 23. Philiar. *part. 1. lib. 2. cap.* 14. Aragon. 2. 2. *quæst. 85. art. 3. §. dubitabis aliquis.* Scotia *lib. 1. de sacrific. cap. 9. num.* 3. Gauant. *part. 2. in Rubr. tit. 8. num.* 3. Fernandez *part. 3 exam. cap. 5. §. 2. num.* 4. Bordon. *tom. 1. Consil. Regular. recol. 25. quæst.* 8. Aucrsa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 9. ver. dicendum tamen,* Ruteus *de fruct. sacrif. lib. 1. disp. 1. quæst. 2. dub. 2. num.* 5. Gabr. à S. Vincent. *de sacrament. disp. 2. de sacrific. Miss. quæst. 4. difficult.* 4. 1

Prob. Fructus specialissimus est eiusdem rationis cum fructu medio: Ergo si hic est alteri applicabilis, erit etiam ille. Secundò. Potest quisque applicare alteri satisfactionem propriorum operum: ergo etiam Sacerdos fructum proprium sacrificij, nam recipit dominium ipsius sicut habet aliorum fructum. Tertiò. Satisfactio pro pœna debet quasi rationem boni temporalis: ergo alteri conferri potest. Quartò. Potest Sacerdos non reseruare sibi talem fructum. Sed relinquere illi pro quo offert: ergo etiam 2

ap plicare

Digitized by Google

applicare alteri. Quintò. Cæteri offerentes poſſunt alteri applicare proprium fructum, iuxta illud, quod in Canone Miſſæ de ipſis dicitur, *Qui tibi offerunt pro ſe, ſuisque omnibus*: Ergo etiam ſacerdos.

3 Secunda ſententia aſſerit, non eſſe alteri applicabilem. Ita Suarez *diſp. 79. de ſacrament. ſect. 9. ver. Nihilominus cenſeo.* Granad. 3. *part. controuerſ. 6. tractat. 14. diſputat. 8. numer. 3.* Fraxinel. *de obligation. Sacerd. ſect. 3. Prænot. 3. §. 2. numer. 4.* Miranda *tom. 1. Manual. quæſtion. 41. artic. 17.* Dicaſtil. *de ſacrament. tractat. 5. diſputat. 3. dub. 6. numer. 157.* Layman *lib. 5. theol. moral. tractat. 5. cap. 2. numer. 18.* Rodriquez *part. 1. ſum. cap. 245. numer. 2.* Verricel. *in quæſt. mor. tr. 2. q. 29. numer. 9.*

4 Dicendum eſt. *Fructum ſpecialiſſimum, quem percipit offerens ex opere operato, non eſſe alteri applicabilem.* Probatur. Sacerdos ex præſcripto Eccleſiæ iuxta naturam ſacrificij, atque adeo vt publicus miniſter Eccleſiæ offert, quoties offert, ſacrificium pro ſeipſo vt in oblatione panis. *Quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo viuo & vero pro innumerabilibus peccatis, offenſionibus, & negligentiis meis*: Ergo non poteſt ſuum fructum ſpecialiſſimum alteri applicare, quia dum offert pro ſe ſacrificium, eo ipſo ſibi applicat: ſibi autem applicatum non eſt alteri applicabile. Sic non poteſt offerendo pro vno, applicare alteri fructum medium.

5 Dices. Poſſe cedere ius ſuum, & alteri applicare talem fructum. Contra. Quia ex vi oblationis pro ſeipſo, remanet fructus ipſi applicatus, itavt non poſſit fieri alterius, quia cum pro ipſo eſt à Deo acceptatus. Deinde talis ceſſio eſſet priuata voluntas, quæ non poteſt præualere publicæ voluntati, qua vt publicus miniſter offert pro ſe ex præſcripto Eccleſiæ, atque adeo ſibi applicat fructum hunc ſpecialiſſimum.

6 Dices 2. Poſſe relinquere illa verba Canonis, quibus exprimit offerre pro ſeipſo, & proinde nolle offerre pro ſeipſo, ſed aplicare alteri, quod aliàs ipſe perciperet. Verùm hoc fortè ſine peccato graui fieri non poſſet. Quicquid tamen ſit. Contra. Sacerdos non offert nomine proprio, ſed in perſona Chriſti, & nomine Eccleſiæ, atque adeo habet mandatum ab Eccleſia offerendi cum modo præſcripto, qualis eſt, quod offerat pro ipſa Eccleſia & omnibus fidelibus, pro ſeipſo &c. Ergo ſi non offerat pro ſeipſo, facit contra mandatum Eccleſiæ, & cum non operetur nomine proprio, ſed nomine Eccleſiæ, nulliter agit quia fines mandati non ſunt excedendi, *l. Diligenter. ff. Mandati.* & *cap. cum olim. De Officio delegati*, vt proinde agens contra vel vltra mandatum, nihil agat, ſed irritum ſit quidquid facit, *l. 3. ff. Mandati*, & notant Angel. *Conſil.* 388. Felin. *in cap. cum dilecta ampliat. 1. num.* 41. *De reſcript.* Bald. *Conſil.* 402. *num. 3.* vet. *Et conſiderandum.* Tuſch. *littera M. concluſ. 39. num.* 29.

7 Confir. Fructus ſpecialiſſimus ex natura ſua, atque adeo ex natura ſacrificij non eſt indeterminatus, ſed determinatus, vt ſit proprius Sacerdotis offerentis: ergo ex vi oblationis, & ſacrificij applicatur eidem offerenti, alioquin, ſi non applicaretur, non eſſet determinatus, & proprius: Ergo non poteſt offerens alteri applicare. Conſeq. hæc prob. Tum quia non eſt ſub ipſius diſpoſitione; tum quia eo ipſo quod, applicatur per ſacrificium, acceptatur à Deo pro eodem offerente; tum quia ex natura ſua eſt determinatus, cuius ſit, & ideo non eſt capax applicationis, quæ determinet vnius eſſe debeat; tum quia non poteſt offerens immutare naturam, & inſtitutionem ſacrificij, & facere, quod ipſi non fructificet, ſeu applicet fructum, quem ex inſtitutione ſua applicat.

Confir. 2. Vt applicatio huius fructus haberet effectum, deberet præcedere oblationem, nam etiam applicatio fructus medij eſt irrita, ſi fiat poſt oblationẽ. Non poteſt autem præcedere oblationem. Quia non poteſt de ipſo diſponere tanquam de aliquo ſibi acquiſito, cum nondum acquiſierit. Nec de aliquo vt acquirendo, quia diſpoſitio ſupponit dominium, & in tantum diſponi poteſt de acquirendis, in quantum diſpoſitio trahitur ad tempus acquiſitionis iam factæ: vnde applicatio traderetur ad tempus ſubſequens oblationem, atque adeo ad tempus inhabile, in quo non poteſt amplius applicari. Nec poteſt facere, quod ſacrificium communicet alteri hunc fructum, quia non eſt communicatiuum, niſi illius fructus, quem aliàs ex natura ſua communicat, & quem ſemper communicat, ſi quidem non poteſt inuertere modum operandi ſacrificij. 8

Confir. 3. Hic fructus prouenit offerenti ex opere operato; Ergo non eſt applicabilis alteri. Quia quæ proueniunt, ex opere operato perſonalia ſunt illius, cui proueniunt, vt conſtat in remiſſione pœnæ, quæ ſit per ſacramentum pœnitentiæ, in ſatisfactione pro tota pœna, quæ habetur ex vi baptiſmi & in cæteris aliis. Et ratio à priori eſt. Quia quæ producunt effectus aliquos ex opere operato applicantur ad producendum in ſubiecto circa quod verſantur, itavt ex natura ſua ſint determinata ad producendum in eodem ſubiecto; & ex vi huius determinationis efficiunt perſonales ſuos effectus, ac determinatos ad illas perſonas, quibus habent communicare, tanquam productos ex applicatione ad ipſos. Et cum non producant, niſi ex applicatione ad ipſas, non producant niſi perſonales. 9

Ad 1. reſp. Fructum ſpecialiſſimum eſſe eiuſdem rationis cum medio quoad effectum; non autem quoad modum communicationis, quia medius ex modo communicationis eſt indeterminatus, ſpecialiſſimus autem eſt determinatus, & perſonalis ex natura ſacrificij. Ad 2. negant. conſeq. Quia quando offerens recipit dominium fructus ſpecialiſſimi eſt iam factus perſonalis, & acceptatus à Deo pro ipſo, contingit in aliis effectibus ex opere operato. Ad 3. quidquid ſit de antecedenti negant. conſeq. nam ſi aliquid probaret, conuinceret, quod omnis ſatisfactio atque adeo remiſſio pœnæ poſſet alteri applicari, quod tamen eſt falſum in ea, quæ habetur ex vi ſacramenti. Ad 4. neg. aſſumpt. quia talis fructus eſt determinatus ex natura ſacrificij, quod ſit Sacerdotis, & ex determinatione Eccleſiæ: neutrum autem poteſt offerens variare, vt conſtat ex dictis. Ad 5. neg. anteced. loquendo de illo fructu qui prouenit cæteris offerentibus ex opere operato, quia vt dictum eſt, ita eſt proprius, & perſonalis, vt non poſſit egredi perſonam. Ad prob. Verba illa qui tibi offerunt pro ſe ſuiſque omnibus referri ad diuerſum fructum; nam verba, *Qui tibi offerunt pro ſe*, referentur ad fructum, qui ipſis prouenit ex ſacrificio: verba vero: *Suiſque omnibus*, referuntur ad fructum generaliſſimum, qui eſt communis omnibus fidelibus. Quod etiam ex eo conſtat, quia nullus ex offerentibus participat fructum ex opere operato, niſi quatenus pro ſe offertur ſacrificium, vt conſtat ex dictis in ſuperioribus. Fructum autem, quam quiſque percipit ex eo, quod pro ſe offeratur ſacrificium, non poteſt alteri applicare, quia iam eſt ipſi applicatus. Quare applicare fructum ex opere operato, qui applicabilis eſt ſpectat tantum ad ſacerdotem offerentem. 10

Digitized by Google

QVÆSTIO 100.

An fructus medius, seu specialis sit diuisibiliter applicabilis.

SVMMARIVM.

1. *Fructus medius quos effectus contineat.*
2. *Fructus medius diuidi potest quoad effectus ex incapacitate subiecti.*
3. *Fructus medius an diuisibiliter applicabile stante capacitate subiecti.*
4. *Intentio offerentis non minus potest diuidere fructum, quam incapacitas subiecti.*
5. *Sacrificium oblatum pro eo, qui est capax vnius tantum effectus, potest quàm ad alios alteri applicari.*
6. *Impetrationis effectus potest non habere locum etiam quando subiectum est capax.*
7. *Item effectus sacrificij diuidi potest in plures.*
8. *Sacrificium in quo differat à causis naturalibus.*
9. *Celebrans pro defunctis quando possit alteri applicare propitiationem, & impetrationem.*
10. *Celebrans pro incapaci satisfactionis potest illam alteri applicare.*
11. *Celebrans pro ijs, quæ concernunt communitatem, tenetur omnem fructum applicare.*

1 NOn est idem, ac si quæratur, an idem possit ploribus applicari, quia certum est, posse; an autem fructus tunc diuidatur, an æquè prosit singulis, ac si vni tantum applicaretur, examinabitur infra. Sed difficultas est, an fructus sacrificij secundum diuersos effectus possit diuidi, & pluribus applicari. Est autem supponendum, fructum medium continere triplicem effectum, nempe propitiationis, satisfactionis, & impetrationis. Cum enim sacrificium sit institutum, vt offeratur pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, vt definit Concil. Trident. *sess. 22. can. 3. de sacr.* Poterit in ordine ad eosdem effectus obtinendos pro vnoquoque offerri. Vnde difficultas est an possit offerri pro vno quatenus propitiatoriom, pro alio quatenus satisfactorium & pro alio quatenus impetratorium.

2 Secundo supponendum est, quod fructus diuidi potest ex io capacitate subiecti. Si enim offeratur sacrificium pro eo, qui non est capax totius fructus, seu secundum omnes effectus, percipiet tantum secundum illum effectum, cuius est capax. Vnde oblatum pro animabus purgantibus operatur tantum pro ipsis quoad satisfactionem: & pro infidelium conuersione, operatur solum vt impetratorium. oblatum verò pro existenti in peccato, non proficit vt satisfactorium. Solum dubitatur, an ex sola voluntate offerentis diuidi possit, itavt possit offerre pro vno tanquam satisfactoriom, & pro alio tanquam impetratorium, &c. stante capacitate subiecti ad omnes effectus...

3 Vasquez *3. part. disp. 231. cap. 6. num. 36.* Quem sequitur Ruteus *de fructu sacrificij, lib. 1. disp. 5. quæst. 5. num. 2.* Volunt, quod non sit diuisibiliter applicabile, sed stante capacitate subiecti omnes fructoa ipsi proueniat. Quia Sacerdoti relicta est tantum potestas applicandi sacrificium, facta autem applicatione fructus omnes inseparabiliter proueniant illi, cui sacrificium est applicatum.

4 Dicendum tamen est: *Fructum sacrificij esse diuisibiliter applicabilem stante etiam capacitate subiecti totius fructus, itavt secundum vnum effectum possit applicari vni, & secundum alium alteri.* Prob. Fructus sacrificij secundum diuersos effectus est separabiliter commonicabilis per ipsum sacrificium, itavt secundum vnum effectum possit communicari vni, & secundum alium alteri. Ergo etiam est separabiliter communicabilis non obstante capacitate subiecti per applicationem. Anteced. constat quando communicatur secundum vnicum tantum effectum ex eo, quod subiectum non sit capax aliorum. Conseq. prob. Incapacitas subiecti potest facere, quod sacrificium non producat totum suum fructum, sed solum aliquem effectum. Ergo etiam intentio offerentis, siquidem fructus sacrificij est applicabilis per ipsum, sicut est communicabilis per sacrificiom, & proinde illa separatio quæ fit stante incapacitate subiecti, potest fieri etiam ex volutate offerentis.

Confirm. Quando Sacerdos offert pro eo, qui est 5
capax fructus secundum vnicum tantum effectum, potest applicare alteri alios effectus: Ergo effectus non separantur tantum ex incapacitate subiecti, quia scilicet frustratur virtus sacrificij quoad alios effectus; quia tunc euanesceret effectus, cuius subiectum est incapax & non esset applicabilis alteri: Ergo ex vi applicationis potest trahi ad aliud subiectum.

Confirm. 2. Effectus impetrationis non habet lo- 6
cum, nisi vis impetrariua sacrificij determinetur ab offerente ad id, quod est impetrandum. Ergo si non determinetur, non habebit locum impetratio, etiam si subiectum sit capax ipsius: Ergo sicut determinari potest pro eo, cui applicantur alij effectus, ita etiam poterit determinari pro alio.

Confirm. 3. Idem sacrificium potest offerri pro 7
pluribus: Ergo idem effectus sacrificij ex intentione offerentis, vt esset satisfactio potest communicari pluribus, siue diuidatur in plures portiones, siue tantum proueniat singulis, quantum si pro vno tantum offerretur: Ergo à fortiori poterit secundum vnum effectum applicari vni, & secundum alium alteri.

Dices sacrificium producit suos effectus ex opere 8
operato, atque adeo ad modum causarum naturalium: Ergo oblatum pro vno producet in ipso necessariò omnes suos effectus, sicut producit causa naturalis, itavt non possit aliquis effectus trahi ad aliud subiectum. Resp. Quod si argumentum conuinceret, probaret quod neque stante incapacitate subiecti posset aliquis effectus alteri applicari. Differt ergo à causis naturalibus, quod sicut est applicabile ad producendos suos effectus ad diuersa subiecta, nam est offeribile pro pluribus; ita etiam est applicabile secundum vnam efficaciam vni subiecto, & non secundum aliam: & hoc quia fructus est sub dispositione offerentis. Et ideo semper quidem operatur secundum mensuram applicationis, sed potest applicari secundum vnam efficaciam vni, & secundum aliam alteri, & ita diuidi effectus.

Ex his colligitur, qood quando quis celebrat pro 9
defunctis, etiam ex mandato superioris, aut si religiosus sit, ex præscripto suarum institutionum, posse fructum propitiationis, & impetrationis applicare, cui voluerit. Quia defuncti non sunt capaces horum effectuum, sed solum sacrificium iis prodesse potest vt satisfactorium. Quod verum est etiam si celebret ad instantiam alterius pro ipsis accepto stipendio, dummodo constet, quod stipendium dedit, noluerit ad aliud obligare, quàm ad offerendum pro defunctis. Vnde quando quis in testamento aut aliàs per vltimam voluntatem disponit, quod pro anima sua celebrentur tot Missæ, tunc celebrantibus remanet liber fructus propitiationis, & impetrationis applicabilis, vti libuerit, quia tunc non intendit aliud, quàm fructum sibi proficuum; nempe satisfactionis.

Colligitur

10 Colligitur 2. cum Henriquez *libr. 9. sum. cap. 21. num. 6.* Quod quando quis tenetur celebrare pro ijs, qui sunt incapaces satisfactionis, vt pro conuersione infidelium, pro conuersione alicuius peccatoris, posse alteri applicare fructum satisfactionis, quia cum is, pro quo offertur sacrificium non sit capax, remanet sub libera dispositione offerentis. Hinc poterit eodem sacrificio satisfacere duplici obligationi, vt si obligetur offerre pro conuersione infidelium, & aliundè obligetur offerre pro aliquo defuncto, etiamsi obligatio sit sub mortali; nam in tali casu exhibebit quicquid tenetur exhibere ex vi vtriusq; obligationis. An autem possit accipi duplex stipendium, negatiuè resoluendum est, vt infra suo loco latius ostendetur.

11 Tertio colligitur. Quid dicendum, si quis ex mandato Superioris, aut aliundè teneatur offerre sacrificium pro Pace, pro salute Regni, pro curanda pestilentia, pro abundantia, aut pro quocunque malo vitando, aut beneficio obtinendo, quod concernat communitatem. Tunc enim totum sacrificium secundum omnem fructum esse applicandum, & non solum fructum impetrationis tradunt Henriq. *lib. 9 sum. c. 21. n. 6.* Ruteus *lib. 1 de fruct. sacrif. disp. 1. qu. 5. n 3.* Quia tunc sacrificium prodest secundum omnem fructum; nam vt propitiatorium placat Deum populos, & suscipiens satisfactionem pro pœnis peccatorum, concedit benignus quod petitur. Circa quod tamen est aduertendum, quod cum pœna soluenda post dimissum peccatum, pro qua sola sacrificium satisfacere potest, cum trahat iram Dei, quia est soluenda ab amicis, nec consequenter impediat beneficia, non potest sacrificium, vt extinctiuum huius pœnæ conferre, nisi in ordine ad auertenda illa mala, per quæ Deus exigeret satisfactionem pro tali pœna. Nam sicuti hæc pœna non officit amicitiæ cum Deo, ita nec trahit iram, aut punitionem ipsius, nec ponit obicem beneficijs.

QVÆSTIO 101.

An præter fructum generalissimum, specialissimum, & medium detur aliquis alius.

SVMMARIVM.

1. *Variæ portiones fructus sacrificij secundum Nauar.*
2. *Portiones fructus satisfactionis.*
3. *Triplex tantum fructus sacrificij ex opere operato. Cur aliquæ personæ specialiter in Missa nominentur.*
4. *Fructus generalis sacrificij diuersimodè participatur.*
5. *Quantitati concursus correspondet fructus sacrificij. Proprius ministrantes percipiunt maiorem fructum.*
6. *Assistentes sacrificio percipiunt maiorem fructum de generalissimo.*

1 VAriè loquuntur in hac materia Doctores. Quidam enim ponunt quinque fructus, aut portiones fructus. Ita Nauar. *cap. 25. Manual. numer.* 111. Quarum primam tribuit cuilibet fideli. Secundam adstantibus sacrificio. Tertiam Ecclesiæ; atque specialiter nominatis in Canone nempè Papæ, Antistiti, Regi. Et has portiones aut semper esse easdem, nec minui ex eo, quod crescat numerus participantium: Quartam assignat Sacerdoti celebranti. Quintam ijs, pro quibus sacrificium offertur.

2 Alij verò distribuunt fructum satisfactionis in septem portiones. Ita Valentia *tom. 4. sum disput. 6. quæst. 11. punct. 1. §. 25.* qui ponit easdem portiones, quas ponit Nauar. & duas, addit nempè vnam pro Procurantibus fieri sacrificium, & alteram pro ministrantibus. Alij autem assignant has portiones diuerso modo, & inæquales secundum diuersum modum concurrendi ad sacrificium, vel applicationis. Ita Aragon. 2. 2. *quæst. 85. ar. 3. §. Quo circa.* Ruteus *lib. 1. de fruct. sacrif. disp 5. quæst. 6. num. 5.* Nam primam & magis principalem tribuunt illi, pro quo offertur sacrificium, quia est præcipuè institutum in bonum illius, pro quo offertur. Secundam Sacerdoti celebranti. Tertiam procurantibus fieri sacrificium siue gratis, siue data eleemosyna, ita tamen vt dans eleemosynam maiorem fructum percipiat, quia perfectius conuenit. Quartam ministrantibus, ita tamen, vt qui proprius ministrant, maiorem fructum percipiant. Quintam circunstantibus, qui etiam percipiunt fructum ex eo, quod & ipsi offerunt. Sextam toti Corpori Ecclesiæ copulatim sumpto, & specialiter nominatis in Canone. Denique septimam omnibus fidelibus in Charitate vnitis, quia cæteri non sunt capaces fructus satisfactionis.

Dicendum est. *Fructum sacrificij ex opere operato esse tantum triplicem generalissimum, specialissimum, & medium, seu specialem.* Ratio est; quia omnis fructus prouenit ex oblatione sacrificij. Vel ergo fit oblatio pro Sacerdote, vel pro alijs. Si primum consurgit fructus specialissimus proprius Sacerdotis, & non applicabilis alteri, vt dictum est. Si secundum; vel oblatio est specialis, vel communis. Si primum consurgit fructus medius, qui est sub dispositione offerentis. Si secundum consurgit fructus communis, & generalis, quia talis est fructus, qualis est oblatio. Confir. Omnes aliæ portiones fructus, quæ assignantur, proueniunt ex oblatione communi, non autem ex aliqua oblatione particulari: Ergo pertinent ad fructum generalem communem omnibus. Nec obstat, quod specialiter nominentur Papa, Antistes, Rex, &c. Quia hæ personæ non nominantur, nisi vt membra principalia Ecclesiæ pro qua offertur, non autem quia oblatio specialiter fiat. Quod constat ex verbis Canonis; dicitur enim *vna cum Papa nostro, &c.* dictio enim *vna* coniungit Papam, & cæteros subsequentes cum Ecclesia, pro qua fit oblatio, iuxta illud quod exprimitur, *Imprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia sancta tua, &c. vna cum Papa nostro, &c.* 3

Dicendum 2. *Fructum generalem participari diuersimodè maiorem, vel minorem iuxta maiorem, vel minorem dispositionis.* Consistit autem dispositio in ijs omnibus, quæ quocunque modò concernunt oblationem sacrificij, & ideò concursus ad oblationem quocunque modo contingat, disponit ad fructum percipiendum, atque adeò maiorem, vel minorem prout est maior, vel minor concursus. Ratio est; quia dispositio præparat subiectum saltem de congruo ad recipiendum affectum sacrificij. Æquum autem est, vt qui se melius disponit meliorem effectum recipiat, alioquin frustratorij essent illi actus virtutum, quibus quisque se disponeret, quod non videtur consonum diuinæ prouidentiæ, quod scilicet tàm negligentes, quàm diligentes ad recipienda diuina beneficia æquali modo tractentur. Et proindè sacramenta conferunt gratiam secundum mensuram dispositionis ita exigente diuina prouidentia, vt scilicet æstimetur dispositio in ordine ad communicandum effectum: 4

Ex hoc autem fit, quod pro quantitatē concursus 5 correspondeat effectus, seu fructus sacrificij, quia scilicet concursus prouenit ex actibus virtutis, qui important affectum; & deuotionem erga sacrificium, & qui proindè disponunt. Ex quo etiam fit, quod quò quisq; proprius, seu immediatius concurrit, percipiat maiorem fructum, quia in ministrando magis communicat Sacerdoti offerenti, & ideò exercet nobiliorem actionem in genere ministerij, quæ cum sit fundata in actu virtutis, nobiliori modo disponit subiectum, & facit ipsi correspondere meliorem fructum.

Ex dictis colligitur. Cur adstantes sacrificio reci- 6

piant maiorem fructum de generalissimo. Hoc enim prouenit ratione dispositionis. Quia cum & ipsi offerant sacrificium media quadam cooperatione morali, & deferant Deo illum cultum, qui per sacrificium exhibetur, coniungunt sacrificium internum saltem virtuale cum illo sacrificio externo, per quod se totos deuouent Deo, & profitentur suam subiectionem, & dependentiam, & ideò maximè disponuntur ad fructum sacrificij exteroi: & ideò crescit ad incrementum dispositionis.



DE FRVCTV SACRIFICII RESPECTV Offerentium.

VCVSQVE consideratus est fructus sacrificij secundum se, nunc autem considerandus est respectu offerentium. Nomine autem offerentium non solum venit Sacerdos, sed quicunque alius, qui concurrit ad oblationem iuxta dicta in superioribus. Cum autem sacrificium habeat suum principalem, & substantialem fructum ex opere operato à Christo, vt principali offerente. Videndum est quid habeat ratione aliorum offerentium.

QVÆSTIO 102.

An ex maiori deuotione Sacerdotis offerentis crescat fructus sacrificij ex opere operato.

SVMMARIVM.

1. *Fructus sacrificij ex opere operato respondens Sacerdoti vt priuata persona sicut non datur, ita nec augetur ex eius deuotione.*
2. *Fructus sacrificij ex opere operato an crescat ex maiori deuotione offerentis.*
3. *Fructus substantialis sacrificij non dependet ex deuotione offerentis.*
4. *Fructus substantialis vt independens à sanctitate Sacerdotis est etiam independens à deuotione.*
5. *Fructus substantialis ex opere operato in quo consistat.*
6. *Fructus substantialis crescit accidentaliter ex maiore deuotione offerentis.*
   Actio ministerialis offerendi vnde sumat suam moralitatem.
7. *Fructus sacrificij an, & à quo determinatus.*
   Minister & eius deuotio non sunt causa proportionata fructus substantialis sacrificij.
8. *Effectus quando correspondeat perfectioni actionis.*
   Incrementum accidentale fructus sacrificij ex deuotione offerentis est ex opere operantis.

1 SVpponendum est contra Ruteum *libr. 1. de fruct. sacrific. disp. 3. qu. 1. dub. 6. num. 37.* Fructum sacrificij ex opere operato, qui respondet oblationi Sacerdotis in priuata persona, non augeri vel minui, iuxta maiorem, vel minorem deuotionem ipsius. Quia, vt supra suo loco ostensum est, fictitius est huiusmodi fructus; nam Sacerdos vt priuata persona non habet facultatem offerendi sacrificium propriè, sed solum quatenùs habent Laici. Potestas enim offerendi est potestas sola Sacerdotalis, quæ constituit ministrum publicum, & ideò solum vt publicus minister offerre potest.

Prima sententia asserit. Ex maiore deuotione Sacerdotis offerentis crescere fructum ex opere operato, & ex minore minui. Ita Caiet. *tom. 2. Opuscul. tr. 3. qu. 2. & 3 par. qu. 79. ar. 5.* Quem tamen Vasquez citandus explicat, vt intelligat de deuotione offerentium, quatenùs dispositione passiua ad recipiendum fructum sacrificij se præparant. Sylucster *verbo.* Missa *quæst. 9* Sotus *in 4. dist. 13. qu. 2. ar. 1. & lib. 9. de iust. & iure qu. 2. ar. 2. conclus. 2 in fine.* Henriquez *lib. 9 sum. cap. 18. num. 5.* Citari solet Vasquez, sed oppositum stabit, vt infra. Prob. Fructus sacrificij non est à Deo determinatus: Ergo debet determinari ex deuotione offerentis, & eorum, pro quibus offertur. Secundò; Quia baptismus consistit in susceptione passiua, eius effectus commensuratur dispositioni suscipientis: Ergo quia sacrificium consistit in oblatione actiua, eius fructus erit secundum mensuram deuotionis offerentis. 2

Secunda sententia negat, fructum ex opere operato crescere, aut minui iuxta deuotionem Sacerdotis offerentis. Ita ij, qui volunt fructum ex opere operato esse certum, & determinatum. D. Th. *in 4. dist. 45. qu. 2. ar. 4. quæstiun. 3 ad 2.* D. Bonauent. *ar. 2. qu. 3. ad vlt.* Richard. *qu. item 3.* Durand. *qu. 3. num. ...* Scot. *quodlib. 20. ar. 1 & 3.* Adrian. *quodlib. 8. ar. 3.* Gabr. *lect. 26. in Can. Miss.* Azor. *par. 1. lib. 10. cap. 20. qu. 9.* ver. *Secunda sententia.* Aragon 2. 2 *qu. 65. ar 3. dub. de valore Miss.* ver. *Ad secundam difficult.* Vasq. *3. par. disp. 231. cap. 7. num. 50.* ver. *Vera igitur.* vbi antea explicauerat Caiet. quod scilicet, quando docet, fructum sacrificij commensurari deuotioni offerentium, velit, quod ipsi commensuretur, quatenùs disponit ad ipsum recipiendum; & ideò dicit commensurari deuotioni offerentium, quia non sufficit per ipsum quæcunque deuotio, sed quæ fundatur in aliquo concursu ad sacrificium ratione cuius, qui illam habet, dicatur offerre. Suarez *disp. 79. de sacram. sect. 8.* ver. ... Ruteus *lib. 1. de fruct. sacrific. disp. 3. qu. 1. dub. 6. num. 36.* Facundez *præcep. 1. Eccles. lib. 3. cap. 6. num 20. & 22.* qui tamen addit ratione maioris deuotionis offerentis crescere fructum accidentalem. 3

Dicendum 1. *Fructum substantialem ex opere operato sacrificij non pendere ex deuotione Sacerdotis offerentis; & ideò nec crescere, nec minui ex majori, vel minori deuotione ipsius.* Prob. Fructus substantialis sacrificij ex opere operato pendet tantum ab ipso sacrificio, & à Christo vt principali offerente: Ergo non crescit, nec minuitur, iuxta quantitatem deuotionis offerentis, alioquin dependeret à tali deuotione, atque adeò à Sacerdote. Antec. prob. Hic fructus sequitur naturam, & institutionem sacrificij, & prouenit ab ipso quatenùs applicat fructum sacrificij Crucis: Ergo dependet tantum à sacrificio, & à Christo; præsertim quia Sacerdos se gerit tantum vt nudum ministrum, & offert nomine alterius. 4

Confirm. Hoc sacrificium est oblatio munda, quæ malitia offerentium inquinari non potest, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1. in fine de sacrific. Miss.* Ergo si est independens omninò à sanctitate Sacerdotis, erit etiam independens à deuotione ipsius, quia independentia à sanctitate arguit quod Sacerdos non influat in sacrificium, nisi vt merus exequutor illius, quod Christus instituit. Confirm. 2. Fructus substantialis ex opere operato consistit in applicatione fructus sacrificij Crucis. Hunc autem non applicat ex vi deuotionis Sacerdotis offerentis, sed ex vi institutionis; 5

Google

stitutionis; & ideò nec applicat maiorem, vel minorem, provt est maior, vel minor deuotio.

6 Dicendum 2. *Fructum substantialem sacrificij ex opere operato crescere accidentaliter ex maiori deuotione offerentis Sacerdotis.* Hoc autem incrementum accidentale in eo consistit, quod actio ministerialis offerendi sit magis grata Deo, & proindè etiam sacrificium acquirat ex hoc aliquam moralem æstimationem, & consequenter etiam fructus ex opere operato proportionaliter crescat in æstimatione apud Deum. Prob. Actio ministerialis offerendi est signum interioris sacrificij, & ab ipso sumit suam moralitatem, & æstimationem: Ergo quo maiori deuotione offertur Deo sacrificium internum eo maiorem æstimationem refundit in sacrificium externum, cum actio interna refundat suam bonitatem in externam & eò maiorem, quo maior est affectus internus, cum quo interna exercetur: Ergo fructus sacrificij acquirit quandam accidentalem æstimabilitatem ab actione externa vt proueniens ab ipsa tanquam à causa dignificata ministeriali.

7 Ad 1. in oppositum neg. anteced. Quia fructus sacrificij est determinatus effectiuè à Christo tanquam institutore, ita tamen vt reliquerit, quod possit crescere ex incremento dispositionis illius, pro quo offertur, vt contingit etiam in effectibus sacramentorum Ad a. neg. conseq. Quia illud incrementum, quod habet effectus sacramentorum ratione melioris dispositionis subiecti, prouenit ab ipsis sacramentis, & ex vi institutionis; & ideò habet causam proportionatam, à qua prouenire potest. Non sic in fructu substantiali sacrificij, quia minister, & eius deuotio non sunt causa proportionata ipsius, quia incrementum consisteret in applicatione maioris fructus sacrificij Crucis, quem non potest Sacerdos etiam cum sua deuotione applicare.

8 Instabis. Sicut perfectio formæ in naturalibus mensuratur secundum dispositionem subiecti, ita perfectio effectus secundum perfectionem actionis: Ergo eum ea, quæ agunt ex opere operato imitentur naturam, forma, seu effectus, vt receptus sequetur dispositionem subiecti, & vt productus perfectionem actionis. Resp. Quicquid de antecedenti, an sit vniuersaliter verum. Tunc solum effectum correspondere perfectioni actionis, quando actio est ipsi proportionata, ita vt ordinetur ad communicandam perfectionem, siquidem correspondentia fundatur in communicatione perfectionis, & ideò, quia tunc actio perfectior est communicatiua maioris perfectionis, ideò etiam effectus est perfectior. Verùm actio ministri offerentis sacrificium est merè ministerialis, & non communicat perfectionem substantialem fructui ex opere operato; ideò licet crescat in sua perfectione, non facit crescere effectum substantialem.

9 Ex dictis colligitur. Hanc maiorem æstimationem quam acquirit fructus ex opere operato sacrificij, non esse ex opere operato, sicut est incrementum fructus ex meliori dispositiune subiecti, sed tantum ex opere operantis. Ratio est; quia non prouenit ex natura sacrificij, sed à ministro, quatenùs qualificat ratione suæ deuotionis oblationem externam tanquam signum sui interioris sacrificij interni: & proindè accidentalis est fructui substantiali. Quia tamen crescit in æstimatione apud Deum fructus iste substantialis, ideò magis proficit illi, cui applicatur, atque adeò valdè proficuum est procurare missas Sacerdotum cum magna deuotione offerentium.

QVÆSTIO 103.

An fructus sacrificij fiat maior ex maiori sanctitate Sacerdotis offerentis.

SVMMARIVM.

1. *Maior sanctitas offerentis reddit oblationem magis meritoriam.*
2. *Sanctitas offerentis non confert ad impetrationem sacrificij.*
   In quo consistat vis impetratiua sacrificij.
3. *Sanctitas offerentis cur non possit augere vim substantialem impetratiuam.*
4. *Fructus propitiationis, & satisfactionis non crescit secundum substantiam ex maiori sanctitate ministri.*
5. *Fructus sacrificij ex opere operato crescit accidentaliter ex maiori sanctitate ministri: Et quomodo crescat fructus propitiationis.*
6. *Quomodo fructus satisfactionis.*
7. *Quomodo fructus impetrationis.*
8. *Fructus ex opere operantis crescit ex maiori sanctitate offerentis.*

Supponendum est. Maiorem sanctitatem Sacerdotis offerentis refundere in oblationem incrementum meriti quoad gratiam, & gloriam; cum enim omnis actio hominis iusti sit meritoria augmenti gratiæ, & gloriæ, vt traditur in materia de merito, cæteris paribus maior gratia auget meritum, quia magis dignificat actionem meritoriam, & reddit magis Deo acceptam. Ideò enim requiritur gratia in operante, vt opus sit meritorium, vt dignificet personam, & reddat, amicam Deo cum iure ad gloriam: & proindè eum maior gratia meliori modo hæc præstet, augebit etiam meritum. Quod habet locum etiã in actione sacrificij, quia licet sit actio ministerialis, est tamen etiam expressiua interioris sacrificij, quod est actio tanquam principalis agentis offerentis seipsum Deo. Modo ergo solum quæritur, an maior sanctitas Sacerdotis conferat ad fructum sacrificij quoad suos effectus. 1

Dicendum 1. *Sanctitas Sacerdotis, quantumuis sit maior, & maior non confert ad vim impetratiuam sacrificij, atque adeò nec ad impetrationem substantialem.* Videtur contra Ruteum *lib. 1. de fruct. sacrif. disp. 4. quest. 3. dub. 2. numer. 9.* Quatenùs absolutè docet, quod maior sanctitas confert ad maiorem fructum impetrationis. Prob. Sacrificium habet vim impetrandi apud Deum, quatenùs repræsentat merita passionis Christi tanquam motiuum ad concedendum, quod petitur, & in propositione huius motiui consistit impetratio substantialis. Sanctitas autem Sacerdotis offerentis non potest augere hoc motiuum, atque adeò nec fructum substantialis impetrationis. Siquidem hæc vis impetratiua conuenit ex institutione, atque adeò ex natura sua sacrificio, & solum ex vi repræsentationis meritorum Christi, & proindè non potest augeri ab extrinseco. 2

Confirm. Si maior sanctitas Sacerdotis offerentis conferret ad maiorem fructum impetrationis substantialis, influeret in substantiam impetrationis substantiali modo: Ergo Sacerdos non offerret sacrificium vt purus minister, sed vt causa principalis, siquidem illa est causa principalis, quæ influit in substantiam effectus, & de suo confert aliquam partem effectus substantialis. Rursus sacrificium non haberet vim substantialem impetrandi ex sola repræsentatione meritorum Christi, sed etiam ex vi dignitatis Sacerdotis offerentis, quod 3

quod est absurdum, siqoidem merita Christi continent maius motiuum, quod Deo proponi possit ab impetrandum, & proindè non potest crescere ex accessione motiui inferioris, & quod habet totam soam efficaciam, si proponatur ex ipsis meritis Christi.

4 Dicendum 2. *Fructum propitiationis, & satisfactionis secundum suam substantiam non crescere ex maiori sanctitate sacerdotis offerentis.* Ita cum D.Thom. & alijs Dicastil.*tract.5.de sacram.disp.3.dub.6.num.* 161. Prob. etenim eadem ratio. Fructus propitiationis, & satisfactionis consistit in eo, quod sacrificium applicet satisfactionem Christi pro offensa, & pœna: Ergo oon potest substantialiter erescere ex maiori sanctitate offerentis. Quia hæc maior sanctitas non facit, quod sacrificium meliori modo applicet satisfactionem Christi, siquidem applicat secundum mensuram suæ institutionis. Nec auget dignitatem illius nam, cum sit satisfactio Christi, est summè digna, itavt aliundè non possit ei accedere maior dignitas.

5 Dicendum 3. *Fructum sacrificij ex opere operato tum secundùm propitiationem, quam secundùm satisfactionem, & impetrationem augeri accidentaliter ex maiori sanctitate sacerdotis offerentis.* Ita Dicastil. *tract. 5. de sacram.disp.3.dub.3.num.63.*Loquens de impetratione; quatenùs scilicet singulis effectibus accedit aliquid in suo genere ex ipso ministerio sacerdotis. Ratio autem est, quia si consideretur affectus propiriationis,qui consistit in oblatione satisfactionis Christi pro offensa, quæ fit per sacrificium, dum ministerialiter offertur à persona magis grata, sicut secundum se est acceptabilis, ita etiam acquitit quandam accidentalem acceptabilitatem ratione ministri offerentis, & eo maiorem, quò minister offerens est magis gratus. Præsertim quia Sacerdos ratione muneris est constitutus mediator inter Deum, & homines ad offerenda sacrificia pro peccatis. Quò autem gratior est mediator eò etiam gratiora sunt sacrificia oblata quoad acceptabilitatem accidentalem.

6 Rursus fructns satisfactionis ex eodem capite acquirit aliqnam perfectionem accidentalem. Non quamuis de se satisfactio pro pœnis, quæ Deo per sacrificium Missæ exhibetur, sit condigna, & à Deo acceptanda ex pacto irrito cum Christo in institutione sacrificij. Attamen, quia est determinanda per sacerdotem offerentem, & hæc determinatio est Deo grata, quando prouenit ab offerente grato, & amico, ita est magis grata, quando est ab offerente magis grato, & ideò acquirit aliquam specialem acceptabilitatem vltrà illam quam habet ex seipsa.

7 Similiter idem contingit quoad effectum impetrationis: vndè ex Alexand. Papa. *Epist.* 2. refertur in cap. *Ipsi sacerdotes* 1. *quæst.* 1. Quantò digniores fuerint, taotò faciliùs pro necessitatibus exaudiuntur. Qnia enim sacrificium est indeterminatum ad hoc, vel illud imperrandum, & proindè ab offerente determinari debet, ideò voluntas offerentis obtinendi illud, quod petitur, coniungit cum meritis Christi aliquod speciale motiuum pro concessione, quatenùs scilicet, si offerens sit persona grata, recta, ratio dictat, quod sit complacendum amicis, & eò magis, quò sunt nobis gratiores, & magis amici. Accedit etiam, quod in impetrando plurimum valet sanctitas petentis, quia petitio ipsins magis æstimatur à Deo, vt proindè pro impetrando, quod petimus soleamus interponere intercessionem Sanctorum, & B. Virginis, vt scilicet petitio eorum intuitu obtineat quod petitur: Ergo etiam in oblatione sacrificij sanctitas offerentis conferet modo explicato ad impetrandum, & maior sanctitas magis conferet.

8 Ex dictis colligitur, quod ea quæ dicta sunt habent locū ex vi præcisæ oblationis absque eo, quod consideretur fructus ex opere operantis non proceduot tantum de illa accidentali acceptabilitate, quam ex maiori sanctitate offerentis acquirit. Fructus ex opere operato. Quia tamen adest etiam fructus ex opere operantis, sicut iste dignificatur, & acqnirit valorem ex sanctitate offerentis, ita magis dignificatur, & acquirit maiorem valorem ex maiore sanctitate. In hoc enim fructus ex opere operantis distinguitur à fructu ex opere operato, quod iste non pendet à malitia, vel sanctitate offerentis; ille verò dependet; atque adeò crescit in æstimatione, & dignitate cæteris paribus ex maiori sanctitate offerentis, vt docent communiter Doctores D. Thom. *in 4.dist.45.quæst.2.ar.1.quæstiun 3.* & *3. par. quæst.* 82. *ar.6.* Caietan. *ibid.* Sotus *in 4. dist.15. qu.2.ar 3. ad 3.* Angel. *verbo* Missa. *numer.56.* Nauarr. *cap.25. Manual. num.* 111. Aragon. *2.2.qu.85.ar.3 dub.de valore Miss.*ver. *Ad 2.difficult.* Gabr. *in Canon. Mis. lect.26.* Henriquez *libr.9. sum. cap.18.num.4.* & *in lect. 1.littera V.* & *num. 5. littera B. in com.* Graf. *par.1.Decis.lib.2.cap.45. num.*8. Couarruu. *in capit. Alma mater. part. 1. §. 5. numer. 6.* Facundez *pracept. 1. Eccles. lib.3.cap.6. numer.20. in fine,* & *numer. 22.*

QVÆSTIO 104.

An distractio offerentis impediat fructum sacrificij ex opere operato.

SVMMARIVM.

1. *Orans cum distractione voluntaria, an peccet mortaliter.*
   Quid sufficiat ad attentionem.
2. *Distractio voluntaria in sacrificio potest esse peccatum mortale.*
3. *Distractio voluntaria licet magna non impedit fructum sacrificij ex opere operato.*
4. *Distractio inuoluntaria etiam circa substantialia non impedit offerentis suum fructum.*
5. *Quid si sit venialiter culpabilis.*
6. *Sacrificium communicat suum fructum non habenti impedimentum.*
7. *Distractio venialis an inficiat actionem sacrificij.*
8. *Distractio nunquam excludit totaliter deuotionem.*
9. *Distractio mortaliter culpabilis impedit offerenti fructum satisfactionis, & propitiationis.*

SVpponendum est contra Ruteum *libr. 1. de fruct. sacrif.disp.3.quæst.1.dub.8. numer.44.* ver. *Nota 2.* Eum, qoi celebrat, vel orat cum distractione voluntaria, non peccare mortaliter regulariter loquendo. 1 Quia licet aliqua attentio sit de necessitate Orationis, atqoe adeò sacrificij Missæ, qoatenùs cum precibus celebratur, non tamen fit, quod voluntaria distractio sit peccatum mortale. Quia vt obseruat Suarez *tom.2 de relig. lib.3.de Orat. cap.4.num.*13. est dubinm, an peccet mortaliter, qui voluntariè distrahitur per cogitationes peccaminosas mortaliter ratione irreuerentiæ erga Deum, vndè seclnsa irreuerentia cessat peccatum mortale. Et ratio est; quia cum volontaria distractione erat, quod verba, quæ proferuntur, sint simul cum conceptu correspondente in mente, siue preces legantur, siue memoriter recitentur. Imò memoriter recitari non possunt, nisi mens eas depromat è memoria, quod sine attentione fieri non potest. Conceptus autem mentis correspondens verbis sufficit ad attentionem pro oratione, vt obseruat

seruat Suarez *loco citato num.* 19. Quia facit, quod cor non sit omninò diuisum à Deo, sicut non est omninò diuisum à precibus, quæ offert.

2 Supponendum 2. Distractionem voluntariam in oblatione sacrificij, posse aliquando esse talem, & tantam, vt sit peccatum mortale, præsertim si sit circa substantialia ipsius. Ratio est, quia potest offerentem exponere periculo committendi aliquem errorem, qui de se sit mortale peccatum. Tum enim, licèt de se non sit peccatum mortale, est tamen mortale in causa, qui exponit offerentem periculo peccandi mortaliter in oblatione sacrificij, aut errando substantialiter in pronuntiatione verborum consecrationis, aut omittendo partem notabilem canonis, aut aliquo alio modo.

3 Supponendum 3. Distractionem offerentis voluntariam, quantumuis magnam, non impedire fructum sacrificij ex opere operato quoad eos, pro quibus offertur. Et hoc certum est, quia fructus ex opere operato non dependet ab attentione offerentis, sed prouenit ex natura sacrificij. Et cùm peccatum mortale non impediat, quia sacrificium est oblatio munda, quæ offerentium malitia inquinari non potest, vt habet Concil. Trident. *sess.*22. *cap.*1. *in fine de sacrific. Miss.* Multò minùs impediet distractio offerentis. Quod verum est etiam si pertingeret ad peccatum mortale, dum tamen non esset causa, quod sacrificium deficeret in substantialibus, quippe tunc nullum de se produceret fructum. Et ratio eadem est, quia non dependet è bonitate, vel malitia offerentis. Vnde solùm difficultas est de fructu sacrificij ex opere operato, quàm ipse offerens percipit.

Pro quo est supponendum 4. contra Ruteum. *lib.*1. *de fructu sacrific. disp.*3. *quæst.* 1. *dub.*8. *num.*53. Distractionem inuoluntariam, etiam si sit circa substantialia sacrificij non impedire, quin celebrans percipiat suum proprium fructum ex opere operato. Ratio est. Quia sacrificium de se communicat fructum ex opere operato, & ideò semper communicat, nisi reperiat obicem. Distractio autem, dum est inuoluntaria, cùm nullam inducat culpam, neque etiam ponit aliquod impedimentum. Nec dici potest, quod excludat deuotionem, quæ requiritur, vt conferatur fructus ex opere operato, quia non potest esse necessaria, nisi vt dispositio; absolutè autem non est necessaria, quia licèt conferat ad maiorem fructum, non tamen est necessaria ad capacitatem, vt constat ex supradictis. Et hoc verum est, etiam quoad fructum, qui responderet priuatæ oblationi Sacerdotis, si daretur.

5 Ruteus ergo, *citat. libr.* 1. *de fructib. sacrific. disput.* 3. *quæst.* 1. *dub.* 8. *num.* 50. & 52. docet, quod distractio venialiter culpabilis non impedit in Sacerdote offerente fructum ex opere operato respondentem oblationi in persona publica, seu in persona Christi. Si tamen sit circa substantialia sacrificij, impedire fructum ex opere operato, qui respondet priuatæ oblationi Sacerdotis, & Laicorum cooperantium. Et primum, ait, desumi ex D. Thom. 3. *part. quæst.*79. *art.*8. Palat. *in* 4. *dist.*12. *disput.* 4. Soto *distinct.*1 1. *quæst.*2. *art.*8. Adriano *quæst.* 1. *de Eucharist.* quatenus docent, Quod Eucharistia suscepta cum peccato veniali, & mente distracta confert suum effectum gratiæ habitualis. Fundamentum secundi est. Quia fructus respondens oblationi, vt in priuata persona, non est taxatus, & ideò requirit deuotio non in offerente, vt taxetur ad illius mensuram; quæ si nulla sit, nullus etiam erit effectus ex indeterminatione subiecti.

6 Dicendum est. *Distractionem venialiter culpabilem non impedire fructum sacrificij ex opere operato; qui communicatur Sacerdoti vt publico ministro*; Qui solus est ex opere operato non alicui datur correspondens oblationi, vt in priuata persona, vt suo loco dictum est. Ratio est. Quia eo ipso, quod est ex opere operato saluus manet, nec impeditur, permanente substantia sacrificij siquidem ex se sacrificium ipsum communicat non habenti impedimentum. Distractio autem, licèt venialiter culpabilis, non officit substantiæ sacrificij, nec ponit impedimentum respectu effectus.

Dices. Actio sacrificij cùm tali circumstantia distractionis reddit ipsam malam venialiter: Ergo non potest ipsi tanquàm peccaminosæ correspondere aliquis fructus. Contra. Hæc distractio non cùm tollit substantiam actionis oblatiuæ & consequenter nec sacrificij: Ergo nec fructum, qui fundatur in tali substantia. Deinde non inficit oblationem, vt sit in persona Christi, & ideò nec tollit, quin sacrificium operetur secundum suam naturam, Denique nec inficit actum ministerialem oblationis Sacerdotis, nec est ipsius circumstantia, sed fundatur in alio actu, qui concomitanter se habet ad oblationem, nam distractio afficit actum intellectus, & quatenus venialiter culpabilis refertur ad actum voluntatis superuenientem actui oblationis, & ideò non inficit vllo modo ipsam oblationem. 7

Ea quæ dicta sunt, habent locum, etiamsi daretur fructus respondens oblationi vt in priuata persona, & supposito, quod requireretur deuotio, vt determinatiua illius. Nam si distractio est tantùm venialiter culpabilis non potest totaliter excludere deuotionem erga sacrificium. Præsertim circa substantialia. Siquidem nunquam est tanta quin relinquat aliquam attentionem saltem interpolatam circa oblationem, atque adeò aliquam conuersionem affectus, in Deum, qui sequitur ad attentionem, & in quo consistit deuotio. 8

Ex dictis colligitur, quod si distractio contineat peccatum mortale, nedum impediet fructum satisfactionis, quia hic non participatur, nisi ab homine iusto, sed etiam propitiationis, quia licèt peccator participare possit hunc effectum, non tamen participat, nisi sit dispositus per aliquam pœnitentiam, & conuersionem ad Deum, vt dictum est suo loco, quæ non potest habere locum in eo, qui cum peccato offert sacrificium. Poterit tamen participare effectum impetrationis, quia hic est communis etiam peccatoribus non pœnitentibus, nec requirit aliquam dispositionem in recipiente, vt suo loco dictum est; atque adeò poterit ex vi impetrationis obtinere auxilia in ordine ad resurgendum à peccato. 9

QVÆSTIO 105.

An distractio offerentis impediat fructum ex opere operantis.

SVMMARIVM.

1. *Oblatio est etiam actio moralis offerentis habens suum fructum.*
2. *Quadruplex fructus sacrificij ratione precum.*
3. *Distractio impedit fructum refectionis mentis.*
4. *Ad sacrificium ratione precum requiritur attentio.*
   Quam attentionem requirat oratio.
5. *Distractio inuoluntaria non impedit fructum sacrificij ex opere operantis.*
6. *Distractio non impedit, quia crescat fructus quoad satisfactionem.*

7. *Distractio impedit, ne fructus precum crescat ad incrementum precum.*
8. *Virtualis attentio non est diuersa ab actuali praecedente.*
9. *Distractio voluntaria peccaminosa venialiter non impedit fructum sacrificij ex opere operantis.*
10. *Distractio culpabilis venialiter non tollit bonitatem operis.*
Nec quod oratio non sit vera oratio.
11. *Distractio culpabilis non opponitur virtuali attentioni.*
12. *Distractio concomitans non inficit actionem.*
13. *Distractio concomitans non dimidit cor, nec tollit necessariam attentionem.*
14. *Impetratio crescit ad incrementum precum sacrificij.*

1 QVia oblatio sacrificij est actio offerentis, quæ ita exercetur in persona Christi, vt tamen etiam fiat in persona operantis, non quatenus oblatio est, quia vt talis dependet à potestate Ordinis, quæ constituit ministrum Christi, sed quatenus est actio religiosa ad Dei cultum ordinata, & quatenus talis dicit totam actionem titualem sacrificij. Ideò quatenus honesta, & moralis causat suum fructum dependentem à qualitate ministri, & proinde ex opere operantis, sicut causant cæteræ actiones morales honestæ supernaturales.

2 Est autem supponendum, quod cùm sacrificium Missæ præcisa substantiali oblatione, quæ fit in persona Christi, consistat in precibus, producit fructum proportionaliter, quem producit oratio: & proinde quadruplex assignari potest sicut communiter cum D. Thom. assignant Orationi nempe meritum, satisfactio, impetratio, & refectio mentis quæ consistit in quadam illustratione mentis, & pia affectione voluntatis eirca quæ oritur ex affectu, quo voluntas fertur in Deum. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst.* 83. *art.* 13.

3 Secundò supponendum est. Distractionem impedire fructum refectionis mentis. Quia vt obseruat Suarez *tom.2. de relig.lib.3. de orat. cap.5. num.2.* Ad hunc fructum requiritur actualis attentio; vnde siue distractio sit voluntaria, siue inuoluntaria ipsum impedit: neque enim potest mens refici per illustrationem, & piam affectionem, nisi attendat ad orationem. Imò, vt obseruat Suarez *citat.* requiritur perfecta attentio non solùm circa litteram precum, sed circa sensum, vt mens possit affici, & frui spirituali affectione. Vnde Apost. 1. ad Corinth. 14. *Si orem lingua mens mea sine fructu est.* Hoc est sine fructu spiritualis refectionis.

4 Supponendum 3. Sicut ad orationem, ita etiam ad sacrificium, quatenus consistit in precibus, requiri aliquam attentionem saltem virtualem, quæ fundetur in intentione formali orando, & formali attentione, quando primò incipit oratio, vt communiter docent cum D. Thom. 2.2. *quæst.*83. *art.*13. præsertim Suarez *tom.2.de relig. lib.3.de orat. cap.4.* Raphaël à Turre. 2. 2. *ad quæst.* 83. *art.* 13. *disput.*1. *num.*9. Neque enim esset oratio cessante omnino attentione, siquidem non solùm est actus humanus exprimens internum conceptum humano modo, quod sine attentione fieri non potest. Sed etiam est ascensus mentis in Deum, & expositio apud ipsum nostrorum desideriorum, quod sine attentione, & intentione fieri non potest.

5 Dicendum 1. *Distractionem inuoluntariam non impedire fructum sacrificij ex opere operantis, quoad impetrationem, satisfactionem, & meritum.* Ita loquens de oratione D.Thom. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 13. Nauarr. *in Manual. cap.* 13. *num.*3. & 18. Suarez *tom.2. de relig. lib.* 3. *de orat. cap.* 5. *num.* 7. Ruteus *lib.*1. *de fruct. sacrific. disput.* 3. *quæst.* 1. *dub.*8.*n.*45. & *sequent.* Ratio est, quia huiusmodi distractio non tollit, quia oratio sit vera oratio, & proinde actus virtutis: Ergo neque tollit effectus ipsius impetranis, satisfactionis, & meriti, si prouenit à persona grata.Confirm.Si inuoluntaria distractio impediret fructum orationis, atque adeò sacrificij quoad preces, cùm sit ferè moraliter impossibile continuare attentionem in tota recitatione, essent ferè impossibiles fructus orationis & sacrificij quoad preces.

Dicendum 2. *Distractionem non impedire, quin sacrificium crescat quoad fructum satisfactionis prout crescunt preces. Quæ recitantur.* Ita Suarez *tom.2. de relig. lib.3.de orat.cap.5.num.*9.Ruteus *lib.*1. *de fruct. sacrific.disp.*3.*quæst.*1.*dub.*8.*num.*46. Ratio est, quia fructus satisfactionis prouenit ex oratione, & sacrificio, quatenus important pœnalitatem; hæc autem successiuè crescit non obstante distractione, ad incrementum precum, quæ recitantur: Ergo in virtute attentionis virtualis crescit fructus satisfactionis. 6

Dicendum 3. *Distractio impedit, ne fructus meriti crescat ad incrementum precum: & ideò parit illum solum meritum, quod correspondet actuali attentioni.* Ita Suarez, & Ruteus, *num.præcedent.citat.* Bonac. *de horis Canonic.cap.*19. Ratio est, quia meritum fundatur tantum in actu interiori, itavt exterior non sit meritorius, nisi dependenter ab interiori: Ergo non potest crescere, nisi ad incrementum actus interioris, qui in oratione consistit in attentione, & quidem est secundum mensuram ipsius. 7

Dices. Durante recitatione precum, licèt cum distractione, durat attentio virtualis: Ergo refundit meritum nouum in recitationem, & proinde ratione maioris durationis attentionis virtualis crescit. Resp. neg. conseq. Quia virtualis attentio non est, quid diuersum ab actuali, sed est ipsa quatenus moraliter durat, & apta est, denominare orationem. Et ideò cùm in ratione actus interni nihil de nouo importet, nec ratione fundare potest nouum augmentum meriti. 8

Dicendum 3. Distractionem voluntariam peccaminosam venialiter, non impedire fructum sacrificij ex opere operantis quoad meritum, satisfactionem, & impetrationem. Est contra Suarez *tom.2. de relig. lib.3. de orat. cap.* 5 *in fine.* Ruteum *lib.1.de fruct. sacrific. disput.*3. *quæst.*1. *num.*48. Desumitur tamen ex doctrina Caiet. 2. 2. *quæst.*83.*art.*13. Raphaël à Turre. *ibid. disput.* 1. ver. *Sed quid, si negligentia.* Quod non impediat fructum meriti constat ex dictis, quia totum meritum prouenit à primo actu attentionis, cùm quo incœpit oratio, & ideò est iam obtentum, Solùm facit quod non continuetur meritum, quia non continuetur attentio interna, verum hoc ipsum præstat etiam distractio inuoluntaria, & ideò est eadem ratio. 9

De satisfactione quoque constat, quia fructus satisfactionis consurgit ex opere bono,& ex eo quod pœnale sit; distractio autem voluntaria, & culpabilis venialiter non tollit bonitatem operis, quia opus externum illam habet ab interno actu attentionis, & intentionis orandi Deum, cui subest secundum totum suum incrementum: nec tollit pœnalitatem, vt per se patet, nec reddit subiectum incapax satisfactionis, quia non deiicit ipsum à statu gratiæ. Et idem etiam est dicendum de fructu impetrationis, quia oratio habet vim impetrandi, quatenus oratio est. Hæc autem distractio non tollit quin sit vera oratio quæ funditur in actu sacrificij, quia adhuc subest attentioni, cùm qua incœpit. quæ virtualiter durat, quia non retractatur per illam distractionem, vt mox dicetur. 10

Vnde

11 Vnde quoad omnes effectus prob. conclusio. Distractio inuoluntaria non impedit fructum ex opere operantis quoad satisfactionem, & impetrationem: Ergo neque distractio voluntaria. Conseq. probat. Ideò distractio inuoluntaria non impedit fructum, quia non opponitur cùm actione virtuali, quæ saltem est necessaria ad substantiam orationis. Sed neque ex eo, quod sit voluntaria opponitur: ergo. Hæc minor prob. Quia non opponitur ratione distractionis alioquin etiam inuoluntaria opponeretur. Neque quia voluntaria sit. Quia hæc voluntas, quia est voluntaria non habet ratione sui oppositionem cum attentione virtuali saltem, cùm non retractet præteritam formalem, imò nec excludat actualem, quæ aliàs adesse posset: nec opponitur ratione voliti eo, quod velit oppositum, quia solùm vult disparatum, & cùm distractio secundùm se non opponatur, nec etiam opponetur volitio distractionis. Præsertim quia volitiones non sunt inuicem incompossibiles, nisi ratione voliti; & ideò quando in volitis non est incompossibilitas, & oppositio, nec etiam erit in volitionibus.

12 Dices. Talis distractio quandiù durat, facit, quod actio sit peccaminosa venialiter: Ergo impedit, ne ipsi correspondeat aliquis fructus. Resp. Quidquid sit de consequentia, neg. antecedens quia distractio, & actus, quo fit voluntaria se habent tantum concomitanter ad actionem sacrificij, & orationis, & ideò licèt in se sint peccaminosæ, non inficiunt tamen actionem sacrificij, & orationis. Quod etiam habet locum ex Suarez *tom. 2. de relig. libr. 3. de orat. cap. 5. numer.* 10. Si contingat orantem concomitanter mortaliter peccare. Verùm sicut tunc amittitur gratia, ita deficit fundamentum meriti, & superuenit incapacitas ad fructum satisfactionis.

13 Dices 2. Talis distractio diuidit cor, & facit, quod oratio non fiat purè, & cùm debita reuerentia: Ergo impedit fructum. Resp. Non diuidere cor, quia tunc solùm diuiditur, quando partim conuertitur ad Deum, & partim conuertitur ab ipso; sed solùm facit, quod non ascendat totaliter ad Deum; & proinde solùm facit, quod non sit adeò profecta, & pura, sicut esset seclusa distractione. Et tamen eiusdem qualitatis, ac esset, si distractio esset inuoluntaria, quia adhuc ista impedit, ne cor totaliter conuertatur in Deum. Vnde nec continet irreuerentiam, sed tantùm minorem reuerentiam. Imò sicut non excludit necessariam attentionem pro oratione, quæ nedum potest esse virtualis, sed etiam actualis, ita nec tollit, quin oratio, & sacrificium sit fructuosum ex opere operantis. Quod autem non excludat necessariam attentionem ex eo, constat, quia talis distractio, vt supponit non impedit, quin preces recitentur cùm debito modo & ordine, & cùm illo ritu, cùm quo præscribuntur in Missali, quod non potest fieri sine attentione: & ideò distractionem excludit totaliter attentionem.

14 Ex dictis colligitur. Vim impetrandi, quàm habet sacrificium ex opere operantis crescere successiuè ad incrementum precum, quæ recitantur. Ratio est, quia vis impetratiua consistit in ipsa ratione vocali dependenter tamen ab actu interno. Vnde cum per successionem precum, quæ recitantur, succedant etiam noua motiua, quæ proponuntur Deo, vt exaudiat, crescet etiam vis, & efficacia impetrationis, etiam si superueniat distractio. Quia sufficit, quod illæ preces proueniant ab intentione orandi Deum, & ab ipso impetrandi, quæ interuenit initio orationis; nam dum ore proponuntur noua motiua, censeatur prouenire ab illa intentione, per quam fuit determinata recitatio omnium illarum precum, quod sufficit, vt tota recitatio fiat humano modo, & ex proposito exorandi Deum.

QVÆSTIO 106.

An in offerente requiratur status gratiæ, vt alteri communicet fructum sacrificij.

SVMMARIVM.

1. *In offerente non requiritur status gratiæ, vt communicet fructum medium.*
2. *Fructus correspondens Ecclesiæ non requirit in offerente statum gratiæ.*
3. *Offerens secluso statu gratiæ non requirit fructum satisfactionis ex opere operantis.*
4. *Status gratiæ non requiritur vt offerens habeat fructum impetrationis ex opere operantis.*
5. *Oblatio in statu peccati quomodo peccaminosa.*
6. *Obligatus ad offerendum, satisfacit, etiamsi offerat in statu peccati.*

SVpponendum tanquam certum. In offerente non requiri statum gratiæ, vt alteri communicet fructum sacrificij medium ex opere operato, vt communiter docent cum D. Thom. 3. *part. quæst.* 82 *art.* 6. Quia cùm hic fructus sit ex opere operato, non dependet à statu gratiæ offerentis, sed prouenit ex natura sacrificij. Et quamuis iste fructus sit indifferens, vt huic, vel illi applicetur, & proinde requirat determinationem Sacerdotis, quia tamen Sacerdos sicut offert in persona Christi, ita etiam in eiusdem persona determinat, ideò hæc determinatio non dependet à sanctitate offerentis, quia habet vim ab ipso Christo mediante ministerio Sacerdotis. Vnde remanet difficultas de fructu, qui correspondet Ecclesiæ, quatenùs Sacerdos nomine ipsius offert, & de fructu ex opere operantis correspondente eidem offerenti. Nam fructus ex opere operato, qui correspondeat Sacerdoti, vt offerenti in priuata persona, non datur, vt in superioribus dictum est. 1

Dicendum 1. *Fructum correspondentem Ecclesiæ non requirere statum gratiæ in offerente, vt communicetur.* Ita D. Thom. 3. *part. quæst.* 82. *art.* 6. Caiet. *ibid.* Adrian. *in* 4. *quæst. vltim de Eucharist.* Amicus *tom.* 7. *Curs. Theol disput.* 33. *de sacrific. Miss. sect.* 6. *num.* 180. Dicastil. *tract.* 5. *de sacrament. disput.* 3. *dub.* 4. *n.* 196. Ruteus *lib.* 1. *de fruct. sacrific. disput.* 4. *quæst.* 3. *dub.* 1. *num.* 3. Faust. *De Eucharist. lib.* 2. *de sacrific. Miss. quæst.* 63. Ratio est, quia hic fructus correspondet oblationi, prout fit nomine Ecclesiæ: atque adeò consideratur vt fructus actionis eiusdem Ecclesiæ. Cùm autem Ecclesia sit sancta, & Deo grata, etiam oblatio, vt fit nomine ipsius, est Deo grata, & ideò habet fructum sibi correspondentem, qui non potest impediri à malitia offerentis. Confirm. Ideò valor sacrificij non inficitur à malitia offerentis, quia offertur vt à mero, & nudo ministro, sed etiam, quatenùs offert nomine Ecclesiæ, se habet, vt merus, & nudus minister. 2

Dicendum 2. *Secluso statu gratiæ non posse celebrantem acquirere per suam oblationem aliquem fructum satisfactionis ex opere operantis.* Ita D. Thom. 3. *part. quæst.* 82. *art.* 6. Sotus *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 1. *art.* 6. Nauarr. *in Manual. cap.* 25. *num.* 79. Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 6. *num.* 4. Valent. *tom.* 4. *disput.* 6. *quæst.* 10. *punct.* 3. Ruteus *lib.* 1. *de fruct. sacrific. disput.* 4. *quæst.* 3. *dub.* 1. *num.* 4. Faustus *De Eucharist. lib.* 2. *de sacrific. quæst.* 63. ver. *Et certè.* Et communiter. Ratio est, quia ad satisfaciendum 3

Digitized by Google

faciendum Deo pro pœna debita peccatis requiritur status gratiæ, siquidem, quando quis est in peccato mortali, cum sit addictus pœnis æternis, non potest satisfacere, quia satisfactio est tantùm pro pœna temporali.

4 Dicendum 3. *Status gratiæ non requiritur in offerente, vt obtineat fructum aliquem impetrationis, & proinde, vt possit etiam alijs communicare.* Dixi fructum aliquem, quia est longè inferior, quàm si esset in statu gratiæ, siquidem Deus magis iustos quàm peccatores exaudit. Hoc autem est intelligendū quoad preces, quæ funduntur in sacrificio. Ratio est, quia peccatoribus non denegatur omne auxilium gratiæ, præsertim in ordine ad orationem, & ideò in virtute illius efficere possunt opera impetratoria, & præsertim fundere preces ad aliquid impetrandum. Hoc autem contingere potest in sacrificio, dum funduntur preces ab Ecclesia præscriptæ.

5 Dices. Actio substantialis oblationis, quæ est à Sacerdote peccatore est peccaminosa mortaliter: Ergo non potest ipsi correspondere aliquis fructus, vt fit in persona Christi, & Ecclesiæ. Resp. Non esse peccaminosam secundum se, sed concomitanter. Nam peccatum Sacerdotis offerentis in statu peccati non consistit in ipsa oblatione sacrificij, quia hæc est tantùm actio ministerialis de se bona, & continens cultum Dei. Sed consistit in actu voluntatis, quo non obstante statu peccati, in quo reperitur, vult exercere hanc actionem. Et ideò si ita exerceat, vt simul etiam eliciat actum sacrificij interni, neque hic actus erit peccaminosus; sed adhuc erit actus religionis. Itaque solùm peccat, quia exercet actionem bonam sibi in tali statu prohibitam, vt contingit etiam in iis, qui in statu peccati ministrant sacramenta, nam actio ministrandi de se est bona, qui autem sic ministrat peccat, quia tanquam indignо est prohibitum ministrare.

6 Et dictis colligitur. Sacerdotem, qui tenetur pro aliquo celebrare satisfacere obligationi, etiamsi in peccato celebret, vt docent Caiet. *tom.* 2. *tractat.* 3. *quæst.* 2. §. *Ex his ergo.* Gabr. *in Canon. Miss. lect.* 26. Aragon. 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 3. *dub. de valore sacrific.* Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 18. *num.* 5. *in Comm.* Valent. *tom.* 4. *disput.* 6. *quæst.* 10. *punct.* 3. Azot. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 21. *quæst.* 5. Suarez *disput.* 86. *de sacrament. sect.* 1. vet. *Sed quæret.* Faust. *De Eucharist. lib.* 2. *de sacrific. quæst.* 64. Ruteus *lib.* 1. *de fruct. sacrific. disp.* 4. *q.* 3. *dub.* 1. *num.* 6. Quia exhibet totum quod debet, si quidem tenetur solùm applicare fructum medium, seu qui quoad applicationem dependet à voluntate ipsius, quem sacrificium communicat, etiamsi in statu peccati offeratur.



DE FRVCTV
SACRIFICII RESPECTV
Ecclesiæ offerentis.



CVM Ecclesia per Sacerdotem offerat sacrificium, in superioribus suo loco dictum est, non solùm quatenus constituit ipsum vt ministrum cùm potestate ad offerendum; sed etiam quatenus Sacerdos ipse est membrum corporis Ecclesiæ, & proinde actio offerendi ipsius tanquam actio membri est communis toti corpori, vt dicto loco explicatum est, ideò videndum est, quinam fructus correspondeat oblationi Ecclesiæ.

QVÆSTIO 107.

Quinam fructus correspondeat Ecclesiæ offerenti.

SVMMARIVM.

1. *Fructus meriti non potest correspondere Ecclesiæ offerenti.*
2. *Oblatio sacrificij vt prouenit ab Ecclesia non habet fructum satisfactionis.*
3. *Preces Ecclesiæ sunt impetratoriæ, & non satisfactoria.*
4. *Deus Eleemosynam per famulum exercet actionem pœnalem.*
5. *In quo fundetur satisfactio sacrificij oblati in persona Christi.*
6. *Sacrificium in persona Ecclesiæ habet fructum impetrationis, in quo fundetur.*
7. *Impetratio sacrificij, vt est ab Ecclesia non dependet a Sacerdote.*
8. *Si in Ecclesia nullus esset iustus, cessaret fructus sacrificij, vt est ab Ecclesia.*
   Ecclesia semper habet plures iustos.
9. *Sacrificium oblatum nomine Ecclesiæ non habet fructum meriti respectu singulorum iustorum.*

DIfficultas non procedit de fructu, qui prouenit ex natura sacrificij, qui est propitiationis, satisfactionis, & impetrationis, quia certum est correspondere Ecclesiæ suo modo, quatenus prouenit etiam ex sacrificio ex vi oblationis ipsius, sed de fructu speciali, qui proueniat ex actione eiusdem Ecclesiæ veluti personali, & ad eum modum, quo correspondet, Sacerdoti offerenti fructus ex opere operantis. Est autem supponendum tanquam certum, contra Aragon. 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 3. *dub. de valore sacram.* ver. *Quartò est aduertendum.* Quod fructus meriti non potest correspondere Ecclesiæ offerenti, quia meritum est personale singularis personæ, & proinde fundatur in actione propria personali. Qualis non est oblatio sacrificij respectu Ecclesiæ, siquidem Ecclesia non exercet hanc oblationem, nisi per ministrum, & solum dicitur ad illam concurrere, quatenus committit oblationem, & quatenus habet sibi vnitum tanquam membrum sui corporis ipsum offerentem. Rursus neque Ecclesia est persona aliqua vera, sed coadunatio plurium personarum, & ideò secundum se non est capax vt mereatur. Vnde difficultas est de allis fructibus satisfactionis, & impetrationis. 1

Dicendum 1. *Oblatio sacrificij, vt prouenit ab ab Ecclesia non habet aliquem fructum satisfactionis.* Ita Suarez *de sacrament. disp* 79. *sect.* 8. vet. *Secundò de Ecclesia.* Vasquez 3. *part. disput.* 229. *cap.* 2. *num.* 7. Bonac. *de horis Canon. lib.* 3. *cap.* 2. Ruteus *lib.* 1. *de fruct. sacrific. disp.* 4. *quæst.* 2. *dub.* 1. *num.* 3. & alij contra Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 17. *n.* 4. Aragon. *num. præcedent. citat.* Ratio est, quia ad satisfaciendum requiritur aliqua realis actio personalis exercita à persona Deo grata. Vnde cùm Ecclesia neque sit vera aliqua persona, sed tantùm ficta, seu mystica, neque exerceat aliquam physicam actionem, neque etiam illi correspondebit aliqua satisfactio. a

Dices. Preces, quæ nomine Ecclesiæ recitantur à Sacerdote 3

Sacerdote in sacrificio, sunt impetratorie, quatenus nomine Ecclesiæ Deo exhibentur, vt infra dicetur: ergo erant etiam eodem modo satisfactoriæ. *Resp.* neg. conseq. Non sunt impetratoriæ, quia ex parte sanctitatis Ecclesiæ consurgit motiuum obtinendi à Deo, quod petitur, & quia interponitur gratia, quam ipsa Ecclesia habet apud Deum. Quod non habet locum quoad satisfactionem, nam consurgit ex pœnalitate operis, quæ non interuenit in sacrificio respectu Ecclesiæ, nam fundatur pœnalitas in exercitio physico operis, quod non habet locum respectu Ecclesiæ.

4 Dices 2. Quando Dominus ministerio famuli largitur eleemosynam, respondet eleemosynæ independenter à famulo fructus satisfactionis: ergo etiam respondebit oblationi Ecclesiæ quando per ministros offert. *Resp.* neg. conseq. Quia quando Dominus ministerio famuli erogat eleemosynam, ipse exercet actionem physicam, & pœnalem siquidem se priuat pecunia, & tradit famulo, in quo actu consistit satisfactio; Ecclesia autem, dum offert per Sacerdotem, nullum actum physicum pœnalem exercet.

5 Instabis. Quando sacrificium offertur in persona Christi, ipse nullum actum physicum pœnalem exercet, & tamen oblationi factæ in persona Christi correspondet fructus satisfactionis: ergo etiam respondebit oblationi in persona Ecclesiæ. *Resp.* neg. conseq. Quia oblatio in persona Christi non correspondet satisfactio fundata in aliquo actu præsenti ipsius, sed illa satisfactio, quam Christus exhibuit in sacrificio Crucis, per sacrificium Missæ applicatur. At vt responderet oblationi in persona Ecclesiæ, deberet fundari in aliquo actu præsenti ipsius.

6 Dicendum 2. *Oblationem sacrificij, prout prouenit ab Ecclesia, habere fructum impetrationis.* Ita communiter cum D. Thom. 3. *part. quæst.* 82. *artic.* 6. Caiet. *ibid.* & alij *num.* 3. *citati.* Prob. Sacerdos offert sacrificium nomine Ecclesiæ, & nomine ipsius fundit preces in ipso sacrificio tanquàm publicus Minister ad hunc effectum destinatus; ergo sacrificium, vt offertur nomine Ecclesiæ est impetratorium. Conseq. prob. Dum preces funduntur nomine Ecclesiæ, interponitur sanctitas ipsius, & merita omnium iustorum tanquàm motiuum ad obtinendum à Deo, quod petitur, & repræsentatur Deo eadem Ecclesia tanquàm petens, & interponens gratiam, qua fruitur apud Deum: ergo cum sacrificium ex eo, quod offertur in nomine Ecclesiæ acquirat specialia motiua impetrandi se tenentia ex parte Ecclesiæ; habebit etiam specialem vim impetrandi nomine eiusdem Ecclesiæ. Confirm. Ecclesia instituit, vt offeratur sacrificium nomine ipsius, & præscripsit preces recitandas in eodem sacrificio nomine suo: ergo offerens sacrificium agit vices Ecclesiæ tanquam ipsius legatus: ergo Ecclesia est illa, quæ petit, & impetrat à Deo id pro quo impetrando sacrificium offertur.

7 Dicendum 3. *Hunc fructum impetrationis esse independentem à ministro offerente, & proinde non frustrari ex malitia ipsius.* Ita D. Thom. 3. *part.* 82. *art.* 6. Caiet. *ibid.* & communiter. Ratio est. Quia Deus respicit illam oblationem, & illas preces tanquam oblationem, & preces Ecclesiæ, & respicit ad Sacerdotem solum tanquàm ad ministrum: ergo non habet rationem ministri, sed Ecclesiæ: ergo cùm Ecclesia sit sancta, & Deo grata oblatio, nomine ipsius habet vim impetrandi independenter à ministro, & bonitate ipsius.

8 Colligitur 1. Cum Scoto *Quodlib.* 20. *littera P.* Quod si in Ecclesia nullus esset iustus, cessaret huiusmodi fructus, quia tunc Ecclesia nec esset sancta, nec Deo grata, sed esset mortua. Et quamuis omnes, qui sunt membra Ecclesiæ, peccare possint, itavt physicè loquendo contingere possit, quod omnes sint in peccato, stante tamen Dei prouidentia, sub cuius regimine manet Ecclesia, casus est impossibilis, siquidem disponit, ita illam regere, vt semper adsint plures iusti. Etenim Christus proposuit tanquàm articulum fidei credendum. Ecclesiam sanctam Catholicam, & proinde se obligauit ad manutenendam suam Ecclesiam in sanctitate. Et præcipuè quia ipse est caput, vnde dedeceret, quod eius corpus non esset sanctum: & quod ipse non ita influeret in membra, vt ea si non omnia, saltem plura viua conseruaret.

9 Colligitur 2. Contra Gabr. *lect.* 26. *in Can. Miss. litera H.* Sacrificium, vt offertur nomine Ecclesiæ, non habere fructum meriti respectu singulorum in particulari, qui sunt membra Ecclesiæ. Vt inter alios aduertit Vasquez 3. *part. disput.* 229. *cap.* 2. *num.* 7. Nam sicut meritum est proprium personale vniuscuiusque, ita etiam exigit propriam actionem personalem, in qua fundetur, quæ non interuenit in iustis, quando Sacerdos offert sacrificium. Et quamuis in aliquibus possit interuenire, vt in iis, qui concurrunt ad sacrificium, fit tantùm quod mereantur per illum actum, tanquàm sibi proprium, non secus, ac merentur per alios actus independenter à sacrificio: non autem ex vi obligationis factæ nomine Ecclesiæ; nam sicut oblatio est communis omnibus, ita etiam esset meritum, & proinde requireretur actum vniuersalem omnibus communem.

QVÆSTIO 108.

An fructus sacrificij, qui correspondet Ecclesia sit ex opere operato.

SVMMARIVM.

1. *Fructus sacrificij qui correspondet Ecclesiæ an sit ex opere operato*, & num. seq.
3. *Fructus sacrificij correspondens Ecclesiæ est ex opere operantis.*
4. *Vnde habeat suum valorem.*
5. *Improbitas Sacerdotis ipsum non inficit.*
   Fructus ex opere operantis per accidens est defectibilis.
6. *Fructus correspondens Ecclesiæ, vnde consurgat.*

1 PRima sententia asserit. Esse ex opere operato: Ita Gabr. *lect.* 26. *in Can. Miss.* Scot. *quodlibet.* 20. *art.* 2. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 7. *num.* 4. Probat. Huiusmodi fructus est independens à bonitate Sacerdotis, itavt conferatur, etiamsi Sacerdos sit improbus: ergo est ex opere operato, quia per hoc constituitur fructus ex opere operato. Secundo. Fructus, ex opere operantis aliquando deficit, quia non prouenit ex natura actionis. At hic fructus nunquàm deficere potest. Quia Ecclesia tanquàm sponsa Christi non potest non esse Deo grata. Tertio. Fructus, qui est ex institutione Christi est ex opere operato. Hic autem est ex institutione Christi, nam ipse instituit, quod sacrificium offerretur nomine Ecclesiæ, quia instituit tanquàm publicum, & nomine publico offerendum. Et proinde Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. *de sacrific. Miss.* habet, quod ipsum reliquit Ecclesiæ.

2 Secunda sententia asserit esse ex opere operantis:

Ita Corduba *in quæst. lib. 1. quæst. 3. init.* Couaruu. *in cap. Alma mater. part. 1. §. 5. num. 6.* Aragou. 2. 2 *quæst. 85. art. 3. in dub. De valore sacrific. §. Quarto est aduertendum.* Vasquez 3. *part. disput.* 229. *cap. 1. num. 4.* Suatez *disput. 79. de sacrament. sect. 11.* ver. *Dico tertiò.* Ruteus *lib. 1. de fruct. sacrific. disput. 4. quæst. 2. dub. 3. num. 12.* ver. *Ego autem.* Isambert. 3. *part. quæst. 83. disput. 7. art. 1.* ver. *Quæres, an valor.*

3 Dicendum est. *Fructum sacrificij, prout offertur nomine Ecclesiæ esse ex opere operantis.* Prob. Fructus ex opere operato fundatur in meritis Christi immediate, & habetur ex institutione Christi, quá instituit aliquem actum nomine suo exercitum offerre talem fructum, vt constat in fructu sacramentorum, & sacrificij. Fructus verò ex opere operantis fundatur in dignita e, & qualitate operantis: ergo fructus sacrificij vt oblati nomine Ecclesiæ non ex opere operato, sed ex opere operantis, quia non fundatur immediate in meritis Christi, neque est ab ipso alligatus tali actioni, sed fundatur in meritis, & dignitate Ecclesiæ.

4 Confirm. Hic fructus non prouenit ex vi oblationis sacrifi. ij, quatenus sacrificij oblatio est, sed quatenus talis actio dignè, & cum acceptatione Dei ab Ecclesia per suos ministros exercetur: ergo non est fructus actionis secundum se, seu operis operati ab Ecclesia, sed operis tali modo exerciti, & cum habitudine ad operantem: ergo habet suum valorem non à substantia operis, sed à modo, quem sortitur ratione qualitatis ipsius operantis, atque adeò est fructus ex opere operantis.

5 Ad 1. neg. conseq quia solum concludit, quod non sit ex opere operantis proueniens à Sacerdote; non autem quod non sit ex opere operantis respectu Ecclesiæ, & ideò improbitas Sacerdotis eum non impedit, quia non est fructus actionis ipsius. Ad 2. Fructum ex opere operantis non constitui per hoc, quod sit defectibilis, sed id ei conuenire per accidens, sicut etiam conuenit per accidens, quod operans aliquando deficiat. Quod si operans non esset defectibilis, nec etiam fructus actionum ipsius deficeret, vt constat in fructu actionum Christi, qui erat ex opere operantis, & erat indefectibilis, quia etiam Christus in operando erat indefect bilis. Iste ergo fructus correspondens Ecclesiæ offerenti nunquam deficit, quia Ecclesia est indefectibilis.

6 Ad 3. neg. hunc fructum esse ex institutione Christi, alioquin non esset fructus proueniens ab Ecclesia offerente. Ad prob. Licèt Christus instituerit sacrificium offerendum etiam nomine Ecclesiæ attamen non tribuit aliquem fructum ex meritis suis oblationi Ecclesiæ distinctum ab eo, quem offert de se sacrificium, sed reliquit oblationem in suo statu, ita vt ab ipsa Ecclesia acciperet valorem, secundum quem fructificaret; sic etiam instituit quòd sacramenta nomine Ecclesiæ conferrentur, & tamen collatio facta nomine ipsius non importat fructum aliquem supra illum, quem de se afferunt ipsa sacramenta.

QVÆSTIO 109.

An quo Ecclesia est sanctior, maior sit fructus correspondens ipsi in oblatione sacrificij.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia potest esse magis vel minus sancta.*
2. *Fructus sacrificij correspondens Ecclesiæ an crescat ex maiori sanctitate ipsius.*
4. *Accipit specialem æstimationem ex maiori sanctitate Ecclesiæ.*
5. *Quomodo fundetur in meritis Christi.*
6. *Sacrificium offertur nomine totius corporis Ecclesiæ & quomodo.*
7. *Quò Ecclesia est sanctior intensiuè, maior etiam est intensiuè fructus sacrificij ipsi correspondens.*
8. *Fructus sacrificij correspondens Ecclesiæ est finitus.*

POtest Ecclesia esse magis, vel minus sancta extensiuè prout scilicet contingit, esse in ipsa plures, vel pauciores iustos. Rursus etiam potest esse magis vel minus sancta intensiuè, prout scilicet in ipsa reperiuntur iusti cum maiori, vel minori excellentia sanctitatis. Cùm enim Ecclesia sit corpus mysticum consistens in coadunatione fidelium, non est sancta in abstracto, sed eius sanctitas consistit in suis membris, nempè in fidelibus, nomine quorum dicitur sancta, & magis, vel minus sancta. 1

Prima sententia asserit fructum sacrificij correspondentem oblationi Ecclesiæ esse inuiolabilem, & proinde non esse maiorem, vel minorem iuxta maiorem, vel minorem sanctitatem ipsius. Ita videtur sentire Sotus, quamuis dubius, *in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 6. in fine.* Prob. Hoc sacrificium fundatur in meritis Christi, non autem in meritis singularum personarum, vnde si nullus esset iustus in Ecclesia, adhuc sacrificium consequeretur suum effectum: ergo fructus non correspondet mensuræ sanctitatis Ecclesiæ. Secundò Ecclesia non offert sacrificium per eos, qui nihil de ipso cogitant, sed solum per Sacerdotem, & eos, qui ad ipsum aliquo modo concurrunt: ergo ex aliorum meritis, & sanctitate nullus accedit fructus. 2

Secunda sententia asserit, esse maiorem, vel minorem secundum maiorem, vel minorem sanctitatem Ecclesiæ. Ita Gabr. *lect. 26. in can. Miss.* Couar. *in cap. Alma mater. part. 1. §. 5. num. 6.* Suarez *disp. 79. de sacrament. sect. 11.* ver. *Dico tertiò.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 17. num. 2.* Ruteus *lib. 1. de fruct. sacrific. disp. 3. q. 3. dub. 4. num. 17.* Vasquez quamuis nonnihil dubius 3. *part. disp. 229. cap. 2. num. 10.* 3

Dicendum est. *Fructum sacrificij correspondentem oblationi, prout est ab Ecclesia, esse maiorem, vel minorem sanctitatem ipsius.* Prob. Oblatio sacrificij quatenus fit nomine Ecclesiæ, accipit ab ipsius sanctitate, & meritis dignitatem, & æstimationem, & specialem acceptabilitatem apud Deum, cùm hoc sit commune omnibus actionibus, quæ exercentur à personis gratis Deo. Quod etiam locum habet in ciuilibus, & etiam in personis fictis, seu vniuersitatibus, vnde si aliqua vniuersitas est grata principi, actio ipsius in obsequium eiusdem Principis erit speciali modo ipsi accepta: ergo quò maior est sanctitas, actiones accipient maiorem valorem & æstimabilitatem, vnde quia in Christo fuit summa sanctitas, fuit etiam in ipsius actionibus summus calor, & æstimabilitas: ergo quò maior est sanctitas Ecclesiæ, oblatio sacrificij, vt est ab ipsa, habebit maiorem valorem, & æstimabilitatem: ergo etiam maiorem fructum, quia fructus correspondet valori, & æstimabilitati. 4

Ad 1. resp. Hoc sacrificium fundari in meritis Christi quoad fructum ex opere operato: & hunc semper haberet, etiam si nullus esset iustus in Ecclesia: non autem quoad fructum ex opere operantis, quia quoad hunc fundatur in sanctitate, & dignitate offerentis, & solum pendet à meritis Christi eo modo, quo pendent cæteræ actiones bonæ. 5

Ad 2. neg. Assumptum. Nam licèt Ecclesia offerat speciali modo per eos, qui aliquo modo concurrunt

currunt ad sacrificium, offert tamen vniuersaliter per omnes fideles. Quia dum sacrificium tanquàm à Christo consignatum Ecclesiæ, vt publicum, & omnibus commune, offertur nomine Ecclesiæ, offertur nomine totius corporis, atque adeò omnium fidelium, quibus tanquam membris constat. Nec officit, quod plures nihil cogitent de oblatione, quia sufficit voluntas interpretatiua, quæ in eo fundatur, quod, cum sint membra Ecclesiæ, concurrere volunt ad eas actiones, quæ toti corpori cōmunes sunt, qualis est oblatio sacrificij, & quæ redundant in commodum commune. Rursus cùm Sacerdos offerat nomine totius Ecclesiæ, non offert vt publicus minister illius, ex eo, quod sunt membra censentur interpretatiuè concurrere ad mandatum offerendi.

7 Ex dictis colligitur, quod fructus oblationis sacrificij correspondens oblationi Ecclesiæ sit maior, quò maior est sanctitas ipsius, etiam intensiuè. Cum enim maior sanctitas magis etiam dignificet operationes: vnde quia Christus erat summe sanctus, summè etiam dignificabat proprias operationes dum Ecclesia est magis sancta intensiuè, magis etiā dignificabat oblationem sacrificij, vt est à se, & reddet magis Deo acceptam, atque adeò crescet etiam fructus. Vnde cum fructus crescat ex maiori sanctitate tàm extensiuè, quàm intensiuè, fieri potest, quod aliquando maior sanctitas intensiuè compenset fructum, qui deficit ex defectu maioris sanctitatis extensiuè: & contra maior sanctitas extensiuè compenset fructum deficientem ob minorem sanctitatem intensiuè.

8 Colligitur 2. Hunc fructum, qui correspondet Ecclesiæ offerenti, esse finitum, vt docent communiter, & obseruant Suarez *disput. 79. de sacrament. sect. 11. ver. Dico tertio.* Ruteus *lib. 1. de fruct. sacrific. disp. 3. quæst. 3. dub. 4. num. 19.* Et hoc habet locum quamtumuis crescat sanctitas Ecclesiæ, quantum potest crescere tàm extensiuè, quàm intensiuè stante enim quocunque incremento, semper erit sanctitas finita, & ideò non poterit in actionem oblationis refundere dignitatem infinitam, atque adeò nec fructum infinitum.

QVÆSTIO 110.

An Sacerdos celebrans in peccato minuat fructum respondentem Ecclesiæ offerenti.

SVMMARIVM.

1. *Preces sacrificij fructuosæ sunt siue offerens sit bonus siue malus.*
2. *Fructus sacrificij correspondens Ecclesiæ minuitur, si Sacerdos sit malus.*
3. *Celebrans in mortali minuit sanctitatem Ecclesiæ.*
4. *Fructus sacrificij correspondens Ecclesiæ quomodo dependeat à bonitate ministri.*

1 Loquendo de precibus, quæ funduntur in Missa, negat Caiet. 3. *part. quæst.* 82. *art.* 6. & vult quod æquè fructuosæ sint, siue fundantur à bono Sacerdote, siue à malo; quia non habent vim ex bonitate ipsius, atque adeò eo deficiente nihil amittunt.

2 Alij tamen volunt, quòd minuatur fructus correspondens oblationi Ecclesiæ, si celebret in peccato, & quod preces ab ipso fusæ non sint adeò fructuosæ etiam vt nomine Ecclesiæ funduntur, sicut essent, si esset in statu gratiæ. Ita Scotus *in 4. distinct. 13. quæst. 2.* Sotus *quæst. 1. artic. 6.* Adrian. *quæst. vltim. de Eucharist.* Syluester *verbo* Missa, *num. 1.* Aragon. 2. 2. *quæst. 85. art. 3. dub. de valor. sacrific. §. Ad secundam difficultatem.* Ruteus *libro 1. de fructu sacrificio, disput. 3. quæst. 3. dub. 4. num. 20.*

Dicendum est. *Sacerdotem celebrantem in peccato mortali minuere fructum respondentem oblationi Ecclesiæ, & preces ab ipso fusas non esse adeò fructuosas.* 3
Prob. Celebrans in mortali minuit extensiuè sanctitatem Ecclesiæ, quàm augeret, si celebraret in statu gratiæ: ergo minuit etiam fructum respondentem oblationi Ecclesiæ, siquidem est maior, vel minor iuxta maiorem, vel minorem sanctitatem Ecclesiæ, vt dictum est in præcedenti. Anteced. prob. Celebrans est membrum Ecclesiæ: ergo cum sanctitas Ecclesiæ sit sanctitas membrorum, quò plura membra sunt sancta, eò maior est: ergo, si ipse sit sanctus, maior erit, & minor, si sit in statu peccati.

Hinc solutum manet fundamentum Caiet. Fructus enim, qui correspondet oblationi Ecclesiæ non dependet à Trinitate offerentis tanquàm ministri, quia subsistit independenter ab ipsa. Dependet tamen à sanctitate ipsius tanquàm membri Ecclesiæ eo modo, quo dependet à sanctitate aliorum membrorum, hoc est quoad augmentum, vel diminutionem. 4

QVÆSTIO 111.

An oblationi Ecclesiæ respondeat fructus ex opere operato, qui respondet oblationi Christi.

SVMMARIVM.

1. *Fructus sacrificij ex opere operato correspondet oblationi Sacerdoti, & aliorum coofferentium.*
2. *Fructus sacrificij ex opere operato an correspondeat oblationi Ecclesiæ.*
3. *Fructus correspondens vni offerenti correspondet etiam alteri.*
4. *Ecclesia in offerendo subordinatur Christo. Sacerdotes offerunt cum subordinatione ad Ecclesiam.*

Certum est, quod effectus ex opere operato sacrificij correspondet oblationi Sacerdotis, nam cum concurrat ad offerendum tanquam minister Christi, & proinde cum subordinatione ad ipsum, ita vt ratione huius subordinationis constituatur vnicus offerens, si correspondet Christo vt principali offerenti, correspondebit etiam Sacerdoti vt ministro. Rursus etiam certum est, quod suo modo correspondet etiam iis omnibus, qui aliquo actu concurrunt ad sacrificium, nam ratione huius actus fiunt cooperatores Sacerdotis in sacrificio, & ideò communicant cùm ipso in ratione causæ ministerialis; vnde, si fructus ex opere operato correspondet Sacerdoti offerenti tanquàm ministro, correspondebit etiam ipsis suo modo tanquàm cooperatoribus. Solùm difficultas est, an etiam correspondeat Ecclesiæ. 1

Negat Ruteus *lib. 1. de fruct. sacrific. disp. 4. quæst. 2. dub. 3. num. 13.* Quia inquit, nulla est subordinatio Ecclesiæ, respectu aliorum offerentium, nec sua oblatione attingit effectum ex opere operato, quem attingunt alij offerentes: sed solum effectum ex opere operantis. Deinde quia non concurrit ad oblationem aliquo actu proprio, qualis 2

esset necessarius, vt attingeret effectum ex opere operato.

3 Verum affirmat Nugnus 3. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *part.* 3. *de sacrific. Miss. dub.* 3. vet. *Aliqui existimant.* vbi vult, quod in hoc sacrificio non sint plures gradus quoad effectum, sed sit virtus tantùm effectum correspondens omnibus offerentibus etiam Ecclesiæ. Quia sicut in naturalibus correspondet vnicus effectus omnibus causis subordinatis, ita etiam in hoc sacrificio, itavt effectus, qui correspondet vni correspondeat etiam alteri.

4 Dicendum est. *Effectum sacrificij ex opere operato correspondere etiam Ecclesiæ offerenti.* Prob. Sacerdos in offerendo subordinatur Ecclesiæ, & Ecclesia subordinatur Christo, vt principali offerenti: ergo stante hac subordinatione effectus ex opere operato, qui correspondet Sacerdotis oblationi, & Christi, correspondebit etiam Ecclesiæ; siquidem causæ subordinatæ se habent per modum vnius, & effectus ipsis correspondens secundum se totum correspondet omnibus. Anteced. prob. Quando Christus instituit hoc sacrificium, ipsum reliquit Ecclesiæ offerendum ab eadem Ecclesia per suos Sacerdotes. Vt habet Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. *de sacrific. Miss.* ibid. *Celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, nouum instituit Pascha.* (Nempe hoc sacrificium.) *Seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum.* Ergo si Ecclesia accepit hoc sacrificium offerendum per Sacerdotes suos, facultas offerendi est commissa Ecclesiæ, atque adeò offert per facultatem acceptam à Christo; & consequenter cum subordinatione ad ipsam. Rursus Sacerdotes offerunt sacrificium tanquàm ministri Ecclesiæ, & nomine eiusdem per mandatum & commissionem generalem ipsius, vt quoties offerunt, nomine ipsius offerunt. Hoc autem est offerre cùm subordinatione ad ipsam Ecclesiam.

QVÆSTIO 112.

Quinam sit maior fructus, an qui respondet oblationi Ecclesiæ, an verò qui correspondet oblationi Sacerdotis.

SVMMARIVM.

1. *Fructus correspondens oblationi Ecclesiæ est maior, quàm correspondens, oblationi Sacerdotis.*
2. *Quid si Ecclesia reduceretur ad vnum iustum.*
3. *Collegium potest reduci ad vnum, & in eo residere potestas.*
4. *Posito quocumque decremento Ecclesiæ adhuc fructus sacrificij ipsi correspondens est in altior ordine.*
5. *Si Ecclesia reduceretur ad solum offerentem, adhuc adesset fructus correspondens eius oblationi.*

1 Difficultas procedit de fructu ex opere operantis, nam fructus ex opere operato est vnus, & idem qui correspondet omnibus, vt in præcedenti dictum est. Supposito autem, quod Sacerdos offerat in gratia, & proinde obtineat fructum ex opere operantis, comparando fructum eiusdem speciei ex parte Sacerdotis, & ex parte Ecclesiæ, supponendum est tanquam certum, quod est maior fructus, qui correspondet oblationi Ecclesiæ. Nam oblatio Ecclesiæ est oblatio publica, nedum ratione institutionis, quia est instituta vt publico modo fiat, sed etiam ratione vniuersitatis offerentium; siquidem concurrunt ad offerendum omnia membra Ecclesiæ: oblatio verò Sacerdotis, vt est à persona ipsius est singularis, & ex hoc capite priuata. Rursus maior est sanctitas Ecclesiæ, quàm sit Sacerdotis, offerentis, quia illa hanc quoque includit; maior autem sanctitas sicut tribuit maiorem valorem actioni, ita etiam reddit magis fructiferum. Solùm difficultas est, 2o, si Ecclesia reduceretur ad vnicum iustum tunc esset maior, vel minor.

Dicendum est. *Dato, quod Ecclesia reduci posset ad vnicum iustum, tunc esset adhuc maior fructus respondens oblationi Ecclesiæ, quàm respondens oblationi Sacerdotis.* Ita Scot. *quodlib.* 20 *Littera P.* Prob. Adhuc fructus ille respondens Ecclesiæ vt conseruata in illo solo iusto esset fructus vniuersalis Ecclesiæ, atque adeò esset fructus vniuersitatis: ergo esset magis acceptus Deo, quàm fructus personalis Sacerdotis, quia plus æstimatur vniuersitas, quàm singularis persona. Anteced. patet, quia vniuersalis Ecclesia esset reducta ad illum verum iustum. 2

3 Pro quo facit communis doctrina, quàm tradunt præsertim Canonistæ, quod scilicet, licèt ad constituendum Collegium requirantur plures, potest tamen reduci ad vnum, & tua in illo residebit tota Collegij potestas. *l. Sicut.* §. *fruct. ff. Quod cuiusque vniuersit.* Et tradunt Gloss. *in cap. Nullus. De elect.* vbi etiam Panorm. Innocent. *in cap. Quia propter. eod. tit.* vbi etiam Gloss. *verbo Pauciores.* Anchatan. *in cap. Gratum. De postulat. Prælat.* Butrius *num.* 18 Brich. *in cap. Illa quotidiana. num.* 3. *de elect.* Lamberteng. *de iure patron. part.* 1. *lib.* 1. *quæst.* 9. *artic.* 3 *num.* 2. Biax. *part.* 1. *Direct. elect. cap.* 2. *num.* 3. Cuch. *lib.* 4. *Institut. maior.* Tit. *De elect. num.* 39. Nauarr. *lib.* 1. *consil.* 6. *de elect. in* 2. *edit.* Rodriguez *quæst. regular.* 54. *artic.* 11. *tom.* 2. Sigismund. *de elect. part.* 1. *cap.* 1. *dub.* 13. *num.* 4. Rota *decis.* 860. *num.* 7. & *decis.* 1050. *num.* 5. *coram Seraphino.* Vnde cum etiam Ecclesia reduceatur ad vnum, vt supponitur, iste habebit cùm dignificandi oblationem tanquam oblationem vniuersali Ecclesiæ.

Dices. Quò minor est sanctitas Ecclesiæ extensiuè, eò minor est etiam fructus; ergo si ita decrescat, itavt non exceedat fructum Sacerdotis offerentis. Resp. Posito quocumque decremento adhoc oblationem correspondere vniuersali Ecclesiæ, & vt talem habere fructum sibi correspondentem, qui proinde est in ordine superiori, quàm sit fructus respondens oblationi Sacerdotis. 4

Confirm. In tali casu præter illum iustum, esset etiam Sacerdos, qui esset membrum viuum Ecclesiæ: ergo oblatio, vt respondens Ecclesiæ dignificabitur etiam à sanctitate Sacerdotis vt membro Ecclesiæ. Oblatio verò Sacerdotis dignificabitur tantùm à sanctitate ipsius: ergo oblatio Ecclesiæ vt magis dignificata erit magis fructuosa. Hinc si Ecclesia reduceretur ad solum Sacerdotem offerentem, tunc oblatio ipsius habebit vtrumque fructum, nempe respondentem oblationi ipsius, & oblationi Ecclesiæ, non substinebit personam quoque Ecclesiæ, & ob rationem explicatum *num.* 2. & 3. erit maior fructus correspondens oblationi, prout fit nomine Ecclesiæ. 5

QVÆSTIO

QVÆSTIO 113.

An fructus correspondens Ecclesiæ locum habeat, si sacrificium offeratur ab excommunicato.

SVMMARIVM.

1. *Fructus correspondens Ecclesiæ an locum habeat, si offerens sit excommunicatus.*
4. *Locum habet si sit toleratus.*
Ecclesia rata habet quæ excommunicatus toleratus facit vt persona publica.
5. *Extrauagans Martini V. fauet excommunicato vt est persona publica.*
6. *Fructus correspondens Ecclesiæ non habet locum, si excommunicatus non sit toleratus.*
7. *Potestas offerendi quomodo sit potestas offerendi nomine Ecclesiæ.*
8. *Ecclesia potest Sacerdoti auferre commissionem offerendi.*
Excommunicatus non toleratus non offert nomine Ecclesiæ etiam si iuxta eius ritum offerat.
9. *Hæretici & schismatici an offerant nomine Ecclesiæ.*
10. *Irregulares non offerunt nomine Ecclesiæ.*
11. *Degradatus non offert nomine Ecclesiæ.*

1 PRima sententia tenet, adhuc sacrificium conferre fructum, qui correspondet Ecclesiæ offerenti, quatenùs adhuc eius nomine offert. Ita Gabr. *lect.* 17. *in Can. Miss.* Sotus *in* 4.*dist.*13.*quæst.*2.*ar.*1. Et in hanc sententiam videtur inclinare Dicastil. *tract.* 5. *de sacrament. disput.* 3.*dub.* 5. *num.* 215. quamuis *num.* 211. hæc sententia ei non placuerit. Fundamentum est; quia Sacerdos ex vi suæ ordinationis constituitur minister Ecclesiæ in ordine ad offerendum: ergo non potest priuari hac potestate. Confirm. ex Dicastil. Quamuis Ecclesia nolit, eum offerre, ipsum tamen obligat, quod si peccando offerre velit, offerat secundum ritum ab ipso præscriptum, ita vt committat nouum peccatum, si ipsum non seruet: ergo dum tenetur seruare ritum Ecclesiæ, nomine ipsius offeret ex voluntate conditionata Ecclesiæ, quæ licet absolute nolit offerre, si tamen offerat, vult nomine suo offerre

2 Secunda sententia negat, excommunicatum offerre nomine Ecclesiæ, & proindè tunc cessare fructum, qui correspondet oblationi Ecclesiæ. Ita D. Thom. 3.*part. quæst.*82. *ar.*7. *ad* 3. Suarez *disput.*77. *de sacrament. sect.*2. *in fine*, & *disput.* 79. *sect.* 8. ver. *Tertia differentia.* Lugo *de Eucharist. disp.* 19. *sect.* 9. *numer.*126. Et alij; quia Ecclesia priuat ipsum, ne suo nomine offerat, non quidem auferendo facultatem, sed prohibendo vsum.

3 Tertia sententia asserit, excommunicatum non toleratum non offerre nomine Ecclesiæ, & proindè tunc non habere locum fructum, qui correspondet Ecclesiæ. Toleratum verò offerre adhuc nomine Ecclesiæ. Ita Auila *de censur. part.*2.*cap.*6.*disput.*4.*dub.*3. Henriquez *lib.*9. *sum. cap.*18. *num.*6. Azor. *part.*1. *lib.*10. *cap.* 2.*quæst.* 6. ver. *Obijcies, Hæretici*, Faustus *de Eucharist. lib.*2. *de sacrific. Miss. quæst.*69. ver. *In quare*, Bonacin. *disputat.*4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.*6. *num.*7.

4 Dicendum 1. *Excommunicatum toleratum validè offerre sacrificium etiam nomine Ecclesiæ, & proindè, tunc sacrificium offerre fructum correspondentem oblationi eiusdem Ecclesiæ.* Et ita accipiendus est D. Th. pro secunda sententia citatus. Ratio est; quia ex vi ordinationis habet potestatem offerendi nomine Ecclesiæ, quæ potestas non potest ipsi auferri: ergo dum Ecclesia ipsum tolerat, sustinet etiam actus, qui fiunt ratione potestatis, & iurisdictionis publicæ ipsi collatæ, ita exigente bono publico. Præsertim post Extrauag. Martini V. *Ad euitanda in Concil. Constant.* Ecclesia enim in virtute dictæ Extrauag. rata habet, quæ excommunicatus toleratus exercet vt persona publica; vt inter alios notant Panorm. *in cap. Veritatis num.*47. *de dolo, & contum.* Innocent. *in cap. cum dilectus de consuet.* Ioan. Andet. *in cap.* 1. *de rescrip. in* 6. Calderin. *in disp.* quæ incipit, *excommunicat*, & communiter.

Dices. Quamuis sit toleratus, tenetur tamen abstinere ex vi prohibitionis Ecclesiæ: ergo dum offert sacrificium non offert nomine Ecclesiæ, quia in dicta Extrauag. nihil statuitur in fauorem ipsius, sed tantum in fauorem aliorum. Resp. neg. conseq. Quia nihil statuitur in fauorem ipsius, vt est priuata persona; attamen dum statuitur in fauorem aliorum, statuitur etiam in fauorem ipsius, vt est publica persona; siquidem vt talis pertinet ad aliorum commodum, & publicam vtilitatem. Et ideò, licet Ecclesia prohibeat exercere actus, quos vt publica persona exercere potest, vt est etiam offerre sacrificium, attamen, si exerceat, non irritat, sed ratos habet, ita exigente publica vtilitate, vt latius in materia de censuris. 5

Dicendum 2. *Excommunicatum non toleratum non offerre nomine Ecclesiæ, & proindè tum non habere locum fructum qui correspondet oblationi Ecclesiæ.* Prob. Ad offerendum nomine Ecclesiæ requiritur commissio, seu mandatum saltem interpretatiuum, quia non fit aliquid nomine alterius, nisi accedat eius voluntas, ratione cuius dici possit, quod faciat per alium; respectu autem excommunicati non tolerati non adest voluntas Ecclesiæ, imò expressa prohibitio, itavt nec si faciat, ratum habeat, quod fit. Et ideò quamuis offerat, illa oblatio non erit nomine Ecclesiæ. 6

Dices. Illa oblatio adhuc erit actus potestatis sacerdotalis: ergo adhuc erit nomine Ecclesiæ quia sicut potestas sacerdotalis est potestas offerendi nomine Ecclesiæ, ita actus potestatis est actus offerendi nomine illius. Resp. neg. conseq. Quia potestas sacerdotalis absolutè est potestas offerendi, & secundum se: non est autem potestas offerendi nomine Ecclesiæ absolutè, sed solum accedente deputatione ipsius, & mandato. Hoc autem non habet locum stante prohibitione, & declaratione, quod non acceptat, nec ratos habet actus potestatis publicæ excommunicati non tolerati. 7

Hinc solutum manet fundamentum primæ sentent. Hanc quamuis Ecclesia non possit auferre potestatem offerendi nomine suo: potest tamen auferre commissionem, & non ratum habere actum, si fiat, vt dictum est, quod sufficit, vt oblatio non fiat nomine suo, quia, vt dictum est, potestas requirit commissionem, vt sit completa. Ad confirm. Illam voluntatem conditionatam Ecclesiæ, quod si excommunicatus peccando offerat, nomine suo offerat, habere locum solum quoad excommunicatum toleratum: non autem quoad non toleratum. Nec ex eo, quod vtatur ritu præscripto ab Ecclesia, fit, quod nomine illius offerat, etiam si adhuc respectu excommunicati non tolerati vrgeat præceptum vtendi tali ritu, quia Ecclesia non obligat ad vsum ipsius, quasi per hoc habeat sacrificium, quod nomine ipsius offeratur. Sed quia vult sacrificium cum ipso offerri ob maiestatem ipsius, & mysticas significationes. Et cum commissio offerendi possit stare cum hoc, vel illo ritu, eo ipso, quod vnum præscribit, non dat 8

commissionem offerendi, vnde cum sint diuersa offerre cum ritu præscr. pro ab Ecclesia, & offerre nomine ipsius, non sequitur illatio secundi ex vsu primi.

9 Ex dictis colligitur, quid dicendum de Hæreticis schismaticis, an scilicet offerant nomine Ecclesiæ. Si enim sint tolerati, & non denunciati, adhuc offerent nomine Ecclesiæ quia militat eadem ratio, nempè quod simplex prohibitio, stante tolerantia, non irritat actus publicæ potestatis; sicut irritat coniuncta cum denunciatione, quia tunc publico modo eos separat à suo corpore mystico, nec acceptat aliquos actus ipsorum etiam si sint publicæ potestatis, sed habet pro irritis.

10 Secundò colligitur. Irregulares non offerre nomine Ecclesiæ, & quoad ipsos sufficere solam prohibitionem offerendi, vt oblatio non sit nomine Ecclesiæ. Et idem etiam dicendum est quoad interdictos, si interdictum extendatur ad hunc actum offerendi. Ratio est; quia ratione interdicti, & irregularitatis prohibentur ab Ecclesia offerre, quod sufficit, vt auferat ab ipsis commissionem, seu mandatum offerendi nomine suo. Rursus quoad ipsos non adest aliqua tolerantia, ratione cuius Ecclesia ratum habeat, quod ab ipsis publica auctoritate geritur, cum locum habeat solum quoad excommunicatos iuxta Extrauag Martini V. *Ad euitanda scandala.* Et ideò deficit fundamentum, ratione cuius oblatio ipsorum fieri possit nomine Ecclesiæ.

11 Tertiò colligitur. Degradatum, quamuis conficiat verum sacrificium, quia degradatio ei non aufert potestatem Sacerdotalem, sed tantum prohibet vsum in perpetuum; & proindè sit fructuosum, quatenùs offertur nomine Christi, nempè ex opere operato, vt cum D. Thom. 3. *part. quæst.* 82. *art.* 8. docent communiter. Attamen non esse fructuosum quatenùs correspondet oblationi Ecclesiæ, quamuis oppositum videatur sentire Dicastil. *tract.* 5. *de sacrament. disp.* 3 *dub.* 5. *num.* 217. Neque enim interuenit oblatio Ecclesiæ, vt ei aliquis fructus correspondere possit; licet enim offerat nomine illius, quia tamen Ecclesia prohibet absolutè offerre, & ideò etiam nomine suo; nec tolerat quod offerat, vndè neque etiam interpretatiua commissio interuenire potest, consequenter oblatio facta nomine Ecclesiæ erit nulla, nec fundabit fructum ipsi correspondentem.



DE FRVCTV SACRIFICII RESPECTV coofferentium.



EX dictis in superioribus constat totum populum fidelem concurrere ad offerendum. Quatenùs efficit corpus mysticum Ecclesiæ. Eos verò speciali modo coofferre sacrificium, quia aliquo speciali actu cooperantur; itavt magis influant, quò talis actus principalior est in ordine ad oblationem. Modo agendum est de fructu, qui correspondet oblationi, vt fit nomine ipsorum.

QVÆSTIO 114.

Quinam fructus correspondeat coofferentibus.

SVMMARIVM.

1. *Coofferentibus non correspondet fructus ex opere operato.*
2. *Secluso actu non potest quis concurrere ad oblationem sacrificij, nisi vt membrum Ecclesiæ.*
3. *Fructus respondens coofferentibus, quos effectus comprehendat.*
4. *Coofferre dicit specialem affectum in coofferente.*
5. *Supponit in ipso interius sacrificium.*
6. *Magis immediatè attingentes oblationem sacrificij magis influunt Ordo inter coofferentes.*
7. *Assistentes sacrificio coofferunt.*
8. *Procurantes sacrificium offerri cooperantur ipsi. Dans eleemosynam influit speciali modo in oblationem sacrificij.*

SVpponendum est ex dictis in superioribus. Non correspondere coofferentibus, quatenùs coofferentes suos fructum aliquem ex opere operato. Quia sacrificium non est aptum causare aliquem effectum ex opere operato, nisi quatenùs applicat merita, & virtutem sacrificij Crucis. Et quia applicat non ex vi oblationis actiuæ, sed tantum passiuæ, quia per hanc solam se communicat, atque adeò etiam per hanc solam communicat fructus sacrificij Crucis, ideò solum participant aliquem fructum ex opere operato, quatenùs pro ipsis offertur sacrificium: vndè difficultas remanet de fructu ex opere operantis. 1

Supponendum secundò eos, qui non concurrunt ad oblationem sacrificij aliquo actu, non concurrere alio modo, nisi quatenùs membra Ecclesiæ; ad concursum enim requiritur aliqua voluntas, quæ tendat in oblationem: hi autem non aliam huiusmodi voluntatem habent, quàm interpretatiuam, cum ex eo, quod sint membra Ecclesiæ consentiant interpretatiuè in id, quod fit nomine totius corporis. Vndè nec oblationi ipsorum alius fructus correspondere potest, quàm qui correspondet oblationi eiusdem Ecclesiæ; de quo dictum est: Et ideò solum videndum remanet de fructu, qui correspondet coofferentibus cum concursu alicuius actus. 2

Dicendum est. *Fructum, qui correspondet coofferentibus, & concurrentibus aliquo actu ex opere operantis comprehendere omnes effectus oblationis sacrificij, atque adeò meritum, satisfactionem, & impetrationem.* Hoc autem ita accipiendum est, vt correspondeat secundum hoc effectus iuxta subiecti capacitatem, itavt qui est capax omnium recipiat omnes, & qui est capax tantum aliquorum ipsos tantum recipiat. Rursus correspondeat etiam cum proportione ad concursum, itavt qui magis concurrit, recipiat meliori modo hos effectus. 3

Prob. Concursus ad oblationem sacrificij quocunque actu fiat, supponit in concurrente aliquem specialem affectum erga sacrificium, ratione cuius moueatur ad concurrendum, cum non possit haberi iste concursus sine voluntate concurrendi, nec voluntas concurrendi sine affectu ab sacrificium: ergo interuenit actus, qui sit meritorius, si concurrant cæteræ conditiones necessariæ ad meritum, siquidem interuenit actus virtutis, nempè religionis ordinatus ad Dei cultum. Rursus cum sit opus bonum, erit etiam satisfactorius, si fiat in statu gratiæ. Et quia ordinatur in obsequium Dei, erit etiam impetratorius, cum possit tale obsequium mouere Deum ad concedendum, quod petitur. 4

Confir.

5 Confir. Ex vi talis concursus ad sacrificium cooperatur eidem sacrificio, atque adeò ipsum vult offerri Deo secundum sui naturam, nempè tanquam signum sensibile interioris sacrificij: Ergo interius sacrificium coniungitur cum tali concursu tanquam significatum per externum sacrificium, quod est verum, etiamsi non adsit formaliter internum sacrificium, nam adest saltem virtuali modo in illo actu quo vult sacrificium offerri, & ipsi cooperari. Sacrificium autem internum est perfectissimus actus religionis, cum per ipsum homo se subijciat, & secundum se totum deuoueat Deo: & proindè est maximè meritorium, satisfactorium, & impetratorium.

6 Quinam autem sint, qui magis influunt in sacrificium, resoluendum est ex qualitate actionum, quibus influunt, illæ enim magis influunt, quæ magis immediatè attingunt oblationem, & ex his illæ à quibus magis oblatio ipsa dependet. Vnde ministrantes Sacerdoti magis influent cæteris, quia & immediatè attingunt actionem offerendi, & participant in exequutione sacrificij, siquidem exercent ex illis actionibus, quibus ritus offerendi integratur. Ex ministris autem magis Diaconus, quia est minister magis proximus Sacerdoti, & simul cum ipso offert calicem. Deindè Subdiaconus, & sic de cæteris. Quod etiam ex eo patet, quia ab Ecclesia specialiter consecrantur in ministros, atque adeò exercent actum ordinis, qui est specialissima cooperatio ad sacrificium ex deputatione Ecclesiæ, quæ locum non habet in cæteris coofferentibus. Et ideò si Laicus ministraret, non exerceret hoc ministerium formali modo, atque adeò nec etiam exhiberet formali modo hunc influxum, sed tantum materialiter, & proindè minorem quoque fructum perciperet, quam ordinatus.

7 Ministrantibus autem proximè succedunt adstantes sacrificio, quia concurrunt simul cum Sacerdote ad offerendum. Cum enim Sacerdos offerat nomine populi, iuxta illud ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt dona offerat, & sacrificia pro peccatis*, dum adstant sacrificio, coniungunt suum affectum, & spirituale sacrificium interius cum affectu Sacerdotis, & exteriori sacrificio, & fiunt vnus moralis offerens simul cum ipso, & ex hoc habetur maior influxus post influxum ministrorum.

8 Tertio loco succedunt ij omnes, qui quocunque modo procurant sacrificium offerri, aut quocunque modo sunt causa, quod offerantur. Hi autem remotè tantum cooperantur sacrificio, atque adeò minus influunt cæteris, quia nec communicant in actione sacrificatiua sicut adstantes, nec exercent aliquam actionem, quæ immediatè attingat ritum sacrificij, sicut exercent ministri. Inter hos tamen adhuc est inæqualitas, prout actio, quam exercent magis, vel minus influit in sacrificium; qui tamen dat eleemosynam Sacerdoti pro offerendo sacrificio, principalem locum inter hos obtinet, quia cæteris magis influit, cum non solum inducat, sed etiam obliget Sacerdotem ad offerendum.

QVÆSTIO 115.

An coofferentes possint alijs applicare fructum, qui ipsis prouenit.

SVMMARIVM.

1. *Coofferentes si perciperent fructum ex opere operato non possent alteri applicare.*
2. *Coofferentes possunt alteri applicare fructum, qui est ex opere operantis.*
3. *Coofferentes non possunt alteri applicare fructum, quem percipiunt ex applicatione Sacerdotis.*
4. *Quem fructum percipiat iniungens alteri, vt pro se audiat Missam.*

SVpponendum est. Quod si offerentes perciperent aliquem fructum ex opere operato ex vi oblationis, seu quatenùs coofferentes sunt, non possent illum alteri applicare, vt contra Nauarr. *cap. 25. Manual. num. 32.* Nugnum *3. part. quæst. 83. art. 1. part. 3. de sacrific. dub. 3.* ver. *Sed tamen opposita*, Ruteum *lib. 1. de fructu sacrific. disp. 4. quæst. 4. dub. 4. num. 11.* Et alios tenent magis probabiliter Suarez *disp. 79. de sacrament. sect. 9.* ver. *Nihilominus censeo*, Filliuc. *tract. 5. cap. 3. quæst. 7.* Dicastil. *de sacram. tract. 5. disp. 3. dub. 6. num. 157. in fine*, & alij. Et ratio est; quia, si ex vi oblationis perciperetur talis fructus ex opere operato, ex vi eiusdem oblationis remaneret applicatus eidem coofferenti: siquidem cum oblatio esset causa cur proueniret talis fructus offerenti, esset etiam causa cur ipsi proueniret. Deindè cum præter Sacerdotem offerentem nullus habet potestatem supra sacrificium, nullus etiam præter ipsum disponere potest de fructu sacrificij, qui prouenit ex opere operato. 1

Supponendum 2. Coofferentes posse alteri applicare fructum, quem percipiunt ex oblatione sacrificij ex opere operantis. Cum enim hic fructus proueniat ex ipsorum actione, qua concurrunt ad sacrificium, sequitur naturam actionis, & remanet sub ipsorum dominio, sicut etiam remanet fructus aliarum actionum, & ideò de ipso disponere possunt, vt voluerint, applicando cuinam libuerit. Vndè solum difficultas remanet de fructu ex opere operato, quem percipiunt ex eo, quod Sacerdos specialiter pro ipsis offert. 2

Dicendum est. *Coofferentes non posse alteri applicare fructum, qui ipsis obuenit ex eo, quod Sacerdos pro ipsis offerat.* Prob. Hic Fructus prouenit ex oblatione Sacerdotis determinata pro adstantibus, & cooperantibus: ergo remanet applicatus ex vi oblationis Sacerdotis, siquidem fructus determinatur, vt sit illius, pro quo Sacerdos offert: ergo qui illum percipit, non potest alteri applicare, quia ex vi prioris applicationis iam sortitus est effectum, & ideò non potest retrocedere applicatio, & conferre fructum in alium. Confirm. Hic fructus est ille, qui aut pendet ex determinatione offerentis, & proindè est in se indeterminatus, aut ex institutione est addictus. Vtroque autem modo non potest applicari à cooffetente, quia non potest applicari, nisi fiat suus, & non fit suum, nisi iam ex determinatione, aut applicatione præhabita. 3

Ex dictis colligitur, quem fructum percipiat ille, qui alteri iniungit, vt pro se audiat Missam. Qui enim audit Missam pro alio, exhibet Deo illum cultum, & sacrificium interius nomine illius, qui in tali actione exhiberi solet, & illi applicat fructum ex opere operantis, quem acquirit per talem actionem. Vndè non solum acquirit fructum sibi applicatum, quem quisque acquirere potest, si illi applicetur, sed etiam percipit fructum ex proprio actu quatenùs iniungendo auditionem Missæ, facit suum illum cultum, qui nomine suo ab alio Deo exhibetur. 4

QVÆSTIO

QVÆSTIO 116.

An in coofferentibus requiratur status gratiæ, vt ipsorum cooperatio sit fructuosa.

SVMMARIVM.

1. *Cooperatio ministrorum est fructuosa etiam si sint in peccato.*
2. *Quem fructum percipiant coofferentes, si sint in peccato.*
3. *Laici cantantes preces Missæ, aut ministrantes peragunt ministerium Ecclesiæ.*
   Laicorum cooperatio ad sacrificium an sit fructuosa stante statu peccati.

1 Dicendum 1. *Cooperationem Ministrorum ad sacrificium esse fructuosam, etiam si sint in statu peccati.* Intelligitur autem de ijs, qui ministrant ex deputatione Ecclesiæ. Ita Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1.* Ruteus *lib. 1. de fruct. sacrific. disp. 4. quæst. 4. dub. 3. num. 9.* Ratio est; quia agunt ministerium Ecclesiæ, & illæ preces, cæteræque actiones non sunt propriæ personales ipsorum, sed Ecclesiæ.

2 Dicendum 2. *Coofferentes, qui non ministrant, si sint in statu peccati, non percipiunt fructum meriti, aut satisfactionis, sed solum impetrationis.* Ratio est, quia non sunt capaces meriti, aut satisfactionis ratione status peccati. Possunt tamen impetrare eo modo, quo peccatores per actus bonos impetrare possunt, supposito, quod concurrant conditiones necessariæ vt actus sit impetrationis.

3 Ex dictis colligitur. An Laici cantantes preces, quæ in Missa recitantur, & alij, qui ministrant Sacerdoti, agant ministerium Ecclesiæ, & proindè eorum cooperatio sit fructuosa non obstante statu peccati. Videntur enim non agere ministerium Ecclesiæ, quia non sunt ministri deputati ab ipsa. Verum cum id, quod agunt, sit ex institutione Ecclesiæ peragendum nomine ipsius, adhuc agunt ministerium Ecclesiæ, licet non consecrati ad ipsum; & proindè non sint solemnes ministri, sed minus propriè in supplementum propriorum. Hinc tamen fit, quod quamuis habeant eandem efficaciam, ac si exercerentur per ministros proprios, siquidem tota efficacia prouenit ab Ecclesia, quæ semper est eadem quatenùs tamen indigent acceptatione apud Deum, videntur habere minorem àcceptabilitatem, quia ministri cæteris paribus sunt minus grati, cum non sint consecrati ad tale munus. Consecratio namque sicut dedicat Deo pro tali ministerio, ita etiam reddit acceptum in ordine ad ipsum.



DE QVANTITATE VALORIS, EFFICACIÆ, & fructus sacrificij Missæ.



QVANTITAS valoris, efficaciæ, & fructus sacrificij Missæ diuersimodè considerari potest præcipuè autem consideratur secundum terminos, an scilicet sit finitus, an verò infinitus. Rursos infinitus considerari potest secundum intensionem, & secundum extensionem. Primò modo dicit infinitatem in se itavt non habeat terminans: secundò modo dicit infinitatem relatiuam, nempè ad terminos extrinsecos, ad quos ordinari potest.

QVÆSTIO 117.

An sacrificium Missæ secundum se sit valoris infiniti.

SVMMARIVM.

1. *Efficacia, & fructus sacrificij commensurantur ad inuicem.*
2. *Valor sacrificij quomodo sumatur.*
3. *Valor sacrificij secundum plures non est infinitus.*
4. *Si esset infinitus non iteraretur sacrificium.*
   Christus non influit in sacrificium valorem infinitum.
   Sacrificium non communicat nisi finito modo fructus passionis Christi.
   Absurda ex infinitate valoris sacrificij.
5. *Valor sacrificij secundum alios est infinitus.*
6. *Valor sacrificij quomodo infinitus.*
7. *Valoris infinitas ex identitate cum sacrificio Crucis colligitur.*
8. *Sacrificium est idem cum sacrificio vltimæ cœnæ.*
9. *Infinitas sacrificij, ex offerente, & re oblata, quia Christus principalis offerens.*
10. *Sacrificium non habet valorem à Sacerdote, nec ab Ecclesia.*
11. *Oblatio sacrificij non modificatur, nec qualificatur à ministro.*
12. *Christus vt Sacerdos offert sacrificium Missæ.*
13. *Offert eodem modo, ac obtulit sacrificium Crucis.*
14. *Iteratio sacrificij, an, & quam infinitatem non probet, & cur licet infinitum possit iterari.*
15. *Oblatio Sacerdotis non modificat oblationem sacrificij, vt à Christo.*
    Oblatio, qua B. Virgo obtulit Christum in templo cur finita.
16. *Consecratio qualiter infinita.*
17. *Sacrificium non debuit institui cum efficacia infinita.*
    Ex infinitate sacrificij an sequantur absurda.

SVpponendum. Efficaciam, & fructum sacrificij sibi inuicem correspondere, & proportionari, ita vt eadem sit quantitas vtriusque proportione seruata. Efficacia enim est vis, secundum quam sacrificium suos effectus operatur, & fructus importat effectus eiusdem efficaciæ, & proindè ita illi correspondet, vt tantus sit, quanta est ipsa efficacia in operando. Vndè quoad finitatem, vel infinitatem est eadem ratio vtriusque. 1

Supponendum 2. quod quamuis valor possit sumi pro eo, quod valet sacrificium in ordine ad operandum, & propterea soleat valor confundi cum efficacia, & fructu, attamen magis propriè consideratur prout conuenit sacrificio secundum se, quàm in ordine ad effectum; & hoc pacto importat dignitatem & æstimabilitatem sacrificij præscindendo ab ordine ad operandum, & considerando solum quatenùs sacrificium est importans summum cultum Deo exhibitum. Et in hoc sensu quæritur, an valor sit infinitus, atque adeò de infinitate intensiua, seu quasi intensiua ob quam secundum se crescat in infinitum in dignitate & æstimabilitate. 2

Prima sententia negat esse infinitum. Citatur D. Thom. *in 4. distinct. 45. quæst 2. art. 4. quæstiun. 3. ad 2.* 3

Verum

Verum ibi loquitur de efficacia in ordine ad effectum, nam dicit, quod per vnum sacrificium non liberatur quis à tota pœna debita pro peccatis. Et eodem modo loquitur 3.par.quæst.79.art.5. Plures etiam alij citantur pro hac sententia, sed, si rectè perpendantur non omnes negant infinitatem valoris sacrificij secundum se, sed solum in ordine ad effectus, quod constat ex probationibus, quas adducunt. Hi autem sunt D.Bonau. in 4.dist.45.art.2.qu.3.ad vlt. Richar.art.2. quæst.3. Palud.quæst.2.art.2.conclus.5. Durand. quæst.3.ad 3. Maior quæst.2. Sotus dist.11.quæst.2.art.5. ver. *At verò*, & dist.13.quæst.2.art.1.conclus.2. Scot. quodlib.20. art.1. ver. *Quod ostendi potest*, & art. 2. ver. *De tertiò autem*, Adrian. quodlib. 8. art. 3. Gabr. lect. 27. in Can. Miss. littera K. Nauar. in Manual. cap. 125.num.111. ver. *Secundò*, Gerson. Alphab. 25. littera C. Angel. verbo. Missa num.52. Alanus lib.2. de Eucharist.cap.34. Henriquez lib.9.sum.cap.17.num.1. & 3. & in com. littera S. & cap.22.num.5.in fino. Bellarmin.lib.2.de Mis.cap.4.propos.4. Tolet.lib.2.cap.6. num.1. Valent. tom.4.disp.6. quæst.11.punct.1.§ 25. in fine. Azor. par. 1. lib. 10. cap. 20. quæst. 8. Miranda tom. 1. Manual. quæst. 41. artic. 19. Reginal. lib. 29. Praxis fori pœnit. cap.9. sect.9.not.4. num.151. Facundez præcepto 1. Eccles. lib.3. cap. 6. num. 8. Bonacin. disput. 4 de sacrament. quæst. vlt. punct. 4. numer. 5. Layman. lib. 5. Theol. moral. tractat. 5. cap. 1. numer. 7. Ioan. Lugo de Eucharist. disput. 19. sect. 12. num. 246. Amil. de sacrament. lib. 3. de Eucharistia cap. 18. Coninch de sacram. quæst. 83. art. 1. dub.10. Præposit. 3.part. quæst. 83. art.1. dub. 7. Mercer. ibid. Ruteus lib.1. de fruct. sacr. disput. 2.quæst.1. dub.2. num.8. Granad. 3. part.controuer. 6. tract. 14. disput. 4. sect. 4. Barbosa de potest. Epis. alleg. 24. numer.7. Couar. in cap. Alma mater. par.1. §.5. num. 5. Alios citans Caspens. par. 2. Curs. Theol. tractat. 23. disp.2. sect.4. num.31. Putean. 3.quæst.83.art.1. dub.7. conclus.1.

4 Prob. Si esset infiniti valoris, non iteraretur, sicut non iteraretur sacrificium Crucis, quia est infinitum ad Hebr. 10. vnde quia conueniens fuit iterari, debuit institui finiti valoris. Secundò. Licet principalis offerens Christus sit persona infinita, non influit valorem infinitum, quia influit secundum mensuram actionis sacerdotis, qui est proximus offerens, à qua modificatur. Nec etiam res oblata infinita reddit infinitum, nam etiam B. Virgo obtulit Christum in Templo, & tamen illa oblatio fuit finita, quia modificata à persona finita. Tertiò. Sacrificium consistit essentialiter in consecratione; ista autem actio est finita. Quartò. Hoc sacrificium habet communicare fructus passionis Christi finito modo: ergo debuit etiam institui valoris finiti secundum se, vt corresponderet effectui. Quintò. Sequeretur quod vnico sacrificio mundarentur omnes à peccatis, liberarentur à pœna, euacuaretur purgatorium, subueniretur omnibus necessitatibus impetrarentur omnia beneficia. Sed plus prodesset vna Missa, quàm plures, non cresceret valor ex deuotione offerentis.

5 Secunda sententia asserit esse infinitum. Ita Caiet. tom.2. Opuscul.tract.3. quæst.2. ver. *Sacrificium igitur*. & 3. part. quæst. 79. art. 5. Syluester verbo Missa 1. quæst.9. init. Viguer. cap.16. Instit. Theol. §.3. ver.15. init. Richard. art.16.§.2. Canus lib.12. de locis Theol. cap.13.ad 10. Petrus Nauar. lib.2. de rest. cap.2. num. 268. Corduba in quæst. lib.1. quæst.3. lib.5. conclus. 3. Petrus Sotus lect. 7. de Eucharist. §. *Primum non est*. Herueus quodlib.10. quæst.13. Suarez disp. 79. de sacram. sect.11. dicto 1. Vasquez 3.par.disp.230.cap.3.n.9. Isambert. quæst.83. disp.7. art.1. ver. *His ita* Hurtad. de sacram.disp.3. de sacrific. Mis. difficul.7. ver. *Caiet. verò*, Ragusa 3.par. quæst.1. art.2.disp.14.§.2. Garcia in sum.tract.3. de Eucharist. difficul.1. dub.7. punct.1. num 7. Dicastil. de sacram.tract.5.disp.3.dub.4. nu.77. Nugn. 3.part.quæst.83.art.1.part.3.de sacrif. Miss.dub. 7.conclus.2. Lessius de sacrament. quæst. 83.art.1. dub. 10. num.55 Montagnol. de valore Miss.cap.3. Chelison. 3.part.quæst.83. art.1.dub.10. Ledesma part.1. sum. cap. 17. de Eucharist. conclus.4. Aragon. de iust. & iure, quæst.85. art.3. Becan. part.1. casu 12. Marchin. de sacrament. Ordin. tract. 3. part. 2. cap. 12. num. 7. Palaus part.4. tract.22. disput. vn. punct. 6. numer. 11. Ludouic. à S. Ioan. par. 2. sum. quæst. 8. de Eucharist. art. 3. dub. 1. difficul. 1. conclus. 1. Leander. de sacrament. tract. 8. disp. 3. quæst. 10. Villalob. part. 1. sum. tract. 8. difficul. 3. num.2. Mærat. tom. 3. sum. disp. 40. sect. 1. ver. *Quoad posteriorem*, Quartus in Rubr. Missal. in Append. quæst. 2. punct. 18. ver. *Opposita sententia*, Gabr. à S. Vincent. de sacrament. disput. 2. de sacrific. Miss. quæst. 6. ver. *Nostra sententia*.

Dicendum est. *Valorem sacrificij secundum se, ex ratione æstimabilitatis esse infinitum.* Dixi esse infinitum, 6
non quod propriè infinitus sit, nam infinitus in quacunque re creata repugnet, sed quia est illud summum, quod in ratione valoris sacrificij ex cogitari potest. Desumitur ex D.Th. 3.part.quæst.79.art.5. vbi habet. *Quamuis hec oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria secundum quantitatem deuotionis illius, pro quo offertur.* Si ergo est de se sufficiens, vt satisfaciat pro omni pœna, necesse est, quod habeat valorem infinitum, quia finitus valor non potest sufficere pro omni pœna.

Prob. Hoc sacrificium est idem cum sacrificio 7
Crucis quoad substantiam, ita vt solum differat ratione, seu modo offerendi, cum vnum oblatum sit cruento modo, alterum offeratur incruento modo; & idem etiam cum sacrificio vltimæ cœnæ: ergo cum sacrificium Crucis sit infiniti valoris, & etiam sacrificium vltimæ cœnæ, siquidem illa oblatio fuit actio propria Christi, & omnes ipsius actiones fuerint infiniti valoris, hoc quoque sacrificium erit valoris infiniti. Conseq. patet, quia valor consequitur substantiam sacrificij, & proinde vbi est idem sacrificium secundum substantiam, est etiam idem valor. Anteced. constat ex Concil. Tridentin. sess. 22. cap. 2. de sacrificio, quoad sacrificium Crucis. Nam ibi habet: *Vna eademque est hostia idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.* Circa quod est aduertendum, quod Concilium id asserit, vt reddat rationem illius, quod antea præmiserat, nempè quod hoc sacrificium remittit peccata etiam ingentia, & cum id definierit contra hæreticos, qui negabunt esse propitiatorium, seu remittere peccata, cum peccata per solum sacrificium Crucis remittantur; reddit hanc rationem, vt eos ad hominem conuincat, nimirum, quod sit idem sacrificium quoad substantiam, & solum diuersum in modo offerendi; & proindè si sacrificium Crucis potest remittere peccata, vt ipsi concedebant, hoc quoque poterit; & ideò etiam valebit, si sacrificium Crucis fuit infiniti valoris, hoc quoque erit eiusdem infiniti valoris.

Quod autem sit idem etiam cum sacrificio vl- 8
timæ cœnæ, constat ex eod. Concil. eod. sess. 22. capit. 1. de sacrific. Miss. Nam cum præmisisset, quod, *Vt dilecta sponsa sua Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, &c. Corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc noui Testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, eisdemque eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent præcepit.*

Si ergo sacrificium oblatum in vltima cœna, est illud, quod Christus reliquit Ecclesiæ offerendum, oportet, quod sacrificium Ecclesiæ sit idem cum sacrificio vltimæ cœnæ, & ad summum poterit differre secundum aliquam conditionem accidentalem; & ideò oportet etiam, quod sit eiusdem valoris.

9 Confirm. Res oblata in hoc sacrificio est infinita, & offerens est etiam persona infinita, nempè Christus, qui est principalis offerens, & proindè actio quoque offerendi est infinita, vtpote correspondens infinitati offerentis: ergo consurgit sacrificium valoris infiniti; nam non alia ratione sacrificium Crucis fuit infinitum, nisi quia res oblata, & offerens fuerunt infiniti. Quod autem Christus sit principalis offerens desumitur ex Concil. Tridentin. *sess. 22. cap. 2. de sacrific. Miss.* dum habet, quod in hoc sacrificio est idem offerens Sacerdotum ministerio, qui fuit in sacrificio Crucis. Et cum ibi reddat rationem, vt dictum est, cur hoc sacrificium Crucis sit propitiatorium contra hæreticos, qui volebant solum sacrificium Crucis esse propitiatorium; nihil conficeret, si Christus non esset verus offerens, & si ministerium Sacerdotum detraheret de dignitate, & valore sacrificij, quem habet ex Christo offerente. Et ideò dici non potest, quod ex eo, quod Christus offerat per Sacerdotes, tanquam per ministros, amittat infinitatem valoris, nam etiam hæretici dicerent, ex hoc capite amittere, quod sit propitiatorium, quia id habet sacrificium Crucis ratione infinitatis valoris.

10 Confirm. 2. Sacrificium hoc habet valorem à persona Christi, vt offerente principali, non autem à Sacerdote: ergo habet valorem infinitum, quia Christus vt persona infinita refundit in suas operationes valorem, & dignitatem infinitam. Anteced. prob. Sacrificium hoc inquinari non potest à malitia offerentium, vt habet Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 1. de sacrific. in fine*. Si autem haberet valorem à ministro offerente, posset inquinari ab ipsius malitia, sicut inquinantur cæteræ actiones ipsius, quæ ab ipso sumunt valorem, & dignitatem: ergo cum habeat suum valorem, debet habere à principali offerenti. Nec enim dici potest, quod habeat solum ab Ecclesia, tum quia cum Ecclesia non concurrat, nisi remotè, & non tanquam Sacerdos, si refunderet valorem, à fortiori debet refundere Christus, qui concurrit tanquam Sacerdos, & principalis offerens. Tum quia Ecclesia non potest tribuere valorem sacrificio ex opere operato.

11 Dices. Licet Sacerdos non tribuat valorem sacrificio, modificare tamen illum, qui prouenit à Christo, & ratione suæ finitæ oblationis facere, quod finito modo refundatur. Contra. Si oblatio Christi eò, quod fiat ministerio Sacerdotum modificaretur, & determinaretur, vt esset finita, quia veluti transiret per ministerium finitum: ergo etiam qualificaretur per idem ministerium, atque adeò posset ab ipso inquinari, quando ipsum à malitia offerentis est inquinatum. Nam sicuti quantitas ministerij finiti quantificat oblationem Christi, & facit esse finitum, ita etiam qualitas ministerij qualificabit, & faciet inquinatum, si ipsum sit inquinatum.

12 Confirm. 3. Christus concurrit ad offerendum hoc sacrificium tanquam Sacerdos, atque adeò influxu Sacerdotali & cum sit principalis offerens, eius influxus erit principalis Sacerdotalis: Ergo tanquam Sacerdos dignificat, & dat valorem sacrificio infinitum, vtpote Sacerdos infinitæ dignitatis. Antec. prob. ex Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1 de sacrif. Mis.* vbi ex eo, quod Christi sacerdotium erat duraturum in æternum infert, quod Christus instituit hoc sacrificium, & tradidit Ecclesiæ offerendum. Cum ergo nec institutio sacrificij, nec oblatio ex mandato ipsius requirat in Christo durationem sacerdotij eiusdem post eius mortem, dum voluit durare, & quia erat duraturum, præcepit, vt eius nomine offerretur sacrificium, ita vt simul ipse esset oblaturus ministerio sacerdotum, vt habet idem Concil. *ibid. cap. 2.* fit, quod ipse offerat tanquam principalis sacerdos, & tanquam talis dignificet oblationem. Præsertim, quia sacrificium in Ecclesia non erat necessarium, vt dignitas sacerdotalis in Christo permaneret, cum hæc possit esse sine oblatione sacrificij. Si ergo instituit sacrificium, quia erat permansurum sacerdotium, oportet quod Concilium intelligat de permanentia secundum exercitium, & non secundum solam dignitatem.

13 Confir. 4. Concil. Trident. *sess. 22. cap. 2. de sacrific.* definit, sicut etiam *Can. 3.* hoc sacrificium remittere peccata etiam ingentia, & huius definitionis reddit rationem, quia in hoc sacrificio est idem offerens qui fuit in sacrificio Crucis, & eadem hostia. Hæc autem ratio non valeret, nisi Christus esset propriè offerens, & tribueret sacrificio valorem infinitum. Tum quia si alio modo offerret, vt obtulit in sacrificio Crucis, diuersitas modi sufficeret, vt non possit dici idem offerens. Tum quia Concil. habet, quod sola ratio offerendi est diuersa, non esset autem sola ratio offerendi diuersa, si Christus non esset offerens, sicut fuit in sacrificio Crucis, nam etiam offerens esset diuersus, quia sacerdos non esset purus minister, & proinde diuersificaret offerentem. Tum quia Concil. colligit virtutem sacrificij ex identitate offerentis, & proinde quia dignificat sicut dignificauit sacrificium Crucis, & quia identitas offerentis debet inferre identitatem virtutis, & valoris.

14 Ad 1. Primæ sentent. resp. probare solum, quod non sit infinitum quoad effectum: non autem, quod non sit infinitum quoad valorem secundum se: Potest enim stare, quod sit infinitum secundum se, & quod operetur finito modo, præsertim quia determinatur ad operandum iuxta mensuram institutionis. Si etiam Deus est infinitus secundum se, & tamen finito modo operatur. Imò ipsum sacrificium Crucis fuit infiniti valoris, & tamen hic valor non fuit applicatus, nisi ad effectus finitos, quia omnes, quos operatus est, & est operaturus, faciunt quid finitum. Sed neque probat, quod non sit infinitum quoad effectum; nam non ex necessitate effectus potuit iterari, sed ex necessitate deferendi continuò cultum Deo.

15 Ad 2. neque oblationem Christi, quæ fit ab ipso vt principali offerente modificari ab oblatione sacerdotis, cum sacerdos sit purus minister: si enim modificaret, fieret offerens principalis, quia determinaret oblationem Christi ad certum ordinem. Et hoc etiam contingit in actionibus moralibus. Si enim princeps mittat munera per suum subditum alteri principi, illa donatio, quamuis per priuatam personam exerceatur, non modificatur, vt sit donatio priuatæ personæ, sed adhuc remanet donatio principis. Si quis per personam vilem iniuria afficiat personam nobilem, non æstimatur iniuria personæ vilis, sed talis, qualis est persona quæ principaliter infert. Demum si Christus per aliquem discipulorum erogasset eleemosynam pauperi tanquam per ministrum, non modificaretur illa actio erogandi eleemosynam, ne esset infiniti valoris. Ad alteram partem de oblatione B. Virginis resp. fuisse finitam, non solum quia actio offerendi fuit finita, sed etiam, quia finito modo terminata fuit ad rem oblatam, sicut visio beata est finita, quia terminatur ad obiectum finito modo. Terminata autem fuit finito modo, tum quia per illam oblationem non offerebatur filius absolutè, sed secundũ quid. Tum quia B. Virgo supra rem oblatam non habuit absolutam potestatem, sed solum secundum quid, & ideò limitatam.

16 Ad 3. Consecrationem esse finitam vt sit mi-

nisteriali

Digitized by Google

nisteriali modò ab offerente, vt autem est oblatio Christi correspondens eius potestati sacerdotali, esse infinitam moraliter in ratione valoris, sicut fuerunt omnes actiones Christi, & sicut fuit consecratio facta ab eodem Christo in vltima cœna.

17 Ad 4. Ex antecedenti solum colligi, quod sacrificium non debuerit institui cum efficacia infinita, seu quod non debuerit institui, vt applicaretur infinito modo ad operandum. Attamen supposito, quod esset instituendum tale sacrificium, non potuit institui, nisi cum valore infinito secundum se, cum tali valor sit ab ipso inseparabilis, quippè prouenit ex offerente, & re oblata. Hinc etiam patet responsio ad 5. nam illa inconuenientia sequerentur, si haberet efficaciam, & effectum infinitum. Imò nec necessariò sequerentur, quia effectus potuisset esse dependens ab aliquibus conditionibus, quæ non semper adessent.

QVÆSTIO 118.

An sacrificium sit infiniti valoris ex sola institutione.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium ex sola institutione Christi esse infiniti valoris sentit Marat.*
2. *Institutio non potest facere sacrificium infiniti valoris, nisi aliundè sit tale.*
3. *Non est sacrificium infinitum, quia applicet merita Christi.*
   Oblatio rei infinita per actionem finitam non est infinita.
4. *Christus licet offerat per ministrum influit tamen valorem infinitum.*

1 QVamuis ex dictis in præced. constet, vnde proueniat infinitas valoris huius sacrificij, expendenda tamen est doctrina Maratij *tom.3.sum.disp.40. de Eucharist.sect.1. ver. Iam probo.* Vbi vult, hanc infinitatem valoris non conuenire sacrificio ex re oblata, neque ratione Christi offerentis, sed solum ex institutione Christi. Quia, inquit, cum Christus tantum remotè offerat, non potest influere aliquem valorem, aut meritum, sicut nec aliquam bonitatem moralem. Deindè si esset à Christo, vt offerente, non esset ex opere operato; sed ex opere operantis. Vnde concludit quod habeat infinitam valorem propter merita suæ passionis, quæ fuerunt infinita.

2 Dicendum tamen est. *Sacrificium habere suum infinitum valorem à Christo vt principali offerente, non autem ex nuda institutione Christi.* Quod habeat à Christo vt principali offerente constat ex dictis in præcedenti, vbi hoc efficaciter probatum est. Quod autem non possit habere ex institutione Christi. Prob. Non potest Christus instituere sacrificij infiniti valoris, nisi communicet fundamentum talis valoris, alioquin esset infiniti valoris, quia institueretur talis valoris, & non esset, quia non communicaretur, præsertim quia debet esse tale secundum se, & proindè habere intrinsecam æstimabilitatem: ergo cum ex institutione non habeat, nisi quod sit sacrificium, cum non habeat hanc infinitatem à re oblata, neque ab actione offerendi, neque à proximo offerente, à nullo habebit cum in sacrificio nulla alia includatur.

3 Dices. Habere in meritis Christi, quatenùs per ipsum applicantur, & repræsentantur Patri. Contra. Per quodlibet opus bonum applicantur nobis merita Christi, & coniunguntur cum ipso vt acceptatur à Deo, siquidem acceptatur in virtute meritorum Christi, & tamen opera bona non sunt infinita. Secundò. Sacramenta applicant merita Christi, & repræsentant Deo, quorum intuitu obtineat suum effectum quem causant, & tamen non sunt valoris infiniti. Tertiò. Oblatio rei infinitæ non est infiniti valoris, quando offertur per actionem finitam: & ob hanc rationem oblatio Christi vt fit à Sacerdote, vt proximo offerente non est infinita per ipsum etiam Marat. Ergo licet in sacrificio applicentur, & repræsententur merita Christi, quæ sunt infinita, quia applicantur, & repræsentantur per actionem finitam, qualis est oblatio Sacerdotis, non erit infinitum. Confirm. In sacrificio merita Christi se habeat solum obiectiuè, quatenùs applicabilia, & repræsentabilia: ergo nisi interueniat aliquid infinitum, quo infinito modo applicentur, & repræsententur, non consurget valor infinitus in sacrificij. Et ideò hoc debet reduci in principalem offerentem Christum, cum nihil aliud infinitum possit interuenire.

4 Ad fundament. Marat resp. Christum vt principalem offerentem proximè offerre, cum Sacerdos puræ ministerialiter se habeat, qui non tollit immediationem oblationis, sicut non tollit instrumentum immediationem causæ principalis: & ideò refundit valorem, & dignitatem in sacrificium. Ad confirm. Valorem & efficaciam sacrificij dici ex opere operato respectu ministri, quia scilicet conuenit ab intrinseco sacrificio, & independenter à bonitate ministri: non autem dicitur ex opere operato respectu Christi, cum dependeat ob illius meritis, & dignitate.

QVÆSTIO 119.

An efficacia sacrificij sit infinita intensiuè.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium ex communi sententia non habet actu effectum infinitum.*
2. *Efficacia sacrificij infinita syncathegorematicè intensiuè secundum aliquos.*
3. *Secundum alios finita.*
4. *Sacrificium non habet effectum nisi finitum.*
   Applicat per partem virtutem, & fructum sacrificij Crucis.
5. *Virtus sacrificij Crucis non est applicabilis nisi per partes.*
6. *Efficacia sacrificij Crucis non est infinita syncathegorematice intensiuè.*
   Effectus cuiuscunque sacrificij est determinatus à Christo.
7. *Sed secundum mensuram dispositionis subiecti.*
8. *Sacrificium habet terminum in applicanda virtute sacrificij Crucis.*
9. *Cur crescat effectus secundum mensuram dispositionis, licet efficacia sacrificij sit determinata.*
10. *Quando ex infinitate syncathegorematica effectus colligatur infinitas causæ.*
11. *Efficacia sacrificij limitate ex institutione Christi.*
12. *Fructus sacrificij, vt offertur nomine Ecclesiæ vndequaque finitus.*

QVamuis non conueniant inter se Doctores, an efficacia sacrificij, quam alij valorem in actu secundo appellant, sit finita an verò infinita, conueniunt tamen in eo, quod non habeat effectum actu infinitum, siquidem non potest habere maiorem effectum, quàm habuerit sacrificium Crucis, cum non 1

non sit efficax, nisi quatenùs applicat virtutem illius, & communicat eiusdem fructus, Sacrificium autem Crucis non habuit effectum infinitum. Et proindè difficultas in eo consistit, an sit infinita syncathegorematicè, itavt possit prodocere semper effectum maiorem, & maiorem quocunque producto.

2 Prima sententia asserit, efficaciam sacrificij esse hoc pacto infinitam intensiuè, itavt producto quocunque effectu possit maiorem, & maiorem producere. Eam tribuunt D. Thom. *3. part. quæst. 79. art. 5.* quatenùs docet, quod oblatio huius sactificij ex sui quantitate sufficeret ad satisfaciendum pro omni pœna, sed tamen non est satisfactoria pro omni pœna, sed solum secundum mensuram deuotionis eorum, pro quibus offertur. Verum ex hoc loco nihil colligitur pro hac sententia, quia quando dicit, quod ex sui quantitate sufficeret ad satisfaciendum pro omni pœna, non considerat efficaciam, quam modo habet sacrificium, sed, quam posset habere; si fuisset applicatum ex institutione ad operandum secundum totum suum valorem, quem diximus, esse infinitum. Ita autem tradunt Caietan. *eod. loco 3. par.* & *tom. 2. Opusc. tract. 3. quæst. 2.* Herueus *quodlib. 10. quæst. 13.* Syluester *verbo.* Missa *quæst. 9. inst.* Angel. *num. 52.* Petrus Sotus *lect. 7. de Eucharist. §. Primum non est,* & *§. Tertium sit.* Corduba *in quæst. lib. 1. quæst. 3. opin. 5. conclus. 3.* Canus *lib. 12. de locis Theol. cap. 13. ad 10.* Viguer. *cap. 16. instit. Theol. § 3. ver. 15. inst.* Petrus Nauarr. *lib. 2. de rest. cap. 1. num. 268.* Ricard. *art. 16. §. 2.* Vasquez *3. part. disp. 230. cap. 3. num. 9.* Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 1.* Aragon. *2. 2. qu 85. art. 3. § Contrarium tamen.* Mærat. *tom. 3. disp. 40. sect. 1. ver. Tam primam.* Nugnus *3. part. quæst 83. art. 1. part. 3. de sacrific. dub 7. conclus. 2.* Coninch *dub. 10. num. 187.* Gaspar Hurtad. *de sacrament. disp. 3. de sacrific. Miss. difficult. 7. ver. Caiet. verò,* Franciscus Lugo *de sacrament. lib. 5. cap. 4. quæst. 9. num. 79.* Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disp. 33. de sacrif. Miss. sect. 7. num. 259.* Granad. *3. part. controuer. 6. tract. 14. disp. 4. sect. 2. num. 13.* Garzia *in sum. tract. 3. difficul. 1. dub. 8. pun. 1. num. 9.* Quartus *in Appen. ad Rubr. Missal. qu. 2. pun. 18. ver. Opposita sententia,* Marchin. *de ordine tract. 3. par. 2. cap. 12. num. 7.* qui tamen *num. 12.* dicit habere semper effectum finitum, quia semper reperit dispositionem finitam. Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 22. disp. vn. pun. 6. n. 11.* Fundamentum est; quia tunc virtus causæ est infinita, quando potest producere effectum maiorem, & maiorem in infinitum syncathegorematicè, vndè non alia ratione potentia Dei est infinita, nisi quia potest producere alios, & alios effectus in infinitum, & perfectiores, & perfectiores in infinitum. Hoc autem sacrificium potest producere effectum perfectiorem, & perfectiorem in infinitum, quia producit secundum mensuram dispositionis, quam reperit, quæ potest esse semper perfectior, & perfectior, & ideò eius efficacia erit infinita.

3 Secunda sententia asserit, efficaciam sacrificij esse finitum intensiuè. Ita D. Th. *in 4. dist. 45. ar. 4. qu. 3. ad 2.* D. Bonau. *art. 2. qu. 3. ad vlt.* Durand. *qu. 3. ad 3.* Richard. *art. 2. qu. 3.* Palud. *qu. 2. art. 2. conclus. 4.* Gabr. *lect. 26. in Can. Miss.* Adrian. *quodlib. 8. art. 3.* Scot. *quodlib. 20. art. 1. ver. Quod ostendi,* & *art. 3.* Nauarr. *in Manual. cap. 25. num. 92.* & *num. 111. ver. Secundò quod in illo.* Bellarmin. *lib. 2. de Missa cap. 4. propos. 4.* Miranda *tom. 1. Manual. quæst. 41. art. 19.* Valent. *tom. 4. disput. 6. quæst. 11. punct. 1. §. 25. in fine.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 20. quæst. 8.* Suarez *disp. 79. de sacrament. sect. 11. ver. Dico secundò,* Reginal. *lib. 29. Praxis fori pœnit. cap. 9. sect. 2. num. 152.* Facundez *præcep. 1. Eccles. lib. 3. cap. 6. num. 8* Filliuc. *tract. 5. cap. 3. quæst. 9. num. 85.* Graf. *part. 2. decis. lib. 6. cap. 45. num. 6.* Molfes. *part. 1. sum. tract. 3. cap. 15. num. 20.* Bonac. *disp. 4. de sacrament. quæst. vlt. punct. 5. num. 3.* Scortia *lib. 2. de sacrif. Miss. cap. 9.* Laiman. *lib. 5. Theol. mor. tract. 5. cap. 1. num. 9.* Caspens. *part. 2. Curs. Theol. tract. 23. disp. 2. sect. 4. num. 31.* Faust. *de Eucharist. lib. 2. de sacrif. Miss. quæst. 59. ver. Verior tamen,* Tanner. *tom. 4. disp. 5. quæst. 9. dub. 4. num. 102.* Ruteus *lib. 1. de fruct. sacrif. disp. 2. quæst. 1. dub. 2. num. 8.* Isambert. *3. part. quæst. 83. disp. 7. art. 1. propos. 2.* Dicastil. *de sacram. tract. 5. disp. 3. dub. 4. num. 87.* Lugo *de Eucharist disp. 19. sect. 11. num....* Præpos. *3. part. quæst. 83. ar. 1. dub. 7.* Mercer. *ibid.* Auersa *qu. 11. de Eucharist. sect. 7. ver. Et hæc quidem,* Fraxinel. *de obligat. sacerd. sect. 3. prænot. 4.* Henriquez *lib. 9. cap. 17. num. 5.* Alphons. de Leone *de offic. Capel. quæst. 7. sect. 7.* Villalob. *par. 1. sum. tract. 8. difficul. 13. num. 5.* Trullench. *lib. 3. de sacrament. cap. 8. dub. 7. num. 7.* Leander. *tract. 8. de sacrament. disp. 3. quæst. 10. ver. Sed probabilius.*

Dicendum est. *Efficaciam sacrificij, & consequenter fructum seu effectum esse finitum intensiuè.* Hoc autem intelligitur de efficacia in ordine ad omnes effectus sacrificij etiam impetrationis. Prob. Tota efficacia sacrificij consistit in applicatione virtutis sacrificij Crucis, & cõmunicatione fructuum ipsius, itavt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1. & 2. de sacrific. Miss.* itavt tanta sit, quanta est virtus applicata, & communicatio fructuum: ergo est finita intensiuè. Conseq prob. Hoc sacrificium applicat solum per partes virtutem sacrificij Crucis, & tantum per partes communicat fructus illius: ergo finito modo, quia pars eò ipso, quod est pars etiam si sit pars infiniti est quid fructum, nam limitatur, vt non sit id, quod important aliæ partes. Quod autem tantum per partes applicet, & communicet virtutem, & fructus sacrificij Crucis, prouenit ex institutione Christi, & hæc institutio desumitur ex eo, quod instituit hoc sacrificium, vt continuò offerendum in Ecclesia vsque ad consummationem sæculi, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1. de sacrif. Miss.* Et ex traditione Apostolica, atque continua praxi Ecclesiæ. Si autem totam virtutem sacrificij Crucis infinito modo applicaret, non deberet iterari, quia semel oblatum sufficeret, sicut sufficit sacrificium Crucis. Vndè etiam Malachias *cap. 1.* prænunciauit, quod hoc sacrificium erat offerendum in omni loco, atque adeò pluries iterandum. 4

Confirm. Virtus sacrificij Crucis non est applicabilis tota simul, & infinito modo, sed tantum per partes: ergo neque hoc sacrificium est applicatiuum illius infinito modo, sed solum per partes, quia non applicat, nisi eo modo, quo est applicabilis. Anteced. prob. Tum quia si esset applicabilis, fuisset applicata à Christo ijs, pro quibus erat applicanda in tempore sequenti. Tum quia nondum sunt nati ij, quibus adhuc est applicanda, & proindè non sunt capaces applicationis. Tum quia viuentes in vno tempore sunt capaces applicationis, & in alio non sunt capaces. Tum quia quoad fructum satisfactionis, & propitiationis supponit indigentiam, quæ modo adest, & modo non adest, & quoad eandem personam adsunt plures indigentiæ interpolatæ, & proindè requirit plures applicationes interpolatas, cum non possit applicari de præsenti pro indigentia, quæ nondum aduenit. 5

Dicendum 2. *Efficaciam sacrificij neque syncathegorematicè esse infinitam intensiuè.* Sequitur ex dictis, quia si applicat virtutem sacrificij Crucis per partes, & finito modo, applicat secundum certam mensuram, itavt non possit maiorem, & maiorem applicare. Prob. Effectus, qui de facto consurgit ex quocunque sacrificio est fructus, & habet determinatam mensuram, 6

suram, vt concedunt etiam Auctores oppositæ sententiæ: ergo efficacia non est infinita syncathegorematicè, ita vt possit maiorem, & maiorem effectum producere. Conseq.prob. Tum quia producit totum, quod potest, cum producat ex opere operato per modum causæ naturalis. Tum quia cum producat effectum determinatum, oportet quod sit determinatum, ad tantùm producendum, vel ex natura sua, vel abextrinseco determinante, & vtroque modo non potest in productione excedere suam determinationem.

7 Dices. Determinari à dispositione subiecti, & proinde de se esse indeterminatum atque adeò posse producere semper maiorem, & maiorem. Contra. Ergo erit determinatum à Christo secundum mensuram dispositionis subiecti: ergo cum dispositio sit semper certa, & determinata, erit determinatum à Christo semper ad certum, & determinatum effectum, cum necesse sit, quod habeat ex vi institutionis, quod producat secundum mensuram dispositionis, præsertim quia dispositio ex se non trahit effectum ratione alicuius exigentiæ: & ideò necesse est, quod aliunde determinetur, vt sit commensuratus dispositioni.

8 Confirm. Si hoc sacrificium posset producere effectum semper maiorem, & maiorem, cum producat applicando virtutem sacrificij Crucis, oporteret, quod in ea applicanda non haberet terminum; nam si haberet, quando ad ipsum perueniret, non posset maiorem producere. Hoc autem non potest esse; tùm quia applicat per partes, vt dictum est, atque adeò finito modo, & cum termino. Tum quia applicat ex opere operato, atque adeò cum mensura, & determinatione. Quia effectus ex opere operato est independens à dispositione subiecti, & sufficit, quod in ipso non reperiat obicem. Tum quia si in applicando non haberet terminum, posset totam simul applicare; nam si non posset, haberet terminum, vltra quem non posset applicare.

9 Dices. Si efficacia esset determinata, non cresceret iuxta mensuram dispositionis, sed esset semper idem effectus. Resp. neg. sequel. Quia ita est determinata, vt tamen habeat operari secundum mensuram dispositionis. Sic etiam baptismus habet suum effectum gratiæ determinatum, quem semper æqualem producit in pueris, & tamen in adultis crescit secundum mensuram dispositionis. Vnde determinatio non tollit, quin effectus crescat ad mensuram dispositionis. Vnde est veluti duplex determinatio: altera independens à dispositione, & altera respiciens dispositionem. Quam indicat Concil. Trident. *sess. 6. cap. 7.* loquens de Baptismo, dum ait, *Iustitiam in nobis recipientes vnusquisque secundum suam mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult.* Et hæc est determinatio independens à dispositione. *Et secundum propriam cuiusque dispositionem*, quæ est mensura, & determinatio dependens à dispositione.

10 Ad fundamentum in oppositum respondetur. Ex infinitate syncathegorematica effectus colligi virtutem infinitam causæ, quando infinitas effectus est in omnini genere, ita vt possit, à omni genere producere alium, & alium; & quando contra id potest ex propria virtute independenter à quocunque. Et ex hoc capite infertur infinitas potentiæ diuinæ, quia si semel in affectu admittitur aliqua finitas, seu determinatio, extra quam sit aliquid aliud possibile, iam effectus non est infinitus syncathegorematicè, & proinde non infert virtutem infinitam actu in causa. Sic si esset possibilis aliquis effectus extra collectionem illorum, qui correspondent diuinæ potentiæ, qui ab ipsa produci non posset, non esset infinita. Effectus autem sacrificij Missæ non habet infinitatem syncathegorematicam, quia extra ipsos sunt alij effectus, qui ab ipso sacrificio prouenire non possunt, & proueniunt à sacrificio Crucis, vt sunt effectus sacramentorum; & ideò non infert efficaciam infinitam in sacrificio. Deinde. Hoc sacrificium non operatur suos effectus independenter ab omni alio, sed dependenter à meritis passionis Christi, & applicando virtutem sacrificij Crucis: vnde habet, quod sit propitiatorium, satisfactorium, & impetratorium, quia Christus ad hunc effectum obtulit sacrificium Crucis. Accedit etiam quod dispositio, iuxta cuius mensuram producit effectum, tanquàm effectus gratiæ, est semper determinata à Deo ad certam mensuram, & ideò sicut ipsa non potest excedere mensuram sibi præfixam, ita nec sacrificium potest excedere determinationem sui effectus.

Ex dictis colligitur cum Ruzeo *lib. 5. de fruct. sacrific. disput. 3. quæst. 1. dub. 3. num. 12.* Efficaciam sacrificij esse limitatam ex institutione Christi, Quia cum consistat in applicatione virtutis sacrificij Crucis, vnde habet, quod sit applicatiuum ipsius, habet etiam, quod applicet secundum hanc vel illam mensuram. Habet autem ex institutione, quod sit applicatiuum virtutis sacrificij Crucis, siquidem, vt habet Concil. Tridentin. *sess. 22. cap. 1. de sacrific. Miss.* Christus reliquit Ecclesiæ sacrificium, quo cruentum Crucis repræsentaretur, & eius virtus in remissionem peccatorum applicaretur. 11

Secundo colligitur cum Isambert. *3. part. quæst. 83. disput. 7. artic. 1. propos. 3.* Fausto *de Eucharist. lib. 2. de sacrific. quæst. 59. vet. Verior tamen.* Suarez *disput. 79. de sacrament. sect. 11. vet. Dico tertiò.* Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disput. 3. dub. 4. num. 93.* & communiter. Fructum sacrificij, prout offertur nomine Ecclesiæ, esse vndequaque finitum quoad omnes effectus, nam in Ecclesia non est fundamentum, vnde aliqua infinitas refundi possit. Vnde si efficacia est finita prout offertur in persona Christi, qui tamen potest in suas actiones refundere dignitatem infinitam, à fortiori efficacia erit finita, prout offertur in persona Ecclesiæ. 12

QVÆSTIO 120.

An efficacia sacrificij sit indeterminata quoad cooferentes immediatè sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Plures offerentes idem sacrificium an percipiant æqualem fructum, ac si vnus tantum offerret.*
2. *Quando plures simul consecrant est idem sacrificium.*
3. *Sacrificij fructus qui ad cooferentes immediatè est syncathegorematicè indeterminans.*
4. *Plures Sacerdotes offerentes idem sacrificium simul percipiunt singuli illum fructum, quem quisque perciperet si solus offerret.*
   Causa applicata pluribus simul subiectis producit in singulis eundem effectum.
5. *Sacerdos offerens pro alio applicat fructum, non sacrificium.*
6. *Offerens sacrificium percipit fructum ratione ministerialis actionis.*
7. *Quando plures offerunt licèt sit vnum sacrificium, sunt tamen plures ministeriales actiones.*

Appropriant singulis sacrificium vt proprium singulorum effectum.

1 Difficultas procedit, quando plures simul offerunt idem sacrificium, vt contingit in Consecratione Episcopi, io Ordinatione Sacerdotum. Cùm enim quisque offerentium participet fructum sacrificij, non ex vi oblationis actiuæ, quia hæc non fructificat, vt suo loco ostensum est, sed ex vi oblationis passiuæ, dubitatur, an idem fructus diuidatur inter omnes, an verò singuli eumdem fructum percipiant, ac si soli offerrent, & proinde fructus sit indeterminatus, seu, vt alij loquuntur, infinitus syncathegorematicè extensiuè, itavt multiplicatur semper, & semper ad multiplicationem offerentium. Quia tamen offerentes semper sunt finiti, nec possunt semper, & semper in infinitum multiplicari, ideò minus propriè quæritur, an efficacia sit infinita syncathegorematicè.

2 Prima sententia negat, esse indeterminatam, & proinde non multiplicari fructum sacrificij. Ita Henriquez *il.9. sum. cap.* 18. *num.* 2. *littera H.* Fundamentum est, quia omnes offerunt idem numero sacrificium; est enim nedum eadem hostia, sed etiam idem sensibile signum, seu symbolum, sub quo offertur, nempe species sacramentales, & proinde actio offerendi, vtporè circa eamdem numero materiam, est vna, quamuis verba consecratiua fiot diuersa: ergo erit etiam idem numero effectus.

3 Secunda sententia asserit, singulos offerentes percipere illum fructum, ac si soli offerrent, & proinde efficaciam esse indeterminatam, seu infinitam syncathegorematicè extensiuè. Ita ij omnes, qui volunt fructum, seu valorem sacrificij esse infinitum extensiuè, quos infrà suo loco referam; & specialiter Suarez *di p.*79. *de sacrament. sect.*12. ver. *Hic verò.* Vasquez 3.*part. disput.*230. *cap.*3. *num.*14. & *disput.*231. *cap.*6. *num.*41. Coninch *de sacrament. quæst.*83. *art.*1. *dub.*10. *num.*187. Axor. *part.*1. *lib.*10. *cap.*21. *q art.*3. Lugo *de Eucharist. disp.* 19. *sect.* ... *num.*252. Filliuc. *tract.*5. *num.*86. Auersa *de Eucharist. quæst.*11. *sect.*9. ver. *Et intelligitur.* Fraxinel. *de obligat Sacerd. sect.*3. *pranot.*4. §.8. & *sect.*6. §. *Sextum argumentum.* Bonac. *disp.*4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.*4. *num.* 2. Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacrament. cap.*4. *quæst.*9 *num.*82. Garzia *in sum. tract.*3. *difficult.*1. *dub.*8. *punct.*2. *n.*15. Isambert. 3.*part. quæst* 83. *disp.*7. *art.*8. ver. *Sit nostra propositio.* Valent. *tom.*4. *disp.*6. *quæst.*11. *punct.*1 §.25. Sotus *lib.*9. *de iustit. & iure, quæst.*2. *art.* 2. *conclu.*3. Amicus *tom.*7. *Curs. Theol. disp.* 33. *sect.*7. *num.*257. Caspens. *tom.*2. *Curs. Theol. tract.*23. *disput.* 2. *sect.*4. *num.*40. Dicastil. *de sacrament. tract.*5. *disp.*3. *dub.*4. *num* 85.

4 Dicendum est. *Quando plures Sacerdotes offerunt idem sacrificium, percipiunt singuli eumdem fructum, quem perciperent, si singuli singula sacrificia offerrent: & proinde efficacia sacrificij quoad offerentes non est determinata, sed potest ad plures, & plures se extendere.* Prob Sacrificium ex vi oblationis actiuæ applicatur ad causandum suom effectum in offerente: ergo causabit eumdem effectum in omnibus offerentibus, quem causaret, si vnus tantum offerret. Anteced. constat, quia oblatio actiua, ab offerente exercita, sicut facit, quod offerat sacrificium, ita etiam facit, quod pro seipso offerat, quia ex vi oblationis trahitur ad participandum fructum sacrificij, tanquam ex vi cuiusdam applicationis, quæ facit, quod sacrificium etiam pro ipso offeratur. Tum quia oblatio actiua facit, quod sacrificium sit proprius effectus ipsius, atque adeò vt talis illi communicat suos effectus. Conseq. prob. Quando causa potest applicari pluribus subiectis, si agat natotali modo, producit in ipsis eumdem effectum, quem produceret in vno solo, & ad multiplicationem subiecti multiplicatur etiam effectus: ergo cum sacrificium agat ex opere operato per modum causæ naturalis applicatum pluribus, producet in singulis eumdem numero effectum, quem produceret in vno solo.

Dices. Sequeretur, quod etiam fructus medius esset idem siue sacrificium applicaretur vni, siue pluribus. Resp. De hoc esse inquirendam in sequentibus. Interim neg. sequel. Quia quando sacrificium applicatur à Sacerdote, non applicatur sacrificiom ad agendum circa eos, quibus applicatur, sed applicatur fructus sacrificij, & ideo non valet argumentum de causa applicata pluribus subiectis, tum non applicetur causa, sed effectus distribuatur. At ex vi actionis oblatiuæ sacrificium, tanquam effectua proprius offerentis remanet applicatum ad causandum suum effectum in offerente. 5

Confir. Ideò Sacerdos offerens percipit suum specialissimum fructum ex sacrificio, quia exercet actionem ministerialem offerendi. Sed tunc singuli Sacerdotes exercent eamdem actionem sufficientem, prout à singulis seorsim, pro confectione sacrificij: ergo singuli percipient suum fructum non secus, ac si singuli seorsim offerrent. Illa enim actio ministerialis, sicuti est ratio, cur Sacerdos percipiet ex sacrificio fructum specialissimum; ita etiam multiplicatio ipsius per diuersos offerentes erit ratio, cur multipliciter proueniat idem fructus ex sacrificio. Nec obstat, quod omnes istæ ministeriales actiones se habeant per modum vnius totalis oblationis; nam adhuc ista totalis oblatio coalescet ex pluribus actionibus ministerialibus realiter distinctis, & propriis in esse exercito singulorum offerentium, quarum singulæ de se sunt sufficientes ad trahendum fructum sacrificij, & appropriandum offerenti, & ideò dum multiplicantur, multiplicantur etiam fructus, quem vnaquæque apta est trahere ex sacrificio. 6

Ad fundamentum in oppositum resp. Qood licet sacrificium sit vnum, & actio totalis offerendi sit vna, quia tamen prouenit à pluribus offerentibus concurrentibus singulis propriis actionibus, quæ singulæ sunt sufficientes pro ponendo sacrificio, ideò sacrificium singulis offerentibus oppropriatur vt effectus proprius ipsorum; atque adeò causat in singulis illum effectum, quem causaret, si vnius esset offerens, quia actio totalis sacrificatiua facit quod sacrificium pro singulis offertur eo modo, ac si offerretur pro vno tantum; nam, cum offeratur per actionem sacrificatiuam, eo ipso, quod à pluribus prouenit, æquiualens est ad offerendum pro ipsis, ac si essent plures actiones circa plura sacrificia. 7

QVÆSTIO 121.

An efficatia sacrifitij se extendat æquè ad paucos, ac ad plures cooperantes sacrificio.

SVMMARIVM.

1. *Punctus difficultatis.*
2. *Cooperantes sacrificio, siue plures, siue pauciores sint percipiunt eumdem fructum seruata proportione.*
3. *Alias quando pauciores audirent Missam minorem fructum perciperent.*
   Si eadem hostia potest sumi à pluribus communicaret pluribus eumdem effectum.
4. *Cooperatio ad sacrificium tradit fructum sacrificij.*
5. *Oblatio in specie pro pluribus cur non faciat communicari effectum multipliciter.*

6. *Sacrifi*

6. *Sacrificium est determinatum ad communicandum suum effectum cooperantibus.*
7. *Oratio sacrificij pro non cooperante quid dicat.*
8. *Cooperantes sacrificio, quotquot sint, percipiunt eumdem fructum ex opere operantis, ac si vnus tantum cooperaretur.*
9. *Si vnus consecret primam speciem, & alias suppleat non multiplicatur fructus offerentium.*
10. *Casus sit iste fractus.*
Quem fructum percipiat primus consecrator.

1 IDem est, ac si quæratur, an cooperantes sacrificio percipiant æqualem fructum, siue sint plures, siue pauciores cooperantes, & difficultas procedit quoad omnes cooperantes quocumque modo cooperentur, siue per ministerium, siue per assistentiam, siue procurando sacrificium offerri, siue quocunque alio modo. Intelligitur autem seruata proportione cooperationis, & habita ratione dispositionis; nam cæteris paribus maiorem fructum percipiunt, qui magis & proximius cooperantur, ideò punctus difficultatis in eo consistit, an fructus minuatur ea eo, quod sint plures cooperatores.

2 Dicendum est. *Efficaciam sacrificij, quoad cooperantes esse indeterminatam, itavt extendi possit cum eodem effectu ad plures, & plures, & proinde eamdem esse fructum seruata proportione quoad omnes, siue sint plures, siue pauciores.* Ita Caiet. 3. *part. quæst.* 79. *artic.* 5. & *tom.* 2. *opuscul. tractat.* 3. *quæst.* 2. Syluester. *verbo* Missa 1. *quæst.* 9. Sotus *in* 4. *distinct.* 11. *quæst.* 2. *art.* 7. ver. *Quæstio est.* & *distinct.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. *post.* 2. *conclus.* ver. *Alij verò sunt.* Canus *lib.* 12. *de locis theol. cap.* 13. *ad* 10. Suarez *disput.* 79. *de sacrament. sect.* 12. *dicto* 2. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 41. *art.* 20. Coninch. *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 10. *num.* 189. Cardin. Lugo *disp.* 19. *de Eucharist. sect.....num.* 252. Filliuc. *tract.* 5. *num.* 86. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 9. ver. *Et intelligitur.* Isambert. 3. *part. quæst.* 83. *disput.* 7. *art.* 8. *propos.* 1. Francisc. Logo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 4. *quæst.* 9. *num.* 82. Vasquez 3. *part. disput.* 231. *cap.* 6. *num.* 41. Fraxinel. *de obligat. Sacerd. sect.* 3. *prenot.* 4 §. 8. & *sect.* 6. §. *Sextum argumentum.* Bonac. *disp.* 4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.* 4. *num. vltim.* Garçia *in sum. tract.* 3. *difficult.* 1. *dub.* 8. *punct.* 2. *num.* 15. Valeot. *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 11. *punct.* 1. §. 25. Reginald. *lib.* 29. *Praxis cap.* 9. *sect.* 2. *num.* 157. Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disput.* 2. *dub.* 5. *num.* 108. Palaus *part.* 4. *tractat.* 22. *disp. vnic. punct.* 6. *num.* 12. Marchio. *de sacrament. Ordin. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 13. *num.* 17. Et ij, qui volunt sacrificij valorem esse infinitum extensiuè.

3 Prob. communiter ab inconuenienti. Quia, si non multiplicaretur fructus ad multiplicationem eorum, qui cooperantur oblationi, sed efficacia esset determinata ad certam mensuram, quò plures audirent Missam, eò minorem fructum perciperent, quia eadem portio fructus in plures diuideretur. Quod est absurdum, quia ex plurium concursu oblatio non fit minùs grata, & acceptabilis Deo, imò magis, quia multiplicatur obsequium erga Deum multiplicatione offerentium. Confirm. Si eadem hostia consecrata posset sumi à pluribus, in omnibus causaret eumdem effectum, non autem idem effectus in plures diuideretur, quia multiplicaretur sumptio, & idem cibus, ab omnibus sumeretur: Ergo cum idem sacrificium offeratur pro pluribus, quorum singuli habent respectu ipsius propriam cooperationem, multiplicabitur effectus iuxta multiplicationem cooperationis.

4 Ratio autem à priori est. Quia sacrificium habet efficaciam ad communicandum fructum cooperantibus, quatenus speciali modo pro ipsis offertur; & in tantùm speciali modo pro ipsis offertur, in quantum interuenit eorumdem cooperatio, itavt cooperatio sit ratio determinans oblationem, vt speciali modo se habeat: ergo quot sunt cooperationes, tot sunt determinationes efficaciæ sacrificij ad specialem modum oblationis: ergo tot erunt effectus, quot sunt determinationes, quia stante oblatione Sacerdotis pro cooperantibus, ex his determinationibus per cooperationem applicatur singulariter sacrificium ad fructificandum cooperanti, & cum sint plures cooperationes, consurgunt plures fructificationes, quia multiplicatur determinatio virtutis fructificatiuæ sacrificij. Est enim determinatum ad fructificandum cooperanti tanquàm suo modo effectus cooperantis, & ideò ex qualibet cooperatione trahitur independenter ab alio ad fructificandum cooperanti.

Dices. Ergo si Sacerdos singulariter & in specie applicet pluribus sacrificium, multiplicabitur effectus, quia talis specialis applicatio determinabit ad specialem effectum, & proinde multiplicabitur effectus. Resp. neg. sequel. Quia Sacerdos applicans sacrificium, seu offerens pro aliquo disponit de fructu, qui consurgit ex sacrificio, quem applicat illi, pro quo offert, & non facit, quod sacrificium sit operatio illius, pro quo offert, & ideò non debet fructificare vt operatio propria illius, pro quo offertur, cum ex hoc capite se habeat tantùm passiuè. At quando quis cooperetur, sacrificium fit suo modo proprium ipsius, & ideò stante oblatione Sacerdotis, quæ est debita ex natura sacrificij, siquidem exigit offerri pro cooperantibus tanquam participantibus in oblatione, sacrificium debet fructificare tanquam operatio propria cooperantis, atque adeò communicare totum illum fructum, quem communicaret, si non esset alius cooperans, quia communicat secundum determinationem cooperationis trahentis oblationem. 5

Confirm. Eadem causa applicata pluribus subiectis, producit in ipsis eumdem effectum, & multiplicatur ad multiplicationem subiectum, quia scilicet omnia sunt intra sphetam actiuitatis causæ, quæ proinde se extendit ea natura sua ad omnia illa subiecta: ergo dum sacrificium offertur pro omnibus cooperantibus, applicantur ad producendum in ipsis suum effectum, & proinde multiplicabitur ad ipsorum multiplicationem, quia omnes sunt intra spheram actiuitatis ipsius. Est enim determinatum ad communicandum suum effectum cooperatoribus tanquam consurgens ea ipsorum cooperatione, & proinde ipsis fructificans, sicut vnicuique fructificat operatio propria. Et ideò cooperatio extendit spheram actiuitatis, vt tanta sit, quanta est ipsa cooperatio. Quòd non contingit, quando Sacerdos applicat fructum medium, pluribus, quia tunc, deficiente cooperatione illorum, non extenditur sphera actiuitatis sacrificij, quia sicut applicatio non facit, quod sacrificium sit effectus illorum, ita neque facit, quod debeat communicare ipsis fructum tanquam ex illorum influxu prouenientem, atque adeò multiplicatum. 6

Confirm. 2. Oblatio sacrificij pro non cooperante, sed tantùm præcisè se habente, non est determinatio sacrificij ad exercendum efficaciam circa ipsum, sed solum distributio fructus, qui consurgit ea sacrificio; & ratio est, quia per hanc oblationem sacrificium non appropriatur ipsi, sed tantùm appropriatur fructus, & ideò non exercet circa ipsum suam efficaciam, sed tantùm communicat fructum ea determinatione offerentis. At quando offertur pro cooperantibus ea cooperatione determinatur ad exercendam 7

exercendam circa ipſos ſuam efficaciam, quia tunc debet exercere vt effectus ipſorum, & ideò tanquàm ſe applicatum pluribus ſubiectis multiplicat in ipſis ſuum effectum.

8 Ex dictis colligitur cum Submetone *tom.9. tr.33. intra med. propoſ.* 2. quem citat, & ſequitur Dicaſtil. *tractat. 5. de ſacrament. diſput. 3. dub. 5. num.* 110. Coofferentes, & cooperantes ſacrificio, quotquot ſint, percipere eumdum fructum cæteris patibus ex opere operantis, quem perciperent, ſi eſſent pauci, aut vnus tantùm; itavt vnus non impediat, aut minuat fructum alterius. Ratio eſt, quia fructus ex opere operantis fundatur in actione oblationis, quatenus propria vniuſcuiuſque coofferentis, aut cooperantis, & prouenit ea ipſius honeſtate, & bonitate. Sicuti autem actio coofferentis, aut cooperantis, multiplicatur, ita etiam multiplicatur fructus in ipſa fundatus.

9 Secundo colligitur cum Henriquez *lib. 9. ſum. cap.*18. *num.*2. Suarez *diſput.79.de ſacrament.ſect.*12. *dicto* 1. ver. *Sed tum occurrit.* Quod ſi contingat Sacerdotem conſecrare primam ſpeciem, & non poſſe proſequi, ſed alium ſupplere conſecrando ſecundum, non multiplicari fructum ea opere operato quoad hos duos offerentes, quia non ſunt duo adæquati offerentes, ſed vnicus, ſiquidem vtriuſque actio requiritur ad adæquandam oblationem ſacrificij. Cùm enim ſacrificium requirat eſſentialiter, conſecrationem vtriuſque ſpeciei, non completur, niſi per conſecrationem ſecundæ, & ideò vtriuſque conſecratio; quamuis à duplici miniſtro eſt vna tantùm oblatio adæquata, quæ proinde vnicum tantùm fructum ex opere operato fundare poteſt.

10 Et quamuis videatur, quod iſte fructus ſit diuidendus inter ipſos, cum vterque partialiter exerceat actionem offerendi, attamen probabilius eſt, quod pertineat tantùm ad conſecrantem ſecundam ſpeciem, quia tunc ſolùm completur ſacrificium, atque adeò tunc ſolùm producit ſuum fructum. Vnde illa poſterioris ſpeciei conſecratio tanquàm attingens ſacrificium completum trahit ipſum ad operandum ſuum effectum in conſecrante, quia ſecundum eſſe completum eſt effectus ipſius. Conſecratur tamen primæ ſpeciei percipiet ſpecialem fructum tanquàm principaliſſimus cooperator, quia erit miniſter quoad partem eſſentialem ſacrificij. Rurſus vterque conſecrator percipiet fructum ex opere operantis correſpondentem propriæ actioni, ſeu partiali conſecrationi, quia de ſe eſt ſufficiens ad ipſum fundandum vna independenter ab alia, cùm habeat ſibi intrinſecam propriam honeſtatem independenter ab alia.

QVÆSTIO 122.

An efficacia ſacrificij ſit infinita extenſiuè, ſeu indeterminata quoad fructum generaliſſimum.

SVMMARIVM.

1. *Fructus generaliſſimus ſacrificij an minuatur quò plures ſunt participantes.*
2. *Sacrificium communicare eumdem fructum generaliſſimus, ſiue plures, ſiue pauciores participent.*
3. *Sacrificium ex ſua inſtitutione eſt habile, vt offeratur pro omnibus fidelibus.*
4. *Ex determinatione Chriſti ſacrificium communicat omnibus fidelibus, eumdem fructum, ſiue plures, ſiue pauciores ſint.*
5. *Maior numerus fidelium auget fructum ſacrificij, non minuit apud Chriſtum.*
6. *Fructus generaliſſimus ſacrificij non conſtat vnica menſura, ſed tot portionibus, quod ſunt fideles.*

Prima ſententia negat, eſſe infinitam extenſiuè, & proinde fideles ea vi generalis oblationis, aut nullum fructum præter impetrationem accipere, aut eò minorem quò plures ſunt. Ita qui negant abſolutè infinitatem valoris ſacrificij extenſiuam, & ſpecialiter Sotus *lib. 9. de Iuſtit. & iure, quæſt.2.art.2. ad* 3. Henriquez *lib. 9 ſum. cap.* 20. *num.* 3. Suarez *diſput. 79. de ſacrament. ſect.*12. *in fine.* Ruteus *lib.*1. *de fructu ſacrific. diſput.* 3. *quæſt.* 1. *dub.* 4. *num.* 22. Fundamentum huius ſententiæ eſt. Quia ſacrificij fructus conſtat certis gradibus, & menſura iuxta inſtitutionem Chriſti: ergo quò pluribus communicatur, eò minor euadit. 1

Secunda ſententia aſſerit, eſſe infinitam extenſiuè, ſeu producere in omnibus eumdem fructum ſiue in exiguo, ſiue in magno numero ſint fideles, qui participant fructum generaliſſimum. Ita ij, qui abſolutè docent, valorem ſacrificij eſſe infinitum extenſiuè præſertim Caiet. *tom.* 2. *opuſcul. tractat.* 3. *quæſt.* 2. §. *Et confirmatur.* Sotus *in* 4. *diſtinct.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 1. *concluſ.* 2. Corduba *in quæſt. lib.* 1. *quæſt.* 3. *opinion.*5. *concluſ.*3. ver. *Tertiò principaliter.* Nauarr. *cap.*25. *Manual. num.* 121. ver. *Arbitror autem.* Valent. *tom.* 4. *diſput.* 6. *quæſt.* 11. *punct.* 1. *quæſtiunc.* 5. §. 25. *in fine.* Petrus Nauarr. *lib.* 2. *de reſtitut. cap.* 2. *num.* 268. Nugn. 3. *part. quæſt.* 83. *artic.* 1. *part.* 3. *dub.* 8. *concluſ.* 3. Montagnol. *de valore Miſſ. cap.* 3. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 85. *art.* 3. Beia *part.* 1. *Caſu* 12. Fraxinel. *de obligat. Sacerdot. &c. ſect.* 3. *punct.* 4. §. 7. Filliuc. *tract.*5. *cap.*3. *quæſt.*10. *num.*89. Scortia *lib.* 1. *de ſacrific. Miſſ. cap.* 9. Molfeſ. *part.* 1. *ſum.cap.*15 *num.*25. Garcia *in ſum.tract.*3. *difficult.*1.*dub.*8 *punct.*2.*num.*15. & alij cum D.Thom. *in* 4.*diſt.*41.*quæſt.*2.*art.*4.*quæſtiunc.*2. 2

Dicendum eſt. *Sacrificium Miſſæ quoad fructum generaliſſimum habere talem efficaciam, vt omnibus fidelibus communiter eumdem fructum, ſiue pauciores, ſiue plures, & proinde non minuatur reſpectu vnius ex aliorum conſortio.* Prob. Sacrificium offertur ſemper pro omnibus fidelibus, ſeu pro tota Eccleſia, ſiue ex inſtitutione Chriſti, vt dictum eſt in ſuperioribus, ſiue ex inſtitutione Eccleſiæ, vt alij volunt: ergo ex natura ſua aptum eſt, vt offeratur pro omnibus, & ſingulis membris Eccleſiæ, quia ſi offertur ea inſtitutione Chriſti, iam ex eius ordinatione habet, quod offeratur. Si verò hoc offertur ex inſtitutione Eccleſiæ, cum abſit factum ab initio naſcentis Eccleſiæ, vt conſtat ea Lyturgia D. Iacobi Apoſtoli, & aliis illius temporis, oportet quod Apoſtoli acceperint à Chriſto, quod ſacrificium eſſet habile, quod offerretur ſimul pro omnibus, & ſingulis membris Eccleſiæ, ſiquidem illud offerebant ſecundum inſtitutionem Chriſti: ergo ſacrificium aptum eſt producere ſimul, in omnibus & ſingulis membris Eccleſiæ ſuum fructum, itavt produeat in vnoquoque independenter ab aliis; quia productio conſequitur oblationem, & qualis eſt habilitas ad offerri, talis eſt etiam habilitas ad producendum: ergo in omnibus, & ſingulis producet ſemper eumdem fructum ſiue pauci ſint, ſiue plures. Conſeq. hæc prob. Quia ſtante habilitate, vt offeratur pro omnibus, & ſingulis habet latitudinem extenſiuam, per quam ſe extendit ad omnes, & ſingulos tanquàm contentos intra terminos ſuæ actiuitatis, ad quos poſſit ſimul extendere ſuam efficaciam, 3

efficaciam, atque adeò ita illam exercebit circa vnum, vt simul etiam exerceat circa omoes alios; & ita circa singulos, vt exerceat circa vuumquemque independeuter ab aliis. Præsertim quia non offertur pro omnibus vti singulis, sed vti vnum corpus sunt, atque adeò quatenus communicant in corpore Ecclesiæ: & proinde fructus peruenit ad ipsos ratione huius communicatioois, quæ cum sit omnibus commuois trahit ad singulos æqualiter fructum sacrificij siue plures, siue pauciores sint. Et se habebit sicut causa naturalis, quæ exercet suam efficaciam, & producet eumdem effectum in omnibus subiectis applicatis intra sphæram actiuitatis ipsius, & semper eumdem effectum siue plura, siue pauciora subiecta sint applicata.

4 Confir. Potuit Christus ita instituere hoc sacrificium, vt oblatum pro Ecclesia, & eius membris singulis semper eodem modo perficeret, siue essent plures, siue pauciores determioando mensuram fructus vnicuique semper communicandam: ergo ita instituit. Conseq. prob. Quia si ipse ordinauit offerri pro Ecclesia, & eius membris, determinauit etiam fructum singulis conferendum, cum hoc veniat in consequentiam ad determinationem oblationis. Si verò ipse non determinauit, sed solum instituit sacrificium habile, vt offerretur, & reliquit determinationem Ecclesiæ, iam determinauit fructum singulis conferendum accedente determinatione Ecclesiæ siue plurimi essent, siue pauci.

5 Confir. 2. Sacrificium secundum traditionem Apostolorum offertur pro tota Ecclesia, & eius membris siue hæc institutio proueniat à Christo, siue ab ipsa Ecclesia; & siue hæc membra sint io maiori, siue in minori numero: ergo cum Ecclesia non possit errare in modo offerendi sacrificium, eum saltem ex instructione Christi inceperit ita offerri, dicendum est, quod fuerit ita institutum, vt posset offerri pro omnibus membris siue in maiori, siue in minori numero reperiantur: ergo cum sacrificium non producat fructum suum, nisi secundum determioationem Christi, oportet, quod Christus determinauerit, quod producat pro omnibus membris siue sint io maiori, siue sint in minori numero: ergo determinauit, quod producat, aut vnam certam portiooem diuidendam inter omnes, aut pro singulis suam propriam proportionem, quæ semper stabilis maneat in quocunque oumero sint fideles, cum nullo alio modo potuerit determinare. Primo autem modo non potuit determinare, quia maior numerus fidelium, qui sunt membra suæ sponsæ Ecclesiæ, non potuit esse motiuum, vt ipsis minorem fructum decerneret, cum maior numerus reddat Ecclesiam magis Deo acceptam. Tum quia, cum pro singulis esset offerendum sacrificium, determinatio fuit facta in ordine ad singulos, oon autem determinata fuit certa portio fructus diuidenda inter singulos: noo est autem verisimile, quod Christus minorem fructum pro singulis determinauerit, quando futuri fuerunt plures fideles in Ecclesia: Tum quia cum instituerit sacrificium, vt produceret fructum ex opere operato, debuit determinare eius efficaciam, vt semper eodem modo, quantum est de se, operaretur, itavt augeretur stante minore numero fidelium, & non minueretur stante maiori numero.

6 Ad fundamentum in oppositum resp. Sacrificij fructum constare certis gradibus, & mensura quoad intensionem, si loquamur de medio, seu generalissimo. Noo autem secundum extensionem, sed generalissimum habère tot gradus, seu portiones, & mensuras, quod sunt fideles capaces, pro quibus offertur; quia cum ex institutione sua habeat, quod offeratur pro toto corpore Ecclesiæ, atque adeò pro fidelibus, quatenus sunt membra huius corporis, debuit fructus determinari, vt esset æqualis semper pro omnibus, quia cum omnes sint æquales in eo, quod sint membra Ecclesiæ, suot etiam æquales in exigentia participationis fructus sacrificij, & iure ad ipsum. Hoc autem fieri non potuit, nisi its determinaretur, vt singulis proueoiret eadem portio, siue essent in maiori numero, siue in minori.

QVÆSTIO 123.

An efficacia sacrificij sit indeterminata, seu infinita extensiuè quoad fructum medium.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium an habeat eamdem efficaciam, si pro pluribus, & pluribus offeratur.*
2. *Sacramentum si pluribus, & pluribus posset applicari produceret in omnibus eumdem effectum.*
3. *Sacrificium pro pluribus applicatur minorem singulis confert fructum.*
4. *Efficacia sacrificij est finita extensiuè.*
   Fructus specialis ideo finitus, quia sub dispositione Sacerdotis.
5. *Fructus specialis esset generalissimus, si tantus esset applicatus pluribus, ac vni tantum.*
6. *Sacrificium diuerso modo producit suum effectum, ac sacramentum.*
7. *Efficacia sacrificij consideratur independenter à dispositione.*
8. *Sacrificium diuerso modo communicat suos effectus ac sacrificium Crucis.*
9. *Quando vna aspersione plures baptizantur, aut absolutione absoluuntur, sunt plura sacramenta.*
10. *Explicatur Cap.* Non mediocriter, de Consecrat. dist. 5.
    In oratione non attenditur quantitas, sed qualitas.
11. *Cur sacrificium possit pluribus applicari.*

PRima sententia asserit, esse iofinitam extensiuè, itavt si offeratur pro pluribus in infinitum, semper retineat eamdem efficaciam. Ita Caiet. *tom.* 2. *Opusc. tract.* 3. *qu.* 2. & 3. *part. quæst.* 79. *art.* 5. Aogelus *verbo* Missa, *num.* 52. Syluester *verbo* Missa, *in quæst.* 9. Petrus Sotus *lect.* 7. *de Eucharist.* Canus *lib.* 12. *de locis Theol. cap.* 13. *ad* 10. Vigoèr. *cap.* 16. *Theol. instit.* §. 3. *vers.* 16. Corduba *in quæst. lib.* 1. *quæst.* 3. *opin.* 5. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 19. *n.* 3. *in Can. littera* O. Vasquez 3. *part. disp.* 230. *cap.* 3. *num.* 15. Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp.* 3. *de sacrific. Miss. difficul.* 8. Mootagnol. *de valor. sacrif. Miss. cap.* 3. Ledesma *part.* 1. *sum. tract. de Eucharist. disp.* 17. *conclus. vlt.* Petr. Nauar. *lib.* 2. *de rest. cap.* 2. *num.* 268. Peiriu. *de priuil. ad constit.* 5. *Iulij II. num.* 15. Nugn. 3. *part. quæst.* 88. *art.* 1. *part.* 3. *de sacrif. Miss. dub.* 7. Beia *part.* 1. *cas. conscien. casu* 12. Comitol. *lib.* 1. *resp. moral. quæst.* 42. *n.* 21. Marchin. *de ordine, tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 13. *num.* 9. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disp. vn. punct.* 6. *num.* 11. Cbelissou. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 10. Ruard. *art.* 16. *contra Luther.* §. *Certum est.* Leaoder *tract.* 8. *de sacram. disp.* 3. *qu.* 11. ver. *Sed probabilius.* Pro hac seotentia citatur D.Th. præsertim à Matehino citato: sed loca quæ afferunt non iuuant, quia ex ipsis solum colligitur, quod sacrificij virtus, quantum est de se, sufficeret semper pro satisfactione pro maiori, & maiori pœua; non autem colligitur, quod ita institutum sit, vt de facto sufficiat, imò oppositum colligitur, dum habet, quod non relaxat totam pœnam, ex quo patet, quod tribuit ipsi effectum limitatum. 1

Prob. Si idem sacramentum posset recipi à pluribus, 2

bus, & ploribus in infinitum produceret in omnibus eumdem effectum, quem produceret, si ab vno tantum reciperetur: ergo cum sacrificium possit applicari pluribus, & pluribus in infinitum, producet ipsi eumdem fructum, quem produceret, si vni tantum applicaretur. Secundò. Hoc sacrificium pro vno tantum oblatum non habet effectum determinatum, sed magis, vel minus prodest secundum mensuram dispositionis ipsius: ergo pro pluribus oblatum proderit omnibus secondum mensuram dispositionis ipsorũ, itavt nullus aliquid deperdat ex eo, quod sacrificium alteri applicetur. Tertiò. Hoc sacrificium est instrumentum, quò meritò, & satisfactiones Christi applicantur: ergo, cum sint infinitæ, ita applicabuntur multis, ac si vni tantum applicentur. Quartò. Hoc sacrificium est idem cum sacrificio Crucis, & solum differt in ratione offerendi, vt habet Conc. Trid. *sess. 22. cap. 2. de sacrif. Miss.* Ergo cum sacrificium Crucis habuerit efficaciam infinitam extensiuè, & profuerit pluribus, & pluribus in infinitum, etiam hoc sacrificium erit huiusmodi. Quintò. Idem baptismus eadem absolutio pluribus impensa, vt contingit tempore naufragij sortitur in singulis suum effectum, ac si vni tantum impenderetur: ergo etiam idem sacrificium pluribus applicatum. Sextò. Ex D. Hieron. relato in Cap. *Non mediocriter, de consecrat. dist. 5.* Cum pro cunctis animabus Psalmus, vel Missa dicitur, nihil minus, quàm si pro vno quolibet ipsorum diceretur, accipitur. Septimò. Sacrificium habet ex natura sua, vt possit pro pluribus, & pluribus offerri: ergo eumdem fructum communicabit omnibus, & singulis, ac si pro vno tantum offerretur.

3 Secunda sententia negat, efficaciam sacrificij esse infinitam extensiuè, sed quò pluribus, applicatur sacrificium, eò minorem singulis fructum communicare. Ita D. Th. *in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 4. quæst. 3. ad 2.* D. Bonau. *art. 2. quæst. 3.* Durand. *quæst. 3. ad 3.* Richar. *art. 2. quæst. 2.* Palud. *quæst. item 2. art. 2.* Gabr. *lect. 27. in Can. Miss.* Scot. *quodlib. 20. art. 2. ver. De tertiò autem.* Adrian. *quodlib 8. art. 3.* Sotus *lib. 9. de iust. & iure, q. 1. art. 2. conclus. 2. & 3.* & in *Retract. in 4. dist. 50. in fine.* Medina *Cod. de Orat. tract. 6. q. 20.* Nauar. *in Manual. cap. 25. n. 111. ver. Arbitror autem.* Henriq. *lib. 9. sum. cap. 19. num. 5. & 8* & *cap. 20. n. 5. in fin.* Valent. *tom. 4. disp. 6. quæst. 11. punct. 1. quæst. 5. §. 25.* Azor. *part. 1. lib. 10. quæst. 9. ver. Quoad primum.* Suarez *disp. 79. de sacram. sect. 12. dict. 2.* Fraxinel. *de oblig. Sacerd. sect. 3. prænot. 4. §. 5.* Miranda *tom. 1. Manual. quæst. 41. art. 20.* Bellarm. *lib. 2. de Missa, cap. 4.* Coninch *de sacram. qu. 83. art. 1. dub. 10. n. 191.* Reginal. *lib. 9. praxis, num. 157.* Filliuc. *tract. 5. cap. 3. quæst. 10. n. 89.* Bonac. *disp. 4. de sacram. quæst. vlt. punct. 5. n. 6.* Angles *in Florib. part. 1. quæst. de valore Miss. art. 2. concl. 2.* Salmer. *tom. 9. tr. 31. obiect. 5.* Scortia *lib. 1. de sacrif. Miss. cap. 9.* Barthol. ab Angelo *in Exam. confess. Dial. 5. §. 731.* Clarus *3. par. Method. §. 17.* Facundez *precept. 1. Eccl. lib. 3. cap. 8. n. 10.* Lugo Card. *disp. 19. de Euchar. sect. 12. n. 146.* Arcad. *de sacr. lib. 3. de Euchar. cap. 18.* Præposit. *3. part. quæst. 83. art. 1. dub. 7.* Mercer. *ibid.* Auersa *quæst. 11. de Euchar. sect. 7. ver. Et hæc quidem.* Molfes. *par. 1 sum. tract. 3. c. 55. n. 24.* Baunius *part. 1. Theol. moral. tract. 10. qu. 9. §. Quod si.* Ludouic. à S. Io. *par. 1. sum. qu. 10. de Euchar. in Addit. art. 1. dub. 1.* Granad. *3. par. controu. 6. tr. 14. disp. 4. sect. 4. n. 23.* Alphons. de Leone *de offic. Capel. qu. 7. sect. 7.* Barbosa *ad cap. Non mediocriter, de consecr. dist. 5.* vbi alios citat. Becan. *de Euchar. cap. 25. quæst. 17.* Garcia *in sum. tract. 3. de Eucharist. difficul. 1. dub. 8. punct. 2. num. 24.* Lessius *de sacram. quæst. 83. dub. 16. num. 56.* Putean. *3. part. quæst. 83. dub. 7. concl. 3.* Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disp. 33. sect. 7. n. 259.* Caspens. *par. 1. Curs. Theol. tract. 23. disp. 2. sect. 4. n. 34. & seq.* Mærat. *tom. 3. sum. disp. 40. de Eucharist. sect. 1. & 2.* Trullench *de sacram. lib. 3. cap. 8. dub. 7. num. 7.* Villalob. *par. 1. sum. tract. 8. difficul. 13. num. 5. & 6.* Isambert. *3. part. quæst. 83. art. 9. & 10.* Layman. *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. cap. 1. num. 9.* Alan. *lib. 2. de sacrif. Miss. cap. 34. & 35.* Ledesma *4. par. qu. 16. art. 14.* Dicastil. *de sacram. tract. 5. disp. 3. dub. 5. n. 113.* Tannet. *tom. 4. disp. 5. qu. 9. dub. 4. n. 106.*

4 Dicendum est. *Efficaciam sacrificij quoad fructum medium, seu fructum applicabilem à Sacerdote esse determinatam, seu finitam extensiuè, itavt quò magis extenditur, eò magis minuatur.* Prob. Fructus medius est ita institutus à Christo, vt remaneat sub libera dispositione Sacerdotis, atque adeò possit applicare, vt libuerit, siue vni, siue pluribus: ergo non est infinitus syncathegorematicè extensiuè, seu eum est talis ex institutione, vt sine diminutione possit pluribus, & pluribus applicari. Conseq. prob. Si iste fructus posset pluribus, & pluribus applicari sine diminutione, non adesset ratio, cur semper tot, & non pluribus posset applicari, cum non sit notificatus aliquis terminus: ergo posset omnibus, in quocumque numero sint, applicari: ergo esset fructus generalissimus, & non specialis relictus sub dispositione Sacerdotis, siquidem esset fructus institutus æqualiter pro omnibus. Rursus dum Sacerdos non applicaret omnibus fructum institutum pro omnibus, non offerret sacrificium secundum mensuram institutionis ipsius: Insuper totus hic fructus est sub libera dispositione Sacerdotis ex sua institutione: ergo dum applicat vni tantum, totum applicat, quia totum id applicat, quod est sub libera dispositione sua: ergo dum applicat pluribus, non applicat totum singulis, sed diuidit, itavt, quod vni tantum applicare posset, diuidat inter singulos, quibus applicat; & proinde quò pluribus applicat, eò magis minuatur.

5 Confir. Fructus medius in tantum est medius, in quantum nulli est addictus ex institutione sacrificij ad differentiam fructus specialissimi, qui est addictus Sacerdoti, & fructus generalissimi, qui est omnibus communis; & proinde de se non est vniuersalis, sicut generalissimus, nec personalis sicut specialissimus: ergo non fundatur in eo, quod Sacerdos possit applicare sacrificium pro pluribus, & pluribus in infinitum, quia si fundaretur, esset ex institutione fructus vniuersalis, sed in eo, quod sacrificium producat certam portionem fructus relictam liberæ dispositioni Sacerdoti, quæ & vni tantum, & pluribus communicari possit, & proinde nec sit vniuersalis, nec personalis; ergo quando applicatur sacrificium quoad fructum medium, cum applicatur, nisi ad producendam illam portionem, quam dicit fructus medius, seu potius applicatur esse fructus medius, & diuiditur in partes, quando pluribus applicatur.

6 Ad 1. in opposit. resp. Quod si idem sacramentum esset applicabile pluribus, & pluribus in infinitum, esset institutum cum tali applicabilitate, atque adeò potens in omnibus, & singulis producere eumdem effectum. Quia tamen de facto est institutum, vt vni tantum applicari possit, ideò etiam est institutum, vt in vno tantum producat suum effectum. At sacrificium quoad fructum medium non est institutum, vt possit indiuisibiliter pluribus, & pluribus in infinitum applicari, quia hoc habet quoad fructum generalissimum; sed solum, quod possit applicari secundum vnam, & eamdem portionem fructus, quæ proinde diuiditur, dum pluribus applicatur. Rursus sacramenta producunt suos effectus ratione immediatæ applicationis secundum seipsa ad subiectum, & ideò si idem sacramentum pluribus applicaretur, se haberet vt eadem causa applicata pluribus subiectis: vnde in vnoquoque æqualiter operaretur. At sacrificium non est ex natura sua applicatum per seipsum immediatè ad communicandum suum fructum medium iis, qui-

bus

bus applicatur, sicut est applicatum fructum generalissimum, & specialissimus, sed applicatur ab extrinseco, nempe voluntate Sacerdotis, & ideò non exercet suam efficaciam ex natura sua immediatè circa subiectum, sed producit fructum independenter à determinato subiecto, & relinquit Sacerdoti determinationem, quæ cadit supra ipsum fructum, & proinda diuidit, si pluribus applicet. Vnde deficiente determinatione Sacerdotis in nullo subiecto producit.

7 Ad 2. neg. conseq. quoad secundam partem, quæ non infertur ex antecedenti. Nam cum sacrificio consideratur efficacia quoad fructum independentem à dispositione, & quoad fructum dependentem à dispositione. Ex eo, quod producat maiorem fructum secundum mensuram dispositionis fit, quod in vnoquoque producat, cui applicatur sacrificium secundum mensuram eiusdem dispositionis. Efficacia autem quoad fructum independentem à dispositione minuitur eò magis, quo pluribus applicatur. Et ideò hic fructus erit æqualis in omnibus, sed eò minor, quò plures ipsum participant; & ideò fieri potest, quod vnus maiorem altero fructum percipiat, quia sit melius dispositus, quia independẽter à dispositione æqualem percipiet, & maiorem ratione dispositionis.

8 Ad 3. neg. conseq. Quia hoc sacrificium applicat fructum, & satisfactiones passionis Christi secundum mensuram ab eodem Christo institutam, quæ, vt dictum est, quoad fructum medium est determinata. Ad 4. Hoc sacrificium esse idem cùm sacrificio Crucis quoad substantiam, non autem quoad modum communicationis fructus præsertim medij. Quia sacrificium Crucis fuit oblatum generaliter pro omnibus absque determinata applicatione sui fructus, qui posteà erat applicandus mediantibus sacramentis, sacrificio, & cooperationibus nostris. Sacrificium autem hoc determinatè applicat, & quoad fructum medium non est vniuersale, sicut fuit sacrificium Crucis, & ideò dicit solum certam portionem applicandam à Sacerdote.

9 Ad 5. neg. anteced. Quia quando vna aspersione plures baptizantur, aut vnica absolutione plures absoluuntur tot sunt sacramenta quod sunt baptizati, & absoluti. Nã in baptismo multiplicatur materia proxima, & remota nempe aqua, quæ diuiditur in plures portiones, & oblatio, qua quisque baptizatorum abluitur & etiam forma, quia non profertur in plurali æquiualet pluribus singularibus. Sic etiam in confessione ex parte pœnitentum multiplicatur materia remota, nempe peccata; & proxima nempe dolor, & confessio. Et similiter non forma profertur in plurali æquiualet pluribus singularibus, præsertim, quia non sortitur effectum, nisi prout passiuo modo se habet cadens supra absoluendum, & coniuncta cum materia. Hoc autem non contingit in sacrificio pluribus applicato, nam semper est idem.

10 Ad 6. Auctoritatem relatam in cap. *Non mediocriter. De consecrat. dist. 5.* non esse D. Hieronymi, sed Lupi de Oliueto *in Regula Monach.* collecta ex scriptis D. Hieron. *cap. de Contemplat. orat. & lect.* quæ ponitur inter opera D. Hieronymi *in tom. vlt.* Et hoc sufficeret ad ordinandam totam auctoritatem. Attamen addendum est, quod in dicto loco solum habentur hæc verba, *Melior est septem Psalmorum decantatio, cum puritate, & serenitate, & spiritali hilaritate, quam totius Psalterij modulatio cum anxietate cordis & tristitia.* Cætera autem, quæ subduntur in dicto cap. *Non mediocriter;* nempe, *Dum igitur pro cunctis animabus Psalmus, vel Missa dicitur, nihil minus, quàm si pro vno quolibet ipsorum diceretur. accipitur.* Non habentur in dicto tractatu, sed sunt addita à Gratiano, & non faciunt ad rem, de qua in præcedentibus, in quibus scopus est ostendere, quod non multitudo orationis pensanda est, sed qualitas, quàm trahit ex corde. Vnde antea dictus Lupus de Oliueto dixerat, *Sed numquid verborum multitudine flecti Deus, vt homo, potest? Non enim verbis, sed corde orandus est Deus.* Et continent etiam improbabilia, dum quod tribuunt Missæ, tribuunt etiam Psalmo. Licèt enim verum esset, quod Missa dicta pro pluribus æquè proficeret, ac si pro vno tantùm diceretur, hoc tamen de Psalmo apertè falsum est, quia non proficit, nisi ex opere operantis, & quatenus opus pœnale habet vim satisfaciendi finitam intensiuè, & extensiuè, & minus proficit, quò pluribus applicatur. Et etiam qui recitat, minus percipit, quàm perciperet, si plures recitaret, quia exerceret opus minùs pœnale.

Ad 7. neg. conseq. Quia in tantum sacrificium 11
habet, quod pro pluribus offerri possit quoad fructum medium, in quantum potest ipsis talis fructus applicari. Quia autem semper applicatur idem fructus, ideò diuiditur in portiones, quæ quò plures, sunt eò minores euadunt. Vnde applicatio consistit in communicatione, & determinatione illius fructus, qui ex institutione relictus est liberæ dispositioni Sacerdotis.

QVÆSTIO 124.

An sacrificium æquè prosit pro pluribus oblatum in confuso, ac si in specie pro singulis offerretur.

SVMMARIVM.

1. *Duplex modus offerendi sacrificium.*
2. *Sacrificium plus prodest oblatum distinctè pro pluribus, quàm quàm in confuso.*
   Specialis oratio plus prodest, quàm generalis.
3. *Sacrificium nomine Ecclesiæ oblatum in specie pro pluribus, plus illis prodest, quàm si pro iisdem in confuso offerretur.*
4. *Sacrificium quoad fructum ex opere operato non plus prodest si pro pluribus in specie offeratur, quàm si in confuso.*
5. *Fructus ex opere operato est semper idem præscindendo à dispositione.*
6. *Sacrificium ex institutione non habet, quod plus prosit, si distinctè applicetur.*

SAcrificium potest pro pluribus offerri dupliciter. 1
Primò generali applicatione in confuso; vt cùm offertur pro tota aliqua immunitate non deueniendo ad speciales personas pro quibus offertur. Secundo modo offerri potest distinctè, & in specie pro determinatis personis, ad quas singulas determinatè respiciat intentio offerentis. Et proinda comparatur oblatio vna cum altera, nempe confusa, & distincta, & quæritur quænam sit magis efficax supposito quod pro æquali numero in vtraque oblatione offeratur.

Quamplures docent, plus prodesse cæteris pari- 2
bus sacrificium in specie & distinctè oblatum pro pluribus, quàm si pro tot confusè, & in communi offerretur. Ita Henriq. *lib. 9. sum. cap.* 17. n. 6. Corduba *in quæst. lib. 1. qu. 3. opin. 5. conclus.* 1. Azor. *part. 1. lib.* 10. *c.* 21. *q.* 3. Vasq. 3. *part. disp.* 231. *cap. 6. num.* 38. Isambert. *quæst.* 83. *disp. 7. art.* 9. vet. *Nostra propositio.* Prob. Oratio specialis plus prodest, quàm generalis: ergo etiam sacrificiũ in specie oblatum plus proderit, quàm generaliter oblatum; siquidem etiam sacrificium est quædam generalis oblatio. Anteced. desumitur ex Concil. Constantien. *sess.* 8. vbi inter alias damnatur propositio Vvicief. *Speciales orationes applicata vni personæ per Prelatos, & Religiosos, non plus ei prosunt, quàm generales.* Damnata enim

hac propositione stabilitur opposita, quod specialis oratio plus prosit. Confirm. Quia Ecclesia fundit speciales orationes, & in sacrificio Missæ, orat specialiter, & specialiter offert pro hoc, vel illo, quod fructu fierit, nisi hæc specialitas conferret ad maiorem fructum.

3 Dicendum 1. *Sacrificium, quatenus offertur nomine Ecclesiæ pro pluribus, plus prodesse si distinctè, & in specie offeratur, quàm si pro iisdem, aut totidem offeratur generaliter, & in confuso.* Et idem dicendum est etiam de ipso quoad efficaciam quàm habet ea offerente, vt persona priuata. Hoc probant argumenta modo allata. Quia illa ratio, quæ reddit orationem in speciali applicatam efficaciorem, reddit, etiam efficacius sacrificium, quoad efficaciam, & valorē, quem habet ex Ecclesia offerente, & Sacerdote, vt priuata persona. Cùm enim hæc efficacia fundetur in meritis, & dignitate Ecclesiæ, sicut etiam offerentis, dum sacrificium in specie, & distinctè applicatur enixius influunt merita, & dignitas in illam actionem & proinde reddunt magis efficacem.

4 Dicendum 2. *Sacrificium quoad fructum ex opere operato non esse magis efficax, si applicetur distinctè, & nominatim pro pluribus, quàm si pro iisdem, aut totidem applicetur generaliter, & in confuso.* Prob. Fructus sacrificij ex opere operato est independens à quacumque extrinseca qualitate Sacerdotis, solum dependet ab applicatione quoad determinationem personæ, cui conferatur: ergo non crescit ex eo, quod sit distincta, & specialis applicatio, & proinde sacrificium non magis prodest ratione distinctæ applicationis. Confirm. Generalis applicatio sufficit vt fructus approprietur istis, pro quibus sacrificium offertur, nec operatur circa ipsum fructum aliquid aliud præter appropitiationem: ergo nec specialis applicatio aliquid operationis præter specialem appropiationem, non autem augebit fructum: ergo idem erit fructus siue præcedat specialis, siue generalis oblatio. Sicut qui donaret mille aureos in communi distribuendos centum personis nullam ipsorum specificando, & aliud donatet. Similiter inde aureos mille personis specialiter nominatis, tantùm donatet vnus, quantum alter; & tantùm perciperetur ex vna, quantum ea alia donatione.

5 Confirm. 2. Fructus sacrificij, cum sit ex opere operato, est semper idem præscindendo à dispositione recipientis, cum sit secundum mensuram institutam à Christo, quàm non potest variare distincta oblatio, & applicatio offerentis, cùm non possit variare intrinsecam efficaciam sacrificij; sic etiam effectus sacramentorum præscindendo à dispositione est semper idem: ergo æquè proderit si pluribus generaliter applicetur, ac si iisdem applicetur in specie, cùm non possit plus prodesset, nisi plus fructus afferat. Imò si plus prodesset ob applicationem nominatim factum, iste maior fructus non esset ex opere operato, sed ea opere operantis, quia proueniret non ex natura sacrificij, sed ea actione offerentis.

6 Dices. Sacrificium habere ex institutione sua quod plus prosit in virtute, specialis applicationis, sicut habet, quod plus prosit in virtute melioris dispositonis. Contra. Quia nullum adest fundamentum hoc asserendum, sicut adest quoad meliorem dispositionem. Deinde applicatio nihil aliud facit, nisi quod determinat personam, cui debet obuenire fructus sacrificij, & specialis applicatio, specialiter, & distinctè determinat, hoc autem nihil facit ad augmentum fructus sacrificij, sicut fuit dispositio, quia de congruo exigit maiorem fructum.

QVÆSTIO 125.

An sacrificium oblatum pro pluribus æquè prosit omnibus, ac si pro vno tantum offerretur.

SVMMARIVM.

Difficultas procedit quoad fructum medium applicabilem ad libitum Sacerdotis. Qui autem tribuunt sacrificio valorem infinitum extensiuè, consequenter volunt, quòd æquè prosit pluribus, ac vni tantùm, quamquam nonnulli ex Doctoribus citandis explicari possint, quod intelligant quoad eos, qui simul offerentes sunt. Ita Caier. *tom. 2. opusc. tract. 2. q. 2.* & *3. part. quæst. 79. art. 5.* Angelus *verbo* Missa *num. 52.* Syluester *verbo* Missa *1. q. 9. & sequentib.* Canus *lib. 12. de locis Theol. c. 13. ad* 10. Petrus Sotus *lect. 7. de Eucharist.* Heru. *quodlib. 10. q. 13.* Richardus *art. 13. contra Lutherum. §.....* Petrus Nauar. *lib. 2. de restit. c. 2. n. 268.* Aragon. *2. 2. q. 85. art. 3. § .....* Corduba *in quæst. lib. 1. q. 3. opin. 5. concl. 2. & 3.* Beia *part. 1. casu 12.* Viguer. *cap. 16. Theolog. instit. §. 3. ver. 16.* Montagnol. *de valore sacrific. c. 30.* Nugn. *3. part. q. 83. art. 1. p. 3. de sacrific. Miss. dub. 7. &* 8. Comitol. *lib. 1. resp. moral. q. 42. n. 21.* ver. *Quintum.* Marchin. *de sacram. ordin. tract. 3. part. 2. c. 13. n 9. & sequent.* Paulus *part. 4. oper. moral. tract. 22. disp. vnic. punct. 6. n. 13.* Vasquez *3. p. disp. 231. c. 3. n. 11.* Sà *verbo* Missa *n. 43.* Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp. 3. de sacrif. Miss. difficult.* 8. ver. *Caietanus verò.* Chellison. *3. part. q. 83. art. 1. dub.* 10. Petrus Ledesma *part. 1. sum. c. 17. de Eucharist. concl. 23.* Leander *tract. 8. de sacram. disp. 3. q. 11.* ver. *Sed probabilius.* Gabr. à S. Vincent. *de sacram. disp. 2. de sacrif. Miss. q. 7.* ver. *Nostra sententia.* 1

Fundantur in eo, quod sacrificij valor sit infinitus extensiuè, & ideò ea eo, quod applicatur pluribus, & pluribus in infinitum, non minuitur, sed omnibus communicatur secundum mensuram propriæ, dispositionis. Rursus potuit sacrificium institui cum hac efficacia infinita extensiua, itavt siue vni, siue pluribus applicatur, æqualiter prodesset: ergo dicendum est, ita fuisse institutum, cum hoc magis 2

magis commendet Dei benignitatem, & magis promoueat, nostram salutem. Aduertunt tamen Doctores huius senteotiæ, non per hoc licere accipere plura stipeudia pro eadem Missa, tum quia hæc infinitas est sub opinione, tum quia dans stipendium intendit vbi soli sacrificium applicari.

3 Secunda sententia docet, fructum sacrificij eò magis minui, quò pluribus applicatur. Ita D. Thom. *in 4. dist. 45. quæst. 2. artic. 4. quæstiun. 1. & 2.* D. Bonau. *art. 2. quæst.* 3. Maior. *quæst. item.* 3. Palud. *quæst. 2. art. 2. conclus. 5.* Durau. *quæst. 3. ad 3.* Richard. *art. 2. quæst. 2. & 3.* & alij *in ead. dist.* Sotus *dist. 11. qu. 2. art. 5. in dub. post 2. conclus.* Scot. *quodlib. 20. artic. 1. & 2.* Gabr. *lect. 27. in Can. Miss.* Adrian. *quodlib. 8. art. 3.* Gerson. *de valore Orat. Alphat. 37. littera A.* D. Antonin. *part. 1. tit. 10. cap. 5. §. 4.* Ledesma *2. part. 4. quæst. 16. art. 14.* Nauar. *in Manuali cap. 25. nu. 111.* Tabiena *verbo.* Restitutio. *numer.* 33. Medina *C. de Orat. tractat. 6. quæst. 30.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 18. num. 5.* & *in Can. littera N.* Alios citans, & *cap. 19. num. 8. littera I.* Valent. *tom. 4. disp. 6. quæst. 11. punct. 1. quæstiun. 1. §. 25.* Bellarmin. *lib. 2. de Missa cap. 4. propos. 4.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 21. quæst. 1.* Couarrou. *in cap. Alma mater. part. 1. §. 5. num. 9.* Suarez *disp. 79. de sacrament. sect. 12. dicto 2.* Facundez *precep. 1. Eccles. lib. 3. cap. 8. num. 10.* Reginal. *lib. 29. Praxis cap. 9. sect. 2. num. 157. propos. 2.* Conineb *de sacrament. quæst. 83. artic. 1. dub. 10. num.* 191. Lugo Cardin. *de Eucharist. disput. 19 sect. 12. num. 246.* Bonacin. *disput. 4. de sacrament. quæst. vlt. punct. 4 num. 6.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 4. quæst. 9. num. 86.* Præposit. *3. part. quæst. 83. art. 1. dub. 7.* Mercer. *ibid.* Fraxinel. *de obligat. sacer. sect. 3. prænot. 4.* Alphons. de Leone *de Offic. Capel. quæst. 7. sect. 7.* Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 7. ver. Et hæc quidem*, Lessius *de sacrament. quæst. 83. art. 1. numer. 58.* Dicastil. *de sacrament. tract. 5. disput. 3. dub. 5. num. 113.* Becan. *de Eucharist. cap. 25. quæst. 17.* Ludouic. à S. Ioann. *part. 1. sum. quæst. 10. de Eucharist. in addit. art. 1. dub. 1.* Baunin. *part. 1. Theol. moral. tract. 10. quæst. 9. §. Quod si,* Granad. *3. part. controuer. 6. tract. 14. disput. 4. sect. 4. num. 23.* Garcia *in sum. tract. 3. difficul. 1. dub. 8. punct. 2. num. 24.* Moises. *part. 1. sum. tract. 3. cap. 55. num. 24.* Layman. *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. cap. 1. n. 9.* Tanner. *tom. 4. disp. 5. qu. 9. dub. 4. num. 106.* Villalob. *part. 1. sum. tract. 8. difficul. 13. num. 5.* Poteau. *3. part. qu. 83. art. 1. dub. 7. conclus. 3.* Miranda *tom. 1. Manual. qu. 41. ar. 20.* Lopez *par. 2. instruct. cap. 78.* Reginal. *lib. 29. Praxis num. 157.* Rodriguez *tom. 1. sum. cap. 252. nu. 2.* Faustus *de Euch. lib. 2. de sacrif. Miss. quæst. 60. ver. Veratamen,* Caspensis *par. 2. Curs. Theol. tr. 23. disp. 2. sect. 4. nu. 32.* Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disp. 33. sect. 7. n. 261.* Mærat. *tom. 3. disp. 40. de Euch. sect. 2.* Isambert. *3. part. quæst. 83. disp. 7. art. 10. ver. Sed longè,* Trullench. *de sacram. lib. 3. cap. 8. dub. 7. num. 7.*

4 Dicendum. *Sacrificium oblatum pro pluribus minus singulis prodesse quàm si offerretur pro vno tantum.* Hoc autem intelligitur quoad fructum medium qui ipsis applicatur, & independenter à dispositione; nam forte fieri potest, quod aliquis ipsorum sit ita benè dispositus, vt maiorem fructum percipiat, quàm perciperet alter, si pro ipso solo offerretur sacrificium sequitur autem ex eo, quod sacrificium non habeat efficaciam infinitam extensiuè, ita vt possit extendi ad plures, & plures sine diminutione fructus, & proindè cum fructus sit finitus, si pluribus communicatur, oportet, vt diuidatur, & fiat minor respectu singulorum.

5 Hoc autem habet fundamentum in praxi Ecclesiæ quæ solet specialiter offerre sacrificium pro determinatis personis. Imò etiam grauiter obligat, ad offerenda tot sacrificia, quot petuntur à dantibus eleemosynam, vt in decretis *de celebrat. Missar.* Circa quod est aduertendum, quoddam prohibet. quod non accipiantur plura stipendia pro vna Missa, non est eius intentio prohibere multitudinem stipeodiorum, vt non decentem, pro voo sacrificio, sed iotendit, quod Missæ respondeant intentioni dantium eleemosynam, & proindè tot sint, quot petontur, ne petentium intentio fraudetur, vtpotè quia noo recipiant, quod intendunt recipere. Quod non haberet locum, si sentiret, sacrificium æquè prodesse pluribus, ac vni tantum: sed quia sentit, noo prodesse, ideò hoc iniungit.

In eodem quoque sensu videtur fuisse Conc. Trid. *sess. 25. c. 4. de reformat.* vbi considerans, quod piæ testantium voluntates peterent quoad dispositiones factas pro Missis celebraodis, vel quia Ecclesiæ adeò magno numero essent grauatæ, vt per suos ministros satisfacere non possent; vel quia eleemosyna esset adeò teouis, vt eum inuenirerur, qui se oneri vellet subijcere: & proindè piæ testatorum voluntates non implerentur. Vt his in conuenientibus occurreret, & remedium præberet, quo huiusmodi piæ voluntates, quantum fieri posset, implerentur, tribuit facultatem Episcopis, Abbatibus, Generalibus, vt re diligenter perspecta pro sua conscientia statuerent, quod magis expediret ad Dei honorem, & cultum, atque Ecclesiarum vtilitatem, vt quò plenius, & vtilius posset relicta ad pios vsus implerentur. Circa quæ est obseruandum, quod concedendo facultatem reducendi Missas ad minorem numerum, grauat conscientias, vt reducant eo modo, & mensura, quam conscientia suggesserit, quod non fuisset necessarium, si voa Missa æquè proficeret pro pluribus oblata, ac pro vno tantum, quia absque detrimento posset vnico sacrificio omnium testatorum pijs voluntatibus satisfieri. Deindè intendit Concilium, quod voluntas testatorum impleatur, *quo plenius, & vtilius potest.* Si autem sacrificiom æquè proficeret pro pluribos oblatum, vt pro vno, reductio Missarum posset oculis clausis fieri, ita vt vnico sacrificio singulis diebus satisfieret æquè vtiliter omnium testatorum voluntatibus, ac si singula sacrificia præscripta offerrentur, & proindè Concilium non ita accuratè præscripsisset quod piæ voluntates implerentur, quò vtilius potest, 6

Quia autem hoc totum dependet ex facto, nempè ex institutione Christi, nam potuit instituere sacrificium, vt pro singulis oblatum singulis indiuisibiliter totum suum fructum commoicaret, cum communicet applicandum fructum sacrificij Crucis, qui est syncathegorematicè infinitus; & etiam, quod communicet tantum certam portionem diuidendam inter omnes, pro quibos offertur; non potest alia ratio reddi, nisi quia ita institutum est, vt communicet solum certam portionem. Quod autem ita institutum sit, desumitor ex praxi, & sensu Ecclesiæ, siquidem vtitur hoc sacrificio tanquam habente fructum determinatum, & qui diuidatur inter eos, quibus applicatur. Hæc autem praxis, & obseruantia subsequuta institutionem, & cuius initij non adest memoria, & proindè censenda est emanasse ab Apostolis, sufficiens est ad declarandam institutionem fuisse talem; siquidem obseruantia subsequuta declarat concessiones, leges, priuilegia, &c. Cap. *cum dilectus, de consuet.* & cap. *cum venissem institut.* & *l. sed Iulianus, §. Porrò.* ver. *Sed etsi, ff. ad Senatusconsul. Macedon.* & *l. si de interpretatione, ff. de legib.* & notant communiter Doctores Paris. *Consil. 22. n. 24. lib. 1.* Ruin. *Consil. 38. n. 6. lib. 1.* Bald. *Consil. 130. & in l. his quibus, C. de fideicom. liber.* Tas. *Consil. 128. lib. 1.* Canstens. *Consil. 108. per totum, lib. 1.* Rom. *Consil. 271. n. 3.* Mantica *Decis. 320. n. 5.* & alij, quos adduxi, *qu. Can. 200. n. 2. Centur. 2.* Præterea si Christus instituisset hoc sacrificium vt æquè prodesset oblatum pro pluribus, ac pro vno tantum, non reliquisset fructum medium sub libera 7

diſpoſitione ſacerdotis, vt applicaret, cui vellet ſed tanquam omnibus æquè, & ſine diminutione applicabilem, ipſe applicaſſet, quia iam ſacrificium fuiſſet institutum æquè pluribus proficuum quoad fructum medium, ac vni.

8 Confirm. Si ſacrificium æquè proficeret oblatum pro multis, ac pro vno taotum, itavt nihil huic de fructu detraheretur ex aliorum conſortio, non ſolum poſſet offerri pro pluribus, etiam quando quis data eleemoſyna petit offerri pro ſeipſo, ſed etiam deberet offerri pro omnibus, qui ſunt capaces, quia dans eleemoſynam eumdem fructum perciperet, ſiue offerretur pro cæteris, ſiue non offerretur, & non offerre eſſet actus inuidiæ, quia inuideretur cæteris fidelibus viuis, & defunctis commodum quod perciperent ex tali oblatione, atque adeò eſſet contra charitatem, qua tenemur diligere proximum. Siquidem poſſe benefacere ſiue pro proprio, & alieno incommodo, & non benefacere inuidia eſt.

9 Dices. Non applicari pro omnibus, quia adeſt opinio in contrarium, & proindè eligitur via tuta, vt ſcilicet certi ſimus, quod is, pro quo ſpecialiter intendimus offerre, detrimentum patiatur in fructu ſacrificij. Verum ex hac reſponſione fit quod ſaltem ex hoc capite ſacrificium ex obligatione ſpecialiter pro vno oblatum non poſſit offerri pro alijs. Deindè cum ab ioitio naſceutis Eccleſiæ obſeruatum ſit, quod ſacrificium quoad fructum medium non offerretur pro omnibus, & poſtea poſt longum tempus ſuſcitata ſit opinio, quod tantum valet pro vno, quantum pro omnibus oblatum, ſequitur, quod hæc opinio ſit contra praxim, & obſeruantiam Eccleſiæ, quæ declarat institutionem ſacrificij, atq; adeò contra veritatem. Confir. quia fructus generaliſſimus ſacrificij erat omnibus communis, Eccleſia instituit ab initio, quod offerretur pro omnibus fidelibus viuis, & defunctis: ergo ſi etiam fructus medius poſſet ita pluribus & pluribus applicari, vt noo minueretur, ſed tantus vnicuique obueniret, ſi pro vno offerretur, ac pro multis, instituiſſet, quod hic fructus medius omnibus applicaretur, quia ita exigebat charitas, & etiam dignitas ſacrificij. Confir. 2. Praxis Eccleſiæ vniuerſalis facit moraliter certum, quod reducitur ad praxim: ergo ſtante praxi Eccleſiæ, quod ſacrificium quoad fructum medium non offeratur pro omnibus, ſed pro aliquo ſpeciali, opinio, quod ſacrificium tantum proficiat omoibus, quantum, ſi pro vno tantum offerretur, cum ſit contraria praxi Eccleſiæ, noo poteſt ſubſiſtere, quia opinio, licet probabili alicui rationi ſit innixa, non poteſt ſtare contra id, quod eſt moraliter certum.

10 Ad fuodamentum in oppoſitum reſp. ſacrificium non habere hanc infioitatem extenſiuam quoad fructum medium, vt conſtat ex ſupradictis; nec ſufficit, quod potuerit institui cum hac infioitate, quia quod non ſit ioſtitutum, declarat Praxis Eccleſiæ. Neque enim Deus ſemper facit, quod magis declarat ſuam benignitatem, nec quod magis promouet noſtram ſalutem. Sic ſi daret omnibus ſemper gratiam efficacem, & finalem perſeuerantiam, ſi conuerteret omnes infideles, magis declararet ſuam beneuolentiam, & magis promoueret noſtram ſalutem, & tamen hæc cũ fiunt à Deo, quia aliter exigunt regulæ ſuæ ioſinitæ ſapientiæ quæ nos latent. Cur autem fructus generaliſſimus ſe extendat ad omnes ſine diminutione, & non fructus medius, id prouenit ex institutione; & ideò talis eſt institutio. Quia fructus generaliſſimus fuit institutus cum tali vniuerſalitate, & vt ſe extenderet ad omnes, & proindè facit determinata menſura, & portio ſecundum quam ſe ad ſingulos extenderet. Fructus verò medius fuit relictus liberæ diſpoſitioni ſacerdotis, vt ad libitum communicaret ſiue voi, ſiue pluribus. Hoc autem ſtante debuit determinari aliqua proportio fructus, quæ eſſet ſub eius libera diſpoſitione, quam poſſet vni, vel pluribus communicare.

Dices. Sacrificium producit ſuum effectum ſicut 11
ſacramenta: ergo cum ſacramentum producat eumdem effectum, tam ſi vnum, quàm ſi pluribus applicetur, produceret etiam ſacrificium. Sic ſi Euchariſtia ab vno ſumpta euomeretur, & alius reciperet produceret eumdem effectum. Sic etiam agentia naturalia applicata pluribus ſubiectis eumdem effectum producunt ac applicata vni tantum. Reſp. neg. anteced. qoia ſacramenta producunt ſuum effectum, & proindè multiplicatur ratione multiplicationis ſuſceptionis, quia hæc eſt vltima ratio determinans efficaciam ſacramenti, vt contingit in caſu poſito de Euchariſtia, & cum plures baptizantur ſimul & in agentibus naturalibus. At ſacrificium oon producit ſuum effectum in ſubiecto, quia eius efficacia non verſatur circa ſubiectum, & proindè oon multiplicatur ratione ſuſceptionis; ſed producit coram Deo, quia apud ipſum exhibet ſuam efficaciam ad propitiandum, ſatisfaciendum, impetrandum, &c. Et ideò non multiplicatur ratione ſuſceptionis. Accedit quod ſacrificium exercet ſuam efficaciam ſecundum institutionem Christi, vt dictum eſt.

Ex dictis colligitur, quod cum fructus ſacrificij 12
quò pluribus applicatur eo magis minuatur, quia diuiditur in plures portiones, ſingulis, qui ad participationem admittuntur æqualem portionem percipient, ſi ſacerdos ſimpliciter pro illis offerat, quæ portiones, licet æquales, erunt tamen ſemper minores, & minores, quò plures fuerint. An autem ſacerdos offerens pro pluribus, poſſit inæqualiter diuidere fructum, itavt maior portio vni & minor alteri obueniat, videtur affirmaodum, cum totus fructus ſit ſub ipſius libera diſpoſitione, & cum poſſit in plures diuidere, poterit etiam inæqualiter diuidere.

QVÆSTIO 126.

An ſacrificium habeat efficaciam indeterminatam, ſeu infinitam extenſiuè ad impetrandum.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium non eſt impetratorium, niſi coniungatur cum oratione.*
2. *Sacrificium licet poſſit impetrare omne impetrabile, eſt tamen ordinatum ad finita.*
3. *Sacrificium impetrat ſecundum determinationem, quam habet ab oratione.*
   Pro communicate oblatum in communi quomodo impetret, & quomodo oblatum in particulari.
4. *Sacrificium habet efficaciam limitatam extenſiuè ad impetrandum, ſecundum aliquos.*
5. *Efficax æquè pro pluribus, ac pro vno ſecundum alios.*
6. *Sacrificium ratione cultus, & obſequij per ipſum exhibiti minus impetrat pro plurib. quam pro vno.*
7. *Secundum ſubſtantiam æquè impetrat pro pluribus, ac pro vno.*
   Vis impetratiua ſacrificij in quo conſiſtit.
8. *Vis impetratiua ſacrificij eſt applicabilis indiuiſibiliter ad impetrandum pro pluribus.*
9. *Vis impetratiua ſacrificij in actu exercito poteſt eſſe ordinata ad plura, & pro pluribus.*
10. *Efficacia ſacrificij quatenus finita.*
    Interceſſio, humana cur minus efficax ad impetrandum pro pluribus, quàm pro vno.
11. *Quid requiratur ad effectum impetrationis: & cur ſacrificium non ſemper impetret.*

12. *Pra*

12. *Preparatio ad recipiendum beneficium valdè confert ad impetrandum.*
13. *Speciales orationes instituta ab Ecclesia valdè conferunt ad impetrandum.*
Sanctitas offerentis iuuat impetrationem.
Sacerdos celebrans aliam Missam ab illa, quæ est petita vt ordinata ad impetrandum non satisfacit.
Multitudo sacrificiorum adiuuat impetrationem.

1 SVpponendum est, sacrificium non esse impetratorium, nisi quatenùs coniungitur cum oratione aliqua, vt desumitur ex D.Th. 1.2. *qu.*83.*art.*7. *ad* 2. vbi etiam Caiet. & Rursus D.Th. *in* 4.*dist.*15. *qu.*4. *art.* 7.*quæstiun.*3. Richar. *art.*4. *n.*1. Gabr. *lect.* 63. *in Can. Miss.* Nauar. *de orat. cap.*19. *conclus.*13.*num.*34. Medina. *de orat. tract.*6. *qu.*17. Tabiena *verbo.* Oratio *num.*15. Angel. *num.*19. Syluester *quæst.* 6. Armilla *num.*4. Henriquez *lib.*9. *sum.cap.*17. *num.*5. & *in comment. littera* C. Suarez *de sacram. disp.* 79. *sect.* 12. vet. *Dico* 3. Dicastil *de sacram. tract.*5. *dispu.*3. *dub.*5. *n.* 131. vet. *Quod verò.* Ratio est. Quia sacrificium non confert ad impetrandum, nisi suum valorem, & æstimabilitatem, qua aptum est mouere Deum ad concedendum. Huc autem non sufficit ad impetrandum; quia cum impetratio sit alicuius rei determinata assequutio, oportet pro tali assequutione exprimere desiderium, & petere determinando id quod est obtinendum, quod non fit, nisi per orationem, quæ consistit in petitione alicuius rei à Deo. Vndè oratio ordinatur ad impetrandum tanquam expressiua rei impetrandæ, & sacrificium coniunctum orationi dat ipsi vim vel obtinendum conferendo vim motiuam respectu Dei ad concedendum.

2 Supponendum 2. quod licet sacrificium secundum se consideratum habeat vim infinitam intensiuam, seu summam excogitabilem ad impetrandum, & proindè sufficiens sit ad impetrandum quicquid est impetrabile, quia posset applicare totam vim, & efficaciam passionis Christi ad impetrandum, de facto tamen nō est ordinatum ad impetrandum aliquid infinitum, nec ad impetrandum omne impetrabile. Quod etiam inter alios notat Coninch *de sacrament. quæst.* 83. *articul.* 1. *dub.* 10. *numer.* 186. Et ratio est. Quia de facto est ordinatum ad impetrandum tantum ea, quæ Deus decreuit concedere; non decreuit autem concedere aliquem effectum infinitum, nec etiam omne impetrabile, sed tantùm ad determinatos effectus. Et proinde efficacia impetratiua est intensiuè limitata.

3 Supponendum 3. Quod enim sacrificium de se non habeat aliquam determinationem ad impetrandum, sed totam recipiat ab oratione coniuncta impetrat secundum determinationem, quàm habet ab oratione; & proinde magis, vel minus extenditur ad impetrandum iuxta extensionem orationis; & magis, vel minus determinate impetrat, prout est magis, vel minus est determinata oratio. Ex quo fit, quod oblatum pro aliqua communitate, aut coadunatione populi æquè impetret, siue sint plures, siue pauciores; quia cum de se sufficiens sit ad impetrandum pro omnibus, impetrat iuxta determinationem, quàm habet ab oratione, vt notant inter alios Henriquez *lib.* 9. *sum.cap.*17 *num.*6. Corduba *in quæst. lib.*1. *qu.*3. *opin.*5. *conclus.*3. vet. *Nam meritum in fine.* Est tamen aduertendum, quod cum impetret secundum mensuram, quam habet ab oratione, si offeratur tantùm in communi pro aliqua communitate, aut coadunatione populi, impetrabit solum beneficia omnibus communia, & iuxta communem indigentiam, si vero offeratur distinctè, & in specie pro pluribus, impetrabit etiam distincta, & specialia beneficia.

Hinc difficultas remanet, an habeat eamdem vim impetrandi oblatum pro pluribus, ac oblatum pro vno tantum, & an proportionaliter minuatur efficacia impetratiua quò magis ad plures extenditur.

4 Doctores, qui absolutè asserunt, sacrificium habere efficaciam finitam, & determinatam, asserunt etiam habere eodem modo limitatam in ordine ad impetrandum. Ita Scot. *quodlib.*20. *art.* 1. *&* 2. D. Bonauent. *in* 4. *dist.*45. *art.*2. *q.*3. *in fine.* Maior. *q.*2. Durand. *quæst.*3. *ad* 3. Gabr. *lect.* 27. *in Can. Miss.* Valent. *tom.*4. *disp.*6. *n.*11. *punct.*1. *quæstiune.*1. §.25. Henriquez *lib.*9. *sum.cap.*17. *n.*5. Bellarm. *lib* 2. *de Missa cap.*4. Azor. *par.*1. *lib.*10. *cap.*2. *q.*2. Præposit. 3. *pa* 1. *quæst.*83. *art.*1. *dub.*7. Mercet. *ibid.* Lugo Cardin. *disp.*19. *de Euchar. sect.*12. *n.*146. Coninch. *de sacram. qu.*83. *art.*1. *dub.*10. *n.* 187. qui tamen concedit iam infinitam syncathegorematicè quoad concurrentes ad oblationem in ordine ad impetrandum Layman *lib.*5. *Theol. moral. tract.*5. *c.*1. *n.*10. Ruteus *de fruct. sacrif. lib.* 1. *disp.*3. *q.*1. *dub.*5. *n.* 31. vet. *Vnde sequitur.* Couarr. *in cap. Alma mater. part.*1. §.5. *num.*9. Mærat. *tom.*3. *disp.*40. *de Euchar. sect.*2. vet. *Quod ad minerem.* Fundamentum est. Quia, cum sacrificium habeat efficaciam finitam in ordine ad omnes suos effectus, quò magis extenditur ad plures eò minor euadit, & ideò vis impetratiua minor fit. Confir. Etiam in humanis, quando interponitur intercessio alicuius, quamuis alioquin de se sit efficiens ad obtinendas plures, & plures gratias, quoad plures extenditur, eò minus efficax euadit: ergo etiam sacrificium, quamuis aliàs sufficiens sit ad obtinenda plura, & plura beneficia.

5 Secunda sententia asserit, esse æquè efficax, si pro pluribus ordinetur ad impetrandum, ac si pro vno tantùm, & proinde posse extendi siue diminutione ad plures, & plures in infinitum. Ita ij, qui absolutè volunt, efficaciam sacrificij, esse infinitam saltem extensiuè. Et specialiter D.Thom. *in* 4. *dist.*45. *q.*2. *art.*4. *quæstiune.*2. *ad* 2. & *in Addit. quæst.* 71. *art.* 13. *ad* 2. Palud. *in* 4. *dist.* 45. *quæst. vlt.* Holcoth. *quæst.*3. *punct.*5. Adrian. *quodlib.*8. *art.*3. Medina *Cod. de orat. q.*30. Suarez *de sacram. disp.*79. *sect.* 12. vet. *Dico* 3. *post med.* Reginal. *lib.*29. *Praxis fori pœnit. cap.*9. *sect.*1. *n* 157. *propos.*3. Alphon. de Leone *de Offi. Capel. q.*7. *sect.*7. Auersa *qu.*11. *de Euchar. sect.*7. vet. *Et hæc quidem.* Nugn. 3. *part. quæst.*83. *art.*1. *part.*3. *de sacrif. dub.*8. *init.* Palaus *part.*4. *oper. moral. tr.*22. *disp. vnic. punct.* 6. *n.*13. Dicast. *de sacram. tr.*5. *disp.*3. *dub.* 5. *n.*131. Filliuc. *tr.* 5. *c.*3. *n.*91. Bonac. *disp.*4. *de sacram. quæst. vlt. punct.* 5. *n.*6. vet. *Dixi in tertia* Caspens. *part.*2. *Curs. Theol. tract.* 23. *disp.*7. *sect.*4. *n.*41. Isambert. 3. *part. q.* 83. *disp.*7. *art.*12. *dub.*1. Villalob. *part.*1. *sum. tr.*8. *diffic.*13. *n.*3. Trullench. *lib.* 3. *de sacram. cap.*8. *dub.*7. *n.*9. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.*4. *quæst.*9. *num.*83.

6 Dicendum 1. *Hoc sacrificium, quatenus consistit in cultu Deo exhibito, & obsequio, & proinde ex hoc capite dicit vim mouendi Deum ad concedendum, quoad petitur, non habet talem efficaciam, vt valeat tantum pro singulis, si pro pluribus offeratur, quantum valet pro vno tãtum oblatum, & proinde minuitur efficacia, quò plures sunt, quibus impetrandum est, aut quò plura sunt, quæ petuntur.* Ratio est. Quia secundum hanc considerationem habet totum suum valorem, & æstimabilitatem à dignitate, & meritis Ecclesiæ, & offerentis, & proinde cùm certa mensura. Rursus terminus impetrationis non potest excedere congruitatem motiui, & proinde quoad hoc requiritur proportio: ergo cum possit excedi in congruitate ab eo, quod petitur, minuetur etiam proportio & vis quo plura sunt, quæ petuntur.

7 Dicendum 2. *Sacrificium secundum suam substantiam consideratum, quatenus scilicet dicit oblationem prouenientem à Christo, vt principali offerente habere*

bere talem vim ad impetrandum, vt cæteris paribus æquè impetret pro pluribus, ac pro vno tantum, & proinde non minuatur efficacia ex eo, quod pro pluribus, & pluribus ordinatur ad impetrandum. Probatur. Vis impetrationis non conſiſtit in aliquo, quod producatur à ſacrificio, ſeu in aliquo diſtincto à ſacrificio, ſed in excellentia, & æſtimabilitate ſubſtantiali ipſius, quatenùs apta eſt obiectiuo modo mouere Deum ad concedendum, quod petitur; quæ coniuncta cum oratione ipſam infirmat, & illi communicat propriam eum ad mouendum Deum, vt concedat, quod petitur: ergo indiuiſibiliter poteſt applicari ad impetrandum pro pluribus, & pluribus in infinitum: ergo æquè impetrabit pro omnibus, ac ſi pro vno tantum applicaretur ad impetrandum. Conſeq. prima prob. Quia, cum moueat ſecundum propriam ſubſtantiam, & intrinſecam dignitatem, quæ eſt indiuiſibilis, & ſit aptum, vt ordinetur ad impetrandum pro pluribus, non poterit applicari ad impetrandum, niſi indiuiſibiliter, itavt ſecundum ſe totum applicetur reſpectu vniuſcuiuſque. Conſeq. 2. prob. Dum applicatur ſecundum ſe totum indiuiſibiliter ad impetrandum vnicuique illam eamdem efficaciam, quam habet reſpectu vnius, habebit etiam reſpectu alterius, & proinde non minuetur ex eo, quod applicatur pluribus.

8 Confir. Vis impetratiua ſacrificij non eſt determinata ad impetrandum pro vno, aut certo numero: nec pro tot, & non pluribus beneficiis. Et proinde non habet aliquem determinatum effectum, ſeu terminum: ergo ordinari poteſt ad plura, & plura beneficia impetranda, & pro pluribus, & pluribus in infinitum: ergo tam efficax erit pro omnibus, quàm ſi pro vno tantum ordinaretur. Prima conſequent. patet, quia ſtante indeterminatione effectus, & ſubiecti, cui eſt impetrandum, ordinari poteſt ad quæcumque beneficia, & ad quemcumque numerum ſubiectorum, ſiquidem recipit determinationem ab offerente. Conſeq. 2. prob. Sacrificium ſecundum ſe, & ſuam ſubſtantiam eſt talis valoris, & dignitatis, vt habeat proportionem cum omnibus beneficiis, quæ Deus hominibus cunctis concedere poteſt, ſiquidem eſt idem ſecundum ſubſtantiam cum ſacrificio Crucis: ergo ex eo, quòd applicatur pro vno ad impetrandum aliquod beneficium, non deſinit habere efficaciam adæquatam pro quocumque alio beneficio obtinendo cuicumque alteri.

9 Dicendum 3. *Hanc vim, & efficaciam impetrandi ordinatum ad quæcumque beneficia, & ad quemcumque numerum perſonarum non ſolum eſſe talem in actu primo, & ſignato: ſed etiam in actu ſecundo, & exercito, itavt pro quocumque numero offertur ſacrificium exerceat pro omnibus ſuam efficaciam impetratiuam.* Ratio eſt. Quia exercere efficaciam impetratiuam non dicit quod obtineat, quod petitur, ſed quod proponatur Deo motiuum ſufficiens, & congruum ad concedendum. Hoc autem fit per oblationem ſacrificij, quia proponitur Deo huiuſmodi motiuum, cum tale ſit ſecundum ſuam dignitatem, & æſtimabilitatem, vt conſtat ex dictis.

10 Ad fundament. oppoſitæ ſentent. reſp. Sacrificium habere efficaciam finitam in ordine ad omnes ſuos effectus, quos effectiuè, vel quaſi effectiuè cauſat, ſeu quatenus operatur aliquid à ſe diſtinctum. Non autem, quatenus per ſeipſum, ſeu ſecundum ſuam ſubſtantialem dignitatem mouet Deum ad concedendum, in quo conſiſtit vis impetratiua, ſiquidem impetrat non aliquid efficiendo, ſed ſeipſum repræſentando Deo. Vnde cum eius dignitas ſubſtantialis ſit ſumma, & ſufficiens in ordine ad quodcumque beneficium obtinendum à Deo, idcirco non habet terminum, ſed poteſt ad plura, & plura extendi, & pro pluribus, & pluribus. Ad confir. In humanis interceſſionem fundari in meritis, & dignitate intercedentis, quæ habet certam menſuram, quantumuis magna ſit, nec habere proportionem cum omnibus, quæ prudenter peti poſſunt, & ideò ratione extenſionis minui. Quod ex eo conſtat, quia ſi interceſſio v.g. Regis interponeretur apud priuatum nobilem; quia haberet proportionem cum omni eo, quod honeſtè, & prudenter poſſet præſtare, eſſet ſufficiens abſque vlla limitatione ad obtinendum omne id, quod poſſet congruè præſtare, quia ſcilicet eſſet tanti ponderis, vt ſuperexederet quidquid congruè, & prudenter præſtare poſſet. Cùm verò vis impetrandi ſacrificij fundetur in eius ſumma dignitate, & appretiabilitate, adæquat quidquid Deus congruè, & prudenter nobis præſtare poteſt.

Ex dictis colligitur, quod cum effectus impetrationis non ſit neceſſarius, ſed dependẽter ex liberalitate & miſericordia Dei, non ſufficit, quod proponatur motiuum ſufficiens, ſicut proponitur, quando offertur ſacrificium, ſed inſuper requiritur, quod Deus ſecundum regulas ſuæ infinitæ ſapientiæ iudicet, eſſe concedendum quod petitur. Et ideò ex vi ſacrificij fit, quod Deo exhibeatur cauſa concedendi ſapienter, quod petitur, niſi aliundè retardetur; vel quia non expediat concedi, quod petitur, vel quia obſtet indignitas illius, cui eſt concedendum, vel quia difficilè ſit, quod petitur, vel quia ſit ex ſingularibus beneficiis, vel ex aliquo alio capite. Et proinde non debet ſacrificium applicari ad impetrandum id, quod non poteſt prudenter peti, quia cum petere ſit relatiuum ad concedere, quod non poteſt prudenter peti, nec etiam poteſt prudenter concedi. 11

Colligitur 2. Præparationem ad recipiendum beneficium, quod petitur mediante ſacrificio Miſſæ valdè prodeſſe ad obtinendum; quia, licèt efficacia ſacrificij ad impetrandum non poſſit creſcere, additur tamen nouum motiuum, ratione cuius poſſit conſurgere aliqua ſpecialis congruitas pro conceſſione, & proinde poſſit ratione ipſius ſuperari aliquod impedimentum, quod retardet conceſſionem. Et proinde valdè proderit ſe præparare pœnitentia, oratione ſpeciali, ieiuniis, cæteriſque actibus virtutum, qui redundant in Dei obſequium, quia ſicuti de ſe ſunt efficacia ad impetrandum, ita etiam addunt nouum motiuum efficaciæ ſacrificiis. 12

Colligitur 3. Valdè prodeſſe in ordine ad impetrationem orationes ſpeciales ab Eccleſia inſtitutas in ordine ad ſpeciales effectus obtinendos, ſicut etiam dignitatem Sacerdotis offerentis ratione ſtatus gratiæ. Orationes enim Eccleſiæ operantur, quod Eccleſia quoque ſpecialiter ſe interponat ad intercedendum pro eo, quod petitur, & proinde addatur nouum motiuum pro conceſſione, quod eſt valdè efficax, cum Eccleſia ſit maximè grata, & Deo accepta. Rurſus etiam ſanctitas offerentis iuuat, quia cum per miniſtrum gratum offeratur ſacrificium; ſaltem tollitur impedimentum, quia cum diſpliceat Deo, quod ſacrificium offeratur per miniſtrum iniquum, poteſt hoc eſſe occaſio, quod Deus non concedat, quod petitur; quia licet acceptum habeat ſacrificium, diſplicet tamen ſacrificans. Et eò magis impediri poſſet conceſſio, ſi petens ſciens eligeret miniſtrum iniquum, qui offerret ſacrificium. Hinc porrò fit quod ſi Sacerdos petenti promittat Miſſam cum ſpecialibus orationibus ordinatis ad impetrandum, quod petitur, ſi aliam Miſſam celebret, quæ non contineat illas orationes, non ſatisfaciet obligationi, ſed fraudabit petentem illa ſpeciali interceſſione Eccleſiæ, quæ aliàs interponeretur, ſi recitarentur illæ ſpeciales orationes. 13

Colligitur 4. Ad impetrationem valdè expedire 14

multipli

Digitized by Google

multiplicationem sacrificiorum, vt inter alios notat Corduba *in quæst. lib. 1. quæst. 3. opin. 5. conclus. 2. ver. Quo fit.* Isambert. 3. *part. quæst.* 83. *disp.* 7. *art.* 12. ver. *Respondetur intelligo in fine.* Quia licèt vnicum sacrificium sit de se sufficientissimum ad impetrandum, quia tamen impetratio non est infallibilis, fieri potest, quod Deus concedat intuitu secundi sacrificij, quod non concessit intuitu primi, & quod concedat intuitu tertij, quod non concessit intuitu secundi, & sic deinceps, dum enim multiplicantur sacrificia multiplicantur etiam motiua ad obtinendum, & petentes ex opere operantis magis disponitur, quia procurando plura sacrificia, pluries exercet illos actus virtutis, qui interueniunt in huiusmodi procuratione, vt actus fidei, confidentiæ in Deum, amoris, cultus, & obsequij, & alij huiusmodi. Hi autem actus disponunt petentem ad obtinendam gratiam.

QVÆSTIO 127.

An, vt sacrificium sit æquè impetratorium pro pluribus, ac pro vno tantùm, requiratur, quod in specie atque nominatim pro singulis offeratur.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium dupliciter ordinatur ad impetrandum.*
2. *Sacrificium quoad cooperantes æquè efficax ad impetrandum pro pluribus, ac pro vno.*
3. *Sacrificium in communi oblatum, est æquè impetratorium.* & num. seq.
5. *Sacrificium secundum se æquè impetratorium, siue distinctè, siue in communi offeratur.*
6. *Distincta oblatio verbalis non multiplicat oblationem substantialem.*
7. *Distincta oblatio facit preces sacrificij plus prodesse.*
8. *Specialis oratio est speciali modo efficax supra communem.*
9. *Sacrificium in communi oblatum habet proportionem cum beneficiis impetrandis.*
10. *Sacrificium oblatum pro communitate non minus impetrat pro singulis si sint plures, quàm si sint pauci.*
11. *Vnde fiat quod sacrificium pro pluribus oblatum vni impetret, & non alteri.*
12. *Sacrificium efficacius impetrat ex parte orationis, si nominatim offeratur.*

1 DVplici modo potest sacrificium ordinari ad impetrandum pro pluribus. Primo oblatione communi, & vniuersali, quæ respiciat omnes. Secundo. Oblatione speciali, & nominatim facta pro singulis. Differunt hi duo modi, quod in primo interuenit vnica tantum oratio, seu petitio vniuersalis pro omnibus in communi; in secundo interueniunt tot singulares petitiones, & orationes, quot sunt illi, pro quibus offertur; & proinde vnicuique in particulari applicatur sacrificium in ordine ad impetrandum.

2 Est autem supponendum. Quod si ij, pro quibus ad impetrandum offertur sacrificium, sint cooperantes, quia sunt suo modo offerentes, ratione huius oblationis sacrificium erit æquè efficax ad impetrandum, si pro pluribus, ac si pro paucioribus, aut pro vno tantum offeratur iuxta ea, quæ supra dicta sunt de fructu satisfactionis, vt desumitur ex Caiet. *tom. 2. opusc. ad tract. 2. quæst. 2.* ver. *Et confirmatur.* Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1. in dub. de valore Miss. concl. 1.* Corduba *quæst. Theol. 3. opin. 5. conclus. 3.* ver. *Tertio principaliter. lib. 1.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 20. n. 5.* Vasquez 3. *part. disp. 231. cap. 3. n. 16.* Suarez *disp. 79. de sacrament. sect. 2.* ver. *Dico primo.* Et ratio est. Quia cum suo modo multiplicentur oblationes appropriatur sacrificium in solidum vnicuique ad impetrandum, & proinde oblatio vnius non minuit oblationem alterius. Rursus oblatio Sacerdotis tanquam publica, & vniuersalis subordinat sibi omnium cooperantium oblationes, & cum fiat nomine illorum est virtualiter multiplex, & proinde sortitur eumdem effectum, quem sortiretur, si esset formaliter multiplex, sicut sortitur forma sacramenti in plurali prolata, aut forma Eucharistica prolata supra multiplicem materiam. Difficultas autem modo est, an vt sit æquè impetratorium pro pluribus, ac pro vno tantum, requiratur, quod distinctè, in specie, & nominatim offeratur.

Prima sententia est affirmatiua, & proinde si in communi tantum offeratur, non esse æquè impetratorium, ac si pro vno tantum offerrentur. Ita Isambert. 3. *part. quæst.* 83. *disput.* 7. *art.* 12. *dub.* 1. *in fine.* Dicastil. *de sacrament. tract. 5. disput. 3. dub. 5. num. 132.* Fundamentum est. Quia, vt impetret, requirit aliquam proportionem cum re impetranda. Quando autem in communi offertur, non habet proportionem cum beneficiis omnibus impetrandis pro illis pluribus, sicut habet, quando specialiter, & nominatim offertur pro singulis, quia tunc tot sunt orationes, quod sunt personæ, pro quibus est impetrandum. 3

Secunda sententia non requirit hanc specialem oblationem, & proinde asserit, esse æquè impetratorium pro multis, ac pro vno siue in communi, siue nominatim pro ipsis offeratur. Ita Corduba *lib. 1. quæst. Theolog. quæst. 3. opin. 5. conclus. 2.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 17. num. 5. littera N. & P.* Reginald. *lib. 29. praxis. cap. 9. sect. 2. n. 157. proposit. 3.* Suarez *disput. 79. de sacrament. sect. 12.* ver. *Dico tertio.* post med. 4

Dicendum 1. *Sacrificium secundum se præscindendo ab oratione, esse æquè impetratorium, si offeratur pro multis, siue in communi, siue nominatim, & distinctè pro singulis, ac si offeretur pro vno tantum.* Ratio est. Quia efficacia impetratoria consistit in proportione motiui ad concedendum, quod petitur, non ex hac proportione consurgit congruitas concessionis, sed quod Deus de congruo moueatur ad concedendum. Sed dum offertur pro pluribus sacrificium, siue distinctè, & nominatim offeratur, siue tantum in communi habet eamdem proportionem cum beneficiis impetrandis, quam habet, si pro vno tantum offeratur: ergo erit æquè impetratorium. Min. prob. Tam per orationem in communi, quàm per distinctam, & nominatim factam applicatur idem sacrificium indiuisibiliter pro omnibus secundum suam intrinsecam dignitatem substantialem, & æstimabilitatem: ergo cum tota proportio ad impetranda fundetur in hac dignitate, & æstimabilitate, sicut retinet eamdem dignitatem, & æstimabilitatem etiam in communi applicatam, ita etiam retinebit eamdem proportionem. 5

Dices. Distinctam, & nominalem applicationem, seu oblationem æquiualere pluribus oblationibus & ideò efficaciorem esse. Contra. Illa distincta, & nominalis oblatio non multiplicat substantialem oblationem sacrificij, sed relinquit vnam, sicut enim relinquit vnum numero sacrificium: ergo non facit, quod sacrificium secundum se habeat maiorem vim ad impetrandum, quia cum non habeat, nisi ratione suæ substantialis dignitatis, & æstimabilitatis, dum hæc manet vna, & eadem, 6

manet etiam eadem efficacia impetratiua. Confirm. Oblatio in communi tanquam vniuersalis se extendit æquè ad omnes pro quibus offertur, & proinde habet latitudinem virtualem, qua æquiualet pluribus distinctis applicationibus: ergo æquè applicat sacrificium ad obtinendũ, ac applicent plures distinctæ.

7 Dicendum 2. *Ratione orationis cum qua coniungitur sacrificium, atque adeò ratione Ecclesiæ offerentis plus prodesse distinctam oblationem, quàm confusam.* Et ideò sacrificium non æquè prodesse pluribus in communi oblatum, quàm si offerretur pro vno tantum, prodesse tamen æquè, si offeratur distinctè, & nominatim pro singulis specificandu in ordine ad singulos beneficia impetranda. Prob. In oblatione distincta, & nominatim pro singulis multiplicantur petitiones, seu orationes: ergo multiplicatur etiam efficacia impetratiua ipsarum: & proinde importat plura motiua, quæ coniuncta cum motiuo sacrificij quo plus Deum mouent ad concedendum, quod petitur. Confir. Sacrificium oblatum pro vno cum speciali petitione pro ipso, impetrat tum ratione suæ æstimabilitatis; tum etiam ratione illius specialis orationis: ergo æquè impetrat, quando pro pluribus offertur, cum speciali oratione ipsis correspondente, quia sacrificium indiuisibiliter applicatur ad impetrandum pro singulis, & & singulis correspondet specialis oratio, sicut correspondet vni, quando pro vno tantum offertur.

8 Dices. Orationem communem ratione suæ vniuersalitatis æquipollere pluribus particularibus; & ideò esse eandem rationem siue oratio sit communis, siue nominatim pro singulis. Contra, Licèt sit eadem ratio quoad determinationem sacrificij ad impetrandum: non est tamen eadem ratio quoad efficaciam motiuam; nam oratio communis communi modo efficax est, quia procedit ex communi affectu obtinendi, quod petitur, & ideò non adeò æstimabili à concedente. At specialis oratio est speciali modo efficax, vtpotè procedens ex speciali affectu, & atque adeò speciali modo æstimabili. Et proinde Concil. Constant. *sess.*8. damnauit propositionem Vvicief. 19. in qua dicebat. Speciales orationes applicatas vni personæ per Prælatos, vel religiosos, non plus ei prodesse, quàm generales. Hinc etiam Ecclesia instituit in Missa speciales orationes pro certis personis, & specialem commemorationem in vtroque *Memento*, eorum quibus specialiter volumus prodesse sacrificium.

9 Ad fundamentum in oppositum negandum est, quod sacrificium oblatum in communi non habeat proportionem cum beneficiis impetrandis, quia ratione sui dignitatis, & æstimabilitatis non solum adæquat, sed etiam superat omnia beneficia, quæ Deus hominibus præstiturus est. Si verò consideretur ex parte orationis, quia non impetrat de se, sed vt informata sacrificio, & ab ipso eleuata, ideò si sacrificium habet proportio, habet etiam oratio. Imò oratio secundum se, licèt in communi fusa, non sit adeò efficax, habet tamen suam efficaciam, alioquin oratio in communi non adhiberetur in Ecclesia, & ideò eam coniungit cum efficacia sacrificij.

10 Ex dictis colligitur. Sacrificium oblatum pro aliqua populi coadunatione, aut communitate, aut pro collegio, pro confraternitate, pro populo Parochiæ, pro benefactoribus non minus esse impetratorium, pro singulis, si sint in paruo, quam si sint in magno numero, vt aduertunt etiam Corduba *in quæstiune. lib.*1.*q.*3.*opin.*5.*concl.*2.vet. *Nam meritum.* Henriquez *lib.*9 *sum.c.*17.*n.*6. Ratio est. Quia adæquat in ratione impetrationi, imò superat omnia beneficia, quæ pro tali communitate, aut coadunatione à Deo postulari possunt, vnde cum applicetur ad impetrandum pro omnibus, non minus proderit, si sint in magno quàm si sint in exiguo numero. Præsertim quia indiuisibiliter applicatur, quia eius dignitas, & æstimabilitas non potest per partes accipi, & de se est aptum vt pro pluribus, & pluribus applicetur ad impetrandum, quia semper ratione suæ cõgruitatis superabit impetranda.

11 Colligitur 2. Quod, licèt sacrificium pro pluribus oblatum, vni impetret, & alteri non impetret, imo alicui impetret, quod difficilius est, & alteri non impetret, quod facilius, non tamen fit ex hoc, quod non sit æquè efficax ad impetrandum pro omnibus. Sed hoc ex eo prouenit, quod ex parte illius, qui exauditur, concurrunt tales circumstantiæ aut ex parte rei concedendæ, vt Deus iudicet iuxta regulas suæ infinitæ sapientiæ hunc exaudiendum, illum verò non exaudiendum, aut quia Deus in thesauro suorum consiliorum, habet rationes, cur vni concedat, & alteri non concedat. Et proinde hoc totum refundendum est in illud, quod impetrationem sit necessaria, sed dependeat ex Dei liberalitate, quæ vt Deo libuerit, distribuit beneficia.

12 Colligitur 3. Sacrificium, quantum est ex parte orationis, atque adeò quantum est ex parte Ecclesiæ, & ministri offerentis, efficacius esse ad impetrandum, si nominatim pro aliquo offeratur, quàm si offeratur pro ipso, prout est pars, aut membrum alicuius coadunationis, aut communitatis, vt desumitur ex Henriq. *lib.*9.*sum.c.*17.*n.*6. *Littera Q.* Et ratio est. Quia non solum offertur cum oratione, seu petitione particulari, quæ de se efficacior est. Sed etiam, quia illa specialitas oblationis reddit ipsam magis æstimabilem, atque adeò magis aptam ad impetrandum. Rursus quia oblatio ordinatur primo, & per se ad specialem indigentiam illius, atque adeò ad speciale beneficium obtinendum.

QVÆSTIO 128.

An sacrificium ex opere operantis sit æquè efficax ad impetrandum pro vno oblatum, ac pro pluribus.

SVMMARIVM.

1. *Efficacia sacrificij ex opere operantis quomodo se habeat ad impetrandum.*
2. *Sacrificium ex opere operantis æquè efficax ad impetrandum pro vno, ac pro multis.*
3. *Sacrificij efficacia quomodo crescat ex ordinatione ad impetrandum pro pluribus.*
   Actus charitatis crescit in valore quo se extendit ad plures.
4. *Quomodo non minuatur efficacia finita ex maiori extensione: & quando nec proportio ad impetrandum.*
5. *Sacrificium cum distincta petitione pro pluribus æquè impetrat, ac pro vno.*

1 Videtur negatiuè respondendum. Quia cum efficacia sacrificij ex opere operantis sit finita, & cum certa mensura, quoad plures extenditur eò magis minuitur, & ideò minus impetratiua fit. Accedit etiam, quod minuitur proportio in ordine ad rem impetrandã, atq; cessat congruitas, imò fieri potest, quod adeò minuatur, vt imprudenter petatur beneficium.

2 Tenendum tamen. *Quod ex opere operantis sacrificium sit æquè efficax ad impetrandum pro vno, ac ad impetrandum pro multis.* Desumitur ex D.Thom. *in* 4. *dist.*45.*quæst.*2.*art.*4 *quæstiune.*2. Vbi loquens de suffragiis habet, quod facta pro multis æquè singulis prosunt, ac si pro vno tantum fierent, & in addition. *quæst.*71. *art.*13. Desumitur etiam ex Adriano. *Quodlib.*8.*art.*2. Medina *Cod. de orat. tract.*6.*quæst.*20. *dub.*3. Nauar. *de Orat. cap.*19. *conclus.*10.*num.*98. & *conclus.*11.

Digitized by Google

conclus. 1 *num.* 120. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 17. *n.* 5. *& in Comment. littera M.* Tabiena *verbo* Restitutio. *num.* 32. *&* 33. Corduba *in quæstionn. lib.* 1. *quæst.* 3. *opinione* 5. *conclus.* 2.

3 Ratio autem est. Quia offerre sacrificium ad impetrandum pro aliis includit exercitium charitatis; nam est velle, & procurare illud beneficium siue spirituale, siue temporale pro illis, pro quibus offertur sacrificium: ergo valor oblationis crescit proportionaliter ad numerum illorum, pro quibus offertur, quantum est ex opere operantis: ergo æquè erit efficax ex opere operantis, siue pro multis, siue pro vno tantum offeratur. Conseq. prima probat. Oblatio sumit suum valorem quantum est ex opere operantis ex bonitate, & honestate actionis exercitæ dependenter à bonitate ministri: ergo cum imperetur à charitate, sumet ab illo actu charitatis suum valorem. Actus autem charitatis crescit quoad plures se extendit in sua æstimabilitate, itavt duplicatur ad duas personas, triplicetur, si adores, &c. Quia ex eo, quod diuiditur effectus charitatis in plures augetur ipsa charitas. Conseq. 2. prob. Quia efficacia impetrandi crescit proportionaliter ad valorem, & æstimabilitatem operis; vnde si opus crescit in valore, & æstimabilitate graduatim ad multiplicationem eorum pro quibus offertur sacrificium, crescet etiam efficacia, atque adeò ex opere operantis æquè valebit pro vno, ac pro pluribus.

4 Ad rationem dubitandi resp. Efficaciam finitam eò magis minui, quoad plures extenditur, si ratione extensionis non crescat proportionaliter, itavt tantùm crescat, quantum extenditur. In casu autem nostro efficacia ex opere operantis crescit proportionaliter ad extensionem ratione charitatis, vt dictum est. Ex quo etiam fit quod ratione extensionis non minuatur proportio ad rem impetrandam, sed retineatur eadem proportio; quia ratione extensionis charitatis æquiualenter multiplicatur valor ad plures actus, & hæc æquiualentia constituat debitam proportionem.

5 Ex dictis colligitur. Quod si sacrificium offeratur pro pluribus nominatim, & distincta petitione pro singulis independenter etiam à dignitate, & æstimabilitate quàm recipit opus offerentis à charitate, se extendente ad plures, æquè pluribus proderit, ac vni tantùm ex opere operantis, vt aduertit etiam Ruteus *lib.* 1. *de fruct. sacrif. disp.* 3. *q.* 1. *dub.* 3. *num.* 29. Ratio est. Quia illa petitio, & oratio dignificatur à sacrificio, & ideò, cum sit multiplex, quælibet independenter ab alia recipit suam dignitatem, & æstimabilitatem, atque adeò singulæ, ex opere operantis sunt impetratoriæ eodem modo, ac si sacrificium pro vno tantum offerretur, nam multiplicata oratione, & eius dignificatione, multiplicatur etiam efficacia impetrandi.

QVÆSTIO 129.

Quanta sit efficacia sacrificij ad impetrandum, prout offertur nomine Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium habet vim impetrandi prout offertur nomine Ecclesiæ.*
2. *Minus impetrat pro pluribus, quam pro paucioribus.*
3. *Sacrificium nomine Ecclesiæ impetrat cum certa mensura.*
4. *Cur ex opere operantis æquè impetret pro multis, & non ex parte Ecclesiæ.*
5. *Efficacia impetrandi multiplicatur nomine Ecclesiæ, ad multiplicationem collectarum.*
6. *Efficacia impetrationis augetur ex parte Ecclesiæ ratione rituum Missæ.*
7. *Missæ in honorem sanctorum habent specialem vim ad impetrandum.*
8. *Missa solemnis ex parte Ecclesiæ habet maiorem vim impetrandi.*

Sacrificium habere vim impetrandi, prout offertur nomine Ecclesiæ, extra controuersiam est, quia cum ipsi coniungat suas orationes, & Sacerdos offerat nomine ipsius, tum secundum se, tum vt dignificatæ à sacrificio habent efficaciam ad impetrandum. Solum difficultas est an hæc efficacia impetratiua sit determinata cum certa mensura, itavt applicata pluribus minus possit, quàm applicata vni tantum. 1

Communiter docent, esse finitam etiam extensiuè syncathegorematicè, & proinde ordinatá ad plures, seu ad plura beneficia impetranda minus valere, & minui proportionaliter ad extensionem. Desumitur autem ex Corduba *in quæst. lib.* 1. *qu.* 3. *not.* 2. *in resp. ad dub.* Henriq. *lib.* 9. *sum c.* 17. *n.* 3. *&* 4. *in fin.* Suar. *disp.* 79. *de sacrament. sect.* 11. ver. *Dico* 3. Dicast. *de sacrament. tractat.* 5. *disp.* 3. *dub.* 4. *num.* 93. 2

Dicendum. Efficaciam sacrificij fundatam in oblatione Ecclesiæ esse finitam, & cum certa mensura: & proinde quantum est ex se eò magis minui, quoad plures extenditur. Prob. Ex parte Ecclesiæ non adest fundamentum alicuius infinitatis, seu talis augmenti, vt æquè prosit pro pluribus, ac pro vno tantum: nec etiam ex parte sacrificij: ergo quantum est de se operabitur cum certa mensura; itavt ratione maioris extensionis semper minuatur. Prima pars anteced. constat, quia fundatur in dignitate Ecclesiæ, & in eo, quod Ecclesia sit Deo accepta; dignitas autem Ecclesiæ est finita, & cum certa mensura, sicut etiam finito modo est Deo accepta, & ideò non potest fundare, nisi certam mensuram efficaciæ; secunda etiam pars constat; nam licèt sacrificium secundum se, habeat dignitatem, & æstimabilitatem infinitam, non dignificat oblationem, vt in persona Ecclesiæ, nisi finito modo, quia non se illi communicat substantiali modo, & intrinsecè, sed solum extrinsecè, quatenus terminus actionis exercitæ nomine Ecclesiæ. Conseq. etiam patet, quia dum efficacia est cum certa mensura, si extendatur ad plures minuetur respectu singulorum. 3

Dices. Sacrificium ex opere operantis est æquè efficax ad impetrandum pro vno, ac pro pluribus, vt dictum est in præcedent. Ergo etiam oblatum nomine Ecclesiæ erit æquè efficax ad impetrandum pro vno, ac pro pluribus. Resp. neg. conseq. Quia ideò est æquè efficax ex opere operantis pro vno, ac pro pluribus quia oblatio imperatur à charitate, quæ, quoad plures se extendit, eò magis crescit, & magis dignificat actionem, & ex eo, quod diuiditur effectus ipsius, non minuitur, sed eò magis crescit, vt habet D. Tho. *in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 4. *quæstiune.* 2. At hoc non contingit ex parte Ecclesiæ, quia cum sit persona ficta, non interuenit ex parte ipsius actus charitatis, qui acceptat valorem oblationis eam magis dignificando, quoad plures extenditur. 4

Ex dictis colligitur. Quod si in Missa recitentur plures orationes, aut Collectæ ex iis, quæ præscribuntur ab Ecclesia, multiplicabitur efficacia in ordine ad impetrandum ad ipsarum multiplicationem. Huiusmodi enim collectæ continent speciales orationes nomine Ecclesiæ, atque adeò repetitam interpositionem sanctitatis suæ, & meritorum ad intercedendum. Vnde cum sint coniunctæ cum sacrificio, atque adeò ab ipso dignificatæ habent multiplicem, & æqualem efficaciam ad impetrandum, & æquiualeat pluribus sacrificiis, quantum est ex 5

parta valotis, & efficaciæ, quæ proueoit ex oblatiooe in persona Ecclesiæ. Sicut in diuersis sacrificiis multiplicatur intercessio Ecclesiæ, quia pluries eius sanctitas, & merita interponuntur ad impetrandum; ita etiam dum in eodem sacrificio mediantibus pluribus collectis pluries interponitur, multiplicabitur intercessio.

6 Secundo colligitur. Efficaciam impetrationis ex parte Ecclesiæ offerentis augeri ratione rituum, quos adhibet in oblatione intelligendo nomine, rituum totam actionem Missæ. Cùm enim tota illa collectio rituum, & cæremoniarum sit instituta ad fouendam sacrificij maiestatem, & tanquam visibilia religionis, & pietatis signa ad excitandas mentes fidelium ad contemplationem rerum altissimarum, quæ catent in sacrificio, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 5. de sacrific. Miss.* tanquam de re valde accepta addit sacrificio nouam rationem acceptabilitatis, & speciale motiuum ad impetrandum, & ideò auget accidentaliter efficaciam ipsius.

7 Tertio colligitur. Quod Missæ celebratæ, in honorem sanctorum habeat aliquam specialem vim ad impetrandum supra ordinariam. Siquidem, quamuis ipsis non offeratur sacrificium, sed Deo, ait gratias agimus de illorum victoriis attamen resultat etiam erga ipsos speciale obsequium, & specialis, honor, & eorumdem patrocinium imploratur; vt pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris, vt habet Concil. Trid. *sess. 22. cap. 3. de sacrificio Missæ.* & ideò adiungitur sacrificio, & intercessioni Ecclesiæ ipsarum intercessio, & proinde crescit ex hoc capite efficacia impetrationis, cum addatur nouum motiuum respectu Dei ad concedendum. Vnde quando offertur sacrificium ad impetrandum melius erit celebrare Missam votiuam alicuios sancti, quam celebrare Missam de feria, quia hæc non habet annexam, impetrationem alicuius sancti specialem, & ideò caret hoc motiuo.

8 Quarto colligitur. Missam celebratam cum Ministris Diacono, atque Subdiacono cæterisque cum pluribus cereis, thure, cantu cæterisque solemnibus cæremoniis ab Ecclesia institutis, ex parte Ecclesiæ offerentis esse efficaciorem ad impetrandum, vt notat etiam Henriquez *libr. 9. summ. cap. 57. num. 4.* Ratio est. Quia importat solemnem modum offerendi sacrificium per quem maior honor, & maius obsequium exhibetur Deo, & proinde habet specialem, & notabilem rationem acceptabilitatis super alia sacrificia, & consequenter nouam efficaciam ad mouendum Deum, vt concedat quod petitur. Et proinde fieri potest, quod ratione huius solemnis modi offerendi sacrificium concedat Deus, quod aliàs non esset concessurus, eo modo ferè, quo princeps concedet alteri, quod ab ipso solemni legatione Missa petitur, quod non concederet, si per simplicem nuntium peteret. Ex quo fit quod cum iste honor exhibeatur Deo nomine Ecclesiæ non possit non esse illi valdè acceptus, atque adeò esse valdè efficax ad impetrandum.

QVÆSTIO 130.

An sacrificium improbi Sacerdotis sit æquè efficax, ac probi.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium improbi Sacerdotis est æquè efficax ex opere operato, ac probi.*
2. *Sacrificium improbi Sacerdotis, vt oblatum nomine Ecclesiæ est æquè efficax ac probi.*
3. *Sacrificium improbi Sacerdotis non valet ad satisfaciendum ex opere operantis.*
4. *Missa improbi Sacerdotis non est impetratoria ex opere operantis.*
5. *Oblatio Sacerdotis improbi, vt propria ipsius, est peccaminosa.*
6. *Missa probi Sacerdotis secundum se est magis fructuosa.*
7. *Quo fructu careat.*
8. *An magis fructuosa pro illo, pro quo offertur.*
9. *Sacerdos ex vi obligationis assumpta ratione stipendij, &c. non tenetur dignè offerre.*
10. *Missa improbi Sacerdotis potest per accidens esse impetratoria ex opere operantis.*
11. *Actio externa offerendi semper redundat in beneficium illius, pro quo offertur, si sit bona.*

EX dictis in superioribus resoluenda est præsens difficultas. Vnde supponendum est. Sacrificium improbi Sacerdotis quoad fructum ex opere operato esse æquè efficax, ac sacrificium probi Sacerdotis, vt communiter docent D.Thom. *3. part. qu. 82. art. 6.* vbi interpretes Nauar. *in Manuali cap. 25. n. 79. & 111.* Suarez *disp. 79. de sacram. sect. 8.* Vasquez *3. part. disput. 229 cap. 2.* Miranda *tom. 1. Manual. qu. 41. art. 22.* Faust. *de Eucharist. lib. 2. de sacrific. q. 63.* ver. *In qua re.* Dicastil. *de sacram. tract. 5. disp. 3. dub. 2. n. 193.* Et ratio est, quia fructus ex opere operato pendet solùm à sacrificio secùndum se considerato, & est munda hostia, quæ offerentium malitia inquinari non potest, vt habet Concil. Trid. *sess. 22. cap. 2. de sacrif.* Ergo improbitas offerentis nihil ipsi detrahit, alioquin ipsum inquinaret, & non dependeret à sola substantia sacrificij, sed etiam à probitate Sacerdotis. Vnde si nihil detrahit, remanet æqualis cum fructu ex sacrificio probi offerentis. 1

Supponendum 2. Quantum est ex parte Ecclesiæ offerentis adhuc esse æquè efficax, ac sacrificium probi Sacerdotis, vt inter alios aduertit Dicastil. *de sacram. tr. 5. disp. 3. dub. 3. n. 193.* Ecclesia enim est æquè Deo grata, & accepta, siue offerat sacrificium bonus, siue improbus Sacerdos, & proinde quatenus offertur nomine ipsius est æquè gratum Deo, quia non respicit ad Sacerdotem offerentem, sed ad Ecclesiam, cuius nomine offertur, & ratione cuius habet suam specialem efficaciam. Accedit etiam, quod Sacerdos offert sacrificium nomine Ecclesiæ, vt publicus minister, in quo vt tali consideratur dignitas Sacerdotalis, secundum quàm influit oblationem, & ideò, licèt vt priuata persona sit iniquus, non inficit, quod dat vt publicus minister. 2

Supponendum 3. Sacrificium improbi Sacerdotis, quantum ex opere operantis ipsius, nullam habere efficaciam in ordine ad satisfaciendum, vt communiter docent D.Thom. *3. p. qu. 82. art. 6.* Valent. *tom. 4. tom. 4. disp. 6. q. 10. punct. 3.* Nauar. *c. 25. Manual. n. 79.* Sotus *in 4. dist. 13. qu. 1. art. 6.* Dicastil. *tract. 5. de sacram. disp. 3. dub. 3. n. 194.* Ratio est. Quia illa oblatio, quatenus satisfactoria ex opere operantis Sacerdotis non est grata Deo, imò displicet cum iodignè exerceatur, & sit peccaminosa, & ideò non potest à Deo acceptari pro satisfactione. 3

Dicendum 1. *Missam improbi Sacerdotis ex opere operantis, quantum est tenet ex parte ipsius, non esse impetrationem.* Ita communiter D. Thom. *3. p. q. 82. art. 6.* Dicast. *de sacram. tr. 5. disp. 3. dub. 3. n. 194.* Intelligitur autem, quod per se non sit impetratoria, quia fieri potest, quod per accidens sit impetratoria, vt infra explicabitur. Desumitur autem ex illo Prou. 28. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Qood intelligitur, de oratione peccaminosa, quia aliàs orationes iniquorum, si fiant debito modo, sont impetratoriæ, licèt non meritoriæ, nec satisfactoriæ 4

Prob.

5 Prob. Sacerdos improbus offerens sacrificium, in peccato, committit nouum peccatum, ita vt illa actio offerendi, quatenus est actio personæ priuatæ, sit peccaminosa: ergo non potest esse impetratoria, quia ad impetrandum requiritur oratio, quæ sit Deo grata, & habeat congruitatem cùm re impetranda. Anteced. constat. Quia offerens sacrificium in peccato nedum est indignus, vt offerat, sed etiam indignè offert, quia exercet actionem sibi prohibitam, dum est in illo statu.

6 Dicendum 2. Missam probi Sacerdotis esse secundum se magis fructuosam, quàm Missam Sacerdotis improbi. Ita D. Thom. 3. *part. quæst.* 82. *art.* 6. & *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 1. *art.* 4. Sotus *art.* 6. & alij Comment. *ibid.* D. Bonauent. Palud. &c. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 18. *num.* 5. Suarez *disp.* 79. *de sacrament. sect.* 8. *in fine*, Faustus *de Eucharist. lib.* 2. *de sacrific. quæst.* 63. §. *Tota igitur.* vet. *At verò.* Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disp.* 3. *dub* 3. *n.* 200. Vasquez 3. *part. disp.* 229. *cap.* 2. *num.* 10. Desumitur ex cap. *Ipsi Sacerdotes.* 1. *quæst.* 1. ex Alexandro Papa *epist.* 2. vbi cum dixisset, quod Sacerdotes suis precibus, & oblationibus delent peccata, subdit. *Qui* (Sacerdotes) *quantò digniores fuerint, tantò facilius pro necessitatibus, pro quibus clamant exaudiuntur.* Ex quibus constat, quod dignitas offerentis facilitat impetrationem, atque adeò exhibet Deo speciale motiuum ad concedendum.

7 Prob. Valor Missæ constat ex triplici parte, nempè valore ex opere operato, qui prouenit ex natura sacrificij: valore qui prouenit ex dignitate, & meritis Ecclesiæ, & valore, qui prouenit ex opere operantis ipsius ministri. Missa autem improbi Sacerdotis caret hoc tertio valore tàm quoad ipsum Sacerdotem, quàm quoad alios. Confirm. Sacrificium sensibile externum est signum interioris sacrificij, per quod offerens se submittit Deo quatenus personam priuatam, & se totum deuouet Deo: ergo cum hoc non possit præstari per actionem peccaminosam, qualis est illa oblatio sacrificij, carebit oblatio sacrificij illa honestate, & bonitate, quam sacrificium interius refundit in exterius: ergo sacrificium, tanquam carens hac bonitate, erit minus Deo acceptabile.

8 Dices. Ex hoc solum sequi, quod sacrificium improbi sacerdotis secundum se sit minoris valoris, non autem respectu illius, pro quo offertur, quia offerens non tenetur applicare, nisi fructum medium, non autem fructum ex opere operantis. Contra; quia licet non teneatur applicare, fieri tamen potest, quod applicet, aut saltem, quod cum aliquo speciali affectu & deuotione desideret, sacrificium proficere illi, pro quo offert; quod satis confert ad augendum valorem sacrificij. Deindè sacrificium secundum se caret illa speciali bonitate, quam recipit ex interiori sacrificio offerentis: ergo fit minus acceptum Deo, quàm aliàs esset, nam si haberet, ratione ipsius esset ipsi speciali modo acceptum: ergo etiam minus mouet Deum ad concedendum.

9 Dices 2. Sacerdotem teneri offerre dignè sacrificium, quia qui data eleemosyna, petens offerri obligat sacerdotem, vt sibi exhibeat suum ministerium sicut sacrificium exigit exhiberi. Contra; siue teneatur, siue non teneatur, semper sacrificium est minus acceptum Deo; atque adeò minus impetratiuum. Deindè; ex eo, quod sacerdos obligatur exhibere suum ministerium sacerdotale, censetur se obligare tantum ad externam oblationem sacrificij, & solum exigentia, quod dignè offeratur est ex parte sacrificij, & proindè non inducitur de nouo ab exigente sacrificium, sed supponitur: ergo, si sacerdos non offerat dignè facit tantum contra obligationem, quæ oritur ex natura sacrificij; non autem contra obligationem contractam cum dante eleemosynam, & ideò huic satisfacit, etiam si indignè offerat.

Ex dictis colligitur. Contingere posse, quod per accidens Missa improbi sacerdotis sit ex opere operantis impetratoria, si videlicet contingat, quod sit in statu peccati, & offerat absque nouo peccato. Quia enim fieri potest, quod cognoscat suum statum, & non habeat copiam confessarij, & putet se contritum, cum reuera non sit contritus; aut quod si confiteatur, non habeat veram attritionem, licet putet se habere, & proindè sacramentum sit nullum, ideò in his casibus ratione bonæ fidei offeret sine peccato: & consequenter eius oblatio ex opere operantis poterit esse impetratoria, non secus, ac orationes peccatoris ritè exhibitæ impetratoriæ sunt. Cum enim actus ab ipso exercitus sit actus principalissimus religionis, atque adeò habeat suam honestatem, & æstimabilitatem, habet etiam suam acceptabilitatem apud Deum in ordine ad impetrationem. 10

Secundò colligitur; quod quando quis offert sacrificium pro alio, fieri non potest, quod illa actio externa religionis, & cultus, in qua consistit celebratio Missæ, non redundet aliquo modo in beneficium illius. Ratio est, quia stante modo offerendi sacrificium instituto ab Ecclesia est inseparabilis ab oblatione, & ideò si oblatio ordinatur ad eius beneficium, ordinatur etiam illa actio, externa celebrationis: & consequenter etiam secundum suam honestatem, seu bonitatem, quam recipit ab actu interno. Vndè si sit peccaminosa, nec vllam bonitatem recipiat ab actu interno, tunc oblatio sacrificij erit ei minus fructuosa, quàm aliàs esset, quia carebit aliqua bonitate, quæ redundat in beneficium illius, pro quo offertur; quæ licet non sit substantialis sacrificio, pertinet tamen ad eius integritatem. 11

QVÆSTIO 131.

An Missa solemnis habeat maiorem valorem, quam priuata.

SVMMARIVM.

1. *Quænam augere possint valorem Missæ solemnis.*
2. *Totus apparatus Missæ solemnis adhibetur nomine Ecclesiæ.*
3. *Missa solemnis quomodo sit ex institutione Christi.*
4. *Pro quo offertur sacrificium, offertur etiam solemnitas Missæ solemnis.*
5. *Missa solemnis magis efficax ad impetrandum ex parte oblationis Ecclesiæ.*
6. *Specialia Missæ solemnis sunt actiones Deo acceptæ.*
   Modus solemnis offerendi sacrificium continet maiorem cultum Dei.
7. *In Missa solemni quomodo ipsa Ecclesia offerat.*
8. *Missa solemnis ex parte Ecclesiæ offerentis magis efficax ad satisfaciendum.*
9. *Satisfactio ex actionibus Ministrorum in Missa solemni spectat ad fructum qui se tenet ex parte Ecclesiæ.*
10. *Sacrificium solemne est magis efficax ex opere operato.*
11. *Onera Missarum cur commutentur in anniuersaria.*
12. *Sacrificium solemne debuit in maiori mensura applicare virtutem sacrificij Crucis.*
13. *Sacramenta cur conferunt maiorem gratiam melius dispositis.*

14. *Solemne sacrificium cur debuerit ordinari ad maiorem fructum.*
15. *Fructus sacrificij debet correspondere modo oblationis.*
16. *Sacrificium quò solemnius eò fructuosius.*
17. *Apparatus funeris & exequiarum habet vim satisfaciendi nomine Ecclesiæ.*
18. *Laudatio defuncti an prosit defuncto.*

1 NOmine Missæ solemnis intelligitur, quæ celebratur cum ministris omnibus, cantu, &c. Nomine verò Missæ priuatæ intelligitur ea, quæ celebratur à solo sacerdote cum solo ministro. In Missa autem solemni plura consideranda sunt, quæ possint augere æstimabilitatem ipsius. Primum quod celebretur cum omnibus ministris secundum omnes ordines destinatis ministerio altaris Diacono, Subdiacono, Acholito & cæteris insignitis alijs ordinibus minoribus. Secundum quod celebretur cum cantu, atque adeò pluribus fundentibus illas preces, quæ sunt pro celebratione institutæ ab Ecclesia. Tertium quod celebretur cum maiori apparatu, non solum sacrarum vestium, sed etiam luminum. Quartum quod celebretur cum specialibus quibusdam ritibus & cæremonijs iuxta proportionem ministrorum, quæ augent maximè maiestatem sacrificij. Quintum quod thus incendatur, & offeratur Deo, quod dicit maximum cultum; nam sola oblatio thuris incensi est actio, & cultus valdè Deo acceptus: vt constat ex sacrificijs veteris legis.

2 Supponendum est autem, quod tota ista solemnitas & apparatus, qui adhibetur in Missa, in persona Ecclesiæ adhibetur, itavt sicut in Missis priuatis sacerdos offerens nomine Ecclesiæ tanquam eius minister illam repræsentat; ita etiam in Missa solemni omnes Ministri cum toto illo apparatu eandem Ecclesiam repræsentent, & omnes in persona ipsius cooperentur sacrificio. Ex quo fit, quod in vtraque Missa Ecclesia sit quidem offerens, sed diuerso modo: nam in priuata veluti priuato modo offert: in solemni verò veluti publico & solemnissimo modo: & proindè valdè augetur maiestas sacrificij, & cultus Dei, dum cum tanta pompa ei offertur sacrificium.

3 Supponendum 2. Hanc solemnitatem sacrificij fundari secundum substantiam in institutione Christi, quamuis posteà ab Ecclesia amplificata sit, eò ferè modo quo institutio eiusdem sacrificij secundum substantiam fuit à Christo, ab Ecclesia verò additi fuerunt ritus, & cæremoniæ cum quibus offertur. Hoc autem desumitur ex eo, quod saltem ordo Diaconatus est sacramentum, & proindè fuit à Christo institutus. Vndè cum Diaconus ratione ordinis sit specialiter consecratus minister sacerdotis in ordine ad offerendum sacrificium, fit, quod modus offerendi sacrificium cum solemnitate ministrorum secundum substantiam fuerit à Christo, & ab Ecclesia posteà amplificatus iuxta potestatem ab ipso acceptam; dato enim, quod alij ordines non sint à Christo instituti immediatè à Christi, saltem fuerunt instituti ab Ecclesia potestate accepta à Christo tanquam gradus, & inchoationes quædam ordinis sacerdotalis.

4 Supponendum 3. quod quando cum hac solemnitate offertur sacrificium ad instantiam alterius, non solum pro ipso offertur nudum sacrificium, sed tota illa solemnitas, quæ stat in persona Ecclesiæ ordinatur simul cum sacrificio ad ipsius vtilitatem. Quod ex eo constat; nam, qui petit offerri pro se sacrificium cum tali solemnitate nedum petit nudam oblationem, sed etiam illam solemnitatem, & pompam; & ideò qui se obligat, nedum se obligat ad sacrificium, sed etiam ad solemnitatem, & ad exhibendum Deo huiusmodi cultum cum tota illa pompa in eiusdem beneficium. Deindè cum Ecclesia per suum ministrum applicet sacrificium ad fauorem petentis, applicat etiam omnia connexa, cum quibus in persona ipsius offertur, & ideò stante applicatione sacrificij ex determinatione Ecclesiæ, remanet etiam applicatus totus cultus, qui consurgit ex pompa, & solemnitate sacrificij.

5 Dicendum primò, *Missam solemnem esse magis efficacem ad impetrandum pro eo, pro quo sacrificium offertur, quantum est ex parte oblationis Ecclesiæ.* Ita Henriquez *lib.9.sum.cap.*17. Prob. In Missa solemni interueniunt plura ex parte Ecclesiæ offerentis, quæ augent maiestatem sacrificij, & acceptabilitatem ipsius apud Deum, & quæ valdè augent cultum, & obsequium Deo exhibitum: ergo augent etiam efficaciam ipsius ad impetrandum, quia efficacia impetrandi consistit in eo, quod adsint motiua apta ad mouendum Deum ad concedendum, quod petitur, & in tantum aliquid habet vim ad impetrandum, in quantum habet vim ad mouendum Deum ad concedendum.

6 Confirm. Omnia hæc specialia, quæ interueniunt in Missa solemni de se sunt actiones gratæ Deo; & quæ coniunctæ cum oratione efficaces erunt ad impetrandum, tanquam importantes maximum obsequium erga Deum: ergo coniunctæ cum sacrificio augebunt efficaciam ipsius ad impetrandum, quia efficaciæ ipsius addent etiam propriam. Confirm. 2. Modus offerendi sacrificium solemniter est longè superior quoad cultum Dei externum, quàm modus offerendi priuatim: ergo si ratione modi offerendi priuatim prouenit ex parte Ecclesiæ offerentis notabilis efficacia ad impetrandum, eò maior consurget ratione modi offerendi solemniter.

7 Confirm. 3. In Missa solemni Ecclesia non offert sacrificium præcisè per ministrum, vt in Missis priuatis, quem solum substituat ad hoc munus obeundum, sed ipsa interuenit ministerio, non quidem secundum se totam, sed secundum sui partem, in qua collegiali modo repræsentatur collectio fidelium, & coadunatio ipsorum ad illam oblationem, atque adeò cōparatur ad Missam priuatam, sicut compararetur, si aliquis Magnatum mitteret Regi munus per suum ministrum, & si ipse comitantibus pluribus alijs nobilibus deferret Principi idem munus: ergo sacrificium ex parte Ecclesiæ offerentis est longè æstimabilius ratione modi offerendi, quàm dum offertur per solum sacerdotem sine solemnitate: ergo erit etiam magis efficax ad impetrandum, quia hæc efficacia consequitur æstimabilitatem, & valorem.

8 Dicendum 2. *Missam solemnem quantum est ex parte Ecclesiæ offerentis, esse magis efficacem ad satisfaciendum pro eo, pro quo celebratur, quàm non solemnem.* Ita Henriquez *lib.9.sum.cap.*17.*num.*7. Prob. Omnes illæ actiones, ritus, cæremoniæ, cantus, assistentia cooperantium ad sacrificium habent singula suam propriam vim satisfaciendi; imò etiam pompa luminum, sacrarum vestium, ratione etiam expensarum, quæ fiunt pro ipsa: ergo superaddunt singulam suam peculiarem efficaciam satisfactiuam sacrificio: ergo valdè crescet ex parte Ecclesiæ offerentis: ergo cum redundet in beneficium illius, pro quo celebratur, vt adnotatum est, valdè ipsi accrescet fructus satisfactionis.

9 Dices. Hanc satisfactionem fundari in opere operantis Ministrorum, & cooperantium sacrificio, & proindè non teneri ipsam applicare illi, pro quo offertur sacrificium. Contra. Hæc satisfactio fundatur in illis actionibus, quæ ab his exercentur tanquam repræsentantes Ecclesiam, & in persona ipsius: ergo spectat ad fructum, qui prouenit ex parte

Ecclesiæ

Ecclesiæ offerentis, qui cedit in beneficium illius, pro quo celebratur, itavt non possit impediri à voluntate sacerdotis aliter applicantis, siquidem non habet facultatem supra fructum, quem communicat Ecclesia offerens. Et eo ipso quod ministri cooperantur solemnitati sacrificij, transferunt dominium huius cooperationis in Ecclesiam, itavt fructus tanquam consurgens ex partibus Missæ cedat in illius beneficium pro quo offertur sacrificium.

10 Dicendum 3. *Sacrificium solemniter oblatum esse magis efficax etiam ex opere operato quoad suum fructum propitiationis, satisfactionis, & impetrationis.* Hoc autem desumitur ea eo, quod hoc sacrificium est relictum Ecclesiæ, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1. de sacrific. Miss.* vt ipso vteretur, ad applicandam virtutem sacrificij Crucis in remissionem peccatorum, & consequenter in satisfactionem pro peccatis, & in alios fines, ad quos est ordinatum ex institutione sua. Vndè cum Christus instituerit, vt communicatiuum fructus suæ passionis, & taxauerit quantitatem communicationis, & tradiderit Ecclesiæ, vt vteretur in hunc finem, debuit diuersimodè taxare communicationem fructus suæ passionis iuxta diuersitatem modi, quo erat offerendum, vt fructus corresponderet modo oblationis, siquidem solemnis modus offerendi de congruo exigit communicationem maioris fructus; & cum sit magis gratus, & acceptus Christo, debuit ipsum compensare determinando, quod sacrificium ex opere operato communicaret maiorem fructum.

11 Desumitur etiam ea praxi Ecclesiæ. Nam quando aliqua Ecclesia est aggrauata pluribus oneribus Missarum, quibus satisfacere non potest, solet commutare in tot anniuersaria, quæ comprehendunt singula vnam Missam solemnem pro defunctis. Non esset autem æqua commutatio, nisi Missa solemnis esset magis efficax ex opere operato, siquidem non fieret aliqua compensatio fructus ex opere operato prouenienre ea pluribus sacrificijs: vndè melius esset, quod reducitur ad minorem numerum, cum tamen difficilius concedar reductionem ad minorem numerum.

12 Ratio autem est. Quia cum sacrificium fuerit capax, vt applicaret virtutem, & fructum sacrificij Crucis in maiori, & maiori mensura, & ex determinatione Christi factum sit, quod in tali mensura applicaret, potuit instituere, vt oblatum solemniter conferret in maiori mensura, & etiam debuit: ergo dicendum est, quod ita instituerit. Quod autem debuerit ita instituere ex eo colligitur, quod in cæteri quoque, quæ ab ipso instituta sunt, seruauit proportionem, & correspondentiam congruitatis: vndè instituit sacramenta in signis sensibilibus proportionatis, & analogis effectui, quem erant causatura; instituit quod effectus ipsorum corresponderet dispositioni recipientium. Instituit sacrificium in signis visibilibus, vt esset proportionatum naturæ hominum, quæ obiectis sensibilibus mouetur, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1. de sacrific. Miss.* Et in hoc imitatus fuit Patrem suum, qui omnia fecit in pondere, & mensura, atque adeò inuicem proportionata: vt proindè ab initio orationis proportionauerit gratiam naturæ, siquidem gratia collata fuit angelis secundum quantitatem naturalium, hoc est maiorem, vel minorem secundum maiorem, vel minorem perfectionem naturæ, vt docent communiter cum D. Thom. *1. part. quæst. 62. art. 6.* Ergo cum instituerit sacrificium solemniter offerendum, dum instituit ministros conferentes solemnitatem, dicendum est, quod etiam ipsum sic offerendum ordinauerit ad maiorem, & solemniorem effectum.

13 Confirm. Ideò sacramenta conferunt maiorem gratiam melius dispositis ex institutione diuina, quia ratione dispositionis habent maiorem conuersionem in Deum, & gratia corresponder conuersioni: ergo cum sacrificium solemniter oblatum haber maiorem cultum, & obsequium erga Deum, debuit habere annexum maiorem effectum, quia sacrificium ideò habet suos effectus, quia ea natura sua est summus cultus, qui potest Deo exhiberi.

Confirm. 2. Christus instituit, & ordinauit oblationem sacrificij ad illos effectus, quos causat: ergo cum instituerit offerendum in diuerso gradu nempè sine solemnitate, & cum solemnitate, siquidem, vt dictum est, solemnis oblatio mediante institutione ministrorum est à Christo, debuit etiam ordinare ad eosdem effectus secundum diuersos gradus, & proindè solemne sacrificium ad maiorem fructum, vt seruetur debita proportio, & correspondentia inter modum offerendi, & fructum oblationis. 14

Confirm. 3. Sacrificium fuit à Christo institutum, vt applicet nobis virtutem sacrificij Crucis, & communicet nobis fructus ipsius; & in tantum hoc habet, in quantum repræsentat sacrificium Crucis: ergo cum Christus determinauerit quantitatem fructus communicandi, debuit determinare, quod sacrificium magis solemniter oblatum maiorem fructum communicaret. Conseq. prob. Quia, cum fructus non correspondeat virtuti sacrificij, quia posset maiorem, & maiorem communicare, deber correspondere modo oblationis, itavt quò solemnior est modus oblationis, eò maior fructus sit addictus sacrificio. 15

Ea dictis colligitur, quod quò solemnior est Missa, nempè cum pluribus assistentibus ministerialiter, cum pluribus cantantibus consuetas preces, cum pluribus luminibus, cum pretiosioribus vestibus sacris eò magis fructuosum est sacrificium ex parte Ecclesiæ offerentis. Ratio est, quia hæc omnia augent pompam, & maiestatem sacrificij, atque adeò etiam cultum sensibilem Dei, & consequenter augent æstimabilitatem sacrificij, & plures actiones satisfactoriæ interueniunt. Efficacia autem sacrificij ea parte Ecclesiæ offerentis crescit secundum mensuram æstimabilitatis, quam recipit ab ipsa Ecclesia. Imò si fructus ex opere operato est determinatus, vt sit proportionatus solemnitati oblationis, vt dictum est, ad augmentum solemnitatis, crescet proportionaliter fructus ea opere operato, sicut crescit ex meliori dispositioni recipientis, vt dictum in superioribus suo loco. 16

Colligitur 2. Quando celebrantur exequiæ defunctorum apparatus funeris, & luminum est actio satisfactoria pro defunctis magis, vel minus iuxta quantitatem apparatus. Nam interueniunt expensæ, quæ etiam ordinantur ad eleemosynam, cum quod superest, remaneat Ecclesiæ. Interuenit ille cultus, cum quo Deo obsequium exhibetur in fauorem defunctorum, & satisfactio pro pœnis luendis, & crescit satisfactio ratione solemnitatis, qua redditur magis æstimabilis. Vndè totus iste apparatus coniunctus cum precibus Ecclesiæ, & oblatione sacrificij, & per ipsam Ecclesiam Deo exhibitus continet vim maximam satisfaciendi, quia omnia ista opera satisfactoria ratione solemnitatis, & præsentationis factæ ab Ecclesia valdè crescunt in æstimabilitate in ordine ad satisfaciendum, & æquiualent ad magnam quantitatem pœnæ, quæ proindè est remittenda, cum secus ac satisfactio publica, & solemnis exhibita personæ offensæ plus æstimatur, quam priuatim exhibita. 17

Colligitur 3. An in funeribus laudatio defuncti, siue per Panegyrim, siue per Emblemata, aut quocunque alio modo prosit defuncto. In qua difficul- 18

tate,

tate, si hæc omnia, quæ in laudatione interueniunt, accipiantur tanquam opera pœnalia, atque adeò satisfactoria, & ordinentur ad satisfaciendum pro pœna ab ipso luenda, certum est, quod ratione huis eleuabuntur, vt sint pro ipso satisfactoria, non secus, ac alia opera, quæ solent exhiberi pro satisfactione. Rursus si in laudatione recenseantur virtutes Christianæ defuncti, pia opera, cæteraque merita apud Deum, cum hoc nihil aliud sit, quàm ex Deo repræsentare, & hæc repræsentatio intermisceatur actioni funeris, seu exequiarum, quas Ecclesia celebrat in beneficium defuncti, communicat cum actione Ecclesiæ, & simul cum ipsa concessit nedum ad satisfaciendum, sed etiam ad impetrandum, quia ratione talis communicationis Ecclesia repræsentat merita defuncti, & orat vt etiam intuitio ipsorum liberet eum à pœnis luendis, quod auget pretium, & æstimabilitatem satisfactionis, quæ Deo exhibetur.

QVÆSTIO 132.

Quemnam fructum recipiat Sacerdos dum fructum sacrificij alteri applicat.

SVMMARIVM.

1. *Quem fructũ percipiat Sacerdos, quando pro se offert.*
2. *Quem fructũ recipiat, si ex charitate offerat pro alio.*
3. *Indignè offerens pro alio, quo fructu priuetur.*
   Indignè offerens pro alio ex charitate non meretur.
   Indignè offerens pro alio percipit fructum impetrationis minorem quàm si offerret pro se.
4. *Quando quis dignè pro alio offert, non sunt comparabiles fructus quo priuato, & fructus, quem percipit.*
   Fructus charitatis ex genere suo est melior cæteris.

1 QVia Sacerdos potest pro se sacrificium offerre, ideò tum ex ipso percipit, nedum fructum specialissimum, quem semper percipit pro quocunque offerat, sed etiam fructum, qui est sub eius libera dispositione: vndè quando pro se offert, sibi applicat hunc fructum medium, quem alijs applicare posset. Quia ergo potest alteri applicare ex motiuo charitatis, quod contingit, etiam quando applicat accepta eleemosyna, ideò dubitatur, quem fructum tunc recipiat ratione charitatis, quam exercet, & an æquiualeat fructui, quem aliàs perciperet, si sibi applicaret fructum medium.

2 Rureus *lib.1.de fruct. sacrific. disp. 3.quæst 3.dub.4. num.*20. docet, recipere quandoque imò sæpius maiorem fructum, quam dependat, seu quàm reciperet, si pro se offerret; & citat Richard. *in 4. distinct. 45. art. 2.quæst.3. ad 3.* Sotum *quæst.2.art.1.* Suarez *3.par. tom.4. disp.48. sect.3.* quatenus id docent de suffragijs, quibus quis se priuat, & alteri applicat, quia militat inquit eadem ratio.

3 Verum imprimis distinguendum est de eo, qui pro alio indignè offert sacrificium, & de eo, qui dignè offert. Si enim indignè offert, si pro se offerret, nullum fructum perciperet siue propitiationis siue satisfactionis, quia ad neutrum est dispositus; vndè ad summum percipere posset fructum impetrationis, quia licet actio offerendi; vtpotè peccaminosè exercita, non sit impetratoria ex opere operantis, est tamen impetratorium sacrificium, cuius efficaciæ non præiudicat indignitas offerentis. Vndè caret fructu illo impetrationis, si alteri applicet ex charitate. Tum autem actus ille charitatis erga proximum non est meritorius, cum offerens non sit in statu merendi, & ideò potest esse tantum de congruo impetratorius. Comparando autem hanc impetrationem cum impetratione, quam reciperet ex sacrificio Missæ si pro se offerret, videtur longè minor, nam motiuum, vndè Deus moueri potest ad concedendum fundatur in actu virtutis elicito à peccatore, motiuum autem, quod se tenet ex parte sacrificij fundatur in summa dignitate sacrificij, quæ longè excedit, & absque termino dignitatem illius actus, & proindè est magis congrua ad obtinendum.

Si verò dignè offerat, non videtur fieri posse comparatio, cum agatur de fructu diuersi generis; nam exercendo actum charitatis percipit fructum meriti augmenti gratiæ, & gloriæ. Si verò offerret pro se sacrificium, perciperet fructum satisfactionis, & impetrationis: non autem propitiationis, quia cum sit in statu gratiæ, non indiget propitiatione. Vndè cum hi fructus sint adeò diuersi, nec sit notum, quanta sit satisfactio, & impetratio ex parte sacrificij, nec quantum sit illud augmentum gratiæ, & gloriæ, non potest fieri comparatio neque etiam quoad æquipollentiam; præsertim quia impetratio non est infallibilis, vt suo loco dictum est; nec considerari potest, quid impetretur, si efficax sit, quia deberent considerari singulæ impetrationes in particulari. Hoc solum adnotari potest, quod fructus charitatis ex genere suo est melior; nam augmentum gratiæ, & gloriæ est melius, quàm sit satisfactio, cum satisfactio solum dicat compensationem pœnæ luendæ, ex qua consurgit acceleratio gloriæ; nam quò minor est pœna luenda, eò citius acquiritur gloria, & consequenter gloria fit magis extensa quoad durationem secundum aliquam partem temporis. Augmentum autem gratiæ, & gloriæ, quod habetur ex actu charitatis, dicit ipsam substantiam gratiæ, & gloriæ, quæ sit futura æterna; vndè superat & in substantia, & in duratione. 4

DE OFFERENTIBVS SACRIFICIVM MISSÆ.



RIA offerentium genera concurrere ad oblationē sacrificij, est in confesso apud omnes Catholicos, & passim ex testimonijs Patrum desumitur. Nempè Christum, Ecclesiam, & Sacerdotes. Christus autem est principalis offerens tanquam ille, cuius auctoritate, & ordinatione offertur. Ecclesia verò tanquam ea, cui oblatio sacrificij commissa est. Et Sacerdotes tanquam ministri tàm Christi, quàm Ecclesiæ. Vndè consurgit discrimen quod Christus, & Ecclesia sunt vniuersales offerentes, concurrentes ad omnia, & singula sacrificia. Sacerdotes verò sunt offerentes speciales, ita vt quisque concurrat ad suum speciale sacrificium, provt est actio specialis ipsius.

QVÆSTIO 133.

An, & quomodo Christus offerat sacrificium Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Christus exercet continuò munus Sacerdotis.*
2. *Cõcurrit saltem mediatè ad oblationem, & quomodo.*

3. *An*

Digitized by Google

3. *An concurrat immediatè*, & num. seq.
5. *Christus immediatè concurrit ad offerendum sacrificium.*
6. *Christus cur adhuc retineat munus sacerdotis.*
7. *Ex perpetuitate sacerdotij Christi infertur perpetuitas exercitij sacerdotalis.*
8. *Quomodo Christus de presenti interpellet pro nobis.*
9. *Oblatio sacrificij non potest tribui Christo nisi immediatè concurrat.*
10. *Christus non esset idem offerens in sacrificio Missæ, & in sacrificio Crucis, nisi immediatè concurreret.*
11. *Neque hæc sacrificia differrent sola ratione offerendi.*
12. *Nec esset sacerdos, & victima.*
13. *Quomodo sit sacerdos.*
14. *Verba consecrationis prolata in persona Christi inferunt immediatum concursum.*
15. *Concursus, quo Christus concurrit ad oblationem sacrificij, in quo consistat.*
16. *Verba consecrationis quam intentionem requirant in Christo.*
17. *Orationes, quæ recitantur in Missa non tribuuntur Christi, licet possit pro nobis orare.*
18. *Christus cur concurrens ad sacrificium non mercatur de nouo.*
19. *Actio consecratiua quomodo sit actio Christi.*
20. *Si quis Apostolorum in triduo mortis Christi consecrasset, an aliquid effecisset.*
21. *Cur non semper obtineatur effectus, pro quo sacrificium offertur.*
22. *Cur oblatio sacrificij non possit inquinari ex malitia offerentium.*
23. *Christus physicè offertur in sacrificio Missæ.*

1 PAssim in superioribus dictum est, Christum in sacrificio Missæ esse principalem offerentem; quod passim tradunt Patres, & docet Concil. Tridentin. *sess.22. cap.2.* dum de hoc sacrificio loquens ait. *Eadem est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio.* Sā enim offert mediante ministerio sacerdotum, in oblatione se habet principaliori modo. Et hoc habet fundamentum apud Apostolum *in Epist. ad Hebr. capit.7.* vbi habet, quod in lege veteri plures fuerunt sacerdotes, sibi inuicem succedentes, eo quod morte prohiberentur permanere. Verum, quia Christus in æternum manet, non habet sacerdotium temporale sicut illi, sed sempiternum. Si ergo Christus habet sacerdotium sempiternum, itavt non sit necessarium substituere alios sacerdotes, per hoc declarat, quod etiam munus sacerdotij sit sempiternum, atque adeò concurrat continuò ad offerenda sacrificia, siquidem sacerdotes non debent suppleri, nisi vt offerant sacrificia, sicuti in lege veteri supplebantur. Christo autem non debent in summo sacerdotio alij substitui, quia habet sempiternum sacerdotium. Difficultas autem est, quomodo concurrat ad sacrificium.

2 Supponendum autem est, tanquam certum apud omnes, Christum concurrere saltem mediatè, non solum quia ipsum instituerit, nam etiam instituit sacramenta, quæ ex eius meritis habent efficaciam, & tamen non dicitur principaliter baptizare, absoluere, &c. Sed etiam, quia ordinauit, vt nomine suo offerretur; & etiam quia subministrat victimam offerendam. Et hoc ad minus requiritur ad saluandas loquutiones Patrum, dum dicunt, quod Christus offert, vt Nyssen. *Orat. de Resur.* ibi. *Arcano mysterij genere seipsum pro nobis hostiam offert, & victimam immolat, sacerdos simul existens, & agnus Dei,* & August. *lib.10. de ciuit. Dei, cap.20. Sacerdos est ipse offerens; ipse & oblatio, cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesia sacrificium.* Irenæus *lib. 4. contra hæres. cap. 34. Per Iesum Christum offert Ecclesia.* Chrysostom. in homil. *Ipse est, qui offert, ipse est, qui offertur, &* hom.83. in Matth. *Qui tunc in illa cœna, quam fecit, ipse nunc quoque operatur, ipse perficit: ministrorum ordinem nos tenemus*, Ambros. *lib. 1. Offic. capit. 48. Ipse offerre manifestatur nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur.* An autem aliquo modo immediatè concurrat, non conueniunt Doctores.

Prima sententia asserit concurrere tantum mediatè, quatenus instituit, & ordinauit, vt nomine suo offerretur; & quatenus subministrat victimam. Ita Gabr. *lect. 26. in Can. Miss. littera H.* & *lect. 27. littera F.* Corduba *lib.1. quæst. 3. opin. 2. quæst. Princip. §. Probatur tripliciter*, Vasquez 3. *disput.225. capit.3. numer. 14.* ver. *Quorum opinio.* Henriquez *lib. 9. de Missa capit.19 num.4. & 6.* Præposit. 3. *part. quæst. 83. art. 1. dub. 11. numer. 68.* Facundez *præcep. 1. Eccles. lib.3. capit.6. numer.3.* Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disput. 2. de sacrific. Miss. difficult. 1.* Becan. *capit 25. de Eucharist. quæst.9.* Amicus *tom.7. Curs. Theol. disput. 33. sect. 4. numer. 93.* Prob. si Christus proximè offerret, posset etiam dici, quod oraret, & ipsi possent tribui orationes, quæ recitantur in Missa, nempè *supplices te rogamus, &c.* quod Blasphemum putat Simeon Thessalonicens. apud Turrianum, *lib. 8. constit. Apost. cap.12. num.5.* quia ipse est, qui sanctificat munera & fideles ipsos. Præsertim quia Christus modo non fungitur officio mediatoris precibus, & orationibus, sed reipsa. Secundò; Si adhuc offerret pro nobis, adhuc nobis mereretur apud Patrem, quia talis actio esset Deo accepta, & digna retributione; placaret Deum, quia sacrificium est ex se propitiatorium. Hæc autem sunt absurda, quia ad Hebr.10; *Vna oblatione consummauit in sempiternū sanctificatos.* Tertiò; si concurreret immediatè, haberet affectum, & voluntatem erga Deum, qua offerret seipsum, & ab hac voluntate, & affectu dependeret actio exterior sacrificij in genere virtutis, & moris. Quod tamen est falsum, quia actio illa exterior consecrandi elicitur solum à sacerdote offerente nomine Christi; & proindè ab ipso solo potest infici, tanquam sua propria. Præsertim, quia in Christo non potest esse affectus offerendi aliquid pro nobis, cum omnia consumauerit in morte. Quartò; Omnis actus Christi offerentis hoc sacrificium est Superplocus, nam si aliquis Apostolorum in triduo sacrificasset, tunc non potuisset Christus esse proximè offerens; & tamen sacrificium fuisset eiusdem rationis, nam adhuc eadem actione consecratiua fuisset peractum, & solum anima non fuisset sub speciebus panis per concomitantiam, & sub speciebus vini sanguis, non autem anima per concomitantiam.

Secunda asserit, Christum immediatè offerre sacrificium. Ita Suarez *disp.77. de Euc. sect.1.* ver. *Dico 2.* Granad. 3. *part. controuer.6. tract.14. disp.4. sect.2. nu.6.* Chellison. *qu.83. art.1. dub.7.* ver. *Dico 2.* qui tamen, ver. *Dico 3.* probabile putat etiam oppositum, Syluius *quæsito.6. conclus.2.* Caspens. *part.2. Curs. Theol. tr. 23. disp.1. de sacrific. Miss. sect.3. n.39.* Coninch *de sacram. qu.83. art.1. dub.6. n.118.* Valent. *tom.4. disp.6. qu. 11. pun.1. §.15.* ver. *Qui principaliter,* Azor. *par.1. lib. 10. cap.20. qu.2. &* 8. Marchin. *de sacram. ordin. tract. 3. part.2. cap.5. n.3.* Gabr. à S. Vincent. *de sacram. disp.1. de sacrific. Miss. qu.5. difficul.2.* Palaus *part.4. oper. moral. tr.22. disp. vn. pun.4. n.4.* Filliuc. *tr.5. num.31.* Lugo Cardin. *disp.19. de Euchar. sect.7. n.95.* Francisc. Lugo *lib.5. de sacram. cap.3. quæst.1. num.7.*

Dicendum est. *Christum immediatè aliquo modo offerre in omnibus sacrificijs, itaut non solum concurrat quatenus instituit, & ordinauit nomine suo offerri, & subministrat victimam. Sed etiam aliquo alio speciali modo immediato ratione cuius illa actio sit propria Christi.*

Prob. Ex Apostolo ad Hebr. 7. Sacerdotes in Lege Mosaica habebant successores, quia morte prohibebantur permanere, & eorum Sacerdotium erat temporale. Christus verò, quia in æternum manet habet perpetuum Sacerdotium: ergo actu concurrit ad sacrificia, quæ quotidie per ministros offeruntur. Conseq. prob. Si non concurreret per seipsum immediatè, fuisset tantum destinatus Sacerdos ad peragendum sacrificium Crucis, quo peracto tanquam functus munere suo esse desiisset esse Sacerdos; siquidem cum sacrificium non habeat locum in Ecclesia tryumphante, nec etiam habet locum Sacerdotium cum hæc duo connexa sint, itavt vnum sequatur alterum, vt habet Concil. Trident. *sess. 23. cap. 1.* Et proinde munus proprium summi Sacerdotis reliquisset Ecclesiæ militanti tanquam illi, in qua exercendum erat sacrificium: ergo cum retineat munus Sacerdotis in sempiternum, debet exercere ipsum in oblatione sacrificiorum. Arguit enim à contraria causa, nempe Sacerdotes Mosaici indigebant successore, quia moriebantur, & sacrificium erat continuandum. At Christus, quia non moritur, sed in æternum est Sacerdos, licèt continuò sit offerendum sacrificium, non indiget successore.

6 Rursus Apostolus consideret necessitatem successionis in Sacerdotio quoad Sacerdotes, quorum munus morte finitur: & hanc necessitatem negat in Christo eò, quod in æternum maneat, & habeat sempiternum Sacerdotium: ergo non necessitas, successionis in Sacerdotio oritur ex necessitate offerendi sacrificium, atque adeò exercendi munus sacerdotale, dum Apostolus ex perpetuitate Sacerdotij infert, non opus fuisse successione supponit, quod Christus vt summus Sacerdos habeat in perpetuum concurrere ad sacrificia, alioquin dixitset, Christum non indiguisse successore in Sacerdotio, quia iam erat functus munere suo, & non erat necessarius amplius talis Sacerdos; non autem dixisset, quod eius Sacerdotium est sempiternum & posuisset aliam antythesim inter Sacerdotes legis Mosaicæ, & Christum nimirum, quod illi fuerunt plures sibi inuicem succedentes, quia eorum munus erat continnò exercendum. Christus autem est solus, quia eius munus peracto sacrificio Crucis spirabat, nec in aliis sacrificiis erat continuandum.

7 Præterea. Ex eo quod habeat sempiternum Sacerdotium, infert Apostolus, *Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Ergo exercet de præsenti officium Saluatoris, & interpellatoris pro nobis: ergo cum hoc munus consistat in applicatione meritorum passionis ipsius, & præsenti repræsentat Deo sacrificium, Crucis, quo mediante interpellet, & obtineat nobis beneficia promerita per ipsum: ergo cum in sacrificio Missæ repræsentetur Deo sacrificium Crucis concurret per actum proprium ad tale sacrificium.

8 Confirm. Ex Concil. Trident. *sess. 22. cap. 2.* Comparando hoc sacrificium cum sacrificio Crucis, *Vna, eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratio diuersa.* Ergo concurrit immediatè per proprium actum ad actionem sacrificandi. Conseq. prob. Si non concurreret, non verificaretur, quod non offerret, quia cum solum dederit Sacerdotibus potestatem offerendi, nec determinauerit tempus, nec numerum oblationum, sed reliquerit in eorum arbitrio offerre, quando, & quoties voluerint, omnis oblatio, quæ nunc de præsenti fit, quoad fieri, vel non fieri dependet absolutè ex arbitrio offerentis: ergo non potest tribui Christo vt principali offerenti tanquam ab ipso iniuncta, itavt saluetur, quod sit actio ipsius, qua dicatur offerre, nisi aliquo speciali modo ad ipsam de præsenti concurrat, quia tunc solum actus tribuitur mandati, quando determinatè, & in diuiduo iniungitur: non autem, quando datur potestas in genere ad aliquos actus exercendos ad libitum accipientis potestatem.

Præterea. In sacrificio Missæ est idem offerens, 9
qui in sacrificio Crucis. Non esset autem idem offerens, si non concurreret immediatè per proprium actum; nam in sacrificio Crucis seipsum immediatè obtulit per proprium actum; modo autem non se offerret per proprium actum in sacrificio Missæ, sed solus Sacerdos in genere efficienris, per proprium actum concurreret ad sacrificium. Cum igitur in vno concurrat solus Christus per proprium actum, & in alio concurrat solus Sacerdos per proprium actum, & Christus solum remotè, non posset dici idem offerens, quia variata causa immediata non potest dici, quod effectus habeat eandem causam, sit obedientia præstita Pontifici immediate per Imperatorem, & per Legatum, non potest dici, quod sit idem, qui præstet obedientiam. Nec obstat, quod Concilium dicat Sacerdotum ministerio, nam hoc ministerium non excludit immediatum concursum Christi, siquidem etiam in Cruce se obtulit Crucifigentium ministerio, & tamen immediatè se obtulit: imò requirit, quia hoc indicat esse affectentes subordinatos.

Rursus. Sacrificium Crucis, & sacrificium Missæ non differunt, nisi sola ratione offerendi, vt 10
habet Concilium, siquidem, vt autea dixerat, vnum est cruentum, alterum incruentum. Si autem Christus, non concurreret immediatè, differrent etiam in aliquo alio, nam differrent in offerente, differrent in qualitate actionis, quam recipit ab operante, vnde non esset opus mediatoris, sicut fuit sacrificium Crucis. Differrent in valore, qui prouenit ex operante; & non esset sola ratio offerendi diuersa.

Confirm. 2. In sacrificio Missæ idem Christus 11
est Sacerdos, & victima, vt habent Patres præsertim citati *num. 2.* & statuitur in cap. *Firmiter,* §. *Vna vero. De summ. Trinit.* ab Inocentio III. *in Concil. Lateran.* Si autem non concurreret immediatè, non esset sacerdos; & victima in hoc sacrificio, nam in tantum potest esse sacerdos in quantum exercet actus sacerdotalis potestatis, quod non contingit in eo, quod ordinauerit sacrificium, suo nomine offerri, aut victimam exhibeat, aut instituerit sacrificium, quia neque hi sunt actus sacerdotalis potestatis, cum sacrificia possint institui, pretij, vt nomine proprio offerantur ab iis, qui non sunt sacerdotes: neque quis dicatur Sacerdos in sacrificiis nisi exerceat actionem sacrificatiuam, nam esse victimam, & sacerdotem, est exercere munus sacerdotis in illo sacrificio, nam si non exerceret esset quidem victima, at non esset Sacerdos.

Dices. Esse Sacerdotem, & victimam, quatenus 12
delegauit Sacerdotes, vt ministros ad exequendam suam potestatem sacerdotalem: vnde cum ministri offerant sacrificium in exequutionem potestatis sacerdotalis Christi, ipse Christus dicitur Sacerdos. Contra. Si hoc pacto tantum esset sacerdos in sacrificio Missæ, non contineret aliquid mirabile, neque ipse offerret seipsum: sed tantum offerretur à suis delegatis. Christus autem ita dicitur esse sacerdos, atque victima, vt enuncietur tanquam quid mirabile à Patribus, & significetur, quod ipse exerceat munus

nus Sacerdotis, & seipsum offerat. Deinde. Esse simul Sacerdotem, & victimam intelligitur respectu actionis sacrificatiuæ, quia non significatur tantum, quod Christus sit Sacerdos; sed in illa actione sacrificatiua se gerat vt Sacerdotem, respectu cuius est victima, atque adeò, quod si Sacerdos in actu exercito exercens illam actionem sacrificatiuam. Hoc autem saluari non potest nisi immediatè concurrat.

13 Dices 2. Christum esse simul Sacerdotem, & victimam, quia sacrificium offertur in persona Christi. Contra. Quia ex hoc elicitur alia confirmatio pro hac sententia. Sacrificium Missæ offertur in persona Christi, itavt verba consecrationis proferantur in persona ipsius, & inducatur vt proferens eadem verba: ergo debet concurrere immediatè ad actionem sacrificatiuam, cum consistat in prolatione illorum verborum. Conseq. prob. Primò. Dum proferuntur in persona Christi, significatur, quod ipse Christus loquatur, & operetur per illa verba conuersionem substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. In hoc autem includitur, quod immediatè concurrat ad sacrificium. Secundò. Si Christus non concurreret immediatè ad sacrificium, non esset verum, quod ipse diceret, *Hoc est corpus meum*: vnde falsò enunciarentur à Sacerdote hæc verba, vt verba Christi. Tertiò. In persona Sacerdotis verba sunt tantum recitatiuo modo, non autem modo significatiuo, nam in persona Sacerdotis non significarent corpus Christi, sed eiusdem Sacerdotis. In sola autem persona Christi sunt significatiuè, dum accipiuntur de corpore eiusdem: ergo cum sint vera, siquidem operantur, quod significant, debet interuenire in Christo, quod requiritur ad ipsorum veritatem. Requiritur autem in eo respectu cuius significant conceptum proportionatum significationi, cum falsitas, seu mendacium consistat in eo, quod verba discrepent ab interno conceptu, cuius loco substituuntur: ergo cum ista verba sint practica, & efficiant, quod significant requirunt in Christo de præsenti conceptum de conuersione panis in suum corpus, & voluntatem efficacem de tali conuersione. Hi autem actus continent actualem influxum in illam actionem sacrificatiuam, siquidem sunt effectiui conuersionis, atque adeò mysticæ separationis sanguinis à corpore.

14 Dicendum 2. *Actualem concursum, quo Christus immediatè concurrit ad sacrificium Missæ, consistere in eo, quod de præsenti consentiat, verba consecrationis proferantur in persona ipsius, atque consentiat in ipsorum significationem, ita vt velit operari, quod significant.* Christus enim tanquam caput Ecclesiæ habet sibi præsentem totum ordinem, cum quo procedit Ecclesia, & videt omnia, quæ apud ipsam fiunt, atque adeò omnia sacrificia, & omnes sacrificantes: & ideò omnibus assistit in ordine ad ipsorum effectum tanquam summus Sacerdos exercens proprium munus, volens de præsenti, omnes prolationes verborum consecrationis tanquam suas proprias verificari.

15 Prob. Verba consecrationis sunt vera, & operantur, quod significant practico modo: ergo Christus debet velle, quod operentur, quotiescunque proferuntur in persona ipsius, itavt tunc velit operari, quando operantur, seu proferuntur. Conseq. prob. Verba, quæ in persona alicuius significent, ideo significant, quia ab ipsa assumuntur, vt significent: ergo supponunt intentionem de significatione, atque adeò de effectu significationis, quando est practica ob connexionem, quam habent verba cum conceptu loquentis ratione expressionis.

16 Ad 1. oppositæ sentent. negand. sequel. Cum sit diuersa ratio de orationibus, quæ funduntur in Missa, ac de actione sacrificatiua, quæ consistit in consecratione. Nam orationes funduntur, & significant in persona Sacerdotis, & Ecclesiæ, at actio consecratiua, seu sacrificatiua fit, & significat in persona Christi, & ideò debet ad ipsam immediatè, vt propriam Christus ipse concurrere. Imò quamplures docent Christum adhuc orare pro nobis, & fundantur in diuersis locis sacræ Scripturæ, *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*: & 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem, & ipse interpellat pro nobis.* Ad Hebr. 7. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Quæ loca de oratione propriè dicta accipi possunt, cum non repugnet statui triumphantis Ecclesiæ: nam etiam Sancti orant pro nobis.

Ad 2. neg. sequel. Quia meritum requirit statum viatoris, quem Christus habuit solum ante mortem, & ideo modo non potest amplius mereri offerendo sacrificium, sicuti neque meretur exercendo alios actus, qui erunt meritorij, dum erat in via. Accedit etiam, quod per mortem consummanit suum meritum merendo nobis, quicquid ex merito nobis conferri poterat. Si enim vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos, vt dicitur in argumento, iam etiam ex hoc capite non relinquitur locus merito. 17

Ad 3. conced. sequel. Neque est absurdum quod Christus habeat talem affectum. Ad probationem. Actionem exteriorem consecrandi elici quidem à solo consecrante physicè; quia tamen elicitur in persona Christi, & consistit in verbis, quæ significant in persona ipsius, ideò moraliter est actio Christi. Vnde Ambros. *lib. 4. de sacrament. cap. 4.* Reliqua *omnia, quæ dicuntur laudem Deo deferunt, oratio præmittitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: vbi venitur, vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non suis sermonibus Sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi*: & Chrysost. homil. 60. ad popul. *Nos Ministrorum tenemus locum, qui verò sanctificat ea, & immutat, ipse est.* Neque talis actio potest infici à Sacerdote, quia licet peccet, dum indignè offert, actio tamen oblatiua semper munda est, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1.* Ad alteram probat. neg. Non posse esse in Christo affectum offerendi aliquid pro nobis, nam licet per mortem omnia consummauerit, adhuc tamen meritum passionis ipsius est continuò applicandum nobis: & ideò sicut potest habere affectum circa talem applicationem, ita etiam potest habere affectum offerendi pro nobis illud sacrificium, quo fit talis applicatio. 18

Ad 4. neg. sequel. Nam constat ex dictis, cur requiratur actus Christi: nempe ea præcipuè ratione requiritur, vt verba sacrificatiua vera sint. Ad prob. Si quis Apostolorum in triduo mortis Christi consecrasset, nihil effecisset; tum quia erat extinctus principalis Sacerdos, cuius ipsi ministri erant, vnde non poterant nomine ipsius, & in eius persona offerre sacrificium, sicut non posset legatus exercere legationem nomine Principis mortui; tum quia sicut Christus non poterat loqui, ita nec cum veritate poterant proferri verba ipsius in persona ipsius: quod si prolata fuissent, nullam habuissent efficaciam, quia ipsis non correspondisset conceptus internus Christi, & voluntas de efficacia, quia sicuti Christus non poterat loqui, ita nec etiam poterat velle, quod sua verba haberent efficaciam. 19

Ex dictis colligitur. Cur non semper obtineatur effectus, pro quo sacrificium offertur, licet Christus sit principalis offerens immediatus, qui pro sua 20

reuerentia non potest non exaudiri à Patre; nam est eadem ratio ac de sacrificio Crucis, quod licet pro omnibus obtulerit, non tamen pro omnibus exauditus est; quia scilicet non petiit, omnibus io speciali applicari, sed iis tantum, quibus à Patre fuerat destinatum, nam habuit suam voluntatem conformem voluntati Patris. Cùm ergo modo concurrat ad sacrificia, quatenus applicatiua sacrificij Crucis, retinet eamdem voluntatem conformem voluntati Patris, atque adeo non offert semper in ordine ad illos effectus, quos nos desideramus obtinere, sed solum in ordine ad illos, quos Deus decreuit concedere.

21 Colligitur 2. Cur oblatio huius sacrificij sit ita munda, vt non possit inquinari ex offerentium malitia, vt prædixit Deus Malachiæ 1. & ex hoc loco docet Concil. Trident. *sess.22.cap.1.* Neque enim sola hostia dicitur non posse inquinari, sed nec oblatio ipsa. Hoc enim prouenit, quia oblatio est tantum ministerialiter à Sacerdote, & ideò sicut ab ipso non trahit bonitatem, aut valorem, ita nec inquinationem. Principaliter verò est à Christo, à quo recipit æstimationem, & qualitatem. Sicut enim effectus est secundum mensuram causæ principalis, non autem instrumentalis, ita etiam oblatio huius sacrificij correspondet causæ principali Christi, non autem ministeriali, quæ imitatur causam instrumentalem.

22 Tertiò colligitur. Christum esse physico modo principalem offerentem sicut fuit in sacrificio Crucis, alioquin non esset in hoc sacrificio idem offerens, vt habet Concil. Trident. *sess.22.cap.2.* Physicus autem concursus in eo consistit, quod physicè velit, se offerri in sacrificium, & se offerendum exhibeat. Nam etiam in sacrificio Crucis hoc solo modo se obtulit, cum ipse non se occiderit, sed ab aliis occisus sit, quibus se occidendum tradidit.

QVÆSTIO 134.

An tota Ecclesia concurrat ad oblationem sacrificij.

SVMMARIVM.

1. *Tota Ecclesia offert quodlibet sacrificium.*
2. *Id ostendunt orationes Missæ.*
3. *Sacerdos offert nomine Ecclesiæ.*
4. *Ecclesia tota quomodo offerat sacrificium.*
5. *Cur communicet in oblatione sacrificij.*
6. *Actio membri est actio corporis.*
7. *In voluntate Ministri offerentis sacrificium, est etiam voluntas Ecclesiæ.*
8. *Coniungentes suum affectum cum affectu ministri speciali modo offerunt.*
9. *Talis affectus cur sufficiat ad specialem oblationem.*
10. *Assistentes Missæ speciali modo offerunt.*
11. *Assistens sacrificio colit Deum sacrificium.*
12. *Contribuens sacrificio speciali modo offert.*
13. *Omnis fidelis participet est omnium sacrificiorum.*
14. *In specialibus Lyturgijs, aut cum specialibus orationibus non excluditur aliquis à participatione sacrificij.*
15. *Victima sacrificij Missæ est communis omnibus, & ideo etiam sacrificium.*

1 NOmine Ecclesiæ intelligitur tota collectio fidelium quatenus efficiunt corpus mysticum Ecclesiæ sub vno capite visibili, & quæritur an concurrat ad omnia sacrificia, quæ offeruntur, itavt possint dici offerens. Supponendum autem est tanquam certum, Ecclesiam, seu fideles omnes esse offerentes in hoc sacrificio, vt communiter docent præsertim Rupert. *lib.2.de diuin.offic.cap.6.& 7.* Alucin. *item de diuin. Offic. cap. de celebrat. Miss.* Turrian. *lib.8.Constit. Apostol. cap.12.* Innocent. *lib.3.de sacrif. Miss. cap. 5. & 6.* Raban. *lib.1.de Instit.Cler.cap.32.* Gabr. *lect.26. in Can. Miss.* & Scholastici cum D.Th. *3.part. quæst.81. art.6.* Idem etiam docent Patres Petrus Damian. *Epist.12. cap.7.* Irenæus *lib. 4. contra hæres. cap.32.& 34.* Leo Papa *Epist.81.cap.2.* vbi dicit, plures Missas eodem die celebrandas iuxta quantitatem populi, *Ne aliqua pars sacrificium offerre non possit.* August. *lib.10.de Ciuit.Dei, cap.20.* vbi habet, *Quotidianum esse voluit Ecclesia sacrificium, cum ipsius corporis ipse sit caput, ea ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerre.*

Et hoc etiam indicant orationes, quæ in Missa recitantur; nempè, *Hanc igitur oblationem seruitutis nostra, sed & cuncta familia tua.* Per familiam autem intelligitur Ecclesia. Et rursus. *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Et insuper in plurali, *Offerimus*, quæ denotant non esse solum Sacerdotem, qui offerat, sed etiam cæteros. 2

Et ratio est. Quia Sacerdos est publicus minister Ecclesiæ, & vt talis offert sacrificium nomine eiusdem Ecclesiæ, vnde Apost. ad Hebr. cap. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis*: & D.August. quæst.46. veter. Testam. *Licet Sacerdos proprio munere fungatur, ille dicitur offerre, cuius nomine agit, & ipsi imputatur, cuius munera offeruntur.* Cùm igitur Sacerdos offerat nomine Ecclesiæ, tota Ecclesia per ipsum dicitur offerre tanquam per suom ministrum. Vnde etiam in lege Mosaica dicebatur offerre sacrificium, quamuis per solos Sacerdotes offerrentur; sic Leuit.23. *Offerretis holocaustorum Domino.* Exod.3. *Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto*: & Num.28. loquens ad populum, *Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis.* Difficultas autem est, quomodo omnes fideles dicantur offerre, cum nequidem cogitent de sacrificiis, quæ offeruntur, cum tamen, vt quis sit offerens requiratur aliquis concursus, siquidem oblatio consistit in actione. 3

Dicendum est. *Ecclesiam, seu populum fidelem concurrere ad offerendum sacrificium, quatenus efficiunt vnicum corpus mysticum, in quo Sacerdos est membrum offerens: & proinde ratione ipsius exercentis functionem, quæ conuenit corpori omnes communicare in illa actione: Non solum materiali modo, sed etiam formali per voluntatem interpretatiuam.* Ita Suarez *disp.77. de Eucharist. sect. 3.* ver. *In hac re.* Vasquez *3.part. disp.276.cap.2.num.10.* Granad. *controuers.6.tract.14. disp.4. sect.2.num.8.* Syluius *quæst.83.art.1.quæsito 6. conclus.3.* Chellison. *dub.2.circa finem.* ver. *Notandum est.* Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disp.2. de sacrific. Miss.difficul.3.* Caspens. *part.2.Curs.Theol.tract.23. disp.1.sect.3. num.42.* Bellarm. *lib.2. de Miss.cap.4.* Henriquez *lib.9.sum. cap.10.num.3.* Ruteus *lib.1. de fruct. sacrif.disp.4.quæst.2.dub.2. num.5.* 4

Ratio est. Quia sacrificium est relictum Ecclesiæ à Christo, vt habet Concilium Trident. *sess.22. cap.1.* & non offerendum à quocumque, sed à Ministro deputato, nempè Sacerdote: ergo debet communicare in oblatione sacrificij tanquam pro se instituti, ergo est ita commissa eius oblatio Sacerdoti, vt debeat offerre tanquam membrum ad hanc functionem deputatum nomine totius corporis, seu tanquam offerendum à toto corpore in sua persona. 5

Confir. Quamuis actio exerceatur per aliquod speciale membrum, est tamen actio totius suppositi; 6
vnde

vnde homo dicitur videre, audire, ambolare, comedere, &c. quamuis per membra specialia deputata ad has functiones, illas exerceat; scilicet, quia instituta sunt à natura, vt inseruiant toti supposito in his functionibus: ergo cum etiam Sacerdos sit deputatus pro functione sacrificandi, vt inseruiat corpori mystico, eius actio erit actio totius corporis mystici in ipso exercita.

7 Confir. 2. Corpus mysticum Ecclesiæ tenetur colere Deum per sacrificium, cum debeat ipsi exhibere supremum cultum, tanquam ei debitum: ergo offerente Sacerdote sacrificium nomine Ecclesiæ, habet voluntatem saltem interpretatiuam satisfaciendi huic debito offerendo per suum ministrum: ergo cum semper offerat nomine Ecclesiæ, quia offert, vt eius publicus Minister, interueniet semper hæc voluntas interpretatiua. Hæc autem voluntas facit, quod Ecclesia concurrat ad sacrificium tanquam oblatum ad satisfaciendum Deo quoad cultum. Rursus singuli fideles tanquam membra huius mystici corporis habent etiam hanc voluntatem saltem interpretatiuam ex eo, quod habent voluntatem volendi Deum, sicut debent colere.

8 Dicendum 2. *Eos, qui suum affectum coniungunt cum affectu Sacerdotis, speciali modo concurrere ad oblationem sacrificij.* Est contra Suarez *num.* 4. citat. Marchin. *de Ordine, tract.3. part.2. cap.2. num.5.* Ita tamen tradit Vasquez *citat. eod. num.*4. Prob. Eo ipso, quod coniungitur affectus cum affectu Sacerdotis sacrificium est sensibile signum etiam talis affectus: ergo hæc coniunctio affectuum importat specialem concursum. Anteced. prob. Cùm Sacerdos non offerat nomine proprio, sed nomine omnium fidelium, sacrificium procedit ex omnium tacita, & interpretatiua commissione: ergo vbi interuenit specialis affectus, interuenit etiam commissio specialiori modo, nam à tali affectu recipit aliquam specialitatem influentem in sacrificium, atque adeò specialis concursus.

9 Dices. Non sufficere talem affectum, vt quis dicatur offerre sacrificium, nam etiam Angeli possunt habere hunc affectum. Resp. Non sufficere hunc affectum præcisè sumptum: sufficere tamen ad specialem concursum cum tacita, & interpretatiua commissione, quæ fundatur in eo, quod sacrificium, sit institutum pro hominibus, & quod Sacerdos, vt publicus minister offerat nomine ipsorum. Sacerdos autem neque nomine Angelorum offert, neque sacrificium est pro ipsis institutum; & ideò non sufficit affectus; vt dicantur offerre.

10 Dicendum 3. *Assistentes Missæ adhuc alio specialiori modo offerre sacrificium.* Ita Doctores citati *n.4.* & insuper Sotus *in 4. distinct. 13. quæst.2. art.1.* ver. *Offerentes autem.* Corduba *lib.1. quæst.3. opin.4. princip. quæst.* Henriquez *lib.9. de Missa, cap.33. num.5.* Bellarmin. *lib.2. de Missa, cap.4.* Azor. *part.1. lib.10. cap.20. quæst.2.* Roteus *lib.1. de fruct. sacrific. disp.4. dub.1. num.2. & sequent.* Ratio est. Quia assistentes Missæ communicant actualiter in illa actione sacrificatiua, itavt non solum nomine eorum offeratur sacrificium, sicut offertur nomine etiam absentium, sed etiam ipsi exerceant actionem sensibilem assistentiæ, atque adeò cuiusdam moralis cooperationis, & sua præsentia exhibeant cultum Deo, quale exhibetur in sacrificio, quia scilicet per talem existentiam faciunt etiam suum illum cultum: vnde assistentes sacrificio idolorum in ordine ad cultum censentur committere idololatriam: ergo cum colunt Deum cultu illo speciali, qui exhibetur in sacrificio concurrunt speciali modo ad sacrificium.

11 Confir. Eo ipso, quod quis interuenit sacrificio, consentit in ipsum, atque adeò mediante tali consensu colit Deum per sacrificium: ergo speciali modo concurrit ad ipsum. Conseq. prob. Consentire in sacrificium est consentire in illud tanquam in signum institutum ad colendum Deũ supremo cultu, hoc est, per subiectionem ad ipsum vt primum principium, & vltimum finem: ergo importat in interuenientibus saltem virtualiter illum affectum, cuius sacrificium est signum, atque adeò interiùs sacrificium: ergo assistentes concurrunt speciali modo coniungendo interiùs sacrificium cum externo visibili.

Dicendum 4. *Eos, quoque qui aliquid contribuunt sacrificio, ex hoc capite speciali modo concurrunt, vt sunt ministri, petentes sibi applicari sacrificium, dantes eleemosynam, &c.* Ita communiter Doctores tam citati *num.4.* quàm *num.* 10. Hic autem modus concurrendi est specialis diuersus à cæteris, & ideò potest cum ipsis coniungi. Ratio est; quia ad constituendum specialem modum concursus, sufficit quicunque influxus, vel physicus, vel moralis; nam facit, quod sic concurrens communicet in genere efficientis cum Sacerdote offerente. Sed prædicti modi important aliquem huiusmodi influxum: ergo faciunt, quod contribuentes aliquo speciali modo concurrant. 12

Ex dictis colligitur, quod quicunque fidelis, qui subest legi Euangelicæ particeps est omnium sacrificiorum, quæ offeruntur per totam Ecclesiam, etiam ipsi Sacerdotes, qui non offerunt. Et hoc prouenit ex natura sacrificij, quia institutum est publicum pro omnibus, & à ministro publico nomine totius Ecclesiæ offerendum, atque adeò nomine eorum omnium, qui sunt intra Ecclesiam. Et quamuis sacrificium applicetur à Sacerdote pro aliqua speciali persona, adhuc tamen retinet suam rationem communitatis, quam habet ex sua institutione, itavt neque Sacerdos efficere possit, quod non offeratur nomine omnium, quamuis intenderet aliquos excludere à communicatione in tali sacrificio; nam eo ipso, quod offert, vt publicus minister, offert nomine Ecclesiæ, nec priuata intentio ipsius præualere potest. 13

Colligitur 2. Quod Ecclesia instituendo Lyturgias pro specialibus personis, aut orationes pro ipsis in Missa recitandas, neque excludit aliquem à communicatione in illo sacrificio; nam hæc pertinent ad ritum accidentalem; communicatio autem omnium in sacrificio oritur ex institutione substantiali sacrificij. Vnde solum per huiusmodi preces trahuntur personæ, pro quibus offertur, ad participandum specialiori modo in sacrificio quoad fructum, non autem ad offerendum specialiori modo, nam non importat aliquem actum siue virtualem, siue interpretatiuum ex parte ipsorum, ratione cuius dici possit, quod speciali modo concurrant. Si tamen consentirent in tales preces, tunc traherentur ad communicandum speciali modo etiam in oblatione; nam sicuti preces vestiunt oblationem sacrificij, & designant specialem affectum Ecclesiæ offerendi pro talibus personis, ita etiam consensus in ipsas trahit specialem affectum consentientis erga sacrificium, & quamdam specialem approbationem ipsius, quod sufficit ad specialem concursum in offerendo sacrificio. Et hoc habet locum quoad Summum Pontificem, Episcopum, Diaconum, Imperatorem, seu Regem, nam sciunt, se nominatim exprimi in Canone Missæ, & saltem virtualiter in hoc consentiunt. 14

Colligitur 3. Ex illo quoque capite sacrificium Missæ spectare ad omnes, quod victima, quæ offertur, est victima communis omnium; atque adeò ratione victimæ etiam sacrificium fit commune, quasi omnes exhiberent victimam immolandam. Cùm 15

enim sit illa eadem victima, quæ oblata est in sacrificio Crucis, vt habet Concil.Trident. *sess.22. cap 2.* & sacrificium Missæ sit commemoratiuum sacrificij Crucis, debet offerri victima vt cmmunis omnium, sicot pro omnibus in Cruce oblata fuit, alioquin sacrificium Missæ non repræsentaret sacrificium Crucis adæquatè, nam non reptæsentaret sacrificium omnium commuoe.

QVÆSTIO 135.

An omnes, & soli Sacerdotes possint sacrificare.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificare, & offerre sacrificium in quo differunt.*
2. *In Ecclesia adest visibile sacerdotinm.*
3. *Sacerdotinm fuit institutum à Christo.*
4. *Ad sacrificandum requiritur Minister specialiter consecratus.*
5. *Præcisi ab Ecclesia an validè consecrent*, & num. sequent.
8. *Validitas sacramentorum non dependet à probitate ministri.*
9. *Præcisi Sacerdotes validè offerunt sacrificinm.*
10. *Præcisione non deperditur potestas sacerdotalis.*
11. *Ecclesia non potest impedire potestatem ordinis, ne validè operetur.*
12. *Potestas sacerdotalis non est temporaria.*
13. *Quomodo extra Ecclesiam non sit verum sacrificium.*
14. *Quoad non baptizatos non est sacrificium præsertim in ordine ad salutem.*
15. *Quinam extra Ecclesiam possint offerre sacrificium.*
16. *Sacerdos ratione sacerdotij est mediator inter Deum, & Ecclesiam.*
17. *Sacrificium Sacerdotis præcisi quoad substantialem valorem est æquale cum sacrificio boni Sacerdotis.*
18. *Orationes Missæ Sacerdotis præcisi carent valore, quem aliàs habent ratione Ecclesiæ.*

1 SAcrificare, & offerre sacrificium non sunt omninò idem; nam offerre sacrificium conuenit iis omnibus, qui quocunque modo io ipsum influere possunt. At sacrificare, quamuis includat oblationem sacrificij, dicit tamen, vlterius actionem physicam immolatiuam, atque adeò physicam illam effectiooem signi sensibilis potestariui interiotis sacrificij, quod est offerre sacrificium mioisteriali modo per destructionem victimæ: & de hac oblatione quæritur, an conueniat omnibus, & solis sacerdotibus.

2 Est aotem suppooendum tanquam certum de fide. In Ecclesia esse eaternum, & visibile sacerdotium, vt definit Concil. Trident. *sess.23.cap.1.* & *Can.1.* Quia scilicet, sacrificium, & sacerdotium se inuicem vt connexa consequuntur; & hoc sacerdotium non esse nudum ministetium prædicandi Euaogelium, sed importare potestatem aliquam offerendi in sacrificium corpus, & sanguinem Christi, vt *ibid.* definit. Concil. Trident. Vnde etiam io Ordinatione Sacerdotis dicitur: *Accipe potestatem offerendi, &c.*

3. Suppooendum 2. Hoc sacerdotium fuisse institutum à Christo in vltima cœna, quando Lucæ 22. dixit Apostolis, *Hoc facite in meam commemorationem*, vt definit idem Coocil. *sess.22. cap.1.* & *Can.2.* Tunc enim, vt habet idem Coocilium, tradidit Apostolis, & cæteris in sacerdotio succedeotibus potestatem offerendi sacrificium corporis, & sanguiois sui. Dum enim dixit, quod facerent, quod ipse faciebat, iniuoxit, quod offerrent sacrificium corporis, & sanguinis sui, sicut ipse offerebat.

Ex his autem consistat tanquam certum de fide 4
contra Hæreticos nostri temporis, ad sacrificandum requiri ministrum specialiter consecratum ad id munus, nam Christus non omnibus indifferenter tradidit prædictam potestatem, sed solum Apostolis; & cæteris in Sacerdotio succedentibus, vt notat Concil. Trident. *num. præced. citat.* Vnde in Concil. Nicæno 1. *Can.* 14. declaratur, quod Diaconi non habeant potestatem offerendi sacrificium: & idem quoque habetur in Concil. Arelaten. 1. *Can.* 15. Vnde cæteri: præter Sacerdotes excluduntur ab oblatione physica, & ministeriali sacrificij, quamuis admittantur ad offerendum per quandam communicationem cum exercente actionem physicam sacrificatiuam, modo explicato in præcedenti. Vnde solum inter Catholicos difficultas remanet, An omnes Sacerdotes offerre possint sacrificium, & debitum, oritur quoad Hæreticos, excommunicatos, cæterósque ab Ecclesia præcisos. Et quia certum est, quod licitè offerre non possunt, cum ab Ecclesia prohibeantur, quæritur, an validè offerre possint.

Prima sententia asserit, præcisos ab Ecclesia non 5
posse consecrare validè, atque adeò nec offerre sacrificium. Ita Magister *in 4.dist.13.cap.1.* Fundamentum est. Quia sunt extra Ecclesiam; extra autem Ecclesiam non sunt vera sacrificia, vt docent Patres, præsertim Hieronym. Cùm enim dixisset, quod mali Sacerdotes offerre possunt sacrificium, subdit. Hoc de Catholicis intelligendum est, non de Hæreticis, insinuans hos non posse offerre sacrificium: & alia habentur *causa 1. quæst.1.*

Secunda sententia asserit, posse quidem validè 6
consecrare, non tamen offerre sacrificium. Ita Scot. *in 4.dist.13.quæst.2.* §. *Ad quæstionem.* ver. *Si obijcis.* Gabr. *quæst.2. art.3. dub.2. in fine.* Fundamentum est. Quia Sacerdos offert nomine Ecclesiæ ex vi institutionis sacrificij. Qui autem sunt extra Ecclesiam non possunt offerre nomine Ecclesiæ, nec possunt cum veritate dicere *Offerimus, &c.* Confir. Sacerdos, dum offert sacrificium, exercet munus mediatoris inter Deum, & Ecclesiam: non potest autem hoc munus exercere, nisi consentiente Ecclesia.

Tertia sententia asserit, Sacerdotes etiam præcisos validè consecrare, & offerre sacrificium. Ita D. 7
Thom. *3.part. quæst.82.art.7.* & 8. & *in 4. distinct.13. quæst.1. art. 1. quæstiunc. 3.* & 4. D. Bonauent. *art. 1. quæst.1.* Richar. *ibid.* Durand. *quæst.1. num.7. & seq.* Sotus *art.7.* & 8. Palud. *quæst.1.art.2.conclus.3.& seq.* Albert.Magn. *art.30.* Alens. *part.4.q.45.memb.5.&* 6. Valent. *tom.4. disp.6. quæst.10. punct.1.* ver. *Quare sitè.* Bellarm. *lib.1.de sacram.cap.16.* Henriquez *lib.9. de Missa, cap.18. num.6.* Azor. *part.1. lib.10. cap.21. quæst.6.* Reginal. *lib.29.praxis fori pœnit. cap.9.sect.1. num.148.* Suarez *disp.77.de Eucharist.sect.2.* Vasquez *3.part. disp.226. cap.1. num.5.* ver. *Vera tamen.* Granad. *controuers.6. tract.14. disp.4. sect.2.n.7.* Caspens. *part.2.Curs.Theol.tract.73.disp.... sect.3.n.41.* Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disp.2. de sacrific. Miss. diffic.2.* Marchin. *de sacrament. Ordin. tract. 3. part. 2. cap.6. num.2.* Syluius *3.part. quæst.83. art.1. conclus.3. ad 3.* Chellison. *dub.7.* ver. *Dico 5.* Præposit. *dub.11. n.6.* Baunius *part.1. Theol. Moral. tract.6. quæst.7. stat.1.* Amicus *tom.7. Curs. theol. disp.33. sect. 4. num.* 88. Palaus *part.4.oper. moral. tract.22. disp.vnic. punct.4. n.1.* Francisc.Lugo *lib.5.de sacram.cap.3.quæst.2.n.13.*

Quod spectat ad sententiam Magistri, certum est, 8
modo substineri non posse secundum fidem. Nam definitum est à Concil. Trident. *sess.7. can.12. de sacrament. in genere*, validitatem sacramentorum non dependere à probitate ministri, sed solum ab essentialibus,

tialibus, quibus constituuntur, vnde quilibet Sacerdos, quamuis præcisus ab Ecclesia, si adhibeat veram formam, & veram materiam, cum debita intentione, semper conficiet sacramentum Eucharistiæ.

9 Dicendum. *Omnes Sacerdotes, quantumuis præcisos ab Ecclesia validè offerre sacrificium etiam in ratione sacrificij licet non licitè.* Ita communiter Patres præsertim Chrysost. *homil. 2. in 2. ad Timoth.* Volo *quiddam adijcere planè mirabile. Quid verò istud est? Sacra ipsa oblatio; siue illam Petrus, siue Paulus, siue cuiusuis meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse Discipulis, quamque Sacerdotes modo conficiunt; nihil habet ista, quàm illa minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacrauerat.*

10 Prob. Stante quacunque præcisione Ecclesiæ siue per hæresim, siue quocunque alio modo, non deperditur character sacerdotalis, quia est indelebilis, vt definit Concil. Trident. *sess. 7. can. 9. de sacrament. in genere.* Ergo nec potestas sacerdotalis consecrandi, & offerendi sacrificium, nam character importat talem potestatem: ergo poterunt valide offerre sacrificium, quia potestas sacerdotalis est adæquata causa effectiua sacramenti, & est eadem in præciso, ac in quolibet alio, nam confertur ex vi ordinationis, & remanet indelebiliter.

11 Dices. Quamuis remaneat character, & potestas ordinis in præciso ab Ecclesia, remanere tamen impeditam, itavt non possit operari. Contra. Ecclesia non potest auferre potestatem ordinis: ergo nec ita impedire, vt non valeat actus, sed solum, vt licitè non fiat. Conseq. prob. Ad reddendum actum irritum, debet auferri potestas, nam quamdiù manet, & potest exire in actum, quamuis illicitè exeat, adhuc tamen habetur actus, & tanquam fundatus in sufficienti potestate, valet.

12 Confir. Potestas sacerdotalis non est temporaria, ita vt qui semel Sacerdos fuit, fieri possit Laicus, vt definit Concil. Trident. *sess. 23. cap. 4.* & *can. 4.* Ergo præcisi ab Ecclesia retinent sacerdotalem potestatem, quamuis canonicè impeditam, & sunt adhuc Sacerdotes. Si autem non possent validè offerre sacrificium adhibitis, quæ necessaria sunt, potestas sacerdotalis esset temporaria, quia in ipsis non posset validè operari, atque adeò extingueretur, siquidem omnis facultas, quandiù est, operari potest, si cætera necessaria concurrant.

13 Ad fundamentum primæ sententiæ resp. Quod quando Patres dicunt extra Ecclesiam non esse vera sacrificia, vt ex D. August. habet Prosper *in sentent. cap. 15.* sensum esse, non quod non sint vera sacrificia, quæ offeruntur ab iis, qui sunt extra Ecclesiam, si aliàs sint legitimè ordinati, sed quod non sint vera sacrificia, quæ non sunt sacrificia Ecclesiæ Catholicæ. Vnde aliud est, quod sacrificium sit extra Ecclesiam Catholicam; & aliud quod offeratur ab eo, qui est extra Ecclesiam Catholicam. Patres non dicunt hoc secundum, sed solum primum. Sacrificium autem Missæ, cum sit institutum pro Ecclesia Catholica non est extra ipsam. Vnde D. August. *lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. 13.* relatus in cap. *Quod quidam 1. quæst. 1.* docet, præcisos ab Ecclesia, cum redeunt, non esse iterum ordinandos, quia non amittunt suum characterem, & potestatem.

14 Rursus. Ideò dicitur extra Ecclesiam non esse vera sacrificia intelligendo quoad eos, qui sunt extra Ecclesiam, quia nondum sunt ingressi per Baptismum; nam sicut in hoc sensu non est verum sacerdotium extra Ecclesiam, quia requirit pro fundamento characterem baptismalem; ita nec etiam est verum sacrificium. Ita Leo Papa *epist. 48. cap. 2. ad Anatol. Constantinop. Episcop.* qui hæc habet, *In Ecclesia Dei, quæ corpus Christi est, aliter nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in nostra proprietate naturæ, verus nos Pontifex reconciliet* (per baptismum, *verus immaculati agni sanguis nos emundet.* Hoc autem debet intelligi de sacrificiis publicis, & legalibus, nam Gentiles, vt in superioribus dictum est, possent offerre verum sacrificium priuatum. Imò si tale sacrificium lege aliqua ab ipsis statueretur, esset sacrificium legale. Et ideo debet accipi de sacrificiis institutis in ordine ad salutem, eò quod sacrificium Christianorum non sit verum sacrificium, si offeratur ab ijs, qui non receperunt baptismum, aut non ritè captiuati sunt, quales erant baptizati ab Arrianis, quia non baptizabantur in nomine Trinitatis, cum negarent consubstantialitatem personarum. Vnde idem Leo *Epist. 73. ad Leonem Augustum*, loquens de Alexandrina Ecclesia, vbi vigebat Hæresis Arriana. *Intercepta est sacrificij oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, & parricidalibus manibus impiorum omnia se subtraxere mysteria.*

Ad fundamentum secundæ sententiæ resp. Qui 15
sunt extra Ecclesiam, etiam secundum characterem baptismalem, non posse offerre nomine Ecclesiæ, posse tamen, si habeant characterem baptismalem, & potestatem sacerdotalem. Quia sicuti sacrificium habet ex vi institutionis, vt sit commune omnibus eò, quod repræsentat sacrificium Crucis omnibus commune: ita etiam potestas Sacerdotalis dat posse offerre pro omnibus, quia ratione sacrificij constituitur quisque mediator inter Deum, & Ecclesiam. Quod autem sit præcisus, solum ponit impedimentum executionis, & ideo offerens nomine Ecclesiæ facit contra ipsius prohibitionem, quæ non istam habet talem oblationem. Potest tamen dicere cum veritate, offerimus, quia reuera offert licet illicitè.

Ad confir. Quod Sacerdos sit mediator inter 16
Deum, & Ecclesiam, non habere ab ipsa Ecclesia, itavt ad validè exercendum hoc munus requiratur consensus ipsius, sed habet ex vi sacerdotij, quia non consistit in alio quàm in potestate sacerdotali, sicut exercitium muneris consistit in oblatione sacrificij. Potestas autem sacerdotalis semel collata est independens à consensu Ecclesiæ, & consequenter esse mediatorem; & solum licita executio muneris requirit illius consensum.

Ex dictis colligitur. Missam sacerdotis mali, aut 17
etiam præcisi quoad valorem fundatum in substantia sacrificij, æqualem esse cum Missa boni sacerdotis, vt communiter docent cum D. Th. *3. par. quæst. 82. art. 6.* & specialiter Coninch *ibid.* Suarez *disp. 86. sect. 1. in fine.* Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 8. init.* Bonacina *disp. 4. de sacram. quæst. vlt. pun. 6. num. 3.* Nam hic valor non dependet à bonitate, vel malitia sacerdotis, sed ex re oblata & principali offerente Christo, eiusque meritis.

Colligitur 2. Quod, cum orationes, quæ re- 18
citantur in Missa, sint ex commissione Ecclesiæ, quoad ipsas Missa præcisi caret illa efficacia, quam aliàs habet eo, quod nomine Ecclesiæ recitentur, quia nomine ipsius recitari non possunt, cum non consentiat. Quod tamen non habet locum in toleratis, quia licet prohibeantur ab Ecclesia offerre, non tamen irritat eorum actus, & ideo adhuc orationes funduntur nomine Ecclesiæ.

DE OBLATIONE, SACRIFICII, ET PRO quibus offerri possit.

NON intelligitur de oblatione, qua offertur Deo, per quam constituitur sacrificium tanquam per partem materialem, sed de oblatione, quæ respicit vt finem commodum alterius, itavt fructus sacrificij se extendat ad aliquem eò, quod sacrificium pro ipso offertur, quæ oblatio est quid consequens ad oblationem, quæ fit Deo, & fundatur in eo, quod sacrificium sit fructuosum.

QVÆSTIO 136.

An sacrificium Missæ offerri possit pro aliis à sacrificante.

SVMMARIVM.

1. *Aliud offerre pro alio, & aliud nomine alterius.*
2. *Sacrificium ex genere suo est impetratorium.*
3. *Christus licet concurrat ad sacrificium non offert pro seipso.*
4. *Sacrificium offerri potest pro aliis.*
4. *Sacrificium offertur pro peccatis alienis.*
5. *Praxis Ecclesiæ offerendi sacrificium pro aliis.*
6. *Munus Sacerdotis est offerre pro aliis.*
7. *Vt pro aliquo offeratur sacrificium, non requiritur, quod ipse offerat.*
7. *In eo, ipso quod offertur sacrificium non requiritur aliquis motus, sed sufficit sola capacitas.*
8. *Neque deuotio ad sacrificium.*
9. *Quisque applicare potest sacrificium pro aliis, quatenus ad ipsum spectat.*

1 ALiud est offerre sacrificiom pro alio, hoc est nomine & vice ipsius, & hoc moda certum est, quod sacrificium Missæ offertur pro alio, cum offeratur oomine Ecclesiæ, & omnium fidelium, vt constat ea dictis in superioribus. Et aliud offerri pro alio, hoc est incommodum ipsius, itavt fructus sacrificij ordinetur in vtilitatem ipsius. Et in hoc sensu procedit difficultas. Et quamuis Vasqoez 3. *part. disput.* 272. *cap.* 1. *num.* 1. oon admittat hanc distioctionem, fundatur tamen io commooi modo loquendo, sit dicitur quis soluere pto Petro, contrahere pro ipso, comparere pro ipso, quando hæc facit oomine ipsius; imò etiam, quando Sacerdos substituit aliquem vt nomine ipsius celebret, dicitur celebrare pro ipso.

2 Est autem supponendum, quod distinctio sacrificij in Honorarium, laudis, seu gratiarum actionis, impetratorium, & propitiatorium in præsenti non habet locum, quia cum sacrificio Missæ conueniant omnes hæ rationes, si oon posset offerri ratione vnius, offerri posset ratione alterius. Verum adhuc hoc secluso neque adhuc habet locum vt contra Suar. *disp.* 78. *de Euchar. sect.* 1. *init.* notat Vasq. 3. *part. disp.* 227. *c.* 1. *n.* 2. Quia omoe sacrificium eò ipsu, quod sacrificiom est, etiam Deo acceptum est, si aliàs ritè fiat, & proinde est aptum ad impetraodum, oam cum sit Deo acceptum, promeretur ipsius beoeuoleotiam, & recedendo recla mantem impetrat beoeficia talis amoris. Quod autem est aptum ad impetrandom pro se, est etiam aptum ad impetrandum pro aliis, si ipsis applicetur. Et sicuti est meritoria oblatio sacrificij, si cætera concurruot, vnde Christus per oblationem sacrificij Crucis consummauit suum meritum, ita etiã est impetratoria. Et ideò omne sacrificium poterit pro alio offerri, saltem vt impetratorium.

Supponendum 2. Quod Christus pro se non offert sacrificium ex eo, quod concurrat raoquam principalis offerens, vt est de fide ex illo Apostoli ad Hebr. 7. *Qui non habet necessitatem quotidie quemadmodum Sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, &c.* Et quamois videatur loqui solum de sacrificio propitiatorio, valet tamen de omni, quia sacrificia habent locum solum quoad viatores, qualis non est modo Christus, qui nec sibi aliquid impetrare habet, nec in aliquo proficere, cum omnia per passionem consummauerit tanquam per sacrificium infiniti valoris. 3

Dicendum est. *Sacrificium, offerri posse nedum pro ipso sacrificante, sed etiam pro aliis.* Ita communiter cum D. Thom. 3. *part. q.* 79. *art.* 5. *in corpore.* vbi docet, quod Eocharistia, quatenus sacramentum, prodest soli sument, quatenos verò sacrificium habet suum effectum io eo, qui offert, & io iis, pro quibus offertur. Et *art.* 7. idem repetit præsertim Caiet. *cit. art.* 5. & *tom.* 2. *opusc. tract.* 3. *c.* 2. ver. *Si autem sumatur.* Sotos *in* 4. *dist.* 11. *q.* 2. *art.* 5. *conclus.* 3. & *art.* 7. *conclus.* 2. Suarez *disp.* 78. *de Euchar. sect.* 1. ver. *Difficultas ergo.* Et est de fide ex Apost. Ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Iotelligit autem noo solum de peccatis propriis, sed etiam de alienis, vt constat ex cootextu, tum quia dicit, quod Sacerdos pro hominibus constituitur ad offerendum. Tum quia subdit, *Propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.* Et cap. 7. *Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.* 4

Constat etiam ex Praxi Ecclesiæ, nam non solum applicat fructum sacrificij pro his, vel illis persouis, sed etiam in Orationibus Missæ, & præsertim in Canone declarat, se offerre sacrificium pro alijs, imò etiam instituit speciales Liturgias pro determinatis personis, qoalis est Liturgia pro iofirmis, &c. Imò omne sacrificiom iuxta suis naturam, & ritum Ecclesiæ semper pro alijs offertur, vt constat ex verbis offertorij, & illis Caooois, *pro quibus tibi offerimus.* 5

Ratio est; Quia munus sacerdotis est pro alijs offerre sacrificium; vndè ad Hebr. 5. Apostol. de sacerdote habet, *pro hominibus constituitur, vt offerat dona, & sacrificia.* Ergo sacrificium ex sui natura est offeribile pro alijs, alioquio, si noo posset offerri, neqoe etiam sacerdos posset habere pro munere offerre. Sit etiam in lege veteri sacrificia offerebantur pro alijs, vt passim in Leuitico; Iob offerebat sacrificia pro filijs. 6

Dicendum 2. *Vt sacrificium offeratur pro alio, non est necesse, quod ipse concurrat ad offerendum: sed si concurrit, erit per accidens.* Ita Suarez *disp.* 78. *de Euchar. sect.* 1. ver. *Difficultas ergo*, circa finem. Prob. Oblatio sacrificij, seu coocursus ad illam non est dispositio ad recipiendum fructum sacrificij prouenientem ab aliena oblatione: ergo, vt quis pro alio offerat sacrificium, non requiritur, quod hic concurrat ad offerendum, quia in tantum posset requiri iste concursus, in quantum esset dispositio ad recipiendum fructus. Anteced. prob. Iob offerebat pro filijs, & tamen ipsi noo coocurrebant ad illam oblationem. Christus in Cruce obtulit seipsum in sacrificium 7

pro

pro hominibus, & tamen homines non fuerunt aliquo modo offerentes in illo sacrificio. Et ratio à priori est; quia sacrificium habet ex se, quod possit pro alijs offerri, & est quoad hoc sub dispositione sacerdotis, siquidem ratione sui muneris habet offerre pro populo: ergo solum requiritur capacitas in eo, pro quo offertur, non autem aliqua actio, qua coocurrat ad offerendum.

8 Dices. Vel is, pro quo offertur sacrificium habet deuotionem ad ipsum, vel non; si primum, iam est offerens; si secundum, oon proderit ipsi oblatio ab alio facta. Resp. vtroque modo posse pro ipso offerri sacrificium; nam si habet deuotionem ad ipsum, percipiet fructum suæ deuotionis, & vltra ipsum etiam fructum specialem ex applicatione sacerdotis. Si verò non habet, adhuc percipiet fructum ex applicatione sacerdotis, nisi aliàs habeat obicem, & sit capax, vt autem sit capax non requiritur deuotio ad ipsum sacrificium.

9 Dicendum 3. *Præter sacerdotem omnes alios offerentes applicare posse sacrificium pro alijs, quatenus ad ipsos spectat.* Ita Henriquex *lib. 9. de Missa cap.* 20. *nu.* 2. Nugn. 3. *part. qu.* 83. *art.* 1. *part.* 2. *q.* 6. *conclus.* 4. Viguer. *cap.* 16. *Theol. instit.* §. 3 *ver.* 12. *in fine*, Vasq. 3. *part. disp.* 227. *c.* 1. *n.* 2. Suarex *disp.* 78. *de Euchar. sect.* 1. ver. *Vltimò dicendum.* Ratio est; quia sacrificium est actus religionis, & ex sui natura est impetratorium: ergo quicunque concurrit quocunque modo ad ipsum offerendum, potest, quatenus ab ipso offertur alteri applicari, eum ex genere suo opera impetratoria sint alteri applicabilia. Rursus potest quis pro alio satisfacere applicando opera satisfactoria, quæ ad ipsum spectant: ergo etiam sacrificium, quatenus satisfactorium. Confir. Sacrificium ex natura sua est pro alio offeribile: ergo quisquis concurrit ad offerendum, potest quatenus ab ipso offertur, pro alio offerre.

10 Ex his colligitur, quid sit audire Missam pro alio, eum enim audiens Missam speciali modo concurrat ad sacrificium, percipit etiam specialem fructum, quem applicat illi, pro quo Missam audit, nam audire pro alio est audire in eommodum ipsius, atque adeò transferre in ipsum fructum, qui inde percipitur.

QVÆSTIO 137.

An sacrificium Missæ pro Ecclesia offerri debeat.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Missæ offertur pro Ecclesia.*
2. *Praxis offerendi sacrificium pro Ecclesia.*
3. *Sacrificium Missæ pro omnibus offertur.*
4. *Cur pro tota Ecclesia offerendum sacrificium.*
5. *Sacerdotes tenentur offerre sacrificium pro tota Ecclesia.*
6. *Sacrificium Missæ est sacrificium Ecclesiæ.*
7. *Ratione officij tenetur sacerdos offerre pro tota Ecclesia.*
8. *Missæ sacrificium exigit offerri ex sui natura pro tota Ecclesia.*
9. *Ex intentione Christi sacrificium offerendum pro tota Ecclesia.*

1 NOmine Ecclesiæ intelligitur tota collectio fidelium qui efficiunt corpus Mysticum Ecclesiæ sub vno capite visibili summu Pontifice. Dicendum est, *Sacrificium Missæ non solum pro Ecclesia offerri posse, sed etiam de facto offerri.* Ita communiter Doctores D. Thom. 3. *part. qu.* 79. *art.* 7. *ad* 2. & *qu.* 83. *art.* 4. *in corpore*, Gabr. *lect.* 20. *in Can. Miss.* & *lect.* 27. Scot. *quodlib.* 20. ver. *De primò*, Sotus *in* 4. *dist.* 13. *qu.* 2. *art.* 1. vbi de valore Missæ, Viguer. *cap.* 16. *Theol. instit.* §. 3. *ver.* 12. Nauar. *cap.* 25. *Manual. n.* 111. Henriq. *lib.* 9. *de Missa c.* 18. *n.* 3. & *c.* 21. *n.* 3 Bellarm. *lib.* 2. *de Missa cap.* 6. *mit.* Suarex *disp.* 78. *de Euchar. sect.* 2. ver. *Dico primo*, Vasq. 3. *part. disp.* 227. *c.* 1. *n.* 3. Chellisoo. *qu.* 83. *art.* 1. *dub.* 8. ver. *Dico* 1. Præposit. *dub.* 12. *n.* 71. Nugn. *part.* 2. *qu.* 6. *conclus.* 1. Granad. *controuer.* 6. *tract.* 14. *disp.* 6. *n.* 1. Tanner. *tom.* 4. *disp.* 5. *qu.* 9. *dub.* 4. *n.* 86. Gaspar Hurtad. *de sacram. disp.* 2. *de sacrific. Miss. difficul.* 4. ver. *Est tamen*, Caspeos. *part.* 2. *Curs. Theol. tract.* 23. *disp.* 1. *sect.* 4. *n.* 46. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tr.* 22. *disp. vn. pun.* 5. *n.* 2. Martinoo *disp.* 39. *de Euc. sect.* 3. *n.* 19. Villalob. *par.* 1. *sum. tr.* 8. *difficul.* 7. *n.* 1. Auersa *qu.* 11. *de Euc. sect.* 10. *init.*

2 Constat autem ex praxi Ecclesiæ, quæ præscribit offerendũ pro tota Ecclesia, vt constat ex illis verbis Canonis. *In primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, &c.* Item, *Pro omnibus Orthodoxis atq; Catholicæ, & Apostolicæ fidei Cultoribus.* Ex quibus manifestum fit, quod saltem ex institutione Ecclesiæ pro tota collectione fidelium offeratur.

3 Idem etiam tradit Conc. Trid. *sess.* 22. *c.* 2. scilicet, quod, *Non solum pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed pro defunctis in Christo, &c. Ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur*, quod etiam repetit *can.* 3. & *cap.* 4. definit, Missas, in quibus solus sacerdos communicat, noo esse priuatas, sed communes, quia pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent celebrentur.

4 Ratio autem est; quia sacrificium est ex sui natura publicum, & commune; nec potest quisque illud offerre, sed tantum sacerdotes deputati: ergo debuit de facto ex præscriptione saltem Ecclesiæ offerri pro toto Ecclesiastico corpore; vt posset quisque fructum ipsius participare, & ne sacrificium priuato modo offerretur. Confir. Tota Ecclesia defert Deo supremum cultum sacrificij per sacerdotes: ergo debet etiam pro tota Ecclesia offerri, vt tota participet fructum prouenientem ex tali cultu.

5 Dicendum 2. *Sacerdotem teneri offerre sacrificium pro tota Ecclesia, itavt non offerendo peccet mortaliter.* Hæc autem obligatio ita accipienda est, noo quod debeat habere intentionem expressam offerendi pro ipsa, sed quod sufficiat virtualis iotentio, quæ ex eo censetur interuenire, quod offerat sacrificium iuxta ritum Ecclesiæ. Hæc autem obligatio oritur primò ex institutione Ecclesiæ, nam præscribit talem vniuersalem oblationem, & illam exprimit in canone, vt dictum est: vndè si contra fieret, in re graui violaretur ritus, & præscriptio Ecclesiæ.

6 Secundò oritur etiam ex natura sacrificij, & institutione ipsius; nam vt habet Conc. Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. Christus reliquit hoc sacrificium dilectæ suæ sponsæ Ecclesiæ, & præcepit sacerdotibus, vt illud offerrent per illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo, quando offerunt, debent pro tota Ecclesia offerre, quia offerunt sacrificium ipsi relictum hoc est in beneficium ipsius, itavt sicut tota Ecclesia habet ius ad hoc sacrificium tanquam suum, ita etiam exigat pro ipsa ex vi suę institutionis offerri, quia tenetur sacerdos offerre seruato iure eiusdem Ecclesiæ.

7 Confir. Sacerdos ex suo munere est persona publica constitutus mediarot inter Deum, & Ecclesiam in ordine ad offerendum sacrificinm: ergo ratione institutionis sui muneris tenetur offerre pro tota Ecclesia. Conseq. prob Oblatio sacrificij debet correspondere muneri: ergo cum non sit sacerdos priuatarum personarum, sed totius Ecclesiæ, itavt respiciat munus ipsius sacrificium vt commune toti Ecclesiæ, debet offerre pro ipsa tota alioquin non impleret proprium munus.

8 Confirm. 2. Sacrificium Missæ est repræsentatiuum sacrificij Crucis: ergo ex sui natura exigit pro tota Ecclesia

Ecclesia offerri. Conseq. prob. Quia non solum repræsentat ratione modi offerendi, quatenus repræsentatur separatio sanguinis à corpore, sed etiam quia est idem principalis offerens, & offertur eadem victima, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap.* 2. & proindè est commemoratiuum sacrificij Crucis, vt habet idem Concil. *cap.* 1. si autem non offerretur pro tota Ecclesia non repræsentaret sacrificium Crucis, nec esset commemoratiuum illius, quia ipsum fuit sacrificium commune pro omnibus oblatum; nec esset repetitio eiusdem sacrificij cum sola diuersa ratione offerendi.

9 Confirm. 3. In hoc sacrificio Principalis offerens est Christus, & sacerdos se habet solum vt minister, cuius ministerio vtitur Christus, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap.* 2. Ergo ex vi institutionis tenetur habere suam intentionem saltem virtualem subordinatam intentioni Christi, nam debet habere intentionem tanquam ministri: Christi autem intentio est, quod offeratur pro tota Ecclesia, siquidem instituit sacrificium vt publicum, & commune, & tanquam commemoratiuum sacrificij Crucis, atque adeò offerendum ex ea intentione, qua obtulit sacrificium Crucis.

QVÆSTIO 138.

An Sacerdos possit licitè, aut validè excludere aliquem, ne comprehendatur sub communi oblatione sacrificij.

SVMMARIVM.

1. *Sacerdos potest excludere à participatione sacrificij, quatenus est sub priuata dispositione.*
2. *Non potest sacerdos excludere aliquem, ne participet de communi oblatione.*
3. *Alioquin violaret ritum Ecclesiæ, charitatem, & ius alienum.*
4. *Cur peccaret mortaliter.*
5. *Sacerdos excludens aliquem à communi participatione sacrificij an validè excludat.*
7. *Cur semper includat omnes in communi oblatione non obstante priuata intentione contraria.*
8. *Priuata intentio non alterat quæ sunt publici muneris, nec est efficax.*
9. *Quomodo Ecclesia offerat pro omnibus non obstante contraria intentione ministri.*
10. *Verba legati significant iuxta mentem Regis, si nomine ipsius proferantur.*

1 SI spectetur oblatio, quatenus est sub priuata dispositione sacerdotis, certum est, quod potest excludere quemcunque, ita vt nolit pro ipso offerre, quia cum hæc oblatio, seu potius applicatio sacrificij sit sub libera dispositione ipsius, nec alicui sit debita, potest illum coarctare, ad quem libuerit excludendo quemcunque alium, neque in hoc peccabit, nisi forte id faceret ex aliquo prauo motiuo. Et hoc confirmat etiam Praxis Ecclesiæ, dum pro certis solis determinatis personis præscribit Liturgias, & orationes, vt pro electione Pontificis, pro aliquo infirmo, & ita etiam vsus habet. Vndè solum difficultas est, an possit licitè aliquis excludi, ne comprehendatur sub vniuersali oblatione.

2 Dicendum. *Sacerdotem non posse licitè excludere aliquem, ne comprehendatur sub vniuersali oblatione sui sacrificij; sed si excludat, peccaturum mortaliter.* Ita D. Thom. 2. 2. *quæst. 25. art. 8. ad* 9. Nauar. *de orat. com.* 19. *num.* 120. Suarez *disput. 78. de Eucharist. sect.* 2. ver. *Sed quær.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 20. quæst.* 9. Reginal. *lib. 29. Praxis fori pœnit. num.* 153. Villalob. *par. 1. sum. tract. 8. difficul. 7. num.* 3. Coninch *de sacram. qu. 83. art. 1. dub.. num.* 170. Auersa *qu. 11. de Eucharist. sect. 8. init.* Granad. 3. *part. controuer. 6. tract. 14. disput. 6. num.* 1. Layman. *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. cap. 2. num.* 16. Bonac. *disp. 4. de sacram. qu. vlt. punct. 5. num.* 3. Miranda *tom. 1. Manual. Prælat. qu. 41. art. 5. conclus.* 1. Molfes. *part. 1. sum. tract. 3. cap. 15. num.* 33. Francisc. Lugo *lib. 5. de sacram. cap. 4. qu. 6. num.* 52. Gabr. à S. Vincent. *disp. 2. de sacrific. Miss. qu. 5. difficul.* 3.

Ratio autem est. Quia sacerdos excludens violaret ritum, & præscriptionem Ecclesiæ, quæ præcipit pro omnibus offerri. Secundò; Quia faceret contra charitatem, excludendo à communi suffragio, nam charitas obligat, neminem excludere à beneficijs communibus. Tertiò; Quia stante ordinatione Ecclesiæ, quod sacrificium pro omnibus offeratur, vel etiam natura sacrificij, quod tanquam commune pro omnibus, exigit ratione institutionis offerri, vt dictum est in præced. *num. 6. & sequent.* quisque acquirit ius ad talem oblationem, & sacerdos ratione muneris, tenetur offerre: vndè faceret contra munus proprium, & læderet ius alienum. 3

Dices. Non videri peccatum saltem mortale, quia non videtur lædi is, qui excluditur in aliquo notabili, & proindè neque præceptum Ecclesiæ violari in re graui. Contra; Ecclesia censetur infligere pœnam grauem, dum priuat aliquem per excommunicationem communibus suffragijs. Secundò; Non offeri pro omnibus alijs, & hunc solum excludit, videtur etiam excludere à consortio fidelium; & si exclusus id sciret, se valdè grauari sentiret. Tertiò; Fructus, quod offert sacrificium ex vi talis oblationis non est ita exiguus, vt censenda sit parua materia, nam fortè priuaretur auxilio, aut ad conuersionem, aut ad quid aliud notabile, quod ei talis oblatio impetratura esset. Quartò; Committeretur acceptio personarum in spiritualibus, & deformaretur illa æqualitas, qua omnia membra Ecclesiæ includuntur sub communibus beneficijs. Denique id non posset fieri, nisi ex prauo animo, atque adeò tendente contra salutem animæ illius. 4

An autem si excludat, validè excludat affirmat Lugo Cardin. *disp. 19. de Eucharist. sect. 10. num.* 224. & quoad fructum satisfactionis etiam Suarez *disp. 78. de Eucharist. sect.* 2. ver. *Sed quær.* Gabr. à S. Vincent. *de sacram. disp. 2. de sacrific. Miss. quæst. 5. difficul.* 3. ver. *Sed peter.* Prob. Lugo, Ecclesia non offert immediatè, sed mediante sacerdote: ergo si sacerdos non offert immediatè, nec etiam Ecclesia offeret mediatè: nec sufficit implicita voluntas eo, quod offerat iuxta Ecclesiæ intentionem, quia excluditur per explicitam. Confir. si legatus vtatur verbis Regis apud Pontificem, nec tamen intendat significare, quod illa sonant, & hoc sit notum Pontifici, non perit, quod verba sonant nomine Regis, cum non velit significare voluntatem Regis: ergo nec sacerdos, licet offerat in persona Christi, offeret pro eo, quem excludit. 5

Alij tamen docent, quod non excludit validè, sed adhuc ad ipsum perueniet fructus sacrificij. Ita Scot. *quodlib. 20. art.* 2. ver. *Potest ergo*, Corduba *lib. 1. quæst. 3. not.* 3. ver. *Secundò modo*, Henriquez *lib. 9. de Missa cap. 20. num.* 1. Reginald. *lib. 29. Praxis fori pœnit. cap. 9. sect. 2. num.* 153. Granad. 3. *part. controuer. 6. tract. 14. disp. 6. num.* 1. Layman *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. cap. 2. num.* 16. Bonac. *disp. 4. de sacram. qu. vlt. punct. 5. num.* 3. Auersa *qu. 11. de Eucharist. sect. 8. init.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacram. cap. 4. qu. 6. num.* 53. 6

Cum his igitur tenendum est, *quod non excludat validè, sed adhuc fructus perueniat ad exclusum.* Ratio est; quia eo ipso, quod offert sacrificium, se gerit tanquam ministrum Christi principalis offerentis, & etiam 7

Ecclesiæ

Ecclesiæ, cuius nomine offert, & proindè habet intentionem efficacem se gerendi vt ministrum talem in illo ministerio, & sicuti ministerium, quod exercet est subordinatum intentioni Christi, & Ecclesiæ, ita etiam intentio Sacerdotis exercendi illud ministerium, & se gerendi vt ministrum Christi & Ecclesiæ: ergo ex vi talis intentionis offert secundum mensuram intentionis Christi, & Ecclesiæ, quæ ad omnes se extendit: ergo non potest priuata intentio, qua aliquem excludit præualere contra talem intentionem publicam, & actu operatam, sed remanet frustratoria.

8 Præterea; Non potest priuata intentio Sacerdotis alterare ea, quæ sunt publici muneris, & quæ sunt ex institutione Ecclesiæ, vel etiam ex institutione diuina; nam ad hæc non habet facultatem, & intentio non est efficax, nisi adsit facultas, vndè si quis vellet creare Cardinalem, & non esset Pontifex, intentio, & voluntas ipsius nulla esset. Oblatio autem sacrificij pro omnibus membris Ecclesiæ est publici muneris, ex institutione Ecclesiæ, & etiam diuina, & talis oblatio non est sub dispositione, & facultate Sacerdotis: ergo quicquid intendat contra hanc communem oblationem, nihil efficiet, cum non spectet ad ipsum, sed solum possit disponere de applicatione particulari sacrificij.

9 Ad 1. in oppositum distinguitur consequens. Si Sacerdos non offerat siue expressè, siue implicitè, non offeret Ecclesia: Secus autem, si offeret saltem implicitè. Eo ipso autem, quod tanquam minister Christi, & Ecclesiæ offert sacrificium, offert implicitè, quia implicita oblatio consistit in eo, quod offerat vt minister nomine Ecclesiæ. Nec talis implicita oblatio potest elidi à contraria priuata intentione, quia non est distincta ab intentione offerendi, vt minister Christi, & Ecclesiæ, quæ cum secundum se sit efficax, est etiam efficax secundum id, quod dicit virtualiter.

10 Ad 2. Si legatus intendat proferre verba apud Pontificem nomine Regis, quamuis non intendat significare, quod illa sonant, & sit hoc notum Pontifici, adhuc tamen, petet, quod sonant, quia non habent significare iuxta priuatum conceptum ipsius, sed iuxta mentem Regis, cuius sunt expressiua eò ipso, quod intendit proferre nomine Regis; nam hæc intentio facit, quod proferantur tanquam signa mentis Regis, & dicit quod legatus tanquam minister, seu vt repræsentans Regem, habeat intentionem subordinatam in loquendo intentioni Regi; & ideò priuata intentio non potest præualere.

QVÆSTIO 139.

An fructus, à quo quis non potest excludi ex priuata intentione, sit tantum impetratorius, an verò etiam satisfactorius.

SVMMARIVM.

1. *Fructus sacrificij, à quo quis non potest excludi, qualis sit,* & num. seq.
3. *Fructus satisfactionis in sacrificio est communis omnibus.*
4. *Quia est commune prodest omnibus quoad satisfactionem.*
5. *Sacrificium producit in omnibus, qui sunt capaces, omnes effectus.*
6. *Eos communicat, quibus applicatur.*
7. *Satisfactio sacrificij Crucis communicatur omnibus, pro quibus offertur sacrificium.*
8. *Communis fructus satisfactionis in quo habeat fundamentum.*
9. *Non potest conferri, quod communis fructus satisfactionis liberet omninò à reatu pœnæ.*

Prima sententia asserit, esse tantum impetratorium. Ita Suarez *disp. 78. de Eucharist. sect. 2. ver. Sed quæ.* Coninch *de sacrament. quæst. 83. art. 1. dub ... num. 156. & 169.* Lugo Cardin. *disp. 19. de Eucharist. sect. 10. num. 221.* Filliuc. *tract. 5. num. 77.* Franeisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 4. quæst. 6. numer. 54.* Prob. Fructus generalis satisfactionis non habet fundamentum nec in iure diuino, nec in verbis Missæ, cum solum significent orationem, & oblationem generalem quoad impetrationem. Secundò; Si omnes reciperent aliquem fructum satisfactionis ex omnibus Missis, vix, qui aliquo tempore fuissent in statu gratiæ, haberent reatum alicuius pœnæ: vndè omnes animæ citissimè liberarentur à pœnis Purgatorij. 1

Secunda sententia tenet, quod iste fructus communis omnium non solum sit impetrationis, sed etiam satisfactionis. Ita Scot. *quodlib. 20. ar. 9.* Adrian. *quodlib. 8. art. 7.* Nauar. *de orat. not. 20. num. 52.* Gabr. *lect. 25. in can.* Gerson. *3. part. Alphabet. 77.* Maior *in 4. distinct. 45. quæst. 2.* Palud. *ibid. in fine.* Henriquez *lib. 9. de Missa. cap. 18. num. 3.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 20. quæst. 9. in fine.* Facundez *præcep. 4. Eccles. lib. 3. cap. 6. num. 23.* Valentia *tom. 4. disp. 6. qu. 11. punct. 1. § 25.* Bonac. *disp. 4. de sacram. qu. vlt. punct. 4. num. 9.* Granad. *3. part. controuer. 6. tract. 14. disp. 7. sect. 2. num. 7.* 2

Dicendum. *Fructum communem prouenientem ex oblatione communi nedum esse impetratorium, sed etiam satisfactorium.* Desumitur ex Canone Missæ, in quo sacerdos dicit nomine Ecclesiæ. *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus pro redemptione animarum suarum.* In quibus verbis cum sit sermo de omnibus, vel qui offerunt, vel pro quibus offertur, & redemptio animarum dicat satisfactionem, iam Ecclesia, cuius intentioni verba correspondere debent, intendit hunc effectum. 3

Prob. Missæ sacrificium ideò est commune, quia, vt habet Concil. Trid. *sess. 22. cap. 6. in fine.* Pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinet celebratur: ergo omnibus Christi fidelibus prodest quoad satisfactionem, qui sunt capaces. Conseq. prob. Sacrificium Missæ ex sui natura est satisfactorium & ex intentione Ecclesiæ, seu etiam ex institutione Christi applicatur ipsis, itavt intentio Ecclesiæ aut etiam Christi sit, quod effectus sacrificij ad ipsos se extendat: ergo communicat ipsis effectus, quos ex sui natura producit, inter quos est satisfactio pro capacibus. 4

Confirm. Non potest causa applicari alicui subjecto ad agendum secundum suam virtutem, nisi producat totum, quod ex natura sua habet producere, ita vt si sit causa necessaria, aut agat ad modum necessariæ, necesse sit, quod producat omnes effectus, quod subiectum est capax; vndè non potest applicari ignis subiecto capaci, nisi simul calefaciat, exsiccet, & comburat: Sacramenta non possunt applicari, nisi in subiecto capaci ponant suos effectus: ergo cum sacrificium Missæ producat suos effectus per modum causæ naturalis producet in omnibus, quibus applicatur, seu pro quibus offertur, & in quibus reperit capacitatem, atque adeò etiam effectum satisfactionis. 5

Confirm. 2. Quando sacerdos applicat sacrificium, seu offert pro aliqua determinata persona, communicat ipsi etiam effectum satisfactionis, si sit capax: ergo communicabit omnibus, pro quibus offertur ex intentione Ecclesiæ, seu ex institutione sua. Conseq. prob. Sacrificium ideò communicat determinatæ personæ effectum satisfactionis, quia ex 6

ex natura sua baber, quod sit satisfactorium, & quia pro ipso offertur. Sed etiam offertur pro omnibus, & quoad ipsus est eiusdem naturæ, & virtutis, siquidem, non solum est idem sacrificium, sed etiam quoad omnes habet virtutem, & valorem ex eadem radice, nempè ex principali offerente, re oblata, & meritis Christi, itavt secundum eandem virtutem operetur quoad omnes: ergo quoad omnes causabit eosdem effectus.

7 Confirm. 3. Sacrificium Missæ est applicatiuum sacrificij Crucis, seu salutaris virtutis ipsius, vt habet Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. Ergo prodest omnibus, pro quibus offertur etiam quoad satisfactionem. Conseq. prob. Applicatio sacrificij Crucis, seu eius virtutis fit ex vi oblationis, & virtus sacrificij Crucis nedum est impetratoria, sed etiam satisfactoria: ergo ex vi oblationis applicatur etiam satisfactio ijs omnibus, pro quibus offertur.

8 Ad 1. Licet fructus satisfactionis quoad omnes non habeat fundamentum in aliquo iure positiuo, attamen habet in natura sacrificij; nam, vt dictum est, cum sit applicatiuum sacrificij Christi, & offeratur in persona Christi, haber, quoad capaces eandem amplitudinem quàm habet sacrificium Crucis. Habet etiam in intentione Ecclesiæ, nam constat, quod ex eius intentione offertur pro omnibus fidelibus, & non constat, quod coarcter oblationem ad solum effectum impetrationis, & aliàs sacrificium habet esse satisfactorium quoad capaces, vndè præsumendum est, quod intendat offerre sacrificium iuxta ipsius naturam. Quam intentionem satis declarat in oblatione vocali, quam præmittit consecrationi illis verbis, *Pro omnibus fidelibus Christianis, viuis, atque defunctis, vt mihi, & illis proficiat ad salutem in vitam æternam.* Proficere autem ad salutem includit satisfactionem. Et in oblatione calicis. *Pro nostra, totiusque mundi salute cum odore suauitatis ascendat.* Offerri autem pro salute, est offerri etiam pro satisfactione.

9 Ad 2. Idem argumentum posse fieri de ijs qui quotidie celebrant, aut pro quibus in speciali applicantur plura, aut quotidiana sacrificia: quoad eos, qui lucrantur quotidianas indulgentias, aut plures plenarias; quoad indulgentias & Missas, quæ applicantur pro animabus Purgatorij: ex his enim omnibus capitibus inferri posset, quod prædicti aut parum, aut nihil detinerentur in Purgatorio, & proindè Purgatorium breui fore euacuandum. Quia tamen nihil certi habemus, quanta sit pœna, quæ in Purgatorio correspondeat peccatis, nec quanta sit satisfactio, quæ prouenit ex communi oblatione sacrificij; ideò nec possumus aliquid determinare in hac materia, nec inferre aliquod absurdum ex vna, vel ex altera sententia, nam ex antecedenti omninò incertò inferretur. Deindè si non est absurdum, quod illa parum, aut nihil detineatur in Purgatorio, qui in articulo mortis lucratus est plenariam indulgentiam, aut cui defuncto applicatur plenaria item indulgentia, nec etiam erit absurdum, quod illi parum, aut nihil detineantur, quibus per communem oblationem sacrificiorum tanta satisfactio applicatur, vt æquiualeat debito pœnæ soluendæ pro peccatis. Neque video sequuturam euacuationem Purgatorij, nam quotidie moriuntur plures fideles, & quam plures, qui innumera peccata mortalia commiserunt, & vix in fine vitæ conuertuntur.

QVÆSTIO 140.

An sacrificium Missæ offerri possit pro infantibus.

SVMMARIVM.

1. *Infantes cur videantur incapaces fructus sacrificij.*
2. *Sacrificium offerri potest pro infantibus, & quatenus ijs prosit.*
3. *Quid sufficiat, vt quis sit capax sacrificij.*

QVamuis dictum sit, quod sacrificium Missæ offerri possit pro omnibus fidelibus, de quibusdam tamen est aliqua difficultas; & primò de infantibus, quia cum non sint capaces peccati, & consequenter pœnæ, nec etiam videntur capaces sacrificij propitiatorij. 1

Dicendum est. *Sacrificium Missæ offerri posse etiam pro infantibus, & illis prodesse quatenus impetratorium.* Ita communiter præsertim Sotus *lib.* 9. *de iust. & iure, quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 3. Suarez *disput.* 78. *de Eucharist. sect.* 2. ver. *Dico* 1. *in fine.* Vasquez 3. *part. disput.* 227. *cap.* 1. *num.* 4. Mærat. *tom.* 3. *sum. disput.* 38. *de Eucharist. sect.* 1. ver. *Ratio autem*, Gaspar Hurtad. *de sacrament. disput.* 2. *de sacrific. Miss. difficul.* 4. ver. *Nomine autem*, Et desumitur ex D. Clement. *lib.* 8. *constit. Apostol. capit.* 13. vbi ait. *Infantum Ecclesiæ memores simus, vt Dominus perfectos eos in timore suo ad adultam ætatem perducat.* 2

Ratio autem est, quia vt quis sit capax oblationis sacrificij, sufficit, si possit ex ipso percipere aliquem fructum. Infantes autem possunt recipere fructum impetrationis. Vndè cum sint membra corporis mystici Ecclesiæ, dum sacrificium offertur pro toto corpore, offertur etiam pro ipsis. 3

QVÆSTIO 141.

An sacrificium Missæ offerri possit pro energumenis.

SVMMARIVM.

1. *Quid de energumenis statuerit Concilium Elibertinum.*
2. *Sacrificium offerri potest pro energumenis.*
3. *Energumeni sunt capaces bonorum Ecclesiæ.*
4. *Energumenis prohibebatur offerre ad altare.*

RAtio dubitandi desumitur ex Concil. Elibertino *can.* 29. vbi statuitur de Energumeno, qui ab erratico spiritu exagitatur, *Huius nomen neque ad altare cum oblatione esse recitandum, neque permittendum, vt sua manu in Ecclesia ministret.* Vndè ex hoc videtur desumi prohibitio Ecclesiæ de offerendo sacrificio pro Energumeno. 1

Dicendum tamen est. *Sacrificium offerri posse pro Energumenis.* Ita communiter præsertim Suarez *disput.* 78. *de Eucharist. sect.* 2. ver. *Superest verò*, Vasquez 3. *part. disput.* 227. *cap.* 1. *numer.* 4. Mærat. *tom.* 3. *sum. disput.* 38. *de Eucharist. sect.* 1. ver. *Ratio autem*, Gaspar Hurtad. *de sacrament. disputat.* 2. *de sacrific. Miss. difficul.* 4. ver. *Nomine autem*, Gabr. à S. Vincent. *de sacrament. disput.* 2. *quæst.* 4. *difficul.* 2. Et cæteri, dum docent, offerri posse pro omnibus fidelibus neminem excludendo. 2

Ratio

3 Ratio est. Quia Energumeni baptizati sunt membra corporis mystici Ecclesiæ: eo aliquando etiã sunt membra viua: ergo possunt participare de bonis omnibus communibus. Sacrificium autem est bonum commune. Confirm. Sacrificium potest ipsis prodesse quoad impetrationem, & potest ipsis impetrare liberationem: & si sint in gratia, potest etiam satisfacere pro ipsis: ergo non est ipsis negandum, quod possint esse capaces fructus sacrificij. Confir. 2. Hoc sacrificium ex Concil. Tridentin. offertur pro omnibus necessitatibus. Ita *sess. 22. cap. 2. in fine*. Energumeni autem sunt in speciali necessitate, & alias sunt membra Ecclesiæ.

4 Ad Concil. Elibertin. resp. In illo Canone non esse sermonem de oblatione sacrificij pro ipsis, sed oblatione, quam faciebant fideles ad altare, quorum nomina recitabantur: & quoad ipsos hoc prohibetur. Rursus etiam prohibetur, ne in Ecclesia ministrent. Vnde nullo modo pacto agit de oblatione sacrificij pro ipsis.

QVÆSTIO 142.

An pro peccatoribus offerri possit sacrificium Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Peccatores an capaces influxus vitalis.*
2. *Sacrificium potest offerri pro peccatoribus.*
3. *Sacrificium est institutum pro obtinenda remissione peccatorum.*
4. *Peccatores sunt intra corpus mysterium Ecclesiæ.*
5. *Sacrificium non offertur pro peccatoribus vt satisfactorium.*
6. *Qui offerret an peccaret.*
7. *Sacrificium non potest offerri pro peccatore vt satisfactorium cum relatione ad tempus, in quo erit capax.*
8. *Sacrificium non confert suos effectus recedente obice.*

1 RAtio difficultatis est. Quia peccatores sunt membra mortua: & ideò non videntur capaces influxus vitalis, qualis est influxus sacrificij Missæ. Cum enim per ipsum applicetur virtus sacrificij Crucis, vt habet Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. & talis virtus sit influxus vitalis, non videtur membrum mortuum esse capax illius.

2 Dicendum est. *Peccatores omnes esse capaces fructus sacrificij Missæ, & ideò posse offerri pro ipsis.* Ita communiter D. Thom. *in* 4. *distinct.* 12. *quæst.* 2. *artic.* 2. *quæstione* 2. *ad.* 4. Sotus *lib.* 9. *de Iustit. & iure quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 3. Henriquez *lib.* 9. *de Missa, cap.* 15. *num.* 2. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 3. *notat.* 3. ver. *Secundo modo.* Bellarmin. *lib.* 2. *de Missa, cap.* 6. *init.* Vasquez 3. *part. disp.* 227. *cap.* 1. *num.* 4. Suarez *disp.* 78. *de Eucharist. sect.* 2. ver. *Superest verò.* Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 38. *de Eucharist. sect.* 1. ver. *Ratio autem.* Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disp.* 2. *de sacrific. Miss. difficult.* 4. ver. *Nomine autem.*

3 Et est omnino certum ex Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. vbi habet loquens de sacrificio Missæ; *Atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur.* Si igitur per sacrificium Missæ applicatur virtus sacrificij Crucis in remissionem peccatorum, iam supponitur, quod pro peccatoribus offeratur. Et cap. 2. *Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Dum igitur per hoc sacrificium obtinetur donum pœnitentiæ, & remissio criminum, necesse est, quod pro peccatoribus offeratur, alioquin eius oblatio non causaret hos effectus.

Ratio autem est. Quia fideles, licèt peccatores, 4
adhuc sunt per fidem intra corpus mysticum Ecclesiæ. Et passio Christi facit ordinata etiam in ipsorum beneficium: vnde in virtute ipsius habent auxilia ad resurgendum: ergo cum sacrificium Missæ, hic applicatiuum sacrificij Crucis, est pro ipsis offeribile, cùm possint participare virtutem sacrificij Crucis. Confirm. Sacrificium Missæ habet omnes prærogatiuas sacrificiorum veteris legis, vt in superioribus ex sententia Patrum, & ex Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. *in fine.* dictum est. Ergo habet, quod sit hostia pro peccato, sicut etiam fuit sacrificium Crucis. Ergo offerri potest pro peccatoribus ad eis obtinendam remissionem peccatorum.

Dicendum 1. *Hoc sacrificium non posse offerri pro* 5
peccatoribus tanquam satisfactorium. Ita D. Thom. 3. *part. quæst.* 79. *art.* 7. *ad* 2. Vbi habet, quod hoc sacrificium non prodest, nisi illis, qui coniunguntur huic sacramento per fidem, & charitatem. Quod intelligitur de effectu ex opere operato, atque adeò de satisfactione. Ratio autem est. Quia sine remissione peccati non fit remissio pœnæ, & quia, vt quis satisfaciat Deo, debet esse membrum Christi, viuum, nam cum existenti in peccato mortali sit debita pœna æterna, non potest pro temporali satisfacere.

An autem peccaret, qui offerret sacrificium pro 6
eo, quem scit esse in peccato mortali tanquam satisfactorium. Resp. Quod si bona fide proderet, excusaretur à peccato: ac si sciret non posse offerri, & adhuc offerret, quamuis oblatio quoad hoc irrita esset, adhuc tamen fieret grauis iniuria sacrificio, & institutioni Christi, quia sic offerens niteretur contra institutionem Christi.

Dicendum 3. *Hoc sacrificium tanquam satisfacto-* 7
rium non posse offerri pro peccatoribus cum relatione ad tempus, in quo erunt capaces satisfactionis, ita vt velit habere suum effectum, quando peccator erit in statu gratiæ. Ita Lugo Cardin. *disput.* 19. *de Eucharist. num.* 193. Ludouicus à S. Ioan. *part.* 1. *sum. quæst.* 9. *de Eucharist. art.* 4. *dub.* 1. *difficult.* 1. Vbi citat Nauarr. in oppositum. & Nauar. sequitur Gabr. à S. Vincent. *de sacrament. disput.* 2. *de sacrific. Missæ quæstione* 4. *difficult.* 3. *in fine.* Ratio autem est. Quia non est in potestate Sacerdotis suspendere effectum sacrificij: ergo si quando offertur pro aliquo, est incapax satisfactionis, non amplius quoad satisfactionem recipiet fructum sacrificij. Sacrificium operatur suos effectus ad modum causæ naturalis. Causa autem applicata subiecto, si reperiat incapax frustratur suo effectu. Et ratio à priori est. Quia sacrificium producit suos effectus iuxta mensuram suæ institutionis, & non est in potestate Sacerdotis aliquid alterare. Christus autem ita instituit hoc sacrificium, vt operaretur iuxta præsentem capacitatem subiecti.

Dices. Sacramenta producunt gratiam recedente 8
fictione: ergo etiam sacrificium erit satisfactorium recedente peccato. Resp. anteced. non admitti vniuersaliter quoad omnia sacramenta, sed solum quoad ea, quæ iterari non possunt. Quidquid tamen sit, est diuersa ratio; nam sacramenta tanquam signa sanctificatiua per se primò ordinantur ad causandam gratiam, & ideò supposito, quod recedente fictione illam producant ideò producerent, quia esset effectus primarius, & ne carerent suo primario fine. At sacrificium non per se primò ordinatur ad satisfaciendum pro peccatis, sed ad exhibendum

Digitized by Google

debitum cultum Deo, quem finem eum sempet obtineat, non est necesse, quod recedente peccato opcretut effectum satisfactionis, ue omninò frustra sit.

QVÆSTIO 143.

An sacrificium Missæ offerri posit pro excommunicatis vitandis.

SVMMARIVM.

1. *Indirectè pro omnibus excommunicatis potest offerri sacrificium, & quomodo.*
2. *Sacrificium non potest offerri directè pro excommunicatis vitandis.*
3. *Excommunicatio priuat communibus Ecclesiæ suffragiis.*
4. *Sacrificium pro excommunicatis vitandis validè licèt illicitè offertur.*
5. *Sacrificium, quoad validitatem dependet solum à potestate ordinis.*
6. *Fructus, qui est ratione Ecclesiæ non percipitur ab excommunicatis, si pro ipsis offeratur sacrificium.*
7. *Offerens pro excommunicatis vitandis peccat mortaliter.*
8. *Incidit in minorem excommunicationem.*
9. *Sacrificium oblatum pro peccatoribus, &c. non se extendit ad excommunicatos vitandos.*
10. *Potest offerri pro excommunicato ex falsa præsumptione.*
11. *Quomodo quis facere possit, quod suum sacrificium prosit excommunicato.*
Actus censetur fructus eo titulo, quo vtilis esse potest.

1 EXcommonicati alij sunt vitandi, vt sunt deuunciati, aut publici percussotes Clericotum; alij non vitaudi: modo agitur de primis, quia quoad secundos adest specialis difficultas. Cettum est autem apud omnes, quod potest pro omnibus sacrificium indirectè offerre. Nam non obstante excommunicatione sunt capaces alicuius effectus sacrificij quatenus impettatorij, siquidem potest ipsis impetrare auxilia gratiæ ad pœnitendum. Stante autem capacitate, potest indirectè offetri sacrificium, vt si offetatur pro impetranda gratia omnibus indigentibus, seu conuersione, peccatotum, pro vnione in charitate omnium membrorum Christi, aut aliquo alio modo. Et tatio est, quia prohibitio Ecclesiæ tanquam odiosa strictè est accipienda, & proinde debet accipi tantum de directa oblatione; & ideò neque ex intentione ipsius excludentur ab indirecta participatione fructus sacrificij. Imò cum Ecclesia per excommuoicationem intendat medicinam, noo est verisimile, quod velit impedire bonum, quod intenditur io oblatione indirecta sacrificij, vt eos excludat ab indirecta patticipatione.

2 Dicendum 1. *Sacrificium Missæ non per se directè offerri pro excommunicatis vitandis licito modo.* Ita communiter Doctores D. Thom. *in 4. distinct.* 18. *quæst.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. Durand. *quæst.* 3. *num.* 5. Gabr. *quæst.* 2. *art.* 3. Sotus *distinct.* 22. *quæst.* 1. *art.* 1. §. *Quomodo autem.* Hostiens. *lib.* 5. *sum.* Tit. *De sentent. excomm.* §. *Sed numquid. num.* 17. Syluester. *verbo.* Excommunicatio 5. *num.* 2. Tabiena *n.* 9. Couart. *in cap. Alma mater. part.* 1. §. 6. *n.* 4. *conclus.* 5. Nauar. *cap.* 27. *Manual. nu.* 18. Henriquez *lib.* 9. *de Miss. c.* 15. *num.* 3. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 22. *quæst.* 3. Rodriguez *part.* 1. *sum. cap.* 74. *conclus.* 1. Asteus. *part.* 2. *sum. lib.* 7. *tit.* 9. *quæst.* 3. Sayr. *lib.* 2. *de Censur. cap.* 4. *num.* 4. Auila *part.* 2. *de Censur. cap.* 6. *disp.* 9. *dub.* 3. *conclus.* 2. Regin. *lib.* 29. *praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 2. *nu.* 153. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 2. Suarez *disp.* 78. *de Eucharist. sect.* 2. ver. *Dico* 4. & *disp.* 9. *de Censur. sect.* 1. *num.* 2. & *seq.* Vasquez 3. *part. disput.* 227. *cap.* 1. *num.* 26. Amicus *tom.* 7. *Curs. Theolog. disput.* 33. *sect.* 4. *num.* 13. Chellison. 3. *part. qu.* 83. *art.* 1. *dub.* 8. ver. *Dico* 6. Præposit. *dub.* 12. *num.* 76. ver. *Dico* 7. Isambert. *disput.* 7. *art.* 2. *propos.* 2. Gaspar. Hurtad. *de Censur. disput.* 3. *de excommunic. difficult.* 2. Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 38. *de Eucharist. sect.* 1. *asser.* 2. Coninch. *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 9. *conclus.* 2. Layman. *lib.* 5. *Theolog. moral. tract.* 5. *cap.* 2. *nu.* 7. ver. *Quartò.* Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist.* ver. *Decimo tandem.* Filliuc. *tract.* 5. *num.* 49. Bonze. *disp.* 4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.* 5. *num.* 2. & *disp.* 2. *de Censur. quæst.* 2. *punct.* 1. §. 1. *num.* 1. & alij in materia de censuris.

Ratio autem est. Quia excommunicatio priuat communibus Ecclesiæ suffragiis, vt statuimur in cap. *A nobis.* & in cap. *sacris. De sentent. Excommunic.* Et proinde priuat etiam sacrificio Missæ; vnde qui offerret pro excommunicatis, faeeret contra prohibitionem Ecclesiæ. Hæc aotem ptohibitio est iusta, quia necessaria est ad teprimendam contumaciam, & quia ita exigit publicum commodum Ecclesiæ, & vtilitas eorumdem excommunicatotum. 3

Dicendum 2. *Si quis offerat sacrificium pro excommunicatis, licèt peccet, validè tamen offert, itavt percipiant totum illum fructum, cuius sunt capaces.* Ita Suarez *disput.* 6. *de Censur. sect.* 4. *num.* 3. Auila *de Censur. part.* 2. *cap.* 6. *disp.* 4. *dub.* 4. Henriquex *lib.* 13. *sum. cap.* 11. *num.* 2. Præposit 3. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 12. *num.* 76. ver. *Ex quo sequitur.* Chellison *dub.* 8. ver. *Dico* 6. Mærat, *tom.* 3. *sum. disp.* 38. *de Eucharist. sect.* 1. ver. *Prioris autem partis.* Auersa *quæst.* 11. *de Euchar. sect.* 18. ver. *Decimo tandem.* Gaspar. Huttad. *de sacrament. disp.* 2. *de sacrific. Miss. difficult.* 4. ver. *Quoad reliquos.* & communiter. 4

Ratio est. Quia oblatio sacrificij sicut est actus Ordinis, ita etiam quoad validitatem dependet à potestate ordinis. Ecclesia autem non potest irritare, quæ sunt potestatis ordinis, quia cum sint secundum institutionem Christi, non potest de ipsis ad libitum disponere. Quare cum excommunicati sint capaces effectuum sacrificij iuxta Christi institutionem, siquidem saltem pro omnibus baptizatis ab ipso institutum est, ideo valebit pro ipsis oblatum. 5

Ex his colligitur. Quod si Saeerdos offerat sacrificiom pro cxeommunicatis, quamuis ad ipsos perueniat fructus sacrificij, qui est ex institutione Christi, non tamen percipiunt aliquem fructum, quatenos sacrificium offertur nomine Ecclesiæ, vt notant etiam Doctotes *num.* 4. citati. Et tatio est, Quia cum Ecclesia excludat eos à participatiooe sacrificij, habet intentionem quod Saeerdos non offerat pro ipsis nomine suo; & proinde oon potest offetendo nomine Ecclesiæ transmittete ad ipsos aliquem fructum prouenientem ex oblatione, quatenus facta nomine Ecclesiæ. 6

Colligitut 2. Offerentem sacrificium pto excommunicatis vitandis peccare mortaliter vt inter alios expresè notant D. Thom. *quodlib.* 11. *quæst.* 8. *art.* 9. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 2. *art.* 4. ver. *In hoc ergo.* Henriq. *lib.* 9. *de Missa cap.* 15. *num.* 3. Auila *part.* 2. *de Censur. cap.* 6. *disput.* 9. *dub.* 3. *conclus.* 3. Sayr. *lib.* 2. *de Censur. cap.* 4. *num.* 5. Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 38. Suarez *disp.* 9. *de Censur. sect.* 1. *num.* 4. *in fine.* Et ratio est. Quia in re graui violaret prohibitiooem Ecclesiæ. Quod autem materia sit grauis ex eo constat, quia agitur de salute excommunicati, nam talis priuatio 7

prioatio ordinatur ad resipiscentiam ipsios, & ideò offerens sacrificium euerteret media præcipua, quibus intendit Ecclesia reducere contumacem ad obedientiam.

8 Colligitur 3. Offerentem sactificium pro excommunicato vitando incidere in minorem excommunicationem. Hæc eoim excommuoicatio contrahitur ob commonicatiooem in diuinis cum excommunicato. Qui autem orat, aut offert sactificium pro ipso commuoicat in diuinis, vt docet D. Thom. *quodlib.* 11. *quæst.* 8. *art.* 9. *in corpore*, & *ad* 2. quia communicare in diuinis nihil aliud est, quàm facere communia ipsa diuina. Qui autem offert, facit commune sacrificium, imò tacitè admittit ipsum ad offerendum, quod est aliquid amplius, quàm simul orare cum ipso, aut coram ipso offerre. Et ita docet Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 36. *ad* 3. Vnde noo est admittenda opposita sententia Syluest. *verb.* Excommunicatio 5. *num.* 2. Auilæ *part.* 2. *de Censur. cap.* 6. *disp.* 9. *dub.* 4. *conclus. vnic.*

9 Colligitur 4. Quod sactificium oblatum generaliter pro peccatoribus, aot aliquo alio titulo, qui comprehendat excommunicatos, non se extendet ad ipsos, nisi saltem implicitè offerens id inteodat, notat etiam Gaspar Hurtad. *De Censur. disput.* 3. *de excommun. difficult.* 4. ver. *Existimamus.* Et ratio est, quia minister offerens censetur quoad suam inteotionem correspondere inteotioni Ecclesiæ, vode cum de iotentiooe Ecclesiæ sit, quod excludantor à participatione sacrificij censentur etiam excludi à ministro. Et ideò, quando indirectè offertur pro ipsix sacrificium, vt percipiant fructum, oecesse est, quod minister intendat indirectè sactificium ad ipsos quoque extendi.

10 Colligitur 5. Cum Præposito 3. *part. quest.* 83. *art.* 1. *dub.* 12. *num.* 75. ver. *Aduerte primò.* Posse offerri sactificium pro excommouicato quando excommunicatio nititur falsæ præsumptiooi, dummodo de hoc constet. Quod etiam habet iocum, quando sententia excommouicationis est nulla, nam tunc excommunicatio io conscientia noo obligat, sed solum, quantum opus est ad euitandum scandalum; vnde quaodo absque scandalo potest non seruari, non obligat; & ideò cum oblatio sacrificij fieri possit absque scandalo non censetur prohibita. An autem idem dicendum sit, quando senteotia excommunicationis est iniusta, negatiuè est respondendum, quia licèt iniusta adhuc tamen est valida, & ideò ligat, & ponit suos effectus.

11 Colligitur 6. Quod, si quis vellet, quod suum sacrificium prodesser alicui excommunicato posset illud intendere offerre omni meliori modo, quò licèt, & ipsi iuuare potest. Quia in tali casu non discordat, ab intentione Ecclesiæ, & ideò non facit contra ipsius prohibitionem. Imò si quis offerret explicitè pro excommunicato, ita tameo, vt non intenderet facere contra prohibitionem Ecclesiæ, accipienda esset oblatio tanquam indirecta, & directè ordinata ad bonum Ecclesiæ, nempe ad amplificationem auctoritatis ipsius, quæ resultatet ex eo, quod excomouoicatus obediret, & se submitteret. Quia actus semper censetur factus ex eo titulo, quo vtilis esse potest *l. Cum pater ff. de iure dot.* & *l.* 3. *ff. de testam.* *Milit.*

QVÆSTIO 144.

An liceat offerre sacrificium pro excommunicatis tanquam pro exteris ad impetrandam reductionem.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium posse offerri pro excommunicatis tanquam exteris pro impetranda eorum reductione, qui sentiant.*
2. *Qui negent.*
3. *Prohibitio offerendi sacrificium pro excommunicatis est tanquam pro exteris.*
4. *Ecclesia in Feria Sexta Parasceue admittit excommunicatos ad participationem orationis.*
5. *Non licet orare pro excommunicatis vt talibus.*
6. *Sacrificium offerri non potest pro excommunicatis in communi.*

PRima sententia asserit, posse offerri taoquam pro exteris ad impetrandam eorum reductionem. Ita Hostiens. *lib.* 5. *sum.* Tit. *de sentent. excommunicat. num.* 17. Angelus *verbo* Missa. *num.* 31. Tabiena. *verbo* Excommunicatio 1. *num.* 4. Armilla. *num.* 9. Syluester *verbo* Excommunicatio 1. *num.* 2. Couarruu. *in cap. Alma mater. part.* 1. §. 6. *num.* 3. Nauar. *de orat. c.* 19. *num.* 71. Viguer. *cap.* 16. *Theol. Institut.* §. 6. *ver.* 15. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 22. *qu.* 3. Viuald. *in Candel. cap.* 1. *de excommun. num.* 18. Maiol. *lib.* 3. *de iur. reg. cap.* 25. *num.* 13. Fundamentum est. Quia prohibitio excludit tantum, ne tanqoam proprij participent oblatiooem sacrificij. Confirm. Ecclesia io Feria 6. Parasceuè orat publicè in officio illius diei pro Hæreticis, & Schismaticis, qui sunt excommonicati. 1

Secunda sententia negat, offerri posse etiam pro ipsis, vt exteris. Ita D. Thom. *in* 4. *dist.* 18. *qu.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *ad* 2. Palud. *quæst.* 1. *art.* 1. *conclus.* 2. Gabr. *quæst.* 2. *art.* 3. Sotus *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 1. Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 36. Medina *lib.* 1. *sum. cap.* 11. §. 1. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 21. *num.* 6. Auila *part.* 2. *de Censur. cap.* 6. *disp.* 9. *dub.* 3. Vasquez *de excommunic. dub.* 2. Gaspar Hurtad. *de Censur. disp.* 3. *de excomm. difficult.* 2. *num.* 4. Suarez *disput.* 9. *de Censur. sect.* 1. *num.* 15. Vgolin. *de Censur. tab.* 2. *cap.* 9. §. 2. *num.* 2. Sayr. *lib.* 1. *de Censur. cap.* 4. *num.* 7. 2

Dicendum est. *Non esse licitum offerre sacrificium pro excommunicatis tanquam pro exteris ad impetrandam eorum reductionem.* Prob. Non potest offerri sacrificium pro excommmnicatis, nisi tanquam pro exteris: ergo, si prohibetur offerri, prohibetur offerri tanquam pro exteris, quia prohibetur offerri eo modo, quo offerri potest, frustra enim prohiberetur offerri eo modo, quo offerri oon potest. Anteced. prob. Excommunicati sunt exteri, & præcisi ab Ecclesia, & proiode noo possunt tanquam membra vnita participare influxus communes toti corpori; sed solum tanquam extraoei: ergo oeque participare possuot fructum sacrificij, nisi tanquam exteri. Confirm. Ecclesia absolutè prohibet communia suffragia extendi ad excommunicatos: & ideò prohibitio vniuersalis non est coarctanda vt non habeat iocum quoad oblationem sacrificij tanqoam pro exteris. 3

Ad fundamentom in oppositum neg. assumptum, quia cum prohibitio sit absoluta: priuat ipsos absolutè participatiooe suffragiorum, non autem taotum tanquam proprios. Ad confirm. Ecclesiam excipere illam diem à suo prohibitione, io quo admittit Schismaticos, & Hæreticos, licèt excommunicatos ad participationem suffragiorum, vt notant Richard. 4

in 4.

in 4. *dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 4. Sotus *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 1. *dub.* 1. ver. *Quomodo autem.* Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *c.* 22. *quæst.* 3. & alij *num.* 2. citati. Ideò autem excipit illum diem, quia celebrat passionem Christi. Qui cum in Cruce orauerit pro inimicis, ipsum imitatur orando patiter pro inimicis, vt notat Durand. *lib.* 6. *Ration. diuinor. offic. cap* 7. *num.* 12.

5 Ex dictis colligitur. Non licere orare pro excommunicatis sub nomine excommunicatorum, vt notant Sotus *num. præced.* citat. Sayr. *lib.* 2. *de Censur. cap.* 4. *num.* 8. Quia neq; Ecclesia in Parasceue mentionem facit in specie de excommunicatis, sed eos comprehendit sub nomine Hæreticorum, & Schismaticorum, vel peccatorum. Vnde D. Bernard. *De gradib. humilit.* in fine, ait de excommunicatis loquens. *Viderint, in quanto periculo sint, pro quibus Ecclesia palam orare non audeat, quæ fidenter etiam pro Iudæis, & Hæreticis, & pro Gentibus orat.* Cùm enim in Parasceue nominatim oretur, pro quibuslibet malis, nulla tamen mentio fit de excommunicatis.

6 Colligitur 2. Contra Hostiens. *in cap. Cum voluntate. De sentent. excommunicat.* Tabienam *verbo* Excommunicatio 1. *num.* 4. Armillam *num.* 9. Syluestrum *verbo* Missa 1. *quæst.* 8. Angel. *num.* 51. Summam Confessor. *lib.* 3. *tit.* 33. *quæst.* 159. Non licere offerre sacrificium pro excommunicatis in communi, vt communiter docent cum D. Thom. 3. *part. quæst.* 79. *art.* 7. *ad* 2. Quia Ecclesia absolutè prohibet offerre pro ipsis sacrificium, vt eos omnino priuat communibus suffragiis; & ideò non potest prohibitio coarctari ad sola suffragia in particulari. Deinde motiuum prohibitionis est, quia sunt membra præcisa ab Ecclesia, & ideò non vult eos admittere ad participandum de proptiis bonis; hæc autem ratio æquè militat etiam quoad suffragia, & oblationem sacrificij in communi.

QVÆSTIO 145.

An possit Sacerdos in oblatione sacrificij priuatim orare pro excommunicatis denunciatis.

SVMMARIVM.

1. *Sacerdos in oblatione sacrificij an priuatim possit orare pro excommunicatis denunciatis.*
3. *Prohibitio Ecclesiæ quoad excommunicatos se extendit ad sola publica suffragia.*
4. *Sacerdos vt priuata persona non potest offerre pro excommunicatis vitandis.*
5. *Nullus fructus sacrificij applicari potest excommunicatis vitandis.*
6. *Nec etiam preces institutas ab Ecclesia.*
7. *Sacerdos potest in Missa interponere priuatam supplicationem.*

1 PRima sententia negat, licere Sacerdoti orare in oblatione sacrificij, vt in Memento priuatim pro excommunicatis vitandis. Ita Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 23. *art.* 1. *in fine.* Medina *lib.* 1. *sum. cap.* 11. §. 1. Auila *part.* 2. *de Censur. cap.* 6. *disput.* 9. *dub.* 5. *in fine.* Et in hanc sententiam magis propender Sotus *in* 4. *distinct.* 22. *quæst.* 1. *art.* 1. *dub.* 1. ver. *Quomodo autem*, vbi ait contrariam sententiam esse scrupulo plenam. Fundamentum est. Quia Sacerdos celebrat totam Missam vt minister Ecclesiæ, & pars illa, *Memento*, est ex præscriptione Ecclesiæ, & proinde fit à Sacerdote vt ministro publico, & est pars Missæ: ergo non habet locum priuata oratio.

Secunda sententia asserit id licere. Ita D. Thom. 2 *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *ad* 1. & 2. Hostiens. *in sum.* Tit. *de sentent. excommun. num.* 17. ver. *Sed numquid* Couarruu. *in cap. Alma mater. part.* 1. §. 6. *num.* 4. *conclus.* 7. Astens. *part.* 2. *sum. lib.* 7. *tit.* 9. *quæst.* 3. Tabiena *verbo* Excommunicatio 1. *num.* 4. Syluester. *num.* 2. Armilla *num.* 9. Angelus *verbo* Missa. *num.* 51. Henriquez *lib.* 6. *sum. cap.* 15. *n* 3. Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 36. *dicto* 11. Maiol. *lib.* 3. *de Irregul. cap.* 25. *num.* 3. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 22. *quæst.* 3. ver. *Si quæras.* Sà *verbo* Excommunicatio. *num* 40. Vgolin. *de Censur. tab.* 2. *cap.* 9. §. 3. Rodriguez *part.* 1. *sum. cap.* 74. *conclus.* 1. Sayr. *lib.* 2. *de Censur. cap.* 4. *num.* 9. Suarez *disput.* 78. *de Euchar. sect.* 2. ver. *Dico* 4. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 2. Gaspar. Hurtad. *de Censur. disput.* 3. *de excommun. difficult.* 6. Granad. 3. *part. controuer.* 6. *tract.* 14. *disput.* 6. *num.* 3. Ifambert. *quæst.* 83. *disp.* 7. *sect.* 2. var. *Posterior pars.* Præposit. *art.* 1. *dub.* 17. *num.* 76. ver. *Dixi.* Chellison. *dub.* 8. ver. *Vnde sequitur.* Ludouicus à S. Ioan. *part.* 1. *sum. quæst.* 9. *de Eucharist. art.* 4. *dub.* 2. Ledesma *part.* 1. *sum. c.* 17. *conclus.* 18. Caspens. *part.* 2. *Curs. Theol. tractat.* 23. *disp* 1. *sect.* 4. *num.* 53.

Dicendum est. *Sacerdotem tanquam personam priuatam orare posse in sacrificio Missæ pro excommunicatis vitandis, & ipsis applicare, quod ad se spectat in illo opere tanquam personam priuatam.* Ratio est. Quia totum impedimentum offerendi sacrificium pro excommunicatis vitandis oritur ex prohibitione Ecclesiæ. Hæc autem prohibitio se extendit tantum ad publica suffragia, non autem ad priuata, & ideò quoad hæc remanet Sacerdos in suo iure applicandi, quibus voluerit. 2

3 Ex his colligitur. contra Angelum, Syluestrum, Ledesmam citatos, & nonnullos alios. Sacerdotem non posse offerre sacrificium pro vitandis tanquam personam priuatam. Et ratio est. Quia oblatio sacrificij de se est actus publicus, & non potest fieri à Sacerdote, nisi vt persona publica, cum non possit fieri, nisi tanquam à ministro ad hoc munus consecrato, & ideò non remanet aliqua alia oblatio priuata, quæ possit ab ipso, vt à priuata persona, applicari.

Colligitur 2. Contra eosdem, ex insuper contra Chellison. Caspens. Hurtad. *num.* 2. citatos. Non posse Sacerdotem applicare excommunicatis vitandis fructum sacrificij, qui ipsi prouenit ex oblatione siue etiam ex opere operantis: Quia licet hic fructus sit priuatus quatenus est personalis, & ipsius proprium, non est tamen priuatus, quasi sit sub dispositione priuatæ personæ: nam habet causam publicam, nempe actionem publicam, qualis est oblatio, & spectat etiam ad personam publicam, quia spectat ad Sacerdotem, non quatenus Petrus, aut Paulus est, sed quatenus Sacerdos est, & quatenus offerens, secundum quam rationem est publica persona, & ideò etiam talis fructus est in ordine publico, atque adeò non est applicabilis excommunicatis vitandis. 4

Colligitur 3. Contra Chellison. citat. Celebrantem non posse applicare preces institutas ab Ecclesia, quatenus proueniunt ex eius priuata intentione; nam dum illas fundit in Missa exercet publicam personam, & nomine Ecclesiæ fundit: & ideò cum ab ipsarum participatione excludantur excommunicati, non possunt trahi ad participandum ea priuata intentione ministri, nam talis intentio esset contraria intentioni Ecclesiæ excludentis ab huiusmodi participatione: & proinde peccaret mortaliter, quia in re graui faceret contra prohibitionem Ecclesiæ. Nec dici potest, quod ex priuata intentione ministri, 5

ministri, & affecto habeant aliquam specialem vim impetrandi, quæ possit applicari excommunicatis, nam per hanc specialem vim, non desinunt esse preces publicæ oblatæ nomine Ecclesiæ, & consequenter à quarum participatione excluduntur excommunicati, & si applicaretur ipsis aliquis specialis fructus, quem & priuata intentione ministri habuere, adhuc ad ipsarum participationem admittentur contra prohibitionem Ecclesiæ, nam talis fructus esset in ipsis precibus, vt in causa; per quam excommunicatis communicaretur.

7 Ad fundamentum oppositæ sententiæ. Respon. Quod licet Sacerdos celebret totam Missam vt publica persona, & nomine Ecclesiæ, & etiam, *Memento*, adhuc tamen potest interserere priuatam supplicationem, quia Ecclesia relinquit in potestate ipsius memoriam facere in Memento, quotumcumque voluerit, nec aliquem excipit, quod non relinquatur priuatæ ipsius dispositioni, potest id præstare etiam quoad eos, qui non sunt capaces publicarum precum, & potest concipere affectum supplicationis apud Deum concomitantem actionem illam publicam in fauorem viuentium.

QVÆSTIO 146.

An sacrificium Missæ offerri possit pro excommunicatis non vitandis.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium an possit offerri pro excommunicatis non vitandis.* & num. seq.
3. *Communio in diuinis est permissa cum excommunicatis non vitandis.*
4. *Excommunicatio quid sit.*
5. *Cum non vitandis potest quisque se gerere tanquam cum non excommunicatis.*
6. *Cum non vitandis absolute licet communicare.*
7. *Extrauagans Martini V. non priuat excommunicatos indirecto fauore.*
8. *Finis excommunicationis quomodo considerandus.*
9. *Effectus excommunicationis quoad toleratos quomodo coarctatus.*
10. *Excommunicatus toleratus quomodo membrum præcisum ab Ecclesia.*
11. *Excommunicatus toleratus non potest petere sacrificium offerri pro se.* *Qualiter peccet, si petat.*

1 PRima sententia negat, offerri posse, quamuis non sint vitandi. Ita Sotus *in 4. distinction. 22. quæstione 1. artic. 4. conclus.* 2. Auila *parte* 2. *de Censuris, cap. 6. disputat.* 9. *dub.* 6. Suarez *tom.* 5. *de Censuris, disputat. 9. sect.* 2. *num.* 17. *in fine.* Vasquez *de excommunicatione, dub.* 2. *num.* 3. Filliucius, *tractatu* 5. *num.* 49. Bonacina, *disputat.* 4. *de sacramentis, quæstione* 5. *quæstione vltima, puncto* 5. *num.* 2. Azorius, *part.* 1. *libr.* 10. *cap.* 22. *quæstione* 3. Valent. *tom.* 4. *disputat.* 7. *quæstione* 17. *punct.* 1. Marchin. *de sacramento Ordinis, tractatu* 3. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 18. Caspens. *part.* 2. *Curs. Theolog. tract.* 23. *disputat.* 1. *sect.* 4. *num.* 56. Franciscus Lugo, *libr.* 5. *de sacrament. cap.* 4. *quæst.* 3. *num.* 62. Amicus *part.* 7. *Cursus Theologiæ, disputat.* 33. *sect.* 4. *num.* 113. Fundamentum est. Quia Ecclesia frustraretur suo fine, si posset pro ipsis offerri sacrificium, nam eius finis est, quod remaneat priuatus communibus suffragiis. Confirm. Priuatio suffragiorum non tàm est effectus excommunicationis, quàm ipsamet excommunicatio, seu est effectus formalis ipsius. Et ideò, si posset pro ipsis offerri sacrificium, esset excommunicatus, & non excommunicatus. Confirm. 2. Sunt membrum præcisum ab Ecclesia: non potest pro ipsis offerri sacrificium, quod solum pro membris vnitis offertur, quia ratione præcisionis non possunt participare communes influxus corporis.

2 Secunda sententia asserit, posse offerri. Ita Henriquez *libr.* 13. *de excommunicatione, cap.* 11. *numero* 2. *in Commentario littera K.* Vgolin. *de Censur. tab.* 2 §. 2. *num.* 3. Antonucius *in Catechum. Neapolit. cap.* 15. *vers.* 7. *libr.* 5. Nauarrus *capite* 27. *Manual. num.* 365. *ad* 2. Sayr. *lib.* 2. *Thesauri, cap.* 4. *num.* 6. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. libr.* 3. *cap.* 12. *num.* 1. Sanchez *libr.* 7. *de matrimonio, disputat.* 9. *num.* 8. Cuninch *de Censuris, disputat.* 14. *dub.* 6. *num.* 40. Gaspar. Hurtad. *de Censuris, disputat.* 3. *de Excommunicatione, difficul.* 4. Auersa *de sacramentis, quæstione* 11. *de Eucharistia, sect.* 10. verb. *Decimo tandem.* Lugo Cardinalis *disputat.* 19. *de Eucharistia, sect*. . . . . . *num.* 187. Reginaldus *libr.* 32. *Praxis fori pœnitent. numer.* 79. Præposit. 3. *part. quæstione* 83. *articul.* 1. *dub.* 12. *num.* 76. *ver. Quoad posterius.* Medina *cap. de Restitutione, quæstione* 3. *causa* 9. Victoria *in summ. numero* 339. Bartholom. à sancto Fausto *lib.* 2. *de Eucharist. quæst.* 81.

Dicendum est. *Non prohiberi oblationem sacrificij pro excommunicatis non vitandis, & ideò licitè offerri posse pro ipsis.* Probat. In Extrauagant. Martini V. edita *in Concil. Constantien.* Quæ incipit. *Ad euitanda.* Conceditur communio cum excommunicatis toleratis in diuinis eo modo, quo habetur cum cæteris, quia conceditur illa communio, quæ antea prohibebatur ratione excommunicationis; vnde possumus cum ipsis communicare in orationibus, in sacramentis: ergo conceditur etiam posse pro ipsis offerri sacrificium. Consequent. Probat. Nomine communionis venit oblatio publicæ orationis pro eo, cum quo communicatur, vt in cap. *A nobis. de sententia excommunicationis.* Ergo si conceditur posse communicare etiam in publicis orationibus, conceditur etiam posse pro ipsis offerre sacrificium. 3

Confirmat. Excommunicatio non est aliud, quà separatio à communione fidelium, vt habetur in cap. *penultima: de sententia excommunicationis.* Et sub hac communione intelligitur etiam communicatio in communibus suffragiis, nam excommunicatio hoc præstat: cum in dicta Extrauaganti concedatur communicatio cum toleratis, conceditur etiam in communibus suffragiis, atque adeò in oblatione sacrificij, cum hæc includatur sub communibus suffragiis. 4

Confirmatur secundo. In virtute dictæ Extrauagantis non tenetur quis vitare excommunicatos, & proinde potest se gerere cum ipsis, tanquam si non essent excommunicati, nam liberantur à prohibitione abstinendi ab eorumdem communione: ergo potest quisque pro ipsis offerre sacrificium. Conseq. prob. Quia si non posset, non esset liberatus prohibitione abstinendi ab eorumdem communione; nam adhuc duraret quoad communia suffragia, & adhuc se deberet gerere cum ipso tanquam cum excommunicato. 5

Dices. Extrauagantem Martini V. concedere tantum 6

tantum communionem cum excommunicatis quoad externam, & ciuilem couersationem. Contra. Absolutè tollit prohibitionem abstinendi ab eorumdem communione, nec limitat ad externam, & ciuilem conuersationem; & proinde cum contineat fauorem quoad omnes exceptis excommunicatis, amplè est accipienda. Deinde finis illius Extrauagant. fuit tollere scrupulos, qui oriebantur ex eo, quod essent vitandi excommunicati, etiamsi denunciati essent; nam, cum vt plurimum non esset certum quod essent excommunicati, oriebantur scrupuli, an essent, vel non essent vitandi. Hæc autem causa finalis habet locum etiam quoad communia suffragia, & oblationem sacrificij, quia eodem modo posset dubitari, an liceret pro ipsis offerre, an non.

7 Dices 2. Pontificem non intendisse fauere excommunicatis; maximum autem fauorem impendisset, si concessisset pro ipsis offerre sacrificium. contra. Licet non intenderit directè fauere, non tamen voluerit priuare fauore ipsis indirectè prouenienteex fauore cæteris concesso. Sic ex eo quod possint cæteri cum ipsis communicare in ciuilibus recipiunt indirectè magnum fauorem: ergo ex eo, quod noluerit Pontifex ipsis fauere, non fit, quod non permiserit cæteris offerre posse pro ipsis sacrificium, nam, in hac concessione fauor per se primò intensus non respicit excommunicatos, sed Sacerdotes, & ipsi solum indirectè participant de hoc fauore.

8 Ad fundamentum oppositæ sententiæ negat. sequel. Nam adhuc in excommunicatis, remanet effectus excommunicationis, siquidem ipsi tenentur se gerere tanquam excommunicatos, & quantum est de se abstinere à communione cum cæteris etiam quoad communia suffragia, nec possunt petere, sacrificium Missæ pro se offerri. Ad probat. Finem Ecclesiæ in ferenda excommunicatione posse considerari & secundum primæuam institutionem; & secundum moderationem Martini V. Primo modo esse quidem quod careant absolutè suffragiis Ecclesiæ communibus; at posteriori modo hic finis secundum suam totam adæquationem non habere locum, nisi quoad excommunicatos vitandos; quoad non vitandos autem esse coarctatum ad ipsos solos excommunicatos, vt scilicet non possint ipsi se intromittere ad participanda hæc communia suffragia, vnde priuantur iure, quod aliàs haberent: & coarctatio finis Ecclesiæ quoad hos manifestè sequitur ex Extrauaganti prædicta, nam eum concedat communicationem cum his excommunicatis, consequenter vult finem excommunicationis ex parte cessare, nempe quoad non excommunicatos.

9 Ad 1. confirmat. Siue priuatio suffragiorum sit effectus formalis excommunicationis, siue in genere efficientis, negat. sequel. Nam effectus excommunicationis siue formalis, siue in genere efficientis in ordine ad toleratos est coarctatus, vt scilicet priuatio suffragiorum sit tantum quoad cooperationem ipsius excommunicati, quatenus priuatur iure ad ipsa participanda, & prohibetur, ne se intromittat ad talem participationem: non autem fit quoad cæteros, quasi priuentur iure, quod habent ad ipsa communicanda. Vnde non fit, quod sit excommunicatus: & non excommunicatus; sed solum, quod priuatio excommunicationis non sit tam ampla, sicut est quoad non toleratos.

10 Ad 2. confirm. Excommunicatum toleratum esse membrum præcisum ab Ecclesia quoad se, nam se gerere debet tanquam excommunicatum, & abstinere ab iis, à quibus prohibetur abstinere. Non esse autem præcisum quoad Ecclesiam, quia non se gerit cum ipso tanquam cum excommunicato; cum enim permittat, quod cæteri cum ipso communicent, ipsa quoque communicat. Quare non, quantum est de se, sit capax suffragiorum communium, præsertim fructus sacrificij, est etiam capax influxuum communium toti corpori, si ipsi applicentur.

11 Ex dictis colligitur cum Gaspare Hurtado, *de Censuris disputat. 3. de excommunicatione, difficultat. 4. in fine.* Excommunicatum toleratum, & à fortiori non toleratum non posse petere sacrificium offerri pro se, quia non potest cum cæteris communicare. An autem peccaret mortaliter, negat Hurtado citato, quia tantum, loquendo communicaret cum eo, à quo petit. Sed tenendum, quod peccaret mortaliter, quia se intruderet, quantum est de se ad participandum in communibus suffragiis, cum enim ratione excommunicationis non possit in his participare, neque etiam potest attentare huiusmodi participationem, quæ attentatio, eum sit materia grauis, importabit peccatum mortale.

QVÆSTIO 147.

An liceat acceptare stipendium pro Missa celebranda ab excommunicato tolerato.

SVMMARIVM.

1. *An ab excommunicato tolerato liceat acceptare stipendium pro Missa celebranda.*
2. *Sacerdos potest se obligare excommunicato tolerato.*
3. *Sacramenta peti possunt ab excommunicato, tolerato parato, &c.*
4. *Excommunicatus percipit fructum ex sacrificio.*
5. *Stipendium acceptari posset licet Missa, non offerret danti fructum.*
Stipendium acceptari potest ab excommunicato, si non explicet, pro quo Missa sit celebranda.

1 NOn posse Sacerdotem acceptare stipendium pro Missa celebranda ab excommunicato, licet tolerato, tradit Marchin. *De sacramento Ordinis, tractat. 3. part. 2. cap. 8. num. 13.* Quia oblatio Missæ pro ipso est omnino illi inutilis, & non potest acceptari stipendium, quando Missa nullum fructum spiritualem affert. Addit tamen, quod si sacrificium Missæ prodesset, posset acceptari.

2 At tenendum est. *Quod possit acceptare stipendium pro Missa celebranda ab excommunicato tolerato.* Ita Sayr. *lib. 2. de Censur. cap. 4. num. 6.* Ratio est. Quia non tenetur ipsum vitare, & proinde potest mactare cum ipso, & se illi obligare, & recipere compensationem obligationis, quia hoc totum pertinet ad communionem ciuilem. Rursus se obligat ad actum quem potest licitè exercere, & ideò neque ex hoc capite adest impedimentum.

3 Dices. Petentem sacrificium pro se offerri peccare in illa actione, & proinde acceptantem cooperari illius peccato, dum se obligat ad id, quod petit. Contra. Totum peccatum committitur in

in petendo: ergo independenter ab acceptatione, & ideò acceptatio non est cooperatio ad peccatum. Deinde quando quis est paratus ad actionem peccaminosam, possum illa vti ad meum commodum: vnde possum petere sacramenta ab excommunicato tolerato, si est paratus ministrare, vt docent Ledesma *part. 1. sum. cap. 6. de sacrament. in genere, conclus. 10. dub. 11.* Gabr. *3. part. quæst. 64. art. 6. disput. 2. §. 4. num. 29.* Cartagena *disput. 7. de sacrament. cap. 3. verb. 3.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 9. num. 8.* Hurtad. *de Fide, Spe, & Charit. disput. 173. sect. 18. §. 159.* & alij. Quia nimirum in hoc, & aliis similibus casibus, vt quando mutuum peto sub vsuris, aut illas soluo, exerceo actionem, quæ de se non est mala, & in circumstantiis non inducit ad peccandum, cùm iam sit paratus: ergo possum etiam accipere stipendium pro Missa celebranda ab excommunicato tolerato, quia non induco ad peccandum, nam iam offerendo peccauit.

4 Ad fundamentum Marchin. Falsum imprimis est, quod Missa non offerat fructum spiritualem excommunicati, quia dato, quod oblatio esset prohibita ab Ecclesia, adhuc tamen sacrificium prodesset, quatenus oblatum nomine Christi, & quatenus applicatum à Sacerdote secundum proprium valorem, qui cum sit independens ab Ecclesia, non potest per ipsam impediri: & ideò solum non prodesset quantus oblatum nomine Ecclesiæ. Solum si esset prohibitum ab Ecclesia offerre sacrificium pro tali excommunicato, non posset Sacerdos acceptare stipendium, quia se obligaret ad actionem sibi prohibitam, & ideò tunc peccaret mortaliter.

5 Rursus. Factum est, quod ait Marchinus, quod quando Missa non offert spiritualem fructum, non posset acceptari stipendium pro ea celebranda, nam stipendium non datur pro tali fructu, alioquin esset simonia; sed pro sustentatione celebrantis, & qui accipit non debet attendere, an Missa sit pro futura, an non, sed solum, an possit celebrare iuxta intentionem offerentis.

6 Ex dictis colligitur à fortiori, posse acceptari stipendium pro celebranda Missa oblatum ab excommunicato, quando non explicat, pro quo celebranda sit, sed solum dicit celebrandam iuxta suam intentionem, nam fieri potest quod velit pro aliquo alio celebrari. Vnde tum Sacerdos communicabit cum ipso solum in visibilibus, quod nemo negat concedi per Extrauagant. Martini V. *Ad euitanda.*

QVÆSTIO 148.

An liceat offerre sacrificium pro excommunicatis vitandis, sed contritis.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium an offerri possit pro excommunicatis vitandis contritis.* & num. seq.
2. *Excommunicati contriti sunt membra viua Ecclesiæ.*
4. *Excommunicatus ante absolutionem est semper habendus pro tali.*
5. *Etiam quoad forum conscientiæ.*
6. *Excommunicatio & effectus durant, donec iuridicè tollantur.*
Contritio non mutat statum excommunicati. Excommunicati ut dans signa pœnitentiæ non est habendus pro absoluto.
7. *Sacrificium ponitur inter communia suffragia.*
8. *Non potest præsumi consensus Ecclesiæ de oblatione sacrificij pro excommunicato contrito.*
9. *Finis excommunicationis non cessat adæquatè ob priuatam pœnitentiam.*
10. *Excommunicatio fundata in falsa præsumptione est nulla in foro conscientiæ.*

Prima sententia docet, posse offerri sacrificium pro excommunicatis vitandis contritis, si de hoc constet, & si per ipsos non stet, quia absoluantur. Ita Turrecrem. *in cap. Si quis Episcopus 11. quæst. 3.* Couaruu. *in cap. Alma mater. part. 1. §. 6. num. 4. conclus. 9.* Hostiens. *in cap. Cum voluntate. De sententia excommunicationis.* Richard. *in 4. distinct. 18. art. 7. quæst. 2.* D. Antonin. *3. part. titul. 24. cap. 76. effecta 1.* Alteos. *part. 2 summ. lib. 7 titul. 9. quæst. 2.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 22. quæst. 3. §. Sed contra.* Henriquez *lib. 9. cap. 15. num. 3. & lib. 13. cap. 11. num. 2.* Nauarr. *cap. 27. Manual. num. 18. & 36.* Sayr. *lib. 2. Thesauri. cap. 4. num. 6.* Sà. *verbo* Missa, *num. 40.* Facundex *precept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 12. num. 3. & 6.* Bonac. *disput. 2. de Censur. quæst. 2. puncto 1. §. 3.* Ifambert. *3. part. quæst. 83. disput. 7. art. 2. vet. Posterior pars.* Reginald. *lib. 32. num. 13.* Ludouic. à S. Ioann. *part. 1. summ. quæst. 9. de Eucharist. art. 4. dub. 1. difficult. 3. not. 1.* Valent. *tom. 4. disput. 7. quæst. 17. punct. 8.* Ledesma *part. 1. sum cap. 17. de Eucharist. in dub. pars. 17. conclus.* .... *in fine.*

Fundamentum est. Quia excommunicati contriti sunt membra viua Ecclesiæ, & coniuncti in fide, & charitate. Non est autem verisimile, quod velit priuari talia membra fructu sacrificij. Confirm. Excommunicatio est ordinata ad medicinam, vt scilicet excommunicatus resipiscat: ergo cum iam sit pœnitens cessat finis medicinæ, atque adeò etiam effectus excommunicationis. Confirm. 2. Excommunicatio fundata in falsa præsumptione non obligat in conscientia, quia Ecclesia non intendit priuare innocentes communibus suffragiis: ergo neque quando excommunicati sunt iam pœnitentes. 2

Secunda sententia negat, posse offerri. Ita Innocent. *in cap. A nobis, num. 1. de sententia excommunicationis.* Adrian. *in 4. quæst. 3. de claub. ad 1.* Sotus *in 4. distinct. 22. quæst. 1. art. 1. dub. 1. vet. Attamen dubium est.* Auila *part. 2. Censur. cap. 6. disput. 4. dub. 2. ad 3.* Vgolin. *de Censur. tab. 2. cap. 9. §. 2.* Viuol. *in Candelab. part. 1. de excommunicat. num. 22.* Suarez *disput. 9. de Censur. sect. 3. num. 5.* Coninch *disput. 14. de Censur. num 49.* Gaspar. Hurtad. *de Censur. disput. 3. de excommunicat. difficult. 5.* Bartholom. à sancto Fausto, *lib. 2. de Eucharist. quæst. 82. vet. Secunda verò.* Marchin. *de sacrament. Ordin. tractat. 3. part. 2. cap. 8. num. 1.* 3

Dicendum. *Non esse licitum offerre sacrificium pro excommunicato denunciato, quamtumuis contrito.* Hoc mihi videtur decisum in cap. *Sacris, de sententia excommunicationis.* Vbi Pontifex de quodam excommunicato respondet, *Licet ad cor rediens de mandato Ecclesiæ excommunicatos, quod prius fuerat, expugnauerit, non tamen priusquam absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus, nec si occumbat in huiusmodi bello, fiunt absolutiones, vel oblationes recipiendæ pro eo; vel orationes Deo porrigendæ, nisi cum de ipsius viuentis pœnitentia, per euidentia signa constiterit, & iuxta cuiusdam constitutionis nostræ* 4

tenorem defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. Ex quibus constat, quod excommunicati, etiam si sint pœnitentes, non possunt admitti ad participationem communium suffragiorum, antequam absoluantur, & quod per pœnitentiam non sunt absoluti, sed adhuc ligati manent non secus, ac antea.

5 Nec dici potest. Quod id valeat pro foro externo, non autem pro foro conscientiæ. Quia Pontifex declarat, obstare adhuc excommunicationem: vnde cùm excommunicatio liget nedum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ, ponet impedimentum etiam in foro conscientiæ, ne possit offerri sacrificium.

6 Prob. Quamuis excommunicatus conteratur, quærat absolutionem, & apud Deum iustificetur, non tamen tollitur excommunicatio, sed tanquam effectus iurisdictionis durat, quousque per potestatem iurisdictionis auferatur: ergo durat etiam effectus ipsius, nempe separatio à communione fidelium, & priuatio communium suffragiorum, & prohibitio offerendi sacrificium pro ipso, sunt enim effectos inseparabiles ab excommunicatione tam quoad forum exteroum, quàm quoad forum conscientiæ. Confirm. Per contritionem non fit aliqua variatio in excommunicatione, quia contritio est actus priuatus, internus, & non iurisdictionalis, excommunicatio autem actus publicus, externus & iurisdictionalis, & ideò non potest per illam recipere aliquam variationem: ergo manet in eodem statu, in quo antea erat, atque adeò adhuc durat prohibitio offerendi sacrificium pro excommunicato contrito. Hinc in cap. *A nobis* 2. *de sentent. excommunicat.* Cum Pontifex Innocentius III. fuisset interrogatus, an excommunicatus, qui manifesta signa pœnitentiæ exhibuit, sit habendus pro absoluto, & sit pro ipso orandum, respondet, non esse habendum pro absoluto, quia *Vinculum, quo peccator ligatus est apud Deum, in culpa remissione dissoluitur: illud autem, quo ligatus est apud Ecclesiam, cum sententia remittitur, relaxatur.*

7 Dices fructum sacrificij Missæ non contineri sub nomine communium suffragiorum, & ideò quatenus prouenit ex meritis Christi posse excommunicato pœnitenti applicari. Contra. Falsum est, non computari inter communia suffragia; nam ea omnia sunt communia suffragia, de quibus omnes participant; talis autem est fructus sacrificij Missæ proueniens ex meritis Christi. Deinde excommunicatio de se priuat hoc fructu, & Ecclesia prohibet, ne applicetur: ergo cùm excommunicatio maneat in eodem statu, non obstante contritione, durabit adhuc prohibitio.

8 Ad fundamentum oppositæ sententiæ resp. Non posse præsupponi talem piam intentionem Ecclesiæ, quia constat de contraria voluntate in dicto c. *A nobis*, & cap. *Sacris, de sentent. excommunicat.* dum declarat, quamuis contritos, non esse habendos pro absolutis, nec esse orandum pro eis. Hoc autem facit, quia vult ipsa recognoscere, an verè resipuerint, antequam auferat vinculum excommunicationis.

9 Ad confirm. Si aliquid probaret, conuinceret, quod etiam in foro externo excommunicatus pœnitens esset habendus pro absoluto, quia etiam in tali foro cessauit finis excommunicationis. Vnde resp. Quod per pœnitentiam priuatam non cessat adæquatè finis excommunicationis, quia cum per delictum, & contumaciam recesserit ab Ecclesia, quæ per excommunicationem intendit eum reducere, non cessat finis excommunicationis, quousque perfectè reducatur, atque adeò pœnitentia sit ab Ecclesia recognita, & acceptata, nam tunc solum reunitur eidem Ecclesiæ.

Ad 2. confirm. Esse diuersam rationem, quia excommunicatio fundata in falsa præsumptione in foro conscientiæ est nulla, & ideò in eodem foro non sortitur suos effectus, sed liberum manet vnicuique orare pro tali excommunicato. At quando excommunicatio est valida, licèt accedat contritio, non desinit esse valida, sed adhuc durant eius effectus. Quæst. 148. 10

QVÆSTIO 149.

An sacrificium offerri possit pro excommunicatis defunctis cum signis contritionis.

SVMMARIVM.

1. *Pro excommunicatis defunctis quando sacrificium offerri possit.*
   Finis excommunicationis non habet locum quoad defunctos.
2. *Sacrificium an possit offerri, pro excommunicato defuncto pœnitente.*
3. *Effectus excommunicationis durat, donec sequatur absolutio.*
4. *Pœna excommunicationis durat post mortem non obstante pœnitentia.*
5. *Pœnitentia non liberat excommunicatum apud Ecclesiam.*
6. *Excommunicatio durat iuxta voluntatem Ecclesiæ.*
7. *Effectus excommunicationis quomodo se extendat ad defunctos.*
8. *Seueritas non est contraria pietati.*

Nvlla adest difficultas, si post quam sunt mortui, absoluantur, non id decernit r in cap. *A nobis* 2. *de sentent. excommunicat.* & constat ex praxi Ecclesiæ, sed dubium est de oblatione antecedentur ad absolutionem. Et ratio dubitandi est. Quia stante contritione probabiliter creditur, quod sint in statu salutis: & cum morte ipsorum extinguatur delictum, contumacia, nec amplius habeat locum finis excommunicationis, qui est eos reddere obedientes, videtur etiam cessare excommunicatio tanquam frustratoria. Confirm. Excommunicatio est medicina, & pœna respiciens membra Ecclesiæ militantia, ordinata ad manutenendam obedientiam debitam: ergo non habet locum quoad animas, quæ non sunt amplius intra Ecclesiam militantem. Confirm. 2. Excommunicatio est actus iurisdictionis fori externi: ergo non se extendit, quò non se extendit talis iurisdictio. Non se extendit autem extra Ecclesiam militantem. Confirm. 3. Excommunicatio non potest esse amplius medicinalis defunctis, cum non possint amplius se subiicere Ecclesiæ: ergo esset contra pietatem Ecclesiæ, si vellet eos priuare suffragiis, quia hoc tantum tenderet ad illorum incommodum absque vllo fructu. 1

Qui tenent posse offerri pro excommunicato contrito viuente, à fortiori tenebit posse offerri etiam pro excommunicato contrito mortuo, & id specialiter tradunt Marchin. *de sacrament. ordin. tractat.* 3. *part.* 2. *cap.* 8. *num.* 6. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 6. *& sequent.* E contra verò, qui negant posse offerri pro excommunicato contrito, negabunt etiam de mortuo, quia id negant absolutè. 2

Dicendum est. *Non posse offerri sacrificium pro excommunicato defuncto contrito, licèt exhibuerit signa euidentia* 3

euidentia pœnitentiæ. Desumitus ex cap. *Sacris. De sentent. excommunicat.* vbi Innocent. III. de defuncto excommunicato statuit, quod licèt ad cor redierit, & pœnituerit: *Non tamen priusquam absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus, nec oblationes recipiendæ pro eo, vel orationes Domino porrigendæ.* Ex quibus constat, quod vult excommunicationem permanere, non obstante morte in suo robore, & consequenter durare prohibitionem, ne admittatur ad communionem suffragiorum, atque adeò nec sacrificium pro ipso offeratur.

4 Dices. Pontificem velle, vt prius absoluatur, quàm pro ipso offeratur sacrificium ad excitandum scandalum: non autem, quia non possit offerri. Contra. Si posset offerri sacrificium, nullum adesset scandalum stante euidentia pœnitentiæ, & sicut obuiaretur scandalo per absolutionem, ita etiam obuiari posset declarando, quod ante mortem resipuerit. Deinde Pontifex decernit, quod non sit habendus pro absoluto, stante quacumque pœnitentia: & proinde vult remanere in eo statu, in quo constituitur per excommunicationem, atque adeò eum in capacitate communium suffragiorum. Tertiò. Pontifex respondet interrogationi, an excommunicatus pœnitens, saltem si moriatur, possit esse particeps communium suffragiorum; vnde si putasset, quod posset esse particeps, affirmatiuè respondisset, & stante hac declaratione totum scandalum tolleretur. Cùm autem respondeat negatiuè, manifestum fit, quod pœnam vult durare vsque ad absolutionem.

5 Et ratio desumitur ex cap. *A nobis 2. De sentent. excommunicat.* Per contritionem liberatur solum apud Deum, quatenus fit remissio peccati, apud Ecclesiam autem non liberatur, nisi remittatur sententia excommunicationis: & proinde potest esse liber apud Deum, & innodatus apud Ecclesiam. Vt ibi habet Pontifex: ergo, quandiu non relaxatus excommunicatio remanet apud Ecclesiam ligatus sicuti erat antea: ergo cum vinculum excommunicationis ita liget excommunicatum, vt etiam liget cæteros, ne possint pro ipso offerre sacrificium, dum durat tale vinculum, non poterit offerri sacrificium; durat autem quousque per absolutionem relaxetur, vt ibi habet Pontifex.

6 Ad rationem dubitandi neg. sequel. Quia excommunicatio quoad durationem dependet, à voluntate Ecclesiæ, quæ cum declarauerit suam intentionem, quod duret etiam in defunctis, quousque per absolutionem tollatur, non habent locum congruentiæ in contrarium. Et quamuis sint absoluti apud Deum, & in statu salutis, possunt tamen esse ligati apud Ecclesiam, vt dictum est *num. præcedent.* Neque excommunicatio tunc est frustratoria quia adhuc operatur suum effectum, & tanquam seuera punitio manutenet cæteros in obedientia.

7 Ad 2. confirm. distinguitur consequens. Non habet locum quoad animas, quæ sunt extra Ecclesiam militantem, quoad ea, quæ sunt extra Ecclesiam militantem; non autem quoad ea, quæ sunt Ecclesiæ militantis, & concernunt animas defunctorum, qualia sunt communia suffragia. Sic iudex punire potest eum, qui deliquit intra suum territorium, quamuis, dum punitur sit extra territorium, in bonis, quæ possidet intra territorium eiusdem iudicis. Hinc soluta manet etiam secunda confirmatio, quia licèt iurisdictio excommunicandi non se extendat extra militantem Ecclesiam, & consequenter nec etiam excommunicatio; se extendit tamen ad disponendum de communibus suffragiis, quæ fiunt in Ecclesia, & ad prohibendum, ne defunctis applicentur, quos illis priuauerat, dum viuerent.

Ad 3. confirm. neg. consequent. Quia, cum virtutes non sint sibi inuicem contrariæ, non potest seueritas Ecclesiasticæ disciplinæ, esse contraria pietati. Imò in hoc casu coniungit seueritatem, & pietatem simul, nam vult absolui prius defunctum excommunicatum, & postea, vt postea offerri possit pro ipso sacrificium, & hoc facit, vt manuteneat vigorem excommunicationis. Ita habet Pontifex Innocent. III. in dicto cap. *A nobis 2. de sentent. excommunicat.* ibi. *Vt in vno pariter, & eodem negotio & seruemus rigorem, & mansuetudinem.* 8

QVÆSTIO 150.

An liceat offerre sacrificium pro Hæreticis & Schismaticis.

SVMMARIVM.

1. *Hæretici, & Schismatici sunt excommunicati.*
2. *Seclusa excommunicatione an liceat offerre pro Hæreticis, & Schismaticis.*
4. *Hæretici, & Schismatici, sunt capaces effectus sacrificij.*
5. *Antiquitus pro Hæreticis offerebatur sacrificium. Sacrificium offerri potest seclusa prohibitione pro iis quibus prodest sacrificium Crucis.*
6. *Ad quos Ecclesia directè dirigat sacrificium.*

CErtum est, modo non esse licitum, quia sunt excommunicati excommunicatione maiori c. 1. *& 2. de Hæreticis*, & ipsorum excommunicatio quotannis innouatur in Bulla Cœnæ, *clausula 1. & 2.* & proinde vrget prohibitio de non offerendo sacrificio pro excommunicatis. Solum ergo dubitatur, an seclusa excommunicatione, & prohibitione Ecclesiæ liceret offerri. 1

Prima sententia absolutè negat. Ita Sotus *lib. 9. de Iust. & iure. quæst. 2. art. 2. ad 3.* Gabr. *lect. 34. in Can. Missæ. littera A.* Fundamentum est, quia sunt extra gremium Ecclesiæ, & membra præcisa. Confirm. In tota liturgia Ecclesiæ Latinæ, nihil habetur, quod ipsis congruere possit, sed tota refertur ad fideles: ergo non est de intentione Ecclesiæ, quod pro ipsis offeratur sacrificium. 2

Secunda sententia asserit, quod posset offerri, seclusa prohibitione Ecclesiæ. Ita Nauar. *de orat. c. 19. num. 73.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 15. num. 4.* Bellarmin. *lib. 2. de Missa cap. 6.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 22. quæst. 3.* Suarez *disput. 78. de Eucharist. sect. 2.* ver. *Est autem.* Vasquez *3. part. disput. 227. cap. 3. num. 10. & 25.* Facundez *precept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 12. num. 18.* Chellison. *3. part. quæst. 83. art. 1. dub. 8.* ver. *Dico 4.* 3

Dicendum est. *Seclusa excommunicatione, & prohibitione Ecclesiæ licitum esse offerre sacrificium pro Hæreticis, & Schismaticis tanquam impetratorium.* Dixi *tanquam impetratorium.* Quia cum non sint in statu gratiæ, non sunt capaces effectus satisfactionis. Prob. Sunt capaces beneficiorum diuinorum præsertim eorum quæ conducunt ad conuersionem, & ad obseruantiam mandatorum: ergo sunt etiam capaces impetrationis, quæ à Deo impetrentur, & consequenter etiam sacrificij tanquam impetratorij: ergo seclusa prohibitione, quantum est ex natura rei posset pro ipsis offerri. 4

Confirm. Sunt adhuc ex charitate diligendi: ergo ex natura rei seclusa Ecclesiæ prohibitione sunt capaces eorum effectuum, qui ab ipsa prouenire possunt, qualis est oblatio sacrificij. Confirm. 2. Antiquitus solebat etiam pro ipsis offerri sacrificium, 5

vnde D.Clement. *lib.8. Constit. Apostol. cap.*18. refert, Apostolos obtulisse hoc sacrificium pro reductione errantium, seu pro ijs, qui extra sunt, & versantur in errore, & in *Lyturgia* D. Basilij habetur, *Errantes renoca, dispersos congrega.* Confirm. 3. Sacrificium Crucis est pro ipsis oblatum; vndè quando resipiscunt, id prouenit ex auxilijs gratiæ, quæ ipsis dantur ex meritis passionis Christi: ergo seclusa prohibitione potest pro ipsis offerri sacrificium Missæ, cum sit applicatiuum virtutis sacrificij Crucis, vt habet Concil. Trident *sess.22.cap* 1.

6 Ad fundamentum in oppositum. Licet sint extra gremium Ecclesiæ, & membra præcisa, adhuc tamen sunt capaces effectus sacrificij, vt constat ex dictis, qua stante potest etiam offerri pro ipsis, quantum est ex natura rei, non potest offerri pro omnibus, qui sunt capaces effectus ipsius. Ad confirm. Lyturgiam totam referri ad fideles directè loquendo, quia, cum sint excommunicati, Ecclesia non dirigit sacrificium directè ad ipsos; dirigit tamen indirectè, dum orans pro Ecclesia Sacerdos vtitur illis verbis, *Pacificare, & adorare digneris.*

QVÆSTIO 151.

An pro Catechumenis posit offerri sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Pro Catechumenis etiam publicè orari potest.*
2. *Pro Catechumenis an possit offerri sacrificium*, & num. seq.
3. *Ex quibus deducatur non posse offerri.*
4. *Qui sentiant posse offerri.*
5. *Quando consueuerit offerri sacrificium pro Catechumenis.*
6. *Nomina Catechumenorum exprimebantur in oblatione sacrificij.*
7. *Dicere quod non possit sacrificium offerri pro Catechumenis, est dicere, Ecclesiam errasse offerendo.*
8. *Pro presbytero deprehenso non baptizato potuit offerri sacrificium.*
9. *Offerri potest pro permanentibus in fide Christi.*
10. *Pro ijs qui sunt in statu salutis potest offerri sacrificium.*
11. *Ex Patrum sententia offerri potest pro Catechumenis sacrificium.*
12. *Catechumeni sunt capaces sacrificij, sicut etiam sacrificij Crucis.*
13. *Catechumeni quomodo incorporati Ecclesiæ.*
14. *Catechumeni si sint in gratia sunt capaces fructus satisfactionis sacrificij.*
15. *Quando non licuerit offerre, & publicè orare pro Catechumenis.*
16. D. Ioan. Chrysostomus scripsit, *quando non licebat offerre pro Catechumenis.*
17. *Sacrificium non purgat defunctio à peccato*; vbi August. explicatur.
18. *Baptismus quomodo suppleatur si haberi non possit.*
19. *Cur non adsit consuetudo offerendi pro Catechumenis.*
20. *Exclusio Catechumenorum à sacrificio quid significet.*
21. *Sacramenta cur supponant baptismum, non verò sacrificium.*
22. *Offerens potest habere explicitam intentionem includendi Catechumenos.*

1 QVod spectat ad orationem etiam publicam pro Catechumenis, non debet verti in dubium. Nam Ecclesia pro ipsis orat in Parasceuè, nec prohibet in alijs diebus orare, sicut prohibet publicè orare pro excommunicatis Vndè Apost. 1. *ad Timoth.2.* habet: *Obsecro primum, omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus.* Dum autem dicit, pro omnibus hominibus, nullum genus excludit. Et August. *Epist.107. ad vitalem*, id expressè tradit. *Exorte contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas, & quando audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis, vt eos Deus conuertat ad fidem, & pro Catechumenis, vt eis desiderium regenerationis inspiret, &c. Subsanapias voces.* Et similia habent Cœlestin. *ad Episcopos Galliæ, cap.*11. Et Prosper. *lib.1. de vocat. Gent. cap.*12. Et hoc admittunt etiam, qui negant offerri posse sacrificium pro Catechumenis. Ex quo etiam certum fit, quod possit Sacerdos applicare Catechumenis fructum, qui ipsi prouenit ex opere operantis, cum nulla de hoc extet prohibitio: vndè solum difficultas est, an possit pro ipsis offerri sacrificium, itavt sint capaces fructus, qui prouenit vt proprius effectus sacrificij.

Prima sententia negat, offerri posse sacrificium pro Catechumenis. Ita Azor. *part.1. lib.10. cap.22. qu.1.* Vasquez 3. *part. disp.227. cap.13. num.*10. Granad. 3. *part. contron.6. tract.14. disp.6. num.3. in fine.* Præposit. *qu.83. art.1. dub.12. num.*73. Chellison. *dub.*8 ver. *Dico* 2. Sotus *in 4. dist.11. qu.2. art.7. ad* 2. Gabr. *lect.34. in Can. Missæ, littera A.* Camerota *de sacrific. Missæ, dub.* 12 Bartholom. ab Angelo, *Dialogo* 5.§.489 Marchin. *de sacram. Ordin. tract.3. part.2. cap.7 numer.*3. Palaus *part 4. oper. moral. tract.21. disp. vn. punct.5 num.*4. Mæratr. *tom.3. sum. disput.* 38. *de Eucharist. sect.*2. Gaspar. Hurtad. *de sacram. disput.2. de sacrif. Missæ, difficul.*4. ver. *Sotus verò*, Caspensis *part.2. Curs. Theol. tract.*23. *disp.1. sect.4. num.*49. 2

Prob. 1. ex Concil. Brachar. 1. *cap.* 35. ibi: *Item placuit, vt Catechumenis sine redemptione baptismi defunctis simili modo, neque oblationis sancta commemoratio, neque psallendi impendatur officium, nam & hoc per ignorantiam vsus Patrum, &c.* Vndè cum absolutè prohibeat offerri, signum est, quod in nullo illis prodesse possit, & cum deneget etiam officium psallendi, quod solum est impetratorium, declarat, neque vt impetratorium sacrificium prodesse. Secundò. Chrysost. *hom.* 3. *in Epist. ad Philip.* loquens de sacrificio Missæ quatenus prodest defunctis subdit: *Verum istud quidem de illis dicimus, qui in fide àbscesserunt; Catechumenos verò neque isto solatio dignamur, sed omni huiusmodi destituti sunt auxilio vno quodam dempto. Quodnam illo? Pauperibus illorum nomine dare, licet, vndè illis nonnihil refrigerij accedit.* Tertiò. August. *de anima. cap.*7. redarguit Vincentium Pelagianum, qui volebat posse offerri sacrificia pro paruulis decedentibus sine baptismo; & concludit, *Quis offerat corpus Christi, nisi pro eis, qui sunt membra Christi*; & declarans qui sint membra Christi subdit. *Ex quo autem ab illo dictum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in Regnum Dei. Et alio loco. Qui perdiderit animam suam propter me, inueniat eam, nemo fic membrum Christi, nisi aut baptismatè in Christo, aut morte pro Christo.* Vndè qui non est baptizatus secundum Augustin. non est capax huius sacrificij, & *cap.* 11. ait. Pro adultis non baptizatis offerri non posse. Quartò. Consuetudo Ecclesiæ habet, quod non offeratur sacrificium pro ipsis, pro quibus solum orat in die Parasceues in signum vniuersalis redemptionis Christi. Hæc autem consuetodo declarat, non posse offerri. Quintò. Catechumeni antiquitas excludebantur ante consecrationem, ne interuenirent sacrificio; hoc autem est signum, quod non sint capaces illius. Sextò. Non sunt capaces Eucharistiæ, quatenus est sacramentum, quia baptismus est ianua omnium sacramentorum: ergo neque sacrificij, nam 3

cum

cum sacrificium faciat sacramentum, pro ijs est institutum pro quibus est institutum sacramentum, itaut qui non est capax participationis sacramenti, nec etiam sit capax participationis sacrificij.

4 Secunda sententia docet, sacrificium Missæ offerri posse pro Catechumenis. Ita Henriquez *lib. 9. de Missa cap. 14. num. 3. & cap. 15. num. 5.* Bellarmin. *lib. 2. de Missa cap. 6.* ver. *Deinde certum est*, Suarez *disp. 78. de Eucharist. sect. 2. dicto 2.* Coninch *de sacrament. quæst. 83. art. 1. dub. 9. num...* Scorția *lib. 2. de sacrific. Missæ, cap. 1.* Tanner. *tom. 4. disp. 5. quæst. 9. dub. 4. nu. 82.* Sa. *verbo*, Missa. *num. 4.* Facundez *precep. 1. Eccles. lib. 3. cap. 11. num. 19.* Isambert. *3. part. quæst. 83. disp. 7. art. 3. & 4.* Syluius *art. 1. quæsito 8.* Faustus *lib. 2. de Eucharist. quæst. 86.* Layman *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. cap. 1. num. 8.* Lugo Cardin. *disp. 19. de Eucharist. sect. 10. num. 166.* Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 10.* ver. *Dicendum tamen est*, Martinon *de sacrament. disp. 39. de Eucharist. sect. 3. numer. 19.* Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disp. 33. sect. 4. numer. 117.* Ludouic. à S. Ioann. *part. 1. sum. quæst. 9. de Eucharist. art. 4. dub. 1. append. 3.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 4. numer. 58.* ver. *Pro decisione*, Gabr. à S. Vincent. *de sacrament. disp. 2. de sacrific. Miss. quæst. 4. difficul. 1.*

5 Dicendum est; *Sacrificium Missæ ex natura sua, & licitè offerri posse pro Catechumenis.* Desumitur ex libro, cui Titulus *Ordo Romanus cap. 20.* cuius titulus est, *Incipit ordo, vel denunciatio scrutinij ad electos, quod tertia hebdomada in quadragesima, secunda feria nunciatur*, ex quo habetur, quod quando feria 4. hebdomadæ quartæ celebrabatur quartum scrutinium, offerebatur sacrificium pro Catechumenis, nam iuxta actionem ita habetur. *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ quæsumus Domine, vt placatus accipias, quam tibi offerimus pro famulis, & famulabus tuis quos ad æternam vitam, & beatum gratiæ tuæ donum eligere, atque vocare dignatus es.* Ex quo patet, quod sacrificium offerebatur pro Catechumenis.

6 Resp. Vasquez. Tum temporis, quando scriptus fuit Ordo Romanus, nempè tempore Caroli Magni, Catechumenos non fuisse adultos, sed infantes, qui non erant capaces effectus sacrificij, nempè remissionis pœnæ, aut interioris inspirationis; & ideò sacrificium fuisse oblatum non pro ipsis directè, sed pro ijs, qui eos adducebant ad baptismum, & solum indirectè pro infantibus. Verum non video quibus clarioribus verbis Ecclesia declarare potuerit; quod directè offerret pro Catechumenis, quàm dum dicit, *Quam tibi offerimus pro famulis tuis, quos ad æternam vitam, & beatum gratiæ tuæ donum eligere, & vocare dignatus es:* nam hæc verba declarant directam oblationem. Rursus; post recitata verba exprimebantur nomina electorum ad baptismum, & statim subijciebatur. *Hos Domine fonte baptismatis innouandos, spiritus tui munere ad sacramentorum tuorum plenitudinem poscimus præparari iubeas, diésque nostros in tua pace disponas.* Dum ergo recitarentur nomina Catechumenorum, non potest negari, quin pro ipsis offerretur sacrificium, siquidem exprimitur directè oblatio pro Catechumenis nominatim.

7 Resp. 2. idem Vasquez *num. 11.* Ecclesiam secutam fuisse opinionem probabilem, quod pro Catechumenis possit offerri sacrificium. Contra; Ecclesia non potest errare in ijs, quæ pertinent ad sacramentorum ministrationem, & dispositionem sacrificij, quia hæc pertinent vniuersalis Ecclesiæ, & ad dispensationem mysteriorum Dei: ergo si semel instituit offerri sacrificium pro Catechumenis, nec in hoc errauit, vim potest offerri, & dicere, quod non possit offerri, est dicere, quod Ecclesia errauerit.

8 Desumitur etiam ex cap. *Apostolicam.* De *præsbyt. non baptizat.* vbi cum Episcop. Cremonens. interrogasset Pontificem, an pro præsbytero, qui deprehensus fuerat non fuisse baptizatus, offerri posset sacrificium, respondet ex auctoritate D. Augustini, & D. Ambrosij sine dubio mundatum fuisse ab originali, & constitutum in statu salutis, quia perseuerauit in fide Ecclesiæ, & confessione nominis Christi, & concludit. *Sopitis igitur quæstionibus Doctorum, Patrum sententias teneas, & in Ecclesia tua iuges preces, hostiasque Deo offerri iubeas pro præsbytero memorato.* Ecce ergo quomodo pro non baptizato offerri potest sacrificium.

Respondet Vasquez. Pontificem ita respondisse, 9
quia erat dubium, an fuerit baptizatus, & in dubio non erat priuandus suffragio sacrificij. Contra; Pontifex supponit pro certo, quod non fuerit baptizatus, & eo, quod in fide Christi permanserit, & fuerit iustificatus infert, esse offerendum pro eo sacrificium, non autem ex eo, quod baptismus ipsius fuerit dubius. Deindè dicit, tenendam esse Patrum sententias, quod sine baptismo in re potuerit saluari, & ideò esse pro ipso offerendum sacrificium iuxta eorundem sententiam.

Respondet 2. Pontificem secutum fuisse opinio- 10
nem probabilem, quod possit pro Catechumenis hoc sacrificium offerri. Contra; eo ipso, quod hanc opinionem iussit tanquam Pontifex reduci ad praxim, certam fecit. Deindè Pontifex ait, *Sopitis Doctorum quæstionibus, tenendas esse Patrum sententias, & offerendum esse pro illo præsbytero sacrificium.* Quæstiones autem Doctorum non erant, an potuerit saluari, sed an posset pro ipso offerri sacrificium, quia de primo non dubitabatur, nec Pontifex primum resoluit, sed secundum, dum dicit, *Hostias offerri iubeas*, & quod fuerit in statu salutis, assumit tanquam rationem suæ decisionis, quod scilicet offerri posset sacrificium. Tertiò; Dicit Patrum sententiam esse tenendam, & esse offerendum sacrificium: vndè ponit suam decisionem tanquam sententiam Patrum.

Respondet 3. Non loqui Pontificem de oblatione 11
sacrificij, sed de oblatione eleemosynarum, & aliorum piorum operum, quæ dici solent sacrificia, & hostiæ. Contra; Pontifex de duobus fuerat interrogatus de precibus, & hostijs, nam duobus tanquam distinctis quæsitis respondet, nempè offerendas esse preces, & hostias; vndè cum contra distinguat hostias à precibus oportet quod intendat de hostijs propriè dictis, nam in sensu, in quo accipit Vasquez etiam preces sunt hostiæ. Secundò. Pontifex ibi recitat auctoritatem D. Ambrosij, *in Orat. de obitu Valentiniani Imperatoris*, qui decesserat Catechumenus, dicentis, *Date manibus sancta mysteria, date sacramenta cœlestia, animam piam nostris oblationibus prosequamur.* Et dicit Patrum sententiam esse tenendam, & ideò hostias offerendas. Ambros. autem manifestè loquitur de hostijs sacrificij propriè dicti. Tertiò. Non est verisimile, Pontificem in resolutione talis quæsiti vsum fuisse vocabulis secundum impropriam significationem, nam non sustulisset dubium, sed nouum ingessisset. Nec rectè dicitur, quod Glossa explicet hunc textum de precibus, nam simul explicat de precibus, & hostijs.

Ratio autem est. Quia sacrificium Crucis est obla- 12
tum, à Christo etiam pro Catechumenis, & participat fructus ipsius, dum illuminantur, & adiuuantur ad fidem, & dum possunt per contritionem iustificari: ergo potest offerri pro ipsis etiam sacrificium Missæ. Conseq. prob. Sacrificium Missæ offerri potest pro omnibus, qui sunt capaces fructus ipsius; Catechumeni autem sunt capaces, quia fructus sacrificij Missæ consistit in applicatione virtutis sacrificij Crucis, & ideò quicunque est capax sacrificij Crucis,

Digitized by Google

eis, est etiam capax, vt per sacrificium Missæ applicetut virtus sacrificij Crucis.

13 Confirm. Ideò non posset offerri sacrificium pro Catechumenis, quia non sunt membra Ecclesiæ, nec ipsi incorporati. Sed licet non sint signati charactere baptismali, sunt tamen vniti cæteris membris per fidem, & etiam aliquando per charitatem, & hoc pacto sunt incorporati Ecclesiæ, & si in gratia decedant, pertinent ad Ecclesiam Triumphantem tanquam membra illius, & proindè, dum sunt in hac vita pertinent tanquam membra ad Ecclesiam militantem supplente conuersione cordis ad Deum ipsum baptismum, vt habet Augustin. *lib. 4. de vnico baptis. cap. 22.* ibi. *Quod etiam, atque etiam considerans inuenio non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem, conuersionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi angustijs temporum succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum; nec quia credidit passus est, sed dum patitur, credidit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili sacramento baptismi, quod ait Apostolus,* corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, *in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur inuisibiliter, cum mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Quibus declarat quomodo conuersio ad Deum suppleat baptismum, sicut supplet martyrium; & sicut hoc facit membra Ecclesiæ, ita etiam illud: ergo poterit pro Catechumenis offerri sacrificium.

14 Dicendum 2. Catechumenos, si sint in gratia, esse capaces non solum impetrationis ex opere operato sacrificij, sed etiam satisfactionis. Est contra Suarez, Tannerum, Coninch, & alios: ex citatis pro priori sententia. Prob. Sunt membra viua Christi: ergo possunt satisfacere pro debito pœnarum, sicut etiam possunt satisfacere si decedant in gratia per satisfactionem in Purgatorio: ergo cum sint capaces satisfactionis erunt etiam capaces effectus satisfactionis prouenientis ex sacrificio. Conseq. prima constat in martyribus, qui per martyrium soluunt debitum pœnæ ijs debitæ: & quia opus pœnale iusti est etiam satisfactorium. Conseq. 2. prob. Sunt capaces satisfactionis prouenientis ex sacrificio Crucis, siquidem in effectu Christus satisfecit pro omnibus, qui percipiunt fructum passionis Christi: ergo cum applicetur Catechumenis, satisfecit etiam pro ipsis: ergo poterit satisfactio sacrificij Crucis applicari per sacrificium Missæ, quia si sunt capaces satisfactionis sacrificij Crucis sibi applicandæ, erunt etiam capaces applicatiui eiusdem satisfactionis.

15 Ad 1. resp. Concil. Bracharense nedum prohibere oblationem sacrificij pro Catechumenis, sed etiam Psalmodiam: vndè, si aliquid probaret, conuinceret etiam contra oppositam sententiam, quod pro ipsis non possent fundi preces. Resp. ergo, vt etiam notat Sixtus Senens. *lib. 6. Biblioth. num* 331. Tunc temporis prohibitum fuisse offerre, & publicè orare pro Catechumenis ad tollendum abusum longæ dilationis baptismi, qui tunc vigebat. Sicut etiam aliquando Ecclesia ad deterrendos ab idololatria negabat lapsis, licet pœnitentibus viaticum: cum ergo modo cessauerit finis legis, debuit etiam cessare lex. Concil. autem redarguit oppositum facientes, quia iam ante lata fuerat lex.

16 Ad 2. resp. D. Ioan. Chrysostomum scripsisse tunc temporis, quando ab Ecclesia prohibebatur publicè orare pro defunctis Catechumenis pro extirpanda eorumdem negligentia in suscipiendo baptismo. Vndè ibi ita loquitur de Catechumenis, quasi esset desperata eorum salus, vt nimirum terrorem incuteret negligentibus baptismum. Temperat tamen suum dictum, significans, posse aliquo pacto iuuari illis verbis. *Defleamus istos, iuuemus eos pro viribus, procuremus eis aliquid auxilij, modici quidem, attamen iuuemus eos.* Vbi etiam est notandum, quod non dicit, sacrificium ipsi prodesse non posse; sed quod non dignantur ab Ecclesia tali solatio.

Ad 3. Augustin. ibi impugnare Vincentium Pelagianum admittentem in paruulis peccatum originale, sed addentem, quod paruuli defuncti poterant per sacrificium purgari ab ipso ex opere operato. Illum autem impugnat, quia sacrificium non potest offerri pro defunctis ad eos purgandos à peccato, quod non solum docet de paruulis, sed etiam de adultis *cap. 11.* cuiuscunque sint ætatis. Quod autem intelligat de oblatione in ordine ad purgationem à peccato, cum quo decedunt, constat ex illis verbis, *cap. 15. Tanquam per huiusmodi pietatem suorum, ad regnum cælorum quo perueniant, adiuuentur.* Loquitur enim de pietate erga mortuos, & de oblatione sacrificij, de qua ibi ostendit, non prodesse ad purgationem peccati. Ad probandam autem suam intentionem, assumit, vt etiam dicit Vasquez, quod sacrificium non potest offerri, nisi pro membris Christi. Et loquitur de oblatione in ordine ad defunctos, de qua tunc disputabat, & in eo fundatur, quia si non sunt membra Christi, cum sint damnati, non potest eis prodesse sacrificium: si verò sunt membra Christi non indigent expiatione à peccatis. Et proindè dicit, quod salua fide, non potest concedi, quod pro alijs, quàm pro membris Christi possit offerri: quod non diceret, si loqueretur de oblatione pro viuis, nam Ecclesia saltem aliquando obtulit pro ijs, qui non sunt membra Christi: & secundum oppositam quoque sententiam est probabile, quod possit offerri. 17

18 Quando autem subdit, quod quis fit membrum Christi, aut baptismo, aut morte pro Christo, non excludit baptismum in voto: sed ponit mortem pro Christo tanquam id, quod supplet baptismum sacramentalem: & vult quod quis fiat membrum Christi vel per baptismum in re, vel per supplementum baptismi, quale est martyrium, quod constat ex ijs, quæ habet *lib. 4. de vnico baptismo, cap. 22.* dum dicit, *quod etiam, atque etiam considerans inuenio, non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex batismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem, conuersionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi angustijs temporum succurri non potest.*

19 Ad 4. Consuetudinem non offerendi sacrificium pro Catechumenis esse negatiuam, & proindè non esse veram consuetudinem; ideò autem non adest consuetudo, quia neque adest occasio, cum rari sint Catechumeni, & ij, si infirmentur ad mortem statim baptizentur. Sufficit autem, quod constet, aliquando Ecclesiam obtulisse pro ipsis sacrificium, quando se obtulit occasio, vt constat ex supradictis, præsertim ex cap. *presbyterum.* De *presbytero non baptizato.*

20 Ad 5. Exclusionem Catechumenorum solum declarare, quod non possint offerre sacrificium; non autem quod non sint capaces effectus sacrificij. Qui enim interueniunt sacrificio, simul cum Sacerdote concurrunt ad offerendum, & ideò cum nondum Ecclesia receperit Catechumenos tanquam suos, quod fit per baptismum, nec etiam admittit ad offerendum sacrificium, cum hoc solum conueniat membris declaratis.

21 Ad 6. neg. conseq. Quia sacramenta ratione finis, & effectus supponunt hominem Christianum per baptismum, cum ex natura sua ordinentur ad perficiendum, quod in baptismo est collatum. At sacrificium Missæ tanquam applicatiuum virtutis sacrificij Crucis habet effectus eiusdem rationis cum ipso;

&

& ideò qui sunt capaces effectus sacrificij Crucis, sunt etiam capaces effectus sacrificij Missæ.

22 Ea dictis colligitur, Non solum posse sacerdotem in generali oblatione sacrificij pro Ecclesia habere intentionem offerendi pro omnibus iuxta Ecclesiæ mentem, & Dei beneplacitum, vt asserit Suarez *disp. 78. de Eucharist. sect. 2. dicto* 2. sed etiam posse habere explicitam intentionem includendi etiam Catechomenos, quia licet non sint adhuc incorporati Ecclesiæ per baptismum, sunt tamen in via, vt incorporentur, vt se habent veluti nouitij in ordine ad religionem, qui sunt in via vt ipsi incorporentur per professionem. Sicuti ergo pertinent ad religionem, & in fauorabilibus veniunt nomine religiosorum, & gaudent Priuilegijs Religionis: ita etiam Catechumeni pertinet ad Ecclesiam, vt in via ad incorporationem per baptismũ,& veniunt nomine fidelium,& debent participare de fauoribus, quorũ sunt capaces.

QVÆSTIO 152.

An pro infidelibus offerri possit sacrificium Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Pro infidelibus potest indirectè offerri sacrificium.*
2. *Non potest offerri quatenus satisfactorium.*
3. *In Missa fundi potest oratio pro conuersione infidelium.*
4. *Sacrificium quatenus impetratorium an possit offerri pro infidelibus*, & num. seq.
6. *Praxis offerendi pro infidelibus*, & num. seq.
8. *Ex Apostolo pro quibus offerendum.*
9. *In lege veteri offerebatur sacrificium pro Gentilibus.*
10. *Impetratio, quia exercetur apud Deum, non requirit specialem capacitatem in eo, pro quo est impetrandum.*
11. *Sacrificium Missa potest offerri pro quibus est oblatum sacrificium Crucis.*
12. *Sacrificium Missæ applicare potest fructum sacrificij Crucis, pro quibus est oblatum.*
13. *Sacerdos licet proprius legis Euangelicæ, potest tamen vltra ipsam extendere fructum sacrificij.*
14. Concil. Trident. *Non restringit oblationem sacrificij pro solis fidelibus.*
15. *Sacrificium quomodo institutum pro Ecclesia.*
16. *Pro quo effectu sacrificij an requiratur coniunctio per fidem, & charitatem.*
17. *Sacrificium offerri potest pro determinata persona Gentili.*

1 NOmine infidelium veniunt omnes, qui carent fide Christi, siue Gentiles sint, siue Iudæi. Est autem certum; quod indirectè offerri potest pro ipsis sacrificium, vt notant Henriquez *lib. 9. cap. 15. numer.* 4. Bellarmin. *lib. 2 de Missa capit. 6.* ver. *De ijs, qui viuunt*, Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 25. quæst.* 1. Marchin. *De sacrament. Ordin. tract. 3. part. 2. cap. 7. num. 6.* & alij communiter. Et ratio est, quia quando indirectè pro ipsis offertur, directè offertur pro aliquo bono Ecclesiæ, quod per se primo intenditur, & pro bono infidelium quatenus bonum hoc ad ipsos extenditur. Certum est autem offerri posse pro bono Ecclesiæ.

2 Secundò etiam certum est, quod non potest pro ipsis offerri, quatenus est satisfactorium, vt etiam aduertunt communiter; nam satisfactio pro peccatis non habet locum, quamdiu remissa non sunt. Dum autem infideles persistunt in sua infidelitate, non remittuntur eis peccata, quia prima dispositio ad iustificationem est fides, vt habet Concil. Trid. *sess. 6. c. 6.*

Tertiò etiam certum est. Posse in Missa fundi orationem pro conuersione infidelium, vt notant communiter Doctores præsertim Sotus *lib. 9. de iust. & iure, qu. 2. ar. 2. ad* 3. Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 22. qu.* 1. Vasq. 3. *part. disp. 257. c. 3. n. 54.* & alij, quamuis oppositum teneant de oblatione sacrificii. Ratio autem est, Quia de facto Ecclesia in Parasceue pro ipsis orat, nec prohibet, quod in aliis temporibus pro ipsis oretur, sicut prohibet orare pro excommunicatis. Cum enim possint diligi ex charitate cum ordine ad vltimum finem, potest Ecclesia iis communicare effectus charitatis, & admittere ad participandum in suis orationibus. Vndè tota difficultas est de oblatione sacrificii, quatenus impetratorii. 3

Prima sententia negat, posse offerri. Ita Sotus *De iust. & iure, lib. 9. qu. 2. art. 2. ad* 3. & *in 4. dist. 11. qu. 2. ar. 7. ad 2. in fine.* Azor. *par. 1. lib. 10. c. 22. qu.* 1. Vasq. 3. *par. disp. 227. c. 3. n. 24.* Granad. *controuer. 6. tract. 14. disp. 6. num. 3. in fine*, Chellison. *qu. 83. ar. 1. dub. 8.* ver. *Dico* 5. Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp. 2. de sacrific. Miss. difficul. 4.* ver. *Sotus verò*, Caspens. *par. 2. Curs. Theol. tr. 53. disp. 1.* ver. *Prima conclusio num.* 49. Palaus *par. 4. Oper. moral. tr. 22. disp. vn. pun. 5. n.* 4. Marchin. *de sacram. ordin. tr. 3. par. 2. c. 7. num.* 3. Et alii. Prob. Quia Concil. Trid. *sess. 22. c. 2.* videtur restringere oblationem sacrificii ad solos fideles, dum ait. *Quare non solum pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur.* Secundò. Hoc sacrificium est institutum à Christo pro Ecclesia sua sponsa, vt habet Concil. Trid. *sess. 22. c. 1.* Ergo non extendit rationem suæ institutionis extra Ecclesiam: ergo neque extendit suos effectus ad infideles, alioquin operaretur extra propriam sphæram. 4

Secunda sententia asserit. Sacrificium offerri posse quatenus impetratorium pro infidelibus. Ita Nauar. *de orat. c. 19. n.* 72. Ledesma 2. *par. 4. qu. 53. ar. 1.* Sà *verbo* Missa *n.* 40. Bellarm. *lib. 2. de sacrific. Missæ c. 6.* Conioch *de sacram. qu. 83. ar. 1. dub.. n.* 160. Layman. *lib. 5. Theol. moral. tr. 5. c. 2. n.* 9. Alan. *lib. 2. de Euchar. c.* 31. Henriq. *lib. 9. sum. c. 14. n. 3.* & *cap. 15. n.* 6. Sebastianus Perez *lib. de sacrific. c.* 23. Suarez *disp. 78. de Eucharist. sect. 2.* ver. *Dico* 3. Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 3. c. 12 num.* 22. Mercer. *de sacram. qu. 83. art. 1. dub.* 5. ver. *Respond. nono*, Nugnus *eod. ar. par. 3. difficul. 5. conclus.* 2. Tanner. *tom. 4. disp. 5. qu 9. dub. 4. n.* 87. Isambert. 3. *par. qu. 81 disp. 7. ar. 2. proposit.* 3. Præposit. *ar. 1. dub. 12. n.* 75. ver. *Ex his patet*, Syluius *quæsito* 8. ver. *Responsio tamen*, Faustus *lib. 1. de Euchar. quæst.* 87. Lessius ad 3. *par. qu. 83. ar. 1. dub. 9 n.* 53. Martinon *disp. 39. de Euc. sect. 3. n.* 19. Bonac. *disp. 4. de sacram. qu. vlt. pun. 5. n.* 4. Logo Card. *disp. 19. de Euc. sect. 10. n.* 173. Auersa *qu. 11. de Euc. sect.* 10. ver. *Dicendum tamen*, Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disp. 33. sect. 4. n.* 117. Franc. Lugo *lib. 5. de sacram. c. 4. qu. 6. num.* 56. Gabr. à S. Vinc. *de sacram. disp. 2. qu. 4. difficul.* 1. ver. *Quod si loquamur.* 5

Dicendum est. *Sacrificium Missæ quatenus impetratorium offerri posse pro infidelibus.* Desumitur ex Cœlestino Papa *Epist. ad Episcop. Galliæ, cap.* 11. ibi. *Cum enim sanctarum plebium præsules mandata sibimet legatione fungantur apud diuinam clementiam, humani generis agant causam, & tota secum Ecclesia ingemiscente postulant, & precantur, vt infidelibus donetur fides, vt idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, vt Iudæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, vt heretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant, vt schismatici spiritum redidiuæ charitatis accipiant, vt lapsis pœnitentia remedia conferantur, vt denique Catechumenis ad regenerationis* 6

rationis sacramenta perductis cœlestis misericordiæ aula referetur. Agit autem de precatione mediante oblatione sacrificij, quia dicit eos precari, quando mandata sibi legatione funguntur, tunc autem funguntur mandata legatione, quando exercent munus sacerdotis, quia sacerdos quatenus talis est constitutus, vt agat causam populi in his, quæ sunt ad Deum, & quia dicit tota secum Ecclesia ingemiscente, quod non contingit, nisi quando nomine Ecclesiæ exercent suum munus offerendo sacrificium.

7 Desumitur etiam ex Concil. Trident. *sess.22. Can. 3.* Si quis *dixerit Missæ sacrificium neque pro viuis, & defunctis, pro peccatis pœnis satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere, anathema sit.* Cum igitur possit offerri pro alijs necessitatibus indifferenter, debet intelligi pro quacunque necessitate, atque adeò etiam pro necessitate conuersionis infidelium. Et proindè antiquitus fuisse in praxi offerre sacrificium pro infidelibus desumitur ex Clemente Romano *lib.8.Constitutionum Apostolicar.* vbi habet, Apostolos obtulisse sacrificium pro Regibus, & ijs, qui sunt in sublimitatibus constituti; qui sanè tunc erant Gentiles. Et Tertulliano *lib. ad scapulam,* dum inquit, *Sacrificamus pro salute imperatoris*; tunc autem Imperator erat infidelis. Et Chrysostomo. *Hom. 5. in Epist.1. ad Timoth.* vbi ait esse offerendum pro Rege Gentili. Et *hom.77. in Ioan.* habet, *In mysterijs,* (Missis) *communes pro non initiatis preces fundimus, & pro vniuersi Orbis fructibus sacrificamus.* Vbi cum coniungat preces communes cum sacrificatione, necessario debet accipi de precibus, quæ funduntur in sacrificio, atque adeò in ordine ad participationem ipsius.

8 Denique desumitur ex Apostolo 1. *ad Timoth. 2.* vbi præcipit his verbis, *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt.* Quem locum explicant de oblatione sacrificij, Chrysost. *ibid.hom.5.* Et alij Expositores, tam Græci, quàm Latini. Prosper. *lib. 1. de vocat.Gent.cap.4.* August. *Epist.59.*

9 Prob. In lege veteri offerebantur ab Hebræis sacrificia pro Gentilib. vndè *lib.1.* Esdræ *cap. 4.* habetur oblatum fuisse pro Dario, & *lib.1.* Machabæor. *cap.12.* pro Spartiatis, & *lib.2. cap.3.* pro Heliodoro. Ergo etiam sacrificium Missæ offerri potest pro infidelibus. Conseq.prob. Quia iam non repugnat, quod sacrificium institutum pro aliqua lege offeratur pro ijs, qui non sunt sub illa lege. Tum quia hoc sacrificium habet perfectiones omnes veterum sacrificiorum, & proindè hanc quoque quod pro exteris offerri potest. Tum quia est magis efficax ad impetrandum, nec est extensiuè efficacia ipsius limitata.

10 Resp. Vasquez. Esse diuersam rationem. Quia sacrificia vetera solum ex opere operato mundabant legaliter, & quoad hunc effectum instituta fuerunt solum pro Hebræis. Non impetrabant autem ex opere operato, sed solum ex opere operantis, & ideò poterant offerri pro Exteris, sicut poterant offerri alia bona opera; At sacrificium Missæ est impetratorium ex opere operato, & ideò non potest applicari nisi capacibus talis modi impetrandi. Contra. Effectus impetrandi non exercetur immediatè circa eum, pro quo offertur sacrificium, sicut exercetur effectus sacramenti, sed exercetur apud Deum, quatenus sacrificium habet vim mouendi Deum ad concedendum, quod est impetrandum: ergo non requiritur aliqua specialis capacitas in ordine ad modum impetrandi in eo, pro quo offertur sacrificium, sicut requiritur in ordine ad sacramenta, & ad modum causandi ipsorum, quia modus causandi in ipso subiecto recipiente sacramenta exerceri debet, sed sufficit, si sit capax effectus, prout à Deo prouenire debet, & non prout prouenit à sacrificio, quia non recipit ab ipso, sicut recipitur effectus sacramenti. Sed à Deo intuitu sacrificij.

Confirm. Sacrificium Crucis est oblatum etiam pro infidelibus, nam participant fructum ipsius, dum recipiunt illustrationes, & motiones in ordine ad conuersionem: ergo etiam sacrificium Missæ potest pro ipsis offerri. Conseq. prob. Quia sacrificium Missæ est idem cum sacrificio Crucis quoad substantiam, & solum differt secundum rationem offerendi, quia vnum cruento, alterum incruento modo offertur, vt habet Concil. Tridentin. *sess.22. cap.2.* & ideò habet easdem qualitates substantiales, quarum vna est extendendi suos effectus ad omnes etiam Gentiles. Tum quia sacrificium Missæ est applicatiuum virtutis sacrificij Crucis, vt habet idem Concil. *ibid. cap.1.* & ideò debet applicare eius virtutem secundum naturam ipsius, & secundum institutionem, est autem instituta, vt se extendat etiam ad Gentiles. Tum quia etiam sacrificium Crucis ex opere operato causat suos effectus, & tamen extendit etiam ad Gentiles: vndè poterit etiam extendere sacrificium Missæ, licet sint ex opere operato. 11

Resp. Vasquez. Sacrificium Crucis esse per modum vniuersalis pretij redemptionis, & ideò fuit oblatum pro toto genere humano, quod tali pretio indigebat. At Sacrificium Missæ non est per modum vniuersalis pretij, sed per modum sacramenti, atque adeò causæ particularis, & ideò non est aptum applicare fructum sacrificij Crucis, nisi baptizatis, sicuti neque apta sunt sacramenta. Contra. Pretium sacrificij Crucis, tanquam vniuersaliter oblatum indiget applicatione pro hoc, & illo, vt effectum habeat, & hæc applicatio fit, quando infidelibus tribuuntur illustrationes, & motiones ad fidem: ergo cum sacrificium Missæ sit institutum vt applicatiuum virtutis sacrificij Crucis, poterit applicare singulis, quibus est applicabile. Confirm. Ideò non posset applicare, nisi baptizatis, quia applicant per modum sacramenti. Sed hoc est falsum, quia sacramenta applicant vt signa sensibilia applicata subiecto, & immediatè causando in ipso effectum suæ applicationis. Sacrificium autem non applicatur subiecto, nec in ipso causat immediatè suum effectum, sed impetrat à Deo. 12

Dices. Sacerdotium in ordine ad hoc sacrificium est proprium legis Euangelicæ: ergo Sacerdos habet offerre solum pro ijs, qui sunt sub lege Euangelica, quia sicut sacerdotium, sic etiam & sacrificium non excedit limites legis, pro qua est institutum. Resp. neg. conseq. Quia ex eo, quod sacerdotium sit proprium legis Euangelicæ solum sequitur, quod ij tantum, qui sunt sub lege Euangelica, possint actiuè vti, seu offerre hoc sacrificium: non autem quod solum, qui sunt sub Euangelica, possint participare fructum huius sacrificij. Sic etiam sacrificia Mosaica erant propria illius legis, & tamen offerebantur pro Exteris, vt dictum est, *n.9.* 13

Ad 1. in oppositum resp. nequaquam Concil. Tridentin. restringere oblationem huius sacrificij, vt sit tantum pro fidelibus: nam ibi contra Hæreticos docet, hoc sacrificium esse propitiatorium, & operari, vt per ipsum obtineamus veniam peccatorum mediantè dono pœnitentiæ: & proindè consequenter ad præmissa concludit, quod offerri possit, non solum pro fidelium viuorum peccatis, pœnis & satisfactionibus, sed etiam pro defunctis ostende effectum remissionis peccatorum, & satisfactionis restringit ad fideles; dum verò addit offerri posse pro alijs necessitatibus, declarat, quod offerri possit etiam pro non baptizatis, quia aliæ necessita- 14

tes

tes sunt communes omnibus. Et ideò *Can.3.* absolutè definit, quod offerri possit pro viuis, & defunctis, nec restringit ad fideles.

15 Ad 2. neg. vltima consequentia. Quia ex eo, quod hoc sacrificium sit institutum pro Ecclesia, solum sequitur solum, quod extra ipsam non habeat locum quoad oblationem actiuam, quia scilicet non potest offerri ab alijs, quàm ab Ecclesia, & ipsius sacerdotibus; non verò, quod non possit pro alijs offerri, qui non sunt intra Ecclesiam, quia quoad suos effectus extenditur ad mensuram sacrificij Crucis.

16 Ex dictis colligitur. Quod quando D.Thom.*3.par. qu. 79. art.7. ad 2.* docet, quod hoc sacrificium non habet effectum, nisi in ijs, qui coniunguntur huic sacramento per fidem, & charitatem, non intelligit de omni effectu, sed de effectu satisfactionis, nam certum est, quod habet effectum etiam in peccatoribus, dum ipsis impetrat donum pœnitentiæ, vt tradit Concil. Trid. *sess.22.cap.2.de Eucharist.* & tamen non coniunguntur huic sacramento per charitatem. Ibi enim respondet argumento, in quo inferebatur, quod si prodesset alij, quàm sumenti, fieri posset, quod quis acquireret gratiam, & gloriam absque actione, & passione propria alio offerente, eum gratia, & gloria sint effectus huius sacrificij; respondet enim hoc non sequi, quia non habet effectum, nisi in illis qui coniunguntur huic sacramento per fidem, & charitatem, & ideò accipi debet de effectu, de quo procedebat argumentum: hanc autem coniunctionem aut supponit, aut causat.

17 Colligitur 2. Offerri posse sacrificium pro aliqua determinata persona Gentili in ordine ad obtinendam eiusdem conuersionem, atque adeò eos, qui degont apud infideles, posse rependere debitum gratitudinis Principibus, à quibus bene habentur sacrificando pro eorumdem conuersione. Quod enim est licitum in vniuersali, est etiam licitum in particulari, præsertim, quia nulla de hoc extat prohibitio.

QVÆSTIO 153.

An possit institui Capellania infidelibus, hæreticis, schismaticis, excommunicatis.

SVMMARIVM.

1. *Capellania an possit institui pro infidelibus, hæreticis, excommunicatis, &c.*
3. *Capellania institui potest ad offerendum indirectè pro excommunicatis, hæreticis, &c.*
4. *Capellania institui potest ad directè offerendum pro conuersione infidelium.*
5. *Institutio Capellania ad offerendum pro hæreticis, &c. an sustinenda.*
Dispositio ita accipienda, vt valeat.
6. *Validitas actus sustinetur, etiam si aliquid inducatur præter intentionem.*

1 NOn posse fundari Capellaniam pro Infidelibus, & cæteris nominatis, tradit in terminis Sotus *lib. 9. de iust. & iure quæst. 1. art. 2. ad 3.* & hoc idem tenebunt, qui putant, non posse pro his personis offerri sacrificium, qui supra recensiti sunt. Quia cum Capellania ordinetur ad offerendum sacrificium, dum non potest offerri sacrificium, nec etiam poterit institui Capellania. Confirm. Quando offertur sacrificium pro aliquo applicatur principaliter fructus satisfactionis; hæc autem genera personatum non sunt capacia fructus satisfactionis.

Econtra verò alij in terminis docent, institui posse Capellaniam pro conuersione infidelium. Ita Ledesma *part. 1. sum. tract. de Eucharist. cap. 17. concl. 18. ver. La segundo*, Ludouicus à S. Ioan. *part. 1. sum. quæst. 9. de Eucharist. art. 4 dub. 2. append. 2.* Faustus *lib. 2. de Eucharist. quæst. 87. in fine.* Imò etiam posse offerri pro conuersione hæreticorum, tradit Amicus *part. 7. Curs. Theol. disput. 38. sect. 4. num. 115.* addens apud suam Congregationem sancitum fuisse, vt singulis mensibus offerant sacerdotes pro hæreticorum conuersione, quia directè non offertur pro ipsis, sed pro dilatatione fidei. Imò Bellarmin. *lib. 2. de Missa cap.6.* habet, posse per solam internam intentionem hoc sacrificium directè applicari pro hæreticorum conuersione, modo in Missa nihil addatur. Et ita, etiam tenere debent, qui volunt, posse sacrificium offerri. 2

3 Dicendum 1. *Posse institui Capellaniam ad offerendum sacrificium indirectè pro conuersione hæreticorum, schismaticorum, & excommunicatorum.* Ratio est, Quia eo modo potest institui Capellania, quo potest offerri sacrificium. Cum ergo possit indirectè offerri pro his poterit etiam institui Capellania ad indirectè offerendum.

4 Dicendum 2. *Posse institui Capellaniam ad directè offerendum pro conuersione infidelium.* Ita tenere debent ij omnes, qui volunt, posse offerri sacrificium pro infidelibus. Ratio est, Quia conuersio infidelium est bonum desiderabile, non solum in ordine ad ipsos infideles, sed etiam in ordine ad Ecclesiam; & sicut possumus ex charitate desiderare salutem spiritualem infidelium, ita etiam possumus adhibere media ad ipsam consequendam, qualis est institutio Capellaniæ ad impetrandam ipsorum conuersionem.

5 Ex dictis colligitur. Quod si quis institueret Capellaniam ad offerendum pro hæreticis, schismaticis, excommunicatis, &c. Esset sustinenda institutio, & accipienda in terminis habilibus, vt nimirum esset offerendum indirectè pro ipsorum conuersione, & pœnitentia. Nam semper actus, & dispositio ita est interpretanda, vt subsistat, & valeat *l. si quando, ff. De legato 1.* & tradunt communiter Roman. *Consil. 180. num. 4.* Abbas *Consil. 62. num. 7. lib. 2.* Roland. *Consil. 61. num. 26. lib. 3.* Tusch. *littera A. conclus. 536. num. 14.* Rota *Decis. 469. num. 3. part. 2. Recent.*

6 Quod habet locum, etiam ex errore intendisset, quod pro ipsis directè offerretur, quia validitas actua est sustinenda, etiam si sit facienda illa interpretatio, quæ aliquid inducat præter intentionem disponentis. Cap. 1. §. *idem quoque in fine.* De *desponsat. impuber. in 6.* & notat Federicus de Senis *Consil. 15. num. 4. ver. Item contra.* Et ideò esset institutio executioni mandanda, & erigenda Capellania ad indirectè offerendum.

QVÆSTIO 154.

An sacrificium Missæ offerri possit pro defunctis existentibus in Purgatorio.

SVMMARIVM.

1. *Hæretici negant offerendum sacrificium pro defunctis.*
2. *Sacrificium offerri potest pro existentibus in Purgatorio.*
3. *Ex communi consensu Patrum.*
4. *Ex sensu Patrum sacrificium est proficuum defunctis.*

5. *Praxis offerendi pro defunctis ex Concil.*
6. *Sacrificium non posse offerri pro defunctis, est damnatum ab Ecclesia.*
7. *Pro defunctis suffragari est canonizatum à scriptura Sacra.*
8. *Libri Machabæorum Canonici.*
6. *Praxis offerendi pro defunctis ab Apostolis duxit originem.*
10. *Sacrificium vnde habeat, quod sit satisfactorium pro defunctis.*
11. *Existentes in Purgatorio pertinent aliquo modo ad Ecclesiam militantem.*
12. *Vt quis percipiat fructum sacrificij, non est opus, vt percipiat sacramentum.*

1 Sicuti Hæretici negant Purgatorium, ita etiam negant, offerendum esse sacrificium pro existentibus in Purgatorio. Sic Chemnit. *part.* 2. *Examin. Concil. Trident. argum. vlt.* Philippus Melanct. *in Apologia Confession. August. in disput. de vocabul. Missa.* & alij. Quia inquiunt, quando Christus loquutus est de vsu huius mysterij, dixit, *Accipite, & manducate.* Ergo cum mortui nec accipere possint, nec manducare, non potest pro ipsis offerri.

2 Tenendum tamen est tanquam certum de fide, sacrificium Missæ offerri posse pro existentibus in Purgatorio. Ita tradunt communiter Doctores D. Thom. *in* 4. *distinct.* 45. *quæst.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. Durand. *quæst.* 1. *num.* 6. Paludan. *quæst.* 1. *art.* 2. *conclus.* 5. Sotus *quæst.* 2. *art.* 2. *conclus.* 4. Sylvester *verbo.* Missa 1. *quæst.* 8. Angelus *num.* 49. Armilla *n.* 38. Tabiena *num.* 56. D. Antonin. 3. *part. tit.* 32. *cap.* 2. *init.* Viguet. *cap.* 16. *Theolog. instit.* §. 3. *vers.* 12. Henriquez *lib.* 9. *de Missa, cap.* 16. *num.* 1. Couarruu. *in cap. Alma mater. part.* 1. §. 5. *num.* 11. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 21. *quæst.* 8. Bellarmin. *lib.* 2. *de Missa cap.* 7. Valent. *tom.* 4. *disput.* 6. *quæst.* 11. *punct.* 1. *quæstiunc.* 4. §. 24. Suarez *disput.* 78. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *Dico* 3. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 11. *nu.* 11. Reginald. *lib.* 29. *Praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 2. *num.* 153. Vasquez 3. *part. disput.* 227. *cap.* 5. *n.* 43. Granad. *controuer.* 6. *tractat.* 14. *disput.* 6. *num.* 5. Isambert. *quæst.* 83. *disput.* 7. *art.* 2. *proposit.* 5. Sylvius *art.* 1. *quæsito* 10. Præposit. *dub.* 12. *num.* 77. ver. *Dico* 11. Chellison. *dub.* 8. ver. *Dico* 7. Mercet. *dub.* 5. ver. *Respond.* 5. Caspensf. *part.* 2. *Cursus Theolog. tractat.* 23. *disp.* 1. *sect.* 4. *num.* 45. Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disp.* 2. *de sacrific. Missæ, difficult.* 5. ver. *Circa defunctos.* Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 5. Mæcat. *tom.* 3. *sum. disput.* 38. *de Eucharist. sect.* 1. *assert.* 3. Baunius *part.* 1. *Theolog. moral. tract.* 6. *quæst.* 6. vet. *Dico* 1. Matehin. *de sacrament. Ordin. tractat.* 3. *part.* 2. *cap.* 9. *num.* 5. Auctsa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 11. *init.* Lessius *ad* 3. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 9. *nu.* 49. Martinon. *de Eucharist. disp.* 39. *sect.* 3. *num.* 21. Amicus *part.* 7. *Curs. Theolog. disp.* 33. *sect.* 4. *num.* 104. Ludouicus à S. Ioann. *part.* 1. *sum. quæst.* 9. *de Eucharist. art.* 4. *dub.* 2. *difficult.* 6. Faustus *lib.* 2. *de Eucharist. quæst.* 88.

3 Ita etiam tradunt communiter Patres Cyprian. *lib.* 1. *epistol.* 9. Chrysost. *hom.* 3. *in epist. ad Philippens.* Tertullian. *lib. de corona milit. cap.* 3. Vbi habet oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Ambros. *lib.* 2. *epist.* 8. & *Orationib. de obitu Theodosij, Valentiniani, & Satyri.* Euseb. Cæsariens. *lib.* 4. *de Vita Constantin. cap.* 71. Epiphan. *in Compendiar. Doctrina.* Ephrem. *in suo testamento apud Surium. tom.* 1. August. *lib.* 9. *Confess. cap.* 12. & 14. & *epist.* 64. *ad Aurel.* & *De iure pro mortuis. cap.* 18. & *lib. de sanct. Virginit. cap* 45. & *lib. de Origine animæ, cap.* 9. & 12. & *in Enchirid. cap.* 110. & *tract.* 84. *in Ioan.* & *de ciuitate Dei lib.* 20. *cap.* 9. & insignis est locus Cyrilli Hierosolymitani *Catechesi* 5. ibi. *Maximum esse credimus animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius, & tremendi, quod in altari positum est, sacrificij.* & alia plura testimonia afferunt Pamelius *in Epistol.* 66. *Cyprian.* & *in cap.* 3. *Tertul. de corona militis,* & Garetius lib. cui titulus, *Mortuos iuuari sanctorum precibus.* Ex quibus constat per omnes status fuisse communem sensum Patrum, quod offeratur sacrificium pro mortuis; & intelligunt de sacrificio propriè dicto, non autem de sacrificio orationum. Quia Cyprian. dicit offerri sacrificium in Altari. Sicut etiam Cyrillus; & distinguunt orationes, & eleemosynas à sacrificio, vt Augustino, & ex contextu constat loqui de vero sacrificio, quam vocant sacrificium corporis, & sanguinis Domini. Vnde ex his testimoniis habetur praxis Ecclesiæ, continuata per tot sæcula offendi sacrificium pro mortuis, quæ sola posset, sufficere ad stabiliendam hanc veritatem.

Resp. Chemnitius. In Missa consueuisse fieri commemorationem coronatorum, non vt oblatio esset pro ipsis propitiatoria, sed vt profiteretur communio sanctorum, & quod tàm viui, quam mortui pertineant ad corpus Christi & Ecclesiæ. Sed hoc facile redarguitur, si Patrum sententiæ considerentur, nam aliqui dicunt, sacrificium Missæ esse propitiationem pro defunctis, vt August. *cap.* 110. *Enchiridij.* propitiatio autem importat relaxationem pœnæ. Alij verò, vt Chrysost. Cyrill. Ambros. dicunt, sacrificium prodesse defunctis. Et proinde non continere nudam commemorationem. Accedit etiam, quod etiam beati pertinent ad idem corpus Ecclesiæ, & fit in Missa ipsorum commemoratio, & tamen distinguunt Patres, quod de his fit commemoratio, vt ipsi nobis prosint orando Deum; de non beatis autem fit commemoratio vt orando Deum pro ipsis, & vt sacrificium iis prosit. Quæ sane diuersitas declarat, quod sacrificium in eorumdem iuuamen, & subleuamentum offeratur. 4

Præterea ex variis Concil. diuersis in locis celebratis, & diuersis temporibus, in quibus fit mentio de oblatione sacrificij pro mortuis conuinecitur, quod hæc praxis fuerit vniuersalis in tota Ecclesia, & viguerit in quocumque tempore, quod etiam desumitur ex citatis Patribus, nam floruerunt diuersis temporibus, & in diuersis partibus Ecclesiæ. Concilia autem sunt Carthaginense III. in Africa celebratum *cap.* 29. & Carthaginense IV. *cap.* 79. Bracarense I. celebratum in Hispania *cap.* 34. & 39. Vormatiense celebratum in Gallia & relatum in cap. *Visum est. de consecrat. distinct.* 1. & Concilium 6. sub Symmacho celebratum in Italia & in aliis quoque Conciliis alia habentur, ex quibus eadem praxis desumitur. 5

Denique quod non possit offerri sacrificium pro defunctis, damnatum est in Concilio Tridentino: *sess.* 22. *can.* 3. his verbis. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in Cruce peracti: non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro viuis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.* Et hoc etiam antea damnatum fuerat ab Ecclesia in Aërio vt desumitur ex Damasceno *lib. de centum Hæresibus,* ibi. *Negat Aërius quicquam pro mortuis esse offerendum.* Epiphan. *in Anacephalæosi.* vbi habet. *Aërius multa contra Ecclesiam docuit, fide quidem existens Arianus perfectissimus; verum amplius docet, non oportere offerre pro iis, qui obdormierint* August. *de Hæresib. cap.* 53. Inter dogmata Aëtij ponit, *Non oportere orare, vel offerre pro mortuis oblationem,* Ex quibus constat, quod non solum negabat, 6

esse

esse fundendas orationes pro mortuis, sed etiam non esse offerendum sacrificium.

7 Hæc autem veritas confirm. ex *cap.* 12. *lib.* 2. Machab. vbi Iudas Machabæus iussit offerri sacrificium pro peccatis mortuorum. Quod factum approbatur à scriptura, dum subdit. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis absoluantur. Vbi cum declaret, hoc prouenire ex sacta cogitatione, fit, quod sit ex speciali motione Dei, quæ concurrit ad sanctas cogitationes, atque adeò, quod sit opus virtutis inspiratum à Deo.

8 Tam euidenti testimonio non possunt alio modo Hæretici occurrere, quam negando, libros Machabæorum esse canonicos. Verum impudenter agunt, cum semper ab Ecclesia habiti sint pro canonicis, vt constat ex Cypriano *lib.* 1. *epist.* 3. & *de exhortatione martyrij cap.* 3. Ambrosio *lib.* 2. *de Iacob. cap.* 10. & *sequent.* Nazianzeno *orat. de Machab.* Isidoro *lib.* 6. *Etymolog. cap.* 1. August. *lib.* 18. *de Ciuit. Dei, cap.* 36. & *lib.* 2. *cap.* 23. *contra epist. Gaudent.* & *lib.* 1. *de Morib. Eccles. cap.* 23. & *de Cura pro mortuis. c.* 1. Nec obstat, Quod Auctor in fine veniam petat, & proinde quod humano more scripserit; nam non petit veniam, quasi dubitauerit de veritate eorum, scripsit, sed solum quoad ea, quæ pertinent ad stylum, & modum scribendi; nam Spiritus sanctus solum assistit canonicis scriptoribus quoad veritatem dicendam, & quod ita scribant, vt non inducant in errorem, modum autem scribendi, & stylum relinquit eorumdem ingenio, & proinde quoad hunc eminet in ipsis notabilis diuersitas.

9 Confirm. Nam praxis offerendi sacrificium pro mortuis originem ducit ab Apostolis, & proinde pertinet ab Apostolicam traditionem, vt habet Chrysostom. *hom.* 69. *ad populum Antiochen.* & *homil.* 3. *in Epist. ad Philippens.* Damascenus citans Nyssen. *in Orat. pro Defunctis.* Isidor. *lib.* 1. *de diuin. offic. cap.* 18. & constat etiam ex *Lyturgia* Iacobi Apostoli. Nec obstat, quod D. Gregor. dicat, quod Apostoli adhiberent pro precibus solam orationem Dominicam in Missa, quia ex hoc solum fit, quod non recitarent orationes speciales pro mortuis, non autem quod non obtulerint pro ipsis sacrificium, nam pro hoc non requirebantur speciales preces, sed sufficiebat sola intentio. Deinde non semper ita offerebant sacrificium, siquidem adest Lyturgia Iacobi Apostoli cum pluribus precibus. Vnde solum quando cito erat expedienda Missa vti debebant sola oratione Dominica; cum est verisimile, quod non saltem ex parte semper fuerit adhibitus.

10 Confirm. 2. sacrificium Missæ tanquam applicatiuum sacrificij Crucis, & virtutis ipsius est satisfactorium pro iis omnibus pro quibus oblatum est sacrificium Crucis: ergo etiam pro existentibus in Purgatorio. Anteced. constat, quia cum sacrificium Crucis fuerit satisfactorium pro peccatis generis humani, & pœnis debitis, eo ipso, quod applicatur alicui applicatur etiam satisfactio ipsius; vnde cum per sacrificium Missæ applicetur virtus sacrificij Crucis, applicatur etiam satisfactio. Conseq. prob. Pro existentibus in Purgatorio est oblatum sacrificium Crucis, & ex vi ipsius fuerunt liberati à peccato, & obtinuerunt perseuerantiam, & possunt constituti in statu salutis, & solum remanet ipsis aliquid satisfaciendum pro peccatis: ergo cum sint capaces effectus sacrificij Crucis, siquidem habet vim vsque ad perducendos homines ad gloriam, poterit ipsis applicare sacrificium Missæ in ordine ad satisfaciendum Deo pro pœnis debitis.

11 . Quod amplius est verum quia sunt membra corporis, cuius Christus est caput, & nondum peruenerunt ad Ecclesiam triumphantem, sed sunt in statu purgationis, & ideò adhuc pertinent aliquo modo ad Ecclesiam militantem, quatenus debent soluere debita, quæ contraxerunt in Ecclesia militante: ergo cum tanquam membra sint capaces influxus capitis Christi iuxta mensuram sui status, erunt capaces satisfactionis prouenientis ex sacrificio. Et cum agatur de debito contracto intra Ecclesiam militantem, poterit se intromittere ad soluendum debitum tanquam à suis contractum offerendo sacrificium.

Ad fundamentum Hæreticorum respon. Quod quando Christus dixit, *Accipite, & manducate*, non loquutus est de oblatione sacrificij, sed de participatione rei oblatæ, seu victimæ, atque adeò de participatione sacramenti, quod est quid diuersum. Non est autem necesse quod quis sit particeps sacramenti, vt etiam sit particeps fructus sacrificij, nam etiam offertur pro absentibus, qui nullo pacto de re oblata participare possunt. 12

QVÆSTIO 155.

An omnes existentes in Purgatorio sint capaces effectus sacrificij Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Nemo existens in Purgatorio excludendus à participatione sacrificij.*
2. *Omnes existentes in Purgatorio an capaces sacrificij.* & num. seq.
4. *Quisquis existens in Purgatorio iuuari potest sacrificio.*
5. *Sacrificium communicat suos effectus independenter à meritis.*
6. *Existentes in Purgatorio sunt omnes membra vnita capiti, & ideo participare possunt influxus sacrificij.*
7. *Quid voluerit D. Augustin. dicens sacrificium non prodesse omnibus defunctis.*
8. *Fructus sacrificij quoad defunctos non est præmium accidentale.*

NVllum esse excludendum à participatione sacrificij Missæ de iis, qui in Purgatorio existunt, pro certo habendum est, quia dato, quod alicui non esset profuturum, nescimus tamen, quinam sit iste. Vnde solum videndum est, an omnes sint capaces effectus sacrificij, itavt ipsis prosit, si offeratur. Negatiuam sententiam tradit Caiet. *tom.* 1. *opuscul. tract.* 16. *quæst.* 5. vet. *Quoad tertium.* asserens, quod iis tantum prodest, qui meruerunt, dum viuerent, vt sibi talia suffragia prodessent: & illos hoc mereri, qui habuerunt specialem deuotionem ad claues Ecclesiæ, & solliciti fuerunt ad satisfaciendum pro suis peccatis, & ad suffragandum defunctis. Citat. D. Thom. 3. *part. quæst.* 52. *art.* 8. *ad* 1. vbi ait, quod Christus descendens ad inferos, illas tantum animas Purgatorij liberauit, quæ sufficienter purgatæ erant, vel dum viuerent, per fidem, & deuotionem ad mortem Christi meruerunt, vt eo descendente à morte liberarentur. 1

Prob. ex D. August. *De cura pro mortuis. cap. vlt.* vbi habet, *quamuis non pro quibus fiunt, omnibus prosint, sed his tantum, quibus, dum viuunt, comparatur, vt prosint.* & in Enchirid. cap. 109. *Sed hæc eis prosunt, qui cum viuerent, vt hæc sibi posteà possent prodesse meruerunt.* Secundò. Pœnæ temporalis remissio, quæ est effectus sacrificij pertinet solum ad meritum accidentale: ergo non omnes, qui in gratia 2

 moriuntur

moriuntur eò, quod meruerint præmium essentiale, meruerunt etiam, quod sacrificium sibi prosit.

3 Communis tamen sententia tenet, quod prosit omnibus pro quibus offertur. Ita Sotus *in 4. dist.* 21. *quæst.* 2. *art.* 3. *conclus.* 3 *in fine*. Henriquez *lib.* 7. *de Indulgent. cap.* 16. *num.* 2. & *lib.* 9. *de Missa, cap.* 16. *num.* 1. *in fine*. Corduba *lib.* 5. *de Indulgent. quæst.* 30. *ad* 1. Bellarmin. *lib.* 2. *de Purgat. cap.* 18. *in fine*. & alij communiter in materia de suffragiis.

4 Dicendum est. *Sacrificium prodesse vnicuique existenti in Purgatorio, si pro ipso offeratur.* Desumitur ex Concilio Tridentino *sess.* 22. *cap.* 2. *in fine*. vbi tradit offerri hoc sacrificium. *Pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis.* Vbi cum indefinite loquatur in materia dogmatica, eius propositio æquiualet vniuersali, & proinde offerri poterit, itavt prosit, pro omnibus existentibus in Purgatorio, siquidem non sunt ad plenum purgatis.

5 Prob. Omnes existentes in Purgatorio sunt capaces, quantum est ratione status, fructus sacrificij Missæ: ergo omnes, pro quibus offertur, ipsum percipiunt. Anteced. constat. Quia, cum omnes sint in eodem statu, si aliqui sunt capaces, debent omnes habere eamdem capacitatem, quæ conuenit tali statui. Conseq. prob. Sacrificium communicat suos effectus independenter à meritis, vnde offertur pro peccatoribus, qui nullum habent meritum apud Deum, & illius *Oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pænitentia concedens crimina, & peccata etiam ingentia dimittit*, vt habet Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 2. nec potuerunt sibi mereri applicatione fructus sacrificij, qui non potuerunt sibi mereri reparationem à lapsu, neque primam gratiam in ordine ad ipsam: ergo etiam existentibus in Purgatorio communicat suum fructum independenter ab ipsorum meritis, atque adeò non requiritur, quod, dum viuerent, meruerint sibi applicari fructum.

6 Confirm. Sunt membra Christi viua quotquot existunt in Purgatorio: ergo participare possunt omnes influxus capitis, quoniam sunt capaces ratione status; siquidem ad participandos hos influxus nihil aliud requiritur, quàm vnio cum capite: ergo, si offeratur pro ipsis sacrificium, participabunt fructum ipsius, cum talis fructus sit quidam influxus capitis.

7 Ad 1. resp. D. August. in illis locis loqui de oblatione sacrificij pro omnibus defunctis indifferenter sicuti offerri solet, & dicere; quod non omnibus prodest, quia non prodest, damnatis, sed iis tantum qui meruerunt, dum viuerent, vt sibi prodesset. Secundum autem D. August. illi hoc meruerunt, qui obseruando præcepta decesserunt in gratia. Et proinde: *De cura pro mortuis*, illo *cap. vlt.* post verba, *num.* 2. allata subdit. *Sed quia non discernimus, qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorum prætermittatur ad quos hæc beneficia possint, & debeant peruenire.* Neque D. Thom. fauet sententiæ Caietani, nam non loquitur de oblatione sacrificij, seu suffragiis, sed de speciali gratia facta à Christo, quando descendit ad inferos intuitu fidei, & deuotionis in suam passionem.

8 Ad 2. Falsum supponere, quod fructus sacrificij communicetur ex meritis, vt constat ex dictis: & proinde non est præmium accidentale, nec requirit præuium meritum in hac vita. Sed sicut Christus pro nobis gratis mortuus est, ita etiam instituit sacrificium, quod gratis communicaret nobis suos fructus.

QVÆSTIO 156.

An pro damnatis offerri possit sacrificium Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Errores circa oblationem sacrificij pro damnatis.* & num. seqq.
5. *Sacrificium non potest offerri pro damnatis.*
6. *Vnde hoc desumatur.*
7. *Damnati non possunt participare influxus capitis Christi.*
8. *Damnati sunt incapaces remissionis peccati.*
9. *Quid velit August. dicens sacrificium reddere damnationem tolerabiliorem.*
10. *Quid intendat Ecclesia orans defunctos liberari à pœnis inferni.* & num. seq.
12. *Quid sentiendum de Historia S. Macharij.*
13. *Sacrificium offerri potest pro cæsis ob peccata in bello.*
14. *Pro sepulto in sterquilinio D. Gregor. iussit offerri sacrificium.*
15. *An Traianus, & Falconilla fuerint liberati ab inferno.*
16. *Quid dicendum de reuelatione S. Brigittæ circa liberationem Traiani ab inferno.*
17. *Si fuit liberatus oportet, quod non fuerit damnatus.*

Circa hoc referuntur nonnulli errores à Doctoribus præsertim D. Thom. infra citando. Primus autem error fuit Præpositiui *in Compend. Theologiæ*, qui volebat, posse offerri sacrificium, & posse oblationem adeò multiplicari, vt à tota pœna liberarentur non absolutè, sed solum vsque ad diem Iudicij: & tum reassumptis corporibus de nouo æterno supplicio afficiendos. 1

Secundus error est Glossæ *in Cap. Tempus. verbo.* Pro valdè 13. *quæst.* 2. vbi vult, quod sacrificium iis prosit, qui sunt damnati ob crimina non ingentia, & proinde sunt mediocriter mali; non quidem in ordine ad liberationem, sed vt leuius puniantur. Et idem etiam sensit Gilbertus Portectanus *in Theologicis quæstionib.* 2

Tertius error fuit Altisiodorensis *in sum. Theolog in fine.* Asserentis, sacrificia prodesse damnatis non ad diminutionem, aut interruptionem pœnæ, sed ad confortationem patientiæ, sicuti si ferenti pondus, quo valdè grauaretur, inspergeretur aqua in faciem ad eum confortandum. 3

Rupertus verò Linconiensis docet *in summa Theologia*, oblationem sacrificij, & alia suffragia prodesse damnatis, non positiuè quasi minuant, aut interrumpant pœnas, sed negatiuè, quatenus subtrahitur aliqua materia doloris, quæ eis offerretur, si viderent viuos non esse memores sui, nec curare, vt illis prodessent. Verum hoc non est prodesse defunctis damnatis, neque sacrificium habere vim aliquam in ordine ad ipsos, seu solum à viuentibus non subministrari aliquam occasionem doloris, sicut etiam in qualibet materia alia posset, & non posset subministrari, si conscij essent eorum, quæ apud non aguntur; quod tamen communiter à Patribus, & Theologis non admittitur. 4

Communis tamen, & certa sententia est, quod Missæ sacrificium nihil prorsus prosit damnatis, nec ipsis offerri possit. Ita D. Thom. *in 4. distinct.* 45. *quæst.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. Durand. *quæst.* 2. *num.* 10. Palud. *quæst.* 1. *art.* 2. *conclus.* 4. Sotus *quæst.* 2. *art.* 2. *conclus.* 1. 5

conclus. 1. Nauat. *de orat. cap.* 19. *conclus.* 5. *num.* 64. D. Antonin. 3. *part. tit.* 31. *cap.* 1. §. 1. Corduba *lib.* 1. *quaest.* 51. *proposit.* 6. Medina *Cod. de orat. quaest.* 19. §. *Verum.* Valent. *tom.* 4. *disput.* 11. *quaest.* 1. *punct.* 3. *in fine.* Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 22. *quaest.* 6. Henriquez *lib.* 9. *de Missa*, *cap.* 16. *num.* 2. Suarez *disput.* 78. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *Dico* 1. Reginaldus *lib.* 29. *Praxis fori poenit. cap.* 9. *sect.* 1. *num.* 153. Vasquez 3. *part. disp.* a 17. *cap.* 6. *n.* 33. Granad. *controuer.* 6. *tract.* 14. *disp.* 6. *num.* 5. Sylnius *quaest.* 83. *artic.* 1. *quaesito* 5. Chellison. *dub.* 8. ver. *Dico* 8. Praepos. *dub.* 12. *n.* 77. Mercer. *dub.* 5. ver. *Respon. quarto.* Baunius *part.* 1. *Theolog. moral. art.* 6. *quaest.* 6. ver. *Dico* 1. Maerat. *tom.* 3. *sum. disp.* 38. *de Euchar. sect.* 2. *assert.* 5. Tanner. *tom.* 4. *disp.* 5. *quaest.* 9. *dub.* 4. *num.* 8. ver. *Pro damnatis* Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disput.* 2. *de sacrific. Miss. difficult.* 5. Ledesma *part.* 1. *sum. tractat. de Eucharist. cap.* 17. *conclus.* 19. Faustus *lib.* 2. *de Eucharist. quaest.* 93. Isambert. 3. *part. quaest.* 83. *disputat.* 7. *disput.* 3. *art.* 2. *proposit.* 5. Ludouic. à S. Ioan. *part.* 1. *sum. quaest.* 9. *de Eucharist. art.* 4. *dub.* 2. *difficult.* 4. Amicus *tom.* 7. *Curs. Theol. disput.* 33. *sect.* 4. *n.* 106. Bellarmin. *lib.* 2. *de Missa cap.* 6. Auersa *quaest.* 11. *de sacrific. Missae, sect.* 11. vet. *Secundò.* Lessius 3. *parte quaest.* 83. *art.* 1. *dub.* 9. *num.* 47. Marchin. *de sacrament. Ordin. tractat.* 3. *part.* 2. *cap.* 9. *num.* 13.

6 Itaque tenendum est. *Sacrificium Missae nec prodesse, & offerri posse pro damnatis.* Ita in cap. *Pro obeuntibus* 13. *quaest.* 2. vbi de oblatione sacrificij sic habetur, *Congruit vt Sacerdos pro mortuis Catholicis memoriam faciat, & intercedat, non tamen pro impiis, quamuis Christiani fuerint tale quid agere licebit*, & ex Concil. Bracharen. I. in cap. *Placuit.* 23. *quaest.* 5. vbi prohibetur oblatio pro iis, qui sibi mortem intulerunt. Et traditur à D. August. *c.* 110. *Enchirid.* vbi habet. *Sacrificia altaris pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur. Pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valde malis propitiationes sunt; pro valde malis. & si nulla sint adiumenta mortuorum, qualescumque viuorum consolationes sunt.* Intelligit autem per non valdè malos eos, qui decesserunt cum solis peccatis venialibus, & debito poenae. Idem etiam tradunt D. Gregor. *lib.* 34. *moral. cap.* 16. *in fine.* & *lib.* 4. *Dialog. cap.* 44.

7 Ratio autem est. Quia non sunt damnati membra Christi neque actu, neque etiam potentia vnde non possunt participare influxus capitis Christi, neque quoad gratiam; neque quoad relaxationem poenae, sed sunt iam reiecti in aeternum à corpore mystico Christi. Vnde cum sacrificium sit efficax ratione sacrificij Crucis, atque adeò ratione capitis influentis, non potest extendere suos effectus nisi ad eos, qui aut vniti sunt capiti, aut possunt vniri.

8 Confirm. Poena non remittitur neque quoad partem, nisi dimittatur peccatum; nam quamdiu peccatum perseuerat, semper homo est dignus poena, & remanet debitum soluendi debitam poenam. Damnatis autem non remittuntur peccata: tum quia sunt in termino, itavt poenitentia non habeat locum; tum quia non potest remitti peccatum, nisi iustificentur, & fiant amici; sunt autem in statu perpetuae inimicitiae cum Deo, & ideò ita eos odio habet, itavt non velit amplius eos sibi reconciliare.

9 Obiicitur ex D. Augustino citato *cap.* 110. *Enchirid.* vbi loquens de iis, quibus oblatio sacrificij prodest, habet, *Quibus autem prosunt aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio, aut certè vt tolerabilior fiat ipsa damnatio.* Ergo prodest damnatis. Resp. neg. consequent. nam non loquitur de damnatione absoluta ad poenas inferni; sed de damnatione secundum quid ad poenas Purgatorij. Nam antea dixerat, quod valdè malis, hoc est mortuis in peccato mortali, nihil prodest. Existentibus ergo in Purgatorio prodest sacrificium, aut ad absolutam liberationem: aut vt poenae, ad quas sunt damnati, fiant tolerabiliores.

Obiicitur 2. In Missa pro defunctis in offertorio orat Ecclesia, *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum.* Ergo cum Ecclesia oret pro existentibus in inferno, debet sacrificium iis prodesse. Nam dici potest, quod oret pro agonizantibus, ne damnentur, & pro mortuis, vt liberentur à Purgatorio, quod dicitur Tartarus, quia imitatur infernum, sicuti dicunt Sotus *in* 4. *dist.* 45. *quaest.* 2. *art.* 2. *conclus.* 1. *ad* 2. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 22. *quaest.* 8. Henriquez *lib.* 9. *de Missa*, *cap.* 16. *num.* 3. Nam oratio est coarctata ad animas defunctorum, vnde non potest accommodari agonizantibus, & orat, vt liberentur à poenis inferni, & ne Tartarus eas absorbeat. Quae autem sunt in Purgatorio iam absorptae sunt ab illo. 10

Resp. ergo. Ecclesiam in illa oratione duo petere etiam vt animae defunctorum liberentur à poenis inferni, & vt perducantur ad gloriam, vt constat ex illis verbis: *Sed signifer sanctus Michaël repraesentet eas in lucem sanctam.* Et rursus. *Fac eas Domine de morte transire ad vitam, &c.* Et ideò in illa oratione non considerat statum animarum, in quo de praesenti sunt, sed repraesentat exitum illarum è corpore, & tanquam sisterentur tunc ante tribunal Dei precatur, vt liberentur à poenis inferni praeseruatiuè, hoc est, ne damnentur, sed perducantur in Paradisum; & ideò cum primum sit iam factum, ordinatur oratio ad obtinendum secundum, atque adeò liberationem à poenis Purgatorij. 11

Obiicitur 3. historia S. Machatij de qua apud D. Damascen. *serm.* 5. *de Defunctis*, & apud Meneos Graecorum 19. *Ianuarij*, apud Ruffinum, *lib.* 3. *de viris Patrum. num.* 172. apud Ioan. Diacon. *lib.* 6. *de vitis PP. lib.* 3. *num.* 16. Nam cum percunctaremur quemdam Granium idolatram, an eis prodessent preces viuentium, respondit Orauius. Quando pro mortuis offers preces, nos interim aliquid lenimenti sentimos. Bellarmin. *lib.* 2. *de Purgatorio, cap.* 18. *ad* 4. Valent. *tom.* 4. *disputat.* 11. *quaest.* 1. *punct.* 3. *in fine.* censent historiam esse apochripham, quia refertur ea historia Palladij ad Lausum, & tamen apud ipsum non inuenitur. D. autem Thomas *in* 4. *distinct.* 45. *quaest.* 2. *art.* 2. *quaestiunc.* 1. *ad* 4. respondet, illud lenimentum non esse diminutionem poenarum, sed solum, quod eo orante concedebatur eis, vt mutuò se viderent, quod erat aliquale gaudium, quale potest esse in damnatis. Verum sicut damnati sunt inimici Dei irreconciliabiliter, ita nec mihi dicendum videtur, quod preces possint pro ipsis aliquid à Deo impetrare, & sicuti est omnino illicitum pro iis orare, ita nec etiam potest dici, quod Deus intuitu talium precum aliquid concedat; nam si concederet, essent licitae preces, cum licitè petatur à Deo, quod ipse facit intuitu precum. Itaque probabilius est historiam esse apochripham, nec obstat, quod apud plures reperiatur, quia sufficit, si semel aliquis eam scripserit, vt postea alij quoque eam transcriberent absque examine veritatis. 12

Obiicitur 4. ex 2. Machab. 12. Iudas obtulit sacrificia pro iis, qui in bello perierant, & tamen ibid. dicitur fuisse caecos ab hostibus ob sua peccata; & proinde erant damnati. Resp. Non esse necesse, quod mortui sint in peccato mortali, vt interfectio 13

fectio esset pœna peccatorum, nam potuit Deus saltem aliquibus reseruare pœnam dimissa culpa, & cum Iudas nesciret, quinam salui essent, pro omnibus obtulit.

14 Obiicitur 5. ex D. Gregorio Papa *lib. 4. Dialog. cap. 55.* vbi refert, quendam religiosum ob furtum pecuniæ, & proprietatis vitium fuisse sepultum in sterquilinio, & tamen D. Gregor. præcepit pro ipso offerri sacrificium. Resp. Egisse pœnitentiam, antequam moreretur, & solum sepultus est in sterquilinio ob terrorem cæterorum, cum illis verbis, *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, ad significandum, quod peccatum erat dignum æterna punitione.

15 Obiicitur 6. ex D. Ioan. Damascen. qui *Oratione de mortuis* refert, Falconillam liberatam ab inferno oratione S. Techlæ, & animam Traiani Imperatoris liberatam ab inferno precibus B. Gregorij Papæ. & Ioan. Diaconus in vita S. Gregor. refert, hanc historiam fuisse repertam in quadam Ecclesia Anglorum. Resp. Quamplures censere, historiam esse apochripham, & esse fabulam. Ita Baron. *tom. 2. Annal. & ad Martyrolog. Roman. 23. Ianuarij.* Bellarmin. *lib. 2. de purgat. cap. 8. & 18.* Ioan. Diaconus *lib. 2. vita D. Gregor. cap. 44.* asserens Ecclesiam Romanam nunquam recepisse hanc historiam. Victoria *in sum. quæst. 123.* Valent. *tom. 4. disput. 11. quæst. 1. punct. 2.* Sotus *in 4. distinct. 45. quæst. 2. art. 2.* Canus *lib. 11. de locis. cap. 2.* Tanner. *tom. 4. disput. 5. quæst. 9. dub. 4. num.* 88. Granad. *3. part. controuer. 13. part. 1. tract. 3. disp. 4. num. 13.* Et fundantur in eo, quod idem D. Gregor. *lib. 4. Dialog. cap.* 44. apertè habet non esse orandum pro damnatis ob eam caussam, ob quam non oratur pro Diabolo. Secundo. Quia hæc historia non reperitur in vita D. Gregor. scripta à Ioanne Diacono, & Petro Diacono iuxta codices Vaticanos. Tertiò. Quia illa oratio, seu sermo non est D. Ioan. Damasceni, sed supposititius, cum contineatur in illo sermone, animas omnium, qui sine fide obierunt, qui aliis virtutibus præditi fuerant, liberatas fuisse ab inferno, quando Christus eò descendit. Quartò. Quia nullus auctor Latinus meminit huius historiæ & tamen apud Latinos dicitur contigisse.

16 Nec obstat reuelatio facta D. Brigittæ, de qua *lib. 4. reuelat. cap. 13.* Quod scilicet anima Traiani precibus D. Gregor. in sublimem gradum erecta sit. Nam hæc quoque reuelatio est supposititia, & illi contrariatur reuelatio S. Methildis *lib. 5. cap. 6.* vbi Dominus dicit. Quid ego statuerim mea liberalitate, de anima Traiani, nolo vt homines sciant, *Vt fides Catholica magis augeatur, quamuis enim iste fuerit omnibus virtutibus plenus, fuit tamen infidelis baptismate carens.* Et huic reuelationi obstat, quod non apparet, quomodo conducat ad augendam fidem Catholicam, quod ignoretur, vbi sit anima Traiani, & quod ex historicis prophanis habeatur, Traianum fuisse hominem vitiosum Sodomitam, vt notat Baron. *tom. 2. annal. anno......* Denique cum habeamus regulam certam de fide, quod, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu-sancto, non potest introire in regnum Dei*, non possumus asserere, aliquem sine baptismo esse saluatum.

17 Si tamen quis velit admittere historiam ex suppositione, quod sit vera, vt admittit D. *in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad 5.* dicendum est, aut Traianum non fuisse ad infernum damnatum, sed fuisse suspensam sententiam, aut ex aliqua extraordinaria dispensatione liberatum, & D. Gregor. ex speciali instinctu Spiritus sancti pro ipso orasse, quæ an probabilia sint, quisque consideret.

QVÆSTIO 157.

An sit peccatum mortale offerre sacrificium pro damnatis.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium offerre pro damnatis est peccatum mortale.*
2. *Damnati omnino expertes diuinæ misericordiæ.*
3. *Redemptio Christi non proficit damnatis.*
4. *Offerens pro damnatis excederet terminos proprij officij.*
5. *Quando non possit offerri pro eo quem constat obiisse in mortali.*
6. *Quid si non exhibuit signa pœnitentiæ.*
   In articulo mortis quisque præsumitur memor propriæ salutis.
7. *Quando liceat, aut non liceat offerre sacrificium pro iis, qui sibi mortem consciuerunt.*
   Non debet quis damnari, nisi probationes sint clarissimæ.

Dicendum est. *Esse peccatum mortale offerre sacrificium pro damnatis.* Ita specialiter Faustus *lib. 2. de Eucharist. quæst. 94.* Et ratio est. Quia id prohibetur in iure cap. *Pro obeuntibus. 13. quæst. 2.* & cap. *Placuit. 23. quæst. 5.* & cap. *Quicunque.* & esp. *Audiuimus. de reliquiis, & venerat. Sanctor.* Vnde cum prohibitio sit in materia graui obligabit sub peccato mortali. 1

Accedit etiam, quod iuxta Dei dispositionem statutum est, quod damnati præter consecrationem, quæ confert ipsis ad pœnam, nullum recipiant à Deo beneficium, & sint omnino expertes diuinæ misericordiæ; & qui pro ipsis offerret sacrificium, niteretur contra Dei voluntatem, & violaret legem ipsius, qua statuit, non esse implorandam suam misericordiam pro damnatis. 2

Confirm. 2. Redemptio Christi non se extendit ad damnatos, quia per finalem sententiam exclusi sunt ab vlteriori participatione ipsius: ergo cum sacrificium Missæ, & fructus ipsius sint effectus redemptionis, non potest se extendere, ad quos non se extendit redemptio. Et ideò sicuti offerens pro damnatis extenderet, ita violaret diuinam legem, & dispositionem. 3

Dicendum 2. *Non solùm ratione prohibitionis peccaret, qui offerret pro damnatis sacrificium, sed etiam quia excederet terminos proprij officij, & ideò ex hoc quoque capite nulliter ageret.* Ratio est. Quia in oblatione sacrificij Christus est principalis offerens vtens ad offerendum ministerio Sacerdotum, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 2.* Ergo Sacerdos tanquam minister Christi debet habere suam intentionem subordinatam intentioni Christi, cum offerat nomine ipsius, non autem nomine proprio: ergo non potest offerre, nisi pro iis, pro quibus Christus instituit offerendum: & si offerat excedet limites suæ facultatis, neque se habebit in offerendo vt minister Christi offerens in persona ipsius, & proinde nulliter offeret. Non instituit autem Christus sacrificium pro damnatis. 4

Ex dictis colligitur. Non posse offerri sacrificium pro eo, quem constat obiisse in peccato mortali, & proinde esse in statu damnationis, nam, si quis offerret mortaliter peccaret. Debet tamen notorium esse, quod decesserit in peccato mortali, ita vt eius damnatio sit moraliter certa. Nam si aliquo modo dubia est, & proinde adsit aliqua probabilitas, quod pœnituerit, poterit pro ipso offerri. Imò non erit priuandus communibus, & debitis suffragiis, quia tanquam 5

Christianus

Christianus habet ius certum ex ipsa, quo non potest priuati, nisi ex morali certitudine de damnatione. Et ideò, si instituisset Capellaniam; esset celebrandum pro ipso, quia habet ius ad ipsam celebrationem, quo non deberet priuari, nisi eius damnatio esset; moraliter certa. Ex quo fit quod non sufficiat, aliquem vixisse in continuo peccato mortali, nisi etiam constet, quod moriturus non exhibuerit signa pœnitentiæ, sed obstinatus in peccato decesserit.

6 Imò licet extrinsecus non exhibeantur signa pœnitentiæ, dummodo tamen non constet de obstinatione, quamuis in peccato fuerint vsque ad mortem vt cum quis deprehensus in adulterio interficitur, sicuti non denegatur Ecclesiastica sepultura, ita nec etiam suffragia sunt deneganda, & proinde nec oblatio sacrificij. Quia in illo articulo præsumitur quisque memor propriæ salutis, atque adeò concipere dolorem de peccatis, & conteri iuxta ea, quæ tradunt Couarruu. *lib. 2 variar. cap. 1. num.* 11. Nauar. *Concil.* 4. *& 6. de sepult. lib.* 3. Gutierrez *lib. 1. quæst. canon. cap.* 7. Gomez *tom. 3. variar. cap. vlt. num.* 8. Petrus Nauar. *lib. 2. de restit. cap. 3. num.* 30. Plaza *in Epitome delict. lib. 1. cap. 23. num.* 9. Roman. *singul.* 264. Rodriguez *part. 2. sum. cap.* 71. Lopez *part. 1. instr. cap. 6. & part. 1. cap. 31. quæst.* 1. Cenedo *collect.* 13. *num.* 3. Vega 2. *part. sum. cap.* 120. *casu* 1. Pauin. *de visit. part. 2. quæst. 2. n.* 57. Villalob. *part. 2. sum. tract.* 31. *difficult. 3. num.* 5. Ioan. Sanchez *in select. de sacrament. disput. 36. num.* 4. Hurtad. *de Fide, Spe, & Charit. disput. 76. sect. 1. §.* 121.

7 Colligitur 2. Quando liceat, aut non liceat offerre sacrificium pro iis, qui sibi sponte mortem consciuere. Vt enim iis denegetur oblatio sacrificij, & Ecclesiastica sepultura, debet constare, quod voluntariè, & liberè, atque adeò, dum erant sui compotes mortem sibi consciuerunt. Quia text. cap. *Placuit* 23. *quæst.* 5. prohibens Ecclesiasticam sepulturam, & suffragia iis impertiri iis, qui se occidunt, procedit de voluntariè se occidentibus, vnde vtitur verbo voluntariè. Non se occidit autem voluntariè, qui non est sui compos, nec ipsi imputatur ad culpam, quod facit cap. *Nec iis*, 15. *quæst.* 1. Et ideò si adsit aliqua coniectura, quod qui se occidit, non erat compos sui, non erit priuandus Ecclesiastica sepultura, & suffragiis, iuxta ea, quæ tradunt Gloss. *in dictum cap. Placuit. verbo* Voluntariè. 23. *quæst.* 5. Couarruu. *cap. 1. variar. num. 11. vbi citat. Socin. consil. 5. lib.* 1. Villalob. *part. 2. sum. tract. 31. difficult. 3. num.* 4. Et ratio est, quia sumus in criminalibus, & pœnalibus, & non debet quis condemnari, nisi probationes sint clarissimæ c. *Sciant cuncti.* 11. *quæst. vlt. & l. Sciant cuncti. ff. de probat.* Quando autem non constat de desperatione, adest sufficiens motiuum iudicandi, quod se occidens non fuerit compos; nam stante maximo appetitu naturali propriæ conseruationis, non potest quis ire contra ipsum; nisi aut defectu iudicij putet sibi explicitè se occidere, aut desperatio sit tam vehemens, vt vincat naturalem appetitum viuendi.

QVÆSTIO 158.

An pro paruulis decedentibus sine baptismo possit offerri sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium non potest offerri pro paruulis decedentibus sine baptismo.*
2. *Paruuli decedentes sine baptismo non possunt percipere fructum ex sacrificio.*
3. *Sacrificium quatenus prosit defunctis.*
4. *Sacrificium offerri potest pro decedente sine baptismo, si ad vsum rationis peruenerit, & sit ex solitis baptizari.*

Dicendum est. *Sacrificium Missæ, non posse offerri pro paruulis decedentibus sine baptismo.* Ita communiter D. Thom. *in 4. distinct. 45. quæst. 2. art. 2. quæstiunc.* 3. Paludan. *quæst. 1. art. 2. conclus.* 1. Sotus *quæst. 2. art. 2. conclus.* 2. Henriquez *lib. 9. de Missa, cap. 16. num.* 2. Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 22. quæst.* 7. Bellarmin. *lib. 2. de Purgat. cap. 18. difficult. 2. ad vltim.* Facundez *præcept. 1. lib. 3. cap. 11. num.* 5. Marchin. *de sacrament. Ordin. tractat. 3. part. 2. cap. 9. num.* 15. Caspens. *part. 2. Curs. Theolog. tract. 23. disput. 1. sect. 4. num.* 44. Hambert. 3. *part. quæst. 83. disput. 7. art. 2. propos.* 5. Faustus *lib. 2. de Eucharist. quæst.* 92. Amicus *tom. 7. Curs. Theolog. disput. 33. sect. 4. num.* 106. Et est certum de fide. Vnde August. *de origine animæ, cap.* 11. habet. Salua fide Catholica, & Ecclesiastica regula concedi non posse, vt pro non baptizatis cuiusuis ætatis sint offeratur sacrificium corporis, & sanguinis Christi Domini. Et *cap.* 12. inquit, *Noli credere, nec dicere, nec docere, sacrificium Christianorum pro iis, qui non baptizati de corpore exierunt, offerendum, si vis esse Catholicus.* Loquitur autem de iis, qui cum originali peccato mortui sunt, nam intendit ostendere, sacrificium non posse purgare animas ab originali. 1

Ratio est. Quia non potest offerri neque tanquam propitiatorium, neque tanquam impetratorium. Non tanquam propitiatorium, siue in ordine ad pœnam, siue in ordine ad culpam, quia non habet vim sed delendum peccatum originale, & consequenter neque ad delendam pœnam debitam propter ipsum, nam per solum baptismum siue in re, siue in voto deleri potest originale; & pœna non potest remitti, nisi deleto peccato. Non tanquam impetratorium, nam impetratio non habet locum, nisi quoad eos qui sunt membra Christi, vel fieri possunt membra Christi, siquidem influxus capitis non se extendit, nisi ad membra, aut ad ea vnienda corpori, & viuificanda. Tales autem non sunt animæ decedentium cum originali. 2

Confirm. In tantum sacrificium prodesse potest defunctis, in quantum fuerunt membra vnita Christo, & receperunt ab ipso influxus in ordine ad salutem, ex quo fit, quod possit continuari vsque ad totalem consequutionem salutis per ea media, quæ sunt à Christo instituta ad hunc effectum, quia eo ipso, quod decedunt, dum sunt membra Christi, pertinent ad ipsum quoad viuificationem perfectam, quæ per vitam beatam habetur. Qui autem decedunt cum peccato orginali nunquam fuerunt membra Christi, atque adeò non pertinent ad ipsum, nec admitti possunt ad participationem sacrificij. 3

Ex his colligitur, quod, si apud eos, qui consueuerunt baptizare solum, quando pueri peruenerunt ad rationis vsum, contingat, aliquem mori, antequam suscipiant baptismum, posse pro eo sacrificium offerri, si adfuerint aliqua signa vsus rationis. Nam cum fuerit educatus inter Christianos, & cũ proposito de eo baptizando pro tempore opportuno, probabile est, quod habuerit baptismum in voto, & per conuersionem ad Deum fuerit iustificatus; præsertim si iam cœperit instrui circa res fidei, nam ratione instructionis facile est, quod conceperit desiderium baptismi, & se ad Deum conuerterit cum displicentia peccati, prout est offensa ipsius. 4

QVÆSTIO 159.

An sacrificium Missæ offerri possit pro pueris baptizatis decedentibus ante vsum rationis.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium non potest offerri pro baptizatis decedentibus ante vsum rationis.*
2. *Quomodo aliquo modo offerri possit.*
3. *Non potest pro ipsis offerri directè vt impetratorium gloriæ accidentalis.*
4. *Missæ possunt celebrari pro paruulis decedentibus cum baptismo.*
5. *Non tamen de Requiem.*
An peccaret, qui de Requiem celebraret.

1 QVanta est certitudo, quod ritè susceperint baptismum, tanta est etiam, quod fruantur vita beata, cum per baptismum constituti sint in statu salutis, à quo decidere non poterunt, cùm non potuerint peccare. Ex quo certum fit, quod sacrificium Missæ, non possit offerri pro ipsis tanquam propitiatorium, cum non habeant peccatum, quod debeatur, nec debeant aliquam pœnam, quæ remittatur. Rursus etiam est certum, quod non potest offerri pro ipsis tanquam impetratorium in ordine ad gratiam, & gloriam, quia non potest in ipsis augeri, solum ergo difficultas est, an possit aliquo alio modo offerri.

2 Dicendum est. *Sacrificium Missæ posse offerri pro paruulis defunctis baptizatis tanquam Eucharisticum. seu in gratiarum actionem pro beneficiis ipsis collatis.* Ita D.Thom. *in* 4.*dist.*12.*quæst.*2.*art.*1. *quæstiunc.*2. *ad* 2.Paludan.*dist.* 45.*q.*1.*art.*2.*conclus.*3. Tabiena *verbo.* Missa.*num.*57. Angelus *num.*50. Syluester *verbo* Missa 1.*quæst.*8.Nauar. *de orat.cap.*19.*num.*65. & *cap.*22. *nu.*24.Henriquez *lib.*9.*de Missa cap.*14. *nu.*2. Suarez *disp.*78.*de Eucharist sect.*3.*in fine*.Azor. *part.*1. *lib.*10. *cap.*22.*quæst.*9.Facundez *præcept.*1.*lib.*3.*c.*11. *num.*10. Faustus *lib.*2. *de Euchariſt. quæst.*91. Ratio est. Quia sacrificium potest offerri pro vnoquoque iuxta ipsius capacitatem. Pueri autem qui decesserunt cum baptimo sunt capaces gratiarum actionis cum acceperint à Deo summum beneficium salutis, & sacrificium aptum est ad gratiarum actionem, & ideò potest pro ipsis offerri in gratiarum actionem.

3 Dicendum 2. *Non posse offerri pro ipsis directè tanquam impetratorium gloriæ accidentalis, sed solum indirectè, quatenus scilicet offertur ad ea obtinenda in Ecclesia militante, ex quibus ipsis prouenit gloria accidentalis.* Ratio est. Quia iam sunt in termino, & proinde non potest amplius augeri ipsorum gloria, & quatenus processu temporis aliquid de nouo habent, id accipiunt ex vi præcedentis; vnde non habet locum amplius impetratio, quia ad ea tantum extenditur, quæ non sunt debita, sed de nouo concedi debent.

4 Ex dictis colligitur. Quando paruuli moriuntur cum baptismo posse pro ipsis Missas celebrari, sicut etiam possunt celebrari exequiæ iuxta præscriptionem Ritualis Romani. Quia licèt ipsis necessariæ non sint, cum iam sint beati, sunt tamen necessariæ quoad eos, ad quos paruuli spectant, tum quia debent gratias agere Deo pro beneficiis ipsis collatis; tum quia debent ostendere affectum charitatis erga ipsos. Tum quia debent imitari Ecclesiam, quæ adhuc de ipsis curam gerit tum quia debent ipsis soluere debitum honorem. Et quamuis hoc omittendo non peccarent mortaliter, ostenderent tamen animum parum religiosum, dum ea omitterent, quæ iuxta religionem sunt valdè condecentia.

5 Colligitur 2. Pro paruulis istis non esse celebrandas Missas de Requiem, quia non congruunt statui beato ipsorum. Imò peccarent mortaliter, quia in re graui facerent contra ritum Ecclesiæ, & ostenderent, se non benè sentire de ipsorum beatitudine. Possent tamen Missæ celebrari pro defunctis in communi applicando paruulis gratiarum actionem, atque satisfactionem, & cæteris defunctis, nam tunc cessat ratio indecentiæ.

QVÆSTIO 160.

An Missæ sacrificium offerri possit pro Sanctis.

SVMMARIVM.

1. *Sanctis non potest offerri sacrificium.*
2. *Sacrificium potest offerri in honorem sanctorum.*
3. *Sacrificium non potest offerri pro sanctis vt propitiatorium.*
4. *Neque tanquam impetratorium in ordine ad gratiam, & gloriam.*
5. *Sacrificium potest offerri pro sanctis, vt Eucharisticum.*
6. *Sacrificium an possit offerri pro sanctis vt impetratorium gloriæ accidentalis.*
8. *Impetratio supponit indigentiam.*
Beatitudo accidentalis est ex præcedentibus meritis.
9. *Sacrificium potest offerri ad ea nobis impetranda, ex quibus consurgit gloria accidentalis sanctorum.*
10. *Sacrificium quomodo possit offerri pro gloria accidentali sanctorum.*
11. *Sacrificium quomodo proficiat sanctis ad honorem.*
12. *Gloria accidentalis non potest crescere supra merita.*
13. *Templa & altaria quomodo erigantur sanctis.*

CErtum est. Non posse sanctis offerri sacrificium quamuis in honorem ipsorum offeratur Deo. 1
Cum enim contineat supremum cultum Latriæ, & ipso homo se totum subiiciat Deo tanquam illi, cui debet totum proprium esse, non sunt sancti capaces, vt ipsis offeratur sacrificium, cum requirat ex intrinseca sua ratione supremam potentiam in eo, cui offertur. Vnde Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.*3. habet, *Et quamuis in honorem, & memoriam sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia, celebrare consueuerit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli qui illos coronauit. Vnde nec Sacerdos dicere solet, offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, vt ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.*

Hinc secundò certum est. Sacrificium Missæ offerri posse in honorem sanctorum ad obtinendam eorumdem intercessionem apud Deum. Ita definit Concil. Trident. *sess.* 22. *can.* 5. Quod tamen ita accipi debet, non quod cultus sacrificij ordinetur ad sanctas, nam, vt dictum est, non sunt capaces talis cultus, sed quia assumitur intercessio ipsorum, & interponitur cultui per sacrificium Deo delato, ita vt cultus sanctorum, & ipsorum deprecatio coniungatur cum cultu sacrificij. In quo maximus honor sanctis defertur, siquidem declaratur mediatores ratione meritorum ipsorum inter nos, & Deum. Et proinde cum sacrificium constat ex duplici cultu altero proprio Dei, qui inest naturæ sacrificij: & altero proprio sanctorum, per quem eos, tanquam beatos, celebramus. 2

Tertio

3 Tertiò certum est. Sacrificium non posse offerri pro sanctis tanquam propitiatorium, vt notant communiter Doctores. Quia ratione status sunt incapaces propitiationis. Cum enim certum sit, esse beatos, certum quoque est in ipsis non habere locum aliquod malum, & proinde non remanere ipsis aut aliquam culpam purgandam, aut pœnam solnendam, itavt possit habere locum propitiatio. Hinc Concil. Trid. *sess.21.cap.2.* declarans, quod hoc sacrificium sit propitiatorium, quando agit de propitiatione in ordine ad defunctos coarctat ad defunctos nondum plenè purgatos, ibi. *Pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis ritè iuxta Apostolorũ traditionem offertur.*

4 Quartò adhuc certum est; hoc sacrificium non posse offerri pro sanctis tanquam impetratorium in ordine ad gratiam, & gloriam essentialem. Ita communiter cum D.Thom. *in 4.distinct.12.quæst.2. art.1. quæstiunc.2.* Ratio est. Quia sanctis statim ac ingrediuntur paradisum recipiunt totam illam gloriam, quæ est illis debita, & constituuntur in termino, itavt non possint amplius proficere siue in gratia, siue in gloria essentiali. Cum enim gloria detur tanquam merces, aut tanquam hæreditas, datur statim secundum mensuram tituli cui correspondet vel vt hæreditas, vel vt merces; & ideò non habet locum impetratio.

5 Quintò denique certum est. Hoc sacrificium offerri posse tanquam Eucharisticon pro sanctis, hoc est in gratiarum actionem Deo pro beneficiis collatis iisdem sanctis, & ita docent communiter Doctores, & definit Concil. Trident. *sess. 22. cap. 2.* dum habet, Ecclesiam non docere offerri sacrificium sanctis, sed soli Deo, ipsi *De illorum victoriis gratias agens.* Et ratio est. Quia hoc sacrificium est maximè aptum ad agendas gratias Deo: ergo potest offerri in gratiarum actionem pro beneficiis collatis iisdem sanctis. Cum enim hæc beneficia acceperint, dum erant in Ecclesia militante, nempe merita, & perseuerantiam ratione quorum gloria fuit debita pertinet etiam ad Ecclesiam gratias agere pro his beneficiis tanquam suis membris collatis; præsertim quia hæc beneficia redundant in vtilitatem nostram, siquidem ratione status acquisiti habent, quod possint pro nobis intercedere. Vnde solum difficultas est an possit offerri pro ipsis tanquam impetratorium in ordine ad gloriam accidentalem.

6 Suarez *disp.78.de Eucharist.sect.3* ver. *Respondetur nihilominus.* Marchinus *de sacrament. ordin. tractat.3. part.2. cap.9. num.2.* & alij volunt, offerri posse tanquam impetratorium ad impetrandam sanctis aliquam gloriam accidentalem non internam, sed externam. Fundamentum autem, aiunt, desumi ex praxi Ecclesiæ, nam in oblatione dicitur, vt sacrificium sanctis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, & in collecta postcommunionis aliquando dicitur. Vt sicut sanctis ad gloriam, ita nobis prosit ad veniam. Et in oratione secreta B. Leonis dicitur, vt illum beata retributio comitetur. Quod intelligitur de retributione gloriæ accidentalis. Et D. Ioan. Chrysost. *hom.33.in Matth.* dicit, posse nos facere aliquid pro sanctis ad mercedis, & retributionis adiectionem. Confirm. Beatitudo accidentalis potest crescere: ergo possumus offerre sacrificium, vt impetratorium ad impetrandum sanctis augmentum beatitudinis accidentalis.

7 Cæteri tamen solum docent, offerri posse in honorem sanctorum, non autem ad impetrandam ipsis aliquam gloriam accidentalis. Itaque dicendum est. *Hoc sacrificium non posse offerri vt impetratorium ad impetrandum sanctis aliquam gloriam accidentalem.* Desumitur ex cap. *Cum Marthæ. §.fin. de celebrat. Missar.* Vbi Innocent. III. habet sanctos non indigere orationibus nostris, & rationem reddit. *Quia cum sint perfectè beati, omnia illa ad vota succedunt.* Et ex illo communi proloquio, quod iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre, quod est desumptum ex D. August. *tract.84.in Ioan.* vbi habet: *Non sic sanctos commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace quiescunt, vt etiam pro eis oremus; sed magis, vt orent ipsi pro nobis.* Si igitur non habet locum oratio pro sanctis, nec etiam locum habebit impetratio, siquidem oratio ordinatur ad impetrandum: atque adeò nec sacrificium tanquam impetratorium.

Ratio autem est. Quia impetratio supponit aliquam indigentiam non solum rei impetrandæ, sed etiam in ordine ad illam obtinendam, itavt non sit debita, sed precibus sit obtinenda, & quando alij impetrant nobis, supponitur indigentia alienæ impetrationis. Hæc autem non habent locum in beatis. Tum quia ratione status beatifici expletur omnis ipsorum indigentia, itavt non indigeant aliquo vltra id, quod habent ratione status, quia vt dictum est *num. praecedenti*, cum sint perfectè beati, omnia eis ad vota succedunt. Et quia, si in ipsis reperiretur aliqua indigentia, non esset in ipsis beatitudo vera, nam hæc excludit omnem indigentiam. Tum quia tota beatitudo accidentalis, quam successiuè habent, datur secundum mensuram meritorum, & proinde non est æqualis in omnibus, sed maior, aut minor iuxta quantitatem meritorum; & ideò datur tanquam debita meritis huius vitæ, non autem tanquam de nouo impetrata. 8

Dicendum est. *Hoc sacrificium offerri posse tanquam impetratorium ad impetrandum nobis ea, in quibus habetur aliqua gloria accidentalis sanctorum*: seu ad impetrandam gloriam accidentalem sanctorum tanquam nostrum beneficium. Vnde potest offerri ad impetrandum canonizationem alicuius beati, ad obtinenda à Romana sede recitationem officij in honorem alicuius sancti & alia huiusmodi, quæ cedunt in vtilitatem, & consolationem nostram. Ratio est. Quia sacrificium est institutum etiam ad impetrandum pro nobis: ergo quando desideramus gloriam accidentalem sanctorum tanquam nostrum beneficium, vti possumus sacrificio ad ipsam impetrandam. 9

Dicendum 3. *Sacrificium offerri posse pro gloria accidentali sanctorum: non pro illa impetranda, sed pro iis in tali actione glorificandis.* Ita communiter Doctores & constat ex praxi Ecclesiæ, dum celebrat Missas in honorem sanctorum. Vnde Tertul. lib. de corona milit. cap.3. *Oblationes pro natalitiis* (Martyrum) *annua die facimus.* Cyprian. epist.24. *Sacrificia pro eis* (Sanctis) *vt meministis offerimus, quoties martyrum passiones, & dies aniuersaria commemoratione celebramus.* Et similia habentur apud alios Patres Chrysost. *hom.25. in Matth.* & *hom.21. in Acta Apostol.* & cæteros, quos refert Pamel. *in dict. epist.* D. Cypriani. Et ratio est. Quia, licet sacrificium non offeratur sanctis, potest tamen offerri Deo occasione commemorationis eorumdem sanctorum, itavt offeratur Deo propter sanctos honorandos, & contemplatione ipsorum colatur Deus, & laudetur in meritis eorundem recolendis. Hoc autem cedit in gloriam accidentalem sanctorum. Rursus dum in sacrificio, & cultu proprio Dei fit commemoratio sanctorum, celebrantur tanquam ipsi accepti, & interponitur eorumdem intercessio, & patrocinium, & manifestum fit, quod Deus sibi complaceat eos coli, quod redundat in maximam gloriam accidentalem sanctorum. 10

Ad fundamentum oppositæ sententiæ. Respon. Quod quando dicitur, quod sacrificium proficiat sanctis ad honorem, non intenditur aliqua impetratio honoris pro ipsis mediante sacrificio, sed solum declaratur effectus honorandi sanctos in illo sacrificio; aliud est enim impetrare 11

honorem mediante sacrificio, & aliud deferre honorem in sacrificio. Primum non habet locum, vt constat ex dictis. Secondum significatur per prædicta verba modo explicato in superioribus. Quando autem dicitur in oratione secreta B. Leonis, *Vt illum beata retributio comitetur*, intelligitur quidem de retributione gloriæ accidentalis, quæ in illa celebritate Sancto defertur: vnde non fit deprecatio ad Deum pro aliqua gloria illi impetranda, sed declaratur affectus circa retributionem gloriæ iam debitæ ex meritis huius vitæ. Et in eodem sensu accipiendus est etiam D. Ioan. Chrysost. *citat.* dum dicit, Posse nos facere aliquid ad adiectionem mercedis ipsorum, non enim vult, quod impetrare possimus adiectionem mercedis, sed solum quod opera nostra possint afferre hanc adiectionem, non quidem aliquid impetrando vltra id, quod est iam debitum ex vi receptorum, sed augendo mercedem de præsenti obtentam, per aliquid tamen adhuc debitum, sed nondum retributum.

12 Ad confir. neg. conseq. Nam gloria accidentalis non potest quomodocumque crescere, sed solum secundum mensuram meritorum: & proinde non potest crescere per aliquid de nouo impetrandum, sed solum per id, quod est iam debitum ratione præcedentium meritorum.

13 Ex dictis colligitur, vt notant etiam Bellarmin. *lib. 2. de sacrific. Missæ, cap. 8. ver. Secundò.* Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 11. num. 13.* Chellison. *3. part. quæst. 83. art. 1. dub. 8. in fine.* Quod quando dicantur templa, eriguntur altaria Sanctis, non eriguntur, aut dedicantur per se primò ipsis Sanctis, sed tantum secundariò, Deo autem primariò: nam sub inuocatione ipsorum dedicantur, & eriguntur Deo. Vnde August. *lib. 8. de Ciuit. Dei, cap. 27.* habet, *Nos Martyribus non constituimus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia; sed eorum Deo, & nostro*, & *lib. 20. contra Faust. cap. 21.* habet, *Nulli Martyrum, quamuis in memoria Martyrum, constituimus altaria.* Et ratio est. Quia templa, & altaria accessoria sunt sacrificio, cum propter ipsum constituantur, & ideò sequuntur naturam sacrificij, quod soli Deo offerri potest: vnde August. *vltimo loco citat.* cum dixisset, nulli Martyrum constitui altaria, reddit rationem, quia non ipsis, sed Deo, qui eos coronauit offertur sacrificium.



DE APPLICATIONE SACRIFICII MISSÆ.



VM Sacrificium offerri possit pro determinatis personis, vt constat ex hucusque dictis, superest videndum vnde determinetur, vt huic potius prosit quàm alteri, siquidem quantum est de se nullam habet determinationem in ordine ad certas personas, & qualis sit hæc determinatio.

QVÆSTIO 161.

A quo determinetur sacrificium, vt prosit huic potius, quàm illi.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium quomodo determinetur, vt huic potius, quàm illi prosit.*
2. *Sacrificium institutum in beneficium nostrum.*
3. *Applicatio sacrificij non dependet à voluntate Christi.*
4. *Fructus sacrificij non est totius Ecclesiæ, sed applicatur à Sacerdote.*

Dicendum est. *Sacrificium determinari, vt huic potius prosit speciali modo, quàm illi ab ipso offerente, quatenus determinat offerre pro hoc, vel pro illo: & in hoc consistere applicationem, qua dicitur applicari.* Ita communiter D. Thom. *3. part. quæst. 79. art. 5. & 7. vtrobique in corpore.* Mercer. *de sacrament. quæst. 83. art. 1. dub. 3. in fine.* Suarez *de Eucharist. disp. 79. sect. 9. init.* Isambert. *3. part. quæst. 83. disp. 7. art. 12.* Garcias *in sum. tract. 3. difficult. 1. dub. 6. punct. 3. num. 18.* Auersa *de Eucharist. quæst. 11. sect. 6.* ver. *Sextò demum.* Caiet. *tom. 2. Opuscul. tract. 3. cap. 2.* ver. *Si autem sumatur.* Sotus *in 4. distinct. 11. quæst. 2. art. 5. concl. 3.* Coninch *de sacrament. quæst. 83. dub. ... num. 155.* Mærat. *tom. 3. sum. disput. 38. de Eucharist. sect. 7.* ver. *Secundum est.* Præposit. *3. part. quæst. 83. artic. 1. dub. 18. num. 100.* Filiuc. *tract. 5. num. 73.* Francisc. Lugo *de sacrament. lib. 5. de Miss. cap. 3. quæst. 3. num. 18.* Quartus *in Append. ad Rubric. Missal. quæst. 2. punct. 8. & 9.* & infra citandi, & constat ex praxi Ecclesiæ, quatenus præscribit applicationem pro certis personis, & ita ab initio Ecclesiæ seruari consueuit. 1

Hoc autem desumitur ex natura sacrificij, quod ita institutum est ad colendum Deum, vt etiam institutum sit in beneficium hominum, nempè ad propitiandum Deum ipsis hominibus, & satisfaciendum pro peccatis, vt constat ex sacrificiis veteris Legis, quæ fuerunt instituta, vt pro hominibus iuxta diuersas occasiones à Sacerdote offerrentur. Et habetur ex illo ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Vbi est adnotandum, quod Sacerdos pro hominibus est constitutus in ordine ad offerendum pro ipsis sacrificium. Et de sacrificio Missæ habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1.* Vt *dilecta sponsa sua Ecclesiæ, visibile sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur, &c. atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, peccatorum applicaretur.* Ergo si sacrificium est institutum offerendum pro hominibus, & non est determinatum, vt pro hoc, vel illo offeratur, pertinet ad offerentem determinare oblationem in fauorem huius, vel illius, quia si oblatio sacrificij est sub ipsius dispositione, erit etiam determinatio offerendi pro hoc, vel illo tanquā quid accessorium oblationi. 2

Ex his colligitur, quod non posse subsistere. Nonnullos sensisse refert Scot. *quodlib. 20.* nempè applicationem sacrificij dependere à voluntate Christi de præsenti, ita vt, si voluntas Sacerdotis discrepet à voluntate Christi, frustratoria sit. Nā ex hoc sequeretur, quod numquā posset Sacerdos alicui applicare sacrificiū, quia esset ipsi omninò ignota voluntas Christi, & ideò se exponeret periculo applicandi contra voluntatem Christi, nec determinatio esset relicta voluntati offerentis; & ideò, si applicaret determinatæ personæ, sibi vsurparet ius Christi. Deinde cum Christus reliquerit Ecclesiæ sacrificium visibile, quia ita exigit hominum natura, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1.* debuit etiam relinquere applicationem tanquam eorumdem naturæ, qua humano modo vti possent, & proinde debuit relinqui sub dispositione humana: quod factum fuisse indicat Concil. Trident. *citat.* dum subdit, *Atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ quotidiè à nobis committuntur, peccatorum applicaretur.* Si enim 3

reliquit

reliquit hoc sacrificium applicandum in remissionem peccatorum, iam seliquit applicationem sub humana dispositione.

4 Secundo colligitur. Neque posse subsistere, quod nonnulli veteres Theologi tradiderunt apud D. Th. & alios Doctores *in 4. dist. 45.* Nempe hoc sacrificium non magis psodesse bis, pro quibus offertus, quam cæteris, quia scilicet fructus ipsius sit totius Ecclesiæ, & ex vi institutionis distribuatur in membra ipsius iuxta vniuscuinsque indigentiam absque alia applicatiooe. Quia eum Christus instituerit sacrificium congruum humanæ oatusæ, & seliquetit Ecclesiæ offerendum, debuit etiam relinquere applicandum humano modo, quod factum fuisse, obseruat Concil. Trident. *num. præced. citat.* Imò talis applicatio non consonat cum disttibutione aliorum fructuum passionis Christi, nam gratia, quæ est effectus ipsius, non distribuitus iuxta vniuscuiusque indigentiam, sed iuxta beneplacitum Dei: vnde aliquibus vberrima datur supra eorumdem indigentiam, aliis verò valdè tenuis, & quamuis sufficiens infra tamen iodigentiam. Et idem constat etiam in sacramentia, quæ selicta sunt sub iibera dispensatione Ecclesiæ.

QVÆSTIO 162.

Qualis intentio requiratur pro applicatione sacrificij Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Pro fructu vniuersali non est necessaria applicatio.*
2. *Etiam si præscindatur à ritu Ecclesiæ.*
3. *Intentio est triplex.*
4. *Interpretatiua intentio reducitur ad habitualem.*
5. *Pro applicando sacrificio an sufficiat intentio habitualis,* & num. seq.
7. *Voluntas habitualis potest habere effectus prædeterminatos per actualem.*
8. *Voluntas interpretatiua sufficit pro applicatione sacrificij.*
9. *Voluntas interpretatiua æquipollet expressæ.*
10. *Voluntas testatoris interpretatiua operatur sicut expressa.*
11. *Intentio habitualis quomodo sufficiat pro sacrificio.*
   Oblatio sacrificij cur requirat intentionem actu existentem.
12. *Non refert quanto tempore præcesserit applicatio sacrificij.*
13. *Obligatus offerre an satisfaciat nihil cogitans de applicatione.*

1 QVod spectat ad applicationem vniuersalem, qoæ versatur circa fructum sacrificij vniuersalissimum communem toti cœtui fidelium, non sequiri in ministro aliquam specialem intentionem pro applicatione, sed ex ipsa oblatione sacrificij remanere applicatum, certum est. Nam eo ipso, quod Sacerdos offert sacrificium secundum ritum præsctiptum ab Ecclesia interuenit actualis, & expressa oblatio pro tota Ecclesia, atque adeò etiam applicatio ex vi solius voluntatis offerendi sacrificium, vt obsesuat etiam Ruteus *de fruct. & applicat. sacrif. Miss. lib. 1. disp. 1. quæst. 1. dub. 5. num. 52.* Siquidem cum in celebratione exprimatut, oblationem fieri pro Ecclesia, simul etiam exprimitur offerri pro omnibus coadunatis intra Ecclesiam. Et qnamuis exprimantur specialiter aliquæ personæ, pro quibus dicitut offerri sacrificium, non tamen fit specialis applicatio pro ipsis, sed exprimuntur tanquam oobiliora membra Ecclesiæ, vt sunt Pontifex, Antistes, Imperator, Rex, siquidem talis expressio non variat naturam sacrificij, oec inducit specialem applicationem, vltra illam, quam sortiuntus tanquam membsa inclusa intra corpus Ecclesiæ. Si tamen recitentur aliquæ speciales Orationes pro ipsis, aut aliis personis, sortiuntor vim aliquam impetrandi à sacrificio, & habent propriam, quæ sistit in genere precum oblatarum à publico ministro nomine Ecclesiæ.

Si verò præscindamus à ritu, eum quo offertur sacrificium, adhuc ex natura sua præsertim accedente institutione Ecclesiæ habet, quod prosit omnibus, qui sunt de corpore Ecclesiæ. Nam est institutum vt sacrificium publicum, & repræsentatiuum sacrificij Crucis, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1.* & ideò sicut sacrificium Crucis fuit vniuersale oblatum pro omnibus; ita etiam hoc sacrificium tanquam repræsentatiuum sacrificij Crucis debet esse vniuersale respectu Ecclesiæ, cui est relictum, itave pro omnibus eiusdem Ecclesiæ offeratur. Rursus cum Christus sit principalis offerens, & Sacerdos offerat vt Christus minister, ex natura oblationis venit qoatenus est à Christo, quod sit pro tota Ecclesia. Similiter, cum Sacerdos offerat oomine Ecclesiæ offert etiam iuxta mentem ipsius, quæ est, quod prosit omnibus suis membris. Et ideò semanet solum difficultas de applicatione speciali, qua alicui specialiter applicatur fructus sacrificij. 2

Triplex aotem intentio assignari solet, nempè Actualis, Virtualis, & Habitualis, ad quam reduci potest etiam impetratiua. Actualis intentio importat præsentem actum voluntatis circa actionem, quæ fit, & proinde dicit, quod voluntas velit, quod de præsenti fit: vnde intentio actualis quoad applicationem, erit voluntas præsens offerendi sacrificium pro tali, quaodo actu offertur. Virtualis intentio dicit actum voluntatis transactum, sed manentem virtute in aliqoo, tatione eoius influit in opus, quod fit. Hoc autem in cuius virtute maoet, debet dependere ab actu volontatis, in quo fuit furmalis intensio; vt si quis intendat offerre sacrificiom pro aliquo, & virtute huius intentionis sumat vestes sacras, & oihil amplius cogitans, pro quo offerre velit, offerat sacrificium. Habitualis verò intentio dicit actualem intentionem præextitisse, sed de præsenti non maneret, nisi quatenus habitu manet, seu dicit moralem perseuerantiam præteriti actus, quatenus fundatur in eo, quod non fuerit retractatus, vt si quis hodie intendat offerre sacrificium pro Petro, & cras offerat nihil de eo cogitando. 3

Ad hanc autem habitualem intentionem reducitus etiam interpretatiua, siquidem consistit in eo actu voluntatis, qui elici potest ex interpretatione voluntatis habita ratione circumstantiarum, quem scilicet haberet voluntas, si hic, & nunc cum talibus circumstantiis se determinaret: & proinde dicit habitum voluntatis constitutæ in talibus circumstantiis, vt si quis offerat sacrificium nihil decernendo, pro quo offerre velit, sit tamen obligatus ad offerendum pro aliquo determinato, aut iuxta alterius intentionem. Quod spectat ad inteotionem formalem, aut virtualem certum est sufficere pro applicatione sacrificij, quia, si sufficit pro consecratione, sufficiet etiam pro determinanda applicatione sacrificij. Vnde solum difficultas est de habituali, & interpretatiua. 4

Ideo prima sententia tenet, non sufficere intentionem habitualem. Ita Vasquez *3. part. disput. 138. cap. 6. num. 76.* Granad. *3. part. controuer. 3. tract. 5. disp. 4. sect. 2. n. 14.* Villalob. *part. 1. sum. tract. 8. difficult. 11.* 5

*num.*1. Mærat. *tom.*3. *disput.* 38. *de Eucharist. sect.*7. vet. *Quibus duobus.* Citantur etiam Sum. Corona. *part.*4.*cap.*5. *num.*9. Beja *part.* 1.*casu* 23. Fraximel. *de obligat. sacer. sect.*4.*conclus.*4.§.7.*num.*1. quatenus docent, quod sacerdos debet in *Memento* applicare sacrificium ei, pro quo tenetur celebrare. Verum ex hoc non sequitur, quod nisi applicet, non teneat applicatio, atque adeò non est dicendum, quod secundum hos Doctores non sufficiat intentio habitualis. Fundatur autem hæc sententia in eo, quod cum applicatio sacrificij debeat determinari, vt sit pro hoc, & non pro alio, requiritur intentio operatiua, quæ possit causare hanc determinationem, qualis non est intentio habitualis, sed sola formalis, aut virtualis. Confirm. Habitualis non sufficit pro offerendo sacrificio: ergo neque pro applicando, cum applicare sit offerre pro determinata persona, atque adeò determinare ipsam actionem offerendi.

6 Communis tamen sententia tenet, quod sufficiat habitualis intentio. Ita Suarez *disp.* 13. *de sacram. sect.*3. ver. *Dico* 2. & *disp.*79.*sect.*9. Coninch 3.*part. quæst.*64.*num.*76. Bonac. *disp.*1.*de sacrament. quæst.*3. *punct.*2.§ 3.*num.*11. Molfes. *part.*1.*sum. tract.*3. *cap.*4. *num.*13. Auersa *de Eucharist. quæst.*11.*sect.*10. ver. *Rectè tamen*, Hurtad. *de sacrament. in genere, disp.*4. *difficult.*2. Bonac. *disp.*1. *de sacrament. in genere, quæst.* 3. *pun.*2.§.3. *num.*11. Facundez *præcept.*1. *Eccles. lib.* 3. *cap.*10. *numer.*8. Alphons. de Leone *de Offic. Capel. quæst.*7. *sect.* 10. Diana *part.* 2.*tract.* 14. *resol.* 47. & *part.*5. *tract.*14. *resol.* 65. Francisc. Lugo *de sacram. lib.*5.*cap.*3.*quæst.*3.*num.*20. Bordon. *tom.*1. *Consil. regul. resol.*25. *quæst.*5. Rutæns *de fruct. & applicat. sacrific. lib.*1.*disp.*1. *quæst.*1. *dub.*5. *num.* 49. Quartus *in Rubr. Missal. in Append. quæst.* 2. *punct.* 10. ver. *Secunda sententia*, Hieronym. Garzia *in sum. tract.*3.*difficult.* 3. *dub.* 1. *num.*6. Caspens. *tom.* 2. *Curs. Theol. tract.*23. *disp.*2.*sect.*2.*num.*14.

7 Dicendum primò. *Intentionem habitualem sufficere pro applicatione sacrificij Missæ.* Ratio est, quia intentio applicandi non est aliud, quàm voluntas quod fructus sacrificij Missæ proueniat tali personæ; pro hoc autem sufficit voluntas habitualis, seu actualis remanens habitu. Voluntas autem habitualis potest habere effectus prædeterminatos per voluntatem actualem, quæ præcessit, vt passim constat in vltimis voluntatibus, quæ solum post mortem sortiuntur effectum, in consensu sub conditione de futuro, qui solum adueniente conditione sortitur effectum, in donatione pro futuro tempore determinato, & in aliis huiusmodi, quia scilicet talis voluntas censetur perseuerare moraliter, & ideò sufficit pro huiusmodi effectibus, qui non requirunt aliud, quam determinationem à voluntate, qualis est applicatio.

8 Dicendum 2. *Voluntatem, seu intentionem interpretatiuam, & præsumptam, seu conjecturabilem sufficere pro applicatione sacrificij.* Ita loquens de fructu Generali Ruteus *de fruct. & applicat. sacr. lib.*1. *disp.* 1. *quæst.*1. *dub.* 5. *num.* 53. Et est conformis doctrinæ illorum, qui volunt erogantem eleemosynam satisfacere obligationi restituendi pauperibus, si ignoret talem obligationem, quia scilicet sufficit voluntas interpretatiua satisfaciendi debito restitutionis. Ita Sanchez *lib.*1. *consil. moral. cap.* 3. *dub.* 121. *num.* 3. Layman *lib.*3.*Theol. moral. sect.*5.*tract.*2. *cap.*12.*num.* 9. ver. *Hanc sententiam*, Gaspar. Hurtad. *De iust. & iure disp.*9. *difficul.*8. Trullench *lib.* 1. *in Decal. cap.*7. *dub.*24.*num.* 18. Diana *par.*3.*tract.*6.*resol.*57. Machad. *tom.*1. *de perfect. confessar. lib.*2.*part.* 3. *tract.*13. *docum.* 4.*num.*7.

9 Ratio autem est. Quia voluntas interpretatiua sufficit ad inducendum voluntarium: & ideò voluntas interpretatiua determinans interpretatiuo modo applicationem sacrificij reddit voluntariam, & determinatam applicationem; est enim voluntas tacita de tali applicatione, quæ æquipollet expressæ, *l. cum quid ff. si cert. pet.* & *l. item quia ff. de pactis*, & *l. fin. ff. de legat.* 2.

10 Confirm. Eodem modo operatur voluntas testatoris expressa, ac interpretatiua, & coniecturata circa vltimas dispositiones: imò interpretatiua prædominatur verbis dispositionis, & est attendenda, *l. licet Imperator. ff. de leg.* 1. & *l. cum proponebatur, ff. de leg.* 2. & notant communiter Mantica *lib.* 3. *de coniectur. vlt. volunt. tit.* 3. *num.* 2. & 10. Honded. *consil.*69. *num.* 7. *lib.*1. Rota *apud Merlin. decis.* 456. *num.*39. Ergo cum voluntas interpretatiua sit efficax pro transferenda hæreditate, pro legatis, & aliis huiusmodi dispositionibus, erit etiam efficax pro transferendo, seu applicando fructu sacrificij Missæ.

11 Ad fundamentum in oppositum resp. intentionem habitualem, cum fundetur in formali, quæ præextitit, sufficere pro determinatione fructus sacrificij pro hac vel illa persona. Quia determinatio fit ab intentione formali pro futuro sacrificio: & quando sacrificium offertur perseuerat moraliter eadem intentio, & ideò sacrificium stat sub determinatione, quàm habet ex intentione moraliter perseuerante cum ordine ad physicam determinationem per formalem intentionē quæ præextitit. Ad confir. neg. conseq. Quia per oblationem fit sacrificium, & ideò requirit causæ, à quibus dependet actu existentes, quia causa habitu tantum existens non potest operari, nisi fiat in actu: intentio autem ministri est aliqua causa sacrificij. At in applicatione, supponitur per suas causas existere, quod applicatur, & solum alteri appropriatur: pro hac autem appropriatione sufficit voluntas præexistens, & moraliter perseuerans, vt constat ex dictis.

12 Ex his colligitur cum Tambutino, *Opus. de sacrif. Missæ, cap.*2. §. 10. Quarto *in Rubr. Missal. in Append. quæst.* 2. *punct.* 11. ver. *Colligitur.* Non referre, quanto tempore præcesserit voluntas de applicatione sacrificij Missæ, dummodo fuerit voluntas non de applicando, sed applicatiua sacrificij, & non sit retractata. Nam voluntas potest in quocunque tempore futuro sortiri suum effectum, vt constat in voluntate testatoris, quæ etiam post plures annos sortitur suum effectum, & in voluntate de aliquo conditionato, quæ solum sortitur effectum adueniente conditione, etiamsi per plures annos tardet.

13 Secundò colligitur. Quod habens obligationem offerendi sacrificium pro aliquo, aut iuxta alicuius intentionem, satisfaciet obligationi sacrificando, etiam si nihil determinet de applicatione sacrificij. Ratio est. Quia, dum suscipit obligationem sacrificandi, habet implicitam, & virtualem voluntatem satisfaciendi huiusmodi obligationi; & ideò, quando actu offert sacrificium, adest interpretatiua voluntas satisfaciendi propriæ obligationi, quæ sufficiens est pro applicatione, vt dictum est. Hæc autem interpretatio voluntatis fundatur in eo, quod præcessit voluntas satisfaciendi obligationi, saltem implicita; & quod hic, & nunc vrgeat obligatio.

QVÆSTIO 163.

Quando applicandus sit fructus sacrificij vt applicatio teneat.

SVMMARIVM.

1. *Fructus sacrificij non potest manere in suspenso.*
2. *Quousque fructus sacrificij applicari possit.*

3. *Fructus*

3. *Fructus sacrificij applicandus ante consecrationem.*
4. *Applicari potest post consecrationem primæ speciei.*
5. *An possit applicari post consecrationem vtriusque speciei.*
6. *Deus expectat voluntatem offerentis applicantem fructum, vt ipsum communicet.*
7. *Intentio applicatiua debet saltem morali modo coëxistere oblationi.*
8. *Obligatus celebrare tenetur ante consecrationem applicare sacrificium.*
9. *Preces, quæ recitantur post consecrationem quid operentur.*

1 SVpponendum est. Effectum sacrificij Missæ non posse suspendi, itavt peracto sacrificio non possit amplius alicui applicari, vt cum communi sententia notat Suarez *disp. 69. de sacram. sect. 9.* ver. *Tertiò inquiri.* Ratio est. Quia facultas applicandi sacrificium conuenit sacerdoti ex eo, quod ipsum offert, itavt applicatio debeat inesse oblationi intrinsecæ tanquam forma determinatiua suo subiecto, nam determinat oblationem ipsam ad fructificandum pro determinatis personis. Et ideò cum oblatio sacrificij sit transiens, si ea transacta superueniret applicatio, non reperiret subiectum, cui inesset, & determinationem conferret, & propterea inanis esset, & vacua effectu. Ex quo fit, quod sacerdos offerendo non acquirat ius supra fructum sacrificij, ratione cuius possit postea ipsum applicare, nam non habet aliam facultatem, nisi pro determinanda oblatione, qua transacta, non remanet aliquid permanens, ad quod ius habeat. Vndè solum difficultas est, quousque validè possit applicari, an scilicet peracta consecratione, & quousque subsequuta sit consumptio.

2 Et quidem in illorum sententia, qui volunt, sacrificium consistere essentialiter etiam in consumptione, sequitur, quod peracta consecratione applicari possit, quia cum adhuc duret actio oblationis secundum sua essentialia, remanet determinabilis per applicationem præsertim, quia cum non sit completa essentialiter, non potest sortiri suum effectum ante consumptionem. Et ita obseruant Henriquez *lib. 7. sum. cap. 9. num.* 4. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib. 3. cap. 4. num.* 29. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 6. ver. *Iuxta prædicta.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacram. cap. 3. quæst. 5. num* 42. Tamburinus *Opus. de sacrific. Missæ, lib. 1. cap. 2. §. 10. num. 7.*

3 Verum absolutè esse applicandum ante consecrationem tradunt Cordoba *lib.* 1. *quæst.* 3. Filliuc. *tract. 5. cap. 3. num.* 78. Vasquez 3. *part. disp.* 231. *num.* 40. Molfes. *part. 1. sum. tract. 3. cap. 15. num.* 37. Bonac. *disp. 4. de sacrament. quæst. vlt. pun. 6. num.* 12. ver. *Obserua.* Caspens. *part. 2. Curs. Theol. tract. 23. disput. 2. sect. 2. num* 21. Quartus *in Rubr. Missal. in Append. de sacram. quæst. 2. pun. 11. init.* Quod etiam tradit Diana *part. 10. tract. 12. resol. 27. in fine,* quando est applicandum accepto stipendio. Fundamentum est. Quia sacrificium non operatur suos effectus, nisi quando existit, & cum consistat in actione transeunte, non existit, nisi quando fit consecratio: ergo debet applicari ante consecrationem, vt possit tunc operari suos effectus pro eo, cui applicatur.

4 Dicendum 1. *Sacrificium posse applicari etiam post consecrationem primæ speciei, dum est consecranda secunda.* Ratio est. Quia per consecrationem primæ speciei incipit tantum sacrificium, nec est completum secundum sua essentialia, & proindè nondum obtinet suos effectus, sed durat actio sacrificatiua tendens ad suam perfectionem: ergo ex sui natura remanet determinabilis ab intentione offerentis, & applicabilis in ordine ad obtinendos suos effectus pro determinata persona.

Dicendum 2. *Valde probabile esse, quod possit applicari etiam post consecrationem vtriusque speciei, dummodo tamen applicetur saltem durante consumptione, etiam si consistat essentialiter in sola consecratione.* Ratio est. Quia consumptio est pars integralis sacrificij, & proindè actio sacrificandi coalescit etiam ex consumptione: ergo sacrificium durat, quousque est peracta consumptio; alioquin nisi duraret non posset ex ipsa coalescere, & integrari, quia quod non est, non potest integrari ab eo, quod eo non existente superuenit, de nouo: ergo si sacrificium durat quousque est peracta consumptio est semper capax determinationis, & applicationis pro determinata persona, quia in tantum non esset capax, in quantum esset transactum. 5

Dices. Sacrificium producere suos effectus statim ac perficitur essentialiter, quia producit ratione suæ essentiæ. Contra. Sacrificium producit suos effectus, quatenus applicatiuum sacrificij Crucis, & hæc applicatio quoad effectum fit à Deo, iuxta determinationem offerentis: ergo cum sit determinatio remissa voluntati offerentis, debet expectari à Deo talis determinatio quousque sacrificium est capax, quod possit determinari. Deindè cum sacrificium producat suos effectus ex opere operato, atque adeò ad modum causæ naturalis debet eas imitari in modo producendi; causæ autem naturales prius complentur etiam quoad esse integrale, quàm producant suos effectus. 6

Ex dictis colligitur. Necessarium esse, quod intentio applicatiua ministri offerentis existat aliquo modo, quando actualiter fit oblatio, quia cum debeat determinare oblationem de se indifferentem tanquam ipsius forma, debet ipsi coëxistere sufficit autem, quod coexistat morali modo, quod saluatur, vt dictum est in præcedentibus, etiam in intentione habituali, si quidem hæc morali modo tunc existit, & ideò coexistit etiam oblationi. 7

Secundo colligitur. Eum, qui accepto stipendio tenetur offerre sacrificium, aut ex aliquo alio capite obligatur. Debere applicare sacrificium ante consecrationem, aut saltem in ipsa consecratione. Ratio est. Quia obligatio applicandi sacrificium est certa, & proindè requirit applicationem certam, qualis est tantum facta ante consecrationem, aut in ipsa consecratione, quia omnis alia applicatio est solum probabilis. Debitum namque certum non potest extingui, nisi cum solutione certa. 8

Tertiò colligitur. Quod, illæ preces, quæ recitantur à sacerdote post consecrationem, & ordinantur ad obtinendum à Deo fructum sacrificij, non inducunt aliquam applicationem sacrificij quoad effectum, quem confert ratione applicationis, sed tantum ordinantur ad obtinendos effectus sacrificij, quatenus impetratorium est, vt obseruant Suarez *disput. 75. de Eucharist. sect.* 5. ver. *Dices. Cur ergo,* Tamburin. *Opus. de sacrific. Missæ lib. 2. cap. 2. §.* 10. Quartus *in Rubr. Missal. in Append. de sacrific. quæst.* 2. *punct.* 11. ver. *Respondetur.* Quia cum adhuc duret sacrificium, licet quoad essentialia peractum, adhuc locum habet impetratio, & proindè in ordine ad ipsam dirigi possunt preces ad Deum. 9

QVÆSTIO

QVÆSTIO 164.

An sacrificium applicari possit pro persona postea determinanda.

SVMMARIVM.

1. *Applicatio fructus sacrificij an possit transferri in futurum tempus.*
2. *Non applicaretur sacrificium, sed suspenderetur effectus, si transferretur determinatio in futurum tempus.*
3. *Sacerdos applicat sacrificium vt minister Christi.*

1 SEnsus quæstionis est, an possit sacerdos de præsenti, quando offert, aut oblaturus est sacrificium applicare fructum sacrificij vagè tamen, non determinando personam, sed transferendo in aliud tempus determinationem illius, vt si diceret. Nunc applico hoc sacrificium pro eo, quem postea determinabo. Et videtur affirmatiuè respondendum; nam applicatio sacrificij est commissa sacerdoti facienda humano modo: applicare autem sacrificium tali pacto est modus quidam humanus, vndè etiam summus Pontifex, quando confert beneficia solet de præsenti reseruare pensiones pro persona nominanda, quando ei libuerit.

2 Dicendum tamen est. *Non posse sacrificium applicari de præsenti relinquendo personam indeterminatam, seu determinandam in tempore futuro.* Ita Corduba *in quæst. lib. 5. de indulgent. quæst.* 42. Suarez *disp.* 79. *de Eucharist. sect.* 9. ver. *Tertiò inquiri potest.* Ledesma *part.* 1. *sum. cap.* 18. *de Eucharist. conclus.* 15. Lopez *par.* 2. *instruct. cap.* 70. *de Eucharist.* ver. *Hinc sequitur,* Cenedo *quæst. pract.* 28. *n.* 1. Vasquez 3. *part. disp.* 234. *cap.* 3. Coninch *de sacrament. quæst.* 83. *ar.* 1. *dub.* 9. Bonacin. *disp.* 4. *quæst. vlt. punct.* 7. §. 5. *num.* 3. Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 20. *num.* 379. Granad. 3. *part. controuer.* 6. *tract.* 14. *disp.* 3. *sect.* 4. *num.* 14. Amicus *tom.* 7. *Curs. Theol. disp.* 33. *de sacrific. sect.* 8. *num.* 286. ver. *Verum,* Præposit. 3. *part. quæst.* 83. *ar.* 6. *dub.* 18. *num.* 104. ver. *Ex dictis.* Ratio est. Quia etiam secundum humanum modum procedendi huiusmodi applicatio non est vera applicatio, sed potius suspensio. Tum quia tunc suspenditur effectus sacrificij, quando intenditur, sed non determinatur persona, cui prosit Tum quia applicatio est determinatio personæ, pro qua offertur sacrificium; vndè si non determinatur persona, nulla interuenit applicatio. Neque ratio in oppositum vrget. Nam licet humano modo soleat determinatio personæ transferri in tempus futurum, hoc tamen non est determinare, sed suspendere determinationem, vt contingit etiam quando Pontifex reseruat pensionem pro persona nominanda; nam de præsenti separat pensionem à fructibus beneficij, sed nomini applicat, relinquendo applicationem in suspenso: vndè etiam in casu nostro interueniret quidem fructus sacrificij, sed applicatio remaneret in suspenso. Accedit, quod facultas applicandi sacrificium conuenit sacerdoti, quatenus offert in persona Christi, vt ipsius minister; & proindè solum potest applicare, quando sustinet personam Christi, sicuti delegatus non potest deposita delegatione exercere actus sibi delegatos.

QVÆSTIO 165.

An sacerdos perficiens Missam ab alio inchoatam, possit applicare sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Perficiens sacrificium ab alio inchoatum non potest applicare, si sit peracta consecratio.*
2. *Si consecrata sit vna tantum species, potest applicare.*
3. *An teneatur applicare iuxta applicationem prioris sacerdotis.*

CErtum est, quod si peracta consecratione vtriusque speciei supplendum sit reliquum Missæ, non poterit sacerdos supplens applicare sacrificium, vt notant Doctores infra citandi. Quia cum reperiat sacrificium peractum substantialiter, tenebit applicatio facta ab alio, qui incœpit, & non habebit locum vlterior applicatio. Imò dato, quod sacrificium applicari possit vsque ad consumptionem, neque adhuc applicari poterit à sacerdote supplente, quia facultas applicandi conuenit sacerdoti, quatenus offerenti, vndè cum sacerdos supplens non offerat, sed tantum consumat, non habebit facultatem applicandi. Solum ergo difficultas est, quando suppletur sacrificium post consecrationem vnius tantum speciei. 1

Dicendum est. *Sacerdotem perficientem sacrificium ab alio inchoatum cum consecratione alterius speciei, posse applicare, cui voluerit.* Ita Vasquez 3. *part. disp.* 231. *num.* 4. Molfes. *par.* 1. *sum. tract.* 3. *cap.* 15. *num.* 37. Bonac. *disp.* 4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.* 6. *num.* 12. ver. *Ex quo.* Dicastil. *de sacrament. tract.* 3. *de sacrific. disp.* 3. *dub.* 7. *n.* 174. Caspens. *par.* 2. *Curs. Theol. tract.* 23. *disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 21. Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 38. *de Eucharist. sect.* 8. ver. *Alterum est,* Præposit. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 18. *num.* 101. ver. *Respond.* 2. Ratio est. Quia sacrificium non est aptum producere suos effectus, nisi perficiatur substantialiter: ergo cum non subsit applicationi prioris sacerdotis secundum suum esse substantiale completum, non habet vim illius applicatio ad determinandum sacrificium pro hoc vel illo. Econtra verò cum à posteriori sacerdote perficiatur substantialiter, & fiat aptum ad producendos suos effectus quoad applicationem suberit determinationi ipsius. 2

Sed difficultas remanet, an teneatur applicare iuxta applicationem factam à priori sacerdote. Et quod obligetur tenent Vasquez, Molfes. & Bonacina *num. præcedent.* citati, quia cum perficiat sacrificium ab alio inchoatum, debet se accommodare intentioni ipsius, Suarez autem *disp.* 79. *de Eucharist. sect.* 12. ver. *Sed tunc occurrit,* asserit non peccare grauiter, quia vtitur iure suo. Sed, si vtitur iure suo, neque etiam venialiter peccabit. Itaque non videò, vndè hæc obligatio oriatur, quia ex eo, quod alter incœperit, nec substantialiter perfecerit, non ponit sacrificium in tali statu, vt possit sortiri suos effectus, atque adeò non acquirit ius ad disponendum de ipsis, nam in tantum potest sacerdos disponere, in quantum ponit in esse sacrificium, ex quo consequuntur effectus. Econtra verò posterior sacerdos ponit in statu tali sacrificium, vt sortiatur suos effectus, & ideò ipse acquirit ius ad disponendum de effectibus, & ad ipsos applicandos cui voluerit. Ita Dicastil. *num. præced.* citat. Gaspar. Hurtad. *disp.* 3. *de sacrific. Miss. difficult.* 10. Præposit. 3. *part. qu.* 83. *art.* 1. *dub.* 18. *num.* 101, ver. *Respondet* 3. 3

QVÆSTIO

QVÆSTIO 166.

An applicatio sacrificij conferri possit in alienam voluntatem.

SVMMARIVM.

1. *Applicatio sacrificij conferri potest in alienam voluntatem præsentem, vel præteritam.*
2. *An etiam in alienam voluntatem futuram.*
3. *Conferri potest, si præcedat, aut concomitetur oblationem.*
4. *Deus non confert effectus sacrificij, nisi determinetur persona saltem cum oblatione.*
   Voluntas subsequens sacrificium non potest determinare ipsius applicationem.
5. *Persona ab alia determinanda non est certa.*

1 POsse conferri in alienam voluntatem præsentem, vel præteritam, non vertitur in dubium; imò in praxi continuò seruatur; nam qui celebrant ex onere suscepto applicat sacrificium iuxta illius intentionem, qui aut dedit stipendium, aut alio modo imposuit obligationem. In hoc enim modo applicandi interuenit virtualis determinatio personæ cui applicetur fructus sacrificij. Dum enim celebrans intendit applicare sacrificium, cui Petrus, qui dedit stipendium, intendit applicare, virtualiter vult illud idem, quod Petrus. Vnde solum difficultas est, an applicatio conferri possit in alienam intentionem futuram.

2 Affirmant absolutè Corduba *lib.1. quæst.4. dub.5.* id extendens etiam ad intentionem futuram alterius post oblationem sacrificij. Marat. *tom.3. sum. disp.38. de Eucharist. sect.8.* vet. *Dicendum secundò.* Quia inquiunt, voluntas aliena futura est præsens Deo, & ideò stante applicatione collata in alienam voluntatem Deus confert fructum sacrificij iuxta alienam intentionem futuram, quam habet præsentem. Et addit, quod sacrificium non frustretur suo effectu, si Deus præuideat futuram applicationem ab aliena voluntate.

3 Dicendum tamen est. *Applicationem sacrificij inferri posse solum in alienam voluntatem futuram, si tamen antecedat, aut concomitetur oblationem sacrificij: non autem si subsequatur applicationem.* Ita etiam Vasquez 3. *part. disp.234. cap.3. num.22.* Suarez *disp.79. de Eucharist. sect.9. ver. Ex dictis colligo.* Francisc. Lugo *lib.5. de sacram. cap.4. quæst.5. num.41.* Ratio est. Quia applicatio offerentis collata in alienam voluntatem tanquam indeterminata non est de se sufficiens ad determinandam oblationem sacrificij, sed exigit determinari ab aliena voluntate, in quam est collata: ergo si hæc aliena voluntas non existit tempore oblationis, non adest sufficiens determinatiuum eiusdem oblationis; & proinde tanquam indeterminata non confert alicui determinatæ personæ suos effectus, non secus, ac si non esset applicatũ sacrificiũ.

4 Ad fundamentum in oppositum resp. Deum non conferre effectus sacrificij, nisi secundum naturam eiusdem sacrificij, atque adeò nisi secundum determinationem, quam habet. Vnde cum non possit habere determinationem à causa nondum existente, qualis est voluntas aliena, quæ subsequitur oblationem, nec etiam effectus confertur iuxta hanc voluntatem. Licet enim hæc voluntas sit præsens Deo, non tamen determinat oblationem sacrificij, & ideò nec est Deo præsens vt determinatiua illius, sed vt vacua effectu. Et cum Deus nõ determinet oblationem sacrificij, tanquam commissam voluntati conferentis, non confert effectus iuxta voluntatem, quam præuidet, quia hoc esset determinare oblationem, cum à voluntate præuisa nunquam sacrificium sit habiturum determinationem.

5 Instabis. Sacrificium determinatur ad certam personam ab offerente, nam respicit ad illam, quam postea alter determinabit: ergo. Resp. neg. assump. Quia persona, quam respicit, non est certa nisi mediante determinatione aliena, & futura post oblationem sacrificij, & ideò non respicit in personam tunc certam, sed postea certificandam.

QVÆSTIO 167.

Ad sacrificium applicari possit iuxta illius intentionem, qui habet onera Missarum adimplenda.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium applicari potest pro oneribus, ad quæ quis tenetur.*
2. *Applicans potest ab ipso recipere stipendium.*
   An teneatur grauatus onere dare stipendium.
3. *Quando anticipatè possit applicari sacrificium iuxta illius intentionem, qui solet Missas cõmittere.*
4. *Missa possunt anticipatè celebrari, si de præsenti adsit occasio.*
5. *Quando pro Missis anticipatè celebratis possit recipi stipendium.*

DIcendum est. *Quando quis scit, aliquem habere onera Missarum adimplenda, potest, etiam eo inscio validè applicare sacrificium iuxta illius intentionẽ.* Ita Aragon. 2.2. *qu.85. art.3.* Petr. Nauat. *lib.2. de rest. cap.2. n.371.* Rodriguez *part.1. sum. cap.252. n.8.* vet. *Y si algun Sacerdote.* Vega *tom.2. sum. cap.41. casu 4.* Cened. *quæst. pract.28 n.3.* Henriq. *lib.9. sum. cap.21. num.2. in fin.* Reginal. *lib.23. praxis fori pœnit. cap.17. dub.4. num.237.* vet. *Secundum est.* Facundez *precept.1. Eccles. lib.3. cap.9. n.8.* & alij. Ratio est. Quia in tali casu interuenit applicatio sufficienter determinatiua sacrificij in ordine ad suum effectum de præsenti. Nam qui habet onera Missarum adimplenda, habet voluntatem saltem interpretatiuam satisfaciendi dictis oneribus, quæ sufficit pro applicatione sacrificij: vnde dum celebrans applicat secundum intentionem habentis onera, applicatio de præsenti determinatur ab ipsius intentione, seu voluntate interpretatiua, vt sit pro certa determinata persona; nempè pro ea, cui priùs satisfacere debet, quia talis est voluntas interpretatiua. 1

Ex quo sequitur. Quod, qui sic applicat Missas, possit recipere stipendium ab eo, cui incumbit procurare celebrationem: nam reuera satisfecit pro onere, quod ipse sustinebat de procuranda celebratione. An autem iste teneatur dare, negatiuè resoluendum est. Quia licet habeat onera Missarum adimplenda, non tenetur tamen adimplere per talem Sacerdotem, & ideò cum nullum intercesserit pactum, non adest titulus, vnde obligetur. Aliquando tamen ratione charitatis tenebitur dare, si talis sit persona, cui possit fidem habere de celebratione; quando scilicet, qui celebrauit esset in graui necessitate, ratione cuius coactus fuisset celebrare, antequam cum eo cõuenisset. 2

Sequitur 2. contra Ludouic. à S. Ioan. *part. 1. sum. quæst.10. de Eucharist. art.9. dub.2.* vt notant etiam Vasquez 3. *part. disp.234. num.3.* Facundez *precept.1. Eccles. lib.3. cap.9. num.8.* Auersa *quæst.11. de Euchar. sect.18.* vet. *Septimò.* Francisc. Lugo *lib.5. de sacram. cap.4. quæst.4. num.38.* Sacerdotem posse applicare sacrificium anticipatè iuxta illius intentionem, quem scit sibi eas celebrandas impositurum; dummodò tamen 3

men ex aliquo accidenti anticipatio non sit frustratura intentionem,vt si esset applicandum sacrificium pro effectu,qui nondum posset iuuari sacrificio. Ratio est. Quia determinatio applicationis fit secundum præsentem intentionem illius, à quo Missæ celebrandæ expectantur, atque adeò pro determinata persona, & consequenter sacrificium sortitur suum effectum. Et tamen aduertendum, quod, vt valeat huiusmodi applicatio, necessarium est,quod quando ita Missæ applicantur, adsit de præsenti in eo intentio faciendi celebrare tales Missas, quæ sufficiens sit pro determinatione fructus sacrificij, quia si non adesset, remaneret applicatio sacrificij indeterminata, & non sortiretur effectum.

4 Verùm si de præsenti adsit occasio, cuius intuitu probabile sit, quod quis Missas sit commendaturus, vt si adsit mors alicuius, pro quo probabile sit,quod sit Missas ordinaturus, poterunt anticipatè celebrari pro illa persona, aut occasione, etiamsi, qui & eos commendaturus de præsenti nihil cogitet, quia in tantum requiritur ipsius intentio, in quantum est necessaria, vt sacrificium sortiatur suum effectum iuxta determinationem Missas exigentis, sortitur autem, dum applicantur à Sacerdote iuxta eamdem determinationem.

5 Dices. Inter dantem stipendium, & recipientem inducitur pactum, ex quo consurgit in recipiente obligatio iustitiæ, quam antea non habebat: ergo non potest recipere pro missis antea celebratis, sed debet de nouo celebrare ratione nouæ obligationis. Resp. Consurgere nouam obligationem, si antea non præstitit, quod exigitur: secus autem si antea præstitit. Quia intentio dantis est exigere Missas ex suppositione, quod non sint exhibitæ: vnde adest in ipso voluntas interpretatiua, quod non exigeret de nouo, si sciret fuisse anticipatè exhibitas. Sic mutuatarius restituens mutuum exigit à mutuante, pignus, ex suppositione, quod non fuerit restitutum: si autem inscio mutuatario fuisset anticipatè restitutum, non teneretur restituere, licet exigeret. Verùm tamen est, quod applicans Missas hoc pacto se exponit periculo non recipiendi stipendium: quia posset tribui alteri,& tunc ille, pro quo applicantur Missæ fruetur fructu duplicis Missæ.

QVÆSTIO 168.

An sacrificium possit anticipatè applicari pro eo, qui primò daturus est stipendium.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium an possit applicari pro eo, qui primò daturus est eleemosynam.*
3. *Declaratio S.Congregat.circa applicationem Missæ pro eo,qui primò daturus est eleemosynam.*
4. *Quando applicatur sacrificium pro eo, qui primò daturus est eleemosynam non determinatur persona pro qua debeat sortiri effectum.*
5. *Missa est applicanda humano,& consueto modo.*
6. *Vtens Missa iam applicata fallit dantem de præsenti eleemosynam.*

1 NOn defuerunt illustres Doctores, qui senserunt, posse sacrificium applicari de præsenti iuxta intentionem, qui tempore futuro daturi sunt eleemosynam. Ita Henriquez *lib.9. sum. cap.*21. *num.*2. Petrus Nauarr. *lib.*2. *de restit. cap.*2. *num.*373. Rodriguez *tom.* 1. *sum. cap.* 252. *num.*9. Aragon. 2. 2. *quæst.*85. *art.*3. Vega *tom.*2. *sum. cap.*41. *casu* 5. Fernandez *part.*3. *Theol. moral. cap.*5. §.9. *num.*5. Fraxinel. *de obligat. Sacerd. sect.* 5. *prænot.* 5. §.5. *num.* 1. Bonac. *disput.*4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.*7. §.5. *num.*3. Reginald. *lib.*23. *praxis fori pœnit. num.*237. Sequuntur ex parte Mærat. *tom.*3.*sum.disp.*38.*sect.*8. ver. *Ex hac assertione*, quatenus id admittit quoad Missas pro animabus Purgatorij, & vult posse accipi stipendium. Præposit. 3.*part. quæst.*83. *art.*1. *dub.*18. *num.*106. Fundamentum est, quia applicatio fit de præsenti, vnde effectus sacrificij non remanet in suspenso: & cum Deus videat, qui daturus est eleemosynam potest ipsi applicare fructum sacrificij.

Secunda, & communissima sententia negat, posse de præsenti applicari iuxta illius intentionem, qui de futuro daturus est eleemosynam. Ita Cordubà *lib.*1. *quæst.*4. *dub.*5. Ciened. *quæst. pract.*28.*num.*6. & *sequent.* Suarez *disp.*79. *de Eucharist. sect.*9. ver. *Ex dictis colligo.* Facundez *precept.*1. *Eccles. lib.*3. *cap.*9. *num.*10. Coninch *de sacram. quæst.*83. *dub.*3.9. *n.*168. Riccius *part.*3.*praxis,resol.*361. *num.*3 Filliuc.*tract.*5. *cap.*3. *num.*79. Ioan.à Cruce *part.*2. *direct. quæst.*1. *de sacrific. Miss. dub.* 8. *conclus.* 1. Homobon. *part.* 1. *exam. eccles. tract.*4. *cap.*14. *quæst.*130. Lucas Pinel. *tractat. de Missa, part.*1. *cap.*18. *dub.*5. Barbosa *de potest. Episc. allegat.*24. *num.*12. Marchin. *de sacram. Ordin. tract.* 3. *part.*2. *cap.*31. *num.*9. Diana *part.*2. *tract.*14. *resol.*15. Granad. 3. *part. controu.*6 *tract.*14. *disp.*7.*num.*15. Auersa *de Eucharist. quæst.*11. *sect.*18. ver. *Sextò*, Ludouic. à S.Ioan. *part.*1. *sum. quæst.* 10. *de sacrific. Miss. art.*9. *dub.*3. ver. *Cordoña.* Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tractat.* 17. *num.*12. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.*3. *quæst.*4. *num.*33. Molfes. *part.*1. *sum. tract.*3. *cap.*16. *num.*28. qui oppositum putat speculatiuè probabile. Villalob. *part.*1. *sum. tract.*8. *difficul* 12. *num.*2. Tamburin. *de iure Abbat. tom.*2. *disp.*5. *quæst.*9. *num.*21. Petrus Ledesma *part.* 1. *sum. cap.* 18. *de Eucharist. conclus.* 15. Gauantus *in Manual. Episcop. verbo* Missa, *num.*53. Lezana *tom.*1. *quæst. Regular. cap.*21. *num.*7. Garcias *in sum.tract.*3.*difficul.*10.*dub.*6.*num.*4. Machad.*tom.*2. *lib.*4. *part.*1. *tract.*12. *documen.*11. *num.*4. Marcus de Huertos *quæst.*8. *de sacrific. Miss. in fine.* Rodriguez retractans priorem sententiam, *tom.*2. *sum. cap.*48. *de Missa, num.* 11. *edit. Vallisoletana.* Caspens. *part.*2. *Curs.Theol. tract.*23. *disp.*2. *sect.*2. *n.*23. Amicus *tom.*7. *Curs. Theol. disp.*33. *de sacrific. Miss. sect.*8. *n.*26. ver. *Verum.* Trullench *lib.*3. *de sacram.cap.*8.*dub.*6.*n.*7. a

Dicendum. *Sacrificium non potest anticipatè offerri iuxta illius intentionem, quem Deus scit primò daturum eleemosynam.* Ita declaratum fuit à S. Congregat. Concil.Trident. de mandato Summi Pontificis Clement.VIII. sub quo à S. Congregat. id consultatum fuit,& decisum,quamuis postea declaratio emanauerit sub Paulo V. cui proinde nonnulli scriptores tribuunt talem declarationem. Tenor autem declarationis est. *Superioribus diebus significatum fuit Sanctiss. D.N. paucis ab hinc annis in Hispania nouam consuetudinem Recentiorum aliquot Theologorum opinione nixam sensim receptam in dies magis inualuisse, vt Sacerdotes Missam celebrantes eius valorem generalem applicent his, qui postea Missæ celebrationem postulaturi, ac pro eo eleemosynam præbituri sint; tametsi antequam Missæ sacrificium peragetur, neque à Sacerdote illud rogassent, neque ei hac de causa eleemosynam præstitissent. Quam rem cum Sanctitas sua ad S. Congregationem Cardinalium Concil. Trident. Interpret. pro materiæ grauitate examinandam reiecisset, in ipsa Congregatione primo de ea actum fuit diligentissimè, ac deinde relatum ad Sanctitatem suam, quæ ex eiusdem Congregationis sententia huiusmodi consuetudinem tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam, atque à vetusto Ecclesiæ more nimis abhorrentem explosit, ac improbauit,* 3

Digitized by Google

probauit, atque amplitudini tuæ litteras dari, (quod facimus) mandauit, vt omnibus istius regni Archiepiscopis, atque Episcopis, in quorum Diœcesibus huiusmodi applicatio in vsum inducta fuerit per litteras, aut alias scripto iniungat, vt talem vsum aboleant, ac prohibeant, excommunicationis etiam atque alijs, quas opportunas, & necessarias existimauerint, pœnis. Idemque præcipiat Generalibus, & Capitibus Ordinum, quos in illis Regnis nunc nouerint commorari vt scilicet, & ipsi Regularibus sibi subditis, talibus applicationibus eisdem pœnis propositis interdicant. Quæ omnia pro sua pietate, & sanctissimi D.N. huius obsequendi studio Amplitudinem tuam sedulò effecturum sperantes, omnipotentem Deum rogamus, vt eam quotidiè cœlestis sua gratiæ donis velit auctiorem Romæ, die decimo quinto Nouembris 1605.

4 Ratio est. Quia quando offertur sacrificium iuxta intentionem illius, qui primò daturus est eleemosynam, quamuis Deus sciat, quinam sit iste, non tamen determinatur oblatio sacrificij, vt sit pro hac persona, aut pro hac necessitate; & proinde sacrificium defectu determinationis non sortitur effectum, quem sortiturus est, qui daturus est eleemosynam. Nam qui celebrat habet intentionem vagam, cum non respiciat determinatam personam, at cuius intentionem celebrat, atque adeò nec etiam determinatam intentionem; vnde ex hoc capite non potest oblatio sortiri determinationem necessariam. Nec etiam ex eo, quod se connectat ad scientiam Dei, quia licet in scientia Dei sit determinata persona, & intentio illius, qui est primò daturus eleemosynam, hæc tamen scientia Dei non potest coniungi cum intentione celebrantis ad determinandam applicationem sacrificij, sicut coniungitur intentio commendantis Missas cum intentione Sacerdotis, quia scientia illa Dei est tantum repræsentatiua illius quod est futurum, non autem se habet vt operatiua, aut determinatiua intentionis operantis, quia talis determinatio debet esse ab aliqua voluntate.

5 Accedit etiam quod cum applicatio sacrificij sit relicta Sacerdoti, est humano modo facienda: vnde etiam debet humano modo determinari. Petere autem determinationem à scientia diuina, & determinare secundum mensuram scientiæ diuinæ, non est modus humanus determinandi, dato quod posset offerre determinationem, præsertim, quia si tunc non adest determinatio in eo, qui daturus est eleemosynas, talis determinatio erit in scientia Dei solum pro tempore futuro, & ideo non poterit de præsenti influere determinationem in intentionem celebrantis, cum solum secundum esse reale, & non secundum esse cognitum causare possit. Rursus, qui daturus est eleemosynam, intendit, quod sibi applicetur Missa modo consueto, & qui accipit consentit in ipsius petitionem, & ideo se obligat ad tali modo applicandum: vnde si vtatur applicatione iam facta secundum scientiam Dei non satisfaciet susceptæ obligationi.

6 Præterea qui daturus est eleemosynam, poterit petere Missam pro indigentia tunc vigente, quæ non aderat tempore, quo fuit Missa applicata, poterit aliquid speciale exigere, quod non fuerit seruatum in præterita celebratione. Et ideo si acceptat eleemosynam, consentit tacitè in ipsius petitionem, quam tamen non adimplet vtendo applicatione Missæ præteritæ: & ideo fallit ipsum, qui certè non daret eleemosynam, si sciret, quod Sacerdos adhibiturus esset pro satisfactione præteritam applicationem. Insuper dans eleemosynam speciali modo concurrit ad oblationem, ratione cuius percipit specialem fructum, quo fraudaretur, si Sacerdos de nouo non celebraret.

QVÆSTIO 169.

An applicatio Missæ conferri possit in voluntatem Dei.

SVMMARIVM.

1. *Applicatio Missæ an possit conferri in voluntatem Dei.*
   Deus vt causa vniuersalis determinatur obiectiuè à causis secundis.
   Deus dedit Sacerdoti potestatem applicandi sacrificium.
3. *Quæ dependent à libera voluntate, possunt in alienum arbitrium conferri.*
4. *Etiam diuinum.*
   Commercium adest inter Deum, & homines.
5. *Deus determinat nostras voluntates.*
6. *Quid sit remittere applicationem Missæ in Dei voluntatem.*
7. *Determinatio materiæ consecrandæ cur non possit remitti in alienam voluntatem.*
   Applicatio fructus sacrificij cur non possit remitti in Dei voluntatem.
8. *Applicans sacrificium iuxta alienum beneplacitum vtitur potestate applicandi.*
9. *Applicatio sacrificij an refundi possit in diuinam scientiam.*
10. *Intentio satisfaciendi propriæ obligationi sufficit pro applicatione debita sacrificij.*

1 TVnc applicatio sacrificij confertur in voluntatem Dei, quando Sacerdos non applicat ipsum pro determinata persona, sed vagè omnino pro illa, quæ sit determinanda per voluntatem diuinam; vnde ex parte Sacerdotis interuenit applicatio vaga, & determinatio indiuidualis reijcitur in voluntatem diuinam. Negant autem Tamburin. *opusc. de sacrif. Miss. lib.* 2. *cap.* 2. §. 9. *num.* 17. Mærat. *tom.* 3. *sum. disput.* 38. *de Eucharist. sect.* 8. ver. *Tertia quæstio.* Vericel. *in quæst. moralib. legalib. tractat.* 1. *quæst.* 21. Primò. Quia cum Deus sit causa vniuersalis, determinatur obiectiuè à causis secundis tàm necessarijs, quam liberis quoad speciem, & exercitium actionis, & proinde debet sequi determinationem nostræ voluntatis, quæ ideò prærequiritur vtpotè determinatiua causæ vniuersalis: ergo si Sacerdos non sit determinatus, vt offerat pro tali, neque Deus se determinat, vt sacrificium valeat pro tali. Secundò. Deus dedit Sacerdoti potestatem applicando sacrificium. Ad Hebr. 5. *Debet Sacerdos quemadmodum pro populo, ita pro seipso offerre sacrificium.* Et in forma Ordinationis. *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis & defunctis.* Ergo si ipse non determinat, nec Deus determinabit. Tertiò. Sacerdos nihil conficit, si ex tribus hostiis præsentibus intendat consecrare, quam Deus vult: ita ergo etiam in applicatione sacrificij. Quartò. Quia non vteretur humano modo, sicut debet, potestate applicandi sacrificium. Quintò. Non potest applicari sacrificium pro eo, quem Deus videt primo loco daturum eleemosynam: ergo nec pro eo, cui Deus vult applicari.

2 Communis tamen sententia tenet, quod possit applicatio remitti in voluntatem diuinam, itavt Sacerdos applicet pro eo, pro quo Deus vult applicari. Ita specialiter Scot. *quodlib.* 20. Nauar. *cap.* 25. *Manual. num.* 19. Suarez *disput.* 43. *de sacrament. sect.* 6. ver. *Et hinc sequitur.* Bonac. *disp.* 4. *de sacram. quæst.* 2. *punct.* 5. *in fine.* Auersa *quæst.* 2. *de Eucharist. sect.* 2.

ver. *Debet etiam.* Quartus *in Rubr. Missal. in Append. de sacrific.quæst.2. punct.13.* ver. *Respondeo affirmatiuè.* Faustus *de Eucharist. lib. 2. de sacrif. Miss. quæst.* 115. ver. *Respondeo.* loquens de translatione applicationis in voluntatem B. Virginis. Gabr. à S. Vincent. *de sacrament. disp.2. de sacrific. Miss. quæst.5. difficult.2.*

3 Dicendum est. *Applicationem sacrificij remitti posse ab offerente in voluntatem Dei.* Ratio est. Quia, quæ dependent à libera hominum voluntate, & dispositione, possunt ea natura rei transferri in alienum arbitrium, itavt ratam habeant dispositionem factam iuxta alienum arbitrium, vt per se notum est. Applicatio autem sacrificij dependet à libera dispositione offerentis, & ideo potest transferre in alienum arbitrium ab ipso determinandam dummodo determinatio fiat ante oblationem; atque adeò etiam in arbitrium diuinum, quia nihil obstat, quominus Deus determinet talem applicationem, præsertim quia ad ipsum spectat exequutio applicationis, seu collatio fructus prouenientis ex applicatione, nec est necessarium, quod determinatio diuina innotescat offerenti, cum non habeat præstare aliquid dependens ab hac determinatione.

4 Dices id valere respectu voluntatum humanarum, quia possunt sibi inuicem communicare: non autem respectu voluntatis diuinæ, quæ est superioris ordinis, & regit actiones, & determinationes diuinas tanquam determinationis causæ vniuersalis. Contra. Inter Deum & homines interuenit cómercium, nam homo supplicat, Deus concedit: homo promittit Deo, & ipse exigit promissa: homo colit Deum, & ipse retribuit: homo seruit, Deus imperat: ergo non obstante, quod voluntas diuina sit in superiori ordine, stante tali commercio, potest determinatio applicationis sacrificij remitti in Dei voluntatem, non secus, ac si seruus remitteret determinationem alicuius suæ actionis in voluntatem Domini.

5 Confir. Deus in aliis rebus determinat nostras voluntates, & nos ipsas illi subiicimus determinandas iuxta illius beneplacitum. Vnde Ecclesia orat, vt determinet nostras voluntates ad postulandum, quæ ipsi placent, vt in oratione Dominicæ nonæ post Pentecostes, ibi: *Fac eos, quæ tibi sunt placita postulare.* Petit determinari per inspirationem nostras cogitationes ad rectitudinem, vt in oratione Dominicæ quartæ post Pascha: *Largire supplicibus tuis, vt cogitemus te inspirante, quæ recta sunt.* Ergo cum Deus determinet nostras voluntates, poterit etiam determinare applicationem sacrificij remissam in ipsius beneplacitum, præsertim quia remittere in ipsius voluntatem non est aliud, quam petere ab ipso, vt determinet talem applicationem.

6 Ad 1. neg. conseq. Quia quando remittitur in Deum determinatio applicationis sacrificij: interuenit determinatio obiectiua ex parte remittentis, nam interuenit applicatio pro illo, de quo Deus sibi magis complacet; siquidem remittere applicationem in eius voluntatem, est applicare, prout ipsi magis placet. Cum ergo Deus videat, de quo sibi magis complaceat, habet determinationem obiectiuam sufficientem. Imò ex parte offerentis sacrificium interuenit etiam determinatio effectiua, quia applicat prout Deo magis placet, & effectiuè determinat applicationem iuxta determinationem obiectiuam, quæ est in diuina complacentia. Nec obstat quod determinatio remaneat ignota applicanti, nam etiam remanet ignota, quando applicat iuxta intentionem illius, qui dedit eleemosynam. Hinc etiam manet solutum secundum argumentum, nam offerens iuxta potestatem sibi tributam reuera determinat applicationem sacrificij, dum applicat iuxta beneplacitum diuinum, vt constat ex dictis.

Ad 3. neg. paritas. Quia consecratio debet immediatè operari circa materiam ex intentione consecrantis, & debet stare sub illius designatione demonstratiuo modo, vt verificentur pronomina demonstratiua *Hic*, & *Hoc*, quod fieri non potest, nisi in cognitione consecrantis sic determinata materia. Vnde solum posset in alienam voluntatem remitti determinatio, quando notificaretur ipsi determinatio ab alio facta. At applicatio sacrificij non operatur aliquid immediatè circa fructum sacrificij, quia causatur ab ipso sacrificio; imò cum fructus conferatur à Deo, potest determinatio reijci in ipsius voluntatem; quamuis, vt dictum est, non absolutè reijciatur, quia fit iuxta determinationem offerentis, qui applicat determinatè, dum applicat, prout Deo, magis placet, & Deus iuxta suum beneplacitum exequitur applicationem. 7

Ad 4. neg. quod assumit. Nam applicare sacrificium iuxta alterius beneplacitum, est vti potestate applicandi humano modo, vt constat quando Sacerdos applicat iuxta beneplacitum dantis eleemosynam. Ad 5. neg. consequent. Quia applicare pro eo, quem Deus scit primò daturum eleemosynam non est applicare secundum Dei voluntatem, sed secundum determinationem daturi eleemosynam, quatenus stat in scientia Dei, quæ solum potest stare vt futura, & non vt præsens atque adeò frustrari applicatio offerentis. 8

Ex dictis colligitur, quod applicatio sacrificij referri possit etiam in diuinam scientiam, quatenus scilicet in ipsa adest notificata determinatio, iuxta quam est facienda applicatio. Vnde hic modus supponit ex parte applicantis aliquam obligationem ad applicandum, & fit applicatio iuxta obligationem, quam scit Deus habere applicantem: & proinde applicatio totaliter determinatur ab applicante, sed determinatione sibi ignota, quia scilicet applicat secundum obligationem, quæ de præsenti vrget, sibi tamen ignotam, Deo autem notam. Et hic modus valdè inseruire potest pro iis, quibus incumbit onus applicandi ex obligatione plura sacrificia, cum difficilè determinare possint, quibus primo loco applicare teneantur. 9

Colligitur 2. Posse sacrificium applicari ab eo, qui tenetur pro aliquibus celebrare cum intentione satisfaciendi propriæ obligationi, vt notat etiam Quartus *in Rubr. Missal. in Append. quæst.2. punct.13.* ver. *Colligitur primo.* Imò hic modus est regulariter necessarius quoad eos, qui vndique colligunt eleemosynas, quia nesciunt, quibus primò satisfacere teneantur, cum etiam ignorent, à quibus acceperint stipendium. Tunc etiam sicut determinatè vrget obligatio pro tali, ita etiam determinatè fit pro ipso applicatio, quamuis ignoretur ab applicante: Quia tamen Deus scit, cui primò debeatur applicatio, ideò ipsi confert fructum: Vnde hic modus coincidit cum præcedenti, quia est applicare iuxta obligationem, quam Deus scit. 10

QVÆSTIO 170.

An quomodo plures Sacerdotes celebrant, possint singuli sacrificium applicare.

SVMMARIVM.

1. *Sacerdotes simul celebrantes possunt singuli applicare sacrificium, si se conforment principali offerenti.*

2. An

Digitized by Google

2. *An possint singuli seorsim applicare.*
3. *Quando plures simul consecrant subordinantur Christo principali consecranti.*
In hac subordinatione vnus est principalis minister, alij accessorij.
4. *Quia non offerunt de per se, nec de per se possunt applicare.*
5. *Quando simul plures consecrant, vnicum est sacrificium, & consecrationes se habent per modum vnius.*

1 CAsus contingit in Ordinatione Sacerdotum, quando ordinati consecrant simul cum Ordinante, & in consecratione Episcopi, qui consecrat simul cum consecrante. Certum autem est, quod possunt singuli applicare, si se conforment intentioni principalis consecrantis, quia sicuti ipsi quoque reuera consecrant, ita etiam habent facultatem disponendi de fructu sacrificij simul cum consecrante. Vnde difficultas est, an possint applicare validè alteri ab eo, cui applicatur à principali consecrante.

2 Partem affirmatiuam tradunt Vasquez 3. *part. disput.* 231. *cap.* 6. *num.* 41. addens, quod illud sacrificium æquè prodest omnibus, ac si ab vno tantum vni tantum applicaretur, quia putat fructum sacrificij esse infinitum. Caspens. *part.* 2. *Curs. Theolog. tract.* 23. *disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 21. Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 38. *de Eucharist. sect.* 8. ver. *Superest.* Præposit. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 18. *num.* 102. Quintanaduen. *tom.* 2. *tract.* 2. *sing.* 3. *num.* 7. qui vult etiam, posse singulos accipere stipendium. Fundamentum est. Quia omnes consecrantes non sunt causæ partiales consecrationis, sed totales, itavt quilibet per se sufficiens esset ad consecrandum: & proinde sacrificium est sub singulorum dispositione adæquatè, quia dispositio fundatur in consecratione, & ideò causa totalis habet adæquatè dispositionem de ipso.

3 Tenendum tamen est. *Quod non possint validè applicare, si discordent ab applicatione principalis consecrantis.* Et multò minùs accipere stipendium intuitu illius Missæ. Ratio est. Quia omnes isti consecrantes non ex persona propria, sed in persona Christi, qui est principalis consecrans, & ratione ipsius vniuntur moraliter in vnicum consecrantem, non secus ac si plura instrumenta adhiberentur ad aliquam actionem à principali agente. In hac autem vnione, quæ fit in principali consecrante Christo, Ordinans est principalis consecrator, & cæteri se habent vt adiuncti, & accessorij, atque adeò quasi sequentes motum ipsius: ergo cum facultas applicandi sacrificium non conueniat, nisi ratione oblationis, eo modo tantum conuenit, quo fit oblatio: ergo cum ordinati non offerant de per se, sed cum dependentia ab Ordinante, & tanquam accessorij; nec etiam possunt applicare de per se, sed solum cum dependentia à principali consecrante, & accessoriè ad ipsius applicationem, aliàs applicatio erit nulla.

4 Nec obstat, quod potestas offerendi conueniat singulis de per se. Quia solum ex hoc fit, quod de per se possunt offerre, & applicare. De facto tamen, cum non offerunt de per se, sed cum dependentia, nec etiam de per se applicare possunt, quia applicatio correspondet immediatè oblationi, & secundum actum offerendi regulatur.

5 Nec dici potest, quod sit multiplex sacrificium, quia sunt distinctæ numero consecrationes, nam tendunt ad eumdem terminum per modum vnius. Vt autem multiplicetur sacrificium requiritur multiplicatio consecrationis, & termini.

QVÆSTIO 171.

Quænam applicatio præualeat, quando Sacerdos pluries idem sacrificium applicat.

SVMMARIVM.

1. *Posterior applicatio valet retractata priori.*
2. *Applicatio prior præualet, si cauteletur contra subsequentes.*
3. *Si memor prioris applicationis ponat aliam, quid dicendum.*
4. *Quomodo vtraque applicatio accipienda.*
5. *Posterior applicatio si intendit totaliter applicare, excludit priorem applicationem.*
6. *Obligatio offerendi exigit, quod vna sit tantum applicatio sacrificij.*

IN hac difficultate aliqua sunt certa, & aliqua dubia. Certum est enim, quod si Sacerdos priùs applicet sacrificium pro vno, & deinde memor huius applicationis ipsam tractat, & applicat alteri, valebit hæc posterior applicatio, quia sola subsistit, cum prior per retractationem euanescat. Et ita notat etiam Tamburin. *Opusc. de sacrific. Missæ, lib.* 2. *cap.* 2. §. 11. *num.* 1. 1

Rursus certum est etiam, quod si ita applicet pro aliquo sacrificium, vt simul intendat, quod talis applicatio semper valeat etiam si postea alio modo applicaret, aut ex obliuione, aut ex alio motiuo, valebit prior applicatio, nisi posteriorem intendat valore, non obstante, quod voluerit, priorem semper subsistere, quia in hoc casu derogat cautioni adhibitæ pro priori applicatione, vt notat etiam Tamburinus *Opusc. de sacrific. Missæ, lib.* 2. *cap.* 2. §. 11. *num.* 5. Ratio est. Quia illa cautela adhibita pro priori applicatione illam præseruat à quacunque contraria superueniente, vt etiam contingit in testamentis, nam posterius non derogat priori, si in ipso adhibeatur talis cautela, vt debeat subsistere non obstante quocunque alio superueniente, quia tunc priùs derogat posteriori, *l. si quis in principio, ff. de legat.* 3. His autem suppositis difficultas reducitur ad duo capita, quorum primum est, quando Sacerdos memor prioris applicationis applicat totam æquè pro alio non derogando priori applicationi. Secundum est, quando immemor prioris applicationis, absolutè applicat Missam pro alio. 2

Quod spectat ad primum caput difficultatis Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.* 2. *cap.* 2. §. 11. *n.* 3. putat, quod in tali casu sacrificium neutri proficiat, quia inquit hæ duæ voluntates sunt inuicem contrariæ, nempè applicare æquè totam Missam pro Paulo, & æquè totam pro Francisco, siquidem, quod per vnam intenditur, per aliam non intenditur, & ideò nihil intenditur; non secus ac si Sacerdos nulli sacrificium applicaret. Verum hoc dici non potest, quia si voluntates sunt contrariæ, posterior derogat priori, quia ad derogationem non requiritur expressa voluntas derogandi, sed sufficit tacita, quæ tunc interuenit, quando fit actus contrarius priori, vt constat in derogatione legum; neque enim est necessarium, quod legislator expressè deroget legi, sed sufficit, quod condat legem contrariam priori. Et proinde Missa sortiretur suum effectum iuxta posteriorem applicationem. 3

Dicendum est. *Missam tali modo applicatam sortiri æqualiter suum effectum in vtroque.* An autem tantus sit, quantus esset, si vni tantum applicaretur, pendet ex alia quæstione; an scillicet Missa appli- 4

cata pluribus æquè prosit, ac si vni tantum applicaretur, de quo suo loco. Ratio est. Quia istæ voluntates non sunt contrariæ, nam si posterior ita applicaret totam Missam, vt per hanc voluntatem excluderetur à participatione fructus sacrificij ille, pro quo primò fuit applicata, retractaretur prior applicatio: ergo cum non retractetur vtraque voluntas erit applicatiua sacrificij: ergo cum æqualiter appliret sortietur æqualiter suum effectum in vtroque, quia sacrificium de se est aptum sortiri suum effectum in fauorem plurium, siue loquamur quoad satisfactionem, siue quoad impetrationem. Confirm. Intentio applicandi totam Missam æquè pro vtroque, dum vna applicatio non retractat aliam, debet accipi secundum subiectam materiam, atque adeo eo modo, quo sacrificium est æquè totum applicabile pro pluribus: ergo in vtroque sortietur suum effectum iuxta suam applicabilitatem. Neque enim applicans intendit applicare alio modo, præsertim contrario, quàm sit applicabile.

5 Ex his colligitur. Quod si intenderet applicare totum sacrificium pro posteriori, vt vellet totum fructum, & totaliter participari ab ipso, tunc talis voluntas esset exclusiua prioris applicationis, quia velle quod sacrificium prosit secundum se totum vni, & totaliter est excludere virtualiter quemcunque alium à participatione ipsius; & proinde sacrificium posteriori tantum prodesset.

6 Colligitur 2. Eum, qui tenetur ex pacto celebrare cum applicatione sacrificij, non posse tali modo applicare, etiam si pactum cum vno tantum interueniret, quia petens applicationem sacrificij, intendit excludere quemcumque alium à participatione fructus specialis illius sacrificij: & Sacerdos acceptans onus consentit in ipsius petitionem, & proinde aliter applicans, non satisfaceret obligationi assumptæ.

QVÆSTIO 172.

Quanam applicatio teneat si Sacerdos immemor prioris applicationis applicet sacrificium pro alio.

SVMMARIVM.

1. *Applicatio sacrificij subsequens ex obliuione prioris secundum aliquos valet.*
2. *Secundum alios tenet prior applicatio.* *Expressa applicatio præualet præsumptæ voluntati tribuendi alteri ius suum.*
3. *In applicante Missam attendenda est voluntas interpretatiua, si oblitus sit prioris applicationis.* *Error excludit consensum.*
4. *Posterior applicatio valet oblita priori, si fiat ex instanti indigentia.*
5. *Quid faciendum quando dubitatur de validitate plurium applicationum.*

1 VAlere posteriorem applicationem, sentiunt nonnulli Recentiores. Quia sicut posterius testamentum præualet priori, etiam si testator prioris non recordetur, ita etiam in applicatione sacrificij, quia est eadem ratio. Verum non esse eamdem rationem, sed longè diuersam obseruat Tamburin. *Opusc. de sacrific. lib. 2. cap. 2. §. 1 t. num.* 8. Quia voluntas testatoris nullam habet vim quoad affectus prærdinatos in testamento, nisi morte confirmetur, & ideo ante mortem remanet in suspenso eius efficacia, vtpotè transflata ad tempus mortis. At voluntas, qua de præsenti applicatur sacrificij fructus non expectat aliquam futuram confirmationem, sed de præsenti est efficax ad sortiendum suum effectum.

Tamburinus verò *num. praeced.* citat. vult valere priorem applicationem. Quia præsumitur quisque velle vnicuique tribuere ius suum: vnde cum qui prior est tempore, sit potior iure, nisi aliud obstet, is, pro quo prius applicatum est sacrificium, est potior iure, quàm sit is, pro quo posteriori loco fuit applicatum, & nihil obstet contra ipsum, stante vniuersali intentione tribuendi vnicuique ius suum, percipiet fructum sacrificij, quia non censetur reuocasse priorem applicationem, cuius est oblitus, sed velle, quod habeat suum effectum. Verum neque hoc subsistere potest, saltem vniuersaliter loquendo. Quia effectus sacrificij dependet à particulari voluntate disponente de ipso, quæ præualet vniuersali voluntati vnicuique ius suum tribuendi: vnde si stante tali voluntate applicaret sacrificium contra id, quod debet ex iustitia, teneret applicatio, vt infra dicetur. Cum ergo posterior voluntas sit specialis dispositio de fructu sacrificij, præualebit præsumptæ voluntati tribuendi vnicuique ius suum. Et cum sit voluntas contraria priori in ordine ad effectum, siquidem non potest stare dispositio ipsius quoad effectum cum dispositione prioris, ipsi derogabit, & virtualiter eam reuocabit. 2

Recurrendum est itaque in hoc casu ad voluntatem interpretatiuam, & considerandum attentis circumstantiis, an si recordaretur prioris applicationis, illam, nihilominus manuteneret, in concursu posterioris, an verò reuocaret ob motiua applicandi pro alio, quæ de præsenti supereuenirent. Si enim de præsenti non habet motiua reuocandi priorem applicationem, stante obliuione prioris applicationis, censendus est ex errore de præsenti applicare pro alio, quia in hoc casu obliuio, & inconsideratio æquiparatur errori, nam applicando errat, dum applicat aliter, ac priùs applicauit absque motiuo mutandi applicationem. Cum ergo error excludat consensum, *l. si per errorem, ff. de iurisdic. om. iudic.* & *l. Si procurator. ff. de acquiren. rer. dom.* & *l. Non idcirco, ff. de iur. & fac. ignoran.* non censetur consentire in posteriorem applicationem, & ideo valebit prima. Si verò de præsenti interueniunt talia motiua, quæ sint sufficientia, vt causent mutationem voluntatis circa applicationem, tunc cum applicet ex illis motiuis, quæ facerent retractari priorem applicationem, si occurreret, non applicat ex errore, sed tacitè reuocat priorem applicationem, & proinde posterior valebit. 3

Ex his colligitur. Quod, si quis applicasset sacrificium pro aliquo, deinde rogaretur, vt applicaret pro alio intuitu alicuius præsentaneæ necessitatis, quia scilicet instaret indigentia diuini auxilij, vt si peteret applicationem pro infirmo, aut pro aliquo negocio tunc expediendo, aut pro tunc defuncto, & immemor prioris applicationis applicaret iuxta posteriorem instantiam, valeret posterior applicatio, quia adest sufficiens motiuum retractandi priorem applicationem, quam scilicet expressè retractaret, si illius recordaretur: nam præsentanea necessitas, pro qua cogatur, faceret retractare priorem applicationem. Hoc tamen est ita intelligendum, vt solum habeat locum, quando non adest vrgens necessitas quoad priorem applicationem, nam tunc motiuum posterioris applicationis non esset sufficiens pro retractanda priori, nisi fortè esset vrgentiùs, itavt priori præualeret. 4

Secundo colligitur. Quod pro tollendo omni dubio posset Sacerdos applicare aliud sacrificium cum intentio 5

intentione, vt valeat pro secundo, aut pro primo, pro quo non valuit applicatio præcedentis sacrificij, vt notat etiam Tamburin. *Opuscul. de sacrific. lib.2. cap.2.§.11.num.9.* Nam in tali casu, si ex illis duabus applicationibus valuit posterior, compensabit priorem applicationem, cuius fuerat oblitus; si valuit prior compensabit posteriorem.

QVÆSTIO 173.

An obligatus applicare sacrificium pro vno, possit etiam applicare pro alio.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium gradatim pro pluribus potest applicari, & quomodo.*
2. *Stante obligatione applicandi subsequentes applicationes debent esse saltem virtualiter conditionales.*

1 QVod obligatus applicare Missam pro vno, possit etiam applicare pro aliis, ita vt satisfaciat obligationi, si tamen gradatim applicet, & intendat, quod sacrificium tantum valeat pro Petro, pro quo tenetur applicare, quantum valere potest, deinde applicet etiam pro Paulo, quantum potest, & si successiuè pro aliis tradit Sotus *quodlib.20. littera L.* quia per posteriorem applicationem, non tollitur, quin sacrificium possit Petro, quantum prodesse potest.

2 Pro quo est aduertendum. Quod duplici modo potest contingere hæc applicatio vel absolutè, ita vt absoluta pro omnibus: vel conditionatè, ita vt si non valeat pro Petro, valeat pro Paulo, & sic deinceps. Hic modus posterior nullam habet difficultatem, quia obligatio applicandi sacrificium est iuxta capacitatem illius, pro quo est applicandum; vnde cum non se extendat vltra capacitatem remanet liberum Sacerdoti applicari alteri sub conditione, quod ille, pro quo obligatur, non sit capax fructus. Prior autem modus ita debet accipi, vt applicatio pro primo sit secundum mensuram obligationis, atque adeò intendere debet illam applicationem, quæ satisfaciat obligationi. Quo posito subsequentes applicationes sunt virtualiter conditionales; & valent supposito, quod valere possint. Ex quo fit, quod non possit accipi, nisi vnicum stipendium ratione primæ, & absolutæ applicationis iuxta ea, quæ infra suo loco dicentur.

QVÆSTIO 174.

An superior Ecclesiasticus possit subditis præcipere applicationem sacrificij interueniente obligatione iustitiæ.

SVMMARIVM.

1. *Obligari potest Ecclesia ex diuersis titulis ad applicanda sacrificia.*
2. *Quando Ecclesia obligatur superior potest præcipere subditis applicationem sacrificij.*
3. *Obligationes communitatis afficiunt eos, qui sunt de communitate.*
4. *Si Regula prohibeat assumere onera Missarum, superior non potest obligare subditos ad ijs satisfaciendum.*
5. *Superiores sæculares quando possint obligare Sacerdotes addictos Ecclesiæ ad applicandum sacrificium.*
6. *Religiosus non applicans sacrificia iuxta præscriptionem superioris quotupliciter peccet. Tenetur compensare.*
7. *Superior potest iniungere applicationem sacrificij pro oneribus annexis Ecclesiæ, etiamsi iuxta Regulam non suscipiant onera Missarum. Res transit cum suo onere.*

DIfficultas procedit, quando obligatio iustitiæ non est priuata subditi, sed communis Ecclesiæ, seu Conuentus. Ex diuerso autem capite potest interuenire huiusmodi obligatio, vel quia sit imposita in fundatione, vel quia sit coniuncta dotationi; vel quia Monasterium susceperit onus Missarum perpetuarum; vel quia Superior acceptauerit stipendia pro missis Monialibus, vel ex quocunque alio capite: est enim eadem ratio de omnibus. 1

Dicendum est. *Interueniente obligatione iustitiæ, quæ quecunque modo transeat in Conuentum posse superiorem percipere subditis applicationem sacrificij.* Ita communiter Syluester *verbo* Missa.1. *quæst.*12. Sanchez *lib.6. sum. cap.2. num.6.* Suarez *lib.3. de legib. cap.29. num.*10. Coninch *de sacram. quæst.83. art.1. dub. 9. num.* 169. Facundez *præcept. 1. Eccles. lib.3. cap.10. num.4. & 6.* & specialiter in terminis præsentis difficultatis Francisc. Lugo *lib.5. de sacrament. cap.3. quæst.3. num.*18. Tamburin. *opusc. de sacrific. lib.2. cap.2. §.9. num.*2. Quartus *in Rubric. Missal. in Append. de sacrif. qu.2. punct.*15. *vet. Primus casus est.* 2

Ratio est. Quia prædictæ obligationes, ita sunt obligationes Monasterij, vt sint etiam obligationes Religiosorum: siquidem sunt obligationes Monasterij, quatenus efficit aliquam communitatem. Obligationes autem communitatis sunt membra communitatis. Et ideò obligatio applicandi Missas, quæ est penes Conuentum afficit singulos Religiosos, quatenus sunt membra Monasterij: ergo Superior tanquam caput Monasterij potest præcipere subditis applicationem sacrificij pro satisfaciendo huic obligationi, quia præcipit id, ad quod in foro externo tanquam membra monasterij tenentur ex contractu, seu pacto. Vnde cessat difficultas, quod non possit præcipere actus internos, quia præcipit externum nempè adimpletionem obligationis contractam in foro externo trahentem necessariò actum internum. Et cum sit obligatio, quæ non potest per quoscunque adimpleri, sed tantum per Sacerdotes, dum à Monasterio suscipitur, afficit tantum eos, qui possunt ipsam adimplere, nempè Sacerdotes. 3

Ex his colligitur. Quod, si aliqui Religiosi iuxta suam Regulam non possent assumere onera Missarum, si assumerentur à Superiore Monasterij, non posset obligare subditos, quantum est ex hoc capite ad applicanda sacrificia, vt satisfieret oneribus susceptis. Cùm enim obligatio assumeretur à superiore contra præscriptum Regulæ, non afficeret Monasterium, quia non habet facultatem, nisi secundum mensuram Regulæ, & ideò, quando facit contra Regulam, aut ipsam excedit, nulliter agit. Dum autem non afficit Monasterium, nec etiam afficit Religiosos Monasterij. An autem possit ex alio capite obligare, constabit ex dicendis. 4

Secundò colligitur. Superiores quoque sæculares posse obligare ad applicationem sacrificij Sacerdotes sæculares, qui quoad celebrationem sunt addicti seruitio alicuius Ecclesiæ, quando Ecclesia habet onera Missarum adimplenda. Nam eo ipso, quod Sacerdos est obligatus inseruire Ecclesiæ quoad 5

celebra

celebrarionem, seu tanquam Sacerdos, est eriam obligatus ad satisfaciendum oneribus eiusdem Ecclesiæ: & ideò superior præcipere potest hanc satisfactionem. Hoc ramen est limitandum, nisi aliàs applicatio sacrificij esset debita pro determinatis personis, vt contingit in Capellaniis, quæ fundantur cum obligatione celebrandi in aliqua Ecclesia, & applicandi sacrificium pro certis personis.

6 Tertiò colligitur. Religiosos non applicantes Missas radicatas in obligatione iustitiæ, quando id eis iniungitur à Superiore, committere duplex peccatum. Nam peccant contra iustitiam, quia cum Conuentus teneatur ex iustitia ad has Missas applicandas, ipsi quoque tenentur eadem lege tanquam membra communitatis. Peccant etiam contra obedientiam, quia ratione voti obedientiæ superior habet facultatem præcipiendi iuxta regulam, atque adeò iniungendo subditis, vt satisfaciant oneribus Monasterij; quia ratione regulæ obligatio satisfaciendi his oneribus est penes communitatem, atque adeò membra ipsius. Ita Ludouic. à S. Ioan. *part.* 1. *sum. quæst.* 10. *de Eucharist. artic.* 7. *dub.* 1. *append.* 1. Ludouic. à Cruce *in Bul. composit. disput.* 3. *dub.* 12. *num.* 16. Garçia *in sum. tract.* 3. *de sacrif. Miss. diffic.* 3. *dub.* 5. *punct.* 1. *num.* 4. Ex quo fit, quod si aliquis non applicaret iuxta superioris præscriptionem, teneretur ad restitutionem, & deberet compensare iis sacrificiis, quorum applicatio est sibi libera, etiam si vnicum tantum sacrificium liberum in hebdomada concederetur, quia non præsumitur Religiosus in tali necessitate spirituali, vt non possit se priuare tali sacrificio; præsertim cum per quodlibet sacrificium obtineat fructum specialissimum proprium offerentis. Quod autem dictum est de peccato contra obedientiam, debet intelligi, quando superior grauiter obligat præcipiendo, nam si tantum præscribat satisfactionem Missarum iuxta obligationem, quæ adest, interueniet solum peccatum contra iustitiam, vt notant etiam Sanchez *lib.* 6. *sum. cap.* 4. *num.* 6. Quartus *in Rubr. Missal. in Append. de sacrif. quæst.* 2. *punct.* 15. ver. *Posito autem.* In dubio autem non est præsumendum, quod præcipiat imponendo nouam obligationem.

7 Quartò colligitur. Posse superiorem præcipere subditis applicationem sacrificiorum, etiam si aliàs iuxta regulam non susciperent onera Missarum, si religio acceptasset aliquam Ecclesiam, cui essent annexa onera Missarum, vt aduertit etiam Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 5. & *cap.* 3. *num.* 3. Tamburin. *opusc. de sacrif. lib.* 2. *cap.* 2. §. 9. *num.* 14. ver. *Quænam sint.* Res enim quælibet transit cum suo onere, *l. Is cui. ff. de noui oper. nunciat.* & *l. Via constitui,* §. *Si fundus, ff. de seruit. rusticor. prædior.* & Cap. *Pastorales*, & Cap. *In aliquibus, de decim.* & Cap. *Tua, de vsur.* Vnde cum Ecclesia transierit ad religionem, transiit etiam onus Missarum ipsi annexum.

QVÆSTIO 175.

An quando Constitutiones Religionis præcipiunt applicari aliquas Missas pro fundatoribus, benefactoribus, defunctis eiusdem religionis possit superior præcipere applicationem sacrificij.

SVMMARIVM.

1. *Superior præcipere potest subditis applicationem Missæ, si celebratio iniungatur per Constitutiones Ordinis.*
2. *Ex præscriptione Constitutionum oblationis sacrificiorum non inducitur contractus virtualis, &c.*
3. *Superior præcipere potest secundum Regulam.*
4. *Si Religio non teneatur ex iustitia, subditus non applicans Missas non peccat contra iustitiam.*
5. *Superior potest præcipere applicationem Missæ pro benefactoribus independenter à Constitutionibus.*

Dicendum est. *Superiorem posse subditis sacrificij applicationem præcipere, quando Constitutiones præscribunt applicanda sacrificia, siue pro fundatoribus, siue pro benefactoribus, siue pro quibuscunque alijs.* Ita Syluester *verbo* Missa 1. *num.* 12. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 21. *num.* 6. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 6. Alphons. de Leone, *de offic. Capellan. quæst.* 1. *sect.* 4. *num.* 40. Quartus *in Rubric. Missal. in Append. quæst.* 2. *punct.* 15. ver. *Vtraque sententia.* Francisc. Lugo *de sacram. lib.* 5. *cap.* 3. *quæst.* 3. *num.* 28. Bossius *part.* 1. *moral. tit.* 1. §. 25. *num.* 412. Qui id reducunt in contractum virtualem, qui interest inter religionem, & eos, pro quibus Missæ applicandæ sunt, quia dum bona sua Monasteriis applicant, id faciunt sub spe consequendi illa suffragia, quæ præscribit religio. 1

Verum hic contractus virtualis difficilè sustineri potest, quia sola spes non potest ipsum inducere, nam requiritur saltem virtualis intentio, vltrò citróque obligatoria, sicut ad formalem contractum requiritur expressa intentio se obligandi. Dum autem in religione præscribuntur sacrificia, & alia suffragia pro benefactoribus, non adeat intentio se obligandi vltrò citróque, cum id fiat ad ostendendam gratitudinem, vnde præscriptio religionis inducit solam obligationem gratitudinis. 2

Ex eo igitur capite potest Superior præcipere applicationem sacrificij, quia habet facultatem præcipiendi omnia, quæ sunt secundum regulam. Cùm igitur Religio præcipiat ostensionem gratitudinis per applicationem sacrificiorum, & Religiosi in foro externo susceperint hanc obligationem ostendendi gratitudinem, & applicandi sacrificium, potest Superior id ab ipsis exigere, atque adeò suscipere. 3

Ex his colligitur contra Alphonsum de Leone *num.* 1. citat. Religiosum ad applicantem hæc sacrificia non peccare contra iustitiam, siquidem non tenentur ex iustitia applicare, sed solum ex obligatione assumpta, dum se obligauerunt ad Regulam; & ideò non consurgit obligatio ad restitutionem, quæ solum oritur ex læsione iustitiæ; præsertim quia neque Religio tenetur applicare ex iustitia. 4

Et hoc habet locum, etiam si Constitutiones non præscribant hanc applicationem: nam de iure naturali obligat gratitudo, & Religiosi debent eam ostendere exhibendo spiritualia tanquam propria ipsorum. Et ideò dum Superior præcipit applicationem sacrificiorum, determinat obligationem, atque adeò præcipit secundum Regulam satisfacere propriæ obligationi. 5

QVÆSTIO 176.

An Superior Regularis possit præcipere applicationem sacrificij pro religiosis suæ religionis defunctis.

SVMMARIVM.

1. *Religiosi tenentur applicare sacrificia præscripta pro Confratribus defunctis.*

2. Tenentur

2. *Tenentur ea obligatione, quam inducunt Conſtitutiones.*
3. *Superiores regulares quam applicationem Miſſarum poſſint præcipere pro Confratribus defunctis.*
4. *Quid ſi Conſtitutiones nihil iniungant.*
Religioſus tenetur tendere ad perfectionem.
Perfectio conſiſtit in Charitate.
5. *Religioſi non applicantes Miſſas pro Confratribus peccant grauiter contra Charitatem.*
Charitas obligat ad magis diligendos magis coniunctos.
6. *Superiores non applicantes Miſſas pro Confratribus peccant grauiter.*
Superiores non ſeruantes Conſtitutiones in re graui, an grauiter peccent.
7. *An ex neceſſitate poſſit omitti applicatio Miſſarum pro Confratribus.*

1 DVplici modo contingere poteſt præceptum. Primò, ſi conſtitutiones religionis præſcribant vel in genere, vel in ſpecie tot ſacrificia applicari pro fratribus defunctis. Secundò ſi conſtitutiones circa hoc nihil præſcribant. Supponendum eſt autem, quod Religioſi ſingularum religionum tenentur applicare pro confratribus defunctis ea ſacrificia, quæ præſcribunt conſtitutiones; quia cum per profeſſionem ſuſceperint in ſe obligationem ſeruandi regulam, & conſtitutiones, tenentur etiam in hoc illas ſeruare. Et ideò ſi præcipiant ſolum, quod offerant ſacrificium, ſpectabit ad ſuperiorem determinare numerum ſacrificiorum applicandorum. Hæc autem determinatio erit facienda non ad merum libitum, ſed regulata ad normam rationis habita ratione circumſtantiarum, & poſſibilitatis Conuentus; quia omnis facultas conceſſa ſuperioribus eſt intra terminos rationis

2 Secundò eſt ſupponendum. Quod huiuſmodi obligatio eſt eiuſdem rationis cum vniuerſali obligatione conſtitutionum tanquam pars ipſius, niſi aliquid ſpeciale in ea imponenda exprimatur. Et ideò, ſi conſtitutiones generaliter non obligant ad culpam, ſed ſolum ad pœnam, in hac quoque parte non obligabunt; & ideò religioſus non applicans præſcripta ſacrificia, quantum eſt ex vi conſtitutionum, non peccabit, licet puniri poſſit tanquam tranſgreſſor earumdem conſtitutionum in re graui. Eſt enim res valdè grauis ſuffragari defunctis fratribus, cum ſit vnum ex præcipuis, in quibus charitas, quæ inducit perfectionem religioſam, vt communiter cum D. Th. 2.2. *qu.* 184. *art.* 1. *in corp.* exercenda eſt, & ideò ſi violantur in hoc, grauiter læditur religioſa charitas.

3 Dicendum 1. *Superiores Regulares poſſe præcipere ſubditis applicationem ſacrificiorum pro fratribus defunctis, quæ præſcribuntur in conſtitutionibus; aut ſi non præſcribant in ſpecie, ſed ſolum in genere, applicationem eorum, quæ ipſi determinauerint.* Ratio eſt. Quia huiuſmodi applicatio eſt ſecundum regulam, cum à conſtitutionibus præſcribatur vel in genere, vel in ſpecie, & proindè Religioſus ſuſcepit in profeſſione hanc obligationem. Poteſt autem ſuperior exigere à ſubdito etiam mediante præcepto, ad quæ ſe in profeſſione obligauit, cum habeat vim coactiuam quoad omnem obligationem ſubditorum.

4 Dicendum 2. *Si conſtitutiones nihil præſcribant circa applicationem ſacrificiorum pro defunctis Ordinis, poteſt adhuc ſuperior præcipere ſubdito applicationem aliquorum ſacrificiorum pro ipſis.* Ita Doctores *quæſt. præced. num.* 1. *citati.* Ratio autem eſt. Quia religioſus eſt in ſtatu perfectionis, vt docent communiter cum D.Th. 2.2. *qu.* 184. *art.* 5. quatenus aſſumit ſtatum in quo tenditur ad perfectionem, & ideò ratione ſtatus aſſumpti tenetur tendere ad perfectionem, vt etiam communiter cum eodem D. Th. 2.2. *qu.* 186. *art.* 2. *in corpore*, & *ad* 1. Vndè cum perfectio conſiſtat in charitate, vt notat D. Th. *ead.* 2.2. *qu.* 184. *art.* 1. ratione ſtatus tenetur religioſus ſe promouere ad charitatem. Cum ergo poſſit ſuperior præcipere religioſo, quæ ſunt ſecundum regulam, atque adeò quæ conducunt ad acquirendam perfectionem, ad quam tendere debet, poterit etiam præcipere applicationem ſacrificiorum pro defunctis ſuæ religionis, quia in hoc exercetur charitas erga defunctos, atque adeò eſt medium conducens religioſum ad perfectionem, & eſt ſecundum regulam, quia regula exigit mutuam vnionem charitatis inter religioſos.

Ex dictis colligitur, quod quando conſtitutiones religionis præſcribunt applicationem aliquorum ſacrificiorum pro defunctis fratribus, quamuis non applicantes non peccent ex vi conſtitutionis præſcribentis applicationem, ſi aliàs non obliget ad peccatum, peccabunt tamen grauiter contra charitatem, qua tenentur diligere proximum. Cum enim charitas obliget ad diligendum proximum, & magis eos, qui ex proximo nobis magis coniuncti ſunt, vt aduertit D. Th. 2.2. *qu.* 44. *art.* 8. *in corpore*; & *ad* 2. *in fine*, fit, quod religioſi tanquam ſibi inuicem coniuncti ſub eadem regula, & in eadem via ad perfectionem, & ſpeciali vinculo fraternitatis, teneantur ſe inuicem diligere ſpeciali modo, & magis, quàm cæteros, qui non ſunt eiuſdem Inſtituti. Vndè quando conſtitutiones præſcribunt applicationem ſacrificiorum pro religioſis defunctis eiuſdem religionis, determinant in quo ſpecialis charitas exercenda ſit, qua ſe inuicem complecti debent religioſi eiuſdem religionis, & ideò ſubintrat obligatio charitatis exigens huiuſmodi ſacrificiorum applicationem. 5

Colligitur 2. Quod ſi ſuperiores Regulares reſeruent ſibi applicationem ſacrificiorum ſuorum ſubditorum, & non applicent pro defunctis ſui ordinis, quando conſtitutiones præſcribunt applicare, peccant mortaliter. Tum quia non implent obligationem charitatis, quæ ſubintrat ex vi præſcriptionis conſtitutionum, vt dictum eſt, *num. præcedenti.* Quæ tranſit in ſuperiores, dum ſibi reſeruant applicationem. Tum quia in re graui non ſeruant conſtitutiones. Licet enim conſtitutiones non obligent ad culpam, quia tamen ſuperiores ratione muneris tenentur curare obſeruantiam ipſarum, ita vt peccent mortaliter, ſi notabiliter negligant obſeruantiam, quia notabiliter deficiunt in munere proprio, ideò dum non obſeruant in re graui, grauiter peccant non ex vi conſtitutionum; ſed ratione obligationis aſſumptæ cum aſſumptione muneris, quod exigit conſtitutiones ab ipſis obſeruari, cum non poſſint earumdem obſeruantiam manutenere, ſi ipſi in rebus grauibus non ſeruent. 6

Et hoc habet locum, etiam ſi Monaſterium aliqua neceſſitate premeretur, ita vt videretur licitum omittere applicationem ſacrificiorum pro defunctis, vt mediante eleemoſyna, quæ acquireretur applicando alijs ſacrificia ſubueniretur neceſſitati. Nam cum adſit obligatio charitatis applicandi præſcripta ſacrificia, non ceſſat hæc obligatio concurrente dicta neceſſitate. Quia, vt ait D. Th. 2.2. *qu.* 44. *art.* 8. *ad* 2. *Cum mandatur* 1. Ioan. 3. *Quod debemus pro fratribus animam ponere, id eſt vitam corporalem, datur intelligi, quod proximum plus debemus diligere, quam corpus proprium*, atque adeò etiam plus, quàm cætera temporalia, quæ ſunt propter corpus. Vndè neceſſitas ſpiritualis confratrum defunctorum anteponi debet neceſſitati temporali Monaſterij, præſertim ſi non ſit grauiſſima. 7

QVÆSTIO 177.

An superiores Regulares possint subditis præcipere applicationem sacrificiorum in beneficiam alterius Conuentus.

SVMMARIVM.

1. *Superiores an possint præcipere applicationem Missarum in beneficium aliorum Conuentuum.*
3. *Si non accipiant eleemosynam pro celebratione, possunt præcipere.*
4. *Secus si accipiant.*
Potestas superiorum est intra terminos rationis.
Nemo locupletari debet cum alterius iactura.
Non est secundum charitatem alium locupletare cum propria iactura.

1 Contingere potest, quod aliquod Monasterium sit grauatum oneribus Missarum, aut indigeat pro fabrica, aut pro alendis religiosis, aut ex aliquo alio capite; dubitatur modo, an superiores maiores possint subuenire tali Monasterio præcipiendo subditis aliorum Monasteriorum, vt applicent sacrificia pro eleemosyna percepta in beneficium dicti Monasterij. Negat Syluester *verbo.* Missa 1. *quæst.* 12. Qui vult, posse tantum præcipi applicationem, quando Missæ redundant in beneficium Monasterij, quia homo super hominis intentionem potestatem non habet. Quam rationem putat inefficacem Marchin. infra citandus; sed fortè quia eius efficaciam non percepit. Nam cum religiosus tanquam membrum teneatur iure naturali cooperari commodo Monasterij, possunt præcipi à Prælato, quæ redundant in ipsius commodum, & in consequentiam etiam intentio, quatenus in consequentiam trahitur ad cooperationem commodi Monasterij, quod non contingit in casibus, in quibus religiosus aliàs non obligatur.

2 Quod autem possit præcipere, tenent Marchin. *de ordine tract.* 3. *par.* 2. *capit.* 33. *num.* 10. Sanchez *lib.* 6. *sum. capit.* 2. *numer.* 9. 56. *&* 57. Ludonicus à Cruce *in Bullam compositionis disput.* 3. *dub.* 22. *numer.* 10. Garzia *in sum. tract.* 3. *de Eucharist. difficult.* 3. *dub.* 5. *punct.* 1. *numer.* 3. Quartus *in Rubr. Missal. in Append. de sacrific. quæst.* 2. *punct.* 15. vers. *Colligitur, Religiosos.* Quia Monasteria religionis tanquam membra eiusdem corporis sub eodem capite debent sibi inuicem subuenire.

3 Quæ quidem doctrina vera est, quoad eos religiosos, qui non accipiunt eleemosynas pro Missis, nam cum habeant liberam applicationem sacrificiorum, potest superior illa vti in commodum religionis iuxta obligationem, quam implicitè habent ijdem religiosi. Cum enim debeant tanquam membra eiusdem corporis sibi inuicem inseruire, possunt superiores determinare seruitium, quod hic, & nunc censetur expediens, & obligare subditos ad ipsum exhibendum. Vndè non militat in hoc casu ratio Syluestri, quia superiores non præcipiunt directè applicationem, seu intentionem, sed externum seruitium, & obsequium acquirendi eleemosynas in commodum alterius Monasterij mediantè sacrificio, quod trahit secum internam applicationem.

4 Si autem loquamur de religiosis, qui accipiunt eleemosynas pro Missis vertendas in beneficium Monasterij, non poterunt superiores præcipere applicationem in commodum alterius Monasterij, nisi fortè Monasterium esset in ea necessitate, vt cætera cum proprio incommodo tenerentur subuenire. Ratio est. Quia potestas superiorum est intra terminos rationis, nec se extendit ad irrationabilia. Non est autem rationabile, quod superiores incommodo afficiant vnum Monasterium, vt aliud commodum percipiat. Et subintrat regula iuris, quod nemo locupletari debet cum alterius iactura Cap. *Locupletari. De reg. iur. in* 6. & facit etiam Cap. *Apostolica. De donationib.* Vbi Monasterium locupletari non debet cum iactura Cathedralis Ecclesiæ. Deindè non est secundum ordinem charitatis plus diligere proximum, quàm seipsum sed solum sicut seipsum, atque adeò nec pati iactutam, vt proximus locupletetur. Quod autem non est secundum ordinem charitatis neque est secundum regulam, & ideò non potest præcipi à superioribus.

QVÆSTIO 178.

An superior Regularis præcipere possit applicationem sacrificij, vt sibi retineat eleemosynas.

SVMMARIVM.

1. *Superior an possit præcipere applicationem sacrificij, vt sibi retineat eleemosynam.*
2. *Potest si aliundè non habet, vndè sibi prouideat quoad proprios vsus superior sibi prouidere de necessariis contribuentibus subditis.*
3. *Superior non potest cogere subditos ad applicandas Missas, si consumat eleemosynas in rebus, quæ non sunt secundum statum.*
4. *Superior consumptis eleemosynis Missarum, etiam malè, potest cogere subditos, vt satisfaciant.*
5. *Pro quibus expensis possit superior vti eleemosynis Missarum, & cogere subditos, vt satisfaciant.*
6. *An etiam pro itinere ex rationabili causa.*
Alimenta debent esse secundum decentiam status.
7. *Superior potest præcipere applicationem sacrificiorum subditis pro aliquo sibi coniuncto.*

1 Difficultas locum habet, quando eleemosynæ, quæ exhibentur pro applicatione sacrificij, conuertuntur in priuatum commodum superioris, vt in supelectilem, conuiuia, munera, & alia huiusmodi, quæ concernunt priuatam vtilitatem. Videtur autem absolutè affirmare Garzias *in sum. tractat.* 3. *de Eucharistia, difficult.* 3. *dub.* 5. *punct.* 1. *numer.* 2. Alij verò negant, vt Tamburin. *Opusc. de sacrific. Missæ lib.* 2. *cap.* 2. §. 9. *numer.* 13.

2 Verum cum distinctione procedendum est. Si enim superior regularis præcipiat applicari sacrificia, vt eleemosynas colligat conuertendas in vsus priuatos, qui tamen sint secundum proprium ipsius statum, & aliquo modo necessarij, nec aliundè habeat, vndè sibi prouideat, tenebuntur subditi applicare præscripta sacrificia. Ratio est. Quia superiores habere debent, quæ sibi necessaria sunt, & congruentia iuxta proprium statum: ergo, si ea non accipit de communibus bonis, poterit modis licitis ea conquirere, atque adeò ex eleemosynis,

quæ

quæ pro Missis offeruntur, & tenebuntur subditi satisfacere, quia tenentur eo modo, quo possunt, præstare alimenta necessaria. Confirm. Princeps, quia laborat in beneficium subditorum, potest ab ipsis exigere alimenta sibi congrua, & necessaria pro statu proprio: ergo poterit etiam superior Regularis ratione oneris regendi subditos. Est tamen aduertendum, quod conceduntur tantum applicationes tot sacrificiorum, quot eleemosynæ erunt necessariæ pro ipsos indigentijs.

3 Si autem expendat eleemosynas in res non congruentes proprio statui, aut etiam non necessarias habita ratione decentiæ: aut aliundè habeat, vndè sibi prouidere possit, non poterit præcipere applicationem sacrificiorum. Ratio est. Quia tunc non habet iustum titulum præcipiendi, nec præcipit secundum regulam; quia cum huiusmodi expensæ non sint secundum regulam, nec etiam secundum regulam exiguntur à subditis mediante applicatione sacrificiorum, & ideò non tenentur obedire.

4 Ex dictis colligitur. Quod si superior recepisset aliquam quantitatem eleemosynarum pro Missis, & expendisset in vsus non necessarios, imò etiam malè expendisset, nec haberet vndè compensaret, posset præcipere subditis applicationem sacrificiorum, & ipsi tenerentur applicare. Tenentur enim subditi subuenire necessitatibus superiorum, & ideò cum in tali casu superior, quamuis sua culpa, constitutus sit in necessitate, nec possit illam aliter euadere, tenentur subditi ei subuenire applicando sacrificia. Nec dici potest, quod qui non potest satisfacere obligationi assumptæ Missarum, nec restituere eleemosynam, excusatur quousque possit; nam superior potest satisfacere præcipiendo subditis applicationem sacrificiorum, & cum in tali casu præcipere possit, non excusatur.

5 Colligitur 1. Posse superiorem regularem præcipere subditis applicationem sacrificiorum, vt ex eleemosynis perceptis comparare possit aliqua munuscula pro benefactoribus, & amicis religionis; pro exercenda aliqua decenti hospitalitate, & alijs huiusmodi rebus, quæ congruunt statui religioso, si aliundè non habeat, vndè hæc præstare possit. Hæc enim tanquam congruentia statui religioso possunt licitè, & secundum regulam præstari. Et ideò potest superior eligere media necessaria, quale est præcipere applicationem sacrificiorum suis subditis. Præsertim quia hæc redondant in beneficium religionis saltem indirectè, cum inseruiant ad conciliandam beneuolentiam erga religionem.

6 Colligitur 3. Posse superiorem Regularem præcipere subditis applicationem sacrificiorum, vt eleemosynis collectis vti possit pro expensis alicuius itineris assumpti ex aliqua deuotione, aut ex aliqua alia rationabili causa. Ratio est; quia cum inseruiat religioni in ratione capitis, debet ab ea recipere alimenta secundum gradum, quem tenet, & ideò, si ab ipsa non subministrentur, potest exigere à subditis eo modo, quo est possibile. Alimenta autem includunt ea omnia, quæ sunt de decentia status personæ, *l. si cui, ff. de ana. leg. & l. pen. ff. de alimen. & cibar. leg. & l. si tutor. init. ff. de administ. tut. & l. habitatio, ff. de ven. in possess. mit.* & plures citans Corduba, *in l. si quis à liberis. §. sed si filius, num.* 43. *ff. de lib. agnos.* Decentia autem status requirit non solum necessaria, sed etiam quæ spectant ad honestam animi satisfactionem.

7 Colligitur 4. Posse etiam præcipere subditis applicationem aliquorum sacrificiorum occasione mortis alicuius coniuncti in beneficium animæ ipsius; hoc enim spectat ad exercitium charitatis erga defunctos. Vndè cum sit iustum, & æquum, quod eam ostendat erga sibi coniunctos, potest exigere à subditis, quod in hoc sibi cooperentur. Hæc autem omnia procedunt, supposito, quod eleemosynæ, quæ pro applicatione sacrificiorum percipiuntur, non soleant conuerti in sustentationem monasterij, nam tunc causa communis præferri debet, nec potest superior illi præiudicare.

QVÆSTIO 179.

An superior Regularis ita possit præcipere subditis applicationem sacrificiorum, vt nullum liberum relinquat.

SVMMARIVM.

1. *Superior regularis tenetur aliquod sacrificium relinquere liberum subditis.*
   Obligatio ad quotidiè celebrandum quomodo accipiatur.
2. *Si Monasterium sit valdè grauatum oneribus Missarum, quid faciendum, & an tunc adhuc aliquod sacrificium liberum subditis relinquendum.*
3. *An subtrahi possit subditis aliqua ex liberis applicationibus relictis ob publicam causam.*

Difficultas procedit in quemcunque siue præcipiat applicationem, siue in beneficium Monasterij, siue in aliorum. Communiter docent, non posse, sed debere relinquere vnius saltem sacrificij liberam applicationem in singulas hebdomadas. Ita Marchin. *de sacrament. Ordin. tract.* 3. *part.* 2. *capit.* 33. *num.* 8. Garzia *in sum. tract.* 3. *de Eucharist. difficult.* 3. *dub.* 5. *punct.* 1. *num.* 5. Quartus *in Rubr. Missal. in Append. quæst.* 2. *punct.* 15. ver. *Limitatur tamen*, Peirin. *de priuileg. tom.* 3. *in Addit. ad Constit. Pirrhi capit.* 1. *numer.* 23. *in fine.* Diana *part.* 5. *tractat.* 13. *resol.* 51. Ratio est; quia esset nimis durum, si sacerdotes non haberent aliquam liberam applicationem suorum sacrificiorum; nam non possent sacrificare pro coniunctis vnquam, aut pro amicis, aut pro se. Deindè obligatio ad quotidiè celebrandum intelligitur, salua honestate, hoc est æquitate, vt in cap. *significatum. De præbendis.* Æquitas autem exigit, vt possint sacerdotes ad beneplacitum sua sacrificia aliquibus vicibus applicare. Vndè etiam Capellani, qui obligantur ad quotidiè celebrandum, censentur liberi vnica die in singulas hebdomadas vt communiter tradunt. 1

Addunt tamen dicti Doctores, quod si Monasterium, esset adeò grauatum, vt non posset obligationibus aliter satisfieri, posset superior nullam relinquere liberam applicationem sacrificiorum. Verum hoc non videtur absolutè admittendum. Sed insuper opus esset, vt non suppeteret alius modus satisfaciendi obligationibus. Si enim emolumentum pro dictis Missis extaret, deberet superior exhibito stipendio partem oneris exteris imponere. Quod si non extaret, deberet supplere de bonis Monasterij. Quod si neque hæc suppeterent, deberet curare, vt Generalis Conuentibus minus grauatis communicaret partem oneris. Deindè est considerandum, an tot onera Missarum sint suscepta consentiente conuentu. Quia si non consentit, malè fuerunt suscepta, & contra tacitam voluntatem illius, quia non est verisimile, quod religiosi, ita se grauare voluerint, vt cogerentur se priuare il- 2

la vuica applicatione libera in singulas hebdomadas, & proindè obligasio non afficit Monasterium, sed solum superiorem, qui ea onera suscepit, & ad ipsum spectabit prouidere, vt ipsis satisfiat, nec poterit grauare vltra æquitatem suos subditos. Adde etiam, quod, cum priuare subditos vnica illa libera applicatione omnes, & singulos tangat vt singulos, à singuiis approbari deberet, & ideò, nisi singuli consentirent, onus exhauriens etiam hanc liberam applicationem, nulliter susciperetur.

3 Maior difficultas est. An possint subtrahere aliquas applicationes ex illis vnicis in singulas hebdomadas, vt vtantur eleemosynis ob aliquam publicam causam, aut in commodum Generalis pro expensis, quas subest ratione officij. Et negatiuè videtur resoluendum, sed aliundè his necessitatibus esse prouidendum. Ratio est. Qnia cum sacerdotes habeant vnicam tantum liberam applicationem in singulas hebdomadas, vt supponitur, valdè grauarentur, si priuarentur: & grauamen esset longè maius seruata proportione, quàm si grauarentur ob tales expensas communiras religionis, aut si subtraherentur eleemosynæ pro illis sacrificijs, quæ cedunt in beneficium commune Conuentus. Ratio autem exigit, quod ex duobus granaminibus minus inferatur. Confirm. Istæ applicationes relinquuntur liberæ sacerdoribus ita exigente ratione: ergo eas auferre est contra exigentiam rationis: ergo non possunt superiores auferre, quia eorum potestas coarctatur solum ad rationibilia. Et certè contingeret id, quod Natam narrauit Dauid de dinite, qui habebat multas oues, & vt exciperet hospitem mactauit ouem illius, qui vnicam, & solam habebat. Semper enim communitas religionis habet vndè prouideat communibus necessitatibus, & proindè auferre priuatis hanc vnicam in hebdomadam sacrificij applicationem, est parcere proprijs ouibus, & vnicam alterius auferre.

QVÆSTIO 180.

An Episcopus poßit præcipere sacerdotibus sæcularibus applicationem sacrificiorum.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus potest cogere sacerdotes vt celebrent, iuxta obligationem beneficij.*
2. *Quid seclusa obligatione.*
3. *Potestas Prælati sæcularis supra sacerdotes.*
   Vrgente necessitate potest Episcopus præcipere applicationem aliquorum sacrificiorum.
4. *Si Episcopus nam habeat redditus sufficientes potest vti eleemosynis Missarum, & iniungere subditis satisfactionem.*
5. *Si Episcopus præcipiat singulis sacerdotibus applicare aliquot sacrificia, an præceptum afficiat aliàs obligatos celebrare.*
   Obligatio assumpta intelligitur salua priori.
6. *Obligatus quotidiè celebrare, potest celebrare pro defuncto Pontifice, Episcopo, &c.*

1 CErtum est, posse præcipere, quando ratione beneficij, aut Capelianiæ, aut aliàs quomodocunque teneatur applicare, vt aduertunt communiter præsertim infra citandi. Quia cum habeat vim coactiuam respectu ipsorum, potest ea vti ad cogendum ipsos, vt satisfaciant proprijs obligationibus; vndè solum difficultas est, an, quando non teneatur, possit ipsis præcipere applicationem, aut in proprium commodum, aut ex alia causa.

2 Quod non possit præcipere seclusa obligatione tradunt Alphonsus de Leone *de Offic. Capel. quæst. 1. sect. 4. num. 40.* Garzias *in sum. tractat. 3. de Eucharist. difficult. 3. dub. 5. punct. 1 numer. 2.* Quartus *in Rubricas Missalis in Append. quæst. 2. punct. 15. ver. Respondeo, & dico primo.* Quia iurisdictio Episcopi ordinatur ad pascendas oues, & ad bonum spirituale ipsarum; non autem ad ipsorum priuatum commodum temporale.

3 Verum hoc absolutè probari non potest. Nam quamuis Episcopus non habeat supra sacerdotes sæculares illam amplam iurisdictionem, quam habent Prælati Regulares; habent tamen sufficientem iurisdictionem in ordine ad ea omnia, quæ exigit bonum commune suæ Ecclesiæ. Et quia subditi tenentur tanquam membra communi bono Ecclesiæ cooperari, potest Episcopus præcipere, quæ putat necessaria in ordine ad ipsum. Hinc autem fit, quod possit præcipere applicationem aliquorum sacrificiorum ex causa publica, vrgente aliqua publica necessitate, cuius intuitu sit orandus, & placandus Deus. Confirm. Vrgente aliqua necessitate potest præcipere orationes, processionem, orationem quadraginta horarum, ieiunia, & alia huiusmodi, quæ apta sunt ad placandum Deum: ergo poterit etiam præcipere applicationem aliquorum sacrificiorum; cum sacrificium specialiter aptum sit ad nobis propitiandum Deum, & in hunc finem sit institutum, & contineat præcipuum cultum, & proindè sit etiam medium magis speciale ad Deum nobis propitiandum. Confirm. 2. Sacerdotes habent ex munere proprio offerre sacrificium pro peccatis populorum ad Hebr. 7. Ergo si Episcopus præcipiat oblationem sacrificiorum pro aliqua publica necessitate, præcipiet id, ad quod sacerdotes ex munere tenentur. Potest autem præcipere ea, quæ sunt secundum ipsorum munus. Neque enim sacerdotes habent offerre sacrificium, vt percipiant illud emolumentum eleemosynæ, sed vt tanquam mediatores propitient sacrificio Deum populis.

4 Rursus si Episcopus non habeat redditus sufficientes pro sui sustentatione, poterit præcipere applicationem aliquorum sacrificiorum, vt eleemosynæ pro ipsis exhibitæ cedant in sui sustentationem. Ratio est, quia congrua sustentatio Episcopi pertinet ad publicam causam. Interest enim Ecclesiæ, quod caput ipsius congruo modo sustentetur: & pertinet ad subditos subministrare necessaria. Cum enim impendat operam suam pro regimine subditorum, potest ab ipsis exigere necessaria pro sui sustentatione, si aliundè non habeat sufficientia, cum sit dignus operarius mercede sua. Et ideò poterit Episcopus ad hunc effectum præcipere singulis sacerdotibus applicationem aliquorum sacrificiorum.

5 Hinc autem insurgit dubium. An si Episcopus præcipiat singulis sacerdotibus applicationem aliquorum sacrificiorum, quando præcipere potest, præceptum afficiat etiam eos, qui quotidiè tenentur celebrare ratione beneficij, aut Capellaniæ. Et affirmatiuè, videtur resoluendum. Quia eo ipso, quod subditus Episcopi sit sacerdos, contrahit hanc obligationem applicandi aliquot sacrificia, quando præceperit Episcopus, cum sit annexa muneri sacerdotali, quod suscipit. Et ideò omnes aliæ obligationes superuenientes coarctantur ad terminos huius obligationis, quæ earumdem vniuersalitati derogat. Vndè obligatio assumpta celebrandi quotidiè intelligitur, quatenus permissum sit ab anteriori obligatione annexa muneri, nam in obligatione illa generali celebrandi quotidiè non venit obligatio, etiam quando ex præcepto superioris esset

appli

applicandum sacrificium, siquidem, cum Sacerdos non esset in specie quoad hoc se ubligaturus *l. In obligatione. ff. de pignorib.* Quare concurrente præcepto Episcopi de applicatione sacrificij obligatio celebrandi quotidie venit ad casum, à quo non posset incipere, & ideò extinguitur. *l. Existimo.* & *l. Pluribus rebus. ff. de verbor. obligat.* Vbi Castrens. Barr. & alij.

6 Ex dictis colligitur. Obligationem assumptam sacrificandi quotidie non impedire quin possit sic obligatus applicare semel sacrificium pro humano Pontifice, aut Episcopo occurrente morte ipsorum, aut etiam pro sibi coniunctis, aut etiam pro amico valdè intrinseco, qui sit alter ipse. Imò etiam bis, aut ter, occurrente morte patris, aut matris, aut fratris. Quia obligatio assumpta applicandi quotidie sacrificium intelligitur secundum mensuram æquitatis. Æquitas autem exigit, quod possit pro prædictis offerre sacrificium occurrente eorum morte; esset enim valdè inhumanum, quod obligans Sacerdotem ad applicandum quotidie sacrificium vellet ita strictè obligare, vt non posset pro prædictis personis applicare, Atque si eadem æquitas operatur, quod semel in hebdomada liber sit ab obligatione applicandi, operabitur etiam, quod liber sit in prædictis casibus.

QVÆSTIO 181.

Quomodo possit superior præcipere applicationem sacrificij.

SVMMARIVM.

1. *Superior non potest præcipere applicationem sacrificij, nisi obligato ex iustitia secundum aliquos.*
2. *Applicatio non est per se connexa cum sacrificio.*
   Applicatio ieiuniorum, orationum, &c. pro aliis non potest percipi.
3. *Applicatio sacrificiorum præcipi potest.*
4. *Actus internus quando præcipi possit.*
5. *Ecclesia præcipere potest, quod sacrificium pro hoc determinate offeratur.*
6. *Ecclesia quomodo possit præcipere actus internos.*
7. *Orationes, & ieiunia, &c. quos actus internos requirant.*
   Applicatio sacrificij pertinet ad complementum externæ oblationis.

1 Difficultas oritur ex eo, quod Ecclesia non potest præcipere actus internos; applicatio autem sacrificij est actus merè internus. Ideò nonnulli putant, quod seclusa obligatione iustitiæ, quæ afficiat celebrantem, non possit superior præcipere applicationem Missæ. Ita Layman *lib.* 1. *Theol. moral. tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 13. Palaus *part.* 1. *oper. moral. tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 6. *num.* 4. Tamburin. *de sacrificio Missæ. lib.* 2. *cap.* 2. §. 9. *num.* 12. & probabile putat Quartus *in Append. ad Rubr. Missal. quæst.* 2. *punct.* 15. ver. *Vtraque sententia.*

2 Prob. Licet Ecclesia præcipere possit indirectè actus internos, quatenus sunt per se connexi cum externis; non tamen potest, quando sunt connexi tantum per accidens. Applicatio autem est actus merè internus, & non est connexa per se cum sacrificio, nam tota substantia sacrificij, sine ipsa saluatur, nam etiam si sacrificium nulli applicetur, erit completum, si cætera necessaria interueniant alioquin qui non applicaret sacrificium pro hoc, vel illo, relinqueret aliquod complementum, & peccaret. Confirm. Ieiunia, orationes, eleemosynæ, ordinata sunt à Deo, vt offerantur pro viuis, & defunctis, & applicentur ad satisfaciendum, & tamen applicatio pro hoc, vel illo particulari non dat ipsis aliquod complementum. Confirm. 2. Plures, & graues Doctores tenent, non posse percipi attentionem internam in recitatione diuini officij, quia non est absolutè necessaria ad cultum externum, sed neque etiam applicatio est necessaria ad sacrificium.

Communis tamen sententia docet, Superiores præcipere posse applicationem sacrificij. Ita specialiter Rodriguez *quæst. regul.* 19. *art.* 2. *tom.* 3. Miranda *tom.* 1. *Manual. Prælat. quæst.* 26. *art.* 3. *conclus.* 1. Tamburin. *de iure Abbatum, tom.* 2. *disp.* 20. *quæst.* 5. *in fine.* Suarez *de legib. cap.* 29. *num.* 10. Sanchez *lib.* 6. *sum. cap.* 2. *num.* 6. Hieronym. Rodriguez *in compend. resol.* 101. *num.* 2. Merol. *tom.* 2. *Theol. moral. disp.* 4. *cap.* 3. *num.* 334. 3

Dicendum est. *Superiores præcipere posse applicationem sacrificij.* Prob. Quando actus internus est per se necessarius ad actum externum, quatenus ab Ecclesia præcipi potest, cadit indirectè sub iurisdictione, & ratione eiusdem actus externi præcipi potest. Applicatio autem sacrificij Missæ est per se necessaria, vt sortiantur effectum determinatum pro hoc, aut illo. Et potest Ecclesia præcipere, quod determinatè offeratur pro hoc, aut illo. Quod sit absoluè & per se necessaria applicatio, vt sacrificium offeratur pro hoc, aut illo determinatè, constat, quia sacrificium de se est indeterminatum, vt sortiatur effectum pro hoc, aut illo, & ideò indiget aliqua causa determinante, quæ non est alia quàm applicatio offerentis; ad ipsum enim spectat determinare in quem conferendus sit effectus sacrificij. 4

Quod autem Ecclesia præcipere possit, vt sacrificium determinatè offeratur pro hoc, aut illo, prob. Quia oblatio sacrificij est actus externus, secundum quem secundum rationem sui muneris subiicitur Ecclesiæ, & applicatio pertinet ad complementum oblationis, tum quia illam determinat, vt sit efficax iuxta suam institutionem. Tum quia est saltem conditio, sine qua non sortiretur effectum determinatum. Confirm. Quando causa est sub dispositione alicuius, est etiam sub illius dispositione applicatio eiusdem ad causandum circa hoc, ad illud subiectum: ergo cum sacrificium tanquam quid externum sit sub dispositione Ecclesiæ, erit etiam sub dispositione illius applicatio vt sortiatur effectum pro hoc, aut illo. Confirm. 2. Est sub dispositione Ecclesiæ arcere hunc, aut illum à participatione huius sacrificij, & prohibere potest, ne offeratur pro hoc, aut illo, atque adeò prohibere indirectè applicationem: ergo erit etiam sub potestate, quod hic, aut ille participet sacrificium præcipiendo, quod pro ipso offeratur, atque adeò præcipiendo indirectè applicationem. 5

Ex dictis solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ. Licet enim Ecclesia non possit præcipere secundum se actus internos, quia non subsunt externo regimini: potest tamen præcipere in consequentiam ad actus externos, quatenus hi trahunt internos in necessariam consequentiam, vt tradunt communiter Caietan. *in sum. verbo* Hora. *ver. Quoad tertium.* & 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 13. *in fine.* Aragon. *ibid.* ver. *Dico secundo.* Syluius *conclus.* 4. Malder. *tract.* 10. *cap.* 2. *dub.* 2. Valent. *disputat.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 10. §. *Circa quartum.* Azorius *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 12. *quæst.* 6. Lessius *lib.* 2. *de Iustit. & iure cap.* 37. *dub.* 11. *num.* 66. Laza 1. 2. *disp.* 16. *de legib. memb.* 2. Petrus Nauarr. *lib.* 2. *de restit. cap.* 2. *num.* 233. Layman. *lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 10. Rodriguez *part.* 2. *sum. cap.* 144. *n.* 1. Pesant. 2. 2. *quæst.* 62. 6

art. 2. dub.3. Suarez *lib. 4. de legib. cap. 13. num. 6.* Salas *de legib. disp. 9. sect.1, num* 24. Ledesma *tom.2. sum. tractat. 9. cap.4. conclus.* 20. Villalob. *part. 1. sum. tract.1. difficult.27. num. 6.* Molfes. *part.1. sum. tract.4.cap.2. num.8.* Palaus *part. 1. oper. moral. tractat. 3. disp.1. punct. 6. num. 3.* Vega *part. 2. summ. cap.128. casu* 20. Et alij quos citat, & sequitur Merol. *tom.2. theol.moral. disp. 4. cap. 4. num.* 28. Imò. Quia omnis lex præcipit actum humano modo exercendum, quia afficit homines, quatenus ad finem debitum perducendos, ad quem per solos actus humanos perducuntur, vt communiter docent, præsertim Palud. *in 4. distinct. 15. quæst. 5. art.2. num.24.* Durand. *quæst.12. num.6.* Sanchez *lib.1. sum. cap.13. num.2.* Sotus *lib. 2. de Iustit. & iure, quæst. 3. art. 9.* Medina *1. 2. quæst. 10. art. 9.* Vasquez *ibid. num. 2. & sequent.* Azot. *part.1. lib.7. cap. 2. quæst.6.* Suarez *lib. 3. de legib. cap. 39. num. 10.* Indirectè quoque præcipit actum internum, qui requiritur, vt externus sit humanus. Quomodo autem applicatio veniat in necessariam consequentiam ad oblationem sacrificij, constat ex dictis.

7 Ad 1. confirm. Esse eamdem rationem de orationibus, ieiuniis, eleemosynis, &c. Possunt enim considerari secundum se, & vt sunt actus quidam virtutis, & tunc non trahunt in consequentiam, nisi illum actum internum, qui requiritur, vt sint actus morales humani. Rursus possunt considerari vt efficaces ad satisfaciendum, impetrandum, &c. & tunc non possunt sortiri effectum suum pro determinata persona, nisi pro ipsa exhibeantur Deo: & tunc requirunt per se actum internum exhibitionis. Vnde etiam sacrificium vt exhibitum Deo pro determinata persona requirit per se actum internum exhibitionis, qui indirectè præcipitur, dum præcipitur externa exhibitio. Ad 2. confirm. Quidquid sit an possit præcipi attentio, est diuersa ratio de applicatione, nam de hac constat, quod sit per se necessaria, vt sacrificium offeratur pro hac, vel illa persona determinata, & ideò pertinet ad complementum externæ oblationis, sine qua externa oblatio esset indeterminata.

QVÆSTIO 182.

An teneat applicatio sacrificij facta contra iustitiam.

SVMMARIVM.

1. *Applicatio sacrificij contra iustitiam an possit esse à potestate sacerdotali.*
2. *Applicatio sacrificij contra debitum iustitiæ est valida.*
3. *Sacrificij applicatio contra debitum iustitiæ quomodo peccaminosa.*
4. *Applicans sacrificium contra debitum iustitiæ ex noua obligatione suscepta quomodo peccet.*
5. *Ad quid teneatur.*
Quid requiratur, vt consurgat obligatio restituendi ex damno illato.

1 QVando Sacerdos obligatus applicare sacrificium ex iustitia pro vno, applicat pro altero, peccat mortaliter, quia in re graui lædit iustitiam. Vnde hinc difficultas nascitur, an teneat talis applicatio. Ratio dubitandi est, quia talis applicatio est actio peccaminosa: ergo non potest esse actio potestatis sacerdotalis: ergo nec verè, & cum effectu applicabit sacrificium, cum possit applicari tantum per potestatem sacerdotalem. Quod non actus potestatis sacerdotalis constat, quia cum sit potestas spiritualis supernaturalis, non potest esse principium actus peccaminosi. Adde, quod sicut Christus est principalis offerens, & Sacerdos offert in persona Christi: ita etiam Christus est principalis applicans, & Sacerdos applicat in persona Christi, vnde si valeret applicatio Christus esset causa principalis actus peccaminosi.

Dicendum tamen est. *Valere applicationem celebrantis, etiam si sit contra obligationem iustitiæ eiusdem celebrantis.* Ita communiter, & specialiter Tamburin. *de sacrif. Miss. lib.2. cap.2. §.9. num.14.* Gabr. à S. Vincent. *de sacrament. disp.2. de sacrif. Miss. q.5. difficult.1. ver. Nostra sententia.* Et ij à fortiori, qui volunt, quod præualeat applicatio celebrantis contra expressam voluntatem superioris, quos infra referemus. Ratio est. Quia applicatio sacrificij est actus potestatis sacerdotalis, siquidem est quid accessorium ad potestatem offerendi sacrificium; ex eo enim, quod Sacerdos offerre potest, fit, quod possit offerre pro hoc, aut illo, quod non est aliud, quàm applicare: ergo valet applicatio, quamuis sit contra iustitiam, quia potestas offerendi, atque adeò applicandi subest voluntati offerentis; & ideò, si interuenit voluntas determinatiua applicationis, non impeditur applicatio à debito iustitiæ, quia non habet determinare applicationem, licet secundum ipsum esset determinanda. 2

Ad rationem dubitandi resp. Applicationem esse actionem peccaminosam non secundum se; sed solum imperatiuè, quatenus scilicet imperatur à voluntate, quæ tendit contra iustitiam: & proinde peccaminosa est. Aliud enim est applicatio, & aliud voluntas applicandi. Cum enim applicatio non sit aliud quàm oblatio pro determinata persona, est quid determinatiuum ipsius oblationis, quæ de se fit tantum Deo, & est indeterminata, vt sit pro hoc, aut illo, & proinde est quid ipsi intrinsecum, & consequenter est actus potestatis sacerdotalis. Habetur autem hæc determinatio effectiuè ab actu voluntatis, quæ determinat potestatem sacerdotalem pro determinata persona, & hoc pacto est effectus etiam Christi tanquam principalis offerentis, nec est peccaminosa. Voluntas verò applicandi, quæ est imperatiua applicationis, est peccaminosa, quia tendit contra iustitiam, & hæc est effectus, solius offerentis, non autem Christi, cum ipse non imperet applicationem. 3

Ex dictis colligitur cum Tamburino, *De sacrific. Miss. lib.2. cap.2. §.6. num. 15. & 16.* Sacerdotem applicantem sacrificium contra iustitiam, & accipientem stipendium pro huiusmodi applicatione, non peccare contra iustitiam, quantum ex hoc capite: siquidem satisfacit obligationi, quam suscipit intuitu illius stipendij, nam cum effectu applicat Missam danti stipendium. Quia tamen deberet ex iustitia alteri applicare, ideò remanet hæc obligatio, & defectus adimpletionis compensandus est applicatione alterius sacrificij. Verum quia contingere potest, quod licet compenset applicatione alterius sacrificij, non percipiat fructum, qui dedit stipendium, quem desiderabit, vt cum quis dat stipendium pro sacrificio ad impetrandam diuinam opem pro aliquo negotio certa die expediendo, & qui accepit stipendium non applicat, nisi transacta illa die, & consequenter impetratio sacrificij non amplius inseruit fini intento: aut cum quis commendat sacrificium pro aliquo defuncto pro certa die, & applicatur solum post elapsam illam diem, & defunctus magis tardè percipit beneficium, quàm aliàs perciperet, dubitatur an ex hoc capite sit debita restitutio ratione damni, quod affertur ex dilatione. 4

Et

5 Et quidem videtur consurgere obligationem respiciendi hoc speciale damnum, si respiciamus ad regulas restitutionis: vnde qui certo die tenetur soluere, & non soluit, si postea soluat, non liberatur, nisi etiam compenset damuum, quod ex dilatione solutionis emersit. Attamen non adest alia obligatio, quàm applicandi sacrificium promissum. Ratio est. Quia, vt consurgat obligatio testituendi ex damno illato, debet de ipso constare, itavt in dubio non consurgat obligatio iuxta regulas communes in marcria restitutionis. Quod in dubio sit melior conditio possidentis, & proinde qui deberet restituere tanquam possidens non teneatur. Et quod quando debita obligatio restituendi oritur ex debito in dubio non præsumatur damnum prouenite ex delicto. Est autem dubium in præsenti, an qui Missam commendauerat, passus sit aliquod damnum ex dilatione, quia est dubium, an oblatio sacrificij anticipata, obtinuit, quod perebatur à Deo. Deinde vt otiarur obligatio restituendi, debet in eo, cui facienda est restitutio esse ius ad id, in quo censetur damnificari, cum obligatio restituendi oriatur solum ex læsione iustitiæ, & non lædatur, nisi alterius ius ita lædatur. In casu autem proposito non læditur ius illius, qui commendauerat Missas, quia per id quod commendet non acquirit ius ad effectus sacrificij siue vt impetratiui, siue vt satisfactioni pro defunctis, non solum quia creatura non habet ius contra Deum, sed etiam quia hi effectus conceduntur ex benignitate eiusdem Dei.

QVÆSTIO 183.

Quanam applicatio sacrificij præualeat subditi, an superioris, si non concordent.

SVMMARIVM.

2. *Applicatio superioris sacrificij an præualeat applicationi subditi.*
3. *Subditus Religiosus non habet velle aut nolle.*
   Eius voluntas irritari potest à superiore.
5. *Potestas applicandi sacrificium conuenit Sacerdoti vt Sacerdos est.*
   Applicatio sacrificij non potest esse nisi ab offerente vt tali est.
6. *Superior independenter à subdito non potest applicare sacrificium.*
7. *Iurisdictio in superiore non dat posse applicare sacrificium.*
8. *Superior non potest irritare applicationem sacrificij, quæ est à subdito.*
   Oblatio sacrificij non subiicitur superiori.
9. *Applicatio sacrificij est actus Sacerdotis vt ministri Christi.*
   Potestas sacerdotalis non subiicitur superiori.
10. *Religiosus quatenus non habet velle aut nolle.*
11. *Vt impleantur onera Missarum sufficit, superiorem posse negare subditos vt applicent.*
12. *Posse præcipere applicationem Missæ, quam subiectionem inferat in subdito.*
13. *Religiosi in quo comparentur seruis.*
14. *Pro applicatione sacrificij sufficit applicatio superioris non contradicente subiecto.*
15. *Applicatio superit, si discordet subditus, non extinguit obligationem.*
16. *Subditus applicans sacrificium extinguit obligationem.*
17. *Etiamsi superior possit irritare applicationem.*
18. *Dato quod superior possit irritare applicationem, non tamen poterit applicare.*
19. *Applicatio sacrificij contra prohibitionem Ecclesiæ tenet.*

Dubium procedit de applicatione quoad fructum, qui conuenit in sacrificio ex opere operato. Quia si loquamur de fructu ex opere operantis, eadem est ratio, ac de cæteris operibus subditorum. Difficultas autem procedit præcipuè quoad subditos, & superiores Regulares ob subiectionem fundatam in voto obedientiæ; proportionaliter tamen habet locum etiam quoad Episcopos, & eorumdem subditos quando possunt iis præcipere applicationem sacrificij. 1

Prima sententia asserit, præualere applicationem superioris, si tamen præcedat oblationem sacrificij, itavt oblatum contra voluntatem superioris acceptetur à Deo secundum eiusdem voluntatis. Ita Scot. *quodlib.* 20. §. 2. Corduba *in quæst. lib.* 1. *q.* 3. *opin.* 6. Ochanla *opusc. de valor. Missæ, art.* 2. Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 10. *art.* 14. *circa fin.* Confect. *in Compend. priuileg. tit. de diuin. Offic. cap.* 3. *in fine.* Fraxinel. *de obligat. Sacedot. sect.* 7. §. 7. Gauant. *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 12. *num.* 28. Barbosa *de potestat. Episcop. allegat.* 24. *num.* 28. Marchin. *de sacrament. Ordin. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 33. *num.* 3. qui citat Syluestrum, sed male, vt videbimus, Alphon. de Leone *de Offic. Capell. quæst.* 1. *sect.* 4. *num.* 41. Bordin. *in Concil. Regal. resol.* 25. *quæst.* 4. Leander *de sacrament. tract.* 8. *de sacrific. Miss. disput.* 3. *quæst.* 18. 2

Prob. Religiosus non habet velle, aut nolle, cum suam voluntatem transtulerit in voluntatem superiorum: ergo quidquid vult contra voluntatem ipsorum, nulliter vult, quia voluntas egreditur terminos extra quos nihil agere potest. Secundò. Illius applicatio debet præualere, cui incumbit cura satisfaciendi oneribus Missarum aliàs non esset sufficienter prouisum illius officio. Incumbit autem talis cura superiori. Confirm. Potest superior suscipere onera Missarum inuitis subditis: ergo etiam satisfacere, & applicare iisdem inuitis. Tertiò. Superior præcipere potest subditis vt celebrent, & applicent Missam secundum suam intentionem: ergo habet in hoc subditorum voluntatem sibi subordinatam: ergo potest de ipsa disponere, & si contradicat præualebit eius voluntas circa applicationem. Quartò. Superior ob dominium, quod habet supra voluntatem subditorum, potest irritare eorumdem determinationes, vt constat de votis: ergo poterit etiam irritare applicationem, & tunc sua præualebit. Confirm. Religiosus comparatur ad Prælatum tanquam pupillus ad tutorem, & tanquam seruus ad dominum. Hi autem irritare possunt obligationes pupilli, & serui atque adeò poterit irritare applicationem subditi. 3

Secunda sententia docet, præualere applicationem subditi. Ita Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 21. *n.* 6. Suarez *de sacrament. disput.* 79. *sect.* 9. ver. *Alij nihilominus.* Vasquez *disput.* 231. *cap.* 6. *num.* 15. Ledesma *part.* 1. *sum. cap.* 18. *de Eucharist. post conclus.* 18. Coninch *de sacrament. quæst.* 83. *dub.* 9. *conclus.* 8. Layman *lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 12. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 6. Filliuc. *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 76. Villalob. *part.* 1. *sum. tract.* 8. *difficult.* 10. *num.* 2. Ludouic. à S. Ioan. *part.* 1. *sum. quæst.* 10. *de Eucharist. art.* 7. *dub.* 2. Caspens. *p.* 2. *Curs. theol. tract.* 23. *disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 18. Bartholom à S. Faust. *lib.* 1. *de Indulgent. quæst.* 69. Bartolin. *in dub. Regal. verbo* Obedientia, *num.* 1. Rodriguez *in compend. resol.* 102. *num.* 3. Peirin. *de subd. relig. quæst.* 1. *cap.* 6. §. *vnico.* Lezana *tom.* 1. *quæst.* 4

Regul.

Regul.cap.4.num. 35. Tamburin. *de iure Abbat. tom.*2. *disp.*5. *quæst.*8. *num.* 4 Garçia *in sum. tract.* 3. *de Eucharist. difficult.* 3. *dub.*5. *punct.*2. *num.*10. Gerson *supra Magnificat.tract.*90. & *Alphab.*90. *littera* C. Sylnester *verbo* Missa 1. *quæst.* 11. Armilla *num.* 36. Ancrsa *quæst.*11. *de Eucharist.sect.*10. ver. *Sed melius.* Tamburin. *opus.de sacrif. Miss. lib.*2. *cap.*2. §.9. *n.*14. Hurtad. *de sacrament.disp.*3. *de sacrif. Miss.difficult.*10. Dicastil. *de sacrament. tractat. de Eucharist. disput.* 3. *dub.*7. *num.*18. Mæta. *tom.* 3. *sum. disput.* 38. *de Eucharist. sect.*8. *init.* Gabr. à S. Vincent. *de sacrament. disput.*2. *de sacrif. Miss. quæst.* 5. *difficult.* 1. ver. *Nostra sententia.* Francisc. Lugo *de sacrament. lib.*5. *c.*3. *num.*24. Quartus *in Rubr. Missal. in Append. quæst.*2. *punct.*14. ver. *Secunda opinio.* Rodriguez autem *tom.*1. *sum. cap.* 241. *num.* 10. Licet velit, quod Superior non possit applicare sacrificium subditi, vult tamen quod possit irritare voluntatem subditi applicantem, & tunc non valebit applicatio subditi.

5 Dicendum 1. *Superiorem non posse applicare sacrificium contra voluntatem subditi, sed prævalere applicationem subditi.* Prob. Sacerdos ex vi Sacerdotij, & characteris accipit potestatem offerendi sacrificium, & consequenter offerendi pro hoc, aut illo, vt constat ex illo. Ad Hebr. 7. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia, &c.* & ex verbis Ordinationis, dum ordinans dicit Ordinando, *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis, & defunctis.* Ergo non potest superior applicare per se sacrificium subditi, sed solum ab ipso subdito applicari potest. Conseq. prob. Applicatio non est aliud, quàm oblatio sacrificij pro tali determinata persona: & in tantum offertur pro tali determinata persona, in quantum oblatio stat sub intentione offerentis respicientis talem personam; vnde dicit, quod oblatio determinetur ab intentione offerentis, quatenus determinatè offerat. Et proinde oblatio est determinata per habitudinem ad suam causam determinatam, quæ est potestas offerendi coniuncta cum tali intentione, siquidem determinatio, quæ est in effectu debet proportionaliter præcedere in causa: ergo applicatio non potest prouenire, nisi ab offerente; quia potestas offerendi solum potest determinari ab ipsius intentione, cum vsus ab eius voluntate essentialiter dependeat, atque adeò etiam determinatus vsus.

6 Confirm. Superior nullo modo est offerens sacrificium, nec in oblatione participat cum subdito offerente: ergo nullo pacto applicare potest sacrificium; sed applicatio spectabit ad solum subditum. Conseq. prob. Tum quia effectus à quo habet esse habet etiam determinationem, applicatio autem sacrificij est determinatio oblationis, vt sit pro hoc, aut illo, & proinde debet esse ab eo, à quo est oblatio. Tum quia applicare sacrificium est exercere aliquam facultatem effectiuam circa sacrificium ipsum determinando, atque adeò concurrere ad oblationem.

7 Confirm. 2. Voluntas subditi non subiicitur superiori, nisi ratione potestatis dominatiuæ, & iurisdictionalis, quæ est in ipso: vnde non potest aliquid circa subditum, nisi exercendo hanc potestatem, qua seclusa remanet impotens, sicut si non esset superior. Sed per potestatem dominatiuam, & iurisdictionalem non potest applicare sacrificium, quia non confert aliquam facultatem circa ipsum, cum tota facultas circa sacrificium sit in potestate sacerdotali: ergo nullo pacto poterit per se ipsum applicare, sed applicatio necessario prouenire debet à subdito.

8 Dicendum 2. *Superiorem non posse irritare applicationem sacrificij factam à subdito.* Prob. Superior potest irritare voluntatem subditi quatenus subditus est, & in iis, in quibus subiicitur suæ potestati dominatiuæ, subditus autem non subiicitur quoad potestatem sacerdotalem, nec secundum actum offerendi sacrificium. Ratio est. Quia per potestatem sacerdotalem non constituitur minister superioris, sed Christi; & ipsa oblatio est actus Christi tanquam principalis offerentis, & solum ministerialiter ipsius Sacerdotis; & ideò talis actio, vt est ministerialiter à Sacerdote, sequitur conditionem, quam habet, vt est à principali offerente, & remanet omnino exempta à iurisdictione, & potestate superioris, sicuti si subditus exerceret aliquem actum vt delegatus Pontificis, quia ageret nomine ipsius, quoad illum actum esset omnino exemptus à iurisdictione superioris.

Confirm. In tantum potest Sacerdos applicare sacrificium in quantum Christus id ipsi concessit, nam cum Christus sit principalis offerens, ad ipsum pertineret applicatio: ergo applicatio Sacerdotis est actus ipsius tanquam ministri Christi: ergo non subiicitur in subditis dispositioni superioris, quia sicut minister, quâ minister Christi est, non subiicitur alteri, quàm Christo, ita nec actus ministerij: & proinde illa voluntas, qua vtitur potestate sibi concessa circa applicationem sacrificij, non est sub dispositione superioris, quia est voluntas ministri, quâ minister est, & vt talis non subiicitur superiori. 9
Confirm. 2. Applicatio sacrificij est actus potestatis sacerdotalis. Quamuis autem possit superior concedere, aut negare subditis curam potestatis sacerdotalis: non tamen secundum potestatem sacerdotalem ipsi subiiciuntur, itavt ipsa potestas sit sub ipsius dispositione: ergo nec etiam actus eiusdem potestatis, atque adeò non poterit irritari applicatio facta à subdito.

Ad 1. In oppositum respon. Subditum non habere velle, aut nolle, quatenus transtulit suam voluntatem in voluntatem superioris: habere autem quatenus non transtulit. Transtulit autem tantum secundum mensuram regulæ: & ideò si superior iniungat aliquid subdito contra regulam, aut supra regulam, aut præter regulam, tunc habet suum velle, aut nolle, & potest non obedire. Voluntas autem subditur quoad actus potestatis sacerdotalis non est translata in superiorem, sicut nec etiam ipsa potestas subiicitur eidem superiori. 10

Ad 2. neg. Debere prævalere illius applicationem, cui incumbit cura satisfaciendi oneribus Missarum; & vt sit sufficienter prouisum sufficit, si possit cogere subditos ad applicandum, sacrificia secundum suam intentionem præcipiendo, aut etiam censuras imponendo. Ad confirm. Superiorem posse satisfacere oneribus Missarum susceptis, de quibus dictum est in superioribus, non applicando sacrificia contra ipsorum voluntatem, sed cogendo ipsos, vt dictum est, ad applicandum. 12

Ad 3. Ex eo quod superior præcipere potest subditis, quod applicent sacrificia, in aliquibus casibus iuxta superius dicta, sequi tantum, quod habeat sibi subordinatas voluntates ipsorum, non quoad actus elicitos potestatis sacerdotalis, qualis est applicatio sacrificij, sed quoad actus imperantes eosdem actus talis potentiæ. Vnde solum constringere potest voluntatem subditi, vt imperet sibi actus potestatis sacerdotalis iuxta suam propriam intentionem, non autem disponere potest de talibus actibus immediatè, atque adeò nec irritare. 13

Ad 4. negat. consequent. Nam determinationes voluntatis subditorum, vt vota, iuramenta, &c. proueniunt ab ipsa quatenus est subiecta superioribus, & ideò remanent sub ipsorum dispositione. 14

At

At applicatio sacrificij est actus potestatis, secundum quam subditi non subiiciuntur superioribus, vt constat ex dictis. Ad confirm. Religiosos comparati seruis, & pupillis, in eo, in quo subiiciuntur superioribus, atque adeò intra terminos regulæ. Secundum autem potestatem sacerdotalem, atque adeò secundum applicationem sacrificij non subiiciuntur, vt iam dictum est.

14 Ex dictis colligitur contra Quartum *in Rubr. Missal. in Append. quæst. 2. punct. 14. ver. Secundo colligitur.* Ad validè applicandum sacrificium subditi, sufficere applicationem superioris, & quod subditus non contradicat, seu non applicet ipse diuerso modo. Quia licet ad applicationem requisatur positiuus influxus subditi, eo ipso tamen, quod non applicat diuerso modo, interuenit saltem interpretatiua voluntas applicandi iuxta mentem superioris, quæ sufficit, vt dictum est supra suo loco. Cum enim subditus sit in continua operatione secundum regulam, atque adeò in continuo exercitio obedientiæ omnes actiones ipsius atque adeò applicatio Missæ sunt ex interpretatiua voluntate obediendi superioribus: & proinde sacrificium applicatur interpretatiuè iuata eorumdem mentem.

15 Secundo colligitur cum eodem Quarto *ibid. ver. Tertio colligitur.* Tamburino *opusc. de sacrificio Missæ, lib. 2. cap. 2. §. 9. num. 15.* Per applicationem superioris, nisi etiam concordet applicatio subditi, non extingui obligationes Missarum, quæ requirunt applicationem: & proinde esse de nouo supplendas. Vnde consurgit in subdito obligatio sub mortali manifestandi superiori, quod non applicauerit sacrificia secundum mentem ipsius, nisi forte ipse possit, & velit supplere. Nam non applicando iuxta mentem superioris, non solum peccat, sed etiam est causa, ne impleantur obligationes, & proinde est causa damni suo modo eorum, quorum interest. Nec potest superior sequi opinionem, quod prævaleat applicatio propria contra applicationem subditi; quia sicut obligatio est certa, ita etiam solutio debet esse certa, quia non extinguitur per solutionem dubiam. Est autem dubium, & incertum, an prævaleat applicatio superioris.

16 Tertio colligitur. Quod per applicationem sacrificij factam à subdito, remanet extincta obligatio, quam intendit subditus extinguere, licet diuersimodè applicetur à superiore. Ratio est, Quia per applicationem superioris non irritatur applicatio subditi, & proinde sortitur suum effectum tanquam prouenitns ab eo, qui habet potestatem applicandi. Sic etiam votum contra voluntatem Prælati tenet, quandiu non irritatur. Ita etiam notant Corduba *in quæst. lib. 1. quæstione 3. opinione 6.* Franciscus Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 3. quæstione 3. numero 29.* Tamburio. *Opuscul. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 2. §. 9. num. 15.* Vnde in tali casu poterit subditus accipere eleemosynam, vt notat Tamborin. cit.

17 Sed quid, si subditus applicet sacrificium contra voluntatem superioris, & superior irritet applicationem, poteritne sequi opinionem, quod non possit irritare, & proinde censere extinctam obligationem celebrandi? Videtur enim non posse, quando ex iustitia tenetur, quia cum adsit opinio in contrarium redditur incerta applicatio. Hoc tamen non obstante, videtur posse sequi. Quia exhibet totum id, quod exigebatur à dante eleemosynam. Qui enim Missas commendat exigit applicationem sacrificij faciendam iuxta institutionem Christi, atque adeò ab eo, cui data est potestas applicandi; vnde cum sit data Sacerdoti offerenti, iuxta illud ad Hebt. 7. *Omnis Pontifex ex omnibus assumptus pro hominibus constituitur, &c.* Dum applicat, soluit, quod debet ex obligatione assumpta, & putare potest quoad superior irritando nihil agat, tanquam perturbans officium Sacerdotale; & sequi potest opinionem, quod non possit irritare, tanquam magis probabilem, & communiter receptam. Et sicut iudex satisfacit officio suo, nec facit iustitiam, quando iudicat secundum opiniones communiter receptas, quamuis adsint in contrarium aliæ opiniones, & has sequendo censetur tribuere vnicuique ius suum; ita etiam Sacerdos in præsenti casu.

Colligitur quarto cum Rodriquez *tom. 1. sum. cap. 241. num. 10.* Garçia *in summ. tractat. 3. de Eucharist. difficultat. 3. dub. 5. punct. 2. num. 14.* Francisco Lugo *libr. 5. de sacrament. cap. 3. quæst. 3. numer. 3.* Quarto *in Append. ad Rubric. Missal. quæst. 2. punct. 14. ver. Probatur secundò.* Quod dato, superiorem posse irritare applicationem sacrificij sui subditi, non tamen poterit ipse applicare; sicut licet possit irritare vota, non tamen potest facere, quod sit voto adstrictus. Ratio generalis est; quia actiones, quæ sunt propriè personales requirunt influxum proprium personæ, cum ab ea debeant procedere; & proinde debent esse voluntariæ, quod nequit fieri absque actu voluntatis. Sicut autem oblatio sacrificij est actio propria personalis Sacerdotis, ita etiam oblatio pro hoc, aut illo determinatè, atque adeò applicatio; & ideò requiritur voluntas propria Sacerdotis ad determinandam oblationem, vt huic potius vel illi. 18

Quinto colligitur. Quod si quis applicet sacrificium pro iis, pro quibus Ecclesia prohibet offerri, licet peccet in re graui, tenebit tamen applicatio, vt obseruant etiam Conioch *de sacrament. quæst. 83. artic. 1. dub. 9. num. 159.* Quartus *in Rubr. Missal. in Append. quæst. 2. punct. 14. vet. Primò colligitur.* Ratio est. Quia hi, quales sunt excommunicati, de se sunt capaces fructus sacrificij, qua capacitate non priuantur ab Ecclesia, sicut nec priuate potest, quod sint membra Christi, si aliàs sint, sed tantum prohibet, ne pro ipsis offeratur, & proinde possit tantum incapacitatem canonicam, quæ non obstat validitati applicationis. An autem Deus ipsis conferat fructum sacrificij. Videtur affirmatiuè resoluendum, si aliud non obstet, quia sicut prohibitio non immutat efficaciam sacrificij, ita nec etiam impedit ipsius effectus. 19

QVÆSTIO 184.

An applicatio sacrificij fieri possit secundum probabiles opiniones de valore, applicabilitate fructus, &c.

SVMMARIVM.

1. *In liberali applicatione possumus sequi quamcunque opinionem.*
2. *Si applicatio sit debita ex iustitia, non possumus sequi quamcunque opinionem.*
   Obligatio celebrandi non potest extingui applicatione incerta.
   Dans stipendium pro Missa quid intendat.
3. *Debitor applicationis non liberatur etiam si putet se sequi opinionem certam.*
4. *Directinè possumus sequi opinionem probabilem, sed non semper obiectinè.*

Non adest opinio probabilis, quod applicatio Missa incerta extinguat obligationem certam.

5. *Sacrificium applicatione secundaria applicari potest iuxta opinionem probabilem.*

6. *Applicatio secundaria sacrificij multiplicari potest.*

7. *Si debitum non sit ex iustitia, potest sacrificium applicari iuxta probabiles opiniones.*

1 QVia Doctores non conueniunt circa valorem, fructum, &c. sacrificij Missæ difficultas insurgit, an applicans sacrificium sequi possit in praxi has opiniones probabiles. Difficultas autem non habet locum, quando liberaliter applicatur sacrificium, nam in iis, quæ liberaliter fiunt sola voluntas dominatur, à qua sola omnes effectus liberalitatis accipiunt mensuram. Et proinde poterit applicare idem sacrificium æqualiter pro pluribus, poterit applicare fructum proprium, & alio modo variare applicationem iuxta probabilitatem opinionum. Vnde difficultas remanet, quando applicatio est debita ex iustitia.

2 Dicendum 1. *Non posse sacrificium applicari secundum opiniones probabiles primariò, quando applicatio est debita ex iustitia siue ratione fundationis, siue ratione Capellania, siue ratione stipendij.* Ita communiter, dum tractant in particulari de applicatione, & satisfactione ratione obligationis, quos suis locis referemus, nonnullis paucis exceptis, qui volunt, posse accipi plura stipendia pro applicatione eiusdem sacrificij, quorum tamen opinio est reprobata à sancta Congregatione. Ratio est. Quia obligatio certa non potest extingui solutione incerta, cum inter certum, & incertum non interueniat æqualitas necessaria ad iustitiam: ergo cum obligatio applicandi sit certa vel ratione fundationis, vel ratione Capellaniæ, vel ratione stipendij, vel alio modo, non poterit extingui applicatione secundum opinionem probabilem, cum talis applicatio sit incerta, sicut est incerta opinio, in qua fundatur. Confirm. Qui dans stipendium, aut alio modo obligans Sacerdotem ad applicandum sacrificium, intendit, sibi applicari sacrificium secundum id; & eo modo, quo certum est posse applicari, itavt non intendat se exponere periculo, quod opinio probabilis applicantis non sit vera, & applicatio non teneat: ergo si Sacerdos non applicat, decipit commendantem Missas, & non satisfacit propriæ obligationi, quia assumit obligationem iuxta petitionem commendantis Missas.

3 Et hoc locum habet, etiam si celebrans putaret certam illam opinionem, secundùm quam regulat applicationem sacrificij, quia ipsius iudicium non facit, quod opinio, quæ de se non sit certa euadat certa: vnde quia solutio obligationis debet secundum se attendi, est respiciendum ad id, quod reuera soluitur, non ad id, quod soluens putat, se soluere, & se secundum ipsum iudicandum, an extinguatur obligatio; æqualitas enim, quæ attenditur in materia iustitiæ est secundum res, non autem secundum existimationes, sic debens centum aureos non liberatur, si sint falsi, quamuis ipse certo teneat, esse probos. Accedit etiam quod petens applicationem sacrificij respicit ad praxim Ecclesiæ, & ad consuetum modum applicandi sacrificium, & eodem modo vult sibi applicari: & acceptans stipendium se obligat ad applicandum, vt petitur, quia acceptando stipendium consentit in petitionem: ergo si ita non applicat, non satisfacit propriæ obligationi.

4 Dices. Potest quisque sequi opinionem probabilem, & secundum ipsam operari: ergo potest etiam applicare Missam secundum opinionem probabilem, quia operabitur secundum opinionem probabilem. Resp. Posse sequi quemque probabilem operando secundum ipsam directiuè assumendo nimirum talem opinionem tanquam regulam suæ operationis. Non autem potest semper operari secundum opinionem probabilem obiectiuè assumendo tanquam obiectum operationis, quod solum est probabiliter id, quod debet. Nam tunc solum est hoc licitum, quando adest opinio probabilis, quod liceat facere, quod solum est probabiliter tale, quale deberet esse. Vnde, quia non adest opinio probabilis, quod obligatio certa extingui possit solutione tantum probabili, ideò hoc non licet; & consequenter quando obligatio applicandi sacrificium est certa, non possum applicare secundum opinionem probabilem, quia solutio esset solum probabilis; nec est probabile, quod solutione probabili extinguere possim debitum certum. Sic etiam licet sit probabile, quod humor distillans è vitibus sit sufficiens materia baptismi, non possunt tamen vti extra casum necessitatis, quia non est probabile, quod sine necessitate vti possim materia dubia, seu tantum probabili.

Dicendum 2. *Sacrificium posse applicari secundum opinionem probabilem applicatione, seu intentione secundaria.* Ita Dicastillus *de sacrament. tract. 5. disput. 3. dub. 5. num. 138.* Machadus *de perfect. confess. lib. 4. part. 1. tractat. 12. docum. 7. num. 4.* Consistit autem hæc secunda intentio, seu applicatio in eo, quod celebrans velit primo loco satisfacere suæ obligationi, & quod sacrificium sit pro iis, quibus ex iustitia debetur, & secundum id totum, quod debetur: & deinde, si habet locum subintret alia applicatio, vel secundum aliquam opinionem probabilem, vel aliquo alio modo, quo subintrare potest; & proinde resoluitur hæc secundaria applicatio, seu intentio in conditionatam. Sic celebrans poterit primò applicare sacrificium ei soli, cui debetur applicatio ex iustitia & postea applicare conditionatè etiam pro aliis, si vera sit opinio quod æquè possit applicarum pluribus, ac applicatum vni tantum. Similiter poterit sub conditione applicare alteri, si nempe ille, cui debetur ex iustitia non sit capax, itavt fructus esset reditutus ad Thesaurum Ecclesiæ; poterit alteri applicare impetrationem, si satisfaciat debito ex iustitia applicando tantum satisfactionem, aut econtra applicare satisfactionem, si satisfaciat obligationi applicando solam impetrationem. Ratio autem est: quia hæ applicationes sunt conditionatæ, & ideò nihil ponunt in esse non existente conditione, & autem existente nihil detrahitur de eo, quod debetur ex iustitia ratione stipendij, aut ex alio capite. 5

Ex dictis colligitur. Has applicationes secundarias multiplicari posse, itavt si non valeat vna, teneat altera, & expedire, quod extendatur valor sacrificij quousque extendi potest, vt notat etiam Machad. *de perfect. Confess. lib. 4. part. 1. tract. 12. documen. 7. num. 3.* Ratio est. Quia per ipsas nihil præiudicatur illi, cui fructus sacrificij de iustitia applicandus est, cum semper ipsi saluus maneat ratione conditionis, quæ inuoluitur in secundariis applicationibus; & aliàs cæteris quoque sacrificium multum prodesse potest, quibus iis seclusis non perficeret: & ideò hic est optimus modus applicandi sacrificium. 6

Secundo colligitur. Sacrificium posse applicari secundum opiniones probabiles, quando licèt aliàs debitum, non tamen ex iustitia, sed vel ex gratitudine, 7

vel

vel ex alio titulo. Ratio est, quia cessat exigentia applicationis certæ: in tantum enim applicatio debet esse certa, quando est debita ex iustitia, in quantum obligatio certa ex iustitia non potest extingui, nisi solutione certa, quæ non habet locum, quando obligatio est ex alio titulo liberali, nam tunc obligatio admittit solutionem ad libitum soluentis. Et ideò qui liberaliter promisit applicationem sacrificij, satisfacit quocunque modo applicet, quia solutio regulatur secundum beneplacitum soluentis, & quæcunque applicatio sufficit, vt dicatur soluere promissa. Et tamen aduertendum, quod si promittens sciret, quod à promissario reciperetur stipendium pro illo sacrificio, teneretur applicare consueto modo, aut monere promissarium de modo, quo applicat: alioquin esset causa quod dans eleemosynam fraudaretur sua intentione, & certa applicatione fructus sacrificij.

QVÆSTIO 185.

An is, pro quo ad eius instantiam sacrificium ab offerente applicatur, possit alteri fructum sibi prouenientem applicare.

SVMMARIVM.

1. *Recipiens fructum sacrificij ex applicatione offerentis, an possit alteri applicare.*
2. *Non potest applicare, si Sacerdos pro ipso determinare applicet.*
Fructus sacrificij semel ab offerente determinatus pro aliquo non potest in alium transferri.

1 PArtem affirmatiuam tradit Roteus *lib. 1. de fructu sacrific. disput. 4. quæst. 4. dub. 4. num. 12.* Quia quando Sacerdos offert ad instantiam alicuius, intendit transferre in ipsum plenam potestatem supra illum fructum; & qui curat offerri, intendit acquirere potestatem supra eumdem fructum.

2 Verum licet hoc locum habeat, quando offerens applicat fructum iuxta intentionem illius, ad cuius instantiam offert; siquidem tunc Sacerdos applicando secundum ipsius intentionem, applicat ipse illi, in quem fertur eiusdem intentio. Attamen hoc locum non habet, si Sacerdos offerat pro illo, qui instar offerri. Nam in hoc casu ex determinatione offerentis fructus sacrificij fit illius, qui instauit offerri, nec ipse potest cedere iuri suo, & transferre iu alium. Tum quia non potest irritare determinationem Sacerdotis. Tum quia fructus semel applicatus ex vi applicationis sortitur effectum in illius beneficium, cui applicatur. Tum quia Sacerdos ex vi potestatis sacerdotalis, & oblationis potest applicare fructum sacrificij, quam potestatem, non potest transferre in alium, vt applicet aliter, ac ipse applicauit. Vnde non est verum, quod possit Sacerdos transferre in illum, pro quo offert, plenam potestatem supra fructum sacrificij, quia hæc potestas non datur nisi ratione ordinis, & oblationis.

QVÆSTIO 186.

An quando quis tenetur celebrare pro pluribus defunctis possit applicare pro eo, cuius eleemosynam prius accipiet.

SVMMARIVM.

1. *Obligatus offerre pro pluribus defunctis, potest offerre pro eo, cuius legatum prius soluetur.*
Missæ applicari possunt pro oneribus prius adimplendis, licet ignorentur.
2. *Missa potest applicari pro vrgentiore obligatione.*
3. *Applicatio Missæ pro eo, cuius legatum prius soluetur, non est conditionalis, sed certa, & determinata.*
4. *Stante applicatione pro vno, si sequatur applicatio pro eo, cuius legatum prius soluetur ex eo, quo putetur prius soluendum alterius legatum quanam applicatio valeat.*
5. *Quid si sequuta certa applicatione dubitet quis an mutauerit in fauorem illius cuius legatum prius soluetur, & non soluatur legatum posteriore loco relictum.*
Certa non sunt pro incertis dimittenda.

DIfficultas supponit casum, quod plures defuncti relinquűtur legata pro Missis Manualibus, quæ tamen non statim soluantur ab hæredibus, & ideò dubitatur, an legatarij possint interim applicare sacrificia pro eo, cuius legatum prius soluetur. Et affirmatiuè resoluendum est. Et ita tenere debent ij, qui volunt, quod possint sacrificia applicari pro oneribus, ad quæ implenda quis tenetur, licet ipso inscio. Vt Petrus Nauar. *libro secundo de restitutione, cap. 2. num. 371.* Henriquez *lib. 9. summ. cap. 21. num. 2. in fine.* Reginaldus *lib. 23. Praxis fori pœnit. cap. 17. dub. 4. num. 237. vet. Secundum est.* Facundez *præcept. 1. Eccles. libr. 3. cap. 9. n. 8.* Vega *tom. 2. sum. cap. 41. casu 4.* & alij. 1

Ratio est. Quia licitè applicatur sacrificium pro vrgentiori obligatione, nam cum magis vrgeat, exigit etiam priori loco impleri. Magis autem vrget obligatio quoad eum, cuius legatum prius soluendum est, quàm quoad eum cuius legatum posterius soluetur, nam solutio eleemosynæ promissæ operatur, quod obligatio assumpta magis vrgeat, eo quod ante acceptam eleemosynam nondum obligatio est completa. Nec obstat, quod solutio legati vnius prius sequutura respectu alterius relinquat obligationem in eodem statu, tum quia, quamdiù non est sequuta, non facit vrgere obligationem; tum quia est incertum, quænam prius sequutura sit. Quia sufficit, quod obligatio ex vno legato prius soluendo, sit prius tempore complenda, & exigitura satisfactionem; & quod in scientia Dei sit certitudo, quænam sit prius sequutura; nam applicatio, quæ fit pro onere, pro quo prius eleemosyna soluetur habet relationem ad scientiam Dei, ita vt ei offeratur sacrificium pro eo onere, pro quo scit eleemosynam fore soluendam. 2

Dices. Hanc applicationem esse conditionalem, quia est pro eo, pro quo sequetur prius solutio eleemosynæ. Resp. Non esse conditionalem, sed absolutam. Quia applicatur fructus sacrificij pro onere iam imposito & in tempore, pro quo iuxta intentionem legantis est applicandum & hæc omnia fiunt de præsenti, nec transmittuntur, in tempus futurum. Fit etiam pro persona determinata. Quia licet determinatio non sit nota applicanti; sit tamen ab ipso pro deter- 3

minata persona, nempe pro illa, pro qua Deus scit, prius esse soluendum legatum. Et ideò nihil obstat, quia applicatio sortiatur statim suum effectum ad fauorem personæ determinatæ.

4 Maior difficultas est, quid dicendum, si quis applicet omnia sacrificia celebranda pro eo defuncto, qui prius mortuus est, & postea putans, quod prius sit soluendum legatum relictum ab eo, qui posteriori loco mortuus est, applicet pro eo, cuius legatum prius soluetur, & casus ferat, quod posterioris defuncti legatum non solum non soluatur prius, sed omnino euanescat. Resp. Adhuc in tali casu valere applicationem ad fauorem prioris defuncti, pro quo prius fuerat determinata applicatio. Quia adhuc stat, quod legatum prioris defuncti sit prius soluendum, & quod applicatio sit ad fauorem illius; & proinde, quod applicans determinatè, pro ipso applicet fructum sacrificij, licèt determinatio personæ non sit ipsi nota, sed tantum Deo, qui scit, cuiusnam primo loco legatum soluendum sit, atque adeò pro ipso acceptat applicationem. Nec quia applicans putat, prius soluendum legatum, quod postea concurrit, quidquam obest, quia hæc opinio non immutat naturam applicationis, cum fiat secundum, id quod est vere futurum, non secundum id, quod putatur futurum.

5 Ex quibus deducitur, quod si quis pro aliquo determinaret applicationem sacrificiorum, & post elapsum aliquod tempus, putaret, sed cum dubio, quod superueniente nouo onere Missarum mutasset applicationem, & intendisset applicare pro eo, cuius legatum priori loco consequetetur, & casus tuletir, quod nullo modo consequatur legatum posteriori loco relictum, potest abiicere omnem scrupulum. Quia reuera Missæ remanent applicatæ pro eo, cuius legatum applicans consequitur iuxta ea, quæ dicta sunt. Accedit etiam quod vna applicatio nempe prima est certa, posterior vero est dubia; & ideò factum dubium non potest præualere contra certum ad induendam nouam obligationem. Prudenter enim agit, qui sciens, se certò applicasse Missas pro onere implendo, & dubitat, an retractauerit applicationem, sequitur partem certam, quia non sunt certa pro incertis dimittenda; *l. Cum Titio. ff. ad leg. Falcid.* & *l. Non quemadmodum. ff. de Iudic.* & *l. 1. ff. De in litem iuran.* & *l. Pactum. C. de pactis.*

QVÆSTIO 187.

An, si quis putans, sibi citius soluendam eleemosynam pro nouo onere, mutet applicationem Missarum iam factam, vt ipsi satisfaciat, non sequatur solutio, valeat posterior applicatio.

SVMMARIVM.

1. 2. *Mutans applicationem Missarum & præsupposito, quod prius sit soluenda eleemosyna pro sic, pro quibus intendit satisfacere, & non soluatur, quid iudicare debeat.*
3. *Applicatio Missæ ex causa falsa non tenet. Errantis nullus est consensus.*
4. *Voluntas errantis nihil disponit. Vitium cognitionis errantis redundat in actum voluntatis.*
5. *Voluntas errantis neque apud Deum est voluntas, sed pro nulla habetur.*
6. *Dubia applicatio posterior sacrificij non praeiudicat anteriori certæ.*

7. *Applicatio sacrificij ex falsa opinione, quod sit soluenda eleemosyna an valeat.*

Casus accidit; quod obligatus ad amplum numerum Missarum, pro quarum satisfactione applicauerat omnia sacrificia celebranda ex sui commissione, suscepit aliud onus ex legato, & putans, quod citiùs esset soluendum hoc legatum, quàm illud, pro quo iam cœperat satisfacere, mutauit applicationem, & intendit satisfacere huic posteriori legato sacrificiis celebrandis. Cum autem interim hæredes inficerent inuentarium, negauerunt soluere legatum, eò quod non esset in bonis testatoris de quo disponeret. Vnde dubitatur, an Missæ celebratæ sortitæ sint effectum iuxta priorem applicationem, & proinde computari possint in numero earum, quæ erant debitæ ex priori legato, an vero secundum posteriorem applicationem, atque adeò non possint computari pro dicto numero. 1

Videtur autem, quod sortitæ sint effectum iuxta priorem applicationem, & proinde computari possint in numero debito ex vi prioris oneris. Hoc autem fundatur in eo quod posterior applicatio Missarum pro nouo onere adueniente, ex nouo legato, cuius solutio facilior, & promptior putabatur, fuit nulla, & consequenter etiam recessus à priori applicatione, & proinde prior applicatio manet in suo robore, & virtute ipsius Missæ celebratæ, sortitæ sunt suum effectum non secus, ac si nulla fuisset subsequuta alia applicatio occasione noui legati. 2

Quod fuerit nulla posterior applicatio deducitur ex eo, quod facta fuit ex causa falsa, & erronea, quod posterius legatum esset promptiùs, & citiùs soluendum, in quo errauit applicans. Est autem regula vninersalissima, & certissima, quod errantis nullus est consensus, nulla voluntas. *l. Si per errorem. ff. de iurisd. omn. iud.* & *l. Nihil consensui. §. Nihil. ff. de reg. iur.* & *l. Non ideirco. C. de iur. & fac. ignor.* & *l. Si Procurator. ff. de acquir. rer. domin.* Quam acceptat communiter Doctores. Bald. *in l. Qui testamentum. num. 2. C. de iur. & fac. ignor.* Patis. *consil. 150. n. 22. vol. 4.* Calderin. *consil. 1. de transact.* Ruin. *consil. 127. num. 12. vol. 3.* Rolan. *consil. 13. num. 22. vol. 1.* Socin. Iun. *consil. 3. num. 28. vol. 2.* Surd. *decis. 114. num. 10.* Menoch. *præsump. 19. num. 9. lib. 1.* & passim Rota coram Seraphino *decis. 1190. num. 2.* & coram Dutano *decis. 50. num. 19.* & coram Ludouisio *decis. 179. num. 5.* & coram Peña *decis. 70. num. 4.* & *in Viterbiensi Nansati. 15. Ianuar. 1574.* coram de Grassis & *in alia Tiburtina Castri Sambuci 1. Decembr. 1578.* & *20. Februar. 1579.* coram Aldobrandino; & *decis. 524. num. 4. part. 2. Recentior.* Et ideò cum intentio respiciens posteriorem applicationem fuerit ex causa erronea, quia errabat putans, posterius legatum fore soluendum, & citius soluendum habetur, tanquam si non esset, nec aliquem operatur effectum apud Deum acceptantem oblationem sacrificij pro eo, pro quo primò fuit applicatum. 3

Dices. Adesse veram, & realem intentionem applicatiuam, licèt ex falsa causa; & proinde sortiti suum effectum apud Deum. Quia in tantum dicitur, quod errantis nulla sit voluntas, in quantum voluntas, quæ fuit, reiicitur, & habetur tanquam si non fuisset. Sed hoc reiicitor. Quia dum error excludit consensum, voluntatem, intentionem, ab initio operatur, quod ille actus voluntatis, qui promitur secundum esse, non sit alicuius efficaciæ tanquam proueniens ex radice viciata nempe cognitione errante. Quia proinde voluntas errantis nihil disponit, *l. fin. init. ff. de legat. 2.* & *l. 1. C. de fal. cau. adiect.* & *l. 2. cap. de necess.* 4

necess. seru. hered. inst. Imò vitium radicis nempe cognitionis errantis redundat in ipsum actum voluntatis, seu intentionem, & in eiusdem effectum iuxta ea quæ tradunt Gloss. *in cap. Quia. de consanguinit.* Dec. *consil.* 373. *num.* 3. Abbas *consil.* 101. *vol.* 1. Paris. *consil.* 96. *num.* 24. *vol.* 1. Socin. Sen. *consil.* 216. *circa fin. vol.* 2. Et proinde talis voluntas, seu intentio tanquam ab initio vitiata caret semper omni efficacia, atque adeò nec etiam retractat, aut cessare facit priorem intentionem, seu applicationem.

5 Et hoc habet locum etiam apud Deum, cognoscit enim quod talis intentio prouenit ab errore, & proinde quod in se non habet vim, aut efficaciam aliquam, & consequenter coram ipso non parit aliquem effectum, sed acceptat sacrificia secundum priorem applicationem. Quod constat etiam in dispensationibus, quas Pontifex concedit; nam, si concedantur ex falsa, causa nihil prorsus valent, nedum in foro externo, sed nec etiam in foro conscientiæ coram Deo, sed dispensatus eodem modo remanet ligatus, ac erat ante dispensationem, quamuis Pontifex habeat vetam, & realem voluntatem dispensandi, quæ tamen nihil operatur, quia est vitiata ex radice falsæ causæ. Sic etiam, qui ex errore pronunciat aliquam hæresim putans esse Catbolicam veritatem, neque etiam apud Deum Hæreticus, quia error remouet consensum.

6 Et à fortiori locum habebit resolutio posita, si dubitetur de posteriori applicatione: nam vltra quod militat eadem ratio, accedit etiam, quod prior applicatio fuit certa, itavt adsit recordatio de ipsius certitudine, posterior autem est in recordatione tanquam dubia. Non potest autem dubium præualere contra certum; & ideò standum est applicationi, de qua certò scitur extitisse. Nec dici potest quod applicatio certa redditur dubia ex eo, quod dubitatur, an sit sequuta alia contraria, quia hoc non sufficit, vt reddatur dubia. Certum enim semper remanet, quod extitit, & solum dubium est, an per applicationem subsequutum fuerit retractata, aut euanuerit. Cum autem non possit affirmari, quod extiterit alia posterior applicatio, nec etiam potest affirmari, quod prior fuerit retractata, adeò nec etiam, quod per illa sacrificia non sit satisfactum priori oneri.

7 Ex dictis deducitur. Quod si quis applicaret sacrificia pro aliquo, putans quod ab ipso acceptutua esset eleemosynam, quam tamen non est accepturus, quia mouetur ex erronea, & falsa causa ad applicandum, illa applicatio tanquam in sua radice vitiata, inefficax est, & nullum sortitur effectum. Et proinde fructus talis sacrificij eodem pacto se haberet, ac si nulli esset applicatus. Nec obiici potest, quod esset in potestate illius, pro quo est applicatus facere, quod applicatio sortiatur, vel non sortiatur effectum, etiam postquam est sequuta, quia attenditur falsitas, vel veritas causæ pro tempore, quo fit applicatio in ordine ad scientiam diuinam; scit enim Deus, quando applicatur sacrificium, an is, pro quo applicatur, sit daturus, vel non daturus eleemosynam; & si est daturus acceptat sacrificium: si verò non est daturus, non acceptat, quia intentio applicans tanquam ex falsa causa, & vitiata in radice nullam habet efficaciam.



DE MISSÆ CONTINVATIONE, INTEGRITATE, PERFECTIONE, & Ordine, &c.



HABET vnaquæque res suam perfectionem tum essentialem, tum etiam integralem, & accidentalem; & proinde Missa quoque habet has suas perfectiones. Vnde perfectio essentialis consistit in illa actione, in qua saluatur essentia sacrificij, quæ, vt dictum est suo loco, est consecratio vtriusque speciei. Perfectio vero integralis consistit in exteris partibus Missæ: accidentalis autem in eo, quod singulæ partes, & ritus congruo modo exerceantur. Quia autem circa hanc perfectionem occurrunt nonnullæ difficultates, ideò modo explicandæ sunt.

QVÆSTIO 188.

An & quale peccatum sit cœptam Missam non complere.

SVMMARIVM.

1. *Cœpta consecratione non complere Missam est peccatum graue.*
2. *Cœptam Missam ante consecrationem relinquere est graue peccatum.*
3. *Cœptam Missam esse complendam decernunt iura.*
4. *Qualibet parte Missa præmissa debet compleri.*
5. *Grauitas materiæ, quando Missa non completur vnde sumatur.*
6. *Exigua parte Missæ recitata an sit mortale non complere.*
7. *Omittere in fine Missæ exiguam partem an mortale.*

SVpponendum est. Esse peccatum graue, si incœpta consecratione non compleatur Missa saltem neque vel consumptionem sacrificij, vt docent communiter Doctores præsertim infra citandi. Nam consecratio vtriusque speciei, est de substantia sacrificij, vt suo loco dictum est, consumptio vero sacrificij est de integritate: vnde violaretur ius diuinum, si quoad has partes sacrificium relinqueretur imperfectum, & cum materia sit valde grauis sacrilegium quoque esset huiusmodi. Vnde difficultas est, si Missa relinquatur ante consecrationem. 1

Dicendum. *Esse peccatum mortale Missam inchoatam non continuare, & perficere.* Ita communiter Doctores. Syluester *verbo* Missa 1. *quæst.* 2. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 31. *quæst.* 1. Henriquez *lib.* 9. *summ. cap.* 30. *num.* 5. qui alios citat. Nauarr. *de orat. cap.* 16. *num.* 58. & *Miscellan.* 86. *de orat.* Marchin. *de sacram. Ordin. tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 16. *num.* 1. Faustus *lib.* 2. *de Euchar. quæst.* 191. Rodrig. *part.* 1. *sum. cap.* 149. *concl.* 8. Dicast. *de sacrament. tract.* 5. *disput.* 4. *dub.* 13. *num.* 249. Tamburin. *opusc. de sacrif. Miss. lib.* 2. *cap.* 7. §. 1. *num.* 6. Franc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *quæst.* 4. *num.* 50. Quartus *in Rubric. Missal. part.* 2. *titul.* 3. *sect.* 2. *dub.* 1. *init.* & *corollar.* 2. Bertachin. *de Episcopis, lib.* 4. 2

lib.4.part.2.num.99. Diaz. *in Pract. cap.46.* ver. *Clericus.* Archidiacon. *in cap. nihil. 7. quæst. 1.* Layman *lib.5.Theol. moral.tract.5. cap.7. num. 2.* Suarez *disp. 45. de Eucharist.sect.1.* ver. *Secunda regula.* Villalob. *part.1.sum.tract.8. difficult.31. num. 8.* Bonac. *tom. 3. disp.3.de censur. in particul. quæst.3.punct.2. numer. 5.* Garzia *in sum.tract.3.difficult.8. dub.6. punct.vlt.num. 29.* Pax Iordan. *tom.1.lucubrat.lib.4. tit.1. num. 338.* & alij cum D.Thom. *3. part. quæst. 83. art. 6. ad 1.* Hoc tamen intelligitur seclusa caosa rationabili, quæ si interueniat excusare potest, vt infra dicetur.

3 Hoc autem statnitur in iure Canonico in cap. *nihil. 7.quæst.5.* vbi ita decernit Concil.Toletan. septimum, *Nullus absque prouentu parentis molestia minister, vel sacerdos, cum coeperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere si quis hac temerare præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.* Vbi adnotaodum est, quod loquitur de temerè præsumentibus, atque adeò eos tantum lex afficit Rursus etiam desumitur ex cap. *Nullus Episcopus. De consecrat. dist.1.* vbi Zacharias Papa in Synodo Romana ita statuit. *Cum verò ingressus fuerit Episcopus, aut præsbiter ad Missarum solemnia celebranda; nisi passio aliqua interuenerit nullo modo audeat data oratione recedere; vt ab alio Episcopo, vel præsbitero Missarum solemnia suppleantur, sed qui initium ponit, suppleat vsque ad finem, quia scriptum est, qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Si quis verò *præsumpserit, præter quod posuimus agere, à sacro corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi sit suspensus.* Vbi similiter loquitur Pontifex de præsumentibus, atque adeò sine rationabili causa relinquentibus Missam imperfectam.

4 Dobium tamen est. An quod dictum est locum habeat non solum, quando pars notabilis Missæ est iam peracta, sed etiam statim, ac est incœpta, vt si v. gr. esset tantum facta confessio, & sacerdos oondum ingressus esset altare. Et ratio dubitandi desumitur ex Præfato Decreto Zachariæ Papæ, dum dicit; *Vt ab alio Episcopo, vel præsbitero Missarum solemnia suppleantur.* Videtur enim loqui tantum, quando Missa relinquitur in eo statu, in quo per alium supplenda est; atque adeò facta consecratione primæ saltem speciei. Verum tenendum est, quod incœpta Missa secundum quamlibet partem adsit obligatio complendi, quod satis indicat dict.text.ibi. *Cum ingressus fuerit, ad Missarum solemnia celebranda nullo modo, audeat data oratione recedere.* Et, *Qui initium ponit, suppleat vsque ad finem.* Ex quibus constat quod Pontifex loquitur de quolibet principio Missæ, & quod sufficiat ingressus ad celebrandum. Et ideò incœpta confessione consurgit statim obligatio prosequendi Missam.

5 Quod autem peccatom sit mortale, constat ex grauitate materiæ. Siquidem incipiens celebrare Missam se sistit coram Deo exhibens ipsi suum ministerium sacerdotale in offerendo sacrificio: atque adeò per ipsum factum se obligat ad oblationem sacrificij, qui incipiendo Missam facto ipso profitetur se velle offerre sacrificium; & non est dubium, quin Deus acceptet exhibitionem, tanquam de re sibi maximè grata. Et ideò, si recedat à proposito non reddens Deo, quod incœpit dare, facit ipsi iniuriam grauem, non secus, ac si recederet à promissione. Quia incœptio oblationis est plus quam promisso, cum sit quædam actualis traditio. Sic si quis inciperet donare aliquod munus Principi, & posteà se retraheret à donatiooe, grauiter ipsum offenderet.

6 An autem sit peccatum mortale relinqnere Missam quando tantum pars exigua est recitata, fortè alicui videri posset, non esse mortale, quia paruitas materiæ, quæ præcessit non videtur fundare graoem exigentiam continuationis. Verum quicquid de hoc sit non consideratur obligatio continuandi Missam secundum exigentiam partis, quæ præcessit, sicut consideratur, quaodo est facta consecratio primæ speciei io ordine ad consecrationem secundæ; & quando facta est consecratio vtriusque in ordine ad consumptionem. Sed prouenit necessitas perficiendi Missam ex obligatione, quam tacitè sibi imponit sacerdos ex eo, quod incipit oblationem sacrificij, vt constat ex dictis *num. præced.* & ideò semper erit peccatum mortale, quacunque exigua parte Missæ præmissa relinquere reliquas.

Ex quibus sequitur, quod si in fine Missæ omittatur aliqua pars, quæ sit paruitas materiæ, non erit 7
peccatum mortale, qnia omittitur quid leue, & iam sacerdos soluit Deo secundum substantiam, quod incœperat exhibere. Vndè sicuti in principio Missæ omissio perficiendi non sumit grauitatem, vel leuitatem ab eo, quod præcessit, sed ab eo, quod superest exhibendum; ita etiam omissio in fine Missæ ponderanda est ex eo, quod deest ad ipsam complendam.

QVÆSTIO 189.

An relinquens Missam imperfectam incurrat aliquam censuram.

SVMMARIVM.

1. *Relinquens Missam inchoatam an incurrat censuram.*
2. *Non incurrit excommunicationem.*
3. *Non complenti Missam imposita est suspensio.*
4. *An sit suspensio latæ sententiæ.*
5. *Clausula* sit suspensus. *Importat latam sententiam.*
6. *Vt incurratur suspensio non requirit quod relinquatur Missa ab alio complenda.*
7. *Non complens Missam à quo remaneat suspensus.*
   An possit communicare.

NOn concordant in hoc Doctores. Quidam enim 1
volunt, quod sacerdos relinquens Missam inchoatam incurrat excommonicationem. Ita Archidiacon. in cap. *nihil. 7. quæst. 1.* Diaz. *in Pract. crimin. can. cap. 46.* verbo *Clericus, qui absque.* Majol. *cap. 2. de irregularit. capit. 16. in fine.* Alterius *tom. 2. de censur. disput. 11. cap. 3.* Et videntur habere fundamentum in cap. *nihil. 7. quæst. 1.* vbi relinquenti Missam imperfectam ponitur pœna excommuoicationis. Verum satis constat ex ipso text. quod non sit pœna latæ sententiæ, sed ferendæ, nam dicit, excommunicationis sententiam sustinebit. Verbum enim, sustinebit, cum sit futuri temporis importat sententiam ferendam; & ideò non incurritur, nisi stante contumacia per iudicem feratur sententia.

Dicendum ergo est. *Relinquentem Missam imperfectam non incurrere aliquam excommunicationem.* Ita 2
Nauar. *cap. 16. de orat. numer. 58. & in Miscellan. de orat. numer. 86.* Syluester *verbo* Eucharistia *2. quæst. 7.* Azor. *part. 1. libr. 10. capit. 32. quæst. 2.* Faustus *libr. 2. de Eucharist. quæst. 291. in fine.* Dicastil. *de sacrament. tract. 5. disp. 4. dub. 13. numer. 252.* Angelus *verbo* Eucharistia *numer. 2.* Bonac. *disp. 3. de censur. in particul. quæst. 3. punct. 2.* Rodriquez *quæst. Regul. 4. art. 3. tom. 3.* Marchin. *de sacrament. ordin. tract. 3. part. 3.*

cap.

*cap.*16.*num.*5. Barbosa *in collect. in cap. nihil.* 7.*quæst.* 1. Garzia *in sum. tract.*3. *difficult.*8. *dub.* 6. *punct. vlt. num.*29. Pax Iordan. *lib.*1.*Lucubrat.lib.*4.*tit.* 1.*numer.* 339. Tambur. *Opusc.de sacrific. Miss. lib.*2.*cap.*7.§.1. *num.*6. Ledesma *part.*1.*sum. cap.*24.*de Eucharist. conclus.* 7. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 2. *tit.*3. *sect.*2. *dub.*2. ver. *Tertia sententia.* Ratio est. Quia nullibi reperitur excommunicatio latæ sententiæ pro hoc peccato, cum solum repetiatur sententiæ ferendæ in dicto cap. *nihil.* 7. *quæst.* 1. & ideò non est asserenda.

3 In cap. tamen *nullus Episcopus. de consecrat. dist.* 1. imponitur suspensio per hæc verba. *A sacro corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi sit suspensus.* Circa quod oritur difficultas, an hæc suspensio sit latæ sententiæ, an verò ferendæ. Quod autem sit tantum sententiæ ferendæ, tradunt Azor. *part.*1. *lib.* 10. *cap.* 32.*quæst.*2. Henriquez *lib.*9.*sum.cap.*30.*num.*5. Filliucius *tract.* 17. *num.* 103. Fernandez *part.* 3. *Examin. Theol. moral. cap.* 5. §. 5. *num.* 11. Quartus *in Rubr. Missal. part.*2. *tit.* 3.*sect.*2. *dub.* 2. ver. *Tertia sententia.* Francisc. Lugo *lib.*5.*de sacrament. cap.* 10. *quæst.* 4.*num.*56.

4 Dicendum tamen est. *Esse suspensionem lata sententia, & ipso facto incurri.* Ita Diaz. *in pract. crimin. canon. cap.*46.*num.*1. Bonac. *disp.*3. *de censur. in particul.quæst.*3.*punct.*2. Garzia *in sum. tract.*3.*difficult.*8. *dub.*6.*punct.vlt.num.*29. Pax Iordan. *tom.*1.*Lucubrat. lib.*4.*tit.*1.*num.* 339. Verba enim canonis important latam sententiam, cum dicat, *sit suspensus.* Non enim idem significant, quod *suspendatur*, ita vt requiratur actio iudicis suspendentis, sed significant, quod remaneat suspensus.

5 Quod enim ista clausula *sit excommunicatus, sit suspensus*, importet excommunicationem, aut suspensionem latæ sententiæ. Colligitur ex Clem. 1. *de decim.* & Clem. 1. & 2. *de pœnis*, & cap. *fin. de reb. Eccles. non alienan. in* 6. Et tradunt Gloss. *in cap. quicunq.* §. *inhibemus*, verbo *Innodetur*, *in fine. de heret. in* 6. Panorm. *in cap.*2.*num.*13. & *in cap. si diligenti. num.* 18. *de foro competenti.* Angel. *verbo* Excommunicatio 2. §. 7. Henriquez *lib.* 3. *sum. cap.* 20.*num.*2. Vgolin. *de censur. tab.*1. *cap.*9. §.6. *num.*9. & *tab.*2.*cap.*28.*nu.*4. Felin. *in cap. Rodulphus,num.*58. *de rescript.* Sayr. *lib.* 1.*de censur. cap.* 11. *num.* 9. & communiter. Verbum enim sit, est temporis præsentis imperatiui, vel subiunctiui, non autem futuri: & disponit circa ipsum delinquentem, ita vt decernat esse excommunicatum. Alioquin dicendum esset, quod omnes excommunicationes, quas in suis Canonibus imponit Concil. Tridentin. per verba, *Anathema sit*, essent ferendæ sententiæ, non autem latæ.

6 Ex dictis colligitur. Quod licet text. loquatur de eo qui relinquit Missam inchoatam ab alio complendam, ad effectum tamen incurrendi suspensionem non requiritur, quod in hunc finem relinquatur imperfecta, sed sufficit, si quocunque modo non compleatur. Quia non punitur intentio, quod per alium compleatur, sed actus relinquendi Missam incompletam; quod satis constat ex textu, quia Pontifex præcipit, quod Missa ab eodem compleatur. Et ita cum Nauarro *de orat. Miscellan.* 52. Maiolo *lib.* 3. *de irregular. cap.* 13. Sayro *lib.*4. *de censur. cap.* 16. *num.*1. Alterio *tom.* 2. *de censur. disp.* 11. *cap.* 3. notat Bonacio. *disp.*3.*de censur. quæst.*3. *punct.*2.*num.*1. ver. *Hanc tamen.*

7 An autem cum hæc suspensio sit à corpore, & sanguine Christi, possit sic suspensus communicare more Laïcorum, affirmat Bonac. *dict.disp.*3. *de censur. in part. quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 4. Quia suspensio fertur in sacerdotes, & ideò eos repellit à functionibus sacerdotalibus, Sumptio autem Eucharistiæ non est functio propria sacerdotum, sed Laïcorum. Verum cum suspensio non sit à modo participandi Eucharistiam, sed ab ipso corpore, & sanguine Christi, quocunque modo ipsi interdicitur participare corpus, & sanguinem Christi, alioquin etiam si esset, interdictus sacerdos ab ingressu Ecclesiæ posset dici, quod intelligeretur de ingressu proprio sacerdotis, hoc est in ordine ad officia sacerdotalia.

QVÆSTIO 190.

An ob periculum imminens mortis possit Missa relinqui imperfecta.

SVMMARIVM.

1. *Ante consecrationem, si instet periculum hostium &c. relinquenda est Missa.*
2. *Cœpta consecratione debet statim perfici & consumi instante periculo.*
3. *Cœpta consecratione, si instet periculum mortis an adhuc debeat perfici.*
5. *Lex quando dicatur impossibilis.*
Difficultas magna æquiparatur impossibilitati.
6. *Legis possibilitas quomodo mensuranda.*
7. *Perfectio sacrificij non est bonum præferendum propria vita.*
8. *Sacrificium est tale ex institutione.*
Quodnam sit intrinsecè malum.
9. *Aliud sacrificium relinqui imperfectum: aliud velle offerre in vna tantum specie.*
10. *An metu mortis possit offerri sacrificium in vna tantum specie.*

SVpponendum est. Quod si superueniat huiusmodi periculum, vt quia hostes irruerent, instaret alluuio, incendium, ruina, aut quid simile, ante consecrationem, non solum potest sacerdos relinquere Missam, sed etiam tenetur non vlterius procedere, vt notant Suarez *disp.* 85. *de sacrament. sect.* 1. ver. *Quartò accidere potest.* Quartus *in Rubr. Missal. part.* 2. *tit.* 3. *sect.* 2. *dub.* 6. *init.* Nam si prosequeretur Missam, non solum se ipsum subijceret periculo, sed etiam ipsam Eucharistiam: & ille actus non esset actus fortitudinis, sed temeritatis, & irreuerentiæ erga Eucharistiam. Vndè difficultas est, si sit consecrata vna species, aut etiam vtraque, sed nondum consumptum sacrificium. 1

In quo illud est certum, quod debet sacerdos, si potest, statim consecrare secundam speciem, & sumere sacrificium, & statim abire absque eo, quod in consumendo seruet ritus consuetos, vt præscribit Rubrica *de defect. occurr. in minist. tit.* 10. *num.* 2. Siquidem partes, & ritus Missæ, qui relinquuntur non pertinent ad substantiam sacrificij, sed sunt tantum de iure Ecclesiastico, quod in hoc casu non obligat ob maximam difficultatem seruandi legem, quæ sufficit, vt lex habeatur pro impossibili, atque adeò careat conditione essentiali possibilitatis. Difficultas ergo remanet in casu, in quo ita vrgeat periculum, vt non possit hoc præstari. 2

Prima sententia asserit, teneri adhuc perficere sacrificium, nec debere fugere ob mortis periculum. Ita Suarez *disp.*85. *de Eucharist. sect.*1. ver. *Quartò accidere*, Ledesma *part.*1.*sum.cap.*25.*de Eucharist. conclus.* 3. ver. *La quarta manera.* Fundamentum huius sententiæ est. Quia relinquere sacramentum mutilum est intrinsecè malum: & proindè in nullo casu licitum; vndè non posset quis accedere ad celebrandum in vna tantum specie etiam metu mortis. 3

Secunda sententia asserit, posse relinqui sacrificium 4

cium imperfectum in vna tantum specie, aut sine consumptione ad vitandum periculum mortis. Ita Layman *lib.5.Theol.moral.tract.5.cap.7.num.1.* Tolet. *lib.2.cap.7.num.6.* Bonacin. *tom.3. disp.3.de censur. in part.quæst.3.punct. 2. num. 1.* ver. *Secundò intelligitur,* Faustus *lib.2.de Eucharist. quæst.*291.ver. *Dixi,* Garzia *in sum.tract.3.difficult.8.dub.6. punct.vlt. num.*18. Dicastil.*de sacrament.tract.5 disp.4.dub.13. num.*249. *in fine.* Arauio *3.part.quæst.74. art 2.dub.1 numer.* 14. ver. *Tertium est,* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap.10. quæst. 4. num.*67. Tambur. *Opusc. de sacrificio Miss.lib.2.cap.7.§.1.num.4.* Quartus *in Rubr. Missal. part.2.tit.5 sect.2. dub.6. difficult. 1.* ver. *Secunda sententia,* Capeauil. *de administrat. sacrament. tempore pestis cap.4.quæst.*20. ver. *Dices tertiò.*

5 Dicendum est. *Celebrantem posse relinquere sacrificium imperfectum absque consumptione, aut consecratione alterius speciei ad vitandum imminens periculum mortis.* Ratio est. Quia licet præceptum de perfectione sacrificij sit diuinum, non obligat tamen, nisi quatenus est possibilis eius obseruantia, quia lex quoque diuina debet habere essentiales conditiones legis in communi, quarum præcipua est, quod sit possibilis, hoc est de re possibili. Lex autem de complendo sacrificio in præsenti casu non est possibilis, quia superuenit tale impedimentum, quod superari non potest, nisi cum periculo vitæ, quod sufficit, vt obseruantia legis reddatur impossibilis. Quia non habetur pro possibili, quod solum cum maxima difficultate impleri potest, qualis est in expositione propriæ vitæ. Difficultas enim magna æquiparatur impossibilitati *l.2. §. ex quo, & l. continuus, §. cum quis, ff de verbor. obligatione,* & notant Felin. *in cap. Ecclesia. numer.* 81. *de constit.* Medices *de casib. fortuit. part. 1. quæst. 4. numer.* 13. Beroius *consil.* 38. *num.* 35. *lib.* 1.

6 Dices. Non obstante hac possibilitate alias leges obligare, vt est lex de confessione fidei, de non faciendo aliquid in contemptum religionis, de exponenda vita pro conseruatione patriæ, & aliæ huiusmodi, quæ obligant cum periculo vitæ. Resp. Possibilitatem legis esse mensurandam secundum mensuram rectæ rationis, itavt tunc habeatur pro possibili, quando recta ratio iudicat eius obseruantiam præponderare ijs bonis, quæ pro ipsa exponuntur pro superandis contrarijs. Tunc autem recta ratio iudicat obseruantiam legis præponderare, quando quod per ipsam prohibetur est intrinsecè malum, itavt honestari non possit, vt est negatio fidei; aut quando bonum, quod præcipit est tale, quod secundum ordinem charitatis debeat plus diligi, quàm vita propria, nam tunc non obseruare legem contrariatur charitati, atque adeò vltimo fini. Bonum autem integritatis sacrificij non est tale quod secundum ordinem charitatis debeat præferri propriæ vitæ, & ideò lex de ipso complendo, post quam est incœptum, non obligat cum periculo vitæ: atque adeò talis lex in concursu talis periculi habetur pro impossibili.

7 Dices. Non constare, quod non sit bonum secundum ordinem charitatis præferendum propriæ vitæ. Resp. ex eo constare, quod non sit bonum præferendum propriæ vitæ, quod ex sui natura imperfectio sacrificij non obstat ordini debito respectu vltimi finis, siquidem de sui natura non est quid inhonestum, sed tantum quia ita Christus instituit: vndè potuisset etiam instituere sacrificium in vnica specie. Nec etiam est bonum, ad quod referatur homo, & propter quod factus sit, itavt in ipsum tanquam finem debeat se referre, sicut est bonum commune reipublicæ respectu ciuium, qui sunt tanquam partes propter rempublicam tanquam propter totum, & tanquam membra propter corpus ciuile, ad cuius bonum conspirare debent. Sed potius sacrificium tanquam supremus cultus Dei est propter hominem, quia est quoddam medium ipsi inseruiens in ordine ad tendentiam ad vltimum finem. Et ideò non est bonum præferendum propriæ vitæ secundum ordinem charitatis iuxta doctrinam D.Thom. 2.2. *quæst.* 26 *art. 3. & sequentib.* Præsertim, quia hic, & nunc non est medium necessarium pro tendentia ad vltimum finem.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ neg. esse intrinsecè malum relinquere, etiam quoad substantiam imperfectum sacrificium. Nam illud tantum est intrinsecè malum, quod ex natura sua est tale, itavt habeat intrinsecam dissonantiam ad regulas rectæ rationis, & proindè neque à Deo separari possit ab ipso propria malitia, vt est odium Dei. Vndè est tale ob dissonantiam ad æternas rationes, quæ sunt in mente diuina. At sacrificium constare ex duplici specie, sicut etiam ipsa consumptio, non habet necessitatem intrinsecam talis perfectionis, sed solum ex voluntate Christi instituentis, qui potuit etiam aliter instituere; vndè si illa careat, non consurgit aliquid dissonans cum æternis rationibus, si quidem ipsæ ostendunt, quod potuisset hoc, vel illo modo institui. 8

Ad id, quod subditur quod non posset quis metu mortis accedere ad offerendum sacrificium in vna tantum specie resp. quod aliud est velle offerre in vna tantum specie, & aliud permittere, quod sacrificium sit imperfectum; primum dicit directam voluntatem, & per se offerendi sacrificium imperfectum: secundum dicit voluntatem directam de perfectione sacrificij, sed per accidens permissionem de imperfectione, quia scilicet superueniente impedimento, non potest voluntas directa sortiri effectum. Quicquid sit de primo, quod non habet locum in præsenti casu, secundum non est illicitum quia propter perficiendum sacrificium non tenetur exponere propriam vitam Sic etiam Deus non potest directè velle peccatum, potest tamen permittere. 9

An autem metu mortis possit quis accedere ad offerendum sacrificium sub vnica tantum specie, dummodo non sit in contemptum religionis, res est dubia Nam si verum est, quod possit Pontifex dispensare, quod offeratur sacrificium in vnica tantum specie, vt tenent plures Doctores, poterit etiam offerri metu mortis, quia quod facit circa leges dispensatio, facit vrgens quoque necessitas. Rursus si potest Pontifex declarare, quod præceptum de oblatione sub vtraque specie in aliquo casu non obliget, poterit etiam ex metu mortis sub vnica specie offerri, quia quod facit declaratio Pontificis, facit etiam euidentia causæ prædictæ; nam nullus alius casus vrgentior potest esse, in quo declarare possit Pontifex, hoc præceptum non obligare. 10

QVÆSTIO 191.

An ad euitandum aliud grauissimum damnum relinqui possit sacrificium imperfectum.

SVMMARIVM.

1. *Consumptio sacrificij potest ex minori causa relinqui, quàm consecratio alterius speciei.*
2. *Sacrificium ex vrgentissima causa relinqui potest incompletum substantialiter.*
3. *Præcepta diuina nō obligant cum grauissimo damno.*

4. Irrene

4. *Irreuerentia est intrinsecè mala respectu inferentis, non respectu permittentis.*
5. *Celebrans inuasus ab inimico fugere potest.*
Si occidat inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, potest perficere sacrificium.
Quid si excedat moderamen.

1 INtelligitur de imperfectione substantiali, vel quoad completam consecrationem, vel quoad consumptionem. Et quia consumptio iuxta dicta suo loco non pertinet ad substantiam sacrificij, sicut pertinet consecratio vtriusque speciei, ideò supposito, quod possit relinqui imperfectum, poterit ex minori causa relinqui eum defectu consumptionis, quàm cum defectu consecrationis vtriusque speciei. Maior enim necessitas adest ponendi, quæ sunt de substantia sacrificij, quàm quæ sunt tantum de integritate, & ideò requiritur etiam grauior causa ad soluendum illam necessitatem.

2 Dicendum est. *Ex aliqua vrgentissima necessitate, vitandi aliquod grauissimum damnum relinqui potest sacrificium imperfectum substantialiter.* Ita debent tenere ij qui volunt, quod possit Pontifex dispensare, vt in vnica tãtum specie consecretur. Nam si dispensatio potest relaxare obligationem, poterit etiam necessitas certa, & euidens vitandi grauissimum quodlibet damnum, & ita in specie tradunt Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 7. §. 2.* Quartus *in Rubr. Missal. part. 2. titul. 3. sectione. 2. dub. 6.*

3 Ratio est. Quia præcepta diuina licet strictiori modo obligent, quàm humana, non tamen obligant, quando ex obseruantia sequitur grauissimum damnum, nisi fortè sint de materia intrinsecè mala, aut quæ debeat præponi cuicunque damno, sicut in præcedenti *quæst. num. 6. & 7.* dictum est, vt constat de præcepto integritatis confessionis, quod est diuinum, vt deducit Concil. Trident. *sess. 14. cap. 5.* ex institutione confessionis faciendæ sacerdotibus tanquam iudicibus: ergo neque præceptum diuinum de integritate sacrificij obligabit, quando aliàs esset subeundum grauissimum damnum. Est tamen aduertendum, quod si cogatur celebrans relinquere sacrificium imperfectum, debet habere intentionem redeundi ad perficiendum, si relinquat in statu, vt possit perfici; & tenebitur redire sub graui peccato, si poterit. Si tamen vnica tantum specie consecrata superueniret periculum, & eam consumeret, non remaneret sacrificium perficiendum; & ideò cessaret hæc obligatio.

4 Dices. Irreuerentia contra Eucharistiam est intrinsecè mala, & proinde nunquam licita. Tunc autem exponeretur Eucharistia irreuerentiæ, quia si hostes superuenientes essent infideles, aut hæretici, possent eam irreuerenter tractare. Resp. Irreuerentiam esse intrinsecè malam respectu inferentis, quia est talis tanquam actus humanus. Qui autem relinqueret Eucharistiam expositam periculo irreuerentiæ, non irrogaret irreuerentiam; nec esset causa quod irrogaretur, quia non concurreret ad ipsum, neque etiam ponendo eam in periculo: sed sibi consuleret, ex quo indirectè consurgeret periculum, quod est solum permittere, quod sit in periculo, non autem ponere. Accidit etiam, quod si non fugeret in tali casu & ipse, & Eucharistia posset subesse periculo, quia antequam sumeretur, posset ab hostibus irreuerenter tractari; minus autem malum est, quod sola Eucharistia relinquatur in periculo.

5 Ex dictis sequitur, vt notant etiam Henriquez *lib. 9. sum. cap. 30. numer. 5.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. capit. 10. quæst. 4. numer. 67. ver. Quippe.* Quod si celebrans inuadatur ab inimico potest pro sui necessaria defensione fugere, etiam si sit consecrata tantum prima species, quia nescit, quo animo inuadatur: verisimile namque est, quod inuasor intendat mortem, dum non reueretur illam sacrosanctam functionem. Aut etiam potest contra inuasorem se defendere, quia hoc illi conuenit de iure naturali. Imò si contingat, quod inuasorem occidat seruato moderamine inculpatæ tutelæ, poterit redire ad complendum sacrificium. Imò si sit incœpta consecratio, etiam si non seruauerit moderamen inculpatæ tutelæ poterit redire ad complendum sacrificium præmissa confessione, aut saltem contritione, quia irregularitas contracta ob excessum culpabilem in defensione cedit præcepto diuino de integritate sacrificij, cum ipsa sit de iure tantum humano.

QVÆSTIO 192.

Ex quibusnam alijs causis Missa inchoata relinqui possit.

SVMMARIVM.

1. *In dubio de validitate sacerdotij an sacerdos debeat Missam relinquere.*
2. *Cœpta consecratione debet Missam complere.*
3. *Superueniente interdicto, &c. ante consecrationem Missa est relinquenda.*
4. *Sacerdos debet esse certus de interdicto, aut cessatione à diuinis.*
5. *Superueniente excommunicato vitando ante consecrationem Missa est relinquenda.*
6. *Excommunicatus monitus, & recusans exire ab Ecclesia incurrit aliam excommunicationem.*
7. *Superueniens infirmitas est causa sufficiens pro relinquenda Missa.*
8. *Polluta Ecclesia vel altari debet Missa relinqui.*
Si Ecclesia sit tantum benedicta potest rebenedici à celebrante, & compleri Missa.

POnunt nonnulli Doctores casum, in quo celebrans moneatur, quod non sit verè sacerdos ob aliquem defectum in ordinatione essentialem, seu quia incipiat dubitare grauiter de sua ordinatione; nec possit dubium deponere, tunc relinquendam esse Missam inchoatam prætexendo aliquam causam. Facta tamen consecratione vnius speciei, debere conari quantum potest, deponere dubium, quod si non possit, debere prosequi Missam. Ita Faeundez *præcept. 1. Eccles. libr. 3. cap. 18. numer. 19.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 30. num. 5.* Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 7. §. 1. nnmer. 2.* Quartus *in Rubr. Missal. part. 2. tit. 3. sect. 2. dub. 7. init.* & alij, licet oppositum sentire videantur Niget. *in Addit. ad Ruiz. part. 7. §. 9. quæst. 3.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 10. quæst. 4. num. 68.* Ratio est Quia in dubijs melior est conditio possidentis. Tunc autem sacrificium possidet, cum sic iam cœptum secundum substantialia, sicut etiam offerens, quia iam cœpit offerre, & ideò stantu dubio, an possit prosequi, an non ratione possessionis habet ius ad prosequendum. Si tamen certus sit de inualiditate suæ ordinationis, quod vix fieri posse, credo, non poterit prosequi, quia neque incœpit, neque si prosequeretur faceret verum sacrificium, sed prætexendo aliquam iustam causam debebit recedere ab altari. 1

2 Est tamen aduertendum. Quod stante dubio, licet cœpta consecratione possit Missam prosequi, non tamen potest postea iterum celebrare, quia cum non sit certus de sua potestate, se exponeret periculo non conficiendi sacrificium, & sacramentum, & adorandi, quod non est corpus, & sanguis Christi, & exponendi etiam aliorum adorationi. Et ideò ad hæc cauenda tenetur abstinere ab oblatione sacrificij, donec aut dubium deponat, aut remedium congruum recipiat Hoc autem intelligitur de vero dubio, non autem de scrupulo.

3 Secunda causa, quam ponunt Doctores, ob quam relinqui potest Missa inchoata, est. Si superueniat interdictum speciale, aut cessatio à diuinis, itavt nec ianuis clausis possit celebrari; aut interdictum generale, itavt nec possint ianuæ claudi, nec interdicti excludi. In hoc enim casu debet relinqui Missa, si nondum cœpta sit consecratio; si autem cœpta sit debet continuari vsque ad consumptionem. Ita communiter Nauar. *cap. 16. de orat. numer.* 60. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 247. *num.* 8. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 30. *num.* 5. Facundez *precept.* 1. *Eccl. lib.* 3. *cap.* 18. *numer.* 5. Francisc. Lugo *libr.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *quæst.* 4. *numer.* 65. Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disput.* 4. *dub.* 13. *numer.* 249. Diaz. *in pract. Criminal. Can. cap.* 46. *numer.* 3. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. libr.* 4. *tit.* 1. *num.* 356. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 2. *tit.* 3. *sect.* 2. *dub.* 5. ver. *Dico* 2.

4 Ratio est. Quia Missa ante consecrationem consideratur tanquam officium diuinum: post consecrationem autem consideratur tanquam sacrificium. Tanquam officium diuinum cedit iuri Ecclesiastico prohibenti tempore interdicti officia diuina, sicut etiam tempore cessationis à diuinis. Tanquam sacrificium præualet, quia præualet ius diuinum; quod in sacrificio requiritur suam integritatem. Est tamen aduertendum, quod nisi sacerdos celebrans sit certus de interdicto, aut cessatione à diuinis, non tenetur inchoatam Missam relinquere, quia incerta notitia de impedimento non potest præualere contra certum ius complendi Missam. Nec ex eo continuari potest incœpta Missa, quasi sit in possessione, quia sicut non habet sacerdos ius celebrandi, nisi in loco habili, ita nec etiam continuandi, nisi continuetur habilitas loci.

5 Tertia causa, ob quam cœpta Missa relinqui potest, est, si dum celebratur, superueniat excommunicatus vitandus; tunc enim debet moneri, vt discedat, cum non possit assistere sacrificio, & si nolit discedere, si nondum venum sit ad consecrationem debet relinqui Missa, si verò cœpta sit consecratio, erit prosequenda vsque ad consumptionem inclusiuè. Ita communiter Doctores Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 3. *numer.* 5. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 32. *quæst.* 1. Nauar. *in Manuali, cap.* 27. *num.* 33. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 247. *numer.* 8. Couarruu. *in cap. Alma mater, part.* 1. §. 6. *numer.* 8. Faustus *lib.* 2. *de Eucharist. quæst.* 292. ver. *Secunda,* Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *dispu.* 4. *dub.* 13. *numer.* 249. Suarez *disput.* 11. *de censur. sect.* 1. Ludouic. à S. Ioan. *in sum. quæst.* 11. *art.* 23. *difficult.* 12. Baunius *part.* 1. *Theol. moral. tractat.* 5. *quæst.* 11. Garzia *in sum. tractat.* 3. *difficult.* 8 *dub.* 6. *punct. vlt. num.* 31. Layman *lib.* 1. *Theol. moral. tractat.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. *numer.* 6. Tamburin. *Opusc. de sacrif. Miss. lib.* 2. *cap.* 7. §. 4. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 2. *tit.* 3. *sect.* 2. *dub.* 4 Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 4. *tit.* 1. *numer.* 354. Felin. *in cap. A nobis, numer.* 3. *de except.* Diaz. *in pract. crimin. Canon. cap.* 46. *numer.* 3. ver. *Tertia causa,* & communiter Can. cum Gloss. *in cap. sicut Apostoli:* verbo, *Orauerit.* 11. *quæst.* 3. & *in Clemen. Grauis,* verbo, *Inexpletam. de sentent. excommunicat.* per hanc eamdem Clemen. Ratio verò est. Quia non possumus communicare cum ipso præsertim in diuinis officijs, & proinde prohibitio Ecclesiæ præualet contra continuationem sacrificij.

Est tamen aduertendum. Quod si excommunicatus monitus, recusauerit exire ab Ecclesia, nouam incurrit excommunicationem Papæ reseruatam, vt statuitur in dic. Clemen. *Grauis. de sentent. excomm.* Imò opera Laicorum expellendus, si commodè fieri possit, aut si ipsi desint opera Clericorum, vt colligitur ex cap. *Veniens. de sentent. excommunic.* quod si neque hoc fieri possit, locum haber doctrina tradita *num. præced.* de relinquenda Missa, ante consecrationem. Interim sacerdos suspendere debebit, donec videat exitum. Qui tamen intersunt Missæ recedere debent, si nolit excommunicatus recedere, quia nequeunt cum ipso communicare. 6

Quarta causa, ob quam inchoata Missa relinqui potest, est superueniens infirmitas, vt docent communiter Nauarr. *cap.* 25. *Manual. num.* 86. & *de Orat. cap.* 16. *num.* 56. Diaz. *in pract. crimin. Can. cap.* 46. *num.* 1. Faustus *lib.* 2. *de Eucharist. quæst.* 292. ver. *Tertiò,* Tamburin. *Opusc. de sacrif. Miss. lib.* 2. *cap.* 7. §. 6. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 351. & alij cum D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 6. & ita statuitur in cap. *Nullus Episcopus, de consecrat. dist.* 1. vbi dicitur non esse inchoatam Missam relinquendam, nisi Passio aliqua interuenerit. Nomine autem passionis intelligitur quicquid malè afficiens corpus ponit impedimentum ad Missam prosequendam. Est tamen aduertendum, quod maior infirmitas requiritur, vt relinquatur Missa cœpta consecratione, quàm ante ipsam. Nam cœpta consecratione, non debet relinqui incompleta, nisi impossibile fiat illam prosequi; & si vrgeat infirmitas possent omitti cætera, & statim post consecrationem consumi sacrificium, quia quæ omitterentur, essent solum de iure Ecclesiastico, quod tunc non obligaret. At ante consecrationem sufficiet quæcunque grauis infirmitas. Imò in tali casu tenetur sacerdos relinquere Missam, ne se exponat periculo incipiendi sacrificium secundum substantiam, atque non perficiendi. 7

Quinta causa est pollutio Ecclesiæ vel altaris; de qua dictum est suo loco, cum actum est de pollutione Ecclesiæ solum est aduertendum, quod si polluatur Ecclesia, quæ sit tantum benedicta, poterit ab eodem sacerdote, nisi alius adsit, reconciliari, & postea poterit Missam prosequi, vt notant Tamburin. *Opusc. de sacrificio Miss. lib.* 2. *cap.* 7. §. 5. *num.* 1. Quartus *in Rubricis Missal. part.* 2. *tit.* 3. *sect.* 2. *dub.* 5. ver. *Interim.* Non tamen tenebitur reconciliare, quia reconciliatio Ecclesiæ non pertinet ad sacerdotem priuatum: imò secundum plures Doctores requiritur licentia Episcopi. Hinc si non reconciliet, neque venialiter peccat, quanquam oppositum teneat. Tamburin. citat, dicens esse aliquam irreuerentiam nolle cœptam Missam perficere: nam, dum prohibetur perficere, nulla est irreuerentia; & quamuis possit tollere impedimentum, cum tamen non teneatur, nullo modo peccat. Imò quamuis non sit necessaria licentia Episcopi, est tamen conueniens, quod petatur; & ideò potius non deberet reconciliare. 8

QVÆSTIO

QVÆSTIO 193.

An cœpto Canone relinquenda sit Missa, quando debet relinqui ante consecrationem.

SVMMARIVM.

1. *An si ante consecrationem sit Missa relinquenda, sit relinquenda cœpto Canone,* & num. seq.
3. *Cum Canone incipit oblatio.*
4. *Cœpto Canone potest relinqui, aut continuari, si ante consecrationem venit relinquenda.*
5. *Consumpto sacrificio, est omittendum reliquum Missæ si excommunicatus nolit exire.*

1 PRima sententia asserit, etiam incœpto Canone Missam esse relinquendam; dummodo non sit cœpta consecratio, quoties occurrit casus, in quo non possit prosequi Missa. Ita Sayr. *lib. 2. de censur. cap.3.numer.*19. Alterius *de censur. tom. 2. disput.* 11. *cap.* 3. & *disput.* 12. *cap.* 5. Auila *de censur. part.*2. *cap.*6. *disp.*9. *dub.*8. Armilla *verbo*, Excommunicatio *numer.*39. citans Innocent. Sotus *in* 4. *distinct.*22. *quæst.* 1. *art.* 4. Innocent. *in cap. nuper, de sentent. excommun.* Diaz. *in pract. cap.* 46. *numer.* 3. ver. *Tertia causa*, Nauar. *de orat. notab.* 16. *numer.* 58. Mercer. 3. *part. quæst.* 21. *supplement. dub.* 6. ver. *Quæritur, quid faciendum*, Layman verò *lib.* 1. *Theol. moral. tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 6. vult. Quod si cœpta sint verba. Qui pridie non posse amplius sacerdotem relinquere Missam. Fundamentum huius sententiæ est. Quia ante consecrationem non est incœptum sacrificium secundum substantiam: illa autem maior propinquitas Canonis parui refert.

2 Secunda sententia docet; Non esse Missam relinquendam, si cœptus Canon incipiens, *Te igitur Clementissime, &c.* Ita Syluester *verbo*, Excommunicatio 5. *numer.* 3. Faustus *lib.*2. *de sacrific. Miss. quæst.* 292. ver. *Canon incipit*, Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 355. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. libr.* 3. *capit.*18. *numer.* 6. Reginald. *libr.* 32. *Praxis fori pænit. num.* 71. Fernandez *par.* 3. *Exam. Theol. moral. capit.* 5. §. 15. *numer.* 12. Bonacin. *disp.*2. *de censur. quæst.* 2. *punct.*3. §. 1. *num.* 13. alius citans Garzia *in sum. tractat.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 6. *punct. vlt. num.* 29.

3 Dicendum est. *Incœpto Canone esse Missam prosequendam.* Canon autem incipit à verbis, *Te igitur Clementissimè.* Ratio est. Quia quæ recitantur ante Canonem, sunt preces præparatoriæ pro sacrificio. Quando autem incipit Canon, Sacerdos se conuertit ad Deum per preces, in quibus incipit oblatio sacrificij, quatenus oratio comitatur substantiam oblationis: atque adeò celebrans incipit exercere actum latriæ, & supremi cultus ergo Deum. Non est autem verisimile, quod Ecclesia velit interrumpere tàm sublimem actum cultus diuini, vt seruetur aliqua institutio ipsius circa interdictum, excommunicationem aut quid simile, quia minus excellens debet cedere excellentiori.

4 Quia tamen vtraque opinio probabilis, ideò in praxi poterit Sacerdos facere, quod magis libuerit, aut desistendo, aut prosequendo Missam, vt notant Mercer. *numer.*2. citatus. Suarez *de censur. disp.* 10. *sect.* 1. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *quæst.*4.*num.*64. Quartus *in Rubr. Missal.part.*2.*tit.*3. *sect.*2.*dub.*4.ver. *Plures affirmant*, & alij; Et proindè non erit necessarium, quod si casus occurrat, discutiat Sacerdos, quid ei faciendum sit, nam hoc posset illi causare perturbationem mentis, sed sufficiet, quod absque alia consultatione eligat, quod sibi hic, & nunc expedire videbitur.

Est tamen aduertendum, quod si adsit excommunicatus vitandus, qui nolit exire, consumpto sacrificio, non poterit alterius prosequi, sed debebit per ministrum iterum monere, vt egrediatur. Qui si obstinatus perseueret, relinquet reliquum Missæ, & complebit in sacristia, aut alio loco opportuno, vt hoc pacto compleatur Missa. 5

QVÆSTIO 194.

An si Sacerdos incœpta Missa recordetur se à iure impeditum, debeat relinquere Missam.

SVMMARIVM.

1. *Recordans se esse impeditum Canonicè cœpta consecratione debet prosequi Missam.*
2. *Ante consecrationem potest continuare, si alias superueniret scandalum, infamia, &c. præmissa contritione, si opus sit.*
3. *Si Missa publicè celebretur potest semper continuari.*
5. *An si non timeatur scandalum possit Missæ continuari à Canonicè impedito.*
7. *Positiuum includitur in comparatiuo.*
8. *Continuatio sacrificij præferenda impedimento Canonico.*
9. *Etiam memoriæ superuenienti de peccato mortali.*
   Præcipitur confessio habenti peccatum mortale ante celebrationem, non autem quod Missam relinquatur, si superueniat memoria mortalis.
10. *Rubrica quod sit præferendum impedimentum, &c. est tantum directiua.*
   Verbum, Debet, *aliquando dicit necessitatem, aliquando facultatem, aliquando decentiam.*

COnueniunt communiter Doctores præsertim infra citandi, quod, si cœpta sit consecratio, debeat prosequi Missam non obstante quocunque impedimento iuris. Impedimenta autem iuris sunt excommunicatio, interdictum, suspensio, irregularitas, violatio ieiunij naturalis, status peccati mortalis, & si quæ sunt alia; vnde si sit in peccato mortali, debet se disponere per contritionem. Ratio autem est. Quia integritas sacrificij præualet his omnibus impedimentis. Quædam enim sunt tantum de iure Ecclesiastico; & proinde tanquam inferioris ordinis debent cedere præcepto diuino de integritate sacrificij, & seruanda est potius institutio Christi in concursu cum institutione Ecclesiæ. Quædam verò sunt de iure diuino, vt status sanctitatis, & expiatio per confessionem, & huic occurri potest, si non per medium præscriptum, saltem per æquipollens, nempe contritionem. Est tamen aduertendum, quod etiam stantibus alijs impedimentis, debet celebrans concipere propositum præstandi, quod tenetur præstare, aut obtinendi absolutionem, aut petendi dispensationem, aut abstinendi in posterum à celebratione iuxta qualitatem, & exigentiam impedimentorum. 1

Secundo conueniunt, vt inter alios notat D. Thom. 3.*part. quæst.*83. *art.*6. *ad* 2. Quod si celebrans ante 2

ante consecrationem recordetur alicuius ex prædictis impedimentis, potest præmisso actu contritionis, si adsit conscientia peccati mortalis, continuare celebrationem, si timeat propriam infamiam, aut scandalum. Tunc enim cessat obligatio præcepti, in quo fundatur impedimentum, quia præualet ius vitandi propriam infamiam, & obligatio remouendi scandala. Remanet ergo difficultas, quid faciendum, quando non timetur scandalum, aut infamia.

3 In qua difficultate illud quoque videtur extra dubitationem. Quod si Missa publicè celebtetur, poterit semper continuari, quia probabiliter, & cum certitudine morali timeri potest scandalum, aut infamia propria, vt notant Layman *lib.5.Theol.moral. tract.5.cap.6.num.* 21. Francisc. Lugo *lib.5.de sacrament.cap.*10.*qu.*4.*num.*59. Hoc autem intelligendum est, si publicè celebtetur cum præsentia multorum, quia si vnus, aut alter adsit eadem est ratio, ac si priuatim celebraretur.

4 Prima sententia asserit, Missam esse relinquendam, quando non timetur scandalum, aut infamia. Ita Syluester *verbo.* Eucharistia *quæst.*7. Suarez *disp.* 66.*de sacrament.sect.*4.ver.*Sexta causa*, Bonacin.*disp.* 4.*de sacrament.quæst.*6.*punct.*1.*num.*15. Lugo Cardin. *disp.*14.*de Eucharist.num.*113. Auersa *quæst.* 8. *de Eucharist.sect.* 6. ver. *Rursus si sacerdos*, Palaus *part.* 4. *oper.moral.tract.*2. *disp. vn.punct.* 11.*num.*4. qui tamen excipit impedimentum peccati mortalis. Francisc.Lugo *lib.5.de sacram.cap.*10.*quæst.*4.*num.*60.ver. *Consequenter*, qui vt plurimum loquuntur de impedimento peccati mortalis. Fundamentum huius sent. est. Quia Rubrica *de defect. occurrent. tit.* 8. *num.* 3. præscribit Missam relinquendam, si non timetur scandalum; ita enim habet. *Ante consecrationem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deserere.*

5 Secunda sententia asserit, posse prosequi Missam. Ita Sotus *in* 4.*dist.*13.*qu.*2. *art.*6. ver. *Secundo arguitur.* Nauar.*cap.*15.*Manualis,nu.*76.ver. *Dixi*, Victoria *in sum.de sacram.num.*78. Layman *lib.5.Theol.moral.tract.*5.*cap.*6.*num.*5. Petrus Matth. *in Rubr. Missal.part.*1.*cap.*8.*num.*5. Henriquez *lib* 8.*sum. cap.* 46. *num...* Sà *verbo*, Missa *num.*31. Tolet.*lib.*2.*cap.*9. *numer...* Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.*2.*cap.*8. §.2. Quartus *in Rubr. Missal.part.*2. *tit.*3.*sect.*2. *dub.*3. ver. *Secunda sententia.*

7 Dicendum est. *Sacerdotem incœpta Missa posse illam prosequi, etiamsi recordetur alicuius peccati mortalis non confessi, aut alterius impedimenti à iure præmisso actu contritionis, quando impedimentum illud requirit.* Est enim eadem ratio de omnibus his impedimentis; imò maior ratio de peccato, quia confessio iuxta multorum sententiam est necessaria de iure diuino. Desumitur ex D.Th. 3.*part.qu.* 83.*art.*6. *ad* 2. *in fine.* Quatenus dicit, tutius esse relinquere Missam, si enim est tutius relinquere, non relinquere erit tutum, quia comparatiuum, cum importet excessum supra positiuum, supponit in positiuo eamdem qualitatem; & positiuum includitur in comparatiuo. *argum.l.vbi autem,*75. §. 1.*ff. de verbor. obligat.* & notant Bart. *in l. cum filios*, §. *Pater ff. de leg.* 2. Giurba *decis.* 65. *num.*12. Agricol. *de offic. aduocat.cap.*23. *qu.*90.

8 Ratio est. Quia quamuis sacrificium non sit inchoatum substantialiter, est tamen inchoatum secundum illas preces, cum quibus offertur Deo; atque adeò secundum illas partes, quæ ex institutione Ecclesiæ integrant ipsum: ergo tanquam constitutum in possessione debet manuteneri in ordine ad suum complementum, nec deturbari debet ob impedimenta, quæ aliàs possent impedire inceptionem. Tum quia pro ipso quoque concurri præceptum Ecclesiæ de complemento fundatum in eius intrinseca exigentia. Tum quia, cum sacrificium incœptum secundum substantialia exigit de iure diuino compleri non obstantibus dictis impedimentis: & proindè refundit hanc exigentiam, saltem aliquo modo in reliquas sui partes, quibus ex institutione Ecclesiæ componitur, tanquam principale in ea, quæ sunt sibi accessoria.

Dices. Licet hoc locum habere possit stantibus impedimentis de iure Ecclesiastico, non tamen stante impedimento de iure diuino de necessitate confessionis, ratione peccati mortalis. Resp. Etiam in hoc habere locum, quia, licet præceptum de præmittenda confessione sit de iure diuino, attamen solum dicit, quod stante peccato mortali præmittatur confessio; non autem dicit, quod si incœpta Missa superueniat memoria peccati mortalis, non debeat prosequi Missa. Sed tunc relinquit in potestate adhibere aliud medium pro dispositione necessaria, qualis est contritio. Quia præceptum istud non ita strictè obligat, vt non relinquat locum alteri remedio, quando confessio non potest sine considerabili difficultate adhiberi, vt constat, quando non adest copia confessarij. 9

Ad fundamentum oppositæ sententiæ resp. quod Rubrica præscribit, quod est magis tutum: non autem, quod est necessarium, conformando se cum doctrina D. Thom. Ratio est. Quia Rubrica in hoc est directiua non inducens obligationem, sed tantum ostendens, quod est conueniens secundum multorum opinionem. Nec obstat, quod vtatur verbo, *Debet*, quia licet aliquando hoc verbum importet necessitatem, aliquando tamen importat etiam solam decentiam, vt cum ponitur in lege, vt *in l. Non solum*, §. 1. *ff. de noui oper. nunciat*, & notant Gloss. *in l.* 3.*verbo* Debent, *C. de pignor.* Burgos de Pace *consil.* 46. *numer.* 3. Et aliquando etiam idem significat, quod potest; vt notant Gloss. *in l. Obseruare*, §. *fori, ff. de offic. proconsul.* Hyppolit. *in Repet. l. vnica, numer.* 278. *C. de raptu virgin.* Rubricæ autem, quamuis non sint leges propriè, imitantur tamen ipsas: & ideò cum materia ea se non importet necessitatem, vt constat ex dictis, nec etiam importabit dictum verbum *Debet.* 10

QVÆSTIO 195.

An Missa interrumpi possit.

SVMMARIVM.

1. *Aliud relinquere Missam imperfectam, aliud interrumpere.*
2. *Missa absque causa non potest interrumpi.*
3. *Ex iure quid circa hoc deducatur.*
4. *Ex natura Missæ fit, quod non possit interrumpi.*
5. *Interruptio quoad consumptionem repugnat vnitati sacrificij.*
6. *Ex iusta causa potest Missa interrumpi quoad partes non substantiales.*
7. *Quale peccatum sit Missam interrumpere.*
8. *Diuersa ratio de interruptione officij, ac Missæ. Structura Missæ valdè obstat interruptio.*
9. *Interruptio Missæ quando sit notabilis.*
10. *Qualitas, & modus facit notabilem interruptionem.*

Aliud est relinquere Missam imperfectam, & aliud interrumpere. Primum dicit, quod Missa remaneat mutila carens absolutè aliqua sui 1

parte

parte siue essentiali, siue accidentali, seu integrali, de quo hucusque actum est. Secundum dicit, quod Missa habeat quidem omnes suas partes, sed cum interpolatione, itavt non continuentur secundum tempus: sed intermediet tẽpus inter desitionem vnius partis, & inceptionem alterius. Hæc autem interruptio potest esse tùm secundum partes integrales; tum etiam secundum essentiales, vt si consecratæ vna specie interponatur tempus antequam alia consecretur.

2 Dicendum est. *Missam non posse interrumpi absque causa, sed continuate celebranda est.* Ita communiter Doctores Henriquez *lib.9.sum.cap.*30. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.*3. *cap.*18. *num.*2. *&* 4. Layman *lib.*5. *Theol. moral. tract.*5. *cap.*7. *num.* Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacrament. cap.* 10. *quæst.*4. *num.*51. Bonac. *disp.*4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 10. *num.* 15. Tamburin. *opusc. de sacrif. Miss. cap.*3. §.1. *num.*6. Quartus *in Rubr. Missal. part.*2. *tit.*3. *sect.*3. *dub* 1.

3 Hoc autem communiter deducunt ex duplici tex. primus cap. *Nihil* 7. *quæst.* 1. sed ibi non disponitur de interruptione, quæ tollat solam continuationem, sed de relinquenda Missa imperfecta, vt satis ostendunt illa verba, *Cum cœperit imperfecta officia præsumat omnino relinquere.* Alter est cap. *Nullus Episcopus. de consecrat. dist.*1. Verum ibi quoque habetur eadem dispositio, vt constat ex illis verbis: *Cum verò ingressus fuerit Episcopus, aut Presbyter ad Missarum solemnia celebranda, nisi Passio aliqua interuenerit, nullo modo audeat data oratione recedere, vt ab alio Episcopo, vel Presbytero Missarum solemnia suppleantur, sed qui initium posuit suppleat vsque in finem.* Vnde procedit solom contra illos, qui præsumunt relinquere Missam imperfectam, vt ab alio compleatur, non verò contra interrumpentes, & postea reassumentes soler etiam citari cap. *Illud* 2. *quæst.* 1. sed nihil ibi habetur quod faciat ad propositum.

4 Itaque ex natura ipsius Missæ prouenit, quod non possit interrompi. Nam, si loquamur de interruptione substantiali, seu essentiali, excluditur ex natura sacrificij. Est enim vnum sacrificium in consecratione vtriusque speciei, & institutum ad repræsentandum sacrificium cruentum, & ideò, cum duplici consecratione iuxta duplicem speciem, requirit continuationem, vt consurgat vnitas sacrificij, & repræsentatio sacrificij cruenti. Vnde esset grauis irreuerentia contra Deum, si quis inciperet sacrificium in vna specie, & differret complere substantialiter per consecrationem alterius speciei, nam hæc dilatio detraheret vnitati sacrificij & ostenderet, quod parui penderetur cultus Dei, dum quod est ex institutione sua vnum, in partes diuideretur.

5 Si verò loquamur de interruptione quoad consumptionem, hæc quoque repugnat vnitati sacrificij, nam ex institutione sua exigit offerri, & consumi, itavt consumptio pertineat ad complementum substantiale integrale, & sicuti si omitteretur, remaneret imperfectum sacrificium; ita etiam si differatur in aliud tempus consumptio, separantur partes ipsius, & tollitur vnitas. Si vero loquamur de partibus integralibus, quæ consistunt in precibus, ritibos & cum hæc omnia sint instituta ab Ecclesia ad augendam maiestatem sacrificij, vt habet, & definit Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 5. & *can.* 7. trahuntur tanquam partes ad eamdem vnitatem sacrificij, itavt communicent in eodem esse, seu composito morali cum esse substantiali sacrificij. Et ideò, cum sacrificium ea exigat tanquam quoddam complementum suæ perfectionis, exigit etiam vniti inter se ipsas, & sibi ipsi, & consequenter interruptio, quæ tollit hanc vnionem est contra exigentiam sacrificij, & institutionem Ecclesiæ.

Dicendum 2. *Ex iusta causa posse interrumpi sacrificium, quoad partes non substantiales.* Ita communiter, & constat ex praxi Ecclesiæ nam post offertorium interrumpitur, tum pro concione, quæ solet interponi, non pro faciendis populo aliquibus denunciationibus, vt festorum, ieiuniorum, &c. Pro Ordinatione post primas collectas, & iuxta Pontificalis præscriptionem. Ponunt etiam aliqui communionem. Verum hæc non interrompit sacrificium, si quidam tanquam participatio sacrificij est potius pars quædam ipsius, cum sacrificium sit à Laicis participabile. Ratio verò est. Quia hæc interruptio est secundum illam vnitatem, quæ est ex institutione Ecclesiæ; & ideo potuit ab eadem Ecclesia introduci, aliqua interruptio tanquam expediens. Ista autem interruptio non est dedecens, quia est ob instructionem populi de iis, de quibus debet instrui, quando coadunatur. 6

Dicendum 3. *Interruptionem Missæ esse peccatum veniale vel mortale iuxta qualitatem interruptionis.* Ita communiter, & specialiter Quartus *in Rubr. Missal. part.* 2. *tit.* 3. *sect.* 3. *dub.* 1. vet. *Colligitur primò.* Ratio est. Quia quò maior est interruptio, eò maior est irreuerentia erga Deum in non exhibendo ei sacrificium, sicut debet exhiberi cum sua vnitate, & modo debito. Ergo si interruptio est notabilis, notabilis quoque erit irreuerentia, atque adeo peccatum mortale. Confirm. Pius V. *in Bulla præfixa Breuiario*, præcipit in virtute S. Obedientiæ, vt Missa celebretur iuxta ritum, modum, ac normam, quæ per Missale traditur. Vnitas autem, & continuatio Missæ spectat ad modum, & normam, cum qua est celebranda iuxta præscriptum Missalis; & ideò si violetur cum notabili interruptione erit peccatum graue. 7

Dices. Interruptio etiam notabilis in recitatione diuini officij non est plus, quàm peccatum veniale ergo etiam in Missa. Resp. neg. consequent. Quia in diuino officio partes sunt separabiles absque destructione orationis, quæ per ipsos funditur Deo, siquidem non habent connexionem ad inuicem, nisi cuiusdam ordinis accidentalis, quod enim vnos Psalmus prius, alter posterius recitetur inuerso ordine, est idem ac si in numero inuertantur vnitates, & quæ erat prior, fiat secunda, & econtra, & ideò interruptio per spatium notabile non est notabilis. Nam in Missa preces coniunguntur cum ritibus, cæremoniis, benedictionibus, & omnes sunt in ordine ad oblationem sacrificij, & tanquam partes, vt dictum est, concurrunt ad constituendum vnum compositum heterogenum quidem, sed in quo singulæ partes suum proprium munus exerceant, sicut exercent membra in corpore, ad componendam maiestatem, & splendorem sacrificij, & ideò per notabilem interruptionem notabiliter læditur istud compositum. Rursus in Missa adest sacrificium, quod ratione suæ substantiæ, stante institutione Ecclesiæ exigit sibi vniri omnes partes tanquam ad sui perfectionem pertinentes. In officio autem diuino non interuenit, quod exigat sibi vniti omnes partes ipsius. Et ideò in Missa per interruptionem fit contra dictam exigentiam. 8

Superest autem difficultas. Quando interruptio sit notabilis, Resp. Quod potest esse notabilis, vel ex quantitate temporis, quod interponitur; vel ex qualitate interruptionis. Primo modo erit notabilis, si interponatur tempus notabile, quod notabile esset si excedat quadrantem iute vult Quartus *in Rubricas Miss. part.*2. *tit.*3. *sect.* 3. *dub.* 1. vet. *Colligitur secundo.* Verum si interruptio ratione temporis præcisè consideretur, itavt Sacerdos non discedat ab altari, non videtur interruptio notabilis, præsertim quia 9

præsentia Sacerdotis ad altare operatur, quod non censeatur Missa absolutè interrumpi, sed aliquo modo continuari. Vnde stante præsentia Sacerdotis ad altare, si aliam functionem non interponat, vt censeatur Missa interrumpi, requiritur tale tempus, & tantum, vt sufficiat ad formandum iudicium, quod Sacerdos ibi moretur ex alio fine, quàm celebrandi, & proinde ex iis, quæ extrinsecus apparent, possit formari conceptus de interruptione; & proinde requiritur notabile tempus, quod non potest esse minus quàm integra hora. Nec sufficit voluntas interrumpendi, quia sequitur externam interruptionem, & proinde non est voluntas interrumpendi notabiliter, nisi sequatur interruptio notabilis, & quæ proinde talis appareat in actu exteriori.

10 Si verò consideretur qualitas interruptionis, seu modus, quo interrumpitur, debet ostendi quod interponitur, aut quomodo fiat: Quia si Sacerdos omnino discedat ab altari, absque eo quod appareat rediturus, si exuat sacras vestes; interruptio erit notabilis, etiam si exiguum tempus interponatur. Si autem intermisceat aliquam functionem, aut negotium, & remaneat in altari, videndum est, an per ipsam censeatur reuocari, erit interruptio notabilis, vt sit tractaret aliquod negotium per notabile tempus, aut interponeret aliquam functionem impertinentem, & quæ posset differri in aliud tempus; aut quæ soleat exigere per se applicationem personæ, & ad se trahere eius operationem, aut quid simile, itavt secundum viri prudentis iudicium possit haberi pro interruptione. Regulariter autem vacare alicui breui nuncio, aliquid ordinare, quod Missam non concernat, subscribere aliquam scripturam, & huiusmodi non sunt interruptio notabilis.

QVÆSTIO 196.

An, & qua infirmitas, aut necessitas sufficiat, vt Missa interrumpatur.

SVMMARIVM.

1. *Infirmitas & alia necessitates corporales excusant interruptionem Missæ.*
2. *Quia reddunt continuationem moraliter impossibilem.*
3. *Quanta debeat esse infirmitas, vt excuset.*
4. *Quanta interruptio possit admitti, vt sacrificium adhuc continuetur.*
5. *Post quantam moram ante consecrationem possit Missa reassumi.*
6. *Quid post consecrationem.*
   Sacrificium inchoatum tempore habili potest protrahi ad inhabile.
7. *Celebrans an possit cessare per aliquod tempus, vt quiescat.*

1 DIcendum est. *Infirmitatem, seu aliam corporalem necessitatem, vt esset vrgentia exonerandi ventrem, esse sufficientem causam interrumpendi Missam.* Ita Henriquez *lib. 9. sum. cap. 3. num.* 4. Layman *lib. 5. theol. moral. tractat. 5. cap. 7. num.* 2. Facundez *precept. 1. Eccles. lib. 3. cap.* 18. *num.* 2. & 4. Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap.* 10. *quæst.* 5. *num.* 69. Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disp. 4. dub.* 13. *num.* 249. Nauar. *de orat. not.* 16. *num.* 69. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tractat.* 21. *disput. vnic. punct.* 11. *num.* 5. Tamburio. *opus. de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 7. §. 6.* Faustus *lib. 2. de Eucharist. quæst.* 291. ver. *Octaua.* Quartus *in Rubric. Missal. part. 2. tit. 3. sect. 3. dub. 2.*

2 Hoc autem desumitur ex cap. *Nihil 7. quæst. 1.* vbi dicitur, quod nemo audeat Missam imperfectam relinquere absque *Prouentu patentis molestiæ*, & ex cap. *Nullus Episcopus, de consecrat. distinct. 1.* vbi idem statuitur, & dicitur, *Nisi passio aliqua interuenerit.* Molestia autem, & passio importaot quamcunque infirmitatem, & corporalem necessitatem. Si ergo iuxta citatos canones potest ob hanc causam Missa relinqui imperfecta, poterit etiam à fortiori interrumpi, vt posteà continuetur. Ratio est. Quia impedimenta ista corporalia reddunt moraliter impossibilem continuationem absque interruptione, & proinde faciunt, quod interruptio sit moraliter necessaria, atque adeò faciunt cessare obligationem legis de continuatione, & tollunt ab interruptione indecentiam, cum non sit indecens, quod cum voluntate fit, sed necessitate extorquetur.

3 Quanta autem debeat esse infirmitas, vt sit sufficiens causa interrumpendi Missam quamuis potius, vnusquisque debeat quoad hoc pensare proprias vires, aut propriam necessitatem, attamen hoc primo tenendum est, quod debet esse grauior infirmitas, vt interrumpatur post consecrationem, quàm ante ipsam, nam cœpta consecratione sacrificium est præsens secundum substantiam, & ideò cum Sacerdos peragat illam functionem in persona Christi, requiritur grauior causa, vt interrumpi possit, & ideò, nisi infirmitas sit talis, vt reddat moraliter impossibilem cõtinuationem, aut ponat in periculo alicuius erroris notabilis, erit continuanda. Ante consecrationem verò sufficiet infirmitas considerabilis. Præsertim quia debet in tali causa expectare, an habeat incrementum, siquidem fieri posset, quod si continuaret Missam, ita cresceret infirmitas, vt facta consecratione, non posset perficere: & ideò ad vitandum hoc periculum, debet interrumpere, & expectare exitum.

4 Rursus dubitatur, quanta possit esse mora, vt sacrificium interruptum continuari possit. Resp. hoc totum dependere à circunstantiis, & à causa interruptionis. Quia vnitas sacrificij, quantum est de se, admittit maiorem, & minorem interruptionem iuxta exigentiam causæ interrumpendi. Regulariter autem tunc poterit reassumi Missa interrupta, quando adhuc præmissa censetur moraliter durare: neque enim est capax complementi, quod non censetur permanere in suo esse. Quartus autem putat esse notabile spacium duas horas, quibus elapsis non sit locus reassumptioni. Ita *in Rubr. Missal. part. 2. tit. 3. sect. 3. dub. 2. in fine.* Verum si loquamur de interruptione Missæ, ante consecrationem, videtur mora esse nimis longa, quando interrumpitur cum incertitudine, quantum durare debeat causa interrumpens: nam si per duas horas durat interruptio, videtur desperata prosequutio, cum mora interruptionis non fuerit præfinita, itavt ratione eiusdem præfinitionis censeri possit durare pars Missæ præmissa. Nec enim videtur, quod actio moralis posset durare, postquam intermissa est tanto tempore.

5 Itaque censerem, quod si Missa interrumpitur ante consecrationem ex causa, cuius duratio sit incerta, atque adeò ex proposito intermittentis non præfiniatur reassumptio tanquam futura incerta, quod vltra horam, non liceat reassumere Missam, sed satius sit, ab initio incipere, tanquam pars præmissa coniungi non possit cum reassumpta præsertim si celebrans cogatur exuere sacras vestes. Si verò quando interrumpitur, præuideatur, quanta futura sit interruptio, tunc moram interruptionis posse esse maiorem, cum iam per intentionem interrumpentis coniungatur cum parte subsequutura, & veluti trahatur ad tempus, in quo est Missa reassumenda;

vnde

Digitized by Google

vnde interruptio posset protrahi etiam per duas horas, dummodo non protraheretur vltra tempus, intra quod iuxta sanctiones Ecclesiasticas licet celebrare; tali enim vlteriori protractioni obstaret prohibitio Ecclesiæ. Vnde posset habere locum tota illa protractio quàm exigit causa, dummodo esset intra congruum tempus; quia si causa est sufficiens, vt Missa interrumpatur, erit etiam sufficiens, vt ex intentione interrumpentis præfiniatur illa protractio, quæ est secundum exigentiam causæ.

6 Si verò cœpta sit consecratio, existimo, quod protrahi possit, cum stante incertitudine durationis, moræ, quæ sequutura sit ex necessitate causæ, vsque ad quodcumque tēpus intra quod sacrificium offerri possit. Et ratio est; quia, dum non est completum sacrificium secundum substantiam, remanet secundum aliquod esse permanens vel in vna specie tantum, si vna sit tantum consecrata, in ordine ad alterius consecrationem, & consumptionem; vel in vtraque in ordine ad consumptionem, & ideò ratione talis esse permanentis est capax sui complementi, cum remaneat, cui complementum addatur, & ideò, nisi obstet aliquid aliud vnitati, superaddi potest post quodcumque tempus solum autem vnitati obstare potest tempus inhabile ad offerendum sacrificium, quia sicut in illo non potest offerri, ita nec potest ad ipsum protrahi, vt in ipso recipiat debitum complementum. Est tamen aduertendum, quod sicuti sacrificium inchoatum in tempore habili, potest protrahi ad inhabile per aliquam non valdè notabilem partem temporis, ita etiam, si superne, vt tempus inhabile poterit compleri, dummodo non sit elapsa pars notabilis illius.

7 Ex dictis colligitur, quod si Sacerdos subiectus sit alicui corporali indispositioni, vt debilitati capitis, debilitati crurum, aut legendo patiatur in visu, poterit, dummodo priuatè celebret, peracta Missæ parte, verbi gratia, vsque ad offertorium, quiescere etiam sedendo, vt vigorem temperet, & postea prosequi Missam. Quia hæc non est propriè interruptio, cum Sacerdos moraliter perseueret in actu celebrandi secundum communem æstimationem, & solum per aliqualem quietem reassumat consumptum vigorem. Sic non dicitur quis iter interrumpere ex eo, quod interponat aliquam moram, vt se reficiat. Nec enim, quæ sunt in ordine morali, secundum moralem mensuram diiudicantur.

QVÆSTIO 197.

An propter spiritualem necessitatem proximi possit Missa interrumpi.

SVMMARIVM.

1. *Duplex gradus spiritualis necessitatis.*
2. *Missa interrumpi potest etiam post consecrationem pro ministrando baptismo, & pœnitentia moribundo.*
3. *Quando etiam pro ministranda extrema vnctione.*
4. *An possit interrumpi pro ministrando viatico.*
5. *Ante consecrationem potest interrumpi.*
6. *Quia vrget maius præceptum, quale est de ministrando viatico.*
7. *Missa an possit interrumpi pro Extrema-vnctione, si moriens alia sacramenta recepit.*
8. *Vtilitas sufficit, pro interrumpenda Missa.*
9. *Si moriens sit intra Ecclesiam etiam post consecrationem potest interrumpi Missa, vt ministretur viaticum, & Extrema-vnctio.*
10. *Quia non est totalis interruptio.*
11. *Si interrumpatur Missa post consecrationem, debet custodiri sacrificium.*
12. *Quando pro Confessione interrumpitur Missa, potest admitti confessio non integra, si est futura longa.*
13. *Interrumpens Missam pro Confessione moribundi potest ministrare etiam Viaticum, &c.*
14. *Potest de sacrificio nondum completo ministrari Viaticum.*

NOn potest occurrere spiritualis necessitas proximi, quæ sit causa sufficiens, vt interrumpatur Missa, nisi ita vrgeat, vt non promittat compleri Missam: atque adeò non potest locum habere, nisi in constituto in articulo mortis respectu ministrationis alicuius sacramenti. Duplex autem gradus necessitatis distingui solet. Primus est externæ necessitatis, quando scilicet moribundus indiget sacramento necessario ad salutem, vt est baptismus, aut pœnitentia, aut quando non potest habere locum Pœnitentia, Eucharistia, aut Extrema-vnctio, cum hæc sacramenta possint per accidens causare salutem reddendo de attrito contritum. 1

2 Conueniunt autem communiter Doctores cum D. Thom. *3. part. quæst. 83. art. 6. ad .....* Præsertim infra citandi, quod si moribundus indigeat Baptismo, aut sacramento Pœnitentiæ, potest Sacerdos relinquere Missam, etiam post consecrationem, & ire ad ministrandum sacramentum, si non adsit alius, qui possit ministrare. Agitur enim de salute spirituali proximi, & vitanda damnatione, atque adeò de damno irreparabili, vnde præferenda talis necessitas continuationi sacrificij, quæ licet exigatur à sacrificio incœpta consecratione, non exigitur tamen in concursu talis necessitatis, quia, cum sacrificium, & sacramenta sint instituta propter hominum salutem, non possunt exigere, quæ sunt eidem saluti contraria.

3 Hinc etiam deducunt. Quod si sit non capax sacramenti Pœnitentiæ eò, quod phrenesi correptus fuerit, sed Eucharistiæ, & si nec Eucharistiæ, sed solum Extremæ-vnctionis, potest etiam post consecrationem relinquere Missam, & ire ad ministrandum sacramentum, cuius est capax. Nam militat eadem necessitas, cum possint hæc sacramenta causare primam gratiam per accidens, & operari salutem illius. Vnde ex eodem capite quoque adest rationabilis causa interrumpendi sacrificium.

4 Cæterum non posse relinqui Missam pro ministrando viatico, aut Extrema-Vnctione, docent Nauar. *cap. 25. Manual. num. 93.* Henriquez *lib. 4. sum. cap. 30. num. 4.* Faustus *lib. 2. de Eucharist. qu. 192.* ver. *Sed respondeo.* Layman. *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. cap. 7 num. 2.* Facondez *præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 18. num.....* Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 12.* ver. *Debet quoque* Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 2. disput. vnic. punct. 11. num. 4.* Zambran. *in suis decis. cap. 4. dub. 6. num. 5.* Capeauilla *de administrat. sacrament. tempore pest. cap. 1. quæst. 12.* Bonacina *disp. 4. de sacrament. quæst. vltim. punct. 10. num. 25.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 10. quæst. 5. n. 73.* Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 7. §. 7. num. 2.* Quattus *in Rubric. Missal. part. 2. titul. 3. sect. 3. dub. 3.*

5 Dicendum 1. *Ante consecrationem posse Sacerdotem relinquere Missam, vt ministret viaticum moribundo si vrgeat necessitas, & periculum sit in mora.* Ita Layman *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. cap. 5. num. 2.* ver. *Secundo si Sacramentum.* Palaus *part. 4. Oper. moral. tract. 22. disputat. vnic. punct. 11. num. 4.* & alij ex citatis Doctoribus, *num. præced.* qui licet limitent vsque
ad

ad canonem, quo incœpto non liceat exire ab Ecclesia ad dictum effectum, attamen videtur hoc concedendum vsque ad consecrationem, quia cum nondum sit incœptũ substantialiter sacrificiũ, adhuc præualet necessitas infirmi tanquam ionixa potiori iuri.

6 Ratio est. Quia viaticum est ministrandum vel ex officio, & tunc vrget obligatio iuris naturalis impendendi proprium munus indigenti, & etiam iuris diuini, quia de iure diuino tenentur Pastores pascere proprias oues. Vel celebrans non tenetur ex officio, sed tantum ex Charitate, & tunc vrget obligatio Charitatis, qua tenemur diligere proximum sicut nosipsos in ordine ad finem supernaturalem, quæ est obligatio ordinis altioris, quàm sit obligatio non interrumpendi Missam. Quando concurrunt duo præcepta, quorum obseruanaia est incompossibilis, debet præferri præceptum maius, seu altioris ordinis. Confirm. Si interrumpatur Missa sacrificium; atque adeò cultus Dei nihil patitur. Quia irreuerentia, quæ alias interueniret, excluditur, ratione necessitatis: & interruptio non facit, quod sacrificium remaneat imperfectum, quia postea completur. At si non ministretur viaticum moribundo caret maximo præsidio in illo periculoso articulo, cuius carentia potest esse occasio damnationis. Vnde etiam ex hoc capite potius habenda est ratio necessitatis, quàm interruptionis.

7 Dicendum 2. *Posse relinqui Missam ante consecrationem pro ministranda Extrema-vnctione moribundo qui recepit alia sacramenta.* Ita contra Tamborin. *opus. de sacrific. Miss. lib.2. cap.7. §.7. num.5.* Qui id absolutè negat de Extrema-vnctione. Francisc. Lugo *lib.5. de sacrament. cap.10. quæst.5. num.74.* Qui tamen limitat, neque ad oblationem, itavt post ipsam non possit amplius relinqui. Sed ratio, quæ facit necessitatem præualere contra continuationem Missæ, facit etiam quod præualeat, quandiu non est incœpta consecratio. Nam militat ratio, quæ pro præcedenti conclusione allata est, siquidem siue ex officio ministranda sit, siue ex Charitate, semper obligatio est altioris ordinis, quàm sit obligatio non interrumpendi Missam.

8 Confirm. Potest interrumpi Missa pro concione, non obstante, quod concio haberi possit post Missam, aut alio tempore, & proinde absque necessitate vrgente: ergo à fortiori interrumpi poterit pro ministranda Extrema-vnctione stante necessitate vrgenti, itavt non possit differri; nam quamuis vtilitas quæ prouenit ex concione sit in ordine ad plures incerta est tamen: vtilitas verò, quæ prouenit ex Vnctione-extrema, licet sit vnius particularis, est tamen valde necessaria, & moraliter certa, cum censeatur moribundus rectè dispositus; & potest esse talis, vt ponat in toto salutem ipsius, quæ aliàs posset periclitari, vnde præponderat vtilitati concionis, & necessitati, & ideò à fortiori poterit Missa interrumpi vsque ad consecrationem exclusiuè pro ea ministranda.

9 Dicendum 3. *Si moribundus sit intra Ecclesiam potest celebrans etiam post consecrationem interrumpere Missam, vt ministret viaticum, aut Extremam-vnctionem.* Ita Layman *lib.5. Theol. moral. tractat.5. cap.7. num.2.* ver. *Secundo si sacramentum.* Palaus *part.4. oper. moral. tractat.22. disput. vnic. punct.11. num.5.* ver. *Vt aliena.* Francisc. Lugo *lib.5. de sacrament. cap.10. quæst.5. num.71.* Faustus *lib.2. de Eucharist. quæst. 192.* ver. *Sed respondeo.* Henriquez *lib.9. sum. cap.30. num.4.* Tamburin. *opus. de sacrific. Miss. lib.2. cap.7. §.7. num.4.* Quartus *in Rubric. Missal. part.2. tit.3. sect.3. dub.3.* ver. *Colligitur tertio in fine.* Et alij cum Gloss. *in cap. Nullus Episcopus.* verbo *Recedere. De consecrat. dist.1.*

Ratio est. Quia dum indigens est intra Ecclesiam, 10 non est necessarium, quod celebrans exuat sacras vestes, quas dum retinet, non est totalis interruptio sacrificij, quia illæ declarant, quod vacet functioni incœptæ. Rursus interruptio est futura minor, quia breui tempore potest succurrere moribundo. Vnde est potius pausa quædam in ipsa functione, quàm interruptio functionis, siquidem interruptio importat totalem discontinuationem. Et ideò admitti potest etiam facta consecratione stante minore necessitate, qualis est necessitas viatici, & Extremæ-vnctionis.

Circa hunc tamen interruptionem celebrationis 11 Missæ ob spiritualem necessitatem nonnulla aduertenda sunt. Et primò. Quod quando relinquitur sacrificium cœpta consecratione, necessarium est, quod relinquatur aliquis ad custodiam sacrificij, vt obseruant Doctores *num.4.* citati præsertim Lugo, Tamburinus, & Quartus; quod non solum est verum, quando debet Sacerdos exire ab Ecclesia, sed etiam, quando intra Ecclesiam debet ministrare sacramenta. Quod si nullus adsit, debet intra tabernaculum claudere. Hoc enim requiritur non solum pro vitandis periculis, quæ succedere possent, sed etiam pro reuerentia sacrificij.

Secundò est aduertendum. Quod si ministraturus 12 sit sacramentum Pœnitentiæ, & reperiat Confessionem futuram longiorem, poterit aliquibus peccatis auditis monere pœnitentem, vt generaliter se accuset de exteris, & illum absoluere, vt possit citò reuerti ad complendum sacrificium, vt notant iidem Doctores præsertim Auersa, & Quartus. Hæc enim est causa sufficiens dimidiandi materialiter confessionem cum etiam ob minores causas liceat relinquere integritatem materialem. Tenebitur tamen Sacerdos completo sacrificio redire ad moribundum, & audire integrè confessionem, si adhuc viuat, & possit eam perficere.

Tertiò est aduertendum. Quod si Sacerdos inter- 13 rumpit Missam, etiam post consecrationem vt audiat cofessionem moribundi, poterit etiam illi ministrare viaticum, & Extremam-vnctionem, vt notant iidem Doctores. Quia si semel sacrificium interruptum est, quod mora interruptionis sit aliquanto maior, non multum refert, & aliàs præponderat vtilitas moribundi ex perceptione horum sacramentorum. In administratione tamen Extremæ-vnctionis erunt omittendæ consuetæ preces, & solum adhibendus ritus essentialis, quia illæ preces non debent impedire, quia quantò citius fieri possit reassumatur sacrificium; quoad ipsas namque non militat necessitas, quæ facit quod interrumpi possit, aut continuari interruptio sacrificij.

Quartò est aduertendum. Quod quando est mi- 14 nistrandum viaticum, nec adest Eucharistia nisi, quæ consecrata est in illo sacrificio nondum completo, potest de ipsa ministrari viaticum, vt obseruant etiam Francisc. Lugo *lib.5. de sacrament. cap.10. quæst.5. num.7.* Quartus *in Rubr. Missal. part.2. tit.3. sect.3. dub.3.* ver. *Aduertendum secundo.* Imò poterit non partem hostiæ principalis sumere, si aliæ formulæ non suppetant. Quia in hoc casu non est inconueniens, quod moribundus participet prius de sacrificio, quàm participet offerens.

QVÆSTIO

QVÆSTIO 198.

An vt succurrat moribundo teneatur Sacerdos interrumpere Missam.

SVMMARIVM.

1. *Si agatur de sacramento necessario tenetur celebrans Missam interrumpere.*
2. *Si sacramentum sit minus necessarium, non tenetur interrumpere.*
3. *Quid si celebrans ex officio teneatur ministrare.*
4. *Quid si seclusa celebratione teneretur ex charitate ministrare.*
5. *Si adsit alius, qui ministret, aut teneatur, non tenetur interrumpere.*
   Ob corporalem necessitatem proximi an possit Missa interrumpi.

1 Conueniunt Doctores *quæst. præced. num.* 4. citati. Quod si agatur de sacramento ministrando omnino necessario, qualis esset baptismus, pœnitentia, aut aliud, prædicta ministrari non possunt, teneatur Sacerdos relinquere Missam, & accedere ad ministrandum. Nam causa, quæ facit licitam interruptionem, obligat etiam Sacerdotem ad ministrandum sacramentum, siquidem dum redditur licita interruptio, consurgit obligatio in celebrante subueniendi moribundo, quæ in tantum impeditur, in quantum adesset impedimentum celebrationis Missæ, quæ non posset interrumpi. Solum difficultas est, quando potest interrumpi ob ministrandum sacramentum minus necessarium.

2 Quod autem tunc, licet possit interrumpere non tamen teneatur, sed possit prosequi Missam, videtur sentire Tambutin. *de sacrificio Missæ, lib.* 1. *cap.* 7. §. 7. *num.* 3. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 2. *tit.* 3. *sect.* 3. *dub.* 3. ver. *Colligitur tertiò.* Quia cum sacramentum non sit tantæ necessitatis, non inducitur obligatio interrumpendi Missam. Verum hoc ita absolutè prolatum probari non potest.

3 Et quidem si celebrans ex officio teneatur ministrare sacramenta, non videtur posse excusari ab obligatione ministrandi, atque adeò interrumpendi Missam. Nam obligatio ex officio in ipso semper viget, & vrget pro quocunque casu occurrenti, & in tantum posset suspendi, in quantum adesset impedimentum celebrationis. Cum ergo possit interrumpere celebrationem, impedimentum fiet voluntarium, atque adeò non erit sufficiens, vt suspendat obligationem, sed impedimentum erit ex voluntate celebrantis, quod idem est, ac si nollet implere propriam obligationem, vnde iuxta regulam iuris culpabilis est, qui non tollit impedimentum cum possit *l. Quibus diebus. init. ff. de condit. & demonstrat.* & *cap. fin. de elect.* & communiter Doctores ad *l. Qui potest facere. ff. de reg. iur.*

4 Similiter. Quando casus est talis, vt si celebrans actu non celebraret, teneretur ex charitate ministrare illud sacramentum, adhuc tenetur interrumpere Missam, & ministrare. Ratio est. Quia est in eius potestate satisfacere obligationi, quam inducit charitas, nam potest licitè interrumpere Missam: ergo non satisfacit, non ex impedimento, seu impotentia, sed ex mera voluntate, quia non vult tollere impedimentum, quod potest; & proinde ipsi imputabitur violatio præcepti charitatis.

5 Itaque tunc solum non tenebitur interrumpere, quando non obligatur vel ex officio, vel ex charitate, vel quando quidem aliàs obligatur ex charitate, sed adest etiam alius, qui similiter obligatur ex charitate; qui non habeat actuale impedimentum, quia tunc iste tenetur, & cessat obligatio in celebrante eo, quod adsit alter, qui possit, & debeat, & proinde necessitas non vrgeat respectu ipsius. Quod si ille alter nolit, ipse peccabit non autem celebrans, quia penes ipsum non adest obligatio.

An autem possit celebrans interrumpere celebrationem Missæ, ob corporalem proximi necessitatem. Respon. quod si casus occurrat in quo aliquis grauiter indigeat opera celebrantis, posse interrumpere Missam, vt notat etiam Quartus *in Rubricas Missalis, part.* 2. *titul.* 3. *sect.* 3. *dub.* 3. *in fine*, vt si minister inuaderetur, nec alius adesset, qui posset succurrere, aut alius casus occurreret, quamuis moraliter occurrere non posset. Ratio est. Quia quando proximus est constitutus in graui necessitate nostri auxilij, Quod ipsi possumus impendere sine notabili incommodo, tenemur ex charitate subuenire. Vrgente autem obligatione charitatis cessat prohibitio non interrumpendi Missam, & cum licitè possit interrumpi, vrget obligatio subueniendi. 6

QVÆSTIO 199.

An Missa possit interrumpi, vt repetatur ab initio ob aduentum Principis, Episcopi, &c.

SVMMARIVM.

1. *Post offertorium non potest Missa repeti ab initio ob alicuius aduentum.*
2. *An ante offertorium repeti possit ob aduentum Episcopi, Principis, &c.*
4. *Repetere Missam ob alicuius aduentum infert indecentiam.*
5. *Cœpta Missa non debet celebrans alicui attendere, nec eleuationi Eucharistiæ in alio Altari.*
6. *An sit peccatum mortale cœptam Missam repetere ab initio.*
7. *Repetens cœptam Missam an possit puniri.*

Difficultas solum potest habere locum, quando ibi non adest alius Sacerdos, qui possit celebrare; quia si adsit, potest per ipsum suppleri. Rursus etiam non quæritur an cœpto canone, aut etiam offertorio, possit ab initio, repeti, & multò minus si iam proximè celebrans sit consecraturus, quia conueniunt omnes, quod facto offertorio non possit amplius ab initio repeti ob dictam causam eo, quod iam sit inchoatum sacrificium, quoad preces, & ritum veluti intrinsecum eidem sacrificio, sed solum an ante offertorium possit ex hac causa interrumpi. 1

Prima sententia asserit, posse interrumpi, & ab initio repeti. Ita Nauarrus *cap.* 16. *de orat. num.* 15. testans, se ita in praxi seruasse. Henriquez *lib.* 9. *summ. cap.* 30. *num.* 3. testans de praxi Azorius *part.* 1. *libr.* 10. *cap.* 32. *quæstione* 3. Layman *lib.* 5. *Theolog. moral. tractat.* 5. *cap.* 7. *num.* ..... Sà *verbo* Missa, *num.* 21. Scortia *libro* 2. *de sacrificio Missæ, cap.* 18. Faustus *lib.* 2. *de Euchar. quæst.* 292 *in fine.* Palaus *part.* 4. *oper. moral. tractat.* 22. *disput.* vnic. 2

vnic. punct. 11. *num.* 4. Villalobos *part.* 1. *summ. tractat.* 8. *difficult.* 31. *num.* 8. Marchin. *de sacrament. Ordin. tractat.* 3. *part.* 3. *cap.* 16. *num.* 4. Garçia *in summ. tractat.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 6. *punct. vlt. num.* 32. qui testatur de praxi in Ecclesia S. Mariæ del Pilar, ita iubente Cardinali Triultio Dicastill. *de sacrament. tractat.* 5. *disput.* 4. *dub.* 13. *num.* 254. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 357. Inter personas, quarum intuitu repeti potest Missa ab initio ponunt non solum Principes, Episcopos, Cardinales, sed etiam Comites, Marchiones, Duces, & alias personas Illustres. Imò Nauarrus ponit causidicos, sollicitatores, operarios, quando multi superuenirent, & rogarent repeti Missas. Fundamentum huius sententiæ non est aliud, nisi æquitas quædam, quæ videtur exigere, quod ipsis complaceat Sacerdos.

3 Secunda sententia negat ex hac causa posse repeti ab initio. Ita Rodriguez *part.* 1. *sum. cap.* 247. *conclus.* 7. Diax *in pract. crimin. canon. cap.* 46. *n.* 4. qui volunt esse graue peccatum, & Diax addit puniendum ab Episcopo arbitraria pœna. Granad. 3. *part. controuer.* 6. *tractat.* 14. *disput.* 10. *num* 4. Ledesma *part.* 1. *sum. tract. de Eucharist. cap.* 24. *post* 7. *conclus.* Francisc. Lugo *libr.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *quæst.* 5. *num.* 76. Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. lib.* 2. *cap.* 7. §. 8. Trullench *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 8. *dub.* 24. *num.* 23. Et ita statutum fuisse in Synodo Hispalensi *cap.* 8. *de celebrat. Miss.* refert Garçia supra *num.* 2. citat. & *in Concil. Prouin. Mediolanen.* apud Gauant. *in Manual. verbo* Missæ ritus, *num.* 15.

4 Dicendum est. Missam inceptam non posse ab initio adueniente quocumque etiam in die festo. Ratio est. Quia hæc repetitio non est ex aliquo capite necessaria, quia superuenientes tardè possunt audire maiorem, & substantialem partem, & interesse sacrificio, siquidem facto offertorio non adest locus repetitioni: præsertim, quia si neque illum partem possent audire, excusarentur, siquidem non voluntariè omitterent, sed tantum fit ad complacendum & ad ostendendum quamdam reuerentiam. Est autem indecens, quod dum Sacerdos actu fungitur vicibus Ecclesiæ, & in persona Christi offert sacrificium, se demittat ad obsequia erga homines in eo, in quo gerit vices Christi, & Ecclesiæ; nam hoc esset quodammodo demittere Christum, & Ecclesiam ad illa obsequia. Et eodem modo res se habet, ac si legatus Principis, dum actu fungitur legatione coram summo Pontifice, se demitteret ad obsequia alicuius Magnatis, qui superueniret, in quo valdè detraheret dignitati personæ, quam sustinet, nec seruaret reuerentiam debitam Pontifici.

5 Confirm. Incœpta Missa non debet attendere cuicunque rei in Ecclesia, etiamsi in alio altari eleuetur Eucharistia, cui nec debet genuflectere, sed se gerere, ac si nihil perciperet, vt docet Rubrica Missal. *part.* 2. *titul.* 3. *de princip. Missal. num.* 4. Ibi. *Et postquam id dixerit, non debet aduertere quemcumque in alio altari celebrantem, etiam si sacramentum eleuet, sed continuatè prosequi Missam suam vsque ad finem.* Ergo multò minus vacare debet obsequiis hominum cuiuscumque conditionis sint. Quia si illud est indecens, multo magis hoc quoque erit indecens.

6 An autem sit peccatum mortale, non audeo affirmare, neque negare. Ex vna enim parte communis sententia non agnoscit in hoc peccatum mortale, nec videtur continere notabilem indecentiam. Ex alia parte autem videtur interuenire grauis deordinatio; nam semper Missa, quæ est incœpta dum repetitur ab initio, remanet imperfecta; quod enim ab initio repetatur, non perficit incœptam. Vnde eodem pacto res videtur se habere quoad primam Missam incœptam, ac si Sacerdos celebrans relinqueret incœptam Missam, nec aliam ab initio inciperet, eodem enim modo remanet imperfecta. In illo autem casu peccaret mortaliter, vt dictum est suo loco.

An autem possint superiores punire repetentem 7 Missam ab initio ex prædicta causa, vt volebat Diaz *num.* 2. citat. Si adsit lex Diœcesana prohibens repetitionem certum est, posse punire, quia cessat in repetentibus bona fides, quod liceat repetere, ratione cuius excusari possunt. Si verò non adsit lex Diœcesana, non videtur posse habere locum punitio; nam cum adsit opinio pro vtraque parte habens pro se plures Doctores prætendi potest, & præsumi debet pro bona fide. Nec obstat. Quod iudex non teneatur sequi opinionem rei probabilem, sed possit iudicare secundum oppositum, nam hoc solum habet locum quando stylus Curiæ ita seruat, & scitur secundum quam opinionem iudicetur, quia tunc reus hoc ipso reus est, quod nolit operari secundum opinionem, quæ apud Curiam est in praxi: non autem in casibus, qui rarò admodum contingunt, & proinde nescitur, quæ opinio sit in praxi.

QVÆSTIO 200.

An & quando peccatum sit omittere aliquam partem Missæ extra Canonem.

SVMMARIVM.

1. *Discrimen inter partes Missæ.*
2. *Quale peccatum sit omittere partes Missæ adscititias.* & num. seq.
4. *Sine partibus adscititiis Missa adhuc integra.*
5. *Quare partes adscititiæ pertineant ad ritum Missæ.*
6. *Quomodo se habeant ad Missam.*
7. *Psalmus* Iudica me Deus *est pars regularis Missæ*
8. *Quale peccatum sit lecta vna Epistola aliam omittere.*
9. *Quale peccatum sit omittere simul omnes partes extraordinarias.*

DE Canone est specialiter inquirendum, quia 1 cum sit pars Missæ sacratior, eius integritas speciali modo custodienda est. Inter partes autem Missæ aliquæ sunt veluti adscititiæ, quæ non concurrunt semper ad constituendam Missam; sed tantum aliquando, vt sunt *Gloria in Excelsis*, *Credo*, *sequentiæ*. Aliquæ verò sunt regulares, & ordinariæ quibus semper Missa componitur, & quia est diuersa ratio de vtrisque ideò etiam de ipsis seorsim agendum est, vt faciliori modo difficultas resoluatur. Quod autem spectat ad partes prioris generis.

Prima sententia asserit, esse peccatum mortale 2 eas omittere. Ita Nugnus, Ledesma, Marcos, Hurtad. apud Garciam citandum. Fundamentum est, quia huiusmodi partes debeant recitari ex præscripto Rubricarum, atque adeò pertinent ad ritum, & normam, cum quibus præcipit Pius V. recitari Missas in Bulla præfixa Breuiario. Confirm. Quia si non sunt partes digniores cæteris, sunt tamen saltem æquè dignæ.

Secunda

3 Secunda ſententia aſſerit, eas omittere voluntariè, eſſe tantum peccatum veniale. Ita Suarez *diſput.* 83. *de ſacrament. ſect.* 3. ver. *In quo* Filliucius *tractat.* 5. *cap.* 5. *num.* 155. Marchin. *de ſacrament. Ordinis, tractat.* 3. *part.* 3. *cap.* 6. *num.* 6. Lopez *part.* 2. *Inſtruct. cap.* 79. *de Euchariſt.* ver. *Tandem.* Granad. 3. *part. controuerſ.* 6. *tractat.* 14. *diſput.* 14. *num.* 3. Lugo Cardinal. *diſput.* 20. *de Euchariſt. ſect.* 4. *num.* 107. Garçia *in ſumm. tractat.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 6. *punct.* 2. *num.* 17. Baun. *part.* 1. *Theolog. moral. tractat.* 10. *quæſt.* 22. ver. *Septimo curare.* Dicaſtil. *de ſacrament. tractat.* 5. *diſput.* 4. *dub.* 13. *num.* 256. Quartus *in Rubr. Miſſal. in quæſt. proœm. ſect.* 3. *punct.* 1. ver. *Secunda ſententia.* Aueria *quæſt.* 11. *de Euchariſt. ſect.* 12. ver. *Sexto dubitat.* Franciſc. Lugo *lib.* 5. *de ſacrament. cap.* 9. *quæſt.* 2. *num.* 15.

4 Dicendum eſt. *Omittere has partes Miſſæ, non eſſe peccatum mortale, ſed tantum veniale.* Ratio eſt. Quia non ſunt partes regulares Miſſæ, atque adeò non pertinent ad ordinariam ſtructuram Miſſæ, ſed ſunt partes veluti aduentitiæ pertinentes ſolum ad quamdam maiorem accidentalem ſolemnitatem: ergo licet Miſſa iis careat adhuc remanet in ſua ordinaria & regulari integritate, atque adeò eas tollere, ſeu omittere non detrahitur quid, quod notabiliter lædat Miſſæ integritatem, non tantum detrahatur fundamentum alicuius tantum accidentalis ſolemnitatis.

5 Ad fundamentum in oppoſitum reſp. Pertinere quidem ad ritum, cum quo certæ Miſſæ recitandæ ſunt, & proinde cadere ſub diſpoſitione Pij V. de ſecundo ritu, & norma præſcripta. Quia tamen leges obligant iuxta exigentiam materiæ ſupra quam cadunt, ita vt quatenus cadunt ſupra materiam grauem, grauiter obligent, leuiter verò, quatenus cadunt ſupra leuem materiam, ideò dicta diſpoſitio non obligat quoad has partes, niſi ſub veniali, quia ſunt materia leuis reſpectu integritatis Miſſæ, quæ eſt menſura grauis, vel leuis obligationis non omittendi aliquas partes.

6 Ad confirm. reſp. Non eſſe partes digniores, neque æquè dignas in ordine ad compoſituram Miſſæ, ſiquidem illam non ingrediuntur tanquam partes regulares, ſed ſolum tanquam ſuperacceſſoriæ, licèt in ratione precum poſſint eſſe aliquibus digniores. Quia tamen non attenditur hæc dignitas, ſed dignitas, ſeu potius neceſſitas in ordine ad integritatem, ideò cum non ſint partes ordinariæ, atque adeò nec neceſſariæ pro earumdem ſtructura, ideò non habentur tanquam partes principales in ordine ad integritatem, & proinde ipſarum omiſſio non eſt notabilis.

Ex his colligitur contra Quartum *in Rubric. Miſ-*
7 *ſal. in quæſt. proœm. ſect.* 3. *punct.* 1. ver. *Colligitur primò.* Quod licet Pſalmus, *Iudica me Deus*, qui in principio Miſſæ recitatur, non ingrediatur compoſitionem omnium Miſſarum, ſiquidem non recitatur in Miſſis defunctorum, nec tempore paſſionis in Miſſis de tempore, non tamen ex hoc fit, quod non ſit pars regularis, & ordinaria Miſſæ, nam potius prædictæ Miſſæ ex aliquo peculiari myſterio carent tali parte ordinaria: ſiquidem illa eſt habenda pro parte ordinaria, quæ regulariter, & vniuerſaliter, licet cum aliqua exceptione, componit Miſſas, quia exceptio non tollit, quia ſit regularis pars. Vnde non poteſt ex hoc capite inferri, quod omiſſio illius non ſit peccatum mortale. Sed ſolum non erit mortale ratione paruitatis materiæ, quæ eſt talis & in quantitate orationis, & in ordine, & ſtructura ipſius Miſſæ.

Colligitur ſecundo tanquam conſectarium traditæ reſolutionis, vt notant etiam in ſpecie Quintanaduen. *tom.* 1. *de ſacrament. tractat.* 7. *ſingul.* 39. *num.* 2. Quartus *in Rubric. Miſſal. in quæſt. proœmial. ſect.* 3. *dub.* 1. *corol.* 3. Quod quando leguntur plures Epiſtolæ in Miſſa, omittere reliquas prima recitata, ſecluſo ſcandalo non erit peccatum mortale, quia non pertinent ad integritatem Miſſæ, ſed ſunt ſuperacceſſoriæ, & veluti adſiſtoriæ, & ſine ipſis remanet Miſſa in ſua naturali integritate. Vnde ſi quis ob debilitatem viſus pateretur legendo, aut ex prolixitate Miſſæ fatigaretur nimis, poſſet eas omittere etiam ſine peccato veniali, quia cauſa iuſta, & rationabilis excludit peccatum veniale, & honeſtat omiſſionem: vt notant etiam Quintanaduen. citat. Dicaſtil. *de ſacrament. trat.* 5. *diſput.* 4. *dub.* 13. *num.* 256. Fateor tamen, quod ſatius eſſet in tali caſu recitare Miſſam votiuam, aut pro defunctis.

Colligitur tertio. Quod committere ſimul omnes partes extraordinarias in eadem Miſſa, quales ſunt *Gloria, Credo*, & ſequentia, quæ ſimul aliquando concurrunt, non erit peccatum mortale, vt notat etiam Quartus *in Rubric. Miſſal. in quæſt. proœmial. ſect.* 3. *dub.* 1. *corol.* 4. Militat enim eadem ratio, quod ſcilicet, non remaneat Miſſa mutilata, atque adeò nec deformata, quia detrahuntur tantum partes ſuperacceſſoriæ, non autem aliquod, quod ſit de neceſſaria integritate, & ideò adhuc remanet Miſſa cum ſua naturali integra compoſitione. Nec obſtat, quod ſecundum ſe ſint quid notabile, quia in præſenti non conſideratur notabilitas ſecundum eſſe abſolutum, ſed ſecundum ordinem ad integrandam Miſſam, & ideò ſolum materia eſt notabilis, quando notabiliter confert ad integritatem. 9

QVÆSTIO 201.

An, & quale peccatum ſit, omittere aliquam partem ex ordinariis Miſſæ.

SVMMARIVM.

1. *Omittere notabilem partem Miſſæ ex ordinariis, eſt mortale.*
2. *Omittere notabilem partem Miſſæ eſt materia grauis prohibita.*
3. *Quæ ſit pars notabilis Miſſæ, & vnde deſumenda notabilitas.*
4. *Epiſtola, Euangelium, vtraque oblatio, Præfatio ſunt partes notabiles.*
5. *Tractus, Kyrie eleiſon, & alia huiuſmodi an notabiles.*
6. *Orationes quæ ſubſequuntur primam, an pars notabilis.*
7. *Omiſſio plurium partium non præcipua cum eſt materia grauis.*

Omnes orationes ſecundariæ an pars notabilis.

Dicendum eſt. *Omittere partem notabilem Miſſæ ex ordinariis, eſſe peccatum mortale: omittere verò partem exiguam eſſe tantum veniale.* Ita communiter Sylueſter *verbo* Miſſa 1. *quæſt.* 13. Angel. *num.* 13. Tabiena *num.* 21. Henriquez *lib.* 9. *ſum. cap.* 26. *num.* 3. Reginald. *libr.* 20. *cap.* 9. *ſect.* 9. *num.* 210. Azorius *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 29. *quæſt.* 6. Facundez *præcept.* 1. *Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 7. Vaſquez 3. *part. quæſt.* 83. *in not. art.* 4. & 5. Ludouicus à Sancto Ioanne *in ſumma quæſtione* 11. *de Euchariſtia, articul.* 23. *dub.* 2. *difficult.* 5. Fauſtus *lib.* 2. *de Euchariſtia, quæſtione* 266. ver. *Hinc qui* 1

omittit. Villalob. *part. 1. summ. tractat.* 8. *difficult.*31. *num.*1. Præposit. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 4. *dub.* 3. *init.* Chellisun, *art.*6. ver. *Notandum* t. Coninch *de sacrament. quæst.*83. *art.*5. *dub.* . . . . . *num.*226. Suarez *disput.* 83. *de Eucharist. sect.* 2. Filliuc. *tract.* 5. *cap.*5. *num.* 142. Ledesma *tom.* 1. *sum. tractat. de Eucharist. cap.*24. *conclus.* 7. Pitigian. *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *art.* 4. Bonac. *disp.*4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.*7. §. 3. *num.*3. Molfes. *part.*1. *sum. cap.*7. *num.*22. Lezana *in sum. verb* Missa *num.*58. Nugnus 3. *part. qu.* 83. *art.*4. *dub.*2. Lugo Cardin. *disp.*20. *de Eucharist. sect.*4. *num.*104. Auersa *qu.* 11. *de Euchar. sect.*12. ver. *Tertiò tenetur.* Marchant. *in Tribun. sacram. tract.* 4. *cap.* 5. *qu.*4. Dicastillus *de sacrament. tract.*5. *disp.*4. *dub.*13. *num.* 256. Franciscus Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 9. *quæst.* 2. *num.* 16.

2 Ratio est. Quia eo ipso, quod est pars notabilis per omissionem ipsius remanet integritas Missæ notabiliter læsa, & inducitur notabilis deformitas: ergo notabiliter violatur dispositio Pij V. Qui in Bulla præfixa Missali præcipit in virtute S. Obedientiæ, quod Missa recitetur secundum ritum, modum, & normam in Missali præscriptam, & proinde violatur lex, quæ sub mortali obligat, vt proinde violatio possit tantum esse peccaminosa venialiter ratione paruitatis materiæ. Confirm. Ritus, cum quo offertur sacrificium, importat omnes partes, quibus Missa componitur, & est ritus publicus, quia sequitur naturam sacrificij tanquam accessorium ipsius, quod continet publicum cultum Dei & perfectionem religionis Catholicæ, sub Christo Redemptore vt capite: ergo omissio partis notabilis deformat notabiliter hunc ritum: ergo est peccatum graue tanquam læsio rei notabilis, & quæ iuxta publicam exigentiam debet in sua perfectione manuteneri.

3 Sed modo difficultas est, quænam sit pars notabilis, & vnde notabilitas desumi debeat. Resp. vt notant communiter, præsertim Dicastil. *de sacram. tract.*5. *disp.*4. *dub.*13. *num.*256. Paruitatem, vel grauitatem materiæ non esse attendendam secundum quantitatem verborum: sed secundum compositionem Missæ, itavt & sit pars notabilis, quæ notabiliter confert ad compositionem, illa verò pars exigua, quæ parum confert. Est enim Missa quoddam compositum artificiale, quod constat diuersis partibus heterogeneis, quarum singulæ habent suum proprium munus in ordine ad cultum Dei per oblationem sacrificij: & se habet instar corporis, in quo sunt plura, & diuersa membra quorum singula habent suas proprias functiones: & ideò si priuetur aliqua parte, quæ habet suam specialem functionem seorsim ab aliis, priuatio erit notabilis, quia tanquam carens illa functione in ordine ad sacrificium, erit notabiliter deformis: sicut si corpus careat aliqua manu, aut pede, aut alio membro, qui habeat suum specialem functionem.

4 Ex dictis sequitur, quod Epistola, Euangelium, vnamque oblationem nempe Hostiæ, & Calicis, Præfationem esse partes notabiles, vt notant etiam Suarez *de sacrament. disp.* 83. *sect.* 3. ver. *In quo est.* Filliuc. *tract.* 5. *cap.*5. *num.*155. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 12. ver. *Quare.* Quintanaduen. *tom.*1. *tract.*7. *singul.*39. Garçia *in sum. tractat.* 3. *difficul.*8. *dub. vltim. punct.* 1. *num.*7. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 9. *qu.* 2. *num.* 17. Quartus *in Rubric. Missal. in quæst. proœm. sect.* 3. *punct.* 2. ver. *Secundò interpretes.* Omnes enim istæ partes habent specialem functionem in ordine ad sacrificium, & perfectionem religionis in cultu Dei, vt per se patet. Et ob eandem rationem pro partibus principalibus habendæ sunt confessio, quæ fit, antequam Sacerdos ascendat ad altare, siquidem Sacerdos per ipsam profitetur suam humilitatem. Introitus, cum in ipso se introducat Sacerdos ad Dei conspectum proprium munus exhibiturus. Oratio etiam quæ tanquam principalis primo loco recitatur etiam in secretis, & postcommunione, quia per ipsam veluti determinatur Missa in ordine ad diuinam impetrationem.

Sequitur 3. Tractum, Kyrie eleison, &c. & alias huiusmodi partes non esse principales, quia non habent aliquam specialem functionem, quæ non sit communis cæteris, & proinde si non omitterentur, non esset peccatum mortale. Vnde Bonac. *disput.*4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 10. *num.*25. non rectè damnat peccati mortalis omissionem offertorij, si intelligatur de offertorio, vt contra distincto ab oblatione, nam est pars omnium minus principalis, vt notat etiam Quartus *in Rubricas Missalis in quæst. proœm. sect.* 3. *dub.*2. ver. *Secundò inter.*

Sequitur quarto. Omissionem orationum, quæ post primam recitantur, etiam si sint plures, non esse peccatum mortale, vt notant etiam Marchant. *in Tribun. sacram. tractat.* 4. *cap.* 5. *quæst.* 4. Franciscus Lugo *lib.*5. *de sacrament. cap.*9. *quæst.* 2. *num.* 16. Quia sunt in eodem genere functionis, in quo est prima oratio, & sunt ipsi superaccessoriæ, itavt non habeat functionem propriam, sed communicent in functione non prima Oratione; vnde quando in duplicibus recitatur vnica tantum oratio Missa est adhuc perfectè integra, & ideo eas omittere non erit mortale, quia non detrahitur Missæ pars aliqua principalis, quæ non habeat propriam functionem. 5

Sequitur quinto, quod omissio plurium partium non præcipuarum, seu plurium partium exiguarum ex partibus non præcipuas, si faciant notabilem quantitatem simul sumptæ, est peccatum mortale, nam non solum omitteretur notabilis quantitas quoad verba, sed etiam notabiliter deformaretur Missa; dum enim plures partes leuiter deformantur, consurgit in toto notabilis deformitas; sicut si corpus in pluribus membris esset deformatum, licet leuiter, consurgit quoad totum deformitas notabilis. Si tamen omittantur omnes secundariæ vnctiones, quæ post primam recitantur cum ante epistolam, quam in secretis, & in postcommunione non erit peccatum mortale, quia omnes sunt superaccessoriæ, nec deformatur Missa, sed redducitur ad statum, quem habet in duplicibus. Imò eo ipso quod omittuntur primo loco debent omitti etiam in cæteris locis, ob correspondentiam, quam habent adinuicem, itavt debeant in singulis locis quoad numerum sibi correspondere. 6

QVÆSTIO 202.

An, & quando peccatum sit aliquid Canonis omittere.

SVMMARIVM.

1. *Canon Missæ vnde incipiat.*
2. *Vbi terminetur.*
3. *Quamlibet orationem Canonis omittere est graue peccatum.*
4. *Quælibet oratio Canonis est pars notabilis.*
5. *In omissione partis Canonis datur paruitas materiæ.*
6. *Paruitas materiæ quando locum habeat.*
7. *Quænam sit parua materia in omissione alicuius partis Canonis.*
8. *Omittere octo, vel decem nomina Sanctorum Canonis, an mortale.*

9. *Omissio*

9. *Omissio eorum, quæ adduntur in quibusdam festis,* Communicantes, *an mortale.*

10. *Quid faciendum sacerdoti, si reperiat deesse Missali aliqua verba Canonis.*

11. *Orationes subsequentes Canonem non possunt omitti absque peccato mortali.*

12. *Quid faciendum si aliquid Canonis inaduertenter omittatur.*

1 CONcordant ferè communiter Doctores, quod Canon incipiat statim post præfationem ab illis verbis, *Te igitur Clementissime.* Ita Gloss. *in Clemen. Graues. de sentent. excommur.* Franc. *in cap. Episcopus, de priuileg. in 6.* Dominic. *ibid.* Felin. *in cap. 2. num. 4. de except.* Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 18. num. 5.* Dicastil. *tractat. 5. de sacram. disput. 4. dub. 13. num. 249.* & alij Si quidem in illis verbis sacerdos se conuertit ad Deum tanquam oblaturus sacrificium, & incipit ipsum dirigere. Et quamuis alij sentiant, quod incipiat ab oratione, *Communicantes* vel ab ijs verbis, *Qui pridie, quàm pateretur,* vt Archidiacon. *in cap. sicut Apostoli. 11. quæst. 3.* Cardin. *ibid.* Ionocent. *in cap. nuper. de sentent. excommunicat. in 6.* Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4.* Ledesma 2. *part. 4. quæst. 25. art. 2.* attamen prior opinio est communior, & tenenda.

2 Quod autem spectat ad finem, quamuis nonnulli putent, quod duret vsque ad consumptionem sacrificij. Alij tamen probabilius putant terminari ab Oratione Dominica exclusiuè. Ita ferè communiter, præsertim dum enumerant Canonis partes, dum inter ipsas non reponunt orationem Dominicam, nec subsequentes Amalar. *lib. 3. cap. 9.* Durand. *de diuin. offic. cap. 36. numer. 1. & lib. 2. cap. 44.* Bellarm. *lib. 2. de Miss. cap. 21. & 26.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 34. quæst. 12.* Herera *de sacrific. Miss. lib. 3. cap. 6.* Garzia *in sum. tractat. 3. difficult. 8. dub. vlt. punct. 2. numer. 20.* Suarez *disp. 83. de Eucharist. sect. 2. ver. Octaua pars, in fine,* Valent. *tom. 4. disput. 6. quæst. 11. punct. 3.* Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœmial. sect. 3. punct. 3. difficult. 1. ver. Communis tamen,* & desumitur ex D. Gregor. *Epist. 63.* vbi dicit, Orationem Dominicam recitari post Canonem. Difficultas autem est, an omittere aliquid de ipso sit peccatum graue.

3 Dicendum 1. *Omittere quamlibet ex orationibus Canonis esse peccatum mortale.* Hoc autem intelligitur, si omittatur voluntariè. Ita communiter Suarez *disp. 83. de Eucharist. sect. 3. ver. In quo est,* Palaus *part. 4. oper. moral. tractat. 22. disput. vn. punct. 11. numer. 1.* Ioan. à Cruce *part. 2. direct. conscient. quæst. 4. de sacrific. Miss. numer. 1. conclus. 2.* Garzia *in sum. tractat. 3. difficult. 8. dub. vlt. punct. 2. numer. 20.* Granad. *3. part. controuer. 6. tractat. 14. disp. 14. numer. 3.* Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disput. 4. dub. 13. numer. 257.* Leander. *de sacrament. tractat. 8. disput. 7. quæst. 61.* Verticel. *de mission. Apost. tit. 18. quæst. 301. num. 1.* Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 5. §. 2. numer. 4.* Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect. 3. dub. 3. ver. Conuenit autem,* & alij infra citandi.

4 Ratio est. Quia vnica oratio respectu totius Canonis secundum se considerata, habita ratione etiam verborum tantum, est pars notabilis. Rursus magis est notabilis, si consideretur in ordine ad compositionem eiusdem Canonis, quia detrahit specialem partem, quæ in ipso habet specialem functionem, vnde notabiliter deformatur. Præsertim quia Canon tanquam quid sanctius cæteris partibus Missæ sanctiori modo custodiendus est. Vnde, quando Pontifices addiderunt ipsi aliqua verba, fit de hoc specialis mentio in eorumdem actis tanquam de actione memoria digna. Et ideò nimirum sit summa veneratione eius integritas in celebratione Missæ custodienda est; & proinde sit graue peccatum integram Orationem relinquere.

5 Dicendum 2. *In Canone dari paruitatem materiæ cuius omissio sit tantum peccatum veniale.* Est contra Nugnum *3. part. quæst. 83. art. 4. dub. 2. conclus. 2.* qui vult omissionem voluntariam vnius tantum verbi esse peccatum mortale. Verum communiter reijcitur, & censent omnes dari paruitatem materiæ. Ita Suarez *disp. 83. de Eucharist. sect. 3. ver In quo est.* Filliuc. *tractat. 5. cap. 5. num. 155.* Granad. *3. part. controuer. 6. tractat. 14. disp. 14. numer. 6.* Garzia *in sum. tractat. 3. difficult. 8. dub. vlt. punct. 2. num. 20.* Ledesma *part. 1. sum. cap. 24. de Eucharist. conclus. 4.* Ioan. à Cruce *part. 2. director. conscient. quæst. 4. de Miss. dub. 1. conclus. 2.* Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disp. 4. dub. 13. numer. 257.* Bern. *disp. 6. de sacrament. sect. 4. numer. 9.* Leander. *tractat. 8. de sacrament. disp. 7. quæst. 61.* Tamburin. *Opusc. de sacrif. Miss. lib. 2. cap. 5. §. 2. numer. 4.* Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect. 3. punct. 3. ver. Dico secundo,* Lugo Cardin. *disp. 20. de Eucharist. sect. 4. num. 104.* Auersa *quæst. 15. de Eucharist. sect. 12. ver. Quarto, ergo,* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 9. quæst. 2. numer. 21.* Cœlestin. *in Compen. Theol. moral. tractat. 8. cap. 5. quæst. 10.* Niger. *in Addit. ad Ruiz part. 2. reg. 6. quæst. 1.*

6 Ratio est. Quia in rebus habentibus partes, quando malitia non est tota in singulis partibus, datur paruitas materiæ, quia potest pars esse talis, vt fundet exiguam malitiam, vt admittunt communiter, & constat ex inductione. In præsenti autem casu sumus in materia diuisibili, & malitia non est in singulis partibus: nam malitia omissionis in eo consistit, quod deformetur Canonis mysteriosa structura, quæ leuis esse potest, si aliquid minimum omittatur vt duo, aut tria verba, quæ si desint, non alterent substantialiter significationem.

7 Superest autem difficultas, quænam censenda sit parua materia in ordine ad omissionem. Aliqui enim ex citatis Doctoribus supra *numer. 5.* volunt paruitatem materiæ non excedere duo verba; alij tria verba, vt Garzias, alij quatuor, vel etiam quinque vt Quartus. Verum in hac materia existimo non esse attendendum quantitatem verborum, sed significationem. Vnde primò quando corrumpitur, seu variatur significatio, etiam si omitterentur duo tantum, aut etiam vnum verbum, materia esset grauis, quia variatio significationis trahit secum etiam variationem mysterij, & ideò ex vtroque capite esset materia grauis, quia sola variatio significationis in loquutione est grauis. Secundò. Licet non varietur, aut corrumpatur significatio, sed tantum mutiletur, & imperfecta reddatur, seu confundatur, adhuc materia grauis erit, etiam si omittantur parua verba. Si quidem adhuc notabiliter læditur significatio non secus ac notabiliter læditur quodlibet compositum artificiale, si in aliqua parte in ordine ad suam functionem mutiletur, aut functio reddatur confusa. Extra autem hos casus non videtur omissio esse peccatum mortale, etiam si plura verba eiusdem orationis omittantur. Quia cum significatio non patiatur notabile detrimentum, nec etiam frustratur finis, ad quem tendit illa oratio ratione suæ significationis.

8 Ex dictis colligitur. Non esse ita facilè reijciendum, quod habet Bernal. *disp. 6. de sacrament. sect. 4. num. 93.* quod scilicet, non sit peccatum mortale omittere octo, vel decem nomina Sanctorum, qui nominantur in Canone. Nam talis omissio non inducit variationem significationis neque deformatur, quia horum nominum expressio non est necessaria

pro significatione expressa in oratione, sed tantum est propter aliquem specialem honorem eorumdem, qui tamen non videtur esse tanti momenti, vt omissio fundet peccatum mortale.

9 Secundò colligitur contra Auersam *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 12 ver. *Quarto, ergo.* Non esse peccatum mortale omittere illas speciales causulas, quæ in Oratione communicantes, & hanc igitur oblationem, adduntur, in quibusdam festiuitatibus. Et ita notant Suarez *disp.* 83. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *In quo est,* Filliuc. *tractat.* 5. *cap.* 5. *num.* 155. Francisc. Lugo *lib.* 7. *de sacrament. cap.* 9. *quæst.* 2. *numer.* 21. Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect.* 3. *punct.* 3. ver. *Dico quinto.* Non quidem ratione paruitatis materiæ, siquidem earum omissio variat significationem, cum faciat silentio præteriti specialem commemorationem festiuitatis, quæ celebratur, sed quia sunt partes extraordinariæ Missæ, quæ sunt superaccessoriæ integritati ordinariæ Canonis.

10 Tertiò colligitur. Quid faciendum sacerdoti; si, dum celebrat, reperiat deesse in Missali aliqua verba Canonis, vel quia vetustate consumpta sint, vel ex alia causa, nec memoriter ea teneat. Si enim sint vnum aut alterum verbum, potest omni meliori modo prosequi Canonem, quia tunc adest causa rationabilis. Si verò sit pars notabilis curare debet, vt afferatur aliud Missale. Quod si non haberi possit, nisi post longum tempus, tunc ratione necessitatis excusabitur, si omittat, quæ desunt. Debet tamen sacerdos, si non confidit memoriæ, curare, antequam exeat ad celebrandum, vt habeat Missale cum Canone integro, qui enim Missalia in parte Canonis facilius consumuntur, & segnius restaurantur, vtpote quia solet supplere memoria, ideò celebrans, præsertim de nouo, tenetur ad hoc aduertere.

11 Quartò colligitur. Orationes subsequentes Canonem vt *Pater noster, Libera nos*, &c. *Agnus Dei*, & cœteræ, quæ dicuntur ante consumptionem sacrificij, non posse omitti absque peccato mortali, quamuis non sint partes Canonis, siquidem singulæ in ordine suo continent functionem grauem, qua destitueretur Missa, & proinde eius integritas notabiliter læderetur.

12 Quintò colligitur. Quod si sacerdos inaduertenter aliquid omittat, non per hoc turbari debet, nec debet repetere, nisi parum processerit, quando aduertit, præsertim si sit ex illis, quæ alta voce recitantur. Ita D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 6. *ad* 5. Syluester *verbo*, Missa 1. *quæst.* 3. Suarez *disp.* 83. *de Eucharist. sect.* 3. Marchant. *in Tribun. sacrament. tractat.* 4. *cap.* 5. *quæst.* 4. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 9. *quæst.* 2. *numer.* 23. Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disp.* 4. *dub.* 13. *numer.* 261. & ita etiam docet Rubrica *tit. de defect. occurrent. in minist. numer.* 5. ibi. *Si valde probabiliter dubitat, se aliquid essentiale omisisse, iteret formam saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate sacramenti, non resumat sed procedat vlterius.* Et hoc præsertim, si dubius sit, an omiserit, quia tunc debet omnino prosequi, etiamsi parum processerit. Neque enim Missa debet interrumpi, etiam vt repetatur, & minus malum est, quod aliquid inaduertenter sit omissum, quàm quod interrumpatur, & retrocedendo repetantur aliqua iam recitata.

QVÆSTIO 203.

An omißio verbi, Enim, in forma consecrationis sit peccatum mortale.

SVMMARIVM.

1. *Verbum*, Enim *in consecratione non est de essentia.*
2. *Quale peccatum sit illud omittere*, & numer. seq.
4. *Verbum*, Enim *in forma consecrationis quomodo considerandum.*
5. *Forma consistit in indiuisibili, nec recipit variationem.*
6. *Quod est minimum sit graue, si inducatur pro forma.*
7. *Qualis sit significatio verbi enim in forma consecrationis.*
8. *Dictio*, Ego, *in forma absolutionis omittitur absque graui peccato.*
9. *Dictio* Enim, *in Liturgijs Græcorum non adest.*

CErtum est apud omnes, quod hoc verbum *Enim* non est de essentia formæ, vt traditur in materia de Eucharistia. Nam tantum verba sunt essentialia, quæ concurrunt ad componendum significationem formæ in cuius virtute fit transubstantiatio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. Verbum autem enim non concurrit, & proinde eo detracto retinet forma suam significationem, & consequenter conficitur sacramentum. Solum difficultas est, quale peccatum sit ipsum deliberatè omittere. 1

Prima sententia asserit, esse tantum peccatum veniale. Ita Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 16. *num.* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 1. *qu.* 1. *art.* 8. Granad. 3. *part. controuer.* 6. *tractat.* 8. *disp.* 3. *numer.* 5. & 6. Coninch *quæst.* 78. *art.* 2. *dub.* 2. *numer.* 37. Crabtera *quæst.* 68. *art.* 8. *disp.* 2. *numer.* 2. Bonacin. *disp.* 4. *de sacrament. qu.* 3. *punct.* 1. *num.* 10. Hurtad. *disp.* 3. *de Eucharist. difficult.* 7. Pitigian. *in* 4. *dist.* 8. *qu.* 2. *art.* 2. Machad. *tom.* 1. *lib.* 3. *part.* 1. *tractat.* 6. *docum.* 3. *numer.* 5. Auersa *qu.* 6. *de Eucharist. sect.* 2. ver. *Saltem hanc*, Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tractat.* 3. *difficult.* 9. *dub.* 2. *punct.* 2. *numer.* 12. Garzia *in sum. tractat.* 3. *difficult.* 9. *dub.* 2. *punct.* 2. *numer.* 12. Bernal. *de sacrament. disp.* 39. *sect.* 2. §. 1. *numer.* 42. Caspens. *part.* 2. *Curs. Theol. tractat.* 22. *disp.* 7. *sect.* 7. *numer.* 23. Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect.* 3. *pun.* 4. *difficult.* 3. Pro hac sententia nullum aliud fundamentum affertur, nisi, quod verbum, *Enim*, sit materia leuis, quia non pertinet ad significationem. 2

Secunda sententia asserit, esse mortale. Ita Gabr. *in* 4. *dist.* 18. *qu.* 3. *conclus.* 2. & *lect.* 38. *in Can. Miss.* Angel. *verbo*, Eucharistia 1. *numer.* 22. Petrus Sotus *lect.* 2. *de Eucharist.* Ledesma *part.* 1. *sum. cap.* 5. *de Eucharist. conclus.* 2. Vasquez 3. *part. disp.* 199. *cap.* 4. *num.* 29. Viuald. *in Candel. tit. de forma Eucharist. num.* 52. Ochagauia *de Eucharist. quæst.* 32. Facundez *præcept.* 3. *Eccles. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 2. & 17. Villalob. *part.* 1. *sum. tractat.* 7. *difficult.* 12. *num.* 3. Ludouic. à S. Ioan. [illegible] *sum. quæst.* 2. *de Eucharist. art.* 2. *difficult.* 2. Holchot. *in* 4. *qu.* 3. Ioan. à Cruce *part.* 2. *direct. qu.* 78. *qu.* 2. *conclus.* 2. *dub.* 1. Nugnus 3. *part. qu.* 78. *art.* 2. ver. *Dico* 3. Isambert. *disp.* 2. *art.* 1. ver. *Secunda pars*, Ioan. de Lapide *tractat. de dub. inr. celebrat. Miss. occurrent. cap.* 8. *dub.* 2. Fernandez *part.* 3. *Examin. Theol. moral. cap.* 4. §. 6. *num.* 1. 3

num. 1. Trullench. *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 7. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tractat.* 21. *disp. vn. punct.* 7. *num.* 1. dum ait, quod si ex proposito omittatur, vix à mortali excusabitur ob virtualem contemptum. Quod etiam aduertit Dicastil. *de sacrament. tractat.* 4. *disp.* 3. *dub.* 3. *num.* 63.

4 Dicendum. *Omittere dictionem, Enim in verbis consecrationis esse peccatum mortale.* Ratio est. Quia non debet hæc vox considerari secundum se, siquidem de se non habet talem significationem, quod sit necessaria pro significatione formæ, sed debet considerari tanquam ingrediens partem substantialem, seu essentialem sacrificij, nempe formam consecrationis; iuxta praxim communem Ecclesiæ. Constat autem quod soli Ecclesiæ relicta est à Christo potestas disponendi circa sacrificium, & sacramenta, salua eorumdem substantia, vt habet Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. Et proinde tenetur quisque sequi eius dispositionem: ergo non potest variare formam in aliquo absque peccato graui, quia agitur de re principalissima quæ concernat confectionem sacramentorum & sacrificij, & de qua disponere relictum tantum Ecclesiæ. Et quia ex proposito apponit manus circa ea, quæ subsunt tantum dispositioni Ecclesiæ: & saltem pro illa vice excludit, quod eius dispositio locum non habeat.

5 Confirm. Forma consistit in indiuisibili: & proinde non recipit aliquam variationem, & proinde debet in totum, etiam secundum minimas partes seruari non solum in sacramentis, & sacrificio sed etiam in ciuilibus, *l. cum hi.* §. *si prætor. ff. de transact.* & *l. qui Romæ*, §. *Flaccus. ff. de verbor. obligat.* Et notant communiter Doctores Gloss. *in cap.* 1. *verbo*, Vocationem *de milite Vassal.* Bald. *ibid.* Bar. *in l.* 1. §. *prætor ait. ff. ne quid in flum. publ.* Ergo cum ad Ecclesiam spectet determinare formas sacramentorum, & sacrificij salua substantia institutionis Christi, & determinauerit formam consecrationis cum verbo, *Enim*, omiseris hoc verbum, quamuis conficiat sacrificium, quia non omittit aliquid substantiale, non seruat tamen formam præscriptam ad Ecclesia, quia sufficit, quod in aliquo minimo eam variet. Et proinde relicta institutione Ecclesiæ, quasi nolit illi stare recurrit ad verba merè necessaria pro validitate iuxta institutionem Christi, in quo interuenit etiam quidam virtualis contemptus Ecclesiæ, dum non seruat eius institutionem in re tanti momenti.

6 Confirm. 2. Quod ex sui natura est quid minimum, & leue, quando inducitur pro forma, fit aliquid graue, quia scilicet concurrit ad substantiam actus, & componit illam partem, quæ est substantialis, vt constat in ciuilibus, in quibus quædam solemnitates de se leues, quando inducuntur pro forma, itavt concurrant tanquam partes ad constituendam formam fiant graues: ergo etiam in præsenti, licet de se dictio, *Enim*, sit quid leue, dum ingreditur constitutionem formæ erit quid graue.

7 Confirm. 3. In forma consecrationis dictio, *Enim* habet grauem, & necessariam significationem, cum enim ex sui natura habeat vim coniungendi, coniungit verba formæ consecrationis cum verbis antecedentibus, & operatur, quod in contextu, & expressa significatione proferantur in persona Christi: itavt forma consecrationis sensibiliter appareat pronuociata in persona Christi, dum enim sacerdos præmittit, *Fregit* (Christus) *ac dixit, Accipite, & comedite*, & statim subdit, *Hoc est enim corpus meum*, significat ex vi coniunctionis, *Enim*, quod loquatur in persona Christi: ergo si omittitur verbum, *Enim*, caret forma illa sensibili expressione, quod verba significent in persona Christi; & proinde caret forma aliqua notabili expressione. Quod nisi Ecclesia consideraſſet tanquam necessarium, non apposuiſſet huiusmodi verbum, tanquam quid extra verba substantialia, & non necessarium pro validitate consecrationis. Variare autem formam institutam ab Ecclesia notabiliter, non potest excusari à peccato mortali.

Dices. In forma absolutionis potest omitti absque peccato mortali dictio. *Ego*, & solum proferri *Absoluo te, &c.* & tamen pertinet ad substantiam: ergo à fortiori poterit omitti dictio, *Enim*; Resp. Esse diuersam rationem. Quia dictio, *Ego* habetur implicite in dictione *Absoluo*: itavt idem prorsus significet *Absoluo*, ac *Ego absoluo*. At dictio *Enim* est omnino extrinseca toti formæ, *Hoc est corpus meum*, quia non est consignificatiua cum ipsis, sed coniunctiua. Dum autem coniungit operatur effectum, de quo dictum est, vt nimirum exprimatur, quod verba consecrationis pronuncientur in persona Christi. 8

Dices 2. In quibusdam Liturgijs antiquis Græcorum non adest talis dictio. Resp. Ex hoc solum colligi, quod non sit necessaria pro validitate consecrationis; non autem quod non sit necessaria saltem apud Latinos ex præcepto Ecclesiæ: & quod præceptum, & institutio non sit de re graui tanquam necessaria ad determinandam significationem formæ, vt in esse expresso stet in persona Christi, sicut dictum est. 9

QVÆSTIO 204.

An possit omitti in forma consecrationis absque præiudicio validitatis & absque peccato verbum, Est.

SVMMARIVM.

1. *Verbum* Est *in forma consecrationis an necessarium pro validitate. An possit aliquando omitti.*
2. Est *verbum aliquando solet omitti & subintelligi.*
3. *Quæ verba sint essentialia in formis sacramentorum.*
4. *Significatio formæ consecrationis est insufficiens non expresso verbo*, Est.
5. *Verbum*, Est, *cur debeat exprimi in forma consecrationis.*
6. *Verbum*, Est, *subintellectum non significat explicitè.*
7. *Quando effectus formæ est operatio, debet exprimi in forma. Forma confirmationis Græcorum cur valida.*
8. *Omittere in forma consecrationis verbum* Est, *grauissimum est sacrilegium.*

AVgustinus Bern. *disp.* 39. *de Eucharist. sect.* 2. §. 1. *num.* 26. quamuis existimet verbum *Est*, esse de essentia formæ, addit tamen, quod pro validitate non est necessarium, quod exprimatur, sed sufficit, quod subintelligatur, & proinde validam futuram consecrationem per verba, *Hoc corpus meum*, & *Hic sanguis meus*, quia subintelligitur, *Est*. Subiungit tamen, quod ita consecrare esset peccatum grauissimum, quia fieret recessus à ritu in re omnium grauissima, quem Christus tenuit, & Ecclesia perpetuò seruauit. Nihilominus, si quis mioaretur mortem, sed non in contemptum fidei, aut religionis, verum ex alio fine, nisi dictum verbum omitteretur, posset omitti. Neque hoc conuenire cum hæreticis, quia volebant, quod sufficerent verba *Accipite, & manducate hoc corpus meum*, & *Accipite*, 1

&

& bibite hunc sanguinem meum. Et ideò non admittebant verba importantia conuersionem, sed vtebantur accusatiuo referendo ad actionem comedendi, & bibendi.

2 Fundatur in eo, quod forma sacramentorum tunc est sufficiens, quando iuxta receptum modum habet illam significationem, quam Christus exigit. Talem autem significationem habet forma consecrationis, etiam si taceatur verbum, *Est*, nam iuxta receptum modum loquendi solet omitti, & subintelligi, vt passim etiam in sacra scriptura, Psalm. 1. *Beatus vir qui non abijt, &c.* Pro Beatus est, Psalm. 45. ver. 1. *Deus noster refugium, & virtus.* Pro *Est* refugium, & vet. *Dominus virtutum nobiscum. Susceptor noster Deus Iacob.* Pro *Est* nobiscum, & pro *Est* susceptor.

3 Verum licet in hoc rectè procedat, quod differat ab errore hæreticorum, siquidem hoc pacto accepta forma, est apta significare. Non tamen est sufficiens ad significandum, & proinde Doctores omnes, dum volunt, quod verbum *Est* sit de substantia formæ, intelligunt non de ipso subintellecto, sed de ipso expresso. Quia illa tantum habentur in formis sacramentorum pro verbis essentialibus, quæ sunt de necessitate exprimenda; non autem quæ subintelligi possunt. Sic in forma sacramenti pœnitentiæ necessariò subintelligitur verbum, *Ego*, dum sacerdos dicit *Absoluo*: & sic subintellectum est tam essentiale, quàm sit verbum *Absoluo*, & tamen communiter docent, quod verbum, *Ego*, non est de essentia formæ.

4 Quod autem, nisi exprimatur verbum, *Est*, non sit sufficiens significatio ex eo deducitur, quod sacramenta debent significare quod causant, siquidem causant ex vi significationis, & hoc præcipuè locum habet in forma consecrationis, cuius effectus proprius, & immediatus est per modum actionis, seu conuersio, qua substantia panis conuertitur in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem, & proinde debet per formam significari hæc conuersio. Significatur autem per verbum, *Est* quia tanquam coniunctiua prædicati cum subiecto significat, quod subiectum sunt idem cum prædicato ob identitatem, quam inter ipsa exprimit: ergo, si verbum, *Est* non ponitur explicitè, non significatur explicitè conuersio, quod est illud præcipuum, quod per formam debet significari. Siquidem hæc forma significat per modum operationis, quod facit, & ideò debet explicitè hanc operationem, seu conuersione exprimere.

5 Confirm. causa, quæ non est in actu, sed solum in virtute alterius, non potest operari, siquidem in tantum habet de operatione, in quantum habet de actu, & sicut operari supponit esse, ita operari actu supponit esse in actu proprio essendi: ergo etiam forma consecrationis, vt operetur conuersionem, debet esse in actu suæ significationis, quia significatio est virtus operatiua ipsius: ergo eum operetur conuersionem, in quantum significat id, quod præ manibus habet, & demonstrat sacerdos, esse corpus vel sanguinem Christi, oportet, quod sit in actu secundum id, quo hoc ipsum significat: ergo cum significet per verbum, *Est*, necesse est, quod secundum hoc verbum sit in actu. Non est autem in actu verbum, *Est*, quando subintelligitur; nam tunc est tantum in virtute orationis, quatenus ex connexione verborum percipit intellectus aliquid vltra id, quod exprimitur; oratio enim non est in actu, nisi secundum voces, quæ exprimuntur.

6 Ad fundamentum in oppositum neg. min. Nam Christus in forma consecrationis exigit illam significationem, quæ sit sufficiens ad operandum effectum, qui ex ipsius institutione ponendus est. Talis autem non est significatio formæ non expresso verbo, *Est*, vt constat ex dictis. Ad prob. Solere quidem verbum, *Est*, subintelligi in oratione. Verum tunc orationem non significare explicitè, quod significatur per verbum, *Est*. Quia sicuti non exprimitur, sed subintelligitur, ita neque eius significatio est expressa, sed subintellecta, quæ pro forma consecrationis non sufficit, in qua tota efficacia significationis determinatur à verbo, *Est*, tanquam à forma, & ideò debet secundum hanc determinationem, seu formam esse expressa, alioquin causa non esset in actu secundum illam præcipuam vim, & veluti formam, secundum quam agit.

7 Dices. Græci in forma sacramenti confirmationis non vtuntur verbo; nam dicunt tantum *Signaculum doni spiritus Sancti*, in qua subintelligitur aliquod verbum nempe vel *Est*, vel *Do*, vel *Imprimo*, vel aliud simile, & tamen esse validam, admittunt Cardin. Bessarion. *lib. de sacram. Eucharist. tom. 6. Biblioth. Patrum*, Aund. *de sacram. lib. 2. cap. 6. & 7.* Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disp. 13. sect. 3. numer. 71.* Pontius *de sacrament. confir. part. 2. cap. 7.* Verricel. *de mission. Apost. tit. 1. qu. 168. sect. 2.* & censetur approbata in 6. Synodo *Can. 95.* Ergo etiam forma consecrationis erit valida non expresso, sed subintellecto verbo, *Est*. Resp. Esse diuersam rationem, quia sacramenta non causant aliquam operationem, itavt terminus causationis sit operatio, sed aliquem effectum, & ideò sufficit, quod significent expressè effectum, quem causant, & sic verba illa, *signaculum Doni spiritus Sancti*, addita actione ministri vngentis significat expressè characterem, & gratiam, qui effectus exprimitur per illa verba signaculum doni. At forma consecrationis habet pro immediato effectu operationem, nempe transubstatiationem, seu conuersionem: & ideò debet expressè significari in forma. Hæc autem conuersio significatur per verbum, *Est*, vt dictum est, quia significat subiectum ire in prædicatum, itavt, quod demonstratur in subiecto, fiat, quod exprimitur in prædicato; & ideò verbum, *Est*, vt significatiuum operationis debet exprimi, nec sufficit subintelligi.

8 Ex dictis colligitur. Esse grauissimum sacrilegium omittere verbum, *Est*, in consecratione, quia imitaretur consecratio ex eo, quod forma redderetur insufficiens, & de significante expressè significans. Vnde non potest subsistere, quod ait Bern. *num. 1.* citat. Quod liceat consecrare relicto dicto verbo, *Est*, si quis celebranti minitetur mortem, sed non in contemptum fidei, aut religionis. Nam minæ istæ non sunt causa sufficiens ad honestandum consecrationem irritam, quæ semper mala est, & ex nulla causa honestari potest, & ideò nunquam erit licita, & proinde esset potius moriendum. An autem in tali casu posset fingere se consecrare, non est huius loci discutere.

QVÆSTIO 205.

An & quale peccatum sit omittere aliquam vltimam litteram verborum consecrationis.

SVMMARIVM.

1. *Omissa aliqua littera in forma valida est consecratio.*
2. *Non mutatur significatio, si ex praua pronunciatione omittatur aliqua littera.*
3. *Omissio alicuius litteræ in forma consecrationis ex negligentia, quale peccatum.*

4. Non

4. *Non est cum anxietate conandum, vt omnes littera formæ consecrationis proferantur.*
5. *Grauem balbutiem patiens, an possit ordinari sacerdos.*

1 Hoc in Praxi contingere potest quoad eos, qui non benè pronunciant, non solum quoad litteras finales, sed etiam quoad intermedias, vt qui ægrè pronunciant aliquas litteras, vt esset *R.* Dicendum est. *Licet ex defectu bonæ pronunciationis omittatur aliqua littera, siue finalis, siue intermedia, vt si diceretur* Meu, *loco* Meum, *vel* Copu, *loco* Corpus *valida est consecratio.* Ita præsertim Sotus *in 4. distinct.* 14. *qu.* 1. *art.* 3. Granad. 3. *part. controuer.* 3. *tractat.* 1. *disp.* 5. *num.* 3. Syluius *quæst.* 60. *art.* 8. *dub.* 3. *conclus.* 3. Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm sect.* 3. *punct.* 4. *difficult.* 2. Dixi quoad eos, qui non bene pronunciant, qui si ex industria non pronunciaret mutaret verba in alia verba, atque adeò mutaret etiam significationem, quæ si esset substantialis, nihil conficeret. Hoc autem habet locum etiam quoad eos, qui ex ignorantia non proferrent aliquas litteras: vnde excluduntur solum, qui ex industria hoc faciunt.

2 Ratio est. Quia omissio alicuius litteræ ex praua pronunciatione, aut ex ignorantia, sicut etiam additio aliarum litterarum non mutant significationem, siquidem in communi æstimatione habent eamdem significationem, & secundum communem opinionem habentur pro iisdem verbis, licet malè pronunciatis. Vnde etiam Zacharias Papa in cap. *Retulerunt, de consecrat. distinct.* 4. declarauit. Esse validum baptismum collatum cum hac forma. *Ego te baptizo in nomine Patria, Filia, & Spiritua sancta.* Quia scilicet ex ignorantia ita prolata fuit: ergo cum salua maneat expressa significatio verborum, salua etiam erit validitas consecrationis.

3 Dicendum 2. *Hanc omissionem, si sit ex aliqua negligentia esse peccatum veniale: seclusa autem negligentia non esse peccatum.* Ratio est. Quia negligentia ex se est vitiosa, & ideò inficit etiam totum id, quod regit, præsertim circa illas actiones, quæ exigunt specialem diligentiam, qualis est prolatio verborum consecrationis. Econtra verò seclusa negligentia, illa imperfecta pronunciatio non est peccaminosa, quia siue sit ex ignorantia, siue ex naturali conditione, semper est inuoluntaria.

4 Ex his colligitur. Non esse conandum cum anxietate, vt faciunt nonnulli, quod proferantur distinctè omnes litteræ, quia pro validitate consecrationis sufficit, quod proferantur modo consueto, & communi, itavt apud audientes agnosci possint pro verbis consecrationis. Imo male faciunt qui ita immorantur in pronunciatione vltimarum litterarum, vt eas producant longiùs, quàm producant intermedias, præsertim quia aliquando ita pronunciant, vt videantur superaddere aliquam aliam litteram, nam aliqui pronunciando verbum, *Est*, ita producunt litteram *T.* vt audientibus sonet, *Este.* Siquidem in pronunciatione tàm defectus, quàm excessus vitiosus est, vnde tam vitium est, si non pronuncietur littera cum minori, quàm cum maiori sono, quàm exigat. Deinde quæro ab his, an requiratur talis productio in vltimis litteris, vt pronuncientur, sicut debent, an non requiratur. Si requiritur, ergo male pronunciant alias litteras. Si non requiritur, ergo male pronunciant istas.

5 Secundò colligitur. Quid dicendum de eo, qui grauem balbutiem patitur, an sit aptus, vt ordinetur sacerdos. Nam si ita loqui potest, vt ab audientibus percipi possit, quid loquatur, quamuis cum aliqua difficultate, non erit ex hoc capite inhabilis, vt ordinetur sacerdos, quasi non possit exercere munus sacerdotis. Nam eo ipso, quod percipitur ab audientibus, constat; quod significatiuè loquitur, & ita profert verba non obstante balbutie, vt significent apud audientes; vnde poterit etiam verba formæ significatiuè pronunciare, atque adeo etiam valide, quia validitas consurgit ex significatione.

QVÆSTIO 206.

Quale peccatum sit omittere in fine Euangelium S. Ioannis.

SVMMARIVM.

1. *Omissio Euangelij S. Ioann. in fine Missæ quale peccatum,* & num. seq.
3. *Euangelium S. Ioann. non est pars Missæ.*
4. *Nec etiam ex consuetudine.*
5. *Omittere Euangelium in fine Missæ, quod aliquando legi solet, an sit peccatum mortale.*

Prima sententia asserit, esse peccatum mortale. 1
Ita Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect.* 3. *punct.* 5. *in fine.* Fundamentum est. Quia est para notabilis, non solum quoad quantitatem verborum, sed etiam quoad dignitatem, nam non solum est Euangelium; sed etiam Euangelium, in quo profitentur duo præcipua mysteria nostræ fidei, nempe diuinitas Filij, & eius incarnatio.

Secunda sententia tenet, non esse peccatum mortale. Ita Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.* 2. *cap.* 5. §. 2. *num.* 5. Putat enim quod sit paruitas materiæ. Quæ tamen ratio non videtur firma, quia ob eamdem rationem posset dici, quod etiam omittere Euangelium Missæ esset paruitas materiæ, præsertim, quando esset breuius Euangelio S. Ioannis; quod si recurratur ad dignitatem, quæ non sonat haberi pro leui materia, idem etiam dicetur de Euangelio S. Ioannis. 2

Dicendum est. *Omissionem Euangelij S. Ioan. non esse plusquam peccatum veniale.* Ratio est eo desumenda est, quod non sit pars Missæ, atque adeo non spectet ad eius integritatem. Obligatio autem non omittendi se extendit solum ad partes Missæ; quod autem non sit pars Missæ ex eo deducitur, quod recitatur postquam populus tanquam peracto sacrificio dimissus est, & accepit benedictionem. Vnde potius illud Euangelium pertinet ad quandam professionem fidei contra Arianos factam occasione sacrificij, quàm ad ipsam Missam. Rursus ex cap. *Cum ad celebrandas, de consecrat. dist.* 1. Præcipitur, ne populus discedat ante completam Missæ solemnitatem, & tamen dimittitur ante dictum Euangelium: ergo est completa Missa ante ipsius recitationem. 3

Nec dici potest, quod facta introductione recitandi tale Euangelium euaserit pars Missæ, quia cum recitatio ipsius introducta sit post dimissionem populi, & data benedictione, ex hoc colligitur, quod in introductione sit adhibita talis cautela, vt nunquam posset censeri pars Missæ, siquidem non fuit introductum, vt recitaretur, nisi postquam constaret de complemento Missæ. Neque enim dici potest, quod assignato complemento alicuius rei, quod vlterius additur, sit pars ipsius. 4

Ex dictis colligitur, neque esse peccatum mortale omissionem Euangelij, quod aliquando solet legi in 5

In fine Missæ loco Euangelij S. Ioan. vt esset Euangelium vigiliæ, aut feriæ priuilegiatæ concurrente festo. Nam adhuc quoque huiusmodi Euangelium non est pars Missæ, non solum quia recitatur post completam Missam, sed etiam, quia non pertinet ad illam Missam, sed ad aliam, quæ alias recitaretur, si non obstaret festum. Vnde legi solet, vt populus, si velit, possit ipsum audire, cum sit vt plurimum ex ijs Euangelijs, quæ alias recitari non solent.

QVÆSTIO 207.

An possit omitti proprius ritus in celebratione Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Ritus Missæ quotuplex, & quinam particularis permissus.*
2. *Quisque tenetur sequi ritum suæ Ecclesiæ.*
3. *Ritum Romanum an possit sequi inseruiens Ecclesiæ quæ habet ritum specialem.*
4. *Aduena sequi potest ritum Ecclesiæ, in qua est.*
5. *An aduena celebrare possit de Sanctis de quibus celebraret in propria Ecclesia.*
6. *Religiosi celebrantes in propria Ecclesia tenentur sequi ritum Religionis.*
7. *Sacerdos ritus Romani non potest vti ritu Regularium, in quorum Ecclesijs celebrat.*
   Ritus aliquarum Religionum in celebrando non egreditur personas.
8. *Sacerdos ritus Romani non potest celebrare sine Missali Romano.*
9. *Sacerdos celebrans secundum ritum diuersum ab eo, quem debet seruare peccat.*

1 RItus alius est specialis, qui concernit aliquam partem Missæ, & alius est vniuersalis, qui concernit totam Missam. Ritus autem vniuersalis alius est Romanus, qui præscribitur in Missali Romano: alius verò particularis concessus alicui Ecclesiæ particulari, seu alicui religioni. Particularis iste ritus conceditur à Pio V. *in Bulla præfixa Missali*, in qua obligat ad sequendum ritum ibi præscriptum, dummodo concurrant conditiones, quas ibid. requirit, quarum est præcipua, si per ducentos annos ante fuerit in vsu. Hinc autem oriuntur nonnullæ difficultates, pro quarum solutione.

2 Dicendum 1. *Teneri celebrantem sequi ritum Ecclesiæ, cuius est membrum de præsenti: & proinde mutando Domicilium de vna in aliam Ecclesiam diuersi ritus, teneri etiam mutare ritum.* Ita Coninch *de sacrament. quæst.* 74. *art.* 4. *dub.* 4. *num.* 115. Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.* 2. *cap.* 5. §. 2. *num.* 17. Vnde si quis incorporetur Ecclesiæ Ambrosianæ, tenebitur sequi ritum illius, & è contra sicut etiam si fiat religiosus Benedictinus, aut Carmelita, aut si quis ex his religiosis fiat Episcopus Ecclesiæ ritus Romani, aut Ambrosiani. Ratio est; quia talis ritus in propria Ecclesia obligat tanquam legitimè introductus vel ex præcepto superioris, vel etiam ex consuetudine: siquidem, cum sit necessarius aliquis ritus, cum quo celebretur Missa, & sit etiam necessarium, quod sit vniformis quoad omnes, tum quia agitur de actione publica, qualis est oblatio sacrificij: tum quia est vitanda confusio, & vna certa regula statui debet, cum qua offeratur sacrificium, ideò etiam sola consuetudo potuit habere vim obligandi. Talis autem obligatio se extendit ad omnes, qui sunt membra talis Ecclesiæ.

3 Dubitatur tamen, an possit quis de Ecclesia, in qua est ritus particularis, celebrare secundum ritum Romanum tanquam ritum vniuersalis Ecclesiæ. Resp. non posse; quia, licet possit quælibet Ecclesia amplecti ritum Romanum pro amisso, iuxta *Bullam* Pij V. præfixam Missali; hoc tamen intelligitur, si vniuersaliter amplectatur se illi subijciendo cum obligatione seruandi ipsum, non autem amplectendo pro vna, aut altera vice, aut etiam pro semper ab aliqua priuata persona; vt constat ex dispositione eiusdem Bullæ. Interim tamen, dum, non admittitur auctoritate publica, remanet in vigore ritus proprius Ecclesiæ, qui proinde à nemine relinqui potest.

4 Dicendum 2. *Aduenam existentem in Ecclesia diuersi ritus à propria, sequi posse ritum Ecclesiæ, in qua reperitur; vt si quis ritus Ambrosiani reperiatur apud Ecclesiam ritus Romani, aut è contra.* Dixi posse, quia potest etiam sequi ritum propriæ Ecclesiæ. Ita communiter dum agunt de aduenis in ordine ad locales consuetudines: & specialiter Coninch *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 5. *dub.* 1. *num.* 168. Præposit. *art.* 4. *dub.* 5. *num.* 190. Tamburinus *Opusc. de sacrific. Miss. lib.* 2. *cap.* 5. §. 2. *num.* 19. Intelligitur autem, quando ritus est communis toti illi Ecclesiæ, in qua reperitur. Ratio est; quia tunc est ritus localis; potest autem quisque se conformare consuetudini loci, in quo reperitur, vt tradunt communiter, & habetur ex cap. *Nos consuetudinem*, & cap. *Illa distinct.* 12.

5 An autem possit aduena non solum sequi ritum propriæ Ecclesiæ, dum abest, sed etiam celebrare Missas de illis Sanctis, aut festis, de quibus celebraret in propria Ecclesia. Affirmatiuè resoluendum videtur, quia hoc quoque pertinet ad ritum tanquam pars ipsius: vnde si sequi potest proprium ritum, celebrare quoque poterit eas Missas, quas esset celebraturus in propria Ecclesia.

6 Dicendum 3. *Religiosos celebrantes in propria Ecclesia teneri sequi ritum religionis, etiamsi in diœcesi seruetur alius ritus.* Vnde religiosus ritus Romani tenebitur celebrare ritu Romano etiam si in diœcesi seruetur alius ritus, vt esset Ambrosianus. Dominicanus tenetur sequi proprium ritum etiam si in diœcesi sit ritus Romanus, & sic de cæteris. Ratio est; quia in eius Ecclesia non habet locum ritus diœcesis, qualiscunque sit, & alias tenetur sequi ritum proprium suæ communitatis, cum sit membrum ipsius; & non potest ratione loci sequi alium, cum in ipsa Ecclesia propria non vigeat.

7 Dicendum 4. *Sacerdotem ritus Romani celebrantem in Ecclesijs Regularium, qui vtuntur ritu diuerso à Romano, non posse celebrare secundum ritum eorumdem Regularium, sed debere sequi proprium.* Ita etiam Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 12. *ver. Decimo tandem*, Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 9. *quæst.* 4. *in fine*, Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.* 2. *cap.* 5. §. 2. *numer.* 21. Et ai j contra Præpositum 3. *part. quæst.* 83. *art.* 4. *dub.* 5. *num.* 190. Ratio est; quia talis ritus tanquam specialis, est specialiter indultus illis religiosis, & non est ritus localis, sed personalis, & proinde non egreditur personas, *l. cum precario.* §. 1. & *l. interdictum. ff. de precario.* & *l. filiosfamil. ff. de condit. & demonstr.* Vnde non potest adhiberi ab alijs personis, quia in tantum posset adhiberi, in quantum esset localis.

8 Ex his colligitur. Sacerdotem ritus Romani, si reperiretur in Ecclesia Regularium habentium diuersum ritum, non posse ibi celebrare, nisi habeat Missale Romanum, vt notat etiam Tambur. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.* 2. *cap.* 5. §. 2. *num.* 21. quia scilicet non posset sequi ritum illorum Regularium.

Si

Si tamen adesset necessitas celebrandi, nec posset aliò diuertere, posset celebrare. An autem sit sufficiens necessitas, vt impleatur præcep. audiendi Missam, videtur affirmatiuè resoluendum, quia hoc præceptum est grauioris materiæ tanquam determinatiuum cultus debiti Deo de iure naturali diuino. Et ideò præualere debet præcepto merè Ecclesiastico. Accedit etiam, quod ritus non cadit sub obligatione ex alia necessitate, quàm manutenendi vniformitatem in actione publica, qualis est oblatio sacrificij, quod est materia inferioris ordinis, præsertim in comparatione alterius riti approbati.

9 Secundò colligitur, Sacerdotem celebrantem secundum ritum diuersum ab eo, quem debet, aut potest seruare, grauiter peccare, nisi excusetur ex aliqua rationabili causa. Nam obseruantia proprij ritus, & materia grauis, atque adeò capax obligationis grauis, & ideò talis erit, siue sit ex consuetudine, siue ex lege. Et quoad ritum Romanum constat ex *Bulla Pij V.* Breuiario præfixa, quæ etiam declarat, obseruantiam ritus in oblatione sacrificij esse materiam grauem, alioquinnon fuisset capax illius grauis obligationis, quam ipse imponit.

QVÆSTIO 208.

An & quale peccatum sit omittere ritus consistentes in actione.

SVMMARIVM.

1. *Ritus consistentes in actione sunt duplicis differentiæ.*
2. *Ritus actionis in Missa sunt rectè instituti.*
3. *Omittere aliquem ritum actionis ex grauioribus est peccatum mortale.*
4. *Omittere aliquem ex minus grauibus est peccatum veniale.*
5. *Celebrans, an peccet si non formet rectè ritus consistentes in signis.*
6. *Lex præscribens opus quale illud exigat.*
7. *Quinam defectus non tollant substantiam ritus.*

1 RItus, qui consistunt in actione, sunt in duplici differentia. Alij enim sunt graues, in quibus fundatur aliquod speciale mysterium. Alij verò sunt minoris momenti, qui inseruiunt pro augendo splendore, & maiestate sacrificij. Inter ritus priori generis reponuntur Mixtio aquæ cum vino, Eleuatio hostiæ, & calicis. Fractio hostiæ, & immixtio particulæ cum sanguine, Purificatio patenæ, & calicis; qui omnes sunt graues vel ratione mysterij, vel ratione necessitatis, vt obseruant etiam Dicastil. *tractat. 5. de sacrament. disp. 4. dub. 13. num. 259.* Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect. 3. punct. 6. ver. Dico secundò.* Inter ritus verò posterioris ordinis sunt benedictiones, cruces, deosculationes, inclinationes, genuflexiones, & huiusmodi.

2 Supponendũ autem est tanquam certum. Hos ritus, seu cæremonias esse rectè institutas ab Ecclesia ex disciplina, & traditione Apostolica pro augenda maiestate sacrificij, & eleuandis mentibus fidelium tanquam per sensibilia signa ad considerationem mysteriorum huius sacrificij, vt contra Hæreticos definit Concil. Trident. *cap. 5. & Can. 7.* Ita habens. *Si quis dixerit ceremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica vtitur, irritabula impietatis esse magis, quàm officia pietatis, anathema sit.*

3 Dicendum 1. *Omittere aliquem ritum ex grauioribus, nempe primi Ordinis, esse peccatum mortale.* Ita Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 29. qu. 6.* Ledesma *part. 1. sum. tractat. de Eucharist. cap. 24. conclus. 8.* Suarez *disput. 84. de Eucharist. sect. 2.* Filliuc. *tractat. 5. cap. 5. num. 159.* Bonac. *disp. 4. de sacrament. qu. vlt. punct. 10. num. 19.* Garzia *in sum. tractat. 3. difficult. 8. dub. 6. punct. 1. num. 8.* Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disp. 4. dub. 13. num. 259.* Lexana *verbo* Missa, *num. 58.* Gesual. *part. 1. Theol. moral. tractat. 15. cap. 4. num. 5.* Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect. 3. punct. 6. dicto 1.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 9. qu. 1. num. 9.* & communiter. Ratio est. Quia cum Missa componatur non solum ex precibus, sed etiam ex cæremonijs, quæ consistunt in signis sensibilibus, fit, quod sit partes eiusdem Missæ. Et ideò si aliquis ritus ex grauioribus relinquatur, mutilaretur Missa in aliqua parte notabili, quod est mortale peccatum, iuxta dicta in superioribus.

Dicendum 2. *Omittere aliquos ex ritibus secundi Ordinis, non esse nisi peccatum veniale.* Dixi aliquos, quia non sufficit ad peccatum mortale, neque vnus, neque alter; sed debent esse tot, vt simul constituant partem notabilem Missæ iudicio prudentis viri. Ita Doctores *num. præced.* citati. Et præterea Nugnus *3. part. qu. 83. art. 4. dub. 2.* Lugo Cardin. *disp. 20. de Euchar. sect. 4. num. 104.* Auersa *qu. 11. de Euchar. sect. 12. vet. Tertiò tenetur.* Marchant. *in Tribun. sacrament. tractat. 4. cap. 5. qu. 4.* Quartus *in Rubricas Missal. part. 1. tit. 17. dub. 1.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 9. qu. 2. num. 16.* Ratio est. Quia hi ritus secundum se, cum non sint principales non constituunt ratione qualitatis partem notabilem Missæ: & proinde possunt solum constituere ratione quantitatis; & ideò debent esse in numero tot, vt faciant partem principalem, vt eorumdem omissio sit notabilis, & peccatum mortale. 4

5 Quod autem spectat ad ritus, qui in signis consistunt, dubitatur, an peccent sacerdotes, qui non probè ea formant, vt sunt præsertim cruces, quia formant propetando, vel etiam omittunt, aut non faciunt tempore congruo iuxta præscriptionem Rubricæ, sed vel præueniunt probationem verborum, vel postporcum. Et an grauiter peccent, videtur dubitare Dicastil. *tractat. 5. de sacrament. disp. 4. dub. 13. num. 259.* Verum tenendum est. Quod defectus prædicti, non sint peccatum, etiam veniale, nisi fiat ex aliqua voluntaria inaduertentia, seu potius negligentia, aut ex nimia celeritate: & tunc non esse amplius quàm peccatum veniale. Ita Azot. *part. 1. lib. 10. cap. 29. qu. 6.* Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect. 3. punct. 8. in fine, & sect. 5. punct. 9.*

Ratio est. Quia quando lex præscribit aliquid faciendum, non exigit illud opus secundum mathematicas regulas, sed secundum tantum mensuram moralem, vt nimirum in morali æstimatione sit illud, quod ab ipsa exigitur. Nec exigit exquisitam diligentiam ad dandam totam perfectionem operi iniuncto. Sic etiam exigitur quod forma, & materia sacramentorum sint simul; & tamen hæc simultas non ita accipitur, vt se habeat mathematico modo, sed sufficit, si sit moralis, vt valida sint sacramenta: ergo etiam; quando præscribuntur ista signa, non exiguntur, nisi, vt sint talia secundum moralem æstimationem; atque adeò non exiguntur omnino perfecta, & proinde quod non ita probè formentur, aut non ita simul, non erit contra exigentiam præscriptionis. 6

Confirm. Omnes præfati defectus accelarationis, præuentionis, aut propositionis, rudis formationis; sunt leues, nec tollunt substantiam: & proinde sufficiunt, vt possit dici Missa celebrata cum ritibus præ 7

præscriptis: non secus ac imago equi est vera imago equi, quamuis sit crassè formata: ergo si hi defectus sint voluntarij, non erunt plusquam peccatum veniale vtpote leues, & cum quibus stat substantialis ritus. Si verò non sunt voluntarij, sed ex inaduertentia, minori habilitate celebrantis, aut ex alia simili causa, neque erunt peccatum veniale.

QVÆSTIO 209.

Quomodo seruandus sit ritus purificationis & ablutionis.

SVMMARIVM.

1. *Ablutio & purificatio distinguuntur.*
2. *In prima purificatione adhibendum vinum.*
3. *An sub mortali.*
4. *Verbum*, Debet, *non importat necessitatem, sed decentiam.*
5. *Non est irreuerentia miscere reliquias sanguinis cum aqua.*
6. *Vti sola aqua in secunda ablutione an peccatum.*
7. *In secunda purificatione vinum adhibendum.*
8. *Abstemij possunt in purificatione vti sola aqua.*
9. *Obligatus voto abstinendi à vino potest illo vti in purificatione.*

1 Solent distingui ablutio, & purificatio; ita vt purificatio pertineat ad calicem, quando sumpto sanguine vino abluitur. Ablutio verò consistat in ablutione digitorum Sacerdotis; & solent etiam dici ad faciliorem intelligentiam prima & secunda purificatio. Difficultas autem modo est, an in ipsis adhibendum sit vinum, an verò possit adhiberi sola aqua.

2 Dicendum 1. *In prima purificatione esse adhibendum.* Ita Azor. *part.1.lib.12. cap.20. quæst.7.* Sanchez *lib.4. sum. cap.11. num.43.* Gauant. *in Rubr. Missal. part.2. tit. 10. num.5. littera X.* Barbosa *in cap. Ex parte, num. 4. de celebrat. Missar.* Tamburin. *Opusc. de sacrif. Miss. lib.4. cap.9. num.3.* Quarttus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect.3. dub.6.* ver. *Respondeo distinguendo:* & desumitur ex dicto cap. *Ex parte, de celebrat. Missar.* ibi. *Respondemus, quod semper Sacerdos vino perfundere debet, postquam totum acceperit Eucharistia sacramentum.* Et ita etiam præscribit Rubrica Missal. *part. 2. tit. 10. numer. 5.* ibi. *Quo* (Ministro) *vinum fundere se purificat, deinde vino & aqua abluit pollices, & indices super Calicem, &c.*

3 Difficultas tamen est, An obligatio adhibendi vinum in hac purificatione sit sub hac mortali. Ex Doctoribus *num. præcedent.* citatis Azor, Sanchez, Gauant. Barbosa solum dicunt adesse præceptum; an autem sub graui obligatione, non explicant; hanc tamen videtur agnoscere Gauantus, dum dicit, quod abstemij, qui vinum non bibunt, non debent in purificatione relinquere vinum absque dispensatione Summi Pontificis iuxta praxim Romanam. At non esse peccatum mortale affirmant Tamburin. *num. 5. citati capitis*, & Quarttus *loco citato.*

4 Et quidem non videtur inducenda obligatio sub mortali, cum de ea nun constet. Nam Rubrica innititur text. collato, imò nec præcipit, sed tantum docet, quomodo calix sit purificandus. In text. autem Cap. *Ex parte, de celebrat. Missar.* Pontifex neque præcipit, sed tantum dicit, *Debet*, quod verbum in lege non importat necessitatem præcepti, sed decentiam: vt *in l. non solum, §.1. ff. de noui oper. nunc.* & notant Gloss. *in l.3. verbo* Debent, *Cod. de pignor.* Burgus de Pace *consil.46. num.3.* Tusch. *littera D, conclus.32. num.3.* Deinde materia non est adeò grauis, vt possit rationabiliter iniungi sub graui obligatione; parum enim refert, quod calix vino, aut aqua purificetur, cum vtroque modo purificari possit.

Nec potest dici, quod sit irreuerentia miscere reliquias sanguinis cum aqua; quia nullum caput apparet irreuerentiæ. Imò verus sanguis Christi, quando exiuit de latere, fuit simul cum aqua; & vinum miscetur cum aqua ante consecrationem, ex qua etiam fit sanguis iuxta multorum opinionem, qui volunt, immediatè conuerti in sanguinem: aut secundum alios remanet, quando non est conuersa in vinum simul cum vino consecrato. Nec item obstat, quod iuxta stylum Romanum concedatur super hoc dispensatio, quia, quando adest aliquod dubium dispensationes conceduntur iuxta petitiones, & habent tacitam clausulam, quatenus opus sit. Et ideò non licet ex his colligere grauem obligationem. 5

6 Quod spectat ad secundam purificationem, seu ablutionem digitorum, vti in ea sola aqua, putant neque esse veniale peccatum Tamburin. *Opusc. de sacrif. Miss. cap.9. num.2.* Quarttus *in Rubric. Missal. in quæst. proœm. sect.3. punct.6. in fine*, qui testantur de praxi quoad viros laudatæ virtutis, & inseruit aqua ad abstergendum odorem vini ab ore, & ad non inficiendos digitos eodem odore. Deinde quia hæc rubrica non est præceptiua, sed tantum directiua.

7 Verum in Cap. *Ex parte, de celebrat. Missar.* fit tantum mentio de purificatione cum vino; & quamuis Tamburin. *citat.* explicat text. de purificatione calicis tantum, attamen cum agat de purificatione absolutè, quæ non debet sumi à Sacerdote celebraturo eodem die aliam Missam, oportet, quod intelligat de vtraque purificatione, quia vtraque est sumenda. Accedit etiam Rubrica allata ex *num. 2.* in qua dicitur, quod vino, & aqua purificentur digiti. Rursus communis praxis semper ita est interpretata illum textum; quæ sufficit etiam ad ipsum extendendum ad vtramque purificationem, etiam si aliàs non extenderetur. Et fauet ratio, quia cum vinum sit magis abstersiuum, quàm aqua, est etiam aptius ad purificandos digitos. Deinde meliùs purificantur priùs cum vino, & postea cum aqua, quàm cum aqua tantum, & purificatio cum aqua abstergit odorem vini à digitis, & facit, quod purificatoria non maculentur vino. Quod spectat ad vsum aliquorum solius aquæ, an sit laudandus, remitto prudentum iudicio. Hoc pro certo habeo, quod melius sit, seruare Rubricas, nisi adsit causa in contrarium, quàm non seruare.

8 Ex dictis colligitur cum Tamburino *Opusc. de sacrific. Miss. lib.4. cap.9. num.6.* Abstemios posse in purificatione vti sola aqua, quia adest causa rationabilis eos excusans, si non vtantur vino. Si tamen possent vti vino, licet cum aliquali incommodo, deberent vti, vt se communi vsui conformarent. Nec est necessarium vti conditionibus, quas ponit Tamburin. *citat.* quod scilicet sit sine contemptu, sine scandalo, sine animo introducendi nouum ritum. Siquidem eò ipso, quod sunt abstemij excluditur contemptus, & animus introducendi nouum ritum, cum aliundè adsit motiuum sufficiens abstinendi à vino in purificatione. Scandalum autem non video, quomodo operari possit, cum non sit actio de se mala. Nec est necessaria dispensatio, quia agitur de re, quæ non cadit sub graui

grsui obligatiooe & proinde sufficit causa rationabilis, vt cesset.

9 Secundò colligitur. Eum, qui emisit actum abstinendi à vino, posse in purificatione vti vino, & ipsum sumere. Quia scilicet talis abstinentia, quæ est materia voti includit tantum potum vsualem, non autem sacramentalem, qualis est etiam purificatio tanquam accessoria consummationi sacrificij, & necessaria pro illius perfectione. Deinde hoc votum, quatenus se extenderet ad purificationem, esset contra institutionem Ecclesiæ, & ideò in hac parte esset nullum, quia obstaret talia institutio eius validitati; & proinde ex natura sua non se extendit, cum non se extendat vltra terminos suæ validitatis.

QVÆSTIO 210.

An impotentia excuset omissionem aliquorum rituum, sicut etiam necessitas.

SVMMARIVM.

1. *Omissio in Missa rituum substantialium, nec impotentia nec necessitate excusatur.*
2. *Impotentia, & necessitas excusant rituum omissionem minoris momenti.*
3. *Missa post consecrationem prosequenda, licet aliqui ritus graues non possint impleri.*
4. *Missa omittenda si non possit impleri aliquis ritus ex grauioribus.*
5. *Necessitas an aliquando praualeat, licet non possit seruari aliquis ritus.*
6. *Missa cœpta, quando relinquenda, si non possit seruari aliquis ritus grauis.*
7. *Qua necessitas sufficiat, vt continuetur Missa.*
8. *Si in die festo adsit populus, Missa continuari potest, licet non posset seruari aliquis ritus ex grauioribus.*
9. *Quid cœpta Missa cognoscatur hostia fracta, aut vinum acidum, nec defectui occurri possit.*
10. *Quid si post primam oblationem innotescat defectus azimi, aqua, &c.*

1 SI loquamur de ritibus substantialibus, certum est, omissionem non posse excusari, nec ex impotentia, nec ex necessitate, si præuideantur, ante consecrationem, quia derogant aut substantiæ sacrificij, aut eiusdem integritati. Vnde si adsit impotentia consumendi sacrificium, ratione vomitus, aut alia de causa, impotentia consecrandi sub vtraque specie, nullo pacto inchoari potest sacrificium, & inchoatum ante consecrationem est omittendum, vt notant communiter Doctores præsertim Suarez *disput.* 85. *de Eucharist. sect.* 1. *init.* Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. lib.*2. *cap.*5. §. 2. *num.* 29. Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœmial. sect.* 3. *punct.* 8. *dicto* 2. Neque enim inchoandum est sacrificium, nisi secundum institutionem Christi perfici possit. Vnde quando superuenit impotentia post inceptam consecrationem suppleri debet per alium Sacerdotem, vt tradunt communiter Doctores; & ideò remanet difficultas quoad ritus non substantiales.

2 Dicendum 1. *Impotentia quoad aliquos ritus minoris momenti, aut causa necessitatis excusat omissionem, nec propter ipsos est Missa omittenda.* Ita Azor. *part.* 1. *lib.*10. *cap.*29. *quæst.* 6. Tamburin. *opusc. de sacrif. Miss. lib.* 2. *cap.* 5. §. 2. *num.* 28. Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect.* 3. *punct.*8. *in fine.* Et ratio est. Quia horum rituum omissio voluntaria absque causa non est plus, quàm peccatum veniale, vt dictum est in superioribus: ergo impotentia, aut necessitas excusabit eorumdem omissionem etiam à peccato veniali, quia reddet ipsam necessariam, atque adeo non subiectam legi.

3 Dicendum 2. *Si post consecrationem superueniat, aut de nouo cognoscatur impotentia, aut necessitas quoad aliquem ritum ex maioribus, prosequenda est Missa, etiam si vnica tantum species sit consecrata.* Ita D. Thom. 3. *part. quæst.*3. *art.*6. *ad* 2. Suarez *disp.*85. *de Eucharist. sect.* 1. Tamburin. *opusc. de sacrif. Miss. lib.*2. *cap.*5. §.2. *num.*26. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.*9. *quæst.*3. *num.* 26. Quartus *in Rubric. Missal. in quæst. proœm. sect.*3. *dub.*8. *dicto* 6. Ratio est. Quia sacrificium exigit, quod substantialiter compleatur, & hæc exigentia fundatur in institutione Christi, contra quam non potest præualere exigentia alicuius ritus, cum sit tantum ex institutione Ecclesiæ.

4 Dicendum 3. *Quando præuidetur impotentia quoad aliquem ritum ex grauioribus, ante inceptionem Missæ, debet potius omitti Missa, quàm talis ritus; nisi forte necessitas praualens exigat celebrationem non obstante omissione talis ritus.* Ita Ledesma *part.* 1. *sum. tractat. de Eucharist. cap.* 24. *conclus.* 10. Suarez *disput.* 84. *de Eucharist. sect.* 2. Filliuc. *tractat.* 5. *cap.*5. *num.* 170. Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacrament. cap.* 9. *quæst.*3. *num.*25. Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect.* 3. *dub.* 8. ver. *Dico quarto.* Ratio est. Quia cum sit ritus grauis, qui ex impotentia omittendus esset, redditur de iure impossibilis Missæ celebratio, quia ius exigit, quod celebret cum tali ritu, qui cum sit impossibilis, reddit etiam impossibilem celebrationem.

5 Attamen potest necessitas præualere legi, & exigere, quod celebretur, etiamsi non possit seruari talis ritus. Vt autem præualeat, debet esse necessitas grauis, vt aduertunt etiam Doctores citati; quia huiusmodi ritus, non solum cadunt sub graui obligatione, vt dictum est in superioribus; sed etiam sunt partes actionis publicæ, & omnium sacratissimæ, & ideò ex hoc quoque capite magni facienda est institutio Ecclesiæ, nec relinquenda nisi ex graui necessitate. Quæ autem sit grauis necessitas metienda est ex iure, in quo radicatur, nam si radicatur in iure naturali, aut diuino, præualebit, vt esset necessitas ministrandi viaticum. Si verò sit necessitas proueniens ex puro iure Ecclesiastico absque assistentia iuris superioris regulariter non sufficiet, quia esset in eodem ordine cum necessitate seruandi hos ritus, & hæc in suo ordine est valdè grauis, & illius est habenda magna ratio, & ideò, nisi ex aliquo titulo sit grauior non poterit præualere.

6 Dicendum 4. *Si Missa bona fide incepta sit, & ante consecrationem cognoscatur impotentia seruandi aliquem ritum ex grauioribus, relinquenda est Missa regulariter.* Dixi, Regulariter, quia fieri potest, quod vel ratione vitandi scandali, vel ex aliqua graui necessitate celebrandi prosequenda sit. Ita D. Thom. 3. *part. quæst.*83. *art.*6. *ad* 2. Suarez *disput.*85. *de Eucharist. sect.*2. Ledesma *part.* 1. *sum. tract. de Euchar. cap.*24. *conclus.*10. Filliuc. *tractat.*5. *cap.* 5. *num.*170. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 9. *quæst.*3. *num.* 26. Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. lib.*2. *c.*5. §.2. *num.*30. Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect.*3. *punct.*8. *dicto* 5. Ratio est. Quia in hoc casu concurrunt duo præcepta alterum de continuanda Missa incepta, & alterum de seruando ritu, respectu cuius adest impotentia, vt vtrumque est Ecclesiasticum: ergo cum sint incompossibilia debet præualere, quod est grauius, & strictius obligat: ergo præceptum de seruando ritu, quia Ecclesia hoc strictius exigit, ad vitandum periculum variationis ri-

tus, quæ de facili introduceretur, si impotentia seruandi ritus sufficeret, quod omitteretur; & proinde melius est, non prosequi Missam, quàm prosequi absque debitis ritibus. Econtra verò si adsit periculum scandali, aut grauis necessitas celebrandi, præualent contra exigentiam ritus, quia strictiùs obligant.

7 Quæ autem sit necessitas sufficiens, vt continuetur celebratio: aut quando timendum sit scandalum, non potest certa regula determinari, nam hoc totum dependet ex circunstantiis. Et ideò, si casus occurrat, debet celebrans pensatis omnibus prout melius poterit, decernere, quid tunc faciendum sit, & illud exequi, prout expedire videbitur, & debet habere postea pro legitimè facto, quicquid fauet, tàm in hoc quàm in similibus casibus, vt notaut etiam Nauar. *cap.25. Manual. num.* 91. Syluius 3. *part. quæst.* 80. *art.*8. *casu* 2. Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss.lib.*2. *cap.* 5. §. 2. *num.* 30. Quod etiam verum est, si posteà melius rem examinanti, repetiat, se non ita operari debuisse; nam sufficit, quod quando operabatur, iudicaret, ita expedire.

8 Ex dictis colligitur. Quod si In die festo præsente numeroso populo Sacerdos cœpta Missa præuideat impotentiam quoad aliquem ex his grauioribus ritibus, adesse sufficientem causam continuandi Missam. Tum quia potest prudenter iudicari, quod si omittatur Missa, sequetur scandalum. Tum quia concurrit præceptum audiendi Missam, quod est determinatiuum præcepti diuini. Tum quia notaretur celebrans grauis negligentiæ. Et hoc præsertim verum est, si populus non haberet aliam Missam, quàm audiret.

9 Secundò, quod si hostia non sit integra, aut vinum sit acidum, dummodo tamen non sit mutatum substantialiter, & cœpta Missa præuideantur hi defectus ante oblationem, si commodè potest, prouideri debet de materia magis apta; secus autem iis non obstantibus prosequenda est Missa, vt notant etiam Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 9. *quæst.* 3. *num.*27. Quartus *in Rubric. Missal. in quæst. proœm. sect.*3. *dub.* 8.ver. *Quod si defectu.* Quia sunt defectus leues, & proinde præualet præceptum prosequendi Missam. Imò dato, quod præuideantur ante inceptionem Missæ, nisi suppetat alia melior materia, siquidem, cum salua moueat substantia materiæ, atque adeo sufficientia, non sunt tales defectus, vt non possit eos excusare impotentia habendi aliam materiam. Verum si huiusmodi defectus percipiantur solum post factam oblationem, esse dissimulandos asserit Lugo *citat.* Etiam si haberi possit alia materia, quia tunc iam materia oblata per ipsam oblationem est subiecta sacrificij, & ideò inconueniens est quod subtrahetur.

10 Tertiò colligitur, quid faciendum, si cœpta Missa post primam oblationem præuideatur defectus azimi, aut aquæ, quæ misceatur vino; nec tunc suppleri possit. Filliuc. enim. *tract.*5.*cap.*5.*num.*170. Asserit, esse dissimulandos huiusmodi defectus: & addit, quod si ante cœptam Missam præuideantur, nec suppleri possint, adhuc posse dissimulari, si adsit necessitas celebrandi, dummodo non sequatur scandalum. Suarez autem *disput.* 85. *de Eucharist. sect.* 2. docet, in tali casu relinquendam celebrationem Missæ. Franciscus Lugo *libr.* 5. *de sacrament. cap.*9. *quæst.* 3. *in fine.* Asserit, non posse celebrari, nisi maxima sit necessitas celebrandi, qualis in praxi vix vnquam occurret. In qua re hoc est considerandum, quod sint defectus circa materiam, qui faciunt, quod non sit illa quoad qualificationem, quam inhærens institutioni Christi assignauit Ecclesia. Imò, quamuis vinum sine aqua sit materia sufficiens, non est tamen materia integra. Et quamuis materia sacramentorum possit magis, vel minus patere, & extendi salua institutione Christi, potest tamen Ecclesia determinare iuxta potestatem ei relictam, vt docet Concil. Tridentin. *sess.* 21. *cap.* 2. quod adhibeatur materia eum hac vel illa determinatione: & talis determinatio Ecclesiæ habet assistentem sibi institutionem Christi. Ex quo fit, quod si non seruetur determinatio Ecclesiæ circa materiam, violenti etiam institutionem Christi concernentem materiam, quodam liceat, iudicet vnusquisque.

QVÆSTIO 211.

An, si non suppetat panis azimus in consueta forma possit in alia, & minori adhiberi.

SVMMARIVM.

1. *Quid de iure, & quid de consuetudine circa formam & quantitatem panis consecrandi.*
2. *Formula, cum qua ministratur Eucharistia, potest adhiberi, si maior deficiat.*
3. *An habenda ratio admirationis populi.*
4. *Deficiente maiori formula minor accessario adhibenda in die festo.*
5. *Ex Eucharistia ostendenda populo, qua fuit consecrata.*

NVllum reperio præceptum circa formam, & quantitatem panis azimi consecrandi. Consuetudo tamen obtinuit, vt forma sit rotunda, quantitas valdè subtilis, & satis expensa, & quadruplo, & etiam vltra maior, quàm sint formale, cum quibus laicis ministratur Eucharistia. Rursus etiam consuetudo obtinuit, vt non solum in forma exprimatur Christus Cruci affixus, sed etiam alij Sancti præcipuè Beata Virgo; Angeli, vltra flosculos ceteràque peraga. Quod nescio, quàm rectè permittatur, cum subditus sit occasio grauiter errandi: siquidem putant, esse sub illis accidentibus non solum Christum, sed etiam cæteros, qui in forma exprimuntur. Dubitatur ergo, an si non suppetat consueta forma panis, possit adhibere aliqua ex iis, cum quibus ministratur Eucharistia. 1

Dicendum est. *Deficiente pane in consueta forma adhiberi posse formam aliquam ex ijs, cum quibus laicis ministratur Eucharistia.* Ita Marchant. *in Resolut. Pastoralib. tract.*4. *cap.*5. *quæst.*3. ver. *Quidam Parochus.* Auersa *quæst.*11. *de Eucharist. sect.*12.ver.*Rectè.* Quintanaduen. *in Instruct. Ordinan. part.*5. §.8. *n.*4. Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacram. cap.*9. *quæst.*3. *n.* 27. Quartus *in Rubric. Missal. in quæst. proœm. sect.* 5. *punct.*4. ver. *Colligitur secluso.* Ratio est. Quia consuetudo adhibendi maiorem formam est introducta ob commoditatem celebrantis, vt facilius eum ipsa seruare possit ritus, præsertim fractionis, quæ ægrè exerceri potest in formula parua. Accedit, quod formæ, quæ solent adhiberi non sunt eiusdem quantitatis, sed aliquando nonnullæ sint duplo minores; & ideò non refert, cuius quantitatis sint. 2

Solum videtur posse obstare, si celebretur publicè, admiratio populi ratione nouitatis. Verum ex hoc scandalum oriri non potest, cum nullam præseferat speciem mali: & illa populi admiratio excitabit potius ad inquirendam causam illius nouitatis, quàm ad suspicandum aliquid mali. Et potest etiam occurri notificando causam, ob quam celebretur 3

celebretur cum forma parua; quod sanè expediens erit, saltem ad cauendam commotionem aliquam, quæ oriri posset, quando Sacerdos eleuaret sacrificium adorandum.

4 Ex his sequitur. Quod in die festo, non solum liceat, sed etiam teneantur celebrare cum parua forma, si maior non suppetat, ij, quibus incumbit celebrare, vt populus Missam audire possit, quod etiam locum habet in cæteris, qui ex aliquo titulo tenentur celebrare; & quoad priores id aduertit etiam Francis. Lugo *num.* 2. citat. Siquidem in his casibus vrget maior obligatio pro celebratione, quam pro consuetudine: obligatio enim pro celebratione est sub mortali, pro consuetudine autem non est sub mortali, & ideò lex cedere debet.

5 Secundo colligitur. Imprudenter egisse Parochum de quo Marchantius *num.* 2. citat. qui cum consecrasset in forma parua, veritus adstantium murmur eleuando sacramentum vsus est hostia maiori aliàs consecrata, & conseruata pro exponenda Eucharistia, non solum quia debet ostendi populo adorandum sacrificium tum confectum, vt notat Marchant. Sed etiam quia, vt murmur vitaret, se exposuit periculo excitandi maiorem, si animaduertisset populus, quod aliam hostiam consecrauit, & aliam ostendit adorandam, quod facilè potuit aduertere, si obseruasset fractionem hostiæ sumptionem, & actiones alias, quæ fiunt circa ipsam. Vnde neque prudens consilium fuisset, quod ibi ponit Marchant. Si simul hostiam paruam, & maiorem ostendisset adorandam, nam idem inconueniens sequi potuisset.

QVÆSTIO 212.

An in Missa solemni adsit maior obligatio non omittendi, quæ præscribuntur.

SVMMARIVM.

1. *Rubricæ habent maiorem vim quoad Missam solemnem.*
2. *Ritus communes Missæ priuatæ, & solemni eodem modo obligant in vtraque.*
3. *Quando omittere partem notabilem eorum, quæ sunt propria Missæ solemnis, sit mortale.*
4. *Quid si non celebretur Missa solemnis ex graui obligatione.*
5. *Quæ sunt propria Missæ solemnis, sunt partes necessariæ talis Missæ.*
6. *Celebrans in Missa solemni an teneatur recitare, quæ cantantur.*
7. *An melius sit, quod attente audiat.*

1 Missa solemnis de tempore debet congruere officio, vt desumitur ex cap. *Cum creatura de celebrat. Missar.* & alibi dictum est. In ea autem aliqua sunt propria, quæ locum non habent in Missis priuatis, cætera verò communia. Rursus, quæ sunt communia alio modo se habent in Missa priuata, & alio in solemni, nam verbi gratia, Euangelium, & Epistola cantantur per ministros. Est autem aduertendum, quod Rubricæ habent potiorem vim quoad Missas solemnes, quã quoad priuatas, vt tradunt Suar. *disput.* 83. *de Eucharist. sect.* 3. Garcias *in sum. tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 6. *punct.* 1. *num.* 14. Gauant. *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 9. *num.* 4. Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 7. §. 3. *num.* 3. Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect.* 3. *punct.* 7. *initio.* Hoc autem prouenit, non quia Rubricæ speciali modo obligent ex natura sua, sed quia Missa solemnis ratione suæ qualitatis tanquam pars officij diuini, & per quam cultus solemniori modo exhibetur Deo, exigit maiorem diligentiam in obseruandis ritibus Ecclesiasticis; & quia deformitas quæcunque in ipsa est magis notabilis, tanquam in cultu diuino magis spectabili.

2 Quod autem spectat ad ea, quæ communia sunt cum Missis priuatis. Dicendum est. *Esse eandem rationem quoad Missam priuatam & solemnem, itavt omissio, quæ est peccatum mortale in priuata, sit etiam in solemni, & quæ solum est peccatum veniale in ipsa, sit etiam tale in solemni iuxta dicta in superioribus.* Cum hoc tamen discrimine, vt in suo genere crescat grauitas est peccati mortalis, vel venialis. Ita etiam Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect.* 3. *punct.* 7. ver. *Respondeo esse.* Et hoc, quod dicitur de omissione accipiendum est etiam de additione immutatione, &c. iuxta inferius dicenda. Ratio est. Quia est eadem materia, nec adest speciale præceptum circa ipsam in ordine ad Missam solemnem; sed solum exigentia est grauior ex parte Missæ solemnis ratione solemnitatis: ergo obligatio erit eadem, seu in eodem genere solum cum aliquo augmento intra suum genus ob solemnitatem celebrationis Missæ; & proinde omissio quoque erit mortalis, vel venialis, sicut in Missa priuata, iuxta qualitatem materiæ.

3 Dicendum 2. *Omittere partem notabilem eorum, quæ sunt propria Missæ solemnis quoad eos, qui tenentur eam celebrare ex præcepto graui iuxta dicta suo loco de Missa solemni, esse peccatum mortale.* Est contra Quartum *in Rubric. Missal. in quæst. proœm. sect.* 3. *punct.* 7. *difficult.* 2. Qui vult absolutè non esse talem omissionem peccatum mortale. Ratio est. Quia obligatio non est de celebranda Missa, sed de Missa, cum tali qualitate, nempe solemnitatis, itavt per se primò intendetur solemnitas propria Missæ conuentualis: ergo si omittatur pars notabilis eorum, quæ constituunt hanc solemnitatem, omittetur pars notabilis materiæ, quæ per se primò cadit sub obligatione quod non potest esse; nisi cum peccato mortali cum obligatio sit grauis.

4 Dicendum 3. *Omittere partem notabilem eorum quæ sunt propria Missæ solemnis, esse peccatum mortale etiam quoad eos, qui cantant Missam licèt non ex obligatione graui.* Est contra eundem Quartum. *num. præcedent.* citat. Ratio est. Quia Pius V. *in Bulla* præfixa Missali obligat sub graui obligatione ad celebrandam, & cantandam Missam secundum ritum, modum & normam præscriptam in Missali, in quo præscribitur etiam modus, & ritus Missæ solemnis: ergo ritus Missæ solemnis, quatenus constituit solemnitatem cadit sub graui obligatione in Missa solemni: ergo omissio partis notabilis erit peccatum graue. Confirm. Non minus Missa solemnis habet suum proprium ritum, quàm habeat priuata Missa; ergo si in Missa priuata omissio notabilis fundat peccatum mortale, fundabit etiam in Missa solemni.

5 Dices. Quæ sunt propria Missæ solemnis, non esse partes necessarias Missæ, nec spectare ad eius integritatem, sed tantum ad maiorem ornatum accidentalem. Et ideò, si omittantur, non esse materiam grauem. Verum hoc dici non potest. Quia sunt partes constituentes Missam solemnem in esse Missæ solemnis, & per quas contradistinguitur à Missa priuata; & ideò sunt partes necessariæ ipsius. Aliud enim est non esse partes necessarias Missæ priuatæ, cuius nullo modo sunt partes; & aliud non esse partes necessarias Missæ solemnis, hoc enim est falsum, quia adeò sunt necessariæ, vt sine ipsis non esset Missa solemnis. Sicut ergo destruitur Missa solemnis in sua solemnitate, si auferantur istæ partes: ita notabiliter

tabiliter deformatur, si de ipsis aliquid notabile detrahatur.

6 An autem celebrans in Missa solemni teneatur recitare, quæ cantantur à Choro, & ministris, dictum est suo loco. Hoc solum hic est adnotandum quod si celebrans non recitaret submissa voce, quæ cantantur à ministris, vel à Choro, posset excusari à peccato, quia adest opinio negans obligationem recitandi, & ita notant Tamburin. *opus. de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 5. §. 2. num. 6.* Quartus *in Rubric. Missal. in quæst. proœm. sect. 3. punct. 7. ver. Colligitur primò.* Posset enim velle se conformare cum illa sententia. Aut ad summum damnandum esse tantum peccati venialis, vt sentiunt Lugo Cardin. *disp. 20. de Euchariſt. sect. 4. num. 107.* Auersa *quæst. 11. de Euchariſt. sect. 12. ver. Item peccare.* Et quamuis Franciscus Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 9. quæst. 2. num. 10.* Patet, esse peccatum mortale, si celebrans omitteret omnia, quæ cantantur in Choro, & ministris, quia esset materia grauis, non ita facile est admittendus. Quia tam Chorus, quàm ministri, sunt concelebrantes, & simul cum celebrante faciunt vnum adæquatum ministrum; vnde pro integritate Missæ sufficit, si ab omnibus simul habeat suas partes. Quod si esset materia grauis, etiam omissio cuiuscunque partis notabilis esset talis, quod idem Lugo non admittit.

7 Illud etiam est aduertendum. Non posse sustineri, quod tradunt Nauar. *de orat. cap. 10. num. 16.* Sanchez *lib. 7. consil. cap. 2. dub. 13. in fine.* Nimirum celebrantem in Missa solemni, melius facere, si dum ministri cantant Epistolam, & Euangelium, attentè audiat, quàm si submissa voce audiat. Quod etiam contra ipsos notat Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect. 3. punct. 7. in fine.* Hoc enim idem est, vt si dicatur, quod melius sit non seruare Rubricas, quàm illas seruare, siquidem Rubrica, vt dictum est suo loco, præscribit, quod submissa voce recitet, & dato, quod sit tantum directiua, & non præceptiua, adhuc tamen negari non potest, quin melius sit, sequi directionem.

QVÆSTIO 213.

An ex causa necessitatis liceat omittere partem notabilem Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Notabilis pars Missæ an omitti possit ex graui causa.*
2. *In Extrema-vnctione omnes vnctiones fieri possunt sub vnica forma.*
3. *Lex cui obstat necessitas habetur pro impossibili.*
4. *Necessitas facit licitum, quod aliàs non licet.*
5. *Charitas præualet integritati Missæ.*
Charitas non est absque aliis virtutibus.
6. *Vbi incipienda Missa si vrgeat necessitas Viatici.*
Vbi terminanda.
7. *Præuidens vertiginem, &c. potest peracta consecratione consumere.*
8. *Quando celebrans debeat complere Missam, quando omisit ob ministrandum viaticum, &c.*

1 CAusa necessitatis potest occurrere in ordine ad omissionem partis notabilis Missæ, si nimirum occurrat talis casus, vt exigat celerem expeditionem, qualis esset necessitas ministrandi viatici, aut consumendi sacrificium, aut quid simile. Et quamuis casum non reperiam apud Doctores in terminis, potest tamen resolui iuxta ea, quæ tradunt circa omissionem Missæ imperfectæ, aut circa ritum ministrandi sacramenta. Dicendum est. *Posse relinqui notabilem partem Missæ ex grauissima causa necessitatis, vt ob ministrandum viaticum, aut simili.* Hoc sequitur ex communi doctrina, quod instante graui aliquo periculo consecrata prima specie, potest Sacerdos consecrare secundam, & statim consumere sacrificium omissis iis, quæ aliàs intercedunt inter consecrationem, & consumptionem, quod etiam tradit Rubrica Missal. *De defect. occurrent. in minist. titul. 10. num. 2.* Et à fortiori, qui volunt, relinqui posse sacrificium, etiam substantialiter incompletum in eodem casu, quos supra suo loco citaui. *quæst. 189. num. 8.*

Idem quoque sentire debent, qui volunt in ministratione Extremæ-vnctionis posse variari ritum ministrationis vrgente necessitate, vt nimirum vngatur singulorum sensuum vnica pars, & omnes vnctiones fiant sub vnica forma, videlicet. *Per istas sacras vnctiones indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti per visum, auditum, &c.* Ita Suarez *3. part. tom. 4. disput. 41. sect. 2.* Filliucius *tract. 3. num. 129.* Posseuin. *de Officio Parochi, cap. 9. num. 19.* Victorel. *de Extrema-vnctione. §. De singul. vnctionib.* Bonacina *disput. 7. de sacrament. quæst. vnic. punct. 3. num. 5.* Capeauill. *de administrat. sacrament. cap. 5. de Extrema-vnctione quæst. 31.* Layman. *lib. 5. Theolog. moral. tract. 6. cap. 3. num. 3.* Coninch *de sacrament. disput. 19. dub. 3. in fine.* Marchin. *de peste part. 3. cap. 7. num. 2.* Gaspar Hurtad. *de sacrament. tract. de Extrem. vnct. difficult. 6. ver. Ita tamen*, & alij. 2

Ratio autem est. Quia partes Missæ quæ non sunt de substantia sacrificij, sunt tantum de iure Ecclesiastico, sicut est tota constructio Missæ dempta consecratione, & consumptione: ergo non sunt de maiori necessitate, quàm imponat, aut imponere possit ius Ecclesiasticum. Ius autem Ecclesiasticum vt alibi etiam dictum est, non obligat in concursu iuris altioris ordinis, aut in concursu grauis necessitatis, sed illi cedit; quia si lex tenderet contra necessitatem, efficeretur adeò difficilis ad obseruandum, vt haberetur pro moraliter impossibili, nec posset humana ratio acquiescere obseruantiæ; tanquam hic, & nunc impossibili iuxta *l. vn. §. 1. ff. de lib. vniuer.* vbi Gloss. *verbo Consentire.* Felin. *in cap. Ecclesia S. Mariæ num. 86. de Constit.* 3

Accedit etiam generalis regula, quod necessitas reddit licitum, quod aliàs de iure non est licitum, cap. *Mutationes 7. quæst. 1.* cap. *Licet de pœnitentia, & remission.* & cap. *Cum de excommunicatione*, & cap. *fin. de custod. Euchariſt.* & cap. *Consuluisti. De celebrat. Missar.* & passim Doctores iuxta cap. *Quod non est licitum. De reg. iur.* Quod ita accipi debet, vt quò strictior est obligatio legis, eò grauior necessitas requiratur: ergo licet non sit licitum omittere partem notabilem Missæ, stante necessitate fiet licitum, si aliàs sit necessitas talis, vt præponderet integritati Missæ. 4

Et specialiter confirmari potest, quando vrget necessitas conficiendi viaticum pro moribundo, ita vt adsit periculum, si celebretur tota integra Missa, quod interim decedat. Ex vna enim parte charitas exigit, vt ei subueniatur tam salutifero remedio in ordine ad salutem: ex alia verò parte, si Missa integrè recitetur exponitur periculo, ne ei subueniatur: ergo cum præceptum concurrat cum charitate, cedet ipsi, itavt in tali casu non obliget. Obseruantia enim legis, quæ habet pro 5

materia

materia cultum Dei, est actus religionis, quæ respicit finem vltimum nempe Deum à nobis colendum: & ideò est ita connexa cum charitate, sicut etiam sunt cæteræ, vt sine ipsa locum habere non possint, sicut nec charitas absque aliis virtutibus, vt demonstrat D. Thom. 1. 2. *quæst.* 65. *art.* 2. & 3. Vnde propter connexionem virtutum cum charitate Apostolus dicit 1. *ad Corinth.* 13. Charitas patiens est, benigna est, &c. Et propter connexionem charitatis cum virtutibus. Ad Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio.* Cum igitur sit connexa cum charitate, non potest esse ipsi contraria; nec contra ipsius exigentiam, alioquin dissolueretur omnis connexio, quæ non potest esse inter contraria: & ideo, si charitas exigit subueniri moribundo, non potest obseruantia legis de integritate Missæ exigere, quod Missa integrè recitetur, si hoc impediat, ne subueniatur moribundo mediante viatico.

6 Ex dictis sequitur, quod in casu necessitatis conficiendi viaticum pro moribundo, si ita necessitas vrgeat, at quamprimum ministrandum sit, poterit Sacerdos incipere Missam ab oblatione. Nam omnia, quæ præmittuntur sunt potius quædam præambula orationum, ad sacrificij oblationem, itavt in sola oblatione hostiæ etiam quoad verba oblatio ipsa sacrificij consistat; Imò, si iudicio prudentis viri ita necessitas exigat, poterit præparata materia consecrationis statim incipere à canone; quia adhuc præcedens oblatio verbalis est de iure Ecclesiastica, & minus necessaria, quàm Canon. Et facta consecratione vtriusque speciei transmittere viaticum moribundo, si adsit, qui deferat, nam quod oblata remaneant in altari vsque ad consumptionem est tantum de iure Ecclesiastico, sicut est de iure Ecclesiastico, quod preces, & ritus, qui intercedunt inter consecrationem, & consumptionem. Quod si non adsit, qui deferat, debebit ipse citò expedire sacrificium, & deferre, omissis quæ essent recitanda post consumptionem. Et forte etiam expleto canone, qui terminatur oratione Dominica exclusiuè, poterit consumere.

7 Sequitur secundò. Quod si Sacerdos præuideat sibi sopementuram vertiginem aliquam, aut aliam passionem, qua sit impeditura consumptionem sacrificij, poterit etiam statim si completa est consecratio consumere. Quia consumptio sacrificij est de iure diuino, & proinde præualet institutioni Ecclesiæ de præmittendis quæ intenduntur inter consecrationem, & consumptionem. Quod etiam desumi potest ex cap. *Nullus Episcopus. de consecrat. distinct.* 1. vbi permittitur relinqui Missa, si superueniat aliqua passio: si enim potest relinqui, etiam si aliàs non esset complenda. Poterit etiam mutilari quoad ea, quæ non sunt substantialia. Et quamuis postea non superueniret, non debebit turbari, quia sufficit, quod probabiliter timuerit, vt factum non solum excusetur, sed etiam pro recto habeatur.

8 Sequitur tertiò. Quod si Sacerdos relinquat Missam imperfectam, vt si non recitet, quæ sunt post consumptionem recitanda, debebit ministrato viatico complete, si modo non intercederet tam longum spacium, vt non posset moraliter censeri illud complementum pars Missæ relictæ imperfectæ: quamquam hoc difficilè contingere potest, quia actio ministrandi viaticum, cum sit actio participatiua sacrificij, quod est ex natura sua participabile, non videtur interrumpere sacrificium. Quoad ea autem, quæ prætermissa essent ante consumptionem non essent repetenda, quia quæ non recitantur suo loco in Missa ex quacumque causa, non sunt amplius repetenda vt dictum est in superioribus cum communi sententia, & præter Doctores ibi citatos: ita etiam tradunt Vasquez 3. *part. quæst.* 83. *in not. ad* 4. *art.* Ludouicus à sancto Ioanne *in summ. quæst.* 11. *de Eucharist. artic.* 23. *dub.* 1. *difficult.* 7. Est enim Missa quoddam compositum ex diuersis partibus heterogenies, quæ se habent tanquam membra respectu corporis, & ideò minus deformatur, si desit aliqua pars, quam si sit reposita in loco non proprio, sicut minus deformatur statua, si deficiat. v. g. pes, aut crus, quàm si repositum esset in pectore, aut in simili alia parte.

QVÆSTIO 214.

An stante impotentia exequendi aliquem ex ritibus grauioribus, possit Pontifex dispensare.

SVMMARIVM.

1. *Super ritibus Missæ dupliciter dispensari potest.*
2. *Pontifex dispensare potest super ritibus Missæ.*
3. *Quilibet legislator potest dispensare in propriis legibus.*
4. *Dispensatio super ritibus Missæ non videtur posse habere causam sufficientem.*
5. *Regulariter non adest causa iusta dispensandi super ritibus grauioribus cum priuatis Sacerdotibus. Causa, quæ fundare possunt dispensationem.*
6. *Secus autem cum persona conspicua, & eminenti. Eminentia personæ prabet iustum titulum dispensandi.*
7. *Congruentius est quod dispensatur, vt alius suppleat ritus.*
8. *An supplens ritus ex dispensatione, quos celebrans, non potest implere, sufficiat, quod sit Diaconus.*
9. *Quid si Pontifex non exprimat cuius auxilium sit adhibendum. Concessio intelligitur supposita habilitate.*
10. *Si Pontifex non possit exequi aliquem ritum, debebit secum dispensare.*

DVpliciter modo contingere potest dispensatio. 1 Primò quidem, si Pontifex absolutè concedat, quod ritus respectu cuius adest impotentia, absolutè omittatur, vt esset eleuatio hostiæ, fractio eiusdem, vt facilè potest contingere respectu horum rituum impotentia, vel ob tremorem manus, vel ex attractione neruorum, vel ex aliquo alio capite. Secundo modo potest, non super omissione ritus dispensare, sed quod per alium assistentem impleatur ritus respectu cuius adest impotentia in celebrante. Inter hos autem duos modos Sacerdos videtur congruentior, quia requirit minorem dispensationem, & est magis conformis Rubricæ, quæ requirit, quod si celebrans non potest ex aliquo accidente perficere Missam, perficiatur ab alio. Et quia manutenet integritatem Missæ.

Est autem supponendum tanquam certum, Pontificem posse dispensare. Quia omnes ritus præter consecrationem & consumptionem, sunt de iure Ecclesiastico, atque adeò humano. Omnis autem lex humana est dispensabilis, vt docent communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst.* 97. *artic.* 4. Eò ipso enim, quod est humana nititur potestati, quæ sit in homine, per quam, sicut potuit poni obligatio: ita etiam potest relaxari, cum iuxta regulam iuris, 2

iuris, per quas causas res nascitur, per easdem possit dissolui. Vnde cum plenitudo potestatis Ecclesiasticæ sit in summo Pontifice, subiicientur potestati ipsius leges omnes Ecclesiasticæ, atque adeò erunt ab ipso dispensabiles.

3 Hinc est, quod quilibet legislator potest in propriis legibus dispensare, vt communiter tradunt, præsertim Sanchez *lib.8. de matrim. disp.17. num.31.* Salas *disput.* 20. *de legib. sect.* 4. Quod intelligitur non solum de legibus ab ipso latis, sed etiam de latis à suis prædecessoribus, quia habet eamdem potestatem, quam habuerunt prædecessores. Vnde summus Pontifex dispensare potest super omnibus legibus quocumque modo latis in Ecclesia, quia in ipsum deriuat à primo Vicario Christi Petro tota potestas Ecclesiastica; cui subiiciuntur leges, tanquam illæ, quæ ab ipsa processerunt.

4 Et quamuis certum sit, quod si dispensaret, saltem valida esset dispensatio, quicquid sit an licita, dubitatur tamen, an possit conuenienter deduci ad actum, seu an possit adesse causa, quæ sufficiat, vt dispensatio conueniens sit. Et ratio dubitandi desumitur ex eo, quod causa dispensationis non potest esse publica, siquidem non potest dispensatio est necessaria aliquo modo, vt possit offerri sacrificium; quia tanta est copia Sacerdotum, vt non solum supplere possit congruitati, sed etiam superabundare in numero sacrificiorum. Nec etiam potest dari causa publica ex eo, quod Sacerdoti ex munere publico celebrare debeat, vt in Parochis, quia supplere possunt per substitutum. Solum ergo remanere potest causa aliqua priuata, quæ tamen non videtur sufficiens, cum dispensatio versari debeat circa publicum ritum sacrificij.

5 Dicendum primum. *Regulariter non adesse causam iustam dispensandi cum priuatis Sacerdotibus, etiam si aliàs ratione muneris teneantur celebrare, vt celebrent, quando non possunt seruare omnes ritus grauiores quocunque modo dispensationis.* Ratio est. Quia omnes causæ, in quibus rationabilitas dispensationis fundari potest, reducuntur ad duo capita, nempe necessitatem, & vtilitatem, & de necessitate habetur ex cap. *Fraternitatis.* & cap. *Lector. distinct.* 34. & cap. *Quoniam*, & cap. *Dispensationes* 1. *quæstione* 7. & *de vtilitate.* ex cap. *Tali.* 1. *quæstione* 7. Necessitas autem esse potest tàm publica, quàm priuata, vt si dispensatio sit necessaria pro bono spirituali dispensati. Vtilitas autem debet esse publica. Quia sicut lex ita est ob publicum bonum, vt non sit in dispendium graue priuatorum, ita etiam est dispensabilis stante priuata necessitate, ne vergat in dispendium, & ob publicam necessitatem, aut vtilitatem, quia tunc dispensatio coadiuuat diem legis. In præsenti autem locum habere non potest necessitas, non publica, vt per se constat, stante tanta copia Sacerdotum, qui abundè supplere possunt: non priuata, quia quod Sacerdos abstineat à celebratione, non infert ipsi aliquod damnum. Sed nec etiam publica vtilitas, quia quod Sacerdos impotens dispensetur, nihil accrescit publicæ vtilitati; imò potius vtilitas publica exigit, quod lex non relaxetur.

6 Dicendum secundùm. *Adesse sufficientem causam, vt Pontifex dispensare possit cum aliqua persona conspicua, & eminenti.* Consideratur autem conspicuitas, & eminentia ex quocunque capite proueniat, siue ex nobilitate, siue ex dignitate, siue ex meritis erga Ecclesiam, siue ex litteris, & scientia. Ratio est. Quia eminentia personæ præbet iustum titulum dispensandi. cap. *Tali 7. quæstione* 1. vbi pro dispensatione considerantur merita; & Extrauagant. *Nuper ex certis rationibus. De præbent. & dignitatib.* Vbi pro dispensatione considerantur scientia, morum honestas, discretio, & consilij maturitas. Et Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 5. *in fine. De reformatione matrimonij.* Considerat dignitatem Laïcalem pro causa dispensandi in secundo gradu in ordine ad matrimonium, dum solum inter Magnos Principes decernit dispensandum. Accedit etiam D. Thom. 2.2. *quæst.*63. *artic.* 2. *in corpore*, vbi docet, quod in dispensando attendenda est dignitas personæ in ordine ad bonum commune, quæ consistit in potentia; vel industria personæ, vel aliquo huiusmodi. Et in responsio. *ad* 2. Quod cum personis excellentibus facilius dispensatur absque peccato acceptionis personarum. Hæc autem omnia, quæ concurrunt tanquam causæ dispensationis ratione excellentiæ personarum reducuntur ad causam vtilitatis, siquidem vtile est communi bono, quod huiusmodi personæ fauorabilius tractentur, vt cæteri incitentur ad eas æmulandas; & quia communitas ex ipsis percipit maiorem vtilitatem, sicut corpus maiorem vtilitatem percipit à nobilioribus membris: ergo prædicta causa erit sufficiens, vt possit Pontifex cum aliquibus dispensare.

7 Dicendum tertio. *Conuenientius esse, quod si Pontifex dispensat, solum concedat, quod celebrans vtatur auxilio alterius assistentis Sacerdotis quoad illos ritus, respectu quorum habet impotentiam: itavt, debeat celebrans manus apponere eo meliori modo, quo potest.* Ratio est. Quia in hoc modo dispensationis saluatur integritas Missæ; & simul etiam quod celebrans sit principalis concurrens ad integritatem Missæ, & assistens sit tantum coadiutor quoad ea, respectu quorum est impotens ipse celebrans. Conuenientius autem est, quod saluetur integritas Missæ cum conductore, qnàm quod absolutè relinquatur aliquis ritus.

8 Sed hinc oritur difficultas. An assistens possit esse tantum Diaconus. Et quidem, cum assistentia, non sit in ordine ad ea, quæ sunt substantialia sacrificio, sed solum quoad accidentales ritus, qui sunt mere de institutione Ecclesiastica, non videtur repugnare, quod Diaconus assistere possit. Ratio est. Quia hæc assistentia est actus ordinis ipsius, de facto enim assistit Sacerdoti celebranti, & aliquos ritus per seipsum exercet, vt est cantatio Euangelij, alios autem simul cum Sacerdote, vt est oblatio Calicis. Et ideò ex dispensatione posset etiam alios exercere, quia sicut Ecclesia introduxit, quod dictos ritus exerceret, ita etiam posset introducere, quod alios quoque exerceret, qui non sint actus ordinis Sacerdotalis, nec excedunt potestatem Diaconalem, siquidem Diaconus ratione suæ ordinationis est consecratus minister coadiuuans Sacerdotem in oblatione sacrificij. Nec obstat, quod opus esset forte tangere hostiam; quia iam habet, quod tangere possit, cum possit etiam de mandato Sacerdotis ministrare Eucharistiam.

9 Adhuc tamen circa praxim dubitari potest, quid dicendum, si Pontifex cum aliquo dispensaret, sed in dispensatione non exprimeret, cuius auxilium esset adhibendum, Sacerdotisne, an Diaconi. Resp. Probabile esse, quod posset adhiberi auxilium etiam Diaconi. Quia cum Diaconus ratione suæ ordinationis habeat, quod possit coadiuuare Sacerdotem in oblatione sacrificij exercendo functiones aliquas, quæ sunt partes sacrificij, cùm ex potestate sua habet, quod possit in genere exercere ritus, qui componunt oblationem sacrificij seu Missam, quod autem de facto hos tantum, & non alios exerceat, prouenit ex determinatione Rubricarum,

Digitized by Google

bticatum, quæ ita præscribunt. Vnde accedente facultate concessa à summo Pontifice adhibendi conditorem etiam quoad aliquos alios ritus, censetur concessum, quod possit vti ministerio cuiusque qui possit fungi illis actinnibus, in quibus consistunt ritus Missæ; talis autem est Diaconus, vt constat ex dictis. Cum enim concessio sit facta præsupposita habilitate coadiutoris *l. Mutu. ff. de procurat.* & *l. Gradatim. §. Lege. ff. de muner. & honor.* & latè ius. *in l. 2. §. Prætor. not. 1. ff. Qui satisd. cogan.* eò ipso quod est indefinita, se extendit ad omnes habiles, & relinquit dispensato liberam facultatem eligendi, quem libuerit.

10 Ex dictis colligitur. Quod si contingeret, summum Pontificem non posse fungi aliquo ritu Missæ, conuenientissimum esset, quod secum dispensaret, & vteretur ministerio alicuius coadiutoris, vt aliquando celebraret. *Omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus*, vt ait Apostol. ad Hebr. 5. *Pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, vt dono offerat, & sacrificia pro peccatis.* Hoc autem obsequium maximè debetur Deo à summo Pontifice, cum sit summus inter Sacerdotes, & caput totius Christiani populi: & ideò tanquam caput Ecclesiæ debet se sistere Deo ad ipsum propitiandum mediante sacrificio iuxta institutionem Christi, cum debeat Ecclesia in suo capite potiori modo colere Deum, quam in membris.

QVÆSTIO 215.

An, & quale peccatum sit addere Missæ nouas preces.

SVMMARIVM.

1. *Ritus, caremoniæ, preces quales in Missa adhibenda, ex Concil. Trident.*
2. *Præter præscriptas in Missale non possunt aliæ adhiberi.*
3. *Quale peccatum sit addere Missæ nouas preces.*
4. *Prohibitio Pij V. per additionem in Missa quando violetur.*
   Missa per additionem deformatur.
5. *Vt grauiter peccetur an requiratur animus inducendi nouum ritum.*
6. *In additione ad Missam vnde grauitas, vel leuitas materiæ desumenda.*
7. *Addens nouas preces inter secreta, si materia sit grauis peccat mortaliter.*
8. *Quid si bona fide addantur preces ex motiuo deuotionis.*
9. *Recitare plures collectas in Missa, quàm præscribuntur, an sit peccatum.*
10. *Non licet recitare collectas in vno loco, & non in aliis correspondentibus.*

1 Circa hanc materiam statuerat primò Concil. Trident. *sess. 22. in Decret. de seruand. & vitand. in celebrat. Miss.* Quod Episcopi edicto, & pœnis propositis caueant, *Ne ritus, aut alias caremonias, & preces in Missarum celebratione* (Sacerdotes) *adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti, & laudabili vsu receptæ fuerint.* Vnde duo requirit, quod sint approbatæ ab Ecclesia, & vsu receptæ. Ita autem disposuit, quia Missale nondum erat reformatum. Stat tamen in vittute huius dispositionis, quod præter consuetas preces, non possint Missæ inseri aliæ preces.

2 Verum facta Reformatione Missalis Pius V. *in* *Bulla* præfixa in Breuiatio iniunxit in virtute sanctæ Obedientiæ. *Vt cæteris omnibus rationibus, & ritibus ex aliis Missalibus, quantumuis vetustis hactenus obseruari consuetis impostcrum penitus omissis, ac planè reiectis, Missam iuxta ritum, modum, ac normam; quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur, decantent, vel legant. Neque in Missæ celebratione, alias caremonias, vel preces, quàm quæ hoc Missali continentur addere, vel recitare præsumant.* Ex quibus constat, quod magis determinatur ritus, & modus celebrandi Missam ad præscriptum dicti Missalis cum expressa prohibitione addendi quascumque alias preces. Difficultas autem est quale peccatum sit addere alias preces.

Dicendum est. *Addere Missæ nouas preces esse peccatum mortale, vel veniale iuxta grauitatem vel leuitatem materiæ.* Ita communiter Syluester *verbo* Missa 1. *quæst.* 3. Tabiena *num.* 21. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 4. Azot. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 29. *quæst. vltim.* Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 7. § 3. *num.* 3. Bela *part.* 1. *Cas. conscient. casu* 23. ver. *Demum* Fraxinel. *de oblig at. Sacerdot. sect.* 4. *conclus.* 4. *num.* 14. Gauant. *in Rubric. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 16. Suarez *disput.* 83. *de Eucharist. sect.* 2. ver. *Dico* 3. Vasquez 3. *part quæst.* 83. *ad art.* 4. *num.* 41. Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 13. *nu.* 265. Filliuc. *tract.* 5. *num.* 136. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 30. *num.* 4 Nugn. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 4. *dub.* 2. *ad* 4. Syluius *art.* 6. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 12. ver. *Quare.* Gaspar Hurtado *de sacrament. disp.* 4. *de sacrif. Miss. difficult.* 12. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 9. *quæst.* 2. *num.* 24. Garçia *in sum. tract.* 3. *diffic.* 8. *punct.* 1. *num.* 7. Lezana *in summ. verbo* Missa. *num.* 58. Tambutin. *opus. de sacrific. Mis. lib.* 2. *cap.* 5. §. 3. *num.* 2. Quartus *in Rubric. Missal. in quæst. proœm. sect.* 4. *punct.* 2. *init.* Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib* 4. *tit.* 1. *num.* 330. Marchant. *in quæst. Pastoral. tract.* 4. *cap.* 5. *quæst.* 4. 3

Ratio desumitur ad prohibitione Pij V. quæ est grauis, cum sit in virtute sanctæ Obedientiæ, & ideò sub peccato mortali: vnde sola paruitas materiæ excusare potest à peccato mortali; sumus enim in materia diuisibili, in qua datur magnum, & paruum. Et tamen aduertendum quod, vt violetur prohibitio Pij V. requiritur præsumptio, cum vtatur verbo, *Præsumat*, atque adeò, quod scienter faciant contra prohibitionem. Addo tamen, quod etiam seclusa prohibitione ex natura rei est illicita additio. Missa enim importat ritum publicum offerendi sacrificium publica auctoritate Ecclesiæ institutum, cum tali ordine, ac simetria partium, vt sit compositum quoddam artificiale valdè pulchrum, & aptum pro maiestate sacrificij. Vnde si quis priuata auctoritate insereret alias preces, deformaret huiusmodi compositum, non secus, ac si cuilibet alteri composito artificiali adderetur aliquid extraneum, & sicut superabundantia materiæ in corporibus viuentium causet monstruositatem; ita & in Missa additio extranearum precum. Rursus mitteret falcem in alienam messem dum in publico ritu offerendi sacrificium alteraret institutionem Ecclesiæ, quæ omnia sunt contra dictamen rectæ rationis, atque adeò lege naturali prohibita. 4

Dubitatur tamen adhuc, an, vt locum habeat peccatum præsertim graue, requiratur animus inducendi nouum ritum. Nonnulli Doctores ex citat. *num.* 3. præsertim Suarez, Dicastil. Quartus videntur requirere animum inducendi nouum ritum. Alij tamen absolutè loquuntur, nec talem animum requirunt, & præsertim Tambutin. expressè non requirit. Et quidem non esse necessarium talem animum, mihi videtur certum: nam deformitas Missæ non 5

consurgit ex aoimo uoui ritus, sed ea ipsa additione, quocunque animo fiat. Rursus Pius V. oon requirit talem animum, sed absolutè probibet, quod non addantur aliæ preces præter assignatas in missali. Et ex eo quoque babetur deformitas, quod preces aut non essent absolutè approbatæ ab Ecclesia, aut saltem non esseot approbatæ pro illa fuoctione; quia sunt tautum approbatæ, quæ præscribuntur in missali.

6 Vnde aotem discernenda sit grauitas, vel leuitas materiæ. Resp. Non aliundè posse discerni, quàm ex quantitate: oam cum istæ preces sint eatraneæ Missæ, non potest attendi in ipsis principalitas, aut alia ratio vude prouenıat, grauitas, aut cesset: sed omnes tanquam materia eatranea pensandæ eruot tanquam eiusdem rationis. Qnantitas autem erit nutabilis, & faciens materiam grauem, si in comparatione ad totam Missam se habeat vt pars considerabilia: vnde crederem quod si pertineret ad duodecimam partem, esset materia grauis. Addere autem vnicam breuem orationem esset materia leuis. Aliundè tamen videtur desumi posse grauiores, si nimirum fiat additio in aliquo loco ex qua deformetur notabiliter ritus Missæ, vt si Canoni insereretur eatranca oratio: nam tunc quia deformitas esset grauis materia quoque grauis esset.

7 Ex dictis sequitur contra Dicastil. *tractat.5.de sacrament. disput.4.dub.*13. *num.*268. Suarez *disput.*83. *de Eucharist.sect.*2. ver. *Dico* 3. Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.*10. *num.*19. Quartum *in Rubric. Missal. in quæst. proœm. sect.*4. *punct.* 2. ver. *Dico* 2. Stante grauitate materiæ peccaturum mortaliter eum, qui inter secreta adderet nooas preces, etiam absque animo inducendi nouum ritum, sed solum ea priuata deuotione. Et præcipuè si hæc additio ioterponeretur Canoni. Nam adhuc deformaretur Missa per miationem extranearum precum, & alteraretur institutio Ecclesiæ in ritu offerendi sacrificium; & adhuc esset contra prohibitionem Pij V. quæ, vt dictum, est absolutè prohibet vsum quarumcunqne aliarum precum in virtute sanctæ Obedientiæ, nec requirit animum inducendi nouum ritum, sed absolutè excludit preces eatraneas, & alterationem structuræ Missæ, vt in Missali præscribitur.

8 Sequitur secundò. Quod licèt, qui ex motiuo deuotionia adduot aliquas preces, excusari possint à peccato graui stante booa fide, peccabunt tamen saltem venialiter, quia iam babent modum & formam præscriptam celebrandi Missam: vnde ignorare nequeunt, se alterare normam præscriptam ab Ecclesia, & non stare præcisæ institutiooi ipsius, quod saltem est peccatum veniale. Et stultissimè se gerunt, vt notat etiam Dicastil. *tract.* 5. *de sacram. disput.* 4. *dub.* 13. *num.* 268. dum in peccato volunt placere Deo, quod contingit, dum ex motiuo deuotionis, atque adeò vt faciant quid gratum Deo, eligunt peccare.

9 Sequitur 3. Quod si recitentur plures collectæ quàm præscribantur, aut etiam, quando præscribitur vnica tantum oratio ex illis, quæ ponuntur in Missali, præsertim ex aliqua rationabili causa, non erit peccatum. Ratio est. Quia non deformatur Missa, nec fit contra probibitionem Pij V. Qnia quamuis illæ orationes nou præscribantur pro tali Missa, sunt tamen secundum ritum missalis. Nec Rubrica, quæ dicit, quod dicitur vnica tantum oratio, est præceptiua, sed solum directiua.

10 Sequitur quartò. Non licere recitare collectas, seu orationes in vno loco Missæ, & oon recitare correspondentes in cæteris. Quia ordo, & simetria Missæ exigit, vt in tribus locis recitentur aute Epistolam, in secretis, & in Postcommunione: atque eaigit quod preces primo loco Deo oblatæ reperantur io cæteris, & è contra. Et ideò oppositum est contra ritum seruandum in celebratione. Et ideò reprehendendus est quidam Sacerdos, qui recitatis io cæteris locis consuetis orationibus, præter correspondentes alias plures inter secreta recitabat.

QVÆSTIO 216.

An addere quid modicum quoad preces animo introducendi nouum ritum sit peccatum graue.

SVMMARIVM.

1. *Animus introducendi nouum ritum quid dicat.*
2. *Animus introducendi nouum ritum in materia leui, an sit peccatum graue.*
3. *Animus introducendi nouum ritum semper importat materiam graue.*
4. *Vnde habeat grauitatem.*
5. *In confessione, & collecta* A cunctis, *potest à Regularibus addi nomen sui Fundatoris.*
6. *In Canone Missa non potest exprimi nomen alterius sancti.*
7. *Breues orationes iaculatoria an licita sint in Missa.*

TVnc interuenit animus introducendi nouum ritum, quando additur aliquid cootinuò, & ab omnibus seruandum. Vnde duo requiruntur, primum, vt id, quod additur, respiciat continuationem obseruaotiæ: vt etiam respiciat commuoitatem in ordine ad eamdem obseruantiam. Et ideò, si quis adderet aliquam orationem etiam cum animo eam continuaodo ea propria deuotione, non per hoc argueretur animus introducendi nouum ritum, sed esset adbuc intra limites deuotionis priuatæ. Ratio autem est. Qnia ritua ex sui natura est publicus, & omnibus communis sicut est sacrificium, quia tanquam quid accessorium sacrificio sequitur oaturam sui principalis: rursus est etiam suo modo perpetuus; & ideò noo potest quis habere animum introducendi nouum ritum, nisi in eo, quod introducit, intendat conditiones ritus, nempe quod sit quid publicum commune, & suo modo perpetuum. 1

Quod autem io leui materia noo sit peccatũ graue addere aliquam orationem cum animo introducendi nouum ritum, tradit Quartua *in Rubric. Missal. in quæst. proœm. sect.*4. *punct.*2. ver. *Respondeo committi.* Primò, quia licet vsurpetur iurisdictio, datur tamen paruitas materiæ etiam in vsurpatione iurisdictionis. Secundò, quia licet adsit periculom superstitionis, adhuc tamen etiam in boc datur paruitas materiæ, vt cum aliis docet Sanchez *lib.*2 *sum. cap.*37.*num.*4. *&* 10. Vt si Sacerdos faciat signum Crucis, vbi secundum Rubricas non est faciendum. Tertiò, quia licet fortè interueniat aliquis contemptus, in hac quoque datur paruitas materiæ, vt eum aliis docet Sanchez *lib.*1.*sum. cap.*1.*num.*11. 2

Verum hoc probari non potest; & proinde eaistimo, quamlibet additionem, licet paruam, esse peccatum mortale cum animo introducenti nouum ritum, nisi eacuset ignoraotia, aut bona fides. Ratio verò ea est, quia materia peccati non est illa oratio, seu ritus qui additur: sed est subiicere propriæ dispositioni ritum publicum, atque adeò vsurpare iurisdictionem circa ipsum. Ritus autem publicus ratione qualitatis publicitatis est materia grauis, quia per hanc qualitatem imputatur forma, qoa in suo 3

ordine

ordine constituitur, & ideò etiam tota materia, non autem pars, & ideò violatio, quia tendit in ritum secundum hanc qualitatem, quatenus introducitur cum ipsa continet totam malitiam.

4 Nec obstant, quæ adducuntur à Quarto. Quicquid enim sit, an interueniat superstitio, aut contemptus, & an in vtraque materia detur paruitas materiæ: ex alio capite interuenit peccatum mortale, nempe ex violatione ritus publici, vt dictum est. Licet enim materia additionis sit parua, & proinde ex hoc capite non habeat locum peccatum mortale, ex alio tamen locum habet, nempe ex dispositione circa publicum ritum: vnde vsurpatio iurisdictionis non est in materia parua, quia versatur circa ritum publicum, quatenus talis est.

5 Ex dictis colligitur cum Tamburino *Opuscul. de sacrific. Miss. lib.2. cap.5. §.3. num.9. §. Hinc.* Quarto *in Rubricas Missal. in quæst. proœm. sect.4. dub.2.* ver. *Colligitur secundò*, in Confessione addi posse à Regularibus suum sanctum Fundatorem. Nam hic non est ritus nouus, sed in vsu apud Regulares: & proinde non introducitur nouus ritus; sed introductus est, & saltem tacitè approbatus ab Apostolica Sede. Quod idem dicendum est etiam de Collecta *A cunctis*, in qua licebit eum simul cum aliis Sanctis nominare. An autem hoc liceat si Fundator sit tantum beatificatus, neque hoc sit expressum in concessione cultus, videtur negatiuè resoluendum. Verum oppositum credo probabilius, quia iste cultus non est per se primo intentus, sed veluti incidenter, & videtur quædam appendix illius, qui concessus est. An autem idem dicendum sit de Protectore Ciuitatis. Resp. Standum esse consuetudini, & si non adsit, nec etiam introducendam esse.

6 Secundò colligitur cum Quarto *in Rubric. Missal. in quæst. proœm. sect.4. punct.2.* ver. *Colligitur primò.* Non licere in Canone Missæ recensere aliquem Sanctum vltra ibi recensitos, etiamsi esset Protector Ciuitatis, aut Fundator Religionis. Nam sicuti Canon Missæ quoad recitationem est exactè custodiendus, ita etiam quoad immutationem, itavt nihil prorsus addi possit. Verum si adderetur, solum venialiter peccaretur ratione paruitatis materiæ, si id proueniret ex priuata deuotione. Si tamen adderetur ex animo introducendi nouum ritum, locum haberent, quæ dicta sunt in superioribus. Et à fortiori si Episcopus addendum iuberet, quia iam ritus Missæ est de reseruatis Summo Pontifici, vt constat ex *Bulla* Pij V. Missali præfixa.

7 Tertiò colligitur. An breues aliquæ iaculatoriæ orationes licitæ sint in Missa. Affirmant Nauarr. *de Orat. cap.19. num.105.* Premol. *in Memoriali Clericor. part.3. cap.9.* Gauantus *in Rubr. Missal. part.2. tit.16. num.2.* Quart. *eod. tract. in quæst. proœm. sect.4. punct.2. in fine*, & in Collect. declarat. S. Congregat. ad Concil. Trident. sess.22. ad Decret. de seruan. & vitan. in celebrat. Miss. habetur talis declaratio. Licet nouæ, & non receptæ preces in Missa prohibeantur, non tamen iaculatoriæ sicut est, *Adoramus te Christe*, & similes vsu communi extra sacrificium probatæ, dummodo ob illas nihil omittatur in Missa. Verum hæc declaratio videtur potius conformis dispositioni Concilij, quando nondum erat sequuta reformatio Missalis, quàm *Bulla* Pij V. præfixæ Missali, in qua absolutè recitare alias preces prohibetur, quam in Missali præscriptas. In quo cum ad amussim omnia recitanda præscribantur, non videtur locum habere posse quæcunque oratio iaculatoria, præsertim qui inducit semper aliquam interruptionem Missæ, & trahit affectum, & attentionem ad aliud, diuertens ab eo, quod agendum est in Missa. Vnde vix, quando adoratur hostia, aut calix, videntur habere posse congruum locum.

QVÆSTIO 217.

An, & qualiter peccent Regulares si in Canone loco nominis Episcopi exprimant nomen sui Generalis.

SVMMARIVM.

1. *Declaratio S. Congregat. quod regulares loco nominis Episcopi non ponant in Canone Missæ nomen sui Generalis.*
2. *Qualiter peccent, si ponant.*
3. *Declaratio non ponit ius, sed quid sit statutum declarat.*
4. *Exprimere in Canone nomen Generalis an inducat nouum ritum.*
5. *Princeps supremus an possit nominari in Canone Missæ.*
   Antiquitus exprimebatur.
6. *Nomen Episcopi loci in quo celebratur exprimendus in Canone Missæ.*
7. *Nomen Abbatum non est exprimendum. Et quid si sit nullius Diœcesis.*

CVm in Hispania ortum esse dubium, an Regulares 1
peccent mortaliter commemorando in Canone loco Episcopi nomen proprij Generalis, Nuncius Apostolicæ Sedis ibi degens Cæsar Episcopus Nouatiensis consulens S. Congregat. responsum habuit, quod mortaliter peccarent, cum sit ad vnguem Missale obseruandum. Hanc declarationem referunt Rodriguez *in sum. tom.4. cap.51. numer.13.* Villalob. *part.1. sum. tract.8. difficult.31. num.3.* Portel. *in dub. Regul. verbo* Missa, *num.14.* Subdit tamen Rodriguez, quod non damnaret peccati mortalis eum, qui ignorans declarationem hanc esse authenticam, non seruaret.

Econtra verò Garzia *in sum. tractat.3. difficult. 8.* 2
punct.2. n.20. Bordon. *in Consil. regul. resol.25. quæst.14. tom.1.* Auersa *quæst.11. de Eucharist. quæst.12.* ver. *Quartò ergo*, in fine. Tamburin. *Opuscul. de sacrific. Miss. lib. 2. cap.5. §.3. num.6.* Quartus *in Rubric. Missal. in quæst. proœm. sect.3. punct.3.* ver *Ad declarationem*, excusant à mortali peccato, & Garzia, Tamburin. Quartus addunt, solum esse peccatum mortale, si relinquatur Episcopus ex contemptu, & addatur Generalis cum animo inducendi nouum ritum. In quo tamen Quartus sibi non conuenit, dum in introductione noui ritus, atque contemptu admittit paucitatem materiæ, vt visum est in *præced. quæst.*

In hac difficultate illud videtur admittendum, 3
quicquid sit, an dicta declaratio sit authentica, quod non inducat præceptum non nominandi Generalem sub mortali. Siquidem declaratio non disponit, nec inducit ius, sed quid factum sit, aut quomodo res se habeat, declarat. *l. Asse toto, ff. de hæred. instit.* & *l. Vnum ex familia, §. Si de falcidia, ff. de leg.2.* & *l. Hæredes palam. §. Si quid post. ff. de testam.* ibi. *Nihil enim nunc dat, sed datum significat.* Et ideò si talis nominatio ex natura sua, aut ex dispositione Bullæ Pij V. non est peccatum mortale, nec etiam erit ex vi declarationis, quæ nihil immutat, & proinde declaratio erit solum doctrinalis. Communiter autem docent, vt dictum est supra suo loco, quod additio, vel omissio in paruitate materiæ etiam in Canone non est peccatum mortale.

Rursus etiam probabilissimum mihi videtur, quod 4

in hoc non intetoeniat nouus ritus, nam in illo loco Canonis fit commemoratio eorum omnium pro quibus ex intentiooe Ecclesiæ offertur sacrificium, vt constat ex illis verbis, *Omnibus Orthodoxis, & Apostolicæ fidei cultoribus*, & prius exprimnotur in specie, & nominatim Pontifex, & Episcopus. Ex quo fit, quod exprimere nomen Geoeralis, qui erat inclusus, sub generali commeioratione, non sit aliud quàm facere transire implicitum ad explicitum, quod non est nouus titns, nec noua otatio, sed maior explicatio vniuersalis. Et ideò in expressa commemoratione Generalis ooo potest locum habere animus introducendi nouum ritum. Vnde videtur hoc esse quid minus, quàm addere aliquid modicum de nouo, si quidem solum aliquid speciale exprimitur, quod in vniuersali continetur.

5 Ex dictis colligitur, vt notant etiam Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 5. §. 3. num. 1. sect.* 8. Posse in Canone nominari Prioeipem Supremum, si adsit consuetudo; quia id potuit à consuetudine præscribi, cum non sit contra Rubricas, sed præter ipsas, & solum fiat transitus de commemoratione in communi ad specialem, quæ non dedecet ratione conspicuitatis personæ. Et quoad Regem Hispaniarum id indulsisse Pium V. testantur Gauant. *part. 2. tit.* 8. *num.* 1. *littera N.* Lezana *tom.1.quæst. Regul. cap.* 21. *num.* 1. Tamburin. loco modo citato. Est etiam hic adnotandum quod antiquitus exprimebatur nomen Regis, seu Principis, vt constat ex Liturgiis Sanctor. Basilij, & Chrysostomi, & ita etiam tradunt S. Clemen. *lib. 8. constit. Apostol. cap.* 12. & Innocent. III. *lib. 3. de myster. Miss. cap.* 5. vnde Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 36. quæst.* 13. sentit Principes in proprijs locis esse exprimendos.

6 Secundò colligitur. Episcopum exprimendum in Canone esse Episcopum loci, in quo reperitur celebrans, ita enim præscribit Rubrica *part. 2. tit.* 8. *num.* 2. Et notant Gauant. *ibid.* ver. *Sed quis*, Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 4. tit. 1. num.* 336. ver. *Sic etiam*, Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.* 2. *cap. 5. §. 3. num.* 6. Quod si forte celebrans non teneat nomen Episcopi, sufficiet, si dicat pro Antistite nostro. Sede autem vacante omittitur; nec nouus Episcopus videtur nominandus etiam si consecratus sit, quousque oon apprehenderit possessionem; nam sicut ante captam possessionem non potest administrare, ita neque ei debetur honor proprius Antistitis loci.

7 Tertiò colligitur. Non esse nominandos Abbates exemptos, licet habeant iurisdictionem quasi Episcopalem, vt notant Gauant. *in Rubr. Missal. part. 2. tit. 8. num.* 2. ver. *Sed quis Episcopus*, in fine, Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 4. tit. 5. num.* 336. ver. *Sed etiam*. Huiusmodi enim Abbates, non veniunt nomine Antistitis, nec fruuntur omnibus prærogatiuis Episcoporum, præsertim, quæ sunt debitæ ratione Ordinis, seu status Episcopalis. Dubium tamen remanet quoad eos, qui celebrant in loco, nullius diœcesis. Tunc enim non adest Episcopus loci, qui nominetur, quia locus ille non subditur alicui Episcopo; vnde nec verba verificarentur, si celebrans diceret *Pro Antistite nostro*. Gauant. *citato loco* vult, esse nominandum eum, ad quem spectat concedere dimissorias pro ordinibus. Verum hoc non sufficit, vt verificentur verba *Pro Antistite nostro*. Et quid si Abbas haberet facultatem concedendi dimissorias? Crederem potius aut nullum nominandum, sicut fit Romæ, aut potius nomioandum Archiepiscopum Prouinciæ, siquidem hic potest aliquo modo vocari à celebrante Antistes noster.

QVÆSTIO 218.

An mentalis Oratio inseri possit in celebratione Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Oratio mentalis licita in* Memento *Missæ, & sumpto corpore.*
2. *Alia oratio mentalis an licita*, & num. seq.
3. *Oratio mentalis interposita partibus Missæ importat nouum ritum.*
4. *Non esset ex auctoritate Ecclesiæ.*
5. *Oratio mentalis inter Missam quomodo possit prohiberi ab Ecclesia.*
Actiones omnes Sanctorum non sunt trahendæ in exemplum.

IN vtroque *Memento*, nempe pro viuis, & pro defunctis iuxta Rubricas meas conuerti potest ad Deum orandum pro ijs quibus prodesse intendimus sacrificium, & pro ijs necessitatibus, pro quibus imploramus diuinam clementiam: non debet tamen oratio ad alia se extendere, quia secuodum Rubricas, vtrumque *Memento* institutum est pro commemoratione viuorum, & mortuorum. Vnde tunc inserere aliquam meditationem, non esset secundum Rubricas. Rursus sumpto corpore Christi ante sumptionem sanguinis Rubrica *par. 2. tit. 10. num.* 4. habet quod celebrans aliquantulum quiescat in meditatione Sanctissimi sacramenti. Difficultas autem est, an inseri possit aliqua alia mentalis oratio inter partes Missæ. 1

Prima sententia affirmat. Ita Nauar. *de orat. cap.* 19. *numer.* 105. Victorianus Præmol. *in Memoriali Clericor. part. 3. cap.* 9. Quartus *in Rubr. Miss. in quæst. proœm sect. 4. punct.* 3. ver. *Secunda sententia*. Fundamentum est, quia Ecclesia non potest prohibere actus pure mentales, qualis est huiusmodi oratio. Imò talis oratio excitat feruorem, & deuotionem, & est conformis reuerentiæ, quæ per Rubricas præscribitur in sumptione sacramenti. Confir. Quia S. Philippus Nerius, vt scribunt scriptores vitæ eiusdem insumebat plures horas in celebratione Missæ præsertim in oratione mentali ante sumptionem sacramenti. 2

Secunda sententia negat. Ita Dicastil. *tractat. 5. de sacrament. disput. 4. dub. 13. num.* 169. cum qua Dicendum est. *Non esse interserendam inter partes Missæ specialem aliquam orationem mentalem præter illam, quæ à Rubricis præscribitur.* Dixi specialem aliquam orationem, quia rectè potest tota Missa esse conincta cum oratione mentali circa ea, quæ recitantur, & aguntur, si spiritus ita adspiret, vt excitet huiusmodi meditationem. Vnde solum excluditur oratio mentalis, quæ interrumpat continuationem Missæ. 3

Ratio est; quia oratio mentalis interposita inter partes Missæ importat specialem ritum sicut est, qui exercetur in vtroque *Memento*, & post Sumptionem Corporis Christi. Nam interrumpere continuationem partium Missæ cum interpositione talis orationis, est quid speciale, vt proinde, quando faciendum est, præscribitur in Rubrica: ergo si interponeretur huiusmodi oratio, quando non præscribitur, introduceretur nouus ritus contra prohibitionem Pij V. *in Bulla* præfixa Breuiario. 4

Confirm. Talis oratio non adhiberetur ex auctoritate Ecclesiæ cum illam non præscribat, sed auctoritate priuata. Vnde minister misceret priuatas actiones non ministerio publico: & in functione, in qua se gerit 5

se gerit tanquam publicum ministrum Ecclesiæ assumeret etiam personam priuatam: siquidem vt publicus Minister ea tantum genere potest, quæ sibi ab Ecclesia commissa sunt. Hoc autem est inconueniens, & non decet ministerium, quo fungitur, quod exigit, vt non se diuertat ad priuatas actiones. Non secus ac si legatus principis, dum exponeret Pontifici suam legationem eam interrumperet intermiscendo priuata negotia.

5 Ad fundamentum in oppositum resp. Ecclesiam præcipere, & prohibere posse actus internos indirectè, quatenus excluduntur, vel trahuntur ab actibus externis prohibitis vel præceptis. Vnde cum præcipiat Missam tanquam vnicam actionem, & proinde continuatè recitandam, nisi obstet aliquod impedimentum; & cum iniungat, quod nomine suo offerat sacrificium remanent exclusi actus interni importantes interruptionem, & actiones priuatas immixtas illi functioni. Accedit etiam, quod talis oratio necessario manifestatur in actu externo, nempe ex habitu corporis, & cessatione à celebratione: & consequenter cadere potest sub prohibitione Ecclesiæ. An autem peccet, qui interponeret resp. Peccare posse ratione interruptionis. Ad exemplum S. Philippi Nerij resp. Esse accipiendum de meditatione cessante circa preces, & actiones Missæ ratione cuius ita illam protrahebat. Deinde non omnes actiones Sanctorum sunt imitandæ, quia aliquæ proueniunt ex speciali ductus Spiritus Sancti, & proinde supra leges. Vnde ne cæteri sternerent exemplum in priuato oratorio celebrabat.

QVÆSTIO 219.

An & quale peccatum sit mutare verba consecrationis.

SVMMARIVM.

1. *Consecrationis verba de substantialiter, & accidentaliter mutari possunt.*
   Mutatio substantialis verborum consecrationis grauissimum sacrilegium.
2. *Mutatio accidentalis est graue peccatum.*
3. *Mutatio accidentalis potest esse etiam sine peccato veniali.*
4. *In mutatione accidentali formæ consecrationis non habet locum paruitas materiæ.*
5. *Et cur.*
6. *Mutatio verborum consecrationis nunquam potest esse exigua.*
7. *Mutare vnicum verbum consecrationis in aliud idioma est mortale peccatum.*
8. *Addere formæ consecrationis etiam vnicum verbum est mortale, licet non varietur significatio.*
9. *Inuertere ordinem retenta significatione verborum consecrationis est peccatum mortale.*

1 MVtatio verborum consecrationis dupliciter contingere potest, vt explicatur in materia de Eucharistia. Nempe substantialiter; & accidentaliter. Mutatio substantialis, & quando variatio est talis, vt mutetur significatio, quod contingere; potest etiam si vnum tantum verbum in aliud mutetur. Mutatio verò accidentalis est, quando mutantur quidem verba, sed remanet eadem significatio. Certum est autem quod mutatio substantialis est grauissimum sacrilegium, quia redditur inita consecratio; & fit in cœna Christo, & Ecclesiæ, quorum nomine Sacerdos offert sacrificium, siquidem aliter operatur, ac habet in mandatis.

Quod autem spectat ad mutionem accidentalem 2 conueniunt etiam communiter Doctores, esse peccatum graue præsertim in hac forma consecrationis, de qua adest specialis ratio. Nam quoad sacramentorum formas determinatio facta est ab Ecclesia, cum à Christo solum tradita sit substantialis significatio, & proinde diuersæ sunt in Ecclesia Græca, & Latina; imò etiam in Ecclesia Latina non semper eisdem fuerunt. At forma consecrationis etiam quoad verba determinata est ab ipso Christo, quoad ea, quæ sunt necessaria pro efficacia consecrationis. Vnde huiusmodi forma semper custodita est cum maxima diligentia. Et ita notant inter alios. Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 2. Suarez *disput.* 2. *de sacrament. in genere, sect.* 4. Coninch *de sacrament. quæst.* 60. *art.* 8. *dub.* 2. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. Bonac. *disput.* 1. *de sacrament. quæst. vnic. punct. vn. num.* 4. Aversa *quæst.* 6. *de Eucharist. sect.* 2. ver. *Aliqua tamen*, & alij infra citandi. Difficultas autem est, an possit dari aliqua mutatio accidentalis, quæ sit tantum peccatum veniale.

Et quidem certum est. Quod talis mutatio potest 3 esse etiam sine culpa veniali, vt inter alios notat etiam Auersa *num. praced.* citat. vt si contingat ex naturali defectu, siue pronunciationis, siue inaduertentiæ. Quia tunc tanquam inuoluntaria non imputatur ad aliquod peccatum. Vnde etiam potest etiam esse tantum veniale peccatum, si proueniat ex negligentia, aut inaduertentia venialiter tantum. Culpabili, quia tunc sortitur malitiam suæ causæ. Vnde remanet difficultas, quando est directè voluntaria, an possit esse peccatum veniale ratione paruitatis materiæ.

Dicendum est. *Non dari paruitatem materiæ in* 4 *mutatione accidentali directè voluntaria, & ex proposito.* Ita Vasquez 3. *part. disp.* 199. *cap.* 4. Suarez *disp.* 59. *de sacrament. sect.* 2. ver. *Sed quæres.* Nugn. 3. *part. quæst.* 77. *art.* 2. Auersa *quæst.* 6. *de Eucharist. sect.* 2. ver. *Aliqua tamen.* Fernandez *part.* 3. *Examen. Theol. moral. cap.* 4. §. 6. *num....* Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect.* 5. *punct.* 1. ver. *Maior difficultas*, & alij. Hoc autem intelligitur de mutatione accidentali circa verba substantialia; nam quod spectat ad verbum, enim, dictum est in superioribus. Nec oppositum sentiunt Doctores, qui admittunt paruitatem materiæ, vt citati *num.* 2. nam intelligunt dari, vel ex defectu naturali, vel ex aliqua negligentia leui.

Ratio est. Quia ex proposito mutare aliquod ver- 5 bum substantiale formæ consecrationis est alterare Christi, & Ecclesiæ institutionem in re grauissima, qualis est forma consecrationis; & proinde, dum fit ex proposito, est signum grauis audaciæ, & vsurpationis auctoritatis supra ea, quæ à Christo, & Ecclesia instituta sunt, quod non potest prouenire, nisi ex magna temeritate. Et ideò actio erit contra regulas rectæ rationis in re graui, atque adeò peccaminosè mortaliter. Nec dici potest, quod mutatio potest esse leuis; quia non tam attendenda est mutatio, quam id, circa quod fit mutatio, & subijcitur priuatæ auctoritati. Est enim forma consecrationis constans ex verbis Christi, quæ subijcitur auctoritati priuatæ: & proinde peccatum non tàm consistit in mutatione, quàm in vsurpatione auctoritatis supra id, quod est ab ipsa omninò exemptum.

Confir. Et si cōsideretur mutatio secundum quan- 6 titatem, nunquam potest esse parua, siquidem forma consecrationis consistit in paucis verbis, itavt vnum verbum sit pars valdè notabilis, & ideò, si mutatio fiat secundum vnum verbum erit mutatio valdè notabilis. Nec vnicum verbum adeò minimo modo muta

mutari potest, quin mutetur saltem secundum vnicam litteram. Eo ipso autem, quod mutatur secundum vnicam litteram fit aliud verbum, cum litteræ sint elementa, quibus verba componuntur, & se habeant sicut vnitates in numero, quando attenduntur litteræ duplicatæ loco vnius.

7 Ex dictis colligitur. Quod si etiam vnicum tantum verbum mutaretur in aliud idioma siue Græcum, siue Hebræum, siue Italum, siue quodcunque aliud, vt si diceret. *Questo est meum corpus* peccatum esset mortale, tum quia adhuc mutatio esset secundum se grauis, nam fieret mutatio in parte notabili; & etiam mutatio esset notabilis, qualis est de vno idiomate in aliud. Tum quia adhuc militaret eadem ratio, quod sibi vsurparet auctoritatem supra id, quod est omnino extra priuatam dispositionem.

8 Secundò colligitur. Quod si fieret mutatio per additionem alicuius verbi, quam ius non variaretur substantia significationis, adhoc esset mortale peccatum. Nam adhuc interueniret grauis temeritas in alteranda institutione Ecclesiæ circa verba consecrationis, & in subijciendo priuatæ auctoritati, quæ solum pertinent ad publicam.

9 Tertiò colligitur. Quid dicendum si mutatio fiat inuertendo ordinem verborum, etiam absque variatione significationis substantialis; potest enim talis esse inuersio, vt variet significationem substantialiter, vt si dicatur, *Meum est hoc corpus*, tunc enim verba, non haberent vim conuertendi panem in corpus Christi, sed essent falsa, quia hoc corpus caderet supra panem, & staret loco subiecti, & loco prædicati staret solum pronomen meum, & sensus esset, quod corpus panis esset corpus Christi. Sed mutatio esset solum accidentalis, vt si diceretur, *Hoc est meum corpus*, quæ est minima mutatio, quæ contingere possit ex inuersione ordinis verborum. Adhuc enim si esset ex mero proposito, esset peccatum mortale, quia mitteretur manus ad ea, quæ nullo modo sunt sub priuata dispositione, in quo interuenit grauis deordinatio dum publica priuata auctoritate immutantur.

QVÆSTIO 220.

An, & quale peccatum sit mutare conditiones accidentales materiæ.

SVMMARIVM.

1. *Vinum album pro consecratione non est necessarium.*
2. *Conditiones materiæ panis consecrandi.*
3. *Secluso scandalo non est peccatum mortale mutare figuram, &c. Panis consecrandi.*
4. *Mutare absque causa rationabili est peccatum veniale.*
5. *Conseruare maiores hostias in ordine ad communionem esset mortale.*
6. *Tempore pestilentiæ pro communione adhiberi possunt particulæ oblongæ.*

1 Difficultas procedit præcipuè ex parte materiæ panis, nam ex parte vini non interueniunt aliquæ speciales conditiones, nam quamuis regulariter adhibeatur album, hoc tamen fit, quia inseruit pro maiori mundicie instrumentorum, non ex aliquo præcepto, imò alicubi vbi vina alba valde rara sunt, adhiberi solet communiter vinum rubrum. Et ideò, si etiam vbi solet adhiberi album adhiberetur rubrum, non crederem peccaturum.

2 Quod autem spectat ad materiam panis ex consuetudine solet esse figuræ orbicularis, candida, & absque macula, & cum imagine crucifixi. Et Rubrica etiam requirit, quod non sit fracta. Stante autem hac consuetudine, inuenerunt Doctores significationes mysticas correspondentes, quæ tamen necessariæ non sunt, sicut constat, quando antiquitus in Ecclesia quoque Latina huiusmodi conditiones non seruabantur. Difficultas autem modo est an, & quale peccatum sit mutare has conditiones.

3 Dicendum est. *Non esse peccatum mortale mutare has conditiones secluso scandalo.* Hoc autem debet intelligi supposito, quod non succedant aliæ quæ sint contra reuerentiam debitam, nam tunc si consurgeret grauis irreuerentia, esset peccatum mortale, veniale autem, si irreuerentia esset leuis. Ita Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect. 5. punct. 3. dub. 3.* ver. *Respondeo, & dico.* Ratio est. Quia de his conditionibus non adest aliquod præceptum speciale, sed sola consuetudo, de qua non constat, quo animo sit introducta, sed verisimile est, quod sit introducta ob conuenientiam harum conditionum, non autem ob necessitatem, & proinde quod sit consuetudo omnino voluntaria. Et cum non constet de animo se obligandi, cum quo sit introducta, nec etiam est asserenda obligatio tanquam incerta, & non potens præualere contra ius certum libertatis.

4 Dicendum 2. *Non seruare prædictas conditiones absque causa rationabili esse peccatum veniale, non ex vi consuetudinis, sed ex vi iuris naturalis.* Ratio est. Quia huiusmodi conditiones accidentales, quamuis non necessariæ, sunt tamen valde conuenientes, & sunt in possessione ratione consuetudinis: ergo eas omittere absque vlla causa rationabili, detrahit de illa conuenientia, quæ concernit reuerentiam erga sacrificium: ergo si fiat absque vlla causa erit quid irrationabile, vtpote omissio rei conuenientis in ordine ad honorem sacrificij destituta motiuo rationabili. Operari autem sine motiuo rationabili, præsertim contra ea, quæ rationabilia sunt, est contra rectam rationem, atque adeò contra ius naturale.

5 Ex dictis sequitur. Quod conseruare maiores hostias in ordine ad communionem fidelium esset peccatum mortale, vt notat etiam Quartus *in Rubricas Missal. in quæst. proœm. sect. 5. punct. 4. dub. 2.* ver. *Respondeo, hoc.* Ratio est. Quia imprimis posset subesse aliqua superstitio: vnde Episcop. tenerentur prohibere, si casus contingeret iuxta Decretum *de seruan. & vitand. in celebrat. Miss. sess. 22.* Concil. Trident. Tum quia hostiæ maiores non sunt aptæ pro ministranda Eucharistia; nam difficilè sumi potest integra: si autem frangatur, exponitur periculo irreuerentiæ, siquidem facilè cadere possunt fragmenta in loco indecenti, & cum periculo quod amplius colligi non possint.

6 Secundò colligitur. Quod tempore pestilentiæ pro faciliori modo ministrandi Eucharistiam, adhiberi possent particulæ oblongæ, nam inseruiret, ne manus ministrantis adeò appropinquaret ori sumentis, sicuti est necessarium, quando sunt rotundæ: atque adeò ad tollendum aliqua ex parte periculum contrahendi infectionem. Quia cum nullum adsit præceptum de forma harum particularum, adest sufficiens motiuum recedendi à consuetudine, & cohonestandi recessum tanquam rationabilem.

QVÆSTIO

QVÆSTIO 221.

An, & quale peccatum sit mutare preces, quæ recitantur in Missa.

SVMMARIVM.

1. *Preces Missæ dupliciter mutari possunt.*
2. *Missæ limitate approbatæ, vltra limitationem non sunt approbatæ.*
   Limitata approbatio parit limitatum effectum.
3. *Mutare vnam aut plures partes in alias eiusdem Missalis ex inaduertentia, ad summum est peccatum veniale.*
4. *Mutatio precum in non approbatas est ex genere suo peccatum mortale.*
5. *Preces non approbatæ non possunt in Missa adhiberi.*
6. *Mutare preces in alias eiusdem Missalis, quale peccatum.*
7. *Mutare partem Missæ in alias eiusdem rationis, quando sit peccatum graue.*
8. *Mutatio verborum in synonima quale peccatum.*
9. *Mutare preces in alia verba, quæ mutent sensum est peccatum graue.*

1 MVtatio precum duplici modo contingere potest; vel in alias preces, quæ non sint præscriptæ in Missali, siue aliàs sint approbatæ ab Ecclesia, siue non. Vel in alias, quæ sint in Missali, sed assignatæ pro alia Missa, vt si orationes, Epistola, Euangelium aut quid aliud vnius Missæ mutetur in orationes Epistolam, Euangelium, aut quid aliud alterius Missæ: ita tamen, vt mutatio sit in eodem ordine precum. Nam si v. gr. mutaretur Epistola vnius Missæ in Euangelium alterius, idem esset, ac si omitteretur pars mutata, quia non suppleretur per aliam partem similem; & proinde peccatum graue, vel leue iuxta partem mutatam.

2 Est autem supponendum tanquam certum, quod quamuis aliquæ Missæ sint approbatæ pro aliquo loco aut pro aliqua religione, quoad alios, pro quibus non sunt approbatæ eodem modo res se habet, ac si non essent approbatæ. Si quidem approbatio est limitata, & proinde parit tantum suum effectum limitatum iuxta *l. Cancellauerat.* 2. *ff. de ijs, quæ in test. del.* & *l. In agris. ff. de acquiren. rer. dom.* & cap. *Ea noscuntur, de sent. excommunicat.* Et ideò si mutatio fiat in has preces idem erit, ac si fieret absolutè in preces non approbatas; & proinde reiectas, quia est prohibitum adhibere preces non approbatas in celebratione Missæ per Concil. Trident. *sess.* 22. *in Decreto de seruand. & vitand. in celebrat. Miss.*

3 Secundo est supponendum, quod si mutatio fiat vnius aut plurium partium in alias eiusdem Missalis, vt si recitetur vnum Euangelium pro alio ex errore, seu inaduertentia, vel non erit peccatum, vel ad summum leue, si inaduertentia, vel error peccaminosus sit ratione negligentiæ. Nam si talis mutatio sit ex inaduertentia inuoluntaria, atque adeò non culpabili, nullum erit peccatum, quia cum cesset ratio voluntarij, cessat etiam ratio peccati. Si verò sit culpabilis, non potest esse plusquàm venialiter culpabilis, quia leuitas materiæ non potest refundere grauitatem. Vnde neque mutatio erit plusquàm venialiter culpabilis, cum sequatur naturam suæ causæ. Vnde difficultas remanet, quando mutatio est voluntaria.

4 Dicendum 1. *Mutationem precum assignatarum in preces non approbatas esse ex genere suo peccatum mortale: & non fieri veniale, nisi ratione paruitatis materiæ.* Quod fiat peccatum tantum veniale ratione paruitatis materiæ satis constat, quia materia est diuisibilis, quæ sicut admittit omissionem in paruitate materiæ, ita etiam mutationem. Quæ autem sit paruitas materiæ, constat ex dictis in superioribus, cum tractatum est de omissione. Attenditur enim grauitas materiæ, non tàm secundum quantitatem, quàm secundum principalitatem. Vnde si principalis oratio Missæ mutaretur in non approbatam esset peccatum mortale; imò si loco Epistolæ legeretur aliqua pars S. Scripturæ, quæ non esset in serta Missali, esset peccatum mortale, quia non esset approbata pro parte Missæ.

Ratio conclusionis est. Quia in Concil. Trident. 5
sess. 22. *in Decreto de seruan. & vitand. in celebrat. Miss.* Reijciuntur preces, quæ non sunt approbatæ ab Ecclesia, & hoc ad cauendum, ne introducantur preces superstitiosæ, & Pius V. in *Bulla* præfixa Missali in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit vt Missæ celebrentur secundum modum, ritum, & normam præscriptam in Missali ab ipso approbato. Vnde talis mutatio erit contra huiusmodi præceptum, quod obligat ad mortale, nisi aliàs obstet paruitas materiæ.

Dicendum 2. *Mutare preces Missæ in alias pre-* 6
ces eiusdem Missalis etiam ex proposito, non erit regulariter nisi peccatum veniale. Ita Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 12. ver. *Nono rursus,* Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect.* 5. *punct.* 2. ver. *Respondeo.* Dixi regulariter, quia ex alio Capite potest esse peccatum graue. Ratio est, quia hæc mutatio ex genere suo est leuis, nam leuiter aduersatur pulchritudini, & structuræ Missæ quæ tanquam congruens ab Ecclesia præscripta est; & ritus Missæ leuiter alteratur, vtpote quia relinquitur integra structura Missæ, dum pro vna parte substituitur alia eiusdem rationis.

Dicendum 3. *Mutationem vnius partis Missæ in* 7
aliam eiusdem rationis, vt introitus, Epistolæ, Euangelij vnius, &c. In introitum, Epistolam, Euangelium, &c. alterius esse peccatum mortale, si consurgat notabilis deformitas, vel secundum se, vel ratione circumstantiarum. Vt si in Missa Natiuitatis Domini, aut Resurrectionis recitetur introitus Missæ defunctorum, aut introitus Missæ Passionis aut quid simile. Ratio est; quia talis mutatio importat notabilem difformitatem, & contrariatur notabiliter ritui Ecclesiæ instituto pro solemnizanda festiuitate. Rursus interuenit etiam aliquis contemptus, & veluti derisio, dum quæ ab Ecclesia instituta sunt pro mœstitia subrogantur loco eorum, quæ instituta sunt pro lætitia. Insuper talis mutatio præbet etiam aliquam suspicionem superstitionis, cum non sit verisimile, quod talis mutatio fiat, nisi ex aliquo fine superstitiosa. Vnde ex pluribus capitibus erit peccatum mortale.

Ex dictis colligitur. Non posse admitti, quod 8
absolutè tradit Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect.* 5. *punct.* 2. *corol.* 2. Nempe Mutationem verborum in synonima intra linguam Latinam non excedere culpam venialem secluso scandalo, & contemptu, nam seruatur præceptum quoad substantiam, & solum variatur in accidenti. Hoc enim solum admitti potest, si mutatio fiat solum secundum pauca verba ratione paruitatis materiæ. Nam si fiat in quantitate notabili, non potest excusari à peccato mortali. Primo quia cum preces, quæ recitantur sint approbatæ ab Ecclesia, non solum quoad sensum, sed etiam quoad verba, facta notabili mutatione quoad

verba, non erunt amplius illæ preces, quæ sunt ab Ecclesia approbatæ. Secundò quia non potest contingere mutatio notabilis, nisi ex aliquo motiuo, quod indicat saltem irreuerentiam, vt non habetur in veneratione Ecclesiæ, quæ eas instituit. Tertiò quia Pius V. in *Bulla* præfixa Breuiario præcipit in virtute sanctæ obedientiæ, quod in celebranda Missa seruetur ritus, modus, & norma, prout in Missali præscribitur. Variatio autem verborum in synonima variat normam Missæ & ritum, quia sicuti non esset eadem Missa, si omnia verba variarentur in synonima, ita nec erunt eædem preces, quæ subirent talem variationem. Quartò quia vt plurimum preces desumptæ sunt ex sacra scriptura; variatio autem in verba synonima faceret, quod non essent amplius verba Sanctæ Scripturæ.

9 Secundò colligitur à fortiori, esse peccatum mortale mutare preces in alia verba, quæ mutent sensum, vt notat etiam Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect. 5. punct. 2. corol. 1.* Nam tunc preces non essent neque secundum verba, neque secundum substantiam illæ, quæ ab Ecclesia institutæ sunt: & ideò non recitaretur Missa secundum præscriptum Missalis, neque recitarentur preces approbatæ ab Ecclesia. Imò qui mutaret hoc pacto infideliter se gereret, quia cum habeat mandatum ab Ecclesia offerendi sacrificium cum talibus precibus nomine eiusdem Ecclesiæ, non seruaret fines sui mandati, quia alias preces Deo offerret; vnde inferret Ecclesiæ grauem iniuriam. Quæ ratio militat in omnibus mutationibus tàm secundum ritus, quàm secundum actionem. Verum ratione paruitatis materiæ poterit mutatio secundum sensum esse solum peccatum veniale, vt si mutetur aliquis sensus leuis, & cuius minus intersit, aut quod mutatio ipsa leuis sit.

QVÆSTIO 222.

Quale peccatum sit celebrare Missam in alio idiomate à Latino.

SVMMARIVM.

1. *Missa non potest recitari in vulgari lingua.*
2. *Appellatione linguæ vulgaris quænam veniat.*
3. *Missa apud Sclauos recitatur idiomate Illyrico.*
4. *Quale peccatum recitare Missam in alio idiomate.*
5. *Latinus non potest celebrare more Græcorum, aut è contra.*

1 Supponendum est, Missam non posse recitari vulgari lingua, vt decernit Concil. Trident. *sess. 22. cap. 8.* vbi *Can. 9.* damnat anathemate dicentes vulgari tantum lingua esse celebrandam. Et etiam notant Doctores Bellarmin. *lib. 1. de Miss. cap. 2.* Petrus Sot. *lect. 15. de cærem. Miss.* Azor. *part. 1. lib. 8. cap. 26. quæst. 6.* Bonac. *disput. 4. de sacrament. quæst. vlt. punct. 9. num. 36.* Bartholom. ab Angelo *dial. 5. de Missa, num. 460.* Emanuel de Vade *de Incantat. opusc. 1. sect. 2. cap. 6. numer. 64.* Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disput. 4. dub. 13. num. 270.* Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 4. tit. 1. num. 333.* Per linguam autem vulgarem intelligitur non solum illa, in qua communiter loquuntur nationales, sed etiam quæcunque alia, quæ alicui nationi communiter in vsu sit. Appellatione enim vulgaris sermonis, seu linguæ venit vsitatus apud omnes, vt in *l. 2. ff. de præscript. ver. Sed quid.*

Quia autem Concilium dicit, quod non celebretur vulgari lingua generaliter loquens, ideò intelligit de quacunque vsitata apud aliquam nationem non solum Italica, sed etiam Gallica, Hispanica, Anglica, Germanica, &c. Vnde neque in Italia verb gr. poterit celebrari lingua Hispanica, nec in Hispania lingua Italica, quia sufficit, si lingua sit vsitata apud aliquam nationem. Vnde Vrbanus III. vt refert Baron. *tom. 9. anno 1080.* denegauit Vrastileuo Boëmiæ Duci licentiam celebrandi diuina officia lingua Sclauonica. 2

Est tamen aduertendum, Quod apud Sclauos celebratur etiam hodie Missa idiomate Illyrico; ex concessione Ioann. VIII. in gratiam Sfetumpulcbri Sclaui Morauiæ Principis cum onere tamen, quod Euangelium Latinè recitaretur, vt refert Baronius *tom. 10. annal. anno 880.* An autem hi possent celebrare Latino idiomate. *Resp.* Posse quidem illorum Ecclesias recipere Latinum ritum iuxta concessionem Pij V. in *Bulla* præfixa Missali. Priuatas tamen Personas non posse celebrare ritu Latino, dum sunt in propria Ecclesia, quia tenentur se conformare ritui proprio. Verum idem Ioann. VIII. concessit in ijsdem litteris eidem Principi Morauiæ, vt si vellet, posset facere coram se celebrare Missam Latinam, quam concessionem extendit & ad ipsius iudices. Ex qua concessione deducitur, quod ita indulsit Missam in idiomate Illyrico, vt sine speciali licentia non possent in alio idiomate celebrare. Modo tamen vt dictum est, possent ex concessione Pij V. in dicta Bulla illæ Ecclesiæ complecti ritum Latinum. 3

Dicendum, *Celebrare Missam in alio idiomate præter quàm in Latino, etiam si Missa esset eadem cum Latina, itavt translata esset in aliud idioma, esse peccatum mortale.* Ratio desumitur ex prohibitione Pij V. in *Bulla* præfixa Missali, in qua, vt dictum est, in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit, vt Missa celebretur secundum ritum, modum, & normam præscriptam in Missali reformato. Hoc autem non seruaretur si variaretur idioma, nam præscribitur in Missali idioma Latinum, atque adeò violaretur præceptum Pontificis. 4

Ex dictis colligitur, Sacerdotem Latinum non posse celebrare more Græcorum, nec Græcum more Latinorum, cum id prohibuerit Pius V. in sua speciali Constitut. quæ incipit. *Prouidentia, quæ est 12. huius Pontific. in tom. 2. Bullar.* Et quamuis Pontifex disponat de celebratione secundum ritum Latinum, vel Græcum: attamen includit etiam idioma Græcum; vnde non posset recitare Missas Latinas translatas in linguam Græcam, quia adhuc amplecteretur aliquam partem ritus Græci, & aliter celebraret, quàm præscriberet Missale Romanum. Vnde neque Græcus celebrans, vbi seruatur ritus Græcus celebrare poterit lingua Latina, quia tenetur sequi proprium ritum, qui exigit linguam Græcam. 5

QVÆSTIO 223.

Quale peccatum sit inuertere partes Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Inuertere partes substantiales Missæ, est grauissimum sacrilegium.*

2. Va

2. *Variæ partes rituales Missæ.*
3. *Inuersio partium Missæ eiusdem rationis, quale peccatum.*
4. *Quale peccatum non recitare primam orationem suo loco.*
Effectus regulatur secundum suam causam.
5. *Mutatio ordinis partium eiusdem rationis quale peccatum.*
6. *Inuersio ordinis partium dissimilium est graue peccatum.*
7. *Ordo partium Missæ est materia grauis.*
8. *Compositum ex partibus hæterogeneis fit monstruosum si non seruent proprium locum.*

1 INuersio partium potest contingere, vel secundum partes substantiales, nempe consecrationem vtriusque speciei; & de hoc dictum est suo loco. Vel secundum partes integrales. Hæ autem partes vel sunt de integritate substantiali, vel tantum de integritate accidentali, seu potius rituali. Primi generis sunt consumptio vtriusque speciei. Quarum ordinem inuertere est grauissimum sacrilegium, vt notat etiam Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect. 5. punct. 6.* ver. *Colligitur tertiò.* Nam non solum est contra institutionem Ecclesiæ, sed etiam contra factum Christi, qui prius ministrauit corpus suum, deinde sanguinem; & contra etiam naturam sacramenti, quod, cum sit institutum per modum conuiuij, exigit prius consumi sub specie panis, deinde sub specie vini.

2 Quod spectat ad partes integrales rituales, quæ consistunt in precibus, & alijs ritibus, aliæ sunt eiusdem ordinis, aliæ verò diuersi ordinis. In primò genere sunt Orationes, quæ eodem loco, & contextu recitantur plures Epistolæ, quando recitantur. In secundò genere sunt partes diuersæ inter se, vt Orationes, Epistola, tractus, Euangelium, &c. Sunt enim partes hæterogeneæ, quarum singulæ in composito artificiali Missæ, vt alibi dictum est, habent suam propriam functionem. Inter has autem partes hæterogeneas enumerandæ sunt etiam Orationes, quæ recitantur in diuerso loco Missæ, vt Orationes quæ recitantur ante Epistolam, & quæ recitantur inter secreta, & in postcommunione; quia sunt veluti diuersa membra.

3 Dicendum 1. *Inuersionem partium eiusdem rationis esse tantum peccatum veniale, etiam si voluntaria sit.* Vt si recitetur vna oratio ante aliam, aut vna Epistola ante aliam Epistolam. Ita etiam Auersa *de Eucharist. quæst. 11. sect. 12.* ver. *Non e rursus,* Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect. 5. punct. 6.* ver. *Dicendum est primò.* Ratio est, quia huiusmodi inuersio non est notabilis: siquidem non variat ordinem partium hæterogenearum, atque adeò nec structuram totius Missæ, cum remaneat eadem simetria, & ordo inter partes hæterogeneas, & principales, non secus ac non variaretur notabiliter ordo præcedentiæ ex eo, quod fiat inuersio inter eos, qui sunt paris gradus, & dignitatis. Vnde ratione paruitatis materiæ erit tantum peccatum veniale.

4 Maior difficultas est de oratione, quæ dicenda est primo loco, quæ cum sit propria Missæ, & principalis, respectu cuius cæteræ sunt accessoriæ, si postponeretur, mutatio videretur notabilis, quia accessorium præcederet principale. Et quidem certum est, quod non esset peccatum, nisi veniale, si ex aliqua inaduertentia, licet culpabili, postponeretur. Quia postpositio esset talis, qualis est inaduertentia, cum sit illius effectus: & proinde eodem modo diiudicandus, cum secundum ipsam regulatur, *l. Adigere, §. Quamuis, ff. de iure patron.* & *l. Non ideò, C. de hæred. instit.* Verum etiam si ex proposito postponeretur, non videtur peccatum mortale. Quia adhuc remanet in loco proprio orationum, & solum inuertitur ordo inter easdem orationes tribuendo minus principali locum principaliorem; in quo non apparet notabilis deformitas, quia in ordine ad partes cæteras Missæ nulla est, cum omnes retineant proprium locum & veluti situm; in ordine verò ad easdem orationes illa inuersio ordinis est deformitas admodum leuis, quia oratio primo loco recitanda in tantum dignior est, in quantum est illa, quæ Missæ correspondet: aliæ verò vt plurimum sunt digniores ex alio capite, nempè ratione commemorationis, quæ in ipsis fit.

Et hoc etiam extendendum est ad illas alias partes Missæ, quæ constant pluribus alijs partibus eiusdem rationis, vt si in *Kyrie eleison* recitando non seruaretur ordo, aut in Graduali, aut Tractu, aut Introitu, sed versiculorum ordo inuerteretur, quia scilicet hæc inuersio non parit notabilem mutationem, atque adeò nec notabilem deformitatem, tum quia coarctatur ad vnicam tantum partem, in qua sola fit mutatio; tum quia mutatio quoad hanc quoque partem est leuis, quia parum interest, quod prius dicatur Christe Eleïson, quàm Kyrie, aut quid prius recitetur Tractus, quàm Graduale, aut versiculus Psalmi Introitus, & postea Introitus. 5

Dicendum 2. *Inuertere ordinem partium dissimilium, seu heterogenearum ex proposito esse peccatum graue.* Ita Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 12.* ver. *Non e rursus,* Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect. 5. punct. 6.* ver. *Respondeo, & dico.* Et desumitur etiam ex ijs Doctoribus, qui volunt, quod omissa aliqua parte Missæ, non sit repetenda. Ita D. Thom. *quæst. 83. art. 6. ad 5.* Syluester *verbo.* Missa *1. quæst. 3.* Suarez *disput. 83. de Eucharist. sect. 3.* Dianstil. *de sacrament. tractat. 5. disput. 4. dub. 13. num. 261.* Marchant. *in Tribun. Sacrament. tractat. 4. cap. 5. quæst. 4.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 9. quæst. 2. num. 23.* Et ita etiam docet Rubrica *Tit. de defect. occurrent. in Minist. num. 5.* 6

Ex quo etiam desumitur ratio. Nam quando omittitur aliqua pars Missæ remanet mutilata defectu illius partis, & tamen non est repetenda, non alia ratione, nisi qui non esset posita in suo proprio loco: ergo reputatur minus inconueniens, quod Missa sit mutilata, quàm quod aliqua pars non sit reposita in proprio loco: ergo si omissio talis partis ex proposito est peccatum mortale, à fortiori erit etiam inuersio ex deliberatione, cum in hoc adsit maius inconueniens. 7

Confirm. Quando aliquod compositum constat ex partibus hæterogeneis habentibus singulis suum ordinem, & situm adinuicem. Si aliqua pars reponatur in loco alieno, ita deformatur compositum, vt reddatur monstruosum, & pars extra suum locum non habeat functionem, & proinde fiat superflua in illo loco; & proinde per talem inuersionem inuertitur ordo & deformatur compositum. Missa autem est tale compositum, & ideò, si vna pars ex hæterogenis transponatur in alienum locum, deformatur Missa, & redditur veluti monstruosa. Vnde cum Missæ compositio lædatur notabiliter, erit peccatum mortale. 8

QVÆSTIO 224.

An & quale peccatum sit mutare quæ consistunt in actione.

SVMMARIVM.

1. *Missa habet partes consistentes in actione.*
2. *Mutatio plurium ex ijs quæ consistunt in actione, est peccatum graue.*
3. *Mutatio eorum quæ consistunt in actione in alia diuersa, quale peccatum.*
4. *Quid si fiat ex deuotione.*
5. *In mutatione rituum Missæ quid attendendum.*
6. *Ritus sacramentorum neque ex deuotione mutari possunt.*
7. *Non rectè formare, quæ consistunt in actione, an sit peccatum.*

1 Sicut Missa constat ex precibus, ita etiam constat ex quibusdam actionibus, quæ concomitantur preces, vt sunt cruces, inclinationes, genuflexiones, osculationes, & huiusmodi, quæ ipsæ quoque non minus sunt partes Missæ quam sint preces. Cum hoc tamen discrimine, quod singula, quæ consistunt in actione, non habent ex se aliquam principalitatem ratione cuius vnus se eleuet supra aliud, vt contingit in precibus: sed omnia sunt in suo genere eiusdem rationis.

2 Est autem supponendum tanquam certum: quod mutare plura ex ijs, quæ consistunt in actione, ita vt notabiliter alteretur functio celebrationis, esset peccatum mortale, quia introduceretur nouus ritus contra prohibitionem non solum Concil. Trident. *sess. 22. in decreto de seruand. & vitand. in celebrat. Miss.* Sed etiam Pij V. in *Bulla* præfixa Missali, in qua prohibet, Missam celebrari secundum alium ritum à præscripto in ipso Missali. Vnde cum alteratio sit notabilis, non erit dubium, quod peccatum erit graue. Vnde difficultas remanet quoad vnum, vel alterum eorum, quæ consistunt in actione.

3 Dicendum 1. *Mutatio eorum quæ consistunt in actione in alia diuersa etiam quoad vnum, vel alterum, esse peccatum mortale, neque in hoc dari paruitatem materiæ.* Ita ex parte Quartus *in Rubr. Missal. in quæst. proœm. sect. 5. punct. 3. dicto 1.* Dum uit. Ex genere suo esse peccatum mortale. Ratio est; quia hæc mutatio fit in ritu publico auctoritate publica instituta, & dicit, quod priuata persona subijciat propriæ auctoritati res publicas: atque quod in functione publica, quæ nomine Ecclesiæ exercetur intermisceatur aliquid priuatum loco publici, atque adeò, quod non fiat in nomine Ecclesiæ cum non sit in mandatis ipsius. Hoc autem est grauis deordinatio, quia ex multiplici capite contrariatur institutioni Ecclesiæ, atque adeò continet peccatum mortale.

4 Dicendum 2. *Mutare ea quæ consistunt in actione etiam ex motiuo deuotionis esse peccatum mortale.* Est contra Suarez *disp. 84. de Eucharist. sect. 2. ver. Tertiò dicendum est*, qui putat esse tantum veniale. Ratio est; quia omnia quæ instituta sunt ab Ecclesia in sacrificio Missæ, sunt in ordine ad cultum diuinum, & tanquam valde decentia iniuncta sunt seruanda, & proinde tanquam apta pro excitanda deuotione necessaria in illa functione: ergo ea mutare in alia ex motiuo deuotionis cedit in contemptum Ecclesiæ quasi non benè ea instituerit; non seruat celebrans in functione, qua nomine Ecclesiæ fungitur, ea, quæ habet in mandatis, sed alterat iuxta proprium priuatum sensum. Quod est quid graue, & detrahens reuerentiæ debitæ Ecclesiæ.

Nec obstat, quod mutatio sit circa rem leuem, 5
quia non tantum attenditur id, quod mutatur, sed iniuria, quæ irrogatur Ecclesiæ in alteranda, & corrigenda eius institutione; & in quodam saltem virtuali contemptui, & in apponenda manu ad publicas institutiones, quod quidem importat magnam præsumptionem, & arrogantiam. Neque excusat motiuum deuotionis, quia non est vera deuotio, quæ mouet ad ea, quæ mala sunt: sicut non excusaretur, qui ex deuotione componeret sibi aliquam specialem Liturgiam, & ea vteretur.

Confirm. Ritus, cum quibus ministrantur sacra- 6
menta, & eorumdem obseruantia tanti fiunt ab Ecclesia, vt Concilium Tridentinum *sess. 7. can. 13. de sacrament. in genere*, damnet dicentes: *Ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse.* Eadem autem est ratio de ritibus, cum quibus offertur sacrificium vt persequatur. Ergo si quis ex deuotione mutaret aliquid eorum, quæ consistunt in actione in aliud, faceret id, quod sub anathemate damnatur à Concilio Tridentino. Et quamuis, quod mutatur sit quid paruum, si consideretur vt actio quædam, non est tamen mutatio quid paruum, quatenus versatur circa id quod est auctorizatum ab Ecclesia inducens non auctorizatum, quod est lædere auctoritatem Ecclesiæ in ratione auctoritatis. Præsertim, quia si ex deuotione mouetur, oportet, quod putet, licitam esse huiusmodi mutationem, quia non moueretur ex deuotione ad faciendum quod putat illicitum. Hoc autem est id, quod sub anathemate damnatur à Concilio. Vnde talis mutatio non posset excusari à peccato mortali, nisi ratione ignorantiæ, & bonæ fidei.

Dicendum 3. *Mutationem, quæ actiones istæ imper-* 7
fectè formantur, & proinde non quoad substantiam actiones, sed solum quoad modum accidentalem, vt si quando est osculandam admoueatur os, sed non formetur osculum, si cruces breuioribus lineis formentur, &c. Non esse peccatum. Est contra Suarez *disp. 84. de Eucharist. sect. 2. ver. Tertiò dicendum*, Quartum *in Rubric. Miss. in quæst. proœm. sect. 5. punct. 3. ver. Dico 2.* Qui putant esse peccatum veniale. Ratio est. Quia leges præcipientes aliquas actiones, non exigunt ipsas cum omnimoda perfectione, sed solum tales in morali æstimatione, & hæ sufficiunt, pro implenda lege; nam sicut lex obligat in genere morali, & morali modo, ita etiam solum exigit actiones morales, & morali modo exercitas: ergo vt impleatur Rubrica de his actionibus, sufficiunt, quod sint tales, quales exiguntur in morali æstimatione. Si autem impletur lex, non peccatur contra eam.

QVÆSTIO 225.

An genuflexio mutari possit in incuruationem ex causa.

SVMMARIVM.

1. *Genuflexio ex causa mutari potest in incuruationem.*
2. *Genuflexio est in signum adorationis.*
   Lex obligat prout impleri potest.
   Non refert quid ex æquipollentibus fiat.
3. *Non posse genuflectere quem ritum impediat.*

Con

1 Contingere potest, quod quis non possit ob aliquam indispositionem genuflectere, vnde dubitatur, an talis possit mutare genuflexiones in incuruationes, an verò abstinere debeat à celebratione. Dicendum est. *Posse ex causa impotentiæ mutari genuflexiones in incuruationes præsertim, si incuruationes aliqualiter accedant ad genuflexiones.* Ita etiam Quartus *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 17. dub. 1. vet. Respondeo secluse.*

2 Ratio est; quia genuflexiones institutæ sunt, & adhibentur in signum adorationis latriæ quæ consistit in actu interiori, & manifestatur per actum externum: ergo possunt genuflexiones ex prædicta causa conuerti in incuruationes, quia etiam incuruatio potest esse signum adorationis, & dum adhibetur in Missa præsente corpore, & sanguine Christi ratione obiecti determinatur, vt sit signum adorationis latriæ. Confirm. Lex non obligat, nisi quatenus impleri potest: ergo quando Rubrica iniungit genuflexiones non obligat ad ipsas, nisi quatenus exerceri possunt: ergo cum iniungat in signum adorationis latriæ, iniungit tantum, quatenus sunt tale signum, & proinde substitui potest aliud signum æquipollens, quia adhuc obtinetur idem finis. Nam non refert quicquid fiat ex æquipollentibus *l. Mulier. ff. ad Trebel.* & *l. fin. C. de donat. qua sub mo.* & notat Socin. *in l. Gallus, §. At quid si tantum, num. 18. ff. de liber. & posth.*

3 Dices. Hunc defectum impedire congruum exercitium celebrationis, & proinde inducere impedimentum irregularitatis prouenientis ex vitiato corpore. Resp. Hunc defectum non impedire congruum exercitium celebrationis quoad aliquem ritum grauem, sed solum quoad aliquem ex minoribus; & ideò non inducere irregularitatem, præsertim quia non est asserenda irregularitas, nisi sit expressa.

QVÆSTIO 226.

An in genuflexione vtrumque genu curuandum sit vsque ad terram.

SVMMARIVM.

1. *An genuflexio in Missa requirat incuruationem vtriusque genu vsque ad terram.*
2. *In vno tantum casu vtrumque genu incuruandum.*
3. *Laudabilius an sit vtrumque genu incuruare vsque ad terram post consecrationem.*
4. *Exposita Eucharistia an celebrans vtroque genuflectere debeat.*
5. *Genuflexio an requirat flexionem genu vsque ad terram.*

1 De hac re latè Quartus *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 17. dub. 2.* & docet, quod quando genuflectendum est cum aliqua mora, requiritur genuflexio cum vtroque genu. Secus autem, quando genuflexio non requirit aliquam moram. Hinc infert vtroque genuflectendum esse ad illa verba Symboli, *Et incarnatus est.* In Epistola Missæ de Cruce, dum dicitur, *In nomine Iesu, &c.* In tractu quando dicitur, *Adiuua nos Deus, &c.* In Missa Spiritus sancti ad versiculum, *Veni Sancte Spiritus*; & dum legitur Passio Domini ad illa verba, *Expirauit.* Etiam citat Castaldum *in praxi cerem. lib. 2. sect. 7. cap. 6. num. 9.*

2 Verum excepto hoc vltimo casu pro quo Rubrica dicit, *Hic genuflectitur, & pausatur aliquantulum*; Cæteri casus non habent sufficiens fundamentum excepta genuflexione in Missa solemni ad verba, *Et incarnatus est, &c.* Quia ita habet praxis. Nam Rubrica solum dicit, quod genuflectitur, quod saluatur si vnico tantum genu fiat genuflexio; & proinde communis praxis ita interpretatur Rubricam, & ita etiam docet Gauant. *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 17. num. 5. littera Z.*

Ex dictis colligitur, Non esse admittendum, quod 3 tradunt Victorianus Premoli *in Memor. Cler. part. 3. cap. 9.* Quartus *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 17. dub. 2. ver. Dico secundò.* Nempe laudabilius esse, quod genuflexiones post consecrationem fiant cum vtroque genu. Nam laudabilius est seruare vniformitatem ritus in celebratione, quam tantopere exigit Pius V. in *Bulla* præfixa Breuiario; vnde cum communis praxis ita accipiat, & seruet Rubricam de genuflexionibus, vt vnico tantum genu fiant, laudabilius est se conformare huic praxi, quàm nouam inducere; præsertim quia aperiretur via ad alterandos etiam alios ritus prætextu deuotionis, aut maioris reuerentiæ.

Colligitur secundò. Quod quamuis Quartus *in* 4 *Rubr. Missal. part. 1. tit. 17. dub. 2. vet. Dico secundò,* velit quod vtroque genu genuflectendum sit, quando in altari est exposita Eucharistia, aut è tabernaculo detecta, quia tunc exigitur maior reuerentia; attamen hoc non videtur necessarium, quia non exigitur maior reuerentia, quam dum sacrificium super altari manet post consecrationem, cum adsit idem fundamentum exigendi reuerentiam: tunc autem sufficit genuflexio non vnico genu. Quia tamen hoc est extra ordinem Rubricatum, nec deberet celebrari in altari, in quo Eucharistia quocunque modo sit exposita adorationi, ideò si contingat celebrari, tanquam in casu extraordinario poterit adhiberi genuflexio cum vtroque genu.

Colligitur 3. Quod, quamuis genuflexiones, vt 5 perfectæ sint, debeat genu incuruari vsque ad terram, non tamen, vt sint veræ genuflexiones, nam sufficit, quod genuflectatur cum inclinatione versus terram. Et ideò vt censeatur obseruari Rubrica de genuflexionibus, non requiritur genuflexio vsque ad terram. Vnde nullum erit peccatum, si genu non pertingat ad terram, sed solum genuflexio minus perfecta, quæ tamen sufficiat pro obseruantia Rubricæ, quia in morali æstimatione est vera genuflexio.

QVÆSTIO 227.

An Sacerdos dum celebrat, sedere possit.

SVMMARIVM.

1. *Sacerdos stans celebrare debet.*
2. *Qui stans celebrare non potest, est Canonicè impeditus.*
3. *Sacerdos an partim stans, & partim sedendo celebrare possit.*
4. *Quid si actio à sedente commodè exerceri possit.*
5. *Pontifex solum ex grauissima causa dispensare potest, vt quis sedens celebret.*

Quod Sacerdos stans celebrare debeat, nedum 1 præscribitur à Rubrica *part. 2. tit. 17. num. 6.* Sed etiam exigitur ex natura ministerij, cuius functio sicut excludit sessionem, ita etiam excludit genuflexionem continuam: nam celebrans debet accedere modo ad vnam, modo ad aliam partem altaris, debet se vertere ad populum, genuflectere, inclinare, &c. Et ideò, quod Sacerdos stans celebrare possit, est vnum ex requisitis ex natura rei pro exercendo munere Sacerdotali.

2 Ex quo fit, quod ille, qui stans celebrare non potest, habeat impedimentum ad offerendum sacrificium à iure naturali, iuxta ea, quæ tradunt communiter cum D.Thom. *in 4.dist. 9. art.4. quæst. 3.* & *3. part. quæst.82. art.vltim. ad 3.* ratione cuius redditur impotens ad offerendum; & proinde tenetur abstinere, quandiu durat impedimentum; & proinde in cap. *Nullus Episcopus. de consecrat. dist.1.* prohibetur, ne quis audeat accedere ad celebrandum cum baculo, scilicet cui innitatur. Vnde difficultas est, an si celebrans cum difficultate stare posset tota integra Missa, possit celebrare partim sedendo, partim stando.

3 Dicendum est. *Non posse Sacerdotem recitare sedendo aliquam partem Missæ;sed peccaturum mortaliter,si sessio sit notabilis, venialiter verò si reputetur pro parua materia.* Ita etiam Quartus *in Rubric.Missal.p. 1. titul.17. dub.3.* Ratio est, quia sessio excluditur nedum ratione reuerentiæ debitæ in illa functione, sed etiam ex natura eiusdem functionis: vt proinde grauiter opponitur modo, cum quo Missa est celebranda secundum ritum præscriptum cum ipsum variet in circunstantia notabili: ergo si sit notabilis erit peccatum mortale. Confirmat. Vel potest: si primum; ergo sedet absque saltem graui necessitate: stare toto tempore Missæ; vel non potest si secundum: ergo habet impedimentum naturale: & proinde peccat grauiter, quia accedit ad celebrandum cum tali impedimento.

4 Ex his fit. Quod neque celebrare possit sedendo quando actio, aut recitatio à sedente commodè exerceri posset, vt dum scilicet recitat preces. Vnde, etiamsi adesset, qui sedem ministraret, quando opus esset, & remoueret, quando necessarium esset, quod staret pro aliqua functione, neque adhuc sedere posset. Nam adhuc non seruaret ritum standi, qui est ex grauissimis, & adhuc haberet locum defectus naturalis impedimenti, quod prohiberet celebrare.

5 Sequitur secundo. Quod, licet posset Pontifex dispensare, vt quis sedens celebraret, non tamen conueniens esset, quod dispensaret, nisi interueniret aliqua grauissima causa. Nam si dispensandus deberet continuò sedere; oporteret, quod dispensatio se extenderet ad omnes ritus, & actiones, quæ à sedente exerceri non possunt. Si verò non indigeret continua sessione, sed posset stans exercere illas actiones, quæ à stante tantum possunt exerceri, non esset adeò impotens, quia tota Missa stare posset. Et satius esset quod potius interrumperet Missam, & sedens quiesceret ad recuperandas vires, quàm sedendo celebrare.

QVÆSTIO 228.

Quanto tempore durare debeat Missa, vt congruè recitetur.

SVMMARIVM.

1. *Missa quomodo recitanda.*
2. *Quanto tempore Missa durare debeat.*
3. *Certa mensura temporis non potest assignari.*
4. *In Missa recitanda an potius ad prolixitatem, quam ad breuitatem sit declinandum.*

1 IN Rubrica *part.1. tit.16. num.2.* habetur *Sacerdos maximè curare debet, vt ea, quæ data voce dicenda sunt distinctè, & apposite proferat; non admodum festinanter, vt aduertere possit quæ legit, nec nimis morosè, vt audientes tædio afficiat; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortasse in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant; neque tam submissa, vt à circumstantibus audiri non possit, sed mediocri, & graui, quæ & deuotionem moueat, & audientibus ita sit accommodata, vt quæ leguntur, intelligant.* Quod autem dicitur de pronunciatione, dicendum est etiam de actionibus, vt nimirum, nec sint nimis præposteræ, nec morosæ: vnde media via incedendum est. Difficultas autem est, quantum tempus insumendum sit, vt congruè celebretur.

2 Omissa autem aliquorum opinione, de qua Molina mox citandus, volentium insumendam esse integram horam, non est contra praxim communem, nec tantum tempus pro alio inseruiret, quàm pro tædiosa morositate, & in causa esset, quod plures nunc in pro festis diebus audiunt Missam non audirent, ipse Molina *in Instruct. Sacerd. tract. 3. cap. 3.* habet non esse excedendos in celebratione Missæ tres horæ quadrantes. Alij verò assignant horæ dimidium. Ita Scortia *lib. 2. de sacrific. Miss. cap.19.* Gauant. *in Rubr.Missal. part.3. tit. 11. num. 13. ver. Altè.* Alij verò volunt, quod non excedat horæ dimidium, neque minus duret tertia parte horæ. Ita Molfes. *part. 1. sum.tract. 3. cap.10. in fine.* Verticel. *in quæst.moral.tractat. 8. quæst.53.* Quartus *in Rubric. Missal. part.1.tit.16.difficult.2.*

3 Verum. Non mihi videtur posse assignari certa mensura temporis, tum quia ex liturgiis est vna alia longior; tum quia ex Sacerdotibus vnus alio expeditior est ob agilitatem motus, & expeditam pronunciationem. Vnde obseruaui nonnullos valdè properantes, & cum non exigua indecentia, & tamen insumere in celebratione maius tempus, quàm insumerent alij, qui cum decore & deuotione celebrabant. Itaque nulla certa mensura temporis assignata pro regula habendam est, quod illud tempus sufficiat, quod necessarium est, vt Missa cum illo decore recitetur, qui debetur grauitati functionis, & possit fouere deuotionem, quàm excitat ipsum mysterium. Et præsertim quod sufficiat ad excludendam omnem affectatam accelerationem.

4 An autem in celebratione Missæ propendendum potius sit ad celeritatem, & breuitatem, quàm ad prolixitatem tractat latè Quartus *in Rubr. Miss. p.1. tit.16.dub.6.difficult.1.* Breuiter tamen dicendum est, satius esse declinare ad moderatam prolixitatem, quàm ad decentem accelerationem. Quia majestas sacrificij, & reuerentia ipsi debita exigit potius illum modum, qui congruit deuotioni, & grauitati actionis, quàm declinationem ad oppositum. Quia in acceleratione non solum potest interuenire peccatum, sed etiam scandalum. Quod non interueniet, si celebratio declinet ad prolixum; nam ad summum in aliquibus ex adstantibus causabit aliquod tædium. Illud tamen debent aduertere Sacerdotes, vt vitent, quantum fieri potest, prolixitatem, quæ prouenit ex incompto modo celebrandi; nam tunc tanquam quid displicens, dissipat deuotionem in adstantibus, & causat accessionem erga celebrationem.

QVÆSTIO 229.

An, & quale peccatum sit nimia celeritas in celebranda Missa.

SVMMARIVM.

1. *Celeritas in Missa quale peccatum, vt est causa, quod imperfectè celebretur.*
2. *Quale peccatum ratione indecentiæ.*
3. *Indecentia notabilis in Missa est peccatum graue.*
4. *Irreuerentia ex nimia celeritate quando notabilis.*
5. *Expediens Missam citius horæ quadrante an peccet mortaliter.*

6. Nimia

Digitized by Google

6. *Nimia celeritas in quibus sit peccatum graue in Missa celebranda.*

7. *Episcopi & cæteri Prælati peccant grauiter, si permittant Missas nimis festinanter celebrari.*

1 Celeritas nimia in celebrando ex duplici capite potest esse peccaminosa. Primò tanquam causa omissionis alicuius ritus, aut quod tali modo obseruetur, vt valdè imperfectè se habeat. Secundò modo ob indecentiam, & irreuerentiam, quàm causat. Primò modo erit tantum peccaminosa tanquam causa, quod Missa imperfectè celebretur per omissionem, vel imperfectam obseruantiam eorum, quæ præscribuntur. Et ex hoc capite rarò potest esse peccatum graue, quia non erit talis, nisi sit causa, quod omittatur aliquid, cuius omissio sit peccatum mortale iuxta dicta in superioribus, aut quod aliqua pars, seu ritus Missæ ita imperfecto modo exhibeatur, vt non censeatur exhibitum, atque adeò habeatur pro omisso; vt enim sit grauiter peccaminosa tanquam causa, oportet, quod in effectu sit defectus grauis, & peccaminosus mortaliter. Si enim in effectu sit solum leuis defectus, etiam acceleratio erit solum peccaminosa venialiter, vt notant Molina *in Instruct. Sacerd. tract.* 3. *cap.* 13. §. 2. Vericel. *in quæst. moralib. tract.* 8. *quæst.* 53. ver. *Dico* 2. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 1. *titul.* 16. *punct.* 6. *difficult.* 3. ver. *Dico secundo.*

2 Ex altero verò capite vt acceleratio sit peccaminosa mortaliter, oportet, quod causet notabilem irreuerentiam, & talem indecentiam, vt notabiliter offendat adstantes, & sit causa quod sinistre iudicent de conscientia celebrantis. Tunc enim ratione scandali, & etiam ratione irreuerentiæ erit peccaminosa mortaliter. Ita Molina *in Instruct. Sacerd. tractat.* 3. *cap.* 13. §. 2. Vericel. *in quæst. moral. tractat.* 8. *quæst.* 53. *num.* 1. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 16. *dub.* 6. *difficult.* 3. *ant.*

3 Ratio est, Quia cum celebratio Missæ, sit actus Religionis, in quo exhibetur supremus cultus Deo, omnis irreuerentia, & indecentia tendit contra virtutem Religionis, atque adeò contra Deum prout est obiectum talis virtutis: ergo si irreuerentia, & indecentia ministerij sit notabilis erit peccatum graue non secus ac si quis in exhibendo Deo aliquod obsequium, non tali modo exhiberet, vt potius censeretur irreuerenter tractasse, quàm obsequiosè.

4 Dubium tamen remanet, quando irreuerentia consurgens ex acceleratione sit notabilis. Resp. Vt sit notabilis, oportere, quod sit aut in tota Missa, aut saltem in maiori parte quia, si sit tantum in aliqua parte non notabili habebit locum paruitas materiæ, quia non deformabit notabilem partem illius sacræ functionis. Rursus necesse est, quod ita confundat ritus, & recitationem, vt in communi æstimatione censeatur deesse ille decor, & reuerentia, quàm exigit grauitas functionis. Cum enim sit defectus quoad modum, non potest meliori ratione discerni grauitas, quàm si imprudentum æstimatione destruatur ille modus in quo consistit decor, & venerabilitas functionis.

5 Aduertunt autem Vericel. *cit. quæst.* 53. *num.* 2. *tractat.* 8. & Quartus *cit. difficult.* 3. ver. *Colligitur primo. dub.* 9. *tit.* 16. *part.* 1. *in Rubr. Missal.* Quod si Missa absoluatur minori spatio quadrantis horæ, celebrantem peccare mortaliter, quia videtur moraliter impossibile, quod tam breui spacio omnia recitent, & absque notabili defectu, & dedecore exequantur sacros ritus. Verum oppositum me docuit obseruantia; quosdam enim obseruaui, qui in Missis breuioribus, quales sunt votiua B. Virginis, quotidiana defunctorum insumebant aliquid minus horæ quadrante, & tamen nedum totum recitabant, sed etiam ritus modo consueto obseruabant, & nullo poterat notari affectata acceleratio. Et è contra obseruaui aliquos, qui aliquid vltra tertiam partem horæ insumebant, & cum tanta acceleratione, vt audientes offenderent. Et ideò hoc solum ex modo celebrationis diiudicari potest.

6 Ex dictis colligitur. Esse diuersam rationē de Episcopis cæterisque Prælatis etiam Regularibus, Rectoribus Ecclesiarum, vt aduertunt etiam Molina *in Instruct. Sacerd. tractat.* 3. *cap.* 13. §. 3. Vericel. *in quæst. moralib. tract.* 8. *quæst.* 54. *num.* 1. Grauiter peccare, si celebrent Missam cum nimia festinatione, quæ cum aliis tantum esset peccatum veniale. Ratio est, Quia exemplo suo relaxant congruum modum celebrandi, & præbent occasionem cæteris excedendi ipsos in acceleratione, & forte cum peccato mortali. Vnde cum ratione officij teneantur ædificare, & exemplo cæteris prælucere, dum exemplo destruunt, peccant grauiter contra proprium officium.

7 Secundo colligitur, vt notant etiam Molina, & Vericel. *num. praeced.* citati Quartus *in Rubric. Missal. part.* 1. *tit.* 16. *dub.* 6. *difficul.* 4. Eosdem Episcopos, Prælatos etiam Regulares, Rectores Ecclesiarum, &c. peccare mortaliter si permittant subditos celebrare cum nimia festinatione, etiam si non excedat peccatum veniale. Quod etiā in vniuersali docent cōmuniter Doctores quoad Prælatos Regulares, qui negligunt corrigere defectus regularis disciplinæ, in quibus quoad subditos aut nullum est peccatum, aut ad summum leue. Ratio est. Quia ratione muneris tenentur inuigilare, & curare, vt celebratio diuinorum officiorum congruo modo se habeat, & ne circa ipsa fiat aliqua relaxatio habitualis. Quamuis enim Sacerdos peccet solum venialiter celebrans cum nimia celeritate, attamen si introducatur consuetudo ita celebrandi est materia grauis, quia notabiliter deformator modus celebrandi Missas. Vnde quoad Episcopos Concil. Trident. *sess.* 22. *in decreto de sacrament. & vitand. in celebrat. Missar.* Iniungit, vt inuigilent celebrationi Missarum tanquam operi, quo omnis opera, & diligentia ponenda est, vt quanta maxima fieri potest, interioris cordis munditia, & puritate, ac exteriori deuotionis, ac pietatis specie peragatur. Quæ certè pietatis, ac deuotionis species non adest quando cum nimia celeritate, licèt tantum venialiter peccaminosa peragitur.

QVÆSTIO 230.

An, & quale peccatum sit depressa voce celebrare.

SVMMARIVM.

1. *Recitare in Missa alta voce, quæ secreto recitanda sunt, quale peccatum.*
2. *Vnde desumatur ratio peccati.*
3. *Recitans depressa voce Missam an peccet.*
4. *Quid requiratur, vt alta voce dicatur Missa recitari.*
5. *Quid si adstantes non percipiant recitantem.*

IN Missa quædam recitanda sunt clara voce, alia verò submissa voce, itavt ab adstantibus non audiantur; & proinde dicuntur secretæ, qualis est totus Canon, & nonnulla alia. Vnde difficultas est an si quæ secreto recitanda sunt, alta voce recitentur, peccetur, & quali peccato. Dicendum est. 1

Recitare

Recitare alta voce, quæ secreto dicenda sunt esse peccatum mortale, nisi excuset paruitas materia. Its etiam Gauant. *in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 16. *num.* 1. *litera* G. Quartus *eod. tract.& loco dub.* 1. ver. *Respondeo videri.* Plures causas affert Gauant. citar. ex diuersis Auctotibus, cut aliqua in Missa secreto dicantut, quæ apud ipsum videri possuot.

2 Ratio tamen peccati desumenda est ex ritu, qui sanè est ioter ptiocipales præsertim, quia obseruatur etiam io Caoone, ob quandam teuerentiam, oe ad aures populi perueniat tanquam continens sacrosancta verba. Variatio autem ritus ptincipalis est peccatum mottale. Accedit etiam quod si quæ secietò recitanda sunt, alia voce recirentur, id fit omnino voluotatiè, & tacitè contemnitur ritus Ecelesiæ iu institutione Missæ, quod grauiter dettahit reuerentiæ, ipsi debitæ, & potest causare in adstantibus admitarionem, & etiam scaodalum.

3 Quod autem spectat ad ea, quæ alta voce dicenda sunt, si tecitentut deptessa voce, itavt ab adstantibus petcipi non possint peccatum esse, aiuot Caiet. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12. Sà *verbo* Missa *num.* 50. Qui citat Nauat. sed noo locum, non tamen dicunt esse peccatum mottsle, vt nonnulli citant. Sanchez *lib.* 7. *opusc. cap.* 2. *dub.* 8. *num.* 6. Quod autem sit peccatum veniale, tradunt Bonae. *disp.* 4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 12. *num.* 20. Tambutin. *opusc. de sacrific. Mis. lib.* 2. *cap.* 9. §. 1. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 16. *dub.* 1. ver. *Opposita sententia.*

4 Dicendum 1. *Celebrantem demissa voce, itavt egrediatur terminos secretæ pronunciationis, quamuis sit depressa ex naturali conditione loquentis, nullo modo peccare.* Ratio est. Quia hoc sufficit, non solum vt otatio vocalis sit, sed etiam, vt sit publica, & saluatur quod exigit Rubrica, scilicet elata voce recitentur. Nam illa est clara vox, quæ ita atticulatut, vt egtediatut tetminos secretæ ptonunciationis, itavt sit, quantum est ex se, ordinata ad se extcrius communicaodam.

5 Dicendum 2. *Celebrare Missam voce depressa, itavt adstantes non percipiant, quamuis altior formari posset, nullum est peccatum.* Fateot tamen laudabilius esse, ita recitate, vt possint adstantes, saltem qui oon longè absint audire. Ratio est, quia quando Rubtica *part.* 1. *tit.* 16. *num.* 2. habet, quod Missa tecitetur voce mediocti, & gtaui, quæ & deuotionem moueat, vt quæ leguntur intelligant; non continet præceptum, sed tantum insumitut citca id, quod est laudabile; nam si contineret præceptum, quando adest multitudo audientium occupantium gtande spatium, opus esset clamosa voce tecitare, vt audientes intelligetent, quod esset contra id quod ipsa babet, quod vox non sit nimis elata, & quod sit grauis excitans ad deuotionem; nam esset valde indeeens, & tidiculum ita efferre vocem, vt longè distantes petcipetent vetba. Si enim præciperet, quia est eadem ratio quoad omnes adstantes ptæceptum imponeret, quod vox communicatetut omnibus; solum ergo instruit, & vult, quod vox sit talis, vt ab audientibus intelligi possit. Accedit etiam quod vt plurimum cessat ratio finalis, cum vt plurimum audientes non intelligunt linguam Latinam, vt mulieres, & plures ex viris.

QVÆSTIO 231.

Quale peccatum sit recitare Missam ita submissa voce, vt celebrans seipsum non audiat.

SVMMARIVM.

1. *Missa an possit celebrari ita submissa voce, vt celebrans seipsum non audiat.*
2. *Oratio vocalis debet percipi ab orante.*
3. *In celebratione Missa, si sonus verborum non exeat ex ore, quale peccatum.*
4. *Quæ secreto recitanda sunt, quomodo recitanda vt vitetur peccatum.*
5. *Verba quid requirant, vt sint vera lequutio.*
6. *Proferens verba consecrationis, vt sacrificium non audiat grauiter peccat.*

PRima sententia asserit, posse Missam recitari per solam fotmationem verborum intra dentes, quamuis celebrans seipsum oon audiat. Ita loquens de horis Canonicis, Azot. *pars.* 1. *lib.* 10. *cap.* 11. *quæst.* 4. & probabile putar quoad scrupulosos Filliucius *tractat.* 23. *cap.* 3. *num.* 117. *sect.* 2. & loquens de Missa quoad secreta. Tamburin. *opusc de sacrific. Miss. lib.* 2. *cap.* 9. §. 2. *num.* 2. & loquens absolutè de Missa probabile putar Quattus *in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 16. *dub.* 2. ver. *Opposita sententia.* qui citat Nauar. *Sextum est.* Solum dicit, quod omnis oratio publica etiam secreta tequirit vetba saltem secteto inter dentes, & labia formanda; oon autem addit, quod non sit necessatium, quod percipiantut ab ipso orante. 1

Secunda sententia asserit, quod ad otationem vocalem requiritur, quod vox percipiatur saltem ab otante. Et ptoinde, hine fit, quod neque io Missa, quæ secreta dicuntur possint ita pronunciari, vt non possint auditi à celebrante. Ita Valent. *tom.* 3. *sum. disput.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 10. §. 4. Medina *Cod. de orat. quæst.* 7. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *de horis Canon. cap.* 7. *num.* 6. Reginald. *lib.* 18. *Praxis fors pœnit. num.* 174. Palaus *part.* 2. *Oper. Moral. disp.* 2. *de orat. punct.* 3. *num.* 6. 2

Dicendum 1. *Recitare Missam quoad ea, quæ clara voce dicenda sunt, formando verba intra dentes, itavt neque celebrans seipsum audiat esse peccatum mortale; imò etiam esse peccatum mortale, si verba ita formentur, vt sonus articulationis verborum non exeat ex ore.* Ratio est. Quia recitatio cum clara voce eotom, quæ præscribuntut ita tecitanda est ritus prioeipalis Missæ pertinens ad modum eelebrandi, & est ritus intrinsecus Missæ afficiens maiorem pattem Missæ: ergo qui ipsum non seruat, peccat mortaliter, quia facit in te graui conrra præceptum Pij V. in voa *Bulla* præfixa Missali, in qua præcipit in virtute S. Obedientiæ quod vnosquisque celebrans seruet ritum, modum, & normam provt io Missali apptobato ptæsctibitut. 3

Dicendum 2. *Esse peccatum mortale recitare, quæ secretò recitanda sunt, ita formando intra labia, & dentes verba, vt non audiantur ab ipso recitante.* Hoc aotem intelligitur, supposito, quod non adsit aliquod impedimentum, quo tecitans impediatur, ne audire possit, vt esset aut surditus ipsius, aut strepitus externus, aut quid aliud. Ratio est. Quia quæ secteto tecitanda sunt, sunt vera oratio vocalis, & ideò debet participate conditiones ipsius. Oratio autem vocalis esseotialiter constare ex verbis propriè dictis. De tatione autem verborum est quod ita formentur, & auticulizentut, vt sint audibilia, qoia sunt signa iostituta ad commuoicandos conceptus mentis mediante auditu, & cum sint essentialiter obiectum auditus, debent, vt sint vetba participate illam tationem, per quam constitoantur in esse obiecti, atque adeò audibilitatem. Non participant autem, oec sont prædicta signa, si ita formentur, vt à formaote non audiaotur secluso quocumque impedimeoto. Quia eum io formatione appliceotur proprio auditui formantis, si secluso omni impedimento non percipiantur, fit quod non sint audibilia, & 4

consequenter

consequenter nec vera verba: vnde nec etiam veræ preces vocales.

5 Dices. Etiam si verba non audiantur à formante, formantur tamen per organa corporis, & proinde non sunt mentalia: ergo vocalia: ergo non est opus, vt auditi possint, cum hoc sit extrinsecum voci. *Resp.* Firmari per organa corporis, sed ita imperfectè, vt ne sint verba vera articulizata, sed potius embrio verborum, nondum perueniens ad suam veluti organizationem, per quam fiat capax significationis tanquam animæ. Vnde licet non sint mentalia, nec tamen sunt vocalia, nisi inchoatiuè, quod non sufficit, vt sint verba significatiua; præsertim quia nec quilibet sonus est verbum significatiuum. Quando autem infertur, quod non est opus, vt possint audiri, & dicant relationem ad auditum, falsum omnino est: quia cum sint essentialiter obiectum auditus continuantur per relationem ad ipsum; præsertim quia sunt species obiecti, nempe sonus. Sonus autem ex intrinseca sua ratione est audibilis.

6 Ex dictis colligitur à fortiori. Quod si quis ita consecrationis verba proferret, vt neque ipse se audiret, committeret graue sacrilegium, etiam secundum oppositam sententiam, vt notat etiam Quartus *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 16. dub. 2. in fine* Quia falsitem se exponeret periculo non consecrandi, & absque vlla necessitate vteretur forma dubia. Addo tamen, quod absolutè consecraret, quia verba sic prolata carerent significatione, in qua consistit vis significatiua. Significatio enim verborum est in ordine ad auditum; vnde si verba sunt ita formata, vt applicata auditui non percipiantur, non significabunt: præsertim quia fieri non potest, quod interueniat motus necessarius organorum pro formandis verbis, & non percipiatur à formante.

QVÆSTIO 232.

Quale peccatum sit recitare Missam dimidiando verba in pronunciatione, vel etiam totaliter comprimendo.

SVMMARIVM.

1. *Dimidiatio verborum ex nimia acceleratione, quale peccatum.*
2. *Grauitas materiæ in mutilatione quomodo attendenda.*
3. *Quando mutilatio, aut syncope verborum in Missa non sit peccatum graue ex acceleratione.*
4. *Si syncope & mutilatio, variet significationem, est peccatum graue.*
5. *Mutilatio, aut syncope in Missa ex defectu naturali non est peccatum.*
6. *Defectus naturalis pronuntiationis quando reddat inhabilem ad celebrandum.*
7. *Accelerans verba consecrationis, vt eum proferuntur integrè peccat grauiter.*

1 HOc vitium contingere potest ex nimia acceleratione pronunciationis, vel ex defectu naturali pronunciationis. Quod spectat ad primum, certum debet esse, quod si fiat in tota recitatione Missæ, vel in aliqua notabili parte quoad quantitatem, erit peccatum mortale siue relinquantur verba, quæ non pronuncientur siue præscindantur, itavt integrè non recitentur iuxta dicta in superioribus. Hoc enim indicat notabilem accelerationem, quæ non potest non esse, nisi scandalosa, sed etiam notabiliter deformat preces, quæ recitantur; imò ratione omissionis verborum potest mutari significatio. Et ideò omissionem verborum in quantitate notabili loquentes de horis canonicis, docent communiter esse peccatum mortale.

Solum est aduertendum. Quod quantitas notabilis diuerso modo est definienda in recitatione Missæ, ac in recitatione horarum canonicarum. 2
Nam, vt etiam dictum est in superioribus, minor quantitas sufficit pro graui materia in Missa, quia non tam attenditur quantitas, quàm principalitas precum, quæ recitantur. Et ideò si talis sit mutilatio, vt afficiat plures ex principalibus precibus notabiliter deformando erit peccatum graue, quamuis alias materia in horis canonicis non esset grauis.

Si verò celeritas non sit tanta, vt generet scandalum, & causet irreuerentiam notabilem deformando Missam quoad modum recitationis, sed solum causando mutilationem vltimarum syllabarum, aut syncopem quoad intermedias, non erit plusquam peccatum veniale, vt loquentes de horis canonicis tradunt Azorius *part. 1. lib. 10. cap. 4. quæst. 3.* Filliucius *tractat. 23. cap. 7. quæst. 8. num. 242.* Lessius *libr. 2. de Iustitia & iure, cap. 37. num. 36.* Bonacina *disput. 1. de horis Canonicis part. 2. §. 1. num. 4.* Villalobos *part. 1. summ. tractat. 24. disput. 10. num. 7.* Barbosa *in cap. Dolentes, num. 11. de Celebratione Missæ.* Et in specie de Missa Quartus *in Rubricis Missalis, part. 1. titul. 16. dub. 4. vet. Dico 2.* 3

Hoc autem, vt locum habeat necesse est, quod mutilatio verborum, aut syncope non sit tanta, vt tollat significationem verborum: nam si tolleret, variaret substantialiter orationem, quod potest esse sine graui peccato. Hinc desumitur ratio. Quia permanente significatione, salua manet substantia orationis, & solum patitur defectum accidentalem quoad modum pronunciationis: vnde fit, quod impleatur præceptum de recitanda integra Missa quoad substantiam, licèt imperfecto modo recitetur. Quod præsertim verum est quia in morali æstimatione censentur proferri verba apta ad significandum, quod debent significare. 4

Quod spectat ad alterum caput defectus naturalis in pronunciando, si verba mutilentur, aut syncopentur, nullum erit peccatum. Nam hoc erit naturale vitium pronunciationis, quod non imputatur ad culpam. Vt etiam contingit in pronunciando forma sacramentorum, quæ valida est, & sufficit pro administratione, quamuis ex ignorantia, aut praua pronunciatione aliquæ litteræ verborum non proferantur. Vt tradunt communiter Doctores in materia de sacramentis, & quoad Baptismum decisum est in Capite: *Retulerunt. De consecratione, distinctione quarta.* 5

Econtra verò si naturalis defectus pronunciationis esset talis, celebrans cogeretur relinquere plura verba, quæ facerent materiam notabilem, iste esset ob defectum naturalem inhabilis, vt ordinaretur: & ordinatus non posset celebrare, & celebrando mortaliter peccaret. Secus autem, si aliqua tantum verba interciperentur. Ratio tàm pro hoc, quàm pro dictis *numero præcedenti* est. Quia Missæ recitatio debet esse talis, vt in morali æstimatione habeatur pro vera recitatione illarum precum, quæ præscribuntur. Hoc autem saluatur non obstante syncope aliquarum syllabarum, aut vltimarum litterarum diminutione, aut etiam 6

aliquorum verborum omissione & difficultate pronunciandi. Non soluatur autem, si plura verba in magna quantitate omittantur. Et hoc deducitur ex iis, quæ communiter tradunt de horis Canonicis præsertim citati Doctores.

7 Ex dictis sequitur, peccaturum mortaliter qui verba consecrationis ob accelerationem syncoparet, quia quamuis ita proferrentur, vt sufficerent pro consecratione valida, esset tamen grauissima irreuerentia illarum pronunciationem ita accelerare, vt non proferrentur integrè secundum omnes litteras. Proferuntur enim in persona Christi, qui est principalis consecrans,& ideò proferri debent cum debita grauitate,& reuerentia,quæ per accelerationem syncopatiuam excluderetur.

QVÆSTIO 233.

An quæ secretò in Missa recitanda sunt, possint mentaliter recitari.

SVMMARIVM.

1. *Verba consecrationis non possunt mentaliter recitari.*
2. *Preces Missæ non possunt mentaliter recitari.*
3. *Priuilegium Leonis X. de mentaliter recitando in Horis Canonicis quæ secretò dicenda sunt, quomodo accipiendum.*

1 QVod spectat ad verba consecrationis certum est omninò, quod non possint mentaliter recitari; quia sacrificium non minus est visibile, seu sensibile, quàm sacramenta. Vnde Concil. Trident. *sess.22. cap.1. de sacrific. Miss.* docet, quod Christus reliquit Ecclesiæ sacrificium visibile, sicut hominum exigit natura. Et ideò non minus requirit suas partes sensibiles, quàm requirunt sacramenta; vnde cum verba sint forma debent esse sensibilia, vt sint apta ad conficiendum sacrificium. Ex quo fit, quod esset grauissimum sacrilegium, si verba consecrationis tantum mentaliter formarentur.

2 Quod autem spectat ad preces. Dicendum est, *Non posse mentaliter recitari: sed necessariò esse ore proferendas.* Vnde erit peccatum mortale, si preces mente solum recitatæ sint materia grauis, leuis autem, si sit materia leuis. Hoc sequitur ex communi omnium doctrina, quam tradunt in materia de horis Canonicis, quod non possint mentaliter recitari, ita vt oppositum censeatur falsum. Et in terminis de Missa tradit Quartus *in Rubric. Missal. part.1. tit.16. dub.3.* Ratio autem est. Quia preces, quæ secretò dicuntur, iniunguntur ab Ecclesia tanquam oratio vocalis. Vnde Rubrica declarans intentionem Ecclesiæ *part. 1. tit. 16. num. 2. in fine* habet. *Quæ verò secretè dicenda sunt, ita pronunciet, vt & ipsemet se audiat, & à circumstantibus non audiatur*; vbi notanda sunt verba, *Ita pronunciet, &c.* Ergo qui non pronunciaret verba, sed tantum mentaliter diceret, non seruaret ritum, quem Pius V. in sua *Bulla* præfixa Breuiario in virtute sanctæ obedientiæ iniungit seruandum.

3 Dices. Adest priuilegium concessum Fratribus Minoribus à Leone X. quod possint mentaliter recitare in Horis Canonicis, quæ secretò dicenda sunt, vt refert Rodriq. *in compend. resol.20.n.4.* etiam in Missa, quæ secretò dicenda sunt, poterunt recitare mentaliter. Verum hoc priuilegium est viuæ vocis Oraculum, vt aduertit Lezana *in quæst. Regular. tom. 1. cap. 12. num. 13.* & proinde amplius non subsistit. Deinde quicquid de hoc sit. Tale priuilegium non concedebat absolutè recitare mentaliter, sed quæ secretò dicenda sunt, sed solum in choro, in quo tantum aliqua secretò, cætera verò alta voce recitanda sunt. Et finis priuilegij fuit prouidere ne dum aliqui secretò recitant sed altiori sono, sint cæteris molesti; quæ ratio non militat in in secretis Missæ. Rursus dato, quod concederet, quod absolutè possent mentaliter recitari, non haberet locum quoad ea, quæ secretò in Missa recitantur; quia neque etiam ex identitate rationis extenditur priuilegium vltra verba concessionis. Deniqe in Missali iniungitur recitatio vocalis, vt constat ex dictis, & Pius V. obligat adhuc eitom, cum reuocatione omnium priuilegiorum; & ideò si aliàs subsisteret, fuisset reuocatum per dictam *Bullam* Pij V.

QVÆSTIO 234.

An Missa, quam vocant siccam sit licita.

SVMMARIVM.

1. *Missa sicca quænam sit, & quomodo recitetur.*
2. *Missa sicca an licita.* & num. seq.
4. *Vestes Sacerdotales non possunt inseruire nisi pro munere Sacerdotali.*
 Preces Missæ ritus, & cæremoniæ non possunt recitari nisi à publico ministro nomine Ecclesiæ.
5. *Vti vestibus sacerdotalibus ad priuatas actiones est abusus.*
6. *Missa sicca continet simulationem, & illusionem.*
7. *Missa sicca redundat in superstitionem ratione cultus falsi.*
8. *Quinam cultus sit superstitiosus.*
9. *Missa sicca an approbata.*
10. *Missa sicca vnde prohibita.*
11. *Missa sicca an possit ratione loci, vbi celebratur purgari à superstitione.*

MIssa sicca dicitur illa, in qua non offertur sacrificium, sed tantum recitantur preces, quæ in Missa solent recitari, & fuit introducta ex deuotione fidelium, quando non erat locus oblationi sacrificij. Est autem aduertendum, quod in hac Missa, cum non offeratur sacrificium, sunt omittenda ea omnia, in quibus sit mentio de sacrificio, aut offerendo, aut oblato, & etiam, quæ versantur tanquam circa oblationem sacrificij; nam si recitarentur, esset potius quædam irrisio Dei, quàm deuotio. Vnde debent omitti oblatio panis & vini. Orationes secretæ, si in ipsis fiat mentio de sacrificio; totus canon vsque ad orationem Dominicam exclusiuè. Orationes in postcommunione, si iis fiat mentio de sacrificio. Item illæ orationes ante consumptionem. *Domine Iesu Christe*, &c. & *Perceptio corporis*, & etiam oratio: *Suscipe sancta Trinitas*, & *Orate fratres*, &c. Quando dicit, *Dominus vobiscum*, non debet Sacerdos se vertere ad populum. Aliqui etiam addunt, quod non debet vti casula. Hæc desumuntur ex Durand. *lib.4. de diuinis officiis, cap. 13. num. 23.* Et ex Sacerdotali Romano, *tractat. 4. cap. 33.* Quod fuisse approbatum à Leone X. affirmat Nauar. *infra citand.* ex aliis Doctoribus infra offerendis. Difficoltas autem est, an huiusmodi Missa sit licita. 1

Prima

2 Prima sententia admittit tanquam licitam, præsertim si celebretur in agris, in domibus, & in mari, &c. Ita Durand. *lib. 4. de diuinis Offic. cap. 1. num. 13.* Ioan. Stephan. Duran. *lib. 2. de Rit. b. Eccles. cap. 4.* Vvaldens. *tom. 3. de sacramental. tit. 4. cap. 35. num. 15.* Nauarr. *Miscellan. 55. de Orat. num. 127. ver. Tertiò infertur.* Azot. *part. 1. lib. 7. cap. 7. quæst. 6.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 17. num. 3.* Sà *verbo* Missa, *num. 39.* Facundez *precept. 1. Ecclesi. lib. 3. cap. 10. num. 14.* Portel. *part. 3. respon. moral. casu 26.* Lezana *in sum. verbo* Missa, *num. 56.* Quartus *in Rubric. Missal. part. 1. tit. 14. dub. 4. difficult. 1. ver. Respondeo.* Pro huius confirmatione affertur auctoritas Sacerdotalis Romani loco *num. praced.* citata, in quo approbatur, cum in ipso tradatur modus eam celebrandi. Hoc autem Sacerdotale teste Nauarr. fuit approbatum à Leone X. Deinde quia nullo iure prohibetur, & alias vtilis est, cum foueat deuotionem.

3 Secunda sententia non admittit tanquam licitam. Ita Sylulus *3. part. quæst. 83. art. 2. quæst. 2.* Mercer. *dub. 2. ver. Resp. tertiò Missas siccas*; & affertur Ioan. Echium *art. 21. Adnotat. ad librum oblatum Carolo V.* Atque Synodum Iprensem *tit. 15. cap. 10.* & Synodum II. Cameracensem *tit. 3. cap. 7.* in quibus prohibentur huiusmodi Missæ. Vnde Thomas Hurtad. *part. 1. resol. moral. tractat. 2. cap. 9. num. 316.* existimat, quod licet vbi adest consuetudo, possit Missa sicca tolerari, non sit tamen de nouo introducenda, aut celebranda, vbi adest consuetudo.

4 Et quidem huic Missæ siccæ obstare videtur primò. Vsus sacrarum vestium sacerdotalium, quæ ab Ecclesia institutæ sunt pro functionibus sacerdotalibus, quæ fiunt à Sacerdote nomine Ecclesiæ, vt ministro publico, Recitatio autem Missæ siccæ non est functio, quæ fiat nomine Ecclesiæ, quia licet preces illæ sint ob Ecclesia institutæ, non sunt tamen institutæ, vt extra oblationem sacrificij petagantur, sed tanquam partes ritualis oblationis, & ideò extra oblationem sacrificij non habent locum ex institutione Ecclesiæ. Et proinde neque Sacerdos eas recitare potest tanquam publicus minister Ecclesiæ, & in virtute sacerdotalis potestatis; sed solum tanquam priuata persona preces priuatas; & consequenter res eodem pacto se habet, ac si quilibet laicus indutus vestibus sacerdotalibus Missam siccam recitaret; quia ordo sacerdotalis non confert, quia non concurrit, nisi ad functiones sacerdotales aut à Christo, aut ab Ecclesia. In hoc autem interuenit simulatio, quia simulatur exercitium potestatis sacerdotalis, quam exerceri indicant vestes ad hoc institutæ: & simulatio personæ publicæ, & repræsentantis Ecclesiam in illa functione. Quod quidem videtur esse materia grauis.

5 Secundò. Interuenit etiam abusus sacrarum vestium; nam hæ institutæ sunt tanquam sacerdotalis ornatus ad protestandum potestatem sacerdotalem in functione, quæ peragitur. Vnde, dum adhibentur in actione priuatæ personæ, & in qua simulatur functio Ecclesiæ nomine exhibita, erit abusus contra Ecclesiæ institutionem, quod non potest contingere absque iniuria eiusdem Ecclesiæ, & vilipendio Sacerdotalis ornatus, dum adhibetur pro vsu priuato.

6 Tertiò. Interuenit simulatio, & quædam illusio Dei in ipso facto. Nam præmittuntur omnia, quæ Ecclesia instituit tanquam præparationes pro oblatione sacrificij, nam accenduntur lumina, Sacerdos induit sacerdotalem ornatum, recitat preces præparationis cum omni illo ritu quem præscripsit Ecclesia in ordine ad offerendum sacrificium. Rursus seruat ritus, recitat preces, quæ subsequuntur oblationem ex eiusdem Ecclesiæ institutione: & tamen non offertur sacrificium. Vnde eodem pacto res se habet, ac si quis tanquam Legatus Magni Principis cum tamen non esset, accederet ad Pontificem cum magna pompa, & apparatu tanquam functurus aliqua graui legatione, & postea coram ipso Pontifice non haberet, nisi priuata colloquia, in quo certè inferret ipsi grauissimam iniuriam.

Quartò. Talis Missa sicca redundat in superstitionem, iuxta doctrinam D. Thom. 2. 2. *quæst. 93. art. 1. in corpore*, quatenus scilicet importat cultum falsum. Ita enim habet. *Est autem mendacium cum aliquis exterius significat contrarium veritati. Sicut autem significatur aliquid verbo, ita enim significatur aliquid facto: & in tali significatione facti consistit exterior religionis cultus, vt ex supradictis patet. Et ideò si per cultum exteriorem aliquid falsum significetur, erit cultus perniciosus.* Deinde subdit, quod hoc contingit dupliciter, & explicato primo modo, subdit: *Alio modo potest contingere falsitas in exteriori cultu ex parte colentis, & hoc præcipuè in cultu communi, qui per ministros exhibetur in persona totius Ecclesiæ. Sicut enim falsarius esset, qui aliqua proponeret ex parte alicuius, quæ non essent eò commissa, ita vitium falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiæ cultum exhibet Deo contra modum diuina auctoritate ab Ecclesia institutum, & in Ecclesia consuetum.* Hoc autem contingit in Missa sicca, nam sic celebrans id facit nomine Ecclesiæ, qui id facit tanquam Sacerdos hoc est minister Ecclesiæ: & ratione ornatus sacerdotalis protestatur se facere nomine Ecclesiæ, quod facit. Rursus assumit cultum precum ordinatum ab Ecclesia pro oblatione sacrificij, & contra ipsius institutionem non ordinat ad sacrificium, sed ad aliud. Quod est illud totum ratione istius D. Thom. agnoscit falsitatem, & superstitionem in cultu. 7

Facit etiam ad hoc doctrina eiusdem S. Thom. *art. 2. citat. quæst. 93.* vbi *in corpore* habet. Quod ille cultus est superfluus, & proinde superstitiosus, qui est præter Dei, & Ecclesiæ institutionem, vel secundum consuetudinem communem quæ secundum Augustin. pro lege habenda est. Quod explicat Caiet. *ibid.* inquiens: *Cum cultus exterior ad interius ordinetur, si aliquis extra fiat cultus, qui ad interiorem non ordinetur, superfluus est. Et quia ad interiorem Dei cultum non rectè ordinatur, quod præter Ecclesiæ institutionem, & consuetudinem fit, ideo dato, quod aliquis præter Ecclesiæ morem ad interiorem deuotionem intenderet noua ordinare, superfluitatis vitio non caret, & exterius tantum colit, nam interius peccat ab Ecclesiæ regula declinans.* Per quæ satis clarè ostendit falsitatem deuotionis. Missa autem sicca est præter Dei, & Ecclesiæ institutionem, quia illa structura precum est ordinata ad oblationem sacrificij, & ideò non potest ordinari ad interiorem cultum, & interiorem deuotionem vetam, sed ordinatur ad satisfaciendum inordinato appetitui propriæ satisfactionis. 8

Ad fundamentum in oppositum respondetur, Non esse probabile quod illud Sacerdotale cum designatione Missæ siccæ fuerit approbatum à Leone X. vnde dicendum est, aut fuisse ad dictam illam Missam siccam, seu modum recitandi post approbationem: aut subreptitiè extentam fuisse approbationem. Quicquid tamen sit, modo non adest approbatio istius Missæ, neque in Missali, neque in alio libro Ecclesiastico: nec in vsu Ecclesiæ. 9

Ad confirm. Ex dictis constat, quod licet non sit prohibita aliquo speciali iure, est tamen prohibita iure naturali tanquam contraria veritati 10

religionis, &c. Quando dicitur, quod vtilis sit ad deuotionem est idem, ac si dicatur, quod peccare vtile sit ad deuotionem iuxta doctrinam Caiet. allatam, quia appellatur deuotio illa complacentia de cultu Dei superstitioso, & hæc complacentia est fundata in amore proprio inordinato, qui facit, quod pro obiecto complacentiæ, & delectationis spiritualis eligatur aliquid inordinatum præter Ecclesiæ institutionem, & in quo sunt plures difformitates, vt constat ex dictis.

11 Dices. Hanc Missam posse celebrari in loco, ratione cuius cesset suspicio simulationis, vt in naui, in domo priuata. Resp. Hoc non sufficere. Nam semper Sacerdos vtens apparatu Sacerdotali protestatur tacite, quod se gerit vt Sacerdotem, & ministrum Ecclesiæ: & preces Missæ cum illo ordine, quem ex institutione Ecclesiæ habent ad inuicem sunt propter sacrificium, & adhuc continebit cultum superstitiosum, iuxta dicta in superioribus.

DE QVALITATE MISSÆ, & congruentia cum officio.

QVAMVIS ratione sacrificij sint omnes Missæ eiusdem rationis, ratione tamen precum, & rituum, quibus veluti partibus integralibus tota Missa constat, diuiduntur in plures veluti species. Nam aliæ sunt de tempore, aliæ de Sanctis, aliæ votiuæ, aliæ pro defunctis, & hæ omnes in alias quoque species subdiuiduntur, vt constat ex Missali, quæ suis temporibus, & secundum occasiones iuxta præscriptionem Rubricarum recitandæ sunt. Qualitas ergo Missæ consideratur secundum hanc varietatem, de hac modo agendum est.

QVÆSTIO 235.

An Missa requirat approbationem.

SVMMARIVM.

1. *Missæ non possunt recitari, nisi sint approbatæ.*
2. *Recitare Missas non approbatas est mortale peccatum.*
3. *Antiquitus à quibus Liturgiæ approbabantur.*
4. *Liturgiæ antiquæ non possunt modo adhiberi.*
5. *Missæ concessæ alicui religioni non possunt ab alijs recitari.*
6. *Quid de exteris celebrantibus in Ecclesijs vbi dictæ Missæ recitantur.*
   Verba negatiua resistunt actui, & tollunt potentiam.
7. *Recitare Missas non concessas quale peccatum.*
8. *Qui tenetur celebrare Missam ex concessis alijs, sed non sibi, satisfacit similem celebrando ex positis in Missali.*
   A Missa iniuncta reijcitur qualitas non concessa.

1 EST autem supponendum tanquam certum. Non posse celebrari, nisi illas Missas, seu non posse adhiberi, nisi illas Liturgias, quæ sunt approbatæ ab Apostolica Sede mediante S. Rituum Congregatione. Ratio autem est. Quia tota illa Liturgica operatio exhibetur Deo nomine Ecclesiæ à Celebrante, sicut etiam nomine ipsius offert sacrificium. Et ideò debet habere in mandatis preces, ritus, & omnia, quibus constat, vt nomine ipsius exhibere possit: alioquin non ageret nomine Ecclesiæ, sed nomine proprio, & priuato. Et preces illæ non essent preces Ecclesiæ, sed preces priuatæ. Et hoc modo à fortiori habet locum, quia adest de hoc specialis prohibitio emanata à S. Rituum Congregatione de consensu Sedis Apostolicæ. Quæ operatur, quod Ecclesia remoueat intentionem suam ab omni Liturgia ab ipsa non approbata: & proinde, quod non se interponat quoad illas preces, quæ in illa Liturgia Deo offeruntur. Et proinde licet sacrificium offerretur Deo nomine Ecclesiæ, preces tamen non offerrentur nomine ipsius.

Secundò est supponendum. Esse peccatum mortale adhibere aliquam Liturgiam non approbatam 2
ab Ecclesia. Ratio clara est. Quia in re graui fit contra prohibitionem. Quod enim res grauis sit, satis ex eo constat; quod alteratur publicus cultus Dei, & Sanctorum, dum ille exhibetur, qui ex priuata inuentione procedit, & non habet, qualitatem illam approbationis, quam deberet habere. Rursus, quia recitans huiusmodi Missas vsurpat sibi iurisdictionem Ecclesiæ in determinando cultu publico, qui soli publicæ auctoritati subijcitur. Accedit etiam, quod Sacerdos offerret Deo nomine Ecclesiæ preces illas, quas Ecclesia ipsa vetat offerri, in quo committeret mendacium: non secus, ac qui nomine alicuius principis contra ipsius prohibitionem susciperet legationem ad Pontificem. Ex quo etiam fit, quod tales preces nullam habeant efficaciam ratione Ecclesiæ offerentis, quia cum prohibeat offerri, nullo modo consentit in ipsas.

Nec obstat, quod antiquitus Liturgiæ non appro- 3
barentur ab Apostolica Sede, quia saltem fuerunt institutæ, aut approbatæ ab ipsis Episcopis, quibus relicta fuit huiusmodi auctoritas ab eadem Sede Apostolica. Nam primò cœperunt institui ab Apostolis, vt constat ex Liturgia S. Iacobi Apostoli, quæ ad tempora nostra peruenit, deinde ab Apostolis peruenit hæc auctoritas ad Episcopos quosque Romanæ Sedi reseruata est. Nec item obstat, quod aliquæ Liturgiæ non approbatæ à Romana Sede introductæ fuerint, nam ex hoc arguitur tantum abusus, non autem facultas introducendi: & ideò fuerunt prohibitæ. Hinc autem difficultas insurgit; an liceat vti Liturgiis antiquis, quæ olim fuerunt in vsu, aut etiam quæ aliquando fuerunt insertæ Missali Romano. Deinde an etiam illis, quæ sunt concessæ specialiter alicui Religioni, aut alicui Ecclesiæ, vt est Missa Rosarij concessa Fratribus Dominicanis.

Dicendum est 1. *Liturgias antiquas, quæ olim in* 4
Ecclesia fuerunt in vsu, etiamsi sint sanctorum Patrum, non posse modo adhiberi. Ratio est. Quia dum agitur de publico ritu, & cultu, standum est publicæ auctoritati Ecclesiæ, quæ potest modo vnum, modo alium ritum, & cultum præscribere. Modo autem post reformationem Missalis Romani remanet ritus Missæ, & cultus præscriptus cum prohibitione adhibendi alias Liturgias, aut concessas, & præscriptas immutando, siue addendo, siue detrahendo, vt constat ex *Bulla* Pij V. præfixa Missali, ibi. *Ex alijs verò omnibus Ecclesijs præfatis* (quæ Missali Romano vtuntur, & non habent à prima institutione approbationem, aut à consuetudine vltra annos ducentos) *Eorumdem Missalium vsum tollendo, illáque penitus, & omninò reijciendo, ac huic*

Missali

Missali nostro nuper edito, nihil vnquam addendum, detrahendum, aut immutandum esse decernendo sub indignationis nostra pœna hac nostra perpetuo habitura constitutione, statuimus, & ordinamus. Si igitur omnes aliæ Liturgiæ quæ non sunt in Missali, penitus reijciuntur, consequenter, non possunt ab aliquo adhiberi.

5 Dicendum 2. *Missas concessas specialiter alicui Religioni, vt est Missa Rosarij concessa Prædicatoribus, non posse recitari ab alijs.* Ita Diana *part. 1. tractat. 14. resol. 55.* Auersa *quæst. 11. de Euchar. sect. 12. ver. Quando demum.* Ratio autem est, quia ita concessa fuit P. Prædicatoribus, vt simul, & semel prohibita fuerit cæteris à S. Rituum Congregat. *die 25. Iunij* 1622. & *die* 8. *Aprilis* 1628. Vnde iam constat de mente S. Congregationis, quæ non vult, quod speciales concessiones harum Missarum extendantur ad cæteros sed sistant intra terminos concessionis. Et proinde non potest fieri aliqua extensio concessionis, cum sit prohibita. Ratio autem prohibitionis in eo fundatur, quod Ritus Romanus non debeat in aliquo alterari, sed sit conseruandus vniformis apud omnes. Idem etiam S. Rituum Congregat. *eodem die* 8. *Aprilis* 1628. decreuit de Missa S. Mariæ de Carmelo, nempe vt sit tantum concessa Carmelitis, alijs verò prohibita.

6 Maior difficultas est, an hæ Liturgiæ specialiter aliquibus concessæ, adhiberi possint in Ecclesijs concessionariorum ab Exteris aduenantibus præsertim, quando celebratur solemnitas, pro qua Liturgia est instituta, nempe in celebratione S. Mariæ de Rosario. In qua re videtur standum consuetudini quæ potest interpretari prædicta Decreta. Seclusa autem consuetudine: negatiuè videtur resoluendum, quia cum dicta Decreta habeant annexam prohibitionem absolutam quoad alios, habebit quoque locum etiam quoad dictas Ecclesias, & solemnitates. Verba enim negatiua, & negatiuè concepta resistunt actui, & tollunt omnem potentiam, vt aduertit Gloss. *in l. 1. C. Ne fideiuss. dotis. den.* quam Gloss. singularem vocat Alex. *in l. si constante matrimonio, §. quoties, ff. soluto matrimon.* Accedit etiam, quod P. Prædicatores habent specialem Ritum in Missis celebrandis, sicut etiam aliqua specialia habent PP. Carmelitani. Vnde cum in eorum Ecclesijs continuò ab aduenantibus non seruetur Ritus ipsorum, nil mirum, si non sit seruandus etiam in eorumdem solemnitatibus.

7 Ex dictis colligitur. Peccaturum mortaliter eum, qui Liturgijs non concessis vteretur; vt desumitur ex prædicta Bulla Pij V. præfixa Missali ex illis verbis, *Sub indignationis nostræ pœna.* Stante enim præcepto dictæ constitutionis, ac pœna huiusmodi imposita, satis liquet, materiam esse grauem. Accedunt etiam rationes supra allatæ, quæ probant grauitatem peccati, nam priuata auctoritate inducerentur cultus, & ritus publicus nouus, quod est vsurpare auctoritatem Apostolicæ Sedis, ad quam solam spectat determinare huiusmodi cultum. Deinde offerrentur Deo preces nomine Ecclesiæ, quas eadem Ecclesia vetat offerri.

8 Secundò colligitur. Quod si quis teneretur aut ex voto, aut ratione stipendij, aut ratione legati, seu fundationis celebrare aliquam ex prædictis Missis specialiter aliquibus concessis satisfaceret obligationi celebrando aliquam Missam similem ex ijs, quæ sunt in Missali, vt de Missa Rosarij declarauit S. Rituum Congregatio *die 6. Maij* 1623. quod impleatur obligatio, si celebretur Missa votiua de B. Maria quæ est in Missali, & de Missa B. Mariæ de Carmelo *die* 8. *Aprilis* 1628. vt refert Gauantus *in Rubr. missal. part. 4. tit. 17. de rubr. Missar. votiu. &c. num. 9.* Quia cum hæ Missæ speciales non sint permissæ obligatio non extenditur ad ipsas: sed reiecta qualitate Missæ, quæ de iure est impossibilis, remanet obligatio quoad Missam, quatenus de iure possibilis est, iuxta ea, quæ tradit Bald. *in l. fin. in fine, ff. de condit. instit.*

QVÆSTIO 236.

An qualitas Missæ cadat sub obligatione.

SVMMARIVM.

1. *Rubricæ præscribentes qualitatem Missæ an præceptiuæ,* & num. seq.
3. *Qualitas missæ conuentualis vbi cadat sub obligatione graui.*
   Verba præceptiua inducunt grauem obligationem in materia graui.
4. *Congruentia missæ conuentualis cum officio est materia grauis, vbi est sub obligatione.*
5. *Cur non materia grauis, quando secundum se non cadit sub obligatione.*
6. *Congruentia missæ cum officio obligat sub mortali in festis solemnibus.*
7. *Congruentia missæ cum officio non obligat sub mortali.*
8. *Cur non sit materia grauis congruentia missæ cum officio in duplicibus.*
9. *Ex causa rationabili potest celebrari missa diuersa ab officio etiam in duplicibus.*
   Magis attenditur ratio, quam dictum.

IDem est, ac si quæratur, an adsit obligatio sequendi præscriptionem Rubricarum in celebratione Missæ, itavt non possit celebrari, nisi ea, quam aut præscribunt Rubricæ, aut permittunt. Prima autem sententia asserit. Rubricas præscribentes qualitatem Missæ non esse præceptiuas, sed tantum directiuas, & proinde non obligare, quia in hoc distinguuntur Rubricæ directiuæ à præceptiuis, quod illæ non obligant, sed tantum ostendunt, quid congruenter sit faciendum. Ita Suarez *disput. 83. de Eucharist. sect. 3. circa med.* qui alios citat. Filliuc. *tractat. 5. cap. 5. num.* 540. Portel. *in dub. regul. verbo,* Missa *num. 1.* Niger *in Addit. ad Ruiz part. 5. præsup. 1. quæst. 17.* qui alios citat. Brunus *de priuileg. part. 2. tractat. 8. cap. 5. propos. 3.* Fundamentum est, Quia, cum non adsit obligatio celebrandi Missam, multo minus potest adesse celebrandi talem, vel talem Missam. Quæ tamen ratio non subsistit. Quia licet Ecclesia non obliget ad celebrandum, potest tamen obligare volentem celebrare, ad celebrandum talem, vel talem Missam. Sic licet non obliget celebrare, obligat tamen volentem celebrare ad recitandam Missam ex approbatis, vt visum est in præced. 1

Secunda sententia, vult esse præceptiuas, subdit tamen, quod non obligant sub mortali, sed tantum sub veniali. Ita Henriquez *lib. 9. cap. 23. num. 5.* Villalob. *part. 1. sum. tractat. 8. difficult. 31. num.* .. Miranda *tom. 5. manual. quæst. 41. art. 21.* Garzia *in sum. tractat. 3. difficult. 8. dub. 6. punct. 2. num. 23.* Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disput. 4. dub. 14. num. 273.* Tamburin. *Opusc. de sacrific. miss. lib. 2. cap. 6. §. 5. num. 6.* Zanard. *part. 5. direct. Theol. cap. 12. de Eucharist. quæst. 14.* Llamas *part. 3. meth. cap. 5. §. 14.* Diana *part. 2. tractat. 14. resol. 30.* Tanner. *tom. 4. disp. 5. quæst. 10. dub. 5. num. 6.* Ioan. Henriquez *in sum. sect. 22. quæst. 56.* Quarrus *in Rubr. missæ quæst. proœm. sect. 2. punct. 7. ver. Secun-* 2

da sententia, & ver. *Diximus autem*, vbi declarat non inducere obligationem grauem sub mortali.

3 Dicendum 1. *Qualitatem Missæ conuentualis in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis cadere sub obligatione graui.* Ita Suarez *disp.* 83. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *In quo est*, qui hoc extendit etiam ad Ecclesias Parochiales. Quartus *in Rubr. Missal. loco cit. num. preceden. in fine.* Desumitur autem ex cap. *Cum creatura, de celebrat. Missar.* vbi Pontifex præcipit, quod in dictis Ecclesijs celebretur quotidie Missa vel de sancto, vel de feria iuxta temporis congruentiam; vtitur enim verbo, *Mandamus*, quod est præceptiuum. Verba autem præceptiua inducunt obligationem sub mortali, vt voluot Abbas *in cap. Nam concupiscentiam, num.* 2. *de constit.* Gabr. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *art.* 1. *in fine.* Angelus *verbo*, Lex. *num.* 3. Armilla *num.* 4. Sylvester *verbo*, Præceptum *quæst.* 2. Caiet. 2.2. *quæst.* 186. *art.* 9. *circa solut.* 2. Ioan. Medina *c. de ieiun. quæst. de necess. fernan. ieiun. ver. Vt igitur*, Azor. *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 5. Carbo. *de legib. lib.* 7. *disput.* 4 *proposit.* 2. Euerard. *in Topica ver. Loco ab æquipollen. num.* 11. Quod probant ex Clemen. *Exiui.* §. *eum igitur.* ver. *Declaramus, de verbor. significat.* Vbi Pontifex declarat, Regulam S. Francisci Obligare sub mortali, quando vtitur verbis præceptiuis, aut æquipollentibus. Quod intelligitur, quando alias materia est grauis, nam dantur præcepta nedum positiua sed etiam naturalia obligantia solum sub veniali, vt præceptum non mentiendi in re leui. Et ita hanc sententiam temperaot Medina 1.2. *quæst.* 96. *art.* 4. ver. *Secunda regula*, Vasquez *ibid. disp.* 158. *cap.* 4. *num.* 3. & 35. Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 26. Victoria *relect. de potest. ciuili, num.* 19. Aragon. 2. 2. *quæst.* 61. *art.* 3. ver. *Et si quis quærat.* Sanchez *lib.* 6. *sum. cap.* 4. *num.* 31. Molina *de iust. & iure tom.* 1. *disput.* 344. *in fine*, Sayr. *lib.* 3. *clau. reg. cap.* 7. *num.* 15.

4 Cum ergo conformitas Missæ cum Officio quoad Conuentualem iniungatur per verba præceptiua; si accedat grauitas materiæ, aderit obligatio sub mortali. Quod autem adsit grauitas materiæ ex eo colligitur, quia finis legis est obseruantia perfecta ritus Ecclesiastici in celebratione diuinorum officiorum, qui quidem est finis valde grauis, nam agitur de perfecta manutentione cultus Dei secundum perfectam præscriptionem Ecclesiasticam: qui si talis non manutenceretur in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis, nullibi talis conseruaretur, cum hæ sint destinatæ ad hunc perfectum cultum. Ex quo etiam capite resultat grauitas materiæ: quia ex institutione hæ Ecclesiæ habent pro fine cultum Dei, & splendorem Ecclesiæ resultantem ex celebratione diuinorum officiorum, propter quem cum tot prouentus parati sint, & tot ministri instituti, manifestum fit, quod habetur pro re graui, propter quam bene implicentur tot expensæ. Rursus si Missa conuentualis non concordet cum Officio, grauiter, & notabiliter læditur huiusmodi cultus, quia secundum partem principalissimam deficit à forma præscripta; & proinde consurgit notabilis deformitas.

5 Dices. Idem locum haberet etiam quoad alias Ecclesias, si Missa Conuentualis non esset conformis officio: & tamen non est peccatum mortale apud ipsas non seruare hanc conformitatem. Resp. Esse diuersam rationem quoad alias Ecclesias, nam imprimis quoad ipsas non adest obligatio de Missa Conuentuali, quod sufficit, vt manifestum fiat, quod neque lex intendit perfectam obseruantiam ritus Ecclesiastici in celebratione diuinorum officiorum, atque adeò cessat finis, ratione cuius materia accipit grauitatem. Rursus propter celebrationem diuinorum officiorum non sunt in alijs Ecclesijs constituti prouentus, & specialiter deputati in hunc finem ex institutione fundatorum ministri necessarij, & ideò non adest voluntas fundatorum obligans ad obseruantiam perfectam ritus Ecclesiastici; & quæ reddat grauem obligationem, si quidem facit, quod talis obseruantia sit debita ex pacto: cum voluntas ipsorum fuerit, quod celebrent diuina officia secundum ritum præscriptum ab Ecclesia: & consequenter etiam ex munere: itavt ministri Ecclesiæ ratione muneris teneantur ad hanc perfectam obseruantiam.

Dicendum 2. *Conformitatem Missæ cum Officio obligare sub mortali etiam in Missis priuatis in festis solemnibus, nisi adsit vrgens causa celebrandi alteram Missam.* Ita Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 12. ver. *Si quis autem*, Quartus *in Rubr. Missal. quæst. proœm. sect.* 2. ver. *Colligitur* 2. Quod debet intelligi, si publicè in Ecclesia celebretur. Quod reducunt ad peccatum scandali, quod generaretur ex huiusmodi celebratione. Dixi absque vrgenti causa, quia potest occurrere multiplex occasio, quæ sufficiat ad reddendam licitam Missam non congruentem cum Officio. Ratio autem est. Quia hi dies, quò magis solemnes sunt, & maiorem cultum exigunt ex institutione Ecclesiæ præsertim in celebratione diuinorum officiorum, vt constat ex praxi. Hic autem cultus, qui ex institutione Ecclesiæ est debitus Deo in his diebus, valde deformaretur, si non celebraretur missa diei, quia non redderetur honor Deo, & Sanctis, qui est ipsis assignatus pro tali die: & ideò deficiente causa rationabili, adesset quidam virtualis contemptus solemnitatis, & cultus instituti pro illa die in honorem Dei, & Sanctorum. 6

Dicendum 3. *Rubricam de Qualitate Missæ, quod scilicet sit conformis officio non obligat sub mortali, aut quod sit saltem talis, qualis conceditur iuxta Rubricas.* 7 Dixi *sub mortali*, quia dato, quod tunc Rubrica sit etiam tantum directiua, adhuc tamen negari non potest, quin directiuè præscribat ritum conuenientem, & proinde si non seruetur, quod ritui Ecclesiastico inferatur aliqua deformitas; & proinde quod ex hoc capite non interueniat peccatum veniale cum exhibeatur Deo cultus cum aliqua imperfectione ex eo, quod in aliquo licet leui, deficiat à Regula Ecclesiastica.

Ratio autem est. Quia tota præscriptio huius Rubricæ tendit ad id, quod in festis duplicibus missa sit conformis officio, nam in cæteris diebus conceduntur missæ, quæ sunt in missali, aut alias approbatæ. Vnde duo ex hac Rubrica consurgunt: vnum quod in his diebus missa concordet cum officio: alterum ille specialis cultus, qui exhibetur sancto ex eo, quod in eius honorem celebretur missa. Ex neutro autem capite consurgit grauis obligatio; non ex primo; nam cum in alijs diebus ista conformitas remittatur ab Ecclesia non videtur eam habere pro materia graui: nam si esset talis, non ita facile remitteretur; sicuti non remittitur in missis conuentualibus in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis. Non ratione secundi. Quia talis cultus est omninò voluntarius, itavt etiam qui tenentur celebrare illo die, non teneantur celebrare vt cultum deferant Sancto, sed aliunde cum autem sit voluntarius, potest illi non exhiberi: atque adeò qualitas missæ non cadit sub obligatione graui ratione cultus. 8

Ex his colligitur. Quod illud peccatum veniale, quod committeretur non seruando Rubricam quoad hanc qualitatem missæ, potest facilè excludi ex quacunque causa rationabili, ob quam alia missa celebretur ab ea, quæ esset celebranda. Ratio est. Quia ille defectus, qui alias esset in missa in ordine ad nor- 9

mam

mam Ecclesiasticam, excluditur ratione causæ concurrentis, quæ sicuti continet rationem, ita etiam facit rationabilem illam discrepantiam à Rubrica: cum autem sit rationabilis, atque adeò secundum regulas rationis, non potest continere deformitatem, cum totum, quod est secundum regulas rationis, sit honestum, & regulatum. Sicut enim ratio est fundamentum legis, ita etiam facit ipsam cessare, quando præponderat in opposito. Cum magis attendatur ratio, quàm dictum, *l. cum pater.* §. *dulcissimis, ff. de leg.* 2.

QVÆSTIO 237.

An Missæ votiuæ celebrari possint quocunque die.

SVMMARIVM.

1. *Missa votiua quando ex Rubricis celebrari possit.*
2. *Votiua Missa an celebrari possit sine peccato alio die quàm in præscriptis.*
3. *Celebratio Missæ votiuæ diebus permissis sine rationabili causa est veniale.*
4. *Vnde habeatur peccatum veniale.*
5. *Quilibet finis honestus sufficit, vt possit celebrari Missa votiua diebus permissis.*
6. *De quo arbitrio intelligatur cum Missæ votiuæ conceduntur arbitrio Sacerdotis.*
7. *Arbitrio commissum intelligitur de arbitrio boni viri.*
   Quod arbitrio relinquitur debet regulari secundum prudentiam.
8. *Quarti doctrina notatur.*
9. *Diebus permissis cum rationabili causa possunt passim celebrari Missæ votiuæ.*
   Sine rationabili causa aliquando possunt celebrari.

1 IN Rubricis generalibus Missalis tit. *De Missis votiuis,* Disponitur *num.* 3. quoad Missas priuatas, *Quæ tamen missa & omnes aliæ votiuæ in missis priuatis dici possunt pro arbitrio Sacerdotum quocumque die officium non est duplex, cum commemoratione eius de quo factum est officium, & commemoratione item festi simplicis, si de aliquo occurrat eo die fieri commemorationem in officio. Id verò passim non fiat sine rationabili causa. Et quoad fieri posse missa cum Officio conueniat.* Et idem repetitur etiam in Rubrica posita ante dictas missas votiuas. Insurgit autem difficultas; quomodo hæc Rubrica intelligenda sit, nam cum concedat has missas pro arbitrio Sacerdotum, & postea dicat, quod non fiat passim sine rationabili causa videtur destruere, quod concessit.

2 Est autem supponendum ex dictis in *præced. quæst.* præsertim *num.* 7. quod hæc Rubrica non obligat sub mortali, & ideo si celebraretur Missa votiua alio die, quàm in expressis, non esset peccatum mortale, & peccatum veniale posset excludi ex rationabili causa, vt dictum est *ibid. num.* 9. & proinde hæc Rubrica disponit solum id, quod concernit quemdam decorem accidentalem Ritus Ecclesiastici, qui tamen ex sui natura est facile relaxabilis, cum consistit in conformitate Missæ, cum officio, quæ relaxatur in festis semiduplicibus, simplicibus, & ferijs. Vt tamen hæc relaxatio non sit prodigalitas ritus Ecclesiastici, requiritur quod non mandetur exequutioni, nisi interueniat rationabilis causa, quæ ipsam faciat rationabilem, & eximat à prodigalitate. Difficultas autem est, qualis debeat esse ista causa rationabilis: & an, & quale peccatum sit, si deficiat causa rationabilis.

Dicendum 1. *Celebrare Missam votiuam diebus permissis absque rationabili causa esse peccatum veniale.* Ita etiam Quartus *in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 4. *dub.* 2. ver. *Dico secundò.* Ratio est. Quia dum non adest causa rationabilis, non adest finis honestus respectu assumptionis potius talis Missæ, quàm illius, quæ esset celebranda in conformitate ad officium; nam ipsa ratio, propter quam celebraretur, si adesset, apponeret finem honestum. Eò ipso autem, quod actus caret fine honesto, cum habere debeat aliquem finem, habebit finem malum venialiter, & proinde erit peccaminosus venialiter: aut saltem iuxta aliorum opinionem erit etiam absque fine, & tunc erit otiosus, & adhuc malus venialiter. Confirm. Si careat fine honesto, non habebit illam honestatem, quam influit finis: & carebit illa, quam vt directiua influit Rubrica: ergo erit actus deficiens à regula directiua, & hic defectus non supplebitur alia honestate; & proinde ratione talis defectus continebit peccatum veniale. 3

Dicendum 2. *Hoc peccatum veniale haberi ex vi Rubricæ.* Est contra Quartum *in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 4. *dub.* 2. ver. *Respondeo.* Ratio est. Quia licet Rubrica esset tantum directiua, & non obligaret ad peccatum; adhuc tamen præscriberet, quod absque rationabili causa non excluderetur conformitas Missæ cum officio: ergo, si excluditur absque rationabili causa, fit contra Rubricam directiuam, & ex eo, quod fit contra ipsam, actus euadit deficiens, vtpote carens aliqua perfectione, quam aliàs haberet ex directione Rubricarum: ergo erit peccaminosus ex eo, quod est contra directionem Rubricarum. 4

Dicendum 3. *Quemcumque finem honestum sufficere, vt possit celebrari Missa votiua diebus permissis.* Ita ferè Quartus *in Rubr. missal. part.* 1. *tit.* 4. *dub.* 2. ver. *Dico tertiò,* dum ait, sufficere quodlibet motiuum virtutis. Ratio autem est. Quia cum actus sumant suam speciem à fine, eo ipso, quod celebratio talis Missæ votiuæ habet finem honestum, sumit ab ipso illam speciem honestatis, quam aptus est refundere: ergo compensatur illa perfectio, quam haberet ex conformitate cum officio, & proinde excluditur defectus, cum loco vnius perfectionis ponatur altera. Confirm. Rubrica concedit celebrari has Missas votiuas ex rationabili causa; eò ipso autem, quod interuenit finis aliquis honestus, interuenit causa rationabilis, si quidem omne honestum est bonum rationabile, & ideò cum importet causam finalem, importat causam rationabilem. 5

Dicendum 4. *Quando Rubrica concedit has missas votiuas arbitrio Sacerdotis, intelligit de arbitrio quale debet esse, nempe regulato secundum rationem: & quod proinde sit verum arbitrium.* Ita ferè Tambur. *Opusc. de sacrific. miss. lib.* 2. *cap.* 6. §. 1. *num.* 3. dum ait, quod arbitrium & deuotio sumitur aliquantulum strictè, nempe pro rationabili, & ex causa. Verum non rectè hoc ait de deuotione; quia eò ipso, quod est deuotio est rationabilis, & habet causam rationabilem, nempe finem honestum, cum deuotio sit actus virtutis. Ratio autem est, quia cum arbitrium reguletur ratione, si non dirigitur recta ratione, non est verum arbitrium, sed deficiens à recto tramite: si verò regulatur recta ratione, habet causam mouentem propositam à ratione, atque adeò est arbitrium regulatum ex rationabili causa. 6

Confirm. Quando committitur aliquid arbitrio alicuius, non intelligitur de mera voluntate. Sed de arbitrio boni viri, & prudentis *l. Fideicommissa.* §. *si* 7

fidei

fideicommissum, ver. *Quamquam*, *ff. de leg.* 3. & *l. si sic*, *ff. de leg.* 1. & *l. si in lege*, *ff. locati*, & *l. in personam*, *§. generaliter*, *ff. de reg. iur.* & obseruaot Doctores *in l. si quis arbitratu*, *ff. de verbor. obligat.* Berolus *Consil.* 176. *num.* 72. *lib.* 1. Decian. *Consil.* 9. *num.* 53. *lib.* 1. Menoch. *Consil.* 422. *num.* 65. Et proinde dum arbitrio celebrantis relinquuntur Missæ votiuæ relinquuntur arbitrio regulato, & prudenti, atque adeò quod prudenti modo, seu ex causa rationabili sit eas celebraturus, ita vt prudentiæ Ipsius sit relicta celebratio; iuxta dict. *l. fideicommissa*, *§. fin. ff. de leg.* 3. & obseruaot Bal. *in l. vnicam*, *§. de autem*, *num.* 1. *C. de caduc. tol.* Menoch. *de arbitrar. iud. casu* 68. *num* 13. *lib.* 1. Et ideò quando Rubrica addit clausulam, *Id verò passim ne fiat sine rationabili causa*, declarat, de quo arbitrio intellexerit, non autem tollit arbitrium concessum.

8 Ex dictis colligitur. Non sibi cohærere, quod tradit Quartus *in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 4. *dub.* 2. ver. *Dico tertiò*. Nempe, quod licet celebrans Missam votiuam diebus permissis ex rationabili causa non peccet, Imò exerceat opus virtutis, non debeat tamen passim fieri, vt quoad fieri possit, Missa conueniat cum officio, vt monent Rubricæ de Missis priuatis. Nam Idem est, ac si diceret, quod cum debet passim exerceri opus virtutis. Rursus cum Rubrica dicat non absolutè, quod non debeat passim fieri, sed restrictè sine rationabili causa, ita vt neget faciendum passim solum, quando non adest causa rationabilis. Ipse absolutè dicit, quod non debet passim fieri etiam cum rationabili causa; in quo discordat à Rubrica. Pro quo citat etiam Castal. *in Praxi caremon. lib.* 2. *sect.* 6. *cap.* 4. *num.* 8.

9 Secundò colligitur. Quod cum Rubrica dicat, *Id verò passim non fiat sine rationabili causa*, sequitur, quod contradictoria affirmatiua huius propositionis sit secundum directionem Rubricarum. Contradictoria autem affirmatiua est. Passim fieri cum rationabili causa. Quia cum negatiua dicat, quod non existente causa rationabili, non est passim faciendum ablata vtraque negatione remanet, quod existente rationabili causa possit passim fieri. Rursus ex hac eadem Rubrica eruitur, quod etiam absque rationabili causa possit aliquando celebrari Missa votiua in prædictis diebus: & quod hoc non sit contra directionem Rubricæ. Si quidem Rubrica non dicit absolutè non esse celebrandas Missas votiuas sine rationabili causa; sed dicit non esse celebrandas passim. Dictio autem *Passim* importat frequentiam, & ideò solum intendit, quod non fiat frequenter sine rationabili causa; vndè si aliquando fiat sine rationabili causa, non erit contra directionem huius Rubricæ.

QVÆSTIO 238.

An quando Rubricæ vetant celebrari officium duplex, celebrari possint Missæ votiuæ.

SVMMARIVM.

1. *Quando non potest celebrari officium duplex, an possint celebrari Missæ votiuæ*, & num. seq.
3. *Rubricæ quando excludunt officium duplex, excludunt etiam Missas votiuas.*
4. *Dies priuilegiati quoad officium sunt speciali nota digni.*
   Quæ sunt speciali nota digna non comprehenduntur sub generali loquutione.
5. *In diebus excludentibus officium duplex potest celebrari Missa votiua ex rationabili causa.*
   Minor causa requiritur, vt possit celebrari priuatim.

ID contingit in quibusdam ferijs priuilegiatis, sicut etiam in quibusdam Octauis quoad diem infra octauam; in quibus, si occurrat festum cum officio duplici, transfertur Vnde dubitatur, an in his diebus concedantur Missæ votiuæ, si quidem conceduntur in semiduplicibus, & ferijs extra dies Dominicos. Et quidem id videtur asserendum quoad Missas priuatas, quia hi dies comprehenduntur sub illis, pro quibus conceduntur, & olim passim celebrabuntur, antequam emanaret declaratio S. Congregat. de qua infra. Vnde partem affirmatiuam loquens de ferijs hebdomadæ maioris tradit Quintanaduen. *tom.* 1. *singul. tract.* 7. *de celebrat. Missar. singul.* 40. *num.* 2. Subdit tamen, se consulere Sacerdotem, vt si in his diebus velit celebrare Missam, non publicè, sed in priuato Oratorio celebret. 1

Secunda tamen sententia tenet. Quod quando feria, aut dies infra octauam excludit officium duplex, non possint iuxta Rubricas celebrari Missæ votiuæ. Ita Gauant. *in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 4. *num.* 3. *littera O.* Diana *part.* 9. *tract.* 8. *resol.* 53. ver. *Verum ego*, Quartus *in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 4. *dub.* 4. ver. *Opposita sententia*, Lezana *tom.* 1. *quæst. regul. cap.* 21. *num.* 25. Et ita declarauit S. Rituum Congregat. vt refert Gauant. *citat*, & apud Barbosam *in collect. Bullar.* verbo. *Missa.* 2

Dicendum est. *Missas votiuas non concedi secundum Rubricas, in ferijs, & diebus infra Octauas excludentibus officium duplex.* Dixi secundum Rubricas, vt significarem, quod si celebrarentur, non interueniret alia violatio, quàm Rubricarum, & illud peccatum, quod continet huiusmodi violatio. Rursus vt ostenderem, quod illæ causæ, quæ faciunt cessare directionem Rubricarum quoad has Missas facient etiam cessare pro his diebus. 3

Ratio autem est. Quia cum isti dies, licet sint inferioris notæ quoad qualitatem ritus officij, excludunt tamen officium superioris, & eminentioris qualitatis, imò aliqui etiam officium primæ classis. Vnde speciali modo sunt priuilegiati, & tanquam magni momenti, sunt speciali nota digni, Cap. *fin. de præbend.* & cap. *cum clerici, de verbor. significat*, & obseruat Craueta *Consil.* 895. *num.* 21. Ex quo fit, quod indigeant speciali expressione, & consequenter non comprehendantur sub generali loquutione, *l. eos, C. de aquaduc.* & *l. obligatione generali, ff. de pignor.* & cap. *fin. de offic. Vicar. in* 6. & obseruant Afflict. *decis.* 111. *num.* 9. Craueta *Consil.* 880. *num.* 19. Alexand. *Consil.* 104. *in fine, lib.* 1. Corneus *Consil.* 80. *num.* 12. *lib.* 3. Vnde cum in Rubrica, in qua conceduntur Missæ votiuæ extra Dominicam in ferijs, & festis semiduplicibus, nulla fiat mentio de priuilegiatis, non censentur concessæ pro ferijs, & diebus infra octauam excludentibus officium duplex, & in hoc fundatur declaratio S. Congregat. Et soluta manet etiam ratio dubitandi, quæ erit fundamentum Quintanaduen. Qui citat Nauar. & Rodriquez, sed nihil habent, quod iuuet ipsius opinionem. 4

Ex dictis tamen colligitur. Quod cum in prædictis diebus, non obstante priuilegio, celebrari possit aliqua Missa votiua ex causa rationabili, vt infra dicetur; minor causa requiretur, vt celebrari possit in priuato Oratorio, quàm in publica Ecclesia. Quia scilicet cum priuilegium sit quoad celebrationem diuinorum Officiorum, & publicum cultum Deo exhibendum in illo die, minus detrahitur de pri- 5

priuilegio ſi in priuata Capella,& veluti priuato modocelebretur Miſsa votiua, quàm ſi celebraretur in publica Eccleſia, qoia cultus publicus minus læditur, quo minos publicè læditur, & ideò ſtante minore læſione, ſufficiet minor cauſa pro Iuſtificatione. Vnda idemetiam dicendum, ſi celebraretur in Eccleſia ianuis clauſis, aut abſque eoneurſu adſtantium, quia æquipolleret celebrationi ſecretæ.

QVÆSTIO 239.

An Miſſæ votinæ concedantur ſecundum Rubricas infra Octauam Corporis Christi.

SVMMARIVM.

1. *Octaua Corporis Chriſti eſt priuilegiata.*
2. *Infra Octauam Corporis Chriſti celebrari poßunt Miſſæ votiuæ.*
   Priuilegium eſt ſtrictè interpretandum, nec extenditur ad alium caſum.
3. *Octaua Corporis Chriſti in quo priuilegiata.*
   Cur excludat Officium ſemiduplex.
4. *Senſus Rubricæ de Miſſa infra Octauam Corporis Christi.*

1 HAnc quoque Octaoam eſse priuilegiatam, itavt non admittat Miſsas votioas cenſet Quartus *in Rubricas Miſsalis part.1.tit.4. dub.4.*ver.*Colligitur.* Prob. Dies infra Octauam Corporis Chriſti excludunt officium ſemiduplex. Etgo ſunt priuilegiati ſicut dies Dominici, pro quibus oon conceduntur Miſsæ votiuæ. Secundo. Ideò excluditur feſtum ſemiduplex, ne iofra Octauam omittatur Miſsa Feſti Corporis Chriſti: ergo ob eamdem rationem exeludeotur etiam Miſsæ votiuæ.

2 Dicendum tamen eſt. *Infra Octauam Corporis Chriſti, niſi occurrat feſtum duplex, poſſe ſecundum Rubricas celebrari Miſſas.* Ita Gauant. *in Rubr. Miſſal. part.1.tit.3. num.2. littera L.* ver. *Communior autem.* Ratio autem eſt, quia non eonſtat, quod ſint dies abſolutè priuilegiati; imò conſtat noo eſse priuilegiatos abſolutè, cum ooo excludant officium duplex. Vnde ex eo, quod exeludant officiom ſemiduplex, ſunt tautum priuilegiati ſecuodum quid & eom teſtrictione ad hunc ſpecialem eaſum, & ideò cum priuilegium ſit ſtrictè interpretandum cap. *Porrò de priuileg.* oec poſſit extendi ad caſum, qui in ipſo non contineturt cap. *Petiiſtis.* & eap. *Ex parte. de priuileg.* non poteſt, priuilegium excluſiuum ſemiduplicium extendi ad excludendas Miſsas votiuas. Præſertim, quia hi dies octauæ non excludunt aliquid quod exoludat Miſsas votiuas, ſicut excluduntur ab officio duplici; imò nec aliquid ipſi æquiualens, nam cum ſeioiduplicia quoad Miſsas axcluduntur à Miſſis votiuis, eeuſeotur inferioris notæ.

3 Ad 1. Reſp. ex dictis. Dies infra Octauam Corporis Chriſti eſse priuilegiaros ſecundum quid, nempe vt excludant ſemiduplex officiom, non autem quoad alia, & ideò non debet exrondi priuilegium, vt excludat Miſsas votiuas. Ad 2. Non excludi ſemiduplicia in illum finem, alioquin, ſi is eſset finis, deberent excludi etiam duplicia ſicut excluduotur, vt quàm freqoenter fieri poteſt in illa Octaua recitetur Officium Corporis Chriſti ad excitandam deuotionem.

4 Dices. Poſt Miſsam de Feſto Sacramenti adeſt Robrica, quæ habet. *Infra Octauam dicitur hæc eadem Miſſa.* Ergo non poſsunt eelebrari votiuæ. Reſp. Quod ſi ita accipienda eſset hæc Rnbriea, neque etiam eelebrari poſsent Miſsæ de ſancto, euius Officium eſt duplex. Senſus ergo eſt, quod iofra Octauam, quando celebraoda eſt Miſsa de Octaua, dicitur illa eadem Miſsa. Similis Rubrica haberor poſt miſsas aliorum feſtorum, vt poſt miſsam S. Laurentij, Aſsumptionis B. Virginis: & ramen hæ Octauæ non ſunt ita priuilegiatæ, vt excludant miſsas votiuas.

QVÆSTIO 240.

An quando Officium eſt duplex, ſed ad libitum, poſsint recitari Miſſæ votiuæ.

SVMMARIVM.

1. *Celebranda eſt Miſſa reſpondens officio, ſi ſit conuentualis, licet officium ſit ad libitum.*
2. *Recitans officium duplex ad libitum poteſt celebrare Miſſam votiuam.*
3. *Conformitas Miſſæ eum officio habet locum, quando officium obligat.*
4. *Difformitas eum officio in Miſsa non mutat ritum.*
5. *Inſeruientes Collegiatæ poſſunt celebrare Miſſas votiuas, licèt in choro recitetur officium duplex ad libitum.*
6. *Inſeruientes Collegiatæ in quo ſe debeant conformare communitati.*
7. *Non recitans officium ad libitum, an poſſit celebrare Miſſam illi correſpondentem.*
8. *Quando officium eſt ad libitum, & Miſſa, poteſt eligi vna pars alia omiſſa.*

DIfficultas procedit quoad præſcriptionem Rubrieatum, ao ſcilieet ſit contta ipſas eelebrare 1
Miſsas votiuas; & turſus quoad eos, qui reeitant officium duplex; nam eertum eſt, quod qui oon recitant, poſsunt eelebrare Miſsas votiuas iuxta dicta in ſuperiotibus. Supponendum eſt autem, qood in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, ſi reciteotur in Choro huiuſmodi officia, debet etiam celebrati Miſſa eonueotualis eonformis officio, oam io cap. *Cum creatura. De eelebrat. Miſſar.* ioiuogitur, quod miſsa Conoeotualis ſit cooformis officio ſeeuodum eongruitatem temporis: vode ſub eadem obligatione eſt celebranda, ac quælibet alia in eæteris diebus. Difficultas ergo eſt quoad Miſsas priuatas.

Dicendum 1. *Recitantem officium duplex ad libitum poſſe celebrare Miſſam votiuam.* Eſt cootra Quar- 2
tum *in Rubr. Miſſar. part. 1. tit. 4. dub. 12.* ver. *Reſpondeo.* Ratio autem eſt. Quia quod in tali die reeitari poſſit Officium illud duplex, ſicut eriam Miſsa, eſt priuilegium, quod reſpicit actus diſtinctos, & ſeparabiles, quales ſuot Officiom & miſsa, poteſt autem priuilegium aeceptari quoad voum actum, & non quoad alium. Vnde poteſt quis acceptare, & vti priuilegio quoad Officium, & nolle vti quoad miſsam, cum ſecundum ſe totum ſit liberum, & facultatiuum.

Dices. Priuilegium eſse quidem facultatioom, 3
quoad vſum: oon autem quoad ſeparationem miſsæ ab Officio; nam debet accipi ſecundum Rubricas, quæ volunt, quod quando Officium eſt duplex, miſſa ſit confotmis Officio. Contra. Rubrica hoe præſeribens loquitur de Officio, quod eadit ſob præeepto: & militat ſpecialis ratio quoad ipſum, quia tunc Eccleſia, ſeu Rubricæ pro illo die oon admittuot, niſi vnicum titum circa celebrationem Officij, & miſsæ: & ideò debet idem ritus manuteneri in vtroque. At quando Officium eſt ad libitum, Eccleſia, ſeu Robricæ pro illo die admittunt duplicem ritom nempe Officij, & miſsæ ad libitum, & Officij, & miſsæ currentis, & vtrumque relinquit volontati recitantis; & ideò poteſt recitare Officium iuxta voum ritum, & miſsam iuxta alterum, nam ſemper recitabit iuxta titum admiſsum pro illo die.

4 Obijcit Quartus. Facta electione Officij duplicis seruandus est ritus præscriptus pro eodem officio, nec potest ad libitum mutari : ergo non potest celebrari missa votiua. Resp. Seruandum esse ritum, quatenus se extendit electio, & ideò facta electione Officij, seruandus est ritus in officio, & cum electio non se extendat ad Missam non adest necessitas seruandi eumdem ritum in missa. Nec celebrare missam diuersam ab Officio, est mutare ritum, sed est vti ritu, qui admittitur ab Ecclesia pro eodem die; & se conformare partim in vno, & partim in alio ex ritibus admissis ab Ecclesia. Sola autem illa mutatio, & variatio ritus, non admittitur, quæ non admittitur ab Ecclesia. Sic qui recitaret officium duplex ob insignem reliquiam propriæ Ecclesiæ, si in alia Ecclesia celebraret, posset celebrare Missam ibi currentem, quia celebraret secundum ritum admissum ab Ecclesia pro illo die.

5 Dicendum 2. *Inseruientes Ecclesiæ Cathedrali, aut Collegiatæ, quando in Choro celebratur Officium duplex ad libitum, posse celebrare Missas votiuas priuatas.* Est contra Quartum *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 4. dub. 12. ver. Colligitur.* Prob. celebratio officij duplicis ad libitum, quatenus eligitur ab illo Collegio, seu Cathedrali, se extendit tantum ad chorum, & afficit ministros, non quatenus singulos, sed quatenus omnes simul, seu quatenus efficiunt vnum corpus : ergo tota obligatio, quæ consurgit ex electione talis officij, non egreditur communitatem, quatenus communitas est : ergo non afficit personas singulares seorsim, quatenus considerantur vti singulæ : ergo cum celebrent vti singulæ, remanent liberæ ab omni obligatione, quam potuissent contrahere ab electione officij ad libitum, cum sit electio communis, non autem facta à singulis vti singulis.

6 Dices singuli Sacerdotes inseruientes his Ecclesijs sunt partes, & membra illius communitatis, & Collegij : ergo saltem, dum celebrant in eadem Ecclesia, tenentur se conformare cum eo, quod facit communitas, quia turpis est pars, quæ discordat à suo toto. Ita Quartus *citatus num. preced.* Resp. debere se conformare cum communitate in eo, in quo sunt partes, & membra : non autem in eo, in quo non sunt. Sunt autem partes, & membra in ordine ad diuina officia in communi celebranda, quia sunt partes, & membra in ijs, quæ quoad seruitium Ecclesiæ tenentur exhibere ratione muneris; ratione autem muneris tenentur solum concurrere ad officia, quæ in communi celebrantur. Vnde cum non teneantur ratione muneris ad priuatas missas, neque etiam in ordine ad ipsas sunt partes, & membra, & ideò non tenentur se conformare. Accedit etiam, quod dato, quod tenerentur celebrare priuatas missas, non tamen tenerentur tanquam partes, & membra, & ideò neque adhuc tenerentur se conformare : cum enim pars, & membrum ordinetur ad compaginationem in toto, in eo tantum habet quis rationem partis, & membri, in quo ordinatur ad commonionem, & compaginationem vnius totius, quod in præsenti non habet locum quoad Missas priuatas, quia illas celebrant tanquam actiones singulares, sed tantum quoad celebrationem in communi diuinorum officiorum.

7 Dicendum 3. *Qui non celebrat officium duplex ad libitum, potest celebrare Missam correspondentem officio sub eodem ritu, sub quo celebratur, à recitantibus officium.* Ita etiam Quartus *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 4. dub. 12. ver. Dico secundò.* Non tamen percipio quomodo id admittat, cum talis Missa sub eo ritu neque sit conformis Officio, neque sit secundum ritum, sub quo Ecclesia admittit Missas pro illo die in consequentiam ad officium quod recitatur. Quod si dicat, esse secundum ritum, qui pro officio conceditur ad libitum, vrget difficultas, quod si potest eligi missa sub ritu concesso ad libitum absque electione Officij, poterit etiam eligi officium, & non missa, quod ipse non admittit, vt vidimus.

Ratio autem est; quia, vt dictum est *num.* 2. Officium, & missa sunt partes separatæ, & cum vtraque sit ad libitum, potest Sacerdos eligere, & acceptare tantum missam, & non officium. Confirm. Sacerdos recitato quocunque officio, potest celebrare missam diuersam sub ritu solemni, si celebret in Ecclesia, in qua celebratur talis missa, vt communiter docent, non alia ratione, nisi quia talis missa est concessa pro illa Ecclesia : ergo, etiam si non recitet officium duplex ad libitum, poterit celebrare missam sub ritu correspondente Officio, quia talis missa est concessa vnicuique in quocunque loco. 8

QVÆSTIO 241.

Quænam sint causæ sufficientes, vt possint celebrari Missæ votiuæ diebus, in quibus conceduntur.

SVMMARIVM.

1. *Missæ votiuæ quoad cultum saltem æquipollent currentibus.*
2. *Quilibet finis honestus sufficit pro Missis votiuis, & defunctorum, quando conceduntur.*
   Etiam in ordine temporali.
3. *Ex quibus finibus temporalibus possint recitari Missæ votiuæ.*
4. *Finis temporalis extrinsecus Missæ sufficit pro Missa votiua.*
5. *Finis honestus temporalis rectificat actionem.*
6. *Honestas intrinseca eidem Missæ sufficit pro Missa votiua.*
7. *Quæ honestas extrinseca sufficiat pro celebranda Missa votiua.*
8. *Honestas requiritur in causa finali, non in impulsiua in ordine ad celebrandum Missas votiuas.*

EX dictis in superioribus constat, quod non debent passim celebrari missæ votiuæ in diebus, pro quibus conceduntur absque rationabili causa. Dictum est etiam, quod quilibet finis honestus importat causam rationabilem. Nunc autem difficultas est, an hæc causa rationabilis debeat esse in eodem genere, atque adeò spiritualis, an verò sufficiat causa honesta temporalis. Rursus quanta debeat esse ista honestas, vt fundet causam rationabilem : & an debeat esse extrinseca missæ votiuæ, an verò sufficiat intrinseca. Est autem supponendum, quod si spectetur cultus, qui exhibetur Deo, & Sanctis, missæ votiuæ, si non præponderant currentibus in diebus, pro quibus conceduntur, saltem æquiualent, nam cultus Deo exhibitus est idem, nempè qui potest supremus exhiberi; si verò spectetur cultus Sanctorum, semper in missis votiuis exhibetur alicui Sancto, aut B. Virgini, aut Christo, aut Deo; & ideò fit commutatio vnius cultus in alium, quando recitantur missæ votiuæ, aut æqualem, aut etiam maiorem. Imò etiam in missis defunctorum, quia interueniunt preces Deo oblatæ nomine Ecclesiæ pro defunctis, atque adeò illud speciale suffragium, de quo lætantur omnes Sancti, interuenit aliquid, quod potest compensare illum specialem cultum aliarum missarum. 1

Dicendum 1. *Vt possint celebrari Missæ votiuæ, & etiam defunctorum in diebus, pro quibus conceduntur sufficit* 2

ſufficit quilibet finis honeſtus, etiam in ordine temporali. Exiſtimo, ita omnes ſentire, quamuis id in ſpecie non exprimant. Tradit tamen Tamburin. *Opuſc. de ſacrific. miſſ. lib. 2. cap. 6. §. 1. num.* 10. Conſonat etiam praxis Eccleſiæ, dum paſſim celebrantur Miſſæ votiuæ ob finem temporalem. Prob. Poteſt ſacrificium ipſum offerri pro fine temporali obtinendo, ita vt ſubſtantia ſacrificij ſecundum ſuam vim impetratiuam ordinetur ad hunc finem obtinendum; ſi quidem Concil. Trident. *ſeſſ. 22. cap. 2. de ſacrific. miſſ.* declarat, quod ſecundum Apoſtolorum traditionem ritè offertur pro omnibus neceſſitatibus: ergo à fortiori poterit etiam recitari Miſſa votiua ex fine honeſto temporali, & proinde erit ſufficiens cauſa celebrandi talem, vel talem Miſſam votiuam.

3 Confirm. Eccleſia inſtituit aliquas ſpeciales Miſſas ordinatas ad fines temporales, vt eſt Miſſa pro infirmis, quæ ordinatur ad obtinendam ſalutem corporalem; Miſſa pro Pace tempore belli, pro vitanda mortalitate. Et ſimiliter etiam aliquas ſpeciales Collectas ordinatas ad fines temporales: ergo quando concurrant hi fines temporales, aderit ſufficiens cauſa pro celebranda Miſſa votiua. Confirm. 2. Quia Eccleſia pro re graui concedit Miſſas votiuas etiam ſi temporalis ſit, recitari, non ſolum in duplicibus, ſed etiam in diebus feſtis.

Dicendum 2. *Non ſolum finem honeſtum tempora-*
4 *lem, ad quem ordinetur vis impetratiua ſacrificij eſſe ſufficientem, vt poſſit celebrari miſſa votiua, ſed etiam finem honeſtum temporalem extrinſecum miſſæ, & qui ſit tantum finis eiuſdem celebrantis.* Prob. Finis honeſtus, licet temporalis, operantis ſufficit ad rectificandam actionem alias de ſe licitam, & proinde facit, quod ſit ſecundum rectam rationem: ergo etiam ſubminiſtrat cauſam rationabilem pro celebranda Miſſa votiua. Anteced. conſtat. Nam honeſtas, quam importat finis, eſt honeſtas participata, & proinde ſubordinata Deo tanquam fini vltimo, & ſummo honeſto, & proinde mouet ad operandum non virtute eiuſdem vltimi finis, & conſequenter facit, quod operatio procedat virtuali modo ex motione vltimi finis, atque adeò quod virtuali modo tendat in ipſum. Eo ipſo autem, quod virtuali modo tendit in vltimum finem, eſt recta, & ſecundum regulas rectæ rationis. Conſeq. prob. Eo ipſo, quod facit, quod operatio ſit ſecundum regulas rectæ rationis, ipſe continet in ſe obiectiuo modo rationem finalem refundentem ſpecificationem in operationem, per quam commenſuratur rectæ rationi, hoc autem eſt ſubminiſtrare ſufficientem rationem pro Miſſa votiua. Pro qua ſolum requiritur illa ratio, quæ reſtringat arbitrium ad terminos honeſtatis, & faciat, quod electio Miſſæ votiuæ relicta Miſſa de tempore non ſit irrationabilis, ſed habeat cauſam, ſeu finem talem, vt poſſit rationabiliter eligi.

Dicendum 3. *Vt licitè ſecundum Rubricas recite-*
5 *tur miſſa votiua, ſufficit honeſtas intrinſeca eidem miſſæ.* Hoc eſt, ſufficit, ſi celebrans habeat pro fine ipſum finem, ad quem ex ſe ordinatur Miſſa. Hunc autem finem cenſetur habere eò ipſo, quod celebrato talem Miſſam votiuam, v. gr. B. Virginis; nam dum vult celebrare talem Miſſam votiuam vult cultum, qui defertur Deo ratione precum, aut Sanctis, quæ in illa Miſſa recitantur, ſeu vult illum cultum quem in illa Miſſa Eccleſia inſtituit. Ratio autem eſt; quia talis cultus tanquam actus virtutis religionis fundat rationabilem cauſam; cum rationabili autem cauſa poſſint iuxta Rubricam celebrari ad libitum Miſſæ votiuæ.

6 Dicendum 4. *Honeſtas extrinſeca mouens ad celebrandam miſſam votiuam, non debet neceſſariò præponderare conformitati miſſæ cum Officio, ſed ſatis eſt, quod ſufficiat ad operandum rationabiliter.* Et hoc locum habet ſiue honeſtas hæc ſit ſpiritualis, ſiue temporalis. Ratio eſt; quia non tenemur ſemper eligere maius bonum, ſed poſſumus prudenter eligere minus ex eo, quod hic, & nunc magis conducat ad aliquem finem particularem: ergo cum Rubricæ non exigant abſolutè celebrationem Miſſæ conformis officio, ſed concedant Miſſas votiuas concurrente rationabili cauſa, non requiritur, quod hæc honeſtas præponderet, ſed ſufficit, ſi fundat cauſam rationabilem; nam tunc interuenit totum id, quod requirit Rubrica, ſi quidem poteſt eligi Miſſa votiua ex fine inferiori quoad honeſtatem reſpectu finis conformitatis cum officio, & electio erit rationabilis, quia hic, & nunc expediet huiuſmodi electio.

Ex dictis colligitur. In hac materia eſſe diſtinguen- 7
dam cauſam impulſiuam celebrationis Miſſæ votiuæ à cauſa finali. Poteſt enim quis ex aliqua cauſa habere primum impulſum celebrandi talem Miſſam, & non ſiſtere in ipſa, ſed ordinare celebrationem ad alium finem, & ſaltem ad illum, ad quem ex ſui natura ordinatur, qui eſt cultus ille ſpecialis, qui in ipſa continetur. Quando autem inquiritur cauſa rationabilis celebrandi illam Miſſam, non intelligitur de impulſiua, ſed de cauſa finali. Quia cum finis regulet omnes operationes, iuxta ipſum attendenda eſt rationabilitas, vel irrationabilitas eorumdem; fieri enim poteſt, quod finis ſit rationabilis, & quod cauſa impulſiua non ſit rationabilis, vt ſi eſſet breuitas Miſſæ.

QVÆSTIO 242.

Quænam ſint cauſæ particulares, ob quas celebrari poſſint Miſſæ votiuæ.

SVMMARIVM.

1. *Deuotio eſt cauſa ſufficiens celebrandi Miſſas votiuas.*
2. *Voluntas teſtatorum, & fundatorum ſufficit pro celebranda Miſſa votiua.*
3. *Inſtantia petentis miſſam votiuam an ſit ſufficiens cauſa celebrandi.*
4. *Obligatio ex quocunque titulo iuſtificat miſſam votiuam.*
5. *Incommodum ex celebratione miſſæ currentis an iuſtificet votiuam.*
6. *Si Sacerdos ægrè legat miſſam currentem, poteſt recitare votiuam.*
7. *Carentia Miſſalis continentis Miſſam celebrandam ſufficit vt recitetur votiua ſicut etiam apparatus minus decens pro currenti.*
8. *Aliæ cauſæ, in quibus eſt aliqua honeſtas ſufficiens pro miſſis votiuis.*
Defunctorum Miſſa ex quibus cauſis celebrari poſſunt.

Difficilè certè, ſi non impoſſibile eſt recenſere 1
omnes cauſas particulares, ob quas rationabiliter celebrari poſſunt Miſſæ votiuæ: vndè ſolum aliquæ recenſebuntur, vt ex ipſis de alijs ſimilibus iudicium ferri poſſit. Prima ergo cauſa eſt deuotio celebrantis, quam inter alias recenſet Tambur. *Opuſc. de ſacrific. miſſ. lib. 2. cap. 6. §. 1. num.* 11. ſubdit tamen, debere eſſe non modicam. Verum non video, cur, ſi ſit modica non ſufficiat; nam adhuc habet celebrans finem honeſtum in genere ſpirituali, & ſtante modica deuotione magis proficere poteſt ex celebratione Miſſæ votiuæ quàm ex celebratione currentis: vndè agitur de maiori bono ſpirituali celebrantis.

Quis autem dicat maius bonum spirituale celebrantis non esse causam rationabilem celebrandi Missam votiuam? Præsertim cum Rubrica in genere solum requirat causam rationabilem, non autem hanc, aut illam, sed quamcunque non vt celebretur, sed vt passim celebretur.

2 Secunda causa est voluntas Testatorum, seu Fundatorum. Ita etiam Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 6. §. num. 13.* Quod existimo certum à fortiori ex declaratione S. Congregat. Rituum, vt dicemus infra. Cum enim declarauerit, quod etiam in duplicibus festis, quæ non sunt de præcepto possint celebrari Missæ de Requiem pro implenda testatorum voluntate, quæ tamen secundum Rubricas celebrari non possunt, à fortiori celebrari poterunt in diebus, in quibus permittuntur: nam si est causa rationabilis pro festis duplicibus, multo magis erit pro semiduplicibus, & ferijs.

3 Tertia causa est instantia eorum, qui petont offerri sacrificium iuxta propriam intentionem. Et quamuis nonnulli dicant, quod non sit habenda ratio cuiuscunque deuotionis petentis talem Missam, quia sæpe est indiscreta, existimo tamen, sufficere quamcunque deuotionem. Ratio est; quia, vt dictum est, secundum Rubricas sufficit, quæcunque causa rationabilis, vt etiam passim fiat, inseruite autem deuotioni fidelium, quæcunque illa sit, est finis honestus, & proinde importat causam rationabilem; Præsertim quia fieri potest, quod Sacerdos putet exiguam esse deuotionem petentis Missam, & tamen aut sit magna, aut saltem considerabilis. Confirm. Quæcunque deuotio in Sacerdote sufficit, vt celebret Missam votiuam cum in hoc exerceat actum religionis: ergo sufficiet etiam in alijs, vt celebret ad ipsorum instantiam, nam cooperatur eorumdem deuotioni.

4 Quarta causa est obligatio ex quocunque titulo oriatur, siue ratione stipendij, siue ratione promissionis, siue ratione obedientiæ, quando scilicet superior id præcipit, ad quod reducitur etiam exigentia Sacristæ, siue ex quocunque alio capite. Ita etiam Quattus *in Rubricas Missalis part. 1. tit. 4. dub. 2. ver. Dico tertiò.* Ratio est; quia adimplete obligationem nedum est quid honestum, sed etiam debitum, vel ex iustitia, vel ex fidelitate, vel ex aliquo alio capite: ergo subministrat causam rationabilem celebrandi Missam votiuam, nam soluere debitum est secundum regulas rationis rectæ; & non solum infert causam rationabilem, sed etiam necessariam. Confirm. Non soluere debitum est etiam in materia leui peccatum veniale: ergo celebrare Missam votiuam ob soluendum debitum habebit causam rationabilem nempe peccatum vitare.

5 Quinta causa est incommodum quod prouenitet celebranti, si recitaret Missam currentem. Etiam si hoc incommodum sit temporale, & non sit notabile. Vt si esset valetudinarius, & recitaret Missam votiuam, quia breuior; aut quia esset occupatus aliquo negotio, aut studio; aut quia ob debilitatem oculorum, seu capitis pateretur legendo Missam, & recitaret votiuam, quam ferè memoriter tenet. Ita etiam Quattus *part. 1. in Rubr. Missal. tit. 4. dub. 2. ver. Dico secundò, in fine.* Ratio est; quia leges, quæ obligant grauiter, cessant obligare, quando concurrit notabile incommodum: ergo Rubricæ, quæ aut non obligant, sed sunt solum directiuæ, aut obligant solum sub veniali, cessabunt obligare concurrente, incommodo etiam non notabili. Accedit etiam, quod vitare incommoda est secundum dictamen luminis naturalis, & fundatur in illo primo principio, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris,* & in illo, *Omne malum est fugiendum.* Ergo continet causam rationabilem, atque adeò sufficientem, vt possit celebrari Missa votiua.

Sexta causa est. Si Sacerdos malè legeret, & cum 6
difficultate Missas, quæ rarò, aut semel tantum in anno solent celebrari; tunc enim posset celebrare votiuam, aut de Requiem quam expeditè legeret. Ratio est, quia legere impingendo, aut male pronunciando generat fastidium in adstantibus, & sinistra iudicia, quia putant procedere ex ignorantia, quod procedit ex defectu naturali. Vnde causat detrimentum deuotionis in audientibus: ergo ex hoc consurgit causa rationabilis celebrandi aliam Missam, quam expeditiori modo legat, & sine offensione audientium. Imò his consulendum est, vt quotiescunque possunt, celebrent Missas, quas expeditè, aut saltem minus impingendo recitare possunt.

Septima causa est carentia Missalis, quod contineat Missam celebrandam de tempore, si nimirum 7
esset imperfectum; tunc enim poterit celebrare Missam votiuam. Ita Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 6. §. 1. num. 9.* Et addi potest, si vestes sacræ, aut apparatus Calicis pro Missa currenti esset minus decens, aut quia lacer, aut quia sorderet, & adesset coogruus pro Missa votiua. Nam in hoc reperitur causa rationabilis celebrandi Missam votiuam, quia dum concurrit decor celebrationis, melius est ipsum seruare, quantum fieri potest, quam seruare congruentiam Missæ cum officio. Et hoc habet locum, etiam si apparatus pro missa currenti esset solum modicè indecens, nam adhuc vitare hanc indecentiam est causa validè rationabilis.

Ex his autem causis colligi possunt aliæ similes, 8
quæ sufficiant, vt celebratio missæ votiuæ in diebus, pro quibus permittuntur, fit secundum Rubricas, & excludatur peccatum veniale, applicando regulam generalem. Quod quotiescunque interuenit finis honestus, interuenit etiam causa rationabilis, quæ vt dictum est attenditur penes causam finalem, an penes impulsiuam. Est autem aduertendum quod plures ex istis causis, & cæteræ proportionaliter applicari possunt etiam missis defunctorum, quæ semper celebrari poterunt, ex fine iuuandi defunctis medijs precibus, quæ in ipsis Deo offeruntur nomine Ecclesiæ: siquidem hic est finis valdè honestus cum contineat actum pietatis erga defunctos, & importat causam valdè rationabilem.

QVÆSTIO 243.

An Missa votiua solemnis celebrari possit in duplicibus, & festis de præcepto.

SVMMARIVM.

1. *Missa votiua quatenus concedantur ex Rubricis.*
2. *Missa votiua solemnis celebrari potest in duplicibus, & festis de præcepto.*
3. *Votiua Missa solemnis ex graui causa præferenda conformitati cum officio.*
   Interpretatio sumenda, quæ est verisimilis.
4. *Prohibitio missarum votiuarum cessat concurrente causa in contrarium.*
5. *In festis primæ classis an possit celebrari Missa votiua solemnis.*
6. *Dispositio habet locum, quando concurrit causa finalis.*
7. *Quænam sint causæ graues, ob quas liceat in festis Missa votiua solemnis.*
8. *Festiuitatis celebratio est sufficiens vt possit celebrari Missa votiua solemnis.*

9. Quan

9. *Quando celebratur Missa votiua solemnis, an celebranda etiam solemnis de tempore.*

1 EX Rubricis *tit. 4. de Missis votiuis num. 3.* Constat, quod Missæ votiuæ non conceduntur in Dominicis, nec quando Officium est duplex. Vnde hinc oritur difficultas, an in his diebus celebrari possit missa votiua solemnis: & augetur difficultas, quia in eadem Rubrica missæ votiuæ videntur concedi solum in missis priuatis, ibid. *In missis priuatis dici possunt pro arbitrio Sacerdotis, &c.* Vnde non videtur concedi missa solemnis votiua.

2 Dicendum tamen. *Ex causa rationabili celebrari posse missas votiuas solemnes in duplicibus, & etiam in festis de pracepto.* Ita Gauantus *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 4. num. 3. litteris O. in fine*, Quartus *in Rubr. item Missal. part. 1. tit. 4. num. 3.* ver. *Nota secundo.* Qui tamen excipiunt dies festos maiores, seu primæ classis. Tamburin. *Opusc. de sacrific. missa lib. 2. cap. 6. §. 1. num. 4.* Et constat ea praxi Ecclesiæ; nam frequenter celebrantur missæ votiuæ solemnes in festis de præcepto. Ratio autem est; quia Rubricæ, quæ vetant in his diebus missas votiuas non loquuntur de solemnibus, sed de illis, quæ priuatim à sacerdotibus celebrantur, nam in Rubr. Generalibus *tit. 4. num. 3.* dicitur, *In missis priuatis, &c.* & in Rubrica præfixa missis votiuis. *Sequentes missæ votiuæ, licet pro sacerdotis deuotione dici possint per hebdomadam, quando festum non occurrit*, hoc est duplex. Verba enim *Pro sacerdotis deuotione*, indicant priuatam celebrationem in qua sacerdos satisfaciat propriæ deuotioni: ergo missa solemnis votiua non comprehenditur sub hac Rubrica tanquam ea, quæ est speciali nota digna, vtpote quæ non nisi ex graui causa celebrari soleat.

3 Confirm. Non est verisimile, quod Rubricæ tanti faciant conformitatem missæ cum officio pro his diebus, vt velint excludere solemne sacrificium Deo offerendum, & solemnes preces Ecclesiæ offerendas ea graui causa, & velint priuare fidales tali consolatione, vt possint hoc modo confugere ad Deum: ergo cum sit sumenda illa interpretatio, quæ est verisimilis, vt tradunt Aleaand. *Consil. 179. num. 13.* ver. *Ex quibus, lib. 5.* Crauetta *Consil. 363. num. 26.* Tusch. *littera I. conclus. 330. num. 10.* concludendum est, quod in his diebus non prohibeant missas solemnes votiuas.

4 Confirm. 2. Missæ votiuæ etiam priuatæ non prohibentur his diebus sub mortali, vt communiter docent, vt vidimus in superioribus: ergo non est materia grauis, nam si esset talis, prohibitæ fuissent sub mortali: ergo concurrente aliqua causa graui faciet cessare prohibitionem, quia præponderabit motiuo Rubricarum, seu prohibitionis.

5 Dicendum 2. *Etiam in festis prima classis posse cantari missas votiuas solemnes pro re graui.* Desumitur ea instructione edita hic Romæ, *Pro Oratione continua quadraginta Horarum*, in qua præscribitur, quod in quacunque Ecclesia tàm quando incipit, quàm quando completur Oratio quadraginta Horarum celebretur Missa votiua solemnis de Sanctissimo Sacramento. Contingit autem frequentissimè, quod hæc Missa celebretur in festis primæ classis, præsertim titularium Ecclesiæ, cum in illis diebus contingat exponi Eucharistia pro dicta oratione. Vnde si pro hac causa graui celebratur missa votiua poterit etiam celebrari pro alia.

6 Ratio autem est; quia Missa votiua solemnis conceditur pro graui causa: ergo quotiescunque vrget grauis causa, etiam si sit festum primæ classis, poterit celebrari; quia dispositio, & concessio habet locum, quotiescunque locum habet causa finalis ipsius, à qua trahitur, & restringitur, iuxta *l. illud, C. de sacrosanct. Eccles.* & *l. his solis*, ver. *Satis etiam cautè, C. de reuocat. donat.* & notant communiter cum Gloss. *in cap. 1. verbo*, Italia. *de tempor. ordina.* Præsertim quia grauis causa potest facere cessare etiam legem, quæ obligat sub mortali, nedum Rubricam, quæ ad summum obligat sub veniali.

Verum dubium remanet, quænam sint causæ graues, ob quas liceat in diebus festis etiam solemnibus celebrare Missas votiuas solemnes. Resp. Esse omnes causas publicas, ita etiam Tamburin. *Opusc. de sacrific. miss. lib. 2. cap. 6. §. 1. num. 9.* ver. *Respondeo.* Causæ autem publicæ sunt illæ, quæ concernunt communitatem, seu publicam vtilitatem, & consequenter personas publicas, Pontificem, Episcopos, Principem, Magistratum, &c. Publicæ quoque causæ sunt illæ, quæ concernunt communitates aliquas speciales, vt sunt communitates Religiosorum, Vniuersitates, &c. Quando ergo causa concernit aliquam communitatem, aut personam publicam, quæ sit caput communitatis, erit sufficiens pro celebranda in dictis diebus Missa solemni votiua. Vnde celebrari poterit pro quacunque necessitate publica, aut Principis, seu Antistitis salute: quando agendæ sunt gratiæ pro aliquo beneficio publico: quando celebranda sunt Capitula Generalia, aut Prouincialia Religionum, & in alijs similibus occasionibus. 7

Ex quo fit; quod si in aliqua Ecclesia contingat, celebrari aliquam festiuitatem, vt ob erectionem alicuius deuotæ imaginis, præsertim B. Virginis, cum populi concursu eo die, in quo non celebratur Officium, nec Missa correspundens festiuitati, poterit celebrari Missa solemnis votiua correspondens festiuitati. Si quidem celebratio tanquam publica sicut excitat concursum populi, ita etiam subministrat causam publicam, nam agitur de communi deuotione, & cultu, qui Deo, & Sanctis exhibetur in illa die. Et æquitas exigit, quod deuotio Populi secundetur saltem Missa votiua correspondenti. 8

An autem celebranda sit Missa altera solemnis de die, affirmant Gauantus, Quartus, Tamburin. supra *num. 2. citati*, Castal. *in Praxi caremon. lib. 2. sect. 6. cap. 4.* Verum, si loquamur quoad obligationem id solum locum habet quoad Ecclesias Cathedrales, & Collegiatas, quia cap. *cum creatura, de celebrat. Missar.* quando mandat, quod præter anniuersaria celebretur quotidie Missa de tempore conuentualiter, de his tantum Ecclesijs loquitur: & ideò in his ratione alterius Missæ conuentualis non potest omitti conuentualis de tempore; sicut non potest omitti, vt in dicto cap. ob Missam conuentualem anniuersarij. Idem etiam dicendum est quoad Ecclesias, quæ aliunde subsunt obligationi de Missa conuentuali de tempore. Cæteræ autem Ecclesiæ non habent hanc obligationem, quamuis alias in ipsis consueuerit celebrari Missa conuentualis de tempore. Si enim non obligantur ad conuentualem, quamuis aliàs consueuerint celebrare, sicut possunt omittere, ita possunt etiam commutare in votiuam solemnem. Quod etiam habet locum apud Regulares, qui obligantur ex solis proprijs constitutionibus non obligantibus sub peccato, nam possunt interpretari, quod obligent solum ad Missam solemnem, non autem absolutè ad Missam solemnem de tempore. Fateor tamen conuenientius esse, & cultui diuino congruentius, si celebretur etiam Missa de tempore. 9

QVÆSTIO 244.

An in Dominicis feriis priuilegiatis duplicibus, & festis de pracepto celebrari possint ex aliqua causa Missæ votinæ.

SVMMARIVM.

1. *Celebrare Missas votiuas, quando excluduntur à Rubricis, non est peccatum mortale.*
2. *Ex causa rationabili Missa votiaa celebrari possunt, quande non concedantur.*
   Lex non disponit de singulis casibus, sed de eo, qnod plurimum fit.
3. *In duplicibus celebrari possunt Missæ de Requiem pro implenda voluntate testatorum.*
4. *Quo dies est solemnior maior causa requiritur, vt possint celebrari Missa votina.*
5. *Exequiæ sunt sufficiens causa, vt celebrentur in Festis Missa de Requiem.*
6. *Non posse celebrare aliam Missam, vel solum cum iacommodo est causa sufficiens, vt in festis celebrentur Missa votinæ, & de Requiem.*
7. *Rubrica quomodo intendant cultum diuinum,*
8. *Cum officium est duplex possunt celebrari Missa votina ex dispositione fundatoris.*
9. *Debilitas sufficit, vt recitetur Missa votina, quando currens est longior, vt cum recitatur Passio, &c.*
10. *Sacerdos potest recitare Missam, quam memoriter tenet, si cum incommodo recitaret currentem.*
11. *Ex priuata necessitate potest recitari Missa votiua, quando nam conceditur.*
12. *Missa votina, an recitanda, si deficiat congruus apparatus pro curenti.*

1 Ex dictis in superioribus constat in his diebus celebrare Missam votiuam, aut nun esse peccatum, aut saltem nuo est graue, quod præter Doctores ibi citatos, tradunt etiam Reginal. *lib. 19. Praxis fori pœnit. num.* 208. Bonac. *disput. 4. de sacrament. quæst. vltim. punct. 7. §. 3. num. 5.* quod procedit de priuatis, & seclusis diebus solemnibus, quando non adest causa vrgens, vt cum Auersa, & Quartu *ibidem* explicatum est. Nunc autem videndum est, an cum causa possit in diebus celebrari Missa votiua priuata.

2 Dicendum. *Ex causa rationabili posse in diebus Dominicis, duplicibus, festis de pracepto, & solemnibus celebrari Missas votiuas.* Ita Tambutin. *opusc. de sacrific. Miss. lib. 5. cap. 6. §. 1. num. 12.* Quartus *in Rubric. Missal. quæst. proœm. sect. 2. punct. 7.* ver. *Colligitur primò.* Et hæc est habenda pro regula generalis. Et fundatur in eo, quod Rubricæ præscribunt id quod est regulariter seruandum: imitantur enim leges, quæ disponunt de eo, quod vt plurimum fit, *leg. 4. ff. de legib.* nec possunt de singulis casibus recurrentibus disponere. *leg. Iura ff. eod.* & ideò relinquunt casus extraordinarios regulandos regulis prudentiæ. Et ideò quando occurrit aliqua causa rationabilis celebrandi aliam Missam ab ea quæ esset secundum præscriptionem Rubricarum, cessat dispositio Rubricarum, vtpote, quæ non comprehendunt illum casum tanquam extraordinarium, & in quo non habet locum finis earumdem Rubricarum.

3 Confirmat. In festis duplicibus celebrari possunt Missæ Defunctorum pro implenda testatorum voluntate, vt declarauit sacra Rituum Congregatio, *die primo Septembris* 1607. & *die vigesimo Iunij* 1656. referente Gauanto *parte prima in Rubricas Missalis, titulo quinto, numero secundo,* ver. *Sacra tamen.* Ergo præscriptio Rubricarum, quod non celebrentur Missæ Defunctorum in duplicibus admittunt restrictionem, vt scilicet non extendatur ad casus, in quibus adest rationabilis causa eas celebrandi: ergo eamdem restrictionem admittet etiam quoad Missas votiuas.

Dicendum secundùm. *Quò dies festus est solemnior, aut magis priuilegiatus, eo maior causa requiritur vt possit celebrari Missa votiua.* Et proinde aliqua causa, quæ sufficiet, vt possit celebrari in duplici, non sufficiet, vt possit celebrari in die festo de præcepto. Ratio est. Quia licet Rubricæ non obligent in hac parte ad mortale, præscribunt tamen aliquid conueniens ritui in ordine ad cultum diuinum: & ideò, vt non solum absque peccato mortali procedatur, sed insuper etiam conuenienter respectu cultus diuini, debet causa rationalis importare talem conuenientiam, quæ præponderet conuenientiæ præscriptæ à Rubricis, alioquin in æqualitate præferenda est conuenientia Rubricarum, quia publica auctoritate præscripta: ergo cum maior sit conuenientia præscripta à Rubricis quoad ferias magis priuilegiatus, & quoad dies festos magis solemnes, debet causa esse maior quoad ipsos, quàm quoad alios dies. 4

Confirm. Exequiæ defunctorum præsente corpore sunt sufficiens causa, vt celebretur in festis de præcepto Missa de Requiem, vt declarauit S. Rituum Congregat. *die 23. Maij* 1603. Deferente Gauant. *part. 1. in Rubric. Missal. tit. 5. num. 2. littera X.* & *in Manuali, verbo* Missa, *num. 57.* & tamen hæc causa non sufficit, vt possit celebrari talis Missa in diebus Festis solemnissimis, vnde Rituale Romanum in *Tit. de Exequijs* immediatè ante Officium Defunctorum habet, quod celebretur Missa, *Nisi obstet magna dies solemnitas,* vbi aduertendum est, quod non dicit tantum *Solemnitas*, sed dicit *Magna*, vt declaret, quod non quæcunque solemnitas, sed tantum magna obstat. 5

Dicendum 3. *Esse causam sufficientem pro celebranda Missa votina, quando aliàs non posset celebrari Missa, vel absolutè, vel saltem sine graui incommodo.* Et idem dicendum est etiam quoad Missas defunctorum, cum hoc tamen discrimine, quod quia Missæ defunctorum habent oppositionem cum solemnitate festorum quæ spirat lætitiam, & vt dictum est *num. pracedenti*, non conceditur Missa Defunctorum in magna solemnitate, vt esset dies Paschatis; etiam si corpus non esset traditum sepulturæ ne mœstitia contaminet lætitiam; ideò si celebrentur in die solemni debet vitari admiratio populi, & proinde quando non posset alia Missa celebrari, deberet seorsim à populo celebrari, aut notificando causam obuiare admirationi. 6

Ratio autem est. Quia Rubricæ præscribunt ritus conuenientes cultui diuino, & ideò cum habeant pro fine decorem eiusdem cultus, à fortiori intendunt substantiam cultus, & eam quoad accidentalia benè regulant: ergo ita intendunt regulare diuinum quoad accidentalia, vt non intendant impedire maiorem cultum: ergo quando casus accidit, quod Sacerdos non celebrans Missam votiuam non posset aliam celebrare, cessat præscriptio Rubricæ, nam cum sit maior cultus Dei celebrare quocumque modo, quàm non celebrare, Rubricæ non ita intendunt obseruantiam eorum, quæ præscribunt, vt potius velint non celebrari, 7

lebrari, quando ritus ab ipsis præscriptus ob seruari non potest.

8 Ex dictis colligitur. Quod quando fundator, seu testator, imposuit, vt in diebus infra hebdomadam celebrentur aliquæ Missæ votiuæ determinatæ, poterunt celebrari, etiamsi Officium sit duplex: nam si pro implenda eorumdem mente possunt iisdem diebus celebrari Missæ de Requiem, vt ex declaratione sacræ Congregationis dictum est. *num.* 3. poterunt etiam celebrari Missæ, votiuæ in eumdem finem.

9 Secundò colligitur. Quod si quis ratione debilitatis non possēt diu stare, aut ob debilitatem capitis, siue oculorum non posset diu legere, posset in diebus priuilegiatis, in quibus recitantur Missæ longiores, quales sunt quando recitatur Passio Christi, aut Missa Sabbathi, Temporum Pentecostes, in qua recitantur plures Epistolæ, poterit recitare Missam votiuam breuem. Ita Quartus *in Rubricas Missalis quæstione proœmiali, sectione secunda, punct.* 7. *vet. Colligitur primò.* Tamburinus *Opusc. de sacrificio Missæ, libr.* 2. *cap.* 6. §. 1. *numero duodecimo*, qui asserit, se ita consuluisse Archiepiscopo Montis Regalis. Addit tamen in tali casu esse celebrandum in Oratorio. Quam tamen necessitatem non video. Quia cum non sit dies festus, excepto die Dominica Palmarum, non causaret admirationem, si quis excepto dicto die Dominico, celebraret Missam votiuam, præsertim si esset conformis currenti, vt esset votiua de Passione in maiore hebdomada, aut de Spiritu Sancto in Sabbatho infra octauam Pentecostes. Ratio huius corollarij est. Quia Rubricæ, non intendunt impedire celebrationem, & potius volunt celebrari sine ritu præscripto, quàm absolutè non celebrari, vt dictum est *num.* 7.

10 Tertiò. Quod si debilitas capitis, & oculorum esset tanta, vt sine graui incommodo non posset Sacerdos recitare Missam currentem, aut etiam quia ita esset læsus in oculis, vt ferè nihil videre posset, recitare quotidie illam Missam, quàm memoriter tenetet. Ita etiam Quartus *quæstione proœmiali, sect.* 2. *punct.* 7. *ver. Colligitur primò.* Ratio est eadem, ac de superioribus. Et addi potest, quod Rubrica præscribit recitationem talis, & talis Missæ pro tali, & tali die pro iis, qui possunt recitare, non autem pro iis, qui non possunt; quia si leges non iubent impossibilia, nec se extendunt ad casum impossibilem, multò minus Rubricæ quæ aut sunt tantum directiuæ, aut saltem minus strictè obligant: ergo si iis, qui non possunt recitare, non præscribunt recitationem talis, vel talis Missæ, nec etiam prohibent recitationem alterius, quia prohibitio est indirecta veniens in consequentiam ad præscriptionem, & ideò non plus extenditur, quàm extendatur præscriptio.

11 Quartò colligitur. Quod si instaret grauis aliqua necessitas priuata, posset celebrari in prædictis diebus Missa votiua priuata. Ratio est. Quia huiusmodi necessitas præponderaret illi conuenientiæ, quæ ex præscriptione Rubricarum resultat in ritu Ecclesiastico. Siquidem cum Missa instituta sit, vt in ipsa offeratur sacrificium pro omnibus necessitatibus, vt ex traditione Apostolica docet Concilium Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. Et Ecclesia instituerit speciales Missas celebrandas pro specialibus necessitatibus, concurrente graui necessitate, cessat Rubrica in contrarium, quia cessat finis, quem respexit Christus in institutione sacrificij, & Ecclesia in institutione talium Missarum. Nec obstat, quod istæ Missæ votiuæ institutæ sint vt recitentur extra dies prædictos, nam institutæ sunt vt extra dies prædictos recitentur ad libitum, in diebus aut prædictis recitentur ex graui causa, & quotiescumque finis institutionis locum habet. Accedit etiam, quod si pro causa graui publica celebrari potest publica, & solemnis Missa in dictis diebus, poterit celebrari priuata pro causa graui priuata cum proportionaliter militet eadem ratio.

An autem, qui non haberet apparatum sacerdotalem congruentem quoad colorem Missæ currenti, deberet potius Missam votiuam celebrare, cui congrueret, apparatus, quàm de tempore currenti cum illo apparatu non congruenti. Resp. Debere potius celebrare Missam currentem cum apparatu non congruenti. Quia color apparatus est minoris momenti, quàm sit congruitas Missæ cum officio duplici præsertim in festis de præcepto & cæteris officiis priuilegiatis. Siquidem Missa quoad preces continet specialem cultum intrinsecum correspondentem cultui instituto pro illo die. Color autem apparatus non continet cultum, sed solum quamdam congruentiam extrinsecam. Hoc tamen limitandum est, vt non habeat locum, si color paramentorum esset niger, & officium esset de sancto, aut de die, in quo non adhiberetur color violaceus: nam color niger, tanquam index mœstitiæ valde dedeceret, & magis quam celebrare Missam pro defunctis in illo die. Si tamen color deberet esse violaceus, quia hic color est mœstitiæ, & pœnitentiæ, ideò cum color niger non ita dedeceret, & inseruire posset pro violaceo. 12

QVÆSTIO 245.

Quæ Missa celebranda sit ab aduentantibus in Ecclesia, vbi celebratur aliquod festum.

SVMMARIVM.

1. *Exter debet se conformare in celebranda Missa, cum Ecclesia, vbi celebrat, si ibi celebretur aliquod festum.*
2. *Quisque sequi potest consuetudinem loci.*
3. *Celebrans in Ecclesia vbi celebratur aliquod festum, an possit celebrare Missam conformem officio, quod recitauit.*
4. *Aduena non tenetur seruare leges, & consuetudines loci.*
5. *Celebrans Missam festi in aliena Ecclesia, non potest vti Missali proprio illius Ecclesiæ.*

CONtingere potest, quod in diebus priuilegiatis, aut quando est officium duplex etiam solemne, & proinde Missa debeat congruere officio, accedat quis ad celebrandum in Ecclesia, in qua celebratur aliquod speciale festum, dubitatur modo, quam Missam celebrare debeat, an conformem officio, quod recitauit, an verò illam, quæ in dicta Ecclesia celebratur. Dicendum est. *Debere celebrare illam Missam, quæ celebratur in illa Ecclesia.* Ita Gauant. *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 16. ver. *Noto tamen.* Tamburin. *opusc. de sacrific. Missæ, libr.* 2. *cap.* 6. §. 1. *num.* 14. Quartus *in Rubricis Missalis, part.* 1. *titul.* 5. *dub.* 10. verb. *Respondeo.* 1

Ratio autem est. Quia potest quisque se conformare consuetudini, iuri, & moribus loci, in quo reperitur. cap. *Illa. distinct.* 12. & cap. *Vt animarum periculis. De constit. in* 6. & tradunt communiter Theologi, 2

Theologi, & Canonistæ loquentes in diuersis materiis Nauarr. *cap.* 23. *Manual. num.* 120. Couarruuias *lib.* 4. *Var. cap.* 20. *num.* 8. Lessius *lib.* 4. *de Iustit. & iure, cap.* 2. *num.* 55. Henriquez *lib.* 9. *summ. cap.* 25. *num.* 2. Salas *disput.* 14. *de legibus sect.* 5. *num.* 63. Sanchez *lib.* 3. *de matrimon. disp.* 18. *num.* 18. Vnde etiam cum in tali Ecclesia celebretur specialis Missa iuxta diem festum, poterit celebrari ab vnoquoque celebrante in eadem Ecclesia.

3 Maior difficultas est, an teneatur celebrare talem Missam, an verò possit celebrare iuxta Officium, quod recitauit. Et quidem, si probabiliter timeatur scandalum, tenetur celebrare, sicuti celebratur in illa Ecclesia, vt desumitur ex dicto cap. *Illa. dist.* 12. vbi dicitur, quod est seruanda consuetudo loci, vt euitetur scandalum, vt constat ex illis verbis. *Si non cuiquam vis esse scandalo.* In hoc enim casu subintrat præceptum de vitando scandalo. Facile autem oriri posset scandalum, si quis in magna celebritate alicuius Ecclesiæ ibi celebraret aliam Missam, & specialiter de Requiem, quando non constaret de causa rationabili, ob quam illam celebraret, nou præberet orationem sinistrè iudicandi de ipso.

4 Secluso autem scandalo non teneretur celebrare, Missam, quæ in illa Ecclesia celebratur. Ita etiam Quartus *ad Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 5. *dub.* 10. ver. *Dico secundo.* Quia se haberet tanquam aduena in illa Ecclesia. Non tenetur autem aduena seruare leges, & consuetudines proprias loci, vbi quis reperitur, vt probabilissimè tradunt Palud. *in* 4. *distinct.* 15. *quæst.* 4. *art.* 3. *num.* 24. Palat. *disput.* 8. *part.* 6. *conclus.* ..... ver. *At verò.* Syluester *verbo* Ieiunium. *num.* 7. ver. *Si autem.* Medina 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. §. *Dubitatur præterea.* Med. *cap. de ieiunio. quæst.* 10. *init.* Rosella *verbo* Ieiunium. *num.* 16. Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 17. *art.* 3. ver. *Tertio dico.* Rodriguez *quæst. regul.* 68. *art.* 4. *tom.* 1. Angles. *in Florib. quæst.* 4. *de ieiun. difficul.* 2. ver. *Hinc peregrini.* Azor. *part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 19. *quæst.* 4. Sayr. *lib.* 3. *clauis reg. cap.* 4. *num.* 15. Aula *de censur. part.* 2. *cap.* 3. *disp.* 2. *dub.* 3. *conclus.* 3. ver. *Circa corollarium.* Vega *tom.* 1. *summ. cap.* 14. *de ieiunio casu* 11. Sanchez *lib.* 3. *de matrim. dispu.* 18. *num.* 6. ver. *Quarta.* vbi citat plures Canonistas. & *lib.* 1. *sum. cap.* 12. *num.* 38. Layman *lib.* 1. *Theolog. moral. tract.* 4. *cap.* 12. *num.* 4 Coninch *de sacrament. quæst.* 74. *art.* 4. *dub.* 2. Bonacina *disp.* 1. *de legib. quæst.* 1. *punct.* 6. *num.* 36. ver. *Hoc posito.* Reginald. *lib.* 4. *praxis fori pœnit. cap.* 12. *num.* 136. Filliucius *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 106. Granad. 1. 2. *controuer.* 7. *tract.* 3. *part.* 1. *disput.* 6. *sect.* 4. *n.* 25. Facundez *præcept.* 4. *Ecclesi. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 10. Bossius *sect.* 4. *de iubil. casu* 18. *num.* 49. Sanchez *disp. select.* 54. *num.* 31. Gaspar Hurtad. *disput.* 5. *de sacrific. Miss. difficult.* 1. ver. *Addimus* Bordon. *lib.* 6. *theol. moral. quæst.* 18. *cap.* 6. *in fine.* Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 6. Achunna *in* 1. *part. Decreti in cap. Illa num.* 4. *distinct.* 12. Beril. *dispu.* 1. *de lege municip.* §. 3. *num.* 3. Vnde iuxta hanc sententiam posset secluso scandalo aut Missam correspondentem officio ab ipso recitato celebrare, aut votiuam, si officium non esset duplex, aut si non esset dies Dominicus, aut feria priuilegiata.

5 Est tamen aduertendum, quod si in illa Ecclesia, in qua celebrat, non adhiberetur Romanum Missale, vt si esset Ecclesia monachorum, teneretur celebrare Missam illius festi cum Missali Romano, nec posset cum monachali. Quia Pius V. *in sua Constitutione* præfixa Missali prohibet vsus cuiuscunque alterius Missalis iis, qui sequuntur ritum Romanum. Nec obstat, quod celebrent in Ecclesia, vbi est in vsu aliud Missale, quia tale Missale est quidem permissum tali Ecclesiæ, sed in ordine ad personas, quæ sunt addictæ Officiaturæ eiusdem Ecclesiæ, non autem quoad aduentitios; siquidem in dicta constitutione iis, qui sequuntur ritum Romanum prohibetur omnino celebrare, aliter quàm iuxta normam in Romano Missali præscriptam.

QVÆSTIO 246.

Qualem Missam celebrare debeant Capellani Monialium non vtentium Breuiario Romano.

SVMMARIVM.

1. *Capellani Monialium, quæ habent speciale Breuiarium: quo Missali vti debeant.*
   Debent celebrare de Sanctis, de quibus ipsæ celebrant Officium.
2. *Distinctio Tamburini examinatur.*
3. *Quid facere debeat Capellanus si in Missali Romano non adsit Missa correspondens Officio Monialium.*

CVm plures ex monialibus vtantur Breuiario, 1 quo vtuntur Religiones, ad quarum ordinem pertinent, atque adeò aut monachali, aut Dominicano, dubitatur, quales Missas debent celebrare earumdem Capellani, qui sunt Sacerdotes sæculares, an illas quæ sunt in Missali monachali, aut Dominicano, &c. An verò quæ sunt in Missali Romano: Dicendum est Capellanos monialium, cuiuscunque Ordinis sint, debere vti Missali Romano, & celebrare Missas Festorum, quorum ipsæ celebrant officium. Ita Fraxinel. *de obligat. Sacerdot. sect.* 4. *conclus.* 4. §. 23. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 16. ver. *Intellige.* Tamburin. *opus. de sacrific. Missæ, lib.* 2. *cap.* 6. §. 2. *num.* 7. Et ita declarauit S. Rituum Congregat. *die* 20. *Nouembr.* 1628. referente Gauanto citato. Ratio est. Quia ex vna parte non possunt dicti Capellani vti alio Missali, quàm Romano, vt constat ex dictis in *quæst. præced. n.* 5. & quia Missale monasticum aut simile non est permissum in Ecclesiis monialium, cum ibi non habeant ipsæ moniales celebrare, & Missale sit tantum concessum iis quibus est concessum Breuiarium correspondens, siquidem conceditur solum in consequentiam ad Breuiarium. Ex altera verò parte conueniens sit, quod moniales habeant Missam correspondentem officio præsertim in propriis festiuitatibus; ideò declaratum est, quod Capellani celebrare possint iuxta officium recitatum à monialibus, sed cum Romano Missali.

Circa hoc autem dubium mouet Tamburin. *num. præced.* citat. An S. Congregat. declarando, quod possint celebrare iuxta officium monialium cum Missali Romano id solum permiserit, an verò positiuè concesserit. Et resoluit positiuè concessisse, quia licèt vtatur verbo, *Possint* quod sonat permissionem, ex fine tamen colligitur esse concessionem. Quia sacra Congregatio respexit ad conformitatem cum officio recitato à monialibus, vt Capellanus tanquam accessorius se conformet cum monialibus vti principalibus. Verum non video, quæ in præsenti differentia sit inter permittere, & concedere, cum siue permiserit, siue concesserit, resultet ex vtraque facultas ita celebrandi: & eadem sit ratio quoad implendam obligationem, si talis Missa sit promissa, nam stante obligatione promissionis, remanet ex vi illius celebranda Missa promissa, siue sit promissa, siue concessa; nam vtroque modo res se habeat Missa 2

facta

facta est possibilis etiam secundum Rubricas, & ideò celebranda ex vi promissionis.

3 Ex dictis colligitur, quid faciendum prædicto Capellano, si non adsit in Missali Romano Missa correspondens officio, vt quando recitant Officium de Nomine IESV, aut de Spinea Corona. Tunc enim vt aduertit Gauantus *in Rubric. part. 3. tit. 10. num. 16. ver. Intellige.* Et celebranda Missa, quæ sit magis affinis officio ex illis, quæ sunt in Missali, vt Missa de Circuncisione, quando recitatur Officium Nominis IESV, aut quando recitatur Officium de Spinea Corona, Missa de Passione, & sic in aliis erit seruandum.

QVÆSTIO 247.

An in qualibet Ecclesia adsit obligatio celebrandi Missam de die.

SVMMARIVM.

1. *Vbi non cantatur Missa, an celebranda Missa de die.*
2. *Sub qua obligatione.*
3. *Dispositio cap.* Cum creatura de celebratione Missarum, *non se extendit ad Missas priuatas.*
4. *Rubrica in feriis, &c. Præter Missam conuentualem non requirunt Missam conformem officio.*

1 DIfficultas procedit quoad illas Ecclesias, in quibus non cantatur Missa. Quod autem, vbi adsunt saltem tres Sacerdotes, sit celebranda vna priuata Missa de die sub mortali tradit Peirin. *tom. 3. de Priuileg. in Addit. ad Constit. Pyrrhi cap. 1. num. 20.* & citat Angelum *verbo* Missa. *num. 33.* Rosel. *§. fin.* Sed loquuntur de Missa Conuentuali, quæ scilicet debet esse de die, vbi est celebranda. citat etiam Corduham *in Compend. Priuileg. verbo* Moniales *part. 1.* Rodriquez *quæst. Regul. 6. art. 7. tom. 3.* Sed hi obscurè loquuntur. Hoc autem fundat in cap. *Cum creatura de celebratione Missar.* Sed hoc nihil eum iuuat, nam loquitur tantum de Missa, quæ est Conuentualiter celebranda, & non de omnibus Ecclesiis, sed tantum de Cathedralibus, & Collegiatis.

2. Nam eamdem sententiam tenet Quartus *in Rubric. Missal. part. 1. tit. 4. dub. 9.* Addit tamen hanc obligationem, non esse sub mortali, sed solum sub veniali. Quia, si non celebretur, obseruatur præceptum secundum substantiam, licèt non quoad modum, & circumstantiam accidentalem, cuius defectus non inducat peccatum mortale. Sic etiam qui priuatim recitat vnum officium pro alio, peccat tantum venialiter, & implet præceptum quoad substantiam.

3 Verum non video, vnde deducatur hæc obligatio etiam sub veniali; & non rectè deducitur ex cap. *Cum creatura de celebrat. Missar.* etiam quoad extensionem, cum in dicto text. vt dictum est, disponatur solum de Missa Conuentuali, & quoad Ecclesias Cathedrales, & Collegiatas. Nec hæc dispositio extendi potest ad Missas priuatas, cum non militet eadem ratio; nam Conuentualis est pars diuinorum officiorum, pro quibus celebrandis assignata est dos, & ideò tanquam pars, debet correspondere officio. At Missa priuata non est pars diuinorum officiorum, & ideò in ipsa non militat ratio dispositionis. Et hoc speciali modo habet locum in Ecclesiis, quæ carent Choro.

4 Accedit etiam, quod Rubricæ in feriis non priui-

legiatis, & semiduplicibus, quæ non sunt de octaua priuilegiata concedunt simpliciter ex rationabili causa Missas votiuas, nec requirunt Missam conformem officio præter Conuentualem: ergo in his diebus ex vi Rubricæ, remanet liberum celebrare omnes Missas votiuas, vbi non cantatur Conuentualis, vel de Requiem, cum non sit restringenda concessio. Præsertim, quia Rubrica quoque in feriis non priuilegiatis, etsi non sit reassumenda Missa de Dominica, concedat certas Missas votiuas appropriatas diebus.

QVÆSTIO 248.

An Missæ assignatæ certis diebus, aut festiuitatibus possunt in aliis diebus tanquam votiuæ recitari.

SVMMARIVM.

1. *Quæ Missæ Missalis, vt votiuæ, per annum recitari possint.*
2. *Missæ dierum Mobilium, vel Festorum non possunt per annum celebrari vt votiuæ.*
3. *Quale sit peccatum eas celebrare vt votiuas.*
4. *Celebratio ipsarum non continet mutationem ritus prohibitam.*
5. *Missa Assumptionis B. Virginis, non potest celebrari vt votiua, &c.*
6. *Pro Missa votiua Natiuitatis Domini, quænam celebranda.*
7. *Quænam Missa votiua P. S. Petro, aut S. Paulo celebranda.*
8. *Quænam Missa celebranda quando petuntur votiuæ, quæ non possunt celebrari, neque adest correspondens.*

QVod Missæ de communi celebrari possint per annum in honorem eorum Sanctorum, de quibus licèt Missas celebrare, non videtur controuertendum, quia sicut applicabiles pluribus Sanctis ita etiam pro quolibet tempore applicari possunt. Imò hoc etiam habet locum quoad hanc, quorum Missa in Missali est propria quoad aliquas preces, quia scilicet ita est ordinata ad celebritatem illius Sancti, vt tamen conuenire etiam possit cuicunque commemorationi ipsius, qualis est, quæ fit in Missa votiua. Quod etiam constat ex illis Missis, quæ conceduntur ad libitum pro Festo alicuius Sancti, sicut etiam Officia, Imprimuntur cum graduali, & tractu vt inseruire possint pro quocunque anni tempore, quod non haberet locum, nisi tanquam votiuæ recitari possent. Et ita notant Alcozer *tract. 1. cærem. Gloss. 4.* Castal. *lib. 2. cærem. sect. 6. cap. 4. num. 1.* quod videtur approbare etiam Auersa. *quæst. 11. de Eucharist. sect. 12. ver. Item non debere.* Vnde difficultas est de Missis dierum mobilium, festorum B. Virginis, & similibus. 1

Dicendum est. *Non posse Missas dierum mobilium aut festorum B. Virginis, aut simile, celebrari tanquam votiuas.* Ita Gauant. *in Rubr. Missal. part. 4. tit. 17. n. 8.* Alcozer. *tract. 1. cærem. Gloss. 4.* Castal. *lib. 2. Praxis cærem. sect. 6. cap. 4.* Diana *part. 3. tract. 6. resol. 102.* & *p. 4. tract. 4. resol. 39.* Lezana *tom. 1. quæst. regul. cap. 21. n. 6.* Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 12. ver. Item non debere.* Quartus *ad Rubr. Missal. part. 1. tractat. 4. dub. 5. ver. Secunda sententia.* Vnde pro Missis hebdomadæ maioris erit dicenda Missa de Passione, pro Missa Pentecostes, votiua de Spiritu sancto. Ratio autem est. Quia prædictæ Missæ, institutæ sunt pro illa celebritate specialiter, & proinde non congruunt extra occasionem talis celebritatis. 2

Si autem celebrarentur huiusmodi Missæ, dubitatur 3

qualiter peccaretur. Megal. *in var. resolu t. tom. 2. resol. 187. num. 18* putat peccari mortaliter, quia mutaretur titus Missalis, si Missa de tempore fieret votiua. At peccari tantum venialiter docent Diana *p. 2. tractat. 14. de celebrat. Missar. resol. 55. in fine.* & *part. 3. tract. 6. resol. 102.* Quartus *ad rubr. Missal. part. 1. tit. 4. dub. 5. ver. Difficultas esse.* Et ratio est. Quia tota transgressio est in eo, quod mutetur qualitas Missæ, & quod vna dicatur pro alia, in quo non est grauitas materia, cum sit tantum quædam mutatio accidentalis, quæ non est conformis Rubricis; vnde cum ipsæ non obligent sub mortali quoad qualitatem Missæ, aut etiam sint solum directiuæ, itavt in has duas opiniones sint communiter diuisi Doctores, non habet locum peccatum mortale.

4 Nec subsistit oppositio Megalij, quod fiat mutatio titus contra *Bullam* Pij V. præfixam Missali, quia Pontifex solum prohibet mutationem ritûs, qui fit diuersus ab eo, qui est in dicto Missali, quia vult, quod Missæ celebrentur secundum normam ab ipso præscriptum: non autem prohibet, quod Missæ de tempore recitantur in aliis diebus, nam cum ipsæ sint secundum ritum Romani Missalis, dum celebrantur extrà diem proprium, non variatur titus, sed solum mutatur qualitas Missæ.

5 Ex dictis colligitur contra Castaldum *lib. 2. Praxis cæremon. sect. 6. cap. 4. num. 1.* Non posse celebrari Missam votiuam Assumptionis B. Virginis, aut alterius festiuitatis, sed esse celebrandam votiuam positam in Missali iuxta Congruentiam temporis ibi assignatam. Ratio est. Quia Missæ pro certis festiuitatibus non congruunt extra ipsas, & cum ab Ecclesia sit posita Missa votiua B. Virginis pro quocumque tempore, iam constat de intentione ipsius, & ita obseruant Gauant. Quartus *num. 2.* citati Megal. *Variar. res. 187. num. 13. tom. 2.*

6 Colligitur 2. Quod, si esset celebranda Missa votiua Natiuitatis Domini, esset assumenda ea, quæ celebratur infra octauam; & essent omittenda ea, quæ non congruerent tempori in quo recitaretur, vt esset *Alleluya*, & addendus tractus, quando tempus exigeret desumptum ex alia Missa, qui esset proportio natus melius tamen esset non celebrare, cum istæ mutationes sint parum consentaneæ, quamuis eas admittat Gauantus *part. 4. in Rubricis Missalis, tit. 17. num. 10.*

7 Colligitur 3. Quod si quis petat celebrari missam votiuam de S. Petro, aut de S. Paulo, erit celebranda missa votiua Apostolum vt obseruat Gauantius *p. 4. in Rubr. Missal. tit. 17. num. 6.* Quia cum Ecclesia eos semper coniungat, debeat coniungi etiam in missis. Quod si celebretur Missa votiua Conuersionis sancti Pauli, erit facienda Commemoratio sancti Petri ob eamdem rationem, vt obseruat Gauantus *ibid.*

8 Colligitur 4. Quod quando petuntur missæ votiuæ, quæ non debent celebrari, & in missali non adsunt votiuæ correspondentes, celebranda erit, quæ currit in illo die, quia instantia petentis, non est admittenda tanquam irrationabilis, vt si quis peteret missam votiuam de Epiphania; aut missam votiuam alicuius Dominicæ: nam in tali casu cum non possit locum habere instantia, reiicitur, & remaneat solum quoad substantiam sacrificij, & ideò subintrat ipsum cum qualitate Missæ, quam trahit ratione temporis.

QVÆSTIO 249.

An Capellanus teneatur celebrare Missas votiuas iniunctas à Fundatore.

SVMMARIVM.

1. *Missæ votiuæ celebrandæ à Capellano, quando possunt celebrari.*
2. *An etiam in festis duplicibus.*
3. *An etiam in diebus priuilegiatis, quando excluduntur duplicia.*
   Priuilegium habent causam specialem præualet habenti generalem.
   Priuilegium magis speciale præualet generali.
4. *Missæ celebrandæ iuxta voluntatem fundatorum, licet adhuc viuant.*

SI loquamur quoad dies, in quibus iuxta Rubricas celebrari possunt Missæ votiuæ, nulla videtur adesse difficultas, quia dispositio fundatoris est conformis dispositioni Rubricarum; & ex parte Capellani interuenit iusta causa, & rationabilis celebrandi tales missas, nempe adimplere voluntatem fundatoris, quæ tanquam priuilegiata habenda est in consideratione. Imò ex parte quoque fundato is interuenit causa rationabilis, omnium instituere illum specialem cultum qui resultet ex celebratione huiusmodi missarum, aut instituere illam specialem intercessionem pro illis necessitatibus pro quibus institutæ sunt missæ votiuæ. Vnde difficultas est, quoad dies, in quibus iuxta Rubricas non conceduntur missæ votiuæ. 1

Dicendum est. *In festis duplicibus, quæ non sunt de precepto celebrari posse Missas votiuas dispositas à Fundatore, seu testatore.* Desumitur ex declarat S. Congregat. Rituum referente Gauanto *in Rubric. Missal. part. 1. tit. 5. num. 2. littera A. ver. Sacra tamen.* quæ *die 1. Septemb. 1607.* declarauit, in festis duplicibus tolerari posse missas de Requiem pro implenda testatorum voluntate, si festa non fiont de præcepto. Est autem eadem ratio etiam de missis votiuis, quia in ipsis quoque adimpletur voluntas testatorum. Ratio est. Quia voluntas testatorum, & fundatorum est priuilegiata, & leges maximè fauent ipsi, & volunt, quod omnino adimpleatur. Vnde Rubricæ, non concedentes missas votiuas in dictis diebus non comprehendunt votiuas ex fundatorum voluntate; quia non hæc voluntas, vtpote priuilegiata, sit speciali nota digna, non censetur comprehensa nisi in specie exprimatur. 2

3 Maior difficultas est, an id liceat etiam in feriis priuilegiatis, & in diebus infra octauam, quibus cedunt etiam officia duplicia. Respon. Non posse in feriis priuilegiatis celebrari missas votiuas, etiam pro implenda fundatorum voluntate: sicut nec etiam in cæteris diebus, quibus cedit officium duplex. Ratio est. Quia hi quoque dies sunt priuilegiati, & ita priuilegiati, vt iis cedant etiam duplicia primæ classis: & ideò quando concurrunt cum voluntate fundantis, quæ similiter est priuilegiata, debet cedere priuilegium minus potens. In hoc autem casu priuilegium minus potens est priuilegium voluntatis fundatorum, quia habet causam generalē, & priuilegium horum dierum habet causam specialem, nempe celebrationem diuinorum officiorum secundum talem ritum *l. Si seruis urbanis. §. fin. ff. de legat. 3.* Et proinde fundat priuilegium magis speciale, quod est in ordine ad certum diem, & ideò præualere

Digitized by Google

præualere debet iuxta ea, quæ tradunt Dec. *in cap.* 1. *nam.* 7. ver. *Esset tamen. de rescript.* Ripa *ibid. n.* 65. & 67. Berotius *num.* 89. Bald. *in l. Hac consultissima. num.* 1. ver. *Tu vero. cap. Qui testam. fac. post.* Bart. *in Extrauag. ad reprimendam. verbo* Non obstantibus. *num.* 9. Ruin. *consil.* 98. *num.* 4. *vol.* 4. Iaf. *consil.* 12. *num.* 13. *lib.* 3. Menoch. *Præsumpt.* 40. *num.* 21. *lib.* 3. Sylueſter *verbo.* Priuilegium. *quæst.* 10. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 39. *numero septimo.* Præsertim quia fundatoris voluntas impleri potest in aliis diebus. Officia autem horum dierum, & missæ non possint celebrari amplius, si non celebrentur præscriptis diebus.

4 Ex dictis colligitur. Id, quod dictum est de institutione missarum votiuarum facta per vltimas voluntates, aut fundationes, habere locum etiam in fundationibus adhuc viuentibus fundatoribus, vt obseruat etiam Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.* 2. *cap.* 6. §. 2. *num.* 1. ver. *Hinc facile.* Nam militat eadem ratio, siquidem voluntates etiam fundatorum adhuc viuentium sunt priuilegiatæ, cum priuilegium conueniat ratione fundationum, quibus fauet Ecclesia ad alliciendos fideles ad similes fundationes.

QVÆSTIO 250.

An vna Missa æquipollent alteri.

SVMMARIVM.

1. *Vna Missa quomodo alteri æquipolleat, aut non æquipolleat.*
2. *Missa vnius qualitatis an æquipolleat Missæ alterius qualitatis.* & num. seq.
4. *Ex parte Ecclesiæ offerentis vna Missa quoad preces non æquipollet alteri.*
5. *Ecclesia cur velit Missam conuentualem comparare officio.*
6. *Quam æquipollentiam recipiat Missa ex collectis.*
7. *Deuotio Sacerdotis non reddit Missam æquipollentem.*
8. *Intercessio Sancti in cuius honorem Missa recitatur, non reddit æquipollentem speciali intercessioni Ecclesiæ.*

1 Difficultas non procedit de æquipollentia quoad fructum ex opere operato, quia certum est comparando priuatam cum priuata, & solemnem cum solemni, æquipollere, nam quantum est ex vi sacrificij, æqualis fructus prouenit ex vna, vt ex alia; licet enim causet fructum secundum mensuram dispositionis illius pro quo offertur, stante tamen æquali dispositione causat æqualem fructum. Rursus etiam certum est, non æquipollere, si consideretur fructus ex opere operantis, qui prouenit ex parte Sacerdotis offerentis, nam hic est maior, aut minor secundum maiorem, vel minorem dignitatem, & dispositionem ipsius. Vnde solum difficultas est, an æquipolleat, considerando qualitatem missæ, nempe an missa de Sancto æquipolleat missæ de Requiem: an missa de feria æquipolleat missæ votiuæ, aut de Requiem. Intelligitur autem de æquipollentia quoad fructum, quem percipit is, pro quo offertur sacrificium. Et ita notat etiam Fraxinel. *De obligatione Sacerdotis, sectione quarta, conclusione quarta, §. quarto, can. Sacrosanctum igitur.*

2 Prima sententia asserit, vnam missam æqui-

pollere alteri. Ita Villalobos *tom.* 1. *summ. tract.* 8. *difficultat.* 31. *num.* 6. Ioannes à Cruce *parte secunda, de restitut. conscientiæ, quæstione quarta, de sacrificio Missæ, dubio secundo, conclus.* 2. Megal. *variarum resolut.* 1. §. 7. *num.* 7. *tom.* 2. & alij, qui volunt nihil referre, si obligatus celebrare vnam missam celebret aliam. Fundamentum est, Quia eodem modo colitur Deus per vnam missam, ac colatur per aliam.

Secunda sententia est eorum, qui volunt obligatum ad missam de Requiem, non satisfacere missa currenti, quando festum non est duplex, aut dies Dominicus, nisi afficiatur maioni deuotione. Vnde censent vnam missam non æquipollere alteri. Ita Angelus *verbo* Missa, *num.* 34. Philiarc. *De officio Sacerdotis, tom.* 1. *libr.* 2. *cap.* 11. Tolet. *libr.* 2. *cap.* 8 *num.* 2. Scortia *de sacrificio Missæ, libr.* 2. *cap.* 17. *num.* 3. Fernandez *parte tertia Exam. Theologia moralis, cap.* 5. §. 3. *numero quinto*, Henriquez *libr.* 9. *summ. cap.* 23. *num.* 6. Fraxinel. *De obligatione Sacerdotis, sect.* 4. *conclus.* 4. §. 4. *num.* 17. & alij. 3

Dicendum est. *Vnam Missam regulariter quoad qualitatem, & valorem ex parte Ecclesiæ offerentis non æquipollere alteri quoad fructum.* Dixi regulariter, quia aliquando æquipollere potest. Si preces scilicet sint æquipollentes. Probatur ratione precum, quæ recitantur in missa Ecclesia interponit apud Deum suam intercessionem: & ratione huius interpositionis sacrificium habet specialem effectum in ordine ad specialem fructum, vt suo loco explicatum est: ergo vna missa regulariter non æquipollet alteri quoad fructum prouenientem ex parte Ecclesiæ. Consequentia probatur missa de feria nullam continet specialem interpositionem Ecclesiæ pro defunctis sicut continet missa de Requiem, ergo neque per ipsam obtinetur fructus proueniens ex tali interpositione. Rursus missa votiua pro aliqua speciali necessitate continet intercessionem Ecclesiæ pro illa necessitate, quam non continent aliæ. Missa de Sancto continet specialem cultum etsi exhibitum nomine Ecclesiæ, qui etiam ordinatur ad obtinendum aliquem fructum, & de se & mediante intercessione illius Sancti, & sic eadem inductio fieri potest quoad alias missas. Confirmat. Si vna missa esset æquipollens alteri, frustra Ecclesia instituisset missas votiuas, & missas de Requiem, nam missa de die æquipolleret cuicunque. 4

5 Dices. Si vna missa non æquipolleret alteri, Ecclesia non præciperet, vt conuentualis esset de feria, quia eligeret minus bonum relicto maiori. Respon. Ecclesia non teneri eligere semper, quod secundum se est maius bonum, sed quod melius conducit fini intento. Quia autem colit Deum in sacrificio missæ cum varietate ritus, quia introducta est ad splendorem, & decorem ipsius, ideò in Ecclesiis, in quibus est institutus cultus secundum perfectionem ritus Ecclesiastici vult, missam Conuentualem congruere officio, quia id magis conducit perfectioni ritus. Pro feriis tamen concedit votiuas missas diuersas iuxta diuersitatem dierum, quia hanc quoque varietatem introduxit, pro decore, & splendore ritus.

6 Ex dictis colligitur. Quod si in aliqua missa recitetur oratio, seu collecta alterius missæ neque in missa feriali recitetur collecta pro defunctis, aut pro infirmis, aut aliqua alia æquipollebit missæ à qua desumitur dicta collecta quoad intercessionem Ecclesiæ. Nam in illa oratione specialiter interponitur intercessio Ecclesiæ apud Deum: cæteræ verò preces, quamuis sint accommodatæ fini, ad quem missa dirigitur, non tamen inter-

ponunt

ponunt ſpeciali modo intercesſionem eiuſdem Eccleſiæ, & ideò per æquipollentiam compenſari poſſunt per preces alterius Miſſæ.

7 Secundò colligitur. Deuotionem Sacerdotis non reddere Miſſam æquipollentem. Tum quia illa deuotio Sacerdotis auget fructum proprium Sacerdotis, non autem fructum medium ſacrificij, niſi ſecundum aliquam accidentalitatem, quæ tamen non ſufficit pro æquipollentia. Tum quia hæc deuotio eſt inferioris ordinis, & eſt priuata, & ideò non poteſt æquiualere interceſſioni Eccleſiæ, quæ publica eſt, & Deo ſemper grata. Tum quia deuotio eſt incerta, & alius ex aliquo capite poteſt non eſſe Deo accepta. Tum quia eſt incertum an habeat effectum redundantem in beneficium illius, pro quo offertur ſacrificium. Tum quia eſt extrinſeca ſacrificio, interpoſitio autem interceſſionis Eccleſiæ tanquam pars integralis eſt intrinſeca Miſſæ ſeu ritui, cum quo celebratur ſacrificium, & ideò ex multiplici capite non poteſt reddere miſſam æquipollentem.

8 Tertiò colligitur Neque interceſſionem Sancti, in cuius honorem Miſſa celebratur, poſſe illam reddere æquipollentem ſpeciali interceſſioni Eccleſiæ, quæ interponitur in aliquibus miſſis. Pro quo eſt aduertendum, quod non interuenit interceſſio Sancti in ordine ad finem, pro quo offertur ſacrificium, niſi inuocetur: hæc autem inuocatio non fit ſpecialiter in precibus, quæ recitantur in Miſſa, quia hæ non ordinantur ad dictum finem, vtpote ad ſuffragandum defunctis, pro ſanitate, pluuia, &c. obtinendis: vnde reducitur ad priuatam inuocationem offerentis; quæ proinde eſt incertum, an obtineat interceſſionem Sancti: vnde comparatur interceſſio incerta cum interceſſione certa Eccleſiæ. Rurſus quamuis interceſſio Sancti inuocati, & Eccleſiæ in eo conueniant, quod vtraque eſt accepta Deo, deferunt tamen, quod interceſſio Sancti eſt interceſſio veluti priuata, & ſingularis perſonæ. Interceſſio verò Eccleſiæ, eſt publica, & vniuerſalis. Rurſus ad Eccleſiam pertinet interponere ſuam interceſſionem vniuerſaliter pro omnibus Sanctis autem regulariter interponunt ſolum ad inſtantiam deprecantis.

QVÆSTIO 251.

An qualitas Miſſæ ratione promiſsionis cadat ſub obligatione.

SVMMARIVM.

1. *Promiſſio quoad qualitatem Miſſæ quando non teneat.*
2. *An teneat, quando Miſſa cum qualitate promiſſa celebrari poteſt.*
3. *Seruare promiſſa eſt cauſa rationabilis celebrandi Miſſas votiuas, &c.*
4. *Promiſſio de qualitate Miſſæ pro diebus, quibus conceduntur, eſt valida.*
5. *Affectus ad obedientiam, & conformitatem cum Rubricis non æquipollet interceſſioni Eccleſiæ, ex qualitate Miſſæ.*
6. *Promittens Miſſam certæ qualitatis, tenetur ſeruare, quando Rubricæ concedunt, & in die Feſto.*

1 SVpponendum eſt tanquam certum. Quod ſi promittatur miſſa votiua, aut de *Requiem* pro aliquo die in quo ſecundum Rubricas non licet eas celebrare; promiſſio non tenet, vt aduertunt etiam Marchin. *de ſacrament. Ordin. tractat.3. part.2. cap.25. n.6.* Tamburin. *opuſ. de ſacrific. Miſſ. lib.2. cap.6. §.2. n.2.* Quod intelligi debet quoad qualitatem, nam quoad ſubſtantiæ miſſæ, nempe oblationem ſacrificij teneret promiſſio, cum quoad hanc ceſſet ratio, cur non teneat. Ratio autem eſt. Quia talis promiſſio quoad qualitatem eſt contra præſcriptionem Rubricarum; & licèt Rubricæ non ſint propriè leges, & ſecundum aliquos non obligent neque ſub veniali, ſed ſolum dirigunt, adhuc tamen promiſſio eſt contra directionem Rubricarum, atque adeò ſecundum illum rectum ordinem, quem præſcribunt ſeruandum in celebratione miſſarum, & ideò eſſet contra publicum ritum Eccleſiæ, & conſequenter non ſubſiſteret, ſolum ergo difficultas eſt de promiſſione pro diebus in quibus miſſæ votiuæ, aut de *Requiem* conceduntur ſecundum Rubricas.

Tamburin. *Opuſc. de ſacrific. Miſſ. cap.6. §.2. n.3.* 2
docet promiſſionem de miſſa votiua, aut de Requiem etiam pro diebus, pro quibus à Rubrica permittuntur non obligare. Fundamentum eſt. Quia ad celebrandas has miſſas in dictis diebus ex Rubricis requiritur cauſa rationabilis, non eſt autem cauſa rationabilis quælibet ſimplex petitio. Rurſus. Affectus obedientiæ, & conformitatis ad ſacras leges applicatus à Sacerdote pro petente miſſam compenſat ſuperabundanter fructum quem potuiſſent lucrari preces miſſæ votiuæ, aut de Requiem. Subdit tamen *num. ſequent.* quod quando omittitur miſſa votiua, aut de *Requiem* pro currenti debet fieri ſine ſcandalo, monendo petentem, aut adſtantes de rei veritate. Vel poſſe Sacerdotem ſequi ſententiam, quod nullum ſit peccatum celebrare miſſam votiuam, aut de Requiem, & ſeruare promiſſum, præſertim ſi maius ſtipendium conſueto acceperit.

Dicendum eſt. *Facta promiſſione teneri Sacerdotem celebrare Miſſam votiuam, ſeu de Requiem iis diebus pro quibus conceduntur.* Ratio eſt. Quia Rubricæ concedunt has miſſas in his diebus cum rationabili cauſa. Sed eſt maximè cauſa rationabilis ſeruare promiſſa, nam non ſeruare, aut eſt præceptum, aut ſaltem contra fidelitatem, quod proinde detrahit de opinione, & æſtimatione promittentis. Vnde pro manutenenda bona opinione fidelitatis habet cauſam ſufficientem pro celebrandis huiuſmodi miſſis. 3

Dicendum 2. *Promiſſionem de huiuſmodi miſſis pro diebus, in quibus conceduntur eſſe validam, & ideò obligare.* Ita Fraainel. *de obligat. Sacerd. ſect. 4. concluſ.4. §. 4. num.18.* Prob. In tantum non eſſet valida, quantum eſſet de re contraria Rubricis. Sed, non eſt, ergo. Min. prob. Quia in his diebus miſſæ huiuſmodi conceduntur per Rubricas celebrari concurrenti rationabili cauſa. Stante autem petitione procurantis celebrari, præſumitur rationabilis cauſa: quia præſumitur, quod petat in eum finem, pro quo ab Eccleſia inſtitutæ ſunt, nempe autem pro ſpeciali ſuffragio pro defunctis, aut pro illa neceſſitate, quam reſpicit, aut pro ſpeciali cultu, quem continet. Finis autem, propter quem ſunt inſtitutæ hæ miſſæ, importat cauſam rationabilem, & ſufficientem alioquin Eccleſia eas inſtituendo, non inſtituiſſet ex fine rationabili. Deinde ſatis conſtat, quod finis ad quem ordinantur, de ſe ſit valde rationabilis, & poſſit ab vnoquoque rationabiliter intendi. Quare cum tam petens, quam promittens miſſam votiuam, aut de Requiem reſpiciat ad finem intentum ab Eccleſia in inſtitutione harum miſſarum, non poteſt verti in dubium, quin rationabiliter procedat. Vnde ex hoc ſolutum manet fundamentum in oppoſitum de ſimplici petitione, quia non eſt ſimplex petitio, ſed informata fine intento ab Eccleſia. 4

Ad alteram partem fundamenti negandum eſt, quod affectus obedientiæ, & conformitatis ad ſacras 5
leges

leges applicatus pro petente missam votiuam, aut de *Requiem* suppleat abundanter. Nam non est certum, quod huiusmodi affectus sit gratus,& acceptus Deo, sicut sunt preces oblatæ in dictis missis nomine Ecclesiæ. Secundò, si opposita opinio non est vera, talis affectus esset causa peccati venialis saltem materialiter, quia esset causa, quod non seruaretur promissio: vnde non esset affectus bonus. Tertiò, quia talis affectus, quantumvis vndequaque bonus, non potest præpondetare intercessioni Ecclesiæ, nam ipsa quoque interponendo intercessionem suum affectum interponit. Isti autem affectus inter se distant, sicut distant Ecclesia, & priuata persona, qualis est Sacerdos interponens hunc suum affectum. Quis autem dicat, priuatam personam æquipollere Ecclesiæ, aut esse æquè acceptam Deo, sicut est Ecclesia.

6 Ex dictis à fortiori sequitur, quod quando quis promisit votiuam missam, aut de *Requiem*, quando Rubricæ præscribunt celebrandam, vt esset votiua solemnis pro causa graui, missam de *Requiem* in die obitus præsente corpore etiam in die festo, tenetur seruare promissa, vt aduertit etiam Tambur. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 6. §. 2. num. 6.* Nam ex vna parte promissa seruanda sunt, ex alia verò nulla adest causa, quæ aut impediat obligationem oriri, aut ortam dissoluat. Imò Rubricæ potius manutenente dictam obligationem.

QVÆSTIO 252.

An, & qualiter iuramentum additum promissioni obliget ad Missas votiuas, &c.

SVMMARIVM.

1. *Iuramentum circa qualitatem Missarum an semper obliget*, & num. seq.
3. *Iuramentum quando seruari non potest absque peccato etiam veniali, non obligat.*
4. *Si Rubricæ non obligent, an teneat iuramentum de qualitate Missæ contra ipsas.*
5. *Missa votiua, & de Requiem debita ex iuramento, quando celebranda ex testatorum voluntate interposito iuramento.*
6. *Iuramentum de qualitate Missæ secundum Rubricas seruandum.*
7. *Quid requiratur, vt iuramentum cadat super Missæ qualitate.*
Iuramentum super qualitate Missæ quomodo accipiendum.

1 Contingere potest, quod obligationi assumptæ de missis votiuis, aut de *Requiem* celebrandis superaddatur iuramentum, siue sint manuales, siue debitæ ex Capellania; vnde dubitatur, qualiter obliget huiusmodi iuramentum. Fraxinel. autem *de oblig. Sacer. sect. 4. conclus. 4. §. 4. num. 18.* absolutè docet, obligare, vt quando interponitur in acceptatione missarum ex stipulatione. Quia obstringit fidem Deo.

2 At Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 6. §. 3. num. 3.* docet, non absolutè obligare, sed solum quando celebrari possunt iuxta præscriptionem Rubricarum. Vnde non obligabit pro ijs diebus, in quibus celebratur officium duplex aut aliàs sunt feriæ, aut dies Octauæ priuilegiati, sicut nec etiam in diebus Dominicis, quia in his non conceduntur Missæ votiuæ priuatæ. Rursus addit, nec absolutè obligare pro diebus, pro quibus conceduntur, quia neque in his diebus celebrari possunt, nisi ex causa rationabili.

3 Et quidem supposito, quod Rubricæ quoad qualitatem missæ obligent sub peccato veniali, certum est, quod iuramentum de missis votiuis, aut de *Requiem* non obliget pro illis diebus, in quibus iuxta Rubricas celebrari non possunt, nam celebrans committeret peccatum veniale, si celebraret, iuramentum autem, quod seruari non potest, nisi cum peccato, etiam veniali, non obligat, quam Regulam desumunt Doctores ex cap. *Quamuis pactum, de pactis in 6.* & cap. *cum contingat, de iureiur.* vbi dicitur, iuramentum tunc seruandum, quando sine salutis æternæ dispendio seruari potest. Peccatum autem veniale importat aliquod dispendium æternæ salutis, quia impedit acquisitionem, quousque deleatur, & purgetur, & eum firmat specialiter Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 32. num. 1.* & *lib. 3. sum. cap. 9. num. 19.*

4 Maior difficultas est, supposito, quod dictæ Rubricæ neque sub veniali in quo videtur seruandum iuramentum, quia cum non sit de materia illicita, poterit seruari sine peccato; vnde subintrat regula opposita, quod iuramentum sit seruandum, quando sine peccato seruari potest, vt habetur in citat. text. Nec obstat, quod Rubricæ aliter præscribant, quia cum non obligent sub peccato, non reddunt iuramentum inualidum, sed cedunt religioni iuramenti. Verum cum vtraque opinio probabilis sit, poterit quisque in praxi seruare, quod voluerit.

5 Quod autem spectat ad missas de *Requiem* celebrandas ex voluntate Fundatorum, & testatorum, cum S. Rituum Congregatio declarauerit apud Gauant. *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 5. num. 2. littera A. ver. Sacra tamen, sub die 1. Septemb. 1607. & sub die 20. Iunij 1626.* quod missæ de Requiem permitti possunt in festis duplicibus quæ non sunt de præcepto, vt impleantur testatoris voluntates, & idem locum habeat etiam quoad missas votiuas, vt dictum est in superioribus; sit quod debeant celebrari in dictis diebus vt impleatur iuramentum. Ratio est, quia iuramentum nec est, nec sit nullum, quia semper est de materia permissa iuxta declarationem S. Congregat. atque adeò sine peccato seruari potest, & proinde seruandum. Solum posset quia se liberare ab huiusmodi iuramento ex eo, quod de dicta declaratione non constat authenticè; & tunc idem dicendum, quod dictum est, *num. præced.*

6 Quando verò missæ celebrandæ sunt in diebus, pro quibus permittuntur à Rubricis, tunc absolutè obligat ad illas celebrandas. Ratio est; quia est de materia licita, etiam secundum præscriptionem Rubricarum, & ideò impleri potest absque peccato. Et causa rationabilis, quam requirit Rubrica, vt in dictis diebus celebrari possint, non potest reuocari in dubium. Quia dum exigens missas, exigit obligationem cum iuramento, satis declarat enixam voluntatem, quod tales celebrentur, quales ab ipso præscribuntur. Hæc autem tàm enixa voluntas habere debet motiuum proportionatum, atque adeò valde efficax, quod sufficit ad subministrandam causam rationabilem. Voluntas autem testatorum, & fundatorum de se importat causam rationabilem, nam S. Congregat. vt dictum est, *num. 5.* putauit, esse causam sufficientem, vt etiam in festis duplicibus, quæ non sunt de præcepto, celebrari possent.

7 Est tamen aduertendum, Quod quando interponitur iuramentum super obligatione celebrandi missas, non censetur cadere supra qualitatem missæ, nisi aliquo modo, & cum aliqua expressione ad ipsam extendatur, quia censetur cadere supra substantiam celebrationis, & implicitè intelligitur saluo ritu Ecclesiastico; & ideò quatenus iuramentum se extenderet ad qualitatem missæ semper intelligeretur,

 qua

quatenus esset secundum ritum, & Rubricas Ecclesiasticas, vt aduertit etiam Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 6. §. 3. num. 2.* Nam cum iuramentum debeat esse de materia licita, quando extendi potest ad illicitam, stat semper cum restrictione ad licitam; & ideo ex vi ipsius nunquam inducitur obligatio, quæ non sit conformis Rubricis. Vnde si Capellanus iurares se tali, & tali die celebraturum talem, & talem missam votiuam in singulas hebdomadas, obligaretur solum pro ijs diebus, in quibus iuxta Rubricas celebrari possent, quia iuramentum censetur interpositum cum hac restrictione.

QVÆSTIO 253.

An iuramentum de qualitate Missæ obliget sub mortali.

SVMMARIVM.

1. *Iuramentum de qualitate Missa an obliget sub mortali*, & num. seq.
3. *Qualitas Missæ est leuis materia.*
Iuramentum in materia leui obligat sub veniali.
4. *Cur in iuramento falso Deus grauiter ladatur, & leuiter in contrauentione in re leui.*
5. *Non seruans plures iuramentum de qualitate Missa an peccet grauiter.*
6. *Quid si obligatus iuramento proponeret nunquam seruare circa Missæ qualitatem.*
7. *Quid si sub iuramento assumat onus faciendi celebrare plures missas votiuas eadem die, & faciat celebrare currentes.*
8. *Obligationes plures actiua de pluribus rebus leuibus non coalescunt in vnam obligationem.*

1 RESolutio difficultatis pendet ex generali doctrina de iuramento, an semper obliget sub mortali, an vero aliquando sub veniali ratione paruitatis materiæ. Ideo, qui putant, quod iuramentum de re exigua, quando est materia totalis, sit peccatum mortale, tenebunt etiam, quod sit mortale non seruare iuramentum de qualitate missæ. Ita Caiet. *2. 2. quæst. 87. art. 7. dub. 1.* Nauarr. *cap. 12. manual. hispan. n. 10.* Tabiena *verbo*, Iurare. *num. 11.* Armilla *verbo*, Iuramentum *num. 12.* Pedraaza *in sum. precept. 2. §. 5.* Couarruu. *lib. 1. variar. cap. 1. num. 2.* ver. *Secundò*, Philiar. *de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 3.* & alij. Fundamentum est; quia grauitas peccati non debet sumi à grauitate materiæ iuramenti, sicut nec leuitas à leuitate eiusdem materiæ, sed eo, quod Deus adducitur testis, qui, sicuti grauiter offenditur in iuramento falso, aut promissorio, absque animo implendi, quia adducitur in testem falsitatis: ita etiam, quando non impletur iuramentum, quia redditur falsa promissio, & adhuc Deus est testis falsitatis.

2 Secunda sententia est eorum, qui volunt, iuramentum in materia leui non obligare sub mortali. Ita Nauarr. *in manuali lat. cap. 12. num. 10.* Sotus *lib. 8. de iust. & iure, quæst. 1. art. 7. dub. 1.* Arragon. *2. 2. quæst. 89. ar. 3.* Angel. *verbo*, Iuramentum 5. *num. 41.* Syluester *verbo*, Iuramentum 4. *quæst. 1. in fine*, D. Antonin. *part. 2. sum. tit. 10. cap. 4. §. 1.* Henriquez *lib. 5. sum. cap. 20. num. 4. in com. littera M.* Azot. *part. 1. lib. 5. cap. 27. quæst. 2.* ver. *Animaduertendum*, Ledesma *tom. 2. sum. tract. 11. cap. 3. dub. 1.* Rodriquez *tom. 2. sum. cap. 192. num. 5.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 2. de iuramen. cap. 16. numer. 9.* Sanchez *lib. 3. sum. cap. 4. num. 23.* & alij.

Dicendum. Non seruans iuramentum circa qualitatem missæ promissam, non peccat mortaliter; sed tantum venialiter ratione paruitatis materiæ. 3
Quod autem qualitas missæ sit parua materia ex eo satis constat, quod dicit aliquid accidentale; tum quia Rubricæ ipsam præscribentes aut non obligant sub aliquo peccato, aut solum sub veniali, vt constat ex dictis in superioribus, quod non esset, si esset materia grauis. Quod autem iuramentum de re leui, si non impleatur, contineat solum peccatum veniale ex eo constat; quia aliud est iurare falsum, seu firmare promissionem iuramento absque animo implendi, & aliud iuramentum ritè factum non seruare; primo modo fit grauis iniuria Deo, quia adducitur testis falsitatis, atque adeò fit auctor ipsius, quod ipsi, & eius auctoritati omninò repugnat. Secundò modo non adducitur testis falsitatis, quia testimonium ipsius non se extendit vltra conceptionem promissionis, cum animo seruandi, non autem ex vi iuramenti adducitur testis adimpletionis: sed tantum violatur promissio ab ipso auctorizata, in quo læditur solum auctoritas diuina, & cum læditur in re leui, adest solum peccatum veniale.

Dices, fit iniuria grauis Deo, si adducatur in testem falsitatis etiam pro re leui; quia læditur veracitas ipsius: ergo fier etiam grauis iniuria, licet materia sit leuis, si non impleatur, quod iuramento firmatum est, quia læditur auctoritas ipsius, qua promissio auctorizata est. Resp. neg. conseq. Quia est dispar ratio; nam adduci in testem falsitatis est quid graue respectu Dei, nam dicit, quod testificetur falsum, quod detrahit eius veracitati, & proinde detrahitur perfectioni intrinsecæ ipsius, sine qua non esset Deus. At quando læditur auctoritas, qua auctorizauit promissionem, læditur in aliquo extrinseco effectu, atque adeò grauiter vel leuiter iuxta grauitatem vel leuitatem materiæ auctorizatæ. Sic etiam Deus tam in lege naturali, quàm in diuina, dum nos obligat ad aliquid faciendum vel non faciendum interponit suam auctoritatem, & tamen si non seruentur præcepta in re leui, læditur tantum leuiter. 4

Maior difficultas est, si non semel, aut iterum, sed pluries Sacerdos non seruet iuramentum de qualitate missæ, an peccet mortaliter, vt contingere potest in Capellano, qui singulis hebdomadibus tenetur certas missas votiuas celebrare, aut in eo, qui ex stipulatione suscepit onus celebrandi plures Missas de Requiem, aut votiuas. Et videtur peccatum esse mortale, quia licet singulæ materiæ sint leues, simul tamen constituunt vnam materiam grauem, & ita teneat generaliter loquendo de violatione iuramenti pluries in eadem materia leui Valent. *2. 2. disput. 6. quæst. 6. punct. 4.* ver. *Ex hoc patet*, Zumel. *1. 2. quæst. 88. art. 4. dub. penul.* ver. *Nec obstat*, Rodriquez *tom. 2. sum. cap. 99. num. 1.* Sed tenendum est; neque adhuc esse peccatum mortale. Quia tunc solum multiplicata violatio præcepti, iuramenti, &c. in leui materia consurgit ad peccatum mortale quando illæ plures leues materiæ coalescunt in vnam materiam, secus autem, quando non coalescunt. In præsenti autem casu non coalescunt, quia sicuti celebratio missæ est affixa singulis diebus, ita etiam obligatio celebrandi talem missam, & proinde obligatio pro vno die non impleta, non transit ad sequentem, sed extinguitur cum ipso die, & violatio vnius diei non coniungitur cum violatione alterius diei. Sic qui singulis diebus omitteret partem leuem Horarum Canonicarum, non peccaret mortaliter, aut qui singulis diebus ieiunij vltra cibum concessum sumeret quid modicum. Et ita tenent generaliter Azor. *part. 1. lib. 11. cap. 5. quæst. 3.* Vasquez *1. 2. disp. 146. cap. 1. in fine*, Sanchez *lib. 1. sum. cap. 4. num. 14.* 5

Et

6 Et hoc habet locum, etiamsi obligatu. ex iuramento proponeret nunquam seruare, vt generaliter obseruat Sanchez *lib. 1. sum. cap. 4. num. 15.* Quia cum illæ materiæ sint exiguæ secundum se, nec in vnam coalescant, vt dictum est, *num. præced.* nec etiam coalescunt in vnum in ordine ad propositum, quia voluntas fertur in ipsas, prout exequutioni mandandæ sunt; & ideò non tanquam in vnam materiam, sed multiplices, & seorsim sumptas. Sicut si quis proponeret singulis diebus omittere modicum partem officij, comedere singulis ieiunijs quid modicum extra refectionem, singulis diebus festis modico tempore vacare operibus seruilibus, non peccatet mortaliter. Ratio autem generalis est; quia in his omnibus propositum, & exequutio habent idem obiectum. Si ergo respectu exequutionis non specificat peccatum graue, nec etiam specificabit respectu propositi: & si respectu exequutionis non vniuntur, nec etiam vnientur respectu propositi.

7 Sed quid, si quis assumat obligationem faciendi celebrare plures missas in eadem die, aut votiuas, aut de *Requiem* cum iuramento, & faciat celebrare missas currentes. Resp. neque adhuc violare iuramentum esse mortale ratione paruitatis materiæ. Ratio est, quia illæ plures missæ quoad qualitatem non coalescunt in vnam materiam, sed remanent adhuc vt singulæ materiæ, etiam in ordine ad ipsum. Cum enim non possit ipse illas missas in eodem die celebrare, non assumit obligationes eas celebrandi, sed faciendi celebrare per alios, atque adeò obligatio assumpta non habet pro materia celebrationem talium missarum, itavt respectu huius vnius obligationis coalescant in vnam materiam; sed habet pro materia reperire, qui eas celebrent, & assumant singuli obligationem singularum missarum. Vnde adhuc obligatio ad qualitatem missarum est singula ad singulas, itavt tot sint obligationes in singulis sacerdotibus, quot sunt missæ, & proinde materia remanet multiplex.

8 Dices, Ex vi obligationis assumptæ nedum tenetur reperire, qui missas celebret, sed etiam tenetur imponere singulis obligationem qualitatis missæ: ergo si non imponat peccabit mortaliter, quia non imponet plures obligationes leues, quæ respectu ipsius in ordine ad impositionem vniuntur in vnam materiam. Resp. neg. conseq. & ad probat. resp. Has obligationes etiam in ordine ad impositionem actiuam remanere vti plures, & vti singulas, quia eo modo remanent, quo debent imponi, debent autem imponi vti singulæ singulis, atque adeò respiciunt obligationem imponentis, non per modum vnius, sed per modum plurium, & vti singulæ: vnde adhuc sunt plures paruæ materiæ quæ non specificant, nisi peccatum veniale. Sic si superior Regularis omitteret corrigere plures singulos de re leui, quos ratione muneris teneretur corrigere, non peccat nisi venialiter. Sic Rector Ecclesiæ, qui faceret celebrare plures missas diuersas à currenti, non peccatet nisi venialiter, in opinione eorum, qui volunt Rubricam de qualitate missæ obligare sub veniali. Sic qui faceret plures in die festo laborare in opere seruili, sed singulos in paruitate materiæ, non peccatet, nisi venialiter. Sic qui esset causa, quod plures in paruitate materiæ, & venialiter tantum violarent ieiunium non peccatet, nisi venialiter. Vnde cum materia ratione paruitatis fundet solum peccatum veniale, violatio quoque iuramenti ex eodem capite erit tantum peccatum veniale.

QVÆSTIO 254.

Qualiter obliget iuramentum factum Deo, aut votum de qualitate Missarum.

SVMMARIVM.

1. *Discrimen inter iuramentum factum Deo, & in fauorem alterius.*
2. *Iuramentum, aut votum de qualitate Missæ in die, in quo conceduntur, debet impleri.*
3. *Iuramentum, & votum de Missis votiuis, quando non permittuntur, non obligat.*
4. *Nisi celebratio ex circumstantia acquirat specialem bonitatem.*
5. *Votum & iuramentum de Missis votiuis, &c. quando permittuntur, obligat.*
6. *Nec impediunt maius bonum.*
7. *Et sufficit, quod Ecclesia illas permitteret, licet positiuè non concederet.*
8. *Promissio facta sanctis redundat in Deum. Quando iuratur per sanctos iuratur per Deum. Promissio facta sanctis cum intentione non se obligandi Deo, est simplex promissio.*

QVia iuramentum factum Deo obligat ipsi, ideò eadem est ratio ac iuramento, & voto, & eam obligationem, quam in præsenti inducet vnum, inducet etiam alterum. Est autem hoc discrimen inter iuramentum factum Deo, & factum in fauorem hominis, vt aduertit etiam Sanchez *lib. 3. sum. cap. 9. num. 11.* Quod factum homini, semper obligat, quando potest absque peccato obseruari Cap. *Quanto, de iureiur.* & Cap. *Quamuis pactum, de pactis in 6.* At factum Deo, sicut etiam votum, non obligat, si sit de materia indifferenti, aut impeditiua maioris boni, Et in hoc conueniunt communiter Doctores. 1

In hac autem difficultate illud est certum, quod si iuramentum, aut votum sit pro diebus, in quibus per Rubricas conceduntor huiusmodi Missæ, debent omninò celebrari, vt aduertit etiam Tambutin, *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 6. §. 4. num. 2.* Cum nulla adsit causa ratione cuius votum, aut iuramentum non teneat: aut ratione cuius relaxetur obligatio. Et ideò cum maneant in suo vigore, violabuntur, si non celebrentur Missæ. Vnde difficultas remanet, si Missæ sint celebrandæ in diebus, pro quibus à Rubricis non permittuntur, aut pro quibos permittuntur quidem, sed cum rationabili causa. 2

Dicendum 1. *Iuramentum, aut votum factum Deo de missis pro diebus in quibus non permittuntur à Rubricis, non obligat.* Ita etiam Tamburin. *Opusc. de sacrific. miss. lib. 2. cap. 6. §. 4. num. 1. ver. Dico primò,* Quartus *ad Rubricas Missal. quæst. proœm. sect. 2. punct. 7. corol. 3.* Ratio est, quia in his diebus, vel non possunt celebrari, nisi cum peccato veniali; vel si possunt celebrari absque hoc peccato; impediunt tamen obseruantiam Rubricarum, atque adeò illam qualitatem cultus, qui pro illo die institutus est ab Ecclesia, quod cum sit aliquod bonum, sit quod impediat huiusmodi bonum: & ideò tunc votum, aut iuramentum cessat obligare, quia non est de re Deo accepta, cum non possit esse acceptum, quod non seruatur ritus ab Ecclesia institutos, 3

Hoc tamen limitari debet, vt non habeat locum, si celebratio Missæ votiuæ vestiatur aliqua circunstantia, ratione cuius acquirat aliquam specialem bonitatem, quæ terminare possit aliquam specialem complacentiam Dei, & proinde possit esse 4

Deo

Den accepta; tunc enim cum fiat materia apta pro voto, aut iuramento, fundabit ipsorum validitatem, & consurget obligatio adimplendi.

5 Dicendum 2. *Votum, & iuramentum de votiuis Missis, aut de Requiem pro diebus, in quibus permittuntur, obligat, & est adimplendum.* Est contra Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 6. §. 4. num. 1. ver. Dico primò.* Prob. Materia voti est aliquod bonum ordinatum ad specialem Dei cultum ex institutione Ecclesiæ. Et est habilis, vt terminet votum, & iuramentum; nam si Ecclesia ex intentione colendi Deum, aut sanctos, aut specialiter recurrendi ad ipsum rectè instituit has Missas, possunt etiam ex eodem fine voueri Deo, quia dum vouentur, intenditur finis, qui est intentus ab Ecclesia.

6 Dices; Hoc votum esse impeditiuum maioris boni, & ideò non tenere, nam impedit conformitatem Missæ cum officio requisitam à Rubricis. Contra; Rubricæ in dictis diebus concedunt has Missas, itavt cum rationabili causa possint celebrari: ergo si Rubricæ indicant quod possit præferri tunc Missa votiua currenti, poterit etiam per votum præferri, aut iuramentum, quia tunc votum, & iuramentum conformabuntur Rubricis; nec impedient maius bonum: imò erit maius bonum materia voti, siquidem iuxta regulas Rubricarum poterit præferri Missæ currenti. Quod autem interueniat rationabilis causa, ex eo constat, quia dum vouetur, aut iuratur Missa votiua, aut de Requiem intenditur finis, propter quem ab Ecclesia sunt institutæ, qui sanè subministrat causam valde rationabilem.

7 Dices 2. Ecclesiam permittere tantum has Missas, non autem positiuè concedere, & ideò votum non valere contra præscriptionem Rubricarum, cum sit tantum de materia permissa. Contra; eò ipso quod Rubricæ permittunt has Missas, indicant posse anteponi in dictis diebus Missæ currenti, alioquin non permitterent, sicut non permittunt in diebus Dominicis, & festis duplicibus: ergo dum iudicant, posse anteponi, oportet, quod non sint impeditiuæ maioris boni, ex eo, quod impediant conformitatem Missæ cum officio; & proindè quod sint apta materia voti.

8 Ex dictis colligitur; quod quando promittuntur aliquæ Missæ alicui Sancto in eius honorem regulariter promittuntur Deo, vt obseruant Sanchez *lib. 4. sum. cap. 1. num. 41.* Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 6. §. 4. num. 3.* Quia promissio fit Sanctis in quantum in ipsis honoratur Deus, sicuti quando iuratur per Sanctos, iuratur per Deum in ipsis secundum suam veracitatem elucentem, vt docent communiter cum D.Thom. *2.2. quæst. 88. art. 5. ad 3.* Et ideò de hac promissione iudicandum est tanquam de voto. Si verò promittens ita promittat Sancto, vt non intendat se obligare Deo, tunc non aderit votum, sed simplex promissio, sicut interuenit inter homines, vt obseruant Sanchez *num. 43. citati loci,* Valent. *tom. 3. sum. disp. 6. quæst. 11. punct. 5. ver. Quod si quis fortè.* Et ideò inducet eam obligationem quam inducit simplex promissio. Atque eodem modo ratiocinandum est de promissione facta animæ Purgatorij, quæ erit simplex promissio, si fiat in ordine ad eius liberationem à Purgatorio; si autem fiat in ordine ad gloriam Dei, & cultum ipsius, habebit rationem voti, & eius obligatio erit consideranda tanquam obligatio voti.

QVÆSTIO 255.

Quomodo Superior obligare possit ad qualitatem Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Pontifex potest obligare ad qualitatem Missæ.*
   Potestas Pontificis est coarctata ad terminos rationis.
2. *Superiores non possunt iniungere subditis qualitatem Missæ contra Rubricas.*
3. *Si interponant in hoc auctoritatem perinde est, ac si non interponant.*
4. *Superiores, an possint interpretari, quod Rubricæ non habeant locum.*
   Illius est declarare cuius est condere.
5. *Quando Missæ votiuæ, &c. permittuntur, possunt Superiores ad ipsas obligare.*
6. *Subditus habet causam rationabilem celebrandi Missas votiuas iniunctas à Superiori, quando permittuntur.*

Difficultas non procedit de summo Pontifice, quia certum est, posse obligare ad qualitatem cuiuscunque Missæ, quia cum sit supra Rubricas, potest in ipsis dispensare. Vnde eo ipso, quod iniungeret celebrationem cuiuscunque Missæ, pro quocunque die, quamuis contrariarentur Rubricæ, teneret obligatio, quia censeretur dispensare, cum sciat, quid circa hanc materiam ipsæ præscribant. Hoc tamen est intelligendum, dummodo rationabiliter procedat, vt præsumitur semper facturus, quia non potest Ritus Ecclesiasticus, tanquam prudenter institutus irrationabiliter immutari. Præsertim cum potestas quoque summi Pontificis sit coarctata ad terminos rationis, *l. sed de pecunia, §. quo senatusconsulto, ff. de vsufr. ear. rer. quæ vsu consum.* & *l. reprehendenda, C. de instit. & substit.* & cap. *sunt quædam, 25. quæst. 1.* & ideò non potest irrationabiliter inuertere Ecclesiasticum Ritum, vt si vellet quod in die Paschatis celebrarentur Missæ de Requiem. 1

Quod autem spectat ad alios Superiores etiam Regulares dicendum est, *Quod non possunt iniungere subditis missas votiuas, aut de Requiem pro ijs diebus, in quibus non permittuntur à Rubricis.* Et si iniungant, non teneatur obedire. Ita etiam Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 6. §. 5. numer. 1.* Ratio est, quia Superiores quicunque sint, excepto summo Pontifice, non habent ius supra Rubricas, & ideò non possunt super ipsis dispensare; & alias non habent facultatem præcipiendi subditis, nisi secundum leges, non autem contra ipsas: & si sint Regulares, non possunt præcipere, nisi secundum Regulam, quæ aut explicitè, aut implicitè iubet seruari Ritum Ecclesiasticum. Et hoc habet locum etiam si Rubricæ de qualitate Missæ non obligent sub vllo peccato; nam adhuc præceptum tenderet contra normam præscriptam pro Ritu Ecclesiastico, & consequenter esset extra spheram potestatis ipsius. 2

Dices. Ex vna parte concurrere Rubricas, quæ aut non obligant sub peccato, aut ad summum sub veniali tantum; ex alia autem parte concurrere auctoritatem superioris præsertim, si sit Regularis, quæ strictius obligat, & ideò præualere debere. Resp. non concurrere talem auctoritatem, quia cum non se extendat ad hunc casum, nempe ad obligandum contra præscriptionem Rubricarum, eodem pacto se habet, ac si non interueniret, quia nulliter se interponit, cum egrediatur terminos suæ spheræ, 3

atque

atque adeò eodem modo se habet, ac si non se interponeret iuxta, *l. duo sunt*, & *l. non putauit*, §. *non quamuis, ff. de bon. poss. cont. tab.* & *l. 1.* §. *quod autem, ff. de offic. praefec vrb.*

4 Dices 2. Posse Superiorem interpretari, quod Rubricæ in tali casu non habeant locum, & ideò posse obligare subditum. Resp. Non posse interpretari authenticè, sed solum doctrinaliter, quia illius tantum est authenticè interpretari, cuius est concedere, *l. non ambiguitur, ff. de legib.* & *l. ex facto, ff. de vulg. & pupil. substit.* & cap. *Inter alia, de sentent. excommunicat.* Interpretatio verò doctrinalis in tantum potest habere locum, in quantum à Doctoribus tradatur; neque enim potest superior eam sibi fingere, sed oportet, quod de se subsistat, aut apud Doctores, aut in firma ratione, vt in ea possit auctoritatem suam fundare: in quo vsu posset secundum probabilem doctrinam cogere subditum.

5 Dicendum 2. *Superiores Regulares posse obligare subditos ad celebrandas Missas votiuas, aut de Requiem, quando permittuntur à Rubricis.* Est contra Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib 2. cap. 6. §. 5. numer. 1.* Ratio est. Quia eo ipso, quod permittuntur, celebrari possunt nedum absque vllo peccato, sed neque etiam violando Rubricas, si solum directiuè se habeant: ergo potestas superioris se extendet ad illas iniungendas, cum se extendat in hac materia ad totum id, quod non est contra Rubricas.

6 Dices. Vt non fit contra Rubricas, requiri causam rationabilem. Contra; Eò ipso qood iniunguntur à superiore adest causa rationabilis ad eas celebrandas, nempe motiuum obediendiæ: ergo subditus potest eas celebrare, cum interueniat, quod requirunt Rubricæ: ergo tenetur, quia solum potest excusari, in quantum non posset iuxta Rubricas celebrare: Rursus, cum non constet de opposito, præsumitur etiam ex parte superioris causa rationabilis iniungendi, & proinde, quæ sufficiat, vt iuxta Rubricas celebrentur.

QVÆSTIO 256.

An quando confessarius iniungit aliquas Missas votiuas, aut de Requiem pro pœnitentia, obliget etiam ad qualitatem Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Qualitas Missæ iniunctæ pro pœnitentia, quando non teneat, non obligat.*
2. *Tenet, pro die, in quo est permissa.*
3. *An obliget sub mortali, quando iniungitur pro pœnitentia.*

1 QVod obligatio ad qualitatem Missæ non teneat, si imponatur à Confessario pro diebus, in quibus non conceduntur à Rubricis, & proinde possit tunc pœnitens satisfacere pœnitentiæ celebrando Missam currentem, non videtur controuertendum, vt obseruat etiam Tamburin. *Opusc. de sacrific. miss. lib. 2. cap. 6. §. 5. num. 2.* Quartus *ad Rubr. missal. quæst. proœm. sect. 2. punct. 7. corol. 4.* Quia non habet confessarius facultatem imponendi pro pœnitentia, quæ sunt contra institutionem Ecclesiæ; nam imponit tanquam Vicarius Christi. Cum autem Christus non possit esse contrarius institutionibus Ecclesiasticis, non censetur dare facultatem confessario imponendi pœnitentias contrarias eisdem institutionibus.

2 Quid autem dicendum, quando solum permittuntur, non autem positiuè conceduntur huiusmodi Missæ. Negat Tamburin. *num. praeced.* citat. Posse imponere, quia non potest impedite maius bonum, quod est conformitas Missæ cum Officio. Verùm tenendum, quod tunc possit. Ratio est; quia eo ipso, quod permittuntur à Rubricis, non sunt contra ipsas, atque adeò cessat ratio, ob quam non possent imponi; nam in tantum non possent imponi, in quantum obstarent Rubricæ. Nec dici potest, quod impediat maius bonum, quia dum permittuntur à Rubricis, indicant, quod possint præferri Missæ currenti, atque adeò quod contineaut tale bonum, quod aut præponderet, aut æquiualeat Missæ currenti. Rursus eò ipso, quod permittuntur, sunt eligibiles à celebrante; nec dicetur, si eligat, impedite maius bonum. Poterit ergo etiam confessarius eas eligere pro pœnitentia, cum possit iniungere quodcunque bonum opus, quod exerceri potest à pœnitente, & sit satisfactorium.

3 An autem obligatio ad qualitatem Missæ sit sub peccato mortali, quando iuxta Rubricas celebrari potest pendet ex eo, an leuis pœnitentia iniuncta obliget sub mortali. In qua difficultate, quia Doctores variè opinantur, vt retuli in Theol. morali, *disp. 86. sect. 4. num. 14. & sequentib.* Ideò modo ijs relictis, tenendum est, qualitatem Missæ non cadere sub graui obligatione, siue pœnitentia leuis obliget sub veniali, siue sub mortali. Ratio est, quia qualitas Missæ non est tota pœnitentia iniuncta, sed qualitas, seu circunstantia ipsius, & ideò quid leue etiam in ordine ad pœnitentiam, vt est pars integralis Sacramenti. Vnde cum adhuc relinquat partem hanc integralem Sacramenti quoad substantiam, cessat ratio, ob quam aliqui volunt esse peccatum mortale non implere pœnitentiam leuem quia scilicet remaneat Sacramentum sine parte integrali,

QVÆSTIO 257.

Qualiter ordinatus Sacerdos teneatur ad qualitatem Missarum impositarum ab Ordinante.

SVMMARIVM.

1. *Missæ impositæ ordinato ab Ordinante.*
2. *Ordinatus non obligatur ad has Missas sub mortali quoad qualitatem.*
3. *Pro quibus diebus obligetur.*
   Illa interpretatio sumenda, quæ excludit contrarietatem legum.
4. *Quid intelligatur in iniunctione Missarum in ordinatione, post primam Missam.*
5. *Obligatio celebrandi statim has Missas an sit grauis.*
   Dictio post admittit internallum.
   Nec importat tempus immediatum.

1 IN ordinatione solent Ordinantes iuxta præscriptionem Pontificalis imponere Ordinatis Sacerdotibus, vt post primam Missam celebrent tres Missas vnam de spiritu Sancto, alterum de B. Virgine, & tertiam de Requiem. Quod autem spectat ad qualitatem harum Missarum omissis nunc alijs difficultatibus, duplex dubium occurrit. Primum an obli

obligatio ad qualitatem harum Missarum sit grauis, secundum, an statim post primam Missam sint celebrandæ, & difficultas oritur ex eo, quod post primam potest occurrere, vt regulariter occurrit dies, in quo iuxta Rubricas non conceduntur tales Missæ.

2 Quod spectat ad primum dicendum est. *Hanc obligationem non esse sub peccato mortali.* Sequitur ex dictis in Superioribus; quia cum materia sit leuis, etiam secundum Rubricas, quæ quoad hanc partem non obligant sub mortali, sed ad summum sub veniali, erit etiam leuis materia in ordine ad obligationem impositam ab ordinante. Præsertim quia non est tota materia obligationis, sed qualitas, seu circunstantia ipsius, atque adeò quid accidentale extra substantiam rei iniunctæ.

3 Quod spectat ad secundum. Dicendum est, *Quod obligatio est tantum in ordine ad dies, in quibus præscripta Missæ secundum Rubricas celebrari possunt.* Ita etiam Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 6. §. 5. num. 3.* Quartus *in Rubricas Missal. quæst. proœm. sect. 2. punct. 7. corollar. 4.* Ratio autem est; quia ea semper interpretatio est sumenda, per quam legum contrarietas vitetur, *l. præcipimus, C. de appellat.* & *l. si quando, C. de inoffic. testam.* & cap. 1. *de noui oper. nunciat.* & cap. *cum expediat. de electione, in 6.* & obseruant communiter Doctores, Roman. *Consil. 104.* Alexand. *Consil. 123. num. 9. lib. 3.* Cephal. *Consil. 323. num. 18. vol. 3.* Menoch. *de adipiscen. possess. remed. 4. num. 21.* Tusch. *littera C. conclus. 1036.* Vnde cum Rubricæ se habeant instar legum, sicut etiam ea, quæ præscribuntur in Pontificali, debent concordari adinuicem, quantum fieri potest, cum Rubricæ pro certis diebus non concedant Missas votiuas, quando Pontificale eas præscribit nouis Sacerdotibus post primam Missam intelligendum est post primam Missam in diebus primis, pro quibus conceduntur. Præsertim quia sequeretur notabile absurdum, quod nimirum in die Natiuitatis Domini, in Paschate celebraret primam Missam deberet in sequentibus diebus celebrare Missas votiuas non obstante solemnitate primæ Classis.

4 Nec obstat, quod Pontificale dicat, *post primam Missam*, & non primis diebus, in quibus celebrari possunt. Quia voluit significare, quod statim, ac celebrauit primam Missam incipiat vrgere obligatio, & in tantum possit suspendi, in quantum dies aduenientes non admittant celebrationem harum Missarum, itavt Missæ subsequentes primam sint addictæ pro implenda obligatione, quotiescunque possint celebrari, tales, quales iniunguntur.

5 An autem obligatio celebrandi statim has Missas sit grauis, itavt, si differatur per aliquot dies, sit peccatum mortale. Negatiuè resoluendum est, quia dilatio per aliquot dies non est materia grauis, & considerabilis, itavt possit cadere sub graui obligatione. Præsertim quia dictio, *post*, potest significare, & statim incontinenti, & etiam post aliquod interuallum iuxta subiectam materiam, vt obseruant Rebuf. *ad l. Labeo, §. Item si Dominus*, ver. *Postea ff. de verbor. significat.* Geminian. *in cap. 1. num. 8. de restit. spoliat. in 6.* Vulspel. *de præposit. & aduer.* ver. *Post, num. 2.* Nec ex sui natura importat necessario tempus immediatum, sed significat etiam tempus mediatum, seu inter quod, & terminum, quem excludit, mediat aliud tempus, vt obseruant Geminian. *in cap. si post, inst. de confes. in 6.* Franc. *num. 1.* Felin. *in cap. licet causam, num. 8.* ver. *Idem de teste, de probat.* Rota *decis. 323. num. 3. part. 3. recentior.* Vnde etiam ex hoc capite fit, quod non intelligatur præscriptio Pontificalis de primis diebus post primam Missam, si sint impediti.

DE QVIBVS SANCTIS
Missa recitari possit.



CVM in Missali Romano describantur Sancti, de quibus secundum Rubricas celebranda est Missa, & etiam in Rubricis tradantur speciales aliquæ regulæ, constat de omnibus in Missali descriptis celebrari posse, sicut etiam de ijs, de quibus Rubricæ concedunt. Rursus etiam quia Pius V. in sua constitutione præmissa Breuiario admittit aliqua specialia Breuiaria, ideò etiam poterunt Missæ celebrari de ijs Sanctis, qui in ijsdem Breuiarijs descripti sunt ab ijs, quibus dicta Breuiaria sunt concessa. Quia tamen adsunt nonnullæ difficultates, tum quoad hos, tum quoad alios, ideò modo examinandæ sunt.

QVÆSTIO 258.

An de Patronis, & à quibus celebranda sit Missa.

SVMMARIVM.

1. *Patroni alij principales: alij minus principales.*
2. *Forma seruanda in electione Sanctorum in Patronos.*
3. *De omnibus Patronis Missa est celebranda.*
4. *Quo ritu celebranda de principalibus, & quo de minus principalibus.*
5. *Patroni Principales an possint esse plures.*
6. *Quinam teneantur celebrare Missam de Patronis principalibus.*
7. *De Patronis per totam Octauam celebratur Missa.*
8. *De pluribus Titularibus celebrari potest Officium cum Octaua.*

PAtronos esse sub duplici differentia, itavt aliqui sint Principales, aliqui non Principales colligitur ex Rubricia Breuiarij *Tit. 7. de Octauis, num. 1.* vbi statuitur, quod de Patrono principali celebretur officium cum Octaua, per quod significatur, quod existant alij Patroni, qui non sint principales, & de quibus non celebretur Octaua. Hi autem Patroni vel sunt Patroni vnius tantum loci nempe Ciuitatis, Oppidi, &c. Vel totius Regni, aut Prouinciæ, vt constat ex praxi Ecclesiarum. 1

Est autem supponendum. Quod licet valeant electiones antiquæ Patronorum, quocunque modo sequutæ fuerint modo tamen ab anno 1630. non valent, nisi sit in ipsis seruata forma Decreti S. Rituum Congregat. de mandato Vrbani VIII. *sub die 23. Martij 1630.* Forma autem ibi præscripta coalescit ex pluribus conditionibus. Prima est. Quod eligendus in Patronum sit Canonizatus, & non sufficiat esse Beatificatum. Secunda. Quod electio pro Ciuitate fiat à populo mediante Consilio generali Ciuitatis, seu loci, & non ab Officialibus tantum, per secreta suffragia. Et pro Regno seu Prouincia electio fiat à populo singularum Ciuitatum Regni, seu Prouinciæ. Et quod re- 2

præ-

præsentantes ciuitates, Regnum, seu Prouinciam nullam habeant facultatem circa hanc electionem, nisi ex speciali mandato. Tertia, quod accedere debeat consensus Episcopi, & Cleri Ciuitatis, vel Ciuitatum, si electio sit pro Regno, aut prouincia. Quarta; quod hæ electiones examinari, & approbari debeant à S. Rituum Congregatione.

3 Dicendum est, *De omnibus Patronis tàm principalibus, quàm non principalibus esse celebrandam Missam.* Ita etiam Quartus *in rubr. missal. part. 1. tit. 1. dub. 1. ver. Respondeo, & dico.* Et constat etiam ex Praxi omnium Ecclesiarum. Ratio est; quia iuxta Rubricas Breuiarij, *tit. 7. de Octauis n. 1.* De patronis principalibus celebrari potest officium cum Octaua: ergo etiam Missa; qoia Missa secundum Rubricas debet congruere officio. Et hoc locum habet etiam si Patronus non sit descriptus in Breuiario seu Missali, cum Rubrica generaliter loquatur, & ita etiam Praxis habeat.

4 Est autem discrimen inter Patronos principales, & non principales, quod sicuti illorum officium celebratur sub ritu primæ Classis cum Octaua; horum verò tantum sub ritu duplici absque Octaua. Ita etiam Missa de Patronis principalibus celebrari potest per totam Octauam, quando dies infra Octauam alio festo non impeditur, nam tunc fit tantum commemoratio, de cæteris autem celebratur tantum in eorumdem die festo. Quale autem duplex sit officium patroni non principalis, Gauant. *in rubr. sect. 3. c. 12. n. 7.* vult esse duplex maius, Castald. verò, *lib. 2. prax. carem. sect. 5. c. 2. n. 6.* vult esse duplex secundæ Classis, quod videtur probabilius, quia ex hoc celebritas remanet in grado inferiori, quàm sit celebritas Patroni principalis, & hæc eleuatio ritus videtur debita patrono.

5 An autem possint esse plures Patroni principaliores, negat Quartus *in rubr. missal. p. 1. tit. 1. dub. 2.* ver. *Colligitur primò.* Quia vnus tantum potest esse principalior, & asserit, fide dignos testatos esse, ita declarasse S. Congregat. Sed quandiu non constat de hac declaratione, tenendum est, posse esse plures Patronos principales. Et ita supponit Vrbanus VIII. *in sua constit. 164. §. 2* Quæ incipit, *Vniuersa per Orbem,* dum concedit, quod solum vnius Patroni ex principalioribus in quocunque Regno seu Prouincia, & alterius tantum in quacunque Ciuitate, Oppido, vel Pago indici possit dies festus. Si enim vnus tantum ex principalioribus eligi potest, cuius festum colatur, possent esse plures principaliores. Et ideò cum Rubrica generaliter concedat, quod de Patronis principalibus fiat officium duplex primæ Classis cum Octaua de omnibus fieri poterit, & Missa correspondenter celebrari.

6 Quoad eos autem, qui tenentur celebrare Missam de Patronis illa obligatione, quæ oritur ex Rubricis, & officium ex præcepto. Certum est; totum Clerum teneri, sicut etiam Moniales non exemptas. Quia cum subijciantur Episcopis, qui habent facultatem indicendi officium de Patronis, & consequenter etiam Missam, tenentur stare legi impositæ à Proprijs Ordinarijs. Regulares verò exempti, sicut etiam Moniales exemptæ de iure non tenentur, quia non subsunt legibus, & præceptis, cum non possit in ipsas, nisi in casibus concessis exercere iurisdictionem. Quia tamen Gauant. *in manuali verbo,* Regular. iura suo Epis. *num. 28.* refert S. Rituum Congreg. *sub die 27. Martij 1628.* declarasse, quod Principalioris Patroni officium, & Missam teneantur Regulares celebrare, ideò standum est huic declarationi. Vnde adhuc non tenebuntur celebrare officium, & Missam Patronorum non principalium, vt notat etiam Quartus *in Rubr. Breu. p. 1. tit. 1. dub. 2.* ver. *Tenentur autem.* Est tamen valde conueniens, quod in hoc se conforment cum praxi ciuitatis, & etiam celebrando Octauam principalioris Patroni, vt eumdem cultum ab omnibus recipiat.

Et quia eadem est ratio de Patronis, & de Titularibus Ecclesiæ, cum de his quoque Rubricæ Breuiarij concedant officium duplex primæ Classis cum Octaua, ideò de his quoque per totam Octauam celebrari poterit Missa. Est tamen aduertendum, quod facultas ista coarctatur ad solam Ecclesiam titularem, ita vt extra ipsam, nec officium, nec Missa celebrari possit, nisi alias iuxta Rubricas possit celebrari, vt de mandato Vrbani VIII. declarauit S. Rituum Congregat. vt in *decretis præfixis Breuiario.* 7

Et quamuis Quartus *in rubr. missal. p. 1. tit. 1. dub. 2.* ver. *Colligitur, primò, si plures,* velit, quod de vnico tantum titulari, si plures sint, nempe de principali celebrari possit officium cum Octaua. Oppositum tamen est tenendum, si contingat esse plures Titulares æquè principales. Quia quod de principali conceditur, in genere, conceditur de omnibus, si sint æquè principales. Vnde hic Romæ in nostra Ecclesia S. Andreæ de Valle celebratur duplex festum primæ Classis, vtrumque cum Octaua duorum Titularium nempe S. Andreæ Apostoli, & S. Sebastiani. 8

QVÆSTIO 259.

An de Fundatoribus Religionum celebrari possit Missa.

SVMMARIVM.

1. *De Fundatoribus Religionum potest celebrari Missa, licet non sint ina Klendario.*
2. *An per totam Octauam.*
3. *Quid si sint tantum beatificati.*
   Octaua inest concessioni officij pro Fundatoribus.
   Quod de iure inest habetur pro expresso.
4. *Concesso Officio secundum verbales terminos habetur pro expressa iuxta Rubricas.*
5. *Quod tacitè inest, non est opus exprimi specialibus verbis.*
6. *Moniales an possint celebrare festum Fundatorum Religionis, cuius regimini subsunt, si sint alterius Regula.*

Dicendum est, *De Fundatoribus Religionum posse celebrari Missam, etiamsi non sint descripti in Calendario, à Religiosis Ordinis eorumdem.* Hoc autem intelligitur tum quoad Regulares, quàm quoad Moniales eiusdem Ordinis. Et siue sint Canonizati, siue tantum Beatificati; nam in beatificatione conceditur regulariter facultas celebrandi Missam, & Officium ijsdem Religiosis. Ita etiam Quartus *in rubr. missal. part. 1. tit. 1. dub. 2. coral. 2. post dict. 1.* Ratio est; quia Fundator Ordinis se habet instar Patroni, si quidem tota religio eum tanquam Patrem, & Patriarcham veneratur, & sub illius protectione viuit: & ideò debetur ei ille honor, qui tribuitur in cultu Patronis. 1

Hinc autem insurgit difficultas, an de Fundatoribus celebrari possit Missa per totam Octauam, an verò solum in die festo, atque adeò an Officium cum Octaua. Et quidem, si sit Canonizatus, videtur res esse extra difficultatem. Quia celebrari debet Officium iuxta præscriptionem Rubricarum. Hæ autem concedunt celebrationem cum Octaua, vt constat ex *tit. 7. de Octauis, num. 1.* ibid. *Et in festis aliorum Sanctorum* (celebratur Octaua) *quæ apud quasdam Ecclesias, Congregationes, & Religiones consueuerunt solemniter cum Octaua celebrari.* Apud Religiones autem festum Fundatoris celebrari solet cum Octaua, & ideò hæc consuetudo approbatur à Rubrica. 2

Diffic. habet locũ quoad Fundatores tantum beatificatos ob decretũ S. Cong. Rituũ *sub die 16. Dec. 1652.* 3

 in

in quo statuitur, quod non possint excedi limites verbales Indultorum Sedis Apostolicæ super beatificationibus, præsertim in celebratione Missarum, & officij cum Octauis, nisi hoc expressè sedes Apostolica indulserit. Vnde nisi expressè sit concessa Octaua, non videtur, posse officium Fundatorum tantum beatificatorum celebrari cum Octaua. Verum inhærendo huic etiam decreto videtur resoluendum, quod celebrari possit Officium cum Octaua, & Missa per totam Octauam. Nam eo ipso, quod conceditur Missa, & Officium in die festo fundatorum, habetur pro expressa etiam Octaua, quia secundum ius Rubricarum celebrari debet Octaua, & ideò Octaua de iure inest Officio, & habetur pro expressa, *l. licet Imperator. ff. de legat.* 1. & *l.* 1. *C. de testamen. milit.* & *l. Iulianus*, §. *offerri, ff. de act. empt.* & notant Tiraquel. *in l. si vnquam verbo*, Donatione largitus, *num.* 158. *C. de reuocan. donat.* Puteus *decis.* 194. *num.* 2. *lib.* 1.

4 Præsertim quia considerata concessione Officij, & Missæ, & considerata qualitate fundatoris, ab eo, quod in concessione exprimitur resultat concessio Octauæ attenta dispositione Rubricarum, & ideò secundum verbales terminos habetur pro expressa, *l. si ita*, §. *qui filio. ff. de bonor. possess. secun. tab.* & notant Bald. *in l. fin. num.* 23. *in fine*, *C. de hæred. instit.* Socin. *in l. in ambiguo. num.* 7. *ff. de reb. dub.* Dec. *Consil.* 68. *num.* 3. Rota *coram Ludouio. decis.* 66. *num.* 12. Vnde dictum decretum intelligit de Octaua, quando de iure non est annexa officio, quia tunc non habetur pro expressa.

5 Nec dici potest, quod cum non sit verbis specialibus expressa Octaua, non censetur concessa, quia si voluisset concedere, expressisset. Quia hoc non tollit, quin stando intra limites verborum non dicatur concessa, siquidem cum tacitè insit, expressio specialibus verbis nihil operaretur, sed esset frustratoria, *l. aliquando, ff. de condit. & demonstrat.* & *l.* 3. *C. de fideius.* & notant Castrens. *Consil.* 359. *num.* 1. ver. *Nec valet. lib.* 1. Prob. *Ad monach. in Cap. Cir. num.* 26. *de praben. in* 6. Ruin. *Consil.* 169. *num.* 15. *vol.* 1. Ancharan. *Consil.* 147 *num.* 4. Alexand. *Consil.* 30. ver. *Nec adhuc obstat.* Rota *decis.* 61. *num.* 6. *part.* 3. *recent.* & *decis.* 65. *num.* 1. *ead. part.* & coram Merlino *decis.* 825. *num.* 14.

6 An autem Moniales, quæ non viuunt sub Regula Fundatorum Religionis, sunt tamen sub regimine regularium, quorum Fundator est beatificatus, possint recitare officium, & in suis Ecclesijs facere celebrare Missam de ipso iuxta formam concessionem factam ipsis regularibus. Et affirmatiuè resoluendum est iuxta priuilegium, quod Bonifac. VIII. concessit Fratribus Minoribus, vt refert Sorbus *in compend. priuileg.* Tit. *communicatio priuilegior. num.* 6. Scilicet, quod Moniales commissæ eorumdem gubernationi gaudeant priuilegijs ijsdem regularibus concessis, & concedendis. Vnde cum cæteri regulares habentes communicationem priuilegiorum præsertim in amplissima forma, fruantur hoc priuilegia, Moniales subiectæ eorumdem gubernationi, quamuis sub diuersa regula fruentur priuilegijs ipsis concessis, atque adeò etiam priuilegio recitandi officium fundatoris, & faciendi celebrare Missam ipsius.

QVÆSTIO 260.

An de Episcopis ciuitatis, qui non sunt in Missali possit celebrari Missa.

SVMMARIVM.

1. *De Episcopis Ciuitatis, licet Canonizatis non potest celebrari Missa festiua sine speciali indulto.*
2. *Cultus publicus Sanctorum est de reseruatis sedi Apostolica.*
   Vbi superior manum apposuit, non potest inferior se ingerere.
3. *Episcopus nulliter præscriberet Officium, & Missam Episcoporum Ciuitatis.*
   Nec per illud Officium impleretur onus Horarum Canonicarum.
4. *Qui non vtuntur Breuiario Romano non possunt celebrare nisi iuxta concessionem Apostolicam.*

SVpponit Quæstio, quod sint Canonizati, atque adeò, quod possint ab omnibus coli tanquam Sancti; & eadem difficultas procedit quoad alios Sanctos nationales, & procedit difficultas non quoad Missam votiuam, sed quoad Missam festiuam in die eorumdem obitus. Dicendum est autem, *Non posse absque speciali indulto sedis Apostolica celebrari Missam, aut Officium de his Sanctis, qui non sunt descripti in Catalogo Breuiarij, seu Missalis.* Ita Trullench. *lib.* 1. *in decal. cap.* 7. *dub.* 14. *num.* 14. Palaus *part.* 2. *oper. moral. tract.* 7. *disp.* 2. *punct.* 1. *num.* 10. Quintanaduen. *tom.* 1. *singul. tract.* 7. *singul.* 9. *num.* 7. Ita etiam decreuit S. Rituum Congregat. sub die 8. *Aprilis* 1628. Et decretum approbatum fuit ab Vrbano VIII. & præfigitur Breuiario Romano. Talis autem est tenor decreti. *De Sanctis Episcopis Locorum, Martyribus, Ciuibus, etiam alijs festis, de quibus in Calendario Romano, seu Rubricis Breuiarij nihil habetur; vti etiam de Beatis nondum Canonizatis, nihil propria auctoritate constituatur, sed omninò consulatur S. Rituum Congregatio.* 1

Ratio est; quia cultus publicus Sanctis deferendus est de reseruatis Romanæ sedi, iuxta cap. *Audiuimus, de venerat. Sanctor.* Et ideò non potest aliquis cultus ipsis deferri sine consensu ipsius. Præsertim, quia circa recitationem Officij diuini, & Missæ celebrationem præscripsit normam, & modum seruandum, & de quibus Sanctis. Vnde non possunt inferiores Prælati aliquid innouare, aut addendo, aut detrahendo, quia vbi superior manus apposuit, non potest inferior se ingerere. Cap. *vt nostram, de appellat.* & obseruant Innocent. *in cap. cum M. Ferrar. de constit.* Bald. *in cap.* 1. §. *ad hæc, de pace iuram. firm.* & *in l. sicut proponis* 1. C. Quomodo, & *quand. iud.* Salicet. *ibid.* Imola *in l. si expressum ff. de appellat.* Ias. *Consil.* 9. *num.* 1. *lib.* 3. Alban. *Consil.* 73. *num.* 1. Menoch. *Consil.* 301. *num.* 4. Couarruu. *cap.* 9. *Pract. num.* 4. Gonzalez *ad reg. de mensib. Gloss.* 52. *num.* 27. Valasc. *Consul.* 105. *num.* 63. 2

Sed quid, si Episcopus præscriberet alicuius ex dictis Sanctis Officium, & Missam, validè præscriberet. Plura enim facta tenent, quæ fieri prohibentur. Resp. quod non solum peccaret grauiter, quia in re graui sibi vsurparet auctoritatem Apostolicam, sed etiam nulliter procederet: & proinde, qui de tali Sancto officium recitaret, non satisfaceret, oneri Horarum Canonicarum; Vt desumitur ex Constit. Pij V. *Præfixa Breuiario*, quæ incipit, *Quod à nobis postulat. sub VII. Id. Iulij* 1568. ibid. *Statuentes Breuiarium ipsum nullo vnquam tempore vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel detrahendum esse. Ac quicunque qui Horas Canonicas ex more, & ritu ipsius Romana Ecclesia iure, vel consuetudine dicere, vel psallere debent, &c. Ad dicendum, & psallendum post hac in perpetuum Horas ipsas diurnas, & nocturnas ex huius Romani Breuiarij præscripto, & ratione omninò teneri, neminemque ex ijs, quibus hoc dicendi, psallendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse.* Si ergo satisfacere non possunt oneri Horarum Canonicarum, nisi recitent secundum ritum præscriptum in Romano Breuiario, manifestum fit, quod recitando officium 3

defuncto,

Digitized by Google

defuncto, de quo recitari non potest iuxta Catalogum, aut Rubricas, non satisfaciet, quia non recitabit secundum ritum Breuiarij.

4. An autem idem dicendum sit quoad cæteros, qui non vtuntur Breuiario Romano. Quales sunt Christi Ecclesiæ Ambrosianæ, Monachi, qui habent speciale Breuiarium, & Missale. Affirmatiuè resoluendum est. Quia est ipsi tenentur sequi proprium ritum; nec eorum Prælati addere possunt officia de nouis Sanctis, cum hoc vt dictum est *num*. 2. sit de reseruatis Romanæ Sedi; itavt nequeat alius inferior Prælatus aliud officium ordinare. Et militat eadē ratio. Quia quoad ipsos quoque obligatio recitandi non est sub dispositione inferioris Prælati: atque adeò nec etiam obiectum obligationis, quod est officium diuinum: & proinde obligatio ista tantum impleri potest per recitationem illius officij, quod à Sede Apostolica præscribitur, aut conceditur, cum solum sit materia, cum qua impleatur. Materia enim obligationem non est voluntaria, sed tantum est ea, quæ est determinata ab eo, sub cuius dispositione est ipsa obligatio.

QVÆSTIO 261.

An possit celebrari Missa de ijs Sanctis, quorum reliquiæ seruantur in aliqua Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Festum Titularis in sola eius Ecclesia celebrari potest: Sic etiam de Sanctis ratione reliquiarum.*
2. *Quænam sint insignes Reliquiæ.*
3. *An plures partes non insignes faciant vnitæ Reliquiam insignem.*
4. *Si partes reliquiæ insignis vniantur, adhuc est Reliquia insignis.*
5. *Quid si sit dubium an partes pertineant ad idem membrum.*
6. *Præter expressas in Decreto S. Congregat. an sint aliæ reliquiæ insignes.*
7. *Pro recitando Officio, & Missa an sufficiat Reliquia æquipollens insigni.*
In æquipollentibus non refert, quod sit vnum, vel alterum.
8. *Si insignis reliquia conseruetur in Ecclesia matrice, possint omnes de loco recitare Officium, & Missam.*

1 Extat Decretum S. Rituum Congregat. sub *die* 8. *April.* 1628. approbatum à Sum. Pontifice Vrbano VIII. decisiuum præsentis difficultatis, quod repositum est inter Decreta, quæ præfiguntur Breuiario, tenoris sequentis. *Item vetuit, & prohibuit, celebrari per totam Ciuitatem, vel Diœcesim, etiam de cuiuscunque Ordinarij auctoritate Festum cum officio eo, quod in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis; aut aliqua reliquia. Sed tantum in ipsius Sancti Ecclesia titulari, seu vbi asseruatur Corpus, aut insignis reliquia, & non alibi.* Ex quo constat, quod ratione reliquiarum Sanctum non potest celebrari Officium, & Missa, nisi in Ecclesij, vbi conseruantur, & nisi reliquiæ sint, aut ipsum corpus, aut pars aliqua insignis.

2 Quæ autem sit pars, aut reliquia insignis declarauit eadem Sacra Congregat. in præfato Decreto his verbis. *Insignes autem reliquias declarauit, esse Caput, Brachium, Crus, aut illam partem corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, & non parua, & legitimè ab Ordinarijs approbata.* Est autem aduertendum, quod sicut ad verificandum quod conseruetur corpus, sufficit, si conseruentur ossa, quamuis carne omniuò denudata: ita etiam ad verificandum, quod conseruetur caput, aut alia pars ex numeratis, sufficit, si conseruentur ossa earumdem partium, quamuis carne denudata. Hoc enim est secundum id, quod regulariter contingit, cum Reliquiæ Sanctorum in solis ossibus regulariter consistant.

Dubitatur autem, an si plures partes non insignes, simul aliquo glutine vniantur, componant Reliquiam insignem, itavt possit de illo Sancto celebrari Missa, & Officium. Affirmat Quintanaduen. *tom.* 1. *in Singul. tract.* 7. *singul.* 28. *num.* 6. *in fine.* Quia tunc ex pluribus partibus coalescit pars notabilis corporis. Verum oppositum omninò tenendum est, vt notat etiam Quartus *in Rubric. Missal. part.* 1. *tit.* 1. *dub.* 4. *difficult.* 1. Nam insignitas Reliquiæ non tam consurgit ex quantitate, quàm ex qualitate membri: vt proinde debeat esse insigne membrum corporis, nisi aliàs insignita sit ex passione, in qua Martyr passus est. Et idem non sufficit, quod plures partes vniantur, quia licet efficiant notabilem quantitatem, non tamen efficiunt notabile membrum, seu insigne. 5

An autem si reliquia insignis ex iis, quas recensuit S. Congregatio, fracta sit in diuersas partes, & partes istæ aliquo glutine vniantur, habenda sit pro Reliquia insigni, quæ sufficiat pro recitatione Officij, & celebratione Missæ affirmatiuè resoluendum est, sicut etiam resoluit Quartus *in Rubric. Missal. part.* 1. *tit.* 1. *dub.* 4. *ver. Respondeo distinguendum.* Quod tamen intelligendum est, dummodò adsint partes necessariæ ad constituendum illud membrum, in quo consistit Reliquia insignis; nam tunc reuera habetur brachium, aut crus, &c. atque adeò Reliquia insignis iuxta Decretum S. Congreg. Neque enim officij quod vniantur artificiosè, quia hoc non tollit, quia imponant brachium, crus, &c. quia illa vnio artificialis supplet naturalem continuationis. Et ideò, quamuis deficeret aliqua exigua pars, & defectus etiam appareret, non obstaret tamen, quin esset Reliquia insignis, sicuti adhuc est crus, aut brachium integrum, licet ei desit aliqua pars exigua. Si tamen partes istæ non essent vnitæ, non constituerent Reliquiam insignem, quia non se haberent per modum vnius, nec constituerent illud principale membrum, quod pro insignitate Reliquiæ habetur in consideratione. Hinc si frangeretur Reliquia insignis, possent partes glutine aliquo vniri, & remaneret adhuc insignis; vt notat etiam Quartus citat. 4

Secundò dubitatur. Quid dicendum, quando dubium est, an partes, seu frustra reliquiarum pertineant omnia ad idem membrum. Resp. Quartus *in Rubric. Missal. part.* 1. *tit.* 1. *dub.* 4. *ver. Tandem si dubium.* Quod si dubium sit negatiuum, itavt non possit ferri iudicium determinatum, nihil inuabit, quod vniantur illæ partes, quia neque etiam vnitæ haberi poterunt pro reliquia insigni. Posse verò haberi pro reliquia insigni, si adsit probabile argumentum, quod pertineant ad idem membrum. Verum in hoc obseruandum est, an quando partes componuntur adinuicem resultet forma illius membri, seu ossis, quo constituitur illud membrum: vel non resultet. Nam si resultat, tollitur omne dubium, & fit certum, quod partes illæ sint partes illius membri. Si verò non resultet, quamuis pertinerent ad idem membrum, sed essent in se deformatæ; itavt non possent coalescere ad restituendum formam illius ossis, quamuis vnitæ non possent haberi pro reliquia insigni. Quia non essent illud membrum defectu formæ, in quo consistit reliquia insignis. 5

 Tertiò

6 Tertiò dubitatur. An præter expressas in Decreto S. Congregat. dentur aliæ reliquiæ insignes. Partem affirmatiuam tradit Quintanaduen. *tom. 1. singul. tract.7. singul.28. num.7.* Reliquia sit Christi Domini, vel B. Virgin. vt vnica Spina Coronæ. Frustum Crucis, licèt non valdè magnum Capilli beatæ Virginis, vel alicuius eminentissimi sancti, nempe sancti ioannis Baptistæ, sancti Petri, sanctæ Annæ, & aliorum Apostolorum, aut Euangelistarum, vt esset palmus ossis, aut quid simile: tunc enim defectus quantitatis supplebitur à qualitate sancti. Verum hoc probari non potest. Quia licèt sint Reliquiæ insignes relatiuæ ad eos, quorum sunt reliquiæ, non tamen sunt insignes secundum se, & consequenter nec in ordine ad effectum, recitationis officij, & celebrationis Missæ, quia ad hunc effectum debent esse insignes secundum se. Et cum non comprehendantur sub qualitate expressarum in decreto Sacræ Congregationis, nec illis æquipolleant, facultas recitandi officium, atque celebrandi Missam non habebit locum intuitu ipsarum.

7 Quarto dubitatur, An pro celebranda Missa, & recitando officio sufficiat Reliquia æquipollens insigni vt si adsint certæ, aut pars aliqua notabilis corporis. Et videtur affirmatiuè resoluendum. Quia quamuis decretum Sacræ Congregat. assignet determinatas partes corporis pro insignibus reliquiis, atque adeò videatur taxare, non per hoc excluditur æqoipollens. Deinde cum finis decreti Sacræ Congregat. sit, quod non intuitu cuiuscunque reliquiæ celebretur officium, sed solum intuitu insignis, non refert, quod reliquia sit aliqoa ex partibus corporis expressis in decreto, dummodo tamen sit æquipollans: nam in æquipollentibus non refert, quod sit vnum, vel alterum. *leg. 3. l. De instit. & substit.* & *l. fin. Cod. De donat. quæ sub modo fiunt.* & *l. Mulier. ff. Ad Trebel.* & *l. Fideicommissa. 11. §. Si cui ita. ff. de legat. 3.*

8 Quinto dubitatur. An si reliquia insignis, conseruetur in Ecclesia Cathedrali, seu matricè, possint omnes de illo loco recitare officium, & celebrare Missam. Et negatiuè resoluendum est, quia Sacræ Congregat. decretum taxatiuè disponit, & concedit solum pro illa Ecclesia, in qua conseruatur reliquia insignis: vtitur enim dictione, Tantum, poterunt tamen omnes qoi sunt addictis celebrationi diuinorum officiorum in Ecclesia Cathedrali, aut matrice, recitare idem officium, & celebrare Missam. Quod verum est, etsi non esset addictus Ecclesiæ, nisi tanquam Capellanus quoad cebrationem Missæ.

QVÆSTIO 262.

Quid faciendum, quando in eadem Ecclesia est duplex reliquia insignis, & festum vtriusque Sancti occurrit eodem die.

SVMMARIVM.

1. *Si sint plures reliquiæ ratione quarum esset eodem die celebrandum officium quid faciendum.*
2. *De digniori Sancto prius recitandum est officium.*
3. *Quid si Sancti, cuius sunt reliquiæ, sint eiusdem qualitatis.*
4. *Quid si eodem die passi sint, &c.*
5. *Reliquia insignis an aliquid operetur, si officium alias sub ritu duplici recitandum sit.*
6. *Quid faciendum si plures simul solemnizentur in Breuiario, & de vno adsit Reliquia.*
7. *Quid si de Sancto, de quo habetur Reliquia fiat in Breuiario sola commemoratio.*

1 ALiam quæstionem huic affinem mouet. Quintanaduen. *tom. 1 Singular tract.7. singul.29.* Nimirum quando reliquia vnius Sancti conseruatur in Ecclesia Cathedrali, & officium indulto Apostolico recitatur in tota Ciuitate, seu Diœcesi, & alia alterius Sancti cuius commemoratio occurrit eodem die conseruatur in aliqua Ecclesia particulari. Et resoluit, quod vtriusque Sancti celebrandum sit officium, & Missa; & in qualibet Ecclesia prius de illo, cuius extat reliquia translato alterius officio.

2 Proportionali ergo modo resoluenda eadem difficultas. Itavt de vnoque Sancto celebrandum sit officium, & Missa, & prius de digniori, translato officio de minus digno. Ratio est. Quia iuxta decretum S. Congregat. intuitu reliquiæ insignis potest recitari officium & missa celebrari de quocunque Sancto cuius extet Reliquia: ergo si extat plurium Sanctorum, debet de omnibus celebrari: ergo si occurrant eodem die debet seruari, quod præscribitur in Rubricis, quod fiat officium de digniori, & transferatur minus dignus, aut si sint æquales adsit libera electio de vno, de quo priori loco celebretur officium, & Missa.

3 Et hoc verum est, etiam si Sancti, cuius extant Reliquiæ insignes, sint eiusdem qualitatis, videlicet vel ambo Martyres, vel ambo Confessores. Neque enim est necessarium celebrare simul de vtroque officium, & Missam, sed poterit seorsim celebrari, vt notat de Quintanaduen. *tom. 1. singul. tract.7. singul.29. n.4.* Quia ratione cuiuscunque reliquiæ adhuc ius distinctum ab alio ad celebrandom officium, & Missam: cum vnaquæque reliquia insignis tribuat ius proprium in ordine ad Sanctum cuius est reliqoia. Et ideò non adest obligatio vniendi officia, sed poterunt seorsim celebrare non secus, ac quando occurrunt eodem die plures Sancti, de quibus celebratur officium.

4 Hinc si in eadem Ecclesia sint plures insignes reliquiæ plurium Martyrum, qui eodem die eadem de causa, & simul Martyrium passi sint: etiamsi de omnibus simul in Breuiario, & in Missali præscribatur vnicum officium, & vnica Missa, poterit celebrari seorsim de singulis Missa, & officium. Nam reliquia vnaquæque insignis, fundat ius quoad Sanctum cuius est reliquia, de se seorsim, & independenter à reliquia alterios. Et ideò cum sint iura distincta, poterunt etiam seorsim officia celebrari. Vnde, si in eadem Ecclesia sint plura brachia, aut plura capita, &c. Sociarum S. Vrsulæ, poterunt de singulis seorsim officia, & Missa celebrari.

5 Sed dubitari potest. Quid faciendum, quando Sanctus cuius reliquia insignis conseruatur in Ecclesia, est descriptus in Kalendario sub ritu duplici, vel semiduplici. Resp. In tali casu debere reliquiam insignem aliquid operari, vt videlicet euchatur ad altiorem ritum. Et licèt, quando est sub ritu duplici, putat Quintanaduen. quod sit euchendus ad duplex primæ, aut secundæ clas. *tom. 1. singul. tract.7. sing.28. num. 4.* Sufficit tamen si euchatur ad duplex maius, cum non adsit secundum Rubricas sufficiens fundamentum euchendi ad tàm solemniorem ritum. Et si fuerit in Kalendario sub ritu semiduplici, sufficiet, si euchatur ad ritum duplicem.

6 Ex dictis infertur. Quod si plures Sancti reperiantur in Catalogo Breuiarij sub ritu duplici, de quibus vnicum tantum officium celebretur, vt de SS. Fabiano, & Sebastiano, & de vno tantum adsit insignis reliquia, de hoc tantum erit celebrandum officium duplex, & de altero erit officium transferendum sub ritu semiduplici, vt notat etiam Quintanaduen. *tom. 1.*

singular,

singular. tractat. 7. singul. num. 4. Et habetur etiam in Rubricis Breuiarij post Tabel. *de occurent. Festor. §. penul.* Similiter etiamsi de omnibus fiat in Kalendario sub ritu semiduplici, erit officium duplex celebrandum de eo, cuius extat reliquia insignis, alter seu plures, de quibus celebratur officium semiduplex erit sub eodem ritu transferendus, vt notat Quintanaduen. *citat. singul.* 30. *num.* 1. Ratio potest esse. Quia non potest demitti ad ritum inferiorem semiduplici, nam si demitteretur ad ritum officij simplicis non posset transferri, & ideò debet retinere, quamuis solus, eumdem ritum, quem habet.

7 Secundo infertur. Vt notat etiam Quintanaduen. *tom.* 1. *singular. tractat. 7. singul.* 30. *num.* 2. Quod si reliquia insignis sit de aliquo Sancto, de quo in Breuiario, & Missali fiat tantum commemoratio eò, quod occurrat eodem die cum alio Sancto, de quo fiat officium sub ritu duplici, vel semiduplici, officium erit recitandum de illo simplici, & duplex, vel semiduplex transferendum secundum Rubricas, retento eodem ritu officij. Nam per recitationem officij intuitu reliquiæ non debet præiudicari Sancto principali diei, nisi quoad translationem. Si autem commemoratio de simplici, quæ esset facienda, esset de plusibus, & de vno tantum adesset insignis reliquia, sicuti de hoc fit officium, ita de cæteris fit sola commemoratio.

QVÆSTIO 263.

An si in eadem Ecclesia sint plures insignes reliquiæ eorum Sanctorum qui eodem die passi sunt, possit multiplicari officium.

SVMMARIVM.

1. *Existentibus pluribus reliquiis eorum, qui eadem die passi sint, possit multiplicari officium.*
2. *In cultu Sanctorum fauorabiliter pars eligenda.*
3. *Reliquiæ multiplicant motiuum colendi Sanctos seorsim.*
4. *Si in Cathedrali sit insignis reliquia ob quam in tota ciuitate recitetur officium, & alia insignis reliquia in alia Ecclesia, quid faciendum.*
5. *Solemnizatio Sanctorum non replicanda ex eodem titulo.*

1 Contingere potest, quod in aliqua Ecclesia sint brachium, caput, &c. Sociarum S. Vrsulæ, aut sociorum S. Mauricij, aut Sanctorum Innocentium, autem similium, & proinde dubitatur, an iuxta numerum reliquiarum insignium multiplicari possit celebratio officij, & Missæ. Et videtur negatiuè resoluendum. Quia, cum Ecclesia eos colat, & omnes sub celebratione vnius tantum officij, etiam particulares Ecclesiæ debent seruare eumdem ritum, quando adsunt plures reliquiæ insignes horum Sanctorum.

2 Existimo tamen esse probabile, *Quod liceat multiplicare officium.* Ita in simili Quintanaduen. *tom.* 1. *singular. tractat. 7. singul.* 30. *num.* 8. Nam non solum probabile est, sed ferè moraliter certum, quod illæ reliquiæ non sint eiusdem Sancti, sed diuersorum. Stante autem diuersitate Sanctorum, debetur vnicuique proprius honor, iuxta concessionem Ecclesiæ, & ideò seorsim iuxta numerum reliquiarum debent coli proprio officio. Quod extendit Quintanaduen. *cit.* Etsi dubium sit, an sit diuersorum, quia cum simul in fauorabilibus, nam agitur de cultu Sanctorum, fauorabilior pars est eligenda. *l. Cum. quidam. ff. de liber.* & cap. *Cum dilecti. de donat.*

Neque obstat. Quod Ecclesia eos simul colat eodem officio. Nam facis, quia motiuum eos colendi est eorum omnibus commune. Deinde, quia non est maior ratio de vno seorsim ab alio colendo, quàm de aliis. Si autem omnes seorsim coleret, esset in congrua iam multiplex repetitio officij, & quoad aliquos impossibilis, quia excedunt numerum dierum integri anni, & quia nescitur præcisus numerus. At quando multiplicantur insignes reliquiæ, adest speciale motiuum respectu cuiuscumque, & reducitur ad paucos; vnde commodè celebratio officij potest habere locum. 3

Sed quid, si in Ecclesia Cathedrali sit insignis reliquia alicuius Sancti, & in alia Ecclesia minori eiusdem ciuitatis sit alia insignis reliquia, vt brachium in vna, caput in alia: & de Sanctis, quorum reliquiæ insignes sunt in Cathedrali ex indulto Pontificio celebretur officium in toto loco, seu diœcesi. Respon. Non posse multiplicari officia, itavt Ecclesia minor celebret bis officium de eodem Sancto & ratione propriæ, & ratione reliquiæ insignis, quæ est in Cathedrali. Sed semel tantum, sicut semel tantum celebraretur officiū, si in eadem Ecclesia esset duplex insignis reliquia eiusdem Sancti, vt caput, & brachium. Deinde concessio colendi Sanctum aliquem intuitu insignis reliquiæ respicit cultum immediatè, qui est ipsi deferendus; & reliquia est solum motiuum concessiuuis: vnde duplex reliquia esset tantum duplex motiuum eiusdem omnino rationis, & ideò non facit multiplicari concessionem, sicut ex multiplicatione præceptorum eiusdem rationis non multiplicatur obligatio, vt constat in præceptis ieiunij, in præceptis audiendi Missam, &c. 4

Accedit etiam. Quod iste cultus defertur Sancto ad solemnizandum diem mortis ipsius recolando confirmationem sanctitatis ipsius sequutam per mortem, & natiuitatem, qua natus est æternæ vitæ beatæ. Et proinde factum est ex vniuersali Ecclesiæ lege, & consuetudine quod semel tantum in singulos annos colantur Sancti hoc honore. Imò etiam nec de B. Virgine, nec de Christo replicatur solemnizatio ex eodem titulo, neque enim pluries solemnizatur Natiuitas, nec pluries Resurrectio. Vnde nec etiam ex motiuo plurium reliquiarum insignium debet pluries coli transitus alicuius Sancti ex hac vita ad æternam. 5

QVÆSTIO 264.

An requiratur licentia Ordinarij, vt celebretur officium, & Missa ratione insignis Reliquiæ.

SVMMARIVM.

1. *Quando celebratur officium ratione reliquiæ, non esse necessarium publicè exponi.*
2. *Debet tamen esse ab ordinario approbata.*
3. *Non requiritur specialis licentia pro celebrando officio ratione reliquiæ.*
   Dictio, Sed, *post orationem prohibitiuam stat inclusiuè.*
4. *Lex operatur, vt quod fit legitimè fiat.*

Qvamuis non sit necessarium, quod pro celebrando officio, & Missa ratione insignis alicuius reliquiæ, & peccatum publicæ veneratione, sed sufficiat, quod sit in Ecclesia, vt notant Quintanaduen. 1

tom. 1.

*tom.1.singul.tract.7.singul.*28. *n.*6. Quartus *in Rubric. Missal.part.1. tit.1. dub.4. init.* Est tamen valdè congruum, vt sicuti Sanctus colitur officio, ita etiam eius reliquia exponatur publicæ venerationi. Addit etiam Quintanaduen. *cit.* quod sufficit si reliquia conseruetur in Sacristia, aut etiam in aliquo loco Monasterij.

2 Rursus etiam si reliquia non exponatur publicæ venerationi, debet tamen esse approbata ab ordinario, vt intuito ipsius celebrari possit officium. Quia quamuis officium, & celebratio Missæ non sit cultus delatus reliquiæ, sed Sancto, attamen, quia defertur ex præsupposita existentia reliquiæ, ideò debet præsuppositum certificari, per approbationem reliquiæ factam ab ordinario, vt etiam notat Quintanaduen. *tom.1.singul.tract.7.singul.*27. *n.* 10. An autem præter hanc approbationem requiratur alia licentia pro recitatione officij, & celebratione Missæ modo dubitatur.

3 Dicendum est. *Non requiri, specialem aliquam licentiam pro celebrando officio illius Sancti, cuius extat insignis reliquia præter reliquiæ approbationem.* Ita etiam Quintanaduen. *tom.1.singul.tract.7.singul.9 n.5.* Ratio est. Quia licentia est iam concessa à S. Rituum Congregat. generaliter, vt constat ex ipsius decreti verbis ibi. *Sed tantum in ipsius Sancti Ecclesia titulari, seu vbi asseruatur corpus, aut insignis reliquia, & non alibi.* Cum enim S. Congregat. in illo decreto præmiserit prohibitionem celebrandi in tota Diœcesi, aut ciuitate. Et posteà subiungat, sed tantum, &c. Limitando celebrationem ad Ecclesiam, in qua extat reliquia, dictio, sed, cum sequatur in decreto orationem prohibitiuam, stat inclusiuè, & concessiuè respectu illius, quod subsequitur iuxta ea, quæ tradunt Dominic. *in cap.1.n.23.de reb.Eccles.non alien.in* 6. Rebuf. *in l.Hæc verba.n.*193. *ff.de verbor.significat.* Deinde cum præcedat prohibitio, & per orationem subsequentem, excludatur Ecclesia, in qua conseruatur, fit expressa concessio pro tali Ecclesia.

4 Quando autem lex aliquid concedit, non requiritur vlterior concessio, quia concessio legis operatur, vt quod fit, legitimè fiat *l. Quid sit fugitiuus.* §. *Apud Labeonem.ff.de ædilit.edict.* & cap. *Quid dicam.* 14. *q.* 4. Lex enim ipsa auctorizat factum non secus, ac faciat quando fit, quod per ipsum præcipitur. Præsertim quia leges positæ sunt ad dirigendas hominum actiones, & continent vim directiuam, cui, dum conformant proprias actiones, rectè, & honestè operantur. Et proinde pro sequenda concessione legis, non requiritur aliqua alia licentia.

QVÆSTIO 265.

An de titulari Capellæ celebrari possit Missa, & Officium.

SVMMARIVM.

1. *De titulari Capella sita in Ecclesia non potest celebrari officium, & Missa.*
2. *Non potest celebrari officium, & Missa de Sanctis de quibus non adest concessio.*
3. *De titulari Capella per se stantis celebrari potest officium, & Missa.*
4. *Si titularis Capellæ sit descriptus in Kalendario, quid faciendum.*
5. *An aliquo modo celebrari possit festum titularis Capellæ incorporatæ Ecclesiæ.*

1 Difficultas locum habet supposito quod Sanctus titularis Capellæ non reperiatur in Kalendario; si enim descriptus esset in Kalendario, certum est, quod posset de ipso celebrari Missa. Quia autem Capellæ sunt duplicis generis; nam aliæ sunt sitæ intra aliquam Ecclesiam, cuius sunt partes. Aliæ vero veluti per se stantes: nec pertinentes ad aliquam Ecclesiam. Ideò dicendum 1. *De titulari Capellæ, quæ est pars alicuius Ecclesiæ, non posse celebrari Missam, aut officium.* Ita etiam Quartus *in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 1. *dub.* 4. ver. *Respondeo.*

2 Ratio est. Quia non potest celebrari officium; & Missa correspondens officio de Sanctis, de quibus non adest concessio Sedis Apostolicæ, aut in specie, aut in genere, vt etiam declarauit S. Rituum Congregatio *Sub die* 8. *April.* 1628. vt in decretis præfixis Breuiario cuius tenor est. *S. Rituum Congregatio declarauit, & decreuit. Non potuisse post Bullam Pij V. de Breuiario Romano, neque posse locorum Ordinarios tam Sæculares, quàm Regulares addere Kalendariis etiam propriis Sanctorum officia, nisi ea duntaxat, quæ Breuiarij Romani Rubricæ, vel S. Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur.* De titulari autem Capellæ nihil prorsus concedunt Rubricæ.

3 Dicendum 2. *Si Capella sit per se stans, itavt non sit pars alicuius Ecclesiæ. Poterit celebrari officium, & Missa titularis eo modo, quo celebratur de titulari Ecclesiæ.* Ratio est. Quia versantur in materia fauorabili, qualis est cultus Sanctorum, & ideò facienda etiam lata interpretatio, vt proinde Ecclesia significet etiam Capellas per se stantes: vnde subintrat Rubrica concedens celebrari officium, & Missam titularis Ecclesiæ.

4 Si autem titularis Capellæ sit descriptus in Kalendario sub ritu semiduplici, aut etiam simplici, itavt solum sit de ipso facienda commemoratio. Si Capella, sit pars Ecclesiæ, & ipsi incorporata, non poterit titularis euehi ad altiorem ritum. Ita etiam Quartus *in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 1. *dub.* 5. ver. *Respondeo.* Habet enim locum declaratio S. Congregat, in eo eodem decreto, de quo *num.*2. ibi. *Neque propria auctoritate quouis prætextu mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu Rubricis Breuiarij in altiorem ritum.* Loquitur enim de Ordinariis. Cum autem Rubricæ nihil concedant circa hos titulares, neque etiam erit licita mutatio ritus in altiorem. Si tamen Capella sit per se stans cum se habeat instar Ecclesiæ, & in ampla significatione veniat nomine Ecclesiæ poterit ritus, cum quo est celebranda commemoratio Sancti verti in Ritum altiorem, quem concedunt Rubricæ pro titulari Ecclesiæ.

5 An autem aliquo pacto celebrari possit festiuitas Capellæ seu titularis illius, quando est incorporata Ecclesiæ. Resp. Quartus *num. præced. citat.* Posse celebrari Missas votiuas semifestiuas, nempe cum *Gloria in excelsis.* De quibus Missis agit *eadem parte tit.* 14. *dub.* 13. Et quidem quod celebrari possit Missa votiua, non videtur habere difficultatem. Et quamuis recitatio *Gloria in excelsis*, videatur esse contra Rubricas, attamen cum Rubricæ eam concedant in Missa votiua solemni: ex similitudine rationis videtur concessio posse extendi etiam ad hanc Missam votiuam, quia subest causa solemnitatis. Rursus videtur etiam posse celebrari huiusmodi Missa, si officium sit duplex, quia licèt Rubricæ prohibeant Missas votiuas in diebus officij duplicis, hæc tamen prohibitio, iuxta dicta suo loco aut est tantum directiua, aut ad summum obligat sub veniali: causa autem solemnitatis Capellæ, est sufficiens ad excludendum peccatum veniale, quia reddit rationabilem dictam recitationem; & præbet fundamentum interpretandi Rubricam, quod non comprehendat hunc casum.

QVÆSTIO 266.

An ratione consuetudinis celebrari possit Missa de aliquo Sancto.

SVMMARIVM.

1. *Ratione consuetudinis an celebrari possit Missa de aliquo Sancto.*
2. *Rubrica concedunt celebrari Officium, & Missam ratione consuetudinis.*
3 4. *Non solum solemniter, & cum pompa, sed etiam ordinario modo.*
Argumentum à maiori ad minus quando valeat.
5. *Quas consuetudines circa Officia, & Missas tollat Pius V.*

1 PRocedit difficultas de celebratione sub quocunque ritu, vt plurimum tamen ritus introductus à consuetudine est ritus Officij duplicis. Quod autem non possit celebrari tradit Gauant. *in Rubr. Breuiar. sect. 2. cap. 2. num. 23.* Fundamentum est. Quia in *Bulla* Pij V. præfixa Breuiario tollit omnes consuetudines, & priuilegia, & reducit omnia ad formam Breuiarij reformati Romani. Celebrare autem festum de Sancto non descripto in Breuiario, seu Kalendario, est contra formam & ritum dicti Breuiarij.

2 Secunda sententia asserit, posse celebrari Missam, & Officium de Sancto, de quo ex præscripta consuetudine celebrari consueuit. Ita Quartus *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 1. dub. 6.* ver. *Secunda, & vera sententia.* Cum qua tenendum est. *Posse celebrari Officium & Missam siue solemniter, siue ordinario modo de Sancto, de quo consueuit celebrari:* itavt possit retineri consuetudo tam quoad celebrationem, quàm quoad ritum.

3 Ratio est. Quia potest celebrari eo modo, & de iis Sanctis, de quibus concedunt Rubricæ celebrari. Concedunt autem celebrari siue solemniter, siue non solemniter de Sanctis, de quibus ex consuetudine celebratur: vt constat ex *tit. 1. de Offic. duplici, n. 1.* ibi: *Et in festis Sanctorum, qui apud quasdam Ecclesias, Religiones, vel Congregationes consueuerunt solemniter celebrari.* Et *tit. 2. de Offic. semiduplici, num. 1.* ibi: *Et in festis proprijs quorumdam locorum, seu Congregationum, quæ solemnius apud illas, quàm simplicia, conuenerunt celebrari.* Et *tit. 5. de fer. num. 1.* ibi: *Vel aliquod festum solemne, aut consuetum in aliqua Ecclesia celebrari.* Ex quibus satis constat admitti celebrationem ex consuetudine.

4 Resp. Gauantus. Intelligi de celebratione solemni, & cum pompa, aut processione, respectu cuius retinetur consuetudo, non autem de celebratione priuata. Verum hæc responsio non quadrat cum Rubr. *tit. 5. n. 1. de fer.* quia ibi seorsim disponitur tam de solemni festo, quàm non solemni, nam distinguitur solemne festum à consueto, ibi: *Vel aliquod festum solemne, aut consuetum.* Deinde si celebrare ex consuetudine aliquod festum solemniter non est contra formam, & ritum Breuiarij, nec etiam erit celebrare non solemniter, quia ritus Breuiarij est idem, & celebratio ex consuetudine semper est eadem, siue sit solemnis, siue non solemnis. Denique valet argumentum à maiori ad minus, quando hoc minus continetur in maiori, Cap. *Per venerabilem, Qui fil. sint legit.* & Cap. *Si Paulus 32. quæst. 5.* vbi Gloss. & *l. Nec in ea. ff. de adult. & Matth.* & *l. Multò magis, Cod. de sacrosanct. Eccles.* & notant Petr. Andr. Gammat. *in Dialect. & leg. lib. 2. Loco à maiori ad minus.* Euerar. *in Topica iur. loco 66.* & Doctores communiter. Celebratio autem non solemnis ex consuetudine est quid minus celebratione solemni ex consuetudine, & continetur in hac. Si ergo hæc conceditur, nec est contra formam, & ritum Breuiarij, conceditur, & illa.

Ad fundamentum in oppositum resp. Pij V. Bullam tollere quidem consuetudines quascunque, sed quoad celebrationem secundum alium ritum, præterquam secundum ritum Romani Breuiarij reformati. Non autem tollit consuetudinem celebrandi de hoc, vel illo Sancto. Quod satis ex illo constat, quod omnia reducit ad ritum præscriptum in Breuiario: quod operatur, vt de Sanctis, de quibus solitum erat celebrari ex consuetudine, debeat celebrari secundum ritum Breuiarij, & non secundum alium. Et hoc pacto Rubricæ concordant cum Bulla Pij V. dum concedunt, celebrari Officium de Sanctis, de quibus extabat consuetudo: nam hæc consuetudo non tollitur à Pio V. sed tantum consuetudo celebrandi secundum alium ritum, quàm traditum in Breuiario reformato. 5

QVÆSTIO 267.

An pro celebranda Missa de Sanctis locorum requiratur licentia celebrandi, si ante celebrabantur.

SVMMARIVM.

1. *Circa celebrationem Officij, &c. Sanctorum, qui non sunt in Kalendario consulenda S. Congreg.*
2. *Non tamen stante consuetudine, aut permissione Rubricarum.*
3. *Quomodo hæc consuetudo locum habeat non obstante Decreto S. Congregat.*
4. *Consuetudo an modo introduci possit de celebrando Officio, &c.*
Quicquid requiritur priuilegio acquiritur etiam consuetudine.
5. *Consuetudo potest abrogare legem.*
Consuetudo potest inducere legem.
6. *Introducens consuetudinem de recitando Officio, Missa, &c. an peccet.*
Consuetudo quousque est peccaminosa non abrogat legem.
Consuetudo potest in sui initio non esse peccaminosa.

DIfficultatem facit Decretum S. Rituum Congreg. *sub die 8. April.* 1628. approbatum ab Vrb. VIII. in quo ita decernitur, *De Sanctis Episcopis Locorum, Martyribus, Ciuibus, & alijs Festis, de quibus in Kalendario Romano, seu Rubricis Breuiarij nihil habetur, vti etiam de Beatis nondum canonizatis nihil propria auctoritate statuatur, sed omninò consulatur S. Rituum Congregatio.* Siue ergo celebrentur ex consuetudine, siue ex priuilegio stante dicto Decreto erit consulenda Sedes Apostolica. 1

Dicendum tamen est. *Stante consuetudine, aut priuilegio Apostolico celebrandi festum alicuius Sancti, qui non sit descriptus in Romano Kalendario, nec in genere ex Rubricis de ipso aliquid habeatur, non esse necessariam aliam licentiam Sedis Apostolicæ, aut S. Congregat.* Hoc efficaciter conuincitur ex eodem Decreto S. Congregat. quod imprimis respicit futurum, & de ipso disponit, vt ostendunt verba, *Nihil statuatur*; vnde non habet locum quoad eos, de quibus iam priuilegio, aut consuetudine aliquid statutum est. Rursus vetat, quod nihil statuatur. *Propria auctoritate*: hoc est, auctoritate Episcopi, seu aliorum inferiorum: De quibus autem Sanctis celebratur Officium, & Missa ex priuilegio, & consuetudine, nihil statutum est propria auctoritate ab aliquo, sed vel ab 2

A postolica Sede, vel communi consensu, quo introducta est consuetudo.

3 Dices id ad summum valere, si adsit priuilegium Apostolicum; non autem stante sola consuetudine: nam hæc reducitur ad auctoritatem inferiorem, quàm sit Apostolicæ Sedis auctoritas. Verum adhuc stat, quod dictum Decretum disponit tantum de futuro, non autem de præterito, & ideò non se extendit ad consuetudinem iam intro ductam. Deinde Decretum loquitur tantum de propria auctoritate, per quam vetat aliquid decerni. Consuetudo autem non innititur alicuius propriæ auctoritati, sed auctoritati communitatis potentis introducere consuetudinem.

4 An autem non obstante præfato Decreto introduci possit consuetudo celebrandi Missam, & Officium alicuius Sancti. Affirmat Quattua *in Rubric. Missal. part.1.tit.1.dub.6.in fine.* Quia dictum Decretum non reprobat consuetudinem in contrarium: & alias consuetudine introduci potest, quicquid potest priuilegio concedi, vt notant communiter Doct. Oldrad. *consil.172.init.* & *consil.154.n.8.* Bald. *consil.49.lib.1.* Zabarel. *in Clem.II.§.Illi verò, n.4.not.10.de atat.& qualit.* Cum ergo priuilegio obtineri possit quod celebretur Officium de aliquo Sancto, qui non sit descriptus in Kalendario, nec secundum Rubricas de ipso celebrari debeat, poterit etiam obtineri cõsuetudine.

5 Accedit etiam. Quod consuetudo potest abrogare legem iuxta Cap. *fin. de consuet.* & *l. de quibus, in fine, ff. de legib.* & tradunt communiter Canonistæ, & Legistæ in hæc loca, & Theologi cum D.Th.1.2.*q.97. art.3.* Et insuper potest etiam inducere legem obligantem, iuxta dict. *l. de quibus*, & toto C. *Quæ sit longa consuetudo*, & toto Tit. *De consuet.* & Cap.1. *de constit. in 6.* & Cap. *Consuet. dist.1.* Ergo non obstante dicto Decreto poterit introduci consuetudo de celebrando Officio, & Missa alicuius Sancti, quæ etiam obliget.

6 Solum difficultas remanet, an peccaret, qui introduceret talem consuetudinem, & affirmat Quartus *cit.n.4.* si mala fide introduceret. Sed distinguendum videtur. Nam vel consuetudo habet rationabilem causam, vel non habet. Si non habet, tunc non poterit introducens excusari à peccato, quia violabit legem, quæ vetat de Sancto celebrari Officium, & Missam absque licentia S.Congreg. Si verò consuetudo habet causam rationabilem, etiam in sui prima introductione, non peccabit introductor. Quia sicut rationabilis consuetudo in sui manutentionem habet assistentiam iuris, ita etiam in introductione, Cap. *fin. de consuet.* vbi approbatur vniuersaliter consuetudo rationabilis. Et ratio est. Quia nisi introduceretur absque peccato nunquam posset abrogare legem. Certum est autem, quod nunquam abrogat legem, quousque est peccaminosa, quia est corruptela, nec peccatum præualere potest contra legem, Cap. *fin. de consuet.* Rursus etiam certum est, quod non habet vim, nec præualet quousque abrogauit legem. Et ideò necessarium est, quod detur aliquis status consuetudinis, in quo nondum abrogauerit legem, & non sit peccaminosa, sed rationabilis, vt præualere possit contra legem. Eadem autem est ratio de initio, ac de hoc statu; & ideò si in hoc statu non est peccaminosa, quia est rationabilis, nec etiam erit in suo initio.

QVÆSTIO 268.

An de Sanctis canonizatis celebrari possit Officium, & Missam.

SVMMARIVM.

1. *In canonizatione conceditur celebratio Missæ.*
2. *De canonizatis an possit Episcopus instituere Officium, & Missam.*
   Episcopus potest instituere dies festos.
3. *Episcopus non potest de canonizatis instituere Officium, &c.*
4. *Ad Ecclesiam Romanam spectat præscribere modum recitandi Horas Canonicas.*
5. *In canonizatione quomodo concedatur celebratio Missæ, &c.*
6. *Ab institutione festorum ad institutionem Officij non valet argumentum.*

Ratio dubitandi oritur partim ex Decreto S.Congreg. de quo *quæst.præced.n.1.* in quo vetatur, ne fiat Officium de aliquo Sancto, nisi sit descriptus in Kalendario: vel habeat assistentiam Rubricarum. Partim ex clausulis, quæ plerumque apponi solent in Bullis canonizationis, quæ solent esse tenoris similis. *Illumque ab vniuersis Christi fidelibus, tanquam verè Sanctum honorari, ac venerari mandauit, ac vt ab vniuersali Ecclesia, & Altaria, in quibus Deo sacrificia offerantur, adificari, & consecrari, & singulis annis, die.... qua ad cœlestem gloriam vocatus est eius Officium, vt de Sancto Confessore, ad præscriptum Romani Breuiarij, celebrari possit, statuit, &c.* 1

Quod ergo possit Episcopus absque noua licentia Pontificis, seu S.Rituum Congregat. instituere Officium, Missam, & Festum de quocunque Sancto canonizato in cuius canonizationes Decreto dictæ clausulæ, seu similes appositæ sint, sentit Quintanaduen. *tom.1. singul.tract.7. singul.1.n.4.* Fundatur in eo. Quod potest Episcopus de iure instituere dies festos pro sua Diœcesi; ita Concil. Ticcinense *cap.1.* ibi: *Per singulas Parochias eas festiuitates populus obseruare studeat, quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collaudauerint*; & Concil. Lugdunense, vt refertur in Cap. *Pronunciandum, de consecr. dist.3.* ibi: *Et illa festiuitates, quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collaudauerint*; vbi Gloss. *verbo Festiuitates*, explicat de Canonizatis. Et notant etiam Suar. *tom.1. de relig. lib.2. cap.11. n.4.* Facundez *præcept.1. Eccles. lib.1. cap.3. num.4.* & alij, quos citant. Ergo etiam absque alia Sedis Apostolicæ licentia possunt instituere Officium, & Missam. Quia esset incongruum, quod dies festiuus esset in vrbe, & quod Ecclesia neque recitaret Officium, neque Missam. Præsertim si Pontifex in Bulla Canonizationis concedat, quod Officium recitari possit. 2

Sed oppositum omninò tenendum est. *Nimirum non posse Ordinarios instituere Officium, aut Missam in die festo canonizatorum prædictorum.* Obstat enim Decretum S.Congregat. Rituum *sub die 8. April. 1628.* confirmato ab Vrbano VIII. & præfixo Breuiario, in quo decernitur. Non potuisse post Bullam Pij V. de Breuiario Romano, neque posse locorum Ordinarios tam Sæculares, quàm Regulares addere Kalendariis etiam proptiis, Sanctorum officia, nisi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani Rubricis, vel S.Rituum Congregat. seu Apostolicæ sedis licentia conceduntur. Cum autem hæc declaratio sit auctoritatiua, & habeat vim legis, seu declaret, quid in Constitutione Pij V. prædicta sancitum sit, sit Episcopos carere facultate instituendi officia alicuius Sancti, & consequenter Missam. 3

Accedit etiam. Quod cum obligatio recitandi horas Canonicas sit imposita ab Ecclesia Romana, aut saltem à consuetudine vniuersali, quæ proinde reducitur ad legem vniuersalem; pensum quoque obligationis resoluendum est Ecclesiæ Romanæ, & vniuersale: ergo spectat ad ipsam præscribere modum, & qualitatem solutionis sibi debitæ ratione obligationis contractæ, nec Prælati inferiores possunt se ingerere 4

circa

circa creditum alienum substituendo vnum officium recitandum pro alio, cum non pertineat ad ipsos alterare creditum vniuersalis Ecclesiæ. Creditum autem ipsius est de Officio iuxta descriptionem factam in Breuiario, & præscriptionem Rubricatum.

5 Neque obstat ratio dubitaodi. Quia quando Pontifices in Bullis canonizationum conceduot, quod de Sancto caoonizato recitari possit Officium, & Missa, intelligunt quoad habilitatem, non quoad actum; declaraot enim esse talem, vt possit ipsi talis honot, & cultus deferri. Quod conuincitur ex ipsa praxi, & obseruantia. Si enim Pontifices concedereot actum, posset quisque de tali Sancto recitare officium, nec opus esset institutione Ordioarij, sicut quando Pontifex, aut S. Rituum Congregatio concedit vniuersaliter officium de aliquo Sancto. Praxis autem, & obseruantia declarat, quod non obstantibus Bullis canonizationum etiam necessaria est specialis institutio officij, vt recitari possit. Et ideò est necessariam, quod interponatut illius auctoritas, qui possit instituere Officia pro Sanctis. Ordinarij autem non possunt, vt constat ex dictis.

6 Ad fundamentum oppositæ sententiæ resp. Episcopos de iure veteri potuisse instituere festa, de iure autem nouo non posse, vt constat ex *Constit.* 164. §. 3. Vrbani VIII. *tom. 4. Bullar.* Deinde neque etiam valet consequentia. Quod si possint instituere festa, possint etiam instituere officium. Vnde prius ipsis sublata fuit facultas instituendi Officium, nempe per Pium V. vt coostat ex Decreto S. Congregat. de quo *num.* 3. quàm fuerit sublata facoltas instiruendi festa; nam tantum sublata fuit ab Vrbano VIII. anno 1642. meose Septemb. Vnde processerunt plures anni, in quibus poterant instituere festa, & non officium. Quod autem inconueniens sit, quod celebretur festum alicuius Sancti, & non officium, facit, quod quando Episcopi poterant instituere festa, non debebant instituere: nisi priùs obtinuissent ab Apostolica Sede facultatem recitandi Officium. Accedit etiam, quod alicubi ex consuetudine seruatur aliqua festa, & non recitatur officium de Sancto, qui festo die colitur. Et Romæ per plures annos celebratus est dies festas S. Franciscæ Romanæ ex deuotione quidem, sed tanquam si esset de præceptum, & tamen recitabatur officium de quadraginta Martyribus. Et proinde non est inconueniens, quod Episcopus possit instituere dies festos, & non possit instituere officium de Sanctis.

QVÆSTIO 269.

Resoluuntur nonnullæ difficultates circa prædicta,

SVMMARIVM.

1. *Decretum S. Rituum Congregat. non benè explicatum à Quintanaduena.*
2. *De quibus Sanctis cum exceptione aliorum concedatur Officium.*
   Quod non est exceptum continetur sub regula.
3. *Prohibitio facta Episcopis non est de compositione, sed recitatione officiorum.*
4. *Decretum S. Congregat. circa Officia est factum annuente Pontifice.*
5. *Declaratio inest legi declarata.*
6. *Quid operetur Decretum canonizationis circa recitationem Missa, &c.*
7. *Dum in Bullis canonizationis conceditur recitatio Officio, non conceditur quod per ipsum solui possit obligatio Horarum Canonicarum.*
8. *Non impletur obligatio Horarum Canonicarum, si priuata persona recitet Officium Sancti canonizati, licet Officium in canonizatione concedatur.*

PLura deducit Quintaoaduen. *tom. 1. singul. tract. 7. singul. 2. num. 3. & sequent.* ex sua doctrina, quam retuli *quæst. præced. num. 2.* Et primò deducit, quod noo obstet Decretum S. Congregat. quia intelligitur de Sanctis canonizatis, io quorum Bullis canonizationis non conceditur licentia recitandi Officiom: non autem, quando dicta licentia conceditur. Quia hæc concessio est Decretum diuersum à Decreto canonizatioois; subdit, quod potest etiam responderi, quod Ordinarij prohibentur solum componere officia pro Sanctis, aut composita edere sine speciali licentia. Denique quod hoc Decretum non habet vim legis, cum non sit factum annuente summo Pontifice. 1

Sed hæc omnia falsa sunt. Quia Decretum S. Congregat. procedit vniuersaliter de omnibus canonizatis, siue in Bulla canonizationis concedatur licentia recitandi Officium, siue non, vt constat est exceptione, qua excipit tantum officia de Sanctis, quæ vigore Rubricarum, aut Apostolicæ Sedis licentia conceduntur. Quod enim non est exceptum sub regula continetur Cap. *Cæterum, de indic.* & Cap. *Ex transmissa, de foro compet.* & notant communiter Doctores Dec. *in l. 1. n. 20. ff. de reg. iur.* vbi & cæteri. Bart. *in l. quoties, num. 1. ff. si quis caut.* Ias. *in l. cætera, n. 5. ff. de leg. 1.* Bald. *in l. si tutor. in fine, C. de seru. pign. dat.* Quod autem prædicti tantom excipiantur, constat ex tenore Decreti, qui talis est. *S. Rituum Congregat. declarauit, & decreuit; non potuisse post Bullam Pij V. de Breuiario Romano, neque posse locorum Ordinarios, tam Sæculares, quàm Regulares addere Kalendarijs, etiam proprijs Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani Rubricis, vel S. Rituum Congregationis licentia conceduntur.* 2

Secundò etiam est falsum, quod Decretum intelligatur de compositione Officij. Quia manifestum est, quod procedit de celebratione officij, dum dicit, *Et tantum, quæ Romani Breuiarij Rubricis conceduntur.* Rubricæ autem non concedunt compositionem officiorum, sed recitationem. Rursus constat ex eo, quod subdit in eod. Decreto. *Neque extendere Officia concessa de loco ad locum:* hoc est, Episcopos non potuisse nec posse extendere. Constat autem, quod extendere non est componere officia, aut composita edere. 3

Tertiò falsum est. Quod huiusmodi Decretum non sit factum annuente summo Pontifice: Nam in fioe horum Decretornm habetur. *Facta demum relatione horum Decretorum Sanctiss. D. N. Vrbano Papa VIII. ea laudauit, eo approbauit, atque ab omnibus vbique sub prædictis pœnis seruari præcepit: necnon in nouis Breuiarijs de mandato Sanctitatis suæ imprimendis apponi iussit.* Pœnæ autem iste, sunt illæ respectiuè, quæ statuuntur in *Bulla* Pij V. præfixa Breuiario Romano. 4

Sed lato, quod pro hoc Decreto non fuisset interposita auctoritas Summi Pontificis, cum non tam decernat, quàm declaret, vt constat ex illis verbis: *Declarauit, & decreuit, Non potuisse*, quatenus declaratio, cum sit auctoritatiua, siquidem S. Congregatio habet facultatem declarandi, operatur, quod lex declarata obliget secundum mensuram declarationis. Siquidem declaratio sequitur naturam iuris declarati, & ipsi inest, *l. Asse toto, ff. de heredit. instit.* & *l. Vnum ex familia. §. Si de Falcidia, ff. de legat. 2.* & *l. Heredes palam. §. Si quid post. ff. de testam.* & *l. Adeo, §. Cum quis, ff. de acquiren. rerum domin.* & Clem. I, *De iure patron.* & notant communiter Doctor. cum Gloss. *in cap. Cum te, de vsur.* & in 5

Cap. Per suas, verbo De nouo, *de donat.* quos citaui *quæst. Canon. 61. num. 7. Centur. 1.* Vnde adhuc non Decretum, sed Lex declarata per Decretum obligaret.

6 Ex quibus infertur, vt dictum est etiam *quæst. præced.* quod illa concessio, quæ solet apponi in Bullis canonizationis de recitando Officio, non est concessio actus, & exercitij recitandi, sed habilitatis, qua Sanctus declaratur talis, vt possit de ipso recitari Officium, si aliàs concedatur. Vnde hoc Decretum est, pars Decreti de canonizatione, quia continet partem cultus, quo Sanctus dignus iudicatur; & operatur, vt possit quis priuatim recitare Officium de tali Sancto ex deuotione, sed non in ordine ad satisfaciendum debito de recitatione horarum canonicarum. Pro satisfaciendo enim huiusmodi debito, requiritur officium, quod in hunc finem sit institutum ab Ecclesia, & non sufficit concessio, quod in honorem Sancti recitari possit.

7 Infertur 2. contra Quintanaduen. *tom. 1. singul. tract. 7. singul. 2. num. 3. & 4.* Neque Episcopos, neque Ordinarios veteres, qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem, neque Capitulum Sede vacante posse instituere Officia Sanctorum canonizatorum, licet in Bullis canonizationis concedatur licentia recitandi Officium. Quia, quod non aduertit Quintanaduen. aliud est, quod Sanctus declaretur dignus tali honore, & quod possit ei deferri ex priuata deuotione: & aliud, quod concedatur, quod recitatione talis officij solui possit debitum recitandi horas canonicas. Hoc nullo modo conceditur, vt constat ex inspectione Bullarum. Ecclesia enim præcipit solui debitum horarum Canonicarum recitatione Officij positi in Breuiario, vt aliàs concessi à Rubricis, aut Romana Sede; & ideò non valebit solutio, si non sit secundum præscriptionem Breuiarij, vt declarat Pius V. in sua *Constit.* de Breuiario Romano præfixa eidem Breuiario.

8 Tertiò infertur contra eumdem Quintanaduen. *eod. singul. 2. num. 7.* Multò minus posse priuatam personam in die festo horum Sanctorum; quando in Bulla canonizationis conceditur facultas recitandi Officium recitare officium de his Sanctis in ordine ad satisfaciendum debito horarum canonicarum; sed eodem pacto res se haberet, ac si non recitaret. Quia cum non soluant, quod debent, & de quo creditor contentus non est, non extinguit debitum; debet enim solui quod in obligationem venit, nisi aliud solui consentiat creditor. In hoc autem casu Ecclesia, cui est facienda solutio, non solum est contenta tali solutione, sed etiam omninò reprobat, vt in dict. *Constit.* Pij V. de Breuiario Romano. An autem si sit beneficiatus teneatur ad restitutionem fructuum, tanquam si non recitasset. Resp. Teneri, si mala fide recitet, hoc est, cum scientia, quod hoc officio non impleatur debitum. Secus si recitet bona fide; præsertim accedente Ordinarij auctoritate.

QVÆSTIO 270.

An de quolibet Sancto canonizato celebrari possit Missa votiua.

SVMMARIVM.

1. *Sancti canonizati sunt in duplici differentia.*
2. *De quocunque canonizato potest celebrari Missa votiua.*
3. *Canonizati omnes acquirunt ius ad honores pro ipsis institutos.*
4. *Rubricæ non limitant Missas votiuas ad Sanctos Martyrologij.*
5. *Missa votiua celebrari potest de Natali cuiusque Sancti, si aliàs non sit impeditus.*
6. *Inter Sanctos descriptos in Kalendario, & non descriptos nullum est discrimen quoad Missam votiuam.*

SAncti Canonizati sunt in duplici differentia. Alij enim sunt descripti aut in Kalendario, aut in Martyrologio Romano, Alij verò non sunt descripti. Quod spectat ad descriptos, cum recipiantur ab Ecclesia Romana, siquidem approbatum fuit dictum Martyrologium, vt constat ex Bulla Gregor. XIII. Martyrologio præfixa, certum est esse canonizatos. Quoad descriptos autem, non est ita certum. Potest tamen esse certum vel ex traditione antiqua, vel ex aliquibus aliis monumentis. Quare ipsa Ecclesia admittit Sanctos non descriptos in Martyrologio, dum iubet, quod completa lectione dicti Martyrologij intra primam, subdatur statim, *Et alibi aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum, & Confessorum, atque sanctarum Virginum.* 1

Dicendum est. *Posse celebrari Missam votiuam de quocunque Sancto canonizato.* Ita Turrian 2.2. *disp. 17. dub. 1.* Palaus *part. 1. oper. moral. tractat. 4. disput. 1. punct. 5. §. 5. num. 6.* Quintanaduen. *tom. 1. singular. tract. 7. singul. 3. num. 2. & singul. 4. num. 1. & sequent.* Quartus *in Rubric. Missal. part. 1. tit. 4. dub. 7. ver. Respondeo affirmatiuè.* Ratio est. Quia eo ipso, quod aliquis est canonizatus, est declaratus dignus omnibus illis honoribus, qui deferri possunt cuilibet Sancto canonizato: ergo eò ipso, quod est canonizatus, potest Missa votiua in eius honorem celebrari. Consеq. prob. Tum quia celebratio Missæ votiuæ est vnus ex honoribus, qui deferuntur Sanctis. Tum quia eo ipso, quod Missa est votiua est honor delatus ex priuata deuotione: non verò ex publica: & ideò non requiritur publica auctoritas. 2

Confirm. In canonizatione Sancti acquirunt ius æquale ad omnes illos honores, qui ab Ecclesia sunt instituti pro ipsis: ergo non indigent aliqua alia concessione, vt possint iisdem tribui ex priuata deuotione, licet non ex institutione Ecclesiæ: sicut tribuitur honor inuocandi eos vt Sanctos, erectionis altarium, &c. absque aliqua alia concessione, Præsertim, quia nulla adest prohibitio, quod non possit celebrari Missa votiua, sicut adest de celebratione Officij, & Missæ festiuæ. 3

Accedit etiam, quod consonant Rubricæ, nam *part. 1. tit. 4. de Missis votiuis*, concedunt, quod Missæ celebrari possint arbitrio Sacerdotis, quocunque die officium non sit duplex: ergo cum non limitent ad Sanctos descriptos in Kalendario, aut Martyrologio, celebrari poterunt de omnibus, qui sunt capaces talis cultus. Neque enim Rubrica limitat ad hos, vel ad illos, sed relinquit arbitrio Sacerdotis. Et quamuis dici possit, quod Rubrica intelligit de Missis votiuis, quæ positæ sunt in Missali; attamen, quia non solum ipsæ recitari possunt, sed etiam Missæ de Sanctis, vt habet praxis Ecclesiæ, ideò celebrari poterunt de omnibus Sanctis, qui declarati sunt per canonizationem digni hoc cultu. 4

Ex dictis infertur. Missam votiuam de quocunque canonizato celebrari posse quocunque die non impedito officio duplici, atque adeò etiam Natali die ipsius; vt notat etiam Quintanaduen. *tom. 1. singul. tractat. 7. singul. 4. num. 3.* Oportet tamen, vt celebretur tanquam votiua, & non tanquam Missa de die. Præsertim, quia non potest celebrari tanquam Missa de die, nisi concordet cum officio; ex concordantia enim cum officio consurgit Missa de die; 5

ideò

ideò enim dicitur Miſſa de die, quia eſt propria illius diei; & ideò eſt propria, quia correſpondet Officio aſſignato pro illo die.

6 Secundò infertur. Inter canonizatos deſcriptos in Kalendario, & non deſcriptos quoad Miſſas votiuas nullum eſſe diſcrimen, cum de omnibus æqualiter celebrari poſſint. Totum enim diſcrimen reducitur penes eſſe deſcriptum, & non deſcriptum in Kalendario. Ex quo fit, quod deſcripti habeant diem certum aſſignatum ab Eccleſia pro Officio; & Miſſa, aut ſaltem pro commemoratione, vt contingit in quibuſdam ſimplicibus, non deſcripti verò non habeant, & proinde careant hoc honore publico.

QVÆSTIO 271.

An dedicatio Eccleſiæ celebrari poſſit cum Officio, & Miſſa, etiamſi non ſit conſecrata.

SVMMARIVM.

1. *Dedicatio Eccleſiæ an celebrari poſſit, ſi non ſit conſecrata, & quæ ſuadeant poſſe.*
2. *Benedictio Eccleſiæ non eſt dedicatio.*
3. *Officium dedicationis eſt tantum pro Eccleſia conſecrata.*
   Obſeruantia ſubſequuta declarat Rubricas.
4. *Interpretatio fundata in obſeruantia debet cuicunque præferri.*
5. *Praxis non celebrandi dedicationem niſi Eccleſia conſecrata fundatur in actu poſitiuo, & ligat.*
6. *Concilia iniungentes celebrationem dedicationis intelligunt de Eccleſia conſecrata.*
7. *Cap. Solemnitates procedit de Eccleſia conſecrata.*
8. *Dedicatio per conſecrationem æquiparatur Titulari.*
9. *Prima dedicatio celebratur ſolemniter, ſi ſit conſecratio.*

1 QVintanaduen. *tom.* 1. *ſingul. tract.* 7. *ſingular.* 8. fatetur praxim eſſe in contrarium, hoc tamen non obſtante latè conatur probare, poſſe quotannis cuinſcunque Eccleſiæ celebrari dedicationis diem cum Officio, & Miſſa, etiamſi non ſit conſecrata. Prob. 1. ex Concil. Oxonien. celebrato anno 1261. *Can. De feſtis*, vbi ſtatuit celebrandum feſtum dedicationis cuiuſlibet Eccleſiæ: & feſtum illius Sancti, in cuius honorem fundata eſt Eccleſia; & ex Concil. Colonien. III. celebrato anno 1549. *cap.* 11. vbi ita ſtatuit. *Minores Eccleſiæ pridiè eius diei, qui dedicationi Eccleſiæ ſumma eius loci conſecratus eſt, aut die Dominico proximo præcedente ſuas ſingula dedicationes celebrent.* Idem etiam ſtatuit in Concil. Mogunt. anno 813. *cap.* 36. & Concil. Toletan. III. *anno* 589. Secundò. Quia hæc celebratio conſonat iuri communi, Cap. *Solemnitates, de conſecrat. diſtinct.* 1. vbi ſtatuitur, quod dedicationes Eccleſiarum celebrentur quotannis. Quæ diſpoſitio cum ſit generalis, non eſt limitanda ad aliquas tantum Eccleſias, ſed comprehendit omnes caſus, etiam ſi vnius ſit maior ratio alterius, *l.* 1. §. *Quod autem, ff. de aleator,* & *l. In fraudem, in fine, ff. de teſtam. milit.* vbi Bald. Tertiò; quia Rubricæ Miſſalis, & Breuiarij non diſtinguuntur in hac re, ſed generaliter loquuntur, nec limitant. Sic in Rubr. *de Offic. dupl. num.* 1. habetur: *Officium ſit duplex in Dedicatione propriæ Eccleſiæ*; & Rubr. 7. *de Octauis.* Item *in feſto dedicationis propriæ Eccleſiæ, & in feſto principalis Patroni, & titularis loci, vel Eccleſiæ.* Ergo ſicut quælibet Eccleſia celebrat feſtum Titularis, celebrare poterit etiam feſtum dedicationis. Quia æquiparatorum eſt eadem ratio Menoch. *conſil.* 32. *num.* 17. Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 298. *num.* 7. Et ab æquiparatis eſt validum argumentum Surd. *decif.* 119. *num.* 16. Seraphin. *decif.* 288. *num.* 5. Præſertim, quia in his æquiparatis eſt magna ſimilitudo. Nam feſtum Titularis eſt feſtum cuiuſdam dedicationis ſub dignitate primæ claſſis. Quartò; quia ita ſeruabitur maior ſimilitudo cum feſto Enceniorum ſolito celebrari quotannis apud Hebræos, ex quo deſumpta fuit Eccleſiarum dedicatio Cap. *Solemnitates, de conſecrat. diſtinct.* 1. Quintò. Non eſt neceſſaria conſecratio, vt celebretur dedicatio. Nam prima dedicatio celebratur vbique cum Octaua quoad omnes Eccleſias, & tamen paucæ ex illis ſunt conſecratæ.

Hæc ſententia noua eſt, nec firmo nititur fundamento; vnde tenendum omninò eſt. *Non poſſe celebrari quotannis dedicationem Eccleſiæ, niſi conſecrata ſit.* Pro quo aduertendum eſt, quod licet, quando benedicitur Eccleſia in ordine ad celebrationem Miſſarum, fiat quædam dedicatio, quatenus ſcilicet intitulatur alicui Sancto, & certo ritu inſtituto ab Eccleſia deſtinatur celebrationi diuinorum officiorum, attamen non eſt perfecta dedicatio, ſed imperfecta; itavt poſſit peragi etiam per ſimplicem Sacerdotem, cum perfecta ſit actus Ordinis Epiſcopalis. Et proinde prior non dicitur abſolutè dedicatio, ſed benedictio: nec fit cum illo ritu ſolemni, & vnctione, ſicut fit conſecratio. 2

Quo poſito ratio eſt. Quia non poſſunt recitari, niſi illa Officia, & conſequenter etiam Miſſæ, quæ ſunt ſecundum Regulas Miſſalis, & Breuiarij, aut Rubricarum, aut ſpecialiter conceſſa à Sede Apoſtolica. Officium autem, & Miſſa in anniuerſario dedicationis non eſt neque ſecundum Miſſale, Breuiarium, aut Rubricas, neque ex ſpeciali conceſſione Pontificis, tuſi Eccleſia ſit conſecrata: ergo non poteſt celebrari. Min. prob. Quia Rubricæ quæ concedunt Officium, & Miſſam dedicationis, procedunt de vera, & perfecta dedicatione, quæ fit per conſecrationem, ſicut etiam ipſum Officium, & Miſſa. Sic enim obſeruantia ſubſequuta acceptauit Officium, & Miſſam, & declarauit Rubricas; & proinde ſecundum menſuram huius obſeruantiæ ſunt accipiendæ, *l. ſi de interpretatione, ff. de legib.* & obſeruant communiter Doctores, Craueta *conſil.* 201. *num.* 11. Rota *decif.* 574. *num.* 3. *part.* 1. *Diuer.* & *decif.* 608. *num.* 6. *part.* 2. *Recent.* & *decif.* 150. *num.* 27. *part.* 5. & *decif.* 14. *n.* 4. & *decif.* 71. *n.* 13. *part.* 7. & *decif.* 264. *num.* 12. *coram* Eminent. Otthobono. 3

Imò cum interpretatio fundata in obſeruantia, debeat cuicunque alteri præferri, etiamſi fortè de iure eſſet verior; vt notant Honded. *conſil.* 92. *num.* 30. *lib.* 1. Rota *coram Buratto, decif.* 944. *num.* 6. & coram Eminent. Otthobono *decif.* 164. *num.* 20. & in Rochinonen. *Canonic.* 15. *Decemb.* 1645. §. *Nec prædictis coram* Roeas, debet iſta interpretatio à fortiori præferri, quia non ſolum fundatur in obſeruantia, ſed etiam eſt iuri, & menti Eccleſiæ conformior. Nam ſatis Eccleſia declarauit ſuam mentem, quod intelligat de dedicatione per conſecrationem, dum in Oratione Officij, & Miſſæ pro anniuerſario dedicationis habet, *Deus qui huius Sancti templi tui conſecrationis reparas diem* 4

Et ex his corruit reſponſio Quintanaduen. *tom.* 1. *ſingul. tract.* 7. *ſingul.* 8. *num.* 9. Quod hæc praxis, & conſuetudo non liget; quia ex actu negatiuo, ſeu non vſu non inducitur conſuetudo, cum conſurgat ex actuum repetitione. Nam dicta obſeruantia non fundatur in non vſu, ſed in vſu poſitiuo interpre- 5

tante Rubricas, & acceptante Officium, & Missam eum consecratione ad dedicationem ea consecratione. Et proinde operatur, vt non censeatur plus concessum in virtute officij, Missæ, & Rubricarum, quàm fuerit per obseruantiam subsequutam acceptatum.

6 Rationes in oppositum possent omnes vnico verbo resolui, quod scilicet procedant de dedicatione perfecta, quæ fit per consecrationem. Nibilominua ad 1. resp. Ex illis Concil. nihil aliud baberi, nisi quod sit celebrandum festum dedicationis Ecclesiæ. Cum autem non explicent, da qua dedicatione intelligant, debent accipi de dedicatione, quæ fit moro eonsueto Ecclesiæ. Hæc autem est per consecrationem, vt desumitur ea cap. *Basilicas, de consecr. dist.* 1. ibi: *Basilicas nouiter institutas non petitis ex more præceptionibus dedicare non audeant.* Quod antem nomine dedicationis intelligatur consecratio, constat ex cap. *Pracep. Synodalia*, immediatè anteced. *ead. dist.* ibi: *Constat sine summi Pontificis auctoritate Ecclesiam nouiter conditam, non pesse dedicari*; & infra concedendo facultatem dedicandi, inquit, *Auctoritatis nostra suscepta serie consecrabis.* Et in cap. *Solemnitates, ead. dist.* 1. *de consecrat.* habet, quotannis esse celebrandas dedicationes Ecclesiarum, & subdit statim. Quod si dubitetur de consecratione debent consecrari: quod satis declarat, quod disponit de dedicatione, quæ fit per consecrationem.

7 Ad 2. dispositionem dicti cap. *Solemnitates*, disponere quidem vniuersaliter de celebratione dedicationis; sed subsequentia verba satis declarare, quod dispositio procedat de dedicatione per consecrationem, siquidem subdit, quod si dubitetur de consecratione, debeat Ecclesia consecrari, quod non fuisset necessarium pro celebranda dedicatione, nisi celebrauda esset dedicatio ex consecratione. Et proinde debet teat. accipi cum illa limitatione, quæ ipsi inest, & in eiusdem verbis exprimitur.

8 Ad 3. Quomodo sint aceipiendæ Rubricæ declarat obseruantia, vt constat ea dictis. Quando autem dicitur, quod dedicatio æquiparatur Titulari admissa æquiparatione, resp. intelligi de dedicatione perfecta, quæ consecratione peragitur, non autem de simplici benedictione, præsertim, quia hæc simplea benedictio, non est diuersa ab intitulatione, qua benedicitur in honorem tali Sanctis. Et ideò cum pertineat ad intitulationem, nec potest constituere alterum extremum æquiparatorum, nec exigere solemnitatem diuersam à Titulari; præsertim, quia non est solemnis destinario ad Dei cultum, cum fiat sine vnctione, & per simplicem Sacerdotem.

9 Ad 4. Similitudinem eum Enceniis esse seruandam, quando Ecclesia dedicatur per consecrationem, non autem quando simplici beuedictione benedicitur. Ad 5. neg. assumptum. Nam prima dedicatio non celebratur solemniter, & cum octaua, nisi quando fit consecratione, vt constat ex praxi. Quod si alicubi esset contraria consuetudo; vt scilicet etiam festum primæ benedictionis simplicis solemniter celebraretur, tanquam consuetudo eaorbitans non esset extendenda, nec ad alia bona, nec ad anniuersariam solemnitatem.

QVÆSTIO 272.

An absens à propria Diœcesi possit celebrare de Sanctis, de quibus ipsa celebratur.

SVMMARIVM.

1. *Absens retinens ritum propria Ecclesiæ tenetur celebrare officia sicut ibi: secus si non retineat.*
2. *Aduena potest sequi Ecclesiam vbi reperitur in recitatione Officij, & Missæ.*
3. *Absens potest celebrare de Sanctis de quibus celebratur in propria Diœcesi.*
4. *Absens remanet membrum sue Ecclesiæ.*
5. *Seruitio alicuius Ecclesiæ addictus, licet absens, potest celebrare, sicut ibi celebratur.*
6. *Quale sit priuilegium celebrare de Sanctis specialibus.*
   Priuilegium directum ad personas est personale.
7. *Absens celebrare potest festum Titularis, & dedicationis propria Ecclesia.*
8. *Religiosi possunt recitare Officium, quod recitatur in propria Conuentu, licet absint ab eo.*
9. *Qui diu morantur extra propriam Diœcesim, possunt celebrare sicut ibi.*
   Absentes cum animo reuertendi retinent proprium domicilium.
   Domicilium quando acquiratur.

SVpponendum est. Esse diuersam rationem quoad mutationem ritus recitandi Officium diuinum, & Missam; & quoad celebrandum de Sanctis, de quibus fit in Diœcesi officium retento eodem ritu. Quando enim retinetur idem ritus, vt si Ambrosianus extra Ecclesiam Ambrosianam retineat eumdem ritum Ambrosianum, videtur etiam adesse obligatio celebrandi Officium, & Missam de Sanctis, de quibus iuxta eumdem ritum est celebrandum, quia hæc obligatio trahitur ab eodem ritu tanquam ipsi incorporata. Quando verò non retinetur idem ritus, non videtur necessarium celebrare de iis Sanctis, de quibus iuxta ritum dimissum esset celebrandum. Imò fortè neque etiam poterit, si nimirum celebratio sit concessa intra terminos illius ritus. 1

Supponendum 2. Quod existens extra proprium domicilium non tenetur recitare de Sanctis, de quibus recitatur in proprio domicilio, sed posse recitare, secundum quod recitatur in loco vbi reperitur: & proinde quilibet aduena recitare poterit de Sanctis, de quibus recitatur, vbi reperitur. Potest enim quisque sequi consuetudinem loci, in quo repetitur, iuxta ea quæ tradunt Sanchea *lib.* 3. *de matrim. disp.* 18. *num.* 22. ver. *Verum probabilius.* Ioan. Sanchez *in selectis de sacrament. disp.* 54. *num.* 28. Nauarr. *cap.* 23. *Manual. num.* 120. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 25. *num.* 2. Lessius *lib.* 4. *de iust. & iure, cap.* 2. *num.* 55. Baldel. *tom.* 1. *Theol. moral. lib.* 5. *disp.* 31. *n.* 8. Et babetur ex Cap. *Illa, dist.* 12. Licet enim quis non sit incorporatus communitati, in qua degit tanquam aduena, potest tamen se gerere tanquam si esset incorporatus. Vnde solum difficultas est, an possit celebrare de Sanctis, de quibus celebratur in propria Diœcesi, quando est absens. 2

Dicendum est. *Posse quemcunque absentem celebrare de Sanctis, de quibus celebratur in suo Diœcesi.* Ita Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4 *de Horis Canon. cap.* 23. *num.* 6. Lessius *lib.* 2. *de iust. & iure, cap.* 37. *dub.* 12. *num.* 75. Reginald, *lib.* 18. *praxis fori pænit. num.* 169. Molfes. *part.* 1. *sum. tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 46. Vasquez *de benefic. cap.* 4. *dub.* 2. *art.* 1. *num.* 57. Et in his præcisis terminis Quintanaduen. *tom.* 1. *singul. tractat.* 7. *singul.* 24. *num.* 1. *& sequent.* Et hoc intelligendum siue celebretur de titularibus, siue intuitu reliquiarum, siue ex speciali concessione Pontificis, siue ex quocunque alio titulo. 3

Ratio est. Quia quamuis sit absens, remanet tamen membrum illius Ecclesiæ: & censetur adhuc ipsi incorporatus, quia absentia non tollit incorporationem, quæ non tollitur, nisi per incorporationem respectu alterius Ecclesiæ: ergo potest tanquam membrum illius Ecclesiæ se illi informare in celebrando 4

Officio,

Officio,& Missa.Confir.Quæ sunt membra corporis commonicant omnibus, quæ sunt communia toti corpori: ergo cum absentes remaneant membra suæ Ecclesiæ,siquidem non fiunt pars communitatis, in qua tanqoam aduenæ reperiuntur communicabunt in facultate recitandi de iis Sanctis, de quibus recitatur apud suam Ecclesiam.

5 Et hoc à fortiori constat,si obtineant beneficium, aut quocunque alio modo sint addicti seruitio alicuius Ecclesiæ talis Diœcesis. Tunc enim absentia non soluit obligationem seruitij, & proinde vltra incorporationem, adest etiam speciale vinculum seruitij; ratione cuius potest sequi circa horas canonicas, & celebrationem Missæ morem,& leges propriæ Ecclesiæ. Cum enim ex illa Ecclesia oriatur obligatio recitandi horas canonicas,& bis correspondere debeat Missa, potest sequi directionem illius Ecclesiæ cuios seruitio addictus est.Confir.Qui est absens à propria Ecclesia, potest retinere ritum illius circa recitationem horarum canonicarum,& celebrationem Missæ, quamuis sit diuersus à ritu Ecclesiæ, apud quam reperitur: vnde Ambrosiaous potest recitare Ambrosiano modo;& secundum aliquos etiam tenetur Græcus apud Latinos seruare potest proprium ritum Græcum:ergo à fortiori poterit celebrare de Sanctis, de quibus celebratur in propria Ecclesia, quia valet argumentum à maiori ad mious,quando ioinus continetur in maiori, itavt si licet maius, liceat etiam, quod minus est, quando hoc continetur io maiori, *l.In suis,in fine ff.de liber.& posth.* & Anthent.*Multo magis, C. de sacrosanct.Eccles.*

6 Dices. Celebrationem de his Sanctis esse priuilegium locale,& proinde non seqoi personam extra locum. Resp. Priuilegium nequaquam esse locale, sed personale, licet cum relatioue ad locum, quatenus non conceditur omnibus,sed tantum personis de tali loco. Quod satis ex eo constat,quod materia priuilegij est personalis, siquidem est actio personalia,nempe recitatio. Deinde quia concessio dirigitur ad personas, & non ad locum, neque enim conceditur loco,vt possit in loco recitari Officium,& Missa de tali Sancto,sed personia de tali loco,quod facit, vt priuilegium sit personale, iuxta ea quæ tradunt Gloss. *in Cap.Tua, de his, quæ fiunt à Prælat.* Bart.*in l.1.num.2. ff.de constit. Princip.* Craueta *consil.239.n.4.* Alciat, *consil.7. n.16. lib.4.* Ruin. *consil.217.n.15.vol.1.* Barbosa *in l. Quia tale, n.5. ff. soluto matrimonio.* Suarez *lib.8.de legib.cap.3.n.10.* Eo ipso enim,quod intentio concedentis contemplatur personam,& ad ipsam dirigit suam concessionem; satis declarat, se intendere priuilegiare personam. Quod autem dicitur de priuilegio valet proportionaliter de consoetudine, concessione Rubricarum, & de omni alio titulo, ratione cuius licet celebrare de Sanctis, quia cum habeat pro materia aliquid personale, afficit immediatè personam, & ideò quod per ipsum licet, ipsimet personæ licet, quandiù remanet de tali loco, licet alias absens sit.

7 Ex dictis infertur. Quod absens celebrare poterit festum titularis, & dedicationis propriæ Ecclesiæ, cum suis octauis non secus,ac si esset præsens; quod etiam valet de festo dedicationis Cathedralis, seu matricis Ecclesiæ, si per totam ciuitatem consueuit celebrari. Militat enim eadem ratio, qoia licet solemnitas peragatur intra Ecclesiam, potest tamen qooad Officium,& celebrationem Missæ peragi vbicunque ab iis, qui sunt addicti eidem Ecclesiæ, quamuis ratione absentiæ actu non inseruiant.

8 Secundò infertur. Religiosos,quamuis reperiatur in Conuentibus soæ Religionis aliarum prouinciarum, aut eiusdem posse recitare Officium, & Missam, provt recitatur in Ecclesia sui Conuentus, cui tanquam vnus de familia iocorporatus est, vt notat etiam Quintanaduen. *tom.1. singul. tract.7.singul.24. n.6.* Quandiù incorporatus maoet eidem monasterio. Nec obstat, quod fiat subditus superioris, vbi degit, quia sicuti hæc subiectio noo tollit interpretationem respectu sui Monasterij, ita nec etiam facultatem celebrandi, sicut in ipso celebratur.

Tertiò iofertur. Eos qui diù morantur extra propriam Diœcesim, etiam maiori anni parte, vt sunt scholares, qui studiorum causa degunt apud vniuersitates, posse celebrare iuxta ritum suæ Ecclesiæ,de omnibus Sanctis, de quibus in ipsa celebratur. Quia ibi sunt tanquam aduenæ, & retinent proprium domicilium iuxta ea, quæ tradunt Gloss. *in Cap. Quæ contra, verbo* Aut Peregrini, *dist.8.* & *in cap. Is qui. verbo* Noia. *de sepult.in 6.* Bald. *in l. Est verum, C. de incol.* Angel. *in l.Nec ipsi, C.eod.* Bart.*in l.Lex Cornelia, §.Si tamen, ff. de iniur. & fam. lib.* & *in l. Quæsitum, init.ff. de leg.3.* Specular.*Rubr.de Constit.num.7.* Archidiacoo. *in cap. Illa, verbo* Serua,*dist.12.* Turrecrem. *in cap. Quo iure, §. Dignitate, art.4. n.8. dist.8.* Boët. *in l.Consentaneum, n.107. C. Quomodo, & quan. iudex.* Alciat. *resp.55. num.9.* Abbas *in cap. Nostra, num.10. de sepult.* Medina *C. de ieiun. quæst.10. init.* Ledesma *2. part.4. quæst.17. artic.3.* ver. *Tertiò dico.* Angles *in Florib.quæst.4.de ieiun. difficult.2.* ver. *Hinc Peregrini.* Ludouic.Perusin.*decis.16.num.1.* Barilis *de potest. leg. municip.disquisit.1.§.4.n.20.* vbi alios citat. Neque enim per diuturnam moram acquirit ibi domicilium, quod tantum acquiritur ex animo figendi ibi sedem in perpetuum, quod non stat cum animo discedendi, *l.Debitor. ff. de pignor. & hypoth.* & *l. Ex pacto, §.Rerum, ff. de hered. instit.* & *l.Quæsitum, init. ff. de legat.3.* Vnde cum retineat præcedens domicilium, remanet de tali Ecclesia, & ideo in celebratiooe ipsam sequi potest. 9

QVÆSTIO 273.

An beneficiarius habens domicilium extra locum beneficij, possit celebrare de Sanctis, de quibus celebratur in loco beneficij.

SVMMARIVM.

1. *Beneficiatus habens alibi beneficium an possit celebrare de Sanctis loco beneficij,* & num.seq.
3. *Licet possit, non tenetur.*
Beneficiatus magis subijcitur Prelato beneficij, quam domicilij.
4. *Beneficiatus absens an possit sequi ritum Ecclesiæ beneficij, si sit diuersus à Romano.*
5. *Habens plura beneficia in diuersis locis, quem possit sequi in celebrando.*
6. *An possit celebrare de Sanctis, de quibus in singulis Ecclesijs beneficiorum celebratur.*

QVod non possint celebrare de Saoctis, de quibus celebratur in loco beneficij tradunt Suarez 1
tom.2.de relig.lib.4.cap.23.n.6. Filliuc.*tract.23.quæst.1. n.221.* & in hanc opioionem videtur inclinare Bonac. *de Hor.Canon.disp.1. quæst.3.punct.1. n.10.* Quia inqoiunt,obligatio ex domicilio potentior est,quoad decernendam qualitatem officij, quàm sit obligatio ex beneficio; & ideò est præferenda.

Secunda senteotia asserit, posse celebrare secun- 2
dum ritum loci vbi est beneficiom, atque adeò de iis Sanctis, de quibus celebratur in loco beneficij. Ita desumitur ex D.Thom.*quodlib.6. art.8.* Syluestro

verbo

verbo Hora, *quæsito* 1. Reginald. *lib.* 18. *praxis fori pœnit.num.* 169. Molfes. *part.* 1. *sum.tract.* 5. *cap.* 2. *n.* 47. & in his terminis tradit Quintanaduen. *tom.* 1. *singul. tract.* 7. *singul.* 24. *num.* 5. Layman *lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 3.

3 Et hæc posterior sententia loquendo quoad facultatem celebrandi, videtur probabilior: nam quoad obligationem non videtur habere locum, cum praxis sit in contrarium: neque etiam qui habent beneficium in Diœcesi Mediolanensi, & Romæ degit celebrat secundum ritum Ambrosianum; neque qui habet beneficium in Hispania celebrat de Sanctis, de quibus celebratur in Hispania. Quod verò possit celebrare iuxta ritum Ecclesiæ, in qua situm est beneficium, de Sanctis scilicet, de quibus in ipsa celebratur, seu de aliis festiuitatibus, ex eo desumitur, quod non minus subiicitur Prælato domicilij, quam Prælato beneficij, iuxta Cap. *Cum nullus, de tempor. ordinat. in* 6. vnde tam potest ordinari ab vno, quàm ab alio: ergo si ratione subiectionis domicilij celebrare potest de Sanctis, de quibus celebratur in loco domicilij, ratione subiectionis ex beneficio poterit celebrare etiam de Sanctis, de quibus celebratur in Ecclesia beneficij. Poterit enim vti hac subiectione in recitando Officio, sicut potest vti in suscipiendis ordinibus.

4 An autem recitare possit secundum ritum diuersum à Romano. Affirmatiuè videtur resoluendum, si Ecclesia, in qua erectum est beneficium, vtatur diuerso ritu. Quia etiam si non resideat in illa Ecclesia, est tamen ratione beneficij ipsi addictus, & incorporatus, cum sit beneficiarius illius, & ideò potest sequi ritum ipsius in celebrando. Quod tamen intelligi debet, si talis ritus sit permissus extra talem locum, pro quo est concessus. Nec obstat Bulla Pij V. præfixa Breuiario, quatenus obligat, quod qui sequuntur ritum Romanum, non possint vti alio Breuiario, & Missali, quàm Romano; nam iste beneficiatus non ratione Beneficij eximetur ex eorum numero, qui sequuntur ritum Romanum. Est tamen aduertendum. Quod si beneficium esset erectum in Ecclesia Monachorum, aut Prædicatorum, non posset Beneficiatus sequi in celebrando ritum ipsorum, quia talis ritus non est ritus Ecclesiæ, sed religionis: & proinde non egreditur terminos ipsius.

5 Sed quid, si beneficiatus habeat plura beneficia. Resp. iuxta ea quæ tradunt D.Thom. *quodlib.* 1. *art.* 13. Syluest. *verbo* Hora, *quæsito* 1. Reginald. *lib.* 18. *praxis fori pœnit. n.* 169. Molfes. *part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 2. *n.* 47. Macign. *de Hor. canon. cap.* 20. *n.* 32. Bonac. *de Hor. canon. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 1. *n.* 9. Posse recitare secundum ritum Ecclesiæ, in qua erectum est dignius beneficium, quia maior dignitas prævalet minori. Quod si vtrumque beneficium sit æqualis dignitatis poterit se conformare cuicunque Ecclesiæ voluerit. Cum enim obligatio ad Horas Canonicas consurgat ex beneficio etiam qualitas Officij, & Missæ regulari potest secundum radicem eiusdem obligationis.

6 Imò non videtur improbabile, quod, si in Ecclesiis beneficiorum seruetur ritus Romanus, possit beneficiatus celebrando secundum ritum Romanum celebrare de Sanctis, de quibus in qualibet Ecclesia beneficij celebratur. Nam est de singulis Ecclesiis, in quibus obtinet beneficia, siquidem ratione beneficij fit beneficiarius Ecclesiæ, & ipsi addicitur: vnde tanquam addictus omnibus poterit omnium regulam in celebrando sequi quoad Sanctos, de quibus in ipsis celebratur.

QVÆSTIO 274.

An in locis exemptis celebrari possit Missa de Sanctis, de quibus celebretur in Diœcesi.

SVMMARIVM.

1. *Loca exempta sunt in duplici differentia.*
   In locis exemptis nullius diœcesi non potest celebrari de Sanctis, de quibus celebratur in Diœcesi.
2. *In locis exemptis an celebrari possit de Sanctis, de quibus celebratur in Diœcesi.*
3. *De quibus ex Rubricis celebratur in Diœcesi, non celebratur in locis exemptis.*
   Nec de quibus ex consuetudine.
4. *De Patronis Diœcesis an celebrari possit in locis exemptis.*
5. *Concessio Officiorum specialium quando non se extendat ad loca exempta.*
6. *Quando se extendat.*
   Locus exemptus est pars Diœcesis.
7. *Si locus exemptus sit extra ciuitatem, non poterit ibi celebrari de Sanctis, de quibus celebratur in ciuitate.*
8. *Discrimen inter loca exempta Sæcularium, & Regularium.*

Loca exempta alia sunt in Diœcesi, quæ sunt exempta, sed intra Diœcesim; alia verò sunt extra Diœcesim, & sunt nullius Diœcesis. Quod spectat ad loca exempta nullius Diœcesis, non videtur posse in ipsis celebrari de Sanctis, de quibus celebratur in Diœcesi, quia hæc nullo pacto pertinet ad Diœcesim, cum nec sint de ipsa, nec intra ipsam, sed tantum pertineant ad Prouinciam. Et ideò cum in nullo communicent cum Diœcesi, nec etiam communicare possunt in celebratione. Difficultas ergo est de locis exemptis intra Diœcesim. 1

Quintanaduen. *tom.* 2. *singul. tractat.* 2. *de celebrat. Miss. singul.* 4. *num.* 2. *& sequent.* docet, posse in locis exemptis celebrari de Sanctis, de quibus celebratur in Diœcesi. Verum loquitur de Sanctis naturalibus, & nationalibus Hispaniæ: & hoc fundat in speciali indulto Gregor. XIII. ad fauorem Ecclesiarum Hispaniæ: & proinde ex tenore ipsius ostendit, quod extendatur etiam ad loca exempta, de quo videri potest dict. Auctor. qui de hoc latè tractat. Modo tamen videndum est, quid generaliter dicendum sit. 2

Quia autem celebrationes sunt in duplici differentia; aliæ enim sunt iuxta concessionem Rubricarum vt sunt celebrari dedicationem Ecclesiæ Cathedralis, Patroni, & aliæ fundatæ in consuetudine. Aliæ verò & speciali concessione Apostolicæ sedis vt sunt celebritates de Sanctis Episcopis, Martyribus, &c. loci. Ideò quod spectat ad primas, non videtur facultas celebrandi extendi ad loca exempta intra Diœcesim; vnde non videtur posse celebrari in ipsis dedicationem Cathedralis, si in tota ciuitate celebretur, aut de aliis, de quibus ex consuetudine celebratur. Ratio est. Quia loca exempta eò ipso, quod exempta sunt, non reguntur secundum leges diœcesis, aut ciuitatis, siquidem iurisdictio, in qua fundantur, non extenditur ad ipsa, & si posita sunt ab alio superiori pro subiectis Episcopo, non sunt positæ pro locis exemptis. Vnde Rubricæ quæ concedunt aliquid certæ Ecclesiæ, non concedent loco exempto licet intra Diœcesim, tanquam aliis legibus subiectum. Et similiter etiam consuetudo, cum sit altera lex, non se extendet ad loca exempta, sicut neque se extendit lex. 3

Quod

4 Quod spectat ad Paternos videndum est, à quibus sint electi. Illorum enim sunt patroni, à quibus eliguntur; seu nomine quorum eliguntur. Et ideò in præsenti inquirendum erit, an qui sunt de loco exempto concurrerint ad ipsorum electionem; vel an sint electi, antequam locus esset exemptus. Si enim qui sunt de loco exempto concurrentibus ad electionem, aut sint electi antequam esset exemptus, est certum, quod sint patroni etiam loci exempti; & proinde, quod ibi quoque debeat celebrari Missa, & officium de ipsis, cum ita Rubricæ præscribant. At si non concurrerunt ad ipsorum electionem, nec fuerunt electi ante loci exemptionem, tunc non erunt illius patroni, & ideò non habebit locum Rubrica de Patronis.

5 Circa alterum caput. De officiis concessis ex speciali indulto Sedis Apostolicæ, attendendus est tenor eiusdem indulti, & videndum, an concessio sit pro Ecclesia, an pro Diœcesi. Si enim sit pro Ecclesia, non se extendet ad loca exempta, licet intra Diœcesim, quia hæc non sunt eadem Ecclesia, sed diuersa, cum aliis legibus, & alio capite regatur. Et ideò sublata communicatione in politia Ecclesiastica, censetur etiam sublata communicatio in specialibus ritibus, secundum quos coluntur aliqui Sancti, aut celebrantur speciales festiuitates.

6 Si verò concessio sit facta pro Diœcesi, locus exemptus gaudebit eodem priuilegio, & proinde ibi celebrari poterit de iisdem Sanctis. Quamuis enim locus exemptus sit extra limites iurisdictionis Ordinarij, & subsit speciali capiti, est tamen pars Diœcesis, quia exemptio supponit subiectionem respectu Ordinarij Diœcesis, & est intra ipsam, vt obseruant Abbas *in c. Apostolicæ.n.3.ver.Putat tamen.de donat.* Alex. *cons.3. n.1.lib.2.*Felin.*in c.Graue.n.2. de offic.Ordin.* Petrus de Vbald.*de canon.post.c.4.q.6.n.11.*Rota *in Volaterrana iurisdict.14.Ianuar.*1581.coram Brauo.& est *dec.207. p.2. Diuer.& dec.324.n.1.p.1.*Recent.& *dec.1072.n.5.* coram Penia. Vnde tanquam pars Diœcesis communicat in omnibus, ad quæ non se extendit exemptio, quæ solum se extendit ad tollendam subiectionem respectu Ordinarij; non autem ad tollendam participationem gratiarum Apostolicarum. Ex eo enim quod locus sit exemptus non separatur à Diœcesi, sed tantum eximitur ab Ordinarij iurisdictione & ideò in iis, quæ non sunt iurisdictionis Ordinarij, præsertim in fauorabilibus participat cum tota Diœcesi.

7 Ex his deducitur. Quod si locus exemptus sit extra ciuitatem, non poterit ibi celebrari de Sanctis, de quibus celebratur tantum in ciuitate, & non in tota Diœcesi. Si quidem neque est de ciuitate, neque pars illius, cum non sit intra ciuitatem. Econtra verò, si sit intra ciuitatem, quamuis sit exemptus, poterit ibi celebrari de omnibus, de quibus celebratur in ciuitate ex speciali concessione facta pro ciuitate, quia tum concessio se extendit etiam ad ista loca tanquam partes ciuitatis. Et ideò Regulares, quamuis ipsi, & eorumdem Monasteria sint loca exempta gaudent huiusmodi concessionibus factis pro ciuitate, & proinde celebrare possunt de omnibus Sanctis, de quibus celebratur in ciuitate.

8 Dices. Regulares celebrant Dedicationem Cathedralis, Patroni Ciuitaris, quamuis eorum loca exempta sint: ergo in loco exempto celebrari potest de his, de quibus Rubricæ specialiter concedunt, contra id, quod dictum est in superioribus. Resp. Esse diuersam rationem de locis exemptis Regularium, ac de locis exemptis sæcularium. Exemptio enim censetur facta secundum subiectam materiam. Vnde quia loca exempta Regularia non habent populum, neque Prælatum habentem iurisdictionem Episcopalem, sicut habent sæcularia. Ideò non solum, quia sint intra Diœcesim, sunt pars illius: sed etiam quia in quibusdam specialibus pertinent ad Diœcesim. Rursus quia Regulares inseruiunt eidem populo ciuitatis, seu Diœcesis, ideò possunt etiam in celebratione se accommodare ritui Diœcesis; imò valdè congruum est, quod se accommodent. Et propterea Concil. Trident. voluit, quod Regulares seruarent festa instituta ab Ordinariis.

QVÆSTIO 275.

An omnes Regulares possint semel in mense celebrare de suis fundatoribus.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegium celebrandi semel in mense de Fundatore.*
2. *Regulares celebrare possunt semel in mense de suo Fundatore canonizato.*
   Communicatio priuilegiorum cum correspondentia quoad Regulares.
3. *In communicatione priuilegiorum veniunt, quæ concessa sunt ratione festiuitatum, &c.*
4. *Participantes in priuilegiis Minorum quid obtineant.*
5. *Pregnantis communicatio priuilegiorum facta Cleric. Regularib.*
6. *Moniales semel in mense an celebrare possint officium de Fundatore.*
   Moniales gaudent priuilegiis Regularium eiusdem Ordinis.
7. *De Fundatoribus beatificatis non potest celebrari officium semel in mente.*
8. *Cum quo ritu semel in mense recitandum officium de Fundatore.*
   An recitandum Symbolum Apostolorum.
   Symbolum à Regularibus recitari potest in festis Sanctorum sui Ordinis.
   Verba debent accipi secundum subiectam materiam.

PAulus V. *Sub die 20.Martij anno 1617. in sua constit.102. tom.3. Bullar.* concessit Fratribus Minoribus, quod semel in mense recitare possent officium prima die non impedita officio nouem lectionum de S.Francisco ipsorum Fundatore, prout in festo ipsius recitatur. Ita enim ibi habetur. §.2. *Supplicationibus dicti Bonauentura nobis semper hoc humiliter porrectis, inclinati, de venerabilium Fratrum nostrorum. S.Bonauentura Ecclesiæ Cardinalium, sacris Rituum præpositorum consilio eisdem Fratribus Minoribus Conuentualibus, vt officium de eodem S.Francisco, semel in mense prima die non impedita alio festo, nouem lectionum, prout ab ipsis recitatur in die festo eiusdem. S.Francisci, recitare liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam, & facultatem perpetuò concedimus, & impartimur.* Stante autem hoc indulto difficultas est, an aliæ Religiones, quæ habent communicationem priuilegiorum ipsum participent. 1

Dicendum est. *Omnes Religiones celebrare posse officium eodem modo de suo Fundatore canonizato quo concessum est Fratribus Minoribus.* Dixi canonizato, nam de beatificato tantum dicetur infra. Ita in his terminis Quintanadueu. *tom. 2.singul. tractat. 2. singul.14. num.1.& sequent.* Hoc desumitur ex speciali communicatione facta iisdem Fratribus Minoribus de omnibus concessionibus Apostolicis ad fauorem Fratrum Prædicatorum à Iulio II. *vt in Bulla* quæ refertur à Rodriguez *quæst.55. art.20. tom.1. quæst.* 2

quæst. Regul. & à Corsetto *in Collect. priuileg. in constit.* 8. *eiusdem Pontificis.* inter quæ hæc habentur. *Et sicut de potestate Prælatorum, scilicet de Prælatis ad Prælatos dictum est, ita de Congregationibus vnius ad Congregationes alterius Ordinis, & de Patribus priuatis, id est sine prælatura, ad patres priuatos; & de festiuitatibus ad festiuitates in his casibus, in quibus congregationibus, vel Fratribus priuatis, aut festiuitatibus vnius Ordinis aliquid conceditur, Congregationibus, Fratribus priuatis, ac festiuitatibus alterius Ordinis nunc, & pro tempore respectiuè concessa intelligantur. Ita quod ea, quæ in honorem Sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, Catharinæ de Senis Fratribus, vel locis prædicatorum sunt concessa, omnia illa Fratribus Minoribus præfatis, eorumque locis in festiuitatibus Sanctorum Francisci, Antonij, Ludouici, Bernardini, Bonauenturæ, quinque Martyrum dicti Ordinis apud Marochium Martyrij coronam adepti sunt, & sancta Clara, & in aliis festiuitatibus dicti Ordinis Minorum, licèt sint in maiori numero, quàm festa ipsorum Fratrum Prædicatorum sint intelligantur concessa, vel tollendam quancumque hæsitationem, & inde fortè ortum scrupulum auctoritate, & tenore præfatis declaramus. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 1. Iunij 1509. Pontificatus nostri anno sexto.* Ex quibus constat, quod communicatio est specialiter quoad indulta concessa circa festiuitates Sanctorum, & proinde communicantes participant facultatem recitationis, officij, & celebrationis Missæ, indulgentias concessas Ecclesiis intuitu festiuitatem, & cætera huiusmodi, quia communicatio fit quoad omnes concessiones, vt satis declarat illa clausula. *Omnia illa, quæ nullam admittit exceptionem*, & refertur ad omnes concessiones factas Prædicatoribus.

2 Circa quam communicationem est aduertendum, quod non tàm sit communicatio, quàm declaratio communicationis aliàs factæ, vt constat ex verbo *declaramus.* Intendit enim Pontifex declarare quomodo sit accipienda communicatio priuilegiorum, & declarat, quod sit accipienda cum proportione loci ad locum, personæ ad personam Sanctorum ad Sanctos, festiuitatum ad festiuitates. Et proinde in communicatione veniant, quæ concessa sunt intuitu festiuitatum, & Sanctorum. Ex quo deducitur, quod communicationes priuilegiorum, quando sunt cum clausulis prægnantibus, sint eodem modo communicatiuæ concessionum, quæ concernunt festiuitates, Ecclesias, Officia, &c. non secus ac fuit annunciatio facta Minoribus de priuilegiis Prædicatorum.

3 Ex his ergo constat, quod participantes in priuilegiis Mendicantium poterunt frui, & vti prædicto priuilegio, & celebrare semel in mense officium sui Fundatoris iuxta ea quæ docent Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 17. *num.* 7. Rodriguez *quæst. Regul.* 55. *art.* 20. *tom.* 1. Pottel. *in Respons. moral. part.* 2. *casu* 28 *num.* 3. Hieronym. Rodriguez *in Compend. resol.* 65. *num.* 2. Palaus *part.* 1. *oper. moral. tractat.* 2. *disput.* 4. *punct.* 2. §. 9. *num.* 5. qui volunt in celebratione festorum locum habere communicationem priuilegiorum.

4 Et hoc præcipuè locum habet quoad nos Clericos Regulares ob prægnantissimam communicationem priuilegiorum, & concessionem æquè principaliter omnium priuilegiorum, gratiarum, concessionum, &c. Quæ ab Apostolica Sede emanarunt, in futurum emanabunt, vt constat ex tenore concessionis, qui talis est. *Volentes prædictam Congregationem pro singulari, quo eam ob eminentia merita charitatis affectu complectimur, amplioribus fauoribus, & gratiis, vt par est, cumulare, & exornare, eidem Congregationi, & Clericis, vt vltra priuilegia, & alia sibi concessa prædicta omnibus, & singulis aliis priuilegiis, exemptionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis, & peccatorum remissionibus, & relaxationibus, cæterisque gratiis, tam spiritualibus, quàm temporalibus, quibusuis Religionibus, Congregationibus, & Ordinibus quocumque nomine nuncupentur, etiam Medicantium, tàm virorum, quàm mulierum, eorumque Monasteriis, domibus, & aliis piis locis per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, dictam sedem hactenus quomodolibet concessis, & imposterum concedendis, ac quibus illorum vtriusque sexus persona de iure, vel consuetudine, aut priuilegio, vel aliàs quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ea vti, potiri, & gaudere possint, & poterunt quomodolibet in futurum in his, quo eorum Regularibus institutis non aduersantur dumtaxat; non solum ad eorum instar, sed æquè principaliter, ac pariformiter in omnibus, & per omnia perinde ac si eidem Congregationi, & Clericis specialiter, & expressè concessa forent, vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, perpetuò concedimus, & indulgemus, illaque eis communicamus, & concedimus, & ad eos extendimus.* Ex quibus constat trahi ad nos Clericos Regulares priuilegium prædictum Pauli V. de celebrando semel in mense officio nostri fundatoris, quando fuerit canonizatus, quod breui futurum speramus, siquidem prædicta communicatio non solum fuit de concessis, sed etiam de concedendis.

Imò Moniales quoque eodem modo semel in mense celebrare poterunt officium Fundatoris Ordinis, quæ profitentur Regulam alicuius Ordinis Religiosorum habentium communicationem priuilegiorum, vt notat etiam Quantanaduen. *tom.* 2 *singul. tract.* 2. *singul.* 14 *nu.* 5. Quamuis etiam sint subiectæ Ordinarij & non Regularibus. Nam iuxta earumdem capacitatem gaudent omnibus priuilegiis, & facultatibus concessis Regularibus eiusdem ordinis, iuxta ea, quæ tradunt Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 10. *nu.* 7. Rodriguez *quæst. regul.* 13. *art.* 22. *tom.* 2. Bonac. *disp. de legib. qu.* 3. *punct.* 7. §. 2. *n.* 2. Palaus *part.* 1. *oper. mor. tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 12. *n.* 1. Tamburin. *de iure Abbat. tom.* 1. *disp.* 27. *disp.* 27. *quæst.* 1. & *de iure Abbatis. disp.* 17. *per totam.* & ego quoque notaui. *decis. moral.* 188. *n.* 3. Dum enim Regulam talis fundatoris profitentur, habent ipsum pro fundatore, quamuis ab aliis institutæ sint. 5

An autem locum habeat hoc priuilegium quoad fundatores tantum beatificatos, negatiuè resoluendum est, vt resoluit etiam Quintanadu. *tom.* 2. *singul. tra.* 2. *singul.* 14. *n.* 6. Quia in beatificatione conceditur limitata facultas quoad loca, & personas celebrandi de ipsis: nec concessio est extendenda vltra limites verborum, vt declarauit S. Rituum Congregat. *sub die* 16. *Decemb.* 1652. Et quia de beatis nondum canonizatis nihil propria auctoritate est statuendum, & statuit ead. S. Congreg. vt in decretis præfixis Breuiario. 6

Quod spectat ad ritum, cum quo officium celebrari debet, cum priuilegium concedat, quod celebretur eo modo, quo celebratur in die festo, tum officium quam Missa celebrabitur sub ritu duplici, vt notat etiam Quintanaduen. *tom.* 2. *singul. tract.* 2. *singul.* 14. *num.* 7. nam sub tali ritu celebrari solet festum fundatoris apud quemlibet ordinem. Est tamen aduertendum, quod cum officium, & Missa non sint pro festo anniuersario, mutanda enim, quæ in orationibus, aut lectionibus significant celebritatem anniuersariam. 7

An autem recitandum sit Symbolum Apostolorum, affirmat Quintanaduen. *citat.* sed oppositum videtur probabilius. Quia licet Sixtus IV. concesserit Fratribus Minoribus, quod in solemnitatibus Sanctorum sui Ordinis recitent in Missa Symbolum Apostolorum, vt refert Rodriguez *quæst. regular.* 43. *art.* 5. 8

art.5.tom.1.& hoc fit etiam conforme Rubricis Missal.*tit.11.de Symbol. Apostol.in fine.* ibi. *Et in festis principalibus ordinum,& per eorum Octauas in Ecclesiis tantum illius Ordinis*, attamen hoc intelligitur quoad festiuitates anniuersarias, non quoad recitationem per singulos menses, quia talis celebratio non est concessa intuitu festiuitatis, sed intuitu deuotionis erga Fundatorem. Nec obstat, quod in tenore priuilegij habeatur clausula. *Prout ab ipsis in die festo recitatur.* Quia hoc intelligitur secundum subiectam materiam, ita vt adhibeatur modus, quo recitatur in die festo, quatenus conuenire potest diei in quo recitatur, alioquin quando in die festo recitatur cum *Alleluya*, cum eodem *Alleluya* esset recitandum etiam in Quadragesima. Verba enim debent accipi secundum subiectam materiam, *l. Ex conducto. §. Si vno, ff. Locati. & l. fin. C. de non. numer. pecun.* & *l. Proculus, ff. de constr.* & *l. Insulam, ff. de praescrip. verb.* & cap. *Constitutus, de relig. domib.* & cap. *Solitae. de maior. & obed.* Dies autem, in quo per singulos menses celebretur praedictum officium, non admittit recitationem Symboli Apostolici, cum talis recitatio conueniat solum ratione solemnitatis annuae.

QVÆSTIO 276.

An facultas concessa Regularibus vnius loci celebrandi de aliquo sancto communicetur Religiosis alterius loci.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegia concessa vni Monasterio Ecclesiae, &c. extenduntur ad omnes.*
2. *Priuilegia concessa vni Monasterio sunt communia omnibus etiam futuris.*
3. *Facultas concessa ex speciali causa celebrandi de aliquo Sancto non extenditur ad alia Monasteria.*
   Priuilegium non extenditur etiam ob maioritatem rationis.
4. *Priuilegia communicantur quatenus adaptari possunt.*
5. *Facultas concessa vni Monasterio celebrandi de aliquo sancto, quando extendatur ad alia.*
6. *Communicatio priuilegiorum an extendat priuilegia ex causa aequipollenti, & minori.*
7. *Facultas celebrandi de sancto Religionis extenditur ad omnia Monasteria.*
8. *An idem dicendum quoad beatificatos.*
9. *Quomodo non extendenda concessio quoad beatificatos vltra limites verborum.*

1 DIfficultas oritur ex eo, quod summi Pontifices concesserunt aliquibus religionibus, quod priuilegia concessa vni Monasterio, Ecclesiae, aut eiusdem Religiosis censeantur concessa omnibus Monasteriis, Ecclesiis, & Religiosis eiusdem Ordinis. Ita concessit Pius IV. Ordini sancti Hieronymi in Hispania, vt in *Compendio priuilegior. eiusdem Ordinis. verbo* Extensio *priuileg.* & referunt Miran. *tom.2. Manual. Prelat. quaest.46. art. 7.* Rodriguez *quaest. regul. 55. artic.9. tom. 1.* Tenor concessionis est, quod, *Omnia & singula priuilegia, immunitates, exemptiones, praerogatiuae, indulta temporalia fauores, & gratiae Ordini & singulis, & cuiuis Monasterio per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores suos, vt per se, & Sedem Apostolicam, eiusque Legatos, & Nuncios in genere, vel in specie concessa, ad omnia & singula Monasteria Ordinis, tam virorum, quam mulierum, quibus in specie concessa non sunt, & in quibus alia causa concessionis, & indultorum praedictorum aliàs, quàm vt praefertur suberant ad id, vt ipsa Monasteria illis pariformiter vti, frui, & gaudere possint proinde, ac si eis specialiter concessa fuissent, auctoritate Apostolica extendit, & ampliauit. Illaque inter omnia tam virorum, quam mulierum Monasteria Ordinis in omnibus, & singulis communicauit.*

Similiter etiam Eugenius IV. Concessit Congregat. S. Iustinae, quod priuilegia concessa, & concedenda alicui Monasterio praesenti, vel futuro, communia sint omnibus Monasteriis, vt in *Constitut. 58. num. 20. Bullar. Cassinen.* hoc tenore. *Quodque omnibus, & singulis priuilegiis, gratiis, & indultis, quae cuilibet dictae Congregationis Monasterio, seu loco ex praesentibus, & futuris concessa fuerint hactenus, & concedentur in futurum, ipsius Congregationis alia Monasteria, & loca praesentia, & futura quibus huiusmodi priuilegia concessa non fuerint, in quantum eis expediat, concessa vti valeant, ac gaudere, ac si nominatim singulis ipsis Monasteriis primi forent huiusmodi priuilegia concessa, auctoritate praefata concedimus, & indulgemus.* Idem etiam concessit eidem Congregat. Leo X, vt in *Constit. 129. in eod. Bullar. Cassin. num. 22.* Cum clausula. *Quando ipsa priuilegia aliis Monasteriis, & locis dictae Congregationis, adaptari, & conuenire possent.* Eamdem quoque extensionem confirmauit Clemens VII. *Constit. 148. num. 2. Bullar. Cassinen.* & Paulus III. *Constit. 156. num.4. eiusdem Bullar.* Et alij Pontifices aliis Religionibus idem concesserunt. Et proinde hoc ipsum priuilegium participatur ab iis, qui habent communicationem horum priuilegiorum. 2

3 Hoc supposito. Dicendum est primum. *Facultates celebrandi de aliquibus Sanctis concessas alicui Monasterio, seu Ecclesiae ex speciali causa, seu titulo proprio illius, non extendi ad alia Monasteria seu Ecclesias virtute praedictae communicationis.* Ita etiam ferè in iisdem terminis Quintanaduen. *tom.2. singul. tract. 7. singul. 15. num. 2.* Ratio est. Quia priuilegium ex sui natura non extenditur de persona ad personam etiam ob maioritatem rationis, vt tradunt communiter Doctores. Bart. *in l.1. ff. De constit. Princip.* Abbas *in cap. Canonica. num. 1. De sentent. excommunicat.* Cardin. *in Clement. 1. quaest.6. de testament.* Barbosa *in l. 1. part. 1. num. 19. ff. soluto matrimon.* Suarez *libr. 8. de legib. cap. 28. num. 11.* Azorius *part. 1. lib. 5. cap. 23. quaest. 2.* Salas *de legib. disput. 17. sect. 8. num. 48.* Rodriquez *quaest. regul. 7. art. 2. tom. 1.* Palaus *part. 1. oper. moral. tractat. 3. disput. 4. punct. 13.* Et desumitur ex cap. *Sanè. De priuileg.* & Clement. I. *De censib.* & cap. *Priuilegium. De regul. iur. in 6.* In priuilegiis enim attenditur sola voluntas concedentis, & proinde non censetur plus concessum, quàm volitum, nec plus volitum, quàm expressum.

4 Rursus nec etiam potest extendi ratione supradictae communicationis ad fauorem omnium Monasteriorum, quia haec communicatio censetur iuxta naturam, & communicabilitatem priuilegiorum, vt proinde, sicut dictum est *num. 2.* Leo X. in hac extensione expresserit clausulam, *Quatenus aliis Monasteriis, adaptari, & conuenire possent.* Quando autem priuilegium est concessum ex speciali causa, & titulo proprio alicuius Monasterij, aut Ecclesiae non est communicabile, nec adaptari potest iis, in quibus non concurrit eadem causa, seu titulus; siquidem habet in ventre causam, qua veluti animatur ad vigorem obtinendum, & ideò non potest per communicationem extendi, nisi extendatur causa, cum ex voluntate concedentis non habeat

vigorem, nisi ex illa causa, & generalis extensio, seu communicatio non alteret naturam ipsius.

5 Dicendum 2. *Facultatem celebrandi de Sanctis concessam alicui Monasterio, quæ non habet causam particularem ex ipso, sed est communis aliis Monasteriis, seu Ecclesiis, seu potest aliquo modo ad ipsas pertinere, aut ad Religionem in communi, vt esset fauor Religionis, tunc extenditur ad omnia alia Monasteria; si Religio habeat priuilegium talis extensionis.* Ita etiam Quintanaduen. *tom. 2. singul. tract. 2. singul. 15. num. 5.* Ratio est. Quia, vt supponitur, adest priuilegium extendens priuilegia concessa vni loco, aut personis vnius loci ad alia loca, & personas aliorum locorum. Et proinde facit communia omnia priuilegia, si aptari possint aliis locis, & personis. Cum ergo huiusmodi facultas aptari possit ob communicationem in causa, extendetur ad omnia loca, & personas Religionis.

6 An autem sufficiat causa æquipollens, aut etiam minor. Videtur affirmatiuè resoluendum, quia huiusmodi priuilegium extensiuum habet vim extendendi priuilegia de loco ad locum, & de persona ad personis, quatenus aptari possunt, iuxta clausulam positam à Leone X. de qua supr. n. 2. Æquipollentia autem causæ, & quæcunque alia, licèt minor, facit, vt possit aptari, quia dum in extensione priuilegium reperit causam aliquam proportionatam, non remanet mortuum, sed ipsa veluti animatur, & manet in suo vigore, & ideò aptari potest cæteris locis, & personis.

7 Ex quibus infertur cum Quintanaduen. *tom. 2. singul. tractat. 2. singul. 15. num. 6.* Quod si Pontifex concedat alicui Monasterio facultatem celebrandi de aliquo sancto Religionis celebrari poterit in omnibus Monasteriis eiusdem Religionis, si fruatur priuilegio extensiuo priuilegiorum de vno loco ad omnia alia. Nam causa, ob quam conceditur talis facultas est communis, toti Religioni, cum sit fauor eiusdem Religionis, & deuotio ipsius erga sanctum. Neque hæc extensio est contra decreta sacræ Rituum Congregationis præfixæ Breuiario, quatenus de his sanctis prohibent quidquam propria auctoritate statui; nam nihil statuitur propria auctoritate, sed auctoritate Pontificia nempe auctoritate priuilegij extensiui à Pontifice concessi. Et hoc locum habet, etiamsi in Ecclesia, pro qua primò conceditur talis facultas adesset corpus sancti, aut ibi vigeret specialis deuotio populi, aut adesset aliqua alia causa specialis; nam sufficit deuotio Religionis, & fauor ipsius vt aptari possit; & eò ipso, quod aptari potest, habet locum extensio.

8 An autem hoc habeat locum quoad Beatificatos tantum, negat Quintanaduen. *tom. 2. singul. tract. 2. singul. 15. num. 6. in fine.* Quia concessio, quæ fit in ordine ad ipsos est coarctata tum ex natura beatificationis, tum ex Pontificio diplomate; & ideò si conceditur pro vnico tantum Monasterio, non poterit extendi, nisi in beatificationis Bulla sit aliquod fundamentum. Verum oppositum puto probabilius. Quia licèt concessio in Bulla beatificationis sit coarctata, & non possit ex vi ipsius extendi concessio ad alia Monasteria, dum tamen non prohibetur fieri extensio expressè, fit virtute priuilegij extensiui, si participetur à Religione. De natura enim sua est communicabilis, cum vt plurimum concedatur toti Ordini, & proinde non obstet natura beatificationis: & aptari potest toti Ordini, quod sufficit, vt priuilegium extensiuum habeat locum.

9 Neque obstat decretum sacræ Rituum Congregationis, *sub die 16. Decembris 1652.* Quod non sint excedendi limites verbales concessionis Apostolicæ super beatificationibus. Quia non exceduntur, quasi aliquid plus censeatur concessum quàm sonent verba concessionis; nam sumitur indultum ipsius cum tota coarctatione quam habet, ita vt non censeatur plus aliquid concessum, quàm sit reuera concessum, sed hæc concessio coarctata pro certo Monasterio ex vi alterius indulti, seu priuilegij Apostolici extenditur ad omnia Monasteria, cum huic priuilegio non sit derogatum per coarctatam concessionem in beatificatione.

QVÆSTIO 277.

An de beatificatis tantum liceat celebrare Missam votiuam.

SVMMARIVM.

1. *Missa votiua an possit celebrari de beatificatis* & num. seq.
2. *Cultus publicus, non potest exhiberi sine facultate Apostolica.*
   Concessio ad instantiam est secundum mensuram supplicationis.
4. *Interposita Apostolica auctoritate licèt venerari aliquem vt sanctum.*
5. *Oblatio sacrificij semel concessa in honorem alicuius est concessa vti Ecclesiæ.*
6. *Si semel in alicuius honorem potest offerri sacrificium ex priuata deuotione potest semper offerri.*
7. *Non prohibetur delatio honoris quo quis est indicatus dignus.*
8. *Votiua Missa pro nullo specialiter conceduntur, sed veniunt in consequentiam.*
9. *Cultus publicus duplici modo deferri potest.*
10. *Missa votiua non excedit cultum concessum beatis.*
11. *Missa votiua non extendit priuilegium beatificationis.*
12. *Quinam cultus beatorum mensurandus secundum petitionem.*
13. *Inter canonizatos, & beatificatos quodnam sit discrimen.*
14. *Decretum S. Congregat. non obstat Missis votiuis beatorum.*
15. *Cultus Canonicus concessus beatis non extenditur permissiuè, etiamsi in concessionibus non adsit dictio tantum.*
16. *Non extenditur culpa expressa.*
17. *Qualiter peccet deferens, cultum canonicum beatis vltra concessum.*
18. *Quando posset excusari.*

SVpponitur, quod sit concessa facultas aliquibus, vt Religioni speciali, clero, & celebrandi festum beatorum cum officio, & Missa pro die anniuersario, quoad cœlestem gloriam transierunt, & dubitatur, an infra annum possit de ipsis Missa votiua celebrari. Prima sententia tenet, non posse celebrari. Ita Turrian. 2. 2. *tom. 1. cap. 13. dub.* 8. Molfes. *part. 1. summ. tractat. 11. cap. 6. num. 51.* Granad. 2. 2. *controuer. 1. tractat. 7. disput. 4. sect. 2. num. 2.* Diana *part. 2. tractat. 15. resolut.* 55. Quartus *in Rubricas Missalis, part. 2. titul. 4. dub. 6.* ver. *Secunda sententia.* 1

Prob. 1. Quia ex cap. 1. *De reliq. & vener. sanct.* non potest alicui exhiberi cultus publicus sine facultate sedis Apostolicæ. Hic autem non adest facultas pro Missa votiua, quia concessio est coarctata ad certum diem, locum, & personas, & ideò cultus excedens terminos concessionis, erit sine fa- 2

culpate

Digitized by Google

cultate Apostolica. Secundo. Priuilegia non extenduntur vltra mentem concedentis:ergo priuilegium celebrandi Missam de beatis non extenditur vltra diem, & personas expressas; & hoc valet etiamsi adsit maior ratio, quia hæc non habet vim extendendi priuilegia. Tertio. Quia istæ concessiones fiunt ad instantiam alicuius Religionis,aut alicuius cleri postulantis pro se. Gratia autem censetur concessa secundum mensuram supplicationum *l, Si preces. ff. de legib.* & cap. *Inter dilectos. §. Cæteri. de fide instrumen.* Quarto. Quando verba concessionis sunt clara, non est adhibenda aliqua extensio, sed tenor concessionis est seruandus; vt docent communiter Doctores. In his autem concessionibus tenor verborum est adeò clarus,vt nullum admittat dubium. Quinto. Nullum esset discrimen inter beatificationem, & canonizationem. Nec sufficit dicere, quod in canonizatione conceditur cultus positiuè, & in beatificatione tantum permissiuè, quia permissio in hoc casu idem operaretur, ac licentia positiua.

3 Secunda sententia asserit. Posse à quolibet Sacerdote recitari Missam votiuam de beatificatis, licèt non canonizatis. Ita Palaus *part. 1. oper. moral. tract. 4. disp. 1. punct. 5. §. 5. num. 7.* qui *num. 8. in respon. ad 4.* recenset circa 20. Doctores,qui se subscripserunt huic sententiæ. Megal. *in Procup. verbo* Canonizatio, *num. 1.* Quintanaduen. *tom. 1. singular. tract. 7. singul. 5. num. 2.* Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 6. §. 8. n. 10.* Thomas Delbena *in summ. Theol. disp. 1 quæst. 36. ver. Respondetur contra.*

4 Dicendum est. *De beatis nondum canonizatis celebrari posse Missam votiuam.* Hoc puto deduci & text. quem pro sua sententia allegant Doctores oppositum sentientes. Nempe cap. *Audiuimus. de reliq. & vener. sanct.* vbi Pontifex ita statuit. *Illum ergo non præsumatis de cætero colere, cum etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro sancto, absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ venerari.* Ex quo conficitur ratio. Non licèt aliquem venerari pro Sancto, nisi illos, quos Ecclesia Romana interponens suam auctoritatem iudicat posse pro talibus venerari: ergo quando iudicat posse pro talibus venerari, licèt venerari. Quia quando negatio est causa negationis,etiam affirmatio est causa affirmationis. Et ideò si negatio auctoritatis Ecclesiæ est causa, cur non possit aliquis pro Sancto coli, interpositio erit causa, cur possit. Interponitur autem eò ipso, quod declarat aliquem esse dignum, quod colatur,vt talis; ergo cum in beatificatione interponat suam auctoritatem, & declaret esse dignum in cujus honorem possit offerri sacrificium Deo, ex hac declaratione consurgit facultas in vnoquoque venerandi ipsum, vt beatum. Et proinde deferendi etiam illum cultum, quo Ecclesia ipsum dignum iudicauit, nempe oblationem sacrificij Deo in honorem ipsius.

5 Confir. Eò ipso, quod Ecclesia concedit,quod per aliquos offeratur Deo sacrificium in honorem talis beati; contendit,quod offeratur nomine eiusdem Ecclesiæ; nam quicunque offerens tanquam publicus minister illius offert nomine eiusdem Ecclesiæ; itavt ipsa offerat per suos ministros:ergo est cultus vniuersaliter concessus omnibus,qui sunt de Ecclesia;quod enim conceditur alicui communitati, conceditur omnibus qui sunt de communitate: ergo cum cultus celebrationis Missæ in honorem beati sit concessus Ecclesiæ deferendus per suos ministros deferri poterit per quoscunque qui habeant exercitium talis cultus expeditum: sicut si concederetur communitati Ius aliquod exercendum per suos ministros possent omnes ipsius ministri illud exercere.

6 Confirm. 2. Ex vna parte beatificatus est dignus honore, qui defertur per celebrationem sacrificij, nam per sententiam summi Pontificis dignus declaratur, etiamsi vni tantum concederet celebrare Missam in honorem ipsius; & ex alia parte non adest impedimentum, cur non possit quilibet Sacerdos ex priuata deuotione celebrare Missam in honorem ipsius, cum nemo impediatur reddere vnicuique honorem, quo dignus est. Neque enim Ecclesia prohibet reddere alicui honorem, quo dignus est, Cum hoc sit actus virtutis obseruantiæ, vt tradit D. Thom. 2. 2. *quæst. 102, art. 1, in corpore*; cum non possit prohibere actus virtutum, tanquam eos, qui conducunt ad vltimum finem ad quem ipsa debet dirigere, non autem impedire accessum. Et præcipue quando agitur de cultu erga Sanctos, quos tenemur venerari, sicuti merentur.

Confirm. 3. Pontifex declarando aliquem beatum, & concedendo, quod possit Deo offerri sacrificium in honorem ipsius, declarat dignum tali veneratione: ergo eo ipso facultatem facit vnicuique colere beatum tali honore. Anteced. constat quia alioquin concederet honorem ei exhiberi, quem non proponeret tanquam dignum. Conseq. Prob. Tum quia ex natura rei sequitur, quod possit vnicuique, & ab vnoquoque exhiberi ille honor, quo quis declaratur dignus. Tum quia declarando dignum aufert prohibitionem, qua prohibentur fideles venerari defunctos tanquam beatos. Tum quia declarare dignum, & prohibere, aut manutenere prohibitionem, ne deferatur cultus, quo declaratur dignus, esset voluntas; quo non deferatur cultus secundum mensuram dignitatis, & meritorum, quæ voluntas non potest præsumi in summo Pontifice tanquam ea, quæ non esset secundum Regulas rectæ rationis; & quæ contrariaretur voluntati tacitæ, quod beati colantur tanquam beati, quæ inest declarationi, qua declarantur digni tali honore. 7

Confirm. 4. Sequeretur, quod neque de canonizatis possent celebrari Missæ votiuæ, quia hæ nulli Sancto determinatè conceduntur, sed tantum declarantur in canonizatione digni, quibus deferantur honores Sanctorum, & pro aliquibus conceditur Missa pro die sui transitus ad gloriam, & officium. Quia tamen Missæ votiuæ conceduntur generaliter, ideò celebrari possunt in honorem omnium canonizatorum, etiamsi nullibi de ipso certo die celebretur festum; ergo cum beati quoque declarati sint digni, in quorum honorem offeratur Deo sacrificium, poterunt Missæ votiuæ celebrari in honorem ipsorum, sicut celebrantur de Sanctis canonizatis. 8

Pro solutione autem argumentorum in oppositum est aduertendum, quod cultus publicus deferri potest Sanctis, & Beatis duplici modo, & proinde etiam duplici modo offerri Deo sacrificium in honorem ipsorum. Primo modo deferri potest tanquam canonicè, & auctoritatiuè institutus, seu secundum illam formam quam instituit Ecclesia pro honorandis Sanctis, & Beatis. Et hoc pacto certum est non posse deferri, nisi interueniat auctoritas Sedis Apostolicæ decernentis ipsum cultum, modum, & formam: & talis est cultus venerandi quotannis Sanctos, & Beatos cum celebratione officij, quo impleatur obligatio horarum canonicarum, & Missæ, qui modus institutus est ab Ecclesia pro canonico, & auctoritatiuo ad venerandos eos, erga quos profitetur specialem cultum. Secundo modo deferri potest ex priuata deuotione, & hoc modo non requiritur auctoritas Ecclesiæ specialiter decernentis, quod exhibeatur talis cultus, sed sufficit, quod declarauerit Sanctum, seu Beatum dignum tali cultu; & in genere approbauerit qualitatem cultus. Et in hoc genere est celebratio Missæ votiuæ, quæ est cultus publicus in genere à Sede Apostolica approbatus: sicut etiam recitatio 9

officij,

officij ex deuotione, dummodo non recitetur pro implenda obligatione Horarum Canonicarum, quod autem pro exhibendo hoc cultu non requiratur specialis indulgentia Sedis Apostolicæ, sed sufficiat, quod cultus sit approbatus, & Beatus iudicatus dignus, ex eo constat, quod non defertur Canonico, & auctoritatiuo modo; sed ex priuata deuotione; & non requiritur, quod noua auctoritas Sedis Apostolicæ interponatur, alioquin non esset amplius ex priuata deuotione sed auctoritatiuus, & Canonicus.

10 Ad 1. resp. Ex illo cap. seu tex. confirmari secundam sententiam. Quia vt constat ex contextu mens Pontificis est; quod non possimus aliquem venerari pro Sancto, aut Beato, nisi id concedatur auctoritate Sedis Apostolicæ. Non autem determinat aliquid circa qualitatem, aut quantitatem cultus exhibendi. Qui autem sunt beatificati, auctoritate Sedis Apostolicæ sunt declarati digni, vt possint honorari celebratione missæ. Et proinde stante institutione missarum votiuarum facta per Sedem Apostolicam adest facultas in genere celebrandi missas votiuas in honorem ipsorum. Cum auté subditur, quod hoc excedit coarctationem cultus concessi. Resp. Non excedere, quia cultus concessus est Canonicus, & auctoritatiuus, in quo genere non est celebratio missæ votiuæ, & ideò non importat excessum cum sit excessus in eodem genere. Sed est cultus ex priuata deuotione in genere concessus ab Apostolica Sede.

11 Ad 2. In Beatificatione duo interuenire, & declarationem, quod aliquis sit Beatus, & concessionem cultus Canonici, & auctoritatiui. Primum non est priuilegium, quia per ipsum non conceditur aliqua gratia aut Beatis, aut alteri, sed proceditur cum rigorosa cognitione causæ, & statuitur quid iuris sit ex resultantia virtutum, & miraculorum circa cultum debitum ipsis Beatis. Secundum autem est priuilegium concessum intuitu Beatorum Religioni alicui, aut particulari Ecclesiæ; & quoad hoc non potest fieri aliqua extensio. Per missam autem votiuam ex priuata deuotione non fit extensio huius priuilegij, quia cum sit cultus alterius generis non extendit concessum Nec etiam fit extensio declarationis, quia comprehenditur sub cultu, quo iudicatus est dignus ipse Beatus.

12 Ad 3. Quod sicut gratia concessa ad instantiam partis consistit in Concessione cultus Canonici, & auctoritatiui, & specialiter decreti in honorem beati, ita hic cultus est mensurandus secundum petitionem, & proinde non poterit extendi ad alias Ecclesias, seu loca, atque personas vltra expressas in concessione, nisi forte adsit aliud priuilegium, quod ipsum extendat iuxta ea, quæ dicta sunt in superioribus. Et eodem modo soluendum est etiam quartum argumentum; nam verba clara concessionis faciunt, quod vltra ipsa verba non possit extendi concessio. Concessio autem, cum sit tantum de cultu Canonico, non extenditur si deferatur alius cultus ex priuata deuotione.

13 Ad 5. Inter Canonizatum, & beatificatum, quoad Missas votiuas, quæ in ipsorum honorem celebrari possunt ex priuata deuotione, nullum adesse discrimen, cum æquè in honorem vtrorumque celebrari possint. Illud autem est discrimen, quod Canonizatio continet vltimum, & definitiuum iudicium summi Pontificis de sanctitate, quò omnes obligantur ad sentiendum Canonizatum frui in cœlo æterna beatitudine. Beatificatio verò non est diffinitiuum iudicium, sed veluti interloquutorium, nec obligat ad sentiendum beatificatum esse beatum, & vt talem posse honorari. Quod si vltra concedat celebrationem officij, & Missæ in die transitus ipsius ad æternam felicitatem hoc facto declarat, esse dignum, cui deferuntur huiusmodi honores, vt dictum est.

Ex dictis infertur, quomodo ijs, quæ dicta sunt 14
non obstet Decretum quoddam S. Rituum Congregationis. De quo, licet non constet, an authenticum sit, attamen admisso tanquam authentico, quod est tenoris subsequentis, prout circumfertur, *S. Rituum Congregat. die 5. Octobris 1652. censuit, & declarauit, si sanctitati Domino nostro placuerit, non potuisse, nec posse, tam sæculares, quam Regulares cuiuscunque Ordinis, & Instituti etiam Societatis Iesu excedere limites verbales Indultorum Sedis Apostolicæ super beatificationibus præsertim in celebratione Missarum, & Officij cum Octauis, nisi hoc expresse sedes Apostolica eis indulserit; & facta relatione per me Cardinalem Cornelium Episcopum Albanensem die 16. Decembr. 1652. Sanctitas sua approbauit, & sicut præmittitur seruari mandauit F. Episcop. Albanens. Cardin. Cornel. Bernardin. Roccius S. R. C. Secret.* In hoc enim Decreto disponitur de cultu qui per speciale indultum conceditur à Romana sede quoad beatificatos, qui proinde est cultus Canonicus, & auctoritatiuus: & ideò in hoc cultu non possunt excedi termini verbales. Vnde si Missa in die anniuersario horum beatorum sit concessa pro certo tantum loco, non poterit alibi celebrari, & si sit concessa certis tantum personis, non poterit ab alijs celebrari, sicuti nec etiam celebrari poterit ab aduentantibus, nisi hoc sit in concessione expressum: & idem proportionaliter dicendum est de Officio. Et proinde sistendum est in verbalibus terminis concessionis. Missa autem votiua non venit sub hac dispositione, quia non est cultus Canonice, & auctoritatiue delatus in honorem talis beati, nec solet in indultis specialiter concedi, quia cum celebretur ex speciali deuotione sufficit, si is, in cuius honorem celebratur, sit iudicatus dignus tali honore, nam ex hoc venit in consequentiam facultas celebrandi Missam votiuam ex priuata deuotione.

Secundò infertur. Non subsistere doctrinam Granadi 2. 2. *controuer.* 1. *tract.* 7. *disput.* 4. *sect.* 2. *num.* 16. quam sequitur Tamburin. licet, non approbet rationem Granadi *Opusc. de sacrific. Miss. lib.* 2. *cap.* 6. §. 8. *num.* 16. Nempe quod si in Indulto, non adsit dictio, *Tantum*, posse celebrari Missam etiam per alios Sacerdotes, quod Tamburin. admittit, etiamsi adsit dictio, *Tantum*, asserens, quod hæc dictio, *Tantum*, operatur quod solis personis expressis concedatur positiuè celebratio Missæ, vnde facerent contra Rubricas, si illam non celebrarent, non tamen tollit, quia cæteris concedatur permissiuè. Hoc in quam subsistere non potest. Tum quia permissiua, & positiua concessio in hoc casu haberet eumdem effectum, quoad cultum beato exhibendum, & ideò parum referret, quod positiuo, aut permissiuo modo se haberet. Tum quia siue adsit, siue non adsit dictio, *Tantum*, semper dispositio coarctat cultum taxatiuo modo, & proinde dictio, *Tantum*, tacitè inest, & si exprimatur, inseruit tantum pro maiori declaratione. In his enim concessionibus, dispositio est coarctata ex natura sua ad id solum, quod exprimitur. 15

Est enim quædam liberalis concessio, & proinde 16
aut habet vim, & naturam priuilegij, aut saltem ipsum imitatur. Et ideò non potest extendi vltra ea, quæ expresse concessa sunt, *l. si non sortem, §. libertas, ff. de condit. indeb.* & cap. *cum capella. de priuileg.* & cap. *Ex tuarum, de auct. & vsu pal.* & tradunt communiter Doctores Francus *in cap. Valentes, num.* 2. *de priuileg. in* 6. Ias. *in l.* 1. *num.* 4. *ff. de constit. princip.*

Alexand.

Digitized by Google

Alexand. *Consil.* 86. *num.* 2. *lib.* 1. Rota *coram Seraphino, decis.* 605. *num.* 3. & *decis.* 324. *num.* 12. *part.* 5. *Recent.*

17 An autem stante hac restrictione cultus Canonici, & qualiter peccaret, qui non comprehensus sub Indulto celebraret Missam festiuam talis beati, aut comprehensus, celebraret extra locum, pro quo concedit Indultum, resp. Granad. 2.2. *controuer.* 1. *tract.* 7. *disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 17. Quod non peccaret mortaliter, si semel, aut bis quis celebret, quia cum celebratio sit licita, non est grauis inordinatio, quod mutetur altare, aut Ecclesia. Et quidem si sit ex personis priuilegiatis; & celebret extra Ecclesiam, pro qua concessum est indultum concurrente rationabili causa nullum erit peccatum, quia priuilegium non tam est concessum loco, quàm personis, ad quas pertinet beatus. Si verò sit extraneus, itavt ei concedatur tantum, quia accedit ad Ecclesiam, in qua celebratur, tunc quia solum potest participare priuilegium ratione loci est eadem ratio de ipso, ac de cæteris, quibus nullo modo conceditur celebrare.

18 Hi ergo, etiamsi semel tantum celebrent, videtur grauiter peccare, nisi ex bona fide excusentur, quia grauiter lædunt Sedem Apostolicam, dum propria auctoritate extendunt cultum Canonicum: seu potius dum exhibent cultum tanquam Canonicum, qui non est Canonicus quoad ipsos, non secus, ac si quis non priuilegiatus in re graui se gereret tanquam priuilegiatum, & contra leges vteretur priuilegio. Facilè tamen excusari poterit ex bona fide, quæ persuadente deuotione potest facili modo subrepere. Imò si celebraret ex speciali feruore deuotionis erga beatum, præsertim si aliquam gratiam ab ipso recepisset, posset excusari ex benigna voluntate interpretatiua Summi Pontificis, cum sit probabile, quod non intendat impedire specialem feruorem deuotionis, cum talis feruor non sit, nisi ex speciali motione Spiritus Sancti.

QVÆSTIO 278.

An Regulares possint extra suas Ecclesias celebrare de suis beatis.

SVMMARIVM.

1. *Religiosi an possint celebrare extra suas Ecclesias de suis beatis.*
2. *Priuilegia possunt extendi quatenus admittit propria verborum significatio.*
3. *Priuilegium concessum Religiosis de suis beatis est personale.*
   Verba concessionis directa ad personas faciunt priuilegium personale.
   Priuilegium personale sequitur personam.

1 DIcendum est, *Religiosos posse de suis beatis extra proprias Ecclesias celebrare ijs diebus, pro quibus est concessa facultas celebrandi.* Ita etiam Quintanaduen. *tom.* 1. *singul. tract.* 7. *singul.* 7. *num.* 2. Ratio est; quia in indultis Pontificijs pro huiusmodi celebratione solet poni clausula, *Omnibus religiosis vbique terrarum existentibus.* Ergo si facultas conceditur pro, *Vbique*, non coarctatur ad ipsorum Ecclesias, quia tunc non vbique existentes celebrare possent, quia possent existere in aliquo loco, in quo non haberent propriam Ecclesiam: vnde ibi non possent celebrare; nec verificarentur verba indulti, quod vbique existentes possent celebrare, quia alicubi non possent.

Dices. Ista verba intelligi de vbique existentibus permanenter, atque adeò vbi habent proprias Ecclesias, seu Oratoria in quibus celebrent. Verum hæc explicatio restringit priuilegium infra propriam verborum significationem; nam vbique existere non significat existentes permanenter, sed quocunque modo existentes, & hæc acceptio est secundum naturalem significationem verborum. Priuilegia autem, sicut non sunt extendenda vltra propriam verborum significationem, ita extendi possunt, quatenus ipsa admittit, vt docent communiter cum Gloss. *in Clemen. per litteras* verbo, *directas, de prabend.* Alexand. de Næuo *in cap. quia circa, num.* 16. *de consanguinit. & affin.* Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 1. *num.* 5. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 28. *num.* 15. 2

Confirm. Priuilegium concessum religiosis celebrandi de suis beatis est personale; quia verba concessionis diriguntur ad personas, & proinde reddunt priuilegium personale, vt tradunt communiter Gloss. *in cap. Tua. de his, quæ fiunt à Prælat.* Bart. *in l.* 1. *numer.* 2. *ff. de constit. Princip.* Craueta *consil.* 239. *num.* 4. Ruin. *consil.* 217. *num.* 15. *in fine vol.* 1. Barbosa *in l. quia tale, num.* 5. *ff. soluto matrimonio,* Alciat. *consil.* 7. *num.* 16. *lib.* 4. Lecerier. *lib.* 3. *de primogen. quæst.* 1. *num.* 3. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 3. *num.* 10. Priuilegium autem personale non est affixum loco, sed sequitur personam, *l. In omnibus, ff. de reg. iur.* & cap. *Priuilegium, de reg. iur. in* 6. 3

QVÆSTIO 279.

An si dies festus beati occurrat in die, in quo de ipso celebrari non potest, transferendum sit officium.

SVMMARIVM.

1. *In celebratione Missæ, & officij beatorum non possunt excedi limites verbales concessionis.*
2. *Officium de beatis transfertur, quando non potest celebrari die occurrenti.*
   Quæ præscribunt Rubricæ seruandi in celebratione officij beatorum.
3. *Facta translatione officij beatorum possint confluentes celebrare Missam.*
   Principale trahit accessorium.
   Concessum pro principalibus est concessum etiam pro accessorijs.
4. *Confluentes an possint celebrare Missam infra octauam beati, si celebretur.*
   Dies natalitius extenditur ad totam octauam.
   Dies significat secundum subiectam materiam.

OCcurrere potest dies festus alicuius beati in aliquo tempore, in quo de ipso neque Missa celebrari, neque officium recitari possit, vt si occurrat in hebdomada maiori, in festis Paschatis, Pentecostes. Vnde dubitatur, an tunc locum habeat translatio, sicut habet in festis Canonizatorum. Ratio dubitandi oritur ex Decreto S. Congregat. *sub die* 5. *Octobris* 1652. in quo statuitur, super beatificationibus in celebratione Missæ, & officij non posse excedi verbales limites indulti Pontificij. Cum ergo indultum Pontificium concedat celebrationem pro die transitus ad gloriam; non videtur posse habere locum translatio, quia hæc esset vltra verbales limites indulti. 1

Tenendum tamen est, *Quod possit transferri non secus, ac transfertur celebratio de Sanctis Canonizatis.* Ita supponit etiam Quintanaduen. *tom.* 2. *singul.* 2

tract.

tract. 7. singul. 7. num. 4. Ratio est; quia in indultis beatificationum ita conceditur celebrari officium, & Missam in die transitus beatorum ad æternam felicitatem, vt tamen addatur clausula, *Iuxta Rubricas Missalis, & Breuiarij Romani.* Ergo est concessa celebratio cum facultate transferendi quando dies est impeditus: quia stante tali impedimento Rubricæ præscribunt translationem. Dictio autem, *Iuxta*, cum referat concessionem celebrationis ad Rubricas, operatur, quod in omnibus debeat conformari Rubricis,& quæcunque in ipsis præscribuntur, locum habeant in celebratione iuxta ea, quæ tradunt Gloss. *in cap. Abbate, §. preterea, de verbor. significat.* Alexand. *consil.* 81. *num.* 6. *lib.* 6. Rota *decis.* 40. *part.* 2. *diuer.* & *decis.* 586. *num.* 2. *part.* 1. *recent.*

3 An autem quando sequuta est translatio, possint confluentes ad Ecclesias Religiosorum celebrare Missam de beatis, de quibus in Ecclesia celebratur ratione translationis. Negat Quintanaduen. *tom.* 1. *singul. tract.* 7. *singul.* 7. *num.* 4. Verum oppositum est tenendum. Quia celebratio pro confluentibus est concessa ab Apostolica Sede accessoriè ad celebrationem concessam pro Religiosis, aut pro ijs, in quorum Ecclesijs celebratur festum beatorum. Principale autem trahit secum accessorium, *l.* 2. *ff. de iurisdict. om. ind.* & cap. *Prudentiam, §. si vero, de offic. deleg.* Vnde cum concessa sit translatio celebrationis pro principalibus erit etiam concessa pro confluentibus iuxta ea quæ tradunt Crauetta *de antiquo temp. part.* 4. *§. Videamus modo, num.*36. Oldrad. *consil.* 215. *num.* 14. ver. *Vltimo videtur.* Feder. de Senis *consil.*163. *in princip.* ver. *In contrarium.*

4 Sed quid, si celebretur cum Octaua, vel quia sit Patronus loci, vel Fundator Religionis, vel ex aliquo alio capite? poteruntne confluentes celebrare Missam de beato per Octauam. Negat Quintanaduen. *tom.* 1. *singul. tract.* 7. *singul.* 7. *num.* 4. Quia concessio est tantum pro ipso die festo, seu natali beati. Verum oppositum est probabilius; quia nomine diei celebritatis alicuius Sancti venit tota Octaua, vnde etiam in Officio,& in Missa celebratur tanquam eadem dies, & tota Octaua vocatur, dies natalitius, dies hodierna, dies in qua celebratur sit illud mysterium, quod tunc recolitur, &c. Ergo dies, pro qua conceditur celebratio de beatis, si habet annexam Octauam, extendetur ad totam Octauam, etiam secundum limites verborum, quia dies significat secundum subiectam materiam, *l. cum pater, §. donatum, ff. de leg.* 2. & *l. Flumimum, §. hæc stipulatio, ff. de dam. infect.* & cap. *constitutus, de relig. domib.* & notant Alexand. *consil.* 37. *num.* 5. *lib.* 3. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancel. Gloss.* 84. *num.* 53. Surd. *consil.*453. *num.* 53. Rota *coram seraph. decis.*398. *num.* 7. & coram Merlino, *decis.* 607. *num.* 5. Cum autem subiecta materia sit dies festiuus habens annexam Octauam, significabit totam Octauam. Rursus cum concessio sit facta iuxta Rubricas Breuiarij, & Missalis Romani, & secundum has dies festiuus, quando celebratur cum Octaua celebratur per totam Octauam, erit eò ipso facta pro tota Octaua, quod est facta pro die festiuo. Ex quibus constat, quod non obstat Decretum S. Congregat. de quo *num.* 1. quia stando intra limites verborum est concessum pro tota Octaua confluentibus celebrare de beatis.

QVÆSTIO 280.

An reuocatis viua vocis Oraculis, remaneat reuocata facultas celebrandi aliquas speciales Missas, & officia viua vocis Oraculo concessa.

SVMMARIVM.

1. *Facultas viuæ vocis oraculo concessa celebrandi de aliquibus Sanctis an reuocata.*
2. *Quæ suadeant non fuisse reuocata.*
3. *Est reuocata.*
   Facultas celebrandi de aliquibus Sanctis est priuilegium.
4. *Per priuilegium conceditur aliquid speciale.*
5. *Nimia extensio non est finis reuocationis viuæ vocis oraculorum.*
6. *Declaratio nil noui dat, sed datum significat.*
7. *Obseruantia subsequuta quando declaret legem.*
8. *Quæ viuæ vocis oracula non sint reuocata.*

QVod per reuocationem viuæ vocis Oraculorum, non sit reuocata facultas celebrandi de aliquibus Sanctis tàm Officia, quàm Missas, licet viuæ vocis oraculo concessa loquendo de facultate concessa à Paulo V. Fratribus Minoribus recitandi quolibet Sabbatho non impedito festo nouem lectionum, tradit Guinipau. *in defens. iur. Pontific. dup.* 5. *quæst.* 1. *num.* 10. *& sequent.* Pro cuius confirmatione supponit doctrinam Nauarri *de orat. & hor. can concl.* 9. Quod priuilegia concessa Regularibus super recitatione diuini Officij, non sint vera priuilegia, sed iuris communis declarationes; quo posito. 1

Prob. 1. quia quoad hæc viuæ vocis Oracula cessat adæquatè finis legis reuocantis, qui est quod hæc oracula extendebantur contra ius Canonicum in detrimentum disciplinæ Ecclesiasticæ, quod non habet locum quoad has celebrationes. Secundò, concessio de his officijs, & Missis est declaratio ritus, & formæ accidentalis officij diuini, & proinde non continetur sub reuocatione, quia reuocantur tantum priuilegia, facultates, licentiæ, & gratiæ. Tertiò; hæc reuocatio non extenditur vltra mentem summorum Pontificum reuocantium, non est autem verisimile, quod voluerint reuocare celebrationes horum officiorum, & Missarum. Quod etiam declarauit obseruantia subsequuta, nam Fratres Minores continuauerunt celebrationem Officij de conceptione in Sabbathis. Obseruantia autem subsequuta declarat legem, itavt attendatur magis interpretatio ex obseruantia, quàm proprietas verborum, vt tradunt communiter Doctores. 2

Tenendum tamen est, *Hæc quoque viuæ vocis Oracula de celebratione Missarum, & Officiorum esse reuocata.* Ita specialiter Quintanaduen. *tom.* 2. *singul. tract.* 2. *singul.* 17. *num.* 5. Ratio est; quia concessio recitandi hæc Officia, & celebrandi has Missas continet aliquem specialem fauorem, & beneficium Pontificis, quod conceditur priuatis personis: & proinde importat id, in quo consistit natura priuilegij ex cap. *Abbate, de verbor. significat.* & cap. *In his, de priuileg.* & notant Abbas, & Dec. *in Rubr. de rescriptis.* Rursus hæc concessio est facta specialibus personis, seu priuatis, & non toti communitati, & proinde est lex priuata; vnde etiam ex hoc capite erit priuilegium iuxta cap. *Priuilegia. distinct.* 3. Si autem hæ concessiones sunt priuilegia, 3

gia, continebuntur sub reuocatione viuæ vocis Oraculorum.

4 Imo si ad priuilegium requiratur, quod concedatur per ipsum aliquid speciale contra leges, vt sentiunt Bar. *in l. si finita*, §. *Ex hoc edicto. num.* 5. *ff. de dam. infect.* Milis *in reper. verbo. Priuilegia differunt à benefic.* Ioan. Andr. *in cap. cum olim. de priuileg. ad Glos. fin.* Ripa *in Rubr. de rescript. num.* 19. & 24. Dec. *num.* 23. & alij in *l. fin. ff. de constit. princip.* Ex hoc quoque capite huiusmodi concessio erit priuilegium, & proinde contentum sub reuocatione. Nam adest lex communis, & generalis in Bulla Pij V. quod non possint recitari officia, & missæ nisi secundum præscriptionem Breuiarij, Missalis, & Rubricarum; cum autem huiusmodi concessiones concedant aliquid contra hanc legem erunt propriæ priuilegia.

5 Ad 1. resp. Illum finem, non esse finem adæquatum reuocationis, alioquin dicendum esset, quod eo tantum viuæ vocis Oracula sint reuocata, quæ plus æquo extenduntur, imo nulla essent reuocata, quando plus æquo non extenderentur. Quod autem non sit causa finalis adæquata, constat ex verbis constitutionis reuocatoriæ Vrbani VIII. nam cum dictam causam expressisset, subdit. *His, & alijs malis occurrere volentes.* Quibus significauit, se moueri etiam ex alijs causis.

6 Ad 2. neg. talem concessionem esse declarationem iuris communis cum concedat aliquid contra prohibitionem iuris. Alioquin si esset declaratio iuris communis, de iure communi liceret omnibus celebrare tales missas, & officia quod tamen est falsum. Declaratio enim nihil noui dat, sed quid datum sit, significat, *l. Hæredes palam*, §. *si quia post factum, ff. qui testament. fac. pos.* Deinde vt constat ex dictis, talis concessio est propriè priuilegium, & facultas, quod etiam ex eo constat, quia ante hoc viuæ vocis Oraculum non adest facultas pro tali celebratione, post ipsum autem adest, & proinde per ipsum conceditur facultas, atque adeo & tanquam priuilegium, & tanquam facultas continetur sub reuocatione.

7 Ad 3. Hanc reuocationem non extendi quidem vltra mentem Summorum Pontificum. Ex verbis tamen reuocationis constare de mente, quod scilicet etiam huiusmodi viuæ vocis Oracula sint reuocata, quia veniunt sub nomine priuilegij, facultatis, gratiæ, &c. Quod additur de obseruantia, verum quidem est, quia obseruantia subsequuta declarat omnes leges, quando sunt dubiæ, secus autem quando sunt claræ, qualis est præsens reuocatio, *l. ille, aut ille, ff. de leg.* 3. & *l.* 3. *in fine, C. de liber. præteritis*, & notant Castrensis *in l. hæredes palam*, §. *si quid, ff. de testam.* Surd. *consil.* 416. *num.* 43. Rota *coram Seraph. decis.* 1108. *num.* 7. & coram Ludouic. *decis.* 284. *num.* 5. & coram Merlino *decis.* 792. *num.* 13. & *decis.* 196. *numer.* 7. *in recent.* Quod si adhuc ita obseruatur apud Fratres Minores. Hæc obseruantia non in viuæ vocis Oraculo, sed in Priuilegio expeditis litteris concesso, vt notat Quintanadnen. *tom.* 1. *singul. tractat.* 8. *singul.* 13. *num.* 2. *& sequent. fundabitur.*

8 Hæc tamen, quæ dicta sunt limitari debent, vt locum non habeant quoad viuæ vocis Oracula, quæ ante constitutionem Gregorij XV. effectum sortita sunt, etiam si habeant tractum successiuum, ita enim declarauit S. Episcop. & Regular. Congregat. 11. *April.* 1625. & 4. *Decemb.* 1648. vbi quod neque per constit. Vrbani VIII. reuocata sunt, vt refert Nicolius in Floscul. *verbo* Viuæ vocis Oracula, *num.* 1.

DE MISSIS DEFVNCTORVM.

PLVRA quæ dicta sunt de Missis votiuis, conueniunt etiam Missis defunctorum, vt obseruatum est, cum de ipsis ageretur, vnde hic ea modo repetenda non sunt; & ideo illæ tantum difficultates resoluendæ sunt quæ propriæ sunt Missæ pro defunctis, & quæ ex dictis non remanent resolutæ.

QVÆSTIO 281.

An Missa priuata pro defunctis celebrari possint quocunque die.

SVMMARIVM.

1. *Missa defunctorum non congruunt cum solemnitate festorum.*
2. *Missa pro defunctis quibus diebus celebrari possint.*
3. *Missæ priuata defunctorum an celebrari possint omnibus diebus exceptis duplicibus, & festis de præcepto.*
   In ferijs priuilegiatis an possint celebrari Missa defunctorum.
4. *Vincens vnum vincit omnia, quæ ab ipso vincuntur.*
5. *Exceptio firmat regulam in contrarium.*
   Exceptio declarat, quod veniat in concessione quicquid non est exceptum.
6. *Ex vi Rubricarum quibus diebus celebrari possint Missæ defunctorum.*
7. *Vincens vnum, quando vincat omnia, quæ ab ipso vincuntur.*
8. *Cur aliquando excludantur Missæ votiuæ, & non defunctorum.*

MIssæ pro defunctis minus conueniunt cum solemnitate festorum, quàm conueniant votiuæ; 1
si quidem cum mœstitia celebrantur, & etiam maiori, quàm celebrentur Missæ tempore pœnitentiæ, vt sunt missæ quadragesimæ, & ieiuniorum, vt constat ex colore paramentorum, & ex omissione eorum quæ quamdam lætitiam, & gaudium in alijs Missis concernunt. Et ideò, licet qualitas missæ non cadat sub graui obligatione, attamen, si absque causa rationabili celebrarentur in festis solemnioribus, non posset saluari, quin esset peccatum mortale ratione circumstãtiæ, nam valde detraheret solemnitati diei, & contineret quemdam virtualem contemptum ipsius.

Quod autem spectat ad alios, est certum, quod 2
celebrari possunt ijs omnibus diebus, in quibus celebrari possunt missæ votiuæ, vt desumitur ex Rubr. generalib. Missal. *tit.* 5. *numer.* 2. & proinde celebrari poterunt in ferijs, & festis semiduplicibus. An autem interuenire debeat rationabilis causa, sicut requiritur in missa votiua, vt passim celebrari possint sicut habet Rubrica, videtur negatiuè resoluendum; quia quando Rubrica agit de missis pro defunctis, non meminit causæ rationabilis, sed absolutè dicit, *Missa autem priuata pro defunctis*

functis quocunque die dici possunt, præterquam in festis duplicibus, & Dominicis diebus. Cuius rei ea ratio esse potest, quia suffragari defunctis videtur causa sufficiens, & rationabilis ad eas celebrandas, & quæ præponderet conformitati Missæ cum Officio.

3 Difficultas autem est, an in omnibus diebus, qui non sunt dies Dominici, nec festa duplicia celebrari possint Missæ priuatæ defunctorum, & faciunt difficultatem feriæ priuilegiatæ, in quibus neque fit de festis duplicibus, & dies infra Octauas priuilegiatas, in quibus similiter non fit Officium de festis duplicibus; quod autem in his diebus non possint celebrari missæ defunctorum, tradit Gauant. *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 5. numer. 2. littera A.* Quia si isti dies non admittunt festa duplicia, à fortiora excludent Missas pro defunctis.

4 Et pro hac parte facit regula, quod vincens vnum, vincit etiam omnia, quæ ab ipso vincuntur, *l. de accessionibus, §. Et si mihi pignori, ff. de diuer. & temp. præscript.* & *l. Æquissimum, ff. ad Turpil.* & obseruant Glos. *in Authent. defunct. verbo,* Proximis *C. ad Orfic.* Socin. *consil.* 212. *init. lib.* 2. Euerar. *in Topica, iur. loco* 67. Tusch. *littera V. conclus.* 208. Vnde si dies isti vincant duplicia, cum duplicia vincant missas defunctorum, vincent etiam easdem missas tanquam victas à duplicibus.

5 Econtra verò obstare videtur Rubrica, quia excludit tantum festa duplicia, & Dominicos dies, vt constat ex illis verbis, *præterquam in festis duplicibus, & Dominicis diebus*; vnde si excluduntur tantum hi dies, cæteri remanent inclusi; & inferat Regula, quod exceptio firmat regulam in contrarium, *l. quæsitum, §. denique, ff. de fun. instruct. leg.* & notant communiter Gloss. *in Rubr. de reg. iur. in* 6. Bat. *in l.* 1. *in fine, ff. de reg. iur.* Dec. *ibid. numer.* 20. Cagnol. *numer.* 31. *&* 34. Roman. *consil.* 83. *numer.* 3. Bald. *consil.* 131. ver. *Super secundò, lib.* 1. Alexand. *consil.* 107. *numer.* 2. *lib.* 7. Et proinde facit, quod cæteri dies præter exceptos veniant in Regula.

6 Præsertim quia exceptio declarat, quod veniat in concessione, quicquid non est exceptum, vt tradunt Alexand. *consil.* 63. *numer.* 2. *lib.* 6. Natta. *consil.* 159 *numer.* 31. Aretin. *consil.* 142. *numer.* 2. Decian. *in l.* 1. *numer.* 20. *ff. de regul. iur.* Ripa *in l.* 2. *§. quod si in patris, numer.* 13. *ff. Soluto matrim.* Ludouic. *decis.* 257. *numer.* 6. Rota *in Romana legatorum* 30. *Martij* 1601. *coram Coccino.* Et ideo cùm Rubrica excipiat solum festa duplicia, & dies Dominicos, concedit, quod in cæteris omnibus diebus celebrari possint missæ defunctorum.

7 Itaque quantum est ex vi Rubricarum, nisi obstet aliqua declaratio S. Congregationis, censerem, posse celebrari missas defunctorum omnibus diebus exceptis Dominicis, & festis duplicibus. Neque obstat regula, quod vincens alium, vincat etiam omnia, quæ ab ipso vincuntur. Nam vt locum habeat, debet comparatio inter vincentem, & victum fieri quoad ea, quæ sunt eiusdem Ordinis, & rationis, vt obseruant Bar. *in l. Cornelius,* ver. *Venio ad vltimam, ff. qui pot. in pign. hab.* Angel. *consil.* 252. Oldrad. *consil.* 198. *numer.* 6. Tusch. *littera V. conclus.* 2·8. *num.* 13. *& seq.* quod non contingit in casu præsenti; quia quando dicti dies comparantur ad duplicia, quæ vincantur, secundum celebritatem officij, & per consequentiam secundum missam, quæ trahitur ab officio comparantur, & ideo celebritas horum dierum manutenetur contra celebritatem duplicium; quia si hæc præualeret, cederet illa omnino, nec amplius locum haberet, cum non possit transferri, sicut transferuntur duplicia. At quando celebritas diei comparatur ad missas defunctorum, non comparatur vt ad aliam celebritatem diei, & officij, sed vt ad quid extraneum, & quod non perturbat celebritatem diei, sed illam relinquit in sua possessione.

Dices, In his diebus excluduntur missæ votiuæ, 8 quamuis non excludant celebritatem diei: ergo excludentur etiam missæ defunctorum. Resp. neg. conseq. quia in missis votiuis non vrget ea ratio, quæ vrget in missis defunctorum: nam defuncti sustinent grauissimas pœnas, & ideò est opus maximæ pietatis ijs subuenire, iuxta illud 2. Machab. cap. 12. *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis absoluantur.* Quod cum per missas defunctorum modo præcipuo obtineatur, debent admitti ab Ecclesia, quò frequentiùs fieri potest.

QVÆSTIO 282.

An quando officium est duplex, celebrari possint Missæ defunctorum.

SVMMARIVM.

1. *Quando officium est duplex celebrantur Missæ defunctorum pro implenda vltima voluntate.*
2. *Vltima voluntas omnino implenda.*
   Non comprehenditur, nisi de ea fiat specifica mentio.
3. *Missæ priuatæ defunctorum an celebrari possint ratione exequiarum in diebus, in quibus non conceduntur.*
4. *Institutio certorum dierum pro defunctis præualet Rubricis.*
   Lex specialis posterior derogat generali.
5. *Missæ priuatæ vt accessoria conceduntur concessa solemni pro defunctis.*
   Concesso principali conceduntur etiam accessoria.
   Concessa sepultura conceditur delatio defuncti, celebratio, &c.

DIcendum 1. *Quando officium est duplex celebrari possunt Missæ defunctorum pro implenda vltima voluntate testatorum, seu fundatorum.* Hoc tamen intelligi debet quando officium duplex non est festum de præcepto. Ita Gauantus *in rubr. missal. part. 1. titulo 5. n. 2. littera A.* ver. *Sacra tamen,* Garzia *in sum. tr. 3. difficult. 8. dub. vlt. punct 2. n. 21.* Tamburin. *Opusc. de sacrific. miss. lib. 2. cap. 6. §. 2. n. 1.* Quartus *in rubr. missal. part. 1. tit. 5. dub. 2. difficult. 3.* ver. *Respondeo.* Et ita declarauit S. Congreg. Rituum, *die 1. Septemb.* 1607. & 20. *Iunij* 1626. apud Gauant. citat. 1

Ratio autem est; quia licet Rubricæ generaliter excludant celebrationem missarum priuatarum pro defunctis, hæc tamen exclusio non se extendit ad infringendas vltimas voluntates; quia cum vltima voluntas sit valde priuilegiata, itavt tanquam Regina primum locum teneat, ad vnguem seruari debeat, nec sit circumuenienda, sed certi iuris esse debeat, vt per *l. in conditionibus, ff. de condit. & demonstrat.* Probat Ioan. de Castil. *de coniectur. vlt. volun. cap. 18. num. 1. & seq.* in nulla dispositione censetur comprehensa; nisi de ea fiat specifica mentio, si quidem est digna speciali nota, iuxta cap. *fin. de praben.* & cap. *cum clerici, de verbor. significat.* & *l. Eos, C. de aquad.* & obseruant Alexand. *consil.* 104. *in fine lib.* 1. Craueta *consil.* 880. *num.* 19. Afflict. *decis.* 111. *num.* 9. 2

Malor

3 Maior difficultas est, an possint celebrari Missæ priuatæ in duplicibus, quæ non sunt de præcepto, quando potest celebrari Missa solemnis, vt in die depositionis; in anniuersario, in die tertio, septimo, & trigesimo. Negat Gauant. *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 5. num. 2. littera X. in fine.* Quia Rubrica absolutò excludit dies, in quibus celebratur Officium duplex, *vt tit. 5. num. 2. in fine,* Rubr. general. Probabile tamen putat, quod possint celebrari Quartus *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 5. dub. 2. difficult. 1.* ver. *Dico tertio.*

4 Dicendum 2. *Probabile esse, quod in die obitus, seu depositionis, tertio, septimo, & trigesimo, possint celebrari etiam Missæ priuatæ, licet officium sit duplex.* Ratio est; quia huiusmodi dies sunt speciali modo instituti ab Ecclesia ad suffragandum defunctis oblatione sacrificij, & specialibus Liturgijs his diebus accommodatis, vt constat ex Missali Romano: ergo cum ex vna parte concurrat institutio Ecclesiæ, & ex altera concurrant Rubricæ, debent cedere Rubricæ, quatenus præscribunt, quod in festis duplicibus non celebrentur Missæ de Requiem, quia debent explicari, quod non sint contrariæ institutioni Ecclesiæ, & proinde quod nolint celebrari, quando in his diebus non concurrit institutio Ecclesiæ, quia in hoc casu concurrunt Rubrica generalis tanquam lex, & ex alia parte institutio Ecclesiæ tanquam alia lex specialis, vnde si Rubrica sumitur tanquam prior, institutio Ecclesiæ tanquam posterior, & specialis derogabit Rubricæ, cum lex specialis posterior, quatenus contraria deroget generali, vt tradunt Bat. *in l. sed & posteriores, ff. de legib.* Angel. *in l. non est nouum, eod. tit.* Dec. *in l. in toto iure, num. 7.* ver. *Et quando genus, ff. de reg. iur.* Cagnol. *ibid. num. 8.* Menoch. *præsumpt. 38. num. 8. lib. 6.* Suarez *lib. 6. de legib. cap. 17. num. 12.* Et communiter, si vero institutio Ecclesiæ est prior, Rubrica illam non abrogabit, sed institutio derogabit Rubricæ, vt statuitur in cap. 1. *de constit. in 6.*

5 Præterea, Missæ priuatæ sunt accessoriæ ad Missam solemnem, & pertinent ad complementum exequiarum, seu Officij: ergo si in dictis diebus conceditur missa solemnis de *Requiem*, erunt etiam concessæ missæ priuatæ, quia concesso principali conceduntur etia accessoria cap. *prudentiam, §. si verò, de offic. de leg.* Vnde concessa sepultura conceditur etiam celebratio pro defunctis, vt communiter tradunt cum Feder. de Senis *consil. 186. init.* & etiam delatio defuncti processionaliter, vt obseruant Obdrad. *consil. 225. num. 14.* ver. *Vltimo videtur*, Tusch. *littera A. conclus. 77. numer. 9.*

QVÆSTIO 283.

An in festis de præcepto celebrari possint in exequijs Missæ priuatæ de Requiem,

SVMMARIVM.

1. *Missa solemnis defunctorum in festis de præcepto celebrari potest ob exequias.*
2. *An etiam aliqua Missa priuata.*
   Concesso maiori est etiam concessum minus.
3. *Solemnitas diei cedit exequijs.*
4. *Missæ priuatæ sunt pars exequiarum.*
   Argumentum à toto ad partem valet.
5. *Missæ priuatæ defunctorum pro exequijs in festis*

de præcepto veniunt in consequentiam ad Rituale, & declarat S. Congregat.

1 POsse in diebus festis, nisi sint ex solemnioribus celebrari Missam solemnem de *Requiem*, dicemus infra; nunc verò videndum est, an possint celebrari etiam aliquæ missæ priuatæ de *Requiem*. Quartus *in rubr. missal. part. 1. tit. 5. dub. 2. difficult. 1.* ver. *Dico tertio*, putat probabile posse celebrari etiam aliquas missas priuatas, sed solum pro eo tempore, pro quo durant exequiæ, quia hæ sunt accessoriæ ad missam solemnem, vt dicebatur in *præcedent. quæst. numer. 5.*

2 Et quidem mihi quoque videtur probabile, nisi aliter censeat S. Rituum Congregat. primò. Quia in tantum non concederentur, in quantum repugnarent celebritati officiorum diei. Magis autem repugnat missa solemnis de *Requiem*, quàm missæ priuatæ, quia in illa concurrit solemnitas cum solemnitate, in his celebratio priuata: vnde valet argumentum à maiori ad minus, quod si est concessum maius, sit etiam in eadem materia concessum minus. Authen. *Multò magis, C. de sacrosanct. Eccles.* & cap. *Per venerabilem, qui fil. sint legit.* & notant Glos. *in cap. si Paulus, 32. qua. 5.* Euerar. *in Topica iur. loco 66.* Petr. Andr. Gammar. *in dialect. leg. lib. 2. loco à maiori ad minus*, Decian. *consil. 22. num. 48. vol. 4.* Gozadin. *consil. 6. num. 52.* Rolan. *consil. 61. num. 49. lib. 1.* Alexand. *in l. in suis inst. ff. de lib. & posth.* Ias. *ibid. num. 2. & 24.* ver. *Quarto*, Menoch. *consil. 210. num. 11.*

3 Secundò; quia pro illo tempore in quo celebrantur exequiæ cedit solemnitas diei, & dat locum exequijs ex quadam æquitate; quia non est indecens, quod celebritati diei intermisceatur officium pietatis erga defunctum, qualis est celebratio exequiarum: ergo æquum est, quod si cedit, vt admittat exequias, admittat etiam pro illo tempore missas priuatas de Requiem, vt etiam in ipsis habeatur speciale Ecclesiæ suffragium, alioquin defunctum priuaret illo speciali suffragio, quod in missis de *Requiem* exhibet Ecclesia.

4 Tertiò; quia missæ priuatæ sunt partes exequiarum: & ideò si conceduntur exequiæ non obstante celebritate diei, erunt etiam concessæ priuatæ missæ de *Requiem* pro illo tempore, in quo celebrantur exequiæ; quia concesso toto conceduntur etiam omnes partes ipsius, præsertim quia est eadem ratio de singulis partibus, imo maiorem oppositionem habet missa solemnis cum celebritate, quàm priuata. Vnde hic locum habet argumentum à toto ad partem, quod validum esse desumitur ex *l. quæ de tota ff. de rei vindicat.* & tradunt Euerar. *in locis communib. loco 80.* Petrus Andr. Gammar. *in dialect. legali loco 4.* Cantiun. *eod. tract. loco 5.* Rebuf. *Appellatione rei*, ver. *Negatiuè, ff. de verbor. significat.*

5 Dices, Declaratio S. Congregat. procedit solum de missa solemni, sicut etiam Rituale Romanum in Rubr. *tit. de exequijs.* Rursus exequiæ non videntur aliud requirere quàm missam solemnem, & responsoria circa tumulum: ergo non erunt concessæ missæ priuatæ. Resp. licet Rituale, & Declaratio S. Congregat. loquantur explicitè solum de missa solemni, attamen ad ipsum veniunt in consequentiam, præsertim stante consuetudine, quod exequiæ soleant celebrari cum pluribus missis priuatis. Et licet exequiæ non requirant necessariò missas priuatas de *Requiem*,

requiruntur tamen secundum quandam conuenientiam, & secundum consuetudinem. Imò si spectemus consuetudinem magis frequenter celebrantur exequiæ cum pluribus Missis priuatis, & sine Missa solemni, quam cum Missa sola solemni absque Missis priuatis. Et ideò si conceduntur exequiæ, debent censeri concessæ secundum mensuram consuetudinis.

QVÆSTIO 284.

Quando celebrari possit Missa solemnis pro defunctis pro anniuersario, die tertio, &c.

SVMMARIVM.

1. *Quando celebranda Missa solemnis pro defunctis.*
2. *Quando in feria secunda celebranda pro defunctis Missa principalis.*
3. *Pro implenda voluntate testatorum in duplicibus celebrari potest Missa solemnis pro defunctis.*
4. *Missa conuentualis pro defunctis quando non habeat locum*, & num. seq.
6. *Missa solemnis pro defunctis celebrari potest pro anniuersario, die tertio, &c. in duplicibus, &c.*
7. *Anniuersarius dies, tertius, &c. non debet celebrari in festo de precepto.*
8. *Tunc anniuersaria, &c. aut anteponenda, aut postponenda.*

1 IN Rubricis generalibus Missal. *tit. 5. de Miss. defunct.* habetur, quod prima die cuiuscunque mensis extra Aduentum, Quadragesimam, & tempus Paschale, quæ non sit impedita festo nouem lectionum, Missa principalis dicitur pro defunctis, nisi sit reassumenda Missa Dominicæ præteritæ, aut sit feria quæ habeat propriam Missam, & non adsit infra hebdomadam alia dies, in qua reassumi possit. Quod si sit reassumenda Missa Dominicæ, aut sit feria habens propriam Missam in Cathedralibus, & Collegiatis celebrantur duæ Missæ vna de die, & altera pro defunctis. In cæteris vero Ecclesijs in Missa die fit commemoratio defunctorum.

2 Rursus extra Quadragesimam, & tempus Paschale singulis ferijs secundis, quando officium fit de feria, & non est reassumenda Missa Dominica præcedentis Missa principalis celebrari potest pro defunctis. Quando verò Officium est duplex, aut semiduplex non potest celebrari Missa principalis pro defunctis, quod intelligi debet, vt inseruiat pro Missa principali conuentuali, quando Choristæ ad illam tenentur: nam certum est, quod in semiduplicibus celebrari poterit alia Missa solemnis à conuentuali; sicut etiam celebrari poterit quocunque die, in quo celebrari possunt priuatæ Missæ nempe singulis diebus extra dies Dominicos, & festa duplicia; quia tunc officium non obstat huiusmodi celebrationi.

3 Præterea cum ex declaratione S. Rituum Congregat. vt visum est in Superioribus, in festis duplicibus, quæ non sunt de præcepto celebrari possint Missæ de Requiem, pro adimplenda voluntate testatorum, sit, quod etiam in dictis diebus celebrari possit etiam Missa solemnis de Requiem pro eadem voluntate adimplenda, siue sit pro anniuersario, siue ex quocunque alio titulo; nam non attenditur titulus, sed sola voluntas testatoria, quæ præbet titulum sufficientem celebrandi. Vnde solum difficultas remanet de Missa solemni pro anniuersario, die tertio, septimo, & trigesimo. Est enim eadem ratio de his omnibus, quia sunt omnes dies destinati ad suffragandum defunctis ex institutione Ecclesiæ.

Circa hoc autem in Rubr. general. Missal. *tit. 5. num. 2.* ita reperitur dispositum. *Excipitur tamen Quadragesima, & totum tempus Paschale, & quando per annum Officium est duplex, vel semiduplex, quibus temporibus non dicitur Missa conuentualis pro defunctis, nisi in die depositionis defuncti, & in anniuersario pro defunctis.* Quæ Rubrica difficultatem facit, nam videtur ex ea sequi, quod tempore Paschali in Quadragesima, in duplicibus, & semiduplicibus non possit celebrari Missa solemnis pro defunctis. Nam verba illa, *quibus temporibus* referuntur ad antecedentia tempora expressa, quæ sunt prædicta: & ideò seclusa occasione diei depositionis, aut anniuersarij non poterit celebrari Missa solemnis, quod tamen est contra praxim. 4

Itaque aduertendum est; quod dicta Rubrica constituerat regulam generalem circa celebrationem missæ conuenientis pro defunctis, atque adeò illius missæ, quæ inseruit pro conuentuali, & quæ est celebranda ratione officij. Et postea ab hac regula excipit tempus Quadragesimale, & Paschale, & dies, in quibus officium est duplex, aut semiduplex, vt in his diebus non habeat locum missa conuentualis, quæ sit tanquam annexa officio; & excipit missas, quæ ex aliquo accidenti, & extra exigentiam officij celebrantur, vt in die obitus, seu anniuersario. Vnde finis Rubricæ solum est, quod in his temporibus non habeat locum missa conuentualis pro defunctis veniens in consequentiam ad officium: habeat tamen missa solemnis, quæ non sit in consequentiam ad officium ex insurgente occasione, vt est dies obitus, & anniuersarius. Quare dies obitus, & anniuersarius positi sunt exemplificatiuè, non restrictiuè, & ideò habet locum in alijs similibus occasionibus. 5

Dicendum 1. *Missa solemnis celebrari potest pro anniuersario in festis duplicibus, in ferijs, & diebus infra octauas priuilegiatas.* Quod autem dicitur de anniuersario dicendum est pro die tertio, septimo, & trigesimo. Ita Quartus *ad rubricas missal. part. 1. tit. 5. dub. 2. difficult. 2.* Loquens quoad dies, in quibus officium est duplex. Continetur autem ex ipsa Rubrica *tit. 5. num. 2.* in Rubr. General. Nam dum excipit Quadragesimam, & tempus Paschale, in quo non debeant celebrari missæ conuentuales defunctorum, ab hac regula excipit missas anniuersariorum. Vnde cum in his temporibus occurrant feriæ priuilegiatæ, & dies infra octauam priuilegiatam nempe Paschæ, & possint celebrari missæ solemnes pro anniuersario, poterunt etiam celebrari in dictis diebus. Rursus cum ponat regulam quod in duplicibus non celebrentur missæ solemnes pro defunctis, & excipiat diem anniuersarium concurrente tali die cum duplici poterunt celebrari. 6

Dicendum 2. Si dies anniuersarius occurrat in festo de præcepto, non debet celebrari missa solemnis defunctorum, sed debet anticipari, aut transferri. Ita Quartus *in rubr. missal. part. 1. tit. 5. dub. 2. difficult. 2. vet. Dico secundò*, Gauant. *eod. tractat. part. item 1. tit. 5. num. 2. littera T.* Et idem dicendum de die tertio, septimo, & trigesimo. Ratio est; quia dies huiusmodi, licet instituti ab Ecclesia pro suffragijs defunctorum, non præponderant tamen celebritati diei festi de præcepto, cum in hoc populus conueniat ad exhibendum Deo publicum cultum mediante sacrificio, qui non debet interrumpi ob dicta suffragia, quæ alio die adimpleri possunt, præsertim quia non sunt prima suffragia, sicuti sunt, quæ 7

quæ exhibentur in die depositionis. Vnde censentur instituti hi dies, quatenus admitti possunt ab Ecclesiæ ritu attenta solemnitate.

8 Ex dictis colligitur. Anniuersaria, si coincidantur cum festo de præcepto, aut antipari posse vt scilicet citius defuncti percipiant suffragia, vt notant Gauantus, & Quartus *num. præced. citati*, aut postponi in sequentem diem, quem morem pluries seruauit S. rituum Congregat. transferendo anniuersarium in sequentem diem. Vt *die 27. Septembr.* 1608. & *die 19. Maij* 1614. apud Gauant. citat. Et idem etiam seruandum est pro die tertio, septimo, & trigesimo. Præsertim, quia hi dies, numerari possunt diuersimodè nempe vel in die obitus, in quo reuera defunctus mortuus est: vel à die depositionis, seu sepulturæ. Vnde si vno modo numeratus coincidat cum festo, poterit alio modo numerari, vt non coincidat.

QVÆSTIO 285.

An in festis de præcepto celebrari possit Missa solemnis Defunctorum in die obitus.

SVMMARIVM.

1. *In festis de præcepto celebrari potest Missa solemnis defunctorum in die obitus.*
2. *Quinam dies festi excipiendi.*
3. *Soli dies festi primæ classis ex maioribus excipiendi.*
4. *Præsentia corporis an requiratur, vt in festis de præcepto celebrari possit Missa solemnis Defunctorum.*

1 QVod possit celebrari quocunque die, in quo celebrari potest pro anniuersario sequitur ex dictis, quia est magis priuilegiata, quàm sit Missa pro anniuersario, ex eo quod pietas erga Defunctum, antequam eius corpus tradatur sepulturæ exigat hoc officium religionis: vnde solum difficultas remanet quoad dies festos. Quod autem in diebus festis celebrari possit dummodo non sint primæ classis tradunt Gauantus *in Rubric. Missal. part.* 1. *tit.* 5. *num.* 2. *littera X.* Quartus *in easdem Rubr. ijsdem part.* 1. *& tit.* 5. *dub.* 2. *difficult.* 1. Castal. *in Praxi cærem. lib.* 2. *sect.* 5. *cap.* 4. Quia licèt Rubrica id non exprimat fuit tamen declaratum à S. Rituum Congregat.

2 Declaratio autem S. Rituum Congregat. *sub.* 23. *Maij* 1603. non facit distinctionem de festis primæ classis, sed absolutè habet. In diebus festis præsente corpore potest celebrari Missa solemnis de Requiem. Solum Rituale Romanum *in tit. de exequiis in Rubr. positis*, proximè ante officium defunctorum, ponit exceptionem his verbis, *Nisi obstet magna diei solemnitas.* Per magnam autem diei solemnitatem non videtur intelligi quæcunque solemnitas primæ classis, sed tantum, quæ in ordine primæ classis sit magna, vt esset dies Paschatis, Pentecostes, Natiuitatis Domini. Quia cum qualitas magnitudinis attribuatur etiam his solemnitatibus, non potest attribui illis, quæ in comparatione ipsarum non sunt magnæ sed minores.

3 Itaque dicendum est. *In festis primæ classis, quæ non sunt ex maioribus posse celebrari Missam solemnem Defunctorum in die obitus.* Hoc desumitur ex eo, quod habent Doctores *num.* 1. *citati*, dum docent, quod si contingat hanc Missam celebrandam in die Resurrectionis Domini debeat differri in sequentem diem. Sequens autem dies ad diem Resurrectionis, est primæ classis. Imò in Actis Ecclesiæ Mediolanensis *part.* 4. *tit. Instructio ad funera*, excipit tantum dies Paschatis & Parasceues. Ratio autem est. Quia cum huiusmodi Missa celebrari possit in diebus festis de præcepto; atque adeò non sit indecens quod solemnitati festi intermisceantur exequiæ, poterit in quocunque die festo celebrari, nisi obstet aliqua specialis nota solemnitatis; hæc autem specialis nota reperitur tantum in festis primæ classis solemnioribus, non autem in omnibus, quia cum hæc à cæteris distinguantur secundum maiorem solemnitatem, ratione cuius sint speciali nota digna, hanc notam non possunt habere festa, quæ carent hac maiori solemnitate. Hinc hæc tantum festa excluduntur non autem omnia primæ classis, quando conceditur Missa pro priuatis oratoriis.

Maior difficultas est, quid dicendum, si corpus 4 Defuncti non sit præsens, seu ex accidenti, seu quia adsit consuetudo celebrandi exequias absque præsentia corporis. Videtur enim negatiuè resoluendum, quia declaratio S. Congregat. de qua *num.* 2. habet clausulam; *Præsente corpore.* Et ita sentit Quartus *in Rubricas Missal. part.* 1. *tit.* 5. *dub.* 2. *difficult.* 1. *ver. Dico secundo.* Verum tenendum est, quod possit celebrari, licèt corpus non sit expositum in Ecclesia, sed detineatur seorsim in aliqua Capella, seu oratorio ex aliqua rationabili causa, vt etiam si adhuc non sit elatum domo, si ita habeat consuetudo, ita vt sufficiat, quod nondum sit traditum sepulturæ. Nam quando S. Congregatio requirit præsentiam corporis, sumitur præsentia largo modo, quatenus opponitur absentiæ, quam habiturum est post sepulturam: & proinde præsentia non importat, nisi esse apud nos supra terram. Quæ explicatio fundatur in eo quod finalis ratio concessionis Missæ solemnis est, ne corpus tradatur sepulturæ absque hoc honore, & actu pietatis: hæc autem ratio locum habet, siue corpus sit intra Ecclesiam siue extra; & ideò locum habere debet etiam eadem declaratio.

QVÆSTIO 286.

An feria quinta maioris hebdomadæ, & Sabbato Sancto celebrari possit Missa solemnis in die obitus.

SVMMARIVM.

1. *Feria V. & Sabbatho Sancti priuilegiati dies quoad officium, &c.*
2. *In Feria V. & Sabbatho maioris hebdomadæ an celebrari possit Missa solemnis in die obitus.*
3. *Missa in die obitus solemnis non excluditur à solemnitate horum dierum.*
4. *Missa solemnis in die obitus quando celebranda feria quinta, & Sabbatho maioris hebdomadæ.*
5. *Missa priuata in die obitus an celebrari possit feria quinta, & Sabbatho maioris hebdomadæ.*

SVpponendum est. Feria quinta maioris hebdomadæ, & in Sabbatho Sancto celebrari posse plures Missas, vt dicetur suo loco cum communiori sententia. Quo stante dubitatur, an in his diebus celebrari possit Missa solemnis de Requiem in die obitus, seu pro depositione, Defuncti; nam quod non possit celebrari ex alio titulo, suppono tanquam certum, quia licèt non sint dies festi, sunt tamen magis priuilegiati, quoad celebrationem officij, quàm si essent dies festi, excludunt quodcumque aliud officium, quod iis diebus occurrere possit. 1

Dicendum est. *Posse in dictis diebus celebrari Mis-* 2

sam solemnem de Requiem pro sepultura defuncti. Desumitur ex Rituali Romano 1 *Tit. de Exequiis in Rubric.* posita immediatè ante officium Defunctorum, vbi præscribit celebrandam esse Missam in die obitus & excludit tantum quando occurrit magna diei solemnitas. ibi. *Nisi obstet magna diei solemnitas.* Ista autem magna solemnitas non occurrit in dictis diebus, quia licèt sint priuilegiati quoad officium, non sunt tamen dies solemnes, sed potius mœstitiæ deputati, vnde non habent illam repugnantiam cum mœstitia Missæ de *Requiem*, quam habent ratione lætitiæ dies solemnes. Et etiam ex Duran. *lib. 7. de diuin. offic. tit. de offic. mort.* & ita videtur sentire Gauant. *part. 1. in Rubr. Missal. tit. 5. num. 2. littera X.* vbi adest consuetudo non sepeliendi mortuos sine Missa.

3 Ratio autem. Quia cum possint celebrari plures Missæ, non adest causa sufficiens, cur non possit celebrari etiam Missa de *Requiem* in die obitus. Cum enim hæc Missa priuilegiata sit, vt locum habere possit quocomque die, nisi obstet magna solemnitas, non est excludenda his diebus, nisi constet de causa, ob quam excludi debeat, de qua tamen non constat. Imò cum celebritas officij, & diei requirat vnicam tantum Missam, vt proinde vt plurimum non soleant aliæ celebrari, nullum adest inconueniens, quod extra officium, & diei celebritatem celebretur alia Missa in die obitus.

4 Dubium tamen remanet, quando celebranda sit an ante, an verò post Missam solemnem diei. Resp. In feria quinta maioris hebdomadæ esse celebrandam ante Missam solemnem diei, siquidem per Missam solemnem veluti clauditur tempus celebrandi tàm pro illo, quàm pro sequenti diei. In Sabbatho autem Sancto celebrari posse ante, & post, & ita sentient illi, qui volunt, quod etiam Missa priuata diei celebrari possit ante Missam solemnem, qui suo loco recensentur. Ratio est. Quia aliàs tali die celebrari potest, & non habet aliquam connexionem, seu correspondentiam cum officio, aut Missa solemni, & ideò nihil refert, quod anteponatur, seu postponatur.

5 Ex dictis colligitur. Quod in Ecclesiis, in quibus non solent celebrari Missæ solemnes defectu ministrorum, si in ipsis celebrentur exequiæ, poterit celebrari Missa priuata in die obitus pro defuncto, non solum in feria quinta maioris hebdomadæ, & in Sabbatho Sancto, sed etiam in quocunque alio die, in quo posset celebrari Missa solemnis. Quia tunc priuata substituitur loco solemnis. Et desumitur ex Romano Rituali *tit. de Exequiis. in Rubr.* posita immediatè ante officium Defunctorum: vbi absolutè præscribitur celebratio Missæ in die obitus antequam corpus tradatur sepulturæ, nisi obstet magna diei solemnitas, nec requirit, quod ista Missa solemniter celebretur, seu conuentualiter. Ita enim habet Rubrica. *Missa verò, si hora fuerit congruens, ritu pro defunctis, vt in die obitus præsente corpore non omittatur, nisi obstet magna diei solemnitas, &c.* Si enim solum concederetur Missa solemnis, rarò posset celebrari, sicuti rarò Defuncti sepeliuntur in Ecclesiis, in quibus solemnes Missæ celebrari soleant. Non est autem æquum, quod defuncti careant hoc suffragio, & honore ex impossibilitate celebrandi Missam conuentualem.

* * *

QVÆSTIO 287.

An magis prosit Defunctis Missa de Requiem quàm Missa de die.

SVMMARIVM.

1. *Omnes Missæ quoad fructum ex opere operato sunt æquales pro Defunctis.*
2. *Discrimen inter fructum Missæ ex parte Ecclesiæ, & ex parte offerentis.*
3. *Fructus ex parte offerentis est variabilis.*
4. *Missa de* Requiem *magis proficua Defunctis, & quomodo alia Missa compensare possit.*
5. *Vnde compensatio desumatur.*
6. *Specialis fructus pro Defunctis in Missa de Requiem.*
7. *Quid requiratur vt iste specialis fructus compensetur.*
8. *Compensatio est difficilis, & incerta.*
9. *Deuotio celebrantis ex Missa currenti est per accidens.*
10. *Missa de Requiem habet specialem satisfactionem ex parte Ecclesiæ.*
11. *Minor deuotio, cum qua celebratur Missa de Requiem non præiudicat valori ex parte Ecclesiæ.*
12. *Intercessio Sancti de quo celebratur Missa minus prodest, quàm Missa de Requiem.*
13. *Rubricæ cur commendent conformitatem Missæ cum officio.*
14. *Missa de Requiem magis proficua Defunctis, quam Missa diei.*

Inconuenientia ex doctrina Syluestri,

1 SVpponendum est tanquam certum. Quod omnes Missæ ex parte sacrificij, & quoad fructum ex opere operato, æqualiter prosunt Defunctis, siue sint de Requiem, siue quæcumque aliæ, vt communiter docent cum D. Thom. *in 4. distinct. 45. quæst. 2. art. 3. quæst. 1. ad 5. & in supplem. quæst. 7. art. 9. ad 5.* Nam fructus essentialis sacrificij, pendet solum ab ipsa substantia sacrificij, non autem ab orationibus, & ritibus institutis ab Ecclesia: vnde cum in qualibet Missa sacrificium secundum substantiam sit idem, erit idem etiam fructus substantialis ipsius. Et ideò solum difficultas est quoad fructum, qui prouenit ex opere operantis ex parte offerentis, & quoad fructum, quem habet sacrificium prout offertur nomine Ecclesiæ, seu qui fundatur in dignitate, & acceptabilitate Ecclesiæ offerentis.

2 Supponendum 2. Hoc discrimen esse inter fructum qui prouenit ex offerente ex opere operantis; & fructum qui se tenet ex parte Ecclesiæ, quod ille acquiritur ipsi offerenti, nisi specialiter de ipso disponat in fauorem alterius, quia cum fundetur in propria operatione ipsius, non transit ex se in aliam, quia propria actio ipsimet operanti fructificat. At fructus qui se tenet ex parte Ecclesiæ ex intentione ipsius, est illius, pro quo sacrificium offertur, nec est sub dispositione offerentis, ita vt possit, cui voluerit applicare. Et præcipuè hoc contingit, quando celebrantur Missæ ordinatæ ex institutione Ecclesiæ ad eum effectum, quem intendit ad cuius instantiam celebrantur.

3 Supponendum 3. Quod fructus, qui se tenet ex parte offerentis, est valdè variabilis, ita vt modo sit sit paruus, modo magnus, modo mediocris. Quia cum dependeat à dispositione, & deuotione ipsius, quæ non habent mensuram permanentem, variatur

iuxta

Digitized by Google

iuxta ipsios variationem; vnde contingit, quod in Missis eiusdem qualitatis modo sit vnius quantitatis, modo alterius, & quod maior sit aliquando in Missis de Requiem, quàm sit in reliquis, & aliquando maior in Missa de tempore, quàm in Missa de Requiem; & ideò quoad hunc fructum, non habet locum difficultas, cum non habeat certam regulam, & mensuram; sed solum quoad fructum, qui prouenit ex precibus, & ritu Missæ ex parte Ecclesiæ offerentis.

4 Conueniunt autem, quod Missa de Requiem de se sit magis proficua Defunctis, quàm currens de die. Addunt tamen, quod iste maior fructus compensari potest, vel ratione deuotionis offerentis, vel ratione deuotionis illius, ad cuius instantiam offertur, vel ratione intercessionis Sancti, cuius suffragium in Missa imploratur. Ita D.Thom. *in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 3. quæstiun. 1. ad 5.* & *in supplem. quæst. 71. art. 9. ad 5.* Palud. *ead. dist. quæst. 1. art. 3. conclus. 1.* Carthus. *qu. 3.* Panorm. *consil. 99. dub. 1. num. 2. lib. 2.* Hostiens. *in c. 2. de celebrat. Miss.* D. Antonin. *part. 1. tit. 10. cap. 2. §. 3.* Angel. *verbo* Missa *num. 34.* Rozel. *num. 21.* Pisanel. *num. 14.* Syluester. *quæst. 8. ver. Quintum.* Tabiena *num. 53.* Armilla *num. 34.* Baptistiana *verbo* Missa. ver. *Vtrum Missa de vno Sancto.* Summa Corona *part. 3. de sacrific. Miss.* Tit. *Sequitur canon. num. 18.* Ioan. de Triburgo *lib. 3. sum. confessor. tit. 34. q. 167. in fine.* Sotus *in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. conclus. 1. in fine.* Anton. Honcala *opusc. de valore Missæ, art. 17. propos. 2.* Nauar. *consil. 9. num. 5. de celebrat. Missar.* Henriquez *lib. 9. sum. c. 17. num. 4.* & *in comm. littera V.* Azor. *part. 1. libr. 10. cap. 23. quæst. 4.* Miranda *tom. 1. Manual. quæst. 41. art. 21. conclus. 1.* & *2.* Rodriguez *qu. regular. 43. art. 8.* & *10.* Graff. *part. 2. decis. lib. 3. cap. 5. num. 41.* Victoria *in summ.* vbi de Eucharist. *num. 95.* Sà *verbo* Missa, *num. 48.* Beja *part. 1. respon. casu 23.* Benzon. *in speciale Episcop. lib. 1. disp. 2. quæst. 2. ver. Mitigantur.* Posseuin. *de offic. Curati, cap. 14. num. 13.* Suarez *disput. 83. de Eucharist. sect. 3. ver. In quo est magna.* Bartholom. ab Angelo *dialog. 5. de Missa. §. 740.* & *806.* Timoth. *de sacrific. Miss. tract. 3. quæst. 43.* Zerola *de Iubil. lib. 1. cap. 21. quæst. 6.* Ledesma *part. 1. summ. tract. de Eucharist. cap. 17. conclus. 7.* Reginald. *lib. 29. Praxis fori pœnit. num. 208.* Malol. *lib. 3. de irregular. cap. 24. in fine.* Genuens. *in Manual. Pastor. cap. 72. num. 6.* Bonac. *disput. 4. de Sacramen. quæst. vnic. punct. 7. §. 3. num. 4.* Fosch. *de regim. Eccles. lib. 1. cap. 20. nu. 36.* Homobon. *part. 1. examen. Eccles. tract. 4. cap. 14. q. 126.* Molfes. *part. 1. sum. tract. 3. cap. 15. num. 26.* Villalob. *tom. 1. sum. tract. 8. difficult. 32. num. 6.* Naldus *in sum. verbo* Missa. *num. 21.* Filliuc. *tract. 5. cap. 5. num. 154.* Bagac. *in sum. tract. de Miss. quæst. 68.* Castal. *lib. 2. Praxis cærem. sect. 6. cap. 4. num. 8.* & *10.* Vega *part. 2. sum. cap. 28. de Missa. casu 14.* Ioan. à Cruce *part. 2. direct. conscient. quæst. 4. de sacrific. Miss. dub. 2. conclus. 1.* & *2.* Barbosa *de potestat. Episcopi part. 2. allegat. 24. num. 32.* Fraxinel. *de obligat. Sacerd. sect. 4. conclus. 4. §. 4. num. 1.* vbi *num. 12.* alios citat Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 18. ver. Primò Sacerdos.* Facundez *præcept. 1. Eccles. libr. 3. cap. 9. num. 6.* Syluius *3. part. quæst. 71. artic. 9. circa solut. 5.* Peirin. *tom. 1. de priuileg. ad Constit. 5. Leonis X. num. 2.* Gauantus *in Rubricas Missalis, part. 3. titul. 13. num. 20.* Diana *part. 2. tractat. 14. resolut. 31.* Franciscus Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 11. quæst. 4. num. 38.* Ruteus *de fructu sacrific. lib. 3. disput. 3. quæst. 2. num. 3.* Rapu. *de voce Canon. tractat. de Miss. quæst. 68.* Quartus *in Rubricas Missal. part. 1. titul. 5. dub. 7. ver. Dico secundo.* Lezana *tom. 1. quæst. Reg. cap. 21. num. 28.*

5 Quod autem compensari possit maior fructus Missæ de *Requiem*, suadent ex eo, Quia Sacerdos maiori deuotione, & affectu afficitur, dum celebrat de sancto, aut de feria, quàm si celebret de *Requiem*, præsertim quia memoria sancti excitat in celebrante deuotionem. Vnde ex maiori deuotione impetratio celebrantis erit efficacior, & feruentior oratio. Secundò; quia Missa de *Requiem* est breuior, & ideò minus satisfactoria ex opere operantis. Tertiò. Quia Missa de *Requiem* solet dici cum maiore celeritate, & minori attentione, præsertim si celebrans cupiat citò expediri, & contra Missa de die cum dicatur ex zelo se conformandi cum officio, cum maiori deuotione celebratur, & ideò fit magis proficua. Quartò. Si dicatur Missa de Sancto, cui defunctus, pro quo offertur, commendetur, magis proderit intercessio Sancti, quam orationes Sacerdotis; & ideò tunc magis proficua erit Missa de Sancto. Quintò; quia Rubricæ maximè commendant conformitatem Missæ cum officio, & ipsam volunt, quantum fieri potest; non est autem verisimile, quod velint impedire, aut minuere suffragia Defunctorum, sicut sequeretur, si Missæ Defunctorum, specialis fructus non suppleretur per currentem.

Itaque quod Missa de *Requiem* magis prosit Defunctis, quàm quælibet alia Missa, ex eo manifestè constat, quod habet specialem fructum ordinatum ad suffragandum ipsis, quem non habent cæteræ Missæ. Siquidem cum preces, quæ in ipsis recitantur, & totus ritus sit institutus ab Ecclesia pro suffragio Defunctorum, & nomine Ecclesiæ preces illæ Deo offerantur, interuenit ex parte Ecclesiæ offerentis aliquis specialis fructus, seu suffragium, qui non interuenit in aliis Missis. Et cum Ecclesia sit sancta, & Deo accepta, non possunt non esse acceptæ preces ipsius, & suffragia exhibita pro defuncto. Et proinde Missæ de *Requiem* ex parte Ecclesiæ offerentis magis prosunt Defunctis. 6

Quod autem spectat ad compensationem celebrando aliam Missam, licèt sit possibilis, est tamen difficilis. Et imprimis non potest habere locum, nisi interueniat speciale opus celebrantis, siquidem necesse est, quod applicet Defuncto fructum satisfactionis, quid ipsi obueniret ratione maioris deuotionis, cum qua talem Missam celebraret: & consequenter quod concipiat maiorem deuotionem, cum sit fundamentum huius fructus, quam concipere, non ita facilè erit, præsertim in Missis de feria, cum non adsit speciale motiuum, sicut adest in Missis de *Requiem*, nempe pietas erga Defunctos, quæ statim excitatur, ac considerantur pœnæ, quas patiuntur. Rursus necesse est, quod commendet Sancto, cuius Missam celebrat, Defunctum, vt obtineatur impetratio pro ipso, & alia omnia præstet, ex quibus oriri potest compensatio. 7

In quibus tamen adsunt difficultates. Nam si loquamur de maiori satisfactione, quàm percipit celebrans ratione maioris deuotionis tanquam dispositionis, cum sit ex opere operato, statim insurgit difficultas an possit applicari, in quo cum variè opinentur Doctores remanet applicabilitas incerta, itaue possit esse, quod applicatio non habeat effectum: atque adeò fructus certus proueniens ex parte Ecclesiæ offerentis in Missis de *Requiem* compensatur aliquo incerto. Rursus satisfactio, quæ fundatur in deuotione offerentis, eiusdem impetratio, & quicquid ex opere operantis haberi potest, est aliquid personæ priuatæ, quæ sicut non æquiualet Ecclesiæ, ita est eius satisfactio, impetratio, &c. æquiualere potest satisfactioni Ecclesiæ, intercessioni, &c. Vnde ex hoc quo- 8

quo

quę capite compensatio erit inferioris ordinis.

9 Vnde, quæ affetuntur ad fundandam banc compensationem, non sunt magni momenti; nam quod Sacerdos maiori deuotione, & affectu afficiatur celebrando de feria, aut de Sancto, est valdè per accidens, & vt plurimum non continget, nisi fortè Sanctus sit in particulari veneratione. In quo casu poterit ex alia parte æquinalere effectus misericordiæ excitatus à pœnis Purgatorij, imò etiam præualere. Et quicquid sit, non erit ista deuotio particularis, & priuata sufficiens, vt præponderet intercessioni Ecclesiæ, quæ interponitur in Missis de *Requiem*.

10 Ad secundum. Missam de *Requiem*, licèt breuiorem, & minus satisfactoriam ex opere operantis, habere tamen specialem satisfactionem ex parte Ecclesiæ ordinatam ab ipsa pro Defunctis, quàm non babent aliæ Missæ: & hæc satisfactio longè maior est, quàm satisfactio ex opere operantis ex parte Sacerdotis cuiuscunque longissimæ Missæ.

11 Ad 3. Celeritatem, cum qua celebratur, Missa de *Requiem*, & minorem deuotionem celebrantis nihil præiudicare valori, quem habet ex parte Ecclesiæ, cum non dependeat à bonitate, & dispositione celebrantis. Deinde hoc esset per accidens, nam etiam Missa de die eodem modo celebrari potest. Et dato, quod non celebretur, illa maior deuotio non æquiualebit valori quem habet ex parte Ecclesiæ offerentis Missa de *Requiem*.

12 Ad 4. Si interponatur pro Defuncto intercessio Sancti, cum sit pura intercessio, quamuis sit gratior Deo, quàm intercessio priuata Sacerdotis, cum tamen non sit satisfactoria, & pœnæ Purgatorij non possint tolli sine satisfactione, minus proderit, quàm satisfactio proueniens nomine, Ecclesiæ ratione precum, quæ nomine ipsius in Missa de *Requiem* recitantur. Deinde intercessio Sancti est incerta, certa autem est intercessio Ecclesiæ in Missa de *Requiem*. Rursus comparando vnam intercessionem cum alia est potentior intercessio totius Ecclesiæ, quàm huius, vel illius Sancti. Sicut regulariter in humanis potentior est intercessio Reipublicæ apud Principem huius, vel illius personæ priuatæ.

13 Ad 5. Rubricas commendare conformitatem Missæ cum officio, non quia nolint, celebrari Missas Defunctorum in comparatione, Missæ diei; sed quia nolunt absque vlla causa relicta Missa diei celebrari votiuam, quando enim dicunt, quod Missa concordet cum officio, agunt de Missis votiuis, quas nolunt absque causa passim celebrari. Quando autem de Missis Defunctorum, eas absolute concedunt pro singulis diebus exceptis diebus Dominicis, & festis duplicibus, & absque vlla restrictione, quia in ipsis adest semper causa rationabilis, nempe suffragari Defunctis.

14 Itaque concludendum est. Missas de *Requiem* esse magis proficuas Defunctis, quàm sint currentes de die, & hanc maiorem fructum difficilè posse compensari per ea, quæ ex opere operantis se tenent ex parte Sacerdotis offerentis, etiam si interponatur intercessio Sancti cuius Missa celebratur, cum sit incertum, an talis intercessio obtineatur; vt iam constat ex dictis. Vnde reiiciendus est Syluester *verbo* Missa 1. *quæst.* 8. vet. *Quintum*. asserens, non irrationabiliter dici, nullam Missam Defunctis esse salubriorem, quàm propriam diei. Constat enim, hoc esse falsum, cum talis Missa careat illa speciali intercessione Ecclesię. Imò hoc est virtualiter redarguere Ecclesiam, quod malè instituerit Missas de *Requiem*, cum præbuerit occasionem celebrandi minus salubriter pro Defunctis, quando celebrantur Missæ de *Requiem*, quia si celebraretur Missa diei, esset magis salubris. Rursus etiam per hoc tacitè asseritur, quod speciales orationes exhibitæ Deo nomine Ecclesiæ minus salubres sint iis, pro quibus offeruntur. Præterea, quod intentio Ecclesiæ suffragandi Defunctis, & intercedendi pro ipsis, qualis interuenit in Missis Defunctorum, non solum non prosit Defunctis, sed sit causa, quòd Missa sit minus ipsis salubris; & alia plura inconuenientia deduci possent.

QVÆSTIO 288.

An Missa de die sit magis proficua, quàm Missa de Requiem, quia sit magis conformis voluntati Ecclesiæ, & Dei.

SVMMARIVM.

1. *Missa diei an magis proficua Defunctis, quia magis conformis voluntati Ecclesiæ, &c.*
2. *Sed voluntas Ecclesiæ deprehenditur contraria. Absurdum si Missa diei magis proficeret Defunctis.*
3. *Missa de die solum potest magis placere Deo vt actus primarius.*
4. *Conformatio Missæ cum officio est perfectio leuis nec aequiualens precibus Ecclesiæ.*
5. *Non aequiualet satisfactioni speciali Missa de Requiem.*
6. *Non magis conformatur Ecclesiæ celebrans de die, quam celebrans de Requiem in feriis seu multiplicibus, &c.*
7. *Conformari Missam cum Rubricis non conducit ad finem petentis Missam votiuam. Excludis specialem intercessionem interpositam ab Ecclesia in Missa votiua.*

Dicastil. *De sacrament. tractat.* 5. *disp.* 4. *dub.* 14. *num.* 281. Ex alio capite deducit, quod Missa currens magis prosit Defunctis, quia sit magis impetratoria, quàm Missa de *Requiem*. Et fundatur in eo, quod opus bonum eo magis impetratorium est, quò magis Deo est gratum, & magis conforme eius voluntati. Huiusmodi autem est Missa de die in comparatione Missæ de *Requiem*. Nam est magis Deo gratum, & magis conforme eius voluntati, quod petens Missam, & celebrans se conforment præscripto Ecclesiæ, præsertim quia se conformando magis se gerit in offerendo vt ministrum Ecclesiæ. Confirm. Minus perfectum est, & minus placens Deo cæteris paribus, deuiare à præscripto Missalis, & magis perfectum se conformare cum ipso. Ergo Sacerdos celebrans Missam de die exercebit opus magis Deo placens, & magis perfectum, Ergo etiam magis proficuum Defunctis. 1

Verum si hæc doctrina subsisteret, sequeretur, quod semper melius esset celebrare pro Defunctis Missam currentem, vt volebat Syluester, de quo in *præcedent. num.* 14. & sequerentur illa inconuenientia, quæ ibi tacta sunt. Vnde Ecclesia instituendo Missas pro defunctis impediuisset, quod est magis perfectum, & acceptum Deo, & fuisset occasio, quod Sacerdotes in celebrando minus placerent Deo. Et cum Ecclesia concedat Missam pro defunctis in die obitus, etiam in diebus festis, concederet, quod minus proficuum esset defunctis, siquidem Missa de die pro ipsis celebrata magis prodesset, quia esset conformis præscripto Missalis. 2

Deinde

3 Deinde totus discursus Dicastil. nil aliud concludit, nisi quod celebratio Missæ iuxta præscriptum Missalis, quatenus eligitur à celebrante, atque adeò quatenus est actus priuatæ personæ sit magis placens Deo, atque perfectus, & consequenter, quatenus est operantis; non autem quod celebratio, vt in persona Ecclesiæ exhibetur, sit magis perfecta, & Deo placens, quia celebratio vt fit nomine Ecclesiæ ab ipsa sola accipit suum valorem, nullo autem modo à celebrante;qui sicuti si celebraret cum peccato, non læderet valorem sacrificij, vt prodest ex parte Ecclesiæ offerentis; ita quæcunque dispositio ipsius, & perfectio operandi non auget. Vnde cum tota hæc perfectio se teneat ex opere operantis ipsius celebrantis, nihil proderit defuncto, nisi ipsi specialiter applicetur, nec faciet, quod Missa sit magis impetratoria ex parte Ecclesiæ.

4 Rursus. Quod celebrans non se conformet præscripto Rubricarum, aut non dicit peccatum, aut ad Summum veniale, & proinde importabit solam carentiam perfectionis leuis: ergo quod se conformet, erit tantum perfectio leuis, & proinde poterit solum fundare leuem complacentiam respectu Dei: ergo etiam vim leuem impetrandi: ergo non poterit æquiualere, nedum præualere impetrationi, quam habet Missa de *Requiem* ex parte Ecclesiæ offerentis ratione precum, quas fundit Deo specialiter pro defunctis in tali Missa. Ex vna enim parte stat Ecclesia ex professo, & enixè orans pro tali defuncto, & ex alia Sacerdos celebrari cum aliqua speciali perfectione, sed leui. Quis autem dicat magis, aut æquè fore acceptam Deo hanc leuem perfectionem, quàm enixas preces suæ sponsæ ? & plus impetraturam illam leuem perfectionem, quàm preces Ecclesiæ?

5 Accedit. Quod dato, quod celebrans Missam diei applicat defuncto hanc perfectionem maiorem resultantem ex conformitate cum Rubricis in opere operantis, quatenus satisfactorium non æquiualebit satisfactioni, quæ est specialis, in missis de *Requiem*. Nam in Missis de *Requiem* multiplicantur preces, quæ ex natura sua ordinantur ad satisfaciendum pro anima defuncti, & consequenter interueniunt plures actus satisfactorij. Quando autem Sacerdos vult se conformare cum Rubricis, ratione cuius habetur illa maior perfectio, interuenit tantum vnus actus eligendi, quod Deo magis placet. Rursus hic actus est satisfactio priuatæ personæ; illæ autem preces sunt actus totius Ecclesiæ. Cùm autem satisfactio sumat valorem à persona satisfaciente; & ab ipsius dignitate, dum & persona priuata, qualis est Sacerdos celebrans, sit dignitatis longè inferioris, quàm sit Ecclesia, etiam illa satisfactio erit longè inferior, quàm sit satisfactio exhibita Deo ab Ecclesia pro defunctis in Missis de *Requiem*.

6 Denique corruit totus discursus Dicastil. quando celebratur Missa de *Requiem* in ferijs, & in semiduplicibus. Nam in his diebus non magis conformatur cum præscripto Missalis, qui celebrat Missam currentem, quàm qui celebrat Missam defunctorum; nam Rubrica in his diebus non exigit Missam de die, sed relinquit in potestate celebrare Missam pro defunctis; ita enim habet in Rubr. General. *tit. 5. num. 3.* Missæ *autem priuata pro defunctis quocunque die diei possunt, præterquam in festis duplicibus, & Dominicis diebus.* Ex quibus patet, quod relinquit absolutè in potestate exteris diebus ab expressis celebrare Missas de *Requiem*. Qui autem facit, quod concedit Rubrica, se illi conformat. Vnde tunc non habebit locum illa maior perfectio, in qua Dicastil. se fundat.

7 Ex dictis sequitur. Quod neque subsistat, quod habet idem Dicastil. *tract. 5. de sacram. disp. 4. dub. 14. num. 183.* Quod scilicet celebrans magis se conformet intentioni petentis Missam votiuam in die excepto, si celebret Missam currentem; nam intentio petentis est obtinere à Deo, quod petit, & illi placere, & colere Sanctum. Missa autem de die est medium magis aptum ad obtinendum, & magis Deo placens; & ideò magis inseruiens intentioni petentis. Licet enim in tali casu celebrans conformando se cum Rubricis meliori modo seruet ritum Ecclesiæ, & ex hoc capite eius operatio sit perfectior; hæc tamen perfectio maior se tenet ex parte operis operantis, vt dictum est, nec conducit ad finem petentis Missam votiuam, nisi specialiter à celebrante ordinetur. Econtra verò Missa caret illis precibus, quæ sunt ab Ecclesia ordinatæ ad finem intentum à petente, qui eligit talem Missam tanquam medium institutum ab Ecclesia pro eodem fine obtinendo: & consequenter caret illa speciali intercessione, quàm interponit Ecclesia pro illius consequutione. Et ideò Sacerdos celebrans Missam currentem exhiberet medium minus aptum, & minus inseruiens intentioni petentis.

QVÆSTIO 289.

An aliquando Missa priuata de Requiem *celebrari possint in duplici festo ad instantiam petentium.*

SVMMARIVM.

1. *Missa priuatæ de* Requiem *in duplicibus, an possint celebrari aliquando ad petentium instantiam.*
3. *Rubricæ in duplicibus, admittunt Missas de* Requiem *ex causa rationabili.*
4. *Pietas quando sit causa rationabilis celebrandi Missas de Requiem in duplicibus.*
5. *Dispositio defuncti, quod statim celebrentur Missa est causa sufficiens, vt celebrentur in duplicibus.*
6. *Item si petens notabiliter turbaretur.*
7. *Item si non celebrare retraheret fideles à danda eleemosyna pro celebratione.*

QVod celebrari possint, quando celebrantur exequiæ, aut quando celebrari potest Missa solemnis defunctorum, & similiter etiam pro implenda voluntate testatorum, constat ex dictis in Superioribus. Rursus etiam constat, quod Rubricæ non concedunt has Missas in Dominicis diebus, nec in festis duplicibus. Quia tamen Rubricæ aut non obligant sub peccato, aut ad Summum sub veniali tantum, ideò videndum est, an aliquando ex instantia petentium possit adesse rationabilis causa, quæ reddat licitas secundum Rubricas, & excludat peccatum veniale, si adsit. 1

Quod non possint ad instantiam viuentium celebrari Missas de *Requiem*, tradunt Gauantus *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 5. n. 2. littera A.* ver. *Sacra tamen.* Garzias *in sum. tract. 3. difficult. 8. dub. 6. punct. 2. n. 21.* Lezana *tom. 1. quæst. Regul. cap. 21. n. 28.* Quartos *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 5. dub. 2.* ver. *Colligitur primò.* Horum nullum aliud fundamentum est, nisi præscriptio Rubricæ. 2

Verum licèt Rubricæ non admittant Missas defunctorum in duplicibus, hoc tamen est intelligendum regulariter, & absque causa; nam cum causa rationabili admittunt. Sic admittunt in die obitus, in anniuersario; pro implenda mente testatorum: vnde admittent etiam ex aliis causis similibus. Quia 3

ex eo, quod admittant ex aliquibus causis, conuincit, quod ipsarum præscriptio non est ita rigorosa, quin cedat, quando in contrarium occurrit causa rationabilis: & ideò ex eo, quod cedit ex causis rationabilibus, cedet quotiescunque huiusmodi causæ occurrent. Cum ergo fieri possit, quod instantia petentis sit coniuncta cum aliqua causa rationabili, poterit ipsi Rubrica cedere, & dare locum, vt celebrari possit Missa de Requiem.

4 Causa autem rationabilis, ob quam liceat in duplicibus celebrare Missas de *Requiem*, desumenda est ex pietate erga defunctos, quia ad hanc tanquam vltimã, & finalem reducenda est omnis alia causa. Quia tamen causa pietatis erga defunctos semper habet locum, ideò non est habenda ratio cuiuscunque pietatis, sed illius, quæ nascitur ex graui motiuo, & de nouo emergenti, ita vt secundum quamdam conuenientiam exigat de præsenti satisfieri huiusmodi pietati; vt si contingat mori coniunctum, aut amicum, si quis absens de eorumdem morte recipiat nuncium, quamuis enim non sit sepeliendus in Ecclesia, in quo celebranda est Missa, aderit causa sufficiens celebrandi, quia pietas exigit, vt instans celebrati quamprimum satisfaciat suæ pietati.

5 Similiter erit causa sufficiens, quando defunctus disponit in testamento, quod statim pro sua anima celebretur aliquis considerabilis numerus Missarum, quæ non possint celebrari in Ecclesia, in qua sepelitur, vel etiam, quia ipse nominauerit Ecclesias, in quibus celebrandæ sint. Nam hæc causa reducitur ad illam, quam approbauit S. Rituum Congregatio, quod scilicet in duplicibus celebrari possint Missæ de *Requiem* pro implenda testatorum voluntate, siquidem in hoc casu interuenit testatoris voluntas.

6 Rursus erit causa sufficiens celebrandi in duplicibus Missam de *Requiem*, si ille, qui petit, esset notabiliter turbandus, si non videret turbari iuxta petitionem suam, vt aduertunt Auersa *quæst.* 55. *de Eucharist. sect.* 18. ver. *Primò Sacerdos.* Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 11. *quæst.* 4. *num.* 46. Ista enim perturbatio vix potest esse absque eo, quod formetur sinistra opinio celebrantis: vnde ab illam euitandam poterit celebrare Missam de *Requiem.* Si enim leges non obligant cum graui incommodo, quæ in materia graui obligant sub mortali, multò minus obligabit hæc Rubrica, quæ aut tantum directiua est, aut solum obligat sub veniali.

7 Præterea erit etiam causa sufficiens, si non celebrare Missas de *Requiem* in duplicibus retraheret fideles à petitione, & oblatione eleemosynæ non solum quoad eos, qui indigent eleemosynis huiusmodi ad vitæ sustentationem, sed etiam quoad cæteros. Et quoad primos ea est ratio, quia esset graue incommodum priuare huiusmodi subsidio necessario pro vitæ sustentatione; Rubricæ autem, sicut nec leges obligant, vt dictum est, cum tanto incommodo. Quoad vtrosque autem ea est ratio. Quia in tali casu obseruantia Rubricæ esset impeditiua maioris boni, nam esset causa, cur fideles non facerent celebrare Missas pro defunctis, atque adeò, quod defuncti priuarentur huiusmodi suffragiis, & consequenter, quod diù detinerentur in Purgatorio. Vnde, cum Ecclesia ostendat maximam pietatem erga ipsos, non est verisimile, quod in tali casu præferri velit obseruantiam Rubricarum.

QVÆSTIO 290.

An magis expediat, viuentes facere celebrare Missas pro se, quàm relinquere celebrandas post mortem.

SVMMARIVM.

1. *Missæ magis prosunt durante vita, quàm post mortem.*
2. *Disponens de Missis post mortem, non est certus de fructu.*
3. *Viuentes percipiunt specialem fructum ex Missis.*
4. *Viuens potest se melius disponere, & meliorem fructum percipere ex Missis.*
5. *Missæ post mortem quibus periculis subsint.*
6. *Non est secundum prudentiam velle ire in Purgatorium, & postea liberari.*
7. *Missa quomodo celebranda pro viuentibus.*

Dicendum est. *Vtilius, & melius esse, quod fideles curent Missas pro se celebrari, dum adhuc viuunt,* 1
quàm post mortem. Ita Ruteus *lib.* 3. *de fruct. sacrific. disp.* 4. *quæst.* 1. *n.* 1. Fraxinel. *de oblig. Sacerd. sect.* 3. *prænot.* 4. §. 3. Diana *part.* 9. *tract.* 2. *resol.* 27. ver. *Et tandem.* Bonac. *disp.* 4. *de sacram. quæst. vlt. punct.* 4. *n.* 6. *in fine.* Tolet. *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 2. Pinel. *tract. de Miss. part.* 2. *cap.* 7. Homoboo. *part.* 1. *Examin. Eccles. tract.* 4. *cap.* 14. *quæst.* 128. Alex. Segala *in triumpho animar. purg. cap.* 6. *dub.* 9. Marchin. *de Ordine, tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 34. *num.*.... Garzia *in sum. tractat.* 3. *difficul.* 10. *dub.* 7. *num.* 7. Quartus *ad Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 5. *dub.* 8. Ratio præcipua est. Quia defuncti percipiunt vnicum tantum fructum sacrificij, nempe satisfactionis; viuentes autem vltra fructum satisfactionis percipiunt etiam fructum impetrationis, & propitiationis.

Dices. Fructum satisfactionis esse certum quoad 2
defunctos, quia certum est non habere obicem, cum sint in statu gratiæ. At viuens potest habere obicem, & proinde effectus satisfactionis quoad ipsum non est certus. Resp. Quod licet fructus satisfactionis, quoad Defunctos sit certum, non est tamen certum, quod relinquens Missas post mortem celebrandas, sit habiturus fructum illius, quia non est sibi certum, an sit decessurus in gratia; & ideò, quando disponit de Missis post mortem celebrandis, eligit fructum satisfactionis æquè sibi incertum, ac quando facit viuens celebrare Missas, & insuper relinquit fructum propitiationis, & impetrationis.

Secundò. Dum viuens facit pro se celebrare 3
Missas, percipit specialem fructum, quem non possunt percipere Defuncti. Nam autem dat eleemosynam pro celebrandis Missis, cooperatur sacrificio, & speciali modo concurrit ad illius oblationem, Illi autem, qui speciali modo concurrunt ad oblationem, percipiunt specialem, vt constat ex dictis suo loco. Hoc autem non potest habere locum in Defunctis, quia licèt fuerint causa oblationis sacrificij reliquendo eleemosynam, non sunt tamen aliquo modo offerentes, quia non sunt in statu, vt possint concurrere ad offerendum sacrificium, & cæteros actus visibiles Ecclesiæ militantis.

Tertiò. Sacrificium confert suum fructum ex 4
opere operato secundum mensuram dispositionis, quem reperit in suscipiente, vt constat ex dictis suo loco. Vnde quando pro viuo celebrantur Missæ, potest se semper melius, & melius disponere, & proinde recipere maiorem, & maiorem fructum. Hoc autem non habet locum in defunctis, qui cum

non

noo sint amplius in statu merendi, & demereodi, neque etiam suot in statu se d sponendi ad effectus sacrificij, aot alios.

Quarto. Qui relinquit Missas celebrandas post
5 mortem, se exponit periculo, quod non celebrentur, & consequenter quod careat effectu ipsatum aut quod diu differatur celebratio vt passim contingere solet, vel ob iocuriam hæredum, qui parum curant de mortuis, aut quia eos piget erogare eleemosyoam relictum, à testatore. Aut etiam quia suscipientes onus celebrandi Missas diu differunt implere ob multitudioem Missarum, quas tenentor celebrare: aut etiam quia negligunt omoino celebrare. Hæc autem omnia pericula vitantur, si vioens faciat pro se celebrare Missas.

6 Denique est contra omnes regulas prudeotiæ, velle prius carcerari in Purgatorio, & ibi pœnas subire, & postea liberari, quàm præuenire, & satisfacere, antequam deuenieodum sit ad purgandus pœoas. Si stultus esset, qui haberet debitum, & posset soluere, & præuenire, ne pro ipso carceraretur, & nihilominus oollet soluere, sed vellet prius carcerari, & disponeret, quod postqoam carceratus esset, solueretur debitum.

7 Est tamen aduertendum; quod quia quotidie delinquimus, & noua debita contrahimus apud Deum, ideò quando Missæ sunt celebrandæ in vita, non erunt totæ simul celebrandæ, sed successiuè vsque ad mortem, vt successiua sit satisfactio sicut successiua sunt debita. Vnde valdè expediret, quod quotidie celebraretur aliqua Missa pro debitis illiusque contractis. Rursus est etiam aduertendum valdè expedire, quod etiam post mortem celebrentur Missæ; tum quia non est certum, an suffecerint, quæ in vita celebratæ sunt; tum quia etiam in fine vitæ peccatis venialibus contrahi possunt noua debita; tuio quia morientes ostendere debent, quod habeant curam propriæ animæ post morteio.

QVÆSTIO 291.

An Missa magis prosint Defunctis, si simul celebrentur, quàm si successiuè.

SVMMARIVM.

1. *Missa quo citius celebrantur magis prosunt defunctis.*
2. *Quia citius extinguunt debitum.*
3. *Missæ pro defunctis statim, & infallibiliter sortiuntur effectum.*
4. *Missa quotidina pro defunctis minus proficua, quam si plures simul celebrentur.*
   Ex alio capite magis proficua.

1 Dicendum est. *Magis prodesse, si simul eadem die, aut saltem subsequentibus celebrentur quam si paulatim successiuè.* Vode testatur, qui disponit, quod pro sua anima celebrentur Missæ melius sibi coosolet, si disponat, qood omnes statim post mortem celebrentur, quam si per aliquod tempus successiuum. Ita D. Antonin. 3. *part. tit.* 10. *cap.* 2. §. 5. *citans* Palud. Raguc. *de voce Canon. tract. de Miss. quæst.* 69. *num.* 1. Diana *part.* 9. *tractat.* 2. *resolut.* 27. ver. *Dico secundo* Graff. *consil.* 5. *de celebrat. Missar. lib.* 3. *tom.* 1. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 5. *dub.* 14.

2 Ratio est. Quia animæ Defunctorum detineotur in Purgatorio quousqoe extinguatur debitom aut satispassiooe, aut oblatiooe coogruentis satisfactioois, quæ à Deo acceptetur. Noo autem Missæ successiuè, & processu temporis celebrantur, successiuè, & per partes offertor satisfactio, & ideò anima remanebit in Purgatorio toto illo tractu temporis, in quo Missæ celebratæ perueniunt ad exhibendam integram satisfactionem. At si celebrentur simul, aut in paucis diebus, exhibetur Deo io exiguo tempore integre satisfactæ, & anima, quæ longo tempore fuisset deteota in Purgatorio, si Missæ successiuè celebratæ fuissent, statim liberatur.

Dices. Fieri posse, quod Deus velit, animam luere 3
pœnas pro aliquo tempore, & proinde oon acceptet tot totam illam satisfactionem exhibitam per illas Missas, si omnes simul celebrent, quam esset acceptaturus transacto aliquo tempore, si successiuè celebrarentur. Resp. Hoc dici non posse, quia sacrificium Missæ etiam quoad Defuoctum habet effectum infallibilem, oam traditiooe Apostolica, vt habet Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. *in fine*, quæ nos docet de institutione Christi, offertur pro Defunctis, cui institutioni Deus consensum præbuit, ex pacto Christi cum Deo habet effectum infallibilem: & ideò omnes Missæ celebratæ pro Defunctis statim sortiuntur suum effectum.

Ex his colligitur. Quod instituentes Missas quoti- 4
dianus pro anima propria minus sibi coosulunt, quàm si disponerent, quod magnus numerus Missarum statim post mortem celebraretur. Siquidem in primo casu paulatim & successiuè percipient illum fructum, quem statim perciperent. Ex alio tamen capite merentur, quia instituunt in Ecclesia perpetuum cultum qui redundat in honorem Dei, & decorem Ecclesiarum & vtilitatem ministrorum, qui possunt ex ipsis perpetuò percipere alimenta. Et quia regulariter respiciunt in tali institutiooe ad cæteros, quibus volunt prodesse Missas, si ipsis noo prosint, exercent vsum charitatis, per quem merentur. Vode hoc tanquam melios esse consulendum tradit Niger *in Addit. ad Ruiz. part.* 2. *Reg.* 3. *quæst.* 7. Quartus *in Rubric. Missal. part.* 1. *tit.* 5. *dub.* 14. *in fine.* Quia meritum est maius bonum quàm satisfactio. Optimum autem esset, si has Missas instituerent celebrandas, etiam dum viuunt, quia ex ipsis & vioentes, & mortui perciperent fructum, & eodem modo cæteris quoque prodessent, quando ipsi oon iodigerent.

QVÆSTIO 292.

An Missæ de Requiem *celebrari possint pro viuentibus.*

SVMMARIVM.

1. *Qui sentiant Missas de* Requiem *posse celebrari pro viuentibus.*
2. *Qui sentiant oppositum.*
3. *Missa de* Requiem *non possunt celebrari pro viuentibus.*
   Talis celebratio est contra ritum præscriptum in Missali.
4. *Est contra intentionem Ecclesiæ, & carent fructu proueniente ab ipsa.*
5. *Celebrare Missas de* Requiem *pro viuentibus an, quale peccatum.*
6. *Ordinarij tenentur prohibere Missas de* Requiem *pro viuentibus.*
7. *Quid si adesset consuetudo.*
8. *Officium pro Defunctis non potest recitari pro viuentibus.*
9. *Fructus Missarum de* Requiem, *si pro viuis celebrentur, non remanet reseruatus post mortem.*

Prima sententia asserit, celebrari posse Missas de 1
Requiem pro viuentibus repræsentando eos tan-

quam mortnos. Ita Nauar. *consil.6. de celebrat. Missar. tom. 1.* Pinel. *de Missa part.2. cap.7. dub. 3.* Zerola *in Praxi Episcoporum verbo* Missa *ver. Nono.* Homobon. *part. 1. Examin. Ecclesiast. tractat. 3. cap. 14. quæst. 127.* Peña *de Priuileg. in Addit. ad Constitut. Pyrrhi, cap. 1. num. 21.* Faust. *libr. 2. de Eucharist. quæst. 148.* Barbos. *ad Concil. Trident. sess. 22. cap. 3. num 8.* Lezana *in sum. verbo* Missa. *num. 54.* March. *de Sacrament. Ordin. tract. 3. part. 1. cap. 34. num. 7.* Leander. *de Sacrament. 8. disp. 4. quæst. 23.* Quorum plures aduertunt omittenda illa verba, quæ videntur enntinere mendacium, sicut sunt illa, *Vt animam famuli tui, quam de hoc sæculo migrare iussisti*; & similia. Verum non esse omittenda aduertit Faustus, quia mendacium non continent, cum referantur ad tempus mortis. Sed etiam dici potest, quod, cum is, pro quo offertur sacrificium repræsentetur tanquam mortuus, supposita huiusmodi repræsentatione de ipso verificantur huiusmodi verba.. Sic etiam de facto Ecclesia in Missa mortuorum repræsentat ipsos Deo, tanquam tunc morientes, dum dicit, *Ne cadant in obscurum, ne absorbeat eas Tartarus*, & alia huiusmodi, quæ non conueniunt Defuuctis aliquo tempore post mortem.

1 Secunda tenet, non posse celebrari Missas de *Requiem* pro viuentibus. Ita Layman. *lib. 5. Theolog. moral. cap. 2. num. 15.* ver. *Verum tamen.* Franciscus Niger. *in Addit. ad Ruiz part. 2. Reg. 3. quæst. 5.* Ruteus *lib. 3. de fructu sacrific. disput. 3. quæst. 1. num. 2.* Fraxinel. *De obligat. Sacerd. sect. 3. pranot. 4. §. 3. num. 4.* Diana *part. 5. tractat. 13. resolut. 2.* ver. *Verum ego.* Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 12.* ver. *In quibusdam.* Quartus *ad Rubr. Missal. part. 1. tit. 5. dub. 9.* ver. *Secunda sententia.*

3 Dicendom est. *Non posse celebrari Missas de Requiem pro viuentibus.* Ratio est. Quia Pius V. *in Bulla præfixa Missali*, strictè præcipit, vt omnes, qui celebrant secundum ritum Romanum, seruent ritum, modum, ac normam, quæ in Missali Romano reformato traditur. Ritus autem, & norma Missalis est, quod Missæ de *Requiem* dicantur pro Defunctis, & non pro viuis, quia assignantur pro Defunctis, & nequaquam pro viuis; vnde fieret mutatio ritus, & normæ præscriptæ, nam Missa assignata pro vno ordine personarum, ad alium transferretur; & inuerteretur, si Missæ Paschatis celebrarentur tempore Passionis; & Missæ Passionis tempore Paschatis, quæ sanè esset notabilis mutatio ritus prohibita in dicta Bulla.

4 Confirm. Ecclesia instituit has Missas pro Defunctis, & non pro viuis: ergo si Sacerdos eas celebret pro viuis, faciet contra intentionem ipsius; & viuens nullum percipiet fructum ex illis precibus, quatenus nomine Ecclesiæ Deo offeruntur: quia deficit intentio Ecclesiæ offerendi tales preces pro viuis, & ideò non interuenit vera oblatio nomine ipsius defectu intentionis, & consequenter, nec intercessio eiusdem Ecclesiæ. Nec dici potest, quod offerantur, vt habituræ effectum statim post mortem, & proinde adsit intentio Ecclesiæ. Quia vt vim habeant nomine Ecclesiæ, debent nomine ipsius offerri: & non possunt offerri nomine ipsius, nisi eius intentio concurrat quando offeruntur. Non concurrit autem, quia cum instituerit pro iam mortuis, non habet intentionem offerendi illas preces nisi pro iam mortuis.

5 An autem, & quale peccatum sit celebrare Missas de *Requiem* pro viuis. Resp. Posse excusari celebrantes, & curantes celebrari ratione prioris sententiæ, quæ non habeat plures Doctores, ex auctoritate sit probabilis. Sequendo tamen posteriorem sententiam erit peccatum mortale, quia materia est grauis, cum contineat notabilem mutationem ritus, quæ est grauiter prohibita in dicta Bulla Pij V. Rursus etiam curantes celebrari excusari possunt ex bona fide, quæ facilè suboriri potest ex desiderio propriæ vtilitatis.

6 Si quis autem inquirat, an locorum Ordinarij teneantur obuiare, ne introducatur consuetudo celebrandi Missas de *Requiem* pro viuis; aut eam extirpare, si sit introducta. Resp. teneri. Quia Concil. Trident. *sess. 22. in Decreto de celebratione Missarum*, iniungit Episcopis, vt *Caueant, ne Sacerdotes ritus, aut alias ceremonias, & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia approbatæ ac frequenti, & laudabili vsu receptæ fuerint.* Et infra concludit. *Hæc igitur omnia, quæ summatim enumerata sunt omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, vt non solum ea ipsa, sed quæcunque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi à Sacrosancta Synodo potestate, etiam vt delegati Sedis Apostolicæ prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inuiolatè seruanda censuris Ecclesiasticis aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur fidelem populum compellant.* Ritus autem celebrandi Missas de *Requiem* pro viuis non est approbatus ab Ecclesia: & pertinet ad ea quæ in virtute prædicti Decreti possunt, ac debent prohibere.

7 Nec obstat. Quod Concil. in dicto Decreto addat. *Hoc frequenti, & laudabili vsu receptæ fuerint.* Et ideò si hic ritus sit vsu receptus non debeat prohiberi. Quia Concil. ita statuit sub Pio IV. quando nondum Missale reformatum fuerat. Vnde cum posteà Pius V. reformato Missali prohibuerit celebrari, nisi secundum normam in ipso præscriptam, tenentur Episcopi, & Ordinarij prohibere omnem ritum, qui non sit approbatus ab Ecclesia, aut non sit conformis normæ præscriptæ in Breuiario.

8 Ex dictis colligitur. Quod dictum est de Missa de *Requiem* habere locum etiam in officio mortuorum. Quia ipsum quoque est institutum ab Ecclesia pro Defunctis, & pro ipsis tantum iuxta ritum Breuiarij Romani est recitandum. Quod autem viri pietate, & doctrina insignes sequuti sint in Praxi priorem opinionem, nihil iuuat, quia hoc factum est, quando in Ecclesia aderat maior libertas circa ritum diuinorum officiorum. At non modo sit sublata talis libertas, & addita prohibitio de quocunque ritu non approbato ab Apostolica Sede illa exempla non possunt admitti. Et quamuis Diuus Gregorius *lib. 4. Dialog. cap. 58.* dicat, quod tutius est, quod quisque agat per se dum viuit illud bonum, quod post mortem sperat agi per alios, non potest tamen inferri, quod faciat celebrare Missas de *Requiem.* Sed quod agat illo modo, quo peragi possit pro viuis.

9 Colligitur 2. Quod si pro viuo celebrentur Missæ de *Requiem.* Fructus non manebit reseruatus post eius mortem, sed tunc percipiet, quatenus erit capax. Nam, cum sit fructus ex opere operato, aut statim, aut nunquam sortitur effectum itavt nec suspendi possit, nec in aliud tempus reseruari, vt cum communi sententia suo loco ostensum est. Vnde quando sacrificium offertur aut pro peccatore, aut pro eo, qui non indiget, fructus satisfactionis non reseruatur in tempus, quo resurget à peccatis, aut indigebit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO 293.

An Missæ S. Gregorij debeant esse de Requiem.

SVMMARIVM.

1. *Missæ S. Gregorij unde ortum habuerint.*
2. *Qua Missæ S. Gregorij prohibita.*
3. *Missæ S. Gregorij an debeant esse de* Requiem *quando non obstant Rubricæ.*
4. *Quid quando obstant.*
5. *Casus omissus relinquitur dispositioni antiquæ.*
6. *Oblatio sacrificij pro defuncto debet accipi secundum subiectam materiam.*
7. *Missæ S. Gregorij admittunt Missam quotidianam pro defunctis.*

1 SOlent pro defunctis celebrari triginta Missæ, quæ dicuntur S. Gregorij, & hæc consuetudo ortum habuit ex eo, quod D. Gregor. interrogatus quomodo esset suffragandum certo defuncto, vt liberaretur à Purgatorio, respondit; *Vade ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo sacrificium, stude vt nullus omninò prætermittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris non offeratur, &c.* Ita *lib. 4. dialog. cap. 55.* Et ab eo tempore hoc factum transiuit in consuetudinem, quæ nunc quoque viget.

2 Est tamen aduertendum, quod licet S. Congregatio Rituum prohibuerit Missas S. Gregorij pro viuis, & defunctis, non tamen vetuit celebrari has triginta missas, sed tantum prohibuit quasdam Liturgias non approbatas, quæ dicebantur D. Gregor. vt declarauit eadem S. Congregat. *sub die 28. Octob.* 1628. quod Decretum fuit impressum. Et ita obseruane Gauant. *in rubr. missal. part. 1. tit. 5. numer. 3. littera D.* ver. *Dubitatum*, Lezana *tom. 1. quæst. regul. cap. 21. num. 23.* Quartus *in rubr. missal. sect. 5. quæst. proœm. punct. 4.* ver. *Aduertendum.* Dubitatur autem, an huiusmodi missæ debeant esse de *Requiem.*

3 Quod non debeant esse necessariò de *Requiem*, etiam in diebus, in quibus iuxta Rubricas celebrari possunt, tradunt Gauant. *in rubr. missal. part. 1. tit. 5. num. 3. littera D.* Lezana *tom. 1. quæst. regul. cap. 21. num. 23.* Tamburin. *Opusc. de sacrific. miss. lib. 2. cap. 6. §. 7. num. 3.* Quartus *in rubr. missal. quæst. proœm. sect. 4. punct. 4.* ver. *Dubitari etiam*, Becan. *part. 1. respons. casu 23.* vet. *Secundum nempe*, Fundantur in eo, quod D. Gregor. dicit solum, quod offeratur sacrificium, non autem requirit, quod missa sit de Requiem.

4 Alij vero videntur sentire, quod non debeant esse de *Requiem* ijs diebus, quibus non possunt secundum Rubricas celebrari, & proinde cum non omnes debeant esse de *Requiem* videntur tacitè sentire, quod debeant esse tales, quando possunt celebrari secundum Rubricas. Ita Posseuin. *de Offic. curati cap. 2. num. 44.* Fraxinel. *de obligat. sacer. sect. 4. conclus. 4. §. 5.* Bonac. *disp. 4. de sacram. quæst. vlt. punct. 7. §. 3. num. 6.*

5 Dicendum est, *Missas D. Gregorij esse celebrandas de* Requiem *ijs diebus, in quibus iuxta rubr. celebrari possunt.* Ratio est; quia D. Gregorius dicit, quod per triginta dies offeratur sacrificium pro defuncto: ergo cum non explicet cum qua missa sit offerendum, relinquit, quod offeratur secundum dispositionem Ecclesiæ, quia casus omissus relinquitur dispositioni antiquæ, *l. si verò, §. de viro, ff. Soluto matrim.* & *l. commodissimè, ff. de liber. & posth.* Ecclesia autem disposuit, & instituit speciales missas pro defunctis, vt cum ipsis offeratur sacrificium pro ijsdem.

6 Nec obstat, quod etiam sine tali missa possit offerri sacrificium, quia hoc solum fecit; quod non sit absolutè necessarium, quod offeratur cum missa de *Requiem*, quando scilicet iuxta Rubricas non potest talis missa recitari: non autem, quando potest recitari. Nam oblatio sacrificij pro defuncto debet accipi secundum subiectam materiam temporis, itavt quando potest recitari de *Requiem*, talis recitetur; quando verò non potest celebretur de tempore.

7 An autem missa de *Requiem* debeat esse pro illo tantum defuncto, pro quo offertur sacrificium, an vero possit esse missa quotidiana defunctorum. Resp. Posse celebrari missam quotidianam; quia dum in ipsa recitantur preces pro omnibus defunctis, comprehenditur etiam defunctus, pro quo offertur sacrificium. Nec consortium aliorum defunctorum ad participandum fructum precum Ecclesiæ tollit; quin defunctus percipiat proprium fructum horum sacrificiorum, dum pro ipso offeruntur.

QVÆSTIO 294.

An Missæ D. Gregorij debeant esse continuæ.

SVMMARIVM.

1. *Missæ D. Gregorij an debeant esse continuæ*, & num. seq.
3. *Si non essent continuæ, non essent secundum institutionem S. Gregorij.*
4. *Dictio,* Omninò, *habet vim Decreti irritantis.*
5. *Cur requiratur continuatio in Missis S. Gregorij. Continuatio in oratione est æstimabilis.*
6. *Cur triduum maioris hebdomadæ non obstet continuationi Missarum S. Gregor. Feria V. & Sabbato maioris hebdomadæ celebrari potest si cœpta sint Missa S. Gregor.*
7. *Omissio Missæ in ferys sextis quadragesimæ non tollit continuationem Missarum S. Gregor. in Ecclesia Ambrosiana.*

1 PRima sententia asserit, non esse necessarium, quod continuentur, sed posse interrumpi non solum, quando iuxta ritum Ecclesiæ non potest offerri sacrificium, sed etiam ex aliqua rationabili causa. Ita Fraxinel. *de obligat. sacerd. sect. 4. conclus. 4. §. 5.* Bonac. *disp. 4. de sacram. qu. vlt. punct. 7. num. 7.* Homobon. *part. 1. exam. Eccles. tract. 4. cap. 14. resol. 127.* Diana *part. 2. tract. 14. resol. 32.* Lezana *tom. 1. qu. regul. cap. 21. num. 23.* Fundamentum est; quia obligatio celebrandi intelligitur salua decentia, & honestate: honestas autem patitur, vt aliquando missa intermittatur. Deinde quia licet missæ relatæ ad locum debeant esse continuæ relatæ tamen ad personam, non debent esse necessariò continuæ, vt desumitur ex cap. *cum creatura, de celebrat. missar.* sed sufficit, quod continuentur, quò magis fieri potest.

2 Secunda sententia asserit, debere continuari triginta dies sine interruptione, dummodo hi dies non coincidant cum triduo maioris hebdomadæ, in quo iuxta Ecclesiæ institutum non celebratur. Ita Gauant. *in rubr. missal. part. 1. tit. 5. num. 3. littera D.* Tambur. *Opusc. de sacrific. miss. lib. 2. cap. 6. §. 7. num. 5.* Quartus *in rubr. missal. sect. 4. qu. proœm. punct. 4.* ver. *Opposita tamen.*

3 Dicendum est; *Has triginta missas, D. Gregorij esse celebrandas sine interruptione.* Itavt, nisi celebrentur

tur sine interruptione non valeant tanquam Missæ S. Gregor. sed solum vt Ordinaria sacrificia. Hoc autem intelligitur, dummodo isti triginta dies non coincidant cum triduo maioris hebdomadæ: nam in feria quinta, & Sabbatho non solet celebrari, in feria verò sexta non potest. Ratio est; quia hæ Missæ sunt celebrandæ secundum institutionem S. Gregorii, alioquin non habebunt effectum, ad quem secundum illam institutionem ordinantur. Secundum autem dictam institutionem debent continuò celebrari, & sine interruptione; nam S. Gregor. dicit, *Diebus triginta continuis*; dictio autem *continuis* expressè requirit continuationem. Rursus subdit, *Vt nullus omninò prætermittatur dies*, prætermitteretur, si interrumperentur.

4 Et est notanda dictio illa, *Omninò*, quæ facit, quod nullo prorsus modo possit omitti aliquis dies, in quo non offeratur sacrificium. Habet enim vim decreti irritantis, itavt nullum reddat, quicquid fit contra præscriptionem, vt obseruant Lambertin. *de iure patronat. lib. 2. part. 1. qu. 7. art. 30. num.* 19. Osasch. *decis. Pedemon.* 165. *num.* 14. Marescot. *lib. 2. Variar. resol. cap.* 29. *num.* 11. Matienzo *ad lib. 5. noua Recopilat. l. 1. Gloss.* 4. *num.* 18. *in fine, tit.* 4. Vnde si celebrarentur cum interruptione, non essent Missæ secundum institutionem S. Gregorii.

5 Dices; hanc continuationem sapere superstitionem, & proinde non posse esse necessariam. Resp. Nequaquam sapere superstitionem, quia si saperet, neque possent hæ Missæ continuò celebrari, nam admitteretur aliquid superstitiosum. Sed requiritur ista continuitas ad eleuandum suffragium ad maiorem æstimabilitatem, nam pluris fiunt, quæ continuantur, quem quæ cum interruptione exhibentur; vnde pluris fiet donum centum aureorum, quam si diuersis vicibus eadem summa donetur. Et continuitas æstimatur præsertim in oratione; vnde 2. *Machab.* 13. Iudas præcepit populo, vt continuò die, ac nocte orarent Dominum, atque adeò omnes per triduum continuum prostrari orauerunt.

6 Ex dictis colligitur. Quod licet in triduo maioris hebdomadæ possint interrumpi hæ Missæ, quia continuitas intelligitur secundum ritum Ecclesiæ, si contingat, eum qui incœpit has Missas, celebrare in feria quinta, & Sabbatho, tenebitur offerre pro defuncto, pro quo incœpit has triginta Missas; non autem in feria sexta, quia tunc non offertur sacrificium, sed consumuntur præsanctificata. Rursus poterit ad continuandas, si velit, celebrare in dicta feria quinta, & Sabbatho, & hæc erit sufficiens causa celebrandi. Non tamen erit necessarium, nam poterit se conformare consuetudini Ecclesiæ.

7 Colligitur 2. Quod apud Ecclesiam Ambrosianam, iuxta cuius ritum nulla feria sexta Quadragesimæ celebratur Missa, non censeri interrumpi Missas S. Gregor. si in ijs diebus non celebrentur, vt aduertit etiam Bonac. *disp. 4. de sacram. qu. vlt. punct.* 7. §. 3. *num.* 7. Cum enim ritus Ambrosianus sit approbatus ab Ecclesia, & hæ Missæ debeant esse continuæ, quantum admittit ritus Ecclesiæ, non est necessarium, quod continuentur, quando iuxta ritum Ecclesiæ, apud quam celebrantur, non possunt continuari.

QVÆSTIO 295.

An Missæ S. Gregorij debeant ab eodem Sacerdote celebrari.

SVMMARIVM.

1. *Missæ S. Gregorij an ab eodem celebrandæ sint.*
2. *Quid colligatur ex verbis S. Gregorij.*
3. *Si qui cœpit non possit perficere Missas S. Gregor. possunt suppleri ab alio.*

QVod non sit necessarium, quod celebrentur ab eodem Sacerdote, sed possint celebrari modo ab vno, modo ab alio, tradunt Gauant. *in Rubricas Missal. part. 1. tit. 5. num. 3. littera D.* Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 6. §. 7. num.* 4. Lezana *tom. 1. qu. Regular. cap. 21. num.* 23. Et fundantur in eo, quod D. Gregor. dixit, *Offerre stude*, non autem dixit *Offer*. Deinde, quia esset onus nimis graue, si obligaretur idem Sacerdos per triginta dies continuò offerre. 1

Verum ex verbis D. Gregor. oppositum potius deducitur; nam non dicit *offerri stude*, sed *offerre stude*, offerre autem habet significationem actiuam, quæ refertur ad eum, cum quo loquebatur D. Gregor. & proinde dixit quod ipse offerre studeret. Deinde interpunctio virgulæ non est ponenda post verbum, *stude*, sed ante ipsum immediatè post *offerre*. Vnde legendum est; *Vade ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo sacrificium; stude, vt nullus omninò prætermittatur dies, &c.* Itavt sensus sit. Vade offerre, & stude, vt nullus prætermittatur dies, &c. Et hic sensus planior est, & naturalior. Si autem ita legatur iam constat, quod ille, cum quo loquebatur debebat offerre, dum dixit. *Vade offerre*, hoc est vade, & offer; seu vade ad offerendum. 2

Itaque videtur probabilius, quod inhærendo historiæ S. Gregorij debeant hæ triginta Missæ ab eodem Sacerdote celebrari, vt constat ex modo dictis; nam si celebrentur ab eodem habent illam continuatam instantiam oratio, & perseuerantiam oblationis sacrificij, quæ coniuncta cum continuatione sacrificij ab ipso eleuatur, vt sit satisfactiua pœnarum, & impetratiua liberationis animæ purgantis. Hoc tamen ita accipi debet, vt si contingat non posse ab eodem Sacerdote celebrari, vel quia superueniat mors, aut infirmitas, possit alius in se suscipere continuationem, & supplere, quod ipse non potuit complere, sicut quando contingit, quod Sacerdos non potest complere sacrificium, & alius complet; sicut enim tunc est vnum, & idem sacrificium, ita etiam in præsenti erunt eædem Missæ, quia quæ celebrantur à posteriori Sacerdote, sunt in supplementum incœptarum à primo. 3

QVÆSTIO 296.

An, & qualem fructum habeant Missæ S. Gregorij.

SVMMARIVM.

1. *Quam vim habeant Missa S. Gregorij.*
2. *Non possunt habere vim liberandi animam à Purgatorio ratione impetrationis.*
3. *An liberent animam ratione indulgentiæ annexæ.*

4. An

4. *An quia repræsentent triginta annos vitæ priuatæ Christi in domo paterna.*

1 DIuus Gregorius iniunxit Abbati Pretioso, vt illas Missas celebraret pro Iusto monacho defuncto, quibus celebratis, liberatus est à Purgatorio. Ex quo colligitur, quod vltra fructum regularem habeant aliquem specialem fructum, nam si triginta missæ ratione satisfactionis satisfecissét pro liberanda illa anima, id etiam obtinuissent, si eodem die celebratæ fuissent. Et ideò videtur colligi, quod habeant vim liberandi à Purgatorio. Quomodo autem id contingat, & an semper, est valdè difficilè explicare.

2 Primus modus explicandi est. Quod D. Gregor. impetrauerit hanc gratiam à Deo, vt pro quocunque offerentur triginta sacrificia modo explicato, à Purgatorio liberaretur. Verum difficultatem patitur, quia pœnæ non remittuntur ratione impetrationis, nisi etiam accedat æquiualens satisfactio. Non semper autem satisfactio triginta missarum erit æquiualens. Nec dici potest, quod Deus excitet fideles ad offerenda alia suffragia pro illa anima vsque ad æqualitatem, quia hoc sine vllo fundamento dicitur; nec constat, quod D. Gregor. facta sit promissio de huiusmodi excitatione. Imò aliquando est impossibilis, quia non potest quis excitari ad orandum pro mortuo, quem non scit esse mortuum, contingere autem potest, quod quis moriatur inter infideles, vbi adsit tantum aliquis Sacerdos, qui per triginta dies pro ipso celebret, & vltra trigintá transeant plures dies, antequam aliis fidelibus mors innotescat.

3 Secundus modus est. Quod D. Gregor. concesserit indulgentiam plenariam pro Defuncto sub iniunctione talis operis, si tunc erat summus Pontifex, per modum suffragij; vel eam impetrauerit à Pontifice vigenti si nondum erat. Ita Quartus *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 5. dub. 16. ver. Secundus modus.* Verum hoc quoque sine fundamento dicitur, cum de tali concessione non constet. Etsi nondum erat summus Pontifex non ita absolutè dixisset. *Vade offerre, &c.* Deinde si voluisset hanc indulgentiam concedere, suffecisset vnicum sacrificium sicut modo conceditur in altaribus priuilegiatis.

4 Tertius modus est. Quod istæ Missæ reuocent in memoriam merita S. Gregorij, & quod ab ipso institutæ sint in honorem triginta annorum, quibus Christus commoratus est in domo priuata suæ sanctissimæ matris. Et quod habeant vim ratione Christi Immolati. Ita Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 6. §. 7. num. 5. ver. Secundo.* Verum ratione Christi immolati non exhibent maiorem satisfactionem, quàm exhiberent eodem die celebratæ, aut per longius tempus. Quod autem reuocent in memoriam merita D. Gregorij, aut quod sint institutæ in honorem triginta annorum Christi, non exhibet satisfactionem compensantem pœnam soluendam, sine qua non potest haberi liberatio, quid aut dicendum sit, fateor, nihil occurrere, quod satisfaciat.



DE SVPPLENDIS
DEFECTIBVS OCCVRRENTIBVS in oblatione sacrificij.



VBIACENT actiones humanæ pluribus defectibus, quia proueniunt à principio defectibili, qualis est natura humana, quæ proinde possint in operando deficere & coadiuuant etiam cæteræ causæ creatæ, quorum concursu indiget homo in suis operationibus, vtpotè quia etiam ipsæ sunt defectibiles. Vnde nimirum si in oblatione sacrificij contingant defectus, quia licèt Sacerdos offerat in persona Christi, & Ecclesiæ, quia tamen oblatio ab ipso reducitur adesse, ideò subit conditiones humanæ operationis.

QVÆSTIO 297.

An & quales defectus supplendi sint.

SVMMARIVM.

1. *Defectus contingentes in oblatione sacrificij sunt duplicis generis.*
2. *Defectus substantiales ex triplici capite.*
3. *Defectus substantiales sunt supplendi in sacrificio.*
4. *Id exigente aut essentia aut integritate.*
5. *Cœpta Missa est relinquenda si prævideatur substantialis defectus eus occurri non possit.*
6. *Quid si cœpta sit consecratio.*
7. *Sub quo peccato præcauendi defectus accidentales.*
8. *Quando supplendi defectus accidentales.*
9. *Inuertere ordinem Missæ, maior defectus, quàm alius accidentalis.*
10. *Quid præstandum in supplendis defectibus.*
11. *Celebrans quid eligere debeat pro supplendis defectibus.*

DEfectus, qui contingere possunt in oblatione sacrificij, vt notant communiter Doctores, sunt duplicis generis. Alij enim sunt substantiales, quia licet contingant in substantia sacrificij: alij verò sunt accidentales, quia sunt extra substantiam sacrificij. Rursus substantiales sunt, vel essentiales, qui destruunt essentiam sacrificij, quia scilicet deficit aliquid, sine quo non potest subsistere essentia sacrificij: vel integrales quia faciunt deficere aliquid substantiale, quod non est de essentia sacrificij, vt sunt ij, qui contingunt in sumptione sacrificij, quæ est de integritate substantiali eiusdem sacrificij, vt suo loco dictum est. Accidentales contingunt aut circa partes substantiales, aut circa accidentales. Rursus hi aut sunt circa ritus, & partes principales; aut circa partes, & ritus minus principales. 1

Supponendum autem est. Defectus substantiales essentiales ex triplici capite oriri posse, nempè ex parte materiæ, ex parte formæ consecrantis, & ex parte intentionis. Cum enim ad sacrificium constituendum 2

tuendum requiratur materia, & forma tanquam partes essentiales, & intentio Ministri tanquam causa determinatiua actionis sacrificatiuæ, ideo ex defectu ipsorum corruit essentia sacrificij, quia corruit existentia, sine qua nec subsistit essentia. Defectus autem substantiales integrales contingunt tantum ex vnico capite, nempe ex consumptione sacrificij, quia potest desicere vel secundum partem, vel secundum se totum. Et ita docent communiter Doctores.

3 Dicendum 1. *Defectus substantiales esse omninò supplendos.* Hoc autem intelligitur non solum de defectibus substantialibus essentialibus, sed etiam de substantialibus integralibus. Ita communiter D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 6. & ibi Interpretes D. Antonin. 3. *part. tit.* 13. *cap.* 6. Angel. *verbo* Missa, *num.* 15. Tabiena *num.* 36. Syluest. *verbo* Eucharistia 2. *num.* 14. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 36. Suarez *disp.* 85. *de Eucharist. sect.* 1. Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.* 10. *num.* 2. Bartholom. ab Angelo *dialog.* 5. *de miss.* §. 678. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 16. ver. *Primò si*, Garzia *in summ. tractat.* 3. *difficult.* 9. *dub.* 1. *punct. vlt. numer.* 45. Coninch *de sacram. quæst.* 83. *art.* 6. *dub.* ... *numer.* 281. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disput.* ... *punct.* 11. *num.* 6. Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 15. *num.* 286. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *num.* 2. Tanner. *tom.* 4. *disput.* 5. *qu.* 10. *dub.* 7. *num.* 110. Gaspar Hurtad. *de sacrament. disput.* 4. *de sacrific. Miss. difficult.* 13. Trullench. *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 8. *dub.* 23. Villalob. *part.* 1. *sum. tract.* 8. *difficult.* 32. *num.* 2. Quartus *in Rubric. Missalis*, *part.* 3. *tit.* 1. *dub.* 2. & ita etiam præscribunt Rubricæ Missalis.

4 Ratio autem est; quia si substantiales defectus sunt essentiales, remanet nullum sacrificium, quia in rebus omnibus quicquid desit circa essentiam, destruitur illa essentia, siquidem essentiæ sunt, sicuti numeri, quæ consistunt in indiuisibili, & proindè per quamlibet detractionem, aut additionem destruuntur. Si verò non sunt essentiales, sed integrales sunt supplendi, quia sacrificium exigit suam substantialem integritatem. Ex quo fit, quod celebrans teneatur supplere hos defectus sub peccato mortali, quia est graue sacrilegium reddere initum sacrificium, aut imperfectum, & sic grauia iniuria Deo, quia in materia adeò graui, & in qua Sacerdos fungitur vicibus Christi, non seruat eiusdem institutionem, & mandatum.

5 Ex quo fit; quod si Sacerdos incœpta missa prævideat defectum aliquem substantialem, cui obuiari non possit, teneatur relinquere missam cauendo scandalum omni meliori modo quo fieri potest, aliòquin defectus substantialis sacrificij esset ipsi voluntarius, atque adeo imputabilis. Et quamuis aliqui, vt Adrian. *in* 4. *quæst.* 6. *de Eucharist.* ver. *Pro respons.* Bonac. *disp.* 4. *de sacram. quæst. vlt. punct.* 10. *num.* 2. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 35. *quæst.* 6. Barthol. ab Angelo *dialog.* 5. *de missa*, §. 634. velint, quod ad vitandum scandalum graue posset celebrans prætermittere supplementum, quia tunc præceptum diuinum de perfectione substantiali sacrificij tanquam positiuum non obligat, attamen non video, quod hoc locum habere possit, quia si celebrans faciat innotescere defectum adstantibus ad summum notabitur de negligentia in præparandis prius, quæ sunt necessaria pro sacrificio, quod non potest præualere præcepto diuino de perfectione substantiali sacrificij, & ita notant Vasquez 3. *part. disp.* 233. *num.* 19. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 16. ver. *Sexto dicebat*, Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *qu.* 1. *num.* 10.

6 At si cœpta sit consecratio in aliqua specie, debet curare, quantum potest, supplere defectum substantialem differendo etiam complementum sacrificij per aliquod tempus, & ad vitandum scandalum, seu populi admirationem, debet monere de necessitate differendi complementum sacrificij, si autem præuideat, quod non possit occurrere aliquo pacto defectui, sufficit, si meliori modo, quo potest, compleat sacrificium.

Dicendum 2. *Defectus accidentales esse præcauendos sub peccato vel mortali, vel veniali iuxta ipsorum grauitatem, vel lenitatem.* Est contra Quartum *in Rubricas Missal. part.* 3. *tit.* 1. *dub.* 3. *init.* qui absolutè asserit, esse præcauendos sub mortali peccato, Ratio est, quia non adest obligatio maior ad eos præcauendos, quam ad non committendos. Si autem voluntariè inducerentur, non semper esset peccatum mortale, sed etiam aliquando tantum veniale pro grauitate, vel leuitate materiæ, vt constat ex dictis in Superioribus. De omissione precum vel rituum, quid autem sit faciendum, si præuideantur ante inchoatam missam, vel ea iam inchoata, constat ex dictis de impotentia seruandi sacros ritus in ipsa celebratione. 7

Dicendum 3. *Defectus accidentales non esse supplendos, nisi quando suppleri possunt absque eo, quod inuertatur ordo Missæ.* Ita desumitur ex D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 6. *ad* 5. & tradunt communiter Doctores Suarez, *disp.* 85. *de Eucharist. sect.* 2. *conclus.* 2. Diu. Antonin. 3. *part. tit.* 13. *cap.* 6. Azot. *part.* 1. *sum. lib.* 10. *cap.* 35. *quæst.* 9. Angel. *verbo* Missa, *num.* 14. Tabiena *num.* 35. Syluester *verbo* Eucharistia 2. *num.* 14. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 36. *numer.* 2. Graf. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 46. *numer.* 1. Nugnus 3. *part. quæst.* 83. *art.* 6. Coninch *ibidem num.* 281. Filliuc. *tractat.* 5. *cap.* 5. *num.* .. Bartholom. ab Angelo *dialog.* 5. *de missis*, §. 168. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 9. Bonac. *disp.* 4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.* 10. *num.* 3. Auersa *quæst.* 15. *de Eucharist. sect.* 14. ver. *Nonò si contingunt*, Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disp.* 4. *dub.* 15. *num.* 290. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disput. vn. punct.* 11. *num.* 6. Gaspar Hurtad. *de sacrament. disp.* 4. *de sacrific. Miss. difficult.* 13. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 1. *dub.* 2. ver. *Dico* 2. & alij, qui docent, non esse repetendum, quod in missa omissum est, quæ supra suo loco recensui. 8

Ratio est. Quia si defectus accidentales suppleantur quando non est inuertendus ordo missæ, excluditur defectus, & nullum inducitur incommodum. Si verò est inuertendus ordo missæ, maior deformitas sequitur ex supplemento defectus, quàm ex ipso defectu. Siquidem in composito ex partibus hæterogeneis, quale est corpus organicum, in quo partes habent singulæ suum proprium locum, maior deformitas consurgit si aliquam pars reponatur in loco alieno, aut si multiplicetur, aut alio modo inuertatur ordo ipsarum, quàm, si deficiat aliqua pars, & defectuosè se habeat. 9

Est tamen aduertendum circa hos defectus supplendos, vt notant Nauar. *in manual. cap.* 25. *num.* 91. Syluest. 3. *part. qu.* 83. *art.* 6. *cap.* 2. Auersa *qu.* 11. *de Eucharist. sect.* 16. ver. *Septimò*, *circa modum*, Quartus *in rubr. missal. part.* 3. *tit.* 1. *sect.* 1. *dub.* 2. *in fine*. Sacerdotem debere præstare in supplendis defectibus, quod tunc iudicat esse præstandum, & expedite, nec debet locum dare scrupulis; quod si postea reperiat se errasse, non per hoc debet inquietari, quia bona fides ipsum excusat. 10

Secundò est aduertendum, quod in supplendis defectibus debet celebrans eligere, quod magis expedit ad causandam minorem admirationem, & commotionem in adstantibus, vt eum D. Th. 3. *part. qu.* 83. 11

*quæst.*83. *art.*6. *ad* 5. notant Suarez *disp.*85. *de Eucharist.sect.*2. *conclus.*2. Auersa *quæst.*11. *de Euchar.sect.*16. vet. *Septimò circa modum.* Tambur. *Opusc. de sacrif. Miss.lib.*2. *cap.*5. §.2. *num.*23. Quartus *in Rubr. Miss. part.*1. *tit.*1. *sect.*1. *dub.*3. *in fine.* Nam semper cauenda sunt, quæ offendunt populum, & debemus nos ostendere irreprehensibiles præsertim in actionibus tanti momenti, qualis est oblatio sacrificij, & proinde tollere, quantum fieri potest, causam admirationis, & commotionis.

QVÆSTIO 298.

Quomodo supplendi sint defectus substantiales materiæ.

SVMMARIVM.

1. *Ante consecrationem debet remoueri materia inepta, si aduertatur.*
2. *Defectus substantialis in materia si aduertatur ante consecrationem relinquenda Missa.*
3. *Relinquenda Missa, si prauideatur ante consecrationem, quod non poterit consumi.*
4. *Quid faciendum si post consecrationem aduertatur defectus substantialis.*
6. *Error excludit intentionem.*
5. *Sacrificium necessario perficiendum consecratione vtriusque speciei.*
6. *Quid, si non possit haberi materia pro substituenda specie inhabili.*
7. *Stante vnica specie cur prosequendum in Missa.*
8. *Defectus substantialis supplendus, quando supplementum coniungi potest praexistenti.*
9. *Quid si aduertatur defectus post discessum ab altari.*

1 DEfectus substantiales materiæ aduerti possunt vel ante consecrationem, vel post consecrationem. Si aduertantur ante consecrationem, debet remoueri materia inepta, & reponi apta, vt docet Rubrica *part.* 3. *tit.*1. Etsi sit facta oblatio, debet materia noua offerri oblatione saltem mente concepta. Difficultas tamen est, quid faciendum si non possit haberi apta, aut saltem sit diù expectandum.

2 Dicendum est 1. *Si ante consecrationem aduertatur defectus substantialis in materia, nec possit haberi materia apta, debet relinqui Missa in quocunque statu reperiatur.* Ita communiter Doctores, Suarez *disp.*81. *de Eucharist.sect.*1. *init.* Tamburin. *Opuscul. de sacrific. Miss. lib.* 2. *cap.*5. §.2. *num.*29. Quartus *in Rubricas Missalis, part.*1. *tit.*3. *sect.*2. *dub.*1. ver. *Resp. & dico.* Ratio est. Quia sine vera materia non potest sequi sacrificium, vnde si continuaret committeret graue sacrilegium, quia proferret verba consecrationis super materia inepta, & nihil conficeret, & in prosequutione Missæ ratione cultus Latriæ qui exhibetur Christo, vt Deo, committeret idololatriam, & etiam esset causa, quod populus committeret idololatriam materialem, & hoc est verum, siue vnica tantum species sit inhabilis pro consecratione; siue vtraque; nam hæc absurda contingerent circa vnicam tantum speciem.

3 Dicendum 2. *Si ante consecrationem prauideatur defectus consumptionis subsequutura, adhuc est relinquenda Missa.* Ita Doctores *num. præcedent. citat.* Ratio est; quia consumptio pertinet ad integritatem substantialem sacrificij de iure diuino; & ideò,

qui non est habilis ad consumendum, est etiam inhabilis ad offerendum sacrificium, quia non potest ipsum perficere. Quia autem cum inhabilitate offert sacrificium committit graue sacrilegium, præsertim si inhabilitas sit de iure diuino, qualis est ista.

Dicendum 3. *Si post consecrationem aduertatur defectus substantialis alicuius speciei, debet de nouo fieri consecratio in materia apta illius speciei, siue aduertatur ante consumptionem, siue post ipsam.* Ita 4 Rubric. *part.* 3. *tit.*3. *num.*5. & communiter notant Doctores præsertim infra citandi *quæst. sequent.* Est tamen aduertendum, quod species illa, quæ tanquam vera materia fuit consecrata, si non fuit consumpta est reuerenter tractanda. Et ideò vel comburi debet à celebrante post consumptum sacrificium, aut tradere alicui consumendam, quia est aliquo modo sanctificata per oblationem. Ita notant nonnulli Doctores ex Rubrica *citat.* quod tamen patitur difficultatem; quia, cum non sit apta ad consecrari, nec etiam est apta ad offerri in ordine ad consecrationem; & ideò cum oblatio sit pro materia apta pro consecratione, & in ordine ad ipsam, non videtur sortiri aliquem effectum sanctificationis defectu habilitatis materiæ, & ex errore prolatæ supra materiæ inhabili. Error autem excludit intentionem, sine qua verba non operantur, *l. si per errorem, ff. de iurisdict. omn. indic.* & *l. idcircò, Cod. de iur. & fact. ignor.*

Ratio autem est. Quia ad essentiam sacrificij, 5 vt suo loco dictum est, requiritur consecratio vtriusque speciei, alioquin non potest repræsentare sacrificium cruentum Crucis, & consequenter non esset verum sacrificium, nec illud, quod est institutum à Christo: ergo ex omni capite necessarium est, quod perficiatur consecratione vtriusque speciei, quia vrget institutio diuina, cui de iure debemus nos conformare, & cedunt omnia alia iura inferiora, etiam ordinis, qui requiritur inter species consecrandas, nempè vt priùs consecretur panis, deinde vinum.

Dicendum 4. *Si non possit haberi materia apta pro substituenda specie reperta inhabili prosequenda est Missa more consueto: ita tamen, vt omittantur illa verba, cruces, & quæ caderent supra speciem, quæ deest.* Ita communiter Doctores Suarez *disp.*85. 6 *de Eucharist.sect.*16. vet. *Quintò, si Sacerdos.* Tamburin. *Opuscul. de sacrific. Miss. lib.*2. *cap.*8. §. 5. *num.* 2. Quartus *in Rubricas Missal. part.* 3. *tit.* 3. *sect.*2. *dub.* 1. vet. *Dico secundò.* Et ita etiam notat Rubric. *part.* 3. *tit.* 4. *de defect. vin. num.* 8. & modus est congruus, quia cœpto sacrificio debet perfici eo meliori modo, quo potest. Cùm igitur non possit perfici secundum vtramque speciem, debet perfici secundum naturam, cum omissione eorum, quæ concernunt speciem, quæ deest.

Dices. Dum est consecrata vnica tantum species, nec potest consecrari secunda, non adest verum sacrificium, quia non saluatur in vnica specie: ergo nec etiam adest necessitas perficiendi. Et 7 proinde Suarez *citat. num. præced.* videtur in hanc partem inclinare, licet ob auctoritatem Rubricæ oppositum teneat. Resp. Quod sicut oblatio sacrificij constat ex duplici parte substantiali, & rituali: ita etiam fundat duplicem exigentiam perfectionis, nempè substantialis, & ritualis, posita vnica specie adest in ipsa exigentia alterius speciei tanquam compartis, & etiam totius ritus instituti ab Ecclesia pro sacrificio. Posita verò inceptione ritus adest exigentia complementi ipsius. Vnde falsum est, quod in casu proposito non adsit exigentia complementi, cum adsit ex duplici capite,

Tt &c.

& ideò licet non possit haberi complementum substantiale, etit ponendum rituale.

8 Est tamen aduertendum, qnod tunc defectus substantiales supplendi sunt, quando supplementum coniungi potest eum præcedenti sacrificio, vt notant Suarez *disput.85. de Eucharist. sect.1.* ver. *Ad primam confirmat.* Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect.16.* ver. *Quintò.* Coninch *de sacrament. quæst.83. art.6. dub.... num.280.* Qnartus *in Rubricas Missal. part.3. tit.3. sect. 2. dub.3.* ver. *Respondeo.* Vnde suppleri possunt, & debent, si Sacerdos adnettat, quandiù durat celebtatio, etiamsi aliquo tempore expectandum esset; quia si interrumpitur Missa ob alias eausas, vt ob concionem, &c. à fottiori potest intertompi, vt expectetur materia apta pro supplendo substantiali defectu. Interim tamen non debet celebrans discedere ab Altari.

9 Completa verò Missa, si discedat ab altari, & tonc aduertat aliquem defectum, non debet supplere, quia tanquam peracta functione, in qua offerebatur sacrificium, non potest quod subsequitur, componere cum præcedenti sacrificio, atque adeò nec esse supplementum ipsius: sed potius inchoaretur nouum sacrificium. Vnde Sacerdos, si vellet tunc supplere, committeret graoe sacrilegium, non secus, ac si nounm institueret saerificium, quod tamen relinqueret imperfectum.

QVÆSTIO 299.

Quid agendum, si sumpta vna specie deprehendatur defectus substantialis alterius.

SVMMARIVM.

1. *Quid agendum, si sumpta vna specie detegatur substantialis defectus alterius,* & num. seq.
2. *Quid doceat Rubrica.*
4. *Illa tantum species consecranda, quæ deficiens est. In sacramentis non est iterandum, quod est factum, sed supplendus defectus.*
5. *Consecratio vtriusque speciei non potest supplere defectum substantialem.*
6. *Idem non potest esse pars duplicis compositi.*
7. *Rubrica circa defectus Missæ sunt doctrinales. Admittunt etiam consecrationem vnius speciei pro inhabili supplenda.*
8. *Ordo consecrationis specierum non est essentialis: & ideo pro supplendo defectu prior potest consecrari posteriori loco.*
9. *Explicatur Concil. Toletanum.*
10. *Vt possit consecrari species in supplementum sufficit duratio moralis sacrificij.*
11. *Consumens aduertens defectum substantialem vini, non debet expuere.*
12. *Consecrans speciem inhabilem malitiosè, tenetur consecrare speciem habilem, si pœniteat.*

1 PRima sententia asserit, quod si sumpta aliqua ex speciebus, aut vtraque, deprehendatur substantialis defectus alterius, tone debere consecrari vtramque speciem. Ita D. Thom. *3. part. quæst. 83 art.6. ad 4.* Palud. *in 4. distinct.11. quæst.1. artic. 2.* Syluester *verbo* Eucharistia *2. num.14.* Ledesma *part. 1. summ. cap.25. de Eucharist.* Granad. *3. part. controuers. 6. artic. 14. disputat. 16. num. 5.* Francisc. Lugo *lib.5. de sacrament. cap. 10. quæst. 1. num. 17.* & hanc opinionem amplecti posse, quando secretò celebratur tradunt Sotus, Suarez, Coninch. & Trullench, Syluius, Nugnus, Azor. infra citandi.

Fundamentum est, quia ita faciendum docet Rubrica *part. 3. tit. 3. de defectibus panis, num. 6.* ibi: *Quod si hoc contingat post sumptionem sanguinis apponi debet rursus nouus panis, & vinum cum aqua, & facta prius oblatione vt supra, Sacerdos consecret incipiendo ab illis verbis. Qui pridiè, ac statim sumat vtrumque, & prosequatur Missam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, & vt debitus seruetur ordo.* Secundò. Quia debet seruari, vt innuit Rubrica modo allata debitus ordo in coosectatione specierum, itavt post consecrationem panis consecretur vinum. Tertiò, quia consumpta specie, quæ verè fuit consectata non remanet actio consecrandi, cum transierit: ergo, vt possit consecratio fieri, debet vtraque species consecrari. 2

Secunda sententia asserit, esse consecrandam tantum illam speciem, quæ deest, siue sit species vini, siue panis. Ita Scotus *in 4. distinct.8. quæst.3. §. Respondeo.* Sotus *distinct.3. quæst.2. art.6. ad 4.* Gabr. *lect.10. in Canon. Miss.* Nauarr. *cap. 25. Manual. num.91.* Henriquez *lib. 9. summ. cap. 34. num. 4.* Rodriguez *part.1. summ. cap. 251. num. 1.* Angel. *verbo* Missa, *num.17.* Suarez *disput.85. de Eucharist. sect.1.* ver. *Atque ex hic.* Qui tamen in fine inclinat potius ad oppositam sententiam. Coninch *de sacrament. quæst.83. art.6. num.277.* Vasquez *3. part. quæst. 83. artic. 6.* Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disput.4. dub.15. num.289.* Reginald. *lib.29. praxis fori pænit. num.213.* Bonac. *disput.4 de sacrament. quæst. vlt. punct.10. num.5.* Auersa *quæst.11. de Eucharist. sect.16.* ver. *Attamen etiam.* Filliuc. *tract. 5. num.161.* Villalob. *part.1. sum. tract.8. difficul. 32. num.5.* Layman. *lib.5. Theol. moral. tract.5. cap. 7. in fine.* Facundez *praecpt. 1. Eccles. lib. 3. cap. 19. num.11.* Tolet. *lib. 2. sum. cap.9.* Fernandez *par.3. Exam. Theolog. moral. cap.5. §. 15.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 33. quæst.6.* Nugnus *3. part. quæst. 83. art.6. dub.2.* Syluius *quæst.80. art.8. casu 2.* Ioan. à Cruce *part. 2. direct. conscient. quæst. 5. de Missa, dub. 1.* Palaus *part. 4. oper. moral. tractat. 22. disput. vnic. punct.11. num.7.* Tanner. *tom.4. disp.5. quæst.10. dub.7. num. 116.* Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disputat. 4. de sacrific. Miss. difficult. 13.* ver. *Tertiò, si Sacerdos.* Trullench *lib. 3. de sacrament. cap.8. dub.23. num.4.* Becan. *de sacrif. Miss. cap.21. quæst.2.* Baunius *part. 1. Theolog. moral. tractat. 6. quæst. 20.* Ludouic. à S. Ioan. *in summ. quæst. 7. de Eucharist. art.16. difficul.6.* Garzia *in sum. tract.3. difficul. 9. dub.1. punct. vlt. num.47.* Quartus *in Rubricas Missal. part.3. tit. 3. sect.2. dub.2.* Tamburin. autem *Opusc. de sacrific. Miss. lib.2. cap.8 §.5. num.3.* vtramque opinionem putat probabilem, & quæ in praxi tutò acceptari possit. 3

Dicendum est. *Illam tantum speciem esse de nouo consecrandam, quæ deprehenditur non consecrata, siue sit species panis, siue species vini.* Probatur. Vel sacrificium, cuius aliqua pars vera est consumpta, est capax complementi: vel non. Si primum: ergo debet poni id tantum, quod requiritur ad complementum, non autem totum sacrificium, quia sicut in Sacramentis est tantum supplendum, quod deficit, non autem iterandum, quod est iam factum, vt definitur in *cap.1. & 2. de Sacrament. non iteran.* ibi. *Non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum:* ita etiam in sacrificio, cum sit eadem ratio, & supplementum solum requiratur, vt perficiatur, quod est imperfectum, & satisfiat exigentiæ sacrificij, quod tantum exigit sui complementum. Si secundum: ergo non esset necessarium consecrare illam speciem, quia 4

ratione

ratione incapacitatis sacrificij non potest inseruire pro complemento.

5 Confirmatur. Si consecretur vtraque species constituitur nouum sacrificium, cum adsit vtraque pars, qua essentialiter constituitur, & etiam superueniat consumptio vtriusque partis; ergo non esset supplere defectum sacrificij imperfecti, sed de nouo offerre sacrificium, & prius oblatum remaneret adhuc cum sua imperfectione. Quis enim dicat, quod si corpus remaneret sine anima, suppleretur defectus animæ in ordine ad complendum compositum, si produceretur nouum viuens? aut, quod si à figura triangulari detraheretur linea, suppleretur producendo integrum triangulum. Est enim contra naturam supplementi ponere aliquid vltra id, quod est supplendum. Imò sequeretur etiam, quod idem sacrificium consumeretur sub duplici specie eiusdem rationis, quia multiplicarentur species, non solum materialiter, vt quando simul plures conseruantur eadem forma, sed etiam formaliter, quia essent plures consecrationes solo numero diuersæ.

6 Confirm. 2. Non potest idem esse pars duplicis compositi, ita vt in vtroque composito eodem numero pars fungatur vices illius partis, vt si eadem vnitas componeret duos binarios alioquin sequeretur, quod illa composita essent plura, quia supponitur, quod constituantur duo composita per eamdem partem cæteris multiplicatis, vt si duo binaria constituerentur, & singula vnica vnitate propria, & deinde alia vnitate communi. Rursus non potest compositum incompletum, cui deficiat aliqua pars, compleri per integrum aliud compositum eiusdem rationis, quia non est capax, nisi sui complementi, quod deficit, atque adeò partis alicuius, non autem totius integri compositi, nec potest aliud compositum exhibere complementum, nisi aut exhibeat partem, vt ipsum sine illa remaneat incompletum, aut eadem pars fiat pars duplicis compositi. Vnde compleretur, vt supponitur, per aliud compositum, & non compleretur, quia non potest eadem vnius compositi fieri pars, alterius compositi. Hoc autem contingeret in casu præsenti, si consecraretur pro supplenda vna specie, duplex species. Nam per consecrationem vtriusque speciei consurgeret integrum sacrificium, & vna pars huius sacrificij, seu consecratio vnius speciei compleret sacrificium incompletum, & esset pars illius, atque adeò duplicis sacrificij, & similiter secundum sacrificium completum compleret imperfectum, quia suppleret illius defectus.

7 Ad 1. respon. Rubricas circa supplendos defectus contingentes in celebratione sacrificij esse tantum doctrinales, & continere instructionem secundum opiniones Doctorum, vt notant plures Doctores ex citatis pro secunda sententia, præsertim Suarez *disput. 85. de Eucharist. sect. 1.* vet. *Ad primam confir. in fine:* & ideò in illa Rubrica positam esse doctrinam, quæ tunc temporis currebat. Quia tamen postea inualuit contraria opinio, ideò in Missali reformato per Clement. VIII. posita est etiam ista Rubrica secundum hanc opinionem eadem *part. 3. tit. 4. de defect. vini, num. 5.* ibi: *Vel si Missa celebretur in loco publico, vbi plures adsint, ad euitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione vt supra, consecrare, ac statim sumere, & prosequi cætera.* Loquitur autem Rubrica, quando post sumptionem corporis aduertitur defectus veri vini. Et quamuis dici possit, quod in hoc sit diuersa ratio, quia adhuc seruatur ordo consecrandi vinum post consecrationem panis, attamen eadem Rubrica antea dixerat, quod in hoc casu consecretur vtraque species, & posteà sub disiunctione subdit, quod dictum est, quod satis ostendit vtrumque modum admitti à Rubrica. Quod autem spectat ad ordinem non est necessarius, vt mox dicetur.

8 Ad 2. Ordinem consecrationis vt prius consecretur panis, deinde vinum, non esse essentialem, vt dictum est suo loco, cum ageretur de essentia sacrificij, sed solum esse de iure diuino secundum institutionem Christi, quæ per accidens potest non seruari, quando scilicet est facienda consecratio in supplementum. Nam sicut iste ordo exigitur ex institutione sacrificij, ita potest non seruari, quando non exigitur, imò exigitur quod non seruetur, sicut contingit in casu supplendi defectum; nam tunc institutio exigit tantum complementum, & proinde exigit consecrationem necessariam pro complemento, & non aliam, quia cum exigentia fundetur in defectu, non extenditur vltra extensionem defectus; dum autem exigit consecrationem panis & non vini, exigit etiam quod non consecretur postea vinum, sed quod panis consecretur posteriori loco ad consecrationem vini iam præmissam, quia tunc consecratio panis non est ad instituendum, sed ad complendum sacrificium.

9 Neque obstat Concil. Toletan. VII. *can. 1. alias 2.* quando dicit loquens de sacris mysteriis Missæ, *Quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur.* Ibi enim non agitur de supplendo aliquo defectu ab eodem celebrante, sed de supplenda oblatione sacrificij, quando non potest ab incipiente compleri ob aliquam ægritudinem superuenientem. Et in tali casu vult, quod alius Sacerdos suppleat, quod primus peragere non potuit. Et reddit rationem, *Quia incœptæ oblationi non potest competere aliud complementum, quàm benedictio, seu consecratio incipientis, aut subsequentis.* Loquitur enim de casu, in quo Sacerdos consecrata vna specie non potuit aliam consecrare; & ideò in tali casu sacrificium non est capax alterius supplementi, quàm incipientis, & prosequentis, hoc est, consecrationis primæ speciei incipientis sacrificium, & consecrationis secunda speciei, qua prosequatur sacrificium. Ita etiam habet, *Sed enim aliud supplementum initiatis mysterijs competit, quàm aut incipientis, aut subsequentis completa benedictio Sacerdotis.* Et statim reddit rationem, cur non sint capacia alterius supplementi; nempè quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur. Vnde constat quod vult, quod vt compleantur diuina mysteria, consecrari debet tantum, quod non est consecratum, non autem consecrari vtraque species, nec tantum consumi prima consecrata. Et ideò ex hoc Concil. desumitur, quod reperto defectu in vnica tantum specie, non est de nouo vtraque consecranda, quia non seruaretur ordo perfectionis, nam consecratio vtriusque speciei facit completum sacrificium, non autem ordinatur ad complendum imperfectum, tanquam illius perfectio, & ideò non seruaretur ordo perfectionis quod Concil. vult seruari. Nam ordo perfectionis consistit in eo, quod perfectiuum ordinetur ad perfectibile: non autem in prioritate consecrationis vnius speciei respectu alterius.

10 Ad 3. Vt possit consecrari species, quæ deest, non esse necessarium, quod permaneat prioris speciei consecratio secundum esse physicum, quia nunquam hoc pacto remanet, sed semper est transacta, quando fit secundæ speciei consecratio, sed sufficit, quod moraliter duret oblatio sacrificij. Durat autem moraliter, quandiù durat ipsa celebratio Missæ, quia habetur tota pro vna oblatione sacrificij.

11 Ex dictis colligitur. Quod, si dum sumit calicem aduertat defectum substantialem vini, non debet expuere sumptum liquorem qualiscunque sit, sed deglutire, vt contra Syluest. *verbo* Eucharistia 2. *quæst.*10. Angel. *verbo* Missa, *n.*17. aduertunt communiter Doctores præsertim Suarez *disp.* 85. *de Eucharist. sect.*1. ver. *Ad* 1. *confir.* Coninch *de sacram. quæst.* 83. *art.*6. *num.*180. Auersa *quæst.*8. *de Euchar. sect.*9. ver. *Primo quidem.* Dicastil. *de sacram. tract.*5. *disp.*4. *dub.*15. *num.*295. Bonac. *disp.*4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.*10. *num.*5. Ludouic. à S.Ioan. *in sum. quæst.*7. *de Eucharist. art.*16. *difficul.*6. Garzia *in sum. tract.*3. *difficult.*9. *dub.*1. *punct. vlt. num.*47. *circa fin.* Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp.*4. *de sacrif. Miss. difficult.*16. ver. *Tertio si, in fine.* Trullench *lib.*3. *de sacram. cap.*8. *dub.*23. *num.*8. Tamburin. *Opusc. de sacrif. Miss. lib.*2. *cap.*8. §.5. *num.*5. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.*4. *dub.*13. ver. *Respondeo posse.* Ratio est. Quia non solum in illo liquore mixta est pars Hostiæ, sed etiam, quia, dum expueretur ille liquor, expuerentur etiam aliquæ particulæ de Hostia, quæ remanent in ore, dum sumitur, quæ esset grauis irreuerentia, & ideò in hoc casu cedit præceptum de ieiunio ad vitandam hanc irreuerentiam: præsertim, quia consumptio primæ speciei facta est a ieiunio.

12 Colligitur 2. Cum Bonac. *disp.*4. *de sacram. quæst. vlt. punct.*10. *num.*6. Quod si Sacerdos malitiosè consecrauit aliquam speciem in materia non habili, & interim pœniteat, teneri consecrare illam speciem in materia apta, quia in hoc non est attendendum causa inualida consecrationis, an scilicet sit malitia, an error, sed factum ipsum, & occurrendum est eodem modo defectui, ita exigente perfectione sacrificij.

QVÆSTIO 300.

Quid agendum si contingat defectus substantialis in vtraque materia.

SVMMARIVM.

1. *Si aduertatur defectus in vtraque materia, quid faciendum.*
2. *Defectus substantialis vtriusque speciei post consecrationem non est supplendus.*
3. *Sed expectanda materia habilis, si citò haberi possit.*
4. *Si non possit haberi materia habilis, non est continuanda Missa.*
5. *Post consumptionem, non est de nouo consecrandum, si vtraque materia sit inhabilis.*
6. *An continuanda Missa.*
7. *Secluso sacrificio preces Missæ continent cultum falsum.*

1 CErtum est. Quod si aduertatur defectus substantialis in vtraque materia, videndum est, an aliquandiù expectando habilis materia haberi possit, dummodò non sit expectandum per notabile tempus, quia non adest necessitas diù expectandi. Imò posset etiam statim omitti Missa, quia præceptum de continuanda Missa incœpta non obligat, nisi, quando est possibilis continuatio, & proinde suppetit materia apta. Hoc autem intelligitur, quando non adesset in sacrario alia materia præparata, sed aliundè quærenda esset. Tenebitur tamen celebrans monere populum de defectu, ne suboriatur admiratio, aut scandalum. Difficultas autem est, quando post consecrationem aduertitur defectus.

Dicendum est. *Si post consecrationem aduertat defectum substantialem, non esse supplendum aliquem defectum.* Ita Suarez *disp.*85. *de Euchar. sect.*1. Nauar. *cap.*25. *Manual. n* 91. Rodriguez *par.*1. *sum. cap.*251. *conclus.*2. Reginald. *lib.*10. *praxis fori pœnit. num.*213. Bonac. *disp.*4. *de sacram. quæst. vlt. punct.*10. *num.*6. Auersa *quæst.*11. *de Eucharist. sect.*16. ver. *Quartò.* Quartus *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 3. *sect.* 2. *dub.*4. *dict.*2. Ratio est. Quia, vt suppleatur defectus, requiritur sacrificium inchoatum, & in aliquo deficiens, tunc autem nihil adest de sacrific. cum in nulla parte sit inchoatum. 2

An autem sit expectanda materia habilis, si haberi poterit. Resp. Quartus *num. praced. citat.* quod tunc celebrans debet facere, quod magis expedire videbitur ad vitandum scandalum, & offensionem populi. Verùm absoluté tenendum est. Quod expectanda sit materia habilis, si breui tempore possit haberi. Licet enim non adsit exigentia sacrificij, quia non est inchoatum in aliqua sui parte, adest tamen præceptum perficiendi inchoatam Missam, vt in superioribus dictum est, & ideò pro implendo hoc præcepto expectanda est habilis materia, quando congruo tempore haberi potest, siue secretò, siue publicè celebretur. 3

Est tamen aduertendum, quod si non possit haberi apta materia, non potest Missa continuari, nam interueniret cultus falsus, quia cum ibi non adesset corpus, & sanguis Christi, falsæ essent illæ preces, & cœremoniæ, quæ significant, adesse ibi talem præsentiam; quod cum contingat in materia graui, non potest esse sine peccato mortali. Rursus etiam præberet occasionem populo idololatriæ materialis, quia continuaret suam assistentiam cum cultu latriæ, & continuaret etiam suam oblationem cum sacrificio falso. Accedit etiam, quod non posset celebrans consumere illam materiam eo modo, quo solet consumi sacrificium, quia esset tractare tanquam sacramentum, quod non est sacramentum, & exhiberet illi materiæ cultum, qui solet exhiberi sacramento. 4

Dicendum 1. *Si post consumptionem vnius, aut vtriusque speciei aduertat, se defectu materiæ habilis nullam speciem validè consecrasse non debet, nec potest de nouo consecrare.* Ita Doctores citati *num.* 2. Prætereà Henriquez *lib.*9. *summ. cap.*36. *num.*.... Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacrament. cap.*10. *num.*3. Ratio est. Quia nulla adest inchoatio sacrificij, quæ exigat supplementum. Rursus, cum non sit ieiunus non potest de nouo consecrare, quia nec de nouo consumere potest, quod consecrauit. Fateor tamen oppositum mihi satis arridere; nam si non fiat consecratio noua, cultus ille ritualis Missæ, cum ex sui institutione sit ordinarius ad sacrificium, remaneret vacuus, & falsus. 5

An verò sint recitandæ orationes, & cætera, quæ solent recitari consumpto sacrificio. Affirmat Quartus *in Rubr. Missal. part.*3. *tit.* 3. *sect.*2. *dub.*4. *in fin.* & videtur sentire, hoc esse necessarium ad tollendum scandalum. Aduertit tamen, quod sint omittenda ea verba quæ significant, fuisse oblatum & consumptum sacrificium. Quæ tamen praxis non erit facilis quoad Sacerdotes parum intelligentes, accedente præsertim illa mentis turbatione, quæ ex tali facto orietur, vnde esset occasio, quod inciderent in maiorem confusionem. 6

Deinde hoc patitur difficultatem, quia cum omnes preces ritus cœremoniæ Missæ, ex institutione Ecclesiæ sint cum ordine ad sacrificium, vel tanquam concomitantes oblationem sacrificij, vel tanquam subsequentes, & pro gratiarum actione, & complemento ritus sacrificandi, eo ipso, quod 7

recta

tecitarentur à Sacerdote, facto ipso protestaretur, se obtulisse sacrificium, & esset cultus falsus, quia non iniiteretur veritati sacrificij, cui ex institutione Ecclesiæ debent inniti. Unde si secretò celebraret absoluiè deberet dimittere Missam, si verò coram populo, & timeret scandalum, aut grauem commotionem, satiùs esset, si voce satis demissa recitaret aliquas preces, quæ non pertinerent ad illam partem Missæ. Quia etiamsi tunc benediceret populum, illa benedictio tanquam immixta precibus extraneis Missæ non censeretur pars Missæ.

QVÆSTIO 301.

Quid faciendum, si materia sacrificij sit dubia.

SVMMARIVM.

1. *Dubium aliud negatiuum, aliud positiuum.*
2. *Dubium negatiuum non habet locum in materia consecranda.*
3. *Cum materia dubia non potest offerri sacrificium.*
4. *Quando in sacrificio adhiberi possit materia probabilis, & quomodo.*
5. *Quando materia consecrationis est dubia, an sit deponendum dubium.*
6. *Si oriatur dubium de habilitate materiæ, quando repetenda consecratio super materia certa.*
7. *Per talem consecrationem non turbatur certò sacrificium.*
8. *Quid faciendum, si post consecrationem occurrat dubium negatiuum de habilitate materiæ alicuius speciei.*
9. *In peragendo sacrificio vtenda species posteriori loco consecrata, &c.*

1 DIstinguunt aliqui, vt Quartus *part.3. in Rubr. Missal. titul. 3. sect. 2. dub. 5.* ver. *Pro resol.* dubium in negatiuum, & positiuum. Negatiuum est illud, quod suspendit intellectum, & retineat in æquilibrio, itavt pro neutra parte stare possit iudicium. Positiuum est illud, quod importat iudicium probabile, sed cum formidine oppositi, aut cum alio iudicio probabili contrario, & proinde adsint motiua pro vtraque parte, ratione quorum feruntur opposita iudicia, aut si fertur pro certa parte: excitent tamen formidinem, quod oppositum possit locum habere.

2 Verùm in præsenti casu non videtur locum habere dubium negatiuum. Nam vel in materia sacrificij percipiuntur signa, seu accidentia sensibilia, ex quibus communiter dignoscitur, vel non percipiuntur. Si primum; adest sufficiens motiuum indicandi saltem probabiliter, quod sit materia apta, quamuis illa signa non sint adeò certa, vt excludant formidinem. Si secundum: Erit certum, quod non sit materia apta, quia in accidentibus sensibilibus non se ostendit talem; sicut enim materia apta significatur per signa sensibilia, itavt affirmatio horum signorum sit causa indicandi materiam esse habilem, ita defectus ipsorum certificat, non esse materiam aptam, itavt negatio ipsorum sit causa iudicandi, materiam non esse habilem. Et ideò difficultas remanet solum quoad materiam dubiam positiuè.

3 Est autem supponendum tanquam certum, quod si ante consecrationem aduertatur materia dubia, non potest cum ipsa offerri sacrificium; alioquin offerens peccaret mortaliter, vt docent communiter Doctores, præsertim in materia de Sacramentis, & aduertit Rubr. *part.3. tit.3. num.2.* de pane confecto aqua rosacea, & *num.3.* de pane, qui cœpit corrumpi, & *tit.4. num.2.* de vino, qui cœpit acescere. Ratio autem est; quia stante hoc dubio consecraos se exponit periculo non conficiendi sacrificium, atque adeò profitendi inaniter consecrationem. Vnde non est aduertendum quod tradit Tambutin. *Opusc. de sacrif. Miss. lib.2. cap.8. §.6. num.6.* quod aut deponendum sit dubium, aut mutanda materia, quia non potest adhiberi, nisi materia certa, saltem extra casum necessitatis.

Supponendum 2. Quod sicut in Sacramentis stante necessitate, quando non suppetit materia certa, potest adhiberi materia probabilis, seu dubia. Ita etiam in sacrificio, cum sit eadem ratio. Et in hoc casu non est necessarium deponere dubium de materia, sed sufficit iudicare, quod hic, & nunc liceat vti materia dubia. Vnde ad vitandum aliquod graue periculum in quocunque genere, licebit consecrare cum tali materia. Est tamen aduertendum, quod sicut in tali casu in Sacramentis forma proferenda est sub conditione de habilitate materiæ, ita etiam in consecratione, & consequenter cœtera quoque sub conditione prosequenda sunt, quia veniunt in consequentiam ad consecrationem tanquam accessoria ad suum principale, & ideò debent sequi eius naturam, & manere sub conditione principalis. 4

Quando autem dubium est positiuum cum probabilitate, sed cum formidine de opposito, aut etiam iudicio probabili; esse deponendum hoc dubium tradunt Tambutin. *Opusc. de sacrif. Miss. lib.2. cap.8. §.6. num.6.* Quartus *in Rubr. Missal. par.3. tit.3. sect.2. dub.5.* ver. *Dico tertio.* Attamen esse supplendum defectum, & iterum consecrandam illam speciem sub conditione, asserunt Francisc. Lugo *lib.5. de sacram. cap.10. num.5.* Auersa *quæst.11. de Eucharist. sect. 16.* ver. *Secundò, si Sacerdos:* addit tamen, non esse facilè admittenda huiusmodi dubia. 5

Dicendum est. *Si motiua iudicandi materiam inhabilem præualeant motiuis in oppositum, aut sint æqualia cum ipsis, itavt æquè probabile sit, materiam esse habilem, & non esse habilem, repetenda est consecratio sub conditione super materia certa.* Ita etiam aduertit Rubr. *part.3. tit.5. de defect. fer. num.3.* Quando nimirùm valdè probabiliter dubitat Sacerdos, se aliquid essentiale omisisse. Ratio est. Quia obligatio offerendi sacrificium integrum est certa, & est de iure diuino, & de necessitate sacrificij: ergo non potest ipsi satisfieri per obseruantiam incertam, qualis est consecratio, de qua dubitatur, an sit valida ob materiam dubiam, neque enim obligatio certa extingui potest per solutionem incertam. 6

Dices. Si fiat noua consecratio, certa est turbatio ordinis sacrificij: inualiditas autem prioris consecrationis est incerta: ergo pro vitando malo incerto, non est eligendum malum certum. Resp. Turbationem ordinis sacrificij non esse certam, quia non turbatur sacrificium, nisi sit completum: non autem, si sit imperfectum. Nam tunc perficitur, & ponitur ordo perfectionis. Cùm autem incertum sit, an sacrificium sit completum, quia incertum est, an sit valida consecratio speciei, de cuius materia dubitatur, incerta quoque est turbatio per consecrationem nouæ speciei. 7

Ex dictis colligitur, quod si post consecrationem occurrat dubium, quod vocant negatiuum, circa materiam alicuius speciei, idem esse faciendum, ac si aduerteretur, materiam fuisse inhabilem, & proinde esse de nouo consecrandam illam speciem, vt nota- 8

taot etiam Quartus supponens esse casum dubij negatiui *in Rubric. Missal. part. 3. tit. 3. sect. 2. dub. 5. dicto 2.* Verùm ideò est consecranda noua species, quia certom est, quod materia, de qua dubitatur, noo est apta. Siquidem non apparet aliquod sensibile signum, vnde probabiliter iudicari possit, quod sit apta materia. Vnde neque est proferenda forma sub conditione, sed absolutè. Siqoidem constat, prioris speciei consecratiooem fuisse inoalidam, cum non appareat ex aliquo signo factam fuisse io vera materia.

9 Secundò colligitur; quod si ob dubium validæ consecrationis alicuius speciei contingat consecrati nouam speciem, non potest Sacerdos vti alterutra ex ipsis ad libitum, quando exercentur ritus præscripti, nec potest vtramque sumere ante sumptionem sanguinis; vt vult Quartus *in Rubr. Missal. part. 3. tit. 3. sect. 2. dub. 5. in fine.* Sed debet vti, quæ posteriori loco consecrata est, & illam solam sumere ante sumptionem sanguinis, & sumpto sanguine sumere priori loco consecratam. Nam cum ad supplendam certitudinem sacrificij fiat consecratio nouæ speciei, debet totum sacrificium peragi cum certitudine rei oblatæ, atque adeò cum specie certo consecrata. Rursus cum alterius speciei sit dubia consecratio, non debet in consumptione præcedere sumptionem sanguinis, sed solum sumenda est sumpto sanguine.

QVÆSTIO 302.

Quid faciendum, quando casu aliquo post consecrationem deficit aliqua species.

SVMMARIVM.

1. *Si de specie consecrata remaneat aliquid, illud est adhibendum.*
2. *Si nihil remaneat, quid faciendum.*
3. *Illa sola species de nouo consecranda, quæ casu deficit.*
4. *Deficiente omninò vtraque specie, nihil est supplendum.*
5. *Si vnica tantum deficiat, illa de nouo consecranda.*
6. *Consecratio vnius tantum speciei non ordinatur ad complendum sacrificium essentialiter.*
7. *Sacrificium non est imperfectum essentialiter, nisi actio offerendi sit talis, nec completur, nisi per actionem.*
8. *Consumptio cur sit pars substantialis sacrificij.*
   Noua species non complet consumptionem sacrificij.
9. *Noua species non est necessaria pro consumptione sacrificij.*

1 QVia cootingere potest, quod facta consecratione deficiat aliqua species ex consecratis, vt si dispareat hostia, aut à vento abripiatur, itavt recuperari noo possit, aut ab aliquo animali auferatur, aut effundatur sanguis, aut etiam disparеat, aut quid aliud huiusmodi contingat; ideò dubitatur, quid in hoc casu agendum sit. Est autem supponendum tanquam certum, quod si aliquid remaoeat aut de specie panis, aut vini, siue in calice, siue in loco effusionis, itavt lambendo sumi possit, erit com illis reliquils coosumendum sacrificium, quia vt sacrificium dicatur cousumptum, sufficit, si possit sumi quælibet exigua pars, difficultas autem est, si oihil de aliqua specie remaneat.

2 Quod in hoc casu sit rursus consecranda vtraque species, tradont Palud. *in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 1. conclus.* ... Syluester *verbo* Eucharistia 2. *quæst.* 10. Limitat tamen quando iste defectus contingeret sumpta hostia. Victoria *in sum. num. 101. de Eucharist.* Quorum tamen opinio communiter reijcitur, quia hoc non esset occurrere defectui, sed instituere nouom sacrificium, siquidem iam sacrificium oblatum est secundum vtramque speciem, & proinde oblatio fuit completa; si ergo de nouo offeratur sub vtraque specie, erit nouum sacrificium.

Esse igitur consecrandam eam solam speciem, 3
quæ casu deficit, tradunt D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art. 6. ad 3.* Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 4. ad 3. & 4. & quæst. 2. art. 6. ad 3.* Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 16. ver. Tertiò etiam.* Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 22. disp. vnic. punct. 11. num. 7.* Tambur. *Opusc. de sacrif. Miss. lib. 2. cap. 8 §. 7. num. 3. & 4.* Et ita etiam habet Rubric. *part. 3. tit. 3. de defect. panis*, & *tit. 10. de defectib. in minist. occurrent. num. 13.*

Dicendum 1. *Si deficerent vtraque species, siue eodem, siue diuerso casu, itavt nihil remaneret consumendum, de dictis speciebus, nihil esset supplendum.* Ratio est. Quia cum nolla remaneat species, nec etiam remanet sacrificinm, quod soppleri possit. Nec dici potest quod duret moraliter. Quia si durat moraliter, cum sit peractum secundum vtramque speciem, secundum vtramque quoque duraret, & ideò nihil esset supplendum. Nec item dici potest quod esset supplenda consumptio, nam si propter consumptiooem consecratur vtraqoe species, hæc consecratio vtriusque speciei, seu hoc nouum sacrificium, quod esset integrum exigeret suam consumptionem, & ideò consumptio, quæ subsequeretur perficeret hoc sacrificium, non autem illud, cuius species defecerũt. 4

Dicendum 2. *Si deficiat vnica tantum species, est de nouo consecranda illa species.* Ratio quæ affertur est. Quia alioquin sacrificium remaneret imperfectum, quia consumptio de iure diuino pertineret ad eius consumptionem. Et quidem, si consumptio pertineret ad ipsius essentiam, hoc non haberet apud me difficultatem, quia nisi suppleretur sacrificium esset nullum, quia esset imperfectum essentialiter. Cùm tamen pertineat solum ad integritatem substantialem, vt dictum est suo loco, fateor, quod apud me habet grauem difficultatem, & oppositum sentirem, nisi obstaret auctoritas communis Doctorum, & Rubricarum, quæ licet doctrinaliter procedant, in hoc tamen earumdem doctrina videtur commuoiter recepta. 5

Diffiultas autem ex eo oritur. Quod dum consecratur noua species, tunc non ordinatur ad complendum sacrificium essentialiter, quia sit iam completum, siquidem supponitor consecratio ritè peracta in vtraque specie: sed tantum ad complendum integraliter, & ideò iostitueretur nouum sacrificium remansurum incompletum essentialiter, vt aliud sacrificium compleretur integraliter. Vnde complemeotum iotegrale vnius anteponeretur inperfectioni essentiali alterius, quod est contra debitum ordioe mensurandi res morales. 6

Et quamuis dici possit, quod nooa consecratio 7
complet etiam essentialiter, quia sacrificinm debet permanere secundum suas partes essentiales, quousque consumetur; & ideò si aliqua deficiat, debet suppleri: hoc tamen non iuuat, quia sacrificium consistit in actione consecratioois, quæ traosit; & ideò non recipit imperfectionem, nisi in aliquo deficiat actio. Quod autem remanet post actionem consecrationis est terminus sacrificij, qui debet permanere vsque ad consumptionem ex vi actionis consecratiuæ, quæ est ita oblatiua sacrificij, vt simul exigat, quod consumatur, quod per ipsam offertur. Hæc autem actio, seu oblatio oon exigit, quod promoueat, nisi quod per ipsam ponitur; non autem, quod per aliam oblationem ponatur.

Præterea

8 Præterea. Intantum consumptio pertinet ad integritatem substantialem sacrificij, inquantum consumitur id, quod est oblatum, quia debet esse pars integralis eiusdem sacrificij, & non esset, nisi consumeretur, quod est oblatum in sacrificio. Pars enim debet vniri cum toto, & ideò consumptio, vt sit pars, debet vniri in ratione partis, atque adeò in ratione consumptionis cum sacrificio, cuius est pars. Si autem consecretur noua species, non vnitur in ratione consumptionis, seu partis cum sacrificio, cuius aliqua species perijt, quia non facit quod ipsa consumatur, nec etiam vnitur mediante specie de nouo consecrata, quia hæc non componit cum sacrificio, vt pars constitutiua ipsius; quia sacrificium cuius pars perijt, fuit completum essentialiter.

9 Confir. Intantum consumptio est pars integralis sacrificij, non inquantum non debeat remanere terminus sacrificij, quia de facto conseruatur Eucharistia, sed quia cum hoc sacrificium ita sit institutum, vt eius terminus sit sacramentum per modum conuiuij ad reficiendam vitam spiritualem, debet participari ab offerente. Vt autem saluetur participatio, sufficit, si consumat cum vna specie, quando non adest altera, & sufficiet, vt sacrificium dicatur consumptum præteritum, quia si consecretur altera loco deperditæ, nunquam valebit dicere, quod sit consumptum sacrificium secundum speciem deperditam; & aliàs non exigit consumi, seu participari, nisi quatenus est participabile: vnde non participatur à laicis, nisi secundum vnam speciem. In tali autem casu per accidens est participabile tantum secundum vnicam speciem. Hæc autem apud me faciunt difficultatem, quam aliis propono dissoluendam. Per locum tamen extrinsecum, nempè ob auctoritatem Doctorum, & Rubricæ sustinetur communis sententia.

QVÆSTIO 303.

Quid faciendum, si aliqua ex speciebus consecratis mutetur miraculosè in aliam formam.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium non debet consumi in specie, quæ in aliam formam mutata est.*
2. *An adsit oblatio non consumendi in tali specie.*
3. *Noua materia an sit de necessitate consecranda.*
4. *Non est de nouo consecrandum, si vtraque species in aliam formam mutetur.*
5. *Nouum sacrificium an possit offerri ab eodem, si vtraque species abeat in aliam formam.*
6. *Si altera species mutetur, non est opus aliam consecrare.*
7. *Si consecraretur non pertineret ad consumptionem prioris sacrificij.*
8. *Si species mutetur in aliam formam, an loco illius possit alia consecrari.*

1 SI contingat aliqua miraculosa mutatio in speciebus sacramentalibus, vt si species vini conuerterentur in sanguinem, aut species carnis in panem, conueniunt communiter, quod non debet sacrificium consumi sub illa forma, sed debent species illæ conseruari sequuti doctrinam D.Thom. 3. *part. quæst.* 82. *art.* 4. *ad* 3. & desumitur etiam ex cap. *de hac, de consecrat. dist.* 2. & ita obseruauit Praxis Ecclesiæ, quando similis casus accidit.

2 An autem adsit obligatio non consumendi species ita immutatas. Negant nonnulli, vt Suarez *disput.* 84. *de Eucharist. sect.* 4. Econtra verò affirmant, vt Aversa *quæst.* 4. *de Eucharist. sect.* 8. ver. *Quintò denique.* Vtramque opinionem putat probabilem Quartus *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 3. *sect.* 3. *dub.* 5. ver. *An autem.* Probabilis tamen mihi videtur, adesse obligationem, tum quia cum simus in re graui, & de se dubia, praxis Ecclesiæ, quæ declarat, quid agendum, habet vim obligandi. Tum quia ipsum miraculum declarat, quod Deus nolit consumi, dum extrahit species sacramentales ab illo esse sensibili Sacramenti, & in aliud commutat, quæ mutatio est sufficiens, vt non subsint amplius iuris offerentis in ordine ad consumptionem. Si tamen redirent ad pristinum statum, essent consumendæ, vt etiam notat Quartus *citat.* Difficultas autem modo est, an sit de nouo alia materia consecranda.

Quod autem adsit præceptum consecrandi nouam materiam, affirmat D. Antonin. 3. *part. tit.* 16. *cap.* 6. §. 5. & videtur idem sentire Valentia *tom.* 4. *summ. disput.* 6. *quæst.* 4. *punct.* 1. *in fine.* Aversa *quæst.* 4. *de Eucharist. sect.* 8. *in fine.* Ludouic. à S. Ioan. *part.* 1. *sum. quæst.* 7. *de Eucharist. art.* 16. *difficul.* 3. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *quæst.* 2. *num.* 27. Et fundantur in eo, quod ita exigat integritas sacrificij: At non adesse obligationem, sed esse tantum consilium, quod noua materia consecretur, tradunt communiter D.Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 3. *ad* 4. Caiet. *ibid.* Syluester *verbo* Eucharistia 3. *in fin.* Suarez *disp.* 85. *de Eucharist. sect.* 1. ver. *Quintò potest*, in fine, licet oppositum quoque putet probabile Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 4 *ad* 3. Coninch *de sacram. quæst.* 76. *art.* 8. *dub.* 2. *num.* 138. Quartus *in Rubricis Missal. part.* 3. *tit.* 3. *sect.* 3. *dub.* 5. *in fine.* 3

Dicendum 1. *Si vtraque species conuertatur in aliam formam, non esse aliquid de nouo consecrandum.* Prob. Si fieret noua consecratio, institueretur nouum sacrificium, quia offeretur totum id, quod constituit perfectum sacrificium, siquidem offeretur in vtraque specie adæquatè repræsentante cruentum sacrificium Crucis: ergo consumptio quæ subsequeretur in speciebus de nouo consecratis, esset consumptio huius posterioris sacrificij, non autem prioris, cuius species conuersæ sunt in aliam formam. Et ideò hoc secundum sacrificium nihil omninò inseruiet primò, quod proinde remaneret in illo statu, in quo aliàs esset non succedente secunda, & cum eodem incomplemento ex defectu consumptionis. 4

An autem liceat hoc secundum sacrificium offerre, negat Quartus *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 3. *sect.* 3. *dicto* 3. *in fine.* Quia non potest quis bis in eodem die celebrare, neque illud miraculum esset dispensatio in præcepto. Verùm quando prohibetur repetitio celebrationis, debet prohibitio accipi strictè, sicut, & accipiuntur omnes aliæ prohibitiones tanquam odiosæ libertati; & proinde debet accipi in casu, in quo prima celebratio sit completa, qualis non esset præsens, quia non esset consumptum sacrificium. Est tamen aduertendum, quod si de nouo offeretur sacrificium, esset ab initio repetenda Missa, quia inciperet noua oblatio sacrificij; & ideò opus esset etiam nouo ritu, cum quo secundum Ecclesiæ institutionem offerendum est. 5

Dicendum 2. *Si altera tantum ex speciebus in aliam formam transmutetur, non opus est alia consecratione speciei correspondentis; sed posset consumi in specie, quæ remansit.* Hoc probant Doctores huius sententiæ. Quia stante miraculo censetur Deus dispensare super integritate sacrificij quoad consumptionem speciei transmutatæ. Verùm præsumptio huius dispensationis non videtur habere locum 6

stante

stante doctrina, quod possit deficiente vna specie altera substitui: nam cum præceptum de iotegra consumptione facilè impleri possit consecrando aliam speciem, non videtur locum habere dispensatio, quæ solùm posset præsumi, quando obseruantia præceptis fieret valdè difficilis. Imò enim obligatio præcepti sit certa, & dispensatio non solùm incerta, sed etiam imaginaria, non præbet sufficiens motiuum, vt prætermitti possit obseruantia præcepti.

7 Ratio ergo desumenda est ex eo, quod consumptio integra sacrificij, atque adeò obseruantia præcepti fiat impossibilis, nam species, quæ transmutata est in aliam formam, non est cousumenda, & de iure est impossibilis eius consumptio, & si alia consecretur, sicut hæc consecratio non pertinet ad sacrificium primum, cum fuerit completum, & constans ex consecratione vtriusque speciei; ita nec consumptio speciei posterioris luco consecratæ, pertinet ad primum sacrificium, quia consumptio pertinet tantum ad sacrificium, cuius species consumuntur; & ideò si species, noo est species eiusdem sacrificij, nec etiam consumptio speciei erit consumptio eiusdem sacrificij.

8 An autem possit consecrari species illa tantum quæ substituenda esset pro consumptione speciei in aliam formam conuersæ, fateor mihi difficilè videri, quod consecrari possit. Nam si non est necessaria huiusmodi cooseeratio, nec etiam videtur licita. Cùm enim de iure diuino sit, quod noo consecretur vna species sine alia, & solum videatur consecratio vnius posse separari à consecratione alterius ioquantum, id est, necessarium pro complemento prioris sacrificij, quia hoc noo tam est separatio, qoàm coniunctio cum priori sacrificio ad ipsum complendum, dum cessat hæc necessitas, cessat etiam facultas conseerandi vnam speciem absque alia.

QVÆSTIO 304.

An si timeatur venenum ex aliqua ex speciebus consecratis, sumenda sit.

SVMMARIVM.

1. *Quid faciendum, si musca vel aliud animal incidat in Calicem.*
2. *Species, à qua venenum timetur non sumenda, & quid faciendum.*
3. *Species veneno infectæ non possunt sumi.*
4. *Pro supplenda specie veneno infecta an consecranda noua materia.*
5. *Qui negent consecrandam.*
6. *Speciem de nouo consecrari nihil conducit ad consumptionem prioris sacrificij.*
7. *Noua consecratio pro supplenda specie veneno infecta, an necessaria.*
8. *Si consumptio pertinet ad essentiam sacrificij, est alia species pro infecta consecranda.*
9. *Secus si non pertinet, & an tunc consecrari possit.*
10. *Sacrificium quomodo exigat consumi.*
11. *Sacrificium non obligat ad consumendum, quod per ipsum non est oblatum.*
12. *Quomodo constare debeat de infectione, vt species infecta possit relinqui.*
13. *Si fulmen tangat species, an habenda pro venenatis.*

1 SVpponendum est, quod si musca, vel aliud animal incidat in calicem, sumi debet cum ipso sanguine, si non adsit periculum vomitus, aut notabilis nausea, alioquin extrahendum est, & diligenter lauandum, & postea comburendum, & cineres cum ablutione in sacrarium proijciendæ. Et hoc si post consecrationem cōtingat. Si verò id contingat antè consecrationem seponenda est materia illa consecranda, & alia substituenda. Ita docent Rubricæ *p.3. tit.10. num.5. & sequent.* & notant communiter Doctores D.Thom. 3.*part. quæst.83. art.6. ad* 3. D.Antonin. 3.*p. tit.13. cap.6. §.3.* Tabiena *verbo* Missa, *num.33.* Henriquez *lib.9. sum. cap. 36. num.4.* Suarez *disp.85. de Eucharist. sect.1.* ver. *Secundò potest.* Sà *verbo* Missa, *num.34.* Barthol. ab Angelo *Dialog.5. de Miss.§.708.* Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disput. 2. dub. 15. num.297.* Filliuc. *tract.5. num.165.* Coninch *de sacrament. quæst.83. art.5. num.273.* Bonac. *disp. 4. de sacrament. quæst. vlt. punct. 10. num.8.* Francisc. Lugo *lib.5. de sacram. cap.10. quæst.2. n.24.* Palaus *part.4. oper. moral. tract.22. disput. vnic. punct.11. n.7.* Tamburin. *Opusc. de sacrif. Miss. lib.2. cap.8. §.3. num.2.* In hoc enim casu occurrendum est defectui eo meliori modo, quo fieri possit, qualis est præfatus.

Supponendum 2. Quod si aliqua ex speciebus venenata sit, aut quia venenosum animal eam tetigerit, non esse consumendam, sed asseruandam in tabernaculo, itavt species vini ad vitandum periculum effusionis infundantur stuppæ, aut linteo, donec corrumpantur, & posteà comburendum totum, & cineres in sacrarium proijciendæ, vel quando species vini exsiccatæ fuerint in stuppa, aut linteo, tunc comburendum totum. Ita docent Rubric. *num. præced. citat.* & notant ijdem Auctores. 2

Supponendum 3. Quod celebrans non solum non tenetur, sed nec etiam debet, aut potest species veneno infectas sumere, vt notant Rubr. *part.3. tit.10. num.6. & 7.* D.Thom. 3.*part. quæst.83. art.6. ad* 3. Suarez *disput.85. de Eucharist. sect.1.* ver. *Secundò potest.* Filliuc. *tract.5. n.165.* Francisc. Lugo *lib.5. de sacram. cap.10. quæst.2. n.19.* Rodriguez *part.1. sum. cap.251. conclus.3.* Dicastil. *tract.5. de sacram. disput.4. dub.15. n.299.* & alij *num.1.* citati. Hoc autem ex eo prouenit, quod si celebrans sumeret species veneno infectas, esset sui homicida, quod iure naturali prohibetur; & præceptum de conseruanda vita præualet præcepto de consumenda specie consecrata. 3

An autem sit consecranda noua materia pro supplenda specie veneno infecta in ordine ad consumptionem, affirmat Rubr. *part.3. tit.10. n.6. & 7.* Quia tamen hæ Rubricæ doctrinales sunt videndum est, quid sentiant Doctores. Quod autem sit consecranda non solum materia pro specie infecta, sed pro vtraque, tradit Paludan. *in 4. dist.11. quæst. 1. art.1. conclus.5.* Quod admittunt etiam Syluest. *verbo* Eucharistia 2. *quæst.9.* Victoria *in summ. vbi de Eucharistia, num.* 101. in casu, in quo post somptum Corpus Christi deprehenditur venenum in Calice. Alij verò volunt, quod debeat consecrari illa tantum species, quæ est infecta. Ita D.Thom. 3.*part. quæst.83. art.6. ad* 3. Soarez *disp.85. de Eucharist. sect.1.* ver. *Secunda regula.* Filliuc. *tract.5. n.164.* Palaus *part.4. oper. moral. tract.22. disp. vnic. punct.11. num.7.* Auersa *quæst.11. de Eucharist. sect.16.* ver. *Tertiò.* Bonac. *disp.4. de sacram. quæst. vlt. punct.10. num.8.* Ludouic. à S. Ioan. *part.1. sum. quæst.7. de Euchar. art.16. difficul.15.* Francisc. Lugo *lib.5. de sacram. cap.10. quæst.2. num.20.* Tamburin. *Opusc. de sacrif. Miss. lib.2. cap.8. § 3. n.2.* Fundamentum est. Quia perfectio sacrificij requirit, quod offerens sumat vtramque speciem. 4

An non esse nouam speciem consecrandam, refert, aliquos tenuisse Azor. *part.1. lib.10. cap.33. quæst.3.* & subdit, hanc sententiam esse probabilem, & posse tuta conscientia amplecti. Et non esse falsam, sed probabilem, dum vocat parum probabilem, asserit Quartus *in Rubr. Miss. par.3. tit.10. dub.1. dict.2.* Quod fundat 5

fundat in eo, quod nonnulli Doctores docent, quod si sumpta Hostia relicto sanguine deficiat celebrans, non esse necessarium quod hic defectus suppleatur ab alio Sacerdote. Addit autem, quod si post consecrationem reperiatur vtraque species veneno infecta debet io vtraque specie repeti consecratio. Quia sumptio sacramenti est absolutè necessaria vel ad essentiam, vel ad integritatem sacrificij.

6 Quod addit Quartus vltimo loco, non cohæret eo, quod dixerat eadem *part. 3. tit. 3. sect. 3. dub 5. dicto 3.* Nimirum, quod si contingat miraculosa mutatio in vtraque specie non vrgere præceptum consecrandi nouam materiam, quia in eo casu non potest impleri præceptum consumptionis respectu eiusdem sacrificij quoad species consecratas, quæ sumi non possunt, & consecrare de nouo vtramque speciem, non esset prius sacrificium consumere, & proficere, sed aliud distinctum offerre, quod ex vi prioris consecrationis non est præceptum. Hoc autem totum militat in præsenti casu, & parum refert, vnde proueniat, quod species non possint consumi, cum causa impedimenti materialiter se habeat.

7 Quomodò saluari possit consecratio pro supplenda aliqua ex speciebus veneno infecta, explicatum est in superioribus, cum ageretur de connexione vtriusque speciei in consecratione. An autem sit necessaria noua consecratio, existimo esse eamdem rationem, ac in casu, in quo species transmutantur miraculosè in aliam formam. Nam in vtroque casu fuit valida consecratio vtriusque speciei, atque adeò completum sacrificium quoad oblationem, & repræsentationem sacrificij cruenti, & in vtroque casu adest impedimentum, ne possint consecrata consumi. Quod autem sit hoc, vel illud impedimentum, vt *num. præcedenti* dictum est, nihil refert, quia tendunt ad eamdem actionem impediendam. Vnde si vtraque species esset infecta, nihil esset de necessitate consecrandum; quia vt dicebatur *num. præcedent.* noua consecratio esset institutio noui sacrificij nec qoidquam faceret ad perficiendum illud, cuius species non possunt consumi.

8 Si autem aliqua tantum ex speciebus sit infecta, si consumptio pertineret ad essentiam sacrificij, tunc esset necessaria consecratio nouæ speciei, vt sacrificium compleretur essentialiter. Et fortè ex hoc capite est introducta doctrina quod sit consecranda noua species, vel vt compleatur essentialiter sacrificium, vel eius complementum ponatur in tuto, non stante contrarietate opinionum censeri posset sacrificium non completum essentialiter. Quod non contingeret, si vtraque specie infecta vtraque de nouo consecraretur, quia tunc consumptum non coniungeretur cum aliqua ex speciebus priori loco consecratis, ratione cuius posset fieri consumptio prioris sacrificij, sed esset totaliter consumptio noui sacrificij.

9 At si consumptio non pertineat ad essentiam sacrificij, sed tantum ad integritatem, difficilè est saluare, quomodo sit necessaria noua consecratio alterius speciei Nam tota ratio, cur sit necessaria, reducitur ad necessitatem consumptionis pro perfectione sacrificij, quæ tamen ratio cessat, dum consumptio redditur impossibilis. In tantum enim consumptio est necessaria tanquàm vltima perfectio sacrificij, in quantum sacrificium exigit, quod id quod offertur, & consecratur, consumatur, & proinde consumptio fit necessaria ex vi oblationis, vnde non est quæcumque consumptio, sed consumptio rei oblatæ, atque adeò non infertur ex necessitate consumptio illius, quod non ponitur per ipsam oblationem. Si enim hæc oblatio infert consumptionem huius rei per ipsam oblatæ, quia est oblata, non infert consumptionem rei non oblatæ per ipsam: ergo consumptio speciei oblatæ per posteriorem consecrationem non infertur de necessitate à priori consecratione, atquè adeò nec consecratio nouæ speciei, quia in tantum esset necessaria in quantum esset necessaria consumptio talis speciei.

10 Accedit etiam. Quod sacrificium exigit quidem consumi, sed mediante materia oblata, itavt obligatio, quæ consurgit ex tali exigentia, afficiat offerentem determinatè ad consumendum sacrificium in termino, qui consumendus ponitur per ipsum sacrificium: ergo si adueniat impedimentum, quod non possit consumi in illo eodem termino, cessat obligatio, quia hoc est de natura cuiuscumque obligationis, quæ sit affixa loco, tempori, aut certæ rei, vt si impleri non possit secundum suam affixionem, & determinationem, desinat obligare.

11 Rursus. Nulla causa potest extra suam sphæram actiuitatis extendere actionem, & influxum; & proinde neque etiam causa, quæ influit aliquam obligationem, potest extendere vltra suam sphæram, atquè adeò nec obligare ad id, quod per ipsum attingi non potest: ergo cum sacrificium iof. rat obligationem consumendi, quod per ipsum offertur, non potest extendere obligationem ad consumendum id, quod per aliam oblationem offeratur, quia extenderet obligationem extra propriam sphæram. Quod autem adæquata sphæra obligatiuæ virtutis non sit amplior, ex eo constat, quod vis obligatiua non excedit vim factiuam rei consumendæ: & ideò, sicut vis factiua non excedit terminum, ita nec vis obligatiua; præsertim quia non se extendit nisi mediante termino consecrationis.

12 Dubium tamen superest, quomodo constare debeat de infectione, vt species infectæ relinqui possint. Resp. Sufficere, si quomodocunque probabiliter innotescat, atquè adeò sufficiet quodcunque signum, aut cuiuscunque monitio, aut etiam probabiles coniecturæ, quia hæc omnia sufficiunt ad stabiliendum: non tenetur autem, imò nec potest celebrans se exponere periculo vitæ, cum non adsit sufficiens causa, quæ exigat profundi, & cum agatur de damno irreparabili omne periculum est habendum pro grauissimo, & vitando.

13 Ex dictis colligitur cum Gauanto *in Rubric. Missal. part. 3. titul. 10. num. 7.* Genuensi *in Praxi Neapol. cap. 49. num. 5.* Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 8. § 3. num. 4.* Pace Iordano *tom. 1. Lucubrat. lib. 4. titul. 1. num. 346.* Quarto *in Rubric. Missal. part. 3. titul. 10. num. in exposit littera.* Si fulmen tangat sacras species, habendas esse pro veneratis, vt ita in praxi seruatum fuisse cum casus accidisset Mediolani anno 1601. consulentibus Doctoribus; refert Gauant. citat. Fulmina enim solent secum afferre venenificas qualitates, quibus res tactas inficiunt.

QVÆSTIO 305.

Quid faciendum si venenum aduertatur post consumptionem.

SVMMARIVM.

1. *Aduertens post consumptionem, species fuisse veneno infectas, se gerere potest, ac si alio modo haussisset venenum.*
2. *Ius naturale obligat ad arcendo contraria conseruationi vitæ.*
3. *Quid faciendum, si species venenatæ eiiciantur per vomitum.*

4. *Si species statim euomantur, non potest de nouo aliquid consecrari.*

1 Dicendum est. *Si post consumptionem aduertat celebrans, quod species erant veneno infectæ, eodem modo se gerere debere, ac si quocumque alio modo sumpsisset venenum, atque adeo poterit etiam procurare vomitum sacrarum specierum.* Ita Suarez *disput.* 85. *de Eucharist. sect.* 1. vers. *Secunda regula.* Henriquez *lib.* 9. *cap.* 37. *num.* 4. Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 10. *num.* 9. Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disput.* 4. *dub.* 15. *num.* 303. Pax Iordan. *tom.* 1. *lucubr. libr.* 4. *titul.* 1. *num.* 347. Franciscus Lugo *libr.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *quæst.* 2. *num.* 22. Quartus *in Rubric. Missal. part.* 3. *titul.* 3. *sect.* 3. *dub.* 3. Ratio est. Quia cum sacræ species non potuissent sumi, si earumdem infectio fuisset nota, ita tanquam malè sumptæ eiici possunt.

2 Accedit, quod ius naturale obligans ad conseruationem propriæ vitæ, obligat etiam ad arcenda contraria, & ad applicanda media necessaria pro conseruatione: vnde sicuti, si nota fuisset infectio, non potuisset eas sumere, quia non potuisset esse sui ipsius homicida, ita cum post sumptionem innotuerit infectio, ratione eiusdem iuris potest eas eiicere, auertendo malum mortis, quod ab ipsis imminet.

3 Notant autem Doctores *num.* 1. *citati.* Quod si per vomitum eiiciantur sacræ species, esse seruandum, quod docet Rubrica *part.* 3. *titul.* 10. *num.* 4. pro omni casu, in quo casu eiiciuntur nimirum. *Species consacrata cautè separentur & in aliquo loco reponantur, donec corrumpantur, & postea in sacrarium proiiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus & cineres in sacrarium mittantur.*

4 Est etiam aduertendum. Non posse subsistere, quod habet Franciscus Lugo *libr.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *quæst.* 2. *num.* 23. nempè, quod si species statim post sumptionem euomantur, possit forsan alia materia consecrari, ac sumi propter maius sacrificij complementum, quamuis non videatur necessarium. Absolutè enim non potest alia materia consecrari, quia sacrificium est plenè completum, cum sit etiam pleoè consumptum, & cum verum sit, quod adfuerit actio manducationis, & potationis, valet etiam, quod species consumptæ causauerint suum effectum, quia verificatur conditio, sub qua promissa est gratia.

QVÆSTIO 306.

Quale peccatum sit vti Hostia fracta.

SVMMARIVM.

1. *Hostia fracta ante consecrationem debet mutari.*
2. *Quid si sit maculata.*
3. *Quale peccatum adhibere Hostiam fractam.*
4. *Post consecrationem adhibenda omni meliori modo Hostia fracta.*
5. *Quale peccatum vti Hostia maculata.*
6. *Hostiam oblatam, sed non consecratam relinquere, an peccatum.*
7. *Quale peccatum eam proiicere.*

1 Ex Rubricis *part.* 3. *tit.* 10. *num.* 9. habemus, quod si Hostia sit fracta, & id aduertatur antè oblationem, debet alia accipi, si citra scandalum, aut longam moram fieri possit. Post oblationem autem debet talis, qualis est consecrari, nisi fractura euidenter appareat populo: quod si timeatur scandalum, debet alia accipi, offerri, & consecrari, & primo loco oblata sumi post consumptionem sacrificij. Ita Rubrica & notant communiter Doctores præsertim Dicastil. *de sacram. tract.* 5. *disput.* 4. *dub.* 15. *num.* 292. Tambur. *opusc. de sacrific. Miss. lib.* 2. *cap.* 8. §. 6. *num.* 6. Quartus *in Rubric. Missal. parti.* 3. *tit.* 10. *n.* 9. *in explicat. litteræ.*

Quod autem dicitur de fractura Hostiæ, id etiam, & maiori ratione dicendum est de maculis, quæ reperiri possent in Hostia, præsertim si sint tales, vt præseferant aliquas sordes, quia hoc esset contra reuerentiam sacrificij. Cæterum quod spectat ad mutationem materiæ, non video quale scandalum timeri possit dum mutatur materia, quia adstantes præsumere debent, quod talis mutatio sit rationabilis, & ex causa vnde ex hoc capite non credetem esse omittendam mutationem. Difficultas autem solùm est, quale peccatum sit, si celebrans adhiberet Hostiam fractam cum aduertentia. 2

Dicendum est. *Adhibere Hostiam fractam, dummodo fractura non obstet, quin seruari possint ritus præscripti, non esse plusquam peccatum veniale.* Ita etiam Quartus *in Rubr. Miss. p.* 3. *tit.* 10. *n.* 9. *dub.* 1. *init.* Ratio est. Quia fractura, si non obstat ritibus obseruandis, non obstat, nisi cuidam accidentali perfectioni, quæ potius conducit ad pulchritudinem, quam ad aliquid necessarium, nam materia consecranda non requirit vnitatem, vt constat, quando plures formæ consecrantur, sed talis vnitas requiritur solùm, vt cum materia principali exerceri possint sacri ritus, & ad quandam pulchritudinem, vnde, si tollatur solùm hæc pulchritudo, non est quid graue; & ideò non erit amplius, quàm peccatum veniale. 3

Ex his colligitur. Quod si contingat, Hostiam frangi præcipuè post consecrationem, debet, si non sit totaliter fracta, celebrans ea vti omni meliori modo ad peragendos ritus. Quod si totaliter frangetur in duas partes, tunc vti debet maiori parte ad ritus peragendos quæ semper apta erit, quia cum illius forma soleat esse grandior, semper ex fractione etiamsi in partes plusquam duas diuidatur remanebit aliqua pars apta pro ritibus necessariis exercendis. 4

Secundò colligitur. Peccatum esse veniale, vti Hostia maculata, si leuiter deformetur. Quia huiusmodi deformatio est contra reuerentiam debitam sacrificio. Si autem deformitas esset notabilis, ita vt transferret in sordes notabiles, esset peccatum mortale, quia grauiter contrariaretur iuri naturali, quod exigit tantum mysterium tractari cum decore. 5

An autem peccet celebrans, si non sumat Hostiam oblatam, sed non consecratam ob fracturam negatiuè resoluendum est, vt resoluit etiam Quartus *in Rubric. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *n.* 9. *dub.* 2. Quia non constat de aliquo præcepto, Rubrica enim de qua *init. n.* 1. non continet præceptum, sed simplicem instructionem. Quod etiam ex eo constat: quia est eadem ratio, ac de Hostia oblata, quæ remoueatur vel ob dubium, quod incipiat corrumpi, vel ex aliqua alia causa tamen hæc, & aliæ similes vt constat ex Rubrica *tit.* 3. *de defect. n.* 5. Potest alteri tradi sumenda vel conseruari. Vnde sufficit, quod non irreuerenter tractetur, quia ex vi oblationis fuit iam dedicata Deo, & aliquo modo sanctificata. 6

Non tamen probari potest, quod habet Quartus *in Rubricas, part.* 3. *titul.* 10. *num.* 9. *dub.* 2. *in fine.* Scilicet esse graue sacrilegium, eam proiicere conculcandam. Secluso enim contemptu si non curaretur, non esset grauis irreuerentia. Quia eius sanctitas tanquam sola inchoatio quædam sanctifica- 7

sanctificationis est minor in suo genere, quam sit sanctitas sacramentalium, quæ in suo genere est perfecta, & ideò non exigit nisi minorem reuerentiam, & tamen non curare huiusmodi sacramentalia, quod reuerenter conseruentur, non est graue sacrilegium.

QVÆSTIO 307.

Quid faciendum si Hostia consecrata incidat in Calicem.

SVMMARIVM.

1. *Si hostia incidat in Calicem, adhibenda pars non madefacta.*
   Quid si tota sit madefacta.
2. *Quale peccatum, si Hostia per negligentiam incidat in Calicem.*
3. *Quid faciendum si particula Hostiæ inhæreat fundo Calicis.*
4. *Quid faciendum si in Parasceue reperiatur Hostia adhærere purificatorio madefacto.*

1 CAsum resoluit Rubrica *part.* 3. *tit.* 10. *num.* 10. Nimirum quod accipienda est pars hostiæ, quæ non est sanguine madefacta, & cum ea peragenda Missa more consueto, tanquam si esset integra Hostia. Quod si tota madefacta sit, quod vix contingere potest, cum parum materiæ pro sanguine consecretur, recitantur omnia consueta omissis signis, & cæteris ritibus, & celebrans simul sumit Corpus, & sanguinem Christi dicendo *Corpus & Sanguis, &c.* Et ita notant etiam communiter Doctores Suarez, *disput.* 85. *de Eucharist. sect.* 2. *in fine* Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 16. ver. *Rursus.* Dicastil. *de sacrament. num.* 5. *disp.* 4. *dub.* 19. *num.* 291. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 37. *num.* 5. Coninch *de sacrament. qu.* 83. *art.* 6. *num.* 28. Bonac. *disp.* 4 *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 10. *num.* 6. Bartholom. ab Angelo *Dialog.* 5. *de Missa.* §. 688. Filliuc. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 165. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 10. *quæst.* 2. *n.* 34. Tambur. *opusc. de sacrif. Miss. lib.* 2. *cap.* 8. §. 6. *num.* 2. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 10. *in explicat. litera* & cæteri cum D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *artic.* 6. *ad* 6. Hic enim est congruentior modus supplendi hunc defectum. Quod si tota hostia madefiat redditur impossibilis obseruantia ritus, & ideò cessat obligatio. Esset enim irreuerentia grauis tractare manibus Hostiam sanguine madefactam.

2 Dubitatur tamen, quale peccatum sit. Si per negligentiam Hostia incidat in sanguinem. Resp. Quod id contingere potest, & sine vllo omninò peccato, vt si incidat ex metu, inaduertentia, & omnino inuoluntarie; & solùm cum peccato veniali, vt si negligentia leuis sit, cum aliqua aduertentia circa eamdem negligentiam. Et etiam cum peccato mortali, si nimirum præuideatur periculum, & nolit occurrere, quia tunc est causa, quod omittantur ritus principaliores, qui aliàs sine peccato mortali omitti non possunt. Et hoc intelligitur quando præuidetur periculum, quod tota madefiat, quia si potest tantùm secundum partem madefieri esset tantum peccatum veniale, quia non impedirentur ritus consueti.

3 Si autem contingat, quod particula Hostiæ inhæreat fundo Calicis, quando sumitur sanguis, duplici modo occurri potest; vel trahendo ipsam ad labium Calicis, & posteà sumendo, vel infundendo vinum Calici, vt cum ipso sumi possit, & si prima vice non proficiat, infundetur secundo. Vtrum-

que modum ponit Rubr. *part.* 3. *titul.* 10. *num.* 8. Sed posterior modus videtur decentior. Et ita notant etiam Suarez *disput.* 68. *de Eucharist. sect.* 6. vers. *Secundus casus.* Auersa *quæst.* 8. *de Eucharist. sect.* 9. vers. *Imò ad reuerentem.* Lugo Cardinalis *disput.* 15. *de Eucharist. sect.* 4. *num.* 79. Tamburin. *opuscul. de sacrific. Miss. lib.* 2. *cap.* 8. §. 8. *num.* 7. Quartus *in Rubric. Missal. part.* 2. *titul.* 10. *dub.* 7. & alij contra nonnullos, qui sentiunt decentius, & melius esse, retrahere particulam ad labium Calicis, vt Ludouic. à S. Ioan. *in summ. quæst.* 7. *de Eucharist. artic.* 15. *dub.* 3. *difficult.* 3. Nec obstat, quod illa particula non sumatur à ieiuno, quia sufficit prima consumptio facta à ieiuno; illa enim, quia se habet vt quid accessorium consumptioni, sequitur conditionem ipsius, & censetur facta à ieiuno, sicut etiam contingit in fragmentis, quæ remanent, aut in ore, aut in Calice ex quo fit, quod si remaneant in ore aliquæ particulæ debet os ablui non solum duplici purificatione consueta, sed etiam multiplici, donec descendant ad stomachum.

Constat etiam ex dictis. Quid dicendum ad illum casum, de quo Ledesma *part.* 1. *summ. tractat. de Eucharist. cap.* 25. *in fine.* Contingit enim, quod Hostia feria quinta Maioris hebdomadæ reseruata pro Parasceue, ita adhæserit Purificatorio madefacto, cui in Calice fuit superposita, vt nequiuerit leuari. Vnde dubitatur quid in tali casu agendum. Non potuisse consecrari aliam Hostiam docent ipse Ledesma, & Franciscus Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *quæst.* 2. *num.* 35. quia prohibetur in illo die consecratio Hostiæ, quod neque etiam potest consecrari vna species absque alia. Nec etiam potuisse eleuari adoranda Hostiam non consecratam, sed fuisse eleuandum Calicem cum Hostia. Verùm hoc vltimum mihi probari non potest; quia non est ille ritus, quem præscribit Ecclesia præsertim quia, cum in Calice, quando eleuatur, exhibeatur Sanguis Christi adorandus, præberetur occasio existimandi, quod tunc quoque ibi adesset Sanguis Christi. Itaque si nulla pars integra remoueri possit quæ eleuetur satius erit omittere ritum eleuandi tanquam factus impossibilis, quare nouum inducere, & leuata Hostia quantum fieri potest à purificatorio omni meliori sumere modo consueto præsanctificata. 4

QVÆSTIO 308.

Quid faciendum, si Sacerdos aduertat, aquam non fuisse mixtam vino.

SVMMARIVM.

1. *Miscenda aqua, si ante consecrationem aduertatur non fuisse mixtam.*
2. *Secus, si sit facta consecratio.*
3. *Quid si cœpta consecratione, & non completa aduertatur defectus.*
4. *Aqua non conuertitur in vinum ante consecrationem.*
5. *Cur miscenda aqua, non obstante, quod non misceatur suo loco.*

CIrca hanc defectum docet Rubr. *p.* 3. *tit.* 4. *num.* 7. quod si celebrans antè consecrationem Calicis aduertat, nô fuisse appositã aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis. Si id aduertat post 1

consecrationem Calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate sacramenti. Vnde deducitur quod sit ponenda etiam post consecrationem Panis. Et ita D. Thom. *3. part. quæst.* 83. *art. 6. ad* 4 notant communiter Doctores præsertim Suarez *disput.* 85. *de Eucharist. sect.* 21. vers. *Primo igitur.* Tambutin. *opus. de sacrific. Miss. lib.* 2. *cap.* 8. §. 4. *num.* 1. Quartus *in Rubric. Missal. part.* 3. *tit.* 4. *num.* 7. Ludouic. à S. Ioan. *in summ. quæst.* 7. *de Eucharist. artic.* 16. *difficult.* 4.

2 Ratio autem est. Quia, si est facta consecratio, immixtio aquæ erit frustratoria, siquidem infunditur vt sit commateria consecrationis, quod non habet locum, postquàm est iam sequuta consecratio. Rursus non seruaretur ritus Ecclesiæ, qui est pro immiscenda aqua cum vino tanquàm commateria consecrationis, sed nouus ritus introduceretur, qualis esset immixtio post consecrationem.

3 Dubium autem est, an sit immiscenda aqua, si celebrans defectum aduertat, postquàm incœpit, sed non compleuit verba consecrationis Calicis, itavt omittat complere, & posita aqua repetat totam consecrationem. Ex vno enim capite videtur ita faciendum, quia potest seruari iste ritus, qui est ex grauissimis, & parum refert, quod non impleatur forma consecrationis, dum est tota repetenda. Tenendum tamen est, quod non sit immiscenda aqua, sed prosequenda forma consecrationis, itavt incœptis illis verbis. *Simili modo*, non habeat amplius locum admixtio aquæ. Nam, cum consecratio sit cœpta, exigit etiam perfici ex vi institutionis sacrificij. Vnde, qui data opera cum intentione consecrandi inciperet proferre verba, & antè complementum sisteret, nolens amplius per verba incœpta consecrare, committeret graue sacrilegium; quia abuteretur forma consecrationis. Et ideò obseruandum ritum Ecclesiæ non debemus abuti verbis consecratoriis.

4 Dices. Si aqua misceretur solùm antè consecrationem Calicis, non esset conuersa in vinum, quando consecratur, & ideò remaneret in sua substantia. Respon. Ita dicendum, non solùm in hoc casu, sed vt plurimum, quia dato, quod posset conuerti vinum, non posset tam cito vinum in se illam conuertere, præsertim quando non est generosum. Verùm quia conuertitur immediatè in sanguinem Christi tanquam commateria, supra quam cadit immediatè consecratio, vt in tractatu de Eucharistia dictum est, ideò parum refert, quod misceatur, aut immediatè antè, aut longè antè.

5 Dices 2. Dum non immiscetur, quando est miscenda turbatur ritus Missæ, dum à proprio loco in alienо reponitur, quod vt dictum est in superioribus, non est licitum. Resp. Hanc transpositionem ritua alicuius de vno loco in alium non esse licitam, quando agitur de ritu transeunte, qui consistit in actione, aut recitatione aut signo. Mixtio verò aquæ est ritus permanens, quia se habet vt accessoria materia ad vinum, & durat toto tempore vsque ad consecrationem: & proinde totum hoc tempus est tempus proprium, vt possit suppleri. Licèt enim actio miscendi præscribatur certo loco, ipsum tamen mixtum est in ordine ad consecrationem, & ideò actio miscendi tanquam debita consecrationi exigitur toto tempore, quod præcedit consecrationem; vnde semper opportuna est, in quocunque loco Missæ antè consecrationem subintret.

QVÆSTIO 309.

Quomodo occurrendum defectu congelationis Calicis.

SVMMARIVM.

1. *Quomodo obuiandum, si vinum consecratum congeletur.*
2. *Si non suppetat modus liquefaciendi, an possit congelatum sumi.*
3. *Vinum an possit congelatum consecrari.* & num. sequent.
 Consecratio erit valida.
4. *Illicita secundum aliquot.*
5. *Licita secundum alios.*
6. *Cur licita.*
7. *Consuetudo consecrandi vinum liquidum non obstat.*
8. *Opinio, quod non possit vinum congelatum consecrari non reddit materiam dubiam.*
9. *Vinum congelatum, si liquefiat, potest consecrari.*

1 QVid, occurrente hoc quoque defectu, præstandum sit, docet Rubr. *part.* 3. *tit.* 10. *num.* 11. ita habens. *Si in hyeme sanguis congeletur in Calice, inuoluatur Calix pannis calefactis; id non proficeret, ponatur in feruenti aqua propè altare dummodo in Calicem non intret, donec liquefiat.* Et quamuis hos modos assignet, non tamen excludit cæteros, vt est admouere ignem in prunia, in quo tamen casu erit aduertendum, quod liquefiat quidem sanguis, sed quod non ita calefiat, vt inciperet euaporare; quia hoc esset destruere sanguinem. Quod etiam esset aduertendum si aqua, quæ adhibetur, esset feruens.

2 Sed quid, si non suppeterent panni calidi, nec aqua feruens nec ignis, & proinde esset diu expectandum. An non posset Sacerdos sumere in os sanguinem congelatum, itavt saltem secundam partem oris calore dissolueretur, & ita ipsum sumere? certè non videò, quid obstare possit, nam vt sumatur per modum potus, sufficit quod in ore fiat proximè potabilis, quia potatio non consistit in assumptione potus in os, sed in transmissionem ab ore in stomachum, & ideò sufficit, si in tali transmissione potabili modo se habeat, sicut sufficit in Baptismo, quod glacies liquefiat, quando debet sequi actio ablutionis.

3 Maior difficultas est. Quid faciendum, si congeletur antè consecrationem: an possit ita congelatum consecrari. Est supponendum tanquàm certum, validam futuram consecrationem, vt cum sententia communissima tradunt Sotus *in* 4. *distinct.* 9. *quæst.* 1. *art.* 5. Angel. *verbo* Missa. *num.* 23. Sà *num.* 2. Layman. *lib.* 5. *Theolog. moral. tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 6. Reginaldus *lib.* 19. *Praxis fori pœnit. cap.* 2. *num.* 25. Filliuc. *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 87. Syluest. 3. *part. quæst.* 74. *art.* 5. Villalob. *part.* 1. *sum. tract.* 3. *difficult.* 7. *num.* 2. Nam congelatio non mutat substantialiter vinum, vt experientia constat, quando liquefit: & quod non sit proximè potabile id est per accidens præsertim, quia potabilitas in actu proximo non est qualitas per se requisita ad qualificandam materiam; sed solùm est necessaria pro vsu sacramenti.

4 Prima sententia asserit, vinum congelatum non posse licitè consecrari. Ita Coninch *de sacrament. quæst.* 74. *artic.* 5. *num.* 127. Facundez *Precept.* 3. *Eccles. libr.* 2. *cap.* 3. *num.* 10. Auersa *quæst.* 2. *de Eucharist. sect.* 2. ver. *Fatendum tamen.* Quartus *in*

Rubr.

Rubr. Missal. part. 3. tit. 10. num. 11. dub. vn. ver. Opposita tamen. Fundantur in eo, qui esset contra Ecclesiæ consuetudinem, quæ habet vim legit. Secundò, quia cum nonnulli negent consecrationem esse validam exponeretur periculo irritationis.

5 Secunda sententia asserit, licitè consecrari. Ita Vasquez 3. *part. disp.* 175. *cap.* 2. *num.* 18. Gaspar Hurtad. *de sacram. disp.* 2. *de Eucharist. diffic.* 9. *in fine.* Cum qua tenendum est. *Vinum, si congeletur, posse licitè consecrari.* Pro quo aduertendum est, quod aliud est, quod accipiatur vinum congelatum vt consecretur, & aliud, quod si congeletur in calice, possit consecrari. Hoc secundum est quod asseritur nam primum, non careret peccato veniali seclusa necessitate, quia non adhiberetur tota illa diligentia, quæ esset necessaria pro reuerentia tanti sacrificij in præparanda materia.

6 Ratio autem est; quia cum sit materia sufficiens est etiam licita, quia fieri potest consecratio in omni materia, quæ est secundum institutionem Christi, & Ecclesiæ, nisi obstet aliqua prohibitio, aut irreuerentia. De prohibitione autem in præsenti casu non constat, nec etiam locum habet irreuerentia, quia coogelatio non reddit materiam deteriorem, sicut contingit, quando vinum incipit acescere, nec sordentem, sicut si vinum esset spissum quale est, quod è fundo dolij hauritur. Nec quod postea calefacienda sit, vt liquefiat, dicit irreuerentiam, cum id faciendum sit, etiam quando post consecrationem species congelantur.

7 Ad primum resp. Quod sicut lex disponit de ijs, quæ regulariter fiunt, non autem de iis, quæ per accidens contingunt: ita etiam consuetudo. Vnde consuetudo consecrandi in vino non congelato non se extendit ad casus accidentales, quando contingeret congelari in calice. Deinde non est consuetudo introducta more vtentium, quasi introduxerit aliquod speciale requisitum, seu conditionem materiæ consecrandæ. Sed habet fundamentum in natura vini, quod de se est liquidum, & solum aliquando per accidens congelatur, vndè nec potest dici consuetudo, quia non habet actus positiuos ex aliqua institutione introductos. Quod autem, si vinum congeletur, adsit consuetudo non consecrandi nisi prius liquefiat, aut reponendi vinum non congelatum, certè nemò poterit asserere, cum casus, si adsit, rarissimus sit, nec pro probanda consuetudine articulari possit vniformitas actuum, seu obseruantiæ certè ego nunquàm audiui, casum contigisse.

8 Ad 2. Si ex eo, quod nonnulli negant validè consecrari, redderetur materia dubia: redderetur etiam dubium, an post congelationem maneret sanguis Christi sub speciebus consecratis. Nam quamdiu accidentia sunt apta ad continendam veram materiam, remanet sufficientia in materia, etiamsi incipiant alterari in ordine ad corruptionem, vt quando vinum incipit acescere; & tunc solum desinit esse sufficiens, quando non valent amplius continere. Si igitur congelatio ita alterat accidentia, vt non valeant continere eamdem materiam, ita etiam alterabunt species sacramentales, vt non valeant continere sanguinem Christi, quia tamdiu tantum possunt continere, quamdiu continerent substantiam vini, si adesset; & ideò si ex congelatione materia redditur dubia, redderetur etiam dubia præsentia sanguinis Christi. Non igitur redditur dubia, quia, vt materia sit certa, sufficit si morall æstimatione sit illa, quæ habetur pro materia certa, vinum autem congelatum in morall æstimatione habetur pro vero, & naturali vino, ita vt nullo modo immutetur, siuè secundum substantiam, siuè secundum proprias qualitates.

9 Ex dictis sequitur à fortiori, vinum congelatum posse licitè consecrari, si liquefiat. Imò absolutè esset consecrandum, si congelaretur post oblationem, vt inter alios notant Layman. *lib.* 5. *Theolog. moral. tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 6. Auersa *qu.* 2. *de Eucharist. sect.* 5. *ver. Fatendum,* Quartus *in rubr. missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 11. *dub. vnic. in fine.* Quia ex vi oblationis est iam in possessione, vt debeat consecrari, & in ipso est iam inchoata sanctificatio; & ideò non debet reijci, cum non adsit causa sufficiens. vndè non est probandum, quod habet Suarez *disp.* 45. *de Eucharist. sect.* 1. *in fine.* Conuenientius esse, quod mutetur, quod admittit etiam Quartus modo citatus si congelatio contingat antè oblationem, quia aliquantulum euanescit, quod tamen est contra experientiam, quia ratione frigoris conseruatur vinum: vt patet in Hyeme, ratione verò caloris, nisi sit diuturnus, non resoluitur, vt constat quando calesit in ordine ad bibendum, quod generosius sentitur. Vndè veteres Romani vtebantur potu calido. Vt autem vinum congelatum liquefiat, non debet affici longo calore, sed sufficit prima calefactio, qua vincatur frigus, & proindè minor, quam sit in vino tempore æstatis.

QVÆSTIO 310.

An sit peccatum aquam & vinum pro consecratione niue infrigidare, aut calefacere.

SVMMARIVM.

1. *Vinum, & aquam pro consecratione an liceat niue infrigidare.*
2. *Vti pro consecratione aqua alterata, vt calida, esset peccatum graue.*
3. *Ex obiecto non est peccatum vti vino, & aqua niue infrigidatis.*
4. *Imò materia nobiliori modo qualificatur.*
5. *In regionibus frigidissimis vinum, & aqua pro consecratione conseruari posset in aqua calida.*
6. *Infrigidans aquam, & vinum pro consecratione ad delitias peccat venialiter.*

Suarez *disp.* 45. *de sacrament. sect.* 3. videtur sentire, id non esse licitum, dum dicit, quod seruanda est ordinaria consuetudo Ecclesiæ, & non introducendna nouus ritus. Facundez autem *Precept.* 5. *Eccles. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 14. putat, esse peccatum mortale vti aqua calida, quia esset contra consuetudinem Ecclesiæ. Alij verò vt Tamburin. *Opusc. de sacrific. miss. lib.* 2. *cap.* 4. §. 2. *num.* 4. *& sequent.* Quart. *in rubr. missal. part.* 2. *tit.* 7. *sect.* 2. *dub.* 5. *in fine,* volunt secundum se nec esse peccatum veniale, nisi fortè per accidens ratione finis. 1

Certum est autem in hac difficultate, quod si adhiberetur aqua alterata, præsertim calida, vt introduceretur nouus ritus, qualis est apud Græcos, qui miscent aquam calidam, esset peccatum mortale, quia esset contra prohibitionem *Constitutionis* Pij V. præfixæ Missali, in qua virtute obedientiæ præcipit, celebrari Missam secundum ritum in Missali præscriptum, & prohibet quemcunque alium ritum. Et quamuis Inoocent. IV. *in sua constit. de ritibus Græcorum,* edita *anno* 1254. quæ est, 14. *tom.* 1. *Bullarij,* non damnet ritum miscendi aquam calidam, non tamen hinc fit, quod sit licitum etiam Latinis, quia hi tenentur proprios ritus seruare, nec possunt priuata auctoritate introduci noui ritus circa publicum 2

cultum. Maior autem suspicio esset introductionis noui ritus in vsu aquæ calidæ, quam in vsu infrigidatæ, tum quia non habet illum vsum, quem habet aqua frigida: tum quia videretur immutatio ritus Græci.

3 Dicendum est. *Vti aqua aut etiam vino niue infrigidato nec esse peccatum mortale, nec etiam veniale secundum se seu ex obiecto.* Ratio est. Quia de iure nihil in hoc est determinatum, & ex natura rei nihil continet inordinatum. Quia licèt alteretur materia, hæc tamen alteratio non est destructiua quæ tendat ad corruptionem, & proinde reddat deteriorem materiam; sed est perfectiua, quia intendit qualitates connaturales aquæ, & vini, cum etiam vinum sit frigidum formaliter, & proinde perficitur potius materia consecrationis.

4 Confirmatur. Quia materia consecrationis est vinum vsuale, & aqua naturalis valdè conueniens est, quod in vtraque parte sit perfecta, quò magis fieri potest: ergo cum sit ordinata ad potum debet perfectio ipsius considerari in ordine ad eumdem potum. Perficitur autem in ordine ad potum per infrigidationem, vt proinde infrigidatio qualificet potum, vt se habeat nobiliori modo. Accedit etiam, quod frigiditas circumambientis pro conseruando vino, & aqua à putrefactione; & proinde nix circumposita inseruit pro manutenenda ipsius perfectione, quæ licèt non possit periclitari pro illo paruo tempore, adhuc tamen, dum manet in niue, manet in circumambienti conseruatiuo, quod melius est, quam esse in circumambienti calido, qualis est aër æstatis tempore. Ex quibus constat, quod infrigidatio congrua est pro perfectione materiæ, tantum abest, quod contineat peccatum.

5 Ex dictis colligitur. Quod, si hyemis tempore quis adhiberet in regionibus frigidissimis aquam calidam, in qua conseruaretur vinum, & aqua adhibenda in sacrificio in eum finem, ne congelaretur, non esset reprehendendus quia totum hoc haberet rectum finem, & in se esset medium opportunum ad obtinendum debitum finem, vnde potius esset laudanda diligentia, quæ occurreret incommodo, quod alioquin sequi posset, congelationis.

6 Secundò colligitur cum Tamburino *opuscul. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 4. §. 2. num. 11.* Quartus *in Rubric. Missal. part. 2. titul. 7. sect. 2. dub. 15. in fine.* Peccaturum venialiter, qui ordinaret infrigidationem vini, & aquæ mediante niue ad delitias, & propriam delectationem, nam esset quid inordinatum quærere delicias corporales, in tam sacro ministerio, quia esset vti materia consecrationis, seu qualitate materiæ consecrationis ad proprium commodum. Quia tamen esset leuis inordinatio, ideò non excederet peccatum mortale. Si tamen ordinaretur per se primò ad perficiendam materiam consecrationis, licèt etiam concomitanter intenderetur gustus proprius, non crederem esse peccatum, quia esset quid, quod veniret in consequentiam ad id, quod pro decentia sacrificij curaretur.

QVÆSTIO 311.

Quomodo occurrendum si aliquid ex consecratis speciebus dilabatur in terram aut alium locum.

SVMMARIVM.

1. *Si quid de speciebus consecratis decidat; quid agendum.*
2. *Quid si effundatur aliquid de sanguine.*
3. *Seclusa negligentia adhuc seruanda, quæ præscribuntur, si effundatur sanguis, &c.*
4. *Quale peccatum non seruare præscripta, quando effunditur sanguis, &c.*
5. *Diuersa ratio, si cadat Hostia, ac si cadat sanguis.*
6. *Non seruare præscripta, quoad substantiam, cum sanguis funditur, est mortale.*
7. *Ob irreuerentiam, quæ sequerentur.*
8. *Cadente Hostia si omittantur præscripta diligentia, non est peccatum mortale.*
9. *Si celebrans non lambat sanguinem ante purificationem tenebitur postea lambere.*
Debet statim lambere, & si non lambit, debet alius lambere.
10. *Lotio, qua lauatur materia, super quam cecidit sanguis, proijcienda in sacrarium.*
11. *A quo lotio facienda, quando cecidit sanguis, aut Hostia.*

QVid in tali casu agendum sit, edocemur à Rubricistinam quoad Hostiam coosecratam *part. 3. tit. 10. num. 15.* habetur. *Si Hostia consecrata, vel aliqua eius particula dilabatur in terram, reuerenter accipiatur, & locus, vbi cecidit mundetur, & aliquantulum abradatur, & puluis, seu abrasio huiusmodi in sacrarium immittatur. Si ceciderit extra Corporale in mappam, seu alio quouis modo in aliquod linteum mappa vel linteum huiusmodi diligenter lauetur, & lotio ipsa in sacrarium effundatur.* 1

Quando autem id contingit in sanguine, *num. 12. ibidem* ita edocemur. *Si per negligentiam aliquid de Sanguine Christi ceciderit siquidem super terram, seu super tabulam in qua lambatur & locus ipse radatur, quantum satis est, & abrasio comburatur cinis verò in sacrarium recondatur. Si verò super lapidem Altaris ceciderit sorbeat Sacerdos stillam, & locus benè abluatur & ablutio in sacrarium proijciatur. Si super linteum Altaris, & ad aliud linteum stilla peruenerit, si vsque ad tertium, linteamina ter abluentur vbi stilla ceciderit Calice supposito, & aquam ablutionis in sacrarium proijciatur. Quod si in ipso solum Corporali, aut si in vestibus ipsis Sacerdotalibus ceciderit debent similiter ablui & ablutio in sacrarium proijci. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto benè abluatur vt supra.* Hæc autem circa effusionem sanguinis desumpta sunt ex Decreto Pij Papæ relato in cap. *Si per negligentiam. De Consecrat. distinct. 2.* 2

Circa autem prædicta, est aduertendum quod licèt dicatur. *Si per negligentiam*, quæ tamen præscribuntur, seruanda sunt, etiam si nulla interueniat negligentia, sed omninò fortuitò decidat, quia non præscribuntur intuitu negligentiæ, sed ipsius reuerentiæ debitæ, quæ exigitur ex quocunque capite contingat diffundi. Negligentia aut solum facit, quod effusio sit culpabilis, & mereatur pœnam. Rursus etiam est aduertendum, quod quando sanguis effusus lambi potest ab ipso celebrante lambendus est, quia solus participare potest sanguinem Christi, vt notat etiam Suarez, *disput. 85. de Eucharist. sect. 2. vers. Sextò.* 3

Circa autem remedium præscriptum adest difficultas, quale peccatum sit omittere præscriptas diligentias Quartus *in Rubric. Missal. part. 3. titul. 10. num. 12. dub. 1.* Respondet, esse peccatum mortale, si nulla adhibeatur diligentia, vel omittatur, quæ præscribuntur; quoad pactum notabilem, quoad autem ad partem modicam esse tantum veniale, quia sequitur ex tali omissione leuis irreuerentia, sicut grauis ex opposito. 4

Existimo tamen, quod diuerso modo discurrendum 5

dum sit, quando casus occurrit in hostia, ac quando occurrit in sanguine, quia quando decidit hostiam siue super terram, siue super linteum, nihil ipsius imbibitur in terra vel linteo. At quando decidit sanguis imbibitur in terra, vel linteo, aut in quocunque alio, super quo decidat, vnde in iure imponuntur graues pœnæ ijs, quorum negligentia decidit sanguis, vt constat ea d. cap. *si per negligentiam, de consecrat. distinct.* 2. quæ non imponuntur, si per negligentiam decidat hostia.

6 Dicendum 1. *Si omittantur, quæ præscribuntur, quoad substantiam, quando decidit sanguis, esse peccatū mortale, sed veniale si omittatur aliquid leue, vt si non adhibeatur calix ad recipiendam ablutionem, sed aliud vas si tantum bina ablutio adhibeatur.* Quod sit tantum veniale ratione paruitatis materiæ, constat ex communi regula, quod in materia diuisibili, qualis est præsens, datur paruitas, quæ fundat tantum peccatum leue.

7 Quod autem sit peccatum graue, si omittatur secundum substantiam, quod præscribitur ex eo constat, quod tractaretur irreuerenter valde sanguis Christi, dum sineretur permanere, vbi cecidit, sicut esset grauis irreuerentia, si relinqueretur hostiam vbi decideret. Vnde, cum non possit sanguis reassumi, sicut reassumitur hostia, debent eius reliquiæ eo meliori modo, quo potest, colligi, nempe abrasione, lotione, &c. Et hic subintrat regula, quod Rubricæ obligant, quando continent id, quod etiam de iure iniunctum est, quales sunt diligentiæ supradictæ, quæ præscribuntur, vt dictum est, in d. cap. *si per negligentiam, de consecrat. dist.* 2. Et sumus in graui materia, nam obiectum irreuerentiæ est sanguis Christi, & irreuerentia est grauis, quia tractaretur, tanquam si esset res vilissima, & cuius nulla esset habenda ratio.

8 Dicendum 2. *Si quando decidit hostia omittantur præscripta diligentia reassumpta hostia non erit peccatum mortale, sed tantum veniale.* Ratio est; quia diuinæ diligentiæ non præscribuntur in iure, sicut præscribuntur diligentiæ circa sanguinem. Vnde Rubrica manet in terminis puræ directionis illius, quod expediens est. Deinde non militat illa ratio, quæ militat quoad sanguinem, siquidem nihil hostiæ imbibitur rei, super quam decidit & potest secundum se totum reassumi, quod non contingit in sanguine, quia etiamsi caderet supra materiam, quæ non imbiberet, adhuc tamen secundum aliquas reliquias semper adhæreret, nisi lauaretur. Vnde quoad hostiam cessat ratio, ob quam in sanguine esset grauis irreuerentia.

9 Ea dicitis colligitur; quod, si celebrans omittat lambere sanguinem ante sumptionem purificationis, debebit postea lambere eum consumendo tanquam reliquum quid sacrificij. Est tamen aduertendum, quod debet lambere statim, ac effunditur, vt minus imbibatur materiæ, supra quam cadit, reliquæ verò diligentiæ erunt peragendæ completa Missa, imò si differret lambere post sumptam purificationem, peccatet mortaliter, quia non consumeret ante purificationem totum quod erat cunsumendum, atque adeo nec etiam ieiunus. Si verò contingeret casus, quod celebrans non lamberet, posset lambi ab alio Sacerdote, licet non ieiuno, quia reuerentia præferenda est præcepto de ieiunio, & inter alios notant Paludan. *in* 4. *dist.* 9. *qu.* 1. Suarez *disp.* 85. *de Eucharist. sect.* 1. *reg.* 2. *in fine*, Quartus *in rubr. missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 12. *dub.* 2. *dicto* 2. Imo posset etiam lambi à quocumque etiam laico iuxta ea, quæ dicta sunt in tract. de Eucharist. si non adesset alius, quia semper omni meliori modo, quo fieri potest, vitanda est irreuerentia.

Secundò colligitur lotionem, qua ablutus fuit linteos, aut quid aliud, non esse sumendam à Sacerdote necessariò, aut ab alio, sed projiciendam esse in Sacrarium. Ita enim habetur non solum in Rubrica, sed etiam in d. cap. *si per negligentiam*, vbi dicitur, quod fumatur, vt reponatur prope Altare, quia tunc temporis Sacrarium formabatur propè Altare. Et ita etiam notant communiter præsertim Henriquez *lib.* 9 *sum. cap.* 34. *num.* 4. Suarez *disp.* 85. *de Eucharist. sect.* 1. *reg.* 2. *in fine*, Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 251. *num.* ... Coninch *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 6. *num.* 282. Graf. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 46. *num.* 4. Barthol. ab Angelo *dialog.* 5. *de miss.* § 665. & 693. Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 15. *num.* 301. Quart. *in rubr. missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 12. *dub.* 2. *dict.* 3. & alij cum D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 6. 10

Tertiò colligitur, lotionem istam faciendam ab aliquo Sacerdote, posse tamen fieri etiam à Diacono, quod satis indicat ipsa Rubrica, dum dicit suptacit. *num.* 10. *Sorbeat Sacerdos stillam*; & postea non subdit. *Bene abluat*, sed, *& locum bene abluatur*, quod significat, esse quidem abluendum, sed non dicit à Sacerdote vnde subintrat regula, quod possit ablui à Diacono tanquam à iure deputato, ad has ablutiones, vt in cap. *Nemo per ignorantiam, de consecrat. dist.* 2. vbi etiam linteamina committuntur lauanda, quibus adhærebat puluis Dominici Corporis, hoc est minutissima fragmenta, vt indicant verba illa, *Ne fortè puluis Dominici Corporis malè decidat.* 11

QVÆSTIO 312.

An sit comburenda pars lintei seu tapeti supra quam decidit sanguis.

SVMMARIVM.

1. *Pars lintei, &c. super cecidit sanguis, an comburenda.*
2. *Non est de necessitate comburenda.*
3. *Combustio non conducit ad maiorem decentiam.*

Decentius esse, quod comburatur, & cinis in sacrarium projiciantur, siue cadat supra linteamina, siue tapetum, siue vestes sacerdotales, siue aliquid aliud excepto corporali, & purificatorio. Respondet Quartus *in rubr. missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 12. *dub.* 3. Quia hoc cedit in maiorem reuerentiam. Et ita antiquitus erat in vsu, vt constat ex Missalibus antiquis, & in cap. *si per negligentiam, de consecrat. dist.* 2. Subdit tamen, quod hodie nulla adest obligatio comburendi. 1

Verum in cap. *si per negligentiam*, non habetur quod comburatur pars lintei, &c. sed quod quando est tadendum, vbi cecidit sanguis, rasura illa comburatur; quod est quid diuersum, quia rasura est facienda, quando lauari non potest vt in tabula, &c. & sit rasio, & rasura comburatur ob sanguinem imbibitum. Itaque nulla adest necessitas comburendi partem illam, super quam cecidit sanguis, vt notant Gauant. *in rubr. missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 12. Suarez *disp.* 85. *de Eucharist. sect.* 1. *reg.* 2. *in fine*, Tamburin. *Opusc. de sacrific. miss. lib.* 2. *cap.* 8. §. 7. *numer.* 1. 2

Neque etiam est comburenda illa pars ob maiorem decentiam; quia si hoc exigeretur ob maiorem decentiam, exigeretur etiam quoad corporale, & purificatorium, cum sit eadem ratio quoad omnia. Imò magis conduceret ad reuerentiam, si pars facta 3

à

à sanguine conseruaretur, & esset in veneratione, quàm vt combureretur. Neque combustio videtur conducere ad maiorem decentiam, nisi quatenus sit necessaria pro destructione ad vitandam irreuerentiam, quæ aliàs sequeretur, quod in præsenti non habet locum, quia occurritur irreuerentiæ per lotionem, vndè cum cesset necessitas combustionis, cum tenderet ad destructionem non necessariam, esset potius inconueniens.

QVÆSTIO 313.

Quid faciendum si sanguis cadat supra barbam celebrantis.

SVMMARIVM.

1. *An barba radenda, si super ipsam cadat sanguis.*
2. *Sufficit si lauetur.*
Non debet aliquid plus præstari circa ipsam, quàm circa linteamina.

1 Bartholomæus ab Angelo *dialog.* 1. *de Miss.* §. 713. asserit post trinam lotionem abradendam esse barbam, & comburendam, & in hanc sententiam videtur inclinare Dicastil. *de sacram. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 15. *num.* 301. nullum tamen fundamentum affertur, præter id, quod dicitur in Rubr. de abrasione tabulæ, terræ, &c. quod tamen non facit ad propositum, quia tunc rasura est necessaria, quando sanguis imbibitur, nec per lotionem extrahi potest.

2 Dicendum est igitur, *Nequaquam barbam esse abradendam, sed solum lauandam.* Ita Bonac. *disp.* 4. *de sacram. quæst. vlt. punct.* 10. *num.* 10. Quartus *in Rubr. Miss. part.* 5. *tit.* 10. *num.* 12. *dub.* 4. ver. *Respondeo.* Ratio est; quia id non iniungitur, neque à inte, neque à Rubrica quoad linteamina, aut tapetum, in quibus effusus sanguis imbibitur, sed exigitur tantum tanquam sufficiens trina lotio: ergo à fortiori sufficiet trina lotio pro barba, cui non imbibitur sanguis superfusus, & velle inducere plusquam ius præscribit aut requirat Rubrica, erit cultus superfluus, atque adeò accedet ad superstitiosum iuxta Doctrinam D. Thom. 2. 2. *qu.* 93. *art.* 2.

QVÆSTIO 314.

An pœna imposita pro effusione sanguinis hodiè locum habeant.

SVMMARIVM.

1. *Pœnæ, quando ob negligentiam effunditur sanguis.*
2. *Non sunt latæ sententiæ, sed ferendæ.*
3. *Hodiè non sunt in vsu.*

1 IN cap. *si per negligentiam, de consecrat. dist.* 2. imponuntur pœnæ Sacerdoti, cuius negligentia effunditur aliquid de sanguine. Consistunt autem hæ pœnæ in quadraginta diebus pœnitentiæ quando cadit in terram; si cadat super Altare in tribus diebus; si super linteum Altaris in quatuor diebus; si vsque ad tertium linteum in nouem diebus; si vsque ad quartum linteum in viginti diebus, nomine autem primi lintei intelligitur Corporale, Pœnitentia autem horum dierum, vt *ibidem* notat Gloss. *verbo, Pæniteat,* consistit in ieiunio, & in abstinendo à Sacramentorum communione.

2 Circa autem huiusmodi pœnas est aduertendum, quod non sunt latæ sententiæ, sed ferendæ, vt notant Nauarr. *cap.* 25. *manual. num.* 89. Suarez *disp.* 85. *de Eucharist. sect.* 1. ver. *Sextò euenire, circa fin.* Paulus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disp. vnic. punct.* 11. *num.* 7. *in fine.* Ex quo fit, quod celebrans, cui casus contigit, non teneatur spontè subire has pœnas, sed solum, si imponantur; & cum sint pœnæ pro foro externo, non debet eas confessarius in foro pœnitentiali imponere, præsertim cum fieri possit, quod negligentia sit tantum peccatum veniale, & proinde in foro pœnitentiali non mereatur adeò grauem pœnitentiam.

3 Rursus est etiam animaduertendum, quod huiusmodi pœnæ hodie non sunt in vsu, vt notant Sotus *in* 4. *dist.* 13. *qu.* 2. *art.* 6. *ad* 7. Syluester *verbo* Pœnitentia, *qu.* 6. Palud. *in* 4. *dist.* 11. *qu.* 1. *art.* 1. *in fine*, Nauarr. *cap.* 25. *manual. num.* 89. Suarez *num. præced.* citat. Quart. *in Rubr. Missal. part.* 5. *tit.* 10. *num.* 12. *dub.* 5. ver. *Respondeo.* Omnes enim illæ pœnæ quæ per Canones antiquos imponebantur, abierunt in desuetudinem tanquam nimis seueræ, & humanæ fragilitati nimis graues. Et ideò hodiè effundens per negligentiam sanguinem Christi arbitraria pœna punicndus est habita ratione grauitatis negligentiæ, vt notant ijdem Doctores.

QVÆSTIO 315.

Quid faciendum, si aliqua particula vel fragmentum decidat intra pectus communicantis.

SVMMARIVM.

1. *Quid faciendum, si intra pectus communicantis cadat particula.*
2. *Quid si cadat fragmentum in terram, vt supra vestes communicantis.*
Difficultas æquiparatur impossibilitati.
3. *Si fragmentum aut particula cadat intra pectus mulieris.*
4. *Sacerdos censetur impotens ad extrahendum.*
Illud non possumus, quod honestè non possumus.
5. *Si mulier non possit extrahere à pectore fragmentum, extrahi poterit ab alia muliere.*
6. *Quid si particula cadat supra barbas vel vestes communicantium.*
7. *Si mus comedat Eucharistiam, quid agendum.*

SI contingat, quod aliqua ex particulis cadat supra pectus communicantis, aut aliquod fragmentum, debet resumi, & notari locus, & lauari. 1
Quia tamen in hoc habenda est ratio honestatis, ideò si lauanda sit vestis mulieris, committendum erit ipsi aut alteri mulieri, vt eam lauet, & lotio accipienda, & in Sacrarium proijcienda. Ita notat Castal. *in praxi ceremon. lib.* 2. *sect.* 14. *num.* 13. Est tamen aduertendum, quod quando lotio exerceri non potest honestè ab ipso Sacerdote, non est necessarium, quod fiat ab ipso Sacerdote, sed potest alteri committi, iuxta ea, quæ dicta sunt de lotione Corporalium.

Rursus est aduertendum etiam quod si decidat aliquod fragmentum vel in terram, vel supra vestes communicantis ita exiguum, quod difficile sit, vt reperiatur, satius erit dissimulare, quam perquirendo 2

rendo causare turbationem, quæ maior esset si non inueniretur. Cum enim difficultas æquiparetur impossibilitati, *l.* a. §. a. ver. *Ex qua, ff. de verb. obligat.* & *l. vn.* §. 1. *ff. de liber. vniuer.* vbi Gloss. *verbo, consentire specular. tit. de solut.* Felin. *in cap. Ecclesia S. Mariæ, num.* 81. *de constit.* Medices *de casib. fortuit. part.* 1. *quæst.* 4. *numer.* 13. Potest omitti inquisitio tanquam frustratoria & de re, quam impossibile sit reperiri. Et hoc præcipuè seruandum esset, si decideret intra pectus communicantis, quod admittit etiam Tamburin. *num. sequent.* citandus.

3 Maior difficultas in hac materia est. Quid faciendum, si particula, aut notabile fragmentum decidat intra pectus communicantis. Resp. in tali casu monendam mulierem, vt ipsa sumat particulam, seu fragmentum, &. reddat Sacerdoti. Ita Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.* 2. *cap.* 8. §. 8. *numer.* 3. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 15. *dub.* 1. Ratio est; quia in hoc casu concurrunt reuerentia debita sacramento ratione cuius non debet tangi à laico, & honestas quæ non permittit manum Sacerdotis immitti in pectus mulieris. Minus autem inconueniens est, quod sacræ species tangantur à fœmina, quàm quod Sacerdos immittat manum in pectus fœminæ: nam in primo factum honestatur ex necessitate, & contingentia casus, itavt excludatur irreuerentia, quæ alias ex obiecto interueniret. At quod Sacerdos immittat manum in pectua mulieris factum non honestatur omnino, quia vltra extractionem Eucharistiæ, interuenit tactus pectosis, qui ex se potest esse periculosus, & occasio scandali.

4 Confirm. Si casus fragmenti non aduerteretur, nisi quando mulier domum est reuersa posset ipsa extrahere fragmentum, quia non adesset Sacerdos, qui posset extrahere: ergo etiam, quando aduertit, dum cadit, quia tunc non censetus adesse Sacerdos tanquam impotens ad extrahendum, cum pro eodem habeantur, non adesse, ac adesse, & non posse operari id, quod esset operandum. Non potest autem Sacerdos extrahere obstante honestate. Illud enim censetur esse extra potestatem, quod honestè operari non possumus, *l. qui filius, ff. de condit. instit.* & *l. nemo potest, ff. de leg.* 1. & *l. nepos proculo, ff. de verb. signif.* & cap. *fin.* §. *fin. de rescript. in* 6. & communiter notant cum Gloss. *in clement. sæpè*, verbo *poterit*, *de verb. signific.*

5 Ex dictis sequitur, quod si nequeat mulier commodè extrahere particulam, aut fragmentum, poterit extrahi ab alia muliere, quod si requiratur maior diligentia, quam commodè intra Ecclesiam adhiberi possit, poterit mulier ad locum aliquem secretum, aut vicinam domum secedere, & ibi vti debita diligentia cum alterius auxilio, & reperto fragmento, aut particula eam sumere, si sit ieiuna, aut decenter conseruare, quousque à Sacerdote secreto ad Ecclesiam deferatur. Et ita notant etiam Tamburin. & Quartus supra *num.* 3. citati. Est tamen aduertendum, quod lauanda erunt, quæ contacta sunt à fragmento seu particula, & lotio conseruanda, vt proijciatur in sacrarium.

6 Sequitur secundò; quod, si cadat particula supra manum, vel barbam communicantis, iniungendum erit, vt lauet manum, vel barbam, & lotio proijcienda erit in sacrarium. Ita notant Trullench *lib.* 3. *de sacram. cap.* 8. *dub.* 23. *num.* 16. Loquens de barba Francisc. Niger. *in addit. ad Ruiz part.* 2. *reg.* 7. *num.* 5. Posseuin. *de offic. curati, cap.* 8. *num.* 4. Quart. *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* ... *dub.* 1. *in fine.* Non desunt tamen, qui oppositum sentiant, nempè non esse siuè vestes, siuè manus, siuè barbam lauandam. Quia Rubrica Miss. loquitur tantum de mappis, seu linteis, & ideò non est extendenda ad vestes, &c. Ita Pelizar. *de monial. cap.* 10. *sect.* 3. *subsect.* 1. *num.* 241. Baue. *in miscell. cas. conscient. tom.* 2. *in Append. post* 4. *opus. quæst.* 7. Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.* 2. *cap.* 8. §. 8. *num.* 3. verum allata ratio non subsistit, quia Rubrica in hoc casu est extendenda ex identitate rationis. Solum dici posset, quod cum obligatio lauandi non sit sub mortali; possunt concurrere talia motiua, vt excludant etiam peccatum veniale.

Tertiò sequitur, quod si contingat, Eucharistiam à mure, aut alio animali comedi; quamuis Palud. *in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 1. *in fin.* Sà *verbo* Missa, *num.* 34 Bonac. *disp.* 4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.* 10. *num.* 9. ver. *Ex quo vlterius*; & nonnulli alij putent, si haberi posset animal extrahendam ab ipso Eucharistiam, & conseruandam, donec corrumpatur, comburendam postea, & similiter etiam animal comburendum, & vtriusque cineres in sacrarium proijciendas. Attamen melius Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 33. *quæst.* 8. Suarez *disp.* 85. *de Eucharist. sect.* 1. ver. *Sextò euenire*, Quartus *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 5. *dub.* 2. ver. *Difficultas verò*, volunt, solum animal esse comburendum nec Eucharistiam extrahendam, quia extractio non solum non conferret ad conuenientiam, sed potius ad indecentiam. Cum enim dentibus contrita sit dum comederetur, & proinde facta circa ipsam, vt dicunt medici prima digestio, & statim in stomacho calor naturalis circa ipsam agere cœperit, habenda est pro corrupta, aut iam corruptioni vicina. 7

QVÆSTIO 316.

Quid faciendum de particula, aut parte hostiæ reperta circa Altare.

SVMMARIVM.

RESpondent Castal. *lib.* 2. *praxis ceremon. sect.* 14. *cap.* 7. *num.* 16. Gauant. *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 15 Quartus *ibidem dub.* 3. Quod, si sit dubium, an post consecrationem ceciderit, in loco decenti absque solemnitate esse reponendam, & in aliqua sequenti Missa post sumptionem sanguinis immediatè esse sumendam, aut in sequentem diem eodem modo conseruandam, si illo die non sit amplius celebrandum. 1

Verum quia contingere potest, quod quis assumat particulas, quales pro communione adhiberi solent, aut etiam hostiam magnam, & cum ipsa Missæ assistat, & etiam frangat, quando frangit Sacerdos in ordine ad exercendam aliquam superstitionem, & ipsi decidat è manibus aliqua particula, aut aliqua pars hostiæ; ideò primo loco considerandum est, an sit ex illis, quæ in illa Ecclesia adhibari solent, quod dignosci poterit ex figuris 2

impressis, ex quantitate formulæ aut ex alijs signis, & si reperiatur extrinsecus illata, habenda est pro non consecrata, sed ordinata ad superstitionem & comburenda, nec tamen cineres in sacrarium proijciendi tanquam prophani, & de reliquijs superstitionis, & hoc præsertim, si sit pars magnæ hostiæ; quia non est verisimile, quod decidat celebranti, & non aduertat.

3 Quando vero cessat huiusmodi suspicio, & merito suspicari potest, quod sit consecrata, seruandum est, quod dictum est *num.* 1. Verum si Sacerdos non haberet animum sumendi eò, quod timeret, proiectam ibi fuisse, & nesciret quo fine, obseruare posset, quod præscribitnt seruandum in casibus, in quibus species consecrata non sumuntur, nimirum eam conseruare, quovsque corrumpatur, & postea comburere, & cineres in sacrarium proijcere.

4 Ex his colligitur, quid faciendum Confessario, cui à pœnitente defertur hostia aliqua, aut particula, quam dicit esse consecratam, Quartus *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *numer.* 15. *dub.* 3. ait, quod secreto asportabit consumendam in sacrificio post sumptionem sanguinis; quod, si sit deturpata, aut madefacta, nec animus ferat eam sumere conseruabit in tabernaculo, donec corrumpatur, addit tamen quod gratum sacrificium erit Deo, si sumat. Verum non existimo necessarium, quod sumatur, sed absolutè conseruari possit, donec corrumpatur. Nam consecratio incerta est, quia fieri potest, quod fuerit exhibita tanquam consecrata, quamuis non esset. Quod si exhibens eam accepetit in communione, dum in ore ipsius fuit, atque adeò imbuta saliua, non est suadendum, quod consumatur. Vnde est ferè eadem ratio, ac quando species sacræ sceernuntur à vomitu. Deindè potuit non solum fœdari, sed etiam contrahere aliquam prauam qualitatem, & ideò absolutè in tali casu retinendum est, quod conseruetur vsque ad corruptionem, & postea comburatur.

5 Secundò colligitur, vt notat etiam Quartus *in Rubricas Missalis part.* 3. *tit.* 10. *numer.* 15. *dub.* 3. *in fine.* Quod si contingat in Pixide vermes generari ex speciebus sacramentalibus, aut aliquam aliam immunditiam irrepere, tam vermes, quam immundities erunt comburendi, & einis in sacratium proijciendus negligentia tamen illius, ad quem spectat curare pixidem, erit grauiter punienda, quia in foro externo non poterit excusari à graui delicto, cum importat notabilem defectum in ijs, quæ sunt muneris proprij, & ostendat grauem irreuerentiam, ita negligere species sacramentales. In foro autem conscientiæ non poterit à graui peccato excusari, nisi ratione inaduertentiæ.

QVÆSTIO 317.

Quando defectus formæ substantialis supplendus sit.

SVMMARIVM.

1. *Defectus substantialis formæ consecrationis supplendus est.*
2. *Etiam si ex malitia committatur.*
3. *Tota forma est repetenda, si defectus sit substantialis.*
4. *In dubio carente positiuo fundamento non repetenda consecratio.*
5. *Repetenda est si dubium sit vrgens & cum graui fundamento.*
6. *Dubium debet saltem æquipollere præsumptioni consecrationis.*
7. *In hac materia non habet locum dubium negatiuum.*

Expletis, quæ pertinent ad defectum materiæ, de supplendis defectibus formæ agendum est. Est autem supponendum tanquam certum; quod quando certo constat de defectu substantiali, supplendus omnino est, vt notant communiter Doctores, præsertim infracitandi cum D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *articul.* 6. Nam defectus substantialis formæ reddit ipsam inefficacem, & proinde non conficitur consecratio materiæ, supra quam profertur. Et ideo si relinquatur aliquod verbum, quod sit de substantia formæ, aut si sit facta talis mutatio in verbis, quæ mutet substantialiter significationem, erit supplendus defectus repetendo consecrationem.

Supponendum 2. Quod, etiam si ex mera malitia committat celebrans defectum substantialem in forma, tenebitur eam repetere, notant Gauant. *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 5. *numero* 2. Quart. *ibidem sect.* 2. *dub.* 1. *corol.* 3. Suarez *disput.* 85. *de Eucharist. sect.* 1. vet. *Secundò etiam*, Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 16. cum enim incœperit sacrificium, tenetur se corrigere, & ritè consecrare. Ex quo fit, quod si non corrigat defectum vltra sacrilegium quod commisit non proferendo formam aptam, committit etiam nouum peccatum non se corrigendo, nam eo ipso, quod assumit oblationem sacrificij, tenetur eam ritè perficere. 2

Supponendum 3. Quod, si defectus fuit in omissione alicuius verbi formæ in ferente defectum substantialem pro eo supplendo non sufficit repetere verbum omissum, sed tota forma repetenda est, vt aduertit Rubr. *part.* 3. *tit.* 5. *numer.* 2. & notant etiam Suarez *disput.* 85. *de Eucharist. sect.* 1. ver. *Secundò etiam*, Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vlt. puncl.* 10. *numer.* 12. Dicastill. *de sacrament. tractat.* 5. *disput.* 4. *dub.* 15. *num.* 305. Quart. *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 5. *sect.* 2. *dub.* 1. ver. *Colligitur* 1. Ratio est, quia si repetatur solum verbum omissum non consignificat cum cæteris verbis formæ iam prolatis, quia non vnitur cum ipsis in eamdem orationem, atque adeo non suppletur significatio, cuius defectu consecratio fuit nulla. Vt ergo suppleatur significatio, quæ deficit, repetenda sunt omnia verba, in quibus fundatur eadem significatio. Difficultas autem remanet, an in dubio de defectu, substantiali si necessarium supplere. 3

Dicendum 1. *In dubio, quod oritur ex eo, quod celebrans non recordetur, se consecrasse, aut quod non habet positiuum fundamentum, itavt sit potius quædam trepidatio, prosequendum est, nec aliquid supplendum.* Ita docet Rubr. *part.* 3. *tit.* 5. *num.* 2. & notant communiter Doctores D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 3. *ad* 5. Suarez *disp.* 85. *de Euch. sect.* 1. ver. *Secundò etiam*, Quart. *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 5. *num.* 2. *sect.* 2. *dub.* 2. *dicto* 1. quia non recordari aut non habere positiuum fundamentum dubitandi, non est verè dubitare, & proinde non sufficit, vt consecratio præmissa reddatur dubia, pro cuius validitate est semper præsumendum, nisi saltem probabiliter constet de opposito. Et proinde in citat. Rubr. dicitur, non esse iterandam 4

for

formam, nisi celebrans valde probabiliter dubitat de defectu: & propter præsumptionem validitatis. Quia in eo, qui solet ritè consecrare, nisi interueniat malitia, admodum difficile est, quod interueniat, aut ex inaduertentia, aut ex alio capite substantialis defectus, & proinde non debet de facili admitti, sed semper præsumptio validitatis consecrationis, nisi vrgeat aliquid in contrarium.

5 Dicendum 2. *Si dubium fundetur in motiuis, quæ sunt vrgentia in genere probabilitatis, & grauis ponderis, repetenda est forma consecrationis, sed sub conditione.* Quod forma sit repetenda sub conditione constat, quia cum sit dubium, an valida fuerit consecratio, & proinde possint species esse consecratæ, non debent iterum consecrari sicut consecrarentur seclusa conditione. Et ideò necessaria est conditio quæ remoueat efficaciam consecrationis, si sit iam facta. Quod autem sit repetenda forma etiam constat, quia debet certificari consecratio, & non potest alio modo certificari, nisi forma repetatur.

6 Quod autem dubium debeat esse alicuius ponderis, & ex motiuis in suo genere probabilitatis efficacibus, ex eo conuincitur, quia debet vincere præsumptionem consecrationis, aut saltem æquipollere, itavt possit intellectus æquè trahi, ac trahitur à præsumptione, vt proinde iudicium maneat saltem in æquilibrio hoc enim sufficit, vt consecratio reddatur incerta, & est necessarium, vt repeti possit rationabiliter, & cum fundamento forma consecrationis supra eandem materiam.

7 Ex dictis colligitur. Non habere locum in præsenti dubium negatiuum, quia, licet, vt modo dicebatur, possit iudicium manere in æquilibrio, quatenus scilicet esset æquale pro vtraque parte, itavt non magis adhæreret vni ratione præsumptionis, quam alteri ratione motiui contra præsumptionem, hoc tamen fit positiuo modo, nempe ex positiuis motiuis oppositis & per opposita iudicia positiua æqualia, quorum vnum non sit magis firmum, quam alterum, dubium vero negatiuum non habet locum, quia si non adest motiuorum iudicandi, quod sit facta consecratio, & similiter quod non sit facta, hoc non est dubitare, sed non reminisci de eo, quod factum, vel non factum est. Et in tali casu intrat præsumptio, quod facta sit consecratio in eo fundata, quod de præsenti constat, quod actus celebrationis secundum suum ordinem procedat, & proinde quod eodemmodo etiam secundum præcedentes partes processerit: & hæc præsumptio sufficit ad excludendum dubium de opposito eum pro ipso nullum adsit motiuum.

QVÆSTIO 318.

An stante probabilitate vtriusque partis repetenda sit consecratio.

SVMMARIVM.

1. *Probabilitas circa defectum diuersimode contingit.*
2. *Putans probabiliter se consecrasse, & probabiliter non consecrasse an teneatur repetere.*
3. *Iteranda consecratio, si probabile sit, adfuisse defectum certum substantialem.*
4. *Alioquin relinqueretur sacrificium in periculo nullitatis.*
5. *Tenemur obuiare periculo nullitatis sacrificij.*
6. *Celebrans tenetur exhibere Deo sacrificium perfectum.*
7. *Quando sequens opinionem probabilem, prudenter operetur.*
8. *In sacramentis tenemur eligere materiam, &c. certam, licet non sequatur damnum irreparabile.*
9. *In quibus liceat sequi opinionem probabilem in sacramento pænitentiæ.*
Coniuges quando possint sequi opinionem probabilem quoad valorem matrimonij.
10. *Adultus baptizatus secundum opinionem probabilem, an teneatur, &c.*
11. *Quando stante probabilitate materia post consecrationem nihil iterandum.*

Aliud est, quod probabile sit, adfuisse defectum, qui fuerit substantialis, & similiter etiam probabile sit, quod non adfuerit, & aliud supposito, quod certum sit, defectum esse substantialem, probabile esse, quod talis defectus interuenerit, & quod non interuenerit. Primus enim casus reducitur ad probabilitatem iuris. Secundus verò ad probabilitatem facti: & ideò diuerso modo discurrendum est de vtroque. 1

Quod autem non teneatur celebrans repetere formam consecrationis, quando probabiliter putat, se eam ritè, & validè pronunciasse, quamuis etiam probabiliter iudicet, se, nec ritè, nec validè pronunciasse sentit Quart. *in Rubr. Missal. part. 3. tit. 5. sect. 2. dub. 3. ver. Respondeo, quando.* Fundatur in eo primo, quod non repetendo sequitur opinionem probabilem, & proinde prudenter operatur; nec tenetur vitare omne periculum, sed sufficit, si eligatur modus prudenter sufficiens. Secundò, quia obligatio eligendi opinionem tutam, & excludendi periculum inualiditatis tunc solum vrget quando sequeretur damnum irreparabile, si sacramentum non esset validum, vt contingit in baptismo, & in ordine sacerdotij: quod non contingit, si fortè consecratio esset nulla. Tertiò, in sacramento pœnitentiæ, quamuis magis necessario ad salutem, sufficit sequi opinionem verè probabilem de validitate, vt communiter Doctores in tract. de Pœnitent. Quartò, Adultus baptizatus secundum opinionem probabilem non tenetur in rigore iterum baptizari sub conditione, vt tradit Vasquez 3. *part. disput.* 146. *capit.* 4. *numer.* 16. Quintò, quando circa valorem matrimonij sunt oppositæ opiniones probabiles, possunt coniuges amplecti opinionem fauentem valori matrimonij, vt docet Sanchez *lib. 2. de matrimon. disput.* 44. *numer.* 4. Sextò in sacrificio, si post consecrationem probabile sit materiam esse aptam, quæ fuit consecrata, nihil est iterandum, quamuis etiam oppositum sit probabile: ergo idem dicendum etiam in formam. 2

Dicendum, *Si certum sit, defectum esse substantialem, & proinde reddere irritam consecrationem, si probabile sit fuisse commissum, quamuis etiam probabile sit, non fuisse commissum debet necessariò suppleri iteratione consecrationis.* Hoc autem debet accipi de probabilitate fundata, & quæ sit alicuius momenti, quia si sit leuis probabilitas, quod sit commissus talis defectus, non est curanda, vtpotè non potens vincere præsumptionem in contrarium. Et hoc est, quod docet Rubrica *part.* 3. *tit.* 5. *numer.* 2. Dum habet, *Si valdè probabiliter dubitet, se aliquid essentiale omisisse, iteret formam saltem sub tacita conditione.* Loquitur autem de probabilitate defectus substantialis, siquidem est defectus substantialis omittere aliquid essentiale. 3

Ratio autem est. Quia, si non repetat formam, 4

relinquit sacrificium periculo inualiditatis, quia esser nullum, quoad illam speciem, in cuius consecratione probabile est, fuisse commissum defectum substantialem, si talis defectus verè esset commissus. Vndè cum probabile sit verè, & solidè probabilitate, relinquetur sacrificium in periculo verè, & solidè probabili. Et quamuis ex hoc non sequatur damnum irreparabile, peccat tamen grauiter celebrans contra proprium munus, ratione cuius tenetur curare veritatem, & validitatem sacrificij, & cum materia sit grauis, peccatum quoque erit graue.

5 Confirm. Quamuis inualiditas non sit certa, est tamen certum periculum inualiditatis, in quo relinqueretur sacrificium, quia consistit periculum in eo, quod potuit esse valida, & possit non esse valida consecratio, quod certum est, dum per motiua opposita defectus substantialis redditur incertus: ergo sacrificium relinquitur in periculo certo inualiditatis quoad consecrationem alicuius speciei: ergo tenetur celebrans sub graui culpa obuiare periculo repetendo sub conditione consecrationem. Quia illa obligatio, quæ ipsum afficit, vt præcaueat periculum inualiditatis, afficit etiam, vt obuiet periculo iam præsenti, quia tenetur reddere Deo sacrificium perfectum; quæ obligatio tanquam nascens ex munere sacerdotali respicit totam oblationem sacrificij, quousque perficiatur; & proinde est tàm ad præcauenda, quàm ad medenda pericula. Præsertim quia talis defectus esset commissus ex propria culpa, vel negligentia. Est autem commune cuicunque muneri cauere à periculis damni, quod ex culpa, vel negligentia propria in exercendo munere inducitur.

6 Confirm. 2. Sacerdos eò ipso, quod incipit offerre sacrificium, assumit obligationem exhibendi Deo perfectum sacrificium secundum ipsius institutionem; & proinde peragendi omnia, quæ necessaria sunt, vt sacrificium perfectum sit, nam eò ipso, quod incipit exercere munus proprium habet ipsum obligatum iuxta exigentiam institutionis Christi.

7 Ad 1. respondetur. Nequaquam prudenter operari, qui relinqueret sacrificium in periculo nullitatis quoad consecrationem alicuius speciei, nam faceret contra obligationem proprij muneris, vt constat ex dictis, & quando dicitur, quod sequens opinionem probabilem, prudenter operatur, intelligitur, quando opinio probabilis est quoad ea, quæ sunt iuris, alioquin prudenter operaretur, qui relictis materia, & forma certis in sacramentis vteretur materia, & forma probabilibus. Vndè nec etiam habet locum, quando alias tenemur ad aliquid certum, alioquin obligatio certa extingui posset solutione probabili. Rursus etiam est falsum, quod in præsenti non teneamur vitare periculum nullitatis.

8 Ad 2. Falsum esse vniuersaliter assumptum. Nam in sacramentis tenemur eligere materiam, & formam certam relicta probabili, quamuis non sequatur damnum irreparabile, vt si sacerdos absoluat tantum peccata venialia confessa, aut mortalia alias ritè confessa, non potest vti forma probabili, & relinquere sacramentum in periculo nullitatis, quamuis indè nullum damnum sequatur pœnitenti; quia scilicet natura sacramenti exigit formam, & materiam certam.

Ad 3. In sacramento pœnitentiæ licere sequi opi-
9 nionem probabilem in ijs, quæ sunt iuris, vt quoad iurisdictionem, quoad obligationes imponendas, vel non imponendas, & alia huiusmodi non autem in ijs quæ sunt facti, seu quæ spectant ad veritatem materiæ, & formæ, atque adeò quoad validitatem sacramenti. Quia nunquam possumus vti forma, vel materia probabili relicta certa, nisi ex necessitate, & tunc sub consideratione. Et ex his solutum manet etiam quintum argumentum: nam coniuges sequi possunt opinionem probabilem, quoad valorem matrimonij in ijs, quæ sunt iuris: non autem in iis, quæ supponunt defectum substantialem quia stante, quod defectus sit substantialis, probabilitas, quod adsit, vel non adsit, non dat facultatem eligendi vtramque partem, sed est supplendus defectus.

Ad 4. Quicquid sit de illa opinione Vasquez, ad 10
summum posset admitti in ordine ad acquirendam salutem, quia tunc adultus posset saluari per baptismum in voto, quatenus licet baptismus fuisset inualidus, satisfecisset tamen præcepto suscipiendi, nam ad implendas leges, sufficit quod opus sit probabiliter tale, quale iniungitur. Hoc tamen non posset in præsenti applicari, quia non agitur de eo, qui suscipit sacramentum, sed de eo, qui facit, & offert sacrificium, & ideo satisfacere debet propriæ obligationi, quæ est de adhibenda forma certa, & materia certa, & rursus tenentur etiam excludere periculum nullitatis, vt constat ex iam dictis.

Ad 6. habere locum, quod assumitur, quando pro- 11
babilitas habet pro obiecto materiam certam, itavt probabile sit, quod materia adhibita sit certa, vt si constet fuisse verum panem, aut verum vinum, sed probabile sit, quod possit esse corruptus, atque etiam probabile sit, quod non sit corruptus, aut etiam si probabile sit, quod sit verus panis, aut verum vinum, quamuis adsit probabilitas in oppositum. Nam talis probabilitas facit, quod sit panis, & vinum in communi existimatione, quæ ex probabilitate causari potest, & ideò remanet sufficiens materia, non obstante aliquo motiuo in contrarium. At si probabile sit, adfuisse defectum substantialem in forma, non remanet forma in communi æstimatione sufficiens, quia perdit omnino significationem atque efficaciam, nec remanet in ipsa aliquid, vnde probabiliter iudicari possit sufficiens, sicut remanent in pane, & vino aliqua accidentia, vnde diiudicari potest verus panis, & vinum. Probabilitas autem, quod non fuerit defectus substantialis, non relinquit formam cum fundamento probabilitatis oppositæ, sed excludit. Vndè forma, quæ sit in eodem statu, non est capax simul ab intrinseco probabilitatis defectus substantialis, & probabilitatis, quod non adfuerit defectus substantialis.

QVÆSTIO 319.

An defectus substantialis formæ ex aliquorum tantum opinione sit supplendus.

SVMMARIVM.

1. *Verba aliqua consecrationis dubium est, an sint substantialia.*
2. *Verba de quibus dubium est, an sint substantialia, an supplenda.*
3. *Verba, de quibus dubium est, an sint substantialia, non acceptantur ab Ecclesia vt substantialia.*
4. *Ecclesia statuere potest circa sacramenta, & sacrificium.*
5. *Consecratio an repeti possit sub conditione omissis verbis, de quibus dubium est, an sint essentialia.*

COnueniunt omnes, quod aliqua verba sint 1
omnino substantialia. Nempe *hoc est Corpus meum*, Et *hic est Calix sanguinis mei*. Differunt autem, quoad alia verba. Nam aliqui volunt esse essentialia, *Noui, & æterni testamenti*, vt plures cum D. Thom. Rursus alij quoque cum Scoto

Seoto volunt, esse essentialia verba præcedentia, *Qui pridie quam pateretur*, &c. Non tanquam significatiua, sed tanquàm determinatiua formæ, vt profertatur in persona Christi. Dubium igitur est an omissio verborum, quorum adest controuersia, an sint substantialia, inducat defectum substantialem supplendum repetitione consecrationis.

2 Dicendum est. *Defectum ex omissione verborum, quæ secundum aliquos sunt substantialia, secundum alios verò non sunt substantialia, non esse supplendum repetitione consecrationis.* Contra Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 10. num. 3.* Ita etiam Quattus *in Rubric. Missal. part. 3. tit. 5. sect. 2. dub. 4.* Quia inquit probabilior sententia docet, quod talia verba non sint de substantia, quod tamen non sufficit, quia potest quilibet prætendere, quod alia sententia sit probabilior. Rursus dum adest tantum probabilitas, quod non sint substantialia, licèt sit maior, quàm opposita probabilitas, adhuc tamen non esset certa consecratio sed tantum probabilius esset, quod fuisset valida esset tamen etiam probabile, quod non fuisset valida; vnde relinqueretur in incerto consecratio & periculo nullitatis, quod quidem non est licitum.

3 Ratio ergo desumenda est ex eo, quod stante conflictu opinionum, verba, de quibus est controuersia, an sint essentialia, non acceptantur ab Ecclesia tanquàm essentialia, aliàs si acceptarentur, non permitteret opinionem negantem, esse substantialia. Vnde quæ acceptantur, remanent sufficientia in acceptatione Ecclesiæ, atque adeò remanet etiam certò apud Ecclesiam consecratio, & absque vllo defectu substantiali, & ideò non est necessarium aliquid supplere.

4 Dices. Fieri potest, quod opinio, quæ requirit talia verba tanquam substantialia, sit vera, & proinde consecratio nulla ex ipsorum omissione: vnde ad cauendum periculum erit repetenda forma. Verùm hoc dici non posset. Quia cum Ecclesia habeat potestatem statuendi circa sacramenta, atque adeò etiam circa sacrificium, quæ magis expedire iudicabit salua eorumdem substantia, vt docet Concil. Trident. *sess. 21. cap. 2.* eò ipso, quod acceptat aliqua verba tanquam substantialia pro formis sacramentorum, & sacrificij, & alia non acceptat tanquam substantialia, tacitè statuit illa, quæ sunt acceptata sufficere tanquam substantialia, cætera verò relinquere sub opinione, & ideò sacramenta, & sacrificia remanent certa, quatenus sunt sub dispositione Ecclesiæ.

5 An autem possit celebrans repetere consecrationem sub conditione, si contingat, omisisse, aliqua verba, quæ sunt controuersa apud Doctores, an sint substantialia, quamuis non sit necessarium, quod repetat. Respondetur nequaquam repetere posse. Quia in tantùm repetitio est licita, in quantum est necessaria pro assecuratione validitatis sacramenti, & ideò eò ipso, quod non est necessaria, nec etiam est licita. Neque enim permittitur ad libitum, etiam sub conditione repetitio consecrationis, sed solùm in casu dubio, in quo prudenter timeri possit de nullitate.

QVÆSTIO 320.

An si contingat defectus substantialis vtriusque formæ sit repetenda consecratio.

SVMMARIVM.

1. *Vtriusque formæ defectus supplendus, si aduertatur ante consumptionem.*
   Non ex necessitate sacrificij, sed ex exigentia cultus.
2. *Cultus Missæ esset falsus, si non fieret consecratio.*
3. *Statim ac aduertitur nullitas consecrationis vtriusque speciei, occurrendum est.*
4. *Si post consumptionem aduertatur defectus substantialis vtriusque speciei, non potest fieri noua consecratio.*
5. *Quia non adest sacrificium, quod perficiatur.*
6. *Probabile an sit, quod possit de nouo consecrari.*

DEfectus substantialis vtriusque formæ aduerti 1
potest, vel antè consumptionem, vel post consumptionem. Dicendum primò. *Si defectus substantialis vtriusque formæ aduertatur antè consumptionem, tenetur repetere Sacerdos consecrationem vtriusque speciei.* Ita Suarez *disput. 85. de Eucharist. sect. 1. vers. Secundò etiam.* Quattus *in Rubr. Missal. part. 3. tit. 5. sect. 2. dub. 1. vers. Secundo, si Sacerdos.* Ratio est. Quia licèt non adsit necessitas supplendi defectum sacrificij, quia non est secundum substantiam inchoatum, adest tamen necessitas perficiendi cultum inchoatum in celebratione Missæ. Cum enim totus ritus Missæ sit ordinatus ab Ecclesia ad cultum latriæ, mediante sacrificio, atque adeò incipiendo obligauerit Sacerdos munus suum Deo in exhibendo sacrificio, tenetur perficere, quod incœpit.

Accedit etiam, quod tota celebratio Missæ est 2
repræsentatio sacrificij, ita vt ex specie ipsius sentiat populus adstans, offerri sacrificium Deo, & simul cum Sacerdote incurrat ad offerendum: ergo sicut, si non consecraret, atque adeò non offerret verum sacrificium, totus cultus esset falsus, & deciperet populum: ita etiam, si cognitio substantialis defectus consecrationis, quoad vtramque speciem, si non obuiaret defectui voluntariè continuaret deceptionem populi, & falsitatem cultus, atque adeò committeret graue sacrilegium.

Ex quibus sequitur, quod statim, ac celebrans 3
aduertit huiusmodi nullitatem tenetur occurrere, quia totum, quod posteà faceret concernens Missam, esset cultus falsus continens simulationem oblationis sacrificij, ita vt neque admittenda sit paruitas materiæ, quia quæcunque pars continuata continet simulationem prædictam, quæ grauissima est: ita vt in quolibet minimo actu saluari possit cultus latriæ: solùm excusari posset celebrans, si ex inaduertentia ad falsitatem cultus, aut ex perturbatione mentis continuaret aliquam partem Missæ, antequàm repeteret consecrationem.

Dicendum 2. *Si post consumptionem aduertat defe-* 4
ctum substantialem consecrationis vtriusque speciei, non potest de nouo consecrare. Quid autem faciendum sit circa recitationem precum subsequentium, dictum est supra, cum ageretur de defectu vtriusque speciei ex parte materiæ. Hanc conclusionem tradunt Suarez *disput. 85. sect. 1.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 36. num. 3.* Reginald. *lib. 29. Praxis fori pœnit. num. 213.* Bonac. *disp. 4. de Sacrament. quæst. vltim. punct. 10. num. 11. & 12.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 10. n. 3.* Quattus *in Rubr. Missal. part. 3. titul. 5. sect. 2. dub. 1. dicto 4.* & alij cum D. Thom. *3. part. quæst. 83. art. 6.* qui licèt loquantur, quando defectus est substantialis ex parte vtriusque speciei est tamen eadem ratio de defectu substantiali ex parte vtriusque formæ consecrationis.

Ratio est. Quia, cum sint consumptæ species non 5
consecratæ, atque adeò violatum ieiunium, adest impedimentum, ne possit de nouo offerri sacrificium: Et inde ex alio capite non adest necessitas perficiendi

sacrificium inchoatum, itavt praualere possit pracepto de ieiunio, cum non sit sacrificium inchoatum, & proinde nec veniat supplendum, in quo deficit.

6 Dicendum 3. *Probabile esse, quod tunc celebrans possit de nouo consecrare vtramque speciem non obstante violatione ieiunij.* Ratio est. Quia praceptum de ieiunio est de puro iure Ecclesiastico. E contra verò, si non consecretur ritè de nouo, totus ille cultus, qui exhiberetur Deo in Missa remanet vacuus, quia non continet substantiam cultus sacrificij, quod est contra Religionem, quæ exigit, quod si instituatur cultus sacrificij secundum esse rituale, sit etiam talis secundum substantiam, vnde relinqueretur ille cultus imperfectus in suo esse. Rursus relinqueretur ille cultus in esse simulato, & falso. Quod dato non fuerit voluntarium ab initio, fit tamen voluntarium, quando cognoscitur defectus, & non opponitur remedium, quia voluntariè relinquitur in tali statu: ergo de nouo consecrandum erit ad vitanda huiusmodi incommoda, quia maiora, & plura sunt, quam celebrari à non ieiuno.

QVÆSTIO 321.

An si ex errore proferatur forma consecrationis Calicis supra Panem sit iterum Calix consecrandus, si statim aduertatur error.

SVMMARIVM.

1. *Proferens formam Calicis supra Panem, debet statim corrigere errorem.*
2. *Per talem formam Calix non remanet consecratus.*
3. *Nec sufficit præsentia Calicis, cum ad ipsum non dirigatur consecratio.*
4. *Aduertens errorem antequam compleat formam debet statim cessare.*

1 Contingere potest ex aliqua inaduertentia, quod celebrans, dum vult consecrare primo loco Panem, proferat consecrationem Calicis, & antequam consecret Calicem aduertat errorem: vnde dubium insurgit, an de nouo proferenda sit forma consecrationis Calicis an verò remaneat consecratus ex vi prioris prolationis. Dicendum est. *Calicem non remanere consecratum, & ideò de nouo consecrandum. Consecrata prius Hostia propria forma consecrationis.*

2 Ratio est. Quia dum loco formæ consecrationis Panis profert consecrationem Calicis, dirigitur ad materiam Panis, supra quam cadit, non autem ad Calicem, tùm quia aut formaliter, aut virtualiter intendit consecrare materiam, quam assumit in manus, non autem aliam. Tum quia, vt validè consecret, debet habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, atquè adeò, nisi oppositum explicitè extendat, consecrandi primò loco Panem. Tùm quia, vel distinguit consecrationem ad Calicem, & tunc non interuenit error, sed malitia, & certò remanet Calix consecratus, neque de hoc est difficultas. Vel non dirigit, & tunc non remanet consecratus, quia non substernitur tanquàm materia formæ consecrationis.

3 Dices. Materiam Calicis esse præsentem, & ideò remanere consecratam. *Resp.* Non sufficere præsentiam, sed vlterius necessarium esse, quod forma proferatur super materiam, & proinde per intentionem Ministri ad ipsam dirigatur. Verba enim consecrationis sunt causa effectiua sacrificij & consecrationis, & conuersionis materiæ in Corpus, & Sanguinem Christi, & ideò nihil possunt operari circa materiam consecrandam, nisi ipsi applicetur ex generali principio, quod causa requirit applicationem subiecti, vt in ipsum agat.

Ex dictis colligitur. Quod si celebrans aduertat errorem, antequàm compleat verba consecrationis, debet statim cessare, & assumere congruentem formam, alioquin quod ex inaduertentia non erat voluntarium, fieret voluntarium, atquè adeò committeret sacrilegium. Si verò aduertat, antequàm eleuet Hostiam, quamuis genuflexus in ordine ad eleuandam, non debet eleuare, nisi prælata prius forma consecrationis debita, alioquin exponeret Panem adorandum adoratione latriæ. Si verò aduertat post eleuationem, non debet iterum, postquam propria forma consecrauit eleuare, alioquin nouitas causaret admirationem, & commotionem, & fortè etiam scandalum, præsertim, quia eleuando non medetur errori prioris eleuationis. 4

QVÆSTIO 322.

Qualiter supplendus defectus intentionis.

SVMMARIVM.

1. *Quæ intentio necessaria pro consecratione. Defectus intentionis est substantialis.*
2. *Defectus intentionis vix possibilis in praxi.*
3. *Plures actus præcedunt in celebratione, in quibus reperitur virtualis intentio.*

AD valorem consecrationis, sicut etiam sacramentorum necessaria est intentio saltem faciendi, quod facit Ecclesia, vt dicit Concil. Tridentin. *sess. 7. can.* 11. & Tradunt communiter cum D. Thom. 3. *part. quæst.* 64. *art.* 8. Quia nimirum vt efficax sit debet esse illa consecratio, quam instituit Christus, & ideò debet à Ministro procedere tanquàm actio instituta à Christo, & ordinata ad materiam, quàm debet consecrare. Et ideò defectus intentionis, est substantialis, & proinde supplendus quia absque ipsa nulla est consecratio. Debet autem suppleri repetitione formæ, quia defectu intentionis nulla fuit ipsa forma. Et ita notant communiter Suarez *disput.* 85. *de Eucharist. sect.* 1. ver. *Secundò &* Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 16. vers. *Primò.* Coninch *de sacrament. quæst.* 83. *artic.* 6. *num.* 281. Bonacin. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 10. *num.* 14. Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disput.* 4. *dub.* 15. *num.* 306. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 7. *dub.* 10. 1

Est tamen aduertendum pro praxi, vix esse impossibile, quod interueniat defectus intentionis. Quia, cum sufficiat intentio virtualis secundum communem Theologorum opinionem, hæc necessariò interuenit in fractione ipsa, quàm exercet impossibile est enim, quod exerceat illam fractionem, & quod non exerceat cum voluntate exercendi, siquidem exercet humano modo. Intentio autem exercendi hanc functionem est virtualis intentio offerendi sacrificium, atque adeò consecrandi, cum sine hoc non possit offerri. Quod autem sit intentio virtualis offerendi sacrificium ex eo constat. Quia intendit exercere functionem, quàm exercet tanquàm ab Ecclesia instituta, atquè adeò cum illo ordine, quem habet ex institutione, & ideò cum ordinetur ex institutione ad offerendum sacrificium intendit virtualiter exercere cum ordine ad ipsius oblationem. Sic quando quis intendit medium, intendit 2

intendit etiam virtualiter finem ob ordinem; quem quem ad ipsum habet.

3 Accedit etiam. Quod dum Sacerdos induit se indumentis sacris, se præparat ad futuram functionem exercendam in persona Christi, atquè adeò habet necessariò aliquam intentionem se gerendi vt Christi ministrum, & Ecclesiæ, atquè adeò exercendi illam functionem, quam Christus, & Ecclesia illi commisit. Rursus dum parat instrumenta, & materiam pro sacrificio, humano modo, vult hæc ipsa in ordine ad sacrificium offerendum præparare. Præterea dum in Missa facit oblationem, exercet humano modo actionem ordinatam ad sacrificium, & nisi Psitacorum modo recitet verba oblationis habet voluntatem offerendi, sine qua impossibile esset, quod offerret. In his autem omnibus, & in pluribus aliis interuenit virtualis intentio offerendi sacrificium, atquè adeò consecrandi. Videant ergo scrupulosi, quot & quanta motiua habeant abiiciendi scrupulos concernentes defectum intentionis, & celebrandi tranquillo animo.

QVÆSTIO 323.

Vnde incipienda sit repetitio consecrationis.

SVMMARIVM.

1. *Vnde incipienda forma consecrationis, si sit repetenda.* & num. seq.
2. *Consecrationis est repetenda cum sua integritate.*
3. *Verba, quæ præcedunt essentialia sub quo peccato repetenda.*
4. *Formis sacramentorum tenemur vti, quatenus institutis ab Ecclesia.*
5. *Verba, quæ præcedunt essentialia, determinant formam.*

1 QVando repetenda est forma consecrationis, vel quia ex defectu materiæ, vel ex defectu eiusdem formæ, non sit sequuta consecratio, dubitatur, vnde incipienda sit repetitio an ex verbis: *Qui pridie, Et simili modo*, an ex nudis verbis consecrationis. *Hoc est Corpus meum. Hic est, &c.* Rubr. enim *part. 3. tit. 5. de defect. formæ, num. 2.* Solum dicit, quod iteretur forma, quod videtur saluari, si verba tantum consecratiua præcisè repetantur.

2 Dicendum tamen est. *Quod repetitio incipere debeat à verbis. Qui pridie, & simili modo.* Ita habet Rubrica, quando agit de repetitione formæ ex defectu deprehenso in materia *part. 3. titul. 3. num. 5.* & *tit. 4. num. 3.* Et ita notant communiter Doctores præsertim Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 16.* vers. *Septimò circa modum.* Quartus *in Rubric. Missal. p. 3. tit. 5. sect. 2. dub. 1.* vers. *Debes autem.* Ratio est. Quia quamuis omnia verba non spectent ad essentiam formæ, spectant tamen ad integritatem. Est autem repetenda forma secundum suam integritatem, quàm habet ex institutione Ecclesiæ, & hoc intelligit Rubrica *num. 1.* citato, dum dicit, quod iteretur forma.

3 Hinc tamen insurgit difficultas. An repetitio verbi. *Qui pridie, & simili modo.* cadat sub graui præcepto, an verò de rigore sufficiat repetere verba purè essentialia Suarez, *disput. 85. de Eucharist. sect. 1.* vers. *Sed quæres tandem.* Franciscus Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 10. num. 4.* volunt in rigore, esse tantum verba essentialia, & proinde non adesse præceptum saltem graue de repetendis aliis verbis. Et videtur adhærere Quartus *in Rubric. Missal. part. 3. tit. 5. sect. 2. dub. 1.* vers. *Dubitari hic potest.*

4 Tenendum tamen est. *Esse sub mortali repetendam formam in verbis. Qui pridie, & simili modo, non solum per Rubricam, sed etiam ex natura ipsius formæ.* Et credo, quod communiter sic sentitent Doctores, siquidem conueniunt, quod sit peccatum mortale omittere huiusmodi verba, non quia sint quantitas notabilis, sed quia pertinent ad formam consecrationis, quorum omissione notabiliter læditur. Ratio autem est quia tenemur vti formis sacramentorum, & proinde etiam sacrificij talibus, quales institutæ sunt ab Ecclesia, ita vt eas alterare, quamuis non varietur significatio substantialis, sit peccatum mortale: ergo etiam in casu præsenti, cum repetenda sit forma consecrationis, debet repeti talis, qualis est instituta ab Ecclesia. Est autem instituta cum illis verbis *Qui pridie, & simili modo, &c.*

Confirmatur. Licèt ista verba non sint consecratiua, quia non significant conuersionem materiæ in corpus, & sanguinem Christi, sunt tamen determinatiua formæ substantialis consecrationis vt sensibi modo proferantur in persona Christi, quia licèt determinentur per intentionem, quia tamen intentio non est sensibilis non determinantur sensibili modo: ergo si non repetantur, detrahitur formæ aliquid notabile, nempe quod verba consecratiua non sint determinata sensibiliter, vt in persona Christi proferantur, quod non potest fieri sine graui peccato detrahitur formæ aliquid notabile, licèt non essentiale. 5

QVÆSTIO 324.

An, & quando oblatio sacrificij cœpta per vnum Sacerdotem sit ab alio complenda.

SVMMARIVM.

1. *Missa quando per alium Sacerdotem complenda; & quomodo.*
2. *Nihil supplendum si celebrans deficiat consumpta vtraque specie.*
3. *Si deficiat ante cœptum canonem, nihil supplendum.*
4. *Nec etiam suppleri potest.*
5. *Cœpto Canone, sed nondum cœpta consecratione, an supplendum.* & num. seq.
8. *Quid requiratur vt partes Missæ, diuersi Sacerdotis vniantur.*
9. *Nulla necessitas complendi sacrificium, si non sit substantialiter cœptum.*
10. *Si celebrans deficiat semiprolata forma consecrationis panis nil supplendum.*
11. *Si consecrata Hostia deficiat celebrans, solius Calicis consecratio supplenda.*

IN hac materia disponit Rubrica *part. 3. titul. 10. num. 3. Si Sacerdos ante consecrationem grauiter infirmetur vel in syncopem inciderit aut moriatur, prætermittitur Missa. Si post consecrationem Corporis tantum, antè consecrationem Sanguinis, vel vtroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur, eo loco, vbi ille desiit, & in casu necessitatis etiam & in casu necessitatis etiam per non ieiunum. Si autem non obierit, sed fuerit infirmus adeò tamen, vt possit communicare, & non adsit alia Hostia consecrata, Sacerdos, qui Missam supplet, diuidat Hostiam, & & vnam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semiprolata forma Corporis obiit Sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse, vt Missam per alium suppleatur. Si verò obierit semiprolata forma* 1

sanguinis,

Digitized by Google

sanguinis, tunc alter prosequatur Missam super eundem Calicem repetat integram formam ab eo loco, simili modo, postquam cænatum est, vel posset super alium Calicem praeparatum integram formam proferre, & Hostiam primi Sacerdotis, & sanguinem à se consecratum sumere, ac deinde Calicem relictum semiconsecratum.

2 Est autem supponendum tanquàm certum. Quod si celebrans deficiat consumpta vtraque specie, nihil est supplendum de reliquo Missæ, vt supponunt communiter Doctores, & docent specialitet Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 16. ver. *Quartò.* Francisc. Lugo *libr.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *quæst.* 3. *num.* 44. Quartus *in Rubric. Missal. part.* 3. *titul.* 10. *num.* 3. *dub.* 3. *conclus.* 5. Nam, cum sacrificium sit completum substantialiter per consumptionem, remanet tantùm sine aliquo complemento accidentali, & ideò non est necessarium supplere talem defectum, tanquam non necessarium ad substantiam sacrificij.

3 Supponendum 2. Quod, si Sacerdos deficiat antè cœptum canonem in quacumque parte Missæ reperiatur, non solùm non esse supplendam ab alio Sacerdote de necessitate, sed nec etiam suppleri potest vt tradunt Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib* 3. *c.* 19. *num.* 2. Franciscus Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *quæst.* 3. *num.* 45. vers. *Ego censeo.* Quartus *in Rubric. Missal. part.* 3. *titul.* 10. *num.* 3. *dub.* 3. vers. *Dico secundo.* & supponunt communiter cum D. Thom. 3. *part. quæst.* 93. *art.* 6. *ad* 1. Ratio est. Quia ideò sacrificium est supplendum, ne remaneat imperfectum, & ille cultus, qui Deo exhibetur, non sit mutilus contra Christi institutionem, quod non habet locum in præsenti, quia non est inchoatum sacrificium, sed tantum ritus præparatorij pro sacrificio.

4 Vnde non est admittendum, quod docent Sylnester *verbo* Eucharistia 2. *num.* 12. Angel. *verbo* Eucharistia 3. *num.* 1. & *verbo* Missa *num.* 26. nempe, quod licèt necessarium non sit compleri Missam ab alio Sacerdote, si deficiat ante Canonem, posse tamen compleri: nec dici potest, quod si non completetur, remaneret ille cultus ritualis falsus, quia tanquàm ordinatus ad sacrificium, non contineret ea defectu naturali non autem ea defectu voluntario, quod sufficit ad excludendam falsitatem imò quia institueretur ex intentione perfecti sacrificij, & per accidens non completetur, contineret cultum sacrificij, eo modo, quo deberet continere, nempe inchoatiuè difficultas autem est an cœpto canone, sed nondum facta consecratione, sit Missa supplenda.

5 Prima sententia asserit, Missam esse ab alio supplendam, quando celebrans deficit incœpto canone. Ita Armilla *verbo* Missa. *num.* 11 Facundez *præcepto* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 22. Limitat tamen ad casum, in quo sequeretur scandalum, si non suppleretur, quod tamen scandalum non video, quomodo sequi possit, quia vt plurimum populus nescit, quod sacrificium ab vno incœptum debeat ab alio compleri. Et in omni euentu obuiare posset omni scandalo notificando, quod Missa non est relicta in eo statu, vt debeat suppleri Fundamentum pro hac sententia desumitur ex eo. Quod si celebrans antè consecrationem recordetur peccati mortalis, aut censuræ, aut se non esse ieiunum, & graue scandalum timeatur, debet prosequi Missam: ergo etiam in casu præsenti.

6 Secunda sententia asserit, cœpto canone non esse necessariò Missam ab alio supplendam, suppleri tamen posse. Ita Henriquez *lib.* 9. *cap.* 40. *num.* 4. Layman. *lib.* 5. *Theolog. moral. tractat.* 5. *cap.* 7. *n.* 2. Fundamentum esse potest. Quia, cum non sit incœptum sacrificium secundum substantiam, non adest necessitas perficiendi; cum tamen sit incœptum virtualiter, potest compleri, ne remaneat incompletum propter eximium cultum, ad quem ordinatur.

7 Tertia sententia asserit, neque etiam posse continuare Missam ab alio Sacerdote. Ita communiter D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 6. *ad* 1. Nugn. *ibidem dub.* 1. Suarez *disput.* 85. *de Eucharist. sect.* 1. vers. *Tertia regula.* Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 10 *num.* 21. Coninch. *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 6. *num.* 169. Tanner. *tom.* 4. *disput.* 5. *quæst.* 10. *dub.* 7. *num.* 111. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. quæst.* 16. vers. *Quare.* Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *quæst.* 3. *num.* 45. vers. *Ego censeo.* Quartus *in Rubric. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 3. *dub.* 3. *corol.* 1.

8 Dicendum est. *Etiamsi Canon sit incœptus, non esse Missam prosequendam ab alio Sacerdote, sed solum quando est substantialiter inchoatum sacrificium.* Ita habet Rubr. *num* 1. allata. Et ratio est. Quia supplementum non potest habere locum, nisi vbi exigitur, & quando potest vnum facere cum eo, quod compleri debet. Partes autem Missæ anteriores, & posteriores, si proueniant à diuerso Sacerdote, non possunt facere vnum, nisi aliquo tertio vniantur, quod si veluti forma, quod est sacrificium secundum substantiam, non secus, ac si duo corpora diuiderentur, & partes aliquæ vnius sumerentur, & his adderentur partes, quæ desunt ex alio corpore, non facerent vnum Corpus.

9 Rursus tale complementum non exigitur à iure, quia tunc solùm ius iniungit compleri sacrificium ab alio inchoatum, quando est inchoatum substantialiter. Nec ex natura rei, quia orationes vnius non exigunt compleri ab alio. Rursus totus ritus Missæ, tanquàm accessorius ad substantiam sacrificij, sequitur naturam ipsius, & ideò cum sit tantùm per ipsum, non habet aliquam exigentiam, quæ non sit radicata in substantia sacrificij. Cum autem nulla sit substantia sacrificij, quia nondum est incœpta, nulla etiam aderit exigentia complementi.

10 Ex dictis colligitur, vt aduertit etiam Rubrica citata *initio.* Quod si celebrans deficiat semiprolata forma consecrationis panis, neque adhuc erit ab alio prosequenda Missa, quia neque adhuc sacrificium est incœptum substantialiter, quamuis enim forma sit de substantia sacrificij, quia tamen non habet suam significationem, nisi compleatur; ideò nec etiam est forma, nisi compleatur; & sola priora verba non possunt esse quid substantiale, itavt reddant sacrificium substantialiter inchoatum. Vnde in tali casu, si adest Sacerdos, & opus sit Missa, debebit suam Missam ab initio recitare.

11 Secundò colligitur. Quod si celebrans deficiat post consecrationem panis, aut semiprolata consecratione Calicis Sacerdotem supplentem non debere de nouo consecrare panem, vt videtur sentire faciendum Innocent. III. *lib.* 4 *de Myst. Missal. cap.* 22. Sed debere tantùm consecrare Calicem vt Rubric. *initio* citata docet, & communiter Doctores Suarez *disput.* 85. *de Eucharist. sect.* 1. vers. *Tertia regula.* Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 2. Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 10. *n.* 13. Filliuc. *tractat.* 5. *num.* 168. Tanner. *tom.* 4. *disput.* 5. *quæst.* 10. *dub.* 7. *num.* 111. Franciscus Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *quæst.* 3. *num.* 48. Quartus *in Rubric. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 3. *dub.* 3. *corol.* 2. Ratio est. Quia, si consecraret etiam panem, non suppleret defectum prioris sacrificij, quia non apponeret, quod ipsi deficeret, sed institueret nouum sacrificium. Vnde prius adhuc remaneret incompletum,

completum, sicut, si oullnm allatum fuisset complementum.

QVÆSTIO 325.

An si celebrans consumpta sola specie Panis deficiat, sit ab alio supplendus defectus.

SVMMARIVM.

1. *Defectus consumptionis est supplendus ab alio Sacerdote.*
2. *Secunda species, an consumenda ab alio, si deficiat celebrans.* & num. seq.
4. *Consumptio secundæ speciei est pars substantialis sacrificij.*
5. *Nec sufficit, quod sequatur in alia Missa.*
6. *Secunda species cur consumenda ab alio, si non potuit consumi à consecrante.*

1 SVpponendum est tanquàm certum quod si celebrans deficiat post consecrationem vtriusque speciei, debet suppleri defectus consumptioois ab alio, vt ootant communiter Doctores, & docet etiam Rubrica *part.* 3. *titul.* 10. *num.* 3. Quia consumptio quamuis non sit pars essentialis sacrificij, est tamen de eios substantiali integritate, & proinde remanet imperfectum substantialiter, nisi consumeretur solum inter Doctores controuertitur: an si deficiat consumpta tantum prima specie, sit per alium consumenda etiam secunda.

2 Prima sententia asserit, non debere ab alio consumi secundam speciem. Ita Henriquez *libr.* 9. *sum. cap.* 40. *num.* 3. Bonacina *disput.* 4. *de sacramentis, quæstione vltima, punct.* 10. *num.* 22. Fundamentum est. Quia celebrans per sumptionem primæ speciei recepit totam gratiam sacramenti, cum probabilius sit per secundam non conferri oouam gratiam. Rursus ille pro quo oblatum est sacrificium recepit totum fructum, cum consumptio saluari possit in sumptione vnius speciei, atque adeò erit perfecta essentia sacrificij, si pro illa est necessaria. Vnde infert sententia ista; qnod sanguis, qui remanet sumi debet ab alio postea celebrante simul cum illo quem ipse consecrauit.

3 Secunda sententia asserit, ab alio esse perficiendum, itavt debeat ipse consumere sanguinem. Ita Suarez *disput.* 85. *de Eucharistia, sectione prima,* ver. *Tertia Regula.* Filliucius *tractatu quinto, numer.* 167. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. libro* 3. *capite decimonono, numero quarto*, Dicastil. *de sacramentis, tractatu quinto, disputatione quarta, dubio decimoquinto, num.* 309. Franciscus Lugo *libro* 5. *de sacrament. cap.* 10. *quæst.* 3. *numer.* 47. Auersa *quæstione vndecima, de Eucharistia, sect.* 16. ver. *Quare.* Quartus *in Rubric. Missal. part.* 3. *titul.* 10. *numero* 3. *dub.* 3. *corol.* 4.

4 Dicendum est. *Etiamsi consumpta sit prima speciei, esse supplendum ab alio defectum consumptionis secundæ speciei.* Ratio est. Quia coosumptio secundæ speciei est pars eiusdem rationis cum consumptione primæ speciei, sine qua consumptio remanet imperfecta in ratione consumptionis non secus, ac consecratio remaneret imperfecta io ratione consecrationis, atquè adeò sacrificij, si fieret in vnica taotum specie: ergo cum consumptio sit de integritate substantiali sacrificij, erit secundum vtramque speciem: ergo si secunda species non consumatur, remanebit sacrificium imperfectum substantialiter.

5 Dices. Sufficere, si consumatur in alia Missa. Verùm hoc nihil coofert ad perficiendum sacrificium, in quo fuit coosecratus, quia vt perficiatur debet poni consumptio illius speciei tanquam pars separata ab omni alio sacrificio, vt cum ipso consumi possit. Quod non contingit, quando sumeretur in alia Missa, quia sumeretur tanquàm quid accessorium, non secus, ac sumerentur particulæ in alio sacrificio consecratæ.

6 Ad fundamentum in oppositum. Quicquid sit, an celebrans per primam speciem recipiat totum effectum gratiæ, cum non faciat ad præsens institutum. Respondetur. Quod defectus consumptionis noo est supplendus, vt habeatur effectus sacramenti, quia hic non pertinet ad integritatem sacrificij; neque est defectus supplendus, vt constat, quando celebrans indignè consumit, sed est supplendus, vt sacrificium sit integrum substantialiter; & ideò etiam species sanguinis est consumenda, sine cuius consumptione remaneret sacrificium imperfectum, vt constat ex dictis. Rursus quod additur, quod ille perciperet fructum, pro quo offertur, etiamsi secunda species non consumeretur, quia sufficit, vt fructum producat, quod sit facta consecratio. Quod si consumptio pertineret ad essentiam, sicuti vtraque species pertinet ad essentiam, ita etiam ad complendam essentiam requireretur consumptio vtriusque speciei, & proinde non causaret suum fructum, nisi vtraque specie consumpta.

QVÆSTIO 326.

Quod faciendum, si dubium sit, an celebrans deficiens consecrauerit Hostiam.

SVMMARIVM.

1. *Quid faciendum, si dubium sit, anc celebrans deficiens consecrauerit.*
2. *Non est accipienda noua Hostia, & consecranda cum priori.*
3. *Iust iteretur nouum sacrificium, & ideò non est licitum.*
4. *Si primæ speciei sit dubia consecratio, an possit omitti supplementum.*

QVia contingere potest, quod Sacerdos deficiat in consecratione Hostiæ, & proindè dubium sit, an illam consecrauerit, ideò videndum est, quid in hoc casu agendum sit. Quamplures autem docent, qnod in tali caso, aut eadem Hostia sub conditione de nouo consecranda sit, aot sumenda noua Hostia, & consecranda cum intentione tamen consecrandi etiam priorem, si non sit consecrata. Ita Diuus Thomas *in quarto distinctione octaua, quæstione secunda, articulo quarto*, Sotus *quæstione secunda, articulo sexto*, Syluester *verbo* Eucharistia 2. *numero duodecimo*, Bonacina, *disputatione quarta, de sacramento, quæstione vltima, puncto decimo, numero vigesimoquarto*, Henriquez *libro nono, summ. cap.* 40. *num.* 4. Tabiena *verbo* Missa. *numero* 30. Diuus Antoninus *tertia parte, titulo decimotertio, capite sexto*, § 3. Bartholomæus ab Angelo, *Dialogo quinto de Missa*,

sa, §. 561. *&* 569. Suarez *disput.* 85. *de Eucharist. sectione prima.* vers. *Tertia Regula.* Filliucius *tractatu quinto*, *num.* 168. Auersa *quæstione vndecima*, *de Eucharistia*, *sect.* 16. vers. *Debebit autem.* Franciscus Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *quæst.* 3. *num.* 49.

2 Posteriorem autem partem huius Doctrinæ, nempe quod accipi possit noua Hostia consecranda simul cum dubiè consecrata, non probat Dicastill. *tractat.* 5. *de sacrament. disput.* 4. *dub.* 15. *num.* 310. *&* 311. Quartus *in Rubric. Mißal. part.* 3. *titul.* 10. *num.* 3. *sect.* 1. *dub.* 4. *corol.* 1. Et meritò. Quia non est necessarium, quod accipiatur noua Hostia; nam, si dubiè consecrata potest de nouo consecrari sub conditione simul cum noua Hostia, poterit etiam seorsim ab illa consecrari, quia coniunctio ad ipsam non dat illa aliquam capacitatem consecrationis, & ideò pro supplendo defectu, non erit necessarium accipere nouam Hostiam.

3 Deinde hoc non erit supplere prioris sacrificij defectum, sed nouum sacrificium instituere; quia consecratio non ordinabitur per se primò ad consecrandam priorem Hostiam dubiè consecratam, sed ad consecrandam nouam Hostiam, & nouum Calicem, & Hostia dubiè consecrata solùm secundariò substernetur consecrationi. Rursus consecratio per se primò erit absoluta, & solum conditionata, vt se extendit secundariò ad Hostiam dubiè consecratam; vt autem absoluta non est apta ad supplendum defectum prioris consecrationis; & ideò per se primò erit institutiua alterius sacrificij. Ex quo fit, quod hoc non sit licitum, quia cum sit peracturus totam integram consecrationem, atquè adeò instituturus nouum sacrificium tenetur ex præcepto Ecclesiæ incipere Missam ab initio; nam intantum potest incipere vbi alius reliquit, inquantum, quod facit, est solum complementum inchoati sacrificij.

4 Quod autem spectat ad primam partem huius Doctrinæ, cum dubium remaneret, an facta sit consecratio Hostiæ, dubium etiam remanet, an sacrificium sit incœptum substantialiter. Stante autem hoc dubio remanet incertum, an sit supplendum, quia quod sit supplendum oritur ex eo, quod sit substantialiter incœptum. Vnde si dubia est incœptio substantialis, dubium etiam est, an sit supplendum. Et ideò videtur posse eligi vtrumque, vt nimirum suppleatur consecrando sub conditione eamdem Hostiam. Vel vt non suppleatur, in quo casu Hostia dubiè consecrata erit sumenda ab alio Sacerdote postquàm consumpsit proprium sacrificium, antequam tamen sumat purificationem, sicut præscribitur faciendum, quando reperitur aliqua particula in Altari, de cuius consecratione dubitatur.

QVÆSTIO 327.

Vnde Sacerdos incipere debeat alterius defectum supplens.

SVMMARIVM.

1. *Sacerdos supplens defectum alterius debet incipere, vbi alter desiit.*
   Nisi supplenda sit forma.
2. *Quid si supplenda sit consecratio Hostiæ.*
3. *Quid si constet consecratam fuisse Hostiam, sed non constet de Calice.*
4. *Quid si constet de consecratione vtriusque speciei, sed non vbi desierit.*

Regula generalis est, quod ibi debet incipere, vbi desiit prior Sacerdos, vt docet Rubricas *part.* 3. *titul.* 10. *num.* 3. Et cum ea Doctores communiter. Et ita exigit ratio supplementi, nam per ipsum afferri debet, quod per alium Sacerdotem omissum fuit, & coniungi cum partibus Missæ ab ipso peractis. Quando tamen defectus fuisset in forma consecrationis Calicis, quia non fuisset integrè prolata, fallit Regula, quia non sunt supplenda sola verba omissa, sed repetenda tota forma incipiendo à verbis, *Simili modo*; vt docet eadem Rubrica, & cum ea Doctores communiter præsertim Suarez *disput.* 85. *de Eucharist. sect.* 1. ver. *Tertia Regula.* Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 2. Filliucius *tractat.* 5. *num.* 168. Bonacina *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 10. *num.* 13. Franciscus Lugo *libr.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *quæst.* 3. *num.* 48. Ratio est. Quia non potest forma proferri à duobus, sicut proferretur, si supplens repeteret tantum verba, quæ alter omisit; nam cum debeat habere suam vim significatiuam, se habere debet per modum vnius orationis, atque adeò debet esse expressiua eiusdem conceptus mentis, quod fieri non potest, nisi tota ab eodem proferatur. 1

Quando autem est repetenda consecratio Hostiæ, quia dubium est, an sit consecrata. Aliqui volunt incipiendum esse ab initio Canonis. Ita Henriquez *lib.* 9. *cap.* 40. *num.* 4. Suarez *disput.* 85. *de Eucharist. sect.* 1. vers. *Tertia Regula.* Filliucius *tractat.* 5. *numer.* 168. Quartus *in Rubric. Missalis*, *part.* 3. *titul.* 10. *num.* 3. *sect.* 1. *dub.* 4. *corol.* 4. sed non esse incipiendum à Canone, sed à verbis: *Qui pridiè quam pateretur*; docet Facundez *præcept.* 1. *Eccles. libro* 3. *cap.* 19. *num.* 7. Quod mihi videtur probabilius. Quia vel adest motiuum iudicandi, quod peruenerit ad consecrationem, & perfecerit quoad Panem: vel non adest; si adest, & propterea assumitur sacrificium supplendum, cum repetitione consecrationis Panis sub conditione. Quia adest etiam motiuum iudicandi, quod non sit perfecta consecratio talis speciei cum pro certò maneat, quod sit recitatus totus præcedens Canon, quia si de hoc quoque dubitaretur, nullum remaneret motiuum iudicandi consecratam fuisse primam speciem, & ideò non esset supplendum, quod deest de Missa. Si secundum: ergo cum non possit cum aliquo fundamento iudicari, quod sacrificium incœptum sit substantialiter, nec etiam erit supplendum. 2

Si verò constet consecrasse Hostiam, quia scilicet constet eam eleuasse, sed non constet, an consecrauerit Calicem, quia solùm non eleuauit, tunc sub conditione repeti debet forma consecrationis Calicis tanquam eius consecratione existente dubia, vt docet eadem Rubrica, & cum ea Doctores communiter præsertim citati, & incipiendum est à verbis, *Simili modo.* Quia in his verbis, vt dictum est in superioribus, incipit forma consecrationis secundum institutionem Ecclesiæ. 3

Verùm, si constet consecrasse vtramque speciem, sed non in qua parte subsequente intermiserit Missam, Sacerdotem supplentem incipere debere à verbis: *Vnde & memores*, tradunt Suarez *disputatione* 85. *de Eucharistia*, *sectione prima*, vers. *Tertia Regula*, Filliucius *tractatu quinto*, *num.* 168. 4

num. 168. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 19. *numero sexto*, Franciscus Lugo *libr.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *quaest.* 4. *in fine.* Quartus *in Rubr. Missal. part.* 3. *titul.* 10. *num.* 3. *sect.* 1. *dub.* 4. *in fine.* Verùm quia Missa non tam defotmis est, si deficiant aliquæ partes, quam si supetabundent, sicut contingit in corporibus organicis, io quibos viriosa est multiplicatio partium supra exigentiam, nam reddit corpus monstruosum, ideò vt defectus, quantum fieri potest, perfecto modo suppleatur, ioquirendum erit à ministro, vbi desierit; quod si nesciat exprimere, interrogandus erit an post eleuationem diù processerit, an recitauerit aliquid alta voce, an tunserit pectus, & de cæteris ritibus; & inuestigaodum erit, quò probabilius potest, quò peruenerit, & ibi erit incipiendum à supplente: Hoc enim modo prudenter se geret.

QVÆSTIO 328.

Quandiù differri possit supplementum sacrificij inchoati.

SVMMARIVM.

1. *Quandiu possit differri supplementum sacrificij.* & num. seq.
4. *Non potest compleri sequenti die.*
5. *Sacrificium non potest esse vnum, nisi sit in eodem tempore morali.*
6. *Sacrificium non potest compleri transacta hora celebranda.*
7. *Alias non esset complementum eiusdem sacrificij.*
8. *Sacrificium non potest suppleri substantialiter, nisi in eodem tempore morali.*

1 QVia fieri potest, quod quando deficit Sacerdos, non sit ad manus, qui compleat sacrificium, ideò dubium iosurgit, quandiu expectari possit, seu quandiu sit capax complementi, itavt censeatur supplementum facere vnum cum præmissa Missa. Prima sententia asserit, suppleri posse defectum intra eamdem diem etiam longè post meridiem. Ita Azorius *parte prima, libro decimo, capite trigesimotertio, quæstione prima.* Quia licèt non possit longè post meridiem celebrari superat tamen hoc præceptum necessitas complendi sacrificium.

2 Secunda sententia asserit, possit compleri etiam seqoenti die. Ita Henriquez *libr.* 9. *summ. cap.* 4. *num.* 2. Facundez *precept.* 1. *Ecclesiast. libr.* 3. *cap.* 20. *num.* 507. Sà *verbo* Missa, *num.* 38. Tamburinus *Opuscul. de sacrific. Miss. lib.* 2. *cap.* 8. §. 1. *numer.* 7. Fuudamentum est. Quia mora noo videtur tanta, quin possit contiouari sacrificium: sicut etiam in feria sexta Parasceue consumptio tunc exhibita continuat Missam diei præcedentis, nam dicitur complementum sacrificij præteriti. Addunt tamen Sà, & Tamburinus posse etiam sumi ab alio Sacerdote celebrante soam Missam, quia longa mora facit, quod vtrumque liceat.

3 Tertia sententia asserit, nequaquam die sequenti suppleri posse defectum, sed esse supplendum eadem die intra debitum tempus. Ita Tannerus *tom.* 4. *summ. disput.* 5. *quæst.* 10. *dub.* 7. *num.* 110. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 2. ver. *Respondetur.* & *sect.* 16. *in fine.* Franciscus Lugo *libr.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *quæstione tertia, numero trigesimooctauo.* Quartus *in Rubricas Missalis, part.* 3. *titul.* 10. *numer.* 3. *sect.* 1. *dubio* 5. ver. *Tertia sententia.*

Dicendum est. *Sacrificium relictum imperfectum substantialiter non posse compleri sequenti die.* Ratio est, quia diuisio vnius partis ab alia, quæ ponitur loco supplemeoti per tantum tempus, nempe de vno ad alterum diem, impedit moralem vnitatem, nam sacrificium tnoc ex sui oatura, & iostitutione Christi est opus continuum: tùm etiam ex institutione Ecclesiæ, imò est opus non solùm eiusdem diei, sed certæ partis diei: ergo si supplementum differatur in sequentem diem, erit contra voitatem, quam exigit tùm ex institutione Christi, tum etiam ex institutione Ecclesiæ, quia non solum non erit continuum, sed neque in eodem tempore. 4

Confirmatur, vt sacrificium continuetur secundum omnes partes successiuè ponit in eodem tempore continuo: ergo vt secundum suas partes sit vnum moraliter, debent partes esse moraliter vnum, atque adeò poni in eodem tempore morali. Si autem pooantur aliquæ partes hodie, & aliquæ cras, non solum non erunt in eodem tempore morali, sed in tempore moraliter longè discreto. Quia dies continuus non solum separatur secundum horas à die præsenti, sed etiam secundum diem, atque adeò duplici discretione. Imò separatur etiam secundum habilitatem, & inhabilitatem ad recipiendum sacrificium, nam intermediat tempus vespertinum, in quo prohibentur Missæ. 5

Dicendum secundum. *Sacrificium substantialiter inchoatum non potest suppleri etiam eodem die, si perueniatur ad tempus, seu horas dies in quibus amplius celebrare non licèt, etiamsi non multum distanter ab ipsis sit inceptum.* Ita Glossa *in cap. Nihil*, verbo *Vel Presbytero* 7. *quæst.* 1. Ratio est, Quia tempus habile, in quo offerri potest sacrificium ex institutione Ecclesiæ, & tempus inhabile sunt tempora heterogenea in ordine ad sacrificium, cùm distinguantur secundum habilitatem, & repugnantiam: ergo in ordioe ad sacrificium non possunt coalescere in vnum tempus morale, cum habeant repugnantiam adinuicem: ergo si supplementum ponatur in tempore inhabili, non coalescet in vnum eum partibus antecedentibus, atque adeò non fecerit complementum. 6

Dices institutioni Ecclesiæ de tempore inhabili præualere tanquam de iure diuioo exigentiam complementi substantialis eiusdem sacrificij. Respondetur. Quæ sunt de iure diuino præualere institutionibus Ecclesiæ, quando possunt habere locum. Complementum autem substantiale sacrificij, non potest habere locum ex natura sua, oisi pooatur in eodem tempore morali, & ideò, si tempus diuersificetor moraliter, siue ex natora soa, siue ex quacunque alia causa, cessat ius diuinom de exigentia complementi, cum non possit amplius complementum locum habere. 7

Dicendum tertiom. *Supplementum substantiale sacrificij non posse suppleri nisi in eodem tempore morali.* Hoc indicat etiam Rubrica *parte tertia, titulo quarto, numero octauo.* Vbi agens de supplendo defectu substantiali ex parte materiæ ait. *Aliquandiu esse expectandum.* Noo dicit autem *Diu*, quia, si esset diu expectandum tolleretur vnitas moralis sacrificij. Ratio est, quia in iis, quæ coostant partibus successiuis requiritur continuatio, atque adeò vnitas temporis, vt sint vnum; itavt pro vnitate Physica requiratur cootinuatio, physica etiam ex parte temporis. Pro vnitate aotem morali requiratur etiam cootinoatio moralis: ergo, vt sop- 8

plementum sactificij possit facere vnum cum pattibus, quæ præcesserunt, requiritur, quod in eodem tempore morali continuentur morali modo.

9 Ad fundamentum secundæ sententiæ. Resp. Iam ex dictis constare, quomodo mora vsque in sequentem diem tollat omninò vnitatem sactificij non solùm propter quantitatem temporis, sed etiam propter interpositionem temporis inhabilis, quæ sicut tollit continnationem temporis habilis, ita etiam tollit vnitatem moralem. In feria autem feata Parasceues nequaquam consumitur sactificium præcedentis diei, quia iam in feria qoiuta præcedente fuit omninò completum; alioquin quoties sumeretur Eucharistia conseruata consumeretur sactificium, in quo consectata fuit. Solùm ergo celebratur illud mysterium de præsanctificatis, quod nullo pacto pertinet ad complementum præcedentis sactificij.

QVÆSTIO 329.

Quid faciendum, si non adsit Sacerdos, qui compleat sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Quid faciendum, si non adsit Sacerdos, qui compleat sacrificium.*
2. *Quando possint species consecrata sumi à Laïco, defectu consumentis.*
3. *Circa species sacras eligendum, quod magis conducit ad reuerentiam.*

1 COmmuniter docent, quod, si non adsit, qui compleat sactificium, seruandæ sunt species cosecratæ, donec haberi possit Sacerdos, qui eas sumat. Quod si adesset periculum, quod species corrumperentur, antequam aduertit Sacerdos aliquis, quod facilè contingere potest quoad species vini, præsertim æstatis tempore. Resp. Sotus *in 4. distinct. 13. quæst. 2. art. 6. §. Circa hoc.* potius permittendum esse, quod corrumpantur, quàm quod sumantur à Laïco.

2 At communiter docent, in tali casu sicut etiam quando non possent conseruari cum reuerentia, aut timetur aliquod periculum posse sumi à Laïco. Ita Suarez *disput.* 81. 71. *de Eucharist. sect.* 3. *in fine.* Vasquez 3. *part. disput.* 216. *num.* 47. Coninch *quæst.* 83. *de sacrament. art.* 6. *num.* 282. Villalob. *part.* 1. *summ. tractat.* 8. *diffic.* 32. *num.* 15. Trullench *lib.* 3. *de sacram. cap.* 8. *dub.* 24. *num.* 21. *in fine* Francisc. Lugo *lib.* 4. *de sacrament. cap.* 7. *quæst.* 7. *num.* 65. *in fine.* & *lib.* 5. *c.* 10. *quæst.* 3. *num.* 38. Tamburin. *opusc de sacrific. Missæ, lib.* 2. *cap.* 8. §. 1. *num.* 3. Quattus *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 3. *sect.* 1. *dub.* 2. *corol.* 4.

3 Ratio est. Quia in huiusmodi casibus eligendum est minus inconueniens. Minus autem inconueniens est, quod species sacræ sumantur à Laïco, quàm quod tractentur cum irreuerentia, aut permittantur corrumpi, præsertim, quia præceptum non communicandi sub vtraque specie, quo Laïci tenentur, non se extendit ad hunc casum, siquidem non sumuntur sacræ species intuitu communicandi, sed ob conseruandam reuerentiam ipsis debitam, quæ alioquin periclitaretur, si non sumerentur.

QVÆSTIO 330.

An adsit obligatio supplendi sacrificium relictum incompletum.

SVMMARIVM.

1. *Quid circa complementum sacrificij relicti imperfecti ius disponat.*
2. *An adsit obligatio complendi sacrificium ab alio relictum imperfectum.* & num. seq.
4. *Qualis sit ista obligatio.*
Nascitur ex munere Sacerdotali, & quomodo.
5. *Et ne Christo principali offerenti deficiat minister ad complendum.*
6. *Concil. Toletan. explicatur.*
7. *Sacerdos habet obligatum proprium ministerium ad supplendum sacrificium relictum imperfectum.*

EX duplici capite prouenire potest obligatio supplendi sactificium quod incipiens perficere non potest, nempè ex iure positiuo, vel ex iure diuino, seu ex natura sactificij. In iure positiuo ita disponitur in cap. *Nihil* 7. *quæst.* 1. ex Concil. Tolet. 7. *Censuimus ergo conuenire, vt cum à Sacerdotibus Missarum tempore sacra mysteria consecrantur, si ægritudinis acciderit qualibet euentus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri consecrationem exequi officij cœpti. Non enim aliud ad supplementum initiatis mysteriis competit, quam aut incipientis, aut subsequentis completa benedictio Sacerdotis. Quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur. Cum enim simus omnes vnum in Christo, nihil contrarium personarum diuersitas format, vbi efficaciam prosperitatis vnitas fidei repræsentat.* 1

Prima sententia asserit, non adesse obligationem complendi sacrificium relictum imperfectum ab alio. Ita Henriquez *libr.* 9. *sum. cap.* 40. *num.* 1. Sotus *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *artic.* 6. §. *Quarto. Hinc colliges.* Ludouicus à sancto Ioanne *in summ. quæst.* 7. *de Eucharist. art.* 17. *difficultat.* 11. Villalobos *part.* 1. *summ. tractat.* 8. *difficult.* 32. *num.* 15. Pelizzar. *tom.* 1. *Manual. Regul. tractat.* 5. *cap.* 9. *sect.* 1. *num.* 15. Fundamentum est. Quia in dict. cap. *Nihil* 7. *quæst.* 1. non imponitur huiusmodi obligatio, dicitur esse liberum Episcopo, aut Presbytero supplere, & proinde relinquitur arbitrio. Secundo alter Sacerdos non fuit causa defectus, neque illi imputari potest, & ideò nec etiam tenetur supplere. 2

Secunda sententia asserit, adesse obligationem supplendi. Ita D. Thom. 3. *parte quæst.* 83. *artic.* 6. *ad* 1. Suarez *disp.* 85. *de Eucharist. sect.*.... ver. *Tertia Regula.* Nauar. *cap.* 25. *Manual. n.* 86. Layman. *lib.* 5. *Theolog. moral. tractat.* 5. *cap.* 7. *num.* 2. Filliucius *tractat.* 5. *num.* 168. Bonacin. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 10. *num.* 20. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 18. *num* 22. Auersa *quæstione vndecima, de Eucharistia, sect.* 16. ver. *Decimo tandem.* Franciscus Lugo *libr.* 4. *de sacrament. cap.* 7. *quæst.* 8. *num.* 84. & *libr.* 5. *cap.* 10. *quæstione tertia, numero vigesimonono.* Quartus *in Rubric. Missal. part.* 3. *titul.* 10. *num.* 3. *sect.* 1. ver. *Secunda sententia.* 3

Dicendum est. *Adesse obligationem complendi sacrificium, quod primus Sacerdos deficiens nequiuit complere.* Hæc autem obligatio erit sub mortali, quia est in materia graui, & oritur ex natura 4

tura rei, atque adeo radicatur in institutione diuina. Ratio est, quia omnes Sacerdotes ratione muneris Sacerdotalis sunt Deo obligati in ordine ad offerendum sacrificium, cum enim sacrificium sit debitum Deo iure naturali, & stante institutione sit debitum præsens sacrificium omnes, qui assumunt Sacerdotium constituantur ministri ipsius, & se obligant ad cultum exhibendum per sacrificium, itavt omnes sint in solidum obligati, & proinde deficientibus cæteris, aut non satisfacientibus propriæ obligationi, remaneat vnusquisque obligatus non secus, ac quando plures sunt addicti eidem muneri, deficiente vno, obligatio satisfaciendi proprio muneri transit ad cæteros: ergo si celebrans deficiat, itavt non possit complere sacrificium, obligatio complendi transit ad alios Sacerdotes. Conseq. prob. sacrificium est iam inchoatum substantialiter, & proinde fit debitum Deo secundum totum suum complementum, quia non potest aliter Deo offerri, quàm secundum constitutionem Christi: ergo si incipiens non potest perficere teneantur alij Sacerdotes ratione muneris Sacerdotalis Deo obligati occurrere, & complere sacrificium, quia tunc obligatio Sacerdotis deficientis complendi sacrificium transit ad alios obligatos in eodem munere.

5 Confirm. Omnes Sacerdotes sunt ministri Christi, & Ecclesiæ in ordinatione ad offerendum sacrificium, cum offerant in persona Christi, & Ecclesiæ, itavt Christus sit principalis offerens: ergo si sacerdos offerens sacrificium, deficiat, vt non possit complere, tenentur cæteri sacerdotes occurrere & supplere ministerium deficientis, ne principalis offerens Christus, & Ecclesia destituantur ministro in tali functione, & cogantur imperfectum relinquere defectu ministri. Conseq. prob. quia quilibet minister ratione ministerij est obligatus impendere suum munus principali, quando illo indiget. Sumus autem in casu, in quo Christus & Ecclesia indigent ministerio alterius Sacerdotis pro complendo sacrificio remanente imperfecto.

Ad 1. in oppositum resp. Hanc obligationem oriri ex natura rei, non ex aliquo iure positiuo, vt constat ex dictis. In illo autem cap. *Nihil*, Concil. Tolet. intendit tantum remouere dubium ortum circa supplenda sacrificia, quæ remanebant imperfecta, an possent ab alio suppleri, & decernit, quod nullum adsit impedimentum, quin suppleantur, sed sit liberum Episcopo, vel simplici sacerdoti ea complere. Per esse autem liberum intelligit habere potestatem. Stante autem potestate subintrat obligatio ex natura rei, vt constat ex dictis. Nec obstat quod Conc. dicat, *Censuimus ergo conuenire, vt sit liberum Episcopo*, quasi significet supplere sacrificium esse de conuenientia non de necessitate; nam quando dicit *Censuimus* conuenire, idem est, ac si dixisset censuimus, quod conueniat institutioni sacrificij, vt Episcopo, &c. sit data potestas: vnde dictio *Conuenire* non refertur ad actum supplendi sacrificium relictum imperfectum, quasi conueniens sit, quod suppleatur, & non necessarium sed ad communicationem potestatis factam ex vi institutionis sacrificii. Et proinde ex conuenientia, quod alii sacerdotes habeant hanc potestatem, infert fuisse concessam, quod totum declarat ratio, quam reddit, nempe quod, *Personarum diuersitas nihil contrarium formas, quia omnes vnum sumus in Christo stante vnitate fidei*, ex qua satis constat, quod loquitur de potestate complendi sacrificium, quæ ideo controuertebatur, quia putabatur, quod officeret vnitati sacrificii diuersitas personarum, sicut officit in sacramentis.

Ad 2. Obligationem non oriri ex culpa, itavt habeat solum locum posito fundamento culpæ, sed ex natura sacrificii, & obligatione ministerij. Neque est nouum, quod consurgunt plures obligationes in iis, qui nullo modo sunt causa defectus, nam quando quis propria culpa ad extremam necessitatem redigitur, tenetur adhuc quisque ratione charitatis illi subuenire; quando quis indiget baptismo, tenetur quisque ministrare; vnde in præsenti sufficit, si sacerdos habeat in genere obligatum proprium ministerium. 7

QVÆSTIO 331.

Quinam ex Sacerdotibus, si plures adsint teneatur supplere sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Si adsit spes, quod celebrans possit complere, sacrificium non est ab alio complendum.*
2. *Quid considerandum in sacerdotibus in ordine ad complendum sacrificium alterius.*
3. *Quinam primo loco teneantur supplere alterius sacrificium.*
4. *Prius obligatur, qui potest accurrere, quàm præsens impeditus.*
5. *Inter impeditos minus impediti obligantur.*
6. *Qui non est ieiunus tenetur supplere sacrificium.*
7. *Quinam ex absentibus obligentur ad supplendum sacrificium.*

Difficultas æquiparatur impossibilitati.

SVpponendum est, quod si quando deficit sacerdos, deliquium sit tale, vt adsit spes, quod vires breui recuperet, & possit prosequi inchoatum sacrificium, tunc non est complendum ab alio. Siquidem principalis obligatio complendi est penes ipsum, & ad alios non deuoluitur, nisi quando ex impotentia extinguitur in ipso. Et ideò remanente spe, quod reassumere possit, neque in ipso extinguitur obligatio, neque in cæteris insurgit. 1

In casu autem, in quo non adsit huiusmodi spes, cæteri sacerdotes possunt considerari secundum maiorem, vel minorem habilitatem ad offerendum sacrificium. Quidam enim nullum habent impedimentum ad offerendum; quidam verò habent impedimentum. Siue autem habeant impedimentum, siue non habeant certum est, non teneri, nisi præsentes sint, aut notitiam habeant de sacrificio remanente incompleto, & accurrere possint ad supplendum defectum in tempore debito, quia frustra recurrerent si quando aduenissent, non posset amplius ex lapsu temporis seruari vnitas sacrificii. 2

Dicendum 1. *Omnes illos sacerdotes teneri primo loco supplere defectum imperfecti sacrificij, qui sunt præsentes, & nullum habent impedimentum.* Ita etiam Quartus *in Rubricas Missal. part. 3. tit. 10. numer. 3. sect. 1. dub. 2. dicto* 2. Ratio est; quia, qui præsentes sunt, statim habent notitiam defectus, & proinde statim etiam contrahunt obligationem, & ideo tanquam prius tempore obligati debent etiam primo loco supplere, quia sunt potiores in obligatione. Rursus qui habet impedimentum repellitur ab actione sacrificii, & proinde etiam à supplendo defectu circa integritatem sacrificii, & ideo sicut non admittitur, nisi in defectum aliorum, qui non sint impediti, Ita nec in ipso consurgit obligatio; nisi deficientibus cæteris. 3

Dicendum 2. *Qui non est præsens, sed potest accurrere.* 4

Digitized by Google

currere prius obligatur supplere, quàm qui est præsens, sed impeditus. Vnde si, qui est præsens non esset ieiunus & qui potest accurrere, esset ieiunus, iste prius teneretur supplere. Ratio est; quia obligatio afficit eos tantum, qui possunt supplere: ergo inter eos, qui possunt supplere, & habent ministerium obligatum, prius illus, qui nullo impedimento detioentur. Confirm. Impedimentum suspendit exercitium ministerii, quatenus durat; ergo non finit consurgere obligationem, nisi quatenus impedimentum ipsum suspenditur, oon suspenditur autem, nisi quatenus non adsit alius, qui suppleat, cum ita præsumendum sit de intentione Ecclesiæ, quæ solum ista impedimenta suspeodit ratione necessitatis.

5 Ex dictis colligitur; quod si omnes, qui supplere alias possunt sacrificium inchoatum, sint impediti, sed diuerso mudo, obligatio ptimo loco afficiet eos, qui minus impediti sunt; nam impedimentum minus facilius resoluitur, quàm maius, quia minora facilius remittuntur; vndè non ieiunus, quia sumpsisset purificationem Missæ, prius tenebitur, quam qui alias, secundum communem vsum comedisset quia in primo esset tantum violatum ieiunium naturale. Et sic idem diceodum est de impedimentis diuersi generis.

6 Secundò colligitur. Eum qui non esset ieiunus teneri supplere inchoatum sacrificium, vt babet etiam Rubrica *part. 3. tit. 10. num. 3.* & nntant communiter Doctores præsertim Suatez *disput. 85. de Eucharist. sect. 1.* ver. *Tertia regula*, Layman. *lib. 5. Theol. Moral. tract. 5. cap. 7. num. 2.* ver. *Causa tamen*, Bonacin. *disput. 4. de sacrament. qu. vlt. punct. 10. num. 20.* Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 16.* ver. *Decimo tandem*, Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 18. numer. 22.* Quattus *in Rubr. Missal. part. 3. tit. 10. numer. 3. sect. 1. dub. 2. corol. 1.* Nam integritas sacrificij tanquam exacta ex vi institotionis, atque adeo de iure diuioo prævalet præcepto Ecclesiæ de ieiunio.

7 Tertiò colligitur. Eos absentes obligari ad supplendum sacrificium si non sit præsens, qui suppleat, qui sine considerabili difficultate accedere possunt, alioquin cum difficultas æquiparetur impossibilitati, *l. 2. §. 2.* ver. *Ex quo, ff. de verb. obligat.* & notant Felin. *in cap. Ecclesia num. 81. de constit.* Medices *de casib. fortuitis part. 1. quæst. 4. num. 13.* obligatio non deuoluetur ad ipsos tanquam ad eos, qui ratione impossibilitatis sunt incapaces. Vnde qui noo esset in eodem loco, aut qui esset occupatus in necessario seruitio propriæ Ecclesiæ, aut qui aliqua alia difficultate considerabili detioeretur, non afficeretur huiusmodi obligatione.

QVÆSTIO 332.

An qui existit in peccato mortali, teneatur sacrificium complere.

SVMMARIVM.

1. *Existens in peccato mortali, si non habeat copiam confessarij, an teneatur supplere sacrificium,* & num. seq.
3. *Sacerdos tenetur se conseruare habilem ad supplendum sacrificium.*
4. *Habens curam animarum non excusatur ratione peccati, ne exerceat.*
5. *Vnde nascatur obligatio eliciendi actum contritionis, vt possit supplere sacrificium.*
6. *Existens in mortali tenetur elicere actum contritionis, vt suppleat defectum sacrificij.*
7. *Aliquando potest sumi Eucharistia cum peccato mortali.*
   Nec sumitur indigne.
8. *Putans non posse conteri adhuc tenetur supplere sacrificium.*
9. *Perfectio sacrificij cur in tali casu præferenda.*

SAcerdotem habentem conscientiam peccati mortalis teneri ad supplendum, quando habet copiam Confessarij, itavt per confessionem se disponere possit, conueniunt communiter, & solum in dubium vertitur, ao teneatur, quando noo habet copiam Confessarij. Prima sententia asserit, non teneri, nisi forte nascatur graue scandalum, si noo perficiatur sacrificium. Ita Sotus *in 4. distinct. 13. quæst. 32. art. 6. §. 4.* Azot. *part. 1. lib. 10. cap. 33. quæst. 1.* Tolet. *lib. 2. sum. cap. 9.* quorum fundameotum est, quia non posset supplere sine contritione, quæ cum sit actus difficillimus, non obligarut sacerdos cum tanta difficultate, qualis esset io illo actu, ad supplendum. 1

Secunda sententia asserit, adhuc teneri, etiam si oon habeat copiam confessarii. Ita Suarez *disp. 85. de Eucharist. sect. 1. sub reg. 3.* Filliuc. *tract. 5. nu. 168.* Bonac. *disp. 4. de sacrament. quæst. vlt. punct. 10. numer. 20.* dum sine limitatione loquuntur Coninch. *quæst. 83. de sacrament. art. 6. numer. 270.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 10. quæst. 3. num. 41.* Quart. *in Rubr. Missal. part. 3. tit. 10. num. 3. sect. 1. dub. 2. corol. 2.* 2

Dicendum est. *Sacerdotem existentem in mortali teneri supplere defectum sacrificij, etiam si non habeat copiam Confessarij & proinde teneri elicere actum contritionis, vt se disponat.* Ratio est; quia ista obligatio oritor ratiooe ministerij, quod obligatum habet Ecclesiæ, & Christo ratione muneris sacerdotalis, vt dictum est in superioribus, ratione cuius tenetur ipsis inseruire io tali munere: ergo tenetur se conseruare habilem, & si fiat inhabilis, se reddere habilem medijs opportunis, atque adeò mediante contritione, si non habeat copiam Coofessarii, vt possit satisfacere propriæ obligationi. 3

Confirm. Ex eo, quod habens curam animarum sit in statu peccati, & non habeat copiam Coofessarij, quando occurrit, quod ratione sui muneris teneatur ministrare sacramenta, non excusatur, sed adhuc coosurgit in ipso actualis obligatio ministraodi. Non minus autem tenetur sacerdos supplere defectum sacrificii, quàm teneatur peccator ministrare sacramenta, imò tenetur potiore iure, quia contraxit obligationem cum Christo, & Ecclesia tanquam vtriusque minister in boc particulari. 4

Ad fundamentum in oppositum resp. Teneri ad eliciendum actum contritionis, non ex obligatione, quam præcisè afferat necessitas supplendi sacrificium, sed ex obligatione assumpta veluti in radice in assumptione muneris sacerdotalis, quod traxit secum obligationem ad ea omnia, quæ necessaria sunt pro ipso exerceodo, quod est commune cuicunque muneri, quod sicut trahit secum obligationem exercitij, quando necessarium est exercere, ita etiam trahit secum obligationem ad omnia necessaria media pro exercitio. Nec obstat difficultas habendi actum contritionis, nam hæc difficultas non prouenit ex natura actus, qui de se facillimus est, & solum difficilis ex adhæsione humanæ voluntatis ad res terrenas; & proiode est difficultas voluntaria, quatenus radicata io voluntaria adhæsione ad res, quæ auertunt ab vltimo fine. 5

An autem coosciius sibi peccati mortalis teneatur 6
sup

supplete, si non possit confiteri, certum est, quod conari debet, quantum potest, vt eliciat actum contritionis. Et proinde si non conaretur peccaret, quia non procuraret, vt tenetur, se debito modo disponere, & ideo indigne suppleret, & si non suppleret, deficeret in proprio munere culpabiliter quia non se redderet habilem ad supplendum. Vnde difficultas est si conetur, & non possit conteri: Et quamuis dici possit quod non deerit auxilium Dei, vt conteratur, hoc tamen non sufficit, quia potest esse tantum auxilium sufficiens, & proinde, quod non sequatur contritio, atque adeo, quod putet ex defectu proprio non posse conteri. Imo etiam fieri potest, quod conteratur, sed putet, se non conteri, & ideò tunc dubitatur, an teneatur supplere sacrificium, si non adsit alius, qui suppleat.

7 Est autem supponendum contra Suarez *disp. 66. de Eucharist. sect.* 1. Coninch *de sacrament. quæst.* 80. *art.* 4. *dub.* 2. *num.* 16. licere in aliquibus casibus sumere Eucharistiam cum conscientia peccati mortalis, vt tradidi *in Theolog. moral. disput.* 112. *sect.* 1. *num.* 2. & docent etiam Vasquez 3. *part. disp.* 207. *cap.* 1. *num.* 3. Hurtad. *de sacram. disp.* 8. *de Eucharist. quæst.* 8. *num.* 4. Lugo Cardinal. *disp.* 14. *de Eucharist. sect.* 1. *num.* 8. Auersa *quæst.* 8. *item de Eucharist. sect.* 5. ver. *Secundo tamen*, Tamburin. *Opusc. de commun. cap.* 1. §. 10. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 8. *sect.* 2. *dub.* 5. ver. *Secunda sententia.* Quia nimirum præceptum de statu gratiæ est affirmatiuum, & proinde cedit in concursu maioris obligationis. Nec est obiectum ita intrinsecè malum, quia iustificari possit ex causa; nam quatenus continet irreuerentiam, honestari potest, si ex opposito sequatur maior irreuerentia, aut maior inconueniens; & quatenus impedit effectum sacramenti honestari potest, si melius sit sumi sacramentum sine effectu, quam non sumi. Neque in tali casu sumens Eucharistiam diceretur sumere indignè, quia indignitas accipienda est morali modo, quatenus scilicet est fundata in actu voluntario itavt sciens, & volens sumat in statu peccati. Quod non contingit in præsenti quia indignitas est inuoluntaria, vt declarat conatus adhibitus ad illam declinandam.

8 Hoc autem statute dubitatur, an qui esset in tali statu teneretur supplere sacrificium ab alio relictum imperfectum, & videtur affirmatiuè resoluendum. Nam in tali casu concurrit obligatio ministerij sacerdotalis, ratione cuius obligatur Christo, & Ecclesiæ exhibere suum ministerium in supplendo sacrificio. Cum hac autem obligatione concurrit impossibilitas, prout æstimatur se disponendi debito modo pro tali functione, seu carentia debitæ dispositionis: ergo cum possit exhiberi, quod est debitum secundum substantiam, licet non quoad modum; tenebitur exhibere, quia eum possit satisfacere substantiæ obligationis, potest soluere, quod magis interest.

9 Confirm. In tali casu duo exiguntur ab illo sacerdote: & quod perficiat sacrificium, & quod digne, & cum debita reuerentia perficiat. Hæc autem sunt illi incompossibilia hic, & nunc; nam si perficit, non perficit cum debita reuerentia, quia non potest se disponere. Si ob reuerentiam abstinet, non potest perficere: ergo debet eligere, quod est maioris momenti, & quod per se primo ab ipso exigitur, quod est perficere sacrificium, quia perficere cum tali dispositione venit in consequentiam ad obligationem perficiendi tanquam quid accessorium ad suum principale. Præsertim quia, vt dictum est, indignitas non est ipsi imputabilis, cum non sit voluntaria.

QVÆSTIO 333.

An impeditus Canonicè teneatur supplere defectum sacrificij.

SVMMARIVM.

1. *Impeditus Canonicè an teneatur supplere defectum sacrificij*, & num. seq.
3. *Impeditus Canonicè tenetur supplere sacrificium, si alius non adsit.*
4. *Cur praualeat ius complementi sacrificij impedimento Canonico.*
5. *Quinam debeat supplere concurrente Canonicè impedito, & impedito per peccatum mortale.*

Nomine impediti Canonicè censetur excommunicatus, interdictus, suspensus, & irregularis, quia hi impediuntur à iure, ne offerre possint sacrificium. Vnde videtur etiam impediri, ne suppleant defectum. Prima sententia asserit, impeditos Canonicè non posse supplere sacrificium relictum imperfectum. Ita Henriquez *lib.* 7. *sum. cap.* 40. *num.* 1. Sà *verbo*, Missa, *num.* 38. Fundamentum est; quia, cum non sit minister idoneus, sed ab Ecclesia reiectus, proinde est, ac si non esset minister, & ideo ad ipsum non deuoluitur obligatio. 1

Sententia asserit, hos quoque impeditos teneri supplere. Ita hi qui volunt, hanc obligationem præualere cuicunque præcepto Ecclesiæ, vt Suarez *disp.* 85. *de Eucharist. sect.* 1. *sub tertia regula.* Filliuc. *tract.* 5. *num.* 168. Bonac. *disp.* 4. *de sacram. quæst. vlt. punct.* 10. *num.* 20. & in terminis Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 22. Coninch *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 6. *num.* 269. Franc. Lugo *lib.* 5. *de de sacrament. cap.* 10. *quæst* 3. *num.* 42. ver. *Ego censeo*, Quartus *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 3. *sect.* 1. *dub.* 2. *corol.* 3. & desumitur etiam ex ijs, qui docent, quod si celebrans post consecrationem recordetur, se esse excommunicatum, debere perficere sacrificium, inter quos est D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 6. *ad* 2. & idem etiam docet Rubrica 3. *part. tit.* 8 *num.* 5. 2

Dicendum est, *Canonicè impeditos, siue per quamcunque censuram, siue per irregularitatem teneri supplere defectum sacrificij, quod remanet imperfectum si non adsit alius qui sit expeditus.* Inter impeditos autem priori loco tenetur, qui habet minus impedimentum atque adeo interdictus, aut suspensus in comparatione excommunicati, & hi omnes in comparatione irregularis prius tenebuntur. Quia irregularitas est impedimentum de sui natura perpetuum, & quod difficilius remouetur, atque adeò magis graue. 3

Ratio conclusionis est, quia hæc omnia impedimenta Canonica, sunt tantum de iure Ecclesiæ, & proinde cedere debent ijs, quæ sunt altioris obligationis, quale est supplere sacrificium, ne remaneat imperfectum, cum hæc obligatio proueniat ex institutione muneris sacerdotalis, atque adeo sit de iure diuino. Quod præsertim verum est, quia Ecclesia ponens huiusmodi impedimenta Canonica, intendit solum impedire actum offerendi sacrificium, quatenus non exigitur ex alio iure superiori, neque enim intendit contrariari iuri diuino, & ijs, quæ exiguntur ex vi institutionis sacrificij: & ideò non censetur ea ponere pro his casibus, in quibus oppositum exigitur à iure diuino. Vnde solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ; nam falsum est, quod in 4

in hoc casu impediti non sint ministri idonei, siquidem cum non sint impediti pro hoc casu, retinent suam regularem idoneitatem.

5 Ex his oritur alia difficultas, nimirum an concurrente impedito per mortale peccatum, & impedito per aliquam censuram, debeat ille, an iste supplere defectum. Cum enim impedimentum peccati mortalis reddat inhabilem ex natura sua, & sit de iure diuino videtur esse maius impedimentum, atque adeò posteriori tantum loco admittere obligationem. Verum oppositum tenendum est; quia licet sit impedimentum de iure diuino, est tamen in potestate impediti illum tollere, quando libuerit, vel per sacramentum Pœnitentiæ, vel per contritionem, & ideo tanquam facile, vt auferatur, habetur pro minori impedimento, & priori loco admittit obligationem.

QVÆSTIO 334.

An supplens defectum sacrificij, teneatur dare deficienti partem Hostia consecrata.

SVMMARIVM.

1. *Si Sacerdos deficiens sit in statu recipiendi viaticum, debet ipsi ministrari etiam de consecratis in illa Missa.*
2. *Quid, si non sit in tali necessitate, an participare debeat de sacrificio.*
3. *Non debet ex necessitate participare.*
4. *Ius consumendi sacrificium est ius actiuum.*
5. *Ius consumendi sacrificium transit in supplentem.*
6. *Qui non potest prosequi Missam, cadit à iure participandi de sacrificio.*

1 SAcerdos, qui deficit, itavt non possit perficere sacrificium, potest considerari, vt constitutus in statu indigentis viatico, vel etiam non constitutus in tali indigentia, in statu tamen, vt non possit perficere sacrificium. Si sit in primo statu, certum est, esse ministrandum viaticum, & saltem, si non adsit alia Eucharistia consecrata, vel in illo, vel in alio sacrificio, esse ministrandam partem Hostiæ consecratæ pro illo sacrificio, quia indigentia requirit quod omni meliori modo ei subueniatur: vnde solum difficultas est, an sit etiam ministranda seclusa hac necessitate, vel quia non indigeat viatico, vel quia adsit vnde aliunde ministretur.

2 Quod sit ministranda pars Hostiæ, quomodocunque res se habeat, quæ est consumenda à celebrante, tradit Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 8. §. 1. num. 4.* & *opusc. de commun. cap. 6. §. 5. num. 31.* Quia cum ipse incœperit sacrificium, atque adeo sit consacrificans simul cum complente, sacrificium potest dici ipsius, vt verè est. Et ideo debet de ipso participare iuxta cap. *Relatum, de consecrat. dist. 2.* Addit tamen, quod si in eodem sacrificio consecratæ sint aliæ particulæ potest aliqua de ipsis ipsi ministrari, quia sic participabit de sacrificio. Et hoc pacto, ait, accipiendam esse Rubricam de qua infra.

3 Dicendum tamen est, *Non adesse obligationem dandi partem Hostiæ maioris tanquam participaturo in sacrificio, sed solum in casu, in quo non adesset alia particula consecrata, vel in illo, vel in alio præcedenti sacrificio.* Ita Rubr. *part. 3. tit. 10. num. 3.* & notat etiam Quartus *in Rubr. Missal. part. 3. tit. 10. num. 3. sect. 1. dub. 6.* ver. *Secunda, & vera.* Ratio est; quia vel habet ius ad consumendum illud sacrificium, vel non habet ius. Si primum: ergo deberet illi ministrari sub vtraque specie, quia ius ad consumendum est ad totum sacrificium. Si secundum: ergo non adest obligatio ministrandi in eadem Hostia, in qua consumit celebrans, quia hæc obligatio fundari tantum potest in iure participandi de sacrificio.

4 Confirm. ius participandi seu consumendi sacrificium est ius actiuum, quia dicit partem actionis sacrificatiuæ, & proinde est ius ad actionem oblationis: ergo qui non potest exercere actionem sacrificatiuam, nec etiam habet ius consumendi, sed ratione impotentiæ cessat hoc ius: ergo qui tantum sumere potest de manu alterius non habet ius ad partem Hostiæ, quam consumit sacerdos, sed tantum ad communionem laicam.

5 Confirm. 2. Ex eo, quod primus sacerdos non potest complere sacrificium, subrogatur alter in locum ipsius, qui compleat, & proinde ius consumendi sacrificium, quod erat in primo, deuoluitur ad secundum: ergo non remanet in ipso ius consumendi, cum in alium transeat, si enim remaneret in ipso, non posset alter subintrare, quando qui incœpit potest perficere. Vnde etiam in cap. *Nihil 7. quæst. 2.* dicitur, quod ratio incipientis & perficientis non diuersificat sacrificium, si seruetur debitus ordo, quia omnes sunt vnum in Christo. Ex quibus constat, quod, qui incœpit, & non potest perficere non amplius pertinet ad illud sacrificium vt ipsius minister. Quod non esset verum, nisi omnino perficiens subrogaretur in eius locum ad perficiendum, & ius consumendi, atque adeo ius perficiendi non extingueretur omnino in ipso.

6 Ad fundamentum in oppositum resp. Quod non omnes consacrificantes habent ius consumendi, vt constat in ijs, qui ordinantur præsbyteri, nam simul cum ordinante sacrificant, & tamen non habent ius ad consumendum sed sumunt communionem laicorum more. Deinde qui deficit, itavt non possit prosequi Missam, decidit ab huiusmodi iure, vt dictum est, quia participatio sacrificij quatenus spectat ad consumptionem, dicit actionem, quæ sit pars eiusdem sacrificij, & ideo si non potest exercere, cessat ius participandi per consumptionem. Vnde neque sacrificium dicitur esse sacrificium primi celebrantis absolutè, sed solum secundum illam partem, quam perficit.

QVÆSTIO 335.

An si post oblationem afferantur particula consecranda acceptari possint, & suppleri defectus.

SVMMARIVM.

1. *Omissio oblationis etiam vnius speciei est peccatum graue.*
   Allata noua materia est de nouo offerenda.
2. *Quousque acceptari possint noua particula consecranda*, & num. seq.
4. *Non sunt acceptanda post oblationem, nisi ex grauissima causa.*
5. *Quò longius post oblationem afferuntur, est magis inconueniens.*
6. *Quale peccatum sit consecrare materiam non oblatam suo loco.*
7. *Cœpto Canone nullo modo assumenda noua materia consecranda.*
8. *Quid si occurrat grauis necessitas.*
9. *Si assumenda sit noua materia, satius est differre oblationem.*

10. *Com*

10. Commoditas communicare volentium, non sufficit, vt possit assumi noua materia post oblationem.

1 EX dictis in superioribos constat, quod omissio oblationis io Missa sit peccatum mortale, quod est verum, etiamsi sit tantum quoad vnam speciem, quod iode prouenit, quia secundum functionem est para principalis, nam habet præsanctificare materia in consecrandi; vnde ex omissione consurgit notabilis defectus, quia non solum deest principalis pars in Missa, sed etiam effectus ipsius, qui consistir in præsaoctificatione materiæ, quæ, si desit, est quid graue respectu consecratioois. Vnde quando occurrit casus, quod sit coosecranda ooua materia Rubric. *parte tertia, titul. 3. de defectib. Panis*, & *titul. 4. de defectib. Vini.* requirit, quod fiat oblatio nouæ materiæ saltem mente concepta.

2 An autem post oblationem, & quomodo possint acceptari nooæ particulæ conseerandæ noo conueniunt Auctores Posseuin. *de effic. Curat. cap.* 2. *num.* 2. Absolutè affirmat, nec vult esse necessariam nouam oblationem ipsarum, quia tanquam accessoriæ ad grandiorem Hostiam participant illius oblationem econtra adeò nullo modo esse consecraodas, tradit Bonacina *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 2. *num* 6.

3 Media via proceduot Gaoantus *in Rubric. Missal. part.* 3. *titul.* 20. *num.* 19. Marchinus *de sacramento Ordinis, tractatu* 3. *part.* 2. *cap.* 4. Megal. *tom.* 2. *Promptuar. verbo* Eucharistiæ materia, *num.* 7. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 12. vers. *Quinte alij.* Franciscus Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 10. *num.* 6. Tamburin. *opusc de sacrific. Missa, lib.* 2. *cap.* 5. §. 2. *num.* 6. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 2. *titul.* 7. *sect.* 1. *dub.* 2. Qui volunt acceptari, & consecrati posse præmissa oblatione mentali. Non concordant tamen inter se hi Doctores, nam aliqui volunt quod acceptari possit noua materia coosecranda, vsque ad coosecratiooem. Ita Marchinus, Megalus, Tamburinus. Alij verò voluot, quod cœpta præfatione non possint amplius acceptari. Ita Gauantus, Auersa, Lugo, & Quartua *dubio sequenti*, vers. *Respondeo, & dico* locis citatis.

4 Dicendum est. *Materiam non oblatam suo loco non debere consecrari, siue cum noua oblatione, siue absque ipsa, nisi ex grauissima causa. Et tunc esse illam specialiter offerendam oblatione saltem mente concepta.* Causa autem, ob quam posset coosecrari, esset, si necessaria esset pro ministrando Viatico aut pro ministranda communione in aliquo celebri die, atque magno concursu, & si non adesset alius, qui consecraret. Ratio est. Quia, si facta oblatione assumitur noua materia consecranda, vel offertur per nouam oblationem, vel non offertur. Si offertur, perturbatur ordo Missæ, & ponitur oblatio in eo loco, cui non coogruit, & materia non intrat ad Altare, quando iotrare debet. Si secundum conseeratur materia non antea præsanctificata, quod est contra grauem ritom Ecclesiæ.

5 Dicendum secundò. *Quò longius ab oblatione admittitur noua materia consecranda, eò magis repugnat ritui debito; atquè adeò est etiam magis inconueniens.* Ratio est. Quia omnia, quæ post oblationem recitantur in Missa respiciunt materiam consecrandam, quam supponunt in Altari oblatam, vt sunt præsertim orationes, quæ recitantur antè præfationem, per quas illa materia suo modo disponitur in ordine ad conseerationem: ergo longins ab oblationem admittitur, eò magis contraueoitur ritui instituto ab Ecclesia. Siqoidem supponitur consecrationi absque illa præuia præparatione, quæ præcessit.

6 Quale autem in boc peccatum interueoiat non est absque difficultate. Nam ex voa parte videri posset mortale, quia consecratur materia non præsanctificata secundum ritum ab Ecclesia institutum, quod quidem est aliqoid graoe. Attamen tenendum est, quod non sit solus, qoàm veniale, siquidem promittitur oblatio, per quam sanctificatur, licèt oon seruato ordine ritus, & qoia adiungitur tanquam accessoria, & minus principalis tota illa materia primarie, & simul cum ipsa substernitur consecrationi, itavt sequatur eius conditionem, attameo quia non seruatur in totum ritus Ecclesiæ ideò interuenit peccatum veniale.

7 Ex his colligitor. Nullo modo incœpto Canone esse assumendam nouam materiam cooseruaodam, vt notat etiam Quartus *in Rubricas Missal. part.* 2 *titu.* 7. *sect.* 1. *dub.* 3. *dicto* 2. Quando enim incipit Canon, celebrans incipit peragere sacrificium, quia licèt peragatur substantialiter per verba sola consecrationis, attamen verba Canonia antecedentia pertinent ad integritatem ritualem consecrationis. Est aotem indeceoa, & contra maiestatem sacrificij, quod offerens se dioertat ab offerendo, & assumat nouam materiam, quam præpatet per oblationem.

8 Colligitur secundò. Quod si occurrat grauis necessitas consecrandi nouam materiam, qualia esset necessitas ministrandi Viaticum, satius esset seruare partem Hostiæ maioris, quam cœpto Canone assumere nouam materiam consecrandam, vt notat etiam Quartua *in Rubrica Missalis, parte secunda, titul.* 7. *sect.* 1. *dub.* 3. *in fine.* Nam in hoc perturbatur ordo sacrificij, & non seruatur ritus præscriptus ab Ecclesia & diuertitur celebrans ab oblatiooe. Si verò seruetur Hostiæ maioris, non fit contra aliquem ritum, quia consuetudo, quod tota coosumatur, non est obligatiua, sed quia solet poni tantum illa materia pro consecratione, quæ consumenda est à Sacerdote. Est tamen aduertendum, quod si seruanda sit pars Hostiæ tunc est seponenda & dioidenda, quando iam celebrans peregit omnes ritus, & proinde quando est consumpturus sacrificium.

9 Colligitur tertiò. Quod si occurrat casua, qood assumenda sit nooa materia consecranda, satius erit, quod celebrans differat oblationem, quæ fit in Missa, & tantisper expectet, donec afferatur materia, quàm quod prosequatur, & posteà assumat nouam materiam. Nam illa parua mora nullam indocit perturbationem ordinis; imò inseruit, vt noua materia plenè secundum ritum Ecclesiæ offeratur, atquè adeò non solùm nullam inducit indecentiam, sed etiam excludit, quæ alias sequeretur, si loco non debito assumeretur noua materia.

10 Colligitur quartò. Cootra Quartum *in Rubrica Missalis, parte secunda, titulo septimo, sectione prima, dubio secundo, circa finem.* Non sufficere commoditatem commonicare volentiom, vt post factam oblationem assumatur nooa materia consectanda. Nam commoditas ista est priuata, & ideò non est sufficiens vt ritus publicus, qualis est ritus sacrificij, cedat absque alia necessitate; præsertim cum aliqua deordinatione, quæ licèt sit loeus, sufficit tamen pro peccato veniali. Non est autem præferenda talia commoditas peccato veniali.

DE MINISTRO INSERVIENTE in oblatione Sacrificij.



CONSVETVDO Ecclesiæ habet, quod aliquis Minister inseruiat Sacerdoti, quando offert sacrificium. Ritus enim institutus ab Ecclesia, cum quo debeat offerri includit aliquas actiones, in quibus saltem ob decentiam debet Sacerdos ab aliquo adiuuari, quamquam aliàs ab eodem peragi possent. De hoc ergo Ministro modo agendum est, & explicandæ difficultates, quæ circa ipsum occurrent.

QVÆSTIO 336.

Ad de iure diuino sit necessarius Minister inseruiens offerenti sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium non requirit de iure diuino, quod offeratur coram multis.*
   Sacrificium Missæ cur publicum.
2. *Minister non est necessarius de iure diuino offerenti sacrificium.*
3. *Quæ non pertinent ad substantiam sacrificij, sunt sub dispositione Ecclesiæ.*
4. *Minister quomodo necessarius ad decentem oblationem.*

1 SVpponendum est. Oblationem sacrificij non requirere de iure diuino, quod coram multis existentibus offeratur, vt constat ex praxi seruata in Ecclesia ab antiquis temporibus. Sic Diuus Gregorius *Epistola* 43. *ad Castorium, lib.* 4. prohibet, ne in monasterio fiant Missæ publicæ, ne in secessibus seruorum Dei fiant Conuentus populares. D. August. *l. lib.*27. *de ciuitate Dei, cap.*8. refert, celebratam fuisse Missam in domo rustica à quodam suo Præsbytero ad fugandum dæmonem; Gregor. Nazianz. offerebat sacrificium in exigua cellula extracto oratorio, vt refert Sozomen *l.b.*7. *histor. cap.*5. D. Ambrosius obtulit sacrificium in domo cuiusdam matronæ, vt refert Paulio, *in eius vita.* Vnde perperam hæretici vt Philippus Melancthon damnant Missas priuatas in hoc sensu, vt refert Bellarmin. *lib.*2. *de Miss.cap.*7. ver. *Quarto, Missa priuata.* Et ratio clara est; quia non potest aliquid in hac materia esse de iure diuino, nisi sit ex institutione Christi. Non constat autem ex institutione Christi, quod sacrificium offerri debeat coram multis. Quia quando Christus commisit Apostolis, & cæteris participaturis in sacerdotio, quod offerens sacrificium, solum dixit, Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, per quæ verba solum iniunxit, quod facerent, quod ipse fecit: non autem, quod facerent coram multis, vel paucis. Nec obstat, quod hoc sacrificium sit publicum, quia non est publicum ex eo, quod coram multis debeat offerri, sed quia offertur nomine Ecclesiæ, & quia etiam pro omnibus, qui sunt capaces fructus ipsius offertur. Difficultas modo est, an de iure diuino sit necessarius Minister.

2 Dicendum est. *Ministrum inseruientem Sacerdoti offerenti sacrificium non esse necessarium de iure diuino.* Ita Bellarmin. *lib.*2. *de Missa,cap.*9. *ver. Et hinc nascitur.* Suarez *disp.*83. *de Euharist. sect.*1. *dicto* 1. asserens oppositam sententiam esse falsam. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.*3. *cap.*21. *n.*6. Filliuc. *tract.*5. *num.*190. Auersa *quæst.*11. *de Eucharist. sect.*9. ver. *Secundò. est quidem.* Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacram. cap.*13. *n.*1. & cæteri, qui asserunt Ministrum requiri tantum de iure Ecclesiastico.

3 Ratio est. Quia in hoc sacrificio ea tantum sunt de iure diuino, quæ respiciunt substantiam sacrificij, & participationem ipsius tanquam Sacramenti. Quæ enim non pertinent ad substantiam relicta sunt sub dispositione Ecclesiæ, vt habet Concil. Trid. *sess.*21. *cap.* 2. vnde cum Minister concurrat ad actionem sacrificij, & non attingat aliquid, quod pertineat ad substantiam sacrificij, non potest esse necessarius ex institutione Christi. Confir. Totum ministerium Ministri consistit in responsione ad preces Ministri, in ministratione quoad delationem vini, & aquæ, in transportatione Missalis de vna ad aliam partem altaris; & huiusmodi. Hæc autem omnia non sunt actiones pertinentes ad substantiam sacrificij, neque quæ exigant ex natura sua Ministrum distinctum à Sacerdote; aut quæ sint per se connexæ cum oblatione sacrificij: ergo nec necessitas Ministri erit de iure diuino, quia ius diuinum se extendit solum ad ea, quæ sunt per se necessaria ad oblationem sacrificij.

4 Dices, Ministrum requiri ad decentem oblationem sacrificij, atque adeò esse necessarium ex natura rei, nam quæ sunt de decentia sunt necessaria ex natura rei. Quæ autem sunt necessaria ex natura rei, sunt de iure diuino quia proueniunt ex institutione Christi. Resp. Ministrum esse necessarium ad decentem oblationem, si consideretur secundum ea, quæ instituta sunt ab Ecclesia: non autem, si oblatio consideretur secundum substantialia sacrificij, qua, vt dictum est, nullam exercet actionem circa substantialia. Vnde cum sola substantialia sint ex institutione Christi, non descendit conuenientia Ministri ex institutione Christi, atque adeò nec ex iure diuino, sed solum ex institutione Christi.

QVÆSTIO 337.

An, & quomodo sit necessarius Minister Sacerdoti in oblatione sacrificij.

SVMMARIVM.

1. *Minister quomodo necessarius Sacerdoti offerenti sacrificium*, & num. seq.
3. *Obligatio adhibendi Ministrum est ex iure ecclesiastico.*
4. *Nec etiam Missæ priuatæ celebrari possunt sine Ministro.*
   Correctio legum vitanda.

1 PRima sententia asserit, esse necessarium ex consuetudine Ecclesiastica, non autem ex aliquo speciali iure. Ita Suarez *disp.*83. *de Euchar. sect.*1. *dicto* 1. Lugo Card. *disp.*20. *de Euchar. sect.*4. *n.*103. Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacram. cap.*13. *quæst.*1. *n.*4. Quia non constat de præcepto aliquo in iure. Nam, in Cap. *Proposuit, de fil. Presbyt.* vbi dicitur, non posse Præsbyterum solum Missarum solemnia sine Ministri suffragio celebrare, loquitur tantum de Missa solemni. Concil. verò Moguntinum, quod pro hoc afferri solet, est Prouinciale, & ideò non potuit obligare totam Ecclesiam.

Secunda

2 Secunda sententia asserit esse necessarium de iure Ecclesiastico. Ita Microlog. *Opusc.de Ecclesiast.obseru. cap.* 2. asserens, ita statutum fuisse ab Aoacleto, & Sotere Pontificibus. Innocent. *lib.2.de minister. Miss. cap.*25. Auersa *quæst.*11. *de Euchar.sect.*9. ver. *Secundò & quidem*, Garzia *in sum. tract.*3.*difficult.*8.*dub.*5.*n.*1. & alij, qui talem obligationem cognoscunt ex iure canonico, vt constabit ex dicendis iofrà.

3 Dicendum est. *Hanc obligationem adhibendi ministrum esse ex iure Ecclesiastice.* Hoc constat ex decreto Soteris Papæ relato in Cap. *Hoc quoque, de consensu, dist.*1. vbi habetur: *Hoc quoque statutum est, vt nullus Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, ipse tertius habeatur, quia cum pluraliter ab eo dicitur*, Dominos vobiscum, *& illud, in secretis* Orate pro me, *aptissimè conuenit, vt ipsius respondeatur salutationi.* Nec dici potest, quod loquatur de Missa solemni, quia, cum celebretur cum cantu de necessitate adsunt plures, qoi respondeant. Deinde, quia ratio finalis dispositionis locum habet in quacumque Missa. Vnde licet dispositio esset solum de Missa solemoi, ex identitate rationis extendi deberet ad omnes Missaa iuxta vulgatam doctrinam de extensione legum.

4 Vnde, cum in Cap. *Propesuit, de fil. Præsbyt.* Alexand. III. statuit, quod non possit solus Præsbyter celebrare Missarum solemnia sine suffragio, hoc est, ministerio Ministri, debet accipi de omnibus Missis, & non de solemnibus tantum, quia debet intelligi, vt coocordet cum Decreto Soteris Papæ, de quo *num. præced.* Alias corrigeret in patte jus antiquum, quia tolleret necessitatem Mioistri io priuatis Missis; est autem correctio legum vitanda, quantum fieri potest, Cap. 1. *De nous oper. nunciat.* & Cap. *Cum expediat, de elect. in* 6. & alia vulgata iura.

QVÆSTIO 338.

An in oblatione sacrificij sufficiat vnicus ministrans Sacerdoti.

SVMMARIVM.

1. *De iure antiquo non sufficiebat vnicus Minister Sacerdoti celebranti.*
2. *De iure nouo sufficit.*
3. *Consonant praxis Ecclesiæ, & Rubrica.*
4. *Salutationes in Missa cur fiant in plurali, licet adsit tantum Minister.*

1 DE iure antiquo non sufficiebat, sed requirebantur plures, atque adeò saltem duo, ita statuitur à Sotere Papa in Cap. *Hoc quoque, de consecrat. dist.*1. de quo in præcedenti; & secuodum ius locutus est Microlog. *de ecclesiast. obseru. cap.* 2. & nonnulli alij ex antiquioribus. Vnde stante pluralitate ministrorum fortè introductum est salutatio in numero plurali, dum dicit celebrans, *Dominus vobiscum*, & *Orate fratres*, quæ pluralis locutio non posse saluari videtur, si adsit vnicus minister, vt ponderatur in dicto Cap. *Hoc quoque.* Vnde difficultas remanet de iure præsenti.

2 Dicendum est. *De præsenti in oblatione sacrificij non requiri plusquam vnicum ministrantem Sacerdoti.* Ita communiter Doctores Gloss. *in dist. Cap. Hoc quoque, verbo* Ipse tertius, *de consecrat. dist.* 1. Abbas *in Cap. Vt quisque, num.*1.*&* 2.*de vita, & honest. Cleric.* D.Th. 3.*p.qu.*83.*art.*3.*ad* 12. Alens. *qu.*36. *aliàs* 10.*memb.*5. *art.*2. §.7. Palud. *in* 4. *dist.*13.*quæst.*2.*art.*1.*conclus.*2. Sotus *quæst.*2. ver. *Secundò.* D. Antonin. 3.*part. tit.*13. *cap.*6.§ 5. Syluest. *verbo* Missa, *quæst.*2. ver. *Secundum.* Henriquez *lib.*9.*cap.*30.*n.*1. Azor. *part.*1.*lib.*10.*cap.*29. *quæst.*1. Nauar. *de orat.cap.*22.*num.*86. ver. *Non obstant.* Layman. *lib.*5. *Theol. moral. tractat.*5. *cap.*6. *num.*13. Suarez *disp.*82.*de Euchar.sect.*1.*dicto* 2. Filliuc. *tract.*5. *num.*190. Faeundez *præcept.*1.*Eccles.lib.*3.*cap.*21.*n.*1. Vasquez 3.*part. quæst.*83. *in explicat. art.*5.*n.*42. Coninch *de sacram. quæst.*83.*art.*3.*dub.*3.*n.*264. Reginal. *lib.*29.*praxis fori pœnit.cap.*9.*sect.*3.*num.*163. Dicastil. *de sacram. tract.*5.*disp.*4.*dub.*12.*num.*232. Lugo Card. *disp.*20.*de Euchar.sect.*4.*n.*103. Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacrament. cap.*13.*quæst.*1.*num.*3. Graff. *part.*1.*decis. lib.*2.*cap.*42.*n.*3. Palaus *part.*4. *oper. moral. tract.*22. *disp.vn.punct.*10.*n.*11. Præposit. 3.*part.quæst.*83.*art.*3. *dub.*7.*init.* Garzia *in sum. tract.*3. *difficul.*8. *dub.*5.*n.*3. Auersa *quæst.*11.*de Eucharist.sect.*9. ver. *Secundò: Est.* Tanner. *tom.*4.*disp.*5.*quæst.*10. *dub.*6.*n.*85. Trullench *lib.*3.*de sacram.cap.*8.*dub.*22.*n.*1. Leander *de sacram. tract.*8. *disp.*2.*quæst.*51. Tamburio. *Opusc. de sacrif. Miss.lib.*1. *cap.*7.§.5.*num.*1. Pax Iordan. *tom.*1. *Lucubrat.lib.*4.*tit.*1.*num.*325. Quartus *in Rubr. Missal. part.*2. *tit.*2. *dub.*1.

3 Hoc autem constat ex communi praxi Ecclesiæ vbique seruata quoad Missas priuatas, nam communiter seruatur, vt vnus tantum inseruiat, & licet aliqui, vt Episcopi, Abbates, Generales Regularium duos ministrantes adhibeaot, hoc tamen seruatur solum ob quandam maiorem maiestatem, non tamen de necessitate. Vnde quamois antiqua iura requirerent saltem duos, coosuetudo tamen iis derogauit; quæ consuetudo tanquam ratiooabilis admissa est ab Ecclesia, & approbata, vt constat non solum ex Rubrica *part.*2.*tit.*2. vbi mentionem facit solum de vnico ministro, sed etiam ex Cap. *Propofuit, de fil. Præsbyt.* Inde autem fit rationabilis coosuetudo, qoia pro ministerio Missæ ad seruandam integram decentiam sufficit vnicus ministrans, & aliàs his temporibus, in quibus plurimæ Missæ celebraotur, aut in villis, in quibus non est copia ministrorum, esset difficilè habere plures ministrantes.

4 Ad illud autem, quod obiicitur, quod non potest saluari pluralis loquutio, quando celebrans dicit, *Dominus vobiscum*, & *Orate fratres, &c.* nisi adsint saltem duo. Respondent aliqui, has formulas fuisse iotroductas, quando plures ministrabant, & modo retineri ob reuerentiam antiquitatis. Alij verò hæc verba referri ad totam Ecclesiam, vel etiam ad Angelos, qui sunt præsentes. Sed videtur accommodatior responsio, quod hæ plurales loquutiones non sint institutæ vt proferantur io ordine ad ministrantes, sed in ordine ad populum coofferentem, cum enim sacrificium offeratur tanqoam publicum in loco publico, vt populus interueniat, & coofferat, spectata hac ratione institutæ sunt istæ plurales loquutiones, quæ retinentur etiam quando adest vnicus, & solus minister, quia hoc est per accidens, & institutio tanquam lex non curat, quæ per accidens contingunt, sed quod regulariter fit.

QVÆSTIO 339.

An sit peccatum graue offerre sacrificium sine Ministro.

SVMMARIVM.

1. *An & quale peccatum sit offerre sacrificium sine Ministro*, & num. seq.
2. *Extrema-vnctio ministrari potest sine Ministro inseruiente.*
4. *Aliquis saltem Minister est necessarius in oblatione sacrificij.*

5. *Ritus, & norma Missalis in celebranda Missa graniter obligat.*
6. *Iura requirentia inseruientes in oblatione sacrificij non abrogata, sed derogata.*
Numerus pluralis concipit singularem.
7. *Consuetudo celebrandi absq; ministro an toleranda.*

1 PRima sententia asserit, non esse peccatum, quando non adest copia ministri, offerre sacrificium sine ipso. Ita Gloss. *in cap. Hoc quoque.* verbo *Ipse tertius, de consecrat. dist.* 1. Turrecrem. *ibid.* Nauarr. *cons.* 6. *n.* 1. *&* 2. *de corpore vitiat. lib.* 1. vbi docet, Sacerdos posse sine ministro celebrare. Zerola *part.* 2. *Praxis episc. copor. verbo* Missa. §. *Tertio, an sit necessarium.* Sà *in editione in prima. verbo* Missa. *n.* 18. Laym. *lib.* 5. *Theol. mor. tract.* 5. *c.* 6. *n.* 13. Posseu. *de offic. Curat. c.* 2. *n.* 9. Pellizzat. *tom.* 2. *Manual. tract.* 8. *c.* 2. *n.* 118. Plures sunt id tenentes, sed stante aliqua necessitate celebrandi.

2 Hæc sententia fundatur, quia iura, quæ requirebant ministros, requirebant plures, & modo abrogata sunt. Vnde cum non adsit aliud præceptum, deficiente ministro, poterit sine ipso celebrari. Confir. Apostolus Iacob. loquens de Extrema-vnctione dicit in Epistola sua cap. 5. *Inducat Præsbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes, &c.* & tamen hoc non obstante potest Sacerdos solus sine ministro vngere infirmum, vt declarauit Alexan. III. in cap. *Quæ sicut de verborum significat.* Ergo cum non sit minister magis necessarius, quam sit in ministratione Extremæ Vnctionis, poterit Sacerdos sine ministro celebrare. Confir. 2. Potest Sacerdos supplere totum id, quod facit ministrans: & illa aliqualis indecentia tanquam leuis excusatur ex defectu ministri: ergo, quando non habetur copia ministri, potest sine ipso celebrari.

3 Secunda sententia ponit obligationem sub mortali adhibendi ministrum. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 5. *ad* 17. Rodriguez *p.* 1. *sum. c.* 249. *conclus.* 1. Graff. *part.* 1. *decis.* .. *lib.* 2. *c.* 43. *n.* 3. Azot. *p.* 1. *lib.* 10. *c.* 29. *q.* 3. Henriquez *lib.* 9. *sum. c.* 30. *n.* 1. Vasquez *p.* 3. *q.* 83. *art.* 5. Suarez *disp.* 87. *de Euchar. sect.* 1. *in fine.* Regin. *cap.* 29. *Praxis fori pœnit. c.* 9. *sect.* 3. *n.* 164 *dub.* 2. Bartholom. ab Angelo. *Dial.* 5. *de Missa.* §. 408. Bonac. *disput.* 4. *de sacram. quæst. vlt. punct.* 9. *n.* 34. Fernand. *p.* 3. *Exam. Theol. mor. c.* 5. §. 4. *n.* 6. Auersa *q.* 11. *de Enchar. sect.* 9. ver. *Secundo. est quidem.* Palaus *p.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disp. vnic. punct.* 10. *n.* 11. Dicastil. *de sacram. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 12. *n.* 232. Tanner. *tom.* 4. *disput.* 5. *q.* 10. *dub.* 6. *n.* 85. Asserens se nullum vidisse, qui oppositum sentiat, in quo tamen ostendit, se legisse paruos Doctores, cum soleat à scribentibus referri contraria sententia. Trullench. *lib.* 3. *de sacram. c.* 8. *dub.* 22. *n.* 1. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. c.* 13. *q.* 3. 2. *n.* 9. Garzia *in sum. tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 5. *n.* 1. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 320. Tambur. *opusc. de sacrif. Miss. lib.* 1. *c.* 7. §. 5. *n.* 2. Ledesm. *p.* 1. *sum. c.* 22. *de Euchar. concl.* 1. *difficult.* 1. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *c.* 21. *n.* 4. Ludou. à S. Ioan. *part.* .. *sum. q.* 11. *de Euchar. art.* 25. *diffic.* 2. Leander. *de sacram. tract.* 8. *disp.* 2. *q.* 52. Quartus *in Rubric. Miss. p.* 2. *tit.* 2. *dub.* 2. *diffic.* 1. ver. *Secunda sententia.*

4 Dicendum est. *Seclusa necessitate esse peccatum mortale celebrare absque ministro.* Ratio est. Quia de iure communi requiretur ministerium coadiuuãtium Sacerdotem. Et consuetudo abrogans pluralitatem ministrorum requisitum à iure, non derogauit in totum iuri, sed semper retinuit vnicum ministrum: ergo cognita fuit obligatio ex iure adhibendi ministerium, & non fuit habitum pro rationabili abrogare in totum per consuetudinem, sicut fuit habitum tollere pluralitatem; ergo cum simus in materia graui, siquidem pertinet ad ritum principalem offerendi sacrificium, transgressionis, quatenus mansit in vigore, erit peccatum mortale.

Confir. In Bulla Pij V. præfixa in Breuiario præcipitur, quod Missa celebretur secundum ritum, & normam præscriptam in Missali, & hoc præceptum, est grauis sub peccato mortali, vt omnes admittunt, & constat ex tenore ipsius. Sub hoc autem præcepto comprehenditur & interuentus ministri, siquidem in Missali præscribitur, quid agere debeat minister respondendo & inseruiendo, & proinde pertinet ad ritum, cum quo Missa celebranda ex præscripto eiusdem Missalis, & proinde cadit sub præcepto eiusdem Bullæ. 5

Ad fundamentum in oppositum resp. Iura, quæ requirunt ministrum, nequaquam fuisse abrogata, sed solum derogata quoad pluralitatem ministrorum, quam requirebant, & ideò remanserunt in suo robore quoad exigentiam alicuius ministri, vt constat ex continua & vniuersali praxi. Ad confirm. Ex illo loco Apostoli non colligi, quod in ministranda Extrema-Vnctione sit necessarius minister, nam si ex eo, quod dicit, inducat Præsbyteros, inferretur necessaria pluralitas, esset pluralitas Præsbyterorum, atque adeò ministrantium, nam Præsbyteris, quos dicit Apostolus Iacobus introducendos, tribuit actum vngendi, & orandi, in quo consistit ministratio Extremæ-Vnctionis. Ponit ergo Iacobus Apostolus speciem pro indiuiduo, & numerum pluralem pro singulari; & sensus est, quod inducatur aliquis ex Præsbyteris. Quia numerus pluralis concipit singularem, *l. Id est sine liberis. ff. de verbor. significatione.* Vbi Alciat. & cum aliis Tiraquel. *in l. Si vnquam.* ver. *Susceperit liberos. num.* 241. *Cod. de reuocat. donat.* Bertazol. *consil.* 98. *num.* 32. Quod autem Pontifex declarauerit, quod possit solus Sacerdos sine ministro Extremam-Vnctionem ministrare, non facit ad rem, quia talis declaratio non est facta pro celebratione Missæ. Ad 2. confirm. Quamuis Sacerdos supplere possit functiones ministri, est tamen indecens, & contra ius, quod suppleat, quando non adest aliqua necessitas celebrandi, quæ iustificet actionem. 6

An autem toleranda sit consuetudo quorundam locorum Germaniæ, in quibus Sacerdos, præsertim in pagis celebrat sine ministro. Resp. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tractat.* 5. *cap.* 6. *num.* 13. Tanner. *tom.* 4. *disput.* 5. *quæst.* 10. *dub.* 6. *num.* 91. Sacerdotes sic celebrantes excusati, quia consuetudo introducta videtur abrogare legem. Addit tamen Layman, quod deberent Episcopi curare, quod tolleretur talis consuetudo, quæ quidem, si non sit ex necessitate, est potius abusus, quam consuetudo, cum sit contra decentem modum celebrandi. 7

QVÆSTIO 340.

An ex causa necessitatis liceat celebrare sine ministro.

SVMMARIVM.

1. *Ex dispensatione Pontificis celebrari potest sine ministro.*
2. *Ex causa necessitatis an celebrari possit sine ministro.* & num. seq.
5. *Ex quacunq; necessitate celebrari potest sine ministro.*
Casus necessitatis non est comprehensus sub lege.
6. *Mens legislatoris inspicienda, & quomodo quando occurrit necessitas.*
7. *Exigentia ministri cedit, quando aliàs est offerendum sacrificium.*
8. *Ob conficiendum viaticum celebrari potest sine ministro.*
9. *Pro implendo præcepto audiendi Missam celebrari potest absque ministro.*

10. *Obli*

10. *Obligatio celebrare potest celebrare sine ministro, si desit.*
11. *Missa continuanda, si recedat minister, &c.*
12. *Acquisitio stipendij, quando sit causa sufficiens ad celebrandum sine ministro.*
13. *Tempore pestilentiæ celebrari potest sine ministro.*

1 CAusa necessitatis non consideratur solum ex deficientia ministri, sed oportet etiam, quod interueniat aliqua necessitas, quæ exigat celebrationem. Certum est autem, quod non solum in casu necessitatis, sed etiam ex rationabili causa celebrari potest interueniente dispensatione summi Pontificis, sicut de facto dispensat cum Missionariis Apostolicis; cum enim necessitas ministri proueniat ex iure ecclesiastico, potest summus Pontifex in eo dispensare. Imò in aliquibus casibus, in quibus non permittitur recursus ad sedem Apostolicam, vel ob angustiam temporis, vel ex aliquo alio capite, poterit dispensare etiam Episcopus, quia tunc illi censetur delegata facultas ita exigente recto regimine, vt constat etiam in aliis similibus materiis. Solum difficultas est, an sine dispensatione possit celebrari.

2 Prima sententia absolutè asserit, nunquam posse celebrari sine ministro. Ita D.Antonin. 3.*part. tit.*14. *cap.*6.§ 5.*not.*3. Abbas *in Cap. Vt quisque, num.*1.*not.*4. *De vita, & honest. Cleric.* Tabiena *verbo* Missa, *num.*9. Vasquez 3.*part. quæst.*83.*art.*5.*n.*93. Barthol. ab Angelo *dialog.*5.*de Missa*, §.408. Fernandez *part.*3.*exam. Theol. moral. cap.*5.§.4.*n.*8. Gaspar. Hurtad. *de sacram. disput.*4.*de sacrif. Miss. difficul.*12. Bonac. *disput.*4. *de sacram. quæst. vlt. punct.*4. *num.*33.

3 Secunda sententia asserit, posse celebrari sine ministro, sed solum in casibus grauissimæ necessitatis. Ita Suarez *disp.*87.*de Eucharist. sect.*1.*in fine*. Reginal. *lib.*29. *fori pœnit. cap.*9. *sect.* 3. *num.* 164. Henriquez *lib.*9.*sum. cap.* 30. *num.*1. Præposit. 3. *part. quæst.*83. *art.*3. *dub.*7. *num.* 171. Squillante *de obligat. Clericor. part.*2.*num.*69. Syluius 3.*part. quæst.*83.*art.*5. ver. *Peccet vtrum.* Turrecrem. *in Cap. Hoc quoque, de consecr. distinct.* 1. Butr. *in cap.*2. *num.* 11. *de vita, & honest. Cleric.* Alens. *part.*4. *quæst.*37.*de offic. Miss.*§.4. Palud. *in* 4.*dist.*13. *quæst.*2.*art.*1. Facundez *præcept.*1. *Eccles. lib.* 3. *cap.*21. *num.*6. Ludouic. à S.Ioan. *in sum. quæst.* 11. *de Eucharist. art.*25.*dub.*1. *difficul.*2. *conclus.* 2. *iuncta Appendix.* Lublin. *in sum. verbo* Missa, *num.*4. Thom. Hurtad. *part.*1. *resol. moral. tract.*2. *cap.*1. *resol.*1. *n.*15.

4 Tertia sententia admittit, posse celebrari sine ministro ex causa cuiuscunque grauis necessitatis. Ita Sotus *in* 4. *dist.*13. *quæst.*2.*art.*5.*arg.*12. *in fine*. Azor. *part.* 1.*lib.*10.*cap.*29.*quæst.*3. Graf. *part.*1. *decis. lib.*2. *cap.*42.*n.* 3. Homobon. *part.*1. *Exam. Eccles. tract* 4. *cap.*15.*n.*1. Baunius *part.*1.*Theol. moral. tract.*10. *qu.*22. ver. *Contrariam sententiam.* Marchin. *de sacram. Ordin. tract.*3.*part.*3.*cap.*15.*n.*1. Villalob. *part.*1.*sum. tract.*8. *difficult.*34. *num.*2. Rodriguez *part.* 1. *sum. cap.*249. *conclus.*1. Garzia *part.*1.*sum. tract.*3. *difficul.*8. *dub.*5. *punct.*2.*num.* ... Nugnus 3 *part. quæst.*83.*art.*6. Auersa *quæst.*11.*de Euchar. sect.*9.ver. *Quod si.* Dicastil. *tract.*5. *de sacram. disp.*4.*dub.*12.*num.*234. Tanner. *tom.*4.*disp.*5. *quæst.*10.*dub.*6.*n.*90. Lessius *de sacram. quæst.*83. *art.*6. *dub.*10. *num.*67. Amicus *tom.*7. *Curs. Theol. disput.*33. *sect.*12. *num.*269. Serra. 3.*part. quæst.*83.*art.*3. ver. *An verò.* Trullench *lib.*3. *de sacram. cap.*8.*dub.*22.*num.*3. Lugo Card. *disp.*20.*de Eucharist. sect.*4.*n.*103. Filliue. *tract.*5. *num.* 194 Coninch *de sacram. quæst.*83. *art.*3. *dub.*4.*num.*265. Martin. *disp.*4. *de Euchar. sect.*3. *n.*36. Francisc. Lugo *lib.*5.*de sacram. cap.*13.*quæst.*2.*num.*10. Pitigian. *in* 4.*distinct.*13.*quæst.*7.*art.*5.*in fine*, Ledesma *part.*1.*sum. cap.*27.*de Euchar. conclus.*1.*difficul.*1. Ioan. à Cruce *part.*3. *direct. conscien. quæst.*3. *de sacrific. Miss. dub.*4.*concl.*2. Gauant. *in Rubr. Miss. part.*2.*tit.*2. *littera B.* Machad. *tom.*2.*lib.*4.*part.*2.*tract.*11. *decis.*5.*n.*3. Leander *de sacram. tract.*8. *disp.*7. *quæst.*14. Vericel. *de mission. Apost. tit.*4. *quæst.*98.*dub.*20.*num.*206. Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.*1.*cap.*2.§.5.*num.*4. Pax Iordan. *tom.*1. *Lucubrat. lib.*4. *titul.*1.*num.*324. Quartus *in Rubricas Missal. part.*2.*titul.*2.*dub.*1.*difficul.* 2.

Dicendum est. *Sacrificium offerri posse à Sacerdote absque ministro, stante quacumque graui necessitate celebrandi.* Ratio est, quia necessitas adhibendi ministrum prouenit tantum ex iure ecclesiastico, & materia non est admodum grauis, quia non respicit substantiam ritus offerendi sacrificium, sed tantum qualitatem, nempe decentiam. Potest enim offerens sacrificium ea omnia peragere, quæ facit minister: ergo contra ipsum præualebit necessitas offerendi sacrificium ex communi regula; quod casus necessitatis non censetur comprehensus sub lege: & facit licitum, quod aliàs de iure non est licitum. Cap. *Consuluisti, de celebrat. Missar.* & Cap. *fin. de custod. Eucharist.* & Cap. *Licet, de fer.* & Cap. *Quod non est licitum, de regul. iur.* 5

Confir. In concursu necessitatis cum præcepto, seu lege recurrendum est ad mentem legislatoris, vt videatur, an se extendat ad casum, quasi non se extendit mens, nec etiam se extendet lex. Licet autem necessitas non sit grauissima, sed etiam ordinaria, non est verisimile, quod mens legislatoris se extendat ad casum illum necessitatis. Nam mens legislatoris præsumitur in condenda lege respicere ad bonum publicum tanquam finem; atque adeò regulari secundum mensuram ipsius, & consequenter non extendere legem ad casus, in quibus non obtinetur per ipsam publicum bonum, alioquin non esset secundum mensuram boni publici. Quando autem occurrit necessitas aliqua considerabilis, si in eo casu seruaretur lex, non obtineretur per ipsam bonum publicum, quia ex obseruantia consurgeret notabile incommodum; & sicut necessitas exigit non obseruari legem, ita etiam bonum publicum, quia non permittit, quod loco vtilitatis inducatur per legem notabile incommodum. 6

Confirm. 2. Necessitas exigit oblationem sacrificij, & consequenter in tali casu est debita oblatio sacrificij, & hæc exigentia fundatur in natura rei, aut in institutione Christi. Sacrificium autem non exigit ex natura rei, neque ex institutione Christi ministrum inseruientem, sed tantum ex institutione Ecclesiastica: ergo offerri debet sacrificium, etiamsi non adest minister, qui inseruiat. Consequent. prob. Tum quia sacrificium est debitum secundum suam substantiam, & exigentia ex natura rei trahit ipsum ad executionem; & ideò debet venire, etiamsi ipsum non possit, trahere assistentiam ministri; quia hæc necessitas est prior, & ideò non dependet ab exigentia præteriti. Tum quia exigentia fundata in iure ecclesiastico, tanquam inferioris ordinis, debet cedere alteri exigentiæ; præsertim, quia Ecclesia non ita illum induxit, vt prohibeat, offerri sacrificium, quando non potest offerri cum ministrante; sed relinquit omnia suæ naturæ. 7

Ex dictis sequitur, quod stante necessitate conficiendi viaticum, celebrari potest sine ministro, quod non solum admittunt Doctores allati pro tertia sententia, sed etiam allati pro secunda. Nam ministratio viatici reperitur inter grauissimas necessitates. Et in specie notant Villalob. *part.*1. *sum. tract.*8. *difficul.*34.*n.*2. Pitigian. *in* 4.*dist.*17. *quæst.*2.*art.*5. *in fine*. Squillan. *de obligat. Cleric. part.*2.*dub.*23.*n.*69. Lessius *de sacram. quæst.*83.*art.*3.*dub.*10.*n.*67. Trullench *lib.*3. *de sacram. cap.*8. *dub.*23. *num.*3. Amicus *tom.*7. *Curs.* 8

Digitized by Google

*Theol.disp.*33.*sect.*12.*n.*369. Serra.3.*part.qu.*83. *art.*5. ver. *An verò.* Auersa *quæst.*11.*de Eucharist.sect.*9. ver. *Si verò nullus.* Dicastil.*de sacram.tract.*5.*disp.*4.*dub.*12. *num.*234. Ioan.à Cruce *part.*3. *Direct. qu.*3. *de Miss. dub.*5.*conclus.*2. Machad. *tom.*2. *lib.*4.*part.*1. *tract.*11. *docum.*9.*num.*2. Thomas Hurtad.*part.*1.*resol. moral. tract.*2.*cap.*1. *resol.*1.*n.*22. Leander *de sacram. tract.*8. *disp.*7.*quæst.*53. Tamburin.*Opus.de sacrif. Miss. lib.*1. *cap.*2 §.5.*n.*4. Pax Iordan. *tom.*1. *Lucubr. lib.*4. *tit.*1. *num.*324. Quartus *in Rubr. Missal.part.*2.*tit.*2.*dub.*1. *difficul.*2. *corol.*1. Ratio est. Quia potentius est præceptum de viatico, quàm præceptum de adhibendo ministrum; nam illud ex parte sumpturi est diuinum; ex parte verò ministraturi, si illi incumbat ex officio, est diuinum naturale, quia tanquam Pastor tenetur de iure naturali, & tanquam Christi Minister. Si verò non incumbit ex officio, adest præceptum charitatis, quod est superioris ordinis. Accedit etiam, quod maiorem vtilitatem amittit carens viatico, quàm percipiat decoris sacrificium esse ministratione inseruientis. Vnde non est æquum, quod huiusmodi decus compensetur cum omissione tantæ vtilitatis.

9 Sequitur 2. contra Doctores citatos pro prima sententia, & etiam pro secunda, Thom. Hurtad.*part.*1. *resol.moral. tract.*2.*cap.*1.*resol.*1. *n.*15. Posse Sacerdotem celebrare absque ministro vt ipse, aut etiam alij in die festo impleant præceptum de audienda Missa. Quod vtplurimum admittunt Doctores pro tertia sententia citati, præsertim, Sotus, Azor, Villalob. Squillantes, Homobon. Graf. Marchin. Gauant.*par.*2. *tit.*2.*littera B.* Dicastil.*tract.*5.*de sacram.disp.*4.*dub.*12. *n.*244. Tamburin.*Opus.de sacrif. Miss. lib.*1.*cap.*2.§.5. *n.*4. Auersa *quæst.*11.*de Eucharist.sect.*9. ver. *Secundò.* Quartus *in Rubr. Missal.part.*2. *tit.*2. *dub.*1. *difficul.*2. ver. *Colligitur secundo.* Ratio est; quia præceptum audiendi Missam est maius, siquidem per ipsum Ecclesia determinat præceptum iuris diuini naturalis de colendo Deo per sacrificium. Et ideò tanquam habens assistentiam iuris diuini, & naturalis in concursu præcepti de ministro debet præualere. Præsertim, quia plus honoris accedit Deo ex oblatione sacrificij pro adimplendo præcepto, quia tunc tota Ecclesia concurrit ad deferendum Deo illum cultum tanquam præceptum, siquidem Sacerdos offert nomine Ecclesiæ pro adimplendo præcepto, quàm accedat ex circumstantia ministri in oblatione sacrificij.

10 Posset aliquis etiam ex his inferre. Quod, qui tenetur celebrare quotidie ratione capellaniæ, vel ex aliquo alio titulo ex iustitia, si contingat, quod deficiat minister, poterit sine ipso celebrare. Quod à fortiori tenere debent Auctores *num. præced.* citati, non maior sit obligatio iustitiæ, quàm obligatio audiendi Missam. Quia fortior est obligatio celebrandi, quam adhibendi ministrum: nam illa tanquam de iustitia fundatur in iure naturali, quod est potentius, quàm merum ius ecclesiasticum. Nec dici potest quod obligatio censeatur assumpta saluo iure Ecclesiæ, & ritu ab ipso præscripto. Nam censetur assumpta secundum sui naturam, atque adeò tanquam permansura in suo vigore, quantum ex natura sua potest permanere; vnde cum ex natura sua præualeat præcepto de adhibendo ministro censetur assumpta tanquam præualitura. Attamen ab opposita sententia non est recedendum.

11 Sequitur 3. vt notant plures ex citatis pro tertia sententia, præsertim Henriquez *lib.*9.*sum.cap.*30.*n.*5. Quartus *in Rubr. Missal.part.*2. *tit.*2. *dub.*1. *difficul.*2. ver. *Colligitur tertiò.* Posse imò deberi continuari Missam, si ea incœpta minister recedat, & non amplius reuertatur, non solum post consecrationem, aut canonem incœptum, sed etiam ab initio. Nam præceptum de continuanda Missa licet ecclesiasticum; strictiori modo obligat ex intentione Ecclesiæ, quàm præceptum de ministro. Siquidem præcepto de ministro nullam adiungit pœnam coadiuuantem pro obseruantia: præcepto verò de continuanda Missa adiungit pœnam suspensionis, vt constat ex Cap. *Nullus Episcopus, de consecrat. distinct.*1. Quod est signum, quod plus premit pro obseruantia huius præcepti.

Sequitur 4. Quod licet acquisitio stipendij non sit causa sufficiens, vt Sacerdos celebret sine ministro, quia præceptum Ecclesiæ debet præferri tali lucro, & decentia sacrificij vtilitati temporali; attamen potest aliquando esse causa sufficiens, vt si Sacerdos non habeat, vnde se sustentet, nisi recipiat stipendium Missæ. In hoc enim casu subintrat Ius naturale dans facultatem omni licito modo procurare sibi sustentationem, qua facultate Ecclesia non intendit priuare aliquem per sua præcepta: alioquin essent nimis dura, nec in hoc casu possent habere vim, quia essent contra charitatem, quæ tenetur vnumquemque amplecti, & ideò nec Deo placerent. 12

Sequitur 5. Tempore pestilentiæ ad vitandum periculum infectionis celebrari posse sine ministro. Nam in tali casu concurrit cum præcepto Ecclesiæ naturale consecrandæ propriæ vitæ, quod ipse præponderat. Poterit tamen, si adsit commoditas, adhiberi cum debitis cautellis, vt nimirum non accedat ad altare, sed à longè respondeat. Et poterit Sacerdos omnia necessaria supra altare reponere etiam ampullas, & quoad lotionem manuum prius vna manu infundere aquam super aliam, & deinde super istam, & sic abluere. 13

QVÆSTIO 341.

An Eremita celebrare poßit continuò sine Ministro.

SVMMARIVM.

1. *Vita Eremitica hodie eligi non potest.*
2. *Eremita an posset celebrare sine Ministro.*
3. *Consecratio vitæ Eremiticæ præualet ritui de Ministro inseruiente celebranti.*

MOuent nonnulli Doctores hanc quæstionem de illo Eremita qui toto tempore vitæ suæ degit in eremo, quæ tamen his temporibus non potest habere locum. Sed cum quisque teneatur seruare præcepta Ecclesiæ, & proinde diebus festiuis audire Missam, aut celebrare in locis vbi conceditur celebratio, suscipere sacramenta de manu sui Pastoris, & ipsum recognoscere; non potest quis eligere vitam omninò Eremiticam absque licentia suorum Superiorum. Si tamen alicui concederetur talis licentia, & esset Sacerdos, prouideretur etiam quomodo se deberet gerere in celebrando, & proinde cessaret difficultas. 1

Quidquid tamen sit. Gloss. *in Cap. Hoc quoque, de consecrat. dist.*1. Turrecrem. *ibid.* Palud. *in* 4.*dist.*13. *quæst.*1 *art.*1. Sotus *quæst.*2.*art.*5. Marchin.*de sacram. Ordin.tract.*3.*part.*3.*cap.*15.*num.*1. putant, quod posset celebrare absque Ministro, sed non afferunt aliquam rationem. Suarez autem *disp.*87. *de Eucharist. sect.*1. *circa fin.* Azor.*part.*1. *lib.*10. *cap.*29. *quæst.*3. Pax Iordan.*tom.*1.*Lucubr.lib.*4.*tit.*1.*num.*32 2. Tambur.*Opus. de sacrif. Miss. lib.*1. *cap.*1.§.5. *num.*6. putant, quod non potest celebrare sine ministro, quia non adesset necessitas, sed ex propria voluntate esset in illo statu, & proinde indigeret dispensatione. 2

Verum

5 Verum supposito, quod licitè elegisset talem statum, & non esset cum ipso dispensatum circa celebrationem, nec aliquid circa hoc dispositum. Videndum est, an præceptum Ecclesiæ prævaleat contra talem modum vivendi, itavt debeat potius ipsum relinquere, quàm celebrare absque Ministro: an potius cedat præceptum Ecclesiæ. Et quidem cum talis modus viuendi sit valdè excellens, & conducens ad Dei gloriam, non videtur verisimile, quod Ecclesia velit ipsum excludere propter seruandum ritum, quod Minister aliquis inseruiat offerenti sacrificium. Præsertim, quia cum Ecclesia intendat semper maiorem gloriam Dei, censenda est habere voluntatem interpretatiuam de omni eo, quod ad ipsum conducit, atque adeò quod velit suas leges cessare, quando impedirent id, ex quo maior Dei gloria resultat. Vnde in prædicto casu, si daretur, posset ex hoc capite celebrare sine Ministro, nam licet ille status esset voluntarius, esset tamen eligibilis, vt cedens in maiorem gloriam Dei, & præualeret præcepto Ecclesiæ de adhibendo Ministro in Missa.

QVÆSTIO 342.

An fœmina possit ministrare offerenti sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Fœmina non potest ministrare Sacerdoti offerenti.*
2. *Fœminis prohibetur ministerium circa altare.*
3. *Celebrans adhibens fœminas pro Ministro, qualiter peccet.*
4. *Diaconissarum cuius munus esset.*
5. *Mulieres qualiter celebranti respondere possint.*

1 Dicendum est, *Fœminam non posse ministrare Sacerdoti offerenti sacrificium.* Ita Doctores communiter Tabiena *verbo* Missa, *num.*9. & *verbo* Fœmina, *num.*3. Armilla *ibidem*, & *verbo* Missa, *num.*5. Syluester *verbo* Missa 1. *quæst.*2. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.*2. *art.*5. *ad* 12. Rodriguez *part.*2. *sum. cap.*249. *conclus.*1. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 29. Henriquez *lib.*9. *sum. cap.*26. *num.*3. Suarez *disp.* 84. *de Eucharist. sect.*1. ver. *Sed dubitari.* Vasquez 3. *part. quæst.*83. *art.*5. *n.*42. Facundez *præcept.*1. *Eccles. lib.*3. *cap.*21. *num.*2. Reginald. *lib.*29. *praxis fori præterit. cap.*9. *sect.* 3. *num.*163. Palud. *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.*2. *art.*1. *conclus.*1. Coninch *de sacram. quæst.* 83. *art.*5. *n.*284. Filliuc. *tract.*5. *cap.*6. *quæst.*12. Summa Pisanel. *verbo* Missa, *num.*1. Barthol. ab Angelo *dialog.*5. *de Missa*, §.409. Villalob. *part.*1. *sum. tract.*8. *difficul.*34. *n.*1. Layman. *lib.*5. *Theol. moral. tractat.*5. *cap.*6. *num.*13. Bonac. *disp.*4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.*9. *num.*33. Marchin. *de sacrament. Ordin. tract.*3. *part.*3. *cap.*15. *num.*4. Homobon. *part.*1. *exam. Eccles. tract.*4. *cap.*15. *quæst.*146. Pitigian. *in* 4. *dist.*13. *quæst.*2. *art.*5. Zanard. *part.*1. *Direct. cap.*15. *de sacrif. in fine.* Mossel. *part.*1. *sum. tract.*3. *cap.* 10. *num.*40 Fernandez *part.*3. *exam. Theol. moral. cap.*5. §.4. *n.*7. Syluius 3. *part. quæst.*83. *art.*5. ver. *Porrò.* Præposit. *artic.*3. *dub.*7. *num.*188. Garzia *in sum. tract.*3. *difficult.*8. *dub.*5. *n.*4. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 9. ver. *Si verò*, Faustus *lib.*2. *de Eucharist. quæst.*229. *in fine.* Dicastil. *de sacrament. tractat.*5. *disput.*4. *dub.*21. *num.*237. Palaus *part.*4. *oper. moral. tract.*22. *disp. vn. punct.*10. *num.*11. *in fine.* Martinon *disp.*40. *de Eucharist. num.*35. Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacrament. cap.*13. *quæst.*3. *num.*15. Leander *de sacrament. tractat.* 8. *disputat.*7. *quæst.*55. Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.*1. *cap.*2. §.5. *num.*1. Quartus *in Rubr. Missal. part.*1. *tit.*2. *dub.*1. *difficul.*3.

Hoc autem certum est in iure Canonico. Nam fœminis omninò prohibetur ministerium circa altare Et hoc tanquam grauem abusum prohibet Soter Papa relatus in Cap. *Sacratas, dist.*23. & Cap. *Inhibendum, de cohabit. cler. & mulier.* omninò prohibetur accessus ad altare mulieribus, ibi: *Prohibendum quoque est, vt nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut infrà cancellos stare, siue sedere.* Hoc autem in eo fundatur, quod mulier debet in Ecclesiis tacere, iuxta illud Apost. 1. ad Corinth. 14. *Mulieres in Ecclesijs taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit.* Tacere autem non solum importat silentium, sed etiam abstinentiam à quocunque exercitio, quod in Ecclesia importet speciem superioritas, quod indicant subsequentia verba, *Sed subditas esse*, hoc est, Ecclesiæ speciem & habitum subiectionis, quod non contingeret, si ministrarent ad altare, nam talis ministratio importat participationem in officio Ecclesiastico, atque adeò in superioritate, quam habent Ecclesiastici quoad Laicos. Et quamuis, si laicus ministret, non habeat re vera hanc superioritatem, cum non sit in ordine Clericali, dum tamen exercet officium Clerici, assumit speciem superioritatis, & ostendit se pertinere ad altare, dum ministrando ad ipsum accedit, quod adhuc dedecet fœminas, tanquam quid ipsis prohibitum. 2

Dubium remanet, qualiter peccaret adhibens fœminam ad ministrandum. Non peccare mortaliter putat Syluius 3. *part. quæst.*163. *art.*5. *in resp. ad* 12. fortè quia non videtur grauis ritus violatus. Attamen peccare mortaliter sentiunt Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.*3. *cap.*21. *n.*2. Marchin. *de sacram. Ordin. tract.*3. *part.*3. *cap.*15. *num.*3. Tambur. *Opusc. de sacrif. Miss. lib.*1. *cap.*7. §.5. *n.*2. Pax Iordan *tom.*1. *lucubr. lib.*4. *tit.*1. *n.*219. ver. *Vnde Syluius.* Ratio est; quia prohibitio ministrandi ad altare originem trahit ab institutione diuina, secundam quam, sicut fœminæ sunt incapaces ordinis, ita etiam ministerij circa altare, & proinde prohibitio est de re graui, & tanquam talem cognoscit Soter Papa *in Epistola ad Episcop. Italiæ*, relatus in Cap. *Sacratas, dist.*23. dum inquit de delatione incensi circa altare, & contactu sacrorum vasorum: *Quæ omnia reprehensione plena esse, & vituperatione nulli rectè sapientum dubium est*; proinde violatio continet peccatum mortale. Ex quo fit, quod etiam mulier ministrans peccat mortaliter, quia præsumit sibi vsurpare ministerium, quod sibi non conuenit, imò cuius non est capax. 3

Dices. Antiquitus Diaconistæ ministrabant. Resp. Ministrasse, sed non altari, ad quod nunquam accedebant, sed eorum ministerium consistebat in custodiendo vestibulo, per quod ingrediebantur mulieres, vt desumitur ex D. Ignat. *Epistola ad Antiochen.* Instituebant Catechumenos, Mandata Episcoporum deferebant, vt notant Albaspina *de veteribus Christianor. ritibus, lib.*1. *cap.*24. Visitabant mulieres, & alia munera obibant, quæ non erat congruum obiri à viris, vt desumitur D. Clem. *lib.* 3. *Constit. cap.*15. Epiphan. *hæresi* 79. 4

Ex dictis colligitur. Mulieres, quales sunt Moniales, posse de longè respondere, vt de choro, non autem vt adstantes altari, vt notant communiter Henriquez *lib.*9. *summ. cap.*30. *num.*1. Vasquez 3. *part. quæst.*83. *art.*5. *num.*43. *in fine.* Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.*3. *cap.*21. *num.*2. Filliuc. *tract.* 5. *cap.*6. *quæst.*12. Bonac. *disp.*4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.*9. *num.*33. ver. *Addo.* Villalob. *part.*1. *sum. tract.*8. *difficul.*34. *num.*1. *in fine.* Præposit. 3. *part. quæst.*83. *art.*5. *dub.*7. *num.*178. Syluius *eod. art.* ver. *Porrò Minister.* 5

Marchin.

Marchin. *de sacram.Ordin.tract.3.part.3. cap.15. n.4.* Garzia *in sum. tract.3. difficul.8. dub.5 num.4.* Faustus *lib.3. de Encharist. quæst.228.* ver. *Nec obstat.* Palaus *part.4. oper. moral. tract.22. disp.vnic.punct.10.num.1. in fine.* Tamburin. *Opusc. de sacrif. Miss. lib.1. cap.7. §.5.n.3.* Dicastil. *de sacram. tract.5. disp.44. dub.12. num.233.* Thomas Hurtad. *lib.1. resol. moral. tract.2. cap.1. resol.2.n.20.* Leander *de sacram. tract.8.disp.7. quæst.56.*ver. *Sed ego.* Quartus *in Rubr. Missal.part.2. tit.2. dub.1. difficul.3. corol.1.* Ratio est. Quia non interuenit propriè ministerium circa altare, sed se habent in respondendo tanquam populus assistens. Cum enim celebrans plusies alloquatur populum, vt cum dicit, *Dominus vobiscum: Orate fratres*, &c. non est inconueniens, quod populus respondeat: imò ex natura rei debet respondere, quod si semel potest respondere, respondere etiam poterit, quando aliàs Sacerdos indiget responsione, dummodo non id faciat tanquam Minister assistens altari.

QVÆSTIO 343.

An in casu necessitatis possit fœmina ministrare offerenti sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *An in casu necessitatis possit fœmina ministrare celebranti.*
2. *Potius sine Ministro celebrandum, quàm adhibenda fœmina.*
3. *Præceptum de Ministro cedit precepto, quod fœmina non ministret.*
4. *Quid faciendum celebranti, si non adsit Minister, qui sciat respondere.*
5. *Si adsit qui ministret, sed nesciat respondere an fœmina respondere possit.*

1 SVpponitur, quod adsit necessitas celebrandi; & quod non sit alius, qui inseruiat; nisi fœmina, & proinde dubitatur, an possit inseruire, an verò potius sine ministro celebrandum sit. Prima sententia asserit, quod possit ministrare stante necessitate. Ita Nugn. *3.part.quæst.163.art.6.part.2. dub.2.* Thomas Hurtad. *part.1. resol. moral. tract.2.cap.1. resol.2.* asserens ita sentire etiam alios Recentiores. Fundamentum est; quia si fœmina ministret, non est necesse, quod tangat altare, sacras vestes, aut palus, nec quod incensum deferat, quæ sola prohibentur in iure. Secundò, Quia, quod fœmina ministret, non habet locum in casu necessitatis: neque tunc mulier præsumeret, sed ministraret ex causa legitima mandante Sacerdote; & ideò non haberent locum canones prohibentes. Hnc ipsum etiam sentiunt, qui volunt, non esse peccatum mortale, quod fœmina ministret, etiam extra casum necessitatis, vt Syluius *3.part. quæst.83. art.5. in resp. ad* 12. Nam necessitas esset sufficiens ad excludendum peccatum veniale.

2 Secunda, & communis sententia asserit, esse potius celebrandum sine ministro, quàm quod fœmina ministret. Ita Layman *lib.5. Theol. moral. tractat.5. cap.9.num.13.* Facundez *præcept.1. Eccles.lib.3.cap.21. num.2.* Coninch *de sacram.quæst.83.artic.5. num.284.* Sotus *in 4. dist.13. quæst.2. art.5. ad 13.* Pitigian. *ibid. art. in fine.* Vasquez *3. part. quæst.83. art.5. num. 43.* Præposit. *art.5. dub. 7. num. 178.* Reginaldus *lib.29. Praxis fori pœnit. cap.9. sect. 3. num. 164.* Henriquez *lib.9. sum.cap.30. num.1.* Azor. *part.1. lib.10. cap.29. quæst.2. in fine.* Rodriguez *part.1. sum.cap.249.concl.1. in fine.* Suarez *disput.87.de Eucharist.sect.1.in fine.* Fillucius *tractat.5.cap.6.quæst.12.* Bonacina *disput.4. de sacrament.quæst.vltim.punct.9.num.33.*ver. *Addo.* Marchin. *de sacrament.ordin.tractat.3.part.cap.15. num.4.* Homobon. *part.1. Exam.Eccles.tract.5. cap.15. q.146.* Villalob. *part.1.sum.tract.8.difficult.34.num.2.* Ioan. à Cruce *part.2. Direct.conscien.quæst.3. de sacrific. Miss. dub.5.conclus.2.* Zanar. *part.1. Direct.cap.15.de sacrific. in fine.* Molfes. *part.1.sum.tract.3.cap.10.num.49.* Fernandez *part.3. Exam. Theolog.moral.cap.5.§.4.num.7.* Squillantes *part.2.de oblig.Clericor.num.70.* Garzia *in sum.tract.3.difficul.8.dub.5.n.2.* Lublinus *in sum.verbo Missa.num.3.* Palaus *part.4.oper.moral.tract.22.disput. vnic.punct....num.11.* Tanner. *tom.4.disput.5.quæst.10. dub.6.* Amicus *tom.7.Curs.Theol.disp.33.sect.12.n.369. in fine.* Trullench *lib.3.de sacram. c.8.dub.22.n.2.* Bassnius *part.1.Theol.moral.tract.10. quæst.22.* ver. *Oppositum.* Auersa *quæst.12.de Eucharist.sect.9.*ver. *Si verò.* Faustus *lib.2.de Eucharist.quæst.229.in fine.* Dicastil. *de sacram.tract.5. disp.4.dub.12.n.237.* Ludou. à S. Ioan. *in sum. quæst.11.de Eucharist. art.25. dub.1. difficul.3.* Lugo Card. *disp.20.de Euchar.sect.4.n.103.* Francisc. Lugo *lib.5.de sacram.cap.13.q.3.n.17.* Tambur. *Opusc. de sacrif. Miss.lib.1.cap.7.§.5.n.3.*ver. *Scio.* Leander *de sacram. tract.8 disp.7.quæst.56.* qui putat se media via procedere, dum dicit, posse admitti fœminam respondentem à longè, sed non accedentem ad Altare, aut Præsbyterium. Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat.lib.4.tit.2. num.318.* Quartus *in Rubr.Missal.part.2.tit.2. dub.1. difficul.3. corol.1.*

Dicendum. *Stante quacumque necessitate non posse fœminam ministrare Sacerdoti in oblatione sacrificij, sed potius debere Sacerdotem offerre sine Ministro.* Ratio est. Quia concurrunt duo præcepta alterum de adhibendo Ministro, & alterum, quod fœmina non ministret altari, & proinde debet anteponi præceptum, quod strictiùs obligat. Strictiùs autem obligat præceptum prohibens fœminam ministrare, quàm præceptum de Ministro, nam hoc respicit tantum quamdam decentiam, quia scilicet, licèt possit Sacerdos ea obire, quæ facit Minister; magis tamen decens est, quod fiat per Ministrum. Illud verò prohibet aliquid intrinsecè indecens; nam, cum fœmina sit incapax inseruiendi altari, est etiam incapax ordinis ex officio: & ideò quod inseruiat continet indecentiam ex natura rei. 3

Ex dictis colligitur, quod si celebraturus non habeat ministrum, qui sciat respondere; poterit ipse supplere sibi respondendo; sicut enim dum recitat solus horas canonicas supplet personam respondentis, ita nec erit inconueniens, quod suppleat, dum celebrat Missam. Et poterit adhibere aliquem, qui ministret vrceolos, & infundat manibus aquam, & alia munera inseruientis obeat. Non tamen poterit vti fœmina ad hæc munera obeunda, nam inseruiret altari. Et ita notant Filliuc. *tract.5. num.196.* Suarez *disp.87.de Euchar.sect.1.circa fin.* Lugo Card. *disp.20. de Eucharist.sect.4. n.103.* Auersa *quæst.11.de Euchar. sect.9.*ver. *Quod si contingat.* Quartus *in Rubr. Missal. part.2. tit.2. in fine.* Neque crederem, in hoc casu sequiri necessitatem, sed sufficere defectum melioris ministri, cum seruetur præceptum de ministro quoad substantiam. 4

Secundò colligitur. Quomodo admitti possit, quod tradunt Layman. *lib.5. Theolog. moral. tract.5. cap.6. num.13.* Lugo Card. *disp.20. de Euchar.sect.4. num.103.* Martinon. *disp.40.de Euchar.n.35.* Dicastil. *de sacram.tract.5.disp.4.dub.17.n.237.* nimirum, quod, si adsit qui inseruiat Sacerdoti, & nesciat respondere poterit fœmina respondere. Quod negat Vasquez *3. part. quæst 83. art.5. in commen. num.43.* nam poterit respondere de longè tanquam populus assistens Missæ, non autem tanquam assistens altari, quia hoc esset assumere partem Ministri. 5

QVÆSTIO

QVÆSTIO 344.

An in Missa solemni necessarij sint plures ministri.

SVMMARIVM.

1. *Qui ministri sufficiant pro Missa conuentuali.*
2. *Missa solemnis requirit pluralitatem ministrorum.*
3. *Missa solemnis aliquando celebranda ex institutione Christi.*
   Qualis sit ista obligatio.
4. *Aliud Missam celebrari cum cantu, & aliud esse solemnem.*

1 SVpponendum est. Missas quæ dicuntur conuentuales, & celebrantur respondente choro, & cantante introitum, & alia quæ solent cantari in Missa solemni, non esse necessariò celebrandas cum pluribus ministris inseruientibus altsri, sed sufficere vnum, qui cantet Epistolam, & in consuetis ministret sacerdoti. Et ita praxis obtinuit, præsertim vbi est penuria ministrorum. Neqoe in hoc est aliquod inconueniens vt per se patet, si quidem seruantur debiti ritus & solum omittitur solemnitas illa, quæ consurgit ex pluralitate ministrorum. Vnde sunt Missæ veluti intermediæ inter priuatas, & solemnes: difficultas ergo est quoad solemnes.

2 Dicendum est, *Missas solemnes requirere pluralitatem ministrorum.* Ita D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 5. *ad* 17. Sotus *in* 4. *distinct.* 13. *qu.* 2. *art.* 5. *ad* 12. Tabiena *verbo* Missa, *num.* 9. Angelus *numer.* 38. Armilla *num.* 5. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 30. *num.* 1. Ledesma 2. *part.* 4. *qu.* 24. *art.* 5. Suarez *disp.* 87 *de Eucharist. sect.* 1. *dict.* 2. Hoc constat ex praxi Eeclesiæ, nam in huiusmodi Missa adhibentur plures ministri. Imò ad hunc effectum consecrantur ab Ecclesia. Et proinde saltem quoad Diaconum originem ttaxit ab institurione Christi. Cum enim ordo saltem Diaconatus fuerit institutus à Christo. Et eius præcipuum munus sit assistere sacerdoti offerenti sacrificium eique ministrare, fit, quod modus iste celebrandi Missam, sit ex institutione Christi; & cùm importet specialem decorem, & maiestatem in offerendo sacrificio, qui solemnitas dicitur, fit, quod Missa solemnis ex institutione Christi requirat hunc ministrum, & saltem ex institutione Eeclesiæ etiam alios atque adeo pluralitatem.

3 Ex dictis sequitur. Quod ex institutione Christi sit aliquando celebranda Missa solemnis in Ecclesia. Cum enim Diaconus saltem sit ex ipsios institutione, vt dictum est, non debet institutio esse frustratoria, nec potest absoluè tolli exercitium huius ordinis quoad suum præcipuum munus, quod est ministrare sacerdoti offerenti sacrificium. Sicut enim ordo pertinet tanquam pars ad componendam Hierarchiam Ecclesiasticam, ita etiam exercitium ordinis spectat ad exercitium eiusdem Hierarchiæ, quæ proinde imperfecto modo exerceretur, si omitteretur exercitium huius ordinis. Non est tamen hæc obligatio determinata, sed solum in genere, itavt solum in Ecclesia aliquo modo impleri debeat. Determinatio autem relicta est Ecclesiæ. Et videtur speciali modo implenda in Ecclesia Cathedrali, quia cum ibi offerat sacrificium primus sacerdos, debet impleri ibidem solemnitas, tanquam ab eo, qui cum maiori splendore celebrare debet, & qui habet ministros sufficientes, & ad quem præcipuè spectat curare in propria Ecclesia cultum diuinum, & eiusdem splendorem.

4 Colligitur secundo. Aliud esse Missam cum cantu celebrari, & aliud Missam solemnem; si quidem cantus est extrinsecus Missæ, nec pertinet ad modum offerendi sacrificium. Solemnitas vero est intrinseca ritui, & consistit in illo splendore, qui insurgit ex pluralitate ministrorum. Vnde quando quis tenetur ad celebrandam Missam solemnem, non satisfacit si cantu celebret, nisi etiam celebret cum ministris consuetis; quia qualitas solemnitatis superaddita in obligatione, accipi debet in sua proprietate.

QVÆSTIO 345.

Quenam sit obligatio ministrantis offerenti sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Ministrantes celebranti sunt in duplici differentia.*
2. *Non ministrans ex officio quid scire debeat ne peccet.*
3. *Celebrans adhibens ministrum omnino ignarum peccat.*
4. *Quid scire debeat minister deputatus.*
   Quisq; debet esse habilis pro officio, ad quod eligitur.
5. *Ministrans celebranti an in ministerio peccare possit.*
6. *Diaconus, & Subdiaconus ministrantes quid teneantur aduertere.*
7. *Ministrantes an teneantur participare de sacrificio.*
8. *Ministrans celebranti nunquam tenetur communicare.*

QVi Sacerdoti offerenti sacrificium ministrant, sunt in duplici differentia. Quidam enim sunt meri ministrantes, qui exercent ministerium absque vlla depotatione; vt quando laicus inseruit celebranti. Quidam verò ministrant ex officio, vt sunt ij, qui ratione ordinis sunt specialiter consecrati ad munus ministrandi. Qoæ consecratio seu deputatio incipit à prima tonsura per quam consecratus adscribitur clericali ordini; atque adeo deputatur clericalibus officijs, quod vnum est, inseruire sacerdoti celebranti. 1

Quod spectat ad ministros primi generis, qui non sunt ex officio deputati, certum est, quod tenentur scire respondere, & cætera munia obire, quæ requirit ministerium, alioquin præsumptuosè, ac temerè susciperet munus. Hoc enim prouenit ex natura rei, quia quando aliquis suscipit aliquod munus exercendum, tenetur scire, quæ spectant ad ipsum adimpleodum, cum quisquis scire teneatur, quæ sunt proprij muneris. Et proinde eo ipso, quod suscipit tale munus, nesciens exercere, peccat, nisi saltem aliqualiter sciat exercere. An autem grauiter peccent, affirmatiuè respondendum est. Quia cum nesciat respondere, nec cætera munera obire, eodem modo se habet, ac si non mioistraret, quia eius existentia nullum sortitur effectum ministerij, *l.* 11. §. *nihil, ff. de interrogat. act.* & *l. ex consensu,* §. 1. *ff. de appellat.* Vnde est in causa, quod sacerdos celebret sine ministro, quia non obtinet effectum ministerij; si tamen aliqualiter sciret ministrare, peccaret tantum venialiter, quia errores, quos posset committere, essent tantum leues. 2

Vnde sequitur, quod sacerdos quoque peccet mortaliter, si adhibeat ministros omnino ignaros ministerii sciens esse tales. Nam cum certus sit non exhibituros debitum ministerium, fraudem facit legi, quia vult vti ministro, vt videatur legē obseruare, quamuis sciat, quod vacua erit intentio legis, nam idem erit, ac si non vteretur, quia non obtinebit effectū ministerij. 3

4 Qnod verò spectat ad ministros deputatos, qui consecrantur per aliquem ordinem ad officium ministrandi, tenentur scire quæ pertinent ad munus, qnod suscipiunt, quia vnusquisque debet esse habilis ad officium ad quod eligitur, vt notant Bart. *in l. impuberem, ff. ad leg. Cornel. de fal.* Bald. *ibid.* & desumitur ex *l. si pater tuus, C. quam pronoc. non est necess.* vbi Mathesilan. & ex *l. excusantur* 2. *inir. ff. de excusat. tut.* & cap. *Si eo tempore, de rescript. in 6.* Imò debet esse babilis eo tempore, quo assumitur ad officium, vt notant ijdem Doctores, & probant tex. allati. Qui autem nescit, quæ sunt alicuius muneris, non est habilis ad ipsum exercendum, quia nec exercere potest; vnde peccarent mortaliter, & qui susciperent ordinem, per quem muneri inseruiendi altari consecraretur, & qui talem ad ordinem promoueret.

5 An autem ministrans in suo ministerio eu, quod non rectè peragat peccare possit. Respondent Suarez *disput.* 87. *de Eucharist. sect.* 1. *in fine*, Filliucius *tract.* 5. *num.* 140. Ledesma *part.* 1. *sum. tract. de Eucharist. cap.* 26. *conclus.* 2. Bonacin. *disp.* 4. *de sacrament. quest. vlt. punct.* 9. *num.* 36. Dicastil. *de sacram. tract.* 5. *disput.* 4. *dub.* 17. *num.* 244. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 13. *quest.* 2. *num.* 7. Regulariter excusati à mortali, vel ob inaduertentiam, vel ob ignorantiam, vel ob leuitatem materiæ. Solum posse peccare grauiter, si voluntariè sit causa, quod committatur grauis error, vt si loco vini ministraret aqnam, aut econtra. Vt tamen locum habere possit hoc peccatum, necesse est, quod sciat, quanti intersit, hunc errorem committi, quia, si apprehenderet, vt quid leue, leuiter tantum peccaret.

6 In Diacono tameu, & subdiacono res aliter se habet; quia cum ipsi ex officio infundant vinum calici, & aquam, tenentur aduertere, ne contingat aliquis error, & ideo non excusabuntur ignorantia, quia ex officio tenentur scire, nec ex inaduertentia, si sit culpabilis. Et proinde error ex ignorantia, ant inaduertentia culpabili érit mortalis non secus, ac si sacerdos ipse erraret.

7 Dubitari etiam potest. An ministrantes teneantur communicando participare de sacrificio. Et quidem extat decretum Anacleti Papæ relatum in cap. *Peracta, de consecrat. dist.* 2. vbi provt refertur à Gratiano videtur obligare ad communicandum omnes adstantes sacrificio. Sed re vera, vt obseruat Bellarmin. *lib.* 2. *de Missa cap.* 10. *ad* 8. obligat solum ministrantes Episcopo, quando solemniter celebrat, vt constat ex ipsius Anacleti Epistola, licet ex text. dicto non possit constare, cum decretum mutilatum referatur. Verum neque hoc die est in vsu præsertim, quia plures ex ministrantibus solent esse sacerdotes, qui ijsdem diebus offerunt sacrificium.

8 Vnde nec à fortiori ministrantes in Missis priuatis, aut alijs solemnibus tenentur communicare, quod satis constat ex praxi, & ita tradunt Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 30. *num.* 2. Bellarmin. *lib.* 2. *de Missa, cap.* 10. Suarez *disp.* 40. *de Eucharist. sect.* 2. Talis enim obligatio nullibi reperitur, nec venit ex natura rei, quia sacrificium exigit tantum consumi ab offerente. Et desumitur etiam ex Concil. Tridentin. *sess.* 22. *cap.* 6. & *can.* 8. vbi damnat dicentes, non esse licitas priuatas Missas, in quibus solus celebrans communicet, per quod tacitè approbat, quod cæteri non communicet, quod non fecisset, si etiam quoad ministrantes tantum adesset obligatio aliqua communicandi.

QVÆSTIO 346.

An ministri teneantur in suo Ordine ministrare.

SVMMARIVM.

1. *Ministri addicti seruitio Ecclesiæ tenentur in suo ordine ministrare.*
2. *Seclusa obligatione seruitij an ratione ordinis teneantur ministrare.*
3. *Aliquando ratione ordinis tenentur ministrare.*
4. *Concil. Trident. exigit, vt quisque ordinem suum exerceat.*
   Assumens ordinem obligat se Ecclesiæ in illo ordine.
5. *Episcopi tenentur exigere ab ordinatis exercitium ordinis.*
   Arbitrium non importat meram voluntatem, sed arbitrium boni viri.

CErtum est, quod tenentur ministrare, si sunt addicti seruitio alicuius Ecclesiæ; aut ratione beneficij, aut alio modo, quæ exigat ministerinm ordinis ipsorum, vt notant etiam Doctores infra citandi. 1 Quia dum consentiunt in seruitium Ecclesiæ assumendo beneficium, aut onus, tenentur ex officio id præstare. Rursus etiam certum debet esse, quod potest Episcopus exigere ab ipsis quod ministrent in proprio ordine, vel quando ipse celebrat, vel etiam in alijs Ecclesijs. Quia cum sint ab Ecclesia consecrati in ordine ad speciale munus, consentiendo in consecrationem, consenserunt etiam, in exercitium muneris annexi consecrationi, nam qui assumit officium, se obligat ad illius administrationem, & ad ea, quæ sunt ipsi annexa, & cum subditi sint Episcopo, potest ab ipsis exigere, quod exerceant munus pro quo consecrati sunt, vnde difficultas remaner, an hoc secluso teneantur exercere suos ordines.

Quod non teneantur exercere suos ordines, sentiunt Ledesma *part.* 1. *sum. tract. de Eucharist. cap.* 26. 2 *conclus.* 3. Suarez *disp.* 87. *de Eucharist. sect.* 2. ver. *De priori min.* Franciscus Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 12. *qu.* 1. *num.* 5. Quia nullum extat ius diuinum, aut ecclesiasticum illos obligans, & praxis ostendit, quod multi non exercent suos ordines nec ab omnibus superioribus id exigitur.

Verum hæc doctrina absolutè admitti non potest. 3 Primò, quia fieri potest, quod aliquando ex vi ordinis teneantur ipsum exercere. Ponamus enim, quod alicubi sit celebranda Missa solemnis, & quod ibi adsit tantum vnicus Diaconus: tunc ipse tenebitur ministrare. Ratio est; quia ex vi ordinationis factus est minister Ecclesiæ, & proinde habet ipsi suum ministerium obligatum: & consequenter tenetur exhibere quoties ab ipsa exigitur. In prædicto autem casu exigitur loquente necessitate, & interpellante debitum officij. Vnde in re graui non impleret propriam obligationem, & ideo grauiter peccaret.

Rursus Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 11. *de reformat.* 4 exigit ab ordinatis in aliquo minore ordine, quod se in illo exerceant iuxta præscriptum Episcopi, ibi. *At in vnoquoque munere iuxta præscriptum Episcopi se in illo exerceant.* Et de Diaconis, & Subdiaconis *cap.* 13. *eiusdem sess. vlt.* quod per annum saltem exerceant ordinem susceptum antequam ad altiorem promoueantur, ibi. *Si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.* Vbi est aduertendum, quod dum dicit, *Nisi aliud Episcopo*

Episcopo videatur, temittit eius arbitrio dispensationem quoad interstitia, ae autem quod non exerceant ordinem susceptum. Et bae autem dispositione Concilij resultat granis obligatio esercendi ordines susceptos. Quia, vt dictum est,eo ipso quod quis suscipit ordinem, obligat Ecclesiæ suum ministerium in illo ordine, & proinde Ecclesia acquirit ius ad ipsum exigendum tanquam sibi debitum. Dispositio autem Concilij Trideor. exigit hoc debitum. & ideo, eum materia sit grauis, nam agitur de implendo proprio munere in ministerio Ecclesiæ, facier consurgere obligationem grauem. Et ideo, nisi consuetudo legitimè introducta, abtogauerit dispositionem Concilij, non potest effugi grauis obligatio.

5 Ea dictis colligitur. Teneri Episcopos exigere ab ordinatis eaercitium ordinis suscepri, quia dispositio dirigitur ad Episcopos, dum dicitur non permittantur. Ad Episcopos enim spectat non permittere tanquam ad eos, ad quos spectat admittere ad altiorem ordinem. Et quamuis Clausula *Nisi aliud Episcopo videatur*, teferetur etiam ad administrationem in ordine suscepto; attamen, quia appellat arbitrium eiusdem Episcopi, noo poterit relaxare eaercitium ordiois, nisi concurrente iusta & rationabili eausa. Quia arbitrium nou importat meram voluntatem, sed arbitrium boni viri tatione regularum, vt notant communiter Doctores Batt. *in extrau. ad reprimendum*, ver. *Videbitur*, *num*. 4. Imola *in repet. habens expeditam num*. 34. quæ est post Clemen. *sapè de verbor. significat*. Ias *in l. si sic legatum num. 7. ff. de leg*. 1. alios refetens Atet. §. 5. *in bona fidei*, ver. *Quarto vero, iudicium*, Instit. *de act*. Natta *Clemen. sapè*, §. 2. *Non sic tamen, de verbor. significat*. Felin. *in cap. 1. num. 51. de constit*.

QVÆSTIO 347.

An peccent mortaliter ministri inseruientes in peccato mortali.

SVMMARIVM.

1. *Clericus existens in mortali & tangens res sacras, non peccat mortaliter.*
2. *Tactus rerum sacrarum, vt naturalis, nec bonus, nec malus; vt moralis iudicandus ex motiuo.*
3. *Exercens actum ordinis, sed non vt consecratus in mortali non peccat mortaliter.*
4. *Exercens actum sui ordinis in mortali, an peccet,* & num. seq.
6. *Exercens minores ordines in mortali non peccat mortaliter.*
7. *Cur aliqui actus requirant sanctitatem in exercente.*
8. *Subdiaconus ministrans in mortali non peccat mortaliter, nec etiam Diaconus.*
9. *Quæ actiones exigant in ministro sanctitatem.*
10. *Sanctitas, quæ confertur per ordinem non ordinatur ad actus ordinis.*
11. *Gratia sacramentalis, in quo consistat, & eius finis.*
12. *Minister, cuius peccatum est publicum, peccat, si ministret.*
13. *Frequenter exercere actus ordinum in mortali, an sit mortale.*
14. *Exercere actus ordinum Minorum, & Subdiaconatus in mortali, an sit peccatum veniale.*

1 SVpponendum est contra Angelum *verbo*, Clericus 8. *num*. 1. Syluestrum *verbo*, Clericus 2. *numer*. 2. Clericum tangentem res sacras vt corporale, Calicem, &c. dum existit in peccato mortali, non peccare mortaliter, vt docent Caietan. *tom. 2. opusc. tract*. 10. *quæst. vn. in fine*, & 2. 2. *quæst*. 60. *art*. 2. § *ad dubium autem*, Sotus *in 4. distinct*. 1. *quæst*. 5. *art*. 6. ver. *Sed roges*, & §. *Ex his*, Suarez 3. *part. tom*. 3. *disput*. 16. *sect*. 3. Sayr. *lib*. 2. *de sacrament. cap*. 7. *quæst*. 2. *art*. 1. Bonacin. *disput*. 1. *de sacrament. quæst*. 3. *punct*. 2. §. 1. *numer*. 6. Franciscus Lugo *lib*. 1. *de sacram. cap*. 2. *quæst*. 6. *num*. 49. Coninch 3. *part. quæst*. 64. *num*. 39. & communiter; Nam contactus nun est aliquis actus ordinis, nec actus sacer, sed actus naturalis, quamuis sit circa materiam sactam; vnde non plus exigit reuerentiæ quam exigat in visu. Actus autem, qui non est sacer, non exigit in operante aliquam sanctitatem, vt proinde peccatum sit, sine ea ipsum exercere.

Imo si consideretur tanquam actus merè naturalis, eum non sit in ordine morali, sicut non est capax honestatis, ita nec etiam turpitudinis: & proinde non solum non erit peccatum mortale, sed nec etiam veniale. Quia hæ sunt differentiæ tantum actus moralis. Si verò consideretur, & sit actus moralis, tunc de ipso iudicandum est ex obiecto, seu motiuo, quod si honestum erit, actus quoque erit honestus, & si peccaminosum, actus quoque erit huiusmodi. Potest enim existens in peccato mortali exercere actus bonos, & honestos. Nec obstat D. Thom. *in 4. dist. 24. qu. 1. art. 3. quæstiun. 5. ad* 4. dicens, quod tangere res sacras sit peccatum mortale, quia per res sacras intelligit sacramenta, vt colligitur ex contextu, & explicat 3. *part. qu*. 64. *art*. 6. 2

Secundò supponendum est. Laicum exercentem ministerium alicuius ordinis, aut clericum simplicem cantantem Epistolam sine manipulo in peccato mortali non peccare mortaliter, vt communiter notant Doctores Sotus *in 4. distinct. 1. qu. 5. art. 6. conclus*. 2. §. *Quocirca*, Armilla *verbo*, Clericus *num*. 17. Syluester *verbo*, Clericus 2. *num. 2. in fine*, Nauarr. *cap. 25. manual. num. 72. in fine*, Henriquez *lib. 10. sum. cap. 13. nu*. 4. Corduba *in quæst. lib. 5. qu. 50. punct*. 1. ver. *In hoc etiam*. Nam tunc exercetur talis actus veluti materiali modo, & non tanquam actus ordinis; & ideò eum non sit specialiter pro ipso consecratus, nec sit actus ordinis, sed similis actui ordinis, non exigit in ministro sanctitatem. Vnde remanet difficultas de ministris exercentibus in peccato mortali actus sui ordinis. 3

Prima sententia asserit peccare mortaliter citatur D. Thom. *in 4. dist. 24. qu. 1. art. 3. qu. 5. & ad* 4. Palud. *qu. 1. art. 3. ad* 8. & *dist. 5. qu. 2. art. 2. conclus. 3. ad* 1. Richard. *dist. 24. art 9. qu*. 1. Adrian. *qu. 7. de Euchar*. D. Antonin. 3. *part. tit. 14. cap. 16. §*. 14. Tabiena *verbo*, Correctio *num. 5. conclus*. 7. & *verbo*, Clericus *num*. 17. Syluester *verbo*, Clericus 2. *num. 2. in fine*, Armilla *num*. 17. Caiet. 2. 2. *qu. 60. art. 2. ad 2. obiect*. Nauarr. *cap. 25. manual. num*. 72. ver. *Decimo peccat*, Rodriquez *part. 1. sum. cap. 249. conclus*. 26. Corduba *in quæst. lib. 1. qu. 10. punct. 1. §. In hoc etiam*, Sà *verbo*, Ordo *num*. 31. Sayr. *lib. 2. de sacrament. cap. 7. qu. 2. art. 1. & 5*. Victoria *in sum. de sacrament. num*. 29. Crabrera *de sacrament. qu. 64. art. 6. disput. 1. num*. 48. Syluius *ibid. quæsito 2. conclus*. 5. Nugn. *difficult. 2. conclus*. 3. Et in specie quoad exercentes ordines minores loquens de Acolyto Faber *in 4. distinct. 24. quæst. 1. disputat. 1. capit. 3. numer*. 80. Fundamentum huius sententiæ est; quia est peccatum mortale, & sacrilegium indignè exequi officium sacrum. Qui autem in peccato mortali exercet actum sui ordinis indignè exequitur officium sactum. 4

Secunda sententia docet, non esse peccatum mor- 5

tale. Ita Durand. *in 4. diſtinct. 24. quæſt. 2. num. 12.* Sotus *diſt. 1. quæſt. 5. art. 6. §. Quocirca,* & *diſt. 24. quæſt. 1. art. 4. concluſ. 7. ad 2.* Henriquez *lib. 10. ſum. cap. 13. num. 3.* Angles *in floribus quæſt. 5. de ſacram. art. 5. concluſ. 3.* Ledeſma *1. part. 4. quæſt. 5. art. 6.* & *2. part. 4. qu. 38. art. 5.* Vaſquez *3. part. diſp. 237. cap. 2. num. 18.* Valent. *tom. 4. diſp. 9. quæſt. 1. punct. 4. ad 4.* Reginald. *lib. 30. praxis fori pœnit. tract. 1. cap. 7. num. 34.* ver. *Cæterum,* Bonac. *diſp. 1. de ſacram. qu. 3 punct. 2. §. 1. num. 4.* Villalob. *part. 1. ſum. tract. 4. difficult. 14. num. 7.* Fernandez de Heredia *de ſacrament. in genere part. 10. dub. 3. num. 4.* Coninch *de ſacram. quæſt. 64. art. 6. dub. 1. num. 38.* Poſſeuin. *de offic. curatis cap. 5. num. 61.* Trulianch. *lib. 1. de ſacram. cap. 3. dub. 3 num. 6.* Aerſa *de ſacrament. qu. 64. ſect. 4.* ver. *Sed in vniue ſum,* Dicaſtil. *de ſacram. tract. 5. diſp. 4. dub. 12. num. 244.* Franciſcus Lugo *lib. 1. de ſacrament. cap. 2. quæſt. 6. num. 44.* Tamburin. *Opuſc. de ſacrif. Miſſ. lib. 1. cap. 7. §. 5. num. 6.* ver. *Alterum eſt,* Quartus *in Rubr. Miſſal. part. 2. tit. 6. dub. 1.* ver. *Tertia ſententia.* Et pro vna aut altera vice non autem frequenter Suarez *diſp. 16. de ſacrament. ſect. 3.* Filliuc. *tract. 1. cap. 6. num. 87.* Quia ſi frequenter miniſtrent io peccato mortali interuenit quidam virtualis contemptus.

6 Dicendum 1. *Conſtitutos in minoribus ordinibus non peccare mortaliter, ſi in peccato mortali exerceant actus ſuorum ordinum.* Ita ſpecialiter Sotus *in 4. diſtinct. 24. quæſt. 1. art. 4. concluſ. 7. in fine,* Nauarrus *in cap. ſacerdos num. 29. de pœnit. diſt. 6.* & *cap. 6. de orat. num. 41. in fine,* Henriquez *lib. 10. ſum. cap. 13.* Tolet. *lib. 1. cap. 91. num. 2.* Suarez *diſp. 16. de ſacram. ſect. 3.* ver. *Tertio quæri,* Reginald. *lib. 30. praxis fori pœnit. tract. 1. cap. 7. num. 37.* ver. *Cæterum hæc ſententia,* Crabura *3. part. qu. 64. art. 6. diſp. 1. §. num. 55.* Hoc ſolent deducere ex eo, quod minores ordines non ſint ſacramenta, ſed tantum ſacramentalia, quod tamen fundamentum eſt dubium, cum alij velint eſſe vera ſacramenta.

7 Ratio ergo deducenda eſt ex ipſo actu ordinis, qui de ſe non eſt actus continens, aut cauſans ſanctitatem; & ideo de ſe neque illam requirit in exercente ex officio, ſed ſolum requirit poteſtatem exercendi. Quod enim aliqui actus requirant in exercente ſanctitatem, inde prouenit, quod effectus, & cauſa debent eſſe in eodem ordine ob proportionem, quam inuicem requirant; quod non ſolum habeat locum in Phyſicis, ſed etiam in moralibus. Et proinde effectus & cauſa ſecundum eſſe morale debent eſſe in eodem ordine moralitatis, vt ſeruetur debita proportio. Ex quo fit quod, quando vnus eſt ſanctificatiuum, cum ſit in ordine ſanctitatis, requirat etiam cauſam in eo ordine, atque adeo ſanctam. Quando vero non eſt ſanctificatiuum non requirat. Nec obſtat, quod ſequatur actus, etiam ſi cauſa non ſit in eodem ordine ſanctitatis; nam ſequitur veluti phyſico modo ex vi poteſtatis, quæ eſt in ipſo, non autem ſequitur cum debita proportione morali. Et ideo cauſa ratione huius improportionis eſt moraliter indigna ſe applicandi ad talem effectum, & ratione huius indignitatis peccat, quia tenetur accedere ad operandum cum debita correſpondentia ad effectum.

8 Dicendum 2. *Neque peccare mortaliter ſubdiaconum, aut diaconum miniſtrantem in peccato mortali.* Hoc confirmant communiter ex eo, quod non conſtat de obligatione exercendi, tales actus in ſtatu gratiæ, cum neque ex iure diuino, neque ex iure naturali, neque ex præcepto Eccleſiæ proueniat. Non eſt autem inducendum peccatum mortale, de quo non conſtat, nec homines grauandi obligationibus incertis detrahendo ipſis de eorundem libertate.

9 Ratio autem reddi poteſt; quia actus horum ordinum ſunt pura miniſteria, & valdè differunt ab actibus ſacramentalibus; ſiquidem iſti ſunt in ordine ſanctitatis tanquam continentes in ſe per modum cauſæ ſanctitatem hominibus communicandam: illi verò non continent, nec habent talem vim, ſi ergo actiones ſacramentales exigunt in miniſtro ſaltem deputato ſanctitatem, illam exigent, quia ſunt actiones ſanctificatiuæ; nam exigent ex vi ſuæ propriæ naturæ atque adeo ratione propriæ excellentiæ. Et quia cum ſint in ordine ſanctitatis, tanquam ſanctificatiuæ exigent cauſam in eodem ordine, vt in dignitate interueniat proportio inter cauſam, & effectum: ergo actiones miniſteriales aliorum miniſtrorum, quæ ſanctificatiuæ non ſunt, & proinde nec in ordine ſanctitatis, non exigent ſanctitatem in miniſtro tanquam non requiſitam ad proportionem dignitatis; quia quando affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio quoque eſt cauſa negationis.

Dices, Miniſtri non ſolum conſecrantur per communicationem ordinis in ordine ad ſuas actiones miniſteriales, ſed etiam ſaltem in ſuſceptione diaconatus, cum ſit ſacramentum, ſanctificantur: ergo cum per ordinem non ſolum conferatur poteſtas ad actus correſpondentes, ſed etiam ſanctitas, oportet, quod talis ſanctitas ſit neceſſaria ad dignè exercẽdos actus ordinis, nam totum, quod confert ordo, confert in ordine ad actus exercendos. Reſp. neg. conſeq. Quia ſanctificatio, quam confert ordo, eſt effectus communis omnium ſacramentorum, & ideò non ordinatur ad effectus proprios ordinis, quæ enim communia ſunt, non poſſunt reſpicere effectus proprios; vt conſtat etiam in ſacramento matrimonij, quod ſanctificat, & tamen ſanctificatio non requiritur in ordine ad actus matrimoniales, quos exercere in peccato mortali, non eſt peccatum. Sanctificatio ergo in ſacramento ordinis ordinatur ad perficiẽdum miniſtros in ordine ad ſtatum, non autem in ordine ad actus miniſteriales. 10

Inſtabis gratia ſacramentalis, vt propria cuiuſque ſacramenti, datur in ordine ad actus, ad quos ordinatur ſacramentum: ergo actus ſacramenti ordinis requirunt illam ſpecialem ſanctitatem miniſtri. Reſp. neg. conſeq. Quia gratia ſacramentalis conſiſtit in ſpecialibus auxiliis actualibus, quæ dantur in ordine ad ſuperandas difficultates circa actus ſacramenti, & ad exercendum fructuoſo modo actum ipſius. Vnde ad ſummum ſequeretur, quod ſi iſta auxilia non darentur, niſi adeſſet gratia habitualis, quod ad ſummum eſſet neceſſaria ſanctificatio ad exercendum actus ordinis meritorio modo, non autem ad exercendum ſine peccato mortali. Et vrget inſtantia de actu matrimoniali, qui non obſtante gratia matrimoniali non requirit ſanctitatem coniugum, vt exerceatur ſine peccato mortali. 11

Dices 2. Gregor. IX. In cap. *quæſitum, de temporibus ordinat.* Quod qui ſunt adulteri, & c. ſed non deducti ad iudicium, nec notorij, ſi non agant pœnitentiam, ſunt obteſtandi ſub interminatione diuini iudicij, vt in teſtimonium ſuæ damnationis non miniſtrent in ſuſceptis ordinibus; ergo exiſtens in peccato mortali non poteſt miniſtrare ſine peccato mortali in ſuo ordine. Reſp. Pontificem loqui de ijs, quorum crimina, licet non notoria, non ſunt tamen ſecreta, alioquin non diceret, quod eſſent obteſtandi. Et hos vult, ſi perſeuerent in crimine, nec pœniteant, quod obteſtentur, ne miniſtrent, & hoc ob ſcandalum tollendum. Quod quid longe diuerſum eſt, ac quod peccet mortaliter, qui in mortali miniſtrat: nam miniſtrare in mortali non dicit peccatum eſſe notum, cum poſſit eſſe peccatum cogitationis. Deinde Pontifex loquitur de quibuſdam peccatis enormibus, & quæ in perſonis Eccleſiaſticis ſcandalo ſunt, non autem de quibuſcumque peccatis. 12

13 Ex dictis colligitur cum Coninch *de sacrament. quæst.* 83. *art* 6 *dub.* 1. *num.* 38. Bonac. *disput.* 1. *de sacrament. quæst.* 3. *punct.* 2. §. 1. *num.* 4. Vasquez 3. *part. disp.* 136. *num.* 45. Quarto *in Rubric. Missal. part.* 2. *titul.* 6. *dub.* 1. *in fine.* Nec etiam esse peccatum mortale frequenter exercere actus horum ordinum in peccato mortali. Quia peccata venialia, quantumcumque multiplicentur, nunquam conficiunt mortale, nec est verum quod interueniat contemptus virtualis, quia est eadem ratio, ac de cæteris peccatis venialibus frequentatis: quorum frequentia non continet contemptum virtualem. Et hoc supposito, quod sit peccatum veniale exercere actus horum ordinum in peccato veniali, vt supponunt citati Doctores.

14 Colligitur secundo cum Vasquez 3. *part. disp.* 136. *num.* 45. Tamburino *opusc. de sacrif. Miss. lib.* 1. *cap.* 7. §. 5. *in fine.* Nec etiam esse peccatum veniale exercere actus horum ordinum in peccato mortali. Quamquam magis communiter sentiant esse peccatum veniale. Ratio est. Quia, vt ait Vasquez, si adesset obligatio, vel ex præcepto Ecclesiastico, vel ex præcepto naturali, peccaretur mortaliter, non autem tantum venialiter. Nam materia est grauis; & proinde fundaret grauem obligationem. Quod satis ex eo constat; nam suspensus ab exercitio Diaconatus, vel Subdiaconatus, peccat mortaliter exercens ordinem, quia nimirum materia prohibita est grauis, nempe actus ordinis. Accedit etiam, quod exercitium horum ordinum non requirit in exercente sanctitatem; & ideò, si ipsa careat, non facit contra exigentiam exercitij, nec contra prohibitionem aliquam in ipsa fundatam; & ideò non interuenit aliquod peccatum. Alioquin, si exigeret, defectus sanctitatis exigitæ esset grauis, sicut etiam ipsa exigentia, quæ proportionatur rei exigitæ, & ideò committeretur peccatum mortale.

QVÆSTIO 348.

An in Missa adhiberi possit vrgente necessitate minister excommunicatus.

SVMMARIVM.

1. *Excommunicatus debet abstinere à Ministerio Altaris.*
2. *Celebrans ex causa necessitatis potest vti excommunicato non vitando.*
3. *Quanta debeat esse necessitas vt vti possit excommunicato.*
4. *Indigere Eleemosyna pro Missa, an sit necessitas sufficiens.*
5. *Potius sine ministro celebrandum, quam vti denunciato.*
6. *Vt non denunciatus possit communicare non requiritur grauis causa.*
7. *Vtilitas quando sit causa sufficiens communicandi cum denunciato.*

1 EXcommunicatus siue non denunciatus, siue denuntiatus, sicut prohibetur communicare cum cæteris, præsertim rebus diuinis, ita specialiter abstinere debet à ministerio Altaria, vt desumitur ex cap. *Illud de Cler. excomm. ministr.* & cap. *Episcoporum de priuileg. in* 6. & cap. *Is qui.* & cap. *fin. de sentent. excommunicat. in* 6. Et proinde si se immisceat, etiam si non exerceat actum ordinis, grauiter peccat, vnde dubitatur, an ex causa necessitatis possit inseruire celebranti; vt possit celebrans ipso vti.

Quod spectat ad excommunicatum non vitandum dicendum est. *Celebrantem posse vti ministro excommunicato ex causa necessitatis, & proinde poterit inducere, vt sibi in Missa inseruiat.* Ita Suarez *disput.* 12. *de Censur. sect.* 1. *num.* 3. Turrian. *lib.* 2. *de Excommun: disput.* 11. *dub.* 1. Corneius 3. *part. tractat.* 5. *de Excommunicat. disput.* 10. §. 4. *alias est dub.* 2. Ratio est. Quia inter causas, ex quibus permittitur communicatio cum excommunicato, reperitur vtilitas, & non solum accipitur de vtilitate excommunicati, sed etiam de propria, quia hæc est quædam necessitas ad melius esse. Si ergo vrgeat necessitas celebrandi, & Sacerdos non habeat alium ministrum, poterit vti ministro excommunicato non denuntiato. Præsertim quia hoc non tendit in fauorem ipsius excommunicati; sed in fauorem celebrantis: & ideò talis casus non censetur comprehensus sub prohibitione, ne excommunicatio, quæ est tantum in pœnam excommunicati, tendat & in aliorum nocumentum. 2

Sed dubium est quanta debeat esse necessitas celebrandi, vt possit Sacerdos vti pro ministro excommunicato. Respondetur. Non debere esse extraordinariam, & summam necessitatem, sed sufficere grauem. Quia regulariter leges Ecclesiasticæ non obligant in graui necessitate, & sicut licèt petere consilium ab excommunicato; quando ab alio æquè idoneo non potest haberi, vt docent Gabr. *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 3. Palud. *quæst.* 6. Angel. *verbo* Excommunicatio 8. *num.* 6. Caietan. *ibid.* Cap. *De participat. cum excommun.* ita & quando non potest habere alius minister, & adsit necessitas celebrandi, poterit adhiberi pro ministro excommunicatus. Et hoc etiam ostendit causa necessitatis vtilis, quæ excusat ab excommunicatione cum excommunicatis, nam quamuis vtilitas dicat aliqualem necessitatem, non tamen quæ sit supra grauem. Vnde quando quia tenetur celebrare sub graui obligatione, poterit vti tali ministro, quia grauis obligatio inducit grauem necessitatem. 3

Hinc autem infertur, quod si Sacerdos indigeret Eleemosyna pro sui sustentatione, quam esset acquisiturus celebrando, nec posset celebrare, nisi vteretur ministro excommunicato, posset illo vti. Quia adhuc non solum concurrit causa vtilitatis, quæ excusat communicantem cum excommunicato, sed etiam necessitas, quæ dum est in ordine ad necessitatem sustentationis pro graui reputanda est. Credo tamen, quod non possit, nisi valdè raro contingere casus in quo Sacerdos non possit habere alium ministrum, præter excommunicatum. 4

Quod spectat ad excommunicatum denuntiatum. 5 Turrian. *num.* 1. citat. asserit, esse eandem difficultatem; & proinde considerandam esse grauitatem necessitatis. Sed absolutè tenendum est. *Quod non possit adhiberi excommunicatus denuntiatus, sed potius celebrandum sit absque ministro.* Ita videntur sentire alij Doctores *num.* 1. citati, dum loquuntur tantum de non denunciato. Ratio est. Quia concurrunt duo præcepta Ecclesiastica, alterum de adhibendo ministro in celebratione Missæ, & alterum de euitando excommunicato denuntiato. Illud autem est seruandum, quod magis interest pro publica Ecclesiæ vtilitate seruari. Interest autem magis, seruari præceptum de vitando excommunicato, quia conducit ad fouendam disciplinam Ecclesiasticam, & manutenendum vigorem excommunicationis, & vim medicinalis pœnæ, quod operatur, quod magis timeatur excommunicatio cum magna Ecclesiæ, & animarum vtilitate. Econtra verò obseruantia

præcepti adhibendi ministrum conducit tantum ad ad quandam decentiam seruandam in oblatione sacrificij, quæ est minoris momenti, quam sit vtilitas, quæ percipitur ex rigorosa obseruantia præcepti de vitando excommunicato denuntiato.

6 Dices. Idem quoque seruari poterit, quando excommunicatus non est denunciatus. Respondetur. Esse diuersam rationem, quia cum non denuntiatus non sit vitandus, possunt cæteri cum ipso communicare; & ideò, quando indigent, possunt vti opera ipsius, præsertim in iis, quæ non tendunt in eius fauorem. Et quamuis ipse teneatur abstinere à communicatione cum cæteris; attamen, vt possit communicare, non requiritur ita grauis causa, sicut requireretur, si esset denuntiatus. In præsenti autem causa non concurrit causa sufficiens, cum, vt dictum est, magis expediat celebrare sine ministro, quàm vti excommunicato denunciato.

7 Dices secundò, causæ, quæ excusant à communicatione cum excommunicato, procedunt quoad denunciatum, quia non denuntiatus non est vitandus. Inter has autem causas adest, ne dum necessitas, sed etiam vtilitas. Vnde ratione vtilitatis, quæ percipitur in seruanda maiori decentia in offerendo sacrificio, erit sufficiens, vt possit excommunicatus denuntiatus adhiberi. Respondetur. Vtilitatem esse quidem causam sufficientem, vt possit communicari cum excommunicato denuntiato, quando tamen est tanti momenti, vt possit præualere præcepto de vitando excommunicato. In præsenti autem non est sufficiens. Imò illa decentia, & decor, qui consurgit ex assistentia ministri, esset minor, quàm esset indecentia, quæ consurgeret ex assistentia ministri excommunicati denuntiati: nam esset valdè indecens, quod qui repellitur à participatione omnium diuinorum, assisteret tanquam minister oblationi sacrificij; vnde in hoc adest positiua indecentia; in oblatione verò absque ministro sola negatio illius specialis decentiæ.

QVÆSTIO 349.

An filius ministrare possit patri celebranti.

SVMMARIVM.

1. *Filius non potest ministrare vbi pater ministrauit, & quinam filius.*
2. *Filius legitime natus potest patri celebranti ministrare.*
3. *Illegitime natus non potest ministrare patri celebranti.*
   Lex extenditur ad extensionem rationis.
4. *Filius illegitimus, sed occultus, potest ministrare patri celebranti.*
5. *Celebrans vtens pro ministro filio illegitimo qualiter peccet.*

1 RAtio dubitandi oritur ex cap. *Præsentiam de filiis presbyterorum.* Vbi videtur id prohiberi ibi. *præsentium auctoritate iubemus, vt filios Sacerdotum in Ecclesiis paternis ministrare, vel eos qualibet occasione obtinere nullatenus patiaris; sed ipsos ab Ecclesiis, in quibus patres eorum ministrare noscuntur, suadeas penitus amouere:* Idem etiam desumitur ex cap. *Ad præsentiam*, & cap. *Conquerente, eod. tit.* Et in Synodo Hispalen. *lib. 1. cap. 1. de fil. presbyterorum*, hoc ipsum prohibetur, vt testatur Nauar. *cap. 8. de Orat. num. 75.*

Dicendum tamen est. *Filios legitimè natos, antequam pater initiaretur, non prohiberi patri celebranti ministrare.* Ita etiam Quintanadnen. *tom. 2. singul. tractat. 2. singul. 7. num. 5.* Ratio est. Quia prohibitio qua prohibentur filij ministrare in Ecclesia, in qua ministrat pater, fundatur in indecentia, quæ cessat in filio legitime nato. Et proinde in cap. *Ad hæc. de fil. presbyt.* statuitur, quod filius Episcopi legitimè natus possit sacris ordinibus initiari; & in eadem Ecclesia, cui pater præest obtinere beneficium ibi. *Sciat Fraternitas tua, quod si ex legitimo sint matrimonio procreati, nec aliud canonicum obuiat, licitè possunt ad sacros ordines ascendere, & in iisdem Ecclesiis, in quibus præsunt, vel præfuerunt genitores eorum, beneficium obtinere.* 2

Dicendum 2. *Filios illegitimè natos non posse ministrare patri celebranti.* Ita statuitur in cap. *Cum decorem de fil. presbyt.* ibi. *Cum indecorum sit, vt in Altaris officio illegitimus filius impendeo patri ministret, in quo vnigenitus Dei Filius æterno Patri pro salute humani generis victimatur.* Quibus verbis, quamuis reddat rationem Innocent. Pontifex III. Ob quam filius illegitimus, non debeat obtinere præbendam in Ecclesia, in qua pater est Canonicus; hæc tamen ratio extendit legem etiam ad ministrandum celebranti, cum lex extendatur ad rationem legis, præsertim, si sit ab ipsa lege assignata, iuxta *leg. Pater Filiam §. Fundum. ff. De legat. 3.* & *leg. Regula. §. Cum quis ff. de iur. & fac. ignor.* vbi Bart. & *leg. His solis.* ver. *Satis etiam cauet. Cod. de reuocan. donat.* Et tradunt communiter Doctores Gloss. *in Clement. 1. de elect.* Imola, & cæteri Doctores *ibid.* Com. *consil.* 273. *num.* 2. *vol.* 4. Surd. *decis.* 276. *num.* 8. Tiraquel. *in leg. Si vnquam verbo.* Libertis. *num.* 45. *Cod. de reuocan. donat.* Gonzalez *ad Regul.* 4. *Cancel. §. 7. proœm. num.* 105. 3

Dicendum 3. *Si filius sit illegitimus, sed occultum sit, quod sit filius Sacerdotis, poterit ipsi ministrare, dum celebrat.* Ita etiam Quintanaduen. *tom. 2. singul. tractat. 2. singul.* 8. *num.* 4. Colligitur ex cap. *Conquerente. de fil. presbyteror.* Vbi solum non permittitur, filium illegitimum ministrare in eadem Ecclesia, in qua pater habuit personatum, si publicum, vt & notorium: vnde à contrario sensu permittetur, si non sit publicum. Ratio est. Quia si non sit publicum, cessat indecentia. Consistit enim indecentia in hominum cognitione, quatenus per huiusmodi ministrationem excitatur recordatio impudicitiæ celebrantis, quæ valdè dedecet sanctitatem Sacerdotij, & in eo, quod in ministerio Altaris vtatur ea persona, in ipsa propria ipsius impudicitia relucet. 4

Qualiter autem peccet Sacerdos, qui in ministerio Altaris vtitur filio illegitimo, dicendum est cum Quintanaduen. *tom. 2. tractat. 2. singul. 7. num. 5. Peccare mortaliter*, quod intelligi debet, seclusa necessitate, & quando publicè coram populo celebrat. Nam si, celebraret secreto in aliquo Oratorio cessaret indecentia, cum sit tantum in ordine ad hominum æstimationem. Ratio est. Quia materia est grauis, & maximè ista ob reuerentiam debitam sacrificio, quod ita exigit, tractari, vt functio ipsa excitet reuerentiam in adstantibus, non solum erga sacrificium: sed etiam erga ministros, non autem inducat ad paruipendendum. Rursus etiam locum haberet excusatio, si adesset consuetudo, nam consuetudo impediret, ne exerceretur conceptus indecentiæ. 5

DE

DE TEMPORE IN QVO OFFERENDVM est sacrificium.



ONSIDERANDVM modo est tempus, seu dies, in quo offerendum est sacrificium, seu celebranda Missa. Et quamuis ex institutione diuina nihil sine hoc sit determinatum, adsunt tamen determinationes Ecclesiæ, quæ modo inspiciendæ sunt, & resoluendæ difficultates, quæ circa ipsas occurrunt.

QVÆSTIO 350.

An diebus omnibus liceat sacrificium offerre.

SVMMARIVM.

1. *Singulis diebus secundum se licet offerre sacrificium.*
2. *Consonant praxis, & ius.*
3. *Quotidie Deo offerendum sacrificium, & cur.*
4. *Nonnulli dies maioris hebdomadæ excipiuntur.*
5. *Alij dies excepti secundum ritum Ambrosianum.*
6. *Quem ritum quoad hoc seruent Græci.*
7. *Consuetudo non offerendi sacrificium in Sabbatho.*
8. *Mos offerendi sacrificium in ferijs quintis Quadragesimæ cum Liturgia Dominicæ.*
Propria Liturgia pro ferijs quintis Quadragesimæ quando instituta.

1 DIes, anni considerati possunt secundum se, & prout cum ipsis concidit aliquod officium Ecclesię,quales sunt dies,cum quibus coincidunt officia trium vltimorum dierum maioris hebdomadæ, quæ cū sequantur cursum Festorum mobiliū modo coincidunt cum his, modo cum aliis diebus. Dicendum autem est; *Singulis diebus secundum se consideratis licet Deo offerre sacrificium & celebrare Missam secundum Ecclesiæ institutionem.* Est certum apud omnes stando in Ritu Romano. D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 2. *in corpore.* vbi & expositores Caiet. Sylvius Puteān. Chellison. Pesant. Merat. Præposit. & alij. Nauar. *cap.* 25. *Manual. num.* 88. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 9. *num.* 6. & cap. 24. *num.* 3. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *quæst.* 3. Vasquez 3. *part. disput.* 232. *cap.* 2. *num.* 4. Suarez *disput.* 8. *de Eucharist. sect.* 2. *init.* Palaus *part.* 4. *oper. moral. tractat.* 22. *disput. vnic. punct.* 7. *num.* 1. Faostus *lib.* 2. *de Eucharist. quæst.* 106. Fernandez *præcept.* 1. *Ecclesi. lib* 3. *cap.* 15. *num.* 10. Trullench *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 8. *dub.* 9. *num.* 12. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 15. ver. *Secundo.* Lessius *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 2. Tit. *de loco num.* 72. Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disput.* 4. *dub.* 2. *num.* 26. Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 6. §. 1. *num.* 1.

2 Ratio autem est. Quia quantum est ex institutione habetur tantum, quod Christus reliquerit suæ Ecclesiæ hoc sacrificium ad offerendum Deo in commemorationem Passionis ipsius, vt tradit Concil. Trid. *sess.* 22. *c.* 1. *de sacrif. Miss.* & proinde, cum nulla adsit determinatio nulla etiam adest prohibitio, quod non offeratur quotidie. Ex parte verò Ecclesiæ neque adest prohibitio. Imò ex praxi oppositum constat: vnde in cap. *Visum, de consecr. dist.* 1. refertur ex Conc. Cabiloneo. 2. *can.* 39. *Sicut nullus dies excipitur, qua non pro viuentibus, & pro quibuslibet necessitatibus. Dominus deprecetur: ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium, preces Domino in Missarum solemnibus fundantur*, & cap. Iteratur, De consecrat. dist. 1. *Quia quotidie labimur quotidie Christus pro nobis mysticè immolatur.*

Accedit etiam, quod cum per sacrificium defe- 3 ratur Deo summus cultus, qui deferri potest, & homines per ipsam profiteantur, se debere Deo totum, quod sunt, & habent & se supremæ eius voluntati potestati subiiciant; sicut quotidie conseruantur à Deo, & recipiunt beneficia, quæ conseruant esse, & bona ipsorum. Ita etiam debet nomine ipsorum quotidie deferri Deo hic cultus, & fieri hæc protestatio. Rursus cum quotidie commouicet Deus nobis fructus Passionis Christi, conueniens est, vt quotidie offeratur illud sacrificium, in quo recolitur memoria Passionis ipsius, & est Eucharisticum, seu institutum pro gratiarum actione. Et ideò, nisi ratione magni mysterij, non debet in aliquo die prohiberi oblatio sacrificij.

Dicendum 2. *Propter mysteria excipiendos quosdam* 4 *dies hebdomadæ maioris.* An autem ista exceptio locum habeat his temporibus infrà examinabitur. Hæc autem exceptio habetur ex cap. *Sabbato, de consecrat. distinct.* 3. vbi refertur Innocent. Papa *epist.* 1. *ad Decent. cap.* 4. Ita inquiens. *Ve traditio Ecclesia habeat isto biduo sacramenta penitus non celebrari.* Loquitur autem de biduo inter Passionem Christi, & eiusdem resurrectionem, quod in celebratione Passionis contingit feria sexta,& Sabbatho maioris hebdomadæ. Et hanc exceptionem ponit Gloss. *ibidem* verbo *Non celebrari.* Quam rursus exceptionem firmat in cap. *Iteratur.* verbo *Quotidie, de consecrat. distinct.* 2. & in cap. *Visum. verbo* Excipitur *eod. Tit.* Et ita intelligendo hanc exceptionem quoad tempus antiquum tradunt communiter Doctores Diuus Thomas 3. *part. quæst.* 83. *art.* 2. *ad* 2. Amalar. *lib.* 1. *de Ecclesiast. offic. cap.* 16. Duran. *lib.* 6. *Rational. diuinor. offic. cap.* 78. Nauar. *in Manuali cap.* 25. *num.* 88. Suarez *disput.* 80. *de Eucharist. sect.* 2. Vasquez 3. *part. disput.* 231. *cap.* 2. *num.* 14. & alij præsertim citati *num.* 1. & citandi infrà cum de singulis his diebus agetur in particulari congruentia autem exceptionis in eo fundatur, quia cum iis diebus celebretur mors Christi, non fuit existimatum conueniens, quod introducatur loquens, sicuti introducitur in sacrificio, dum verba consecrationis in persona ipsius profertur. Addit etiam aliam rationem D. Thom. 5. *part. quæst.* 83. *art.* 2. *ad* 2. Quia cum celebretur in diebus Christi mors, prout re vera successit, atque adeò secundum esse reale, debet cessare sacrificium, tanquam figura eiusdem Passionis, quia adueniente veritate cessat figura.

Hæc autem habent locum quoad eos qui sequun- 5 tur Ritum Romanum. Nam secundum ritum Ambrosianum pluribus diebus omittitur oblatio sacrificij, nempe singulis feriis sextis Quadragesimæ. Hunc autem morem antiquum esse, ostendit Ioseph Vicecomes, *De antiquis Missæ ritibus, lib.* 3. *cap.* 13. Primò. Quia in Missalibus antiquis sexcentorum tunc annorum, & amplius non reperitur Liturgia pro feriis sextis, cum pro cæteris adsint. Et secundò quia Betoldus *De ritibus Ambrosianis*, quando prosequitur ritus officiorum pro feriis sextis Quadragesimæ, nihil meminit de Missa, quod est signum, quod non celebrabatur.

Rursus

6 Rursus apud Græcos verius est ritus, nam hi in tota Quadragesima, exceptis Sabbatis, & diebus Dominicis & festo Annunciationis B. Virginis, non offerunt sacrificium, sed celebrant de præsanctificatis, seu consecratis antecedentibus diebus, sicut facit Ecclesia Latina feria sexta maioris hebdomadæ. Et hunc morem fuisse vetustissimum in Ecclesia Græca, observant Artudius *de sacrament. lib.3.c.27.* Vicecomes *de Missa ritibus,lib.5. cap.9.* & *lib. 3. de antiquis Missa ritibus cap.12.* Et desumitur ex Concil. Laodiceno *can. 49.* vbi habetur. *Non oportet in Quadragesima panem offerre, nisi in Sabbatho, & Dominica*, Et quamuis non explicet celebrationem ex præsanctificatis, explicatur tamen in *Can. 52.* Trullano. Qui Canones, licèt non sint Authentici, inseruiant tamen pro intelligentia ritus, & consuetudinis. ita autem habet. *In omnibus sancta Quadragesima ieiunij diebus præterquam Sabbatho, & Dominica & Sancto Annunciationis die fiat sacrum præsanctificatorum ministerium.* Idem etiam tradunt, & explicant Zonaras *in dictum Can.12.Trullan.*& Theodorus, Balsamon. Qui etiam reddunt rationem huius ritus. Quia nimirum dies ieiunij, sunt dies luctus, mœstitiæ, & pœnitentiæ. Offerre autem Deo sacrificium est festiua celebritas hilaritatis, & lætitiæ, ideò non congruit cum diebus ieiunij. Sabbatho autem, & Dominica Græci non ieiunant. Ex quibus constat, hunc ritum non fuisse introductum à Græcis post Schisma, cum extent testimonia de ipso adeò vetusta.

7 Habetur etiam ex antiquis Monumentis, quod Romæ, & Alexandriæ, non fuisset solitum offerri sacrificium in Sabbatho. Ita desumitur ex Socrate, *lib.5.Histor. Ecclesiast. cap. 21.* vbi habet: *Porrò de Synaxi variæ consuetudines sunt tanquam omnes vbique in orbe terrarum Ecclesiæ singulis septimanis vertentibus die Sabbathi mysteria celebrant Alexandrini tamen, & Romani ex antiqua traditione ista facere renuunt*; Ex quo constat, quod non ex aliqua lege id fuerit introductum, sed ex antiqua traditione. Id etiam tradit Nicephot.*lib.12.Histor.cap.34.*inquiens. *In Synaxi plurimam varietatem fuisse inuenimus. Cum enim pleraque omnem per orbem Ecclesiæ diebus Sabbathi consuetudinem haberent hebdomadis vnius temporis diuinis mysteriis operari Romani, & Alexandrini ex antiqua quadam traditione, hoc non faciebant.* Quænam autem fuerit ista traditio non explicat.

8 Alium ritum refert, & asserit Vicecomes *de antiquis Missa ritibus lib. 3.cap.13.* Nempe, quod in singulis feriis quintis Quadragesimæ non offerretur sacrificium, quia nimirum Auctor *libri Pontificalis* scribens de Gregorio Papa II. habet. *Hoc Quadragesimali tempore, vt in quinta feria ieiunium, atque Missarum celebritas fieret in Ecclesiis, quod non agebatur, instituit* Nempe Gregorius II. Vnde infert, quod ante hunc Pontificem non celebraretur sacrificium feriis quintis Quadragesimæ. Verum, si considerentur, quæ ipse Vicecomes subdit ex Valfrido Strabone, constabit, quod diuersus sit sensus Auctoris *libri Pontificalis.* Nempe quod in feriis quintis Quadragesimæ, sicut non erat dies ieiunij, ita nec aderat propria Liturgia, cum qua offerretur sacrificium pro illis diebus, sed vtebantur officio, & Liturgia Dominicæ cum qua sacrificium offerebant. Gregor. autem II. pro iisdem diebus instituit Liturgiam propriam simul cum ieiunio. Verba Valfridi Strabonis *de rebus Ecclesiast. cap. 21.* sunt. *Quia vero Melchiades XXXIII. ordine Romæ præsulatum agens statuit, vt nulla ratione Dominico, aut feria quinta ieiunium, quis fidelium ageret.* (Pagani enim his diebus quasi ieiunia frequentabant) *ideo Beatissimus Gregorius supradictus in dispositione officiorum anni infrà Quadragesimam. Quintam feriam vacantem dimisit, vt quia festiua erat velati Dominica, etiam officio diei Dominicæ celebris haberetur. Quæ quinta feria, quoniam post modum cœpit vt cætera ieiuniis applicari, Gregorius iunior statuit eam Missis, & orationibus esse solemnem; & vndecunque colligens eiusdem diei augmentauit officia.* Vbi plura sunt notanda. Primò quod in feria quinta Quadragesimæ non ieiunabatur. Secundò, quod hanc ob causam Gregorius Papa non instituit pro hac feria proprium officium, & Liturgiam, sicuti instituit pro cæteris diebus ieiuniorum. Tertiò, quod voluit officio Dominicæ esse celebrem, quia erat festiua, sicut dies Dominicus. Vnde ex hoc colligitur, quod sicut officium diei Dominici continebat celebrationem Missæ, ita etiam celebraretur in feria quinta. Quartò, quod quia in feria quinta cœpit ieiunari, Gregorius iunior instituit pro ipsa officium. Ex quibus constat, quod agitur solum in hac auctoritate de officio proprio diei, quod scilicet dicta feria prius non habuerit proprium officium, quia in ipsa non ieiunabatur, postea autem habuerit, non autem, quod prius in ipsa non offerretur sacrificium: posteà verò cœperit offerri. Et in hoc sensu accipienda sunt verba allata Auctoris Pontificalis.

QVÆSTIO 351.

An in feria quinta maioris hebdomadæ licèt priuatas Missas celebrare.

SVMMARIVM.

1. *Feria quinta maioris hebdomadæ an possit celebrari Missa priuata.*
3. *Missa priuata celebrari possunt etiam publicè feria quinta maioris hebdomadæ.*
4. *Praxis celebrandi, & incidente festo Annunciationis id minimum.*
5. *Non adest in contrarium consuetudo.*
   In dubio consuetudo non obligat.
   Actus contrarij elidunt consuetudinem.
6. *Missa priuata feria quinta maioris hebdomadæ quando celebrari possint.*
7. *Cur introducta consuetudo non celebrandi feria quinta maioris hebdomadæ Missas priuatas.*
8. *Quid dicendum de quodam præcepto non celebrandi Missas priuatas feria quinta maioris hebdomadæ.*
   Ordinarius præcipere potest, vt feria quinta maioris hebdomadæ celebrentur plures Missæ, si incidat festum Annunciationis.

PRima sententia docet, quod præter Missam solemnem diei, non licèr alias Missas priuatas celebrare. Ita Francol. *De horis Canon.cap.30.n. 40.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 24. quæst. 5.* Bonac. *disput. 4. de sacrament. quæst. 7. punct. 7. num. 17.* Gauet. *in Rubr. Missal. part. 4. titul. 8. num. 7.* qui citat. cap. *In Cœna. de consecrat. distinct. 2.* Verum ibi Soter Papa. Loquitur de communione omnium fidelium qui tunc illa die ab omnibus percipiebantur. Fundantur autem in consuetudine, nam fatemur, nullum ius scriptum extare, quod id prohibeatur. Consuetudo autem est antiquissima, & eo fine introducta, vt Sacerdotes recipiant Euchatistiam de manu sui Prælati. Vnde Ordo Romanus cap. *de Cœna Domini.* habet, *Communicent Presbyteri primò, posteà Diaconi, & cæteri omnes, & ita perficiatur Missa,* & Alcuin. *de diuin. offic.* cap. *de Cœna Domini,* habet. 1

Dum

Dum cantantur Antiphona ad communionem, interim Clerum, & omnem populum communicare. Et proinde volunt, hanc consuetudinem obligare, & esse seruandam.

2 Secunda sententia. Posse celebrari etiam Missas priuatas. Ita Sotus *in 4. dist. 13. q. 2. art. 2. ad 2. ver. Hic primum.* Nau. *c. 25. Man. n.* 88. Angl. *in Floribus, q.* 8. *de Euchar. difficul.* 8. *conel.* 3. Rodrig. *p.* 1. *sum. cap.* 249. *conclus.* 3. Tolet. *lib. 2. sum. c. 3. in fine.* Vbi Victorel. *in Addit.* Henriq. *lib. 9. sum. cap. 14. n.* 3. Sà *verbo* Missa *n.* 23. Vasq. 3 *part. disp.* 232. *cap. 2. n.* 15. Suar. *disp.* 80. *de Eucharist. sect.* 2. ver. *Superest verò.* Asserens hanc esse communem sententiam, & sibi videri certam Filliuc. *tr. 4. 5. n.* 105. Coninch. *de sacram. q.* 83. *art. 2. dub. 3. nu.* 210. Fernand. *pracept.* 1. *Eccles. lib. 3. cap. 15. num.* 74. Lugo Card. *disp. 20. de Eucharist. sect. 1. n.* 14. Martin. *de Euchar. disp. 40. n.* 5. Auersa *q. 11. de Eucharist. sect.* 15. ver. *Addunt.* March. *de sacram. Ordin. tract. 3. p. 3. cap. 8. n.* 1. Palaus *part. 4. oper. mor. tract. 22. disp. vnic. punct. 7. n.* 2. Gaspard. Hurt. *de sacram. disp. 4. de sacrific. Miss. difficult.* 2. ver. *Circa quam.* Caspens. *part. 2. Curs. Theolog. tract. 23. disp. 3. sect. 1. n.* 49. Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disp. 33. sect. 10. n.* 306. Tannet. *tom. 4. disp. 5. quaest. 10. dub. 4. n.* 58. Villalob. *part. 1 tract. sum. 8. diffic. 20. n.* 1. Trullench *de sacram. lib. 3. cap. 8. dub. 9. nu.* 18. Gutier. *lib. 1. Canon. quaest. cap. 30. n.* 16. Laym. *lib. 5. Theol. mor. tract. 5. cap. 4. n.* 9. Leander. *de sacrament. tract. 8. disp. 5. q.* 10. Barbos. *de offic. Paroch. cap. 11. num.* 49. Machad. *lib. 4. part. 3. tract. 11. documen.* 11. Baun. *part. 1. Theolog. moral. tract. 10. de Presbyter. q.* 5. Alphon. de Leone *de Offic. Capel. quaest. 8. sed. 17. n.* 168. Garzia *in sum. tract. 3. difficult. 2. dub. 4. punct. 1. num.* 3. Francisc. Lugo *de sacram. lib. 5. cap. 5. quaest. 3. num.* 26. Dicastil. *de sacram. tract. 5. disp. 4. dub. 2. num.* 28. Quartus *in Rubr. Miss. part. 1 punct... dub.* 5. ver. *Dico secundo.* Quintan. *tom. 2. tract. 1. singul. 10. num. 3. & tom. 1. tractat. 4. singul.* 5.

3 Dicendum est. *Omnes, & singulos Sacerdotes celebrare posse Missas priuatas feria V. maioris hebdomada tam priuatim quàm publicè.* Et quamuis nonnulli ex citatis Doctoribus *num. praced.* addant, quod si publicè celebretur, debeat esse sine scandalo: attamen non video, cur debeat adesse scandalum. Nam cum sæculares non sint periti rituum Ecclesiasticorum, debent in hac materia iudicare licitum, quod vident fieri ab Ecclesiasticis. Ecclesiastici, si sint periti, non scandalizabuntur, si non sunt periti, debent sequi conditionem sæcularium. Et quamuis videant ab aliquibus imò communiter non celebrari, non per hoc debent putare, quod illicitè celebrent, qui celebrant. Imò dum vident publicè celebrare debent inde sumere argumentum, quod licitè celebrent, quia nemo publicè facit, quod illicitè facit. Addit Sot. *cit.* requiri licentiam superioris, sed licèt hoc apud Religiosos de congruitate requiratur, pro aliis tamen non est necessaria. Quia cum non adsit prohibitio, nec etiam opus est licentia.

4 Hæc autem in praxi, seruari vidi in pluribus ciuitatibus Italiæ; vt hic Romæ, quamuis in aliquibus Ecclesiis solemnis tantum Missa celebretur, in aliis tamen plures Missæ priuatæ celebrantur, vt in hac nostra insigni Ecclesia S. Andreæ de Valle publicè, & ianuis apertis, vt per plures annos obseruaui. Imò Eminent. Cardin. Ginettus Vicar. Vrbis anno 1655. singulis Ecclesiis iniunxit, vt hac feria quinta maioris hebdomadæ plures Missæ celebrentur, quia incidebat festum Annunciationis B. Virginis. Tenor autem intimationis fuit. *Martius Card. Ginetus, &c. Douendosi nel prossimo Giouedi Santo Celebrare la Festiuita della Santissima Annunciata, si ordina à tutti li Sagristani, & altri che haño cura delle Chiese di Roma, che debbano fare celebrare tutte quelle Messe, che potrãno. Prima pero diesposti il Santissimo nel sepolcro, non ostante che non sia solito di celebrarsene più di vna solennemente, per dar commodità al Popolo di satisfare con più commodità al precetto di vdir la Messa nel giorno festiua. In fede, &c. M. Episcop. Sutrin, & Nepesin. V. G. Ioseph Palamola Secret.* Ex quo elicitur primò, quod etiamsi in aliqua Ecclesia non consueuisset celebrari, nisi solemnis Missa, voluit tamen, etiã priuatas celebrari, quod non iniunxisset, nisi putasset consuetudinem non obligare. Secundò. Quod hoc præstitit, vt consuleret facilitati adimplendi præceptum de audienda Missa, quæ non fuisset causa sufficiens faciendi celebrare Missas tàm abundanter, si consuetudo pariter obligasset.

Ratio autem est. Quia non potest prætendi, quod aliunde habeatur impedimẽtum celebrandi priuatas Missas, nisi ex consuetudine. Hæc autem consuetudo non est obligatoria. Primò, quia non est introducta, & acceptata tanquã obligatoria, cum non constet, quod fuerit introducta cum animo se obligandi, & proinde remanet saltem dubium, an sit introducta cum animo se obligandi, in dubio autem censendum est, non obligare, vt tradunt communiter DD. Suar. *lib. 7. de legib. c. 15. n.* 13. Mærat. *tom. 1. sum. disp. 15. de legib. sect. 2. n.* 3. Bonac. *disp. 1. de legibus. q. 1. punct. vlt. §. 3. n.* 21. Merol. *tom. 3. Theol. mor. disp. 5. c. 3. dub. 2. n.* 31. Secundò, quia communis Doctorum sensus est, vno excepto, vel altero, quod huiusmodi cõsuetudo non sit obligatoria, & pro contraria parte, quod scil. sit obligatoria, nihil affertur, quod sit alicuius momenti. Iste autem cõmunis sensus Doctorum habet vim maximam ad interpretandam consuetudinem. Tertiò. Quidquid sit de cõsuetudine, prout fuit antiquitus, his tamen temporibus certum est, quod varia sit, ita vt aliqui celebrent, aliqui non celebrent Missas priuatas. Stante autẽ hac varietate non potest cõsuetudo habere vim obligandi, quia obseruantiæ varietas elidit vim obligatiuam consuetudinis, vt tradunt Dec. *cons. 215. n.* 2. Crauetta *cons. 96. n.* 5. Ioseph. Ludou. *concl.* 38. ver. *Amplia tertio.* Bart. *in l. 2. n. 22. ff. soluto matrim.* Menoch. *cons. 37. n.* 39. Puteus *dec. 426. lib. 2. in nouis.* Ludou. *dec. 51. n.* 3. Marr. *dec. 69. n.* 35. Rota *dec. 366. n. 3. p. 4. diuer.* & *decis.* 172. *num. 5. part.* 2. Recent. & *decis. 180. n. 3. part.* 3. Recent. 5

Est tamen aduertendum cum pluribus ex Doctoribus citat. *n.* 1. Quod Missæ priuatæ non possunt celebrari, nisi vel ante Missam solẽnem, vel dum celebratur solemnis. Quia terminata Missa solemni, terminatur officium illius diei & incipit officium Parasceues, & denudantur altaria, & proinde incipit tẽpus, in quo non licèt celebrare, vt infrà dicemus. An autem si quis tunc celebraret, peccaret mortaliter, videtur affirmatiuè resoluendum, quia in re graui faceret contra mysterium Ecclesiæ, & si esset obligatus ritui Romano, illum non seruaret contra institutionem Pij V. præfixam Missali. Vnde non est necessarium, quod Missæ priuatæ cõpleantur antequã ligentur Cãpanæ, vt putat Fill. *n.* 2. cit. sed sufficit, si cõpleantur cum solemni. 6

Ad fundamentum in oppositum constat ex dictis. 7
Quamuis consuetudo sit antiquissima, non tamen constat, quod fuerit conformis, seu quod omnes Sacerdotes abstinuerint eo die à celebratione, nec quod introducta sit tanquam obligatoria, vt constat ex dictis. Et probabiliter credi potest, introductum fuisse ob imitandos discipulos Christi, qui in vltima Cœna sumpserunt Eucharistiam de manu Christi sui magistri. Quod tamen factum non inducit necessitatem, quia potius deberent sumere Laïci, quàm Sacerdotes. Nec est eadem ratio de Sacerdotibus, ac fuit de Apostolis, quia tunc Apostoli non poterant celebrare, sicut modo possunt Sacerdotes, & proinde debuerunt participare de sacrificio oblato à Christo, præsertim cum tunc fuerit prima institutio.

Nec obstat, quod habet Francolin. *num.* 1. citat. 8
Quod Cardinalis Sabbellius tunc Vrbis Vicarius,

præcepetit aliqnibus Sacerdotibus, ne illo die celebrarent, quia hoc non fuit postea seruatum. Deinde quia potuit id præcipere, vel quia contrariam opinionem teneret, vel quia potuit habere aliquas speciales causas, ob quas tunc ita præciperet. Denique huiusmodi præceptum non babuit vim legis, vt posset obligare cæteros, quibus intimatum non fuit.

9 Ex quibus deducitur Quintanaduen. *tom. 2. tractat. 1. singul. 10. n. 7.* Posse ordinarium præcipere, quod in tali die celebrentur plures Missæ, quando in ipso incidit festum Annunciationis. Hoc enim est medium necessarium ad obseruantiam præcepti, quia, si celebraretur vnica tantum Missa, plures non assisterent, quamuis aliàs non excusarentur.

QVÆSTIO 352.

An Prælati, & Rectores Ecclesiarum peccent, si sinant celebrare tot Sacerdotes, vt in Missa solemni omittatur communio Cleri.

SVMMARIVM.

1. *Rectores Ecclesiarum an peccent, si sinant feria V. Passionis, tot Sacerdotos celebrare, vt omittatur communio Cleri in Missa solemni.*
2. *Communio Cleri non omittetur ex eo, quod omnes Sacerdotes celebrent feria V. Passionis.*
3. *Sacerdotes non tenentur feria V. maioris hebdomara communicare, &c.*
4. *Communio Cleri in feria V. maioris hebdomadæ non est ritus necessarius.*
   Actus voluntarij non inducunt obligationem.
5. *Omissio communionis Cleri feria V. maioris hebdomada, non potest causare perturbationē in populo.*
6. *Superiores cur teneantur procurare obseruantias regulares.*
7. *Declaratio S. Congregationis de communione in feria quinta maioris hebdomada quomodo accipienda.*
8. *Sacerdotes sumentes communionem absque stola, an peccent.*

1 QVod Prælati, & Rectores, seu Præpositi Ecclesiarum, peccent, si permittant, tot Sacerdotes illa die celebrare, vt in consequentiam omittatur communio Cleri in Missa solemni, tradit Quartus *in Rubric. Missal. part. 1. proœm. dub. 5.* ver. *Respondeo & dico primo*, & vult, quod peccent mortaliter, quando sequi potest grauis perturbatio, & offensio populi, quod præcipuè sequi potest in Ecclesiis collegiatis: vbi adest numerus populi secus autem peccare tantum venialiter. Probo 1. Prælati, & Præpositi Ecclesiarum tenentur habere curam boni communis, atque adeò, vt seruentur ritus Ecclesiæ, quoad functiones graues, & poblicas, præsertim quas populus expectat aliàs minueretur Ecclesiarum decor, & cultus diuinus, & scandalizaretur populus, Communio autem Cleri in hac Missa solemni est functio valdè grauis, & poblica. quæ sine nota omitti non potest secundò Prælati Regulares, etiam si Regulæ non obligent subditos ad culpam, grauiter peccant, si non corrigant subditos, quia ex ipsorum negligentia sequitur relaxatio disciplinæ Regularis, quod est graue damnum communitatis, vt tradunt vnanimiter Doctores. Ergo idem dicendum, si Prælati negligunt ritus solemnes Ecclesiasticos.

2 Verum hæc opinio placere non potest. Vnde dicendum. *Prælatos, & quoscunque alios, ad quos spectat, posse absque vllo peccato sinere, quod omnes Sacerdotes celebrent feria quinta maioris hebdomadæ, etiam dato quod esset omittenda communio Cleri.* Dixi, *etiam dato quod esset omittenda communio Cleri.* Quia nunquam eueniet casus, quod ea causa omittatur. Quia cum hæc Missa solemnis soleat tantum celebrari in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, & Regularibus, semper aderunt simplices Clerici ministrantes, qui poterunt communicare, vnde non omittetur communio Cleri. Quare opposita sententia procedit ex falso præsupposito, quod sufficit, vt corruat.

3 Prob. Sacerdotes non tenentur illa die communicare; imò nec etiam tenentur sumere communionem Paschalem de manu sui superioris, cum satisfaciant præcepto celebrando, vt constat ex praxi. Rursus non prohibentur celebrare illa die, si volunt, vt constat ex dictis *in præced. quæst.* Ergo non potest Prælatus, seu quiuis alius cogere, vt omittant celebrationem & communicent: ergo multò minùs peccabunt, si sinant omnes celebrare. Anteced. constat. Conseq. prima prob. Quia non potest superior exigere à subditis, quod non tenentur præstare, & cum possit quilibet Sacerdos singulis diebus celebrare de iure communi, non potest superior immediatè ipsum priuare hoc iure absque culpa ipsius, aut saltem propter culpam communem. Conseq. 2. prob. Quia superiores, non tenentur exigere à subditis, quod non tenentur præstare, nec culpandi sunt, si non exigant.

4 Dices. Posse exigere, & cogere, saltem quando aliàs esset omittenda communio Cleri, quia non adessent Clerici, qui communicarent. Contra communio Cleri non est ritus necessarius exigitus ab officio illius diei, sed tantum voluntarius. Vnde Rubrica *in Missa illius diei*, solum dicit. *Deinde fit communio*, non autem dicit communio Cleri: & intelligitur, quod fit communio, si adsit, qui velit communicare. Et illa communio si fiat à Clero est actus meræ deuotionis: ergo potest committi tanquam actus merè voluntarius, & deuotionis, præsertim, si Sacerdotes celebrent, nec potest superior cogere ad communicandum, cum non possit cogere ad actus deuotionis, præsertim, si impediant alios actus maioris cultus diuini, qualis esset celebratio. Actus enim voluntarij non inducunt obligationem, vt postea possimus ad illos cogi. *l. 1. §. Si tibi fundum. ff. de itinere, & act. priuat.* & *l. Voluntariè. Cod. de excusat. tut.* vbi Gloss. verbo *Voluntariè.* Craueta *cons. 317. num. 15.* Pegna. *decis. 739. n. 5. part. 1.*

5 Ad 1. in oppositum resp. Assumere, quod est probandum, quod scilicet communio Cleri sit functio grauis, quæ sine nota omitti non possit. Nam si esset talis, nunquam sine peccato graui omitti potest, siue sequeretur perturbatio, & offensio populi, siue non; & tamen est solum peccatum veniale, si non sequatur grauis perturbatio, & offensio. Verum quod nunquam possit sequi perturbatio, & offensio populi ex eo videtur manifestum fieri, quia non pertinet ad populum quod communicent Sacerdotes, vel non communicent. Et quæ perturbatio, aut offensio sequi potest, si sciant, Sacerdotes non communicare, quia celebrarunt Missam?

6 Deinde quod ritus secundum se consideratus non sit grauis, ex eo deducitur. Quia non cadit sub aliqua obligatione, quia neque Clerici simplices, neque Sacerdotes ad id tenentur: si autem esset grauis, fuisset pro ipso imposita aliqua obligatio, & seruaretur etiam vbi non celebratur Missa solemnis. Rursus cum Missa solemnis celebretur tantum ex obligatione celebrandi officia, non potest inducere hanc obligationem pro Clero communicandi in tali Missa. Etsi non est obligatio penes Clerum, non potest esse ritus grauis, ita vt teneatur superior, ipsum executioni mandare sunt enim hæc duo correlatiua, quod superior teneatur exequi ritum, & quod subditi teneantur, se illi tali ritui subiicere, & vnum sine altero subsistere non potest.

Ad

7 Ad 2. Esse diuersam rationem de Prælatis regularibus in ordine ad procurandas obseruantias regulares; quia regulares obseruantiæ,quamuis non obligent ad culpam, obligant tamen ratione regulæ, & puniri possunt violatores. Vnde subditi tenentur eas seruare, quamuis non sub peccato. Et superiores ratione muneris tenentur procurare obseruantiam regulæ, & ideò si negligentes sint, peccant contra proprium munus. At nec Sacerdotes tenentur communicare in illa feria quinta, & possunt celebrare; & Prælati non tenentur procurare, quod communicent, quia tenentur solum procurare, quod subditi exequantur ea, quæ tenentur.

8 Ex dictis colligitur. Quid dicendum de quadam declaratione S. Rituum Congregat. in causa *Ciuitaten.27. Septembr.*1608. in qua declarauit, quod omnes præsbyteri Ecclesiæ Cathedralis tàm dignitates, quàm Canonici communionem sumerent de manu Episcopi, vel alterius celebrantis, eò quod Christus dicta die manu propria communicauit Apostolos; quam afferunt Doctorea oppositæ sententiæ. Nam in primis de ipsa non constat authenticè, & ideò non potest præualere contra communem sententiam. Secundò quia est desumpta ex Collectan. Bullar. Barbosæ in quo opere sunt plures declarationes adulterinæ, propter quas liber prohibitus fuit. Tertiò quia dato, quod dicta declaratio esset vera esset accipienda in consequentiam ad ritum, & consuetudinem, quæ sicuti non est vniuersalis, & non obligat; ita neque etiam ipsa declaratio.

9 Secundò colligitur cum Suarez *disput.* 68. *de Euchariſt. ſect.*1. vers. *Secundo dicendum.* Azotio *part.* 1. *lib.*10.*cap.*28. *quæſt.* 12. Graf. *part.* 1. *decis.... lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 3. Reginald. *lib.* 29. *Praxis fori pœnit. num.* 111. Naldo *in ſum. verbo* Sacerdos,*num.*6. Pitigiano *in* 4. *diſtinct.* 13. *quæſt.* 2. *artic.* 5. *circa finem.* Bonacina *diſput.*4. *de ſacrament. quæſt.*6.*part.*2.*num.*2. Quarto *in Rubric. Miſſal. part.* 4. *titul.*8. *num.* 7. Sacerdotes sumentes communionem absque Orario, seu stola non peccare mortaliter. Quia inquiunt ipsi, licèt Concil. Bracharense 3. *cap.* 3. relatum in cap. *Eccleſiaſtica, diſtinct.* 23. id præcipiat sub pœna excommunicationis, & proinde sub mortali,quia non imponitur pœna excommunicationis absque peccato mortali, attamen hoc modo cum vigore tanto non est receptum. Verum cum dictum Concilium Bracharense fuerit Prouinciale non potuit extendere suum Decretum extra Prouinciam: in qua etiam non credo hanc grauem obligationem esse in vigore, sed redactam fuisse ad commonem ritum Ecclesiasticum.

QVÆSTIO 353.

An feria quinta maioris hebdomadæ poſſit celebrari Miſſa in qualibet Eccleſia.

SVMMARIVM.

1. *Decretum S.Congregat. circa celebrationem Miſſæ feria quinta maioris hebdomadæ.*
2. *Dictio, Et, copulat.*
   Requirit concurſum copulatorum.
   Feria quinta maioris hebdomadæ non poteſt in qualibet Eccleſia ſeruari Euchariſtia.
3. *Plures functiones præsbyterales exercentur in Eccleſiis, quæ ſunt ſub regimine ſæcularium.*
4. *Episcopus poteſt concedere licentiam, vt in Eccleſiis Confraternitatum ſeruetur Euchariſtia per aliquot dies.*
5. *Vbi aſſeruatur Euchariſtia, poteſt etiam ſeruari feria quinta maioris hebdomadæ.*
6. *Parochus debet permittere celebrari per Capellanos feria quinta in Eccleſiis confraternitatum, & alias functiones exerceri; ſi ipſi nolunt accedere.*

Qvod spectat ad Ecclesias Cathedrales; Collegiatas, Regulares, & Parrochiales est extra controuersiam,cum Praxis ostendat,licere celebrare; solum difficultas est de cæteris Ecclesiis propter quoddam decretum S.Rituum Congregat.relatum à Quaranta in *ſumma Bullar.* verbo *Miſſa.* tenoris sequentis. *In Eccleſiis non Parochialibus, & quæ ſub magiſtrorum Laicorum gubernio, ex directione eſſe ſolent, ex ſtatutis, nuncupatis Sacerdotalia munera, ac præsbyterales functiones,quæ populi, & animarum curam quoquo modo concernere videntur,quales ſunt Candelarum, Cinerum, Palmarum, Fontis Baptiſmalis benedictiones, ſanctiſſimi Sacramenti delationes, celebrationes Miſſarum feria quinta in Cæna Domini, & Sabbatho Sancto, aſperſiones Domorum, & quæ in Dominicis diebus in Eccleſia fiunt; queque circa cultum ſanctiſſimi Sacramenti Corporis Chriſti in quadraginta horarum Oratione, & ſimiles non ad Capellanos ſeu ſacriſtam Eccleſiarum huiuſmodi ab eiſdem Laicis deputatos, ſed ad Parochum, ſeu Rectorem animarum curam habentem in Eccleſiis huiuſmodi inſtitutum præcedenti examine, & aliis requiſitis ab Ordinario loci prouiſum, ſpectare cenſuit ſacra Rituum Congregatio die* 18. *Maij* 1601. *Ptolomeus Cardinalis, Alexander Gratianus pro ſecretis.* 1

Ex quo Decreto exclusæ remanent solum Ecclesiæ,quæ sunt sub directione Laicorum, nam dum habet. *In Eccleſiis non Parochialibus, & quæ ſub magiſtrorum Laicorum gubernio, &c.* dictio, Et, stat coniunctiuè itavt copulet duas qualitates Ecclesiarum, nempè, quod non sint Parochiales, & quod sint sub Laicorum regimine, & proinde requirat concursum vtriusque copulati, vt notant Jas. *in lib.* 1. *num.*3. *ff. de Iuſti. & iure*, Felin. *in c.* 2. *num.*132. *de reſcript.*Parif. *conſil.*95.*num.*6. *col.* 1. Rota *decis.* 115. *num.* 8. *part.* 1. *diuerſor.* Existimo tamen, quod hoc decretum solum habeat locum quoad celebrationem Missæ solemni modo, cum delatione sanctiss. ad sepulchrum, non autem de celebratione Missæ priuato modo. Siquidem loquitur decretum de functionibus concernentibus aliquo modo ad habentes curam animarum, qualis non est celebratio Missæ priuato modo. Et loquenees de celebratione Missæ cum asseruatione sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ, non posse celebrari tradunt Marchin. *de ſacrament.Ordin. tractat.*3.*p.*3.*c.*8.*num.*6.Garzia *in ſum. tractat.*3. *difficult.*2. *dub.*4. *punct.*1. *n.*5. 2

Est etiam aduertendum. Quod non obstante prædicto decreto in Ecclesiis, quæ sunt sub sæcularium regimine, & Oratoriis Confraternitatum exercentur plures ex dictis functionibus, quales sunt benedictio Candelarum, & Ramorum, benedictio Cinerum, & in Oratoriis quidem pro ipsis confratribus in Ecclesiis verò etiam pro cæteris, vt pluries obseruaui hic Romæ, vel quia dictum decretum non sit in vsu. Vel quia adsit specialis licentia, vel etiam quia ex aliquarum exemplo præcedente licentia cæteræ quoque Ecclesiæ, seu oratoria sequntæ sint. 3

Rursus etiam est aduertendum, vt aduertit etiam Marchin. *de ſacram.Ord.tr.*3.*p.*3. *c.*8 *n.*6.*in fine*, quod potest Episcopus concedere licentiam, vt in Ecclesiis Confratrum per aliquem diem seruetur Sacramentum Eucharistiæ in aliquem finem, vt pro oratione Quadragiota horarum. Vnde etiam de ipsius 4

licentia celebrati poterit Missa solemniter feria quiota maioris hebdomadæ, & asseruati in sepolchro sanctissimum Sacramentum; vt vidi in Praat seruari diuersis locis. Nec tamen poterit Episcopus concedere licentiam, vt perpetuò asseruetur Eucharistia, cum id pertineat ad Sedem Apostolicam, vt respondit S. Concil. Congregat. apud Genueosem *in Praxi cap. 42. num.* . . . . . . Ptaser. *in Praxi Episcop. part. 2. cap. 3. num. 33.* ver. *Huc pertinent.*

5 Insuper obseruandum est. Quod in Ecclesiis, in quibus siue de iure, siue ex consuetudine præscripta, siue ex priuiiegio asseruator saoctissimum Eucharistiæ Sacramentum, poterit in feria quinta maioris hebdomadæ celebrari, & instui sepulchrum. Qoia eum liceat sacramentum asseruare; erunt etiam licita, quæ in Rubricis in ordine ad hae asseruationem præscribantur.

6 Denique est aduertendum, quod licet iuata præfatam S. Congregationis declatationem spectet ad Parochum io Ecclesiis Confraternitatum prædictas functiones exercere, attamen, quia non conuenit confratres iis priuari, ideò debet Parochus permittere exercere per proprios earumdem Capellanos, si noiit ipse eas pergere. Ita declarauit S. Episcopi. Congregatio scribens Episcopo Laudensi sub die 20. Augosti 1601.

QVÆSTIO 354.

An Episcopus prohibere poßit, ne celebrentur Missæ priuatæ in feria quinta maioris hebdomadæ.

SVMMARIVM.

1. *Episcopi sunt delegati Sedis Apost. circa exequutionem Decreti Concil. Trident. de seruan. & vitan. in celebrat. Miss.*
2. *Episcopus non potest prohibere Regulares, ne celebrent feria quinta maioris hebdomadæ.*
3. *Relegata iurisdictio non se extendit vltra terminos delegationis.*
4. *Episcopus non potest nisi ex causa prohibere sæculares ne celebrent feria quinta maioris hebdomadæ.*
   Communis opinio in indicando præferenda.
5. *Opinio, quæ ducit ad ius antiquum debet prævalere.*
6. *Opinio communis habet vim consuetudinis.*

1 Difficuitas procedit, tàm quoad Regulares, quàm quoad sæculares, qui ipsi subiecti sunt. Et videtur dicendum, quod possit prohibere Regulares, ne celebrent in dicta feria quiota maioris hebdomadæ, quia in Decreto *de seruan. & vitand. in celebrat. Missar. sess.* 22. Concil. Trident. constituuntur Episcopi quoad exemptos Delegati Sedis Apostolicæ in ordine ad executionem illius decreti. Et proinde auctoritate Apostolica inhibere poterunt, quod Regulares in dicta die non celebrent.

2 Dicendum tamen est. *Non posse prohibere Regulares celebrare in dicta feria quinta.* Ratio est. Quia Concil. Trident. habet pro causa finali in illo decreto tollere abusus, & quæ dedecent celebrationem Missarum, vt constat, ea proœmio ibi. *Cum igitur multa iam sine temporum vitio, siue hominum iniuria, & improbitate irrepsisse videantur. Quæ à tanti sacrificij dignitate aliena sint, vt & debitus honos, & cultus ad Dei gloriam; & fidelis populi ædificationem restituatur, decreuit sacra Synodus, vt ordinarij locorum Episcopi ea omnia prohibere, atque è medio tollere sedulo curent, ac teneantur, quæ vel auaritia idolorum seruitus, vel irreuerentia, quæ ab impietate vix seiuncta esse potest; vel superstitio veræ pietatis falsa imitatrix induxit.* Quibus satis clarè significat Capita, ad quæ reducuntur abusus, quod iniungit Episcopis extirpandos. Et postquam recensuit in speciali nonnullos abusus, qui ad expressa capita reducuntur, subdit; *Hæc igitur omnia, quæ summatim enumerata sunt omnibus locorum ordinariis ita proponuntur, vt non solum ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi à Sacrosancta Synodo potestate, ac etiam vt delegati Sedis Apostolicæ prohibeant.* Ex quibus constat, quod tota facultas delegationis est in ordine ad corrigendos abusus, & quæ ad illa capita reduci possunt, quod manifestè declarant illa verba, *Quæcumque alia huc pertinere visa fuerint*, nempe ad illa capita expressa.

Ex quo fit. Qood tamquam delegati possint solum vti iurisdictione sibi mandata, in causa abusus, & non extra ipsam, cum iurisdictio delegata non se extendat vltra terminos delegationis, vt desumitur ex *lib. 1. Cod. de offic. Præfect. vigil.* & *leg. Prætor. ff. de iurisdic. om. Iud.* & cap. *Super quæstionum. de offic. deleg.* & cap. *Cum olim eod. tit.* Etsi extra abusus procedat, nulliter procedet defectu iurisdictionis. Constat autem, quod celebrare Missam feria quiota maioris hebdomadæ non sit abusus aliquis, nec ad illa capita expressa in illo Decreto reuocari possit, cum non possit esse abusus, quod est licitum secundum communem sententiam. Et hoc dicendum est, supposito, quod sint delegati, quoad Regulares vniuersaliter. Nam quoad contenta in illo decreto, esse solum delegatos, quoad celebrationem extra Ecclesias, & Oratoria, &c. dixi in obseruat. ad Lautet. de Franchis *part. 1. num. 8.* 3

Quod autem spectat ad sæculares, nisi aliqua causa specialis vrgeat, existimo, non posse prohibere. Ratio est. Quia non possunt superiores, nisi aliqua specialis causa vrgeat, prohibere, quæ licitè subditi faciunt, præsertim si habeant ius ad ea peragenda. Sacerdotes autem habent ius ad celebrandum, & in illa die iustè id peragant, secundum communem sententiam. Nec obstat, quod adsit aliquorum paucorum sententia, quod non liceat, quia hæc sententia non habet fundamenta alicuius momenti, vt visum est, & alias Episcopus se gerit vt Iudex in hac materia priuans aliqoo iure celebrandi. Vnde tenetur præferre communem *sententiam*, iuxta ea, quæ tradunt Euerardin. *in Topica iur. loco ab Auctoritate, num. 14.* Ceual. *in Commun. contra Commun. in Præf. num. 30.* Menoch. *præsum. 71. num. 1. lib. 2.* Azor. *part. 1. lib. 2. cap. 13. quæst. vltim.* Bannes 2. 2. *quæst. 63. art. 4. dub. 41.* Sotus *lib. 3. de iust. & iure, quæst. 6. art. 5. ad 4.* Valent. *tom. 3. disput. 5. quæst. 7. punct.* 4. Ledesma 2. *part. 4. quæst. 54. art. 6.* Rodriguez *tom. 1. sum. cap. 6. num. 1. conclus. 1.* Vasquez 1. 2. *disput. 64. cap. 2. n. 5.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 9. num.* 47. 4

Accedit etiam. Quod de iure antiqoo singulis diebus celebrabatur, & solum per biduum prohibebatur offerri sacrificium, nempe feria sexta Parasceue, & Sabbatho Sancto iuxta cap *Sabbatho. De consecrat. distinct.* 3. Vnde cum modo opinio, quæ asserit, quod feria quinta maioris hebdomadæ possit celebrari, non solum sit communis, sed etiam redoeat ad ius antiquum, debet prævalere iuxta ea quæ tradunt Crauetta *Consil. 174. num. 7.* Neuizan. *cons. 69. num.* 8. Decian. *respon. 74. num. 53. vol.* 3. Sord. *decis. 272. num.* 34. 5

Ex dictis autem tam in hac, quàm in superioribus quæstionibus, tum colligitur. Quod cum aliqui 6

celebrent

celebrent Missas priuatas in feria quinta maioris hebdomadæ, & adsit communis opinio, quod liceat celebrare censenda est adesse consuetudo celebrandi, & quod illi, qui hoc non faciunt, merè voluntariè omittant tanquam actum facultatiuum relictum ipsorum voluntati. Sola enim opinio communis habet vim consuetudinis, vt docent Bald. *in cap. ne innitaris, de constit.* Menoch. *præsumpt.* 71. *num.*4 *lib.*2. Euerat. *in topica iur. loco, ab auctoritate num.*14. Quia scilicet communis opinio habet vim interpretandi ius, & reddere licitum quicquid secundum ipsum agitur.

QVÆSTIO 355.

An feria sexta maioris hebdomadæ liceat offerre sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *Feria sexta maioris hebdomadæ non offertur sacrificium.*
2. *Non ex consuetudine, sed ex traditione, & iure.*
3. *Rationes, cur non offeratur.*
4. *Offerens in Parasceue sacrificium peccat mortaliter.*
5. *Grauis obligatio non offerendi vnde desumatur.*
6. *Prohibitio non offerendi sacrificium in Parasceue habuit graue motiuum.*
7. *Obseruantia inuariabilis declarat grauem obligationem.*
8. *Communis consensus Doctorum concludit obligationem grauem.*

1 FEria sexta maioris hebdomadæ non offertur sacrificium, sed solum celebratur officium, in quo sub vnica specie panis præsanctificata consumuntur, vt constat ex praxi vniuersalis Ecclesiæ, & ex Rubricis Missalis. Quamuis autem nonnulli acceperint hanc consuetudinem tanquam non obligatoriam, quos refert Henriquez *lib.*9. *sum. cap.* 9. *num.* 6. *in comm. littera S.* Tamen communis sententia, est in contrarium, vnde,

2 Dicendum est, *In feria sexta Parasceues non licere offerre sacrificium.* Ita desumitur ex cap. *Sabbato, de consecrat. dist.* 3. vbi habet, *Vt traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo sacramenta penitus non celebrari.* Quam traditionem deducit ab initio Ecclesiæ, & quod inde ortum habuerit, quia illo biduo Apostoli fuerunt in mærore, & ieiunarunt. Vbi est notandum, quod non est solum ex consuetudine, quod non celebretur feria sexta Parasceues, sed ex traditione vt habetur in dicto cap. habet Pontifex Innocent. Vnde oportet, quod ab initio Ecclesiæ ita constitutum fuerit, & quod tunc fuit constitutum deuenerit ad Posteros per traditionem. Et ita tradunt Auctores, qui scripserunt de rebus Ecclesiasticis. Ordo Roman. vbi *de officio Parasceues*, ibi. *feria sexta Parasceues quæ & sexta sabbati dicitur, Missa non cantatur, sed neque sabbato sancto ad Vigilias noctis*, Albinus Flac. *de diuin offic.cap.*18.*de Parasceue*, Amalac. Fortunat. *lib.*1. *de Ecclesiast. offic. cap.*12. & *cap.*13. & *cap.* 15. & *lib.*4.*cap.*20. in quibus locis assignat etiam rationes. Rabanus Maurus *lib.* 2. *de instit. cler. cap.*37. *de Parasceue*, Valfridus Strabo *de rebus Ecclesiast. cap.* 22. Rupert. Abbas *de diuin. offic. cap.* 2.

3 Rationes autem, cur non celebretur in hac sexta feria diuersæ sunt. Sed hæc sunt præcipuæ; prima, quam affert Innocent. Papa in dicto cap. *Sabbato, de consecrat. distinct.* 2. Quia Apostoli in hoc biduo in ieiunio, & mœstitia fuerunt. Secunda; quam affert Albinus Flaccus; quia Christus in hac die se obtulit hostiam Patri, & proinde cum celebretur oblatio cruenta, non debet offerri mystica, quasi non sufficeret cruenta. Tertia; quam affert Ruper. Abbas Quia non ita gaudere debemus de charitate morientis, quia conscientia nostrarum culparum, quibus fuimus causa mortis Redemptoris, renerberet gaudium, & faciat dolere, & proinde non exultantes offerre sacrificium.

Dicendum 2. *Si quis in tali die offerret sacrificium peccaret mortaliter.* Conueniunt communiter vel explicitè: vel quatenus asserunt, id esse prohibitum, & proinde sub mortali, cum sit res grauis. Ita Gloss. *in cap. visum, de consecrat. distinct.* 1. & cap. *Iteratur, de consecrat. distinct.*2. D. Thom. 3. *part. qu.* 83. *art.* 2. Richard. *in* 4. *distinct.* 13. *art.* 2. *qu.* 4. Palud. *qu.*2. *art.*2. *conclus.* 1. Sotus *ibid. in resp. ad* 1. ver. *Hic primum*, Maior. *distinct.*12.*qu.*2. *in fine*, Ledesma 2.*part.*4. *qu.*24. *art.*2. *in fine*, Rodriquez *part.*1. *sum. cap.* 249. *conclus.* 3. Nauarr. *in manual. cap.* 25. *numer.* 88. Henriquez *lib.*9. *sum.cap.*9.*num.*6. & *cap.*24. *num.*3. Tolet. *lib.*2.*cap.*3.*in fine*, Azor. *part.*1. *lib.*10. *cap.*24.*qu.*3. Sà *verbo* Missa, *num.*23. Vasquez 3.*part. disp.*232. *cap.*2. *num.*18. & 19. Suarez *disput.* 80. *de Eucharist.sect.*2. ver. *Secundus dies*, Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.*3.*cap.*15.*num.*15. Reginald. *lib.*29. *praxis fori pænit. cap.*9. *sect.*4. *numer.* 70. Garzia *in sum. tract.*3.*difficult.*2. *dub.* 2. *punct.*2. *num.*6. Marchin. *de sacram.ordin.tract.*3.*part.*3.*cap.*8.*num.*2. Palaus *part.* 4.*oper.mor.tract.*22. *disp.vn. punct.*7 *num.*3. Scortia *lib.*2.*de sacrific. Miss. cap.*4. Layman *lib.*4. *Theol.moral. tract.*5.*cap.*4. *num.*7. Tanner. *tom.*4. *disp.*5.*qu.*10. *dub.*3.*numer.*57. Faustus *lib.*2.*de Eucharist.quæst.*110. Amicus *tom.*7. *Curs. theol. disp.*33.*sect.*10. *num.*307. Gaspar Hurtad. *de sacram. disp.*4. *de Eucharist. difficult.*2. ver. *Secundo est*, Caspens. *part.*2. *Curs. theol. tract.*23.*disp.*3. *sect.* 1.*numer.*50. Villalob. *part.*1.*sum. tract.*8.*difficult.*20. *num.*2. Trullench *lib.*3.*de sacram. cap.* 8.*dub.*9. *num.*19. Coninch *de sacram. qu.* 83. *art.* 3.*dub.*2. *numer.* 209. ver. *Tertio*, Leander. *de sacram. tract.*8. *disp.*5. *qu.*22. Auersa *qu.* 11. *de Eucharist.sect.* 15. ver. *Secundo*, Dicastil. *de sacram. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.*2.*num.*30. Francisc.Lugo *de sacram. lib.*5.*cap.* 5.*qu.*5.*numer.*29. Quartus *in Rubr. Missal.part.* 2. *in proœm. dub.*5. Tit. *Dubitatur secundo.* 4

Ratio autem desumitur tum ex qualitate mysterij, 5 quod in cessatione à celebratione repræsentat Ecclesia tum ex grauitate materiæ, quæ est cessatio à principalissimo cultu diuino, tum ex perpetua obseruantia, & semper vniformi, tum ex communi consensu Doctorum hæc enim omnia, præsertim simul sumpta, fundant grauem obligationem, ita vt non possit prudenter æstimari, quod leuis sit obligatio. Nam mysterium est celebrare passionem cruentam Christi, & repræsentare Deo mœstitiam, tristitiam, & dolorem fidelium imitando Apostolos, qui quam concipiunt ex consideratione, quod filius Dei propter nostra peccata mortuus sit; & proinde abstinere ab oblatione sacrificij, quasi non audeant offerre. Quod sano mysterium potest esse maximè fructuosum fidelibus, quia deberent ex consideratione ipsius excitari ad detestationem peccatorum, & ad inchoandam nouam vitam.

Præterea abstinentia à celebratione de re quoque 6 est grauis, præsertim quia omittitur etiam Missa solemnis. Vnde præsupponendum est, quod hæc institutio habuerit graue motiuum, cum priuauerit Ecclesiam sacrificio, ex quo tot bona percipiuntur; neque enim est verisimile, quod voluerit tot sacrificijs priuare, ex quibus proueniunt nobis, & animabus Purgatorij abundantissimè fructus passionis Christi, nisi habuerit proportionatum motiuum.

Rursus obseruantia perpetua, & inuariabilis est signum certum grauis obligationis, si quidem cum nullus ausus sit in tali die celebrare, oportet, quod apprehenderit, adesse obligationem grauem; cum stante deuotione celebrandi, quæ apud nonnullos maxima est, & consideratione bonorum, quæ percipiuntur ex sacrificio, atque adeo vehementi motiuo celebrandi, impossibile fuisset, quod omnes abstinuissent, nisi ad ipsos peruenisset traditio, quod non liceat celebrare sub graui prohibitione. Quod etiam constat ex opposito illius, quod seruatur in feria quinta; plures enim celebrant, quamuis vt plurimum adsit consuetudo non celebrandi, quia non apprehendunt etiam dato, quod ratione consuetudinis non liceret celebrare, quod sit prohibitum sub graui obligatione.

8 Denique communis sensus Doctorum asserentium, non licere celebrare, & stante inuariabili consuetudine, sufficit ad concludendum obligationem grauem, quia si non esset obligatio grauis, non essent ita concordes, sicuti non sunt circa obligationem, in Sabbato Sancto. Et quia si obligatio non esset grauis, quælibet causa rationabilis sufficeret, vt fieret licitum, sicut contingit in cæteris, quæ leniter solum obligant: & consequenter, non docerent absolutè Doctores, quod non liceat, sed solum dicerent, quod non licet sine causa rationabili.

QVÆSTIO 356.

An pro ministrando viatico liceat in feria sexta Parasceues celebrare.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia prouidet, ne pro conficiendo viatico celebretur in Parasceue.*
2. *Pro conficiendo viatico non licet in Parasceue celebrare.*
   Publica priuatis præferenda.
3. *Secreto pro conficiendo viatico an in Parasceue possit celebrari.*
   Quæ non licent publicè secreto fieri possunt.
4. *Unde colligatur, quod Ecclesia non prohibeat in Parasceue celebrationem secretam pro ministratione viatici.*
5. *Vbi non permittitur vsus religionis Catholicæ potest in Parasceue celebrari ob necessitatem viatici.*
6. *Quænam Missa in tali die celebranda, si contingat celebrari.*
7. *In Ecclesia Ambrosiana celebrari poterit in ferijs sextis Quadragesimæ ob viaticum ministrandum.*

1 De intentione Ecclesiæ satis constat, quia cum in Rubricis præscribat, quod consecretur, & conseruetur Eucharistia pro illa die pro ministrando viatico, si occurrat satis declarat suam intentionem, quod nolit celebrari etiam pro conficiendo viatico. Si quidem quantum est in se, occurrit necessitati, quæ superuenire potest in hunc effectum, vt seruetur ritus ab ipsa præscriptus. Solum difficultas est, quid dicendum, si aut ex aliqua negligentia, vt ex aliquo casu fortuito contingeret, non adesse Eucharistiam, & aliàs necessitas vrgeret.

2 Henriquez *lib. 9. sum. cap. 9. num. 6. in commen. litera S.* refert Regnam, & nonnullos alios asserentes, licere celebrare, quando vrgeret necessitas viatici. Quod tamen absolutè placere non potest. Quia ritus celebrandi passionem Christi cum cessatione ab oblatione sacrificij est ritus publicus concernens publicum cultum Dei, & qui strictissimè seruari solent, & proinde videtur præferendus priuatæ necessitati, cum valdè intersit, cultum publicum, & specialiter nota dignum non alterari. Si quidem quæ publica sunt priuatis præferri debent, *l. vnica, §. hinc autem C. de cadu. tollen. & l. Iubemus C. de sacrosanct. Eccles.* & cap. *Romæ, de postulat. relat.* & cap. *licet, de regul.*

Attamen secreto celebrari posse, videtur admitti 3 posse; si quidem quæ non licent publice, secreto fieri possunt, cap. *Tua fraternitatis, de cler. peregrin.* ibi, *Sed si forsitan eorum aliqui secreto ex deuotione celebrare voluerint, poteris sustinere.* Et in præsenti militat specialis ratio. Quia impedimentum celebrandi oritur ex publico ritu, quo illa die celebratur passio Christi, qui ex rigorosa obseruantia non admittit in aliquo casu celebrationem Missæ. Verum si secreto celebretur, celebratio se habet tanquam actio priuata nullo modo pertinens ad officia Ecclesiastica illius diei, & consequenter vt quid extra ipsa, non alterans ritum.

Confirm. constat de Intentione Ecclesiæ, quod 4 in illa die ministretur viaticum, cum in hunc finem iubeat, conseruari, & seruari Eucharistiam, & alias non constat, quod si occurrat, quod non adsit Eucharistia ex aliquo casu fortuito, nolit nec etiam secreto celebrari; ergo eius intentio ita interpretanda est, vt non prohibeat celebrationem secretam pro hoc casu tanquam quid extraneum officio diei, & quod non habet ritum publicum, cum quo celebratur passio Christi, præsertim quia pro tali necessitate relaxat alios ritus, qui alias seruari debent.

Ex his sequitur à fortiori, quod in iis locis, in quibus non permittitur liberum exercitium Catholicæ 5 religionis, poterit ex hac causa celebrari. Tum quia ibi non habet locum ritus Ecclesiasticus celebrandi Dominicam passionem, atque adeo nec ea quæ veniunt in consequentiam ad ipsum, nempe cessatio à celebratione. Et quamuis debeant ipsi Catholici seruare ibi ritum Catholicæ Ecclesiæ, quantum fieri potest, attamen, quia hic ritus est annexus officiis Ecclesiasticis illius diei, quæ non possunt ibi celebrari, nec ibi locum habeat publicus cultus, ideo facilè præsumi potest quod Ecclesia ex tali causa remittat prohibitionem. Tum etiam quia in iis locis non potest seruari Eucharistia ad effectum communicandi infirmos sicut præscribit seruari.

Sed hic insurgit dubium, quænam Missa in tali 6 casu celebranda sit, cum non adsit aliqua pro illa die. Resp. In rigore posse celebrari quamcunque Missam ex iis, quæ cæteris diebus celebrari possunt, præsertim quia qualitas Missæ non obligat saltem sub peccato graui, vt suo loco dicitur. Melius tamen erit, si celebretur Missa, quæ aliquo modo congruat, qualis esset Missa votiua de passione, quæ omnium maximè congruit, cum in illa die celebretur passio Christi, vel Missa pro infirmis, quæ congruit fini celebrationis, quia celebratur pro beneficio infirmi, dum celebratur ad ei ministrandum viaticum. Vel Missa votiua de sanctissimo Sacramento, quæ congruit fini proximo, qui est conficere Eucharistiam.

Ex dictis colligitur; quod si in Ecclesia Ambro- 7 siana occurrat casus, quod sit ministrandum viaticum, & non adsit Eucharistia, celebrari poterit in feriis sextis Quadragesimæ. in quibus alias non licet. Nam prohibitio celebrandi apud illam Ecclesiam non est adeo antiqua, nec ex traditione ab initio nascentis Ecclesiæ, nec est vniuersalis, sicut est prohibitio Ecclesiæ Romanæ celebrandi in Parasceue:

feeue: & proinde non habet illam rigorosam vim obligandi sicor habet ista: & ideo considerari debet tanquam lex ordinaria, quæ in casu tantæ necessitatis cedere debeat.

QVÆSTIO 357.

An in feria sexta liceat communicare.

SVMMARIVM.

1. *In Parasceue an liceat communicare*, & num. seq.
4. *Seclusa consuetudine non licet in Parasceue communicare.*
   Vnde prohibitio desumatur.
   Dictio, Penitus, *quid significet.*
   Dictio, Totaliter, *complectitur omnem integritatem.*
5. *Reseruatio Eucharistiæ in Parasceue est solum pro infirmis.*
   Dictio, Pro, *importat causam finalem.*
6. *Excludit quicquid sub ipsa non cadit.*
7. *Declarationes S. Congregat. circa communionem in Parasceue.*
   Declaratio consuetudinis inest ipsi consuetudini.
8. *Consuetudo in facultatiuis quando obliget.*
9. *Consuetudo non communicandi in Parasceue sequitur ex prohibitione celebrandi.*
   Communio in Parasceue an aliquando fuerit in vsu.

1 QVamuis alibi, nempe in Theologia morali hanc quæstionem tractauerim, quia tamen affinis est hoic materiæ, non erit inutile eam rursus agitare. Prima ergo sententia affirmat, licitum esse ministrare Eucharistiam. Ita Heoriquez *lib.9. sum. cap.9. numer.6. & in com. littera S. in fine*, vbi alios citat Durand. *lib. 6. de diuin. offic. cap. 77. numer.* 35. Suarez *disp.80. de Eucharist. sect.* ... ver. *Secundus dios*, Vasquez 3.*part. disp.*232.*sect.*2.*numer.*19. & 21. Sà *verbo* Eucharistia, *num.* 19. Ledesma *part. 2. sum. cap.* 19. *post.* 5. *conclus.* Vega *in speculo curator. cap.* 10. *numer.* 241. Facundez *precept.*1.*Eccles. lib.*3.*cap.*14.*numer.* 16. Arbol. *tract. de sacrament. Eucharist. not.*8. Perez. *in sum. Theol. cap. de Eucharistia*, ver. *Ministro*, Layman *lib.*5.*Theol. moral. tractat.*5. *cap.*4. *num.* 7. Gaspar Hurtad. *disp.* 4. *de sacrific. Miss. difficult.* 2. ver. *Durandus*, Filliuc. *tract.*5. *cap.*5. *qu.* 5. Victorel. ad Tolet. *lib.* 2. *cap.* 3. Ioan. Sanchez *in selet. de sacrament. disp.*22. *num.*20. Tanner. 4.*part. disp.*5.*qu.*10.*dub.*4. *numer.*57. Auersa *quæstione* 8. *de Eucharist. sect.*3.*init.* Isambert. 3.*part. qu.*80. *disp.*5. *art.*1. ver. *Quares an etiam*, Qoiotanaduen *tom.*1. *singul.*6. *de Eucharist. num.*4. quos citaui *in Theol. moral. disp.* 109. *sect.*2.*num.*14. Palaus *part.*4.*oper. moral. tract.*22. *disp. vn. scien. qu.*1. *de sacrif. Miss. dub.* 2. *conclus.*1. Machad. *tom.*2.*lib.*4.*part.*1. *tract.*11. *docum.*11. *num.* 2. Molfes. *part.*1.*sum. tract.*3.*cap.*14.*num.* .... Filliuc. *tract.*5.*num.*105. Faustos *lib.*2.*de Eucharist.* 111. Caspens. *part.* 2. *Curs. Theol. tract.*23.*disp.*5.*qu.*14. Granad. 3.*part. controuer.* 6.*tract.*14.*disp.*10.*num.*2. Leander. *de sacrament. tract.*8.*disp.*5.*qu.*14. Villalob. *part.* 1.*sum. tractus.*8.*difficult.*20.*num.*20. ver. *Hase*, Trullench *lib.*3.*de sacram. cap.*8.*dub.*9.*num.*19. qui tamen monet seruandam coosuetudinem, & solum communoicandum secreto, Dicastil. *de sacrament. tract.*5. *disp.*4. *dub.* 2. *numer.* 32. asserens Vienæ Austriæ esse receptum, vt mioistretur Eocharistia, sicut etiam in aliis locis Germaniæ, quæ consuetudo forte iode orta est, quod non recondant Eucharistiam in Sepulchro, nisi in feria sexta vbi remanet vsqoe ad noctem subsequentem sabbatum; vnde tunc videntur celebrare mortem Christi, qoi feria sexta hora nona expirauit.

Fundautur, in eo, quia nullum extat ius, qoo id prohibeator. Imò habentur plura testimonia, quod antiquitus distribuebatur Eucharistia, Gregor. Magnus, *in lib. sacram.* impressum per Pauel. *lib.*2.*de Liturg.* vbi *de Parasceue*, habet. *Deinde communicat ipse sacerdos, & omnis clerus*; Ordo Roman. vbi de officio Parasceues, *Communicent cum silentio*, & Amalar. *lib.*1. *de Ecclesiast. offic. cap.*12. & 15. habet, quod in illo die, qui volunt commoieare de præsanctificatis, communicent. 2

Secuoda scotentia asserit. Non esse licitum illa die communicare. Ita Francolin. *de hor. can. cap.* 30. *numer.*12. Gauant. *in Rubr. Missal. part.*4.*tit.*9.*numer.* 25. Barbosa *de parochis, cap.*20. *num.*16. Marchin. *de sacrament. ordin. tract.*3.*part.*3.*cap.*8.*num.*3. Candid. *tom.*2. *disquisit.*25. *art.*29.*dub.*12.*in fine*, Alphons. de Leone *de offic. Capel. quæst.* 8. *qu.*17. *num.*170. Baootus *tom.*2.*Theol. moral. tract.*18.*qu.*5.*de presbyt.* Hieronym. Garzia *in sum. tract.*3.*difficult.*2. *dub.*2. *punct.* 2. *num.*10. & Amicus *tom.*7. *Curs. Theol. disp.*33. *sect.* 11.*num.*309. vult standum loci consuetudioi. 3

Dicendum est. *Præscindendo ab ijs locis, in quibus adest consuetudo præscripta non licere, communicare in feria sexta Parasceues.* Prohibitio autem deducitur ex cap. *sabbato, de consecrat. dist.*3. oam ibi dicitur, sacramenta penitus noo celebrari; dictio autem *Penitus* significat io totum, seu totaliter, vt notaot commuoiter Doctores Gloss. *in verbo cap.*1. Penitus *de postulat. relat. in* 6. Ioan. Andr. *ibid.* Alexand. *Consil.*13. *num.*6. ver. *Tertio respondeo*, *lib.*2. Ruin. *Consil.*41.*num.*8. Honded. *Consil.*40. *num.*13.*lib.*2. Rota *decis.*305. *num.*24. *part.*7. *recent.* Vnde si sacrameota penitus, seu totaliter noo celebraotur, remanet exclusa integra, & plena celebratio iuxta ea, quæ notant Gloss. *in cap. cupientes, verbo* Totaliter, *de elect.* Tiraquel. *in l. si vnquam, verbo* Totom *C. de reuocand. donat.* Merlin *decis.* 800. *num.* 10. Distributio autem Eucharistiæ, & sumptio est quædam pars celebrationis mysteriorum, quia importat communicationem, & participationem sacrificij, quæ est pars integralis, quamuis noo necessaria, quoad alios, qui non offeruot. Et sicuti est absolutè necessaria quoad sacerdotem offerentem: ita quoad alios, quando interuenit est pars integralis noo oecessaria. Nec obstat, quod ministretur communio de præsanctificatis, quia adhuc ministratur de aliquo sacrificio, quod in totum non fuit consumptum, & ideo adhuc communio est aliqua participatio sacrificij, & aliqua consumptio, atque adeo aliqua pars integralis. Vnde Alcuin. *de diuin. offic. cap. de Cœna Domini*, ait. *Quia in Parasceue non conficitur corpus Domini, necesse est, vt hi, quibus est voluntas communicandi habeant sacrificium ex priori die, quod tamen Romani non faciunt.* His postremis verbis declarat, quod vsque tunc extabat consuetudo quod seruantes ritum Romanum noo sumendi Eucharistiam illo die, quæ coosuetudo oportet, quod habuerit principium idem, quod habuit cessatio à celebratione. 4

Secundo desumitur ex Rubrica Missalis *in feria quinta maioris hebdomadæ*, vbi habet. *Reseruat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit, pro infirmis.* Ergo oon pro sanis; quia dictio *Pro* qua vtitor Rubrica importat causam finalem, & ootant Dec. *Consil.*46.*num.*1. *vol.*1. Gozadin. *Consil.*58.*num.*11. Alexand. *Consil.*19. *num.*3. *lib.*2. Ruin. *Consil.*23. *num.*9. *lib.*2. Gabr. *Consil.*148.*num.* 15. *lib.*2. Menoch. *Consil.*352.*num.*2. Surd. *Consil.* 245.*num.*29. Et ideo non fit reseruatio pro sanis, sed excluduntur quia subin- 5

tret

trat regula, quod vbi causa finalis ooo haber locum nec etiam habet quod sit propter ipsam. Et ideò cum ista reseruatio Eucharistiæ non fiat pro sanis, iam constat de iotentione Ecclesiæ, quod ooo sit sanis ministranda.

6 Imò hæc dictio, *Pro*, excludit, quæ sub ipsa non caduot, vt proinde non possit habere alium vsum, quod pro certo vsu destinatur, vt quando Abbas daret Monacho pecuniam pro vestibus, non potest in alium vsum conuertere, vt tradunt Bald. *Consil.*337. *circa fin.* ver. *Item ratio lib.* 3. Tusch. *littera D. conclus.*342. *num.*10. Et banc limitationem ad id, supra quod cadit dictio, *Pro*, in alio casu obseruant idem Bald. *Consil.*250. *circa fin.* ver. *Quia illa dictio, lib.* 4. Idem Tusch. *ead. conclus. num.*35. Vnde cum consecratio Euchatistiæ sit pro infirmis, limitatur ad ipsos, & cæteti excluduntur: & ideo de inteotione Ecclesiæ est, quod ipsis non ministretur.

7 Desumitur etiam ex duplici declaratiooe S. Rituum Congregat. Prima *sub die* 9. *Maij* 1606. relata à Gauanto citato, & altera *sub die* 19. *Februarij* 1622. relata à Barbosa *num.*3. citato, in quibus dicitur quod sit seruanda consuetudo vnioersalis Ecclesiæ non ministrandi communionem, nisi infirmis. Vnde concurteote ex voa parte opinioae Doctorum, quod liceat ministrare communionem; & ex alia parte contraria consuetudine non ministrandi cum declaratione duplici in diuersis temporibus S. Congregat. quod sit seruanda consuetudo, non puto, quod aliquis sit dicturus, quod potius sequenda sit Doctorum opinio, qoam consuetudo auctorizata, & cuius est iniuncta obseruantia. Nec obstat quod dictæ declarationes non sint in forma authentica, quia cum sint declarationes coosuetudinis, quod sit seruanda, vtpote obligatoria, censentur inesse coosuetudini, & simol cum ipsa incœpisse, vt de declarationibus legum tradunt Anton. Gabr. *in commun. conclus.*3. *num.* 9. plures citans Maotica *de coniect. vlt. volunt. lib.* 12. *tit.*16. *num.* 4. Surdus *decis.*21. *per totam*, Gratian. *discep. forens. cap.*147. *num.* 2. & proiode habeot eam vim, quam babet consuetudo.

8 Denique dato, quod ista consuctudo non semper viguerit, modo tamen viget, & est introducta cum conditionibus necessarijs, vt habeat vim obligandi, etiam si actus sit facultatiuus, à quo ex libito abstinere possiot. Tunc enim introducitur consuetudo obligatoria, quoad actus facultatiuos, quando ex vna parte interuenit prohibitio exercitij, & ex altera acquiescentia, vt tradunt communiter Franc. *in cap. significante num.*3. *de appellat.* Felin. *in cap. pastoralis*, *num.*5. *de offic. ordinar.* Castrens. *in l. qui luminibus*, *num* 2. ver. *Sed tamen*, *ff. de seruit. vrban. præd.* Craoeta *Consil.* 111. *num.* 23. Surd. *Consil.*127. *num.*21. Afflict. *decis.*388. *num.*2. Setaf. *decis.*1086. *numer.* 1. Merlin. *decis.*106. *num.* 9. Rota *decis.* 330. *numer.* 2. *part.*3. *recent.* & in Reatina Barchæ 23. *Ianuar.* 1617. *coram Buratto.* Hæ autem cooditiones interueniunt in præsenti consuetudine; nam ministri Ecclesiæ denegaot in illa die ministrationem Eucharistiæ tanquam non permissam, & id seruatum est à tempore immemorabili, & fideles semper acquieuerunt.

9 Ad fundamentum in oppositum resp. Prohibitionem communicandi fundari in cap. *sabbato, de consecrat. dist.*3. vt dictum est. Et sicuti ex eo, quod non potest nisi simel in die celebrari, infertur, quod nec nisi semel liceat communicare, ita etiam ex eo, quod in aliqua die non liceat omnino celebrari ferti debet, quod non liceat communicare. Rursus fondatur etiam in consuetudine. Ad illa autem testimonia, quæ videntur significare, communionem antiquitus fuisse in vsu in illa die. Respond. quod etiam adsunt alia testimonia, ex quibus colligitur, quod illa die apod Ecclesiam Romaoam non erat in vsu communio, vt est illud Alcnioi de quo supra *num.* 4. *circa finem*, & illud Amalarij Fortuoat. *lib.*1. *de Ecclesiast. offic. cap.* 15. quod pro opposita sententia affertur, nam subdit: *De qua obseruatione interrogaui Romanum Archidiaconum: & ille respondit, In ea statione vbi Apostolicus salutat. Crucem, nemo ibi communicat.* Loquitur autem de obseruantia iuxta quam communicabant. Deinde dato, quod antiquitus consueuisset ministrari Euchatistia, modo tameo inualuit coosuetudo opposita, quæ habet vim legis, vt constat ex supra dictis.

QVÆSTIO 358.

An liceat priuatas Missas celebrare in sabbato Sancto.

SVMMARIVM.

1. *Varia opiniones circa celebrationem Missa in sabbato Sancto*, & num. seqq.
4. *Prohibitio celebrandi Missam in sabbato sancto est certa.*
5. *Missa qua nunc in sabbato sancto celebratur, prius celebrabatur prima nocte.*
6. *Prima nocte sequente sabbatum licebat celebrare priuatas Missas.*
7. *In sabbato sancto licet celebrare priuatas Missas. Quia sublata est prohibitio. Cessante ratione legis contrarie cessat lex.*
8. *Ex mutatione materia cessat lex.*
9. *In Missa sabbati sancti cessat tempus passionis, & incipit lætitia.*
10. *Prohibitio celebrandi in sabbato sancto cessat etiam quoad Missas priuatas.*
11. *Cur non sit assignatus introitus pro Missa priuata sabbati sancti.*
12. *Missa sabbati sancti celebrabatur post occasum solis.*

IN hoc quoque puncto discrepant Doctores; nam prima sententia asserit, quod non liceat celebrare alias Missas, præter solemnem. Ita Nauarr. 1
cap. 25. *Manual. numer.* 88. Francolin. *de hor. canon. cap.* 30. *numer.* 8. & 9. Vasquez 3. *part. disp.* 232. *cap.* 2. *num.* 24. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *quæst.* 24. Reginald. *lib.* 29. *praxis fori pænit. cap.* 9. *sect.*4. *num.* 170. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 3. Vicorrel. *ibid. in addit.* Villalob. *part.* 1. *sum. tractat.*8. *difficult.* 20. *numer.* 4. Gauant. *in Rubr. Missal. part.*4. *tit.*10. *numer.*45. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tractat.* 22. *disp. vn. punct.* 7. *numer.* 4. ver. *Nihilominus*, Layman *lib.* 5. *Theol. moral. tractat.* 5. *cap.* 4. *numer.* 8. qui tamen vult oppositam seotentiam esse probabilem, Henriquez *libr.* 9. *summ. capit.* 25. *numer.* 3. Taoner. *tom.* 4. *disputat.* 5. *quæst.* 10. *dub.* 4. *numer.* 99. qui tamen oppositam sententiam vocat probabilem, & tutam.

Fundamentum buius sententiæ est. Primò, quia licet cessauerit prohibitio, quoad Missam solemnem, non tamen cessauit quoad Missas priuatas, quæ est posita io cap. *sabbato, de consecrat. distinct.* 3. Secundò, quia non est introducta coosuetudo, vt celebrentur in illa die Missæ priuatæ. Tertiò, si cessasset prohibitio, esset licitum non solum secreto, sed etiam publicè celebrare. Quartò; quia pro Missa illius diei oon assignatur introitus, assignaretur autem, si posset priuatim recitari, sicut assignatur in vigilia Pentecostes. Quintò, quia quando antiquitus 2

quitus celebrabator noctu Missa, quæ nouc celebratut in sabbato, reliqui sacerdotes non celebrabant alioquin bis in die Pascatis celebrasset, quod est inauditum.

3 Secunda sententia asserit, esse licitum celebrare Missas priuatas. Ita Sotos *in 4. distinct. 23. qu. 2. art. 1. ad 2.* ver. *His primum*, Graf. *part. 1. decis. lib. 2. caper. 39. numer. 13.* Rodriquez *tom. 1. sum. cap. 249. conclus. 3.* Sà *verbo* Missa, *numer. 23.* Suarez *disput. 80. de Eucharist. sect. 2. circa finem*, Syluius 3 *part. qu. 83. cap. 15. numer. 19.* Mercer. *ibid. proposit. 2.* Coninch *dub. 2. numer. 211.* Alphons. de Leone *de offic. Capell. qu. 8. sect. 17. num. 171.* Facundez *precept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 15. num. 29.* Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp. 4. de sacrific. Miss. difficult. 2.* ver. *Sotus vero*, Lugo Cardin. *disput. 20. de Eucharist. sect. 1. dub. 2. numer. 16.* Auersa *qu. 11. de Euchar. sect. 15.* ver. *Plerique tamen*; qui tamen addit, non esse consulendum quod celebretur, nisi ex aliqua causa, Barbosa *de Parochis cap. 21. numer. 50.* Scortia *lib. 2. de sacrific. Miss. cap. 6.* Garzia *in sum. tractat. 3. difficult. 2. dub. 4. punct. 3. numer. 14.* Martin. *de Eucharist. disput. 40. numer. 5.* Gutierrez *lib. 1. qu. Canon. cap. 30. num. 36.* Marchin. *de sacram. ordin. tractat. 3. part. 3. cap. 8. num. 5.* Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disput. 4. dub. 2. numer. 36.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 5. qu. 3. numer. 34.* Machad. *tom 2. lib. 4. part. 1. tractat. 11. docum. 11. num. 3.* Trulleoch *lib. 3. de sacrament. cap. 8. dub. 9. num. 20.* Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disput. 33. sect. 10. numer. 312.* Caspens. *part. 2. Curs. Theol. tractat. 23. disput. 3. sect. 1. numer. 56.* Faustus *lib. 2. de Eucharist. qu. 112.* Ioan. à Cruce *part 2. direct. conscient. quæst. 2. de sacrific. Miss. dub. 1. conclus. 1.* Fernandez *part. 3. Examin. Theol. Moral. cap. 5. §. 5. numer. 2.* Ledesma *part. 1. sum. cap. 19. de Eucharist. conclus. 5.* Ludouic. à S. Ioan. *part. 1. sum. qu. 11. de Euchar. art. 1. dub. 1. conclus. 4.* Leander. *de sacrament. tractat. 8. disput. 5. qu. 25. & 26.* Granad. *3. part. controuer. 6. tractat. 14 disput. 10. numer. 3.* Quintanaduen. *tom. 2. tract. 1. singul. 10. num. 2* Quarius *in Rubr. Missal. part. 1. in proœm. dub. 3.* ver. *Tertia sententia.* Sotus autem, & Gutierrez requirunt licentiam superioris, cæteri verò non requirunt. Rursus plures volunt celebrandum priuatim, & secretò ad vitandam distractionem. Plures etiam testantur de consuetudine præsertim Leander.

4 In hac difficultate, cum certum sit, quod extat probibitio non celebrandi absolutè, vt habetur ex cap. *sabbato, de consecratione dist. 3.* vbi dicitur, quod biduo neque feria sexta, & sabbato sacramenta penitus non celebrantur, quia illo biduo Apostoli in mœstitia fuerunt ob passionem Christi. Et modo mane celebretur Missa solemnis, imo veritum sit à Pio V. *in sua constitut. 4. numer. 2.* Bollar. celebrare prima nocte hanc Missam, aut Missam subsequentis festiuitatis, videndum est, an sit sublata prohibitio celebraodi etiam quoad Missas priuatas.

5 Pro quo est aduertendum; qood Missæ, quæ hoc tempore celebrantur in sabbato, non celebrabantur post mediam noctem præcedentem diem Resurrectionis, vt putant Suarez, Vasqoez, & alij, sed prima nocte præcedente diem Resurrectionis, atqoe adeo in ipso die sabbati, quod manifestum fit ex ordine Romano *Tit. de sabbato sancto*, vbi habet, *Postea modico interuallo, vt fuerit prima stella in cælo visa sonant signa, & incipiunt canere Litanias*, ad introitum & postquam finierint Litanias, dicit Sacerdos Gloria in Excelsis, & Raban. Maur. *lib. 2. de institut. Cler. cap. 38.* de sabbato sancto habet, *Hac autem die inclinante ad Vesperam statuta celebratio noctis Dominicæ in Ecclesia incipitur.* Ex quo fit quod prohibitiu celebrandi illa die non extendebator, nisi ad occasum solis, non autem ad totum diem naturalem.

6 Rursus est aduertendum, quod non solum tunc celebrabatur Missa solemnis, sed etiam licebat celebrare priuatas Missas quibuscunque volebant celebrare. Ita expressè habetus ex Mirologò *capit. 53. de sabbato sancto*; vbi legitur, *Post Baptismum præsbyteri demum possunt Missam, si necesso fuerit, priuatim celèbrare, quia iam renati sunt, ex quibus in Missa specialiter agere debemus. Nec postea à lectionibus, quas iam audiuimus, sed à Litania incipere debemus.* Ex quo testimonio constar, quod non erat expectandum, quod compleretur Missa solemnis, nec quod per aliquam partem protraheretur, sed poterant incipere Missas priuatas, quando incipiebant Litaniæ pro solemni, quia tunc erat completus Baptismus, his adnotatis.

7 Dicendum est, *Esse licitum in sabbato sancto celebrare Missas priuatas, nedum secreto, sed etiam publicè.* Cum qua tamen moderatione explicabituc in fine. Hoc autem probatur ex cessatione prohibitionis, etiam quoad Missas priuatas. Finis enim prohibitionis celebrandi in illo biduo, vt exprimitur in dicto cap. *sabbato, de consecrat. dist. 3.* est, vt celebretur Dominica passio in mœstitia ad imitationem Apostolorum, qui iu illo biduo fuerunt in mœstitia, & ieiunio. Hæc autem causa finalis non solum cessat negatiuè, sed etiam contrariè; quia non solum Ecclesia cessat à mœstitia, & celebrationis passionis; sed etiam celebrat Resurrectionem Domini, & assumit lætitiam propter eandem Resurrectionem, qui est finis contrarius celebrationi passionis, & mœstitiæ: ergo si durarer prohibitio etiam quoad Missas priuatas, duraret lex contraria fini Ecclesiæ: & quæ præscriberet mœstitiam & dolorem, dum Ecclesia intendit lætitiam, & vellet celebrari adhuc passionem, dum celebrat Resurrectionem. Vnde subiorrat Regula communiter recepta, quod cessante ratione legis contrariæ, cessat lex etiam in casu particulari. Quam complectuntur communiter Doctores, Sotus *lib. 3. de iust. & iure quæst. 4. articul. 5. in fine*, Medina *1. 2. quæst. 96. artic. 6.* Vasquez *disputat. 163. capit. 3. numer. 19.* Lorca *disputat. 26. de legibus*, Suarez *lib. 6. de legibus capit. 8.* Sanchez *libr. 5. sum. cap. 15. numer. 37.* Salas *de legibus disp. 11. sect. 3.* Tiraquel. *tractat. cessante causa part. 1. limit. 8. & 19.* & alij quos citat & sequitur Merola *tom. 2. Theol. Morali disputat. 4. capit. 8. dub. 2. numer. 7.*

8 Imo cum cessatio ab oblatiooe sacrificij sit cessatio ab actu religionis habentis pro obiecto summum Dei cultum, non potest de se talis cessatio habere rationem virtutis, nisi ratione finis, ad quem ordinatur. Et proinde cessante fine cessat etiam habere rationem virtutis, & desinit esse materia apta legis, & consequentes lex ex se ipsa cessat, ex eo, quod mutatur materia, & cessat quod intendit legislator, vt cum D. Thom. 1. 2. *quæst. 100. artic. 9. ad 2.* aduertit Suarez *lib. 6. de legibus cap. 9. numer. 9.* Cum ergo in præsenti cessatio ab oblationo sacrificij induat rationem virtutis, quatenus ordinatur ad celebrandam passinnem Christi, quam tali modo intendit Ecclesia celebrare, eo ipso, quod Ecclesia incipit celebrare Resurrectionem, & desinit celebrare passionem, cessat finis tribuens rationem virtutis; & ideò cessat etiam lex ex se ipsa.

9 Confirm. Si is, qui noo celebrat, idao abstioet, quia sibi putat interdici ab Ecclesia, manet quoad hoc in illa mœstitia, quam præscribit eadem Ecclesia pro celebranda Dominica passione: ergo facit

contra intentionem Ecclesiæ, quia cum ipsa incipiat celebrare Resurrectionem, & assumat lætitiam, ipse manet in mœstitia: ergo cum non possit Ecclesia velle, quod sacerdotes sint in mœstitia, dum ipsa manet in lætitia, & trahit eosdem ad lætitiam, ne sibi ipsi contraria sit, dicendum est, quod relaxet prohibitionem celebrandi. Imo per ipsam celebrationem solemnem tanquam per factum contrarium, in quo incipit lætitia, & celebratio Resurrectionis, excludit tempus passionis, & quæ ad ipsum veniunt in consequentiam, & proinde prohibitionem celebrandi, cessat tum ex se tum ex facto Ecclesiæ, & consequenter concurrunt omnia, quæ in quauis opinione requiruntur, vt cesset lex.

10 Ad 1. oppositæ sentent. Resp. Cessare prohibitionem etiam quoad Missas priuatas, quia per celebrationem Missæ solemnis de Resurrectione clauditur tempus passionis: & inducitur tempus lætitiæ, & celebritatis Resurrectionis, cui non congruit, sed contrariatur actus inductus ad ostensionem mœstitiæ pro tempore, in quo celebratur passio, & ideo tam quam coarctatus ad tempus, in quo celebratur passio Christi, non extenditur vltra, & positiuè excluditur ab Ecclesia, dum facto proprio inducit tempus lætitiæ.

11 Ad 2. Quantum est ex vi cessationis prohibitionis posse in publico celebrari. Quia tamen aliqua circumstantia potest contrariari publicæ celebrationi, ideo erit considerāda. Ad 3. Nihil obstare, quod pro Missa priuata illius diei non assignetur introitus, quia quando antiquitus priuatim celebrabatur, neque erat assignatus, vt constat ex dictis sup. *num. 6.* Addit Gaspar. Hurtad. quod non est assignatus introitus, quia non adest expressa licentia Ecclesiæ priuatim celebrandi, sed tantum tacita. Verum hoc dici non potest, quia, vt modo dicebamus, antiquitus celebratur priuatim cum expressa licentia Ecclesiæ, & tamen non aderat introitus; quod satis indicat, non esse in hac Missa adhibendum introitum.

12 Ad 4. resp. Assumere falsum ex duplici capite, quorum primum est, quod antiquitus, quando noctu celebrabatur, non celebrarentur Missæ priuatæ, vt constat ex dictis *num. 6.* Alterum est, quod supponit, quod Missa, quæ hoc tempore celebratur sabbato mane, celebraretur nocte sequenti, sed post mediam noctem tantum, cum tamen celebretur post occasum solis, cum primo stellæ apparent, vnde non sequitur, quod priuatè celebrans bis in die celebraret, sed celebrabat intra diem sabbati, & postea die Dominico, non secus, ac modo contingit in Capella Pontificia vbi nocte præcedente diem Natiuitatis Domini Cardinalis celebrans circa primam noctem tenetur celebrare in sabbato, vt proinde maneat ieiunus, & post celebrationem cœnet.

QVÆSTIO 359.

Quando in praxi procedendum sit in celebratione Missæ priuatæ in sabbato sancto.

SVMMARIVM.

1. *In sabbato sancto non facilè publicè celebranda Missa priuata.*
2. *Possunt tamen sine scrupulo priuatim celebrari.*
3. *Publicè celebrari possint ex causa, quæ tollat admirationem.*
4. *Quādo opinio, quod possint sabbato sancto celebrari Missæ priuatæ possit ad praxim deduci.*
5. *Episcopus an possit procedere contra celebrantes priuatè in sabbato sancto.*
Quid quoad exemptos.

Difficultas procedit tàm quoad actualem celebrationem, quàm quoad consulendum. Quamuis enim vt dictum est *in præcedenti*, cessauerit prohibitio; quia tamen nondum est introducta vniuersalis consuetudo celebrandi, sed solum in aliquibus locis, ideo non posset incipere celebratio sine admiratione populi, & forte etiam scandalo: imo etiam indignatione Episcoporum, quorum plures nesciunt, opinionem asserentem, posse celebrari, esse adeo communem; & si sciant potest eis displicere, quod deducatur ad praxim opinio, quæ nondum exequutionem obtinuit. Et propter hanc causam Layman *libr. 5. Theol. Moral. tractat. 5. cap. 4. numer. 8.* Tanner. *tom. 4. disput. 5. quæst. 10. dub. 4. numer. 59.* quamuis putent probabilem, & tutam opinionem, quod possit celebrari, volunt tamen esse supersedendum à praxi. 1

Quod ergo spectat ad priuatim, & secreto celebrandum, existimo posse consuli, & ad praxim reduci absque vllo scrupulo. Primo quidem; quia opinio communissima, pro qua *quæst. præced. numer. 3.* attuli triginta quatuor Doctores, & ex principalibus, & vltra ipsos alij quoque eam tenent: vnde ex parte auctoritatis habet maximum fundamentum. Secundo quia nititur firmæ rationi, & opposita valdè debili, & quæ sine vllo negotio dissoluitur. Tertio quia cum hæc opinio adeo communis sit, nec superuenerit aliqua prohibitio, videtur tacitè approbata. Quarto quia alicubi seruatur in praxi; vti dictum est *in præcedent.* Quinto quia fauet cultui diuino, vtilitati fidelium, & deuotioni celebrantis propter fructum, qui percipitur ex oblatione sacrificij. Sexto quia augetur lætitia solemnitatis Paschalis, quæ iam incœpit, & non solum in communi, sed etiam in particulari deponitur mœstitia. Vnde cum esset io secreta celebratione nouitas, & admiratio populi, non remanet aliqua difficultas, cur non possit hæc opinio consuli, & ad praxim reduci. 2

Quod autem spectat ad publicam celebrationem, non videtur posse consuli, aut in praxim deduci, nisi interueniat aliqua causa, quæ tollat publicam admirationem, aut nisi, ei aliquo pacto occurratur. Ratio est, quia stante consuetudine non celebrandi populus communiter, cum non sciat doctrinas, apprehendit, quod adsit prohibitio celebrandi, & ideo si videret celebrari, cum fundamento admiraretur, & putaret legem transgredi; vnde consurgit circumstantia, quæ reddit praxim publicam periculosam, nisi obuietur periculo. Et sicuti dantur propositiones, quæ licet in se veræ, sunt tamen scandalosæ: ita etiam dantur opiniones, quæ licet secundum se sint tutæ in praxi, tamen ratione extrinsecarum circunstantiarum sunt periculosæ, & proinde non possunt ad praxim deduci, nisi, cum debitis cautelis. 3

Ex quibus concluditur; quod ista opinio non possit vniuersaliter ad praxim deduci, nisi præcedat aliqua instructio populi, quod licitum sit celebrare. Si videlicet Episcopus cum Synodo, aut etiam absque ipso moneret populum de cessatione prohibitionis, & quod expediret Missas celebrari. Aut si concionatores eodem modo instruerent populum. Quod tamen non deberent præstare sine consensu Episcopi, quia agitur de immutanda consuetudine vniuersali diœcesis. An autem expediat, quod Episcopus auctorizet hanc opinionem auctoritate propria, si occurreret verb. gr. Festum Annunciationis B. Virginis, non censerem posse reprehendi etiam hic in Italia, vbi procedunt Episcopi cum maiori dependentia à Sede Apostolica, etiam in ijs, quæ propria auctoritate præstare possunt. In remotis autem partibus nihil videtur obstare. 4

An

5 An autem, si quis celebraret publicè, vbi non est consuetudo, possent Episcopi contra ipsum procedere in virtute Decreti Concil. Trident. *de seruand. & vitand. in celebrat. Miss.* Et quidem si loquamur quoad proprios subditos, non est dubium, quod procedere possunt contra ipsos, si seclusa causa nouitatem introducant eum populi admiratione, & forte etiam scandalo, quia habent plenum ius ad ipsos corrigendos. Si vero loquamur de exemptis, respectu quorum constituuntur delegati Sedis Apostolicæ non existimo, quod possint procedere; quia eorum delegatio non extenditur vltra illa, quæ sunt expressa in illo decreto, aut quæ ad ipsa spectare possunt. Quæ omnia reducit Concilium ad tria capita abusus, nempe Auaritiæ, Irreuerentiæ, & Superstitionis. Celebrate autem in sabbato sancto priuatas Missas, non potest reduci ad illa capita, vt per se constat, cum de se sit licitum secundum communissimam opinionem: ratione autem admirationis, neque consurgit aliquid, quod pertineat ad illa capita, & ideo non habet locum delegatio Concilij.

QVÆSTIO 360.

An si in sabbato sancto incidat festum Annunciationis, possint celebrari Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Sabbato sancto an possint celebrari plures Missæ, si incidat festum Annunciationis*, & num. sequent.
3. *Festum Annunciationis excludit admirationem, &c.*
4. *Est sufficiens causa sequendi opinionem, quod possit celebrari.*
 Quid si adhuc vigeret prohibitio.
5. *Episcopi iubere possunt, quod in sabbato sancto celebrentur plures Missæ, si occurrat festum Annunciationis.*

1 QVæritur, an sit causa sufficiens celebrandi stante opinione communissima, quod possit celebrari, sed quod ob admirationem populi, & forte scandalum non debeat celebrari. Et quidem quod non possint celebrari Missæ priuatæ credent omnes, qui tenent quod absolutè prohibetur celebratio. In specie autem id docet, Villalob. *part. 1. sum. tract.* 8. *difficult.* 20. *num.* 4. & Trullench. *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 8. *dub.* 9. *num.* 20. refert Salmaticenses Doctores consultos anno 1617. cum incideret in sabbato sancto festum Annunciationis, respondisse, licere tantum Missam solemnem celebrare.

2 Secunda sententia asserit, posse celebrari Missas priuatas. Ita Ledesma *part. 1 sum. cap.* 19. *de Euchar. conclus.* 5. Ioan. à Cruce *part.* 2. *director. conscient. qu.* 2. *de sacrific. miss. dub.* 2. *conclus.* 3. Sylvius 3. *part. qu.* 83. *art.* 2. Ludouic. à S. Ioan. *part.* 1. *sum. qu.* 11. *de Eucharist. art.* 1. *dub.* 1. *conclus.* 4. Fernandez *part.* 3. *exam. Theol. moral cap.* 5. §. 5. *num.* 2. Leandet. *de sacrament. tract.* 8. *disput.* 5. *qu.* 25. testans de praxi in Ecclesia Toletana in tali casu Molsef. *part.* 1. *sum. tract.* 3. *cap.* 17. *num.* 41. Faustus *lib.* 2. *de Eucharist. qu.* 112. *in fine*, Alfonsus de Leone *de offic. Capell. qu.* 8. *tract.* 17. *num.* 178. Garzia *in sum. tract.* 3. *difficult.* 2. *dub* 4. *punct.* 3. *n.* 16. testans de praxi Cæsaraugustæ anno 1639. ob festum S. Georgij in illa ciuitate solemni, Franciscus Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 5. *quæst.* 3. *numer.* 31. testans de praxi in America, Hispania, & Italia, Quintanaduen. *tom.* 2. *tractat.* 1. *singul.* 10. *numer.* 1. Machad. *tom.* 2. *lib.* 4. *part.* 1. *tract.* 11. *documen.* 11. *num.* 4.

Dicendum est, *Posse publicè celebrari missas priuatas in sabbato sancto, si eo die incidat festum Annunciationis.* Ratio est clara, quia adest sufficiens causa, ratione cuius cessare potest admiratio populi; quia statim apparet motiuum celebrandi, vt scilicet populus commodè satisfacere possit præcepto audiendi Missam. Et cum causa sit publica, eò fortior est ad impediendam admirationem. Statim enim, ac populus videret celebrari plures Missas priuatas, & perciperet causam, formaret conceptum, quod riitè fieret. 3

Imo etiam admissa opinione, quod non liceret priuatas missas celebrare, posset adhuc in tali occasione celebrari. Nam adest sufficiens motiuum sequendi opinionem contrariam, & eò magis, quia est probabilior, & proinde posset quisque eam sequi contra propriam opinionem. At verò dato, quod vigeret prohibitio, nec adesset in contrarium opinio probabilis, non credo quod possent priuatæ missæ celebrari, quia ageretur de ritu publico, & ex iis, qui rigorosè seruari solent. Cum tamen celebretur missa solemnis, adesset causa sufficiens dispensandi, quia ex vna parte vrgeret præceptum audiendi missam, & ex alia non posset, nisi cum difficultate seruari. Hæc tamen dispensatio pertineret ad summum Pontificem, quia non agitur de dispensatione in aliquo casu, aut loco particulari, sed de dispensatione vniuersali pro tota Ecclesia Dei. 4

Ex his colligitur; quod Episcopi prudenter facient, si in prædicto casu faciant celebrare plures missas priuatas ob commoditatem populi; vt tradit Quintanaduen. *tom.* 1. *tract.* 2. *singul.* 10. *tract.* 2. Nam hæc actio ex multiplici capite iustificatur. Primo, quia adest communissima opinio, & in materia morali ferè certa, quod cessauerit prohibitio celebrandi: vnde poterant in regimine suæ Ecclesiæ illam sequi, cum etiam in iudicando, in quo agitur de iure tertij, possint sequi opiniones probabiles. Secundo; quia habent exempla, quod alias ita factum sit: vnde non poterunt argui de nouitate. Tertio; quia consulent commoditati populi, cui hoc erit valde gratum, tantum absit, quod admiretur. Quarto, quia occurrent pluribus violationibus præcepti audiendi missas, quod alias à magna parte populi non impleretur, cui difficilè est assistere missæ solemni, tum ratione horæ, in qua celebratur, tum ratione prolixitatis, quam secum affert solemnitas, cum qua celebratur. Quod motiuum sane efficax est, cum vitare peccatum sit sufficiens, motiuum etiam ad vota relaxanda licet obligent de iure diuino naturali. 5

QVÆSTIO 361.

Quanam Missa priuatim celebranda sit.

SVMMARIVM.

1. *Quanam Missa in sabbato sancto celebranda priuatè*, & num. seq.
 Incidente festo Annunciationis an possit celebrari Missa votiua B. Virginis.
3. *Celebranda est Missa eiusdem diei.*

NOn quæritur de obligatione sub mortali, quia iuxta communem sententiam qualitas Missæ non cadit sub tali obligatione, vt suo loco dicitur; vnde solum difficultas, est, quid dicen- 1

dicendum, attendendo conuenientiam, & directionem Rubricarum. Prima autem sententia asserit, posse celebrari Missam votiuam de B. Virgine, præsertim, si in ea die incidat festum ipsius, vel de sancto, cuius festum celebratur. Ita Ledesma *part. 1. sum. cap. 19. de Eucharist. conclus. 5.* Ludouic. à S. Ioan. *part. 1. sum. quæst. 11. de Eucharist. art. 1. dub. 1. difficult. 1.* qui alios citat, inter quos est Suarez, qui tamen nihil de hoc dicit, Fernandez *part. 3. exam. Theol. moral. cap. 5. §. 5. nu. 2.* Faustus *lib. 2. de Eucharist. qu. 113.* Merc. *de sacram. qu. 83. art. 2. propos. 2.* Diana *part. 2. tract. 14. resol. 21. ver. Si petas,* & *part. 4. tract. 4. resol. 237. in fine,* Trullench. *lib. 3. de sacram. cap. 8. dub. 9. num. 20. in fine,* qui addit, posse dici Missam currentem cum introitu de Resurrectione, Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disputat. 4. de sacrific. Miss. difficult. 2. in fine.*

2 Secunda sententia asserit, non posse celebrari Missam votiuam de B. Virgine, aut aliam, sed esse celebrandam Missam currentis diei. Ita Alphonsus de Leone *de offic. Capell. qu. 8. sect. 17. numer. 178.* Gauantus *in Rubr. Missal. part. 4. tit. 10. num. 45.* Hieron. Garzia *in sum. tract. 3. difficult. 2. dub. 4. num. 16. in fine,* Dicastil. *de sacram tract. 5. disp. 4. dub. 2. num. 38.*

3 Dicendum est, *Non posse celebrari Missam votiuam, sed esse celebrandam Missam diei, quando priuatè celebratur.* Ratio est, quia illa dies est maximè priuilegiata, itavt transferatur quodcunque festum, quod in ea incidat: ergo iuxta directionem Rubricarum non potest celebrari Missa votiua, Rursus adest Missa propria diei: ergo debet celebrari ipsa, & non alia. Confirm. Si in aliqua Dominica priuilegiata incidat aliquod festum, quod transferatur non celebratur Missa votiua de festo translato non alia ratione, nisi quia adest Missa propria: ergo cum etiam in sabbato sancto adsit Missa propria, erit ipsa celebranda, non votiua. Non obstat, quod Missa sabbati sancti sit valde diuersa à cæteris Missis, quia sicut hæc diuersitas non tollit, imo facit, quod sit propria diei, ita etiam fuisset quod debeat ipso die celebrari.

QVÆSTIO 362.

Quid faciendum, cum Missa sabbati sancti careat introitu.

SVMMARIVM.

1. *Si Missa sabbati sancti priuatè recitetur, an supplendus introitus,* & num. seq.
4. *Non potest assumi introitus alterius Missæ.*
5. *Est recitanda sine introitu.*
6. *Celebrans Missam priuatam in sabbato sancto an debeat recitare Litanias.*

1 TOta difficultas prouenit ex eo, quod ista Missa careat introitu, vt proinde videatur imperfecta, quod fuit motiuum, quod possit celebrari Missa votiua. Prima autem sententia asserit, recitandam Missam diei cum introitu Missæ de Resurrectione. Ita Ledesma *tom. 1. sum. tract. de Eucharist. cap. 19. conclus. 5.* Faustus *lib. 2. de Eucharist. quæst. 113.* Fundamentum huius sententiæ est; quia non debet Missa esse imperfecta, qualis esset, si careret introitu.

2 Secunda sententia asserit, posse celebrari Missam diei cum introitu Missæ Resurrectionis, vel sine introitu. Ita Granad. *3. part. controuer. 6. tract. 14. disput. 10. num. 3. in fine.* Leander. *de sacram. tract. 8. disput. 6. qu. 27.* qui alios citat, qui tamen hoc non dicunt, inter quos Hurtad. & Lugo.

Tertia sententia asserit, esse celebrandam Missam sine introitu. Ita Gauant. *in Rubr. missal. part. 4. tit. 10. num. 44.* Quartus *in rubr. missal. part. 1. in proœm. dub. 5. Tit. Dubitatur 3. in fine,* & etiam videtur sentire Lugo *disput. 20. de Eucharist. sect. 1. num. 19.* dum dicit, non esse dicendas Litanias, & nihil dicit de introitu. Hanc etiam sententiam tenet Garzia *in sum. tract. 3. difficult. 2. dub. 4. punct. 3. num. 16.* 3

Dicendum est, *Missas priuatas celebrandas esse sine introitu, nec assumi posse introitum missæ de Resurrectione.* Quod non possit assumi iste introitus mihi videtur euidens. Nam non præscribitur à Rubrica; vnde componeretur Missa ex diuersis Missis, quod est contra constitutionem Pij V. præfixam Missali in qua vetat, variari ritum præscriptum in missali, quod licet non esset materia grauis, esset tamen sufficiens ad fundandum peccatum veniale. Deinde ille introitus non congruit missæ, nec tempori, quia nondum celebratur dies Resurrectionis, sed vigilia. 4

Quod autem recitanda sit missa absque introitu sequitur, ex eo, quod instituta sit sine introitu, & seruandus est ritus institutionis. Si enim missa solemnis, cur non poterit etiam priuata, nec obstat, quod videatur imperfecta. Nam etiam horæ canonicæ in illo triduo celebrantur sine *Deus in adiutorium,* & cum quo semper solent incipere. Psalmi terminantur sine *Gloria Patri, &c.* & tamen non censentur imperfectæ: nam tam horæ canonicæ, quàm missæ tunc sunt perfectæ, quando habent id, quod debent habere ratione suæ institutionis. Imo si missa illa recitetur cum aliquo introitu deficeret à sua institutione, & ideo ratione superfluitatis esset imperfecta. Itaque facienda est primo loco confessio, & postea incipiendum à *Kyrie eleison.* Et ita seruatur hic Romæ in Ecclesia S. Marthæ propè Basilicam S. Petri, in qua sabbato sancto à primo mane vsque ad meridiem ex priuilegio celebrantur missæ. 5

An autem dicendæ sint Litaniæ, negatiuè resoluendum est, vt expressè tradunt inter alios Lugo Cardin. *disp. 20. de Eucharist. sect. 1. num. 21.* Leander *de sacram. tract. 8. disp. 5. qu. 27.* Nam Litaniæ sunt pars officij, non autem missæ; quod desumitur ex missa de vigilia Pentecostes, nam solemni præmittuntur Litaniæ, & Prophetiæ, sicut in sabbato sancto, & tamen in priuatis omittuntur etiam Litaniæ, ita præscribente Rubrica. Nec obstat Micrologus *cap. 53. de sabbato sancto,* vbi habet, quod solebant incipere à Litanijs, quia loquitur de præsbyteris, qui assistebant officio illius diei, & quia interueniebant vsque ad Prophetias inclusiuè, ideo vt continuarent officium, cum missa priuata, & integrum recitarent, incipiebant à Litanijs, non autem quia Litaniæ essent pars missæ. Ex quo aliter deducitur, quod si incidat festum, in quo sit audienda missa de præcepto, audiens solemnem non tenetur assistere Litanijs. 6

QVÆSTIO 363.

Quo tempore celebrari possit Missa priuata.

SVMMARIVM.

1. *Missa in sabbato sancto an priuatè celebrari possit ante solemnem,* & num. seq.
3. *Missa in sabbato sancto cur modo celebrari possit.*

4. *Prohibitio celebrandi in Sabbatho Sancto, quando cesset.*
5. *Priuatæ Missæ Sabbathi Sancti quando antiquitus celebrabantur.*
6. *Missæ priuatæ in Sabbatho Sancto reductæ sunt ad illam horam, ad quam est reducta solemnis.*
7. *Ex aliquorum facto quando non possit probari opinio.*
8. *Episcopi cur in sua Capella celebrare possint summo mane in Sabbatho Sancto.*

1 DVbium ex eo oritur, quod Missa priuata censetur concessa in ordine ad solemnem & ideò dubitatur, an possit celebrari, ante ipsam. Prima sententia asserit, posse celebrari, etiam summo mane ante solemnem. Ioan. Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disput.4.de sacrific. Miss. difficult.2. circa finem.* Lugo Card. *de Euchar. disp.20.sect.1.num.23.* Martin. *Item de Eucharist. disput.40.num.5.* Diana *part. 4. tract.4. resolut. 237. in fine* Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disp.4. dub.2. in fine.* Franciscus Lugo *lib. 5. de sacrament. cap.5. quæst. 3. num. 31.* Leander *de sacrament. tractat.8. disput.5. quæst.28. ver. Sed probabilius.* Ita etiam videtur sentire Garzia *in sum.tract.3.difficult.2. dub.4. punct.3. num. 17.* Prob. Dum Missa, quæ prima nocte celebrabatur retracta est ad tempus matutinum, sicut in aliis diebus ieionij, atque adeo etiam primo mane. Secondo pij viri, & Docti celebrant primo mane absque scrupulo, præsertim religiosi Tertio. Episcopi vt interuenire possint Missæ solemni, in sua Capella celebrant summo mane, & conferunt ordines.

2 Secunda asserit, non posse celebrari antequam incipiat Missa solemnis. Ita Rodriqoez *part. 1. sum. cap.249. conclus.3.* Azor. *part.1.lib.10.cap.24.quæst.4. ver. Si quæras. in fine.* Facundez *precept.2.lib.3. cap.15. num.17.* Palaus *part.4.oper.moral.tractat.23.disp.unic. punct.7. num.5.* Amicus *tom.7. Curs.Theol. disput.33. sect.10.num.312.* Ioan.à Cruce *part.2. Direct. conscien. quæst.2.de sacrific. Miss. dub.2. conclus.1.* Ludonic.à S.Ioan. *part.1.sum.quæst.11.de Eucharist.art.1.dub.1.* Ledesma *part. 1. sum. tractat. de Eucharist. cap.19. conclus.5. ver. Finalmente.* Marcus de los Huertos *de sacrific. Miss. quæst. 13.* Pellizar. *tom. 2. Manual. Regul. tract.8. cap.2. sect.1. num. 108.*

3 Dicendum est. *Missas priuatas non posse in Sabbatho Sancto celebrari, nisi postquam incepit Missa solemnis, aut simul cum ipsa, ita vt simul incipiant.* Hoc mihi videtur certum, cum ea ratio, quæ probat, posse celebrari Missas priuatas, probet etiam, non posse celebrari ante Missam solemnem. Ideo enim possunt celebrari Missæ priuatæ mane, quia retracta est ad mane Missa solemnis, quæ prima nocte celebrabatur. Et per celebrationem illius Missæ clauditur celebratio passionis, & incipit celebratio resurrectionis, & tempus lætitiæ, & ideò cessat prohibitio celebrandi Missas priuatas, quæ habebat locum solum ex eo fine, quod ob celebrandam Passionem, manendum erat in mœstitia, & abstinendum à celebratione: ergo cum solum per Missam solemnem claudatur tempus Passionis, & inducatur celebratio Resurrectionis, tunc solum etiam cessabit prohibitio cap. *Sabbatho de consecrat. distinct.* 3. Ergo si ante celebretur, celebrabitur contra prohibitionem dicti cap.

4 Confirm. Ideò cessauit prohibitio, quoad Missas priuatas, quia auctoritate Ecclesiæ cessauit quoad solemnem, & per consequentiam extenditur ad priuatas, ita vt priuatæ Missæ non fiant licitæ, nisi ratione solemnis: ergo quandiu non cessat ratione solemnis, nec etiam cessabit quoad priuatas. Non cessat autem quoad solemnem, nisi quando incipit, quia quousque incipit; Ecclesia celebrat tempus Passionis, vt constat ex norma, & ritu officij. Vnde sequetur, quod dum Ecclesia celebrat Passionem, priuati assumerent lætitiam, & celebrarent Resurrectionem, quod est absurdum, & contra ritum Ecclesiasticum.

Confirm.2. Quando antiquitus celebrabatur Missa solemnis prima nocte subsequente Sabbathum; non licebat incipere Missas priuatas, nisi quando incipiebat Missa solemnis, vt desumitur ex Mirologo *cap.53. de Sabbatho Sancto*: ergo nec modo, dum celebratur Missa solemnis mane. Quia reductæ sunt Missæ priuatæ ad mane ratione Missæ solemnis, & proinde cum eodem ordine ad ipsam. Rursus. Ideò non poterant tunc celebrari Missæ priuatæ ante solemnem, quia vsque ad ipsam durabat celebratio Passionis; ergo etiam modo durabit vsque ad ipsam, & ante non poterunt celebrari Missæ priuatæ. 5

Ad 1. in oppositum constat ex dictis. Nam ad eam horam, ad quam reducta est Missa solemnis; reductæ sunt etiam priuatæ: non autem ad horam anteriorem, quia non fiunt licitæ nisi incipiente solemni, vnde est alia ratio in diebus ieiuniorum, in quibus facultas celebrandi Missas priuatas non dependet à celebratione solemnis. 6

Ad 2. Si viri pij, & docti celebrant summo mane, est quia sequuntur opinionem, quod liceat celebrare, non potest ex facto ipsorum probari opinio, nam committeretur circulus, siquidem ipsi celebrarent, quia alij ita tradunt, & sic ita traderent, quia illi celebrant, si autem id faciunt ex alio capite, oportet, quod non considerauerint motiuum, ratione cuius sit licita celebratio, cum excedant mensuram ipsius. 7

Ad 3. Missam illam Episcopi, licet celebretur in priuata Capella, de se esse solemnem, & sufficientem ad incipiendam celebrationem Resurrectionis, & claudendum tempus Passionis. Primò quia celebratur ab Episcopo, ad quem pertinet dare motum suæ Ecclesiæ præsertim in ordine ad functiones Ecclesiasticas. Secundò. Quia celebrat cum assistentia ministrorum, qui interueniunt pro functione ordinationis, qui in Missa priuata non interueniunt. Tertio. Quia cum Missa est coniuncta ordinationi, quæ de se est actus publicus, & solemnis, & proinde sufficiens ad reddendam Missam solemnem si alias non esset. Vnde debet concludi, quod ex hoc capite non possit sumere opposita sententia aliquod fundamentum. 8

QVÆSTIO 364.

An in Missa Sabbathi Sancti protrahi possit longe vltra meridiem.

SVMMARIVM.

1. *Missa priuata Sabbathi Sancti non potest celebrari, nisi in eadem Ecclesia incipiat Missa solemnis.*
2. *Celebratio Missæ Sabbathi Sancti non potest differri ad tempus vespertinum.*
3. *Missa Sabbathi Sancti protrahi potest vsque ad ad horam nonam.*
4. *Non potest celebrari quarta hora post meridiem.*
5. *Quæ traduntur de celebratione Missæ feriæ quintæ maioris hebdomadæ, possunt applicari Missæ Sabbathi Sancti.*

MIssa solemnis Sabbathi Sancti non habet horam determinatam, quamuis sit celebranda mane, sed etiam in eadem ciuitate diuersis horis ce- 1

lebratur iuxta Ecclesiarum commoditatem. Ex quo fit, quod cum per ipsam terminetur celebratio Passionis non eadem hora terminetur in omnibus Ecclesiis, sed modo citius, modo tardius. Vnde cum non liceat celebrare priuatas Missas, nisi quando incipit Resurrectionis celebratio, in nulla Ecclesia licebit, nisi in illa incipiat Missa solemnis, quamuis in aliis Ecclesiis iam incœperit. Nam sicuti absolutè non licet durante celebratione Passionis, ita nec tali loco licet, nisi in ipso clausum fuerit tempus talis celebrationis. In Ecclesiis tamen, in quibus non celebratur Missa solemnis, poterit tunc celebrari Missa priuata, quando in Ecclesia matrice cœperit Missa solemnis, quia hæc incipit celebrationem Resurrectionis etiam pro Ecclesiis, in quibus non celebratur Missa solemnis. Modo autem est videndum, quo vsque protrahi possit celebratio.

2 Est autem supponendum tanquam certum. Quod non potest differri celebratio vsque ad tempus Vespertinum. Nam Pius V. in *sua* 4. *Constit. tom.* 2. *Bullar.* prohibet Missas omnes Vespertinas, & in specie Missam Sabbathi Sancti; Vnde non licet redire ad ius antiquum celebrandi in nocte, quia obstat dicta constitutio, & ad ius antiquum non datur regressus, quando adest prohibitio reuertendi. Et hoc est quod docent Armilla *verbo* Missa. *num.* 1. Rodriquez *part.* 2. *sum. cap.* 250. *conclus.* 2. Francolin. *de Horis Canon. cap.* 29. *num.* 11. & 14. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap* 25 *quæst.* 3. Suarez *disput.* 80. *de Eucharist. sect.* 4. ver. *Sed queres.* Naldus *in sum. verbo* Missa. *num.* 30. Si tamen ex aliquo accidenti, qualis esset multitudo ordinandorum attingeret primum tempus Vespertinum, non esset contra dictam constitutionem, cum prohibeat tantum Vespertinas Missas ex proposito, nec haberent locum pœnæ dictæ constitutionis, cum sint tantum contra præsumentes. Imò nec adesset peccatum, tum quia esset ex necessitate, tum quia esset præter intentionem; tum quia moraliter non esset Missa Vespertina, cum sit attendendum initium, & non finis. Modo autem restat videre quantum liceat protrahere.

3 Dicendum est. *Posse protrahi vsque ad horam nonam, seu tertiam post meridiem.* Etiam dato quod non liceat celebrare regulariter vsque ad illam horam. Et hoc est, quod volunt Vasquez 3. *part. disp.* 232. *cap.* 3. *num.* 33. Suarez *disp.* 80. *de Euchar. sect.* 4. ver. *Excipitur secundo. in fine.* Henriquez *lib.* 9. *sum. c.* 24. *num.* 6. *littera F. in com.* & alij, dum dicunt, quod trahere Missam vsque ad vesperas: non enim intelligunt de vesperis inclusiuè, sed vsque ad horam, in qua incipiunt Vesperæ, aut circiter. Ratio est. Quia concurrunt plures causæ, quarum singulæ sufficiunt ad protrahendam Missam vsque ad illam horam. Primo prolixitas officij illius diei, quæ consumit longum tempus, præsertim, si cum debito decore celebretur. Secundò. Quia est Missa diei ieiunij, quæ regulariter non solet celebrari, nisi tardiori tempore, & secundum consuetudinem antiquam non celebrabatur, nisi hora nona. Tertiò. Quia in ipsa Missa includuntur Vesperæ, quod signum est, quod coniungi potest tempus celebrandi Missam cum tempore Vesperarum.

4 Ex dictis colligitur. Non posse subsistere quod tradit Sa *verbo* Missa. *num.* 23. Quod liceat secluso scandalo celebrare quarta hora post meridiem. Quia si loquamur de Missa solemni anticipari potest, vt non requirat illam, nisi fortè ex accidenti, quando esset coniuncta cum ordinatione, & adesset magnus numerus ordinandorum. Si vero loquamur de priuatis Missis ex nulla causa possunt requirere quod differantur vsque ad illam, & si fortè requirerent, euaderent Missæ Vespertinæ, & proinde illicitæ, cum sint contra prohibitionem Pij V. vt dictum est *num.* 2. & consequenter neque in illa die permissæ.

5 Denique est aduertendum, quod ea, quæ dicta sunt de celebratione in feria quinta maioris hebdomadæ habent locum proportionaliter etiam pro Sabbato Sancto; & ideò poterunt hic applicari. Præsertim de celebratione in Ecclesiis, seu Oratoriis Confraternitatum. Nam quamuis sit diuersa ratio quatenus pro feria quinta non adest prohibitio, sicut pro Sabbato Sancto. Quia tamen hæc prohibitio cessauit, vt dictum est, quando incipit Missa solemnis, ideò cum eadem proportione discurrendum est.

QVÆSTIO 365.

An liceat quotidie singulis Sacerdotibus celebrare.

SVMMARIVM.

1. *De impeditis non procedit quæstio.*
2. *Sacerdos potest singulis diebus celebrare.*
3. *Conuenientia celebrandi quotidie.*
4. *Episcopi non possunt impedire, ne Sacerdotes singulis diebus celebrent.*
5. *Religiosi non debent prohiberi à quotidiana celebratione, vt regulariter corrigantur.*

1 NOn procedit quæstio de Sacerdotibus, qui habent aliquod impedimentum, quod non est in ipsorum potestate illud tollere, qualis esset excommunicatio, aut aliud simile: hi enim non solum non possunt celebrare, sed celebrando grauiter peccarent, quamdiu durat impedimentum. Quod etiam habet locum quoad impedimenta, quæ se tenent ex parte animæ, vt esset peccatum mortale, quod prius tolli debet per confessionem, vel ex parte corporis, vt si non essent ieiuni.

2 Dicendum est. *Posse Sacerdotes secluso impedimento singulis diebus celebrare.* Ita communiter D. Thom. *in* 4. *distinct.* 12. *quæst.* 3. *art.* 2. *quæst.* 3. Palud. *quæst.* 1. *art.* 4 *conclus.* 2. Richard. *art.* 2. *quæst.* 2. Maior. *quæst.* 5. Angelus *verbo* Missa. *num.* 44. Syluester *verbo* Eucharistia 3. *num.* 17. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 24. *tom.* 1. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 249. *conclus.* 3. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *quæst.* 3. Vasquez 3. *part. disp.* 232. *cap.* 1. *num.* 13. *in fine.* Suarez *disput.* 80. *de Eucharist. sect.* 2. ver. *Dico quarto.* Reginald. *lib.* 29. *Praxis fore pænit. sect.* 4. *num.* 169. *propos.* 2. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 10. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *artic.* 2. Faustus *lib.* 2. *de Eucharist. quæst.* 106. Bonac. *de sacrific. Missæ, cap.* 21. *num.* 3. Bellarmin. *lib.* 2. *de Missa, cap.* 9. ver. *Deinde negari*, vbi affert plura testimonia sanctorum Patrum, ex quibus id comprobatur. Et constat ex praxi Ecclesiæ, siquidem, & plures Sacerdotes præsertim Regulares quotidie celebrant; quod satis est ad id ostendendum.

3 Ratio autem est. Quia Sacerdos, quantum est ex vi suæ ordinationis, habet potestatem offerendi continuò sacrificium, cum sit potestas nullam habens limitationem, quia est ad offerendum sacrificium in genere, atque adeò ad omnia sacrificia, quæ ab ipso offerri possunt. Rursus singulis diebus offerri potest, nec adest vlla prohibitio in contrarium, si excipiatur triduum maioris hebdomadæ, de quo dictum est in superioribus. Præterea est valdè conueniens, quod quotidie plura sacrificia Deo offerantur, non solum propter honorem qui defertur Deo, sed

Digitized by Google

sed etiam propter necessitates fidelium, præcipuè, quæ oriuntur ratione peccatorum, vt desumitur ex cap. *Iteratur.de consecrat. distinct.* 2. & cap. *Visum de consecrat. distinct.* 1. Vnde Malac. 1. Hoc sacrificium dicitur Iuge sacrificium, quia erat sacrificium continuò offerendum: ergo poterit quilibet Sacerdos singulis diebus offerre, & quantum est ex parte sua cooperari cultui diuino, & cæteris bonis, quæ ex sacrificio proueniunt.

4 Ex dictis colligitur. Non posse Episcopos, aut alios superiores impedire absque causa graui ne Sacerdotes quotidie celebrent. Nam cum sint ministri publici ab Ecclesia constituti ad offerendum sacrificium offerendum iuxta illud ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt dona offerat, & sacrificia pro peccatis.* Non potest impediri ne exequatur munus proprium, quando ei libuerit. Dixi autem sine causa graui, quia non sufficit quæcumque causa sed debet esse talis, vt reddat ipsum indignum pro hoc munere exercendo, quia tunc adest Ecclesiæ interpretatiua voluntas, quod prohibeatur fungi tali munere.

5 Secundo colligitur. Non rectè procedere superiores, si propter corrigendos subditos regulari modo prohibeant quotidie celebrare. Nam cum pluribus aliis modis possint regulariter corrigere, non debent eis interdicere functionem proprij muneris, in quo se gerunt tanquàm ministri Christi, & Ecclesiæ: & proinde possunt in hac correctione peccare mortaliter, propter iniuriam, quam inferunt Deo, & Ecclesiæ impediendo ministrum ipsius, ne fungatur munere sibi imposito ab ipsis. Sed debent imitari Ecclesiam, quæ nunquam imponit impedimentum canonicum prohibens exequutionem muneris Sacerdotalis, nisi ob mortale peccatum, & quod sit graue. An autem prohibendo celebrare absque graui causa excederent limites suæ potestatis, & proinde nulliter procederent, ita vt subditus posset impunè non obedire, est alterius loci.

QVÆSTIO 366.

An Episcopus teneatur admittere ad celebrandum peregrinos Sacerdotes habentes litteras testimoniales.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus quos exteros possit admittere ad celebrandum.*
2. *Exteri non possunt admitti ad celebrandum sine litteris testimonialibus.*
3. *Regulares non possunt admittere exteros ad celebrandum sine testimonialibus litteris.*
4. *Episcopi tenentur admittere ad celebrandum habentes testimoniales litteras.*
5. *Non potest quis sine causa priuari proprio iure.*
6. *Regulares cur possint non admittere exteros ad celebrandum.*
7. *Ordinarius an possit prohibere, ne Regulares admittant exteros ad celebrandum.*
   Præceptum potest solum dirigi ad subditos.
8. *Peregrinus an possit celebrare secreto sine licentia.*

1 SVpponendum est. Episcopum admittere posse ad celebrandum quoscumque Sacerdotes exteros habentes ad hunc effectum litteras testimoniales sui Ordinarij, vt docent Nauarr. *consil.1.num.6.de Cler. peregrin.* & *consil.5.num.6. de celebrat. Missar.* Zerola *in Praxi, part.1. verbo* Missa. *ver. Quinto An Ordinarius.* Facundez *præcept.1. Eccles. lib.3. cap.10. num.2.* Debent autem litteræ testimoniales testificari non solum de Sacerdotio, sed etiam, quod nullo impedimento detineantur quominus celebrare valeant. In hoc enim casu eum ex parte ipsorum concurrant omnia requisita ad celebrandum, possunt ab Episcopo admitti; cum ei satis constet, quod legitimè celebrare possint.

Supponendum secundo. Non posse admitti, vt 2 notat etiam Facund.*num.preced.cit.* ad celebrandum, si non habeant litteras testimoniales, aut si habeant, sed sint insufficientes, aut si pars datam facultatem ipsarum longum tempus fluxerit, ita vt probabiliter suspicari possit, quod sit facta aliqua mutatio, ob quam non debeant admitti ad celebrandum. Nam si admitteret, exponeret se periculo admittendi, qui non debet admitti, & suo modo cooperaretur peccato admissi, & peccaret contra proprium munus, siquidem in hoc tenetur adhibere diligentiam. Hoc tamen limitandum, vt non habeat locum, & aliàs cognoscat personam, & sciat esse talis conditionis, quod non celebraret, si aliàs haberet aliquod impedimentum. Rursus etiamsi litteræ testimoniales, quamuis antiquæ, sint tamen admissæ ab aliquo Episcopo de recenti, quia hoc facit præsumptionem, quod ritè fuerint admissæ, atque adeò, quod de nouo admitti possint.

Supponendum 3. Quod dictum est de Episcopo, 3 seruandum quoque à Regularibus, quando in suis Ecclesiis exemptis exteri Sacerdotes admitti volunt ad celebrandum, vt scilicet possint admittere habentes litteras testimoniales sui Ordinarij cum dictis conditionibus, & non possint admittere non habentes. Nam militat eadem ratio etiam quoad ipsos. An autem possint admittere, si litteræ testimoniales non sint recognitæ ab Ordinario loci, quamuis de iure possint, si eas recognoscant, si quidem, cum nec ipsi, nec eorum Ecclesiæ subiiciantur Ordinario, possunt admittere quoscunque voluerint; non debent tamen admittere, nisi aliàs persona sit ipsis nota, quia non debent præbere occasionem, ne exteri Sacerdotes non se subiiciant Ordinario in petenda licentia: modo autem difficultas est. An Episcopus teneatur dare licentiam celebrandi, si testimoniales litteræ non patiantur difficultatem.

Dicendum est. *Ordinarios teneri dare licentiam celebrandi exteris Sacerdotibus habentibus litteras testimoniales absque vitio.* Ita Facundez *præcepti 1. Eccles. lib.3. cap. 10. num.2.* Faustus *de Euchar. lib. 2. q.129.* 4 Ratio est. Quia Sacerdos ratione ordinis Sacerdotalis habet ius ad offerendum sacrificium, cum habeat ius ad exercendam potestatem sibi traditam; & est ab Ecclesia constitutus publicus minister sui ipsius in ordine ad hunc effectum. Rursus etiam habet offerre sacrificium ratione muneris tanquam minister Christi: vnde ad Hebr.5.dicitur. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt dona offerat, & sacrificia pro peccatis.* Ergo non potest Episcopus impedire, denegando licentiam, exteros Sacerdotes, ne celebrent, si habeant testimoniales vitio carentes.

Conseq. constat. Primò, quia non potest aliquem 5 priuare absque causa suo Iure, nec impedire, ne vtatur, quod præstaret Episcopus, nisi admitteret litteras testimoniales. Secundò. Quia cum Sacerdos sit minister Ecclesiæ, spectat tantum ad Episcopum recognoscere, an sit verus minister, & non impeditus, non autem potest impedire, ne fungatur munere proprio, quia non potest ire contra dispositionem Ecclesiæ, per quàm commisit cuicumque Sacerdoti, quod

quod offerat sacrificium. Tertiò, quia tanquam minister Chtisti non potest impediri absque causa, ne fungatur munere sibi delegato, non secus, ac ordinarios non potest impedire, ne delegatus à suo superiore fungatur munere sibi commisso.

6 Quod tamen spectat ad Regulares est diuersa ratio, nam non tenentur admittere Sacerdotes exteros. Siquidem Episcopus teneatur admittere, quia solum admittendo, declarat, quod possint vti iure proprio in ordine ad celebrationem ex eo quod nullum habeant impedimentum. At Regulares, dum admittunt, subministrant etiam commoditatem celebrandi, quam non possunt subministrare, nisi cum detrimento ipsorum non debeat subministrare totum apparatum necessarium.

7 An autem Ordinarius prohibere possit Regularibus, ne admittant exteros ad celebrandum, qui non obtinuerant licentiam. Respondetur. Certum esse, quod possit exteris Sacerdotibus prohibere, ne celebrent in Ecclesiis de sua Diœcesi sine licentia, nam ad ipsum spectat recognoscere quæ in sua Diœcesi circa spiritualia geruntur. Rursus etiam, quod possit hanc suam prohibitionem Regularibus ratificare. Non autem videtur, quod possit præcipere, ne admittant. Quia præceptum dirigi solum potest ad subditos, & pro locis subiectis cap. *Vt animarum de constit. in 6.* Regulares autem exempti, & eorumdem Ecclesiæ non subiiciuntur Episcopis. Nec dici potest. Quod hoc possint vt delegati Sedis Apostolicæ per decretum *de seruandis in celebrat. Missar. sect.* 22. Concil. Trident. Quia illa delegatio se extendit solum ad ea quæ concernunt auaritiam, superstitionem, & irreuerentiam in celebratione Missarum, atque adeò solum quoad eos, qui circa hæc peccant. Et ideò non se extendit ad prohibendum Regularibus, ne admittant exteros ad celebrandum. Accedit etiam, quod quando Concilium vult tribuere auctoritatem supra Regulares, eos nominat; solum autem nominat quando agit de celebratione extra Ecclesias & Oratoria tantum cultui diuino deputata. Verum quia Regulares non possunt admittere ad celebrandum in suis Ecclesiis, nisi qui facultatem habent celebrandi, ideò possunt Episcopi, prohibere, ne exteri Sacerdotes admittuntur sine licentia, quia hæc prohibitio afficit ipsos Sacerdotes: ex quo resultat, quod Regulares nequeant admittere tanquam non habilitatos. Et ita declarauit S. Episcoporum Congregat. 21. Octobr. 1586. & in vna Venetiar. 14. Ianuar. 1625. & sacræ sancti Officij Congregatio. 11. August. 1649.

8 Addunt autem Nauarrus *Consil.* 5. *num.* 4. *de celebratione Missarum, libr.* 3. Facundez *præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 2. Faustus *lib.* 2. *de Eucharist. quæst.* 129. Peregrinum Sacerdotem posse celebrare secreto absque licentia, & ideo posse admitti: Verum sicut placet, quod possit sine licentia celebrare secretò, si non habeat aliquod impedimentum, ita placere non potest quod possint admitti nisi sit persona cognita absque eo, quod doceat per litteras testimoniales, quod possit celebrare, vt de Regularibus supra dictum est.

QVÆSTIO 367.

An quotidiana oblatio sacrificij sit melior, & consulenda.

SVMMARIVM.

1. *Non requiritur in quotidie celebrantibus, quæ requiritur in communicantibus.*
2. *Melius est quotidie celebrare.*
3. *Exempla Sanctorum quotidie celebrantium.*
4. *Maius bonum ex celebratione, quam in omissione ex quocumque motiuo virtutis.*
5. *Oblatio sacrificij, & cessatio ab ipso quomodo comparentur.*
6. *Oblatio sacrificij potius consulenda, quàm cessatio ab ipsa.*
7. *Vtilitas publica præferenda priuatæ.*
8. *Absolutè potius consulenda celebratio, quàm abstinentia.*
   Abstinentia à celebratione quatenus consulenda.
9. *Facilius consulenda abstinentia à communione, quam à celebratione.*
10. *Incidens frequenter in peccata mortalia an abstinere debeat à celebratione.*

SVpponendum est cum Vasquez *3. part. disput.* 232. *cap.* 1. *in fine.* Non requiri in Sacerdotibus quotidie celebrantibus eam dispositionem, & sanctitatem, quæ requiritur in Laicis quotidie communicaturis. Et discrimen ex eo desumitur, quod Laïci accedunt ad Eucharistiam nomine proprio, & propter proprium bonum priuatum, & ideò talis accessus æstimatur secundum congruentiam, vel non congruentiam ad ipsos. At Sacerdotes accedunt ad celebrandum tanquam ministri Ecclesiæ, & nomine ipsius offerunt sacrificium; & ideò talis accessus non debet correspondere ipsis tanquam personis priuatis, sed tanquam ministris Ecclesiæ fungentibus munere proprio. Ex quo fit, quod cum oblatio sacrificij consideretur tanquam actio Ecclesiæ, non pertineat ad Sacerdotem, nisi vt ministrum & instrumentum. Vt autem sit habile instrumentum sufficit, si habeat potestatem offerendi & non habeat aliquod impedimentum, quo prohibeatur vti potestate, quæ præter habilitatem non requiritur in instrumento aliqua alia habilitas. 1

Dicendum est. *Melius esse per se, & absolutè, quotidie celebrare, quàm omittere aliquos dies sine celebratione.* Ita Gabriel. *lect.* 87. *in Canon. Missa.* Angelus *verbo* Missa. *num.* 44. *in fine.* Syluester *verbo* Eucharistia 3. *in fine.* Henriquez *libro nono, summ. capite vigesimoquarto, numero primo,* Azorius *part.* 1. *libr.* 10. *cap.* 24. *quæst.* 10. Vasquez 3. *part. distinct.* 232. *cap.* 1. *in fine.* Suarez *disput.* 80. *de Eucharist. sect.* 2. ver. *Dico quarto.* Faustus *libro secundo, de Eucharistia, quæst.* 107. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 10. Ludouic. Cressollius *lib.* 13. *Mystagogi sect.* 6. Bonacina *de sacrific. Miss. cap.* 21. *num.* 3. & alij communiter & desumitur ex D. Thom. *in 4. distinct.* 13. *quæst.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. Quatenus id ipsum docet etiam de sumptione Eucharistiæ, asserant laudabilius esse ad Eucharistiam accedere, quàm ab ea ex humilitate abstinere. 2

Hæc autem constant exemplis Sanctorum. Andreas Apostolus quotidie sacrificium offerebat, vt ipse fatetur coram Egeo Proconsule, vt legitur in Actis Passionis ipsius. Sanctus Gregorius Papa celebrat homilia 37. in Euangelia sanctum Cassium Episcopum Narniensem, quod quotidie offerret sacrificium. Et Diuus Bonauentura *Opuscul. de præparatione ad Missam, cap.* 5. Probat latè. Malè facere Sacerdotem, qui secluso peccato mortali, & impedimento non celebrat quotidie, & offert verba Venerabilis Bedæ. *Cum Sacerdos non ex reuerentia, sed ex negligentia celebrare omittit, tunc, quantum in ipso est, priuat sanctissimam Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iustos subsidio,* 3

dio, & gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, seipsum medicina, & remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates.

4 Ex quibus verbis desumitur ratio efficacissima. Nam offerendo sacrificium defertur Deo cultus supremus, atque adeò gloria, & laus; & quia est propitiatorium, satisfactorium, & impetratorium causat suos effectus, qui participantur à fidelibus, & præcipuè ab ipso offerente, cui prouenit fructus ex opere operato. Et quia offertur pro tota Ecclesia pro Viuis, & Defunctis, omnes participant aliquem fructum Passionis Christi, qui per tale sacrificium iis communicatur; & proinde sacrificium nomine publico, hoc est Ecclesiæ oblatum continet publicam, & vniuersalem vtilitatem, quæ ad omnes pertinet. Econtra verò, si Sacerdos cesset ab offerendo ex quocumque motiuo virtutis, siue reuerentiæ, siue humilitatis, siue ex quocumque alio, ipse solus participat fructum, quem causant huiusmodi actus, atque adeò obtinetur tantum bonum priuatum, & singulare, & hi actus redundant in minorem honorem Dei, quam deferat sacrificium, & fortè non sunt tantum proficui, quantum esset sacrificium, & saltem non fructificant ex opere operato: ergo multò meliùs erit offerre sacrificium, quàm non offerre ex quocumque motiuo virtutis, quia semper fructus sacrificij præponderabunt fructibus qui acquiruntur ex cessatione.

5 Confirmatur. Oblatio sacrificij est præstantissimus actus Religionis, atque adeò per se bonus; & imperatur à Charitate, siquidem cultus Dei prouenit ex charitate, qua Deum prosequimur. Cessatio autem ab oblatione de se non est quid bonum, sed tantum ratione actus, à quo imperatur. Actus autem imperans est timor, qui facit humiliari hominem, & vereri accedere ad offerendum: ergo minor bonitas est in cessatione, quàm in oblatione. Nam in oblatione adest bonitas charitatis, quæ est suprema virtus longè excedens bonitatem timoris; bonitas virtutis religionis imperantis cultum Dei; bonitas ipsius cultus; bonitas fidei, quæ exercetur circa mysterium; bonitas spei, qua speramus fructum sacrificij; bonitas gratiarum actionis, qua Deo gratias agimus pro beneficiis; bonitas deuotionis erga Passionem Christi, quæ recolitur, & omnium ferè virtutum, quia ferè omnes exercentur in oblatione sacrificij. Vnde longè præponderat bonitas, quæ prouenit ex oblatione bonitati, quæ prouenit ex cessatione.

6 Dicendum 2. *Consulendam esse potius oblationem sacrificij, quàm cessationem ab offerendo.* Sequitur ex dictis. Et sufficere possent verba D. August. *serm.* 28. *de verbis Domini.* ibi. *Qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Panis iste quotidianus est, accipere quotidie, vt quotidie tibi prosit. Sic, vt quotidie merearis accipere.* & cap. *Iteratur. De consecrat. distinct.* 2. Quia *quotidie labimur, quotidie Christus pro nobis mysticè immolatur.* Vnde conficitur ratio. Melius est habere remedium pro peccatis quo nobis communicentur fructus Passionis Christi, quàm habere actus quosdam virtutis minores, & inferiores, quàm exerceantur in oblatione sacrificij, quàm cessare: & proinde potius est consulenda oblatio, quàm cessatio. Quia sicut maius bonum est præferendum minori, ita etiam consulendum est, quo præferatur.

7 Confirmatur. Vtilitas publica est præferenda priuatæ, *l. vnic. §. fin. Cod. de caduc. tollen.* & *l. Sancimus. Cod. de Sacrosanct. Ecclesiis*, & Authen. *Res, quæ. Communia delegata*, & cap. *Bona. de postul. Prælati.* & cap. *Nisi. de renun.* & cap. *Licet. de regular.* Ergo cum oblatio sacrificij contineat publicam vtilitatem, & cessatio solum priuatam. Oblatio erit præferenda cessationi, & præsertim quia vltra publicam continet etiam priuatam vtilitatem, & maiorem, quàm contineat cessatio: ergo cum in consulendo debeat præferri maius bonum, erit potius consulenda oblatio, quàm cessatio.

Dices. Ergo nunquam consulenda erit abstinentia à celebratione. Respondetur. Absolutè, & notat Paludanus, *in quarto, distinctione duodecima, quæstione prima, articulo quinto, conclusione tertia.* Melius esse debitè celebrare, quàm debitè abstinere, & ideò absolutè esse potius consulendam celebrationem, quàm abstinentiam ab ipsa. Quia tamen abstinentia ex motiuis virtutum est bona, ideò ad inducendam varietatem virtutum, quibus anima ornetur, & etiam, vt cum maiori feruore charitatis, atque adeò cum maiori merito sequatur postea celebratio. Imò etiam ad vitandum periculum celebrandi indignè quod interuenire potest, quando quis cum nimio tempore celebrat, & potius ex habitu, quàm ex electione, potest aliquando suaderi abstinentia à celebratione, tanquam hic, & nun ratione circunstantiarum vtilior. Et hoc est, quod volunt D. Thom. *in quarto, distinctione duodecima, quæstione tertia, articulo primo, quæstiuncula secunda*, & *articulo secundo, quæstiuncula tertia.* Diuus Bonauentura *artic. vltim. quæst.* 2. *ad* 1. Richardus, *artic.* 6. *quæst.* 1. Angelus, *verbo* Missa. *quæst.* 44. *in fine.* Syluester, *verbo* Eucharistia 3. *num.* 17. *in fine.* Henriquez, *lib.* 9. *summ. cap.* 24. *num.* 7. *in fine.* Azorius, *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *quæst.* 10. *in fine.* Suarez, *disput.* 80. *de Eucharistia, sect.* 2. ver. *Dico quartò. in fine.* Reginaldus, *lib.* 29. *Praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 4. *num.* 169. *propos.* 2. *in fine.* & alij, dum dicunt laudabilius esse, aliquando obtinere, & posse suaderi. 8

Ex dictis colligitur. Posse facilius consuli abstinentiam ab Eucharistiæ sumptione, quàm à celebratione. Nam in primo suadetur tantum abstinentia à proprio bono priuato, quæ facilè compensari potest per actus virtutum, qui in ipsa abstinentia exercentur, & saltem per sumptionem posteà Eucharistiæ, cum maiori feruore, & deuotione. At in secundo suadetur non solum abstinentia à proprio bono, sed etiam à bono omnium fidelium, siquidem omnes participant de fructibus sacrificij; vnde licèt abstinens compensare possit proprium bonum, non tamen compensabit alienum. Et ideò cum consulere abstinentiam à celebratione sit contra vtilitatem alienam, & publicam, licèt in commodum abstinentis, cautè admodum procedendum est, cum non debeamus plus amare Sacerdotem, qui debet abstinere, quàm totam communitatem Fidelium. 9

Colligitur 2. Quod si quis incidat etiam frequentes in peccata mortalia, non tamen ex hoc capite debemus illi suadere abstinentiam ab oblatione sacrificij. Quod ex parte docet Henriquez *lib.* 9. *sum. capite* 24. *numero* 1. Nam si alias disponatur per Confessionem cum debito dolore, fit habilis ad offerendum. Et quantum spectat ad vtilitatem ipsius, percipiet duo remedia ad obtinendam veniam peccatorum, & præseruatiua à futuris, nempe impetrationem, & propitiationem, si quoad hanc concurrant debita requisita; & Eucharistiam in consumptione sacrificij, quæ est antidotum contra peccata, vt habet Concilium Tridentinum *sect.* 13. *cap.* 2. *de Eucharistia.* Hæc autem sunt remedia potentiora, quam sint actus illi, qui exercentur abstinendo ab offerendo sacrificio. 10

QVÆSTIO 368.

An liceat pluries in die offerre sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *De iure diuino non prohibetur pluries in die offerre sacrificium.*
2. *Antiquitus non prohibebatur pluries in die offerri sacrificium.*
3. *De iure Ecclesiastico non licet nisi semel in die offerre sacrificium.*
4. *Textus, ex quibus hoc desumitur.*
5. *An contineant praeceptum.* & num. seq.
7. *Verbum sufficit ratione subiecta materia infert praeceptum.*
8. *Responsio negatiua ad interrogationem an liceat habet vim prohibitionis.*
9. *Voluntas legislatoris expressa habet vim legis.*
10. *Responsio taxatiua excludit alia.*
Responsiones Pontificum inserta in corpore iuris habent vim legis.

1 DE iure dioino non prohiberi, Sacerdotes pluries io eadem die celebrare omnino certum est, cum nullum ius huiosmodi reperiatur, aut scriptum, aut quod ad nos peruenerit ex traditiooe. Siquidem Christus instituens hoc sacrificium solum dixit. *Hoc facite in meam commemorationem*, nihil determinans circa tempus, aut iterationem io eadem die, nec etiam ex iure naturali, seu ex natora sacrificij, quia cum sit iterabile, potest etiam io eodem die, & ab eodem iterari. Et hoc declarat Praxis Ecclesiæ, nam ter offerri potest à singulis Sacerdotibus in die Natioitatis Domini, & admittit aliquos casus, in quibus potest idem Sacerdos pluries celebrare, vt infra videbimus. Modo autem restat videre, quid de iure Ecclesiastico.

2 Est autem supponendum. Antiqoitus nullam fuisse probibitionem celebrandi pluries in eadem die. Hoc autem clarè constat ex Valfrido Strabone *de rebus Ecclesiast. cap.* 21. vbi habet. *Diuersitas autem quedam inter Sacerdotes oboriri solet, qui est talis, qui semel tantum in die Missam celebrare velit, nimirum credentes, idem mysterium Christi cunctarum necessitatum esse generale subsidium. Alius verò bis, ter, vel quotieslibet, eadem mysteria in die iterare congruum putat, credentes tanto amplius Deum ad misericordiam flecti, quantò crebrius Passio Christi commemoratur. Et fortè consuetudinem suam inde confirmandam existimat, quia Romanorum vsus habet, duas, vel tres interdum vnius solemnitatis facere Missas.* Et ibidem habet se habuisse ex relatione virorum fide dignorum, quod Leo Papa septies, vel nouem in eadem die obtulerit sacrificia. Et cooeludit, quod qnisque in suo senso abundet. Obiit iste Auctor anno 849. & est fide digoissimus. Vnde duo notanda ex ipsius testimonio habentur. Primum, quod mos erat apud Romanos pluries in die celebrare: Secundum, quod tunc quoque erat controuersum, an esset pluries in die offerendum sacrificium: & consequenter noodum erat aliquod statutum ab Ecclesia.

3 Dicendum est. *De iure Ecclesiastico secluso die Natiuitatis Domini, non licere, nisi semel in die offerre sacrificium.* Et proinde peccarent mortaliter qui extra casus præmissos pluries celebraret, Hoc autem habet locum quoad omnes Sacerdotes quacumque dignitate fulgeant, & Regulariter loquendo, qoia io aliqoibus casibus de iure licèt pluries celebrare, sicut etiam ex priuilegio concesso pro aliquo speciali die. Ita docent communiter præsertim Glossa 1 *in cap. sufficit. De consecratione, distinctione prima*, & *in cap. Consuluisti. De celebratione Missarum.* Diuus Thomas, *tertia parte, quæstione* 83. *articulo secundo, ad primum.* vbi expositor. Syluius, Pesantius, Puteanus, Chellisson. Nugous, Præpositus, Paludanus, *in quarto distinctione duodecima, quæstione prima, articulo quarto, conclusione quarta*, Maior. *quæstione quinta*, Sotus, *distinctione decimatertia, quæstione secunda, articulo secundo, ad secundum, in fine.* Gabriel, *sectione decimaquarta, in Canone Missæ*, Ledesma 2. *part.* 4. *quæstione vigesimaquarta, articulo secundo*, Tabiena, *verbo* Missa. *numero* 43. Angelus, *numero quadragesimooctauo*, Armilla, *numero vigesimoquinto*, Syluester, *quæstione septima*, vers. *Secundum.* Diuus Antoninus, *tertia parte, titulo decimotertio, capite sexto*, §. *Quinto.* Nauarrus, *capite vigesimoquinto Manualis, numero* 87. Henriquez *libro nono, sum. cap.* 30. *numero sexto*, Azorius, *parte prima, libro decimo, capite vigesimoquarto, quæstione sexta.* Graffiis, *parte prima decisionum, libro secundo, cap.* 40. *num.* 1. Valent. *tom.* 4. *disputatione sexta, quæstione vndecima, punct.* 3. ver. *Quoad septimum.* Vasquez *tertia parte, disputat.* 233. *cap.* 5. *num* 42. Suarez, *disputat.* 80. *de Eucharistia, sect.* 3. *init.* Reginaldus *lib.* 29. *Praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 4. *quæst.* 4. *num.* 171. Dicastill. *de sacrament. tractat.* 5. *disput.* 4. *dub* 3. *num.* 39. Amicus *tom.* 7. *Curs. Theol. disp.* 33. *sect.* 11. *num.* 315. Gaspard. Hurtad. *de sacrament. disput.* 4. *de sacrific. Miss. difficult.* 3. *init.* Caspens *tom.* 2. *Curs. Theol. tractat.* 23. *disp.* 3. *sect.* 1. *num.* 58. & infra citandi.

Hoc autem desumitur ex triplici textu. Primus est 4
in cap. *Sufficit. de consecr. dist.* 1 ibi. *Sufficit vni Sacerdoti vnam Missam in die vna celebrare, quia Christus semel passus est, & totum Mundum redemit. Non modica res est vnam Missam facere, & valdè felix est, qui vnam dignè celebrare poterit.* Ita Alexander II. Secundus est Ionocentij III. in cap. *Consuluisti. de celebrat. Miss.* ibi. *Respondemus, quod excepto die Natiuitatis Domini, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die vnam Missam solummodo celebrare.* Fuerat autem requisitus Innoceot. his verbis: *Consuluistis nos vtrum Presbyter duas Missas in eadem die valeat celebrare super quo tibi duximus respondendum*, &c. Tertios est in cap. *Te referente eodem tit. de celebr. Missar.* vbi Honor. III. habet. *Cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate fulgeat vnam in die celebrare Missam sufficiat. Nam & valdè est fœlix, qui celebrat dignè vnã.*

Circa aotem hos textus adest difficultas, an conti- 5
neat præceptum, ita vt ratione ipsorum adsit prohibitio pluries celebrandi; at verò non cootineat, & proinde obligatio adsit tantum ratione consuetudiois. Prima sententia asserit, non continere præceptum. Ita Gloss. *in cap. Consuluisti.* verbo *Necessitatis. de celebrat. Missar.* Gabr. *lect.* 14. *in Can. Miss.* Sum. Astens. *lib.* 4. *tit.* 14. *n.* 3. Diaz. *in Prax. cap.* 30. Henriq. *lib.* 9. *sum. c.* 3. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *c.* 24. *q.* 6. & quoad text. cap. *Sufficit. de consecrat. dist.* 1. Idem sentit. Vasq. 3. *part. disp.* 232. *cap.* 5. *num.* 3. Fundamentum huius sententiæ est. Quia verbum *Sufficit.* non importat præceptum.

Secunda sententia asserit, continere præceptum. 6
Ita Paludao. *in* 4. *distinct.* 12. *quæst.* 1. *art.* 4. *conclus.* 4. D. Antooio. 3. *part. tit.* 13. *cap.* 6. §. 5. Syluester *verbo* Missa 1. *quæst.* 7. ver. *Secundum dicit.* Victoria *in sum. vbi de Eucharist. num.* 96. Nauar. *cap.* 25. *Manual. num.* 97. Quatenus ex hoc textu colligit, non licere, Suarez *disp.* 80. *de Eucharist. sect.* 3. *init.* Reginald. *lib.* 29. *praxis fori pœnit. cap.* 29. *sect.* 4. *quæst.* 4. *num.* 17. & quoad duos posteriores text. Vasquez *disp.* 232. *cap.* 5. *num.* 43. id colligens ex contextu. Verum videtur eadem ratio de omnibus textibus, quia verbum sufficit eodem modo significat in omnibus.

Dicendum

7 Dicendum est. *In dictis textib. contineri prohibitionem celebrandi pluries in eadem die, atque adeò prohibere multiplicem celebrationem non solum ratione consuetudinis, sed etiam ex vi bonorum.* Ita etiam D.Thom. 3 *part. quæst.*83.*art.*2. in *Sed contra*, dum habet multiplici celebrationi obstare consuetudinem secundum Canonum statuta. Et quod spectat ad 1. text. Cap. *Sufficit*. Pontifex Alexander decidit quæstionem propositam sibi, an liceat pluries celebrare, an ibi in positione casus obseruat Gloss. Quia autem quæstio ei proposita fuit decidenda, non speculatiuè, sed in ordine ad praxim, & proinde tanquam supremum Caput dirimeret controuersiam, quæ tunc versabatur, vt constat ex Valfrido allato *num.*2. & statueret, quid in hac dubia esset seruandum; non dirimeret autem controuersiam, nisi decerneret, quid esset seruandum: ergo cum dirimat controuersiam, & decernat quid in re dubia seruandum sit, oportet, quod verbum *sufficit* ratione subiectæ materiæ habeat vim determinandi, quid seruandum sit, atque adeò inducendi obligationem.

8 Secundus quoque text. continet præceptum, seu potius declarat, adesse prohibitionem pluries celebrandi in eodem die. Nam requisitus fuerat Pontifex vt declararet, an Sacerdos valeat in eodem die duas Missas celebrare, quod idem est, ac an ei liceat. Et respondet, quod sufficit, si vnam solummodo celebret, quæ responsio est negatiua respectu propositionis, præsertim stante dictione taxatiua, *solummodo*, quæ operatur, vt concedatur celebratio vnius Missæ, negatur autem celebratio secundæ. Responsio autem ad propositionem factam, an liceat, habet vim prohibitionis, aut quæ tunc fiat, aut quæ sit iam facta. Vnde stante propositione, ao valeat, seu an liceat, responsio per verbum *sufficit*, *quod vna celebretur*, æquiualet huic non licet plures celebrare, sed debet vna sufficere.

9 Tertius quoque text. continet præceptum. Nam cum dicat cuilibet, &c. vnam in die celebrare Missam sufficiat subintelligitur, volumus, quod sufficiat. Et quia verbum sufficere iunctum cum dictione vnam importat exclusionem alterius venit in necessariam consequentiam, & subintelligitur, nolumus, quod secundam celebret. Et ideò æquiualet tex. huic orationi, volumus, quod ipsi sufficiat celebrare vnam Missam, & nolumus, quod celebret secundam. Et proinde sufficienter exprimit intentionem, & voluntatem Pontificis, quod vna tantum Missa in die à singulis Sacerdotibus celebretur. Voluntas autem legislatoris legislatiuo modo expressa habet vim legis obligantis; & cum simus in materia graui, obligabit sub mortali. Quod etiam confirm. ex eo, quod subdit text. nam Pontifex iniungi Præsuli Sypontino, quod in Feria V. maioris hebdomadæ solùm in Præsula Sypontina, in qua tenebatur Chrisma conficere, celebret Missarum solemnia. Hoc autem iniungit ex eo, quod sufficit vnicuique Sacerdoti semel in die celebrare, hoc est, non ei licet, nisi semel in die celebrare.

10 Rursus præceptum deducitur ex his tribus testibus, quia omnes continent responsionem factam interrogationi, an liceret eidem Sacerdoti pluries in die celebrare. Et responsio in omnibus est, quod debet sufficere celebrare vnam Missam. Quicquid autem significet verbum sufficit, an significet, *Non licet*; an nolumus, certum est, quod importat taxationem, itavt oratio per ipsum reddatur taxatiua vnius Missæ iuxta ea, quæ de verbo *sufficit* tradunt Gloss. *in Cap. Statutum, verbo* Canonicis, *de rescript. in* 6. Dominicus *ibid.* Abbas *in cap. fin. num.*2. *de sponsal. duorum.* Roman. *in l. Cum mulier, ff. solut. matrim.* stante autem hac significatione taxatiua, si aliquid exigitur, nihil exigitur vltra id, quod sufficit, conceditur: ergo cum in præsenti resoluatur quæstio, an liceat celebrare vnam, an verò multiplicem Missam, per verbum *sufficit*, resoluitur, quod liceat vnam tantum celebrare, quod sufficit vna, nec vltra ipsam alia conceditur; & cum hæc responsio sit inserta in corpore iuris, habet vim legis obligantis iuxta qualitatem materiæ, vt docent communiter, & desumitur ex Cap. 1. *dist.* 19. & ex Cap. *Sancta Romana, dist.* 15. & ex *l.* 1. *ff. de constit. Princip.* Et proinde cum materia sit grauis, obligabit sub mortali.

QVÆSTIO 369.

An ordinatus in die Natalis Domini possit celebrare duas alias Missas.

SVMMARIVM.

1. *Consecratus Episcopus in Natali Domini potest duas alias Missas celebrare.*
3. *Concelebratio non ponit impedimentum ad celebrandum.*
4. *Ordinatus Sacerdos in natali Domini potest duas alias Missas celebrare.*
5. *Sacerdos concelebrat cum ordinante substantialiter.*
6. *Omnes consecrantes in ordinatione se habent per modum vnius ministri.*
7. *Sacerdotes nouiter ordinati non communicant laico modo, & cur.*
8. *Ordinatus in secunda Missa potest alias duas celebrare.*
9. *Laico modo communicans non potest amplius in natali Domini celebrare.*

Potest ordinari Sacerdos in prima Missa, si dispensatur, vt ordinetur extra tempora. Rursus potest etiam quis consecrari Episcopus in eadem Missa; vnde dubitatur, an postea celebrare possit alias duas Missas. Ratio dubitandi ex eo oritur. Quia licet sit iam Sacerdos, quia tamen in Missa ordinationis communicat laico modo, non videtur posse rursus celebrare, sicut non posset celebrare Sacerdos, qui laico more communicasset, quod autem communicet laico modo constat ex eo, quod sumit Eucharistiam de manu Episcopi ordinantis, & sub vnica tantum specie, sicuti sumunt laici. 1

Dicendum. *Episcopum consecratum in prima Missa Natiuitatis Domini posse alias duas Missas celebrare.* Ita etiam Quintanaduen. *tom.*2. *tract.*2. *singul.* 3. *n.*8. Ratio est. Quia quilibet Sacerdos potest illa die celebrare tres Missas. Episcopus autem, qui consecratur, celebrat primam Missam simul cum consecrante, nam non solùm recitat, quæ recitanda sunt, sed etiam profert verba consecrationis supra eandem materiam, & in eadem materia sub vtraque specie consumit sacrificium; vnde nihil deest ad completam celebrationem Missæ: vnde nihil obstat, quia possit celebrare alias duas, sicuti celebrant cæteri Sacerdotes. 2

Dices obstare, quia conceditur celebratio trium missarũ modo consueto. Vnde cum consecratus Episcopus nõ celebret de per se modo consueto, sed concelebret cum consecrante, non poterit prosequi alias duas missas. Verùm hoc nihil obstat. Quia nõ ponitur impedimentum ex celebratione ad celebrandas alias duas missas, siquidem concelebratio adhuc est celebratio, & quod alias simul celebret solum variat ritum consuetum; variatio autem ritus non impedit vlterius celebrare. Deinde Ecclesia absolutè concedit celebrationem trium missarum, nec excludit casum, quo consecratus concelebret, quod autem non 3

excluditur à lege, nec nos debemus excludere, *l. si seruum, §. Non dixit,ff. de acquir. hæred.* & *l. 2. §. 1. ff. de iudicijs.*

4 Dicendum 2. *Sacerdotem ordinatum in prima Missa Natalis Domini posse celebrare alias duas Missas.* Ita Quintanaduen. *tom. 1. tract. 1. singul. 3. n. 2.* Ratio est, Quia qui ordinantur Sacerdotes, consecrantur, & acquirunt potestatem offerendi sacrificium, antequã consecrans offerat, & tunc cooffeentes sacrificium, & concelebrantes simul cum ipso, & proinde proferunt verba consecrationis simul cum Episcopo. Vnde Pontificale, vbi de ordinatione præscribit, quod ordinati Sacerdotes non recitent *Confiteor* pro Communione, & assignat rationem, quia concelebrant Pontifici, vt docent communiter Doctores: ergo tanquam celebrauerint primam Missam poterunt alias duas celebrare.

5 Dices. Concelebrare consecranti ritualiter, non verò substantialiter, quia non proferunt verba consecrationis supra materiam præsentem, cum non accedant ad altare, sed per plures passus distent. Vnde defectu præsentis materiæ non consecrant. Sed hoc dici non potest, cum sit contra praxim Ecclesiæ, quæ iubet, eos habere intentionem consecrandi. Deinde materia est præsens ordinãti, & ipsi simul cum ordinante faciũt vnum consecrantẽ, & ideò eo ipso quod est præsens ordinanti, habetur pro præsenti respectu omnium qui vniuntur per modum vnius cum ipso.

6 Dices 2. Fieri posse, quod ordinati non consecrauerint, eò quod ordinatus priùs formã absoluerit. Resp. Neque hoc dici posse, quia ordinati non consecrant de per se, sed cum subordinatione, ad ordinatorem, & per modum vnius simul cum ipso, & ideò consecratio semper est communis respectu omnium. Quia vnus est principalis consecrans, nempe Christus, qui vtitur omnibus illis per modum vnius ministri, ad consecrandum; & ideò consecratio prouenit indiuisibiliter ab omnibus, quamuis vnus priùs altero compleat verba, tanquam causis subordinatis vni principali causæ, nempe Christo. Et proinde omnes semper consecrare, tradit Innoc. Papa *lib. 4. de myst. Miss. c. 25.*

7 Ad rationem dubitandi resp. Sacerdotes nouiter ordinatos non communicare laico modo, sed sacerdotali modo, quia communicare laico modo non est accipere Eucharistiam de manu alterius, neque sub vna tantum specie, nam si celebrans impediretur, ne posset consumere, adhuc tamen communicasset sacerdotali modo; sed est sumere Eucharistiam ab alio consecratam. Communicare verò sacerdotali modo est sumere de consecratis à seipso, quod faciunt Sacerdotes de nouo consecrati.

8 An autem, si ordinaretur in secunda Missa, posset alias duas celebrare. Resp. Posse celebrare tertiam, de quo non videtur adesse aliqua difficultas, quia seruatur ordo quem habet. Videtur tamen probabile, quod possit celebrare etiam primam. Quia licet sint secundum ordinem dispositæ in Missali, hic tamen ordo non videtur ita necessarius, vt ex rationabili causa, non possit inuerti, vt contingit etiam in horis Canonicis, quæ licet certo ordine dispositæ sint, adhuc tamen saltem ex aliqua causa rationabili potest talis ordo inuerti. Imò si ordinaretur in tertia Missa, videtur posse celebrare duos priores, quia si semel non obstat ordo, nec etiam obstabit quocunque modo inuertatur, quia non est ordo nascens ex natura Missarum, sed ab extrinseco ordinante, & minorem connexionem ordinis habent inter se, quam habeant adinuicem horæ Canonicæ.

9 Cur autem, si laico modo communicaret, non posset amplius aliam Missam celebrare, inde prouenit iuxta ea, quæ tradunt Vasq. *3. par. disp. 244. cap. 8. n. 30.* Lugo Card. *disp. 20. de Euchar. sect. 1. n. 43.* Quintanad. *tom. 1. singul. tract. 4. singul. 9. n. 1.* Quod de iure licet tantum semel in die sumere Eucharistiam, aut celebrando, aut laico modo, Cap. *Consuluisti, de celebrat. Miss.* & Cap. *Sufficit, de consecrat. dist. 1.* qui text. licet loquantur de celebratione, extenduntur tamen ex praxi Ecclesiæ, & obseruantia fidelium etiam ad communionem. Cum ergo in die Natalis Domini concedatur solum ter celebrare, & ter sumere Eucharistiam sacerdotali modo, non conceditur semel sumere laico modo, & bis in celebratione; quia sumptio Eucharistiæ laico modo coniuncta cum quacunque sumptione in celebratione est omninò extra concessionem.

QVÆSTIO 370.

An eodem die celebrari possit Missa de die, & altera pro defunctis.

SVMMARIVM.

Ratio dubitandi desumitur ex Cap. *Sufficit, de consecr. dist. 1.* vbi Pontifex Alexander II. postquam dixisset, quod sufficere debet celebrare vnicam Missam, subdit quidam tamen pro defunctis vnam faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit. Neque hoc improbat, sed potius admittit, quia cum dixerit, quod debet vna sufficere debuisset, hanc consuetudinem reprobare, si non admitteret. De qua autem necessitate intelligat, quando dixit, *si necesse fuerit*, non est facile conijcere, solumseom importet indefinitam necessitatem, potest intelligi de quacunque necessitate celebrandi pro defunctis: & proinde etiam, quando sunt celebrãda anniuersaria, aut quocumque alio modo adsit obligatio celebrandi pro defunctis. 1

Si autem accipiatur de casu, quando celebrandæ sunt exequiæ pro aliquo defuncto, videtur importare maiorem necessitatem, & sufficientem causam iterandi Missam; quod videtur etiam admittere Concil. Carthagin. III. relatum in Cap. *Sacramenta, de consecrat. dist. 1.* vbi habet. *Si aliquorum pro meridiano tempore defunctorum, siue Episcoporum, siue cæterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt iam pransi inueniantur.* Vnde inferri videtur, quod si non pransi, licet celebrauerint, possint iterum celebrare. Quamquam dici posset, quod intelligitur, si aliàs non celebrauerint. Quicquid tamen de hoc sit, hunc casum tanquam sufficientem ad iterum celebrandum admittunt, Gloss. *in Cap. Consuluisti, verbo* Necessitas, *de celebrat. Missar.* Aureol. *in 4. dist. 9. quæst. 2. ver. Sed nunquid.* Palud. *dist. 12. quæst. 1. art. 4. concl. 4. casu 2.* D. Antonin. *3. part. tit. 13. cap. 6. §. 5. casu.* Nauar. *cap. 25. Manual. n. 87. casu 3.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 39. n. 7. casu 2.* & *in Com. littera D.* vbi alios citat. Et limitantes quando adest consuetudo sepeliendi 2

liendi defunctum cum Missa. Azot. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.*24.ver.*Excipiunt*.Coninch *de sacram.qu.*83.*art.*2. *dub* 3.*in fin.*Marchin.*de Sacram.Ordin.tract.*3. *part.*2. *cap.*37.*n.*3 Facundez *precep.*1. *Eecl. lib.*3.*cap.*16.*n.*3. Thomas Hurtad. *par .*1.*resol. moral tract.*2. *cap.*7. *resolut.vlt.num.*434. Leander *de sacram. tract.*8. *disp.*6. *quest.*36.

3 Secunda sententia non admittit huoc casum, in quo bis celebrari pussit. Ita Armilla *verbo* Missa,*n.*25. Victor.*in sum.tit.de Eucharist.num.*96. Tabiena *verbo* Missa, *n.*42 *cas.*1. Syluest.*qu.*7.*cas.*1. Et qui, licet admittunt casum, non tamen his temporibus. Ioan. de Friburg.*ad sum.S.Raymun.lib.*3.*tit. de Sacrament.iteran.*§.13.Sotus *in* 4.*dist.quest.*2.*art.*1.*ad* 1.*in fin.* Graf. *part.*1.*decis.lib.*2.*cap.*20.*n.*2.Suarez *disp.*80.*de Eucharist.sect.*3.§.*Vt autem.*ver.*Hine ergo.*Rodriguez *part.*1. *sum.cap.*249.*conel.*2.*casu* 2. Vasquez 3.*part. disp.*232. *casu* 5.*num.*48. Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp.*4. *de sacrif. Miss.difficul.*3. Ioan.à Cruce *part.*2. *Direct.confessen.quest.*2.*de sacrif. Miss.dub.*3.*concl.*3.*in fine.* Lugo Card.*disp.*20.*de Euchar.sect.*2.*n.*45. Martin. *eod.tract. disp.*40.*num.*10. Francis.Lugo *de sacram. lib.*5.*cap.*5. *quest.*5.*n.*51.Molfes.*tom.*1.*sum.tract.*3.*cap.*10.*num.*45. Vgolin. *de offic. Episcop. cap.*16.*num.*4. Pitigian. *in* 4. *dist.*13.*qu.*2.*art.*3. Syluius 3.*part.quest.*83. *art.*2. *ad* 5. Nugn. *ibid.* Llamas 3.*part. Reth. cap.*15. §.17. *in fine.* Villalob.*part.*1.*sum.tract.*8. *difficul.*21. *n.*10. & communiter Recentiores.

4 Dicendum est. *Modo non licere secundam Missam celebrare ob funus defuncti, & proinde illam tacitam concessionem Alexandri II. de qua* num.1. *non esse amplius in vsu.* Et quidem si consideretur causa oegari non potest, quod adsit sufficiens de se spectate ad celebrandam secundam Missam, præsertim cum præteritis temporibus in vsu, vt proiode Doctores antiqui hoc asseruerint, qui fortè idem modo non assererent. His tamen temporibus stante multitudine Sacerdotum, & stricta obseruantia præcepti de semel tantum celebrando, amplius non habet locum.

5 Ratio autem est. Qoia eelebratio secundæ Missæ concedebatur ratione necessitatis, quæ hodiè videtur cessare; tum quia communiter non agnoscunt talem necessitatem; tum quia his temporibus non potest celebrari Missa in tempore meridiano stante prohibitione Pij V. *in sua* 4.*constit. tom.*2.*Bullar.* Vnde eriam Rituale Romanum *tit. de exequijs in Rubr.* immediatè ante offic. defunct. præscribit celebrandam Missam in exequiis, *Si hora fuerit congruens.* Si autem tempore matutino celebrētur exequiæ, poterit celebraturus expectare absqoe eo, quod celebret missam, præsartim cum non deferatur defunctus ad Ecclesiam absque licentia Parochi, & notificetur iis, ad quos spectat, antequam deferatur, vnde non potest occurrere casus improoisus. Qood enim nuncletur Sacerdoti celebranti, quando non potest suspendere celebrationem, nec offerre pro defuncto, qui infertur Ecclesiæ, itavt abstineat à sumptione purificationis, est potius casus Metaphysicus, quam qoi in praxi occurrere possit. Rursus cum valdè frequenter celebrentur exeqoiæ sine Missa, causa exequiarum non reputatur casus necessitatis, ratione cuios liceat bis celebrare. Et ideò si occurrat casus in quo non posset celebrari pro defuncto, esset potius sine Missa sepeliendus.

6 Confir. Strictiùs obligat præceptum celebrandi semel tantum in die, quam celebrandi horis consuetis; siquidem illud non admittit aliquam latitudinem, nec conceduntur specialia priuilegio persoois particularibus, aut regularibns celebrandi pluries in die sicut admittunt horæ consuetæ celebrandi præsertim ex multiplicibus priuilegiis, & tamen præceptum quoad horas debitas non cedit ob celebrandam Missam pro exequiis; siquidem Rituale Romanum præscribit, quod celebretur, *si hora fuerit congruens,* & proinde non celebretur, si non fuerit congruens, vt dictum est *num.præced.* Ergo multò minus cedet præceptum de vnica Missa celebranda.

Dices. Fieri posse, quod in loco, vbi est sepeliendus defunctus, adsit tantum vnicus Sacerdos, vt facilè contingere potest in locis Ruralibus. Vnde videtur, quod tunc possit celebrari altera Missa pro defuncto, sed neque in hoc casu celebrari poterit; nam, vel scit esse sepeliendum defunctum; & tunc, si vult celebrare pro ipso, debet expectare tempus exequiarum. Aut non potest expectare, aut non vult, & tunc poterit offerre pro ipso, sacrificium, quamuis corpus non sit præsens. Quod si solum, postquam celebrauit, sciat mortuum fuisse, non poterit secundam Missam celebrare, cum non sit ieiunus, sed purificationem sumpserit. Quod si id sciat, postquam consecrauit, anteq uam sumat purificationem erit ex illis casibus ita raris, vt propter ipsam non sit relaxandum præceptum de semel celebrando, sicut non relaxatur de non celebrando tempore vespertino quandu vesperè celebrantur exequiæ. 7

Dices 2. Esse causam grauem citò celebrare pro defuncto, siquidem agitur de eo liberando à Purgatorio, vbi cum pœnas grauissimas patiatur, omnis dilatio est maximi momenti, atque adeò causa sufficiens relaxandi præceptum. Resp. Ob eamdem rationem posset dici, quod esset causa sufficiens pro relaxando præcepto de non celebrando tempore vespertino, aut in nocte, aut absque ieiunio, & tamen non relaxatur. Vnde ob eas causas, ob quas non relaxetur in his præceptum, dicendum est, quud nec relaxetur de semel celebrando. Deinde est maximè incertum, an sit liberanda anima defuncti; nam primò incertum est, an sit in Purgatorio cum possit esse damnata, aut etiam in Paradiso. Secundò incertum est, an sufficiat vnica Missa pro ea celebranda. Tertiò incertum est, an illud sacrificium sit effectum sortitutum, siquidem adest opinio Doctorum, quod prosit solum per morbum suffragij. Vnde stante incertitudine liberationis, & è contra cum certa sit relaxatio præcepti, non debet præceptum cedere ob finem incertum. 8

Hæc tamen admittunt exceptionem. Si nimitum adsit cōsuetudo cōtraria in aliquo loco, quæ sit præscripta, qnam tamen nunquam auditis alicubi vigent. Si enim adsit consuetodo bis celebrandi ratiooe exeqularum poterit seruari. Quia agitur merè de lege bumana, contra quam præualere potest consuetudo rationabilis, vt statuitur in Cap.*fin.de consuetud.* Dubitari autem non potest, quod ista consuetudo non sit rationabilis, quia est de re secundum se licita, & approbata ab Eeclesia, & fundator in pietate erga defunctos, & aliquando viguit, nec fuit improbata à Summis Pontificibos; imò tacitè approbata ab Alexandro II. in Cap. *Suffiest, de consecrat. dist.*1. 9

Est tamen aduertendum circa hanc consuetudinem, quod cum non sit consuetudo ioris, sed facti, non esset necessatium, vt valeret, quod à maiori parte seruaretur, quia non agitur de inducendo iure obligante, sed de abroganda lege, & ideò sufficerent illi actus, qui satis declararent in tali casu non seruari præceptum, seu legem de semel tantum celebrando. Et proinde sufficeret, quod quando occasio se obtulit, vtplurimum ita sit practicatum. Imò adhuc interuenitet frequentia actuum, & maioris partis, quia frequentia actuum, & maior pars debet attendi secundum subiectam materiam, & in casu de quo agitur. Vnde si in casu sepeliendi defectum, & stante necessitate iterandi Missam, 10

vtplurimum sit iterata, quamuis non semper, habetur pro hoc casu frequentia actuum, & maioris partis, atque adeò erit sufficiens ad firmandam consuetudinem.

QVÆSTIO 371.

Qualis debeat esse necessitas, vt possit oblatio sacrificij iterari.

SVMMARIVM.

1. *Ex necessitate licet iterare Missam.*
2. *Hæc necessitas relinquitur arbitranda.*
3. *Secundum aliquos complectitur honestatem.*
4. *Strictè secundum alios accipienda.*
5. *Lex accipit diuersam interpretationem iuxta diuersa tempora.*
6. *Qualis necessitas requiratur pro iteranda Missa.*
7. *His temporibus strictius accipienda necessitas.*
8. *Quid in casibus repentinis.*
9. *Necessitas pro iteranda Missa in omni loco eodem modo accipienda.*

1 VLtra casum necessitatis celebrandi pro defuncto, quem ponit Alexander II in Cap. *Sufficit, de consecrat. distinct.* 1. Innocentius III. in Cap. *Consuluisti, de celebratione Missar.* ponit absoluiè absque vlla determinatione causam necessitatis, ob quam concedit iterare missam, vt constat ex illis verbis, *Nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel vnam Missam solummodo celebrare.* Ex quo fit, quod cum non determinet necessitatem ad aliquam speciem, seu genus necessitatis, loquitur de necessitate in vniuersali; & ideò, quantum est ex vi huius textus poterit iterari oblatio sacrificij ex quacunque causa necessitatis, & in quocunque genere sit.

2 Rursus cum Pontifex neque determinet, quanta esse debeat hæc necessitas, sequitur, quod relinquat subditis iudicandam, iuxta Cap. *de causis, de Offic. deleg.* Secundum tamen regulas rectæ rationis, quia quando relinquitur aliquid alterius arbitrio, intelligitur de arbitrio regulato à iure cum debeat esse arbitrium rectum, vt tradunt Bart. *in extrauag. ad reprim n. verbo* Videbitur, *num.* 4. Paris. *consil.* 8. *n.* 21. *lib* 4. Cæsar. de Grass. *decis.* 8. *num.* 1. *de re iud.* Duran. *decis.* 5. *num.* 3. Rota *decis.* 235. *num.* 1. *part.* 1. *recent.* & *decis.* 450. *num.* 1. *part.* 2. & in Barchinonensi *fruct.* 16. *Iunij* 1625. coram Durano. Ex quo fit, quod cum arbitrium regulari possit diuersis probabilibus rationibus, quæ habent latitudinem, quoad iudicandam necessitatem, poterit etiam interpretari textum de hac, vel illa maiori, vel minori necessitate, & ideò videndum est, quovsque possit extendi huiusmodi necessitas.

3 Prima sententia satis amplè procedit, nam causam necessitatis extendit etiam ad causam honestatis, & vtilitatis. Ita Glos. *in Cap. consuluisti, verbo* Necessitatis, *de celebrat. Missar.* Panorm. *ibid. num.* 2. Nauat. *cons.* 2. *num.* 2. *de celebrat. Missar. lib.* 3. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 30. *num.* 7. & ij, qui admittunt iterationem Missæ in casibus nullius necessitatis, sed tantum honestatis, & decentiæ. Fundamentum huius sententiæ est, quia cum Pontifex non determinat arbitrium, cui relinquitur iudicium, habet facultatem amplè interpretandi.

4 Secunda sententia vult, istam necessitatem strictè esse accipiendam. Ita Syluester *verbo* Missa 1. *quæst.* 7. *casu* 11. Rodriguez *part.* 1. *sum. cap.* 249. *conclus.* 5. Suarez *disput.* 80. *de Eucharist. sect.* 3. Vasquez 3. *part. disput.* 232. *cap.* 5. *num.* 48. & alij, qui non admittunt illos casus, qui solent assignari præsertim ab antiquis Scriptoribus, & D. Thom. *in* 4. *distinct.* 12. *quæst.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 4. *ad* 1. vbi cum dixisset, quod Sacerdos tanquam persona publica oportet, quod pro aliis celebret, subdit, quod *necessitate cogente potest pluries celebrare in die*, cum enim requirat necessitatem cogentem potest ex quacunque necessitate celebrare, sed tantum ex vera.

Est autem aduertendum, quod sicuti leges, quæ 5
pro vno tempore vtiles sunt, & proinde obligant, & pro alio fiunt inutiles, & desinunt obligare ratione circumstantiarum, quæ occurrunt; ita etiam possunt recipere diuersis temporibus varias interpretationes magis, vel minus amplas prout exigunt circumstantiæ temporis. Et cum obligent iuxta interpretationem, quam habent ex consuetudine, possunt pro diuersis temporibus magis, vel minus strictè obligare. Cum enim consuetudo possit tollere, & inducere legem, potest etiam eamdem legem restringere, vel laxare; & ideò in ea interpretanda attendendus est communis sensus prudentum.

Dicendum est. *Necessitatem, quæ reddit licitam* 6
iterationem celebrationis, debere esse veram necessitatem: non quidem Physicam, sed Moralem. Tunc autem censenda est vera necessitas, quando importat tale motiuum, quod prudentis arbitrio est sufficiens pro relaxanda obligatione legis. Ratio est. Quia quando Innocent. III. in *Cap. consuluisti, de celebrat. Missar.* dicit, Nisi causa necessitatis suadeat, dispensat generaliter in lege pro casibus necessitatis, pro iis enim relaxat obligationem: ergo causa necessitatis debet esse talis, vt sit sufficiens pro dispensatione; sola autem vera necessitas est sufficiens causa pro dispensatione. Confir. Pontifex vult, quod orta necessitas suadeat iterare celebrationem; non potest autem suadere iterationem celebrationis stante lege prohibente, nisi sit necessitas ita vrgens, quæ hic, & nunc ostendat, æquum esse, quod lex cedat, atque adeò quod hic, & nunc præponderet obseruantiæ legis, quia suadere est proponere tale motiuum, vt possit vincere motiua contraria, & ideò, vt necessitas suadeat contra legem, oportet, quod habeat tale motiuum, quod vincat motiuum obseruandi legem.

Ex dictis sequitur, quod his temporibus sit stri- 7
ctiùs interpretandum præceptum de semel tantum in die celebrando, & strictiùs accipiendam necessitatem, quàm antiquitus accipiebatur, vt etiam obseruant Tabiena *verbo* Missa, *num* 43. *casu* 3. Syluester *quæst.* 7. *casu* 2. Armilla *num.* 25. *casu* 2. Victor. *in sum. num.* 46. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 2. *in fine.* Suarez *disput.* 80. *de Eucharist. sect.* 3. *in fine.* Vasquez 3. *part. disp.* 232. *cap.* 5. *num.* 48. Coninch *de sacram. quæst.* 83. *art.* 2. *dub.* 4. *num.* 216. Lugo Card. *de sacrament. Eucharist. sect.* 2. *num.* 45. Dicastil. *de sacram. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 3. *num.* 42. Thomas Hurtad. *part.* 1. *resol. moral. tract.* 2. *cap.* 7. *resol. vlt. num.* 424. Ratio est. Quia his temporibus ita creuit numerus Sacerdotum, vt superabundanter sufficere possit pro quacunque necessitate absque eo, quod ab aliquo iteretur celebratio, imò in Ciuitatibus magnis, & in principalibus toto tempore matutino plures celebrantur, & etiam plures simul eodem tempore; vnde non videtur habere locum necessitas iterandi celebrationem.

Dices. Posse superuenire casus repentinos, in qui- 8
bus, non obstante copia Sacerdotum, adsit necessitas iterandi celebrationem. Resp. Hos casus posse esse admodum raros, & in ipsis non posse habere locum iterationem celebrationis, quia debet sumi purificatio, atque adeò violari ieiunium. Rarissimè autem continget casus, quod non sit sumpta purificatio,

Digitized by Google

ficatio. In his aotem ratissimis casibus, seclusa veta, & propria necessitate, non poterit iterari celebratio, quia cum ob copiam Sacerdotum cœperit magis strictè accipi necessitas, quàm accipiebatur antiquitus, hi casus tegulandi sunt secundum modetnam acceptionem necessitatis, & ideo illi casus, qui antiquitus admittebantur stante ampla acceptione necessitatis, hodie non possunt admitti stante stricta acceptione necessitatis.

9 Dices 2. Hæc copia Sacerdotum non est vniuersalis: sed solum in vrbibus; vnde in villis adest penutia, & in aliquibus adest vnus tantum Sacerdos: ergo in his amplo modo procedendum erit in iudicando de necessitate, & erunt admittendi casus, qui antiquitus admittebantur. Respond. In his locis posse facilius contingere casum necessitatis iterandi celebrationem, quia in locis magnis moraliter, loquendo ius contingere potest: attamen in hoc quoque esse eodem modo iudicandum de necessitate, & eodem modo sumendam; nam diuersitas loci, & penutia Sacerdotum non variat casum necessitatis; sed solum facit, quod possit facilius, vel difficilius occurrere, & ideò quia lex est eodem modo interptetanda in omni loco, iidem tantum casus erunt vbique admittendi.

QVÆSTIO 372.

An quando ratione officij celebrandæ sunt duæ Missæ possit iterari celebratio.

SVMMARIVM.

1. *Casus vti occurrere possit.*
2. *Missa an iterari possit, quando duæ Missæ celebrandæ sunt ratione officij.* & num. seq.
4. *Missa non est iteranda, quando celebrandæ sunt duæ Missæ.*
Obligatio celebrandi duas Missas est secundum ritum Ecclesiæ.
5. *Obligatio celebrandi duplicem Missam Conuentualem quatenus antiqua.*
6. *Tempore Honorij III. quæ obligatio circa Missas Conuentuales.*
7. *Missa duplex Conuentualis vbi celebranda.*
8. *Quomodo accipienda Rubrica de duplici Missa Conuentuali.*
9. *Anniuersaria non inferunt necessitatem iterandi celebrationem.*

1 CAsus potest habere locum solum in Cathedtalibus, aut Collegialibus, cum in his solis adsit obligatio celebrandi duplicem Missam solemnem, quando scilicet concurrunt festa, & vigiliæ, seu fetiæ priuilegiatæ, de quibus celebranda est Missa Conuentualis; aut etiam, quando ex obligatione celebranda est Missa Defunctorum. Necessitas autem potest habere locum, si contingat, adesse tantum vnicum Sacerdotem, qui possit celebrare, quod ex diuerso capite contingere potest vel quia is, ad quem pertinent celebrare ex improuiso impedimento impediatur, vt esset superueniens infirmitas, & alij, aut celebrauerint, aut ieiuni non sint, & ideò supplere non possint.

2 Prima sententia asserit, hunc casum sufficere, vt iterari possit celebratio. Ita Durand. *lib.* 4. *Rational. diuinor. offic. cap.* 1. *num.* 25. *casu* 2. Hostiens. *in cap. Consuluisti. de celebrat. Missar.* Tabiena *verbo* Missa. *num.* 45. *cas.* 7. Angel. *quæst.* 46. *casu* 5. Syluester *quæst.* 7. *casu* 7. Atmil. *num.* 25. *in fine.* Palud. *in* 4. *distinct.* 12. *quæst.* 2. *art.* 4. *conclus.* 4. *post* 6. *casum* D. Antonin. 1. *part. tit.* 13. *c.* 6. §. 5. *post* 6. *casum* Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 24. *artic.* 3. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 30. *num.* 7. *casu* 5. & *in Commen. littera* Y. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 10. Martio. *de sacrament. Ordin. tractat.* 4. *part.* 2. *cap.* 37. *num.* 3. *casu* 9. Suarez *disput.* 80. *de Eucharist. sect.* 3. §. *Est autem.* ver. *Quintus vero aliquando.* Filliucius *tractat.* 5. *num.* 110. Qui duo posteriores id admittunt in die Paschatis, vel alio solemniori, & volunt, quod post Missam Defunctorum celebrari possit Missa de die sicut vnus tantum Sacerdos. citant etiam D. Thom. *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 1. *art.* 2. *qu.* 3. *ad* 3. vbi habet quod quando in vna die occurrunt, vel diuersa Dei beneficia commemoranda, vel quibus sunt gratiæ Deo reddendæ, vel etiam plura adeò impetranda pro salute viuorum, & mortuorum, oportet, quod pluries Missa in Ecclesia celebretur, sed quis non videat has non esse causas necessitatis, vt proinde Missa iterari possit ab eodem Sacerdote, & ideò D. Thom. non loqui de iteratione Missæ, quod etiam constat ex verbis ipsius, noo dicit: *Oportet, quod pluries Missa in Ecclesia celebretur.* Aliud enim est pluries celebrari, & aliud iterari celebrationem.

Secunda sententia asserit, hunc casum non continere sufficientem necessitatem, vt possit iterari celebratio. Ita Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tractat.* 5. *cap.* 4. *num.* 6. Coninck *de sacrament. quæst.* 85. *art.* 2. *dub.* .... *num.* 216. Vasquez 3. *part. disput.* 232. *cap.* 5. *num.* 39. Lugo Card. *de Eucharist. disput.* 20. *sect.* 2. *num.* 45. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 15. ver. *Verum ex his.* Franciscus Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 5. *quæst.* 5. *num.* 57. ver. *Merito tamen.* Palaus *part.* 4. *Oper. moral. tractat.* 12. *disput. unic. punct.* 7. *num.* 9. *casu* 8. Trullench *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 8. *dub.* 10. *num.* 9. Caspens. *part.* 2. *Curs. Theolog. tractat.* 21. *disput.* 3. *sect.* 1. *num.* 58. Martin. *de Eucharist. disp.* 40. *num.* 11. 3

Verum licèt prior sententia sit conformis praxi antiquæ, hodie tamen videt posse subsistere stante stricta interpretatione, cum qua accipitur necessitas, vnde dicendum. *Non licere iterare celebrationem quando ratione officij celebranda esset multiplex Missa Conuentualis, & non adest, qui celebrare possit, nisi vnicus Sacerdos: ex quocumque capite proueniat hæc necessitas.* Ratio est. Quia obligatio cantandi duas Missas Conuentuales est posterior obligatione celebrandi tantum semel in die à singulis Sacerdotibus. Siquidem prima ortum duxit ab Alexandro II. Hæc autem successu temporis imposita est iuxta fundationes, & dotationes Ecclesiarum, quæ vt plurimum non multum antiquæ sunt: ergo necessitas celebrandi duas Missas non est vera necessitas; & ideò non sufficit. Conseq. prob. In tantum esset vera necessitas, in quantum adesset obligatio. Non adest autem, quia quando est imposita, vt implenda secundum ius, & quando secundum ritum Ecclesiæ impleri potest; vnde censetur coarctata ad terminos legum Ecclesiasticarum, & Rubricarum. 4

Dices. Celebrationem harum duarum Missarum esse antiquam, siquidem de ea meminit Microlog. *cap.* 48. & 58. Resp. Esse antiquam quoad celebrationem, non quoad obligationem celebrandi. Nam tunc celebrabantur istæ duæ Missæ ob quandam integritatem officij diuini: non autem quia ratione muneris tenerentur celebrare; nam obligatio orta est, vt dictum fuit, ex fundatione ex dotatione Ecclesiarum, & proinde ratione muneris, quod beneficiati suscipiant de celebrando iuxta ritum Ecclesiæ. 5

Instabis. Celebratio harum Missarum obligabat 6

in

in tempore Honotij III. vt constat ea cap. *Cum creatura, de celebrat. Missar.* Resp. Ex illo teat. solum desumi obligationem de Missa Conuentuali, non autem de duplici Missa conuentuali, nam nibil protlus habetur de Missa de feria, sed iniungit, quod, quando celebrabunt anniuersaria, celebrarent etiam Missam de sancto, vel de feria iuxta temporis exigentiam; vnde solum voluit Pontifex, quod propter anniuersarium non omitterent Missam de tempore. An autem ista anniuersaria tunc essent manualia, an vero ea fundatione, non constat. Si fuissent ex fundatione, potuissent tunc esse causa sufficiens iterandi celebrationem, quia non ita strictè accipiebatur prohibitio, sicut modo accipitur.

7 Confirm. Obligatio celebrandi Missas conuentuales est secundum terminos ritus Ecclesiastici, atque adeo secundum præscriptionem Rubricarum, & non vltra ipsas: ergo nunquam licet sacerdoti iterare celebrationem, vt impleatur obligatio Missarum conuentualium. Conseq. prob. Quia Missæ conuentuales duplicatæ de feria, & de sancto non sunt iuxta Rubricas celebrandæ, nisi adsint plures sacerdotes, qui celebrant, vt constat ex *part.* 1. Rubr. *tit.* 1. *de commemorat. num.* 2. ibi. *Sed in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis vbi plures sacerdotes quotidie celebrant, &c. dicuntur duæ Missæ, vna de festo, alia de feria.* Ergo si contingat casus, in quo esset iteranda celebratio, cessaret præscriptio Rubricæ de duplici Missa.

8 Dices, Rubricam esse intelligendam, quod sint celebrandæ duæ Missæ, quando ea deputatione plures sacerdotes quotidie celebrant, & ideo vrgere adhuc obligationem, si casu accidat, quod vnus tantum sacerdos possit celebrare. Contra, vt adsit obligatio celebrandi duas Missas debent esse deputati ad celebrandum quotidie plures sacerdotes: ergo, cum hæc obligatio fundetur in eo, quod plures sacerdotes celebrare debeant, si casu, & per accidens contingat, quod aliqua die non possint plures celebrare, aut non sint plures, qui celebrent illas Missas, per accidens cessabit illa obligatio pro illa die, sicut cessat fundamentum obligationis. Et notanda sunt verba Rubricæ, quæ non dicit vbi sint plures sacerdotes, qui quotidie celebrare debeant, sed dicit, qui quotidie celebrent: & proinde requirit actualem celebrationem, itavt istæ Missæ non per eundem, sed diuersos sacerdotes sint celebrandæ.

Ex his colligitur. Quod ratione anniuersario-
9 rum non potest adesse necessitas iterum celebrandi. Nam vel sunt Manualia, & possunt non acceptari, aut acceptata differri in alium diem. Aut ex fundatione, & tunc similiter differri poterunt, cum nulla adsit obligatio; quæ determinet ita diem vt non possit in alium diem differri. Vnde nunquam ob duplicem Missam conuentualem adest necessitas iterandi celebrationem.

QVÆSTIO 373.

An benedictio nuptiarum sit causa sufficiens iterandi celebrationem Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Benedictio nuptiarum an causa sufficiens iterandi Missam,* & num. seq.
2. *Quid si benedictio non possit differri.*
4. *Cur benedictio nuptiarum non sufficiat pro iteranda Missa.*
   Potius nuptiæ sine Missa benedicendæ, quam iteranda Missa.
5. *Quid si sponsi sciant, quod adsit opinio, quod Missa iterari possit.*
   Parochus non potest auctorizare opiniones.
6. *Confessarius cur possit sequi opinionem probabilem pœnitentis.*

HIc quoque casus numeratur inter eos, in quibus liceat iterare celebrationem Missæ. Vnde prima 1
sententia asserit, esse casum necessitatis sufficientem. Ita Durand. *lib.* 4. *Rational. dicitur, officior. cap.* 1. *numer.* 25. *casu* 4. Palud. *in* 4. *distinct.* 12. *quæst.* 1. *art.* 4. *conclus.* 4. *casu* 5. Tabiena *verbo* Missa, *numer.* 43. *casu* 5. Syluester *quæst.* 7. *casu* 5. Armilla *numer.* 25. *casu* 4. D. Antonius 3. *part. tit.* 13 *cap.* 6. §. 5. *casu* 5. Victor. *in sum. numer.* 96. Nauarr. *cap.* 25. *Manual. numer.* 87. *casu* 6. Henriquez *libr.* 9. *sum. cap.* 30. *numer.* 7. *littera V.* & *in com. ead. littera, & sequent.* Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 24. *art.* 2. Marchin. *de ordin. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 37. *numer.* 3. *casu* 7

Quia tamen causa non videbatur sufficiens stante 2
restrictione, cum qua in hac materia accipitur necessitas, ideo Recentiores hanc sententiam temperant, vt scilicet locum habeat, quando benedictio nuptiarum non posset differri, vtpote quia verb. gr. esset vltimus dies, in quo clauduntur nuptiæ, & quando oritura esset magna perturbatio, si non benedicerentur, & insuper requirunt, quod nuntietur Parocho benedictio facienda, dum celebratur, antequam sumat purificationem, quæ circunstantiæ si occurrant, posse iterum ab eodem sacerdote celebrari Missam, tradunt Facundez *præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 16. *numer.* 9. Coninch *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 2. *dub.* 3. *in fine*, Lugo Cardin. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.* 1. *numer.* 47 Leander *de sacrament. tractat.* 8. *disput.* 5. *quæst.* 83 Fundamentum huius sententiæ est; quia adest laudabilis consuetudo benedicendi nuptias cum Missa, & alias est vitanda perturbatio. Fatentur tamen Doctores citati, casum cum his omnibus circunstantijs, vix posse occurrere.

Secunda sententia absolutè negat, esse causam 3
sufficientem. Ita Suarez *disput.* 80. *de Eucharist. sect.* 3. §. *vt autem*, ver. *Et idem ferè*, Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disput.* 4. *de sacrific. Miss. difficult.* 3. ver. *Vasquez, verò*, Vasquez 3. *part. disput.* 232. *cap.* 5. *numer.* 48. Caspens. *part.* 2. *Curs. Theol. tractat.* 23. *disputat.* 3. *sect.* 1. *numer.* 58. Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disput.* 4. *dub.* 3. *num.* 50. Trullench. *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 8. *dub.* 10. *numer.* 9. Francisc. Lugo *de sacrament. lib.* 5. *cap.* 5. *quæst.* 5. *num.* 12.

Dicendum est, *Non licere ad benedicendas nup-* 4
tias iterare celebrationem. Ratio est; quia ex duplici capite assignatur necessitas, nempe ex laudabili consuetudine, & ob vitandam perturbationem, aut etiam scandalum. Et supponitur, quod non adsit alius, qui possit celebrare, & quod qui celebrauit non potuerit differre, quia non fuerit ei tempestiuè nuntiatum: & quod benedictio nuptiarum non possit differri, alias non esset casus necessitatis. Verum ex neutro capite adest causa sufficiens pro iteranda celebratione. Non ratione consuetudinis; quia concurrente consuetudine cum præcepto præsertim graui, debet præferri præceptum, quia consuetudo non ipsi derogat, si quidem non est consuetudo obligans, sed tantum laudabilis; & ideo seruanda, quando aliquid grauius non obstat. Non ratione perturbationis, aut scandali, quia talis occasio non aderit probabilissimè, cum sciant cuncti, quod

non licet celebrare, nisi semel in die, etsi Parochus celebrauit ante, debent sibi imputare, quod tempestiuè non nuntiauerint. Deinde dato, quod adesset occasio perturbationis & scandali, posset facilè submoueri, monendo, quod non est licitum iterare celebrationem, & eodem modo se gerendo, ac si sumpta fuisset purificatio. Deinde si vrgeat necessitas benedicendi nuptias poterit benedicere absque Missa; cum Missa non sit necessaria pro benedictione. Sic etiam ordines minores solent regulariter conferri cum Missa; & tamen aliquando etiam conferuntur extra Missam.

5 Dices. Fieri potest, quod sponsi sciant, quod adest opinio multorum Doctorum, quod in tali casu possit iterari Missa, & proinde si non iteretur, grauiter offendantur: ergo saltem tunc poterit iterari celebratio. Resp. Neque tunc iterari posse celebrationem, supposito, quod non adsint exempla praxis huius opinionis: nam cum reducatur ad praxim à publica persona repræsentante Ecclesiam, qualis est Parochus in illa functione, siquidem assistit nomine Ecclesiæ, & benedicit nuptias nomine ipsius, auctorizaretur talis opinio nomine Ecclesiæ. Non habet autem Parochus hanc facultatem auctorizandi opiniones nomine Ecclesiæ. Et proinde est diuersa ratio, quando priuata persona in suis priuatis actionibus sequitur aliquam opinionem, nam cum sequitur ipsam, non dat auctoritatem, & ideò sufficit, quod sit probabilis, vt possit illam sequi.

6 Instabis. Confessarius tenetur sequi opinionem pœnitentis, si sit probabilis, & tamen eam sequitur in actu Confessionis, quem exercet nomine Ecclesiæ, & vt Vicarius Christi: ergo in præsenti tenebitur sequi. Resp. Quamuis assumptum patiatur aliquam difficultatem; præsertim circa conditiones, quæ requiruntur, vt teneatur sequi, esse tamen diuersam rationem. Nam cum pœnitens sit voluntarius accusator sui ipsius, & iudicandus secundum conscientiam, non potest Confessarius iudicare, nisi quatenus se accusat: dum autem habet opinionem probabilem pro se, secundum quam se subiicit iudicandum non potest Confessarius aliter iudicare, cum non se subiiciat alio modo iudicandum. Rursus totum hoc contingit in foro secreto conscientiæ, & ideò non auctorizatur opinio. At in casu præsenti Parochus non iudicat sponsos, vt se voluntariè accusantes, sed regulat actũ, quem ipse exercet in facie Ecclesiæ: & non in foro conscientiæ, sed publico modo reduceret ad praxim opinionem, & ideò illam auctorizaret.

QVÆSTIO 374.

An si superueniat Antistes, Princeps, aut aliquis ex Magnatibus possit iterari celebratio.

SVMMARIVM.

1. *Cum quibus conditionibus casus accipiendus.*
2. *Missam posse iterari ob aduentum Antistitis, &c. qui sentiant.*
3. *Non decet quod Episcopus non audiat quotidie Missam.*
4. *Qui negent posse iterari.*
5. *Ob aduentum cuiuscunque personæ non licet iterare Missam.*
   Iteratio Missæ ob aduentum alicuius in iure prohibita.
6. *Præceptum præferendum obligationi honestatis.*
   Aduentus cuiuscunque personæ non infert necessitatem iterandi Missam.
7. *Iteratio Missæ in alterius gratiam non est obsequium honestum.*
8. *Missa non est iteranda vt quis, quicunque sit, impleat præceptum audiendi.*
   Iteratio esset adulatio prohibita.
9. *In tali casu non interuenit necessitas satisfaciendi præcepto.*
10. *Præceptum audiendi quomodo importet necessitatem.*
11. *Cur præceptum audiendi Missam non importet necessitatem iterandi Missam.*
12. *Decentia quod Episcopus quotidie audiat Missam, non præualet præcepto non iterandi Missam.*

Hic etiam casus reponitur inter eos, in quibus potest iterari celebratio supponit autem, quod non sit alius Sacerdos, qui celebret, & quod celebranti nuntietur aduentus, antequam sumat purificationem. Qui tamen casus difficilè in praxi occurrere potest, cum iure fieri possit, quod nuntius superueniat, & tunc quando Sacerdos celebrat, & antequam sumat purificationem, cum personarum aduentus tempestiuè nuntietur.

Prima ergo sententia tenet, in tali casu posse non sumi purificationem, & iterari Missam. Ita Glos. *in cap. Consuluisti*, verbo *Necessitatis, de celebrat. Missar.* Panorm. *num.* 3. Durand. *lib.* 4. *de diuin. offic. cap.* 1. *n.* 25. *casu* 3. Palud. *in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 4. *concl.* 4. *casu* 4. Aureol. *dist.* 9. *q.* 2. *in fine.* Raymun. *lib.* 3. *sum. tit. de sacram. iterum* §. 3. *casu* 4. Tabiena *verbo* Missa. *n.* 43. *casu* 4. Armilla *n.* 25. *casu* 3. Syluester *quæst.* 7. *casu* 4. Sà *verbo* Missa. *n.* 24. Victor. *in sum. vbi de Eucharist. n.* 96. Angelus *verbo* Missa. *quæst.* 46 *casu* 2. Nauar. *c.* 25. *Manual. n.* 87. *casu* 2. & *consil.* 2. *n.* 1. *de celebrat. Missar. lib.* 3. Henriquez *lib.* 9. *sum. c.* 30. *n.* 7. *casu* 1. & *in comm. littera Q.* Tolet *lib.* 2. *c.* 3. *casu* 3. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *c.* 16. *n.* 6. Valent. *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 11. *punct.* 3. *ad* 7. Thomas Hurtad. *part.* 1. *resol. moral. tract.* 2. *cap.* 2. *resol. vlt. num.* 427. Maior autem pars horum Doctorum cum sit ex antiquis ita tradiderunt habita ratione antiquæ interpretationis, cum qua interpretabantur necessitatem, quæ cum hodie strictior sit, puto quod aliter sentirent: Extendunt autem hanc sententiam etiam ad dies, in quibus non est audienda Missa de præcepto. 1

Fundatur autem hæc sententia in eo, quod aduentus personæ illustris inducat moralem necessitatem iterum celebrandi, siquidem honor, & reuerentia, quæ ipsi impendi debet postulat, vt hoc obsequium illi debeatur. Confirm. Non decet, quod Episcopus sinat diem, in quo non celebret, aut audiat Missam. *cap. fin. de priuileg. in* 6. & ideò ibi illi conceditur priuilegium celebrandi cum altari viatico, aut faciendi coram se celebrare: ergo erit causa sufficiens, cur iteretur celebratio, vt possit audire Missam, si ipse non possit celebrare; quia non minus obligat celebrare intra Ecclesiam, quam semel celebrare, & ideò si illud relaxatur, debet, & hoc relaxari. 2

Secunda sententia negat, esse causam sufficientem iterum celebrandi. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 2. §. *Sed huius occasione.* ver. *Attamen ex his*, quatenus dicit, non esse amplius in vsu. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *quæst.* 6. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 249. *concl.* 5. *casu* 3. Vasquez 3. *part. disput.* 232. *cap.* 5. *num.* 49. Suarez *de Eucharist. disp.* 80. *sect.* 3. §. *Vt autem.* ver. *Quod enim.* Salzedo *in prat. crimin.* Diaz *cap.* 25. *littera A.* Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 7. §. 5. *num.* 10. ver. *Addunt aliqui.* Lugo Cardin. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.* 1. *num.* 45. Martin. *disput.* 40. *de Eucharist. num.* 13. Coninch *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 2. *dub.* 3. *num.* 215. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tractat.* 22. *disp. vnic. punct.* 7. *num.* 9. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral.* 3

 tractat. 5.

tractat.5.cap.4.num.9. ver. *Circa hos.* Gaspar. Huttad. *de sacram.disput.4.de sacrific. Miss.difficul.3.* ver. *Vasquez verò.* Caspens.*part.2. Curs.Theol.tractat.23. disput.3.sect.2.n.58.* Trullench. *lib.3.de sacrament.cap.8. dub.10.num.9.* Dicastil.*de sacrament.tractat.5.disput.4. dub.3.num.11.* ver. *Ego vero.* Auersa *qu.11. de Euchar. sect.15.*ver. *Verum ex his.* Franc.Lugo *lib.5.de sacram. c.5.q.5.n.56.*Tamb.*opus.de sacr. Miss.lib.1.c.6.§.3 n.2.*

5 Dicendum 1. *Non licere ob aduentum vniuscuiusque personæ iterare celebrationem Missæ in diebus, in quibus non vrget præceptum audiendi sacrum.* Desumitur ex cap.*Sufficit,de consecrat.dist.1.* vbi Alexand.II. habet. *Qui vero pecuniis, aut adulationibus sæcularium vna die præsumunt plures Missas facere,non æstimo euadere damnationem.* Vbi notanda sunt illa verba. *Aut adulationibus sæcularium.* Cum enim in iteratione Missæ nulla alia adulatio sæcularium reperiri possit, nisi quatenus Sacerdos ostendit, eos magni facere,& proinde in eorum obsequium aliam Missam celebrare, oportet, quod Pontifex de hac adulatione intelligat; & proinde qood celebrans ex tali motiuo non effugiat damnationem, atque adeò peccet mortaliter.

6 Ratio autem est.Quia ex vna parte concurrit tantum obsequium præstandum Episcopo,Principi, &c. quod deducitur ad causam honestatis. Ex alia autem parte concurrit præceptum,quod stricto modo obseruari solet his præsertim temporibus: ergo præferendum est præceptum, quod inducit veram,& strictam obligationem.Cum è contra obsequi his personis dicat solum quandam decentiam. Confir.Vt possit iterari Missa requiritur necessitas iuxta cap. *Consuluisti, de celebrat.Missar.*In præsenti autem casu nulla adest necessitas, atque etiam ratione præcepti audiendi Missam neque etiam ex parte Episcopi, vt constabit ex solutione argumentum.

7 Dices. Iteratio Missæ continet obsequium honestum erga dictas personas, & proinde importat causam honestatis,licèt non necessitatis: ergo non continetur sub prohibitione legis,quia lex non prohibet quæ honesta sunt. Resp.Seclusa prohibitione Iterandi Missam continere obsequium honestum, quatenus de se in genere est honestum obsequi personis insignibus.Quia tamen obiectum, in quo præstaretur obsequium,cadit sub prohibitione, ideò obsequiom non est amplius honestum, nam vt sit honestum, non habet esse in prohibitis.

8 Dicendum 2. *Neque in diebus,in quibus audienda est Missa de præcepto potest iterari Missa, vt satisfaciant præcepto.* Quod accipi debet,supposito quod non habeant secum magnum numerum personarum. Nam quid tunc dicendum sit, constabit ex infra dicendis. Desumitur autem ex eo cap. *Consuluisti. de celebrat. Missar.*vbi cum non liceat celebrare iterato pro adulatione sæcularium, nec etiam licebat in tali casu: nam tunc habet locum adulatio, quando iteratur Missa in obsequium sæcularium, & contemplatione qualitatis personarum, siquidem tunc motiuum non est necessitas, nam locum haberet etiam, si non essent personæ qualificatæ;sed est qualitas personarum, & proinde iteratio Missæ continet adulationem.

9 Ratio autem est. Quia nulla alia necessitas interuenire potest, nisi necessitas satisfaciendi præcepto de audienda Missa. Hæc autem non magis habet locum in personis qualificatis, quàm in personis ordinariis:ergo si in his non est causa sufficiens pro iteranda Missa, nec etiam erit in illis. Rursus. Vel se exposuerunt periculo non audiendi Missam, & tunc iam peccauerunt, nec excusantur, si postea audiunt. Vel non se exposuerunt; & tunc, quamuis non audiant,excusantur quia reducitur casus ad impossibilitatem,& eos non afficit.

Dices.Præceptum importat necessitatem moralem: ergo in præsenti casu concurrit moralis necessitas,atque adeò poterit iterari Missa. Resp.Præceptum importare moralem necessitatem, quando actu obligat, secus autem si actu non obligat.Quia vel illæ personæ habuerunt causam legitimam, ob quam non potuerunt interuenire Missæ,quando celebrabatur,& tunc excusantur,nec præceptum eos obligat ad audiendam Missam,quando non celebratur, iuxta quod licet regulariter celebrare, vel non habent causam,seu impedimentum legitimum,& tunc,dum se exponunt periculo non audiendi peccant,nec vrget amplius præceptum si non celebretur modo consueto ab Ecclesia. 10

Dices 2.Ex hoc tantum sequi,quod Sacerdos non teneatur iterum celebrare,non autem,quod non possit,si velit. Resp. Neque etiam posse. Siquidem impeditur præcepto de non iteranda Missa, & ideò requiritur necessitas sufficiens,iuxta cap. *Consuluisti, de celebrat. Missar.* vt possit iterare. In præsenti autem casu non apparet ista necessitas. Siquidem si non audiant Missam sine culpa propria, excusantur, si fuerunt in culpa,non excusantur etiam si postea Missam audiant. 11

Ad argum. oppositæ sententiæ constat ex dictis, quomodo aduentus improuisus harum personarum non importet necessitatem,nam obsequium istud non esset verum obsequium,sed violatio legis Ecclesiasticæ; verum autem obsequium est intra terminos legum, & ideò tūc solum est exhibendū,quando secundum leges exhibere potest.Ad confir.Ex eo,quod non deceat Episcopum præterire diem sine Missa importare quidem aliquam necessitatem audiendi, sed infirmi gradus,quando non audiendo sequeretur, quid non decens; non tamen quæ possit præiudicare præcepto de semel tantum celebrando,cum importat strictam obligationem. Imò stante quod Episcopus ex causa rationabili sineret præterire aliquam diem sine Missa cessaret ista non decentia; causa autem maximè rationabilis est obseruantia huius præcepti. Nec ex eo quod concedatur Altare viaticū,sequitur,quod concedatur iterata celebratio, quia in priuilegiis non fit illatio à concessione vnius ad concessionem alterius.Præsertim quia iteratio celebrationis est difficilioris concessionis. Nam Altare viaticum reperitur concessum pluribus;iteratio vero celebrationis semper relicta est, prout de iure. 12

QVÆSTIO 375.

An Sacerdos, qui celebrauit pro Episcopo, aut Principe, possit de nouo celebrare pro populo.

SVMMARIVM.

1. *Potest quis obligari celebrare pro Episcopo, Principe, &c. & pro populo.*
2. *Obligatus celebrare pro populo, quando possit pro Episcopo celebrare, &c. & postea iterare Missam pro populo.*
   Obligatus ex munere celebrare in die festo potest iterare Missam, si non possit omnibus eadem hora satisfacere.
3. *Si tamen Missa audienda sit ex præcepto.*

QVamuis hic casus videatur idem cum præcedenti, longè tamen diuersus est. Nam fieri potest, quod Sacerdos teneatur celebrare, & pro populo, & pro Episcopo, aut Principe, si nimirum non sit alius in loco Sacerdos, & festum sit de præcepto. Et vrgeat causa grauis, ob quam Episcopus, 1

Princeps,

Princeps, ant aliquis ex magnatibus nequeant expectare horam consuetam, sed debeant audire Missam summo mane. Quæritur ergo an possit tunc bis celebrare. Affirmat absolutè Thomas Hurtad. *part.1. resolut. moral. tract. 2. cap. 7. resol. vltim. num. 427.* & confundit hanc casum cum præcedenti, & ideò eodem modo de quo discurrit.

2 Dicendum est. *Celebraturum pro populo in die festo, in quo ex præcepto audienda sit Missa, posse summo mane celebrare pro Episcopo, Principe, aut Magnate, si adsit vrgens causa, ob quam non possint differre auditionem Missæ.* Et quoad Episcopum insuper requiritur, quod ipse celebrare non possit, nec alium habeat, qui coram se celebret. Ratio est. Quia interuenit necessitas sufficiens ad iterandam celebrationem, Nam tenetur Sacerdos ratione muneris impendere suum officium non minus populo, quam Episcopo, Principi, aut magnati pro implendo præcepto, quàm teneatur cæteris de populo. Ergo cum non possit impendere omnibus eadem hora celebrando, poterit impendere celebrando diuersis horis, quia adest necessitas impendendi proprium munus debitum, cui satisfacere non poterit semel celebrando. Neque hæc est minor necessitas, quàm sit necessitas bis celebrandi in eo, qui habet duplicem Parochiam.

3 Ex his tamen sequitur, quod id non habeat locum quando non est audienda Missa de præcepto, sicut putabat Hurtad. *num. 2. citat.* Nam cum facultas iterandi Missam fundetur in debito exhibendi proprium munus, quod debitum importat moralem necessitatem, cessante hoc debito cessat facultas. Hoc autem debitum non habet locum, nisi quando Missa est audienda de præcepto. Et quamuis in cæteris diebus ex conuenientia teneatur impendere munus suum non tamen ex debito muneris, ratione cuius cogi possit ad celebrandum, cum non teneatur singulis diebus celebrare, quantum est ex vi muneris.

QVÆSTIO 376.

An, si superueniat Episcopus, Princeps, aut aliquis ex Magnatibus Missa cœpta, possit iterum repeti ab initio.

SVMMARIVM.

1. *Facta consecratione non licet ob cuiuscumque aduentum repetere Missam.*
2. *Ante consecrationem an repeti possit Missa ob initio superueniente persona illustri.* & num. seq.
4. *Sacerdos offerendo sacrificio quo munere fungatur.*
   Est contra decentiam repetere Missam in cuiuscunque obsequium.
5. *Etiam ante Offertorium, cum adhuc tractet cum Deo, &c.*
6. *Repetitio Missæ ab initio non est necessaria, vt superueniens assistat sacrificio.*

1 PRocedit casus, quando non adesset alias Sacerdos, qui celebraret. Quia, si adsit, nulla adest necessitas repetendi Missam inchoatam. Certum est autem, quod si facta sit consecratio, non possit repeti, sed debet compleri, cum debeat consummari sacrificium, nec possit duplex sacrificium vnica consumptione perfici, quia consumptio est pars integralis adeò necessaria pro perfectione sacrificij, vt si celebrans ex aliquo accidenti non possit consumere, debeat ab alio Sacerdote consumi, etiam non ieiuno. Vnde cum cedat graue præceptum de ieiunio, constat, quod omnino necessaria sit consumptio. Vnde difficultas est, an repeti possit ante consecrationem.

Prima sententia absolutè negat, posse repeti. Ita Dian. *in Prax. Crimin. Canon. cap. 46. num. 4.* ver. *Et vt libere.* Asserens, Sacerdotem qui cœptam Missam repeteret, debere puniri pœna arbitraria. Rodriquez *part. 1. sum. cap. 249. conclus. 7.* Granad. 3. *part. can. ver. 6. tractat. 14. disput. 10. num. 4.* Asserens Synodum Hispalens. *tit. de celebratione Missar. cap. 8.* statuisse sub pœna excommunicationis adueniente quacumque persona peracta confessione ne inchoetur iterum Missa. Ledesma *part. 1. sum. tractat. de Eucharist. cap. 24.* Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 7.* Volunt autem esse peccatum mortale, (excepto Tamburino.) Fundamentum est, quia indignum est, ita tractare hoc mysterium adeò venerandum, vt in eo obsequium præstetur hominibus. Secundo. Qui ab initio audierunt Missam scandalizarentur hac actione tanquam inusitata. 2

Secunda sententia asserit, posse repeti, dummodo non sit factum offertorium. Ita Nauar. *de orat. cap. 16. notab. 16. num. 55. §. 20. & in Miscellan. de orat. n. 126.* vult tamen, solum posse repeti dicta Epistola Sà *verbo* Missa; *num. 21.* Henriquez *lib. 9 sum. cap. 3. num. 3. & in Comment. littera B.* Facondez *precept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 3. cap. 16 num. 6.* Layman. *lib. 5. Theol. moral. tractat. 5. cap. 7. num. 2. in fine.* Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disp. 4. dub. 13. num. 233.* Azor. *lib. 10. cap. 32. quæst. 3. part. 1.* Posseuin. *de offic. Curat. cap. 2. num. 10. & 11.* qui asserit, id pluries posse fieri, si maior causa superueniat. Gauantus *in Rubr. Missalis part. 3. tit. 10. num. 17.* Leander *de sacrament. tractat. 8. disput. 5. q. 35.* ver. *Sed in hoc casu.* Qui tamen confundit Doctores, qui de hoc casu agunt cum iis, qui agunt de iteranda Missa. Fundamentum est, quia hoc nullo iure prohibetur, & alias, non relinquitur Missa imperfecta, sed tantum eædem preces repetuntur. Quartus autem *in Rubr. Missal. part. 2. tit. 3. text. 1. dub. 4. in fine.* Putat vtramque opinionem esse probabilem & seruandam esse consuetudinem cuiuslibet Ecclesiæ, quæ potest vtriusque esse rationabilis. 3

Hæc posterior sententia quamuis communis sit videtur tamen procedere habita parum ratione decentiæ. Siquidem Sacerdos in illo ministerio gerit personam Christi, cum in persona ipsius offerat sacrificium, & in nomine quoque Ecclesiæ exercet illam actionem: & fungitur officio mediatoris nomine Christi inter Deum & homines, quo functus est Christus in Cruce, dum se ipsum obtulit in sacrificium Patri: & ideò in illa actione tanquam delegatus Christi, & Ecclesiæ maior est quacumque mundana dignitate: videtur ergo esse contra decentiam, & personæ quam sustinet, & actionis, quam exerceat, & personæ, cum qua exercet, qui est ipse Deus, qui defert cultum, & cum quo tractat actu tanquam mediator, quod se dimittat ad obsequium alicuius personæ creatæ. Siquidem non personam propriam, sed personam quam sustinet, submittit obsequio personæ, in cuius gratiam incipit de nouo Missam; submittit etiam illius obsequio actionem, quam exercet, atque adeò supremum Dei cultum, & actum mediatoris. Rursus, dum tractans cum Deo nomine Christi; non prosequitur actum, sed de nouo incipit videtur quomodo plus æstimare personam aduenientem, quam Deum, vt contingit in concionatoribus, quando cœpta concione aduenit Cardinalis, repeteret in compendio concionem iam factam, per quam actionem ostendunt: se tanti facere aduenientem Cardinalem, quàm totum cœtum audientium. 4

5 Dices. Hæc locum habere, si facto offertorio repeteret Missam ab initio, nam in offertorio incipit sacrificium. Cætera autem sont preces præparatoriæ. Contra. Quia facta Confessione, quam facit, vt in persona propria incipiendo introitum incipit sustinere personam Ecclesiæ, & tractare cum Deo, imò etiam incipit repræsentare personam Christi, quatenus præmittit præparationem ad sacrificium offerendum in persona Christi; & proinde incipit exercere officium mediatoris, præsertim quia totam seriem, & ritum Missæ exercet tanquam Sacerdos, atque adeò tanquam Christi minister, quia potestas Sacerdotalis est subordinata Christo, vt summo Sacerdoti; atque adeò Sacerdos, quando eam exercet in toto tractu exercitij, eam exercet, cum subordinatione ad Christum, & vt ipsius minister.

6 Accedit etiam, quod hæc repetitio non est necessaria; nam omnes concedunt, quod solum repeti potest ad summum, si peruentum sit ad offertorium exclusiuè. Vnde si tunc accedat ad audiendam Missam Princeps persona, assistit toti sacrificio, quia incipit in offertorio, & nisi in culpa fuerit etiam satisfaciet præcepto, si occurrat tunc impleri: Imò concurret ad offerendum sacrificium simul cum aliis, qui ab initio fuerunt præsentes, quia cum oblatio sacrificij incipiat solum in offertorio, & cætera, quæ præcedunt, sint solum quædam præparatio, qui est præsens quando incipit offertorium concurrit ad offerendum sacrificium, atque adeò implet præceptum, quatenus intendit oblationem sacrificij, & ad summum non implet, quatenus intendit assistentiam toti Missæ, quod est non implere in aliqua eius parte integrali. Hæc sunt, quæ faciunt difficultatem, contra posteriorem sententiam: & quæ faciunt, quod mihi placeat prior sententia, quamuis non ita communis.

QVÆSTIO 377.

An in die festo, si perueniat multitudo populi, possit ab eodem iterari Missa.

SVMMARIVM.

1. *Ob aduentum multitudinis populi poterat olim iterari Missa.*
2. *Modo an liceat iterare.* & num. seq.
4. *Aduentus multitudinis non est causa sufficiens pro iteranda Missa.*

1 Hic quoque casus reperitur inter eos, in quibus antiquitus poterat Missa ab eodem Sacerdore iterari, & merito stante ampla interpretatione, cum qua accipiebatur necessitas. Difficultas autem est, an modo habeat locum stante strictiori interpretatione. Casus autem potest facilè occurrere, si nimirum sit dies, in quo per locum transire solet multitudo itinerantium extra horam consuetam celebrandi ibi Missam pro populo loci; nam potest tunc celebrans abstinere à purificatione, & expectare itinerantes, vt pro ipsis celebraret.

2 Prima sententia admittit hunc casum. Ita Guill. Durand. *de diuin. offic. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 25. *casu* 4. Syluester *verbo* Missa. 1. *quæst.* 7. *casu* 8. Tabiena *num.* 43. *casu* 8. Armilla *num.* 25. *casu* 7. Toler. *lib.* 1. *cap.* 3. *casu* 4. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 6. Nauar. *in Manuali, cap.* 25. *num.* 87. *casu* 7. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 30. *num.* 7. Fundamentum huius sententiæ est. Quia agitur de implendo præcepto, & adsit copiosus numerus, adest etiam quædam moralis necessitas iterandi Missam.

Secunda sententia non admittit hunc casum. Ita 3
Sotus *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *art.* 2. §. *Sed huius occasione.* ver. *Attamen ex his.* Azorius *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *quæst.* 6. Vasquez 3. *part. disput.* 232. *cap.* 5. *num.* 49. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 249. *conclus.* 5. Salzedo *in praxi crimin. cap.* 35. *littera A. in Addit.* Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 7. §. 5. *num.* 10. Lugo Cardin. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.* 1. *num.* 45. Layman *lib.* 5. *Theolog. Moral. tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 6 ver. *Circa hoc.* Martin. *disp.* 40. *de Eucharist. num.* 13. Coninch *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 2. *dub.* 3. *num.* 215. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tractat.* 12. *disput. vnic. punct.* 7. *num.* 9. Caspens. *part.* 2. *Curs. Theol. tractat.* 23. *disput.* 3. *sect.* 1. *num.* 88. Trullench. *lib.* 3. *de sacrament. cap* 8 *dub.* 10. *num.* 9. Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disput.* 4. *dub.* 3. *num.* 47. ver. *Ego vero.* Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 15. ver. *Verum ex his.* Marchantius *in Tribunali sacram. tractat.* 2. *part.* 2. *tit.* 4. *quæst.* 2. §. 3. *dub.* 2. ver. *Prima causa.* Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 6. §. 3. *num.* 2. & alij qui vniuersaliter excludunt omnes casus præter vnum, aut alterum.

Dicendum est. *Non posse iterari celebrationem* 4
Missæ ex eo, quod superueniat notabilis numerus itinerantium. Ratio autem est. Quia non interuenit vera necessitas, quæ sit causa sufficiens, vt cesset obligatio præcepti de Missa non iteranda. Nam vel ratione itineris excusantur ab audienda Missa, vel non excusantur. Si excusantur, nulla adest necessitas iterandi celebrationem, nam in tantum adesset, in quantum Missa esset necessaria pro adimplendo præcepto, quod obligat. Si autem non excusantur, vel sunt in colpa, quia scilicet non adhibuerint debitam diligentiam, vt audirent, quando celebratur, & tunc non excusantur à peccato, licèt Missa iteraretur, quia iam illud commiserunt, vel non sunt in culpa, & tunc cessat obligatio præcepti, nec est celebranda Missa pro necessitate adimplendi præceptum, & proinde cessat omnis causa. Nec dici potest, quod Missa iterari possit ob indulgendum illorum deuotioni, siquidem indulgere deuotioni non est casus necessitatis.

QVÆSTIO 378.

An paupertas Sacerdotis, aut Ecclesia sit causa sufficiens iterandi Missam.

SVMMARIVM.

1. *Paupertas Ecclesiæ, aut Sacerdotis non sufficit, vt iteretur Missa.*
2. *Iterare Missam ob acquirendam pecuniam est in iure prohibitum.*
3. *Ex qua necessitate liceat iterare Missam.*
4. *Iterare Missam ob acquirendam eleemosynam est grauis iniuria sacrificij.*
5. *Eleemosyna accipi potest si iteretur Missa ex aliqua necessitate.*
6. *Stante consuetudine celebrandi duas Missas, non potest iterari, si remaneat vnicus Sacerdos.*
7. *Etiamsi in illo loco non celebrentur alia Missa.*

Dicendum est. *Paupertatem Ecclesiæ, aut Sacer-* 1
dotis non esse causam sufficientem iterandi Missam. Oppositum videtur sentire Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 249. *conclus.* 1. *casu* 7. Quatenus hoc videtur negare solum ratione scandali, quia scilicet, cum sit res puplica, erit cum scandalo ignorantiam paupertatem, vnde videtur admittere, quod secundum

se

se liceat. Communiter tamen ita sentiunt D. Thom. *3. part. quæst.* 83. *art.* 2. *ad* 5. Angelus *verbo* Missa. *quæst.* 48. Sotus *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *art.* 2. *in fine.* Suarez *disput.* 80. *sect.* 3. *circa fin. in casu* 8. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 5. Diaz *in pract. Crimin. canon. cap.* 35. *num.* 2. Trullench. *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 8. *dub.* 10. *num.* 9. Francisc. Lugo. *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 5. *quæst.* 5. *num.* 58. & communiter cæteri, qui ingerere non admittunt nisi vnum, aut alterum casum ex iis, qui recenseri solent.

2 Desumitur autem ex cap. *Sufficit de consecratione dist.* 1. ibi. *Qui verò pro pecuniis vna die præsumunt plures facere Missas, non æstimo euadere damnationem;* vbi Gloss. *in casu*, inquit, *vel duas ex necessitate, sed non pro pecunia.* quia scilicet motiuum pecuniæ est diuersum à motiuo necessitatis. Vbi est aduertendum, quod Pontifex tunc temporis hoc reprobat, quando controuertebatur, an liceret in singulos dies pluries celebrare, & quando cum magna facilitate admittebatur celebrationis repetitio. Nec dici potest quod Pontifex loquatur de iis, qui se auaritia mouentur ad pluries celebrandum; non autem de iis, qui ratione paupertatis, nam hi mouentur ex necessitate; siquidem Pontifex absolutè damnat iterantes Missam pro pecunia, & ideò quotiescumque finis proximus est acquirere pecuniam, est casus reprobatus à Pontifice.

3 Ratio autem est. Quia quando conceditur ratione necessitatis iterare Missam, intelligitur de necessitate, qua fiat Missa necessaria, non autem de necessitate celebrantis orta ex paupertate; quia hæc necessitas non est necessitas Missæ, sed pecuniæ. Imò neque Missa est medium necessarium ad comparandam pecuniam, cum possit sibi alio modo prouidere, aut aliquo honesto exercitio, aut seruiendo Ecclesiæ in aliquo alio ministerio. Præsertim quia modo nemo potest initiari sacris ordinibus, nisi habeat sufficiens patrimonium, vnde viuat, vt disponit Concil. Trident. *sect.* 21. *cap.* 2. *de reformat.*

4 Confirmat. Nam celebrando propter pecuniam, quæ datur titulo eleemosynæ, fieret grauis iniuria sacrificio, nam repeteretur Missa solum ratione illius pecuniæ, & quia alias non repeteretur Missa, nisi acquireretur illa pecunia, ideò eligeretur celebratio Missæ tanquam medium pro acquirenda pecunia, quod est grauis iniuria sacrificij, quia non solùm res spiritualis ordinaretur ad temporale, sed etiam cultus supremus Dei inseruiret pro materia lucrandi, quod est contra omnem decentiam, & honestatem.

5 Dubitari tamen potest. An occurrente casu, in quo liceat iterare Missam ex aliquo casu necessitatis, possit tunc Sacerdos accipere eleemosynam pro tali Missa iterata. Resp. Posse accipere eleemosynam. Quia tunc non celebrat de nouo pro pecunia, sed ob illam necessitatem occurrentem, & stante, quod aliunde debeat celebrare, seu habeat titulum celebrandi, potest accipere eleemosynam; quia quod hoc tunc res habeat modo, ac si semel tantum celebraret.

6 Ex dictis sequitur à fortiori, quod etiam obseruant Doctores plures ex citatis, quod si in aliqua Ecclesia adsit consuetudo celebrandi quotidie duas Missas ob commoditatem populi confluentis, si casu aliqui ex destinatis Sacerdotibus, aut morte, aut morbo, aut graui alio impedimento detineatur, ne celebret, non poterit, qui remanet iterare Missam. Quod locum habet, etiamsi sit dies festus. Hæc non est necessitas vera, nam consuetudo celebrandi duas Missas non inducit necessitatem; quod verò sit festum de præcepto, supposito, quod adsit vna Missa, non adest necessitas celebrandi aliam, cum alia inseruiat solum commoditati, non necessitati.

Maior difficultas est, si hoc contingat in loco, vbi 7 aliæ Missæ celebrari non solent, & ex improuiso deficiat Missa alterius Sacerdotis, qui solitus erat celebrare; nam tunc populus expectaret secundam Missam, quæ, quia non adesset, non impleret præceptum. Resp. Neque in hoc casu licere repetere Missam, sed tenebitur Rector Ecclesiæ monere populum, quod deficit altera Missa, & expectare, an possit totus conuenire. Quod si ex accidenti aliqui non possint conuenire, nec possint alio pergere ad audiendam Missam, excusabuntur.

QVÆSTIO 379.

An quando multitudo populi non potest capi ab Ecclesia, & non adsit alia Missa iterari possit ab eodem.

SVMMARIVM.

1. *Missa an iterari possit, quando Ecclesia non capit populum.* & num. seq.
3. *Antiquitus pluries celebrabat idem Sacerdos ob multitudinem populi.*
4. *Causa multitudinis populi etiam nunc sufficit pro iteranda Missa in iisdem circumstantiis.*
5. *Si Ecclesia non capiat populum, adest necessitas iterandi Missam.*
6. *Iterare Missam, quando Ecclesia non capit populum est opus plenum pietate.*
7. *An potius tunc celebrandum extra Ecclesiam.*
8. *Si Missa non sit audienda de præcepto, an possit iterari quando Ecclesia non capit populum.*

CAsus occurrere potest, quando ob festiuitatem, 1 aut deuotionem concurrit extraordinaria multitudo: rarò tamen in his nostris regionibus, quia stante magno numero Sacerdotum, solent rectores Ecclesiæ inuitare in his occasionibus alios Sacerdotes, vt plures Missæ in Ecclesia celebrentur. Prima autem sententia negat, in tali casu iterari posse celebrationem, nam in tali casu celebrari poterit extra Ecclesiam in altari portatili, iuxta cap. *Concedimus de consecrat. distinct.* 1. Ita Sotus *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 3. ver. *Quinimò.* Sà *verbo* Missa. *num.* 20. Suarez *disp.* 81. *de Eucharist. sect.* 3. *excep.* 3. Qui tamen oppositum putat probabile Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 6. ver. *Circa hos vero.* Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disp.* 4. *de sacrific. Miss. difficult.* 3. *in fine.* Caspens. *part.* 2. *Curs. Theol. tract.* 23. *disp.* 3. *sect.* 1. *num.* 38. Tambur. *opusc. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 6. §. 3. *num.* 2. Et quando potest commode celebrari extra Ecclesiam. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 27. *num.* 2. *littera P.* Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 249. *conclus.* 5. *casu* 8. Villalob. *tom.* 1. *sum. tract.* 8. *difficult.* 21. *num.* 8. Fundantur in eo, quod hic non sit casus veræ necessitatis.

Secunda sententia asserit, posse iterari Missam, 2 Ita quando non potest commodè extra Ecclesiam celebrari. Henriquez *lib.* 8. *de Eucharist. cap.* 53. *num.* 2. Ludouic. à S. Ioan. *part.* 1. *sum. quæst.* 11. *de Eucharist. art.* 1. *dub.* 2. *in Append. casu* 8. Rodriquez, & Villalob. *num. præcedenti citati.* Et absolutè Guillerm. Durand. *lib.* 4. *Ration. diuinor. officior. cap.* 1. *num.* 26. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *quæst.* 6. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 3. Nauar. à fortiori. *cap.* 25. *Manual. num.* 87. *casu* 3. Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 49. Palaus *part.* 4.

Oper. moral. tract.22. dispnt.vnic.punct.7.num.9. Tannet. *tom.4.disp.5. quæst.10.dub.4.num.68.casu* 5. Marchin. *in Tribun. Sacram. tract.2. part.2. tit.4. quæst.2. §.3.dub.2.causa* 5. & probabile putat Suarez *disp.*80. *de Eucharist. ex cap.5. circa casum* 9.

3 Dicendum est. *Quando Ecclesia capere non potest multitudinem populi, nec adest nisi vnicus Sacerdos, siue casu, siue quocumque alio modo, potest ipse celebrationem iterare, vt satisfaciat populo.* Desumitur ea D. Leone Papa *Epist. Decret.*81. *ad Dioscorum Alexandrin Episcop. cap.*2. de qua aliud testimonium affertur in Cap. *Necesse, de consecrat. dist.*1. Ita autem habet: *Illud quoque volumus custodiri, vt cum solemnior festiuitas conuentum populi numerosioris indixerit, & cum tanta fidelium multitudo conuenerit, quam recipere Basilica simul vna non possit sacrificij oblatio indubitanter iteretur; ne his tantum admissis ad hanc deuotionem, qui primi aduenerint, videantur hi, qui post modum confluxerint non recepti, cum plenum pietatis, atque rationis sit, vt quoties Basilicam, in qua agitur præsentia noua plebis impleuerit offeratur. Necesse est autem, vt quædam pars populi sua deuotione priuetur, si vnius tantum Missæ more seruato sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte conuenerint.*

4 Nec dici potest, quod Pontifex loquatur tunc temporis, quando iteratio Missæ erat facilior, quàm nunc. Nam si tunc erat causa necessitatis sufficiens, quando faciliùs ob paruum numerum Sacerdorum iterabatur Missa, erit etiam nunc non obstante copia Sacerdotum, si contingat casus cum iisdem circumstantiis, & quod magna pars populi sit relinquenda sine Missa defectu Sacerdotum, quia copia Sacerdotum hic, & tunc, cum vnus tantum adsit, non minuet necessitatem. Nec dici potest quod Pontifex loquatur de iteratione sacrificij per diuersos Sacerdotes. Primò, quia vult, toties celebretur, quoties Ecclesia impletur populo. Quid autem, si non adessent tot Sacerdotes, qui sufficerent? Secundò, quia finis ipsius extenditur etiam ad iterandam celebrationem per eosdem Sacerdotes, quia est, ne pars populi sua deuotione priuetur, si non posset simul cum Sacerdote offerre sacrificium; priuaretur autem, si non essent tot Sacerdotes, quot vicibus impletur Ecclesia. Tertiò, quia tunc non erat adhuc decisum, an semel esset tantum in die celebrandum, & proinde, non potuit æstimare contra decisionem, quod iteraretur Missa ab eodem Sacerdote. Neque ex hac eneruatur auctoritas testimonij quasi abrogatum fuerit per subsequentem decisionem, quod semel tantum in die celebraretur. Nam subsequens decisio excepit causam necessitatis, vt in Cap. *Consuluisti, de celebrat. Missar.* ibi: *Nisi causa necessitatis suadeat.* Præsens autem casus æstimatus fuit à Leone Papa importare causam necessitatis.

5 Ratio autem est. Quia in præsenti casu adest causa necessitatis, & ideò non comprehenditur sub lege iuxta dict. Cap. *Consuluisti.* Et hæc causa necessitatis est etiam in præsenti considerabilis iuxta strictam acceptionem necessitatis. Nam celebritas inuitat populum, & vt habet Leo Papa citat. Conuentum populi numerosioris indicit. Sed ad quid faciendum inuitatione, nisi ad deferendum Deo cultum mediante sacrificio: ergo si non reperiunt sacrificium, cui offerentes assistant, remanent delati, & fraudati suis votis: ergo si Ecclesia mediante celebritate inuitat, tenetur manutenere id, ad quod inuitat, ne alioquin videatur illudere populos. Et ideò pro manutenendo decore Ecclesiæ adest moralis necessitas iterandi Missas; & etiam, ne defraudata remaneat deuotio populi.

6 Confir. Quod toties celebretur Missa, quoties impletur populo Ecclesia, est quid plenum pietatis atque rationis, vt habet D. Leo *num.* 2. citat. Ergo maximè conducens ad bonum Ecclesiæ, quod coalescit ex pietate, & operationibus maximè rationabilibus. Et cum hoc bonum redundet in commune beneficium populi fidelis, iam agitur de communi bono populi fidelis: ergo si lex prohibens Sacerdotem iterare sacrificium in casu præsenti, in quo non est alius, qui offerat, prohiberet opus plenum pietatis, maximè rationabile redundans in bonum commune Ecclesiæ, & populi fidelis, quod est contra rationem legis. Et proinde oportet admittere, quod hic casus non comprehendatur sub lege, sed sit ex illis, qui etiam nunc habent locum ratione necessitatis, iuxta Cap. *Consuluisti, de celebrat. Miss.*

Ex quibus sequitur, quod non habeat locum, quod 7
dicunt Auctores oppositæ sententiæ, nempe, quod in tali occasione celebrandum sit extra Ecclesiam: nam Pontifex Leo vult, quod celebretur intra Ecclesiam iterando celebrationem, & putat inconueniens, quod indicente celebritate concursum populi, non recipiatur postea intra Ecclesiam. Vnde etiam fit, quod non debeat permitti, quod assistant sacrificio extra Ecclesiam, quia quicquid sit, an verè, & morali modo assistant, non euitatur inconueniens, quod inuitati non recipiantur intra Ecclesiam ad sacrificium. Adde etiam, quod vt plurimum erit impossibile, quod possit celebranti extra Ecclesiam assistere consistentes, vel ob nimium æstum, vel ob nimium frigus, vel ob pluuiam, vel ob aliquam aliam inclementiam cœli.

Maior difficultas est, quid dicendum, si Missa non 8
sit audienda de præcepto? Resp. In hoc quoque casu posse iterari celebrationem Missæ. Nam Leo Pontifex vniuersaliter loquitur, quando festiuitas solemnior inducit frequentioris populi concursum. Et habet locum ratio finalis ab ipso adducta, quæ non est, quod impleat præceptum, quia excusarentur, si non celebraretur alia Missa, sed ne Ecclesia videatur eos illudere, dum ratione festiuitatis inuitat, & postea non recipit intra Ecclesiam. Deinde ne populus sua deuotione fraudetur, dum non admittitur ad offerendum sacrificium. Quæ quidem ratio locum habet, siue ex præcepto audienda sit Missa, siue non. Cum enim populus inuitetur ad solemnizandam festiuitatem, & principalis solemnizatio consistat in sacrificio, nisi hoc possent offerre fraudarentur suo fine, & Ecclesia non exhiberet id, ad quod inuitat. Quod etiam contingeret, si non possent offerre intra Ecclesiam, in qua celebratur festiuitas.

QVÆSTIO 380.

An pro ministrando viatico possit iterum Missa celebrari.

SVMMARIVM.

1. *Casus quando occurrere possit.*
2. *Celebrans monitus de necessitate debet pro viatico partem hostiæ seruare.*
3. *Iterare Missam an liceat pro necessitate viatici,* & num. seq.
5. *Quid requiratur, vt vrgeat necessitas viatici.*
6. *Viaticum quomodo necessarium in articulo mortis.*
   Quando agitur de anima, etiam in correctorijs fit ampla interpretatio.
   Necessitas viatici preualet præcepto non iterandi Missam.
7. *Præsertim quia viaticum potest per accidens conferre primam gratiam.*

8. *Rela*

8. *Relaxatio ieiunij pro viatico infert relaxationem præcepti semel celebrandi ob eundem finem.*

9. *Ex eo quod ob duplicem parochiam potest celebrari iterum, potest etiam ob necessitatem ministrandi viaticum.*

10. *Celebrare bis ob ministrandum viaticum non est contra ritum Ecclesiæ.*

11. *Praxis seruanda in ordine ad bis celebrandum ob necessitatem viatici.*

Quinam sint in articulo mortis.

1 CAsus necessitatis occurrere potest, si postquam celebrans consummauit sacrificiũ sub specie panis moneatur de necessitate infirmi, nec sit Eucharistia consecrata, nec alias qui celebret. Et quamuis casus difficilè occurrere possit, quod consumpto sacrificio sub prima specie, & non sumpta purificatione perueniat nuntius, præsertim quia solet ad hunc effectum seruari Eucharistia, attamen quia adest probabilis opinio, quod etiam non ieiunus possit in hunc effectum celebrare, ideò videndum est, an obstet hoc aliud præceptum de non iterum celebrando.

2 Est autem supponendum tanquam certum, quod si moneatur celebrans, antequam consumat sub prima specie de necessitate infirmi, debet partem hostiæ conseruare in hunc effectum. Ita docent D.Thom. *in 4. dist.12. quæst.3. art.2. quæst.2. ad* 1. Palud. *quæst.1. art.2. conclus.2.* D. Antonin. *3.part.tit.13. cap.6. §.3.* Tabiena *verbo* Communicare, *num.11. in fine.* Angel. *verbo* Missa, *quæst.* 27. Syluester *verbo* Eucharistia, *num.*25. Henriquez *lib.9. sum. cap.30. num.7. casu* 3. Facundez *præcep.1. Ecclesiæ.lib.3. cap.16. num.*8. Suarez *disp.*80. *de Eucharist. sect.*3. ver. *Vt autem*, & alij ex infrà citandis; quia nedum hoc repugnat sacrificio, sed etiam maximè congruit, quod scilicet participent cæteri. Imò antiquitus de ea massa panis, quæ consecrabatur participabant cæteri, & Christus fregit panem, & diuisit, & dedit discumbentibus. Et quamuis modo consecretur portio propria Sacerdotis, quia tamen hoc fit solum ob maiorem commoditatem, & ad vitanda fragmenta Deo ea aliqua rationabili causa poterit diuidi, & seruari pro alio aliqua pars. Quod autem spectat ad difficultatem.

3 Prima sententia asserit. Non licere iterare Missam ex necessitate viatici ministrandi. Ita Suarez *disp.*80. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *Vt autem.* Vasquez *3. part. disp.*232. *cap.5. num.*50. Ioan. à Cruce *part.2. Direct. conscien. quæst.2. de sacrific. Miss. dub.* 3. *conclus.*3. *in fine.* Gaspard. Hurtad. *de sacrament. disput. 4. de sacrific. Miss. difficult.* 3. ver. *Secundus casus.* Caspens. *tom.2. Curs.Theol. tractat.* 23. *disp.3. sect.1. num.*58. & qui in generali non admittunt hos casus necessitatis asserentes abiisse in consuetudinem. Vt Sotus *in 4. dist.15. quæst.2. art.2. ad* 2. Victoria *in sum. vbi de Eucharist. num.*96. Graff. *part. 1. decis. lib.2. cap.40. num.2.* Azor. *part.1. lib.10. cap.24. quæst.6.* ver. *Excipiant.* Llamas *part.3. meth. cap.5. §.17. in fine.* Syluius *3. part. quæst.83. art.2. ad* 3. Nugn. *ibid.* Molfes. *part.1. sum. tract.3. cap.10. num.*46. Scortia *lib.2. de sacrif. Miss. cap.16. num.2.* Vgolinus *de potest. Episc. cap.16. num.* 4. Trullench *lib.3. de sacrament. cap.8. dub.10. num.9.* Marchan. *in Tribun. sacrament. tract.2. part.2. tit.4. §.3. dub.2. casu* 3. Pitigian. *in 4. dist.13. quæst.1. art.3.* Diana *part.2. tract.14. resol.*56. Fundamentum huius casus in particulari est. Quia præceptum de viaticò, non obligat nisi, quando iuxta ritum Ecclesiæ sumi potest. Vnde cum iuxta ritum Ecclesiæ non debeat pluties celebrari, tunc non obligabit, atque adeò non aderit causa necessitatis.

4 Secunda sententia asserit, posse in hoc casu iterare celebrationem, & est communissima tam apud Veteres, quàm apud Recentiores. Ita Panorm. *in Cap. Consuluisti, num.3. de celebrat. Missar.* Durand. *lib.4. de diuinis Offic. cap.1. num.*25. *casu* 4. Palud. *in 4. dist.12. quæst.1. art.4. concl.4. casu* 3. Raymun. *in sum. tit. de sacrament. non iterandis,* §. 13. D. Antonin. *3. part. tit.13. cap.6. §.5.* Tabiena *verbo* Missa, *num* 43. Angel. *num.46. casu* 2. Syluester *quæst.7. casu* 3. Armilla *num.25. casu* 1. Nauar. *Manual. num.87. casu* 4. Tolet. *lib.2. cap.3. casu* 5. Henriquez *lib. 9. cap. 30. num.7. casu* 3. Sà *verbo* Missa, *num.*24. Facundez *præcept.1. Ecclesiæ. lib.8. cap.6. num.*8. Layman. *lib.5. Theol. moral. tract.5. cap.4. num.6.* ver. *Circa hos verò.* Asserens hunc casum ab omnibus admitti. Amicus *tom.7. Curs.Theol. disp.33. sect.11. num.*320. Camerat. *de sacrif. Miss. dub.*13. Bartholomæus ab Angelo *Dialogo 5. §.114. & 219.* Bonac. *disp.4. de Eucharist. quæst. vlt. punct.7. num.*10. Conineh *de sacrament. quæst* 83. *art. 2. dub. 3. num.*215. Palaus *part.4. Oper. moral. tract.22. disput. vnic. punct.7. num.9. casu* 2. Marchin. *de sacrament. Ordin. tract. 3. part.2. cap.37. num. 5. casu* 5. Lugo Cardin. *disp.20. de Eucharist. sect. 2. num.*44. Martinon. *disput.40. de Eucharist. num.*10. Aversa *quæst. 11. de Eucharist. sect.15.* ver. *Verum ex his.* Franciscus Lugo *lib.5. de sacrament. cap.5. n.*47. Valentia *tom.4. disp.6. quæst.11. punct.3. & 7.* Zablinus *in sum. verbo* Missa, *num.*7. Binsfeld. *part.1. Enchirid. tract. de Eucharist.* §. 9. Leander. *de sacram. tract.8. disp.5. quæst.*34. Dicastil. *de sacrament. tract.5. disp.4. dub.3. num.*43. Thomas Hurtad. *part.1. resol. moral. tract.2. cap.7. resol. vlt. num.*427. Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.1. cap.6. §.3. num.2. & 3.* ver. *Dico tamen.* Tannet. *tom.4. disp.5. quæst.10. dub.4 num.*68.

Dicendum est. *Iterari posse celebrationem Missæ ob conficiendum viaticum, si necessitas vrgeat.* Vt autem necessitas vrgere dicatur, non est necessarium, quod infirmus laboret in extremis, sed sufficit probabilitas, quod non aderit tempus commodum expectandi diem sequentem, aut quod haberi possit alias Sacerdos, qui celebret; nam, cum agatur de fauore animæ est facienda ampla interpretatio necessitatis. Et hic est casus, in quo necessitas potest habere causam, plusquam in aliquo alio. 5

Prob. Viaticum est necessarium in articulo mortis, vel ex præcepto diuino, vt docent communiter Doctores nonnullis exceptis, vel saltem ex natura rei propter conseruationem vitæ spiritualis, quæ tunc maximè periclitatur, vt constat ex Concilio Nicæno I. *Can.*12. relato in Cap. *De ijs 26. quæst. 6.* vbi præcipitur, quod agentibus publicam pœnitentiam, quibus alias denegabatur Eucharistia, in illo casu ministretur, & redditur ratio, ne priuentur necessario viatico: ergo tunc iteratio Missæ est necessaria in ordine ad salutem spiritualem infirmi mediante viatico: ergo cum lex prohibens iterationem Missæ excludat casus necessitatis, vt in Cap. *Consuluisti, de celebrat. Missar.* excludet etiam istum, cum de hoc sit maior ratio, quam de cæteris: ergo excludet etiam his temporibus; nam militat eadem necessitas, quæ tunc militabat: nec obstat copia Sacerdotum, quia in hoc casu se habet, ac si non adesset; ac ideò non habetur ratio ipsius, nec quod strictiori modo nunc procedatur, quia hoc potest habere locum solum, quando non agitur de salute spirituali animæ: Secus autem quando agitur de ipsa, quia cum anima sit rebus omnibus anteponenda, *l. Sancimus, Cod. de sacrosanct. Eccles.* & Cap. *Præcipimus 2. quæst.* 11. quando agitur de ipsa non solum non fit restrictio, sed etiam ampla extensio in exorbitantibus quoque, vt declarant Craueta *de antiq. temp. part.4. in principio num.*79. Farin. *part.1.* 6

Fragmen.

Fragmen. Crimin. littera E, *num.*109. Villagut.*de exten. leg. Rubr. de extca. leg. correct. & pun. num.* 3. *ampl. vlt.*

7 Confir. Fieri potest, quod moribundus non sit in gratia,licet putet se esse; & quod viaticum per accidens conferat primam gratiam: ergo cum agatur de salute infirmi, adest maxima necessitas, quæ, etiam si lex non concederet iterationem Missæ ex casu necessitatis, tamen cederet in tanta necessitate. Nec valet si dicatur, quod non est certum, quod Eucharistia conferat primam gratiam, cum plures oppositum teneant; nam sufficit,quod secundum probabilissimam sententiam conferat; quia hoc sufficit, vt possit prudenter operari in ordine ad succurrendum infirmo.

8 Confir. 2. Præceptum sumendi Eucharistiam, seruato ieiunio naturali strictiùs obligat, quam obliget præceptum de non iteranda Missa; siquidem plures, qui concedunt, posse iterari Missam pro conficiendo viatico, non concedunt posse iterari à non ieiunis: ergo si relaxatur pro infirmo, vt sumat viaticum, debet etiam habere locum relaxatio iterum non celebrandi facta à lege, & ex causa necessitatis, itavt non censeatur consuetudo illam resumpsisse, vt non habeat locum in præsenti casu.

9 Confir.3. Sacerdos habens duas Parochias potest bis celebrare, quem casum admittunt omnes, non alia ratione, nisi vt parochiani possint satisfacere præcepto audiendi Missam: ergo poterit etiam bis celebrare, vt possit ministrare viaticum infirmo Parochiano. Conseq. prob. Tum quia plus est necessarium viaticum moribundo, quàm sit necessaria Missa Parochianis, quia per id, quod non audiant, non patiantur immediatè aliquod damnum spirituale, præsertim, quia possunt audire in alia Parochia. At moribundus est constitutus in graui necessitate quoad viaticum; tum quia plus obligatur Pastor ad ministrandum viaticum quam obligetur ad celebrandum in die festo pro Parochianis: vnde si non ministraret,non solum peccaret contra proprium munus, sed etiam,quia negligeret salutem animæ constitutæ in articulo mortis, & causaret scandalum in populo.

10 Ad fundament. in oppositum,resp. Præceptum de viatico obligare, quando sumi potest secundum ritum Ecclesiæ,itavt nō debeat mutari,vt possit ministrari viaticum, si ritus stabilis sit,& ita inuariabilis, vt non patiatur mutationem. Talis autem non est ritus non celebrandi bis, quia olim fuit passim in vsu, & nunc in die Natiuitatis Christi: ex consuetudine etiam in aliquo regno pro aliis diebus, & vbi adest penuria Sacerdotum, vt infrà dicetur. Vnde cum ex diuersis causis relaxetur iste ritus, quando seruari non potest, non faciet cessare præceptum de viatico,sed ipse cedet præcepto. Accedit etiam quod viaticum ministrari potest secundum ritum Ecclesiæ;quia,licet concedat tantum semel celebrare:concedit etiam iterari ex causa necessitatis,& ideò etiam ob ministrandum viaticum; & vnde non obstante, quod debeat Sacerdos rursus celebrare, adhuc ministrabitur secundum ritum Ecclesiæ.

11 Ex dictis colligitur pro praxi. Quod,quando nunciatur Parocho, quod quia indigeat celeri ministratione viatici, non debebit inquirere, an vera sit tam celeris indigentia,ne fortè interim elabatur tempus, & postea ministrari non possit; sed debebit statim de nouo celebrare, quia sufficit, quod illi nuncietur, quod sit in articulo mortis cum pro articulo mortis intelligatur totum illud tempus, quod putatur propinquum morti, vt tradunt communiter Ochagauia *de sacram.tract.*2.*de Euchar.qu.*14.*n.*6.Præpos.3.*part. qu* 80.*art.*11.*dub.*1.*n.*53.ver.*Notandum*. Et sicut debet credere in ordine ad ministrandum viaticum non ieiuno,quod sit in articulo mortis;ita etiam debet credere,quod vrgeat necessitas in ordine ad iterum celebrandum. Nec efficit,quod superuiuat, nam sufficit, quod adfuerit opinio, quod non esset superuicturus;siquidem hoc satis est ad fundandum periculum non superuiuendi, & decedendi absque viatico; & satis est, quod subsit periculum, vt possit iterum celebrari.

QVÆSTIO 381.

An Sacerdos, qui habet duas Parochias possit eodem die prius in vna, & postea in alia celebrare Missam.

SVMMARIVM.

1. *Idem non potest habere plura beneficia curata. Nisi ob paupertatem Ecclesiarum, vel ob penuriam Sacerdotum.*
2. *Habens duas Parochias potest prius in vna celebrare, deinde in alia*, & num. seq.
4. *Parochus tenetur subministrare sacrificium, vt populus possit assistere.*
5. *Parochus tenetur pluries celebrare, si habeat plures parochias.*
6. *Etiamsi Parochia non sint in diuersis oppidis.*

QVamuis modo statutum sit,quod nullus Sacer- 1
dos possit habere plura beneficia curata,vt proinde decreuerit Innoc.III. *in Concil. Lateran. cap.*29. vt refertur in Cap. *De multa, de prabend.* quod obtento secundo vacet prius. Quod etiam innouatum fuit à Concil. Trid. *sess.*7.*cap.*4. *de reform.* & *sess.*24. *cap.*17.*de reform.* Quia tamen fieri potest, quod necessitate cogente duæ Parochiæ eidem conferantur, vel ob penuriam Sacerdotum, vel ob paupertatem Ecclesiarum, in quibus casibus permittitur, quod duæ Ecclesiæ eidem conferantur, vt in Cap.*Qui plures* 21.*quæst.*1. & Cap.*Vnio.*10.*quæst.*3. & Cap.1. *causa* 21. *quæst.*1. vbi refertur septima Synodus. Quibus viribus non videtur derogatum per Concil.Lateran. & Trident. Cum id fiat necessitate extorquente,ideo in his casibus habet locum quæstio proposita.

Supposito autem, quod quis habeat duas Paro- 2
chias, posse prius in vna, deinde in alia celebrare seruato ieiunio, supposito, quod aut ratione paupertatis,aut ex alia causa non possit habere substitutum, qui pro ipso celebret,admittunt omnes,& solum aliqui videntur sentire quod non possit dari casus, vt Tolet. *lib.*2. *cap.*3. *casu* 2. Verum licet de iure impossibilis sit. De facto tamen potest cōtingere ob causas prædictas. Ita autem tradunt Duran. *lib.*4. *de diuin. Offic.cap.*25.*casu* 4. Palud.*in* 4.*dist.*12. *qu.*1. *art.*4.*conclus.*4.*casu* 6. Sotus *dist.*13.*qu.*2.*art.*2.*in* 2.*argum.circa fin.* Tabiena *verbo* Missa, *n.*43. Angel.*quæst.*46.*casu* 4. Syluest.*qu.*7.*casu* 6. Armil.*num.*15.*casu* 5.D.Antonin. 3.*part. tit.*13. *cap.*6.§.5. *casu* 6. Victor. *in sum. vbi de Eucharist.* *n.*96. *casu* 6. Nauar. *cap.*25. *Manual.* *n.*87. *casu* 5. Azor.*part.*1.*lib.*10.*cap.*24.*qu.*6.*casu vlt.* Henriquez *lib.*9.*sum. cap.*30. *n.*7. Sà *verbo* Missa, *num* 24. Rodriguez *part.*1. *sum.cap.*249.*concl.*5. Suar. *disp.*80. *de Eucharist. sect.*3. ver.*Vt autem,circa* 6.*cas.* Vasquez 3.*par.disp.*232.*cap.*5. *n.*51. Facundez *precept.*1. *Eccles. lib.*3. *cap.*16.*num.*5. Reginal. *lib.*29. *praxis fori pœnit. cap.*9.*sect.*4.*quæst.*4. *casu* 3.*n.*172. Barthol.ab Angelo *Dec.*5.§.222. vbi alios citat. Bonac.*disp.*4.*de sacram. q.vlt.punct.*7.§.5.*n.*10.ver.*Secundò.* Laym.*lib.*5.*Theol. moral.tract.*5.*cap.*4.*n.*6.ver.*Circa hos.* Gaspar.Hurtad. *de sacram disp.*4.*de sacrif. Miss.difficul.*3. ver. *Primus ergo.* Caspens. *part.*2.*Curs.Theol.tract.*23.*disp.*3.*sect.*1. *num.*58.

*num.*58. Amicus *tom.7.Curs.Theol disp.33.sect.11.n.316.* Tanner *tom.4 sum.disp.1.qu.10.dub.4.n.68.cas.3.* Coninch *de sacram.qu.83. art.2. dub.3. n.212.* Martin. à S.Ioseph. *tom.1.moral.lib.2.tract.13. de Euchar.num.7.* Villalob. *part.1.sum.tract.8.difficul.21.n.4.* Trullench *lib.3.de sacram.cap.8.dub.10.n.4.* Lugo Card. *disp.20. sect.1.n.4.* Leander. *de sacram.tract.8. disp.5. quæst.38.* Dicastil. *de sacram.tract.5.disp.4.dub.3.n.39.* Thomas Hurtad. *part.1.resol.moral.tract.2.cap.1.resol.vlt.n.241.* Francisc.Lugo *lib.5 .de sacram.cap.5.qu.1.n.41.* Auersa *quæst.11. de Euchar. sect.15.* ver. *Verum ex his.* Cuch. *lib.5.Instit.tit.6.n.37.* Palachus *Aphoris.1. de Missa, n.17.* Pax Iordan. *tom.1.Lucubr.lib.4.tit.1. n.19.*

3 Dicendum est. *Habentem plures Parochias posse in diebus festiuis, in quibus audienda est Missa de præcepto, celebrare Missam in qualibet Parochia sibi commissa.* Et enim super hoc dubium ortum fuisset, Sacra Concil. Trid. Congreg. interrogata resp. sub *die 17. Aug.*1621 id esse permissum Parochis ex concessione Episcopi. Facit autem mentionem S.Congr. de concessione Episcopi, quia putauit necessarium, quod recognosceret causam, & videret, quomodo obtineret illas Parochias; an tanti essent fructus, vt posset aliquem substituere, an adesset, quem substitueret. Vnde quando S.Congreg. declarauit in Senegallien. 6. *Aug.* 1586. & in Brixien. 5. *Dec.* 1600. quod non possit, sed debeat Parochus alternatim celebrare, debet intelligi, quando adest commoditas audiendi Missam in aliis Ecclesiis.

4 Ratio autem est. Quia Parochus ratione muneris tenetur pascere se oues sibi creditas, atque adeò ea ministrare, quæ sunt necessaria ad salutem. Inter autẽ alia, quæ sunt necessaria, est cultus Dei per sacrificiũ, quod est debitum de iure naturali diuino. Et cum sit determinatum ab Ecclesia, quando sit Deo soluendũ à cunctis hoc debitũ, nempe diebus colendis de præcepto, tenetur Parochus subministrare sacrificium, vt possint soluere debitum: ergo eo ipso, quod præficitur duobus Ecclesiis, imponitur ipsi obligatio celebrandi in vnaquaque; quia imponitur obligatio implendi munus Pastoria, & exhibendi populo ea omnia, quæ exigit munus Pastoris: & proinde subintrat casus exceptus à lege de causa necessitatis, in Cap. *Consuluisti, de celebrat. Missar.* Nec potest prætendi quod consuetudo moderna illum non admittat; siquidem non potest consuetudo præscribere ea, quæ ratione muneris Pastoralis debita sunt.

5 Ex his sequitur. Quod non solum possit Parochus pluries celebrare, quando habet plures Parochias, & non potest substituere, sed etiam teneri. Ita etiam Amicus *tom.7.Curs.Theol.disp.83.sect.11.n.316.* Nam tenetur omnibus suis Parochianis munus suum impendere, atque adeò ea omnia, quæ sunt muneris Pastoralis, inter quæ est celebrare Missam, vt possint eam audire, & colere Deum mediante sacrificio. An autem si non substituat Sacerdotem, quoties potest substituere, sed ipse celebret iterando Missam peccet mortaliter. Resp. Franc. Lugo, se non audere illum damnare peccati mortalis. Verum si commodè possit substituere, non video, quomodo non transgrediatur præceptum de semel tantum celebrando; nam non adest causa necessitatis, quæ reddat licitam iterationem celebrationis.

6 Rursus sequitur. Quod quamuis Azot, Layman, Vasq. *n.2.* cit. requirant, quod Parochiæ istæ sint lo diuersis oppidis, seu villis, vt possit iterari celebratio, attamen hoc non est necessarium, nec hanc conditionem requirunt Sot. Suar. Bonac. Palans, Leand. & alij ex cit. eod. *n.2.* Quia sicuti in aliis casibus necessitatis Missa iterari potest in eadem. Ecclesia, vt cum vna Missa non sufficit pro concursu populi, iuxta Leon. I. *Epist.*81. *Decret.cap.2.* vt visum est in superioribus: ita etiam in hoc casu poterit Missa iterari, licet Parochiæ non sint in diuersis oppidis, aut villis. Ratio autem est. Quia facultas iterandi fundatur in causa necessitatis, ratione cuius tenetur Parochus impendere proprium munus suis Parochianis. Hæc autem causa locum habet, siue Parochiæ sint in diuersis oppidis, siue non; nam semper tenetur celebrare in Ecclesia Parochiali, & sicut habens vnam Parochiam tantum non satisfacit muneri proprio, si celebrat, aut celebrare faciat in propria Ecclesia, quamuis alibi in eodem loco celebret, & Parochiani alibi audire possint Missam: ita & in præsenti nisi celebret in vtraque Parochiali Ecclesia. Præsertim, quia Parochiani habent ius, vt sibi in Ecclesia Parochiali celebretur. Nec obstat, quod possint ire ad aliam Parochiam, in qua celebratur, quia non per hoc satisfit iuri ipsorum, nec Parochus implet proprium munus.

QVÆSTIO 382.

An habens duas Parochias possit bis celebrare etiam in diebus profestis.

SVMMARIVM.

1. *Habens duas Parochias an possit in qualibet diebus profestis celebrare,* & num. seq.
3. *Parochus non potest iterare Missam, nisi quando ex officio tenetur celebrare.*
4. *Habens plures Parochias diebus profestis potest modo in vna, modo in alia celebrare.*
5. *Parochus licet possit quotidiè celebrare, non tamen quotidiè iterare Missam, si habeat plures Parochias.*
6. *Licet Parochiani priuentur commoditate audiendi quotidiè Missam.*
7. *Habens tres Parochias, aut plures potest celebrare ter, aut pluries.*

PRima sententia asserit, posse celebrare singulis diebus in vtraque, si non curat populus ad audiendam Missam: & tunc solum non posse, quando experientia docet, quod non concurrit populus. Ita Suarez *disp.80. de Euchar. sect.3.* ver. *Vt autem, circa 6. casum.* Gaspar. Hurt. *de sacram. disp.4. de sacrif. Miss. diffic.3.* ver. *Primò ergo.* Amic. *tom.7.Curs.Theol.disp.33.sect.12. n.116.* Io à Cruce *part.2. Direct.conscien.q.2.de sacrif. Miss.dub.3.concl.2.* Lugo Card. *lib.1.resp.moral. dub. 12.n.2.* Martin. à S.Ioseph. *tom.1.moral.lib.1.tract.13. de Euchar.n.8.* Leander *de sacram.tract.8.disp.5.q.38.* Dicastil. *de sacram. tract.5.disp.4. dub.3. n.39.* Palaus *part.4.Oper.moral.tract.22.disput.vnic. punct.7. num.9.* Martinon. *disp.40.de Euchar.n.7.* Francisc. Lugo *lib.5. de sacram.cap.5.quæst.4.num.44.* Fundamentum huius sententiæ est. Quia est causa grauis, ne populus careat opportunitate audiendi Missam, quam Parochus ratione officij debet subministrare. 1

Secunda sententia asserit, id esse licitum solum diebus festis. Ita Nugn. *3.part.qu.83.art.2.* ver. *Iunior ille.* Villalob. *part.1.sum.tract.8.difficul.21.n.5.* Trullench *lib.3.de sacram. cap.8.dub.10. num.4.* Thom. Hurtad. *part.1.moral.resol.tract.2.cap.7.resol.vlt.num.222.* Vbi autem duo posteriores excipiunt dies, quos in honorem alicuius Sancti colit populus ob deuotionem, & Hurtad. alios etiam dies, qui sunt in aliqua veneratione, vt festi duplices B.V. S.Antonij, &c. in quibus volunt, esse eandem rationem, ac de festis. 2

Dicendum est. *Habentem plures Parochias non posse pluries in die celebrare, nisi in diebus festis, in quibus populus, aut tenetur, aut solet audire Missam.* Dixi, *Aut solet*, ad inducendos dies, quos, vt festis colit ex deuotione. Ratio est. Quia Parochus habens duas Parochias 3

chias non poteſt iterare Miſſam, niſi quando ratione officij tenetur celebrare, vt populus habeat commoditatem audiendi Miſſam; quia facultas iterandi Miſſam fundatur in neceſſitate, & neceſſitas in obligatione ratione muneris. Non tenetur autem ratione muneris celebrare, quotidie pro exhibenda populo opportunitate audiendi Miſſam, vt docent communiter, & deſumitur ex Concil. Trident. *ſeſſ.23.cap.14 de reform.* vbi iniungitur Epiſcopis ſolum, vt curent, quod habentes curam animarum tam frequenter celebrent, vt muneri ſuo ſatisfaciant; non autem, vt quotidiè celebrent.

4 Dices. Concil. vult, quod curati tam frequenter celebrent, vt muneri ſuo ſatisfaciant; ergo vltra dies feſtos tenentur etiam aliis diebus celebrare. Reſp. Teneri celebrare etiam aliis diebus, ſed non quotidie, & ideo poteſt habens plures Parochias, dies profeſtos ita diſtribuere vt modo celebret, in vna, modo in alia Parochia, & hoc pacto ſatisfaciet proprio muneri abſque eo, quod in diebus profeſtis iteret celebrationem Miſſæ.

5 Dices 2. Poteſt Parochus quotidiè celebrare, vt Parochiani habeant commoditatem audiendi Miſſam: ergo poterit quotidie celebrare in vtraque Parochia. Reſp. neg. conſeq. Nam ex eo, quod poſſit etiam celebrare in vna non infertur, poſſe celebrare etiam in alia, nam quod quotidie celebret in vna prouenit ex libera voluntate ſubminiſtrandi hanc commoditatem populo; non autem ex neceſſitate adimplendi proprium munus. Et ideò ceſſat cauſa neceſſitatis, quæ facit licitam iterationem celebrationis, cum intantum ſit licita, inquantum ratione muneris debetur.

6 Dices 3. Parochiani priuarentur opportunitate audiendi Miſſam, quod eſt qnid graue: ergo ratione muneris tenetur exhibere hanc opportunitatem. Reſp. neg. conſeq. Quia ſicuti non tenetur exhibere hanc commoditatem celebrando quotidie, quando habet vnam tantum Parochiam, nec populus poteſt ad hoc ipſum conſtringere, ita multò minus poteſt, quando deberet bis celebrare: vnde Parochiani, ſi vellent hanc commoditatem, deberent contribuere, vt poſſet Parochus alium Sacerdotem alere in ordine ad huoc effectum.

7 Ex dictis colligitur cum Suarez *diſp.80.de Euchar. ſect.3.ver. Vt autem, circa 6.caſ.* Trullench *de ſacram. lib.3.cap.8.dub.10. num.4.* Dicaſtil. *de ſacram. tract.5. diſp.4.dub.3.n.39.* Gaſpar. Hurtad. *de ſacram. diſp.4. de ſacrif. Miſſ. difficul.3. ver. Primus ergo,* & alij, qui id docent generaliter, quando occurrit caſus neceſſitatis contra nonnullos, qui vniuerſaliter in nullo caſu neceſſitatis id admittunt. Poſſe habentem tres, aut plures Parochias tot Miſſas celebrare, quot ſunt Parochiæ. Ratio autem eſt. Quia facultas iterandi Miſſam fundatur in cauſa neceſſitatis, iuxta Cap. *Conſuluiſti, de celebrat. Miſſ.* vbi nulla fit reſtitutio: vnde cum neceſſitas ſit fundamentum huius facultatis, debet etiam eſſe menſura, vt ſcilicet tantum concedatur, quantum exigit neceſſitas. Nec eſt maior ratio, cur debeat in ſecunda, & non in tertia Parochia celebrare, cum ratione muneris æquè omnibus debeat impendere munus ſuum.

QVÆSTIO 383.

An Parochus, poſtquam celebrauit in propria, poſſit etiam in aliena Parochia celebrare, ſi ex aliquo caſu deficiat Miſſa Parochi.

SVMMARIVM.

1. *Cur habens plures Parochias poſſit iterare Miſſam.*
2. *Qui celebrauit in propria poteſt in aliena Parochia celebrare, ſi ibi deficiat Miſſa.*
3. *Subſtitutus ad munera parochialia obligatur ad ipſa.*
4. *In caſu contingenti abſque auctoritate ſuperioris poteſt Parochus iterare Miſſam in aliena Parochia.*
5. *Qui celebrauit in duplici propria Parochia poteſt etiam celebrare tertio in aliena, ſi non adſit qui celebret.*

Caſus facilè contingere poteſt in villis vbi præter Parochum nullus alius eſt Sacerdos. Siquidem poteſt infirmari, & tunc populus remanebit abſque Miſſa; vnde dubitatur, an Parochus vicinus, poſtquam celebrauit in ſua Parochia, poſſit etiam ibi ſupplere. Ratio dubitandi eſt. Quia intantum poteſt Parochus iterare celebrationem, inquantum eſt obligatus ad celebrandum ratione muneris in omni ſua Parochia, & hæc obligatio fundat caſum neceſſitatis: ergo non habeat obligationem reſpectu alienæ Parochiæ non habebit hanc facultatem. 1

Dicendum tamen. *Poſſe celebrare etiam in aliena Parochia in diebus feſtis, ſi illius Parochus non poſſit celebrare.* Ita Dicaſtil. *de ſacram. tract.5.diſp.4.dub.3. n.39* qui alios citat, ſed hi nihil dicunt de hoc caſu in particulari, ſed ſolum deduci poteſt ex his, quæ habet Nauar. *conſil.1.num.2.de celebrat. Miſſ.lib.3.* & apud ipſum Panorm. & Cardin. *in cap. Conſuluiſti, de celebrat. Miſſ.* Et tamen aduertendum, quod hoc ſolum habet locum, quando non poteſt haberi alias Sacerdos, qui ſuppleat; nam ſi poſſit haberi ceſſat neceſſitas. Nec obſtat declaratio S. Congreg. de qua *quæſt.382.n.3.* quia, vt dictum eſt, procedit, quando Miſſa poteſt alibi commodè audiri. 2

Ratio autem eſt. Quia quamuis Parochus non tenetur ad officia parochialia quoad alienam Parochiam, proprius tamen Parochus habet facultatem ſubſtituendi, & tunc ſubſtitutus conſentiens in ſubſtitutionem aſſumit in ſe obligationem ſubſtituentis, quo poſito tenetur reſpectu alienæ Parochiæ in eo, in quo ſubſtituitur, non ſecus, ac ſi eſſet propria: ſtante autem hac obligatione conſurgit neceſſitas impendendi proprium munus etiam huic Parochiæ, tanquam ſi ab eo regeretur. Ex quo fit, quod non poteſt hoc præſtare ex propria electione, aut inſtantia Parochianorum, ſed neceſſaria ſit deputatio proprij Parochi. Et ex his ſoluta manet ratio dubitandi. 3

Dices. Ideò poteſt celebrare in duplici Parochia eodē die, quādo ones regit vt proprias, quia eſt interpoſita auctoritas Superioris eas conferentis, & per collationem id tacitè declaratur, ſiquidem non conferetur vni duplex Parochia, niſi ſtante, aut penuria Sacerdotum, aut paupertate Eccleſiarum: ergo hac ſeclusa non licebit. Reſp. Auctoritatem Superioris interpoſitam facere, vt regulariter liceat, quia declarat tacitè caſura neceſſitatis. In vnn tamen contingenti, & in eo, in quo non poteſt recurri facilè ad Superiorem, non eſt neceſſaria iſta declaratio, cum ſtanto euidenti neceſſitate, adeſt interpretatiuus conſenſus Superioris. 4

Ex dictis ſequitur. Quod Parochus habens duas Parochias, poſtquam in vtraque celebrauit, poteſt etiam celebrare tertio in aliena Parochia ad ſupplendum defectum Parochi illius. Quia cum poſſit tertiò celebrare, ſi haberet tertiam Parochiam, dum aſſumit obligationem etiam pro aliena, eodem modo ſe habet reſpectu illius, ac ſi eſſet propria; quia iam aſſumpſit obligationem impendendi ipſi quoad hoc munus Parochiale; vnde conſurgit eadem cauſa neceſſitatis, quæ dat facultatem tertiò celebrandi. 5

QVÆSTIO

QVÆSTIO 384.

An habens plures Parochias poßit Feria quinta in Cœna Domini seruare in omnibus Eucharistiam consumendam die sequenti.

SVMMARIVM.

1. *Habens duas Parochias in Cœna Domini debet in vtraque celebrare.*
2. *Sed in vna tantum seruare Eucharistiam consumendam die sequenti.*
3. *Quia non consumit nisi violando ieiunium ratione Calicis.*
4. *Nec potest præsumi dispensatio sumendi Eucharistiam violato ieiunio.*
5. *Nec iuuat mixtio Eucharistia cum vino Calicis, cum adhuc violet ieiunium.*
6. *Licet vinum Calicis in Parasceue contineat mysterium adhuc tamen violat ieiunium.*
7. *Non potest omitti sumptio Calicis in Parasceue, vt celebretur in alia Parochia.*
8. *Maius incommodum non seruari ritum Ecclesia, quam Parochianos carere officio matutino Parasceues.*

1 SVpponendum est. Habentem duas Parochias debere Feria quinta maioris hebdomadæ in vtraque celebrara. Quamuis enim non sit de præcepto seruandus dies, nec etiam soleat populus colere, vt festum, est tamen valdè celebris præsertim, quoad Missam, cum in ipsa recolatur institutio sacramenti Eucharistiæ; vnde solet frequens populus accedere ad audiendam Missam, & proinde debet in vtraque Parochia celebrare, & exhibere Parochianis repræsentationem institutionis sacrificij Missæ. Solum difficultas est, an in vtraque Ecclesia parochiali debeat Eucharistiam seruare, & erigere sepulchrum pro officio sequentis diei.

2 Dicendum est. *Debere tantum conseruare Eucharistiam pro officio sequentis diei, & erigere sepulchrum in Parochia principaliori.* Ita Suarez *disp.* 80. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *Vt autem, circa finem.* Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 249. *casu* 5. Reginal. *lib.* 29. *praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 4. *quæst.* 4. *num.* 182. ver. *Vltimo.* Villalob. *part.* 1. *sum. tract.* 8. *difficul.* 11. *num.* 6. Trullench *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 8. *dub.* 10. *num.* 6. Amicus *tom.* 7. *Curs. Theol. disp.* 33. *sect.* 11. *num.* 317. Martinon. *de Eucharist. disputat.* 40. *num.* ... Ledesma *part.* 1. *sum. cap.* 19. *de Eucharist. post* 5. *conclus.* ver. *Prima secunda.* Ioan. à Cruce *part.* 2. *Direct. conscien. quæst.* 2. *de sacrific. Miss. dub.* 3. Leander *de sacram. tract.* 8. *disp.* 5. *quæst.* 40. Francisc. Lugo *de sacram. lib.* 5. *cap.* 5. *quæst.* 4. *num.* 45. & alij. Nihilominus Thomas Hurtad. *part.* 1. *resol. moral. tract.* 1. *cap.* 2. *resol. vlt. num.* 423. vult in vtraque Ecclesia seruandam pro die sequenti, & in ipso debebit consumere in prima Ecclesia absque eo, quod sumat vinum.

3 Ratio autem est. Quia vt statuit Innocent. III. in Cap. *Ex parte, de celebrat. Missar.* Non potest post sumptam ablutionem iterum celebrari, vtpote, quia violat ieiunium, & ideò, qui est celebraturus, non debet eam sumere, vt fit in primis duabus Missis de Natiuitate Christi. Si autem in vtraque Parochia seruaretur Eucharistia consumenda in feria sexta, oporteret, quod Sacerdos secundo celebrans sumeret Eucharistiam post sumptum vinum in celebratione primi officij, atque adeò non ieiunus. Vnde ad hoc vitandū debet in prima tantum Ecclesia conseruari.

Dices dispensari, vt possit secunda vice consumere non ieiunus, sicut in aliis diebus dispensatur, vt possit bis celebrare. Resp. Non posse admitti hanc dispensationem. Primò. Quia de ipsa non constat, sicut constat de celebrando, bis in die. Secundò. Quia dispensatio non adest de celebrando sine ieiunio, quando adest dispensatio celebrandi pluries in die, imò requiritur continuatio ieiunij. Tertiò. Quia officium illius diei non est tanti momenti, vt requirat huiusmodi dispensationem, cum sit de grauissimo præcepto, prout praxis interpretatur. 4

Dices 2. Cum posito vino in Calice misceatur pars hostiæ, cum qua simul sumitur, non habere rationem potus violantis ieiunium, sed suo modo sanctificari per illam mixtionem, & ideo non violari ieiunium. Et proinde non obstare secundæ consumptioni Eucharistiæ. Resp. Maximè obstare, quia per illam mixtionem Eucharistiæ non mutatur substantia vini, & ideò tanquam potus corporalis violat ieiunium, non secus, ac violat purificatio, quamuis ipsi immixta aliqua particula sanguinis, quæ remansit in Calice, aut etiam aliquod fragmentum hostiæ conseruatæ. 5

Instabis. Quia non sumitur per modum lotionis, sed per modum mysterij. Resp. Quod licet adsit mysterium, adhuc tamen, quod sumitur, vinum est secundum substantiam, & accidentia, & ideò potus vsualis, atque adeò eodem modo violat ieiunium, ac vinum sumptum sine mysterio. Nec dici potest, quod sit quid annexum consumptioni Eucharistiæ, & ideò vt accessorium, sequatur naturam ipsius, atque adeò non violet ieiunium. Nam est quid annexum, vt aliquid rituale, seu pertinens ad ritum, quod non variat naturam ipsius; & ideò cum remaneat verus potus, violat ieiunium. Sic etiam ablutio est accessoria consumptioni sacrificij tanquam ordinata ad perfectam consumptionem ipsius, & tamen violat ieiunium. 6

Dices 3. cum Thoma Hurtado *num.* 2. citato. In prima Ecclesia non esse sumendum vinum. Respon. Hoc fieri non posse, nam si non infundatur vinum in Calicem, atque adeò nec misceatur pars de præsanctificatis, non seruatur Ritus principalis Ecclesiæ: si verò infundatur, & misceatur pars de præsanctificatis, sed non sumatur Calix, non consumuntur adæquatè præsanctificata, atque adeò adhuc non seruatur ritus præcipuus, & remanet difficultas, quid faciendum de illo Calice, quando, & à quo consumendum. Non est autem tanti officium feriæ sextæ in Parasceue, vt debeat variari ritus tam principalis. Præsertim, quia Pius V. prohibet omnem mutationem Ritus ab eo, qui in Missali præscribitur, vt in sua Bulla præfixa Breuiario. Accedit, quod si quis ita faceret, quando non habet alibi celebrare officium, peccaret mortaliter, quod satis declarat esse ritum sub graui obligatione seruandum, & proinde non debere cedere celebrationi secundi officij. 7

Dices 4. Esse valdè incommodum populo, quod priuetur officio matutino feriæ sextæ, & veneratione sepulchri. Et ideo debere Parochum in vtraque Parochia celebrare Officium illius diei. Resp. Esse maius incommodum, & inconueniens, quod Eucharistia sumatur à non ieiunio, aut quod non seruetur ritus Ecclesiæ, quàm quod populus vnius Parochiæ careat sepulchro, & officio illius diei. Quia per illud derogatur ritui publico, & necessario secundum normam præscriptam ab Ecclesia: per hoc autem tantum patitur priuata deuotio, nec subtrahitur aliquid populo, quod sit ipsi de iure debitum, sicut si subtraheretur Missa in die festo. 8

QVÆSTIO 385.

Quid faciendum si Parochus non aduertens hanc difficultatem in vtraque Parochia erigat sepulcrum, & postea aduertat.

SVMMARIVM.

1. *Quid faciendum si Parochus duarum Parochiarum in vtraque Parochia seruet Eucharistiam in Parasceue insumendam*, & num.seq.
2. *Consumptio in Parasceue debet cedere precepto de ieiunio pro Eucharistia sumenda.*
3. *In Parasceue non potest omitti infusio vini in Calice ob consumendum in alia Ecclesia.*
4. *Si seruata sit Eucharistia in duplici Ecclesia, in Parasceue consumenda est tantum in vna Ecclesia.*
5. *Quæ de iure non licent, habentur pro impossibilibus.*
Omittens impossibile non peccat.
6. *Non potest idem consumere in Parasceue in duabus Ecclesijs, sumendo Calicem prioris officij post consumptionem in secunda.*
7. *Si Parochia sint æquè principales Rector illorum debet vno anno in Feria Parasceues celebrare in vna, & alio anno in alia.*

1 PRima sententia asserit, qood Patochus reseruans Eucharistiam consumendam in Feria sexta Parasceues in vtraque Ecclesia, debet, quando officiom celebtat in prima Ecclesia, non infundere vinum in Calicem, nec immittere partem Hostiæ. Ita Soarez *quæst.*80.*de Eucharist. sect.*3. ver. *Tunc autem, circa* 6. *cas.* Reginal. *lib.* 29. *praxis fori pœnit. cap.*11. *sect.* 4. *quæst.*4.*num.*182. *in fine.* Martinon. *disp.*40.*de Euchar. num.*7. Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacram. cap.*5. *quæst.*4. *num.*45. Trullench *lib.*5.*de sacram. cap.*8. *dub.*10.*n.*6. Villalob. *part.*1. *sum.tract.*8. *difficult.*21. *num.*7. Fundamentum huius sententiæ est. Quia ritus infundendi vinum in Calicem mixtione particulæ hostiæ non est substantialis.

2 Secunda sententia asserit, posse in vtraque consumere more solito, infundendo vinum in Calicem cum mixtione hostiæ, & sumptione etiam in prima Ecclesia, ita nonnulli quorum nomine suppresso meminerunt. Ledesma, & Suarez *num. præced.* citat. Verum hæc sententia subsistere non potest, quia cum locum habeat prohibitio, Cap. *Ex parte, de celebrat. Miss.* nec adsit dispensatio, & illud vinum verè violet ieiunium, vt constat ex dictis *quæst. præced. num.*4. *& sequent.* non adest fundamentum aliquod, cui inniti possit. Nec enim necessitas, in quam se Parochus congessit, sufficit, vt possit consumere in secunda Ecclesia, siquidem debet potius cedere secunda celebratio officij, vtpotè minoris momenti, quàm præceptum de ieionio, aut ritus illius officij infundendi vioum in Calicem immittendi particulam in ipsum, & sumendi calicem.

3 Sed neque prima sententia placere potest, sicut nec videtur placere Syluio *in notis ad Brisfed.* §. 9. Quia tres actiones essent in illo officio omittendæ. Prima, separatio particulæ ab hostia facta; secunda, immixtio eiusdem particulæ in vinum, atque adeò infusionem vini in Calicem. Tertia, sumptio totius Calicis quæ actiones constituunt vnam ex præcipuis partibus, quæ constituunt consumptionem ex præsanctificatis; & proinde negari non potest, quia sit pars substantialis illius ritus, seu consumptionis præsanctificatorum; & proinde mutilaretur notabiliter, & in parte intrinseca ille ritus consumptionis præsanctificatorum. Quod est contra constitutionem Pij V. præfixa Missali, in qua præcipit celebrari secundum ritum, & normam in ipso præscriptam.

Dicendum itaque est. *Quod in tali casu tantum debet celebrare in prima Ecclesia: & postea reponere Eucharistiam conseruatam in alia in sacrario, vbi seruatur Eucharistia pro infirmis.* Ita etiam Antic. *tom.*7. *Curs. Theol. disp.*33. *sect.*10. *n.*317. Qui tamen admittit etiam modum primæ sententiæ. Ratio autem est. Quia reseruatio Eucharistiæ in ordine ad consumptionem nun habet necessariam connexionem cum consumptione, sed ex aliquo accidenti superueniente potest non sequi consumptio, vt si Ecclesia interim interdiceretur, aut si ex inaduertentia consumens in prima Ecclesia immitteret vinũ in Calicem, & sumeret: ergo etiam potest non sequi consumptio, quando non potest fieri secundum ritum Ecclesiæ. Imò etiam sufficere potest pro causa, quod sit Eucharistia reseruata ex inaduertentia ad impossibilitatem consumendi secundum ordinarium Ecclesiæ ritum. 4

Confir. Quæ de iure oon licent, habentur pro impossibilibus, §. 1. *Instit. de iure person.* & *l.*35. & *l.*61. *ff. de verb. oblig.* Ergo cum secundum ritus Ecclesiæ, quia habent vim legis, consumptio secunda de præsanctificatis in secunda Ecclesia sit impossibilis, quia, si est facienda, aut non est in ipsa seruandum ieiunium, aut non seruandus ritus principalis in prioris consumptione, non aderit obligatio ad illum perficiendum. Et proinde nullum interueniet peccatum; si omittatur, quia omittens impossibile non peccat, *l. Cum quidam*, §. *si pupillo, ff. de vsur.* & Cap. *Quia diuersitatem*, ibi, Et tunc, si voluerit, *de concess. præbend.* vbi Glos. & item Glossa *in Cap.* 1. §. *solet. verbo* Potuerit, *de rest. spoliat. in* 6. Crauetta *Consil.*55. *num.*10. & *Consil.*319. *num.*15. ver. *Tertiò.* 5

Ex dictis colligitur, Non subsistere, quod ait Recentior quidam. Nempe, quod in prædicto casu poterit Parochus consumere præsanctificata in vtraque Ecclesia, sed in prima non sumendo Calicem cum particula, præsanctificatorum, nisi postqoam consompsit in secunda Ecclesia. Nam hoc est contra ritum Ecclesiæ, quæ præscribit, quod sumatur etiam Calix, alioquin prima consumptio præsanctificatorum remaneret imperfecta, quia relinqueretur aliqua pars consumenda. Et sicut, qui bis celebraturus est non potest relinquere consumptionem sacrificij primi perficiendam post consumptionem sacrificij secundi, quia est pars saltem integralis sacrificij, quod debet vnico tractu perfici. Ita etiam, cum consumptio Calicis sit pars saltem integralis consumptionis præsanctificatorum, debet statim sumi, vt vnico tractu perficiatur huiusmodi consumptio. 6

Colligitur 2. cum Leandro *de sacrament. tract.*8. *disp.*5. *qu.*40. Quod si Parochiæ, quæ reguntur ob eodem, sint æquè principales, nec vna sit maior altera, tunc non habebit locum, quod in superioribus dictum est, quod scilicet debeat in Parasceue celebrare officium, & consumere præsanctificata in magis principali; sed tunc debebit vno anno, in vna, & altero in alia celebrare. Quod etiam erit seruandum, si exigua sit differentia inter ipsas, quia modica non veniunt in considerationem, sed pro nihilo reputantur, Cap. *Licet causam*, §. *Quamquam.* ver. *Nulla, de probat.* Principalitas autem, vel æqualitas in hoc casu videtur consideranda secundum quantitatem populi, vt scilicet illa sit principalior, quæ habet populum numerosiorem. Cum enim hoc officium celebretur in ordine ad populi deuotionem, habenda est ratio numerosioris; quia quando multitudo consideratur, communitas numerosior est principalior. 7

QVÆSTIO

QVÆSTIO 386.

An in terris Hæreticorum, & Infidelium possint Sacerdotes pluries celebrare in die.

SVMMARIVM.

1. *In terris Hæreticorum ob penuriam Sacerdotum potest idem iterare Missam.*
2. *Habet locum causa necessitatis, & cur.*
   Vtilitas ex frequenti sacrificio in terris Hæreticorum sufficit ad iterandam celebrationem.
3. *Non habet ibi locum consuetudo contraria.*
4. *Fideles Catholici apud Hæreticos sunt in illo statu, in quo erant in primitiua Ecclesia.*
5. *Prohibitio non iterandi Missam non habet locum vbi populo fideli non sufficit vna.*
6. *Vbi apud Hæreticos clam celebratur, qui celebrauit in vno Oratorio potest in alio celebrare.*
7. *Etiam in diebus profestis potest iterari celebratio.*
8. *Quomodo accipiendum priuilegium celebrandi bis in terris infidelium.*
9. *Decretum sacra Congregationis circa iterationem Missæ.*

1 NOn solum locum habet difficultas, quando in terris Hæreticorum, & infidelium non est liberum exercitium Religionis Catholicæ, sed etiam vbi liberum est, verum adest penuria Sacerdotum, itavt qui adsunt, non possint satisfacere populo fideli. Dicendum est. *Penuriam Sacerdotum in dictis regionibus esse causam sufficientem celebrandi pluries in die.* Ita Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tractat.* 5. *cap.* 4. *num.* 6. ver. *Circa hos.* Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 3. *num.* 7. *littera D.* Azorius *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *quæst.* 6. *in fine.* Suarez *disput.* 80. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *Vt autem.* Vasquez 3. *part. disput.* 232. *cap.* 5. *num.* .... Dicastill. *de sacrament. tractat.* 5. *disput.* 4. *dub.* 3. *num.* 51. Lugo Card. *disput.* 20. *de Eucharistia, sect.* 1. *num.* 46. Facundez *præcept.* 2. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 3. Marchin. *de sacramento ordin. tractat.* 3. *part.* 2. *cap.* 37. *num.* 3. *casu* 8. Nauar. *consil.* 2. *num.* 1. *de celebrat. Missar. lib.* 3. Leander. *de sacrament. tractat.* 8. *disput.* 5. *quæst.* 39. Amicus *tom.* 7. *Curs. Theolog. disputat.* 33. *sect.* 11. *num.* 319. Trullench *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 8. *dub.* 10. *num.* 5. Vericel. *de missionib. Apostolicis. quæst.* 98. §. 31. *dub.* 18. *num.* 201. ver. *Imò,* Thomas Hurtad. *part.* 1. *resol. moral. tract.* 2. *cap.* 1. *resolut. vltim. num.* 435. Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 6. §. 3. *num.* 2. Franciscus Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 5. *quæst.* 5. *num.* 49. Marchan. *in Tribun. sacram. tractat.* 2. *part.* 2. *tit.* 4. *quæst.* 2. §. 3. *dub.* .... ver. *Quinta causa.*

2 Ratio desumitur ex cap. *Consuluisti,* vbi Pontifex prohibet Sacerdotibus pluries, quàm semel in die celebrare, sed cum restrictione, *Nisi aliter causa necessitatis suadeat.* Nec autem exceptio habet locum in dictis locis, quia adest penuria Sacerdotum; & quamuis fideles non essent in magno numero, non possunt tamen simul conuenire, vel ob distantiam habitationum, vel quia non habent liberum exercitium religionis Catholicæ, & ideò coguntur fugere ad conuentus. Confirm. Fideles in his regionibus indigent maximè auxiliis spiritualibus, quale præcipuè est sacrificium, cum versentur in plura pericula præsertim subuersionis, ad quam præcipue induci possunt ex molestiis quas patiuntur: vnde vtilitas, quam percipiunt ex frequenti sacrificio, & propter quam licet pluries celebrare, vt tradunt Gloss. *in dict. cap. Consuluisti.* Abbas Cardin. *ibid.* vertitur in necessitatem, quia vtilitas fit necessaria ob pericula in quibus versantur. Et ideò habet locum exceptio dicti text.

Nec dici potest, quod consuetudo sit in contrarium. Tum quia non potest allegari consuetudo, cùm ibi tàm necessitas, quàm penuria Sacerdotum, aut etiam prohibitio liberi exercitij religionis Catholicæ, non sinant quod res religionis habeant statum aliquem permanentem, cum exerceatur eo modo, quo exerceri possunt, & ideò non potuit induci consuetudo, quæ vniformiter, & permanenter moderaretur celebrationem. Tum quia consuetudo, quæ apud nos præscripsit aliquos casus necessitatis, fundatur in copia Sacerdotum, quæ in dictis regionibus deficit, & ideò penuria fundare debet consuetudinem oppositam. Tum quia hodie consuetudo non præscripsit illos casus necessitatis, quibus non inseruit copiæ Sacerdotum, aut quando in aliquibus locis non adest, vt quando idem regit duas Parochias; & ideo nec potuit, præscribere in dictis regionibus. 3

Præterea prohibitio celebrandi plusquam semel in die tunc tantum facta fuit, quando cœperunt multiplicari Sacerdotes, & quando Ecclesia cœpit cum libertate regi à suis pastoribus; & tamen adhuc tunc fuit excepta causa necessitatis: ergo cum in dictis regionibus, nec sint Pastores, nec copia Sacerdotum, nec liberè regatur Ecclesia, nec liberè etiam exerceatur in aliquibus fides Catholica, fideles sunt in eodem statu, in quo erat principio nascentis Ecclesiæ, & proinde adest fundamentum reuertendi ad ius antiquum, & celebrandi pluries in die. 4

Confirm. 2. Quando Pontifices prohibuerunt celebrare plus, quàm semel in die, prohibuerunt sub illo modo loquendi, quod debet sufficere Sacerdoti vnam Missam celebrare. Ita in cap. *Sufficit. de consecrat. dist.* 1. ibi, *Sufficit vni Sacerdoti vnam Missam in die vna celebrare,* & in cap. *Te referente. de celebrat. Missar. Cuilibet Sacerdoti vnam in die celebrare Missam sufficiat.* Et in vtroque textu redditur ratio. Quia felix satis est, qui vnam dignè celebrat: ergo hæc prohibitio habet pro obiecto iterationem celebrationis ex propria Sacerdotis deuotione, aut ex alio quocumque motiuo, ratione cuius putaret Sacerdos sibi non sufficere celebrare vnam tantum Missam; non autem iterationem celebrationis, quando populo fideli non sufficit vnica Missa, & proinde etiam excludatur causa necessitatis: ergo cum in dictis regionibus non sufficiat pro fidelibus, non habebit locum prohibitio atque adeò nec consuetudo strictè accipiens prohibitionem. Quia si est, non est inducta prohibitio, aut est abrogata, nec etiam erit inducta, aut erit abrogata consuetudo interpretatiua prohibitionis. 5

Ex his colligitur. Quod, cum in Prouinciis, in quibus non est liberum exercitium religionis Catholicæ celebrari possit Missa secreto in priuatis domibus, vtpotè quia ibi haberi non possunt publicæ Ecclesiæ, seu Oratoria, poterit Sacerdos, postquam celebrauit in vna domo celebrare etiam in alia. Quia quamuis assistant Missæ paruæ personæ attamen, quia nisi haberetur ipsarum ratio, raro aut nunquam audirent Missam, atque adeò raro implerent præceptum diuinum naturale de colendo Deo cum sacrificio ideò non obstante exiguo numero poterit Missa iterari. 6

Colligitur 2. Quod etiam in diebus profestis iterari poterit celebratio Missæ, si ita prudenter iudicabitur necessarium ad fouendam religionem Catholicam, & deuotionem apud illos fideles, vt inter 7

Doctores *aum.* 1. relatos norant Layman, & Franciscus Lugo. Nam in dictis regionibus non ita strictè procedendum est, sed indulgendum aliquid pietati fidelium, quia cum sint destituti multis subsidiis spiritualibus, debent frequentiora esse, quæ habere possunt. Deinde io cap. *Consulnisti. de celebrat. Missar* excipitur absolutè causa necessitaris absque limitatione ad dies festos, & ideò cum causa necessitaris possit habere locum in diebus profestis, quia non solum consideratur in ordine ad præceptum adimplendum, sed etiam io ordine ad necessitates, pro quibus offertur sacrificium, ideò etiam in diebus profestis iretari poterit.

8 Colligitur 3. Quomodo sit accipiendum priuilegium Pauli III. quo in sua *Constit.* 48. §. 37. *tom.* 1. *Bullar.* concessit Iesuitis, vt possent bis in die celebrare in Infidelium terris. Nam vt obseruat Amicus *tom.7. Curs. Theol. disp.* 33. *sect.* 11. *num.* 319. inseruit priuilegium ad tollendos scrupulos, & ad hanc iterationem celebrationis practicandam, & etiam, quando non adest tanta necessitas. Addo etiam, quod hoc priuilegium concessum fuit anno 1549. quando nullus ex citatis Doctoribus *numer.* 1. scripserit, quod id liceret. Modo vero cum decem, & septem Doctores *ibid.* allati doceant, id licere & alij etiam, quos non vidi, cessat necessitas priuilegij non subintrat ius commune iuxta interpretationem horum Doctorum.

9 Quod aotem in dictis locis, etiam in diebus profestis licet pluries celebrare auctorizatur ex Decreto Sacræ Congregat. de propaganda fide habita coram Sanctissimo *die 27. Martij* 1638. cuius tenor est.

Referente D. Cardin. Caietano instantiam Episcopi Tragareriensis pro facultate impertiendi licentiam vni ex suis Sacerdotibus, vt possit bis in die celebrare in villis sua Diœcesis Turcarum Tyrannidi subiectis, diebus quibus idem Episcopus pro salute animarum id expedire iudicabit S. Congregat. censuit, si Sanctissimo placuerit, petitioni Oratoris esse annuendam cum clausulis qua solent apponi licentiis, qua pro Heluetia expediuntur. Cardin. Anton. Barberin. Præfect. Locus sigilli Francis. Iapoluæ secret.

Illustriss. & Reuerendiss. Signore, Come Fratello Intorro alla faculta di celebrar bis in die per vn Sacerdote desiderata da V. S. hauendo questa S. Congregat. col placet di N. S. fato l'incluso decreto glie lo manda acciò conforme à quello si possa gouernare che per fine me le offero. Roma 10. Aprile 1638. di V. S. Come Fratello. il Cardinale Antonio Barberini.

Circa quod decretum est notandum, quod non continet concessionem de nouo, sed declarat habere locum dispositionem iuris communis, & posse ad praxim reduci. Et fortè etiam Episcopos ille non iudicauit, adesse tantam, & talem necessitatem, quæ sufficeret, vt haberet locum ius commune. Deinde Decretum non loquitur de diebus festis, sed indefinitè de diebus, quibus Episcopus expedire iodicauerit pro salute animarum, atqoe adeò non solum in diebus festis, sed etiam in Profectis, si ita expedire iudicauerit.

QVÆSTIO 387.

An in casibus, qui in desuetudinem abierant possit pluries celebrari, si accedat alia causa, vt esset populi quærimonia, &c.

SVMMARIVM.

1. *In nostris, regionibus, non potest oriri scandalum, si non replicetur Missa in casibus, in quibus olim replicabatur.*
2. *In casibus, in quibus aliàs non posset, Missa iterari potest ad vitandam scandalum, & quærimoniam.*
3. *Si tamen quærimonia sit communis, & considerabilis.*

1 Vix contingere potest. Quod succedat scandalum, aut populi quærimonia, si Sacerdos pluries non celebret in his nostris regionibus, vbi stante multitudine Sacerdotum vix occurrit casus, quod iteretur Missa ab eodem Sacerdote: vnde potius res noua accideret populo, si pluries quis celebraret, quàm scandalizaretur, aut consequeretur, si non celebraretur pluries. Casus tamen potest contingere in iis locis, in quibus solet aliquando pluries celebrari.

2 Dicendum est. *Posse iterari celebrationem in casibus in quibus alias non posset ad vitandum scandalum, aut quærimoniam populi.* Ita Syluester *verbo* Missa. *quæst.* 7. Nauar. *cap.* 25. *Manual. num.* 83. Henriquez *lib.9. sum. cap.* 30. *num.*7. Layman *lib.5. Theol. moral. tractat.* 1. *cap.* 4. *num.* 6. vet. *Circa hos vero.* Conincb *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 2. *dub.*3. *in fine.* Palaus *part.4. oper. moral. tract.*22. *disput. vnic. punct.*7. *num.* 9. vet. *Deinde.* Marchan. *in Tribun. sacrament. tractat.* 2. *part.* 2. *tit.* 4. *quæst.* 2. §. 3. *dub.*2. *causa* 4. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 5. *quæst.* 5. *n.*58. ver. *Nota vt secundo.* & alij. Ratio est. Qoia causa, quæ aliquo modo exigit iterationem celebrationis fit grauis accedente quærimonia populi, aut scandalo. Nam quærimonia supponit factum, qood displiceat, atque adeò qnod reddat exosum pastorem, quod non est sine graui detrimento salutis aoimarum, quia non præualet auctoritas pastoris, quando populo est exosus, & proinde non potest ita proficuè fuogi monere suo. Si verò adsit scandalum, de se manifestum est, quod debet vitari: ergo cum in cap. *Consulnisti. de celebrat. Missar.* excipiatur causa necessitatis, poterit in isto casu iterari celebratio, siquidem interuenit necessitas moralis.

3 Est tamen aduertendum, quod, vt liceat celebrare, secunda vice; debet quærimonia populi esse considerabilis, quia debet sufficere ad reddendam causam graoem qood præstare non poterit, si sit leuis quærimonia. De quo fit, quod quærimonia debet esse communis, quia si esset tantum aliquorum, signum esset, quod non esset rationabilis, sed oriretur ex prauo iudicio, aut voluntate ipsorum, & ideò esset contemnenda. Quod si etiam scandalizarentur sibi imputare deberent, siquidem non haberent causam rationabilem scandali.

QVÆSTIO 388.

An in aliis casibus ob assignatis iterari possit Missa.

SVMMARIVM.

1. *In quocumque casu necessitatis licet iterare Missam.*
2. *Exceptio locum habet, vbi ratio exceptionis reperitur.*
3. *Confusio non oritur, si lex cum sua exceptione seruetur.*

   Dispositam indefinitè relinquitur prudentis arbitrio.
4. *Putans adesse necessitatem iterandi Missam bona fide, excusatur licèt, non sit sufficiens.*

Si

Si non sit persona prudens prouidens, & docta, non debet stare proprio iudicio.

1 QVamuis casus necessitatis via possit accidere, vbi est copia Sacerdotum, possunt tamen plures accidere vbi est exiguus numerus Sacerdotum; vnde dicendum est. *In quocunque casu necessitatis licere plures celebrare.* Per casum autem necessitatis intelligitur necessitas moralis. Ita Nauar. *in Manual. cap.25. num.87.* Henriquez *lib. 9. sum. cap.30. num.7.* Azorius *part.2. lib.10. cap.24. ver. Excipiant.* Syluester *verbo* Missa. *1. quæst. 7. cas.11.* Rodriquez *part.1. sum. cap.149. conclus. 5.* Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 16 num. 11.* & communiter, dum casus, quos admittunt fundant in causa necessitatis, quæ proinde debet facere admitti omnes casus, in quibus ipsa habet locum.

2 Fundamentum est. Quia Pontifex in cap. *Consuluisti de celebratione Missar.* ponit exceptionem generalem. *Nisi causa necessitatis suadeat.* Exceptio autem generalis locum habet in omnibus in quibus ratio exceptionis reperitur. Vnde cum causa necessitatis veniat sub exceptione in quocunque casu adsit causa necessitatis habebit locum exceptio facta à lege. Exceptionémque detrahit regulæ, & ideò totum, quod excipitur, non comprehenditur sub regula. Ad autem totum excipitur, in quo est motiuum excipiendi quod in præsenti est causa necessitatis.

3 Dices. Si in omni casu necessitatis posset iterati celebratio, oriretur magna confusio; siquidem posset quoque suo iudicio inducere casus necessitatis. Resp. Non posse nasci confusionem, quando seruatur lex cum sua exceptione, quia cum lex excipiat, quod est secundum exceptionem, est secundum legem; quod autem est secundum legem regulatum est non autem confusum. Nec etiam est absurdum, quod quisque iudicare possit de causa necessitatis; quia hæc voluit lex dum non determinauit casus istos necessitatis. Quando enim aliquid disponitur indefinito modo, determinatio relinquitur prudentis arbitrio *lib. 1. ff. de iur. delib.* & cap. *De causis. de offic. deleg.* An autem debeat quisque ex se determinare casus istos necessitatis, infra examinabitur.

4 Ex dictis colligitur. Quod si quis bona fide procedens, putaret, adesse causam necessitatis pro iteranda Missa, & iteraret, quamuis esset minus sufficiens, adhuc tamen excusaretur. Est tamen verum, quod, si non esset persona prudens, & docta, non deberet stare proprio iudicio, sed quando non posset consulere superiores deberet consulere personas doctas, si habet. Quia tamen in locis, vbi sit casus occurrere possunt non adsunt personæ doctæ, & Parochi quoque parum in his materiis versati sunt, ideò sufficiet quod resoluat eo meliori modo, quo potest. Quod si erret, excusabitur in foro conscientiæ. Nec erit in foro externo puniendus cum processerit ex bona fide, sed indulgendum conditioni personæ, & inconueniens enumerandum inter ea, quæ in huiusmodi locis accidere solent, & inexperientia ministrorum.

QVÆSTIO 389.

An non solum bis, sed etiam pluries liceat celebrare, si ita exigat causa necessitatis.

SVMMARIVM.

1. *Bis an pluries iteranda Missa, si ita exigat necessitas.* & num. seq.
   Dispensatio stricte accipienda.
   Pluralitas non requirit plusquam duo.
3. *Toties Missa iterari potest, quoties necessitas exigit.*
4. *Habens tres Parochias potest ter celebrare.*
5. *Explicat. cap.* Sufficit, De consecratione distinctione 1.
6. *Iterare Missam ex necessitate non est dispensatio.*
7. *Pluralitas beneficiorum cur intelligatur de duobus, quando fit dispensatio.*
8. *Pluralitas licèt contenta duobus plura tamen admittit.*

PRima sententia asserit, licere solum bis celebrare in die existente causa necessitatis. Ita Durandus *libr. 2. de Eucharist. ritibus cap. 7.* Palud. *in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 4.* Sotus *distinct. 13. quæst. 2. art. 2.* Syluester *verbo* Missa *1. quæst. 7.* Henriquez *lib 9. summ. cap. 30. num. 7.* Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 3. c. 16. num. 5.* D. Antonin. *3. part. tit. 13. cap. 6. §. 5. post casum 6. nat. 1.* Raimund *lib. 3. sum. tit. de sacrament. iteran. §. 13.* Angelus *verbo* Missa. *quæst. 46. in fine.* Tabiena *num 43. post med.* Armill. *num 25. in fine.* Victoria *in sum. vbi de Eucharist. num. 96.* Azorius *part. 1. lib. 10. cap. 24. quæst. 6. ver. Excipiat.* Nauar. *cap. 25. Manual. num. 88. ver. Notandum tamen.* Tolet. *lib. 2. cap. 3. casu 1.* Marchantius *in Tribun. sacram. tractat. 2. part. 1. tit. 4. quæst. 2. §. 3. dub. 2. ver. Aduertendum secundo.* Fundamentum est. Quia Alexander II. in cap. *Sufficit. De consecrat. distinct. 1.* interrogatus, an liceret pluries in die celebrare respondet sufficere vnicam Missam, vel vnam de die, & alteram pro Defunctis si necesse fuerit. Vnde stante necessitate duplicem Missam concedit. Et ideò Gloss. *ibid.* infert. *Ergo etiam in necessitate, non tres.* Secundo. Quia posse pluries celebrare, est dispensatio. Dispensatio autem est stricte accipienda c. 1. *De fil. Præsbyter. in 6.* vbi Gloss. *verbo* odiosam. Tertio. Si aliquis iubeatur prouideri de nouo beneficio licèt plura obtineat. Hæc pluralitas non excedit duo, cap. *Cui. §. Si vero. de Prabend. in 6.* Ergo dum conceduntur plures Missæ, concessio est intelligenda de duobus. Quartò. Pluralis loquutio est contenta numero duorum iuxta *reg. 40. de regul. iur. in 6.* Ergo concessio de pluribus Missis est contenta de duabus.

Secunda sententia asserit, posse iterari non solum bis, sed etiam pluries iuxta iterationem causæ necessitatis. Ita Suarez *disput. 80. de Eucharist. sect. 3. excep. 3. in fine.* Rodriquez *part. 1. sum. cap. 249. conclus. 5. casu 5.* Philior. *lib. 2. de offic. Sacerd. cap. 5. part. 1.* Reginaldus *lib. 29. Praxis fori pœnit. cap. 9. sect. 4. quæst. 2. casu 3. num. 112.* Layman *lib. 5. Theol. moral. tractat. 5. cap. 4. num. 6. ver Quæres.* Coninch *de sacrament. quæst. 83. art. 2. dub. 3. num. 213.* Palaus *part. 4. oper. moral. tractat. 22. disput. vnic. punct. 7. num. 10.* Filliucius *tractat. 5. num. 109.* Bonac. *disput. 4. de sacrament. quæst. vltim. punct. 7. num. 10.* Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 15. ver. Excipitur.* Lugo Cardin. *disput. 20. de Eucharist. sect. 1. num. 47.* Naldus *in sum. verbo* Missa. *num. 16.* Ledesma *part. 1. sum. tract. de Eucharist. cap. 19. part. 7. conclus.... ver. La secunda.* Thomas Hurtad. *part. 1. resolut. moral. tract. 2. cap. 7. resol. vltim. num. 430.* Leander *de sacrament. tract. 8. disput. 5. quæst. 41.* Gaspar Hurtad. *de sacrament. disput. 4. de sacrific. Miss. difficult. 3. ver. Primus ergo casus.* Dicastil. *de sacrament. tract. 5. disp. 4. dub. 2. num. 51.* Trullench *lib. 3. de sacrament. cap. 8. dub. 10. num. 4.* Vericel. *De mission. Apostol. tract. 4. quæst. 78. dub. 19. num. 203.* Franciscus Lugo *de sacram. lib. 5. cap. 5. quæst. 4. num. 43.*

Dicendum

3 Diceodum est. *Posse teties celebrari in die quoties exigit necessitas, & preinde ter etiam aut quater, aut etiam quinquies. Si ita exigat causa necessitatis.* Prob. ex eap. *Consuluisti, tit. de celebrat. Miss.* Vbi cum Pontifea statuisset, quod quisque Sacerdos debet in singulos dies voicam tantum Missam celebrare, possit exceeptionem. *Nisi aliter causa necessitatis suadeat.* Ex qua aaceptione sequitur, quod liceat, plusquam bis celebrare; si ita necessitas exigat. Primò. Quia excludit indefinitè causam necessitatis, nec determinat ad duas Missas; & proiude relinquit determinarionem exigentiæ necessitatis. Secundò. Quia omnes easus oecessitatis eacipiuntur à lege, & ideò si fuor plures, quam duo, itavt requirant plusquam duas Missas, harum Missarum celebratio erit excepta à lege. Tertio. Quia tantum licet, quantum eacipitur; dum autem eacipitur causa necessitatis, excipiuntur omnes easus, in quibus militat causa necessitatis, & proiude ex vi eaceptionis remanet concessus ille numerus Missarum, qui requiritur pro casibus necessitatis. Quarto. Causa necessitatis quæ requirit secuudam Missam, potest etiam requirere tertiam, imò potest esse maior necessitas pro tertia, quam pro secunda: ergo si causa finalis exceptionis est relinquere, quod consuli possit necessitari, exceptio habebit locum, non tantum pro secunda, sed etiam pro tertia, quia dispositio tantum se extendit, quantum se extendit eius causa finalis.

4 Confirm. Si quis haberet tres Parochias sibi commissas regendas, & posset tantum bis celebrare singulis diebus festis, vna Parochia remaneret sine Missa, si non posset habere Sacerdotem, qoi suppleret. Et non esset maior ratio de vna, quàm de alia, quia omoibus æque obligatus est ratione muneris, nec maior necessitas est in vna, quàm in alia: ergo cum eadem causa militet in omnibus tribus, dicendum est, quod possit in omnibus celebrare; alioquin restrictio ad duas raorom esset contraria causæ finali eaceptionis, atque adeo ipsi exceptioni. Nec dici potest quod non debeant eidem committi tres Parochiæ, quia potest necessitas hoc exigere, itavt aliter fieri ooo possit.

5 Ad 1. Ex eapite. *Sufficit. de consecrat. distinct. 1.* Resp. Quod quando Pootifea dicit. *Quidam tamen pro Defunctis vnam faciunt & alteram de die, si necesse fuerit*, hoc est, si aliàs debeant celebrare pro Defuoctis, nihil disponit, sed narrat factum aliquorum, nec improbat. Vode ex eo, quod non est dispositum, sed narratum, oon licet sumere argumentum. Vnde ipse ibi solum disponit de celebratiooe vnius Missæ; & ideo standum est dispositioni, cap. *Consuluisti. de celebratione Missar.* vtpotè posteriori. Deinde cum elausula, *Si necesse fuerit*, referatur ad celebratiooem pro Defunctis, quæ coniungebatur cum celebratione de die, si necesse erat pro illis celebrare, si disponeret, dispositio caderet solum pro casu necessitatis celebrandi pro defunctis, vnde noo faceret ad easum. Illatio autem Glos. valet tantum io casu, io quo ibi teat. vt oimirum io casu necessitatis celebrandi pro Defunctis non liceat celebrare tres, de aliis autem casibus necessitatis secondum dictum cap. *Consuluisti.* Nihil habet.

6 Ad secundam negatiooem, quod posse pluties celebrare sit dispensatio & ideò corruunt omnia, quæ afferuntur de dispensatione strictè interpretanda. Quod autem non sit dispensatio, eo manifestum fit, quod dispensatio est relaxatio legis obligantis pluries celebrare. In casu autem necessitatis non est licitum ea relaxatione legis, sed ex se seclusa prohibitione: prohibitio autem non cadit supra pluries celebrare in easu necessitatis, qoia lex id non prohibet, sed excipit à prohibitione. Et proinde est casus non comprehensus sub lege, sed relictus naturæ suæ.

Ad tertiam negatiouem consequentem. Nam quando Pontifex iubet, aliquem prouideri de beneficio, licèt plura obtineat, dispensat semper pluralitate beneficiorum, & ideò pluralitas intelligitur de duobus: quia dispensatio est strictè accipienda. At in Capite, *Consuluisti, de celebratione Missar.* Nec dispensatur, nec conceditur celebratio plurium Missarum, sed restringitur lex prohibitiua, vt oon comprehendat casum necessitatis; & ideo pro easu necessitatis relinquitur illa facultas, quæ conuenit ea oatura rei, quæ est indefinita, oec magis est ad duas, quem ad plures Missas. 7

Ad 4. Pluralem loquutionem esse quidem contentam duobus, non tamen respicere plura, sed admittere etiam infinitam. Vnde quod non admittat nisi duo, aliunde probandum est, & ideò non rectè infertur consequent. Quia etiam dato, quod lex concederet plures Missas probandum esset, quod ista pluralitas non admitteret nisi duas. Verum, vt dictum est, non concedit; sed excipit casum necessitatis, in quo relinquit facultatem celebrandi, quæ aderat ante prohibitionem. 8

QVÆSTIO 390.

An requiratur maior necessitas ad celebrandum ter, quàm ad celebrandum bis.

SVMMARIVM.

1. *Maior necessitas requiritur secundum aliquos ad celebrandum ter, quàm ad celebrandum bis.*
2. *Circa quem sufficit ad celebrandum bis, sufficit etiam ad celebrandum ter.*
3. *Prohibitio pluries celebrandi relinquit casus necessitatis in suo statu.*
4. *Praxis celebrandi ter Missas in Anglia per eundem.*
5. *Existente eadem causa necessitatis non solum bis, sed etiam pluries potest Missa iterari.*

CAstro Palaus *part. 4. Oper. moral. tractat. 22. disput. vnic. punct. 7. num. 11.* Vult requiri causam maioris necessitatis ad celebraodum ter, quàm ad celebraodum bis, & adhuc maiorem ad celebrandum quater, quàm ad celebrandum ter, & sic deinceps. Fuodamentum est; quia quò celebratio est minus vsitata, eò maior causa reqoiritur trina autem, aut quaterna celebratio est valdè rara, aut nunquam in vsu. 1

Cæterum existimo, *Quod causa, qua sufficit pro secunda celebratione sufficit etiam pro tertia, nec necesse sit quod sit grauior.* Quod cogitur fateri Palaus in casu de Parocho habente tres Parochias, qui etiam secundum ipsum poterit io singulis celebrare, & tamen militat eadem causa quoad omnes, nec est grauior quoad vnam, quàm quoad aliam. Quod etiam significabat Leo Papa *Epist. 81. cap. 1. ad Discorum*, in alio casu, quando scilicet in aliqua festiuitate adest magnus concursus populi, & voicus tantum Sacerdos, nam vult posse celebrare Missam toties, quoties Ecclesia populo impleta fuerit. Vode eadem causa, quæ sufficit pro secunda celebratione sufficiet etiam pro tertia. 2

Ratio autem est. Quia non agitur de dispensatione aliqua, vt fortè putant Palaus, itavt dispensatio pro tertia celebratione tanquam maior requirat 3

maiorem

maiorem causam. Sed agitur de facultate, quæ conuenit seclusa prohibitione, siquidem lex prohibitiua excludit causam necessitatis, quam vult remanere in suo statu, in quo erat ante prohibitionem, seclusa autem prohibitione non requirebatur maior causa pro trina celebratione, quam pro secunda. Deinde, si tertia celebratio habet causam necessitatis, quam habet secunda remanet exclusa à lege probibente: ergo remanet pro ipsa facultas ad celebrandum.

4 Neque casus est ita rarus vt supponit Palaus. Imò in Anglia Capellanus Oratoris Veneti ante vltimam reuolutionem illius regni solebat in ejus capella, vt etiam testatur Venircellus, se audiuisse ab Oratore Veneto Aloysio Contareno ad Regem Angliæ *de miss. Apost. tract. 4. quæst. 98. dub. 19. num. 205. ver. Resp.* pluries in die celebrare. Imò Capellanus dicti Oratoris sex Missas celebrabat singulis diebus, & ex ea tantum causa, vt satisfaceret Catholicis confluentibus. Quod etiam priuilegio Pontificis stabilitum fuerat. Vnde ex hoc constat, & de praxi, & de auctorizatione summi Pontificis mediante priuilegio; & quod causa, quæ sufficit pro secunda celebratione sufficit etiam pro tertia, & quarta; siquidem omnes istæ sex Missæ, celebrabantur ab eodem Capellano, ea sola de causa, vt satisfieret Catholicis confluentibus.

5 Ex dictis colligitur, cur existente eadem causa necessitatis possit non solum bis sed etiam pluries celebrare & non possit habens plures Parochias pluries celebrare in diebus ferialibus, vt dictum est in superioribus. Ratio enim est quia Parochus potest pluries in die celebrare. vt satisfaciat muneri proprio erga Parochianos: vt autem satisfaciat non requiritur quod iteret Missam in diebus profestis, sed sufficit quod modo in vna, modo in alia Parochia celebret: an in terris, vbi non est liberum exercitium religionis Catholicæ cum pauci possint simul conuenire ad Missam audiendam, est necessaria multiplex iteratio in eodem die, præsertim quia quinto die conueniunt, non possunt aliis diebus conuenire.

QVÆSTIO 391.

Quomodo sit iudicandum de consuetudine circa iterationem celebrationis Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Vnde iudicandum adesse, vel non adesse consuetudinem iterandi Missam.*
2. *In casibus vera necessitatis non adest consuetudo non iterandi Missam.*
   In materia facultatiua requiritur prohibitio, & acquiescentia ad inducendam consuetudinem.
3. *Communis sensus, quod non liceat iterare Missam non adest, nec acquiescentia respectu ipsius.*
4. *Actus procedentes ex ignorantia, aut errore non inducunt consuetudinem.*
   Errantis nulla est voluntas.
5. *Ex causa necessitatis & modo licèt iterare Missam.*
6. *Multitudo Sacerdotum excludit casus necessitatis, non autem tollit facultatem pro ipsis relictam.*
7. *Discrimen inter tempus præsent, & antiquum quoad iterationem Missæ.*

1 IN superioribus dictum est. Quod plures casus, in quibus locum habere potest iteratio Missæ olim erunt in vsu; sed modo stante multitudine Sacerdotum; amplius non sunt in vsu, difficultas insurgit, quomodo iudicandum sit de consuetudine circa hanc materiam, & discernendum quando adest vera consuetudo, vel non adsit: cum ex hoc dependeat resolutio plurium casuum, qui succedere possunt. Layman *lib. 5. Theol. moral. tractat. 5. cap. 4. num. 6. ver. Circa hos casus.* Thomas Hurtad. *part. 1. resol. tractat. 2. cap. 7. resolut. 7. num. 437.* docent, quod non potest dici consuetudo introducta ex eo, quod stante multitudine Sacerdotum per plures annos non occurrerit casus. Vel quod, si occurrerit, aliqui non fuerint vsi facultate, quæ in dictis casibus conuenit ex ignorantia, vel etiam noluerit vti. Sed adhuc vigere consuetudinem, quia non introducitur opposita, nisi ex actibus factis cum scientia, & ordinatis ad hunc effectum, nec aliqui nolendo vti facultate potuerunt præiudicare. Quia non possunt aliis præiudicare qui noluerunt vti.

Itaque dicendum est. *Non adesse consuetudinem obligantem ad non iterandam Missam in casibus vera necessitatis*, etiam vbi adest copia Sacerdotum. Necessitas autem intelligitur iuxta cap. *Consuluisti de celebrat. Missarum.* Ratio est. Quia in dicto cap. *Consuluisti.* relinquitur libera facultas iterandi celebrationem Missæ in causa necessitatis: & proinde remanet in potestate Sacerdotis iterare, vel non iterare Missam, atque adeò reducitur potestas ad actum facultatiuum. Quando autem sumus in materia facultatiua non inducitur consuetudo, nisi interueniat prohibitio illius, cuius interest, & aquiescentia, vt tradunt Abbas *consil. 54. num. 3. part. 1.* Innocent. *in cap. Cum Ecclesia. De causa possess. & propriet.* Ripa *ibid. num. 45. & 68.* Gambat. *de offic. & potest. legato. lib. 2. tit. de sacrament. ordin. num. 133.* Castrens. *in l. Qui luminibus num. 2. ver. Sed tamen. ff. de seruit. vrban. prædior.* Seraphin. *decis. 1086. num. 1.* Pegna *decis. 663. num. 3. part. 1.* Rota *decis. 530. num. 2. part. 2. Recent.* & alij cum Glos. *in c. Consuetudo. verbo* Institutum *dist. 1.* Quæ conditiones, cum non concurrant in præsenti, quia cum facultas relicta sit à iure communi debuisset prohibitio prouenire à sede Apostolica, de qua tamen nulli constat.

Nec dici potest, quod, postquam creuit multitudo Sacerdotum communis sensus inualuerit; quod non liceret iterare celebrationem, & quod hic communis sensus habuerit vim prohibitionis, cui acquieuerint Sacerdotes. Nam in primis de isto communi sensu non constat, sicut nec etiam de acquiescentia Sacerdotum. Imò constat de opposito. Quia semper Doctores admiserunt aliquos casus, in quibus de iure liceret iterare celebrationem, quod sufficit, vt non adfuerit iste communis sensus. Deinde aliud est, quod communis sensus ex multitudine Sacerdotum iudicet, non adesse modo illos casus necessitatis; & aliud, quod, si adsint, non possit iterari celebratio. Primum ad summum locum habere potest, quia notum est vnicuique, quod multitudo Sacerdotum excludit plures casus necessitatis. Secundum non habet locum, stante, quod Doctores assignent aliquos casus necessitatis, in quibus etiam modo iterari potest celebratio Missæ, etiam ij, qui strictissime in hac materia processerunt. 3

Nec item obstat, quod occurrente casu plures noluerint de nouo celebrare, quia putauerint hodie non licere. Nam dato etiam, quod maior pars ita practicauerit, & proinde videtur inducta consuetudo, quia adfuit prohibitio saltem putatiua, & acquiescentia maioris partis, non potuit tamen per hos actus induci consuetudo. Nam vti actus processerunt ex ignorantia, & errore putantium, adesse prohibitionem, Actus autem ex ignorantia procedentes non possunt inducere consuetudinem Glos. 4

in cap. fin. de consecratione. Cardin. *ibid.* Innocent. *in Rubrica de consecratione, num.* 4. Gloss. Ciuil. *in leg.* 2. *Cod. Quæ sit causa consecrat.* Barthol. *ibid. quæst.* 11. Bald. *in l. de quibus. ff. de legibus.* Ex quo etiam textus id desumitur. Quia cum vis consuetudinis, vt *ibid* fundetur in consensu populi volentis inducere consuetudinem obligantem, vbi est error, aut ignorantia, deficit consensus. Quia errantis nulla est voluntas, *l. Si per errorem ff. de iurisdict. omn. iud.* & *l. Si procurator. ff. de acquir. rerum dominio.*

5 Dicendum secundùm. *His quoque temporibus occurrentibus casibus necessitatis licere iterare celebrationem Missæ non secus, ac tempore antiquo.* Ita Layman. *libr.* 5. *Theolog. moral. tractat.* 5. *cap.* 4. *num.* 6. ver. *Circa hos casus.* Suarez *disput.* 80. *de Eucharistia, sect.* 3. ver. *Est autem.* Rodriquez *in summ. part.* 1. *cap.* 149. *num.* 5. Franciscus Lugo *libr.* 5. *de sacrament. cap.* 5. *quæst.* 56. *num.* 38. ver. *Notant primò.* Et desumi potest ex Doctoribus, qui dicunt, quod casus, qui antiquitus fuerunt in casu, non abierunt in desuetudinem propter multitudinem Sacerdotum; nam volunt, quod multitudo Sacerdotum, non excluserit facultatem, sed quod non sinat, euenire illos casus necessitatis, qui antea contingebant.

6 Ratio autem est. Quia multitudo Sacerdotum non tollit facultatem relictam à iure pro casibus necessitatis; quia non est facultas concessa intuitu exigui numeri Sacerdotum, vt proinde cessante causa finali debeat & ipsa cessare, sed est facultas, quæ conuenit ex natura rei, seu ex facultate Sacerdotali, quæ est potestas offerendi sacrificium vniuersaliter, & absque vlla restrictione, & ideò, cum non fuerit restricta pro casibus necessitatis, remanet cum tota sua amplitudine, sed tantum ista multitudo Sacerdotum occurrit pluribus casibus necessitatis, quæ aliàs occurrerent: ergo non tollit, nec restringit facultatem; sed solum non sinit occurrere casus necessitatis: ergo si occurrant remanet eadem facultas, quàm antiquitus habebant Sacerdotes; & ideò poterunt eodem modo iterare celebrationem.

7 Est tamen aduertendum. Quod hoc est discrimen inter tempus præsens, & antiquum; quod in hoc, cum multitudo Sacerdotum operetur, quod raò admodum, aut ferè nunquam occurrat iterare Missam, cum maiori consideratione procedendum est, quàm antiquitus procedebatur; atque adeò non nisi ex vera, & graui causa necessitatis admittenda est. Antiquitus verò ex minori causa admittebatur tanquam quid consuetum, & quod administrationem causare non poterat. In regionibus verò, in quibus est penuria Sacerdotum ita vt, æquiparet penuriam antiqui temporis, eodem modo procedi poterit, ac procedebatur in tempore antiquo.

QVÆSTIO 392.

An, quando occurrit casus iterandi celebrationem, sit necessaria licentia Episcopi.

SVMMARIVM.

1. *Necessitas iterandi Missam relinquitur arbitranda.*
2. *Pro iteranda Missa est necessaria licentia Superioris, si pateat aditus.*
3. *Iudicium de necessitate iterandi Missam ex natura rei pertinet ad Superiorem.*
4. *Si non pateat aditus ad Superiorem arbitrabitur Sacerdos cum consilio, &c.*
5. *Regulares cum licentia sui Superioris possunt iterare Missam occurrente necessitate.*
6. *Episcopi sunt tantum delegati Apostolici ad tollendos abusus.*
7. *Missionarij pro iteranda Missa non indigent licentia, sed sufficiunt priuilegia.*

Ratio dubitandi desumitur ex cap. *Consuluisti de celebratione Missarum.* Vbi cum Pontifex ita prohibeat celebrationis iterationem, vt tamen excipiat causam necessitatis; occurrente dicta causa non videtur necessaria alia licentia Episcopi, quippe quando lex relinquit facultatem, non est necessaria alia licentia. Et cum lex non determinet casus necessitatis; relinquit determinandos arbitrio prudentis viri. Et proinde poterit quilibet prudens determinare iuxta c. *De causis. De offic. deleg.* 1

Dicendum est. *Quando patet recursus ad Episcopum, pertinet ad ipsum examinare causam necessitatis iterandi celebrationem, & decernere quid agendum quoad nos subditos.* Ita Sellalor. *quæstionum Canonicar. capite* 18. *numero vigesimo,* Barbosa *in Collect. ad decret. de seruand. & vitand. in celebratione Missarum, numero trigesimoseptimo, sectione vigesimasecunda, Concilium Tridentinum.* Vericel. *de missionibus Apostolicis, tractatu quarto, quæstione nonagesimaoctaua, dubio* 19. *numero* 202. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 5. *quæst.* 5. *n.* 58. ver. *Notant.* 1. *in fine.* & ita declarasse sacram Congregationem, *die* 17. *August.* 1626. testatur Sellalor. cit. 2

Ratio autem est. Quia licèt licentia sit à iure, vsus tamen licentiæ requirit maturam considerationem, quia iudicandum est de sufficientia causæ, & quamuis in dicto cap. *Consuluisti.* Hoc iudicium non sit alicui reseruatum, ex natura tamen rei pertinet ad Episcopum. Præsertim quia à Concilio Tridentino *in decreto de seruandis, & vitandis, in celebratione Missarum, sectione vigesimasecunda.* est ipsi iniunctum, vt inuigilet, ne in celebratione Missarum, committatur aliquis abusus, & ideò cum ad ipsum etiam aliàs pertineat curare, vt ea, quæ sunt suæ Ecclesiæ, recto ordine procedant pertinebit etiam iudicare de sufficientia causæ pro iteratione Missæ. 3

Hoc autem habet locum, vt dictum est, quando causa necessitatis permittit, vt recurratur ad Episcopus; aliàs quando necessitas vrgeret, poterit quisque arbitrari, an sit sufficiens causa iterandi Missam. Tunc enim necessitas sicuti excludit recursum, ita tribuit facultatem arbitrandi. Vnde in hoc casu poterit Sacerdos aut consulere aliquem virum doctum, aut se regulare secundum ea, quæ in hoc materia tradunt Doctores. Poterit tamen sequi quamcumque opinionem probabilem iuxta ea, quæ de opinione probabili communiter tradunt. 4

Dicendum 2. *Regulares posse iterare celebrationem Missæ, occurrente causa necessitatis cum licentia sui Superioris.* Ratio est. Quia superior succedit loco Episcopi quoad subditos, & ideò pertinet ad ipsum arbitrari de sufficientia causæ. Et cum Regulares sint exempti à iurisdictione Episcopi, non tenentur se illi submittere. Imò nec possunt, quia cederet in præiudicium exemptionis, atque adeò in præiudicium totius religionis & summi Pontificis. 5

Dices. Episcopi sunt delegati Sedis Apostolicæ in ordine ad ea quæ concernunt celebrationem Missarum per decretum Concilij Tridentini *sect.* 22. *De obseruand. & vitand. in celebrat. Missar.* Ergo pertinet ad ipsos tanquam tales concedere licentiam 6

Regularibus

Regularibos iterendi celebrationem Missæ, cum tanquam tales habeant iurisdictionem supra ipsos. Resp. Episcopos esse delegatos Sedis Apostolicæ in ordine ad tollendos abusus, qui succedere possunt circa celebrationem Missarum & ideò eorum iurisdictio delegata non habet locum, nisi existentibus abusibus, non autem ante ipsos. Ideò solum possent se ingerere, si succederent abusus in iteratione Missæ: non autem in danda licentia iterandi pro casibus necessitatis. Accedit etiam, quod sunt delegati pro fideli populo ibi. Ac etiam vt delegati, & fidelem populum compellant. Nomine aotem populi non veniunt Regulares, vt notant Zeehias *lib. 1. de Repub. Eccles. numero* 3. Tolozan. *libr. 5. Syntag. iur. cap.* 1. *numero* 3.

7 Quod tamen spectat ad missionarios, est aduertendum, quod ipsi non indigent aliqua speciali licentia, sed celebrare possuot iuxta tenorem suorum priuilegiorum, quia priuilegia supponunt examinatas causas, ob quas conceduntur. Quod si priuilegia requirant concursum aliquarum circumstantiarum pertinebit ad ipsos expendere, an concurrant huiusmodi circumstantiæ; quia cum priuilegia immediatè ipsis concedantur, & vsus ipsorum sit independens ab vnoquoque, neque etiam ab aliquo dependebit examinatio casus, an sit ille, pro quo est concessum priuilegium. Si verò se velint regulare secundum ius commune, si sint in loco, vbi est Episcopus, & sint sæculares erit necessaria licentia ipsius, quia ipse debebit examinare causam: secus autem, si non sint in loco, vbi adsit Episcopus. Regulares verò, si habeant præsentem superiorem, indigebunt illius licentia: secus aotem, si non habeant.

QVÆSTIO 393.

An ex priuilegio possit in eodem die pluries celebrare.

SVMMARIVM.

1. *Antiquitus quibus diebus pluries celebrabatur.*
2. *In commemoratione omnium Defunctorum quisque bis celebrat in Regno Valentiæ.*
3. *An exteri possint vti hoc priuilegio, si ibi reperiantur.*
   Consuetudo localis potest seruari ab exteris.
4. *Priuilegium Valentiæ celebrandi bis in die Defunctorum est locale.*
   Obseruantia interpretatur omnem dispositionem.
5. *Aliud priuilegium pluries celebrandi pro Regno Valentiæ.*
6. *Priuilegium restrictum ad locum communicatur cum eadem restrictione.*
   Religiosi omnes Regni Valentiæ vti possunt dicto priuilegio.

1 INtelligitur de celebratione extra casus necessitatis. Est autem supponendum, quod antiquitus etiam post prohibitionem non pluries celebrandi, solebant tres Missæ celebrari in die Natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ, vt testatur Alcuinus, *de diuin. offic. cap.* 30. Amolorius Fortuoatus *lib. 3. de Ecclesiasticis officiis, cap.* 38. Baronius, *in notis ad Martyrologium Romanum ad diem* 24. *Iunij.* Similiter etiam in die Circumcisionis Domini duæ Missæ antiquitus celebrabantur, altera de Christo, altera de beata Virgine, quia eo die duo festa celebrabantur nempe patientis, & parti, vt desumitur ex Guillielmo Durando *de diuin. offic. lib. 6. cap.* 15. *num.* 16. Modo autem quæritur, an extet aliquod priuilegium pluries celebrandi his temporibus.

Pro Regno Valentiæ in Hispania extare priuile- 2
gium, seu potius consuetudinem, quod Clerici sæculares possint bis celebrare in die commemorationis Defunctorum. Semel pro Defunctis, & semel iuxta officium diei, testatur etiam de vsu Trullench Doctor Valentinus. *lib. 3. de sacrament. cap.* 8. *dub.* 10. *num.* 3. Et refert Thomas Hurtad. *pars.* 1. *resol. moral. tractat.* 2. *cap.* 7. *resol. vltim. num.* 417. sibi narrasse, quod Dux Alcala postulauit ab Vrbano VIII. vt extenderet priuilegium ad totam Hispaniam. Sed non potuit obtinere. Verum dict. Hurtad. confundit regnum Valentiæ cum Cathalonia, & dicit esse priuilegium ter celebrādi, cum tamen cæteri Doctores vltra Trullench natiuum dicant tantum bis. Vnde confundit hoc priuilegium etiam cum alio, de quo infra.

Circa boc priuilegium dubium est, an possint cæ- 3
teri illo vti, quando in dicto regno reperiantur, cum enim huiusmodi priuilegium non habeat locum extra regnum Valentiæ, habendum est pro priuilegio mixto ex locali, & personali, itavt sit concessum personis pro illo loco, & ideò participabit etiam conditiones priuilegij localis. Et quidem, si hæc repetita celebratio sit ex consuetudine, posse omnes aduenas, dum ibi commorantur se conformare consuetudini, non videtur in dubium reuocandum. Quia consuetudo localis, quamuis secuodum plures non obliget, potest tamen seruari iuxta cap. *Illa, dist.* 12 & iuxta ea, quæ tradunt Sanchez *lib. 3. de matrim. disp.* 18. *n.* 22. vet. *Verum probabilius.* Ioan. Sanchez *in select. de sacrament. disput.* 4. *num.* 28. Salas *disp.* 14. *de leg. sect.* 15. *num.* 63. Nauar. *cap.* 23. *Manual. num.* 120. Lessius *lib. 4. de iust. & iur. cap.* 2. *numero* 75. Henriquez *lib. 9. summ. cap.* 25. *num.* 2. Baldel. *tom.* 1. *Theol. moral. lib.* 3. *disp.* 31. *num.* 8. Cuius rei, ratio est, quia cum consuetudo habeat rationem legis potest se illi accommodare, & si sit contra legem, sicuti illi derogat pro tali loco, ita etiam sequi illum potest quisquis est in loco, quamuis Aduena, liceat in eius domicilio vigeat ius ibi derogatum, vt notat etiam Couuarru. *lib. 4. Variarum cap.* 30. *num.* 8. Rocaful. *in praxi tract. 6. de præcep. Eccles. lib. 3. cap.* 10. *num.* 202.

Si autem ista iterata celebratio sit ex priuilegio 4
ex eo, quod, vt constet ex praxi, non habet locum extra Regnum oportet, quod sit priuilegium saltem æquè principaliter concessum loco, iuxta ea, quæ tradunt Bald. *in l.* 1. *n.* 13. *Cod. de sum. Trinit.* Bartolus, & alij *ibid.* Innocent. *in cap. Bonæ.* 2. *in fine. de postulat. Prælat.* Socinus *in l.* 2. *num.* 4. *ff. de rebus dub.* . . . Ancharan. *in cap. Priuilegium. circa finem de reg. iur. in* 6. Barbosa *in l. Quia tale. num.* 40. *ff. Soluto matrim.* qui alios citat. Et proinde tanquam priuilegio locali poterunt toti etiam aduenæ, vt de priuilegio locali, tradunt communiter cum Gloss. *in Clement.* 1. *verbo* Excolendas *in fin. de decim.* Melios tamen erit ad remouendam omnem difficultatem conformare se praxi, & obseruantiæ, quæ optimè omnem dispositionem interpretatur *l. Si de interpretatione,* & *l. Minimè. ff. de leg.* & *l. Certi iuris. Cod. de indic.* & cap. *Cum dilectus. De consuetudine & obseruantia comm.* Baldus *in cap.* 1. *de feud. sine culpa.* Bartolus *in l. Diuturna. ff. de leg.* Abbas *in cap.* 1. *num.* 14. *de consumtion.* Decian. *resp.* 35. *num.* 153. Berotus *consil.* 91. *num.* 16. *vol.* 3. Ruinus *consil.* 36. *numero sexto, numero primo,* Parisius *consil.* 35. *num.* 25. *lib.* 1. Mardellus *consil.* 62. *num.* 9. Lofred. *consil.* 36. *n.* 8.

Aliud quoque priuilegium pro regno Valentiæ, re- 5
fert Rodriq. *part.* 1. *sum. c.* 249. concessum Dominicania celebrandi tres Missas io eo die commemorationis Defunctorum, testans dictum priuilegium esse ibi in

Digitized by Google

vsu; addens, quod ipse quoque dum Valentiæ commoraretur, celebrasse eo die tres Missas. De quocunque priuilegio constat, quod sit restrictum loco, cum, extra ipsum priuilegiati eo non vtantur. Vnde etiam tanquam priuilegio locali isti poterunt; omnes religiosi illius ordinis, dum in dicto Regno morantur.

6 Cum autem sit priuilegium concessum Religiosis, communicabitur omnibus aliis Religiosis habentibus communicationem priuilegiorum in ordine tamen ad idem regnum. Nam in communicatione non plus conceditur, quàm concedatur in primaria concessione. Vnde cum in primaria concessione priuilegium sit secundum se restrictum ad locum, & pro loco, venit per communicationem cum eadem restrictione, vt obseruant Suarez *lib.8.de leg. cap.17. num.2.* Merol. *tom. 3. Theol. moral. disput. 6. cap. 4. dub. 2. num. 15.* Et ideò poterunt huiusmodi religiosi vti in regno Valentiæ hoc priuilegio, sicut fuit vsus Rodriquez *num. praced. citatus*, licèt non esset ordinis Prædicatorum, atque adeò participauerit solum per communicationem. Et ita docent etiam. Ledesma *part. 1. sum. cap. 19. de Eucharist. concl.7.* Leander *de sacrament. tract. 8. disp. 5. quæst. 42.* qui etiam citat Marcum de Los Huertos *de sacrific. Missa, quæst. 13.* Docentem hoc priuilegio, gaudere etiam Conuentum D. Iacobi Ciuitatis Pampilonensis qui est P. Dominicanorum. Vnde gaudebunt etiam alij Religiosi in dicta Ciuitate, si habent communicationem priuilegiorum.

QVÆSTIO 394.

Qua pœna puniendus sit qui pluries in die celebrat Missam.

SVMMARIVM.

1. *Pœna celebrantis pluries in die est arbitraria.*
2. *Pœna debet infligi commensurata delicto.*
   Circumstantia attendendæ in puniendo pluries in die celebrante.
3. *Delictum pluries celebrantis an pertineat ad Tribunal inquisitionis.*
   Non promotus ad Sacerdotium, si celebret puniendus ab inquisitoribus.
4. *Qui putauit ex causa sibi licere iterare Missam, dimitti potest absque pœna.*
   Sumenda interpretatio exclusiua delicti.
5. *Religiosus iterans Missam puniendus à superiore, non ab Episcopo.*
6. *Iterans Missam non ieiunus grauius puniendus.*

1 PRocedit quæstio de eo, qui celebrat pluries absque legitima causa, & difficultas oritur ex eo, quia nec in cap. *Consuluisti.* Neque in cap. *Te referente. de celebrat. Missar.* vbi habetur prohibitio pluries celebrandi, neque etiam alibi in iure habetur taxata aliqua pœna. Dicendum ergo est. *Pœnam huius delicti esse iudicis arbitrariam.* Ita Diaz *in pract. crimin. cap.35. num.2.* Menoch. *de arbitrariis casu 407. n.51. Centur. 5. lib.2.* Genuen. *in Praxi Neapol. cap.64. n.2.* Mirand. *tom. 1. Manual. quæst. 40. art.8. conclus.2.* Vasquez *3. part. disp. 232. cap. 5. num. 48.* Possevin. *de offic. Curat. cap. cap. 2. num.7.* Filliuc. *tract. 5. c.4. quæst. 6. num. 109.* Bartholom. ab Angelo *Dialog. 5. §. 225. §. 228.* Bonac. *disp.4. de sacrament. quæst. vlt. punct.7. §. 5. num.10. ver. Verum, vt dixi.*

2 Quia autem tenetur iudex infligere pœnam commensuratam delicto. *l. Pedius. ff. de incend. ruin. & Naufr.* & *l. Respiciendum. ff. de pœnis.* & *l. Sancimus. Cod. de pœnis.* & cap. *Afferamus 24. quæst. 1.* Non poterit Iudex eadem pœna omnes delinquentes hoc delicto punire, sed debebit diligenter attendere ad omnes circunstantias, quæ augere, vel minuere possunt qualitatem delicti, vt notant Diaz, & Menoch. *num. precedent. citati.* Nam quò malus est scandalum, & maior publicitas delicti, eò maior debebit esse pœna. Rursus etiam respiciendum erit ad causam, seu motiuum, quo motus fuit ad delinquendum, nam ex quoquo capite augeri potest, vel minui delictum. Præterea si semel, aut pluries hoc delictum commiserit, nam hæc omnia, & alia huiusmodi conducunt ad augendum, ad minuendum delictum, atque adeo etiam pœnam.

An autem hoc delictum pertineat, ad tribunal Inquisitionis, negatiuè est resoluendum, nisi vestiatur aliqua circunstantia. Quæ faciat ipsum sapere, hæresim, sed erit puniendum ab Episcopo. Ratio est. Quia de se est aliquid licitum ex obiecto, & solum malum quia prohibitum, quod ex eo conuincitur, quia antiquitus plures Missæ celebrabantur ab eodem, & nunc etiam in Natali Domini, & alicubi aliquæ alio die ea priuilegio, vt dictum est, & etiam vbique in casibus necessitatis. Vnde cum delictum sit solum contra simplicem prohibitionem Ecclesiæ, non potest generare aliquam suspicionem Hæresis. Et ideò non pertinet ad Tribunal Inquisitionis. Quod etiam confirmatur ex eo. Quod si non promotus ad Sacerdotium celebraret Missam, ita puniendus est ab Inquisitoribus ex *constitut.* 81. Clement. VIII. *tom. 3. Bullar.* Ita tamen puniti possit ab Ordinariis locorum, vt constat *ex §. 3. eiusdem constit.* 161. A Iudicibus S. Inquisitionis, vel locorum Ordinariis: ergo si hoc delictum quod sapit hæresim, non subtrahitur iurisdictioni Ordinariorum, multò minus subtraheretur delictum repetendi sine causa Missæ celebrationem. 3

Ex dictis colligitur. Quod si quis repeteret celebrationem Missæ ea aliqua causa, ratione cuius putaret sibi licere quamuis reuera non liceret, nisi constaret, quod malitiosè se gessisset, posset dimitti absque vlla pœna. Quia, cum in tali casu sumi possit interpretatio, quæ excludat delictum, debet etiam sumi. *l. Merito. ff. Pro socio.* & cap. *finali. de præsump. & obseru.* Alexander *consil.119. per totum. lib.4.* Mascard. *de prob. conclus.* 1418. *num.* 2. Et proinde cum subintret, quod bona fide processerit locum non habet pœna *l. si seruum. §. Prætor. ff. de acquirenda hæredi.* & notat Crauetta *consil. 8. num.31.* 4

Secundò colligitur. Quod si quis Religiosus committat hoc delictum, erit puniendus à suo superiore Regulari. Quia cum non sit delictum spectans ad Tribunal Inquisitionis non ei prohibetur se ingerere, & aliàs tanquam Iudex ordinarius potest cognoscere de delictis suorum subditorum. Nec poterit se ingerere ordinarius virtute delegationis Concil. Trident. *in decreto de seruand. & vitand. in celebrat. Missar. sess. 22.* Quia præterquam quod est limitata, quoad regulares circa celebrationem extra Ecclesias, & oratoria diuino tantum cultui dicata, vti notaui in obser. ad Lauretum de Franchis *part 1. n.8.* ver. *Hoc decretum.* absolutè est tantum ad Impediendos abusus, qui circa Missar. celebrat. reducuntur ad auaritiam, vel irreuerentiam, vel separationem, non autem ad puniendos alienos subditos, si commiserint, nisi fortè tanquam delegati prius sub aliqua pœna inhibuerint. Accedit etiam, quod hoc delictum, nisi commissum sit ob lucrum stipendij, quia tunc reducetur ad auaritiam, non potest reduci ad aliquod ex illis tribus capitibus. Imò neque reduceretur ad auaritiam, si egestate compulsus iteraret Missam, quia tunc motiuum celebrandi non esset auaritia, sed subleuatio propriæ necessitatis. 5

Tertiò

6 Tertiò colligitur. Quod si quis iteraret Missam non ieiunus, quod vt plurimum accidit, quia malitiosè hoc delictum committentes sumūt ablutionem, ne se prodant, grauiùs erit puniendus, quia committit duplex delictum: alterum contra præceptum non celebrandi, nisi præmisso ieiunio naturali, quod est grauiùs, vtpotè quia præceptum strictiùs obligat, vt ex eo constat, quod Doctores excepto, quando agitur de complendo sacrificio, quod per inchoatorem compleri non potest, in tantissimis casibus, aut in nullo à Doctoribus conceditur, posse celebrari à non ieiunis. An autem in hoc delicto possit se ingerere tribunal Inquisitionis standum est praxi.

QVÆSTIO 395.

An iterans Missam sine legitima causa puniri possit pœna pecuniaria.

SVMMARIVM.

1. *Iterans Missam sine causa puniri potest pœna pecuniaria.*
   In pœna arbitraria habenda ratio personæ.
   Pœna arbitraria moderari potest iuxta subiectam materiam.
2. *Quæcunque pœna corporalis maior quacunque pecuniaria.*
3. *Pœna corporalis misceri potest cum spirituali.*
   Pœna pecuniaria commensuranda bonis reorum.
   In arbitranda pœna æquitas attendenda, & conscientia.

1 Dicendum est. *Iterantem Missam puniri posse pœna pecuniaria*, quod præcipuè locum habebit si delinquens sit persona nobilis, aut litteris insignis. Ratio autem est; quia pœna huius delicti est Iudici arbitraria: & ideò non est ad hanc, vel illam speciem determinatam, proinde sufficit, quod in vna specie sit proportionata delicto. Nam cum in arbitrariis sit habenda ratio personæ, quæ venit ponienda, vt obseruat Bart. *in l. si societatem*, § *Arbitrorum*, *num.* 18. ver. *Idem inquantum*, *ff. Pro socio.* potest, si qualitas personæ ita exigat, imponere pœnam pecuniariam; præsertim quia potest suum arbitrium moderari, vt pariter subiecta materia, vt tradunt Roman. *Consil.* 376 ver. *Debet autem.* Decius *in l. Si fugitiui*, *num.* 93. *Cod. de ser. fugit.* & alij cum Gloss. *in l. Fas causas*, *ff. de cond. & demonstrat.*

2 Est tamen aduertendum, quod qualibet pœna corporalis licet leuis, est maior quacumque pecuniaria, *l. In seruo*, *ff. de pœn.* & notant Barthol. *in l.* 1. *in fin. ff. de pœn.* Iason. *in repet. leg. Admonendi*, *num.* 11. *de iureiurand.* Decius *in l. Si quis*, *num.* 24. *ff. de iurisdic. om. iud.* Grammaticus *voto* 23. *num.* 12. quos sequitur Menoch. *de arbitr. quæst.* 90. *num.* 39. *lib.* 1. ita æquitas in imponēda hac pœna erit seruanda, vt tamen habeat proportionem aliquam cum pœna temporali, quæ alias esset infligenda; alioquin, si esset nimis leuis non seruaretur proportio pœnæ ad delictum, quam iudex inferior tenetur seruare, nec poneretur delicto illud frenum, quod ex munere proprio tenetur iudex imponere.

3 Quia tamen fieri potest, quod non possit imponi pœna pecuniaria correspondens delicto eo, quod rei fortuna stricta sit, poterit misceri aliqua pœna corporalis, aut spiritualis, qualis esset suspensio à celebratione, itavt ex vtraque simul fiat pœna æquiualens. In pœna pecuniaria erit attendendum, quid reus habeat in bonis, nam fieri potest, quod centum aurei respectu vnius sit maior pœna, quàm mille, & duo millia respectu alterius eo, quod ille soluens centum aureos, plus incommodetur, quàm alius soluens mille, aut duo millia. In pœnis autem attemperandis, vt sint proportionatæ delictis, non tantum attendi debent secundum se, quantum cum ordine ad subiectum habita ratione incommodi, quod ipsi afferunt, & ideò cum Iudex in arbitranda pœna potius æquitatem attendere debeat, & procedere secundum propriam conscientiam, vt habet Menoch. *de arbitrar. quæst.* 14. *num.* 9. *lib* 1. debebit attendere ad incommodum, quod pœna affert vnicuique.



DE HORA, IN QVA MISSA celebrari potest.

INTER alia, quæ Concil. Trid. iniungit Episcopis, vt curent seruari in celebratione Missæ est, Ne Sacerdotes aliis, quàm debitis horis celebrent, vt habetur *sess* 22. *in Decreto de seruand. & vitand. in celebrat. Miss.* De his igitur debitis horis, in quibus celebrare licet, modo agendum est, & inquirendum, quid de iure, & quid ex priuilegiis liceat.

QVÆSTIO 396.

Qua hora diei liceat incipere celebrationem Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Hora stabilita pro celebratione Missæ.*
2. *Aurora est terminus, à quo celebratio Missæ incipere potest.*
3. *Congruitas huius temporis.*
4. *Nocturna celebratio Missæ quando vsitata.*
5. *Obligatio non celebrandi ante auroram non desumitur ex Bulla Pij V.*
6. *Hæc obligatio an sit sub mortali.*
7. *Grauitas huius obligationis vnde desumatur.*
8. *Concil. Trident. vult seruari debitas horas in celebratione Missæ.*
9. *Celebrare Missam vespertino tempore est peccatum mortale.*

IN Rubricis Missalis *part.* 1. *tit.* 15. Ita statuitur. *Missa priuata saltem post matutinum, & laudes quacunque hora ab aurora vsque ad meridiem dici potest.* Vnde constat, terminum, à quo incipere potest celebratio, esse auroram, quod etiam confirmat praxis Ecclesiæ, & communiter talis terminus agnoscitur à Doctoribus pro legitimo, & canonico, & ita in specie tradunt D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *artic.* 2. *ad* 4. & *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæst.* 4. Richar. *art.* 2. *quæst.* 3. Durand. *quæst.* 2. *num.* 7. Sotus *quæst.* 2. §. *Tertium principale.* Palud. *quæst.* 2. *art.* 2. *conclus.* 2. Sotus *quæst.* 2. *art.* 3. §. *Quartò arguitur.* Alens. 4. *part. quæst.* 10. *mem.* 5. *art.* 2. §. 2. Gabr. *lect.* 14. *in Can. Miss. littera C.* D. Antonin. 3. *part. tit.* 13. *cap.* 6. §. 4 ver. *Quantum ad horam.* Angelus *verbo* Missa, *num.* 41. Syluester *verbo* Missa 1. *quæstione* 6. Tabiena *num.* 5. 1

Armilla *num.* 2. Victoria *num.* 97. Durandus *lib.* 4. *Rational. diuinor. officior. cap.* 1. *num.* 20. Nauarrus *cap.* 25. *Manualis*, *num.* 85. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *c.* 25. *quæst.* 1. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 3. Bellarm. *lib.* 2. *de Miss. cap.* 14. *tit. de hora.* Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 24. *n.* 5. & *in comm. littera L.* & *S.* Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 250. *conclus.* 1. §. *Tertium.* Vasquez 3. *part. disput.* 232. *cap.* 3. *num.* 26. Suarez *disput.* 80. *de Eucharist. sect.* 4. *dub.* 1. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 1. Reginal. *lib.* 2. *praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 4. *quæst.* 9. *num.* 173. Miranda *tom.* 1. *Man. quæst.* 40. *art.* 10. Naldus *in sum. verbo* Missa. *num.* 21. Bartholom. ab Angelo *Dialog.* 5. *de Miss.* §. 647. Pirigtan. *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *art.* 4. Coninch *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 2. *dub.* ..... *num.* 217. Ioan. à Cruce *de statu relig. lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 6. Bonac. *de sacrament. disput.* 4. *quæst. vltim. punct.* 9. *num.* 1. Filliucius *tractat.* 5. *num.* 111. Lugo Cardin. *de Eucharist. disput.* 20. *sect.* 1. *num.* 24. Gaspar Hurtad. *de sacrament. disputat* 4. *de sacrific. Miss. difficult.* 4. Gauant. *in Rubric. Missal. part.* 1. *tit.* 15. *num.* 1. *littera L.* Auersa *quæst.* 11. *de Eucharistia*, *sect.* 15. ver. *Quarto.* Franciscus Lugo *de sacrament. lib.* 5. *cap.* 5. *quæst.* 6. *num.* 59. Lessius *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 2. Tit. *de tempore*, *num.* 74. Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disput.* 4. *dub.* 4. *num.* 52. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tractat.* 22. *disputat. vnic. punct.* 7. *num.* 12. Marcbin. *de sacrament. ordin. tractat.* 3. *part.* 3. *cap.* 7. *num.* 1. Bertis *de sacrific. Miss. quæst.* 2. *art.* 1. *dub.* 1. Hieronym. Garzia *in sum. tractat.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 1. *num.* 2. Amicus *tom.* 7. *Curs. Theol. disput.* 33. *sect.* 12. *num.* 325. Caspens. *tom.* 2. *Curs. Theol. moral. tractat.* 23. *disput.* 3. *sect.* 2. *num.* 59. Tanoer. *tom.* 4. *sum. disput.* 5. *quæst.* 10. *dub.* 4. *num.* 60.

2 Ex hoc ergo communi consensu Doctorum satis constat, quod Autora est terminus, quo celebratio Missæ incipere potest, siquidem etiam ante Rubricas Missalis, ita seruabatur, cum veteres Doctores hunc terminum assignent, & proinde, cum ita interpretentur consuetudinem tanquam habentem vim legis pro tali suscipienda est, cum inducta sit, aut ex ordinatione, seu institutione non scripta, aut ex communi vsu Ecclesiæ volentis facto ipso præscribere tempus rei determinatum pro celebratione.

3 Quod autem tale tempus congruum fuerit præter significationes mysticas, ex eo etiam deducitur, quod noctu celebrare est incongruum præsertim propter occasiones, quas peruersi homines arripere possent malè agendi, si noctu conuenirent ad audiendam Missam. Rursus cum in Missis soleat etiam distribui Eucharistia, præsertim antiquitus, extra quas non solebat distribui non debuit continuari Missarum celebratio vltra illam horam, in qua communiter solent homines prandere, & se reddere inhabiles ad suscipiendam Eucharistiam. Hæc autem hora est meridies. Accedit etiam, quod Ecclesia voluit claudere tempus celebrationis tempore destinato ad cibum corporalem, vt nimirum tempus cibi spiritualis, seiungeretur à tempore cibi corporalis.

4 Nec obstat decretum S. Thelesphori Papæ *in Epist. decret. cap.* 2. relatum in cap. *Nocte sancta*, *de consecrat. distinct.* 1. in quo ita statuitur. *Reliquis verò temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè sunt celebrandæ, quia & eadem hora Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus sanctus descendisse legitur.* Nam hoc fuit statutum in primitiua Ecclesia, quando in singulis Ecclesiis vnica tantum Missa, & occultè celebrari consueuerat, quia nondum Christiani habebant liberum exercitium religionis. Cum autem paulatim creuerit numerus Missarum cœpit etiam anticipari, & postponi celebratio ob commoditatem populi, vt posset manè, quando commodum esset, interuenire sacrificio, donec recepit celebratio pro termino inceptionis auroram, & pro termino complementi meridiem. In quo etiam facile consideratum fuit, quod redundat in maiorem splendorem Ecclesiæ, & cultus diuini si toto manè offerantur sacrificia.

5 Hic autem dubitatur, an obseruantia horum terminorum sit sub mortali, & quamuis nonnulli putent, desumi obligationem grauem ex *Constit.* 106. §. 3. Pij V. quæ etiam solet præfigi Missalibus, attamen reuera non potest desumi, nam ibi solum loquitur de norma, & ritu quo secundum suum esse intrinsecum Missa ordinatur: non autem de tempore extrinseco, vt constat ex verbis constitutionis, si rectè ponderentur. Ita enim habent. *Missam iuxta modum, ac normam, quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur, decantent, ac legant, neque in Missæ celebratione alias cæremonias, aut preces, quàm quæ hoc Missali continentur, addere, vel recitare præsumant.* Ex quibus constat, quod loquitur Pontifex de modo, ac norma, quæ correspondet decantationi, & lectioni, non autem de tempore, atque de Missa considerata secundum id, quod recitatur, prout includit etiam cæremonias, & ritus, cum quibus recitatur, nam hæ explicantur per modum; quod etiam declarant subsequentia verba, *Neque in Missa celebratione alias cæremonias, vel preces addere, vel recitare præsumant.*

6 Quod autem hæc obligatio non sit sub mortali, videtur sentire Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 46. *num.* 3. Secluso contemptu, communiter tamen volunt, esse sub mortali, & ita in specie obseruant Suarez *disput.* 80. *de Eucharist. sect.* 4. ver. *Quod autem hæc.* Amicus *tom.* 7. *Curs. Theolog. disput.* 33. *sect.* 12. *numero* 326. Garzia *in summ. tractat.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 1. *punct.* 1. *num.* 12. & cæteri supra citati, *n.* 1. id supponunt. Hoc autem debet intelligi accipiendo terminum Auroræ intra latitudinem, secundum quam accipiunt Doctores.

7 Hoc autem desumitur. Primò ex qualitate materiæ, quæ est grauis, & publica; siquidem sacrificium est cultus publicus, qui proinde non debet regulari secundum priuatas voluntates, sed secundum publicam normam, quæ, cum quoad tempus sit præfixa, & auctoritate Ecclesiæ auctorizata, grauiter læderetur finis politiæ Ecclesiasticæ, quæ est congruum regimen in rebus diuinis, si quis contrariter huic institutioni, vnde cum materia sit grauis, & ex eius substractione notabiliter lædatur politia Ecclesiastica, concurrunt omnia, quæ requiruntur ad obligationem grauem.

8 Secundo quia. Concilium Tridentinum: *sess.* 22. *in decreto de obseruand. & vitand. in celebratione Missarum.* Inter cætera, quæ tanquam graues abusus iniungit Episcopis, vt sub pœnis grauibus curent seruari, est, quod Missæ debitis horis celebrentur. Tertiò. Quia Pontifices non ita facilè dispensant circa horas stabilitas pro celebratione Missæ, & quando circa hanc materiam concedunt aliqua priuilegia, cum magna moderatione concedunt, concedendo solum limitatum tempus pro anticipatione, & concurrente aliqua causa. Quod apertè declarat, sentire, quod materia sit grauis, & grauis quoque obligatio. 9

Ex dictis colligitur, peccatum esse mortale celebrare Missas Vespertino tempore etiam anticipando Missam sequentis diei, quod etiam constat ex constitutione Pij V. quæ est 4. *Ipsius tom.* 2. *Bullar.* in qua reuocat licentias omnes, & facultates quibuscumque concessas pro Missis Vespertinis, & prohibet celebrari in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna perpetuæ suspensionis in diuinis. Ex quo patet, quod materia

materia seruandi horas debitas in celebrationa Missarum sit valdè grauis, dum, adeò districtè, & sub tam graui pœna prohibetur celebratio vespertina.

QVÆSTIO 398.

Quid intelligatur nomine Auroræ.

SVMMARIVM.

1. *Appellatione Aurora quodnam tempus veniat.*
   Aurora nec semper, nec vbique aqualiter durat.
2. *Certa quantitas temporis ante solis ortum an possit assignari in qua liceat celebrare.*
3. *Aurora naturalis est terminus, à quo potest incipere celebratio Missa.*
   Aurora moraliter sumpta adhuc erit inaqualis.
4. *Pro incipienda celebratione Missa obseruandum initium Aurora naturalis.*

1 CVm Aurora sit terminus, à quo Missæ celebratio incipere potest, videndum est, quid nomine auroræ intelligatur, seu quando incipiat. Communiter autem præsertim *citati in praced.quæst.num.1.* docent, per Auroram intelligi, quando primo incipiunt apparere radij solares; seu meliùs, quando primo incipit clatescere, seu iocipiunt remitti noctis tenebræ. Ex quo statim apparet, quod Aurora ooo sit eiusdem quantitatis apud omnes, si computetur à principio vsque ad solis ascensum supra Hemisphetium; neque etiam apud eosdem omni tempore. Cum enim incipiat clarescere ex appropinquatione solis ad Hemisphetium, & appropinquatio, à qua primò incipit clarescere magis, vel minus durer, vsque ad ascensum solis iuxta maiorem, vel minorem obliquitatem ascensionis eiusdem, sit quod Aurora habeat maiorem, vel minorem durationem, provt magis, vel minus durat huiusmodi ascensio. Quia autem hæc duratio ascensionis solis à primo puncto à quo facit clarescere, vsque ad orizentem, variatur quoad quantitatem durationis iuxta diuersitatem eleuationis poli, ideò etiam variatur quantitas durationis Auroræ iuxta variam eleuationem poli. Rursus quia signa zodiaci respectu eiusdem loci aliqua sunt breuis ascensionis, aliqua verò longæ ascensioois, ideò etiam respectu eiusdem loci, variatur quaotitas durationis Auroræ, provt Sol in vno, vel alio signo Zodiaci reperitur. Quæ omnia constare possunt ex tabulis Crepusculorum fabricatis ad diuersas poli eleuationes.

2 Hæc autem cum certa sint, dubium insurgit, an possit assignari pro Aurora certa quantitas temporis ante ortum solis, in qua vbique, & semper liceat celebrare Missam. Quod autem possit, tenere debent ij Doctores, qui assignant pro spatio Auroræ horam com dimidia ante solis ortum aut certam aliam quantitatem, quod infra suo loco referam. Verum tenendum est, quod non possit assignari pro semper, & pro omnibus locis idem spacium temporis, in qũo liceat celebrare, sed debeat assignari diuersum pro diuersitate eleuationis poli, & pro diuersitate ascensionis obliquæ solis iuxta varietatem signorum breuium, aut longarum ascensionum.

3 Ratio est. Quia dum assignatur Aurora pro termino à quo potest incipere celebrari Missa intelligitur, de Aurora naturali, & ita intelligunt communiter Doctores, vt satis constat, dum dicunt, quod nomine Auroræ intelligitur illud tempus, in quo incipit aliqua claritas, seu lux, antequam Sol orizontem ascendat: ergo, cum hæc claritas non duret vbique, & in eodem loco semper eodem tempore, vt constat ex dictis *num.1.* neque etiam Aurora naturalis erit semper, & vbique eiusdem spatij, atque durationis, sed modo breuior, modo longior: ergo, etiamsi Aurora moraliter consideretur, & secundum communem, & vulgarem æstimationem, non debet semper accipi cum eodem spatio temporis, seu duratione, quia est accipienda, cum proportione ad naturalem alioquio moralis æstimatio termini discreparet à termino naturali. Quia pro irregulati termino substitueretur singularis, & aliquando illa pars temporis, quæ censetur sufficiens ad 1
peccatum mortale, si in ea celebraretur Missa ante naturalem Auroram, non esset sufficiens, & è contra.

Ex his colligitur pro praxi, quod in designando 4
tempore, in quo licitum sit ante ortum solis celebrare obseruanda est duratio Auroræ naturalis non secus, ac obseruatur medium noctis pro ieiunio, quod cum varietur, & modo contingat vno modo alia bora, necessaria est obseruatio horæ ortus solis, vt possit discerni. Vnde etiam in præsenti erit necessaria obseruatio durationis Auroræ naturalis, vt possit postea accipi illa anticipatio temporis, quæ pro Aurora assignatur. Hæc autem obseruatio haberi poterit, vel ex inspectione cœli, vel ex tabulis crepusculorum, nam Aurora, & crepusculum idem sunt.

QVÆSTIO 399.

Quomodo Aurora sit computanda quando assignatur pro termino, à quo incipere posit celebratio Missa.

SVMMARIVM.

1. *Aurora computatur Mathematicè, & moraliter, & in quo differant.*
2. *Computanda Mathematicè pro celebratione Missa secundum Scotum.*
3. *Computanda moraliter.*
4. *Ita praxi interpretante.*
   Obseruantia habet vim interpretandi dispositiones, consuetudines, &c.
5. *Quomodo Aurora computanda moraliter.*
6. *Initium temporis, à quo incipere potest celebratio Missa est idem respectu omnium, sed cum aliqua latitudine.*

DVplicitet potest Autota computari, vel Mathematicè, & tunc importat illum punctum præcisum temporis, in quo incipit clatescere, & moraliter, & tunc importat illud tempus quod habetur pro principio Auroræ vsque ad ortum solis. Differunt inter se, quod Mathematicè computata importat veram Auroram naturalem; moraliter autem computata importat Auroram, provt est in vulgari æstimatione, & non provt Mathematicè mensuratur, sed secundum iudicium prudens. Quæritur ergo, quomodo sit computanda in ordine ad celebrationem. 1

Scotus *in 4. distinct.13. quæst. 2. art.2. §. Tertium principale.* Videtur sentire, quod Aurora sit Mathematicè computanda, dùm, inquit, quod tunc est Aurora, quando Sol est infra orizontem ad decem, vel octo gradus, & quod iste est terminus celebrandi, & non ante. Et quamuis dicat ad octo, vel decem gradus, non ponit latitudinem moralem, sed 2
habet

habet rationem diuersitatis, secundum quam modo citiùs, modo tardiùs incipit Aurora.

3 Dicendum tamen est. *Auroram computandam esse moraliter, & non Mathematicè.* Ita communiter præsertim recentiores Palud. *in 4. distinct.* 13. *quæst.* 2. *art.* 2. *conclus.* 3. Sotus item *quæst.* 2. *art.* 2. *in fine.* Victoria *in sum. vbi de Eucharist. num.* 97. Azotius *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *quæst.* 6. Vasquez 3. *part. disputat.* 232. *cap.* 3. *num.* 27. Suarez *disput.* 80. *de Eucharist. sect.* 4. ver. *Secundò inquiri potest.* Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 24. *num.* 5. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 6. Reginal. *lib.* 29. *praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 4. *quæst.* 5. *num.* 173. Rodriquez *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 43. *art.* 1. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 15. ver. *Quarto infra.* Tanner. *tom.* 4. *sum. disput.* 5. *quæst.* 10. *dub.* 4. *num.* 61. ver. *Notant.* Amicus *tom.* 7. *Curs. Theol. disp.* 33. *cont.* 11. *num.* 328. Marchin. *de ordine tractat.* 3. *part.* 3. *cap.* 7. *num.* 6. Bonacina *de sacrament. disput.* 4. *quæst. vltim. punct.* 9. *num.* 4. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disp. vnic. punct.* 7. *num.* 12. ver. *Dum inchoari.* Alphonsus de Leone *de offic. Capell. quæst.* 8. *sect.* 17. *num.* 148. Garzia *in sum. tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 1. *punct.* 1. *num.* 7. Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disput.* 4. *dub.* 3. *num.* 54. Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disput.* 4. *de sacrific. Miss. difficult.* 4. ver. *Circa conclusionem.* Quartus *in Rubric. Missal. part.* 1. *titul.* 15. *dub.* 2. *difficult.* 1.

4 Huius autem rei ratio, ex eo desumitur, quod siue hic terminus assignatus sit Lege scripta, quæ tamen præter Rubricam Missalis, nulla alia extat, siue ex tacito concessa Ecclesiæ inducentis facto hunc terminum, habet locum praxis, & obseruantia subsequuta, quæ habet vim interpretandi omnes dispositiones, leges, & consuetudines *l.* 51. *de interpretatione*, & *l. Minime. ff. de legib.* & *l. Certi Iuris. Cod. de Iud.* & cap. *Cum venissent. de Instit.* & cap. *Cum dilectus. de consuetud* & tradunt Panormit. *in cap.* 1. *num.* 14. *de Constit.* Ruin. *cons.* 38. *num.* 6. *lib.* 1. Paris. *cons.* 22. *num.* 24. *lib.* 1. Crauera *cons.* 226. *num.* 6. Roman. *cons.* 271 *num.* 3. Bald. *in l. Hi quibus. Cod. de fideicom. liber.* Castrens. *cons.* 408. *per totum. lib.* 1. Alex. *cons.* 6. *num.* 1. *lib.* 1. Mantica *decis.* 320. *num.* 5. Et proinde non obligant, nisi secundum mensuram, quam accipiunt ab obseruantia. Constat autem, quod obseruantia declarat terminum, Auroræ moraliter computandum, cum ita etiam illam accipiant communiter Doctores scribentes de hac materia, quod sufficeret pro inducenda hac interpretatione, cum talia communis sensus moraliter non possit errare in declarando quomodo iste terminus computari debeat, & sufficiat ad formandum prudentissimum iudicium, quod ita accipi debeat.

5 Dubium tamen remanet, quomodo fieri debeat ista computatio Moralis. Resp. Fieri debere secundum prudentem æstimationem, itavt tunc censendum sit, adesse initium Auroræ, quando prudenter æstimari potest, quod incipiat clarescere, nam tunc quando ferri potest hoc iudicium, debet adesse aliquod motiuum rationabile, ex quo formetur, vel desumptum ex horologiis, vel ex prudenti æstimatione temporis, vel ex aliquo albore cœli, vel quocunque alio modo. Et quamuis ex inspectione aëris meliori modo videatur posse desumi, attamen id non semper fieri potest, vel quia aër nebulus, aut nebulosus est, vel quia lux lunæ impedit visum primi alboris Auroræ, vel quia vna nox est minus obscura, quàm alia. Et ideò debet dari aliquis modus, quod iudicari possit, quando incipiat.

6 Dices. Sequeretur, quod non esset aliquis terminus communis respectu omnium à quo incipere posset celebratio Missæ, sed tot essent, quot sunt iudicia, quia posset quisque ex proprio iudicio præfigere sibi terminum iudicando tunc incipere Auroram. Respond. negat. Sequel. Quia ex eo, quod initium Auroræ morali modo computandum est, fit, quod si vnum, & idem respectu omnium, quamuis habeat aliquam latitudinem. Nam semper terminus respectu omnium est initium Auroræ; quia tamen hoc initium morali modo computatur, ideò habet aliquam latitudinem intra quam formati possunt diuersa iudicia iuxta diuersa motiua, quæ considerari possunt, quæ magis, vel minus anticipent. Semper tamen erit pro termino initium Auroræ prout est in morali æstimatione, vnde erit idem terminus moraliter, licèt Mathematicè diuersus.

QVÆSTIO 400.

An sit expectandum Auroræ initium pro inchoanda Missa.

SVMMARIVM.

1. *Initium Auroræ an expectandum pro inchoanda Missa.* & num. seq.
3. *Non sufficit, quod vltimæ partes Missæ attingant Auroram.*
Sufficit si secundum partes substantiales attingat Auroram.
Attingens aliquem annum dicitur ad ipsum peruenire.
4. *Si Missa secundum aliquam sui partem attingat Auroram, saluatur significatio.*
5. *Sufficit si Missa secundum substantiam cadat intra tempus habile.*
6. *Quo longior est Missa, aut tardior celebrans, eò magis potest anticipari Aurora.*

Difficultas procedit quoad Auroram moraliter computatam itavt necessarium sit, quod inchoans Missam, putet esse inchoatam Auroram. Prima sententia asserit, esse expectandum initium Auroræ, vt possit Missa inchoari, itavt saltem initium Auroræ, sit initium Missæ. Ita Coninch *de sacramen. quæst.* 83. *art.* 2. *dub.* 4. *num.* 217. ver. *Ante illud.* Leander *de sacrament. tractat.* 8. *disp.* 6. *quæst.* 1. Marchin. *de sacrament. ordinis, tractat.* 3. *part.* 3. *cap.* 7. *num.* 6. Fundamentum est primò. Quia, si inciperet ante Auroram, totum id, quod præcederet Auroram, celebraretur in tenebris contra significationem allatæ à Glos. *in cap. Nocte sancta. de consecrat. distinct.* 1. Quod omnes approbant. Secundò. Cum Aurora sit terminus à quo debet incipere Missa, nisi existat hic terminus, non poterit incipere, aliàs incipiet à termino prohibito solet etiam citari Vasquez pro hac sententia 3. *part. disput.* 232. *cap.* 3. *num.* 27. Sed hoc ibi non habet, sed ex eo, quod habet, nempe quod hora, & quinta pars, licèt non sit iusta mensura, potest tamen accipi pro regula, in qua ante solis ortum liceat celebrare. 1

Secunda sententia docet, non esse expectandum initium Auroræ: sed sufficere, si circum circa incipiat, itavt antequam compleatur Missa, incipiat Aurora, & proinde aliqua pars Missæ celebretur. Ita Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 24. *num.* 5. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *quæst.* 6. Victoria *in summ. vbi de Eucharistia, num.* 97. Suarez *disput.* 80. *de Eucharistia, sect.* 4. ver. *Secundo inquiri potest.* Reginaldus *lib.* 29. *Praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 4. *quæst.* 5. *n.* 173. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 6. Rodriquez 2

part. 1.

part. 1. *ſum. cap.*250. *concluſ.* 1. Bonac. *diſput.* 4. *de ſacrum. quæſt.vlt. punct.*9. *num.*2. Auerſa *quæſt.*11. *de Euchariſt. ſect.* 15. ver. *Quartò intra.* Lugo Cardin. *diſput.*20. *de Euchariſt. ſect.*1. *num.*33. Layman. *lib.*5. *Theol.moral. tract.*5.*cap.*4. *n.*1. Dicaſtil. *de ſacrament. tract.*5 *diſp.*4.*dub.*4. *n.*55. Gaſpar. Hurtad. *de ſacram. diſp* 4. *de ſacrific. Miſſ. difficult.*4. ver. *Circa concluſ.* Filliuc.*tract.*5. *cap.* 4. *num.*3. Trulleneh *in Bull. Cruc. lib.*2. §.5. *dub.*3. *num.*3. & *de ſacrament. lib.* 3. *cap.*8. *dub.* 13. *num.*1. Fraociſcus Lugo *lib.*5. *de ſacrament. cap.*5. *quæſt.*6. *num.*61.

3 Dicendum ergo. *Non eſſe expectandum initium Auroræ, vt poſſit inchoari Miſſa, ſed ſufficere, ſi in ipſo initio Auroræ adhuc duret.* Eſt tamen aduertendum, quod non ſufficit, qood vltimæ partes Miſſæ attingaot ioitium auroræ. Sed neceſſe eſt, quod quando incipit aurora nondum ſit conſumptum ſacrificium: alioquin ſacrificium completetur ante auroram ſecundum ſubſtantiam etiam integralem, quod fieri non poteſt, ſiquidem initium ſacrificij ſubſtantialiter accepti eſt aſſignatus terminus auroræ; & ideò tunc ſacrificium ſecundum totum ſuam ſubſtantiam eſſet extra terminum aſſignatum, & violaretur præſcriptio circa terminum.

4 Ratio porrò eſt. Quia eò ipſo, quod Miſſa ſecundum ſubſtantiam ſacrificij attingit initium auroræ, dicitur eſſe, ſeu celebrari io termino aſſignato, cum non ſit extra terminum. Et ſicuti, qui attingit aliquem aonum, dicitur ad ipſum perueniſſe, quamuis non peruenit ad totum, cum nondum ſit completus, *l.Qui filium*, §.*Sabinis*, *ff. Ad Senatuſconſ. Trebel.* Ita etiam dum Miſſa peruenit ad auroram, dicetur eſſe in aurora taoquam in termino ſibi aſſignato. Accedit etiam, quod obſeruantia, & communis ſenſus Doctorum ita interpretatur terminum inchoandi celebrationem, quod ſufficit, vt ſolum obliget ſecundum menſuram huius interpretationis.

5 Ad 1.oppoſit.reſp. Eò ipſo, quod Miſſa ſecundum aliquam ſui partem in aurora, ſaluari ſignificationem, de qua Gloſ. *in Cap. Nocte ſancta, de conſecrat. diſt.* 1. quia ſignificatio in eo fundatur, quod ſacrificium ſit ſimul cum luce, qood ſaluatur, ſi aliqua ipſius coëxiſtat crepuſcolo. Imò ſi Miſſa perueniſſet vſque ad conſecrationem, quaodo incipit crepuſculum, totum ſacrificium ſecundum ſuam ſubſtantiam coëxiſteret luci, quia cætera, quæ recitantur, ſunt tantum præparationes ad ſacrificium.

6 Ad 2. reſp. Auroram non eſſe terminom à quo Incipere debeat Miſſa, ſed inceptionem auroræ eſſe primum tempus habile pro ſacrificio, itavt tempus habile claudatur duobus terminis ioitio auroræ, & meridie. Et ideò, vt Miſſa licitè celebrari poſſit, ſufficit, ſi ſecundum ſoam ſubſtantiam cadat intra hoc tempus habile. Cadit autem, ſi ſacrificium ſecundum aliquam ſui partem ſubſtantialem coëxiſtat huic tempori, quia coëxiſtentia non ſumitur Mathematicè, & ſecuodum coadæquatiooem, ſed morali modo, vt iam dictum eſt in ſuperioribus, quia aurora computatur morali modo. Imò rigoroſè loqoendo, ſufficeretur, quod, quando perueniret ad conſecratiooem inciperet aurora nam totum ſacrificium ſecuodum ſubſtantiam ipſi coëxiſteret.

7 Ex his colligitur. Quod quando Miſſa eſt longior, aut celebrans eſt tardior in recitando, poterit proportionaliter ad tarditatem, aut longitudinem Miſſæ magis anticipare initium auroræ. Siquidem cum ad vitandum peccatum ſufficiat, quod Miſſa coëxiſtat initio auroræ ſecundum ſubſtantiam ſacrificij eſt licita tota illa anticipatio, quæ reliquit huiuſmodi coëxiſtentiam, & proinde poteſt eſſe maior, aut minor prout Miſſa eſt loogior, aut breuior: aut celebrans magis, vel minus tardus in recitando.

QVÆSTIO 400.

An in anticipatione temporis debiti pro Miſſa inchoanda detur paruitas materiæ, & quæ nam illa ſit.

SVMMARIVM.

1. *In anticipatione Miſſæ duplex paruitas materiæ attendenda.*
   Semel tantum anticipare notabiliter non eſt materia leuis.
2. *In anticipatione Miſſæ reſpectu auroræ datur paruitas materiæ.*
3. *Paruitas iſta materiæ quantum tempus dicat, & num. ſeq.*
6. *Modica non habentur in conſideratione.*
7. *Modicum, & minimum non ſemper eodem modo dicuntur.*
   Modicum, & minimum relinquuntur arbitranda.
8. *Paruitas materiæ in anticipatione ſumenda in ordine ad diſtantiam ab aurora naturali.*
9. *Quænam ſit iſta modica diſtantia.*
10. *Cur in anticipatione Miſſæ paruitas materiæ admittat minus tempus, quàm in alijs rebus.*

PAruitas materiæ conſiderari poteſt in anticipatione temporis debiti pro celebranda Miſsa, vel ratione temporis, vel ratione vicium, in quibus fiat anticipatio. Quod autem ſpectat ad hoc ſecundum noo, videtur poſse admitti paruitas materiæ, quia ſi etiam vnica tantum vice præueniatur tempus debitum, habetur ooo ſolum tota materia prohibita, ſed etiam cum tota ratione prohibitionis. Quia, quamuis prohibitio poſſit habere diuerſos fines extrinſecos; finis tamen intrinſecus, & proximus, qui eſt finis actionis, noo egreditur ipſam oblationem ſacrificij, quæ ſicuti ſecundum ſe totum requiritur in qualibet Miſsa: item etiam reperitur in ipſa tota ratio proxima prohibitionis. Hoc autem intelligi debet ſeclusis circumſtantiis, & motiuis, ratione quorum poteſt fieri licita aliqua notabilis anticipatio iuxta ea, quæ inferius dicenda ſunt. 1

Quod autem ſpectat ad paruitatem materiæ ratione præuentionis, videtur eſse communis ſententia, quod detur paruitas iſta materiæ; licet enim quidam, vt vidimus *n.*1. *qu. præced.* velint, quod ſit expectandum ioitium auroræ, vt Miſsa celebrari poſſit, attamen, non dicunt, quod ſit peccatum mortale anticipare per modicum tempus; imò, dum volunt auroram computandam eſse moraliter, videantur potius admittere hanc paruitatem materiæ: vnde eſt reijciendus Quart. *in Rubr. Miſſ. par.*1. *tit.* 15. *dub.* 2. *in fin.* negans paruitatem materiæ, quia, ſi non celebretur io tempore, quod moraliter noo ſit aurora, peccat mortaliter. Nam fieri poteſt quod noo ſit moraliter aurora, ſed parum diſtet, & ratione paruæ diſtantiæ noo erit peccatum mortale. Quia tamen in admittenda paruitate materiæ non conueniunt Doctores: ideo, 2

Prima ſententia ita admittit paruitatem materiæ, vt tamen nihil decernat circa quantitatem temporis, in qoa ſoluatur, ſed ſolum dicit, debere eſse modicum, & parum diſtare ab aurora. Ita Palud. *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 1. *art.*2. *concl.*3. Sotus *quæſt.* 2. *art.* 2. *in fine.* Victoria *in ſum. vbi de Euchar. n.*97. Auerſa *quæſt.* 11. *de Euchariſt. ſect.* 15. ver. *Quartò intra, in fine.* 3

Secunda ſententia determinat tempus, & aſserit tertiam partem horæ eſse notabilem, itavt ſi quis tertia parte horæ ante auroram inciperet celebrare, peccaret mortaliter, & proinde paruitas materiæ debet dicere aliquid minus, qualis eſset quadrans horæ. 4

Item Azor. part. 1. lib.10. cap.25. quæst.6. Reginald. lib.29. cap.9. n.173. dum vult, licete celebrare quadrante ante auroram.

5 Tertia sententia poscit pro paruitate materiæ dimidiam horam, in qua non sit peccatum mortale præuenire in celebrando auroram. Ita Suar. disp.80. de Euchar.sect.2. ver.Secundo inquiri potest. Facundez præcept.1.Eccles. lib.3. cap.17. n.6. Gaspar.Hurtad. de sacram.disp.4.de sacrif. Miss.diffic.4.ver.Circa conclus. Ludou.à S.Ioan.in sum.qu.11.de Euchar.art.2.concl.2. Tanner.tom.4.disp.5.qu.10.dub.4.n.61.ver.Notant autem. Rodriquez part.1. sum. cap.150. concl.1. & quæst. regul.43.art.1. tom.1. Bonac. disp.4. de sacram. qu.vlt. punct.9.n.2. Molfes.part.1.sum.tract.3.cap.10.num..... Humobon. part.1.exam.Eccles.tract.4.cap.14.qu.114.

6 In hac difficultate certum est, quod sit admittenda paruitas materiæ, quia agitur de tempore, quod habet suam extensionem quantitatiuam: & consequenter datur magna, & notabilis anticipatio, & etiam parua, & modica, quia cum habeat partes potest anticipatio esse magna, mediocris, & modica. Certum est autem, quod modica pro nihilo reputatur, & non habentur in consideratione, l.Scio,ff.de in integr. rest. & l.1. C. Si aduer. vend. pign. & Cap. Licet causam, §.Quamquam, de probat. ibi. Nulla, vel modica. Ias. in l.Sciendi.num.7. ff.Qui satisd. cogan. Bald.in Cap.Cum adeo, num.3. de rescript. Roman.sing.334. Hyppolit.de Marsil. sing.276. Crauet.cons.182.n.14. Et ideò id etiã continget in anticipando tẽpore celebrationis Missæ.

7 Sed quantum temporis claudatur intra terminos modicitatis, non est ita facile definire, cum modicum, & minimum non semper eodem modo dicatur, vt obseruat Gichen.ad l.15 num.27. C.de pact. sed debeant attendi circumstantiæ omnes. Vnde Glos. in l. Aut Prætor. verbo Minima, ff.Quod cum eo, qui in alio potest. vult relinqui Iudicis arbitrio, quid dicatur modicum, vel minimum.

8 Itaque hanc modicitatẽ sumendã esse in ordine ad distantiam ab aurora naturali, existimo certum, itavt inter Missam, & Auroram naturalẽ interponatur solũ illud tempus, quod inducat modicam, seu minimam distantiam: quia si distantia non esset talis, esset notabilis; dum autem notabiliter distaret, notabiliter anticiparetur tempus designatum pro celebratione, & non essemus amplius in paucitate materiæ.

9 Modica autem distantia inter principium auroræ naturalis, & complementum Missæ, non videtur posse saluari, si excedat horæ quadrantem. Quadrans enim horæ in cõmuni æstimatione videtur esse illud summum quod intra modicam partem temporis claudi potest. Siquidem, cum tempus diuidatur per varias partes, minor inter designatas, est quadrans horæ, & si iungantur duo quadrantes, aut etiam aliqua pars quadrantis cum alio integro quadrante, non erit amplius minima pars, quia non est minimum, quod excedit minimum, cum autem debeat attendi distantia, vt dictum est, debet etiam attendi, quod est minimum in ratione tẽporis secundũ se considerari, quia distantia ponitur per tempus secundũ se consideratũ.

10 Dices. Maior quantitas tẽporis habetur pro paruitate materiæ in aliis rebus, & in exercitio operum seruilium in diebus festis, nam cõmuniter pro paruitate materiæ assignant horam integrã, alij etiã duas: ergo etiã in præsenti. Resp. neg. conseq. Quia, vt dictũ est, paruitas ratione non eodẽ modo iudicanda est in omnibus rebus, sed secundũ subiectam materiam habita ratione circũstantiarum, & præcipuè finis. Vnde semper erit notabilis materia, quæ notabiliter contrariatur fini legis. In præsenti autem, quia finis legis est coniungere oblationem sacrificij cum die, & hæc coniunctio fit secundũ tempus, ideò omnis pars temporis secundũ se notabilis, per quam Missa distet ab aurora, notabiliter contrariabitur huic fini. Ex quibus arguitur opinio Faust. lib.2. de Euchar.quæst.123. ver.Ego autem, asserentis requiri ad peccatum mortale spatium vnius horæ ante auroram, nam non est eadem ratio, ac de operibus sensibilibus in die festo, vt dictum est.

QVÆSTIO 401.

An, & quantum tempus sit assignandum ante Solis ortum in quo liceat incipere Missam.

SVMMARIVM.

1. *Quanto tempore ante solis ortum liceat incipere Missam,* & num.seqq.
5. *Per horam, & dimidiam licet incipere celebrare ante Auroram.*
6. *Quomodo constituenda regula vniuersalis de inceptione Missæ ante solis ortum.*
7. *Quomodo iudicandum de aurora vbi non sunt horologia.*

QVia non omnibus ita facilè est obseruare initiũ auroræ, sicut est facilè obseruare ortum solis, ideo videndum est, an, & quæ regula seruari possit in ordine ad ortum solis. Prima sententia asserit, posse celebrari Missam per semihoram circiter ante ortum solis. Ita Coninch de sacram.qu.83.art.2. dub.2.n.217. ver.Initium ergo. Homobon.par.1.exam.Eccles.tract.4. cap.14.qu.136. Verum plus restringunt tempus, quam ipsimet concedant, siquidem admittunt regulã communẽ, quod liceat celebrare ab initio auroræ; aurora autẽ plerũmque excedit spatium vnius horæ; vnde si liceat tantũ per semihorã circiter ante solis ortũ esset expectandum, quod bona pars auroræ esset transacta. 1

Secunda sententia, vult quod liceat celebrare ante ortum solum hora, & quadrante. Ita Azor.par.1.lib.10. cap.28.q.5. Scortia lib.1.de sacrif. Miss. cap.15.n.8. & huic etiam reduci potest Vasq. 3.part.disp.232.cap.3. num.27. dum vult, quod pro Regola morali haberi possit, quod liceat celebrare ante ortum solis per spatium vnius horæ, & quintæ partis. 2

Tertia sententia asserit, posse celebrari Missam hora, & dimidia ante solis ortum, & hanc ponit pro regula, quæ possit vniuersaliter seruari. Ita Suar. disp. 80.de Euchar.sect.4.ver.Secundò inquiri potest. Peregr. in compend.Priuil.Cler.Reg.verbo Missa. Posseuin. de Offic.Curati, cap.8.n.18. Io.à Cruce par.2.Direct.q.2.de sacrif. Miss. dub.1. conclus.1. Fernandez part.3. exam. Theol.moral.cap.5.§.14.n.3. Bonac. disp.4. de sacram. quæst.vn.punct.9.n.5. Palaus par.4.oper.moral.tract.22. disp.vn.punct.7.num.12. Ludouic.à S Ioan.part.1.sum. quæst.11. de Euchar. art.2. dub.1. concl.2. Marchin. de Sacram.Ordin.tract.3.par.3.cap.7.n.5. Gaspar.Hurtad. de sacram. disp.4.de sacrif. Miss. difficult.3. ver. Circa conclus. Caspens.part.2. Curs. Theol. tract.23. disp.3. sect.2. num.59. in fine. 3

Quarta sententia adhuc maiorẽ latitudinem concedit, nam vult, posse celebrari duabus horis circiter ante ortũ solis, aut etiã integris. Ita Laym.lib.5.Theol. mor.tract.5.c.4.n.2. ver. Probabilis. Lessius de sacram. qu.83.art.2.Tit.De tempore, n.74. Pitigian.in 4.dist.13. qu.2.art.4. Tanner.tom.4.sum.disp.5.qu.10.dub.4.n.61. ver.Notant autem, in fine. Amic.tom.7.Curs.Theol.disp. 33.sect.12.n.328. Dicastil. de sacram.tr.5.disp.4.dub.4. n.55. Tambur.Opusc.de sacrific. Miss.lib.1. cap.6.§.4. n.2. ver. Et quia. Narbona in Horograph. iur. hora 1. n.16. Lugo Card.disp.20.de Euchar.sect.1.n.32.& 33. Leander de sacram. tract.8. disp.6. quæst. 2. Alphons. de Leone de Offic. Capel.quæst.8.sect.27.num.151. 4

Inter has sententias, tertia est magis accommodata, 5

data, vt pro vniuersali regula assumi possit, nam locum habet etiam, quando crepuscula sunt breuiora, nam tunc quamuis non pertingunt ad horam, modica tamen quantitate decrescunt, & ideò si Missa incipiat hora, & dimidia ante solis ortum finis perueniet ad initium Aurotæ. Econtra verò stante regula quartæ sententiæ completetur Missa media hora, & vltra ante Auroram. Vnde etiam, quando Aurora est mediocris durationis, adhuc complcetur ante Auroram; imò etiam quando Aurora habet suam maiorem durationem, si celebratio sit expedita, nam regulariter Missæ non durant vltra tertiam partem horæ, & nonnullæ etiam minus, præsertim si sint de Requiem. Et ideò sequendo regulam quartæ sententiæ, vtplurimum contingeret quod inter finem Missæ, & initium Aurotæ esset tanta distantia, quæ sufficeret ad illam quantitatem temporis, quæ est maxima intra paruitatem materiæ, & proinde interueniret peccatum veniale, licet posset excludi mortale.

6 Dices. Posse assignari vnam regulam, quæ semper locum habeat cum illa tota æquitate, quæ est possibilis, & proinde posse constitui in comparitione ad Auroram, quando habear suam maiorem durationem. Resp. Quod, si est constituenda vna regula, quæ toto anni tempore, & in omni regione locum habeat, & se debet constitui, vt possit habere locum in quocunque tempore, alioquin, non rectè constitueretur. Sic quia dies sunt longiores, & breuiores, non potest constitui vna regula, quæ semper inseruiat, vt scilicet tot horis post ortum solis liceat celebrare computando has horas in ordine ad dies longiores anni, nam aliquando contingeret celebrari aliquot horis post meridiem. Et licet Aurora non habet tantam varietatem, quantam habent dies, attamen eum adhuc aliquam babeat, quæ, si non attendatur in statuenda regula, operari potest, quod celebretur notabiliter ante horam licitam, & ideò non potest statui pro regula generali totum illud tempus ante ortum solis; quod adhuc in ordine ad maiorem durationem Auroræ facit, quod Missa compleatur ante principium ipsius, licet circa ipsum.

7 Est autem aduertendum, quod cum non vbique adsint horologia, quibus mensurari possit tempus, quod antecedit ortum solis, nec quilibet, imò rarus aptus sit è cœlo dignoscere horas, nec semper dignosci possint eum scilicet sydera latent, tunc ad coguoscendam horam debitam, in qua possit celebrari, debebit quisque vti prudenti iudicio; & secundum ipsum se regulare, cum nulla ei suppetat via alia; neque enim obligatur id ad quod ipsi possibile non est. Quod si in hoc contingat falli, itavt anticipet tempus plus, quàm licitum sit, non debet turbari, quia eum bona fide processerit, non peccauit.

QVÆSTIO 402.

An ratione consuetudinis possit notabiliter ante Auroram celebrari.

SVMMARIVM.

1. *Ratione consuetudinis Missa potest notabiliter anticipari.*
2. *Consuetudo rationabilis praualet contra legem, aut aliam consuetudinem.*
3. *Vbi nocles sunt valdè longæ adest rationabilis causa anticipandi Missam ante auroram.*
4. *Pro artificibus potest ante auroram celebrari Missa.*
5. *Vbi celebrandus magnus numerus Missarum, ante auroram potest inchoari celebratio.*

Dicendum est. *Ratione consuetudinis posse notabiliter Missam celebrari ante Auroram.* Ita Nauar. *cap.25.Manual.num.85.* Layman. *lib.5.Theol moral. tract.5. cap.4. n.3.* ver. *Quintò consuetudo.* Coninch *de sacram. qu.83. art.5. dub.4. n.217.* ver. *Nauar. autem.* Dicastil. *de sacram. tract.5. disp.4.dub.4.num.56.* Gaspar.Hurtad. *de sacram. disp.4. de sacrif.Miss. difficult.4.* ver. *Data tamen.* Vasquez *3.part. disput.232. cap.5. n.20.* Facundez *præcept. 1. Eccles. lib.3.cap.13. num.17.* Tamburin. *Opusc.de sacrif. Miss. lib.1. cap.6, §.4. n.4.* Faust. *de Euchar.lib.2.quæst.125. in fine.* 1

Ratio est. Quia agitur tantum de iure positiuo, aut de consuetudine, quæ habet vim iuris positiui; ergo potest induci consuetudo, quæ præualeat iuri positiuo, aut veteri consuetudini, iuxta Cap. *fin. de consuet.* Est tamen aduertendum, quod, vt talis consuetudo subsistat, necesse est, quod sit rationabilis, vt ex eod. Cap.*fin.* desumitur; alioquin non potest præualere, aut contra legem, aut contra firmatam consuetudinem, vt autem sit rationabilis, necesse est, quod interueniat aliquod motiuum considerabile ad ita faciendum, itavt ratione ipsius possit recta ratio exigere huiusmodi anticipationem. 2

Ex quo sequitur, quod in regionibus, in quibus nox est valdè longa quales in hyeme sunt Septentrionales, adsit rationabilis causa anticipandi celebrationes Missarum ante Aurotam; nam cum manè sit valdè breue, videtur posse compensari coniungendo eum ipso aliquam partem noctis, vt babeatur tempus sufficiens pro celebratione Missarum. Cum enim modo numerus Missarum valdè creuerit supra antiquum, exigit, etiam maiorem latitudinem temporis, vt possit celebrari; & ideò, vbi dies breues sunt, est rationabile, quod concedatur aliqua pars noctis; nec obstat, quod non semper plures sint Missæ in eadem Ecclesia, vt proinde possint quacunque hora commodè celebrari, nam etiam respiciendum est ad commoditatem populi, siquidem, cum possit omnium commoditati prouideri stante magno numero Missarum, æquum est, vt in quacunque hora celebrentur, in qua commodè est populū illas audire. 3

Sequitur secundò. Quod vbi artifices consueuerunt ante Auroram notabiliter incipere sua exercitia, & priùs audite Missam, possit tunc Missa celebrari notabiliter ante auroram. Nam melius est, quod artifices audiant Missam, cum in hoc non solum interueniant profectus spiritualis ipsorum, sed etiam cultus Dei, quàm quod seruetur consuetudo non celebrandi ante auroram, nam si Pontifex existimat rationabilem causam concedendi priuilegium, vt Religiosi iter babituri celebrare possint notabiliter ante auroram, ne omittant aliàs celebrare: erit etiam rationabilis causa anticipandi celebrationem, vt considerabilis numerus fidelium audiat Missam, & proinde adesse sufficiens fundamentū pro consuetudine. Et hoc præcipuè babere potest locum in byeme, nam tunc ob breuitatem diei solent noctu artifices exercitia reassumere. 4

Tertiò sequitur; quod si in aliqua Ecclesia celebrandus sit magnus Missarum numerus, vt contingit in solemnitatibus, quando plures concurrunt ad celebrandum deuotionis causa, aut quādo Religiosi congregantur pro Capitulis Generalibus, aut Principalibus, poterit notabiliter ante auroram anticipari celebratio, vt possint omnes celebrare: plus enim redundat in cultum Dei, & Ecclesiæ quod totus ille Missarum numerus celebretur, quàm quod non incipiant ante auroram, & ideò adest causa rationabilis anticipandi. Et eò magis, si Missæ deuotionis causa essent celebrandæ incerto aliquo Altari, itavt notabilis numerus Sacerdotum confluerer, vt in eo celebraret, nam ad satisfaciendum eorumdem deuotioni, posset anticipari celebratio. 5

QVÆSTIO 403.

Quomodo regulanda celebratio Missæ in ijs Regionibus, in quibus est perpetuus dies, aut perpetua nox.

SVMMARIVM.

1. *Vbi nox, aut dies perpetuus an per legem facienda diuisio noctis, & diei.*
2. *Si non adsit lex, quæ regula seruanda.*
3. *Vbi nox perpetua, aut dies, non potest Rubrica habere locum.*
   Lex debet esse moraliter possibilis.
4. *Si in dictis regionibus adsit consuetudo rationabilis, est seruanda.*
   Vbi deficit lex, consuetudo pro iure suscipitur.
5. *Quomodo designandum tempus pro celebratione, vbi dies non pertingunt ad sex horas.*
6. *Quomodo regulandum tempus Missæ in nauigatione, vbi est perpetuus dies, aut nox.*

1 CVm in regionibus propè Polum Septentrionalibus per sex menses sit perpetuus dies, & per alios sex perpetua nox, nempè ab vno æquinoctio ad alterum, dubitatur quomodo sit regulanda celebratio Missæ, cum ibi, neque sit Aurora, neque Meridies. Loquentes in casu simili nempè de ieiunio, Suarez *disput. 66. de Eucharist. sect.4.* Tanner. *tom.4. sum. disput.5 quæst.8. dub.4. num.8.* Alphons. de Leone *de offic. Capellan. quæst.8. sect.17. num. 141.* Rubeus *in adnot. ad Rubric. Miss. cap.9. num.1. ver. Secundò petes.* Quartus *in Rubric. Miss. part.3. tit.9. sect.1. dub. 3. in fine.* volunt, quod sit necessaria lex Ecclesiastica quæ diuidat dies proportionatos nostris diebus Ecclesiasticis, naturalibus, & per quam designatur aliquo modo principium, & finis.

2 Verum cum lex huiusmodi non adsit, videndum est quid modo seruandum sit, itaque dicendum est. *Missæ celebrationem esse regulandam secundum capacitatem regionis, itavt habeatur pro die illud tempus, quod solet impendi operationibus, & pro nocte, quod impenditur quieti attendendo id, quod communiter fit.* Ita tradidi in materia de ieiunio *decis.448.n.3.* loquens de diuisione dierum in ordine ad ieiunium, quod postea sequutus est etiam Thomas Hurtad. *part.1. resol. moral. tract.21. cap.3. num.77.* & Vericel. *de Apostol. Miss. quæst.256. ver. Tertia est.* Et proinde pro tempore celebrationis Missæ assignandum erit illud tempus, in quo primo incipiunt homines relinquere quietem, vsque ad illud, in quo communiter solent cibo se reficere tanquam correspondens nostro tempori matutino.

3 Ratio est. Quia Rubrica assignans tempus celebrationis Missæ siue secum trahat legem, quam supponat, siue consuetudinem Ecclesiæ, non potest secundum puros terminos proprios habere locum in illis regionibus, cum ibi non adsit Aurora, neque Meridies, & proinde quoad ipsos sit impossibilis non solum moraliter, sed etiam physicè contra naturam legis, quæ non solum physicè, sed etiam moraliter debet esse possibilis, vt tradunt communiter cum D. August. *de Natur. & Grat. cap.46. & 69.* & D.Th. *1.2. quæst.15. art.3.* & *quæst. 96. art.4.* & habetur ex Cap. *Erit autem*; & Cap. *Denique, dist.4.* & ex *l.2. §. Dies autem, ff. Quando appellan. sit.* ergo vt possit habere locum debet reduci ad terminos proportionatos regionis, & quibus correspondere possit obseruantia cum ea facilitate, quam habet apud nos.

4 Hoc autem quod dictum est, habet locum supposito, quod in illis regionibus non adsit alia consuetudo rationabilis, aut non adfuerit aliquando. Nam si consuetudo præualere potest contra ius, iuxta Cap. *fin. de consuetudine*, si sit rationabilis, multò magis potest habere vim, quando ius non potest habere locum; vt in casu præsenti, vbi enim deficit ius scriptum, seu lex, pro lege suscipitur consuetudo, Cap. *Consuetudo autem, dist.1.* Et ideò retinenda erit consuetudo iam existens, si sit rationabilis.

Ex dictis colligitur, quod in illis regionibus, in 5
quibus dies hyemales non pertingunt ad sex horas, vt Hamasiæ, Noruergiæ, & in aliis eiusdem eleuationis Poli, aut etiam maioris, pro tempore matutino accipiendum est totum illud, in quo vacant homines suis exercitiis, &c. etiamsi notabiliter præcederet ortum solis, nam stante breuitate dierum, sicut pars noctis trahitur ad diem in ordine ad exercitia, ita etiam rationabile est, quod trahatur in ordine ad celebrationem. Quia cum in illa parte noctis assumantur exercitia diei, in ordine ad operandum, habetur moraliter pro die, & ideò haberi potest etiam in ordine ad celebrationem Missæ, tanquam in ordine ad operationem destinatam pro die.

Secundò colligitur; quod nauigantes propè po- 6
lum, si contingat celebrari Missam, vel in naui (si modo licitum est, de quo suo loco) vel in littore, quando esset perpetuus dies, aut perpetua nox, & proinde non possent seruare regulam temporis de Aurora ad Meridiem; nec etiam possint seruare consuetudinem regionis, debebunt se regulare circa tempus celebrationis secundum diuisionem, quam faciunt in naui, itavt pro nocte habeatur tempus, in quo vtplurimum se quieti tradunt, subsequens vero vsque ad horam sumendi communiter cibum pro tempore matutino, & in hoc poterunt celebrare Missam conformando se Rubricæ modo, quo fieri potest.

QVÆSTIO 404.

An aliquando de iure liceat noctu celebrare.

SVMMARIVM.

1. *De iure in Natiuitate Domini noctu celebratur Missa.*
2. *Missa prima Natiuitatis Domini pro omnibus conceditur in nocte.*
3. *Duæ aliæ Missæ an possint nocte celebrari*, & num. seq.
5. *Celebratio Missæ absolutè conceditur in nocte Natiuitatis Domini.*
   Indefinita loquutio æquipollet vniuersali.
6. *De iure omnes tres Missæ Natiuitatis noctu possunt celebrari.*
7. *Pro nocte Natiuitatis derogatur legi non celebrandi in nocte.*
8. *Distincta tempora celebrandi tres Missas in die Natalis respiciunt solam Missam solemnem.*
9. *Pro nocte Natiuitatis non dispensatur pro celebratione Missæ, sed derogatur legi.*
10. *Aliqui actus sufficiunt pro interpretanda lege.*
11. *Text. Cap.* Nocte sancta, *amplè accipiendus.*
12. *Media nox Natiuitatis Domini non computatur pro die.*
13. *Celebrans vnam solam Missam in nocte Natiuitatis, posset celebrare tertiam.*

A Communi Regula, quod non liceat celebrare 1
in Aurora excipitur nox præcedens diem Natiuitatis Domini, in qua post mediam noctem licet celebrare, vt statuitur à Telesphoro Papa *in Epist. Decret.*

Decret. relato in Cap. *Nocte sancta*, *de consecrat. dist.1.*ibi. *Nocte sancta Natiuitatis Domini Saluatoris Missas celebrent Præsbyteri, & hymnum Angelicum in illis solemniter decantent : quoniam, & eadem nocte ab Angelo Pastoribus nunciatus est.* Et ratio redditur huius singularitatis, quia sicuti in nocte, in qua natus est Saluator, Angeli cecinerunt laudes Deo dicentes : *Gloria in Excelsis, &c.* Ita etiam debent Sacerdotes imitari Angelos laudaodo Deum cum oblatione sacrificij, & cantando eundē hyionum, & Praxis hoc declarat, nam in Ecclesiis, saltem vbi Missa solemnis solet celebrari, nocte illa celebratur prima Missa diei. Solum difficultas est, an aliæ duæ Missæ possint in nocte celebrari.

2 Pro cuius solutione prius supponendum est, quod omnes Sacerdotes possunt primam Missam celebrare, quia ob illam rationem, propter quam cooceditur Missa sulemnis, debet concedi absolutè prima Missa pro omnibus, vt scilicet omues celebrent mysterium Natiuitatis Christi. Quod etiam desumitur ex dicto cap. *Nocte sancta* : nam iodefinitè Pontifex loquitur. *Missas celebrent Præsbyteri.* Hæc autem indefinita loquutio, sicut omnibus potest adaptari, & quisque dicere potest, quod secum lex loquatur, ita etiam potest dicere, quod sibi sit facta concessio. Nec obstat, quod postea loquens de hymuo Angelico dicat, *solemniter decanteut*, nam hoc refertur ad decantantes Missam.

3 Prima sententia asserit. Non licere iu nocte Natiuitatis celebrare omnes tres Missas, sed tantum primam, citatur Gloss. *in cap. Nocte sancta. de consecrat. distinct.* 1. Sed solum dicit, quod prima Missa dicitur in nocte secunda in Aurora, & tertia iu die. Vnde non facit pro hac sententia, cum non dicat, quod non possint omnes celebrare in nocte. Imò secundum ipsum deberet ab omnibus celebraturis prima Missa celebrari io nocte, secuoda in Aurora, & tertia in die, si loqueretur de ritu necessarin. Idem etiam docet Durand. *in Ration. diuinor. offic. lib.* 4. *cap.7. num.*21. citatur etiam D.Thom. 3.*part.quæst.*83. *art.2. ad* 2. & *ad* 4. & *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.*1. *art.2. quæsite* 4. sed solum idem dicit, quod dicit Glossa, nec negat, omnes tres Missas celebrari posse. Hanc autem sentent. teneot Angel.*verb.* Missa.*n.*46.Syluest. *verbo* Missa. 1. *quæst.*7. *except.*1.Tabiena *num.*5.& 43. Armilla *num.*2.& 25.Sotus *in* 4. *distinct.*13. *quæst.* 2. *art.2. ad* 2. ver. *In die tamen.* Nauar. *consil.* 1. *de celebrat. Missar. num.*2.*lib.*3. Graf. *part.* 1. *decis. lib.*2. *cap.* 40. *num.*2. Tolet. *lib.*2. *cap.*1. *num.*4. Bellarmin. *lib.* 2. *de Miss. cap.* 14. §. *De hora celebrandi. tom.*3. Henriquez *lib.*9.*sum.cap.*24. *num.* 5. Azorius *part.*1. *lib.*10. *cap.* 25.*quæst.*1. Villalob. *part.* 1.*sum. tract.*8. *difficult.* 22. *num.*3. Fernandez *part.*3. *Examin.Theol. moral. cap.*5 §.7. *num.*3. Vgolin.*de offic. Episcop.c.*16. *num.*5.Ledesma *tom.*1. *sum. cap.* 19. *conclus.*3. Nugn. 3. *part. quæst.*83. *art.*2. ver. *Sed est dubium.* Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 40. *art.* 8.*conclus.* 2. Ioan. à Cruce *part.* 1. *direct. conscient. quæst.* 2. *de sacrific. Miss. dub.* 1. *conclus.* 3. Tabiena à Castro *in Bull. Cruc quæst.*32 Bartholom.ab Angelo *Dialog.*5.§.169. Facundez *præcept.*1. *Decal.lib.*1. *cap.*34. *num.*12. & *præcept.*1. *Eccles. lib.*3. *cap.* 17.*num.* 2. Francolin. *de Horis Canon. part.* 1. *cap.* 39. *num.* 20. Ludouic. à S. Ioan. *part.* 1.*sum. quæst.* 11 *de Eucharist. artic.* 2. *dub.* 3. Booac. *disput.*4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 9. *num.* 6. excipit tamen quando consuetudo est in oppositum.Tanner.*tom.*4.*sum.disput.*5.*quæst.*10. *dub.*4. *num.*62. Bellet. *in disquisit. Cler. part.* 2. *tit. de pænit. Cler.* §. 29. *num.* 12. ver. *Multi tamen.* Prob. Quia in Rubrica Missarum prima tantum Missa assignatur pro nocte, & in ipsa sola dicitur in orat. Communicantes. *Hanc sacratissimam noctem.* Neque fit distinctio iuter Missam solemnem, & priuatam. Secundò. Quia Missæ priuatæ debent sequi stylum solemnis. Tertiò. Quia adest vniuersalis prohibitio non celebrandi in nocte : ergo concessio, quæ fit pro nocte Natiuitatis non est excedenda vltra primam Missam, quæ conceditur. Quartò. Quia consuetudo habet, quod vnica tantum Missa celebretur; nec sufficit, quod vnus, aut alter celebret omnes. Quia consuetudo non attenditur, nisi maior pars eam seruet. Quintò. Licèt in cap. *Nocte sancta*, dicatur, *Missas celebrent Præsbyteri*, non est tamen sensus, quod singuli omnes tres celebrent, sed singuli singulas. Sextò. Quia media nox non computatur pro die, nisi io ordioe ad vnam Missam. Vnde cum materia sit grauis, inferunt, esse peccatum mortale celebrare omnes tres Missas.

4 Secunda sententia asserit, posse celebrari in nocte omnes tres Missas. Ita Vasquez 3.*part. disp.*132. *cap.*3. *num.*32.Suarez *disput.* 80. *de Eucharist. sect.* 4. ver. *Tertio inquiri potest.* Layman. *lib* 5.*Theol. moral. tractat.*5.*cap.*4.*num.*2. Rodriquez *tom.*1. *sum.cap.*247. *conclus.*5. Reginaldus *lib.*29. *Praxis fori pœnit.n.*174. Coninch *de sacrament.quæst.* 83. *art.*2. *dub.*4. *n.*118. Præposit.3.*part. quæst.*83. *art.*2.*dub.*4. *num.*140. Mercer. *propos.*3. *num.*1. Putean.ver. *Addo etiam.*Zanard. *part.* 1. *direct. theol. cap.*9. *de Eucharist. quæst.*7.Scortia *lib.*2. *de sacrif. Miss. cap.*15. *num.*5. Molfes. *part.*1. *sum. tractat.* 3. *cap.*10. *num.* 22. Faustus *de Eucharist. lib.* 2. *quæst.* 125. ver. *At verò.* Lugo Card. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.*2. *num.* 25. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 15. ver. *Admittitur.* Marchin. *de ordine tractat.* 3. *part.* 3. *cap.* 7. *num.* 9. Tamburin. *de Iure Abbat. tom.*1. *disput.*5. *quæst.*7. *num.*3. Barbosa *in cap. Nocte sancta. num* 4. *de consecrat. dist.*1. Granad. 3.*p. controuers.*6.*tractat.*14. *disput.*10.*num.*5. *in fine.* Garzia *in sum. tract.*3. *difficult.*2 *dub.*5. *n.*4. Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disp.*4. *de sacrif. Miss.difficult.*4.ver.*Sacerdotes etiam.* Valent. *tom.*4.*disput.*6. *qu.* 11. *punct.*3. Caspens. *tom.* 1.*Curs.Theol.tract.*23.*disp.* 3.*sect.*2.*n.*61. Amicus *tom.*7. *Curs. Theol. disp.*33. *sect.*12. *n.*330. Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 4. *num.* 72. Alphons.de Leone *de offic. Capell. qu.*8. *sect.*17.*n.*158. Bonac. *de sacrif. Miss. lib.*1. *cap.* 21. *num.* 8. Sà *verbo* Missa *num.*27. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tractat.* 22. *disp. vnic. punct.* 7. *num.* 13. Francis. Lugo *de sacrament. lib.*5. *cap.*5. *quæst.* 6. *num.* 64. Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. lib.*1. *cap.*6. §.4.*n.*13.Quartus *in Rubric. Missal. part.* 1. *titul.* 15. *dub.* 7. ver. *Respondeo tamen.*

5 Dicendum est. *Omnes tres Missas celebrari posse in nocte Natiuitatis antequam elucescat*, desumitur ex cap. *Nocte sancta. de consecrat. dist.* 1. Vbi absolutè statuit Thelesphorus Papa, quod Præsbyteri in illa nocte Missas celebrent in hooorem Natiuitatis Domini, nec dicit vnam, aut plures, sed iodefinitè, & proinde, cum possit accipi decretum de vna, & de omoibus, non debet restriugi ad vnam, præsertim quia cum finis sit celebrare tempus Natiuitatis Saluatoris, melius celebratur, si omnes celebrentur, qoam si vna. Indefinita enim loquutio æquipollet vniuersali cap. *Quia circa de Priuil.* & cap. *Vt circa. de elect. in* 6. vbi Gloss. Dinus *de reg. iur. num.* 8. *in proœm.* Alex. *consil.* 26. *num.* 3. *lib.* 4. Menoch. *præsumpt.* 21. *num.*5.*lib.*4.

6 Et quamuis Platina in vita Thelesphori referat, quod statuerit, qood prima Missa diceretur iu nocte, secunda in Aurora, & tertia pleno die, attamen oportet, quod hoc collegerit ex eo, quod Missa solemnis his temporibus soleat celebrari; nou autem, quod de hoc habuerit certam aliquam notitiam. Imò quod statuerit, quod omnes tres Missæ in nocte celebrarentur, refert Vualfridus Strabo *de*

verb. Eccles. cap. 21. vbi habet. *Telesphorus nonus in ordine Romana Sedis Episcopus in Natali Domini noctu tres Missas celebrari constituit.*

7 Ratio autem est. Quia pro illa nocte cessat prohibitio celebrandi Missas; nam possunt plures Missæ celebrari, etiam vt concedunt Auctores oppositæ sententiæ, siquidem singuli Sacerdotes possunt, si velint, primam Missam celebrare: ergo poterit etiam quis celebrare tres Missas, si velit, quia quod celebrentur plures Missæ ab vno, vel à pluribus Sacerdotibus materialiter se habet, quia finis prohibitionis, æquè militat, quoad plures Missas, siue ab vno, siue à pluribus Sacerdotibus celebrentur. Confirm. Lex posterior in eo, quod contrariatur priori ipsi denegat, & facit, quod non habeat locum: ergo cum lex cap. *Nocte sancta, de consecrat. dist.* 1. Disponens, quod Præsbyteri celebrent Missas in nocte Natiuitatis Domini, contrarietur legi, seu consuetudini non celebrandi in nocte, ipsi derogabit quoad illam noctem, & consequenter auferet prohibitionem, & poterunt ab vnoquoque celebrari tres Missæ in illa nocte, cum nihil aliud obstare possit, nisi prohibitio quæ est iam sublata.

8 Ad primum resp. Si argumentum aliquid probaret, conuinceret, quod in die non posset celebrari prima Missa, cum in ea dicatur, *hanc sacratissimam noctem*, & à Rubrica assignetur pro nocte, quod tamen est contra praxim. Imò Missæ tres deberent singulæ distinctis temporibus celebrari à singulis Sacerdotibus cum indifferenter assignentur à Rubrica pro diuersis temporibus. Si ergo cogimur dicere, quod ista distincta tempora iuxta praxim accipiuntur tantum pro Missa solemni, consequenter etiam dicendum est, quod quando assignatur prima tantum Missa pro nocte, debeat accipi de solemni. Hinc etiam manet solutum secundum argumentum, nam constat ex praxi, & obseruantia quod Missæ priuatæ non debeant sequi ritum solemnis, cum communiter omnes simul continuò tempore celebrentur; alioquin si deberent sequi, deberet quisque Sacerdos distinctò tempore nocte, aurora, & pleno die eas celebrare.

9 Ad tertium. Prohibitionem non celebrandi in nocte esse ablatam pro nocte Natiuitatis Domini, vt constat ex dictis *num.* 7. non autem fit aliqua dispensatio, quæ proinde strictè accipienda sit. Nam in cap. *Nocte sancta de consecrat. distinct.* 1. absolutè statuitur, quod in nocte Natiuitatis Saluatoris celebrentur Missæ, non autem dicitur vna, aut altera; quæ dispositio cum sit lex, & lex fauorabilis, quia respicit solemnizationem Natiuitatis Christi, quæ debet latè interpretari, derogat absolutè prohibitioni non celebrandi illa nocte.

10 Ad 4. Plures celebrare in illa nocte omnes tres Missas, vt in pluribus locis etiam hic Romæ obseruaui, quod sufficit, vt dicamus, non obstare prohibitionem non celebrandi omnes tres Missas. Nam non agitur de consuetudine, quæ debeat iuri derogare, & proinde necesse sit, quod sit communis, vt præscripta: sed de obseruantia interpretatiua iuris, quæ scilicet interpretetur ius, cap. *Nocte sancta.* disponens, quod in nocte Natiuitatis Domini celebrentur Missæ, an scilicet de prima tantum accipiendum sit an etiam de reliquis. Pro obtinenda autem interpretatione, quod intelligendum sit de omnibus tribus Missis, sufficit, si adsint aliqui actus ita interpretantes, vt tradunt Castrens. *cons.* 347. *num.* 4. *lib.* 1. Crauetà *cons.* 118. *num.* 2. Decian. *cons.* 51. *num.* 59. *&* 84. *lib.* 2. Butrios *in cap. fin. num.* 47. *de consuetud. in secunda lect.* Aretin. *cons.* 11. *num.* 5. ver. *Sed tamen.* Alexand. *cons.* 5. *num.* 7. ver. *Nec requiritur. lib.* 6. Puteu. *decis.* 283. incipit *Voluerunt Domini, lib.* 1. Seraph. *decis.* 148. *num.* 6. & *decis.* 1401. *num.* 17. Caualer. *decis.* 80. *num.* 5. Pegna *decis.* 281. *num.* 3. Rota *decis.* 429. *num.* 6. & *decis.* 448. *num.* 3. *part.* 1. *Recent.*

Ad 5. Ex cap. *Nocte sancta.* haberi, quod Præsbyteri celebrent Missas, nec aliquid aliud. Hoc autem potest habere sensum, quod celebrent illas Missas, quas pro illa die possunt celebrare, vel quod singuli celebrent, singulas, nempe singuli primam. Prior sensus magis congruit indefinitæ loquutioni tex. Cum restrictio ad singulas primas non habeat in ipso text. fundamentum: imò sit contra regulas interpretandi leges; quia, cum contineat fauorem publicum nempe cultum, & solemnizationem temporis Natiuitatis Christi, debet, quàm ample fieri potest, interpretari. Accedit etiam, quod obseruantia ita interpretatur, vt dictum est *numero præcedenti.* 11

Ad 6. Mediam noctem non computari pro die, neque in ordine ad primam Missam. Quia si fictione iuris haberetur pro die, necessarium esset speciale ius hoc disponens. Hoc autem non disponitur in cap. *Nocte sancta.* Imò ex hoc textu contrarium colligitur, nam si haberetur nox pro die, non disponeret, quod in nocte celebraretur Missa, si enim Missa est celebranda in nocte, iam nox non habetur pro die statuitur ergo lex, quod Missæ in illa nocte celebrentur, & quoad hoc derogatur prohibitioni non celebrandi in nocte, & ideò possunt omnes celebrari. 12

Ex dictis colligitur. Quod, si quis esset celebraturus tantum vnam Missam in die Natiuitatis Domini, & vellet celebrare tertiam tanquam præcipuam, posset illam in nocte celebrare non secus, ac si primam celebraret: ita etiam Zanard. *part.* 1. *direct. cap.* 9. *quæst.* 7. Vgolin. *de offic. Episcopi, cap.* 16. *num.* 5. Ledesma *tom.* 1. *sum. cap.* 19. *de Eucharistia, post* 9. *conclus.* Villalob. *part.* 1. *sum. tract.* 8. *difficult.* 21. *num.* 3. Alphons. de Leone *de offic. Capell. quæst.* 8. *sect.* 17. *num.* 165. quia eodem modo, tunc posset celebrare, ac si esset celebraturus in die, cum totum tempus à media nocte vsque ad meridiem sit tempus habile ad celebrandum pro illo die, non secus, ac in aliis diebus ab aurora ad meridiem. Et ob eandem rationem posset etiam celebrare secundam. Nec obstat, quod in tertia Missa dicatur; *Hunc sacratissimum diem venerantes*, quia dies potest significare diem integrum à media nocte, ad mediam noctem, sicut computatur ab Ecclesia, & proinde verificatur oratio absque aliqua repræsentatione ad tempus futurum. 13

QVÆSTIO 405.

An in nocte Natiuitatis Domini sit expectanda media nox, vt possit Missa celebrari.

SVMMARIVM.

1. *Ex iure non deducitur expectandam mediam noctem pro celebratione in Natiuitate Domini.*
2. *Obseruantia declarat expectandam mediam noctem, & in quo fundetur.*

Si consideretur textus, cap. *Nocte sancta. de consecrat. distinct.* 1. nihil in ipso reperitur, ex quo deduci possit, quod post mediam noctem sit Missa celebranda. Et licet ex fine illius dispositionis videatur id colligi, quatenus hoc est dispositum, vt colatur 1

colatur Deus in tempore Natiuitatis Domini Saluatoris, attamen neque ex hoc deducitur, quia cum supponatur natus Christus in puncto mediæ noctis iuxta illud *Dum medium silentium tenerent omnia, &c.* Sicuti de facto celebratur Missa vt plurimum post mediam noctem, & nihilominus colitur Natiuitas Christi ita etiam in cultum ipsius posset celebrari ante mediam noctem.

4 Itaque quod debeat celebrari post mediam noctem ex sola obseruantia subsequuta deduci potest, quæ tamen habet suum fundamentum; nam in media nocte incipit dies celebritatis Natiuitatis Christi, & ideò Missa celebratur in ipso die festo. Rursus cum debeat Missa celebrari à ieiunis, debet expectari, quod transeat dies, in quo est violatum ieiunium naturale, qui non transit, nisi superueniente media nocte. Denique quia concessio celebrandi tres Missas est facta pro die Natiuitatis Domini, & ideò vt possint celebrari, debet expectari talis dies, qui non aduenit, nisi à media nocte. Hoc autem intelligi debet secluso priuilegio celebrandi primam Missam ante mediam noctem, aut consuetudine legitimè præscripta.

QVÆSTIO 406.

An in nocte Natiuitatis possint celebrari omnes tres Missæ, vbi non fuerunt solita celebrari.

SVMMARIVM.

1. *Seclusa consuetudine non videntur posse celebrari tres Missæ in nocte Natiuitatis.*
2. *Celebrari possunt.*
3. *Consuetudo requirit actuum repetitionem. Non potest introduci per actus negatiuos.*

1 Videtur negatiuè respondendum. Quia, cum non adsit vsus, lex recipitur tantum, vt concessiua celebrationis primæ Missæ in nocte; & ideò quoad alias duas remanet in vigore prohibitio noo celebrandi in nocte quia lex obligat, secundum quod est in vsu.

2 Dicendum tamen est. *Quod vbique possint nocte celebrari omnes tres Missa.* Ita videtur sentire, qui volunt, posse celebrari ante auroram, nam cum loquantur absolutè, nec distinguant de loco vbi adsit, vel non adsit vsus, oportet quod admittant pro omni loco. Ratio est, quia licèt vsus possit legi derogare in aliquo limitando eius dispotionem, non potest tamen facere, quod non possit seruari secundum totam suam amplitudinem, & si est concessiua, non possit vti beneficio concessionis, quando concernit singulos, vti singulos, quamuis alij non vtantur; nam ex eo, quod non vtantur non inducitur consuetudo, quæ habeat vim restringendi concessionem, itavt non possint vti, qui voluerint.

3 Ratio autem est. Quia cum consuetudo sit communis actuum repetitio, & moribus vtentium introducatur cap. *Consuetudo distinct.* 3. & cap. *Ita nos* 25. *quæst.* 2. non potest introduci per actus negatiuos non faciendi, quod fieri potest, vt eum Burgensi. *ad l.* 1. *Tauri.* notat Vasquez 12. *disput.* 177. *cap.* 6. *num.* 64. & iuxta doctrinam, quam tradunt Doctores Bart. *in l. Quo minus. num.* 27. *ff. de flumin.* Calderin. *cons.* 3. *in fine de consuetud.* Rolan. *cons.* 53. *num.* 38. *lib.* 2. Dec. *cons.* 175. *num.* 6. ver. *Præterea.* Surd. *cons.* 127. *nu.* 81. Menoch. *de Arbitrar. casu* 190. *num.* 6 Coccinus *decis.* 402. *num.* 10 Ludonic. *decis.* 162 *num.* 10. Merlin. *decis.* 106. *num.* 8. Thesaur. *decis.* 16. *num.* 3. *in fine.* Rota *decis.* 778. *num.* 5. *part.* 1. *diuers.* & *decis.* 536. *num.* 4. *part.* 2. *recent.* Vnde ex eo, quod in aliquo loco adfuerint Sacerdotes vti facultate celebrandi tres Missas in nocte Natiuitatis Domini, iuxta interpretationem, quam habet lex ab obseruantia subsequuta, vt dictum est in superioribus, non sequitur, quod fuerit restricta dicta facultas, itavt non possint celebrari ab eo, qui voluerit celebrare, non possint obstare solum actus negatiui, seu, non vsus dictæ facultatis, qui tamen non possunt inducere consuetudinem, vt iam dictum est.

QVÆSTIO 407.

An pro ministrando viatico liceat ante Auroram celebrare, & quanto tempore.

SVMMARIVM.

1. *Pro ministrando viatico licet præuenire tempus consuetum celebrandi.*
2. *Licentia Episcopi non est necessaria, vt pro viatico ministrando præueniatur tempus celebrandi.*
3. *Celebrari statim à media nocte, an possit.* & numero sequenti.
5. *Prohibitio celebrandi in nocte non est magis stricta pro vna, quàm pro alia parte à media nocte.*
6. *Licentia celebrandi ante tempus consuetum attento peratur causa.*
7. *Prohibitio non celebrari ante tempus concessum non praualet necessitati viatici.*
8. *Circa mediam noctem celebrari poterit, si vrgeat necessitas viatici.*

Supponendum est. Communiter Doctores docere, quod pro ministrando viatico licèt præuenire tempus consuetum celebrationis. Ita Gabriel *lect.* 14. *in Can. Miss. littera C.* Alens. *part.* 4. *quæst.* 10. *memb.* 5. *art.* 2. §. 2. Angel. *verbo* Missa 1. *quæst.* 6. Nauar. *cap.* 52. *Manual. num.* 85. & alij præsertim infra citandi. Nam cum ex vna parte concurrat præceptum de viatico, & spirituale interesse infirmi, & ex alia solum consuetudo, seu lex de hora celebrandi, debet cedere hora celebrandi tanquam minoris momenti. 1

Secundo est supponendum, Nam conuenire Doctores, an pro anticipatione celebrationis in hoc casu sit necessaria licentia Episcopi. Quidam enim volunt, quod præsente Episcopo sit petenda licentia. Ita Alensis, Sylvester, Angelus, Nauarrus, *locis num. precedent. citatis.* D. Anton. 3. *part. tit.* 10. §. 4. *cap.* 6. Azot. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25 *quæst.* 7. E contra verò alij nolunt, esse necessariam hanc licentiam, etiamsi Episcopus sit præsens. Ita Gabr. *num. præcedent. citat.* Palud. *in* 4 *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 2. *conclus.* 2. quatenus nullam mentionem faciunt de hac licentia expressè Vasquez 3. *part. disp.* 232. *cap.* 3. *num.* 29. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 24. *num.* 5. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 15. Marchio. *de sacrament. ordin. tractat.* 3. *part.* 3. *cap.* 7. *num.* 10. Fernandez *part.* 3. *Examin. Theol.* 3. *moral. cap.* 5. §. 14. *num.* 1. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 8. *in fine.* Sà *verbo* Missa. *num.* 27. & alij. Nam casus ipse est de se euidens ad fundandam epichiam, seu interpretationem, quod liceat extra horam consuetam celebrare. Neque enim vllo modo verisimile est, quod Ecclesia velit potius infirmum carere viatico, quàm celebrari 2

celebrari Missam extra horam consuetam, stante autem hâc interpretatione, de se cessat obligatio, nec alia licentia est necessaria. Accedit etiam, quod si esset expectanda licentia Episcopi; quamuis præsens esset, cum non ita statim, & facilè pateat aditus ad ipsum, exponeretur infirmus periculo moriendi absque viatico. Quod autem præcipuè facit difficultatem in hac re est, an statim à media nocte celebrari possit an vero solùm summo mane.

3 Prima sententia asserit, solùm licere celebrare summo manè non autem statim à media nocte. Ita Henriquez *lib. 9. sum. cap. 24. num. 5.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 25. quæst. 7.* Facundez *precept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 17. num. 15.* Bartholom. ab Angelo *Dial. 5. §. 650. & 651.* Posseuin. *de offic. Curat. cap. 8. num. 28.* Nald. *in sum. verbo* Missa. *num. 21.* Garzia *pract. 3. sum. difficult. 8. dub. 1. punct. 1. num. 3. in fine.* Trullench. *lib. 3. de sacrament. cap. 8. dub. 13. num. 2.* qui tamen vult, posse celebrari toto tempore, quod magis accedit ad auroram, quam ad mediam noctem Marchin. *disput. 4. de sacrament. ordin. tract. 3. part. 3. c. 7. num. 10.* qui ita limitant communem sententiam, quod liceat celebrare non expectando tempus debitum pro ministrando viatico.

4 Secunda sententia asserit, statim post mediam noctem posse celebrari, itavt Missa incipiat in ipsa media nocte. Ita Victoria *in sum. n. 97.* Layman. *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. cap. 4. num. 3.* Hurtad. *de sacrament. disput. 4. de sacrific. Miss. difficult. 4.* ver. *Addimus.* Lugo Cardin. *de Eucharist. disput. 20. sect. 1. num. 26.* Leander *de sacrament. tract. 8. disp. 6 qu. 5.* ver. *Sed Probabilius.* Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disp. 4. dub. 4. num. 73.* Auersa *quæst. 11. de Eucharistia, sect. 15. §. Deinde ex priuilegio.* ves. *Rursus ex causa necessaria.* Martio. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 1. tractat. 14. de Eucharist. num. 10.* Caspens. *tom. 2. Curs. Theol. tractat. 23. disput. 3. sect. 3. n. 63.* Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 22. disp. unic. punct. 7. num. 13.* ver. *Secundo excipitur.* Quartus *in Rubric. Missal. part. 1. titul. 15. dub. 4.* ver. *Respondeo affirmatiuè.* Francisc. Lugo *de sacrament. lib. 5. quæst. 6. num. 68.* Et potest etiam citari Vasquez *3. part. disp. 232. cap. 3. num. 29.* quatenus eius ratio militat pro toto tempore statim à media nocte.

5 Dicendum *Statim à media nocte licere celebrare pro ministrando viatico.* Ratio autem est. Quia prohibitio celebrandi ante auroram notabiliter non est magis stricta pro vna parte post mediam noctem, quam pro alia, siquidem est vna, & eadem prohibitio pro toto illo tempore, & ideo eo modo, quo obligat pro vna parte temporis, obligat etiam pro alia: ergo, si licèt celebrare summo manè, & notabiliter ante auroram, licebit etiam statim post mediam noctem, quia maior, vel minor distantia ab aurora non variat prohibitionem, & ideò si semel cedit, pro quacumque parte temporis post mediam noctem cedet.

6 Dices. Difficilius cedere prohibitionem, quo magis distat ab aurora. Quod ex ea patet, quod Pontifices concedentes priuilegia anticipandi horam celebrationis, difficilius concedunt pro maiori distantia ab aurora. Contra. Quia quando Pontifices concedunt priuilegia anticipandi horam consuetam celebrationis, concedunt ex aliqua causa, & iuxta exigentiam causæ attemperant concessionem: non autem quia maior, aut minor distantia reddat magis, vel minus difficilem concessionem: ergo si indigentia viatici exigit, quod statim post mediam noctem celebretur, poterit celebrari, quia iam prohibitio cedit huic causæ, & tantum cedit quantum exigit.

7 Confirm. Prohibitio non anticipandi auroram in celebratione Missæ est mere de iure positiuo, seu consuetudine, quæ habet vim iuris positiui: ergo non potest præualere, vt non celebretur in quacunque hora post mediam noctem pro ministrando viatico. Conseq. prob. Quia finis huius prohibitionis est tantum prouidere pro congruentia temporis destinati pro celebratione quantum fieri potest: non autem ita constringere ad has horas determinatas, vt non possint præueniri in aliquo casu necessitatis, in quo iuxta institutionem Christi sit necessaria celebratio pro ministratione sacramenti. Et ideò, quando agitur de viatico, habet locum epiekia, quod Ecclesia relaxet prohibitionem, cum non sit verisimile, quod ob finem, qui est ex mera institutione humana, velit frustrari finem, qui est ex institutione diuina nempe Christi.

8 Ex dictis colligitur. Quod si necessitas ministrandi viaticum valdè vrgeat, non erit expectandum, quod sit ipsa media nox, sed circa ipsam poterit inchoari Missa; itavt sufficiat, quod celebraturus iudicet, quod circa consecrationem erit media nox. Nam quæ præcedunt consecrationem, sunt tantum preces, & quædam præparatio ad sacrificium, quæ de se non sunt determinatæ ad certum tempus, & ideò sufficit, quod sacrificium secundum substantiam incipiat in media nocte.

QVÆSTIO 408.

An ob priuatam necessitatem possit anticipari hora consueta celebrandi.

SVMMARIVM.

1. *Modica anticipatio ex causa in celebrando non est peccatum veniale.*
2. *In celebrando an licita anticipatio notabilis ex priuata causa.* & num. seq.
4. *Omissio Missæ extra dies festos non reddit licitam anticipationem in celebrando.*
5. *Audire Missam non est maius bonum, quàm seruare regulam temporis in celebrando.*
6. *Pro implendo præcepto potest celebratio anticipari.*
7. *Præceptum audiendi Missam non obligat quando secundum ritum qui concernit ipsam celebrationem, celebrari non potest.*
Secus autem si non possit seruari aliqua lex circa extrinseca & minoris momenti.

1 PRocedit difficultas secluso priuilegio, aut dispensatione, itavt possit sola necessitas, qualis esset causa itineris, aut alia huiusmodi iustificare anticipationem. Rursus etiam procedit de anticipatione notabili, nam si anticipatio non excedat paruitatem materiæ iuxta dicta in superioribus, neque etiam erit peccatum veniale, quia causa seu necessitas reddet licitam illam modicam anticipationem; imò fundat benignam interpretationem, quod Ecclesia stante tali causa non ita rigide exigat obseruantiam horæ præfixæ.

2 Prima sententia asserit, esse licitam anticipationem stante aliqua necessitate, seu causa rationabili, & ponit exemplum de causa itineris. Ita Henriquez *lib. 9. sum. cap. 14. num. 5.* Sà *verbo* Missa. *num. 27.* in correctis tamen, id mutatum est. Trullench *lib. 3. de sacrament. cap. 8. dub. 13. num. 2.* videtur etiam idem sentire Rodriquez *part. 1. sum. cap. 250. conclus. 1.* vbi cum doceat, id licere cum licentia Episcopi. Subdit, non esse necessariam licentiam, si Episcopus sit absens. Idem etiam tenent nonnulli recentiores,

&c

& citat alios Doctores, qui tamen non loquntur in his terminis, sed cum dispensatione.

3 Secunda sententia negat, esse licitam huiusmodi anticipationem. Ita Layman. *lib.5. Theol. moral. tract.5. cap.4. num.3.* Facundez *praecept. 1. Eccles. lib.3. cap.17. n.18.* Marchin. *de sacram. ordin. tract.3. part.3. cap.7. num.11.* Auersa *quaest.11. de Euchar. sect.13.* vers. *Deinde ex priuileg. in fine.* Leander *de sacram. tract.8. disputatione sexta, quaestione septima.* Narbona *in Horograph. Iur. hora 1. numero 16.* Quartus *ad Rubricas Missalis, parte prima, tit. 15. dub. 4.* vet. *Secundus casus.*

4 Dicendum. *Secluso precepto audiendi Missam non posse Sacerdotes causa itineris, vel aliqua alia simili celebrare notabiliter ante Auroram.* Intelligitur autem de illa anticipatione notabili, quæ secundum se sufficit ad constituendum peccatum mortale. Ratio est. Quia non potest concurrere alia causa iustificans huiusmodi anticipationem, nisi quia aliàs esset Missa omittenda. Hæc causa non sufficit, quia obligatio legis, seu consuetudinis, quæ habet vim legis non cessat eò, quod actus regulari non possint secundum eius præscriptionem, aliaquin frustra ponerentur leges regulantes actus, si deberent cessare, quando actus non posset regulari secundum ipsum, ne aliàs actus omitteretur; sic licet condere testamentum sit actus, cui iura valdè fauent, attamen leges præscribentes solemnitatem, cum qua condi debet, non cessant, ex eo, quod non possint in aliquo casu seruari, sed potiùs volunt, quod non condatur.

5 Dices. Tunc lex esset impeditiua maioris boni. Resp. neg. conseq. Quia respectu Ecclesiæ est maius bonum, quod seruetur præscriptio de hora celebrandi, quàm quod relaxetur ex quacunque causa in eum solum finem, vt aliquis Sacerdos possit celebrare. Siquidem agitur de manutenenda regula circa horam celebrationis, quæ spectat ad bonum vniuersale. Quod si dicas quod etiam celebratio vnius Missæ est bonum vniuersale cum contineat publicum cultum. Resp. Quod non impeditur sacrificium, quatenus continet publicum cultum, sed quatenus non offertur hora debita; quod non solum non est bonum vniuersale, sed quid contra ipsum. Quod aut sequatur ex hoc, quod non offeratur illud sacrificium est præter intentionem Ecclesiæ, & legis, seu consuetudinis, quæ quidem vult oblationem sacrificij quantum fieri potest, sed cum debita circumstantia temporis.

6 Dicendum 2. *Quando ratione precepti est audienda Missa, tunc ratione itineris, aut ex alia rationabili causa potest anticipari notabiliter hora celebrationis si aliàs non posset Missa celebrari.* Ita Sotus in *4. dist. 10. qu. 1. art. 2. in fine.* Ratio est. Quia in hoc casu concurrunt præceptum audiendi Missam, quod impleri non potest, nisi anticipetur tempus celebrationis, & præscriptio horæ celebrandi Missam, siue ex lege, siue ex consuetudine. In hoc autem concursu debet cedere præscriptio horæ celebrandi, siquidem est pure positiua, & Ecclesiastica. Præceptum autem audiendi Missam, quamuis sit positiuum, & Ecclesiasticum continet tamen executionem præcepti naturalis, & primi de colendo Deo per sacrificium, & proinde, licèt determinatio sit positiua, & Ecclesiastica, substantia tamen deriuat ex præcepto naturali, & diuino.

7 Dices. Præceptum audiendi Missam non obligare nisi quando celebrari potest secundum ritus, & leges Ecclesiæ: vnde non obligat, quando impeditur celebratio ratione interdicti, &c. Resp. Non obligare, quando non potest celebrari secundum leges, quæ præscribunt ea, quæ necessaria sunt pro debita reuerentia sacrificij, quod reuerenti modo tractari debeat, leuis autem quando obstant leges præscribentes aliquam circumstantiam extrinsecam sacrificij, qualis est hora celebrandi, nam hæc tanquam minoris momenti cessant per concursum præcepti audiendi Missam. Leges autem, quæ directè prohibent aut celebrare, aut audire Missam, quia tendunt ad priuandum hoc, bono spirituali ita exigente Ecclesiastica disciplina manutenentur contra præceptum audiendi Missam, quia potest Ecclesia vti hac punitione, & proinde contra ipsas non vrget præceptum de audienda Missa.

QVÆSTIO 409.

An possit ante Auroram celebrari, vt obuietur violationi præcepti audiendi Missam.

SVMMARIVM.

1. *Ad obuiandum violationi præcepti quatenus possit anticipari celebratio Missæ.*
2. *Quatenus non possit anticipari.*
3. *Amissio notabilis lucri est causa sufficiens anticipandi Missæ celebrationem.*
4. *Cur pro artificibus liceat anticipare celebrationem in diebus profestis, & non in festis.*
5. *Diuersa ratio de relaxatione voti ad vitandum peccatum, & de anticipatione celebrationis.*

Contingere potest, quod aliquis iturus ad venandum, instet in die festo pro Missa notabiliter ante Auroram, paratus ire, etiam si non audiat Missam, nisi tunc celebretur, atque adeò quod nec etiam alij sint audituri, quos secum ducit: vnde dubitatur, an in tali casu ad vitandum huiusmodi peccatum in proximo possit anticipari celebratio Missæ. Dicendum est. *Posse celebrari Missam cum tota illa anticipatione, quæ licita est, vel ratione priuilegij, vel ratione dispensationis.* Ratio est. Quia Charitas nos obligat ad amandum proximum sicut nos ipsos, atque adeò ad occurrendum ruinæ ipsius spirituali, si fieri potest sine nostro incommodo, quando ipse quoque vitare potest talem ruinam: ergo si licitè anticipari potest celebratio Missæ, erit anticipanda ad vitandum peccatum proximi. Hoc autem est intelligendum dummodo cæteris, qui audituri sunt tempore opportuno, non subtrahatur Missa; quia non debet ob vnius, vel paucorum malitiam cæteri fraudari celebratione Missæ, quam tenentur audire. 1

Dicendum 2. *Si aliàs celebratio Missæ non potest licitè anticipari, neque etiam ex hac causa licitè anticipari potest.* Ratio est. Quia talis anticipatio reduceretur in causam voluntariam, qualis esset ire ad venationem, quæ proinde, non est sufficiens, vt faciat cessare obligationem legis: aliàs quotiescunque quis vellet exercere actum incompossibilem cum obseruantia alicuius legis, deberet cessare illius obligatio, etiamsi nulla adesset necessitas exercendi talem actum. 2

Est tamen, aduertendum, quod, si ageretur de aliqua venatione, aut piscatione temporanea, quæ fieret cum lucro notabili, tunc quia amissio lucri æquipararetur damno, posset in die festo notabiliter anticipari celebratio Missæ, vt ea audita, possent ire ad venationem, aut piscationem; hæc enim causa est sufficiens, vt cesset obligatio legis cap. *Licet de feriis*, quia lex humana positiua non obligat cum tanto damno. Etsi potest anticipari celebratio Missæ in diebus, in quibus non vrget præceptum, vt possint artifices audita Missa se conferre ad sua exercitia, & reddit consuetudinem rationabilem, vt dictum est 3

est supra cum pluribus, multò magis erit rationabile anticipare in die festo in tali casu.

4 Ex quibus deduci potest solutio difficultatis, cur liceat pro artificibus anticipare celebrationem Missæ in diebus ferialibus, & non in die festo pro itoris ad venandum, nempe quia artifices ex necessitate incumbunt suis exercitiis, nec subtrahunt Dei cultui dies destinatos, sed ex deuotione desiderant exhibere specialem cultum non debitum interueniendo sacrificio, & ideò Ecclesia indulget ipsorum deuotioni. At ituri ad venandum in die festo, non ex aliqua necessitate, sed ex mera libera electione vtuntur die destinato ad cultum Dei ad induigendum propriæ satisfactioni, & ideò non merentur indulgentiam Ecclesiæ.

5 Dices. Ad vitandum peccatum, relaxatur votum, quod obligat de iure naturali diuino; ergo multò magis potest relaxari obligatio non anticipandi Auroram, cum sit de mero iure Ecclesiastico. Resp. Ex hoc solum sequi, quod sicut ad relaxandam obligationem voti in dicto casu requiritur auctoritas superioris, ita etiam in præsenti possit auctoritas Superioris se intromittere dispensando, vt celebratio Missæ anticipetur. Deinde non est eadem ratio. Nam votum dispensatur ad vitandum peccatum, quando fragilitas est causa peccandi, itavt contingat peccare cum displicentia; at in casu præsenti sola malitia est causa peccandi, quia nulla necessitate, nec fragilitate trahitur ad relinquendam Missam, vt indulgeat venationi.

QVÆSTIO 410.

An in nocte Resurrectionis Domini fuerit olim licitum celebrare post mediam noctem.

SVMMARIVM.

1. *Missa quæ nunc celebratur in Sabbato sancto, olim nocte celebrabatur.*
2. *Qua parte noctis fuerit celebrata.* & numero sequenti.
4. *Initio noctis celebrabatur.*
5. *Quid de hac Missa habeat Ordo Romanus.*
6. *Cur illo tempore celebraretur.*
7. *Modo non licet prima nocte illam celebrare, & cur.*
8. *Abrogatus est ritus de non celebrando in Sabbato sancto.*

1 MIssam, quæ modo celebratur in Sabbato sancto, fuisse celebrari solitam in nocte sequenti extra difficultatem est. Ita enim obseruant communiter Doctores Gloss. *in cap. Quod à Patribus. dist. 75.* D. Antonin. 3. *part. tit.* 13. §. 4. ver. *Quantum ad horam.* Syluester *verbo* Missa 2. *quæst.* 6. *dicto* 1. Tabiena *num.* 5. Victoria *in sum. vbi de Eucharistia, num.* 97. Sotus *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *art.* 3. *in fine.* & *art.* 4. ver. *Priuilegium.* Nauar. *cap.* 25. *Manual. num.* 88. & *cap.* 4. *de orat. num.* 42. Tolet. *lib.* 2. *sum. cap.* 3. *in fine.* Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 24. *num.* 3. & 6. & *in comm. littera E.* & alij infra citandi. Solum difficultas est, an fuerit solita celebrari in principio noctis, an verò post mediam noctem sicuti in die Natiuitatis Domini.

2 Prima sententia asserit, fuisse solitam celebrari post mediam noctem. Ita Suarez *disput.* 80. *de Eucharist. sect.* 4. *except.* 2. Vasquez 3. *part. disput.* 232. *cap.* 2. *n.* 25. & *cap.* 3. *num.* 32. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *c.* 15. *num.* 18. Hurtad. *de sacrament. disp.* 4. *de sacrific. Miss. difficult.* 4. *ver. Tandem antiquitus*, & alij, qui ita explicant D. Thom. infra citandum. Citari solet pro hac sententia cap. *Quod à Patribus, dist.* 75. post diem Sabbati eius noctis quæ lucescit in primo Sabbato, &c. Sed hoc non facit ad rem: imò ex hoc textu oppositum eruitur, vt infra.

3 Secunda sententia negat, & asserit, Missam, quæ modo cantatur in Sabbato sancto, consueuisse celebrari in principio noctis præcedentis Dominicam Resurrectionis. Ita Glos. *in cap. Quod à Patribus, verbo Sabbato, distinct.* 75. D. Thom. 3. *part. quæstione* 83. *articul.* 2. *ad* 4. *in fines* & *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 1. *articul.* 2. *quæst.* 4. Gauantus *in Rubricas Missalis, part.* 4. *tit.* 10. *num.* 45. Lugo Cardin. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.* 1. *num.* 16. & 17. vbi id clarè ostendit. Leander. *de sacrament. tractat.* 8. *disput.* 6. *quæst.* 8.

4 Dicendum est. *Missam Sabbati sancti consueuisse celebrari initio noctis subsequentis Sabbatum, & præcedentis diem Dominicum.* Desumitur ex dicto cap. *Quod à Patribus, dist.* 75. vbi Leo Papa declarans, quod ordinatio Sacerdotum, & Diaconorum non debeat fieri quocumque tempore, sed in initio noctis subsequentis Sabbatum inquit, *Post diem Sabbati eius noctis, quæ lucescit in prima Sabbati exordia consecrandi eligantur*, quod autem intelligat de initio noctis declarant verba subsequentia, dum inquiens, quod protrahi potest ad mane diei Dominici subdit. *Quod eiusdem obseruantiæ erit, si mane ipso Dominico die continuato ieiunio Sabbati celebretur*, & reddit rationem, cur erit eiusdem obseruantiæ, inquiens. *A quo tempore præcedentis noctis initia non recedant*; quia scilicet vespere incipit dies Ecclesiasticus. Si ergo est eiusdem obseruantiæ ordinare mane diei Dominici, quia ab ipso non recedunt initia noctis præcedentis, oportet, quod ista initia fuerint tempus, in quo celebraretur ordinatio. Vnde cum postea subdat. *Quod ad diem Resurrectionis, (sicut etiam in Pascha Domini declaratur) pertinere non dubium est.* Si ergo hoc initium noctis pertinet ad diem Resurrectionis, qui est Dominicus, & id declaratur, in ipso Paschate, requiritur, quod Pontifex respexerit ad morem celebrandi in principio noctis post Sabbatum Missam Resurrectionis, quæ hodie celebratur manè in Sabbato.

5 Sed apertè desumitur ex Ordine Romano, vbi *de Sabbato sancto* ibi. *Postea modico interuallo, vt fuerit prima stella, in cælo visa sonant signa, & incipiunt canere Litanias ad introitum, & postquam finierint Litaniam dicit Sacerdos, Gloria in Excelsis.* Nota, vt fuerit prima stella visa. Rabano Mauro *lib.* 2. *de instit. Clericor. cap.* 38. loquente de Sabbato sancto ait. Hac autem die inclinante ad vesperam, statuta celebratio noctis Dominicæ in Ecclesia incipitur. Rursus ex Hugone Victorino *lib.* 3. *de special. Missar. obseruat. cap.* 21. vbi habet, *Queri tam, sicut diximus, vespera illa ad diem sequentem pertinet, & verè, antiqui iam ferè transacta die Sabbati officium hoc celebrabant, sed modernorum debilitas ad epulas festinans tempus præuenit constitutum.* Ex quibus constat, quod Missa Sabbati sub initium noctis celebrabatur, quia scilicet illud tempus pertinebat ad diem Resurrectionis cum vespere incipiat dies more Ecclesiastico in ordine ad officium Ecclesiasticum.

6 Et hoc habet fundamentum ex ratione. Nam in tantum non celebrabatur in Sabbato Sancto, in quantum erat secundum mysterium de vno celebrando per biduum iuxta cap. *Sabbato, de consecratione, distinct.* 3. Ergo completo biduo poterat celebrari, & non vlterius expectandum. Completur autem vespere Sabbati iuxta ritum Ecclesiasticum in ordine ad diuina officia, vt desumitur ex cap.

Quod

Quod à Patribus, distinctione 75. & ideò tunc poterat celebrari: vnde non est dicendum, quod expectauerint mediam noctem quasi Missa pertineret ad sequentem diem naturalem, quod etiam ex eo constat, quia, post dictam Missam, recitabantur vespere Sabbati. Confirmatio sequeretur, quod in die naturali Paschatis fuissent celebratæ duæ Missæ, si Missa, de qua loquimur, celebrata fuisset post mediam noctem; quod nunquam pluries celebrare extra casum necessitatis concessum legitur, nisi in Natiuitate Domini,& Natiuitate sancti Ioannis Baptistæ.

7 Ex dictis cessat quæstio, an nunc liceat nocte præcedente diem Dominicum Resurrectionis celebrare Missam; nam si loquamur de Missa Sabbati sancti, iam abrogata est consuetudo celebrandi in nocte, vt obseruant Diuus Antoninus *tercia parte, titul.* 13. *cap.* 6. §. 4. ver. *Quantum, vel horam.* Syluester *verbo* Missa 1. *quæst.* 6. *dicto* 1. Tabiena *numero quinto*, Victoria *in summ. de Eucharistia, numero* 97. Sotus *in quarta distinctione decimatertia, quæstione secunda, articulo secundo.* ver. *Priuilegiam.* Nauarrus *capite vigesimoquinto, Manualis, numero* 98. Armilla *verbo* Miss. *numero secundo.* Suarez *disputatione* 80. *de Eucharistia, sectione quarta, except.* 2. & ex praxi. Si verò loquamur de Missa diei Resurrectionis hæc celebranda est more aliarum cum nunquam de hac fuerit consuetudo in contrarium. Accedit etiam quod Pius V. *Constitut.* 4. *tom.* 2. *Bullar.* prohibuit omnino Missas vespertinas etiam in Sabbato præcedente Resurrectionem Domini. Nescio tamen, quo fundamento Vasquez 3. *part. disput.* 232. *cap.* 3. *num.* 33. dixerit. In aliquibus Ecclesiis etiam Romæ consueuisse celebrari nocte Resurrectionis Missam solemnem propè Auroram.

8 Colligitur ex dictis, quod cum Missa Sabbati sancti non celebraretur, nisi initio noctis sequentis, quando in ordine ad diuina officia erat, cum inceptus dies Ecclesiasticus Resurrectionis, aut post mediam noctem, vt alij volunt, licèt sine fundamento, & modo celebretur in mane ipsius Sabbati, sequi, quod sit abrogatus ille ritus de non celebrando per biduum. Siquidem modo sola feria sexta Parasceues cum celebratur, quod hac occasione necessarium fuit adnotare propter ea, quæ infra dicenda sunt.

QVÆSTIO 411.

Qua hora terminanda sit celebratio Missarum.

SVMMARIVM.

1. *Celebratio Missæ, meridie claudi debet.*
2. *In ieiuniis Missa protrahi potest ad horam nonam.*
3. *Imò singulis diebus secundum aliquos.*
4. *In quo hæc opinio fundetur.*
5. *Vltra meridiem non possunt protrahi Missa.*
6. *Rubrica, consuetudo & priuilegia id ostendunt.*
7. *Antiquitus vltra meridiem protraheretur celebratio.*
8. *Terminus finiens celebrationem paulatim anticipatus.*
9. *Meridies terminans Missas non sumitur strictè.*
10. *Circa eius latitudinem discrepant Doctores.*

11. *In aliquibus casibus licèt post meridiem celebrare.*
12. *Consuetudo non celebrandi vltra meridiem quo animo sit inducta, non constat.*
13. *Consuetudo non obligat, si sit dubium, quo animo inducta.*
14. *In facultatiuis non inducitur consuetudo per non actus.*
15. *Consuetudo non celebrandi post meridiem non est vniformis.*
16. *Si diuersimode obseruetur non inducitur consuetudo.*
17. *Quomodo regulandus terminus celebrationis.*
18. *Quod non sit communo tempus prandendi.*
19. *Celebrans longè post meridiem an peccet mortaliter.*
20. *Meridies quomodo sit terminus celebrationis.*
21. *Priuilegia celebrandi vltra meridiem quid operentur.*
22. *Quid attendendum in termino claudente celebrationem Missæ.*
 Communis sensus procedens ex errore non attenditur.
23. *Missæ vespertinæ quanam sint.*

IN Rubricis Missalis generalis *part.* 1. *tit.* 15. habetur. 1
Missa priuata saltem post matutinum, & laudes quacunque hora ob Aurora vsque ad meridiem dici potest. & ita etiam videtur receptum consuetudine, quamuis non ita rigorose, sed cum exceptione seruetur. Verum an hic terminus sit tantum directiuo modo præfixus, an verò sub obligatione reddit incertum diuersitas sententiarum. Hoc tamen certum est: Quod si hic terminus cadit sub obligatione, grauis erit obligatio, quia materia est grauis, sicut etiam terminus Auroræ inducit grauem obligationem.

Prima sententia asserit, in diebus ieiunij Missarum celebrationem protrahi posse vsque ad horam nonam. Hora autem nona est tertia post meridiem. Ita D.Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 2. *ad* 3. Alens. 3. *part. quæst.* 10. *mem.* 5. *art.* 2. Durand. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 7. Richard. *art.* 2. *quæst.* 3. Palud. *quæst.* 2. *art.* 2. *conclus.* 1. D.Antonin. 3 *part. tit.* 13. *cap.* 6. §. 4. Syluester *verbo* Missa 1. *quæst.* 6. *dicto* 2. Idem etiam sentit Gabriel. *lect.* 14. *in Can. Miss. littera C.* quamuis addat, quod consuetudo in contrarium. Ex scriptoribus autem de rebus Ecclesiasticis Ammalar.Fortun. *lib.* 4. *de Ecclesiast.offic.cap.* 40. Durand. *lib.* 4. *Rational.diuin. offic. cap.* 1. *num.* 20. Valf.id. Strabo. *De reb.Eccles.cap.* 23. & habet fundamentum in Concil.Cabilonen. relato in cap. *Solent.de consecrat.dist* 1. vbi non censeatur legitimè ieiunare, qui statim audita hora nona comedebant eo, quod prius absoluenda erat Missa,& cantandum vespertinum officium. Ex quo constat, quod vsque ad horam nonam protrahebatur celebratio Missæ.

Secunda sententia asserit, absolutè singulis diebus celebrationem Missarum protrahi posse vsque ad horam nonam, hoc est tertiam post meridiem. Ita Scot. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. §. *Tertium principale.* Rosella *verbo* Missa, *num.* 2. Angelus *num.* 41. Nauar. *c.* 25. *Manual. num.* 81. & *de orat. cap.* 3. *num.* 44. & *cap.* 21. *num.* 31. Sà *verbo* Missa. *num.* 27. Vital. *in candelab. tit. de sacrament. Altar. num.* 151. Pitig. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 4. Llamas *part.* 3. *Methodi cap.* 5. §. 18. Salzedo *in pract.crimin.cap.* 47. *num.* 4 Rodriquez *in Bullam Cruciata*, §. 9. *n.* 9. Dicastil. *de sacram.tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 5. *n.* 18. Et quamuis Vasquez 3. *part.disp.* 232. *cap.* 4. *n.* 40. explicat Doctores antiquos pro vtraque sententia allegatos; quod non intelligant de hora diei nona; sed de hora nona, quæ est talis inter Canonicas, non tamen hæc explicatio locum habere potest. Quia

Doctores citati agunt de hora temporis, in qua licèt celebrare; vnde si respondissent per horam Canonicam, non soloissent difficoltatem; & cum dicant, licere ab aurota vsque ad horam nonam, palam fit, loqui de tempore, & nimis ineptè respondissent, si assignassent vnum terminum temporis & alterum borarum Canonicarum. Tum quia, si boræ Canonicæ sumuntur, vt correspondeant horis diei idem esset, ac assignare horam nonam temporis; si verò sumuntur, vt celebrari solent in Choro, non assignassent horam certam, quia ab aliquibus citius, ab aliquibos tardius celebrantur, tom quia, quando dicunt celebrandam Missam bora nooa, & vsque ad ad ipsam protrahi posse Missas priuatas reddunt rationem, quod bora nona expirauerit ita Cruce; expirauit autem hora nona diei.

4 Hæc secunda senteotia fundatur in eo, quod nullum adsit ius prohibens celebratinnem ante horam nonam, & aliàs celebratio in tali bora magnam habet congruentiam, quia scilicet Christus in nnna hora expirauit. Secundò, quia aliquibus in locis solet hora, & dimidia, etiam duabus horis post meridiem celebrari, & se ita vidisse practicari, asserit Dicastil. citat. *num. præcedent.* Tertiò, quia coosuetudo onn celebrandi vltra meridiem noo est inducta vt obligatiua, sed ob commoditatem, tam Sacerdotum, qui nnluot remaoere impransi vsque ad horam nonam, quàm etiam fidelium, qui non solent audire Missam, nisi ante praodiom, & circa meridiem volunt praodere. Quartò. Quia sola negatio actus noo sufficit ad iotroducendam consuetudinem at in alio, sed simili caso haber idem Suarez *disput.*80. *de Eucharist. sect.*2. ver. *Superest verò.*

5 Tertia sententia asserit. Terminum vltra, quem non potest protrabi celebratio Missæ esse meridiem, sumendo tamen meridiem motaliter, & cum aliqua latitudine. Ita Maior *in* 4. *dist.* 3. *quæst.* 3. §. *Quintò arguitur*, & *distinct.* 13. *quæst.* 4. §. *De tempore.* Sotus *distinct.* 13. *quæst.* 2. *art.* 2. §. *Priuilegium.* & *lib.* 10. *de Iust. & iur. quæst.* 5. *art.* 4. §. *De ordine preterea.* Francolin. *de horis Canon. cap.* 41. *num.* 3. vbi latè impognat sententiam Naoar Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 24. *n.* 6. Tabieoa *verbo* Missa. *num.* 6. Armilla *num.* 2. Azorius *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *quæst.* 2. *in fine.* Tolet. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 4. Suarez *disput.* 80. *de Eucharist. sect.* 4. *dict.* 2. vocans hanc sententiam magis receptam, & magis secutam Vasqoez 3. *part. disput.* 232. *cap.* 4. *num.* 76. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 252. *conclus.* 2. Tanner. *tom.* 4. *sum. disput.* 5. *quæst.* 10. *dub.* 4. *num.* 64 ver. *Sed melius* Graf. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 30. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 8. Filliucius *tractat.* 5. *cap.* 4. *quæst.* 7. Chamerota *de sacrif. Miss. dub.* 13. Naldus *verbo* Missa. *num.* 26. Booac. *disputat.* 4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 9. *num.* 4. ver. *Verum hæc sententia.* Victoria *in sum. num.* 97. Bartholom. ab Angelo *Dialog.* 5. §. 647. Piazeo *in Praxi Episcopi. cap.* 3. *num.* 22. Coninch *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 2. *dub.* 4. *num.* 217 Ioan. à Cruce *de Statu Relig. lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 6. Reginaldus *lib.* 29. *Praxis fori pœnit. num.* 233. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 40. *art.* 10. Lugo *de Eucharist. disput.* 20. *sect.* 1. *num.* 38. Garzia *in sum. tractat.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 1. *punct.* 1. *n.* 8. Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disput.* 4. *de sacrif. Miss. difficult.* 5. ver. *Maior vero.* Caspeos. *part.* 2. *Curs. Theol. tractat.* 23. *sect.* 2. *num.* 63. Amicus *tom.* 7. *Curs. Theol. disp.* 33. *sect.* 12. *num.* 325. Potean. 3. *part. q.* 83. *art.* 2. ver. *Respond.* 1. Marchio. *de sacrament. ordin. tractat.* 3. *pert.* 3. *cap.* 7. *num.* 12. Laymao. *lib.* 4. *Theol. moral. tractat.* 5. *cap.* 4. *num.* 4. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tractat.* 22. *disput. vnic. punct.* 7. *num.* 14. Villalob. *part.* 1. *sum. tract.* 8. Trullench *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 8. *dub.* 13. *num.* 3. Homobon. *part.* 1. *Examin. Ecclesiast. tract.* 4. *cap.* 14. *quæst.* 114. Alphons. de Leone *de offic. Capell. quæst.* 8. *sect.* 17. *num.* 148. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 15. ver. *Attamen communis.* Feroaodez *part.* 3. *Examin. Theol. moral. cap.* 3. §. 14. *num.* 1. Syluius 3 *part. quæst.* 83. *art.* 2. Ioan. à Cruce *part.* 2. *Direct. conscient. quæst.* 2. *de sacrif. Miss. dub.* 1. *conclus.* 4. Faustus *de Eucharistia, lib.* 2. *quæst.* 123. ver. *Ex quo.* Francis. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 5. *quæst.* 7. *num.* 74. & *num.* 76. subdit, non esse omninò certum, quod consuetodo non celebrandi vltra meridiem sit recepta cum obligatione graoi, cum forsan ob bumanam fragilitatem est iotroducta Leander *de sacrament. tractat.* 8. *disp.* 6. *quæst* 9. ver. *Sed longè.* Narbona *in Horograph. tit. hora* 7. *num.* 8. Pax Iordan. *tom.* 1. *variar. Lucubrat. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 83. Lessius *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 2. *Tit. De tempore, num.* 73. Qui tamen non putat improbabilem appositam sententiam.

Fundatur primo hæc sententia in Rubr. Missal. quæ 6
assignat auroram, & meridiem pro terminis, intra quos Missa celebrari potest. Rubrica autem habet approbationem à summo Pootifice. Secundò in consuetudine, quod non differatur Missa vltra meridiem, quæ consuetudo est vniuersalis. Tertiò in priuilegiis, quæ conceduntur pro celebrarinne Missæ vltra meridiem, quæ superflua essent, si posset absque ipsis celebrare. Quartò in communi sensu, nam omnes putant terminum meridiei esse ita præfixum, vt non liceat vltra ipsum celebrare. Denique *in Constit.* 4. Pij V. in qua prohibet Missas vespertinas. Verum hæc constitutio nox fuit ad rem, vt *infrà* videbimus.

Ex bis, quæ dicta sunt, constat, quod pro nulla sen- 7
teotia adsunt talia fuodamenta, quibus solidè stabiliatur & quæ facilè dissolui noo possint, & quæ pro tertia sententia oblata suot, fere soluta manent ex dictis pro secunda sententia. In hac tamen difficultate quædam certa sunt; quædam, quæ, etsi non omnes admittant, ferè tamen commuoiter conceduntor. Certum est. Primò. Quod antiqoitus vltra meridiem durabat celebratio Missarum, & Missa solemois in diebos ieiuoij, noo celebrabatur nisi hora oona, seu tertia post meridiem: & conseq. poterat vsqoe ad illam boram continuari celebratio priuatarum Missarum, vt constat ex auctoribus allatis pro prima sententia, & ex Concil. Cabilon. ibid. relato.

Secundò etiam certum est. Quod paulatim cœptus 8
est anticipari terminus est claudendi celebratiooem Missarum, præsertim in diebus ieiuoij, itavt tandem reductus sit etiam in diebus ieiunij ad meridiem, & hoc factum est, qoia in diebus ieiunij non licebat prandere, nisi impletis officiis diuinis, quæ durabant vsque ad horam nonam, vt constat ex cit. Concil. Cabilpneo. Cœperuot autem officia diuin. citiùs compleri, vt possiot ieiunantes prandere, quia ægrè sustinebaot ieiuniom vsque ad illam horam, & ita paolatim reducta sunt, vt in meridie complerentur, vt tunc possent, qui vellent, prandere. Et hinc constat qoale initium habuerit consuetudo claudeodi celebrationem Missarum io meridie. Et ita etiam aduertit Lugo Card. *disput.* 20. *de Eucharistia, num.* 40.

Tertiò. Communiter admittitur, quod terminus 9
claudendi celebrarionem Missarum, seu meridies non ita strictè attendendus sit, sicut attenditur aurora, pro termion incipiendi celebrationem. Ex quo fit, quod aurora attendatur morali modo, & cum aliqua latitudine maiori, aut minori, iuxta varias senteotias, vt dictum est in superioribus, cum maiori latitudine debeat attendi meridies. Hoc autem factum est, qoia cum paulatim iste terminus cœperit anticipari, non est ioducta æqualis consuetudo apud omnes, sed cum maiori, vel minori

anticipa

Digitized by Google

anticipatione, atque adeò cum magna latitudine in ordine ad punctum meridiei. Et proinde consuetudo non est regulata vno, & eodem sensu, sed diuersis, prout quisque iudicabat posse conuenienter claudi celebrationem Missarum habita ratione temporis prandendi scilicet illius, in qua communiter solent se recipere ad prandium. Ex quo elicitur, quod ista consuetudo regulata sit, habita ratione temporis prandendi.

10 Quartò certum est. Quod non conueniunt Doctores in assignanda latitudine temporis vltra punctum meridiei, in quo liceat celebrare. Nam aliqui ponunt tantum tertiam partem horæ, alij horam dimidiam, alij tres quadrantes, alij etiam horam integram, in qua post meridiem liceat incipere Missam, vt videre est apud Doctores: alij verò volunt, quod si Missa solemnis incipiat circa meridiem liceat toto tempore, quo durat, etiamsi duret multo tempore post meridiem, celebrare Missas priuatas, sic inter alios notat Suarez. Vasquez, & Rodriquez. Bonac. vnde cum possit contingere, quod duret per tres horas post meridiem, vt cum cantatur à musicis, poterunt per tres horas post meridiem celebrari Missæ.

11 Quintò concordant communiter Doctores, quod in aliquibus casibus liceat celebrare notabiliter post meridiem, vt in celebritatibus Ecclesiarum, in funere Regis, & aliorum Principum, in quibus casibus admittunt Doctores posse celebrare Missas vsque ad horam tertiam post meridiem ob causam itineris, si nimirum iter agent non peruenire ad locum, vbi possit celebrare, nisi post meridiem, & ob alias huiusmodi causas; ex quibus concluditur, quod consuetudo non celebrandi vltra meridiem, non est constans, & firma, sed cadens quibuscunque causis rationabilibus, quæ exigunt protractionem celebrationis Missarum vltra meridiem. Et cum hoc semper obseruatum fuerit, verisimile fit, quod consuetudo non sit inducta nisi facultatiuo modo.

12 His autem præmissis, vt ad resolutionem difficultatis deueniatur. Deducitur primò. Quod consuetudinis initium non celebrandi post meridiem est saltem dubium, an fuerit ex animo inducendi obligationem, & ius in posterum seruandum. Dubietas autem ex eo deducitur, quod ista consuetudo non est vniformiter seruata. Secundò. Quia valdè verisimile est, quod cœperit induci ob commoditatem non differendi prandium vsque ad horam nonam; & quia post prandium, sicut non solent fideles accedere ad audiendam Missam, ita superfluum fuit existimatum vltra tempus prandij etiam celebrare. Tertiò. Quia fuit paulatim introducta: & potius ex defectu occasionis celebrandi, quam ex animo inducendi ius.

13 In dubio autem, an consuetudo sit inducta cum animo se obligandi, non obligat; nam, vt consuetudo obliget non solum debet constare de facto consuetudinis, seu quod adfuerit animus inducendi factum consuetudinis; sed etiam quod adfuerit animus inducendi ius, seu consuetudinem obligantem, vt tradunt communiter Glos. *in Cap. Frustra, distinct.* 8. Abbas *in Cap. fin.* vet. *Septimò requiritur, de consuetud.* Alexand. *in l.* 1. §. *Lex Falcidia, ff. Ad leg. fal.* Syluester *verbo* Consuetudo, *num.* 7. Tabiena *num.* 10. Sotus *lib.* 1. *de iust. & iur. quæst.* 7. *artic.* 2. Medina 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 3. §. *Circa tertiam*, ver. *Tertia conclus.* Sayrus *lib.* 3. *Claud. reg. cap.* 10. *num.* 9. Azot. *part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 18. *quæst.* 5. Vasquez 1. 2. *disp.* 177. *cap.* 2. *in fine.* Tosc̄hus *littera C conclus.* 795. *num.* 18. Suarez *lib.* 7. *de leg. cap.* 14. *num.* 6. & *cap.* 15. *num.* 13. Bossi *sect.* 4. *de Iubil. casu* 18. *num.* 30. Rochus de Curte *de consuetud. sect.* 4. *num.* 36. Cum enim vim habeat ex actibus, & actus non operentur vltra intentionem agentium, non potest inducere obligationem, nisi adsit animus eam inducendi, & ideò concludunt Doctores, quod in dubio iudicandum sit, quod consuetudo non sit obligatoria, sed conuenientiæ: ita præsertim Suarez *lib.* 7. *de leg. cap.* 15. *num.* 13. Marat. *tom.* 1. *sum. disput.* 15. *de leg. sect.* 2. *num.* 3. Bonacina *disp.* 1. *de leg. quæst.* 1. *punct. vlt.* §. 3. *num* 21. & alij, neque contra faciunt adducta pro tertia sententia, vt constabit ex dicendis.

Accedit etiam, quod hæc consuetudo ex alio capite infirmatur, vt non habeat vim obligandi nam 14
certum est, quod antiquitus Missæ celebrabantur vsque ad horam nonam, vt constat ex dictis *num.* 2. & 3. Vnde, quando cœpit induci consuetudo adhuc poterant celebrari vsque ad horam nonam, & tunc celebratio vsque ad illam horam erat actus facultatiuus, & ideò erat in vniuscuiusque potestate celebrare vsque ad illam horam, vel non celebrare: ergò nunquam fuit introducta consuetudo obligans, quia quando sumus in actibus facultatiuis non introducitur consuetudo obligans per id, quod non exercentur, sed requiritur prohibitio exercitij, & acquiescentia, vt tradunt communiter Doctores Franc. *in Cap. Significante, num* 3. *de appellat.* Felin. *in Cap. Pastoralis, num.* 5. *de offic. Ordinar.* Castrens. *in l. Qui luminibus, num.* 2. vet. *Sed tamen, ff. de seruit. vrban. prædior.* Crauetta *consil.* 111. *num.* 22. Surd. *consil.* 127. *num.* 21. Afflict. *decis.* 388. *num.* 2. Serafin. *decis.* 1086. *num.* 1. Merlin. *decis.* 106. *num.* 9. Rota *decis.* 530. *n.* 2. *part.* 3. *Recent.* & *in Calagurritana, de Liquerio* 30. *April.* 1593. coram Gypsio, & *in Reatina Burcha* 23. *Ianuar.* 1614. coram Burato.

Rursus hæc consuetudo difficultatem patitur ex 15
eo, quod non sit vniformis, siquidem, si praxim spectemus non solum diuersorum locorum, sed etiam Ecclesiarum eiusdem loci, alicubi Missarum celebratio est completa in meridie, alicubi paulò post ipsum, & hanc praxim approbant Doctores, dum non sunt vniformes in assignanda latitudine, quam accipit meridies in ordine ad hunc effectum, dum alij maiorem, alij minorem admittunt. Rursus in eadem Ecclesia modo citiùs, modo tardiùs completur celebratio Missarum, itavt aliquando solum longè post meridiem compleatur iuxta occasiones, quæ se offerunt.

Stante autem hac diuersitate consuetudinis, & 16
obseruantiæ, non potest habere locum consuetudo obligatoria, quia non inducitur, quando diuersimodè obseruatur, vt tradunt communiter Doctores, Decius *consil.* 8. & *consil.* 41. *vol.* 2. & *consil.* 215. *num.* 2. ver. *Secundò probatur.* Crauetta *consil.* 96. *num.* 5. & *consil.* 213. *num.* 4. Ioseph. Ludouicus *conclus.* 38. ver. *Amplia tertiò.* Batt. *in l.* 2. *num.* 12. *ff. Soluto matrimonio.* Menoch. *consil.* 37. *num.* 39. Puteus *decis.* 426. *lib.* 2. *in non.* Ludouic. *decis.* 51. *num.* 5. & *decis.* 434. *num.* 10. Merlin. *decis.* 69. *num.* 25. Rota *decis.* 366. *num.* 3. *part.* 4. *diuer.* & *decis.* 112. *num.* 5. & *decis.* 365. *num.* 2. *part.* 2. *Recent.* & *decis.* 154. *num.* 3. *part.* 1. *Recent.* & *decis.* 180. *num.* 3. *part.* 3. *Recent.*

Itaque concludendum videtur, quod cum con- 17
suetudo non habeat fundamentum, quod neque etiam possit assignari terminus certus inter meridiem, & horam nonam, in quo terminanda sit celebratio Missarum, sed regulanda sit iuxta commune tempus prandendi in singulis locis, itavt durare possit toto illo tempore, quod intercedit ab aurora vsque ad commune tempus prandendi, licet magis, vel minus protrahatur à meridie. Ratio autem est. Quia semper habita fuit ratio temporis prandendi; itavt tunc celebratio terminaretur Missarum, quia cum celebrentur in ordine ad commoditatem populi confluentis ad audiendam Missam, & hic soleat concurrere vsque ad tempus prandendi, totum hoc

tempus fuit semper habitum habile pro celebratione:ergo etiam nunc attendendum est huiusmodi tempus; nam morali modo est matutinum etiamsi notabiliter protrahatur vltra meridiem, & tale appellatur communi vsu loquendi. Tempus autem matutinum semper fuit habitum pro habili, pro celebratione Missarum.

18 Quod si inquiras. Quodnam censendum sit commune tempus prandendi. Resp. Hoc non posse assignari absque latitudine, & proinde incipere,quando incipit prandium, & durare quousque ferè omnes se solent regulariter conferre ad prandium; & proinde toto hoc tempore durare poterit celebratio Missarum,cum sit tempus matutinum respectu eorum, qui non cœperunt prandere; & quia etiam tempus matutinum moraliter mensurandum est cum communi sententia de aurora.

19 Ex dictis sequitur, quod si quis celebraret Missam longè post meridiem, dummodo non excederet horam nonam præsertim, si ex rationabili aliqua causa tantum differret,non esset damnandus peccati mortalis, nam sententia secunda habet pro se plures, & etiam graues auctores, & proinde saltem ex hoc capite est probabilis,nec cōtra ipsam affertur aliquid, quod conuincat; imò quod facilè dissolui non possit, vt constabit ex mox dicendis.

20 Ad 1. tertiæ sententiæ resp. Rubricam assignare auroram, & meridiem tanquam terminos,intra quos Missæ celebrari possint procedendo directiuo modo, & respiciendo ad id, quod frequentiùs obseruatur, non autem tanquam terminos inducentes præcisam obligationem. Quod ex eo patet, quia illa eadem Rubrica assignat etiam, quod Missa celebranda sit post matutinum, & laudes, & antiquiores Doctores id interpretabantur de graui obligatione; modo autem volunt, quod circa hoc neque sub peccato veniali inducatur obligatio. Et ideò sicuti hæc obligatio aptatur Rubricæ quoad præmissionem matutini, & laudum, ita etiam aptari debet quoad meridiem.

21 Ad 2. Quid dicendum sit de consuetudine, in qua totum fundamentum consistit, constat ex dictis.

Ad 3. Priuilegia concedi iuxta petitionem instantium, & proinde fuerunt petita supposita opinione, quod non posset differri celebratio vltra meridiem. Et etiam ad vitandas molestias, quia fieri potuisset, quod religiosi celebrantes vltra meridiem passi fuissent aliquas molestias ab Episcopis prætendentibus, quod non potest celebratio differri vltra meridiem. Vnde cum petitio potuerit prouenire ex diuersis causis, atque adeò etiam concessio, non habent vim priuilegia inferendi obligationem non celebrandi vltra meridiem iuxta doctrinam Cassodori *decis.*8. Rotæ *decis.*180. *num.*4. *part.*3. *Recent.*

22 Ad 4. Non adesse communem sensum, quod terminus meridiei sit terminus obligationis,vltra quem celebrari non possit, sed tantum congruentiæ, satis ex eo constat, quod in iudicando de communi sensu potius attendi debent Doctores, qui de materia scripserunt, quàm cæteri, quia hîc in iudicando,& formando suum sensum, attendunt ad doctrinas Doctorum. Cum autem plures Doctores tam ex Antiquis, quàm ex Recentioribus sentiunt, quod Missa celebrari possit longè post meridiem, iam inter ipsos non potest adesse hic sensus communis, atque adeò nec ex ipsis à cæteris hauriri. Ex quo fit, quod illi, qui habent talem sensum fundentur in opinione ita docente, nec sciunt, adesse opinionem in contrarium, & propterea ex errore procedat, seu potius ignorantia contrariæ opinionis; nam vbi adest conflictum opinionum non potest adesse communis sensus. Cum autem proueniat ex erroneo præsupposito, habetur tanquam si non adest iuxta doctrinam Glos. *in l. Mancipia, de seruis fugit.* vbi etiam Doctores, Decius *consil.*63. *num.* 6. & *consil.*362. & *consil.*497. *per tot.* Ludouic.*decis.*268. .2. Menlin. *decis.*589 *n.*6.

Ad 5. Illam constitutionem Pij V. non habere locum in præsenti casu, vt etiam aduertunt Villalob. *part.*1. *sum. tract.*8. *difficult.* 22. *num.*7. Pax Iordan. *tom.*1. *lucubrat, lib.*4. *tit.*1 *num.*93. *in fine.* Nam ibi Pontifex prohibet tantum Missas vespertinas, seu quæ celebrabantur tempore vespertino. Tempus autem vespertinum non incipit nisi post vesperas. Quod ex eo patet, quia ita habet communis vsus loquendi, & moralis æstimatio, in qua tempus vsque ad vesperas vocatur dies non vesper. Secundò; quia antiquitus manè durabat celebratio Missarum saltem in diebus ieiunij vsque ad horam nonam, & totum hoc tempus habebatur pro matutino. Tertiò; quia intentio Pontificis est tollere Missas, quæ celebrabantur post vesperas, atque adeò per tempus vespertinum intelligit tempus post vesperas. 23

QVÆSTIO 412.

An in celebrando post meridiem detur paruitas materiæ.

SVMMARIVM.

1. *Meridies computandus secundum horologia.*
2. *Meridies quamdiu moraliter duret.*
   Paruitas materiæ, & acceptio meridiei moraliter non sunt idem.
3. *Meridies acceptus moraliter adhuc admittit paruitatem materiæ.*
4. *Meridies acceptus moraliter dicit aliquam partem temporis.*
5. *Protrahere Missam ex leui causa post meridiem non habetur in consideratione.*
6. *Celebraturi quomodo se debeant regulare quoad meridiem, vbi non sunt horologia.*

Meridiem esse computandum moraliter, concordant omnes Doctores, quia sumus in materia morali, quæ moraliter metienda est: & quia praxis ita declarat. Quod autèm debeat computari non secundum Solem, quando est in meridiano, sed secundum horologia, quæ procedunt aliquantò tardiùs, quàm motus solis constat, similiter ex praxi, quæ habet locum etiam in cæteris, in quibus etiam tempus computatur de momento ad momentum. Et etiam ratio est clara, quia omnes percipiūt horologia, pauci autem cognoscunt, quando Sol sit in meridiano: & hæc obseruatio vtplurimum non posset habere locum, quando scilicet Sol ob nubes, vel nebulas non videtur. Et ita etiam loquentes de regulando ieiunio docent communiter Doctores. 1

Quamuis autem Quartus *in Rubric. Missal. part.* 1. *tit.*15. *dub.*3. *vet. Caterum dicendam*, putet non dari paruitatem materiæ in postponenda Missa post meridiem; quia si meridies durat moraliter, licitè inchoatur Missa, si non durat, non potest inchoari absque peccato mortali. Attamen hæc ratio non conuincit. Quia tum durat moraliter meridies,quando formari potest prudens iudicium, quod sit meridies; & quia hoc iudicium ferri potest ad diuersas partes temporis, quæ possunt apprehendi pro meridie, habet suam latitudinem, quæ secundum se totum correspondet meridiei, prout est in humana existimatione. Transacto verò meridie secundum moralem æstimationem, dicere, quod non possit inchoari Missa, est dicere, quod non detur paruitas materiæ, 2

materiæ, non autem probare. Quandò autem quæritur, an detur paruitas materiæ, non est quærere, an meridies sit accipiendus moraliter, vt putat Dicastil. *tract. 5. de sacrament. disp. 4. dub. 5. num. 77.* sentire Doctores, siquidem distinctè, & seorsim loquuntur de acceptione morali; & de paruitate materiæ, & agnoscunt peccatum veniale in parua anticipatione, vel postpositione, si sit sine causa: sed an supposito meridie morali detur paruitas materiæ.

3 Dicendum. *Dari paruitatem materiæ in postpositione Missæ post meridiem moraliter acceptum.* Ita Sotus *in 4. distinct. 23. quæst. 2. art. 2. in fine.* Victoria *in sum. vbi de Eucharist. num. 97.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 25. quæst. 6* Reginal. *lib. 29. praxis fori pænit. cap. 9. sect. 4. quæst. 3. num. 173.* Palud. *in 4. distinct. 13. quæst. 2. art. 2. conclus. 3.* Vasquez *3. part. disput. 232. cap. 3. num. 27.* Barthol. ab Angelo *Dialog. 5. §. 656.* Suarez *disp. 80. de Eucharist. sect. 4.* ver. *Secundò inquiri.* Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 17. num. 6.* Molfes. *part. 1. sum. tractat. 3. cap. 10. num. 21.* Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 15.* ver. *Quartò intra, in fine.* Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 4. tit 2. num. 102.* & alij citati, cum ageretur de paruitate materiæ in ordine ad auroram.

4 Ratio est, quia meridies non sumitur Mathematicè secondum præcisum punctum, vt conueniunt communiter Doctores, sed mroaliter: ergo in postpositione celebrationis Missæ admittit paruitatem materiæ. Conseq. prob. Dum computatur moraliter secundum se admittit aliquam latitudinem temporis; ergo tempus post meridiem non consideratur in ordine ad meridiem tanquam pars temporis, vt immediatè separata à tempore ante meridiem per punctum, seu momentum, & proinde oon sumitur sub tatione temporis separati, in quo noo datur magis, aut minus. Sed comparatur tanquam pars temporis recedens ab aliqua alia portiooe temporis, quæ licet habeat suam quantitatem durationis, habetur tamen pro meridie. Tempus autem recedens à meridie habet magis, & minus, cum magis, vel minus recedet. Vbi autem est magis, aut minus, ibi est etiam paruum. Et proinde aliquis recessus à meridie erit parua materia.

5 Hoc etiam constat ex praxi, nam non habetur in consideratione, quod ex leui causa protrahatur celebratio vltra meridiem, quod saoè non fieret, si non daretur paruitas materiæ; quia illa postpositio continet peccatum mortale, à quo leuis causa non posset excusare. Et hanc praxim approbant communiter Doctores dum eius intuitu admittunt paruitatem materiæ, & sic interpretantur obligationem non celebrandi vltra meridiem.

6 Ex his colligitur. Quomodo se debeant regulare Sacerdotes, qui sunt in oppidis, vbi non adsunt horologia, nec secundum solem se regulare possunt, quia præsertim hyemis tempore in aliquibus regionibus per plores dies non cernitur. Si enim occurrat aliquando, esse expectandum meridiem ad celebrandum, vt contingere potest Capellanis Magnatum, quando ruri degunt, oportet, quod se regulent secundum prudens iudicium, & habita ratione temporis prandendi, non enim alius modus ipsis remanet, vnde possint discernere meridiem: & ideò debent se regulare eo meliori modo, quo possunt; præsertim, quia totum tempus ante prandium habetur pro matutino. Quod si aliqoando errent, vt facilè est errare; non debent turbari, quia cum bona fide processerint, excusantur à peccato. Præsertim, quia nunquam ita enormiter errabunt, vt excedaot tertiam horam post meridiem; & ideò celebrabunt semper intra tempus, quod tanquam habile pro celebratione admittunt pluses, & graues Doctores.

QVÆSTIO 413.

Quanam quantitas temporis habenda sit pro paruitate materiæ.

SVMMARIVM.

1. *Tertia pars horæ in ordine ad meridiem est paruitas materiæ.*
2. *Secundum alios horæ dimidium.*
3. *Secundum alios tres quadrantes.*
4. *Si meridies moraliter computetur, quadrans horæ est parua materia.*
5. *Si tempus claudens celebrationem sit hora prandij; hora integra erit paruitas materiæ.*
   Vltra horam nonam non potest protrahi celebratio.

1 QVia Doctores communiter volunt, laxius prodeodum circa meridiem, quàm circa auroram, ideò etiam circa paruitatem materiæ procedunt cum maiori indulgentia. Et ptoiode illud tempus, quod concedunt pro paruitate materiæ in ordine ad auroram, conceduot etiam ad minus in ordine ad meridiem. Specialiter autem Azor *part. 1. lib. 10. cap. 25. quæst. 6.* admittit pro paruitate materiæ tertiam horæ partem, seu quadrantem plus minúsve. Caspens. *tom. 2. Curs. Theol. tract. 23. disput. 3. sect. 2. num. 63.* Sed hanc opinionem communiter existimant nimia rigidam.

2 Secunda sententia asserit. Horæ dimidium, & non plus, esse materiam paruam. Ita Layman. *lib. 4. Theol. moral. tract. 5. cap. 4. num. 4.* Homobon. *part. 1. exam. Eccles. tract. 4. cap. 14. quæst. 14.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 25. num. 5. in fine.* Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 17. num. 6.* Marchin. *de ordine, tractat. 3. part. 3. cap. 7. num. 4.* Bertus *de sacrific. Miss. quæst. 2. art. 2. dub. 2.* Hurtado *de sacram. disp. 4. de sacrif. Miss. difficult. 5.* ver. *Maior verò, in fine.* Putean. *3. part. quæst. 83. art. 2.* ver. *Respondeo primò, in fine.* Garzia *in sum. tractat. 3. difficult. 8. dub. 2. punct. 1. num. 12.* Fundamentum huius sententiæ est, quia dimidium horæ non est tempus considerabile in ordioe ad hunc effectum. Tempus verò maius est considerabile, quod constat ex priuilegiis celebrandi per horam post meridiem, quæ parum, aut nihil concederent, si plusquam media hora esset paruitas materiæ.

3 Tertia sententia concedit pro paruitate materiæ tres quadrantes, aut etiam vnicam horam, dummodo tamen non excedatur. Ita Bonacina *disput. 4. de sacrament. quæst. vlt. punct. 4. num. 6.* Syluius *3. part. quæst. 83. art. 2.* ver. *Post meridiem.* Tamburin. *Opusc. de sacrif. Miss. lib. 1. cap. 6. §. 4. num. 19.* qui volunt, non debere omninò pertingere ad horam integram. Leander *de sacrament. tractat. 8. disputat. 6. quæst. 11.* testans de praxi Narbona *Horograph. iur. hora 7. num. 6.* Trullench *lib. 3. de sacrament. cap. 8. dub. 3. num. 5.* Martin. à S. Ioseph. *lib. 10. moral. tract. 14. de Euchar. num. 13.* qui testatur etiam de consuetudine. Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 4. tit. 2. num. 104.* qui tamen, sicut etiam Trullench citat. vult; quod debeat Missa compleri intra horam primam post meridiem. Cæteri verò loquantur de incœptione.

4 In hac assignatione paruitatis materiæ existimo, procedendū cum distinctione. Nam, si teneatur quod terminus claudendi celebrationem Missarum sit meridies, licet moraliter computatus, existimo esse amplectandam primam sententiam, itavt stante meridie moraliter computato, quando scilicet formatur iudicium, quod sit iam meridies, & quod tempus subsequens

Digitized by Google

subsequens sit vltra meridiem, non licet accipere vltra meridiem sic computatum pro paruitate materiæ vltra quadrantem horæ, aut si accipiatur tertia pars horæ, debeat intra ipsam incipere Missam. Ratio est, quia in præsenti consideratur quantitas temporis secundum recessum à meridie, & secundum tendentiam ad vespertinum tempus. Recessus autem à meridie moraliter computato per horæ quadrantem est exiguus; si verò sit vltra tertiam partem horæ non habetur pro exiguo, cum in ordine ad medietatem diei sit pars considerabilis, siquidem si medietas diei, nempe si meridies vsque ad noctem diuidatur in tot tertias partes horæ non conficier numerum magnum, itavt vna pars ex ipsis non sit considerabilis respectu totius.

5 Si verò attendatur pro termino claudendi celebrationem Missarum tempus prandendi, & consequenter consuetudo secundum suam varietatem, etiam existimo paruitatem materiæ posse habere maiorem latitudinem, & posse assignari horam integram. Ratio est, quia tunc paruitas materiæ non consideratur secundum recessum à meridie, sed secundum recessum ab hora prandendi, quæ cum habeat magnam latitudinem, etiam paruitas materiæ potest habere, siquidem tunc non tam consideratur paruitas materiæ, quàm tempus illud postremum, quod claudit vltimum terminum prandendi quoad eos, qui seriùs cæteris prandent: & proinde consideratur tanquam quædam appendix temporis prandendi. Vnde variata consideratione, debet etiam variari quantitas temporis, quæ supra excessum termini claudentis Missarum celebrationem non veniat in considerationem. Hoc tamen aduertendum est, quod non debet excedere horam nonam, cum hæc sit vltimus terminus, vltra quem, etiam de consuetudine antiqua, non licebat protrahere celebrationem Missarum. Quid autem concedant priuilegia, quando concedunt posse celebrare per horam vltra meridiem explicabitur, cum de ipsis agetur.

QVÆSTIO 414.

Quomodo regulandus terminus claudens celebrationem Missarum, vbi est perpetuus dies, aut nox.

SVMMARIVM.

1. *Quomodo assignandus meridies vbi perpetuus dies, aut nox.*
2. *Non possunt designari puncti, &c. ex quibus dignoscatur.*
3. *Tempus erit pro diurno quod impeditur operationi, & pro nocturno, quod impenditur quieti.*
   Tempus præcedens communem refectionem erit matutinum, &c.
4. *Quomodo designandus meridies, vbi poli sunt verticales.*

1 Hanc difficultatem mutant Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 4. tit. 1. n. 99.* Georg. Polacbus *in Aphoris. cærem. Aphoris. 1. n. 10.* & respondent. Quod constituendus est circulus meridianus, & designanda quatuor puncta secundum partes æqualis distantiæ, in quibus, dum Sol reperitur dicatur constituere ortum, meridiem, occasum, & mediam noctem, &c. Quod à puncto mediæ noctis vsque ad meridiem liceat celebrare.

2 Verum rem consideranti constabit, hanc punctorum designationem futuram sine fructu. Est statim manifestum sit, quod non potest inseruire pro illis mensibus, in quibus nox est perpetua, cum tunc non possit amplius attendi cursus Solis in ordine ad illa puncta; nec recurri potest ad aliquam stellam, quia, vtplurimum in illis regionibus illo tempore anni cœlum est nubilum. Deinde secundum hanc obseruationem confunderentur dies & nox, quando inciperet perpetuus dies circa ingressum Solis in Arietem, nam contingere posset, quod quando deberet incipere nox secundum obseruationem sydetis, deberet etiam incipere dies secundum obseruationem Solis in ordine ad illa quatuor puncta. Rursus fieri posset quod stantibus his obseruationibus, illud tempus, quod pro matutino esset habendum, destinaretur communiter quieti, & tunc essent celebrandæ Missæ.

Itaque, vt etiam dictum est in superioribus de aurora, attendenda est consuetudo regionis, & habendum est pro tempore diurno illud, quod impenditur operationis, & pro nocturno, quod impenditur quieti. Quia cum non adsit diuisio diei, & noctis secundum esse physicum, attendenda est diuisio moralis, quæ consurgit ex separatione temporis in ordine ad operationem, & quietem, iuxta illud Ioan. 9. *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari.* Rursus tempus destinatum operationi debet adhuc diuidi, vt illud, quod præcedit tempus pro communi refectione destinatum, habeatur pro matutino, & habili ad celebrandas Missas. Hoc enim pacto diuisio, & assignatio habebit locum, siue sit dies, siue nox, & habebitur proportionalis correspondentia ad nostrum tempus, seruabuntur termini incipiendi, & terminandi celebrationem Missarum, cum propositione ad nostram, itavt claudant idem tempus moraliter consideratum. 3

Ex dictis colligitur, quod dicendum de illis regionibus, respectu quarum Poli ipsi sunt Zenith, seu sunt verticales. Polachus enim, & Pax Iordan. *num. 2.* citati volunt figendum esse signum ex cuius vmbra dignoscatur ortus, meridies, & occasus. Sed minus aptè ob rationes allatas, siquidem in his quoque regionibus per aliquot menses est perpetua nox. Et si habitantur, debent adesse tempora destinata operationi, & quieti. Vnde secundum distinctionem temporis destinati operationi, & quieti erit etiam designandum tempus matutinum, nempe illud quod est inter communem quietem, & communem refectionem tanquam habile pro celebratione Missarum; & de ipso erit proportionaliter discurrendum, ac de nostro tempore matutino, & cum eadem proportione erit accipiendum: & occurrentes casus simili modo resoluendi. 4

QVÆSTIO 415.

An pro ministrando viatico liceat notabiliter post meridiem celebrare.

SVMMARIVM.

1. *Ob necessitatem viatici potest notabiliter post meridiem celebrari.*
2. *In prohibitione celebrandi post meridiem excipitur casus necessitatis.*
   Consuetudo tantum habet de potentia, quantum de actu.
3. *Quanto tempore post meridiem liceat celebrare ob necessitatem viatici.* & num. seq.
5. *Vsque ad horam nonam ob necessitatem viatici celebrari potest.*
6. *Imò per totum diem.*
7. *Necessitas viatici praualet coarctationi celebrandi certis horis.*

8. Im

8. *Ius naturale diuinum est in fauorem viatici.*
9. *Articulus mortis est priuilegiatus, vt ipsi cedant leges, &c.*
10. *Pro celebrando extra tempus concessum ob necessitatem viatici, an necessaria licentia.*

1 DIceodum est. *Pro conficiendo viatico licet celebrare notabiliter post meridiem.* Et hoc procedit quocunque modo accipiatur meridies, seu etiamsi accipiatur pro termino claudente celebrationem Missarum. Hoc autem procedit supposita necessitate vrgente viatici, & quod celebraturus sit ieiunus; nam an possit in hac necessitate celebrare non ieiunus, non hic inquirendum. Ita communiter Doctores Palud. *in 4.dist.* 12.*quæst.*2.*art.*2. D. Antonin. 3.*part. tit.*6. §. 4. Syluester *verbo* Missa, *quæst.*6. Nauar. *cap.* 25. *Manual. num.*83. Azor.*part.*1. *lib.*10. *cap.*25. *quæst.*7. Posseuin. *de Offic.Curat.cap.*8. *num.*18. Naldus *verbo* Missa, *num.*21. Bonac. *disp.* 4. *de Sacram. quæst. vlt. punct.*5. *num.*3. Henriquez *lib.*9.*sum.cap.*24. *n.*6. Vasquez 3.*part. disp.*211. *cap.*5. *n.*65. & *disp.*232. *cap.*4. *n.*41. *in fine.* Suarez *disp.*80.*de Euchar. sect.*4. ver. *Sed quæres.* Layman. *lib.*5.*Theol.tract.*5. *c.*4.*n.*4. Marchin. *de Ord.tract.*3.*part.*3.*cap.*7.*n.*13. & alij *infrà* citandi.

2 Ratio est. Quia quod non celebretur vltra meridiem, nisi modico tempore, est consuetudine introductum, cum nullum ius extet; siquidem Rubrica non ponit ius, sed tantum explicat tempus congruum regulariter celebrandi. Constitutio autem Pij V. *quæ est* 4. *tom.*2. *Bullar.* prohibet tantum Missas vespertinas, quæ scilicet celebrantur decliuante iam die. Ex vi autem consuetudinis, dato quod obliget, non ita strictè præfigitur terminus, vt censeantur exclusi casus necessitatis, & præcipuè ministrationis viatici. Cum enim consuetudo non habeat vim, nisi ex intentione introducentium, non plus obligant, quam intenderint obligare, qui eam introduxerint; vt proinde dicatur habere tantum de potentia, seu de vi ad obligandum, quantum habet de actu, seu vsu; hoc est informato intentione se obligandi, & introducendi obligationem, vt obseruant Felin. *in Cap. Audstis,* *n.*15.*de præsump.* Bald.*consil.*27.*vol.*2. Surd.*consil.*325. *n.*13. Ozasch.*decis.Pedemon.*29.*n.*16. Rota *decis.*91. *n.*4.*part.*4. *Recent.* Non est autem verisimile, quod, qui introduxerunt hanc consuetudinem voluerint, quod obligarent etiam in his casibus; & si voluissent, irrationabiliter voluissent, & ideò non potuissent, quoad hoc dare vim consuetudini: & proinde quocumque modo res se habeat, talis casus censetur exclusus.

3 Sed modo difficultas est, quanto tempore post meridiem liceat ad hunc effectum celebrare. Prima sententia tenet non posse celebrari nisi post tempus, quod non sit valdè notabile. Ita Bonac. *disp.* 4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.*9. *n.*3. Facundex *præcept.*1. *Eccles. lib.*3.*cap.*17.*n.*15. qui tamen subdit, posse notabiliter celebrari post meridiem cum dispensatione Episcopi. Pau Iordan.*tom.*1. *Lucubr. lib.*4.*tit.*1.*n.*101. pro qua tamen restrictione firmanda nihil afferunt.

4 Secunda sententia asserit, posse ad hunc effectum celebrari vsque ad horam nonam, seu vsque ad tertiam horam completam post meridiem. Ita Vasquez 3.*part.disp.*232.*cap.*4.*n.*41. *in fine.* Hurtad. *de sacram. disp.*4. *de sacrif. Miss. difficult.*5. ver. *Addit Vasquez.* Caspens.*tom.*2.*Curs.Theol.tract.*23. *disp.*3. *sect.*2.*n.*63. Palaus *par.*4. *oper.moral.tract.*22.*disp.vn.punct.*7.*n.*14. ver. *Supradictam doctrinam.* Leander *de sacrament. tract.*8.*disp.*6. *quæst.*12. Tambur.*Opusc.de sacrif.Miss. lib.*1. *cap.*6. §.4.*num.*21. *in fine.*

5 Dicendum 1. *Posse Missam celebrari pro ministrando viatico vsque ad horam nonam inclusiuè, seu tertiam post meridiem.* Hoc mihi videtur omninò certum, & ad praxim absque vllo scrupulo reduci posse, quia adest etiam probabilis sententia, quod etiam absque causa vsque ad illam horam celebrari possit regulariter, & casus est talis, vt faciat licitum, sequi quamcumque opinione probabilem. Ratio autem est. Quia talis casus non comprehenditur sub consuetudine, vt dictum est *num.*2. non celebrandi vltra meridiem; præsertim, quia cum talis consuetudo introducta sit ob commoditatem, non est penitus verisimile, quod ob commoditatem voluerint, moribundum carere viatico, sicut voluissent, si sub consuetudine voluissent comprehendi etiam hunc casum, cum hoc sit contra charitatem debitam proximi: ergo cum non habeatur prohibitio ratione consuetudinis, poterit celebrari vsque ad horam nonam sicut poterat ante consuetudinem. Nec obstat, quod Concil. Trident. *sess.*22. *in Decreto de seruan. & vitand. in celebr. Miss.* & Pius V. *in sua Constit. præfixa Miss.* videantur approbare hanc consuetudinem, nam si approbant, solum approbant intra proprios terminos, quos habebat, atque adeò non faciunt, quod comprehendat casus, quos ante non comprehendebat.

Dicendum 2. *Posse pro conficiendo viatico celebrari per totum diem absque vlla limitatione à ieiunis.* Quod tamen intelligitur supposita eadem necessitate. Ita Auersa *quæst.*11. *de Eucharist. sect.*15. *in fine.* Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacram.cap.*5.*quæst.*7. *n.*77. Quartus *in Rubr. Miss. part.*1. *tit.*15. *dub.*4. ver. *Primò ad communicandum.* An autem requiratur licentia Episcopi, nihil dicunt, & proinde supponunt non requiri. 6

Ratio autem est. Quia casus est magnæ necessitatis: vnde ex hoc capite obligantur ij, ad quos spectat cura animarum ratione officij, atque adeò iustitiæ, & etiam ratione charitatis ad ministrandum viaticum. E contra verò non prohibentur celebrare, nisi ratione consuetudinis, aut alicuius legis merè positiuæ & humanæ. Inter autem has obligationes potentior est prima, vtpotè ex duplici titulo, & altioris ordinis, atque adeò debet præualere. 7

Nec dici potest, quod talis obligatio non vrgeat, nisi quando secundum ritum, & regulas Ecclesiæ seruari potest, quia si hoc esset, sequeretur, quod ritus, & regulæ Ecclesiæ derogarent iuri superiori, & anteriori, nam ius, quod inducit obligationem Pastorum est ius charitatis, & officij, quod est in ordine naturali diuino, quod dici non potest, quia ius inferioris non potest derogare iuri superiori. Hoc autem ius absolutè exigit, quod conficiatur, & ministretur viaticum. 8

Nec item obstat Constit.4. Pij V. *tom.*2. *Bull.* prohibens Missas vespertinas, quia non prohibet vrgenti tali necessitate. Quod ex eo colligitur. Quia articulus mortis est valdè priuilegiatus, vt proinde pro ipso nulla sit reseruatio peccatorum, quilibet Sacerdos habeat iurisdictionem ad absoluendum; & proinde est speciali nota dignus. Et proinde in dispositionibus, quæ ipsi præiudicare possunt, non comprehenditur, nisi specialiter exprimatur. Et subintrat regula, quod in generali dispositione non veniant, quæ quis non esset in specie verisimiliter dispositurus. 9

An autem requiratur dispensatio Episcopi, seu declaratio; negatiuè resoluendum est. Primò, quia talis licentia, seu declaratio non potest ita facilè, & citò obtinere, vt non exponatur infirmus periculo decedendi absque viatico. Secundò, quia casus de se clarus est, & necessitans ita patens, vt prudenter discurrendo possit censeri non inclusus sub prohibitione. Tertiò, quia adest opinio probabilissima, non solum, quod possit celebrari, sed etiam, quod non sit necessaria licentia Episcopi. Si autem vnquam licet sequi opiniones probabiles, maximè licet in casibus, in quibus, de subueniendo proximo constituto in spirituali necessitate agitur. 10

Digitized by Google

QVÆSTIO 416.

An in celebritatibus Ecclesiarum liceat protrahere Missam solemnem longè post meridiem.

SVMMARIVM.

1. *Ratione celebritatis licet longè post meridiem protrahere Missam solemnem.*
2. *Magna solemnitas excipitur à consuetudine.*
3. *Processio est causa sufficiens, vt possit protrahi Missa post meridiem.*
4. *Consecratio quoque Ecclesiarum.*
5. *Est etiam ratione Ordinationum.*
6. *Item Missa votiua solemnis.*
7. *Quantum ob has causas protrahi possit post meridiē.*
8. *Missa potest incipere post horam nonam, quando prius cœpta sunt Ordinationes.*

1 NOmine celebritaris intelligitur quicumque dies, qui solemniter ex quocumque titulo celebretur, siue ratione festiuitatis, siue ratione indulgentiæ, siue ratione Missæ nouæ ex quocumque alio titulo. Dicendum est. *Ratione celebritatis licere protrahere Missam solemnem post meridiem etiam vsque ad horam nonam.* Ita Layman. *lib.5. Theol. moral. tract.5. cap.4. num.4.* ver. *Ob eandem causam.* Coninch *de sacram. quæst.83. art.2. dub.4. n.119.* Rodriquez *part. 1. sum. cap.250. n.2.* Vasquez *3. part. disput.232. cap.3. n.27.* Auersa *quæst.11. de Eucharist. sect.15.* ver. *Admittunt etiam.* Huttad. *de sacram. disp.4. de sacrif. Miss. difficul.5.* ver. *Addit Vasquez.* Caspens. *part.2. Curs. Theol. tract.23. disp.3. sect.2. n.63.* Miranda *tom.1. Manual. qu.44. art.11. conclus. vnic.* Bonac. *disput.4. de sacram. quæst. vlt. punct.9. n.7.* ver. *Quamobrem.* Nauar. *cap.21. de Orat. num.31.* Henriquez *lib.9. sum. cap.14. n.6. in Com. littera A.* Suarez *disp.80. de Euchar. sect.4. dict.2.* ver. *Quocirca.* Facundez *precept.1. Eccles. lib.3. cap.17. num.19.* Hieron. Garzia *in sum. tract.3. difficul.8. dub.1. punct.1. n.10.* Marchin. *de ordine, tract.3. part.3. cap.7. n.13.* Palaus *par.4. oper. mor. tract.22. disp. vn. n.14.* ver. *Supradictum.* Trullench *lib.3. de sacram. cap.8. dub.13. n.4.* Leander *de sacram. tract.8. disp.6. qu.13.* Pax Iordan. *tom.1. Lucubr. lib.4. tit.1. n.105.* Tambur. *Opusc. de sacrif. Miss. lib.1. cap.6. §.4. n.20.* Quartus *in Rubric. Missal. part.1. tit.15. dub.4.* ver. *Secundus in magnu.*

2 Ratio autem est. Quia cum restrictio celebrandi Missam ad meridiem sit ex consuetudine, non comprehendit consuetudo casum magnæ solemnitatis, & ideo dato, quod obliget, non extenditur obligatio ad hunc casum. Quod consuetudo non comprehendat casum magnæ solemnitatis, constat primò ex praxi, nam vbique in magnis præsertim Ecclesiis, & vbi est magnus concursus protrahitur celebratio præsertim in hyeme longè post meridiem. Secundò ex ratione, in qua debet esse fundata consuetudo, iuxta Cap. *Consuetudo, dist.1.* Non enim est rationabile, quod in celebritatibus restringatur celebratio ad meridiem, cum vix etiam sit possibile. Nec est verisimile, quod qui introduxerunt consuetudinem hanc, voluerint etiam habere locum in his solemnitatibus.

3 Ex dictis colligitur. Hoc ipsum habere locū etiam quādo processiones multum protrahuntur, aut quando concio durat post meridiem; vt constat etiam ex praxi. Quia non est æquum, quod qui interfuerunt processioni, aut concioni, non possint postea audire Missam. Et cum hæc consuetudo non fuerit inducta ex aliqua necessitate, neque ex tali congruentia, quæ ita exigeret, vt inconueniens esset futurum, si non introduceretur, sed ob commoditatem præsertim Sacerdotum, non debet tanti fieri hæc commoditas, vt præiudicet bono spirituali fidelium, sicut præiudicaret, si in dictis casibus non possent audire Missam.

Secundò colligitur. Ad easdem celebritates reuocandas esse consecrationem Ecclesiarum, Consecrationes, seu ordinationes Episcoporum. Nam cum huiusmodi functiones celebres sint, & exigant longum tempus, vt perfici possint, seruata præsertim grauitate cæremoniarum, habent annexam sufficientem causam, ob quam celebratio Missæ protrahi possit post meridiem, præsertim in hyeme, cum dies breuiores sunt, atque adeò tempus matutinum admodum breue. Neque enim huiusmodi functiones sunt commodè summo mane inchoari possunt. 4

Tertiò colligitur. Posse quoque notabiliter Missam protrahi vltra meridiem, quando in quatuor temporibus celebrantur ordinationes, vt obseruant plures ex DD. *n.1. cit.* Pro hac enim dilatione militant plura motiua. Primò, quia functio requirit longum tempus, præsertim quando magnus est numerus ordinandorum. Secundò, quia celebrantur in die ieiunij, in quo iuxta antiquam consuetudinem Missa solemnis differebatur ad horam nonam, seu tertiam post meridiem. Quartò, quia cōsuetudo non celebrandi vltra meridiē non potuit comprehēdere hos dies, cum id non fuerit rationabile propter prolixitatem functionum. Quintò, quia antiquitus Vesperè Sabbati celebrabatur Missa ordinationis. Vnde videantur hæ functiones priuilegiatæ, vt possint protrahi longè post meridiem. 5

Quartò colligitur. Quod si esset cantanda solemniter aliqua Missa solemnis votiua, siue ex publica causa, siue etiam ex priuata, dummodo tamen cantetur cum musica, & concursu populi, poterit longè post meridiem protrahi, si ita sit necessarium, nam hæc quoque connumerari potest inter celebritates. Et quamuis causa priuata sit, vt sit priuata persona faceret celebrare pro gratiarū actione ex occasione alicuius beneficij accepti, quia tamen habet pro fine cultū Dei, & Sanctorum, atque adeò cultum publicum, ideò potest regulari tanquam actio publica habens publicam causam finalem, licet impulsiua sit priuata. 6

Quantum autem protrahi possit post meridiem, quamuis plures ex DD. *num.1.* recensitis non explicent, alij tamen volunt protrahi vsque ad horam tertiam post meridiem; quidam etiam adhuc concedunt maiorem extensionem. Attamen sine vllo scrupulo posse ex intentione in his casibus protrahi vsque ad tertiam horam completam post meridiem, non mihi videtur reuocandum in dubium. Primò, quia consuetudo non comprehendit hos casus, nec rationabiliter potuit comprehendere, vt constat ex dictis; & ideò sicuti ante consuetudinem protrahi poterat celebratio vsque ad horam nonam; ita etiam in his casibus. Secundò; quia adest opinio probabilis, quod celebratio omnium Missarum vsque ad illam horam extendi possit, & ideò in his casibus saltem potest dicta opinio potest habere locum. Addendum tamen est, quod si contingeret, quod hora nona non est completa Missa, sed adhuc protraheretur, non deberet sequi aliqua turbatio, cum sufficiat, quod eo tempore cœpta sit, in quo probabiliter putabatur fore complendam hora tertia post meridiem. 7

Imò quando Episcopus celebrat ordinationes, si actus ordinandi sit cœptus ante meridiem, poterit Missa ordinationis incipere etiam post horam nonā; vt tradunt D.Th. *3. p. qu.83. art.2. ad 5.* Syluest. *verbo* Missa *n.6.* Henriq. *lib.6. sum. cap.24. n.6. in Com. litt. A.* Facundez *præcept.1. Eccl. lib.3. cap.17. n.14.* Leander *de sacram. tract.8. disp.6. quæst.13.* & alij. Quia hæc functio non subest legibus Ordinariis, imò facilis est reuersio ad consuetudinem antiquam, iuxta quam Missa Ordinationum celebrabatur vesperè. 8

QVÆSTIO

QVÆSTIO 417.

An in funere Principum Missa celebrari possit post meridiem.

SVMMARIVM.

1. *In funere Principum Missa protrahi potest post meridiem.*
2. *Casus iste cur non comprehendatur sub regula.*
3. *In Cardinalium funere Missa trahi potest post meridiem.*
4. *In funere quoque Magnatum.*
5. *In benedictione nuptiarũ Principum, & Magnatũ.*
6. *Et in similibus casibus.*

1 PRincipum funus solere celebrari cum concursu populi, & cum solemnitate exequiarum, cõstat ex praxi: vbi dubitatur, an in tali casu possit Missa celebrari post meridiem. Dicendum autem est. *Missam in tali casu posse celebrari post meridiem, etiamsi inciperet post meridiem, & esset deducenda vsque ad horam tertiam post meridiem.* Ita Henriq. *lib.9. sum. c.24. n.6. in com. littera A.* Facundez *pracep. 1. Eccl. lib.3. cap.17. n.19.* Marchin. *de sacram. Ord. tract.3. par.3. cap.7. n.13.* Casp. *part.2. Curs. Theol. tr.23. disp.3. sect.2. n.63.* Faust. *de Euchar. lib.2. qu.123. ver. Ex his ergo.* Garzia *in sum. tr.3. diffic.8. dub.1. punct.1. n.10.* Leand. *de sacram. tr.8. disp.6. qu.13.* Trull. *lib.3. de sacram. cap.8. dub.13. n.6.* Tambur. *Opusc. de sacrif. Miss. lib.1. c.6. §.4. n.20.* Franc.
2 Lugo *lib.3. de sacram. cap.5. quæst.7. n.77. ver. Pariter.*

Ratio est. Quia in hac occasione concurrunt plures personæ spectabiles, quæ assistant funeri, & moraliter impossibile est congregari tali hora, vt possit Missa compleri tempore consueto. Rursus concurrunt plures circumstantiæ, quæ protrahunt inceptionem officij, seu exequiarum, quibus occurrere est moraliter impossibile: ergo iste casus tanquam irregularis est ex illis, qui non possunt comprehendi sub consuetudine, seu lege de termino implendi celebrationem Missarum, & ideo poterit Missa differi iuxta exigentiam,
3 etiam si contingat inchoari notabiliter post meridiẽ.

Ex his colligitur, Quod, si contingat, exequias Cardinalium celebrari mane, & postquam peractũ fuerit quidquid præsentibus Cardinalibus peragi solet, remaneat cantanda Missa, vel ex dispositione hæredũ; posset celebrari, etiãsi transactus sit meridies, & vsq; ad horã tertiã post meridiẽ. Tũ quia Cardinales inter Principes connumerantur, tum quia Missæ celebratio est ex præcipuis, quæ componunt exequias defunctorum, vt constat ex Rubt. Ritual. Rom. *Tit. de exequijs Defunct.* Tum quia Missa pro defunctis antequam tradantur sepulturæ, est priuilegiata, vt proinde concedatur etiam in diebus festiuis præcipuis. Et ideò, vt celebrari possit pro Cardinali, antequam tradatur sepulturæ nõ debet obstare hora tarda, & post meridiẽ.

4 Secundò colligitur. Quod dictum est de funeribus Principum habere locum etiam in funeribus cuiuscumque Magnatis, vt etiam obseruat Caspens. *n. 1. cit.* Imò etiam in exequiis cuiuscumque, quæ cum pompa celebrentur, nam modus celebrationis cum pompa trahit secum procrastinationẽ exequiarum, itavt impleri non possint hora debita. Et alias cum agatur de suffragio spirituali, quale est Missa, non est habenda ratio dignitatis defuncti, cum Ecclesia æquè omnibus suffragari intendat; & proinde æquè pro omnibus missa celebrari possit antequam corpus tradatur sepulturæ, non obstante solemnitate diei, itavt eodem modo id concedatur pro omnibus. Et ideo eodem etiam modo pro omnibus discutiendum est quoad horam celebrandi, si occasio ferat, quod vltra consuetum celebratio differri debeat.

Tertiò colligitur. Quod etiam in benedictione nuptiarum Principum, & Magnatum poterit Missa celebrari notabiliter post meridiẽ; quia ita cum accedant ad suscipiendã benedictionem cum pompa, & comitatu, nec res facilè disponi possint cum tãta celebritate, vt non fluat tẽpus matutinum præsertim in hyeme, & in regionibus, in quibus tardè surgũt è lecto, adest sufficiẽs causa protrahẽdi celebrationẽ missę post meridiẽ. 5

Quartò colligitur. Quod non solum in casibus prædictis, sed etiam in similibus poterit protrahi notabiliter post meridiem celebratio Missæ. Nam, si casus sint similes afferent semper secum aliquam rationẽ, ob quam non debebunt comprehendi sub regula generali, & ob quam sit verisimile, quod qui introduxerunt consuetudinem, non intenderint illos comprehendere: & sicut Lex non comprehendit casus, ad quos non se extendit intentio legislatoria: ita neque cõsuetudo, ad quos non se extendit intentio introducentium. Cum autẽ, qui introduxerunt consuetudinẽ, habere debuerint motiuũ generale, ratione cuius existimauerint ita expedire, non potuit eorumdẽ intentio se extendere ad casus, de quibus militat specialis ratio, ob quã non debuerint sub regula generali comprehendi. Et hoc dicendũ est, supposito, quod consuetudo ita obliget, quia si non obligat, cessat difficultas. 6

QVÆSTIO 418.

An quandiù durat Missa solemnis possint celebrari Missæ priuatæ.

SVMMARIVM.

1. *Missæ priuatæ an protrahi possint, quousque durat solemnis,* & num. seq.
3. *Missæ priuatæ durante solemni protrahi possunt ad horam nonam.*
Missa solemnis repræsentat celebrationem.
4. *Completa Missa solemni, possunt celebrari priuatæ non elapsa hora nona, si dies sit celebris.*
Principale trahit secum minus principale.
5. *Elapsa hora nona non possunt celebrari Missæ priuatæ in celebritatibus.*
6. *Quid, si quis non potuisset antea celebrare,*
Concesso antecedenti conceditur, quod venit in consequentiam.

PRocedit difficultas, quando Missa solemnis longè protrahatur post meridiem vsque ad horam nonam, seu tertiam post meridiem. In opinione autem eorum, qui volunt vsque ad illam horam posse regulariter celebrari Missæ, cessat difficultas, & proinde quæritur solum supposito, quod post meridiem non multo notabiliter debeat terminari celebratio Missarum, sed ex aliqua causa rationabili protrahatur Missa solemnis vsque ad horam nonam. Prima sententia asserit. Quandiù durat Missa solemnis, posse priuatas inchoari. Ita Vasq. *3 par. disp.232. cap.4. n.37.* Nauar. *cap.21. n.31. de Orat.* Henriq. *lib.9. sum. cap.24. n.6. in Com. littera A.* Marchin. *de Ordin. par.3. tract.3. cap.7. n.13.* Hurtad. *de sacram. disp.4. de sacrif. Miss. difficul.5. ver. Addit Vasquez.* Villalob. *part.1. tract.8. diffic.22. n.5.* Ledesma *par.1. sum. tract. de Euchar. c.19. post 7. concl.* Trullench *lib.3. de sacram. c.8. dub.13. n.4.* Ludouic. à S. Io. *par.1. sum. q.11. de Euchar. art.3. dub.1.* Leander. *de sacram. tract.8. disp.6. qu.12.* Narbona *in Horograph. iur. hora 1. n.14.* Fundamentum est. Quia quandiù durat missa solemnis, est tempus habile erit pro missis priuatis. Est tamen aduertendum, quod aliqui ex citatis, vt Vasq. putant, quod missa solemnis non potest incipere post meridiem, & quod non protrahatur vsque ad tertiam horam post meridiem. 1

2 Secunda sententia asserit, quod non solum, quamdiù durat Missa solemnis, celebrari possunt Missæ priuatæ, sed etiam, quod ea completa possit priuata Missa celebrari. Ita Rodriquez *part. 1. sum. cap. 248. num. 2.* & *quæst. regular. qu. 43. art. 2. tom. 1.* Suarez *disput. 80. de Eucharist. sect. 4.* ver. *Quocirca non existimo.* Palaus *part. 4. oper. moral. tractat. 22. disput. vnic. punct. 7. num. 14.* ver. *Supradictam doctrinam.* Caspens. *part. 2. Curs. Theol. tractat. 23. disp. 3. sect. 2. n. 63.* Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 4. tit. 1. num. 105.* ver. *Imo post Missam.* Præposit. *3. par. quæst. 83. art. 2. dub. 4.* Francisc. Lugo *de sacrament. lib. 5. cap. 5. quæst. 7. n. 77.* Tambutin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 6. §. 4. n. 20.* Auersa *de Eucharist. quæst. 11. sect. 15.* ver. *Admittunt etiam.* Quartus *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 15. dub. 4.* ver. *Secundò in magna.*

3 Dicendum 1. *Quando ex quacumque causa rationabili durat Missa solemnis, etiamsi sit vsque ad horam tertiam post meridiem, possunt celebrari Missæ priuatæ.* Ratio est. Quia, si semel celebratur Missa, possunt etiam plures celebrari; & quoad hoc est eadem ratio de Missa solemni, ac priuatis, quia terminus claudens celebrationem Missarum est idem respectu omnium, quia ipsas respicit tanquam functionem, in qua offertur sacrificium: ergo si aliqua causa rationabili protrahatur Missa solemnis, poterunt toto illo tempore celebrari Missæ priuatæ. Confir. Missa solemnis est illa, quæ repræsentat celebritatem diei, seu solemnitatem officij, quodcumque illud sit: Missæ autem priuatæ se habent tanquam accessoriæ, & proinde Missa solemnis non solum vulgare loquutione, sed etiam in Rubricis, & cæremonialibus dicitur Missa principalis, Missa de die: ergo Missæ priuatæ tanquam accessoriæ celebrari poterunt, quamdiù celebratur solemnis, cum sit regula, quod accessorium sequatur naturam principalis.

4 Dicendum 2. *Completa Missa principali, seu solemni, posse adhuc celebrari Missas priuatas, si nondum sit elapsa hora nona, seu tertia post meridiem. Secus autem si sit elapsa.* Ratio est. Quia quando ex iusta causa protrahitur Missa solemnis, protrahuntur etiam cætera, quæ sunt annexa cum Missa solemni, tanquam hæc veniant in consequentiam ad priorem: ergo, cum sit consuetum, quod post Missam solemnem celebrentur Missæ priuatæ, protrahi poterunt proportionaliter ad protractionem Missæ solemnis. Præsertim, quia causa quæ iustificat protractionem Missæ solemnis, potest etiam iustificare protractionem priuatorũ, vt seruari possit consuetus modus eas celebrandi. Confir. Quia consuetudo terminandi missas paulò post meridiem non videtur comprehendere illos dies, in quibus missa solemnis protrahenda est ex iusta causa, siquidem ratione functionis non possunt comprehendi sub regula præscripta per consuetudinem, quia missa principalis trahit in consequentiam cætera, & facit, quod missæ priuatæ, nequeãt comprehendi sub regula communi: principale namque trahit secum minus principale tanquam minus dignum. Cap. *Iuris, de sepult.* & Cap. *Per tuas, de arbitr.* ideò oportet, quod missæ priuatæ sequantur dilationem solemnis, & solito modo ipsi respondeant.

5 Verùm quod aliqua tertia hora post meridiem non possint post solemnem celebrari missæ priuatæ, ex eo constat, quia est transacta hora vltima, in qua attendendo ad quodcumque tempus terminabatur celebratio Missarum, nec adest aliqua ratio protrahendi missas priuatas vltra solemnem, præsertim si accedat tempus vespertinum, in quo prohibitum est celebrare iuxta Constitutionem 4. Pij V. *tom. 2. Bullar.* Quod si remaneret tunc aliquis qui non audierit missam, debebit imputare propriæ negligentiæ, quod tanto tempore distulerit audire.

Excipiendum tamen puto casum, in quo Sacerdos 6
aliquis non potuisset antea celebrare ex aliqua causa concurrente functionem; nempe vel quia impeditus fuerit multitudine celebrantium, vel quia vacauerit functioni principali, vel quia occupatus fuerit in functione principali, vel in prouidendis necessariis pro principali functione, vel aliquo alio modo. Quia non debet ex hoc reportare incommodum, quod non possit celebrare. Deinde cum missa solemnis possit differri, possunt etiam differri missæ priuatæ vltra solemnem, quando hæc dilatio venit in consequentiam ad priorem dilationem, nam concesso antecedenti conceditur quidquid venit in consequentiam ad ipsum, *l. Reflexionis gratia, ff. Communia prædior.* vbi Glos. & *l. 2. ff. De iurisd. om. iud.* vbi latè Ias. Et saltem in tali casu sequi poterit opinionem, quod liceat celebrare vsque ad horam nonam; tunc enim sufficiet, si in complemento illius moraliter sumpto incipiat missa, iuxta ea, quæ dicunt communiter de inceptione missæ circa meridiem.

QVÆSTIO 419.

An ex priuata causa celebrari possit Missa post meridiem.

SVMMARIVM.

1. *Ex rationabili causa priuata celebrari potest Missa post meridiem.*
2. *Consuetudo non celebrandi post meridiem cedit præcepto audiendi Missam.*
3. *Quanto tempore post meridiem liceat celebrare ob implendum præceptum.*
4. *An per duas, vel tres horas.*
5. *Si dies non sit festiua Missa potest celebrari post meridiem ex priuata causa.*
6. *Celebrari potest post meridiem si adsunat numerus itinerantium.*
7. *Quomodo accipienda hora debita pro celebratione.*

Communiter conueniunt, quod ex priuata causa 1
rationabili celebrari possit missa post meridiem, & ponunt exemplum de itinerantibus, quando in die festo perueniunt ad locum, vbi aliquantulum morari debent, & meridies est iam transactus. Dicendum ergo est. *Ex causa itineris, vel alia rationabili, posse celebrari Missam post meridiem in diebus festis.* Ita Sotus *in 4. dist. 13. q. 2. art. 2. in fin.* Nauar. *cap. 15. Manual. n. 85.* & *cap. 21. de orat. n. 31. in fin.* Sà *verbo* Missa, *num. 27.* Henriq. *lib. 9. sum. cap. 24. n. 6.* Tolet. *lib. 2. c. 3. n. 4. in fin.* Vasq. *3. part. disp. 232. cap. 4. n. 36.* Suar. *disp. 80. de Euchar. sect. 4.* ver. *Quocirca.* Filliuc. *tr. 4. n. 113.* Layman. *lib. 5. Theol. moral. tr. 5. cap. 4. n. 4.* ver. *Ob tandem.* Miranda *tom. 1. Manual. q. 40. art. 11.* Auersa *qu. 11. de Euchar. sect. 15. circa fin.* Marchin. *de Ord. tract. 3. part. 5. cap. 7. n. 13.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 22. disp. vn. punct. 7. n. 14.* ver. *Supradictum.* Reginal. *lib. 29. praxis fori pœnit. n. 174.* Camer. *de sacrif. Miss. dub. 13. in fine.* Polach. *in Aphoris. sacros. cærem. Aphor. 1. n. 22.* Faust. *lib. 2. de Euchar. quæst. 123.* ver. *Tertio collige.* Villalob. *part. 1. sum. tract. 8. difficul. 22. n. 3.* Trullench. *lib. 3. de sacram. cap. 8. dub. 13. n. 4.* Rodriq. *part. 1. sum. cap. 248. n. 2.* Pax Iordan. *tom. 1. Lucubr. lib. 4. tit. 1. n. 105.* ver. *Idemque dicendum.* Tambur. *Opusc. de sacrif. Miss. lib. 1. cap. 6. § 4. n. 23.* Francisc. Lugo *lib. 3. de sacram. cap. 5. qu. 7. n. 78.* Quartus *ad Rubr. Miss. part. 1. tit. 15. dub. 4. in fine.* Dicastil. *de sacram. tract. 5. disp. 4. dub. 5. n. 84.* & alij, dum agunt de causis, ob quas vltra terminum præfixum liceat protrahere celebrationem, contra Facundez *præcept. 1. Eccl. lib. 3. cap. 29. n. 18.* qui vult, id non licere, nisi ex aliquo speciali priuilegio.

Ratio

Ratio autem est. Quia non est verisimile, quod consuetudo comprehendat hunc casum. Quando enim introducta fuit, dato quod fuerit cum intentione se obligandi, est verisimile, quod voluerint regulariter, vt desumitur ex tot casibus, qui excipiuntur: non autem, quod ita voluerint eam rigorosè condere, vt impediret satisfacere præcepto de audienda Missa, si ex aliqua rationabili causa; non potuerit prius impleri. Confirmat. Dato, quod consuetudo comprehenderet casum, concurreret cum præcepto audiendi Missam, quod non solum est de re excellentiore, nempe cultu supremo Dei, sed etiam est determinatiuum præcepti naturalis, & diuini colendi Deum per sacrificium: ergo in tali concursu debet cedere huius præcepto, vtpotè altioris ordinis cum trahat secum obligationem naturalem diuinam.

3 Quanto autem tempore post meridiem liceat celebrare in tali casu. Ferè communiter Doctores eitati censent licere per horam integram post meridiem. Quod intelligi debet sumendo meridiem moraliter prout consueuit sumi, quando accipitur tanquam terminus præfixus complemento celebrationis Missarum, itavt hæc hora superaddi possit illi tempori, in quo licet regulariter celebrare. Quia cum ratione causæ rationabilis concedatur hora ista dilationis, debet accipi tanquam veniens ex indulgentia ratione causæ occurrentis, atque adeò supra tempus alias iam concessum.

4 Verum Sà *verbo Missa, num. 27.* Palaus *part. 4. oper. moral. tractat. 22. disput. vnic. punct. 1. num 14. ver. Supradictam.* putant posse Missam celebrari in tali casu per duas, aut tres horas post meridiem. Quod mihi videtur probabile, quia causæ istæ rationabiles videntur esse sufficientes, vt detur regressus ad consuetudinem antiquam, quæ concedebat celebrationem vsque ad tertiam horam post meridiem, cum per nouam consuetudinem, non debeat censeri limitata, & restricta, nisi regulariter, non autem pro casibus quæ secum afferunt aliquã necessitatem. Vnde cum hoc probabile sit tum propter auctoritatem Doctorum, tum etiam propter rationem, poterit ad proximom deduci; præsertim, quia etiam ex alio capite saluari potest, nempe ratione opinionis, quod liceat regulariter celebrare vsque ad horam nonam, cum sit opinio plurium Doctorum, nec constet, quod consuetudo non celebrandi vltra meridiem sit obligatoria, de quo latè in superioribus.

5 Dicendum secundo. *Etiamsi dies non sit festus, poterit Sacerdos celebrare post meridiem non secus, ac si esset dies festus, si ratione itineris, aut alterius causæ rationabilis non potuit prius celebrare.* Ratio autem est. Quia licèt præceptum audiendi Missam non vrgeat, attamen stante latitudine, eum qua admittitur terminus claudens celebrationem, constat, quod non est seruandus rigorosè aliquis terminus, sed potius terminus quidam moralis conuenientiæ per quam restringitur celebratio ad tempus matutinum, quod ipsum quoque habet suam latitudinem: ergo quando etiam in diebus non festis occurrit causa itineris, aut alia rationabilis erit sufficiens, vt dilatet iuxta exigentiam, quia adhuc tempus celebrationis in tali casu sustinebit suam conuenientiam; præsertim quia respectu itinerantium illud tempus est matutinum, & est intra terminos consuetudinis antiquæ, qui claudere solebant celebrationem, & etiam qui modo claudunt iuxta plurium probabilem opinionem.

6 Ex dictis colligitur. Quod si aliquem locum in die festo perueniat aliquis numerus itinerantium, qui nondum Missam audierit, si ibi adsit Sacerdos aliquis ieiunus, poterit celebrare Missam vsque ad horam nonam, vt possint Missam audire. Nam eadem est ratio, ac si ipse esset itinerans; vt enim possit protrahi celebratio Missæ, sufficit causa rationabilis, siue se teneat ex parte celebraturi, siue ex parte audituri Missam, nam cum Missa in diebus festis præsertim celebretur ab commoditatem populi, in celebratione respiciendum est ad ipsius commoditatem; & ideò causa, quæ se tenet ex parte ipsius reddet rationabilem celebrationis dilationem vltra consuetum. Nec erit necessaria licentia Episcopi, etiamsi adsit in loco, quia dum peteretur, flueret hora, itavt non posset postea amplius celebrari.

Dices. Concil. Trident. *sess. 22. in decreto de seruand. & vitand. in celebr. Miss.* iniungit Episcopis, vt non permittant celebrari Missas nisi horis debitis: ergo non possunt permittere, celebrari Missas vltra meridiem iuxta Rubricam Missalem, *part. 1. tit. 15. init.* eum vbi pro termino ponatur meridies. Resp. Concil. ibi non explicare, quænam sint horæ debitæ, nec etiam se referre ad Rubricam, nam saltem expressisset aliquid, quod significaret quod se referret. Et ideò accipiendo ipsum, prout litera sonat, accipi debet de horis debitis quocumque modo debitæ sint. Possunt autem diuersis modis esse debitæ. Nam possunt esse debitæ auctoritati è, quatenus scilicet vniuersali consuetudine regulatæ, & etiam ex Rubrica, vel alio modo auctorizantur. Secundo possunt esse debitæ habita ratione casuum, & occasionum particularium; quæ exigant rationabiliter aliquam dilationem terminorum; & hunc modum admittit etiam praxis vt constat ex pluribus casibus, de quibus in superioribus. Tertio modo possunt esse debitæ doctrinaliter, quatenus scilicet habita ratione opinionum probabilium, quas tradunt Doctores, veniant intra terminos, intra quos Missa celebrari potest. Et hos omnes modos amplectitur dispositio Concilij. Et ideò in virtute dictæ dispositionis possunt Episcopi sinere celebrare Missas iuxta probabiles opiniones Doctorum, quia semper se conformabunt Concilio, nec permittent celebrari horis indebitis. 7

QVÆSTIO 420.

An Episcopus dispensare possit, vt celebretur ante auroram, & post meridiem.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus per horam ante Auroram, & post meridiem potest facere coram se celebrare.*
2. *Episcopus non potest concedere priuilegium circa horam celebrationis.*
   Episcopus non potest se ingerere, vbi superior manus apposuit.
3. *Episcopus in aliquo casu potest dispensare circa horam celebrationis.*
4. *Quando possit Episcopus dispensare in legibus Pontificiis.*
5. *Ob necessitatem viatici potest dispensare pro quacumque hora.*
6. *Quid si dispenset ex alia causa.*
7. *Dispensare an possit pro tempore vespertino.*
8. *Quanto tempore ante Auroram possit dispensare.*
9. *Quaenam sit causa sufficiens pro hac dispensatione.*

INter Episcopi priuilegia solet recenseri, quod possit saltem per horam ante Auroram celebrare, & similiter etiam per horam post meridiem. Verum cum hoc 1

hoc priuilegium nullibi reperiatur scriptum potius id ei competit ratione ordinariæ potestatis qua potest secum dispensare, & cum iis, qui coram se celebraturi sunt, vt dictum est etiam suo loco. Quæ quidem potestas habet fundamentum in cap. *fin. de priuileg. in 6.* vbi quia non decet, quod Episcopus sinat prætérite diem aliquem, in quo aut non celebret, aut non audiat Missam, conceditur in quocumque loco cum Altari portatili celebrare, aut coram se facere celebrare. Et ideò ob eandem causam habet, quod possit secum dispensare, aut cum iis qui coram se celebrant, quoad horam celebrandi.

2 Supponendum autem est tanquam certum. Non posse Episcopum cum aliquo perpetuò dispensare, aut concedere priuilegium perpetuum circa horam celebrationis. Saltem post Concil. Trid. quia, cum in Decreto, *de seruand. & vitand. in celebrat Missar. sess.* 22. iniunxerit Episcopis, quod curent Missas celebrari horis debitis, habet tacitam prohibitionem concedendi licentias vniuersales celebrandi extra debitas horas, siquidem dum vult, quod ipse curet celebrationem in debitis horis, non ipsi permittit, quod concedat celebrare horis non debitis. Rursus posteà Pius V. in sua *constit.* 4. *tom.* 2. *Bullar.* prohibuit Missas vespertinas, vnde non potest oppositum Episcopus concedere. Accedit etiam, quod cum superiores nempe Concil. & Pontifex manus apposuerint circa horam celebrandi, non potest Episcopus tanquam inferior se ingerere iuxta cap. *Vt nostram, de appellat.* & obseruant Innocent. *in cap. Cum M. Ferrariensis, de constit.* Bald. *in cap.* 1. §. *Ad hac, de pace iur. fir.* & *l. Sicut proponis.* 1. *Cod. Quomodo, & quando Iudex.* Salycet *ibid.* Imola *in l. Si expressum. ff. de appellat.* Ias. *consil.* 9. *num.* 1. *lib.* 3. Abbas. *consil.* 73. *num.* 1. Menoch. *consil.* 301. *num.* 4. Gonzalez *de mensibus. Gloss.* 52. *num.* 27. Vnde solum difficultas est, an in particulari pro aliquibus casibus possit dispensare.

3 Dicendum est. *Episcopum posse in aliquo casu particulari dispensare, vt extra horas consuetas celebretur Missa.* Ita communiter Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 43. *art.* 3. & *part.* 1. *sum. cap.* 250. *conclus* 2. *in fine.* Vasquez 3. *part. disput.* 232. *cap.* 3. *num.* 28. *in fine.* Suarez *disput.* 80. *de Eucharist. sect* 4. ver. *Tertia exceptio. in fine.* & ver. *Sed quæres.* Reginaldus *lib.* 29. *Praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 4. *quæst.* 8. *n.* 14. *in fine.* Chamerota *de sacrif. Miss. dub.* 13. Filliucius *tractat.* 5. *cap.* 4. *quæst.* 7. *num.* 113. Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 9. *num.* 7. ver. *Ego tamen.* Diuus Antoninus 3. *part. tit.* 13. §. 4. *cap.* 6. Faustus *lib.* 2. *de Eucharist. quæst.* 126. ver. *Ex quo.* Coninch *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 2. *dub.* 4. *n.* 217. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 3. Azorius *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *quæst.* 5. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 16. Gauantus *in Enchirid. Episcop. verbo* Missa. *num.* 32. Baunios *part.* 1. *sum. tractat.* 10. *de Presbyter. quæst.* 7. & *q.* 13. Garzia *in sum. tractat.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 1. *punct.* 2. *num.* 13. Nauar. *cap.* 25. *Manual. num.* 85. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tractat.* 22. *disput. vnic. punct.* 7. *num.* 13. ver. *Tertio sumitur.* Caspens. *part.* 2. *Curs. Theol. tractat.* 23. *disp.* 3. *sect.* 2. *num.* 63. Trullench *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 8. *dub.* 13. *num.* 4. *in fine.* Pax Iordan. *lib.* 4. *Lucubrat. tit.* 1. *num.* 105. ver. *Idemque. tom.* 1. Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disput.* 4. *dub.* 5. *num.* 81. Lugo Card. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.* 1. *num.* 21. Tamburin. *opusc. de sacrif. Miss. lib.* 1. *cap.* 6. §. 4. *num.* 6. 7. & 21. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 15. *in fine.* Quartos *in Rubric. Missal. part.* 1. *tit.* 15. *dub.* 5. Francisc. Lugo *de sacrament. lib.* 5. *cap.* 5. *quæst.* 6. *num.* 69.

4 Ratio autem est. Quia Episcopus potest dispensare in legibus Pontificiis in casibus particularibus, quando dispensatio non est specialiter reseruata, vt cõstat ex praxi, cum in pluribus dispenset, cum etiam in hoc materia dispenset, vt celebretur extra Ecclesiam. Et ratio est, quia cum occurrant casus, pro quibus necessaria est dispensatio, nec possit recurri ad summum Pontificem, recta gubernatio Ecclesiæ postulat, quod in Episcopis sit facultas dispensandi, alioquin non esset sufficienter prouisum indigentiæ subditorum; ergo poterit etiam dispensare circa horam celebrandi, præsertim cum simus in iis, quæ non ita restringunt. Est tamen aduertendum. Quod vt possit dispensare, erit necessaria causa ab ipso recognoscenda iuxta ea, quæ traduntur in materia dispensationum, alioquin dispensatio esset nulla, quia cum disponet, in lege non propria, non valet dispensatio, nisi sit cum causa.

Verùm hic insurgit difficultas, per quantum tempus possit dispensare. Plures ex Doctoribus citatis circa hoc nihil specificant. Nonnulli verò volunt, posse dispensare per horam ante auroram, & per duas horas post meridiem. Verum existimo; quod si causa sit necessitas conficiendi viaticum pro aliquo infirmo, possit dispensare, si modo est necessaria dispensatio, vt celebretur quacumque diei hora. Quia valde interest, quod ministretur viaticum; tum quia agitur de præcepto diuino implendo; tum quia est subueniendum moribundo omni medio possibili. Vnde etiam dispensare poterit, vt celebretur tempore vespertino; quia Bulla Pij V. quæ est, *quarta ipsius, tom.* 2. *Bullar.* prohibet solum Missas vespertinas, quæ absque necessitate celebrabantur, non autem quando occurreret casus similis necessitatis. 5

Si verò dispenset ex alia causa, erit attendenda exigentia causæ, itavt pro tanto tempore dispensare possit quantum exigit causa ipsa. Ratio est. Quia si causa facit, quod Episcopus possit dispensare, itavt excitet potentiam dispensandi, vt possit deuenire ad actum, faciet etiam, quod possit dispensare tanto tempore, quantum exigitur ab ipsa causa, alioquin frustratoria esset dispensatio, si non se conformaret indigentiæ causæ, & si causa fundat potentiam, fundabit etiam tantam potentiam, quanta est necessaria pro exigentia causæ. 6

Est tamen aduertendum, quod extra causam conficiendi viaticum, non potest moraliter loquendo adesse causa exigens dispensationem pro tempore vespertino, nisi fortè essent nuptiæ alicuius Principis, quarum benedictio non posset celebrari, nisi tempore vespertino, quod contingere potest in regionibus, vbi dies sunt breuiores nostris in hyeme. Et ideò stante opinione, quod meridies moraliter sumptus sit terminus claudens celebrationem poterit dispensare vsque ad horam nonam, seu tertiam post meridiem. Si verò terminus sit ipsa hora tertia post meridem iuxta aliorum sententiam, poterit dispensare solum pro aliquo tempore non multum notabili, quia concessa dilatione regulari dicti termini, non videtur, posse adesse causa, quæ requirat maiorem dilationem notabilem. Imò in hyeme puto non posse dispensare nisi causa esset talis, quod posset dispensare in Missis vespertinis, quia maior dilatio redderet Missam vespertinam. 7

Quod autem spectat ad dispensationem ante auroram, mihi videtur probabilius, quod non possit assignari determinatum tempus, pro quo dispensare possit: sed examinando causam poterit arbitrari tempus concedendum pro anticipatione. Imò si causa requireret maiorem anticipationem supra duas horas ante auroram poterit concedere, vt potest contingere in celebritate aliqua, quando confluunt plu- 8

res

Digitized by Google

res Sacerdotes ad celebrandum præsertim in aliquo determinato altari deuotionis causa, poterit concedere totam anticipationem necessariam. Si enim in cæteris legibus dispensatio tollit totam obligationem seu prohibitionem leges, non videtur, cur etiam in hoc casu non possit tollere, si causa exigat tolli.

9 Si autem inquiratur, quænam sit causa sufficiens dispensandi. Respondetur non esse necessarium, quod sit valdè grauis. Quia obligatio est merè positiua humana, & quæ non accipitur cum magno vigore: vt constat ex casibus, in quibus iuxta ea, quæ tradunt Doctores, etiam sine dispensatione, anticipari potest celebratio, aut postponi. Itaque quoties negatio dispensationis esset causa incommodi alicuius considerationis, aut quod in die festo non audiretur Missa, adesset causa sufficiens dispensandi. Nam si aliquis Princeps, aut quis Magnatum esset iturus ad aliquam venationem celebrem cum aliquo considerabili comitatu, puta, quod esset causa sufficiens pro dispensatione anticipandi celebrationem Missæ, quia alioquin illa actio redderetur incommoda negatione dispositionis, aut esset Missa omittenda.

QVÆSTIO 421.

An Prælati inferiores Episcopo habentes iurisdictionem quasi Episcopalem possint dispensare super hora celebrandi.

SVMMARIVM.

1. *Habentes iurisdictionem, quasi Episcopalem an fruantur priuilegio.* Cap. fin. De priuileg. in 6. & num. seq.
2. *Habentes iurisdictionem quasi Episcopalem possunt ex rationabili causa celebrare extra horas consuetas.*
3. *Possunt dispensare ex causa circa horam celebrandi.*
4. *Vnde habeant hanc facultatem.*

1 DOctores citati *num. 3. præcedent. quæst.* loquuntur de Episcopis tantum, non autem de Prælatis habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem, de quibus dubitari potest, an possit dispensare super hora celebrandi Missam, cum non sint priuilegiati sicuti Episcopi priuilegio concesso in cap. *fin. De priuileg. in* 6. Vnde videtur venire in consequentiam, quod neque ipsi possint celebrare extra horas consuetas, nec aliàs dispensare.

2 Supponendum est. Posse hos Prælatos ex rationabili causa celebrare extra horas consuetas non secus, ac Episcopos. Sequitur ex eo, quod tradunt de Abbatibus Regularibus Rodriquez *quæst. Regular. 43. art. 3. tom. 1.* Suarez *tom. 4. de relig. tractat. 10. lib. 8. cap. 3. num. 7.* Tamburin. *de iure Abbat. tom. 2. disputat. 5. quæst. 7. num. 6.* Hieronym. Garzia *in sum. tract. 3. difficult. 8. dub. 1. punct. 2. num. 15.* qui volunt Abbates Regulares habentes iurisdictionem quasi Episcopalem posse dispensare cum suis subditis, vt coram se celebrent extra horas consuetas. Et etiam ex Villalob. *part. 1. sum. tract. 8. difficult. 22. num. 9.* Hieronym. Rodriquez *in compend. resol. 25. num. 3.* Ludouico à S. Ioan: *part. 1. sum. quæst. 12. de Eucharistia, art. 1. dub. 3.* qui eandem difficultatem tribuunt Generalibus, & Prouincialibus Religionum. Ratio autem est, quia, quod Episcopi possint celebrare, aut facere coram se celebrare extra horas consuetas non habent ratione Episcopalis dignitatis, sed ratione muneris pastoralis, ratione cuius inuigilare debent ouibus, & proinde quia plurimum occupantur, est debita ipsi talis facultas. Hoc autem conuenit etiam Prælatis habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem: nam licèt non habeant ministrare aliqua sacramenta, quæ ministrant Episcopi, vt ordinem, & confirmationem, adhuc tamen sunt maximè occupati, & ex dicto capite trahitur solum minima pars occupationis pastoralis, & ideò ob eandem rationem fruuntur eadem facultate.

Dicendum est. *Prælatos habentes iurisdictionem quasi Episcopalem posse cum suis subditis dispensare, vt ex causa rationabili possint anticipare, vel postponere celebrationem Missæ.* Prob. Hæc facultas conuenit Episcopis non ratione ordinis, sed ratione iurisdictionis, cum sit actus iurisdictionis: ergo cum his Prælatis conueniat tota illa iurisdictio, quæ conuenit Episcopis, & non est excepta nec specialiter concessa conueniet etiam huiusmodi facultas, quia nec est excepta, nec specialiter concessa. Confirm. Hi Prælati dispensant in casibus particularibus in legibus Pontificiis, in quibus dispensant Episcopi, vt constat ex praxi: ergo poterunt etiam dispensare in hora celebrandi. 3

Hæc autem facultas conuenit ipsis ex eadem radice, ex qua conuenit Episcopis. Nam debet esse sufficienter prouisum subditis horum Prælatorum pro casibus, in quibus indigent dispensatione, non solum in hora celebrandi, sed etiam in legibus Pontificiis: Et non esset sufficienter prouisum, si non haberent, qui dispensaret, cum non possint recurrere ad Pontificem: & essent prioris conditionis, quam sint subditi Episcoporum: ergo quando dispensatio non est specialiter reseruata, debent posse disponere cum suis subditis, sicuti possunt Episcopi. 4

QVÆSTIO 422.

An superiores Religionum possint cum suis subditis dispensare super hora celebrationis Missarum.

SVMMARIVM.

1. *Generales Religionum possunt anticipare, & postponere celebrationem Missæ.*
   Superiores, quando possint secum dispensare in lege superiorum maiorum.
2. *Generales Religionum, & Prouinciales possunt dispensare circa horam celebrandi.*
   Superiores Regulares possunt cum suis subditis, quicquid possunt Episcopi cum suis.
3. *Superiores locales possunt dispensare circa horam celebrandi.*
4. *Quæ iurisdictio conueniat superioribus Regularibus.*
5. *Religiosus iter habiturus potest dispensari circa horam celebrandi.*

QVod Generales Religionum celebrare possint, aut coram se facere celebrare anticipando, aut postponendo horas consuetas, tradunt Marchin. *de sacrament. Ordin. tract. 5. part. 3. cap. 7. num. 11.* Rodriquez *quæst. Regular. 43. art. 5. tom. 1.* Hieronym. Rodriquez *in Compend. resol. 25. num. 5.* Villalob. *tom. 1. sum. tractat. 8. difficult. 12. num. 9.* Ludouic. à S. Ioan. *part. 1. sum. quæst. 12. de Eucharist. art. 1. dub. 3.* Hieronym. Garzia *in sum. tract. 3. difficult. 8. dub. 1. punct. 2. num. 3.* Imò etiam Prouinciales 1

ciales iuxta Ludouic. à S. Ioan. Villalob. & Hieronym. Rodriquez modo citatos, si concurrat causa rationabilis, & hoc præscindendo à priuilegiis. Quod quidem apud me difficultatem non habet, siquidem subintrat communis Doctrina, quod superiores habentes iurisdictionem in foro externo, & indigentes dispensatione in aliqua lege superioria, hic, & nunc ad quem non possunt recurrere si dispensatio non sit reseruata, sed sit solita concedi ab aliis superioribus inferioribus, possunt secum dispensare, aut alicui committere, quod secum dispenset. Cum ergo dispensare circa horam celebrandi, non sit reseruatum, & Episcopi dispensent cum suis subditis ex communi sententia, poterunt dicti superiores Regulares in hoc secum dispensare, aut facere dispensate. An autem dispensare possint subditos.

2 Dicendum est. *Generales Religionum, & Prouinciales posse in casibus particularibus seclusis priuilegiis dispensare suos subditos concurrente causa rationabili, vt anticipent, aut postponant horam celebrandi.* Ita Hieronym. Garzia *in sum. tract. 3. difficult. 8. dub. 1 punct. 2. num. 13. in fine.* Villalob. *part. 1. sum. tract.* 8. *difficul.* 11. *num.* 9. Brunus *de priuileg. part.* 2. *tractat.* 8. *cap.* 1. *propos.* 3. ver. *Hic tamen.* Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 6. §. 4. *num.* 6 qui id colligit ex Suarez. Hoc autem mihi videtur certum supposita communi opinione, quod Episcopi possint dispensare in hoc cum propriis subditis. Nam valet consequent. Ergo Prælati Regulares dispensare possunt. Fundatur autem hæc consequent in concessione, seu potiùs declaratione Pij V. *sub die* 21. *Iulij* 1571. quæ est 132. *in tom.* 3. *Bullar.* vbi §. 3. concedit, & declarat, quod specialiter in ordine ad dispensationes possint Prælati Regulares cum suis subditis, quidquid possunt Episcopi cum sibi subditis, & ponit causam finalē, ne subditi Religiosi sint peioris conditionis, quàm sint Clerici sæculares, & Laïci. ibi. *Ne Prior Conuentualis, & Superiores Prælati totius Ordinis tam in dicta Prouincia, quam extra eam cuilibet in parte deterioris conditionis, quàm Clerici aut sæculares existant eisdem Priori Conuentuali, & Superioribus Prælatis, vt ipsi per se ipsos idem omninò possent in Fratres, & Moniales dicti Ordinis sibi subditos, quod possunt Episcopi in Clericos, & Laïcos sibi subiectos, tum quoad absoluendi, & dispensandi huiusmodi, quàm alias quascumque facultates eadem auctoritate, & tenore eam perpetuò concedimus, & indulgemus, ac etiam declaramus.*

3 Dicendum 2. *Superiores quoque Regulares locales posse cum suis subditis dispensare, vt possint anticipare horam celebrandi ex rationabili causa, vel post horam præfixam celebrare.* Habetur ex dicta constitutione Pij V. citata. Nam suam concessionem, & declarationem extendit etiam ad superiores locales, vt constat ex illis verbis, *Ne Prior Conuentualis.* Vnde cum Superiores conuentuales possint cum suis subditis, quod potest Episcopus cum propriis quoad absolutiones, & dispensationes, poterunt etiam dispensare circa horam celebrandi sicut possunt Episcopi.

Et ratio pro vtraque parte est. Quia Superiores
4 Regulares tam maiores, quàm minores sunt Ordinarij suorum subditorum, tam pro foro interno, quàm pro foro externo: ergo debent habere iurisdictionem talem in suos subditos, vt possint eos regere iuxta varios exigentes, quod fieri non potest, nisi possent eos dispensare etiam in legibus Pontificiis, quando dispensatio non est reseruata alioquin cum non possint recurrere toties, quoties ad Pontificem occasione vrgente, non esset ipsis satis prouisum de remedio, si non possent recurrere ad superiores. Et hæc est ratio in qua fundatur constitutio prædicta Pij V. ne scilicet Religiosi sint peioris conditionis cæteris.

Ex his colligitur. Quod quando Religiosus aliquis est iter habiturus petere posse à suo superiore dispensationem celebrandi ante, vel post horam debitam, prout necessitas itineris exigere potest. 5
Quamuis enim hæc dispensatio sit pro pluribus vicibus, est tamen pro eadem causa, quamdiu nimirum durabit iter; & ideò à superiore concedi potest, cum causa inter eas enumeretur, ratione quarum iuxta Doctorum communem sententiam Missa anticipari, vel postponi potest, & cuius intuitu etiam concessa sunt priuilegia ab Apostolica Sede, & ideo est sufficiens pro dispensatione.

QVÆSTIO 423.

Quomodo computanda sit hora nona, seu tertia post meridiem.

SVMMARIVM.

1. *Hora nona quomodo computanda.*
   Verba secundum communem vsum accipienda.
2. *Hora nona dicit primam medietatem temporis inter occasum solis, & meridiem.*
3. *Hora in ordine ad officia diuina computantur Canonico modo.*
4. *Hora nona quomodo accipienda vbi dies sunt breuissimi.*
5. *Quantum temporis importet hora nona, vbi dies sunt quindecim horarum.*

IN superioribus passim dictum est de celebratione Missarum vsque ad horam nonam, vel secundum aliquorum opinionem, vel secundum dispensationem, & etiam infra occurret, cum agetur de priuilegiis. Videtur enim debere intelligi de hora nona, seu tertia post meridiem secundum horologia communia, iuxta quæ dies diuiduntur in viginti quatuor horas æquales quarum partim sunt diurnæ, partim nocturnæ; nam hæc est regularis computatio temporis: & communis vsus computandi horas. Verba autem accipienda sunt secundum vsum communem loquendi in interpretanda oratione, vt aduertunt Gloss. *in cap. Nonnulli.* verbo *Vltra de rescript.* Mantica *de coniunct. vlt. volunt. lib.* 3. *tit.* 8. *num.* 1. & desumitur ex. *l. Cum de Lanionis.* §. *Item.* ver. *Optimum ergo. ff. de fun. instructo.* 1

Dicendum tamen est. *Horam nonam, seu tertiam post meridiem, importare medietatem temporis, quæ est inter meridiem, & occasum solis, atque adeò plus minúsve temporis, prout dies sunt longiores, vel breuiores.* Vnde singuli dies diuidendi sunt in duodecim horas æquales, quarum sex sint matutinæ, & sex promeridianæ, & his autem sex postmeridianis, tres constituent horam nonam, & aliæ tres tempus vespertinum. Ita Francolin. *De horis Canon. cap.* 10. vbi latè Lugo Cardin. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.* 5. *num.* 42. Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. cap.* 6. §. 4. *num.* 26. Bonac. *de horis Canon. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 5. Narbona *in Horograph. iur. hora* 7. *num.* 9. Leander. *de sacrament. tractat.* 8. *disput.* 6. *quæst.* 10. *in fine.* 2

Ratio autem est. Quia quando agitur de celebranda Missa, & in ordine ad ipsam assignatur hora, intelligi debet de hora Canonico modo computata, quia cum Missa sit pars diuini officij, debet regulari secundum horas, quibus regulatur officium diuinum iuxta suam institutionem, licèt postea aliter cœperit seruari, officium autem diuinum regulabatur 3

secundum

secundum suam institutionem iuxta decisionem horarum inæqualium, quibus singuli dies diuidebantur in duodecim horas inæquales, vt ostendit Francolin. *de Hor. Canon. cap. 9. 15. & 21.* & desumitur etiam ex Diuo Thoma Chrysostomo *Homil. 59. ad Populum.* ibi. *In quatuor partes diem dispartiti dum singula partes implentur psalmodiis, & hymnis Deum venerantur.* Cum igitur dies diuideretur in quatuor partes æquales, quarum duæ essent matutinæ, & duæ post meridiem, sequitur, quod hora nona terminetur per tertiam partem diei continentem horas septimam, octauam, & nonam, omnes post meridiem.

4 Ex dictis colligitur, quod in illis regionibus vbi dies hyemales sunt tantum sex horarum circiter, aut etiam minores, hora tertia completa post meridiem, seu hora nona importabit solum horam cum dimidia circiter, aut quid minus post meridiem: & totum tempus à meridie ad ipsam erit trium horarum, quarum singulæ importabunt tantum dimidiam horam circiter. Ex quo fit manifestum, quod istæ horæ non sunt accipiendæ secundum vsuales horologij, nam sequeretur hoc inconueniens quod in dictis regionibus hora nona esset vltima diei. Imò etiam in nostris regionibus in hyeme hora nona esset vigesima secunda cum dimidia. Et ideò in præsenti horæ computandæ sunt, non secundum communem computationem, sed secundum computationem canonicam, & modum loquendi Ecclesiasticum, cum versemur in materia Ecclesiastica. Ex quibus soluta manet ratio dubitandi initio proposita.

5 Secundò colligitur. Quod in his regionibus, quando circa solstitium æstiuum dies naturales sunt quindecim horarum vsualium, tunc hora nona importabit post meridiem tres horas vsuales, & tres quadrantes, quæ sunt tres artificiales diei; quarta nempe pars quindecim horarum, & proinde complebitur hora vigesima vsuali, & vno quadrante. Et consequenter vsque ad illud tempus habere poterit locum celebratio Missarum, vel ex dispensatione, vel ex alia legitima causa.

QVÆSTIO 424.

Quænam sint priuilegia celebrandi ante auroram.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegium celebrandi per horam & ante diem, & post meridiem.*
2. *Quomodo accipiendum.*
   Dictio, Præsertim, *quid importet.*
3. *Alterum priuilegium celebrandi etiam ante matutinum, & quomodo.*
4. *Non potest reduci ad praxim absque causa cognoscenda à superiore.*
5. *Quid requiratur pro vsu huius priuilegij.*
   Dictio, Post, *importat ordinem, & conditionem.*
6. *Quomodo adhibendum ab iis, qui recitant matutinum antequam eant cubitum.*
7. *Quomodo quando noctes sunt breuiores.*
8. *Priuilegium hoc an practicari possit in gratiam alicuius sacularis.*
9. *Priuilegium celebrandi ante & post horam statutam.*
   Priuilegium celebrandi per totam horam nonam.
10. *Pro vsu requiritur causa.*
11. *Non dependet à licentia superiorum.*
12. *Priuilegium celebrandi duabus horis, post meridiem.*
    Fuit extensum ad totam Congregationem Cassinensem.
13. *Priuilegium celebrandi per horam ante auroram, & post meridiem ex causa itineris.*

1 Plura extant priuilegia concessa à summis Pontificibus Regularibus circa anticipandam horam celebrationis Missæ, quæ referantur omnia in Compendium Priuilegiorum tum à Doctoribus, qui agunt de hac materia. Quia tamen aliqua sunt viuæ vocis oracula, de quibus modo dubitatur, an subsistant stante reuocatione huiusmodi oraculorum facta ab Vrbano VIII. ideò iis omissis; sicut etiam quibusdam aliis, magis principalia recensebo. Primum ergo priuilegium est, quod concessit Innocentius VIII. Fratribus Ordinis Prædicatorum reformatis Congregat. Hispaniæ, quod possint celebrare Missam per horam ante diem, & per horam post meridiem, præsertim quando prædicatur, vel sunt solemnia officia.

2 Quod quidem est magnum priuilegium, siquidem est absolutum, nec respicit causam, licèt enim addat, *Præsertim quando prædicatur.* Hæc dictio, *Præsertim*, non excludit alios dies, sed exprimit illos, in quibus potiori modo valet concessio iuxta ea, quæ tradunt Cepol. *De simulat. contract. numero 216.* Paris. *de confidentia, quæstione vigesimanona, numero decimoquarto*, Valpel. *de praposit. & aduerb. verbo* Præsertim. *numero primo*, Sanchez *libro secundo, de matrim. disputat. 39. num. 6.* Portel. *in Rubric. Regular. verbo* Missa. *numero sexto.* Debet autem intelligi hoc priuilegium de hora ante diem sumendo pro die etiam auroram, alioquin nihil concederet, quia aurora durat per horam circiter, & sub initium auroræ licèt celebrare, vt suo loco declaratum est. Refertur autem hoc priuilegium *in Compend. Priuileg. Mendican. verbo* Missa secundò, *quoad tempus, num. 4.*

3 Alterum priuilegium, & est maius, concessit Leo decimus Fratribus Minoribus Obseruan. quod refertur *in eodem Compend. eodem loco, numero sexto.* Quod possint dicti Fratres de licentia suorum superiorum quorum conscientiis remittit, quomodo vtenda sit hac gratia, celebrare illico post meridiem, præsertim in diebus, quando adest præceptum de audienda Missa; quando Fratres debent ambulare, seu quando de via veniunt, & non possunt ante meridiem applicare ad locum, vbi commodè possint Missam audire, vel honestè celebrare. De æstate verò, quando noctes sunt breuiores etiam ante matutinum chori, vel infrà dummodo celebraturus illud per se, aut cum socio dixerit, provt consuetum est in ordine cum Prima. Simile priuilegium, sed minus amplum concessit Innocentius VIII. Augustinianis, nempe, quod explato matutinali officio possint celebrare Missam, etiam ante auroram. Quod priuilegium, quatenus non requirit causam, est secundum quid maius. Refertur *in dicto Compendio eodem loco num. 5.* & in Bullario Augustiniano *Constit. 3. §. 2.* Innocent. VIII.

4 Circa autem hoc priuilegium concessum Minoribus est aduertendum, quod cum pro eius vsu requiratur licentia superiorum, quorum conscientiæ onerantur, quomodo vtendum sit, satis indicat Pontifex, quod non debet ad praxim reduci absque rationabili causa, quia si voluisset Pontifex, quod vterentur absque causa, non potuisset talem restrictionem; dum enim onerat conscientias superiorum, vult, quod recognoscant, an adsit sufficiens causa.

Dum autem explicat aliquas causas cum dictione *Præsertim*, significat, illas esse potiores causas iuxta dicta *suprà numero* 5. atque adeò includit etiam causas minores iudicio superioris approbandas. Ex quo sequitur, quod toties, quoties debent subditi obtinere licentiam à superiori vtendi hoc priuilegio.

5 Sequitur autem. Qood cum dicti Fratres celebrent, maturioum media nocte, atque adeò hora circiter post mediam noctem compleant; poteruot per plures horas in hyeme ante diem celebrare; in his eoim nostris regionibus poterant celebrare per horas septem ante ortum solis. Est tamen aduertendum, quod participaotes hoc priuilegium noo poterunt per tot horas ante diem celebrare, oisi eadem hora recitent matutinum; quia in clausula *Post matutinum*, dictio *Post*, importat ordioem successionis, quo celebratio Missæ debeat succedere matutino, atque adeo importat conditionem iuxta doctrinam, & obseruationem. Rotæ *decis*. 167. *num*. 6. *part*. 5. *Recent*. Conditione autem hoc non impleta, non subsistit priuilegium. E cootra verò in virtute priuiegij Augostianorum poterunt participantes celebrare quacumque hora ante diem, dommodo in choro recitauerint Matutinum.

6 Sed hic insurgit dubium. Quid dicendum de illis Religiosis, qui participant priuilegia, sed cantant matutinum prima nocte, antequam eant cubitum. *Resp*. Quoad ipsos esse impletam conditionem reqoisitam statim, ac celebratum est matutioum; vnde cum licentia superiorum poterant post mediam noctem celebrare. Tenebantur tamen superiores, cum ipsorum conscientia oneretur à Pontifice, an causa requirat tantum aoticipationem, nec poterunt concedere, nisi anticipationem necessariam iuxta exigentiam caosæ.

7 Rursus quando concedit, quod in æstate, quando noctes sont breuiores, possint ante matutinum celebrare, non concedit pro toto tempore æstatis, siquidem addit clausulam, *Quando noctes sunt breuiores*. Quæ est restricta ad tempus æstatis, in quo noctes suot breuiores. Quodnam autem sit hoc tempus, seu quousque noctes ante & post solsticium æstiuum dicendæ siot breuiores, remittitur iudicio prudentis viri, atque adeò superioris, ad quem pertinet concedere licentiam. Videtur aotem, quod possint dici breuiores à medietate temporis inter eqninoctium versum, & solsticium æstiuom & à solsticio vsque ad subsequentem medietatem temporis ad æquinoctium autumnale; nam tunc noctes incipiunt notabiliter minorari, & accedunt propè ad maiorem breuitatem quam habent, & post solsticium per idem tempus retinent eandem correspondentiam. Est tamen aduertendum, quod licèt concedat celebrare ante matutinum, non tamen ante mediam noctem.

8 An autem possit superior concedere licentiam subdito, vt vtatur hoc priuilegio in gratiam alicoius sæcularis. Videtur affirmatiuè respondendum, si sæcularis id desideret ex aliqua rationabili causa. Vnde cum multum intersit religiosis habere sæculares beneuolos, præsertim quando de eleemosynis viuunt, gratificatio sæcularium reducitur ad causam boni poblici, quæ est sufficientissima, vt possit superior concedere sobdito hanc licentiam. Ex quo fit, quod non sit necessariom, quod ex parte sæcularis concurrat causa considerabilis, sed sufficiat quæcumque rationalis, etiam honestæ recreationis, quia hæc oon debet esse concedendæ licentiæ, sed tantum occasio, cum motiuum sit bonum poblicum religionis.

9 Tertium priuilegium fuit concessum iisdem Fratribus Minoribus de obseruaotia à Sixto IV. oempe quod causa necessitatis possint ante, & post horam statutam ab Ecclesia celebrare Missam. Refertur autem *in Compendio priuileg. Mendican. eodem titulo Missa, secundò, quoad tempus, numero tertio*. Consooat huic priuilegio illud, quod concessum fuit ab Eugenio III. Monachis Congregationis sanctæ Iustinæ de Padua *septimo Kalendis Martij, anno* 1434. *subdata Florentia*. Nempe, quod huiusmodi Congregationis Sacerdotes in itinere constituti, aot alia ad hoc causa subsistente ante diem vsque ad nonam inclusiuè celebrare valeaot. Ita in *Constitutione* 58. *numero decimoquarto*, Bullar. Cassinens. *ex Archiuio sancti Benedicti de Padolgron*. Idem etiam priuilegium sub iisdem verbis concessit idem Eugenius iisdem Monachis subdata Bononiæ. *Pridie Kalendas Iulij anno* 1436. vt *in constitutione* 63. *numero* 5. Bullar. Cassinen. ex eodem Archiuio S. Benedicti de Padolgrone, & etiam apud *Bullar*. Rodriquez.

10 Circa quæ priuilegia est aduertendum, quod requiritur causa itineris, aut aliqua alia, vt eius vsus habeat locum. Quando autem in priuilegio concesso Minoribus reqoiritur causa necessitatis, intelligitur de quacumque necessitate largè sumpta, & quæ importat solam difficultatem ad expectandam horam consuetam, aut non differendi post ipsam, nam quando difficultas est magna, æquiparatur etiam impossibilitati. *lib*. 2. §. 2. ver. *Ex quo. ff. de verbor. obligat*. & obseruaot Felin. *in cap. Ecclesia, numero* 81. *de Constitutione*, Medices *de Casibus fortuitis, parte prima, quæstione quarta, numero* 11. Quid aotem concedatur, quando conceditur celebrare ante horam statutam aut ante autoram, explicabitur *infrà*.

11 Rursus est aduertendum, quod cum istud priuilegium non sit dependens à licentia superiorum, sed habeat exequotionem immediatè à singulis Religiosis Sacerdotibos, relinquitur ipsorum arbitrio ad iudicaodum sufficientiam causæ, vt possit habere locum priuilegiom. Sufficiet autem quæcumque causa rationabilis, quia non determinatur à Pontifice, vt constat ex illis verbis, *aut alia causa subsistente*. Debet tamen esse talis, vt exigat anticipationem, aut dilatiooem Missæ vltra horam consuetam.

12 Quartum priuilegium fuit concessum ab Alexandro VI. Congregationi saocti Benedicti Vallisoleti vt *in Bullario*, Rodriquez *Bulla* 13. eiusdem Pontificis, vt scilicet possint celebrare Missas post duas horas post mediam noctem. Qood priuilegium licèt concessom pro Ecclesia beatæ Virginis Mariæ Montis Serrati, quia tamen per plures subsequentes Pontifices priuilegia certis locis concessa extensa sunt ad omnes locos, & communicata tanquam principaliter concessa aliis Religionibus, ideò modo factum est commune omnibus participantibus. Et quamuis dictum priuilegium concessum sit ob concursum magnum Sacerdotum, qui confluebant ad celebranduno in illa Ecclesia, attamen quia hæc fuit causa impulsiua, quamuis noo habeat locum, non per hoc impeditur extensio, & communicatio priuilegij. Et ita sentiunt Lugo Cardinalis *disputatione vigesima, de Eucharistia, sectione prima, numero vigesimoseptimo*. Tamburinus *opusc. de sacrificio Missæ, libro primo, capite sexto*, §. *quarto, numero vndecimo*. Præsertim, quia in communicatione, & extensione non fit mentio talis causæ, sed simpliciter communicantur, & extenduntur priuilegia. Et hoc præcipuè habet locum si priuilegia tanquam per nouam concessionem commounicentur. Accedit

Digitized by Google

dit quod Clement. VIII. *in Bulla* 21. apud idem Bullarium extendit omnia priuilegia illius Conuentus ad totam Congregationem, atque adeò ad participantes. Hæc autem omnia priuilegia fuerunt concessa ante Concil. Trident.

13 Post Concilium autem Tridentinum Gregorius XIII. concessit Patribus Iesuitis, quod possint cum licentia Generalis, vel alterius deputati celebrare Missam causa itineris, vel alterius impedimenti per horam ante auroram, & per horam infra meridiem, vt in Bulla *Quanta in vinea Domini*: & refertur in Compendio *Priuilegio sanctæ Mariæ Fuliensis*, Tit. *Missa*. §. 3. & in Compend. *Priuilegio, Clericor. Regular. eodem titul.* §. *Item*. 3. Ex quo priuilegio deducit Suarez *de Eucharistia, disput.* 80. *sect.* 4. ver. *Tertia exceptio.* Alter Rodriquez *in Compend. resolut.* 25. *num.* 1. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 40. *artic.* 10. *conclus.* 2. Tambutinus *tom.* 2. *de iure Abbat. disputat.* 5. *quæst.* 7. *num.* 4. & alij, quod celebrari potest tribus horis ante solis ortum, quia cum aurora sit terminus à quo regulariter incipere potest celebratio Missarum, & hæc in hoc casu computari soleat per duas horas ante solis ortum. Addita hora priuilegij euadent tres horæ. Hoc tamen patitur aliquam difficultatem, vt constabit ex dicendis infrà. Possent offerri alia similia, aut etiam inferiora priuilegia, sed quia nihil concedunt quod in allatis non sit concessum, ideò omittuntur.

QVÆSTIO 425.

Quænam priuilegia sint concessa in ordine ad celebrandam Missam post meridiem.

SVMMARIVM.

1. *Tres species priuilegiorum celebrandi post meridiem.*
2. *Priuilegium celebrandi per horam post meridiem.*
3. *Priuilegium celebrandi vsque ad horam nonam.*
4. *Priuilegium celebrandi post meridiem indeterminatè.*
5. *Ad quid inseruiant dicta priuilegia.*

1 TRes species priuilegiorum reperiantur concessa in ordine ad celebrandam Missam post meridiem, nam quædam concedunt solum indeterminatè celebrandi post meridiem non assignando quantitatem temporis. Quædam verò assignant temporis quantitatem, & hæc diuiduntur secundum quantitatem temporis, quod concedunt, nam quædam concedunt exiguum tempus, quod etiam secluso priuilegio admitti potest secundum communiorem sententiam. Alia verò concedunt illud maximum tempus quod secundum plurium sententiam secluso priuilegio admittitur.

2 Primum ergo priuilegium est illud, quod concedit celebrare per horam post meridiem. Ita concessit Fratribus Prædicatoribus reformatis Congregatione. Hispaniæ, Innocentius VIII. vt dictum est *in præcedenti quæstione, num.* 1. & Gregorius XIII. Patribus Iesuitis, vt eodem loco visum est, *num.* 13. Differt autem hæc concessio à concessione Innocentij VIII. quod requirit causam itineris, vel alterius impedimenti, vnde non concedit aliquod, quod secundum communem sententiam non liceat, vt visum est in superioribus. Concessio verò Innocentij VIII. non requirit causam.

3 Secundum priuilegium concedit similiter tempus determinatum, sed amplum. Siquidem concedit, quod Missæ celebrari possint vsque ad horam nonam. Ita concessit Eugenius IV. Monachis Benedictinis Congregationis S. Iustinæ bis sub duplici data temporibus diuersis, vt visum est *num.* 9. *præcedent. quæst.* Hora autem nona, seu tertia post meridiem accipi debet Ecclesiastico modo, provt scilicet dies diuiditur in quatuor partes, quarum singulæ constent tribus horis quæ proinde sint horæ inæquales, cum singulis diebus varient in quantitate temporis, & modo sint maiores, modo minores iuxta quantitatem dierum.

4 Tertium priuilegium concedit celebrare post meridiem non determinando quantitatem temporis. Ita concessit Leo X. Fratribus Minoribus, vt visum est *in præcedent. quæst. num.* 1. Pro vsu tamen huius priuilegij requiritur licentia superiorum, quam non possunt concedere sine rationabili causa. Idem etiam concessit eisdem Fratribus Minoribus Sixtus IV. *vt ibid.* relatum est *num.* 9. dum concessit, quod possint celebrare post horam statutam ab Ecclesia, intelligitur autem de statuta vigore consuetudinis. Hæc autem sunt potissima priuilegia, quæ in hac materia emanauerunt.

5 Est autem aduertendum, quod quatenus hæc priuilegia requirant causam & licentiam superioris, non concedunt aliquid, quod ipsis seclusis obtinere non potuerit ex dispensatione superiorum, nam, vt visum est in superioribus. Possunt Prælati Regulares etiam locales dispensare ex rationabili causa, vt possint subditi celebrare post meridiem, provt causa exegerit vsque ad horam nonam. Et ideò solum inseruiunt ad confirmandam hanc facultatem, quæ prior non erat certa, sed sub opiniona.

QVÆSTIO 426.

Quid concedant priuilegia, quæ concedunt, posse celebrari Missam ante Auroram, vel post meridiem tempore determinato.

SVMMARIVM.

1. *Quid operetur priuilegia de eo, quod secundum aliquam opinionem est licitum.*
2. *Priuilegium celebrandi per totam horam nonam, quid operetur.*
3. *Priuilegium celebrandi post matutinum concedit, quod aliàs non licet.*
4. *Priuilegia concedentia, quod per dispensationem obtineri non potest, non sunt otiosa.*
5. *Tempus concessum per priuilegia an coniungi possit cum toto eo, in quo aliàs licet celebrare.*
7. *Tempus concessum per priuilegia est supra illud totum, in quo aliàs licet anticipare, vel postponere Missam.*
8. *Priuilegia quomodo tantum valeant, quantum sonant.*
Priuilegia licet strictè accipienda, non debent accipi infrà propriam significationem verborum.

1 SVpponendum est. Quod vt priuilegia huiusmodi non sint otiosa, sufficit, si concedant aliquid, quod secundum aliquam opinionem non sit licitum, quia licet secundum aliam licitum sit, attamen sequendo adhuc istam opinionem non est certum,

quod sit licitum, sed solum probabiliter; accedeote autem priuilegio fit certum, quod sit licitum. Vnde plura priuileg a tam in hac materia, quàm in cæteris impetrata sunt ex fundamento illarum opinionum, quod non essent licita, quæ petebantur.

2 Supponendum 2. Quod priuilegium concedens, posse ex causa celebrare vsque ad horam nonam, seu tertiam post meridiem, multum operari, nam concedit, quod secundum sententiam magis communem non est licitum saltem ex causa priuata, sed ad supremum ex causa publica alicuius celebritatis, aut similis. Rursus operatur, quod differentes ex causa priuata celebrationem Missæ vsque ad horam nonam, non possint in foro externo molestari si enim id facerent in virtute opinionis, quæ id concedit, cum non teneatur Episcopus sequi hanc opinionem, sed possit iudicare secundum oppositum, posset tanquam delegatus sedis Apostolicæ prætendere, quod esset hora indebita, & id prohibere, quod non potest stante priuilegio.

3 Supponendum 3. Priuilegium, quod concedit posse celebrare post duas horas post mediam noctem, sicut etiam priuilegium, quod possit celebrari Missa statim post matutinum, aut etiam in æstate, quando noctes sunt breuiores, ante matutinum, esse magnum priuilegium præsertim, quoad Fratres Minores, quibus primò concessum fuit, siquidem concedit, quod secundum nullam opinionem est licitum: tanta namque anticipatio à nemine conceditur, etiam ex causa. Et ideo de hoc priuilegio non adest dubium, quid concedat, cum satis euidenter constet.

4 Supponendum 4. Quod, quando priuilegia conceduot id, quod per dispensationem à superioribus immediatis obtineri potest licèt requirant causam, adhuc tamen non sunt otiosa, sed concedunt aliquid, ad quod non pertingit dispensatio. Nam, vt superior dispensare possit, debet examinare causam, etsi non est sufficiens pro dispensatione, non poterit dispensare. At stante priuilegio, etiam causa, quæ licèt rationabilis, non sufficit tamen pro dispensatione, sufficiet, vt possit concedere licentiam, qua sufficit, quod sit talis, quod reddat rationabilem vsum priuilegij, reddit autem quæcumque causa rationabilis. Difficultas autem modo est, quid concedant priuilegia, quando concedunt tempus determinatum horam videlicet, & quomodo sit accipiendum. Difficultas autem in eo consistit, an tempus concessum coniungi debeat cum toto eo, io quo aut ante auroram aut post meridiem licèt celebrare absque priuilegio, an verò cum tempore præcisè expresso in priuilegio.

5 Prima sententia asserit, debere coniungi cum tempore præcisè expresso in priuilegio, itavt si concedat per horam ante auroram, aut post meridiem, debeat ista hora coniungi cum aurora præcisè, aut meridie: non autem cum toto illo tempore, in quo ante diem, aut post meridiem potest celebrari. Ita Vasquez 3. *part. disput.* 232. *cap.* 4. *num.* 37. Francolin. *de hora Canon. cap.* 39. *num.* 21. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *quæst.* 3. Reginaldus *lib.* 29. *Praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 4. *quæst.* 5. *num.* 174. *not.* 3. Garzia *in sum. tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 1. *punct.* 2. *num.* 17. Fundamentum huius sententiæ est, quia priuilegia tantum valent, quantum sonant, & ideò in præsenti debent accipi de aurora, aut meridie propriè, & præcisè accepto. Deinde cum ista priuilegia derogent iuri communi strictè sunt interpretanda.

6 Secunda sententia asserit, tempus concessum iungendum esse cum toto tempore, io quo secluso priuilegio tam respectu auroræ, quàm respectu meridiei licèt celebrare & proinde pro aurora esse accipiendum totum tempus ante ortum solis, in quo iuxta communem explicationem licèt celebrare, quod importat duas horas circiter ante ortum solis, & huic adiungendam horam priuilegij, aut aliud tempus in dubium. Et eodem modo procedendum esse respectu meridiei. Ita Rodriquez *quæst. Regular.* 42. *artic.* 2. *tom.* 1. Suarez *disput.* 80. *de Eucharistia, sect.* 4. ver. *Tertia exceptio.* Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 40. *artic.* 10. *conclus.* 2. Tamburin. *de iure Abbat. tom.* 2. *disput.* 5. *quæst.* 7. *disput.* 4. Gauant. *in Rubricas Missalis, part.* 1. *titul.* 15. *num.* 1. Trullench *de sacrament. lib.* 3. *capite octauo, dubio decimotertio, numero septimo, & in Bullam Cruciata, libro secundo*, §. 5. *numero* 4. Filliucius *tractat.* 5. *cap.* 4. *num.* 112. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tractat.* 22. *disput. vnic. punct.* 7. *num.* 13. ver. *Quinta sumitur.* Faustus *libro secundo de Eucharistia, quæst.* 224. ver. *Hinc priuilegium.* Thomas Tamburinus *Opuscul. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 6. §. 4. *num.* 22. Quartus *in Rubricas Missalis, part.* 1. *titulo quinto, dubio sexto, init.* & ver. *Dico secundo.* Auersa *quæst.* 11. *de Eucharistia, sect.* 15. ver. *Deinde ex priuilegio.*

Dicendum est. *Totam illam quantitatem temporis concessam per priuilegium, posse anteponi toti illi tempori matutino, in quo licèt celebrare secluso priuilegio, & postponi item toti illi tempori post meridiem, in quo similiter licèt celebrare.* Ratio est. Quia Pontifex concedens priuilegium, & taxans tempus intendit concedere totum illud tempus, quod concedit, tanquam alias non concessum siue ex consuetudine, siue secundum Doctorum opinionem, siue ex quocumque alio capite: ergo habet sumi de tempore aliàs non concesso: alioquin dicens concedere horam, non concederet, si tota hora non sumeretur de tempore non concesso: ergo totum tempus expressum in concessione addi poterit toti tempori aliàs concesso, & à consuetudine, & opinione Doctorum declarato. 7

Ad fundamentum in oppositum. resp. Quod ex eo, quam priuilegia tantum valent, quantum sonant, debet accipi tempus concessum modo explicato. Nam si priuilegium sonat horam temporis, quæ concedatur, si non accipiatur tota integra hora de tempore non concesso superaddenda concesso, non sumeretur priuilegium, vt verba sonant, quia cum sonet concessionem vnius horæ, non sumeretur concessio vnius horæ. Quod autem additur, quod priuilegia, quæ derogant iuri communi sunt strictè accipienda. Quidquid sit, an ista derogent, & quoad meridiem non adsit ius, sed solum consuetudo, de qua dubium, an obliget. Et saltem per talia priuilegia fit regressus ad consuetudinem antiquam, & proinde quoad hoe admittunt latam explicationem iuxta communem regulam de regressu ad ius antiquum, quidquid inquam de hoc sit priuilegia, quæ derogant iuri communi stante quacumque stricta interpretatione, quæ sit facienda, non debent interpretari infrà propriam verborum significationem, & ideò quando concedunt vnam, duas horas, non debent explicari de aliquo tempore minori sumendo de aliàs concesso, alioquin strictiùs acciperentur, quàm sit propria verborum significatio. 8

QVÆSTIO 427.

Quid concedant priuilegia, quando concedunt posse celebrare ante diem, & post meridiem.

SVMMARIVM.

1. *Quomodo accipiendum priuilegium concedens celebrationem ante auroram, & post meridiem.*
2. *Quid attendendum in declaratione huius priuilegij.*
3. *Declaratio est regulanda iuxta causam, qua exigit anticipationem, & postpositionem.*
4. *Tempus ante auroram quodnam sit.*
5. *Priuilegiam concedens celebrare ante auroram complectitur etiam maximam anticipationem.*
6. *Priuilegium celebrandi post meridiem concedit, quod aliàs non licet.*

1 EX dictis in superioribus constat, adesse priuilegium, in quo conceditur absolutè celebrare Missam ante diem, seu ante auroram, & post meridiem non determinando tempus; vnde insurgit dubium, quomodo sit intelligendum, & de quanto tempore. Quamplures docent, esse intelligendum de hora ante auroram, & post meridiem. Ita Francolin. *de Hor. Canon. cap.*39. *num.*21. Azor. *part.*1. *lib.*10. *cap.*25. *quæst.*3. Reginal. *lib.*29. *praxis fori pœnit. cap.*9. *sect.*4. *quæst.*5. *num.* 174. *not.*3. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.*3. *cap.*17. *num.*4. Vasquez *disp.*232. *cap.*4. *num.*37. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.*3. *quæst.* 6. *num.* 71. Faustus *lib.* 2. *de Eucharist. quæst.*124. *init.* qui addit, posse intelligi per vnam, aut alteram horam. Fundamentum est. Quia, quando Pontifices concedunt priuilegium, quoad tempus determinatum, solent concedere per horam ante auroram, vel post meridiem. Vnde tempus indeterminatum declarari debet per tempus determinatum.

2 Verum hoc fundamentum non potest esse firmum; nam admisso, quod tempus indeterminatum declarari debeat per tempus determinatum, quod solent concedere Pontifices, non est maior ratio, cur declaretur per tempus minus, quod concesserunt, quàm per tempus maius, aut medium. Et ideò cum concesserint non solum per horam ante auroram, sed etiam post duas horas post mediam noctem, & etiam ante matutinum, cur potius declarabitur per vnam horam, quàm per reliqua tempora. Rursus cum concesserint per horam post meridiem, & etiam per totam horam nonam, cur potius per vnam, quàm per aliud declarabitur?

3 Itaque in declarando hoc priuilegio ad duo est attendendum, nempe ad causam, quæ exigit anticipari, aut postponi Missam respectu horæ consuetæ, & etiam ad ampliora priuilegia, quæ quoad determinatum tempus concessa sunt in hac materia. Debet respici ad causam, vt interpretatio sit rationabilis, sicut erit si accipiatur de illo tempore, quod exigitur à causa: & vt sit conformis menti Pontificum, qui cum concesserint indeterminatè, posse celebrare ante auroram, & post meridiem, videntur noluisse determinare tempus, vt posset quisque sumere illud, quod sibi necessarium esset. Rursus cum verba priuilegij sint capacia, vt ipsis attribuatur totum illud tempus, quod per alia priuilegia concessum est, non adest ratio in contrarium, cur non tribuatur, si causa illud exigat, cum priuilegia contineant totum illum fauorem, quem verba propriè sumpta significare possunt, præsertim quia per hoc non extenduntur priuilegia vltra propriam verborum significationem.

4 Dices. Priuilegium esse capax, vt intelligatur etiam de tempore maiori vltra concessum in quocumque alio priuilegio, nam quodcumque tempus noctis est tempus ante auroram, & quodcumque tempus vespertinum est tempus post meridiem. Resp. Priuilegium nequaquam esse capax, vt ita intelligatur. Nam tempus ante auroram importat tempus, in quo nox vergit ad auroram; non incipit autem vergere, nisi à media nocte cum tunc solum Sol incipiat ascendere versus nostrum horizontem. Similiter etiam tempus post meridiem non importat tempus vsque ad noctem, sed solum tempus, in quo dies non declinat ad noctem; nam quando incipit declinare, euadit aliud tempus nempe vespertinum: & ideò tempus post meridiem durat solum per totam horam nonam, qua transacta incipit vespertinum.

5 Ex dictis colligitur, quod maxima anticipatio licita per hoc priuilegium erit, aut statim post matutinum, aut post duas horas post mediam noctem, aut in æstate, quando noctes sunt breuiores, ante matutinum; hæc enim sunt ampliora priuilegia, quæ sint concessa. Non autem statim post mediam noctem, quia tunc nox præsertim in hyeme non incipit vergere ad auroram. Post meridiem autem vsque ad horam nonam inclusiue, quia tunc vsque durat tempus postmeridianum, & aliqua priuilegia ipsum totum concedunt. Neque hoc est ampliare priuilegia, sed ea accipere secundum propriam verborum significationem.

6 Colligitur 2. contra Henriquez *lib.*9 *sum. cap.*24. *num.* 6. & inclinare videtur etiam Rodriquez *quæst. Regal.*43. *art.* 2. *in fine tom.*1. Priuilegia concessa celebrandi post meridiem, non esse solum ad sedandos scrupulos, sed etiam id concedere, quod aliàs licitum non esset, vt tradunt Azor. *part.*1. *lib.*10. *cap.*25. *quæst.*1. Suarez *disp.*80. *de Eucharist. sect.*4. ver. *Quod autem.* Vasquez 3. *part. disp.*231. *cap.*4. *num.*34. Reginal. *lib.* 29. *praxi fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 4. *quæst.*5. *num.*174 *not.* 3. Nam quamuis adsit opinio, quod celebrari possit vsque ad horam nonam, hæc tamen opinio non est communis: & ideò cum vt plurimum Religiosi sequantur oppositam opinionem, concedunt priuilegia, quod alias sibi non putant licere. Neque tamen ex hoc intelligi potest, quod opposita opinio non possit subsistere, quia priuilegia, licet concessa ex suppositione, quod aliàs non liceat, quod concedunt, non tamen decernunt aliquid circa præsuppositum, & ideò relinquunt in suo statu.

QVÆSTIO 428.

An priuilegia celebrandi extra horas consuetas sint reuocata.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegia celebrandi tempore vespertino reuocata sunt.*
2. *Non tamen priuilegium, seu consuetudo celebrandi primam Missam Natiuitatis ante mediam noctem in Ecclesia S. Marci tenet.*
3. *Priuilegia anticipandi, aut postponendi horam celebrationis an reuocata.*
5. *Vnde aliqui colligant non esse reuocata.*
6. *Concilium Tridentinum non reuocat dicta priuilegia.*
   Voluntas, qua non transit in dispositionem, nihil operatur.
7. *Per clausulas generales non reuocantur priuilegia concessa regularibus.*

Reuocatio priuilegiorum non se extendit, nisi quatenus sunt contraria dispositis.

8. *In dubio pronunciandum pro non reuocatione priuilegiorum.*

9. *Non constat S. Congregat. declarasse, priuilegia pro celebrãte extra horas consuetas esse reuocata.*

10. *Concil. Trident. non determinat horas debitas celebrandi.*

Quando celebrari potest ex priuilegio est hora debita.

11. *Quomodo accipienda dispositio Pij V. seruandi ritus, &c.*

12. *Quomodo sit accipienda reuocatio priuilegiorum, quæ sunt contraria Trident.*

13. *Priuilegia celebrandi extra horas consuetas confirmata post Concil. Trident.*

14. *Episcopi non debent impedire vsum priuilegiorum circa horam celebrandi.*

Iudex debet prius cognoscere, an sua sit iurisdictio.

Delegatus non potest vti iurisdictione, nisi sciat, se habere.

1 SVpponendum est. Pium V. in sua 4.*Constit. tom.*2. *Bullar.* non reuocasse nisi priuilegia celebrandi tempore vespertino. Quia reuocauit solum priuilegia, quæ obstabant suæ dispositioni. Vnde cum solum prohibuerit Missas vespertinas, non autem nocturnas, vt putauit Suarez, solum etiam reuocauit priuilegia concedentia Missas vespertinas. Vnde non potuit Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib* 3. *cap.* 17. *num.* 5. asserere, per hanc constitutionem fuisse reuocata priuilegia celebrandi vsque ad horam nonam, cum tempus vespertinum incipiat solum per horam nonam, & duret vsque ad occasum Solis.

2 Supponendum 2. Contra Francolio. *de horis Can. cap.* 29. *num.* 11. Nicolaum Auriferum *de cærem. Miss. cap.* 11. *in fine.* Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *quæst.* 3. Facundez *num. præced. citat.* Per dictam Constitut. Pij V. non esse reuocatum priuilegium, seu abolitam consuetudinem Ecclesiæ Ducalis S. Marci celebrandi coram Duce, & Senatu Missam primam Natiuitatis ante mediam noctem circa tertiam horam, videlicet præcedentem diem natiuitatis. Nam dicta Constitutio, vt notant etiam Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 4. *num.* 70. reuocat solum licentias, & priuilegia celebrandi hanc Missam, & Missam diei Resurrectionis tempore Vespertino Vigiliæ, vt constat ex illis verbis: *Diuersas licentias, & facultates Missas, quæ media nocte, seu in aurora Natiuitatis, ac de more Resurrectionis Domini nostri* IESV CHRISTI, *& forsan aliarum festiuitatum iuxta prædictum ritum celebrare consueuerunt de serò, etiam forsan circa Solis occasum vigiliæ festiuitatum eorumdem in suis Ecclesijs, & Capellis celebrandi, seu celebrari faciendi ab Apostolica Sede, &c. impetrauerunt.* Et §.2. ponens suam dispositionem, statuit. *Ne deinceps Missas vespertinas tempore, &c. celebrare, aut celebrari facere præsumant.* Constat ergo, quod prohibet solum Missas vespertinas. Missæ autem vespertinæ sunt illæ, quæ serò ante noctem celebrantur, non autem in nocte. Et fauet Ordo Romanus, vbi in vigilia Natiuitatis habet. *Celebraturus ante mediam noctem ex priuilegio, & legitima consuetudine, non dispensatur in ieiunio necessario ad Missam, id est, à pridiana media nocte ieiunet.* Vnde supponit priuilegia, & consuetudines celebrandi ante mediam noctem, & legitimè perseuctare. Modo restat dubium, an supradicta priuilegia sint per Concil. Trident reuocata.

3 Prima sententia asserit, esse reuocata. Ita Nauar. *cap.* 25. *Manual. n.* 86. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 84. *num.* 6. *in Comment. littera Y.* Sarbeus *in adnot. ad Compend. Priuileg. Mendicant. verbo* Missa 2. *Quoad tempus.* Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *quæst.* 4. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 5. Rodriquez *in Bulla Cruciata,* §. 13. *num.* 9. Peirin. *de Priuil. tom.* 1. *ad Constit. Pyrrhi, num.* 19. Tamburin. *de iure Abbat. tom.* 2. *disput.* 5. *quæst.* 7. *num.* 5. Lezana *tom.* 1. *quæst. Regular. cap.* 21. *num.* 2. Garzia *in sum. tractat.* 3. *difficult* 8. *dub.* 2. *punct.* 2. *num* 14. Fundatur 1. in declaratione S. Congregat. Concil. ad Decretum *de vitand. & seruand. in celebrat. Missar. sess.* 22. Concil. Trident. in quo dicitur, quod ante diem, & horis indebitis nulli, etiam vigore Priuilegiorum à Sede Apostolica concessorum licet celebrare. Secundò. Quia Concil. in dicto Decreto iniungit Episcopis, vt non patiantur, nisi debitis horis celebrari, & in fine Decreti reuocat omnia Priuilegia; horæ autem debitæ sunt ab aurora ad meridiem. Tertiò. Quia Pius V. confirmauit, & iniunxit, vt celebretur Missa secundum Ritum Missalis, vt in Constit. ipsi præfixa, atque adeò secundum Rubricas. Addit Garzia, quod priuilegia sunt viuæ vocis oracula. Sed constat in Superioribus fuisse per Bullas concessa.

Secunda sententia asserit, non esse reuocata. Ita 4
Rodriquez *quæst.* 43. *art.* 5. *tom.* 5. *quæst. Reg.* & *tom.* 1. *sum. cap.* 245. *num.* 1. Ioan. à Cruce *part.* 1. *Direct. Conscient. quæst.* 2. *de sacrif. Miss. dub.* 1. *conclus.* 4. & *lib.* 2. *de Statu Relig. cap.* 5. *dub.* 6. *conclus.* 2. Leander *de sacram. tract.* 8. *disp.* 6. *quæst.* 10. Lugo Cardin. *disp.* 20. *de Eucharist. sect.* 1. *num.* 29. asserens, plures Theologos Salmanticenses, ita respondisse Caspens. *part.* 2. *Curs. Theol. tract.* 23. *disput.* 3. *sect.* 2. *num.* 60. Aueria *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 15. ver. *Deinde ex priuil.* Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disput.* 4. *dub.* 4. *num.* 69. Tambor. *Opusc. de sacrif. Miss. lib.* 1. *cap.* 6. & *num.* 16. Peregrin. *in Compend. Priuileg. Cleric. Reg. part.* 1. *verbo* Missa, *in Schol.* ver. *Supradictis.* Franciscus Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 5. *quæst.* 6. *num.* 72.

Dicendum est. *Priuilegia circa horam celebrationis* 5
Missarum non esse reuocata per Concil. Trident. Hoc deducunt ex eo, quod Concil. tantum disponit, quod Episcopi curent, celebrari Missas debitis horis, & proinde, quod quandiù non contradicunt, possunt Regulares vti suis priuilegiis. Verum hoc non probat, nam si priuilegia sunt reuocata etiamsi Episcopi non contradicunt, non possunt amplius iis vti. Vel non sunt reuocata, & tunc, non possunt Episcopi contradicere, quia non possunt impedire vsum legitimorum priuilegiorum, nec Concil. dat ipsis facultatem reuocandi priuilegia, aut impediendi vsum ipsorum.

Ex eo ergo probari debet quod in toto illo De- 6
creto non reuocentur huiusmodi Priuilegia. Siquidem, dum iniungit Episcopis, quod non permittant celebrari Missas, nisi horis debitis, non reuocat priuilegia, sed tantum dat facultatem, vt inuigilent, & prohibeant celebrantes horis indebitis. Et infrà quoad Regulares, & cæteros exemptos Constitut. delegatos Apostolicæ Sedis, vt possint contra exemptos procedere. Neque ex eo, quod Concilium ostendit suam mentem, quod non celebretur horis indebitis reuocat priuilegia. Tum quia celebrare horis indebitis, est celebrare horis prohibitis; non celebrat autem hora prohibita, qui celebrat hora concessa per priuilegium. Tum quia non licet ostendere voluntatem, vt operetur, nisi etiam transeant in dispositionem, *l. Quidam cum filium, ff. de hered. instit.* vbi Bart. & Imola. Tum quia Concil. supponit, adesse debitas horas, in quibus celebrari possit, & cæteras in quibus celebrari non possit, esse indebitas, & in his vult, quod curent Episcopi,

ue celebretur, in horis autem concessis per Priuilegium celebrari potest.

7 Neque ex eo, quod in dicto Decreto reuocet priuilegia generali reuocatione cum clausula, *Non obstantibus priuilegijs, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque*. Nam præterquam quod per huiusmodi clausulam generalem non reuocantur priuilegia concessa Regularibus, tanquam concessa propter benemerita, vt tradunt Bursat. *consil.* 138. *num.*77. *vol.* 2. Mandos. *in Regul.* 13. *Cancel. quæst.*8. *num.* 6. Rodriquez *quæst. regul.*9. *art.*6. *in fine tom.*1. Henric. Salaman. *in Relect. de Priuileg. in casib. Bononia disp. casu* 3. *die* 27. *Iunij* 1581. Merol. *tom.* 3. *Theol. moral.disp.*6.*cap.*7.*dub.*8.*n* 214. Adbuc tamen; quidquid de hoc sit, per dictam reuocationem non reuocantur, nisi priuilegia contraria dispositis in illo decreto. Vnde cum nihil disponat de horis, in quibus celebranda sit Missa, sed supponat dispositum, non reuocabit priuilegia, quæ disponunt circa horam, cum hæc, non sint contraria. Per id autem, quod disponit, quod Episcopi curent horis debitis celebrari, remanebūt solum reuocata priuilegia contraria huiusmodi incumbentiæ iniunctæ Episcopis.

8 Præterea. Sumus in conflictu opinionum, nam aliqui asserunt, esse reuocata, aliqui verò, non esse reuocata, & proinde remanet dubium attendendo hunc conflictum, an sint reuocata. In dubio autem pronunciandum est pro non reuocatione, vt tradnnt Glos. 25 *quæst.*2. *in proœm. quæst.* verbo *Quod autem, in fine*. Ruman. *consil.* 327. Vincent. de Franch. *decis.*125. *num.* 5. Seraphin. *decis.* 296. *num.*1. Merol. *tom.*1. *Theol. moral. disput.*6. *cap.*7. *dub.* 8. *num.* 222. & in eo fundatur, quod in dubiis melior sit conditio possidentis; & quod quis non debet spoliari sua possessione ob dubium, quod res possessa ei non debeatur.

9 Ad 1. in oppositum voico verbo dici posset, quod de illa declaratione non constat authenticè, & proinde non habet aliquam vim iuxta Decretum Vrbani VIII. Addo tamen, quod non rectè affertur pro declaratione S. Congregat. quia non est declaratio doctrinæ quod ex eo constat, quod reponitur apud Barbos. & Bellarmin. sub titulo obseruationum Doctrinæ, & non sit aliqua mentio, quod sacra Congregatio ita declarauerit.

10 Ad 2. Quando Concil. iniungit Episcopis, quod non patiantur, celebrari Missas, nisi horis debitis, non determinat, quænam sint horæ istæ debitæ, sed supponit. Et proinde relinquit, quod possit celebrari in horis debitis indefinitè. Non minus autem sunt debitę horę illę, in quibus ex priuilegio celebrari potest, quàm sint illæ, in quibus celebratur iuxta communem consuetudinem: siquidem quod facit consuetudo, potest etiam facere priuilegium. Vnde cum adsint horæ debitæ iuxta consuetudinem, & debitæ iuxta priuilegia, & Concil. loquatur de debitis indefinitè, intelligit etiam de debitis iuxta priuilegia, & proinde supponit vsum priuilegiorum, & indirectè ea admittit.

11 Ad 3. Si argumentum conuinceret, probaret, quod omnes Rubricæ obligarent sub mortali, quia Pius V. in illa Bulla sub mortali, & grauibus pœnis præcipit seruari ritum, quod in Missali præscribitur. Quare dicendum est, quod præcipit seruari ritum in communi præscriptum in Missali, quatenus vult, quod Missa celebretur secundum formam in eo præscriptam, & quod seruentur ij ritus, quibus Missa tanquam partibus integralibus componitur, itavt non inducatur alia forma celebrandi. Cætera autem, quæ sunt extrinseca Missæ relinquit in suo statu, vt obligent iuxta naturam suam. Rursus reuocat solum priuilegia, quæ possent obstare vsui talis Missalis, aut quæ possent introducere nouos ritus: non autem priuilegia circa horam celebrandi.

Ex dictis colligitur. Quod neque obstet Bulla Sixti V. edita *anno* 1587. in qua præcipit, seruari Concil. Trident. & derogat priuilegiis in contrarium, de qua Rodriquez *tom.*1. *sum. cap.*248. *num.*1. vbi etiam respondet, quod non creditur fuisse recepta saltem quoad forum internum. Nam quicquid de hoc sit, constat ex dictis, quod Concil. non disponit de horis in quibus sit celebrandum, sed solum, quod Episcopi extra debitas horas curent non celebrari. Vnde ex eo, quod reuocantur priuilegia contraria dispositionibus Concil. Trident. non fit, quod sint reuocata priuilegia circa horam celebrandi, cum hæc non sint contraria dispositionibus Concilij. 12

Colligitur 2. Quod dato, quod dicta priuilegia fuissent reuocata, cum tamen Gregorius XV. confirmauerit ex certa scientia, & præuia examinatione Priuileg. Cleric. Regularium, & inter ea fuerunt exhibita, & inter ipsa priuilegia circa horam celebrandi per communicationem sibi conuenientia. Et confirmatio sit absque clausula, *Dummodo Decretis, & Canonibus Concilij Trident. non sint contraria*, sequitur, quod si fuissent reuocata, restituta quoque fuisset in pristinum Statutum. Siquidem confirmatio, quæ fit verè ex certa scientia, qualis fuit ista, cum facta sit præuio examine, restituit priuilegia reuocata, vt tradunt communiter Doctores, quos sequuntur Rodriquez *quæst.regul.*8.*art.*3.*tom.*1. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 19. Palaus *part.* 1. *oper. moral. tract.*3. *disput.*4. *punct.*2. §.10. *num.*5. Merolla *tom.*3. *Theol. moral. disp.*6. *cap.*5. *dub* 2. *num.*47. & 54. Est enim talis confirmatio noua concessio, & æquiualet clausulæ, *Non obstantibus, &c.* 15

Colligitur 3. cum Pace Iordano Episcopo Iraguriensi *tom.*1. *Lucubrat. lib.*4. *tit.*1. *num.* 9. Episcopos debere sinere, quod Regulares circa horam celebrandi vtantur suis priuilegiis. Quia aut non sunt reuocata, & ipsi non possunt impedire vsum; imò inciderunt in pœnas impositas molestantibus Religiosos circa ipsorum priuilegia. Aut si contendatur, quod sint reuocata, cum alij contendant, non esse reuocata, in hoc dubio, & conflictu manutenendi sunt in sua possessione, vt dictum est supra *num.*8. Nec interim posse se intromittere tanquam delegatos Sedis Apostolicæ; nam antequam procedant, debet constare de ipsorum iurisdictione. Cum autem iurisdictio delegationis in eo fundetur, quod celebrent horis indebitis, non potest de hoc constare, nisi constet, quod sint reuocata priuilegia; quia, si subsistunt non celebrabunt horis indebitis. Vnde cum iurisdictio non conueniat nisi ex fundamento, quod celebrent horis indebitis, debet prius iudex recognoscere an sua sit iurisdictio, *l.* 2. §. *Sed dubitetur*, & *l. Si quis ex aliena*, *ff. De Iudic.* Nec vti possunt iurisdictione delegata nisi sciant se habere, *l. Hæc autem*, §.1. *ff. Ex quibus caus. in possess. eat.* Non possunt autem iudicare circa priuilegia Regularium; quia hoc tantum pertinet ad Summum Pontificem. 16

QVÆSTIO 429.

Quomodo accipiendum sit priuilegium Eugenij IV. celebrandi vsque ad horam nonam.

SVMMARIVM.

1. *Quibus faueat priuilegium Eugenij IV. circa horam celebrandi.*

2. *Qualit*

2. *Qualis, & quanta causa requiratur, vt habeat locum.*
3. *Nec maxima necessitas requiritur, nec modica sufficit.*
4. *Sufficit causa quocumque modo rationabilis.*
Dictio, Alia, *importat generalitatem.*

1 SVpponendum est. Brunum Chassaing. *de Priuileg. part.5. tract.8. cap.1. propos.3.* referre priuilegium Eugeoij IV. celebrandi vsque ad horam nonam taoquam absolutum, & se extendeos ad omnes Sacerdotes. Quod tamen verum non est, quia se extendit solum ad Sacerdotes io itinere constituti, aut alia ad hoc causa subsistente, vt coostat ex duplici *Constitutione 58. & 63.* huius Pontificis relata *in Bullario Cassinensi.* Ineludit tamen hoc prioilegiam totam horam nooam, atque adeò se extendit vsque ad decimam exclusiuè, vt *ibid.* obseruat idem Brunus.

2 Verum cum hoc priuilegiom habeat locum non solum in causa itineris, sed etiam in quacumque alia causa; dubium remanet qualis, & quanta causa requiratur. Ex verbis autem priuilegij constar, quod debeat interuenire causa exigens dilatinnem celebratinnis Missæ, cum dicat, *Aut alia ad hoc causa subsistente,* dictio enim, *Ad hoc*, idem sigoificat, ac ad differendam celebrationem. Et ideò hoc priuilegium imitatur dispensationem, quæ requirit causam, quæ aliqoo modo illam exigat, cum hoc tamen discrimine, quia minot causa sufficit, quam sufficiat in dispensatiooe.

3 Quanta autem debeat esse ista causa, Tamburin. *Opusc. de sacrif. Miss. lib.1. cap.6. §.4 num.15.* post relatas varias causas, concludit, debere intercedere aliquam oecessitatem, non quidem maximam, cum simus in priuileglis, quæ nolli sunt præiudicio; nec verò modicam, cum ooo simus in re leui. Vode debet per ipsum concludi, qood sufficiat mediocris necessitas, & proinde esse causam definiendam morali potiùs iudicio, quàm certa regula.

4 Verum considerari dabet, quod sumus io casu, in quo, qood conceditur per priuilegium, est etiam licitum secundum opinionem multorum, & satis probabilem, quæ docet, celebrari posse Missas vsque ad horam oooam. Rursus etiam considerandum est, quod per hoc priuilegium conceditur, quod olim sine priuilegio erat licitum, & ideò per ipsum fit regressus ad ios, seu coosuetudioem antiquam. Vnde ex vtroque capite facilitari debet vsus prioilegij; cum inde fiat, quod noo requiratur causa grauis, sed sufficiat, quod aliqon modo sit alicuius coosiderationis: seu qood sit qoocumque modo rationabilis, quamuis aliàs videretur leuis, qoia licet materia sit grauis, non est tamen grauis ratione dictarum circumstaotiarum, quæ sufficiunt, vt priuilegium recipere possit amplissimam interpretationem. Quod etiam declarat generalitas verborum priuilegij, dum generallter dicit, *Aut alia ad id causa subsistente*; vt proinde complectatur omnem causam, nam importat dictio, *Alia*, quamdam generalitatem, vt notaot Carr. *consil.* 38. Caputaq. *decis.*598. *numero sexto, part.* 6. Et proinde in iudicando de sufficientia causæ, non est scrupulosè procedendum.

QVÆSTIO 430.

Quomodo sit accipiendum priuilegium celebrandi Missas post duas horas post mediam noctem.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegium celebrandi per duas horas post mediam noctem est commune omnibus participantibus.*
2. *An habeat locum, si celebretur in alienis Ecclesijs.*
3. *Restrictio priuilegij non surgit ex ijs, quæ præsupponuntur.*
4. *Restrictio priuilegij orta ex loco, cessat si priuilegium extendatur ad alia loca.*
5. *Non solum in Ecclesia, sed etiam in Monasterio habet priuilegium celebrandi per mediam noctem per duas horas.*

HOc priuilegium concessum fuit ab Alexandro VI. Monachis Coogregat. S. Benedicti Vallisoleti pro Ecclesia B. Mariæ Virgin. de Monte Serrato. Quia autem Pius IV. concessit Ordini S. Hieronymi, vt priuilegia concessa vni loco extenderentur ad omnes, etiam noo existente in illis eadem causa, ideo omnes participantes hoc quoque priuilegium participant, & consequenter Congregatio dicta S. Benedicti participans huiusmodi priuilegium habebit commune pro tota Congregatione dictum priuilegium celebraodi post doas horas post mediam noctem, sicut etiam participabunt aliæ Religiones communicantes. Solom autem difficoltas est, an com huiusmodi priuilegium sit concessum pro Ecclesia B. Virgin. Mariæ Montis Serrati, quæ erat eorumdem Benedictinorum intelligatur communicatum solum ad celebrandum in propriis Ecclesiis participaotium, an verò locum habeat etiam in alienis. 1

Lugo Cardin. *disp.20. de Eucharist. sect.1. num.30.* Caspens. *tom.2. Curs. Theol. tract.23. disput. 3. sect.2. num.6.* Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.1. cap.6. §.4. num. 15.* negant habere locum in alienis Ecclesiis. Qoia per commuoicarionem nam commonicatur prioilegium cum maiori ampliatione, quàm habear in sua coocessione principali. 2

Verum hoc locum baberet, si in prima concessione priuilegij esset expressum, quod gratia concedebatur ad calebrandum illa hora in propria Ecclesia in eum finem, vt restringeretur prioilegium. Verom si consideretur cootexrus illios Bullæ non fuit eapressa illa Ecclesia propter restringendum priuilegium, sed quia Pontifex præsupponebat, qood essent celebraturi in illa Ecclesia, & quod staote multitodine eorum, qui confluebant ad ibi celebrandum, non poterant omnes celebrare, vode, vt possent omnes celebrare concessit, vt duabus horis post mediam noctem incipere posset celebratio. Vnde oon foit restrictio priuilegij, sed determinatio ad locum ob causam specialem, quæ in ipso concurrebat. Et ideò cessante causa, ob quam facta est hæc determinatio, & subsistente priuilegio remaoebit priuilegium absque vlla determinatione ad locum. In communicatione autem subsistit priuilegium, & reijcitor causa, ob quam concessum fuit, vnde debet reijci etiam determioatio ad locum. 3

Confir. Determinatio priuilegij ad illum locum noo fuit facta, quia esset Ecclesia propria Mooachorum, sed quia confluebat moltitodo Sacerdotom ad celebrandum io illo loco, quod satis ex eo coostat, 4
quod

quod idem concessit etiam extetis Saecerdotibus volentibus in illa Ecclesia celebrate, vt constat ex verbis Bullæ apud *Bullar.* Rodriquez *Bulla* 13. huius Pontificis Alexand. VI. ibi. *Ac quoscunque alios Presbyteros idoneos Sæculares, vel Regulares etiam vndecunque ad dictum Monasterium venientes, quotiescumque eis, ac eorum cuilibet videbitur in Ecclesia dicti Monasterij, &c.* Ergo priuilegium, non est restrictum ad locum proprium Monachorum tanquam proprium, sed solum concessum pro limitato loco: ergo cum per communicationem aufetatur limitatio loci remanet in sua amplitudine in ordine ad quæcumque loca, siue propria, siue non propria priuilegiatorum.

5 Ex his sequitur à fortiori, quod participantes priuilegium non solum poterunt celebrare duabus horis post mediam noctem in sua Ecclesia, sed etiam in suo Monasterio. Non solum quia, vt notat Tamburin. *Opusc. de sacrif. Miss. lib. 1. cap. 6. §. 4. num. 12.* Monasterium venit nomine Ecclesiæ, sed etiam quia priuilegium per communicationem denudatum est coarctatione ad locum, quam secum attulit causa, cuius contemplatione fuit concessum, ac proinde non fuit priuilegium restrictum in tatione gratiæ, sed solum concessum pro certo loco, & ideò cum sit factum commune, cessat omnis limitatio, vt dictum est.

QVÆSTIO 431.

Qua hora celebranda sit Missa solemnis.

SVMMARIVM.

1. *Hora celebrationis Missæ solemnis instituta cum ordine ad passionem Christi.*
2. *Sensus Doctorum.*
3. *Missa solemnis modo non habet certam horam.*
4. *Priuilegia circa horam celebrandi Missam an se extendant ad solemnem.*
5. *In celebranda Missa solemni, debet seruari consuetudo.*
6. *Missa solemnis potest celebrari, antequam celebretur in Cathedrali.*
7. *Quænam sit Missa solemnis.*

1 Missa solemnis habuit specialem institutionem quoad horam celebrationis; nam cum Missa sit instituta à Christo in commemorationem suæ passionis, obseruatunt Veteres tria tempora passionis ipsius, nempe horam tertiam, in qua Crucifixus fuit; horam sextam, in qua pendebat viuus in Cruce, & consummabat suam passionem; & horam nonam, in qua expirauit, & iuxta hæc tria tempora distribuebunt celebrationem Missæ solemnis, itavt in festis celebraretur hora tertia, in profestis hora sexta, & in diebus ieiuniorum hora nona. Ita docent Amalar. *lib. 4. de Eccles. Offic. cap. 40.* Valfridus Strabo *de reb. Eccles. cap. 23.* Guilliel. Duran. *lib. 4. Rational. diuin. Offic. cap. 1. num. 2.* & de hac consuetudine plura testimonia reperiuntur apud Ecclesiasticos scriptores.

2 Ita etiam tradunt Doctores Scholastici D. Thom. *in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 2. quæst. 4.* & *3. part. quæst. 83. art. 2. ad 3.* Durand. *ead. dist. 13. quæst. 2. n. 7.* Palud. *quæst. 2. art. 2. conclus. 2.* D. Antonin. *3. part. tit. 13. cap. 6. §. 4.* Tabiena *verbo* Missa, *num. 6.* Angel. *numero* 41. Syluester *quæst. 6. dicto 2.* Nauar. *de Orat. cap. 21. num. 31.* Sotus *in 4. distinct. 13. artic. 2. & 3.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 25. quæst. 1.* Graff. *part. 1. decis. lib. 2. cap. 40. num. 4.* Suarez *disp. 80. de Eucharist. sect. 4.* ver. *Vltimo inquiri.* Cucbus *lib. 5. maior. Instit. tit. 6. num. 35.* Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 4. tit. 2. num. 107.*

3 Verum modo Missa solemnis non habet certam horam, sed potest celebrari hac, vel illa hora, intra tamen tempus congruum. Ita Suarez *disput. 80. de Eucharist. sect. 4.* ver. *Vltimo inquiri.* Vasquez *3. part. disput. 232. cap. 4.* Villalob. *part. 1. sum. tract. 5. difficult. 22. num. 8.* Bonac. *disput. 4. de sacram. quæst. vlt. punct. 9. num. 7.* Garzia *in sum. tractat. 3. difficult. 8. dub. 1. punct. 1. num. 11.* & communiter. Et constat ex praxi, nam in vna Ecclesia celebratur vna hora; in alia, hora diuersa, & in eadem Ecclesia neque semper celebratur iisdem horis. Sed modo in vna, modo in alia. Ratio autem est. Quia fortè prima institutio non fuit obligatoria, sed solùm ex quadam congruentia, sicut modo adsunt plures consuetudines, quæ non sunt obligatoriæ, sed de congruentia. Quod si fuit obligatoria, iam consuetudo præscripsit contra obligationem, & ideo omninò abrogata manet obligatio, si adfuit.

4 Potest autem hic inquiri, an priuilegia concessa circa horam celebrandi Missam, se extendat ad solemnem. Et quamuis videantur extendi, ea saltem, quæ concernunt celebrationem post meridiem. Attamen, licet Missa solemnis aliquando in festiuitatibus Ecclesiarum incipere soleat post meridiem ratione consuetudinis, tenendum est, non extendi, nam, si extenderentur, etiam solum post meridiem, posset incipere in fine hora nonæ, & fieri Missa vespertina, quia solet durare per duas horas, & amplius. Ratio autem est, quia priuilegia loquuntur de Missis priuatis, & colligitur tum ex modo loquendi, siquidem diriguntur ad priuilegiatos vti personas singulares; tum quia nonnulla requirunt licentiam Superiorum, tum quia causæ, quas requirunt concernunt personas vti priuatas, quale est iter, aut quid simile. Et hoc manifestè constabit, si inductio fiat per singula priuilegia.

5 Ex dictis colligitur, quod licet Missa solemnis possit celebrari in quacunque hora, cum tamen adsit consuetudo, vt de manè hora competenti celebretur, debet, quantum fieri potest, seruari consuetudo vniuscuiusque Ecclesiæ, vt semper circa horam solitam celebretur, quia hoc pertinet ad pulchritudinem ritus Ecclesiastici: & præsertim quando non adest ratio, aut necessitas variandi horam solitam. Et si ita anticiparetur, vt celebraretur in Aurora causaret admirationem, & præter admirationem occasionem sinistrè iudicandi de Religiosis, & proinde ratione scandali posset esse peccatum mortale, si præuideretur. Poterit tamen celebrari etiam summo manè, si aliqua necessitas exigeret talem anticipationem, vt si in Ecclesia esset consecrandus aliquis Episcopus, aut celebrandæ ab Episcopo ordinationes, aut aliqua alia functio exequendi.

6 Secundò colligitur, Missam solemnem posse etiam in diebus festiuis celebrari, antequam celebretur in Cathedrali, aut Parochiali etiam priuata Missa, vt obseruat Peirin. *de priuil. tom. 1. ad constit. Pyrrhi. n. 1.* Garzia *tract. 3. difficult. 8. dub. 1. punct. 2. n. 18.* Leaana *tom. 1. quæst. Regal. cap. 12. num. 41.* Ita enim statuit Pius V. in sua celebri Constitutione, *Etsi Medicantium*, quæ licet postea redacta sit ad terminos Concilij Trident. non fuerunt tamen sublata, quæ erat in ipsa concessa, & non contrariabantur dict. Concil. Hoc autem, quod dictum est, non contrariatur, cum nullibi in dict. Concil. statuatur oppositum. Habetur etiam ex declarat. S. Congregat. *sub die 2. Iulij 1610.* Fauet etiam ratio. Quia cum Regulates sint exempti, & ipsorum quoque Ecclesiæ exemptæ à iurisdictione Ordinariorum, non debent dependere ab iis, quæ fiunt in alienis Ecclesiis quoad suas functiones.

7 Tertiò colligitur. Non subsistere, quod habet Suarez *disput.* 80. *de Eucharist. sect.*4. *in fin.* Quod Missa solemnis non sit omnis, quæ celebratur cum cantu, sed solum Missa cum cantu, quæ sit etiam Missa diei, cum vt obseruat etiam Quartus *in Rubric. Missal. part.* 1. *tit.* 15. *dub.* 8. ver. *Colligitur.* Omnis Missa, quæ celebratur cum cantu sit Missa solemnis: pro tali enim habetur apud Rubricas: nam *tit.* 5. *num.* 3. dicitur in die etiam depositionis defuncti, vel tertio, septimo, trigesimo, aut anniuersario solemni; & *num.* 5. Missæ votiuæ, si solemniter celebrentur: distinguit ergo Missas votiuas solemnes, à non solemnibus, cum autem ita loquantur Rubric. nos quoque debemus ipsis conformare, & habere easdem Missas pro solemnibus.

QVÆSTIO 432.

An & quomodo obliget Rubric. Missalis præscribens ordinem Missæ solemnis ad horas Canonicas.

SVMMARIVM.

1. *Missa solemnis quem ordinem habeat ad Officium diuinum.*
2. *Missa solemnis defunctorum quem ordinem seruet ad Officium diuinum.*
3. *Votiua Missa solemnis ordo ad Officium diuinum.*
4. *Ordo Missa solemnis ad Officium diuinum quomodo obliget.*
   Ex debet esse de materia necessaria.
5. *Non obligat sub mortali.*
6. *Missa etiam solemnis non habet ex se aliquam dependentiam ab horis Canonicis.*
7. *Missa solemnis modo connectitur cum vna, modo cum alia hora Canonica.*
8. *Peccatum mortale non habet locum, nisi vbi adest repugnantia cum amicitia Dei.*
   Quando actus repugnet charitati.
9. *Ordo Missa ad horas Canonicas est conueniens.*
10. *Ex causa potest non seruari ordo Missa solemnis ad horas Canonicas.*

1 QVamuis quoad tempus Missa solemnis non habeat horam determinatam, habet tamen ordinem ad Officium diuinum, seu horas Canonicas. Præscriptum in Rubric. General. Missal. *part.* 1. *tit.* 15. nam *num.* 2. *de Miss. solemn. diei*, disponitur, quod in festis duplicibus, & semiduplicibus, in Dominicis, & infra octauas celebretur post tertiam. In festis simplicibus, & feriis per annum post sextam. In Aduentu, Quadragesima, Quatuor temporibus, etiam infrà octauam Pentecostes, & vigiliis, quæ ieiunantur, quamuis sint dies solemnes, post nonam.

2 Quoad Missas autem solemnes Defunctorum *numero* 3. disponitur. *Missa defunctorum dici debet post primam diei. Vbi verò dicuntur eorum vigilia manè post matutinum diei, dictis huiusmodi vigilijs cum laudibus, immediatè dici potest Missa pro defunctis. Sed in die commemorationis omnium fidelium Defunctorum Missa conuentualis dicetur post nonam, quia eo die est principalis. In die etiam depositionis Defuncti, vel tertio, septimo, trigesimo, aut anniuersario solemni, in quo fit concursus populi poterit similiter dici vltimo loco post nonam.*

3 Et denique quoad votiuas *num.* 5. ita disponitur, *Missa votiua, quia non correspondent Officio, si solemniter celebrentur pro re graui, vel publica Ecclesia causa cum populi frequentia, dicantur post nonam.* Ex quibus constat quomodo præscriptus sit ordo, quem inter horas Canonicas obtinere debet Missa solemnis: qui etiam specialiter præscriptus est pro Missis Natiuitatis Domini. Modo autem dubium est, an hic ordo obliget præsertim sub mortali.

Circa hanc difficultatem Suarez *disp.* 80. *de Eucharist. sect.* 4. *in fine*, videtur velle, quod cadat sub præcepto. Verum non satis se explicat, quid ibi intendat. Niger verò *in Addit. ad Ruiz, part.* 1. *præsupposito* 4. *quæst.* 10. refert aliquos sentire, esse peccatum mortale, si non sit saltem in choro recitatum matutinum; idque ratione consuetudinis. Verum cum consuetudo habeat, quod celebretur post aliquas alias horas Canonicas, aut mortale erit, si hæ quoque non sint recitatæ in choro, aut nunquam. Faustus autem referente Quarto *infrà cit.* putat, esse mortale non seruare præscriptum ordinem saltem in diebus solemnibus. 4

Dicendum tamen est. *Non adesse obligationem sub peccato seruandi dictum ordinem, sed Rubricam quoad hoc esse tantum directiuam.* Ita Quartus *in Rubric. Missal. part.* 1. *tit.* 15. *dub.* 8. ver. *Respondeo.* Hoc probat. Quartus ex eo, quod Rubric. de ordine Missæ solemnis respectu horarum Canonicarum, est de extrinsecis Missæ, & de iis, quæ pertinent ad præparationem, & ideò non obligat, sed est tantum directiua sicut est, quando præscribit, quod ante recitationem Missæ recitetur matutinum. 5

Ex eo autem videtur efficaciùs probari. Quia Missa, etsi correspondeat Officio ex se non habet aliquam dependentiam ab horis Canonicis ratione cuius aliquas ex illis præsupponat, quod satis ex eo patet, quia Rubric. præscribit Missam diei modo post vnam, modo post aliam horam Canonicam. Nec ex eo, quod Officium sit duplex, aut simplex exigit Missam postponi potiùs vni, quàm alteri horæ: & Rubric. quando Officium est duplex præscribit Missam post tertiam, & in festis simplicibus post sextam. Rursus in diebus ieiuniorum post nonam, etiamsi festum sit duplex, & solemne: ergo ista ordinatio est merè voluntaria, cum nunc fiat vno modo, nunc alio modo; & solum fundata in aliqua congruentia: ergo Rubrica in hoc non obligat, sed tantum dirigit, quia si obligaret esset lex, & proinde deberet esse de materia necessaria in ordine ad publicum cultum, quia inter alias conditiones intrinsecas legis est, quod sit necessaria, seu de materia necessaria, Cap. *Est autem, distinctione quarta.* Nam potest autem ordo iste esse necessarius cum diuersis modis, modo vno, modo alio præscribatur. 6

Confirmatur. Missa solemnis de die non habet connexionem magis cum vna, quàm cum alia hora Canonica, itavt ex natura talis orationis, aut precum consequatur, vt proinde exigat connecti cum vna potius hora, quàm cum alia. Siquidem ipsa Rubrica modo connectit cum vna, modo cum alia eamdem Missam diei, & ista variatio non habet rationem aliquam fundatam in natura Missæ, aut horarum, vt per se constat: ergo Rubrica ponens hunc ordinem, solum dirigit ob quandam congruentiam, atque adeò non inducit obligationem, cum habeat pro obiecto solum quandam dispositionem conuenientiæ. 7

Quale autem talis ordo non cadat sub obligatione peccati mortalis concluditur ex principio vniuersali, quod locum non habeat peccatum mortale, nisi quando repugnat charitati, per quam homo viuit Deo coniunctus in amicitia, vt obseruat D. Thom. 2.2. *quæst.* 110. *art.* 4. *in corpore.* Hæc autem contrarietas, vel repugnantia, vel potest esse immediata, quando est immediatè contra ipsam charitatem Dei, vel proximi; vel mediata, quando est contra aliquam 8

virtutem

virtutem necessariam pro manutenenda charitate. Nun seruare autem ordinem inter Missam sulemnem, & horas Canonicas, non est contra charitatem Dei, aut proximi immediatè, vt per se constat, cum non habeat pro obiecto quid contrarium charitati; nec mediatè quatenus sit contra religionem, & Dei cultum, quia cultus, & religio non exigit hunc ordinem, cum non proueniat ea natura actuum, quatenus religiosi sunt, & Dei cultum continent. Et cum Rubrica præscribat modo vnum, modo alium ordinem, fit certum, quod nullus contineat aliquid contra Dei cultum, & religionem aliàs non posset ipsum præscribere.

9 Ex dictis colligitur. Quod licet ordo Missæ diei cum horis canonicis non cadat sub præcepto, est tamen conueniens, & prudenter excogitatum. Ex quo fit, quod si absque aliqua causa non seruaretur interueniret saltem peccatum veniale, aut etiam mortale; nam si contemneretur institutio Ecclesiæ, esset peccatum mortale, quia contemneretur etiam Ecclesia; neque contemni potest, quod facit Ecclesia, nisi etiam contemnatur prudentia, & auctoritas ipsius. Si verò non adsit iste contemptus, sed solum non amplectatur ordo ex mera voluntate, non æstimaretur, sicut debet æstimari, quod est contra rectam rationem, quæ exigit, quod singula æstimantur, sicut debent æstimari.

10 Secundò colligitur. Quod concurrente aliqua causa poterit non seruari ordo Ecclesiæ in celebranda Missa solemni, vt aduertit etiam Quartus *in Rubric. Missal. part. 1. tit. 15. dub. 8. ver. Confirmat.* Vnde vidi alicubi obseruari in festis solemnibus quando Missa cantatur à musicis, cantari in Choro tempestiuè vsque ad sextam inclusiuè, & posteà versus meridiem celebrari Missam. Ratio autem est. Quia causa quæ interuenit fundat aliquam conuenientiam, quæ præponderat, aut æquiualet conuenientiæ illius ordinis, aut saltem facit, quod rationabiliter relinquatur ordo præscriptus, & excludit totum id, ratione cuius poterat interuenire peccatum veniale ex eo, quod ordo præscriptus non æstimaretur, sicuti erat æstimandus.

QVÆSTIO 433.

An in Cathedralibus, & Collegialibus Ecclesijs sit sub peccato seruandus ordo Missæ solemnis ad horas Canonicas.

SVMMARIVM.

1. *Beneficiati assumunt onus celebrandi Officium, & Missam iuxta Ritum Missalis, & Breuiary.*
2. *Ordo Missæ solemnis ad Officium in Cathedralibus, & Collegiatis non est sub graui obligatione.*
3. *Obligatus ad ritum ad quid teneatur.*
4. *Regulæ ritus qualiter afficiant obligatos ad ipsum.*

1 VIdetur adesse specialis ratio quoad Ecclesias Cathedrales, & Collegiatas. Siquidem Choro deputati ratione beneficiorum, assumunt onus recitandi in Choro diuina Officia secundum præscriptum Ritum Breuiarij, & Missalis Romani, aut alterum Ritum, quod in illa Ecclesia obseruetur. Vt proinde, sicut in superioribus dictum est, teneantur celebrare sub mortali Missam solemnem conformem Officio: ergo etiam ratione oneris suscepti tenebuntur seruare ordinem præscriptum à Rubrica Missæ solemnis respectu horarum canonicarum.

2 Dicendum tamen est. *Non teneri saltem sub graui culpa celebrare Missam solemnem eo ordine quoad horas canonicas, qui præscribitur à Rubrica.* Ratio est. Quia dum suscipiunt onus celebrandi diuina Officia secundum aliquem ritum, suscipiunt solum in se obligationē, quam imponit talis ritus, & consequenter non plus obligationis suscipiunt, quam imponant regulæ, seu Rubricæ præscribentes eumdem ritum. Rubrica autem præscribens ordinem Missæ solemnis respectu Horarum Canonicarum, non est obligatiua, vt dictum est *in quæst. præced.* sed tantum directiua; & ideò neque Collegiales plus obligantur ea vi Rubricæ, quàm obligentur cæteri.

Dices. Licet non obligentur ratione Rubricæ, obligari tamen ad sequendam directionem Rubricæ; quia, dum suscipiunt onus celebrandi secundum Ritum Romanum, suscipiunt etiam onus sequendi directionem, qua talis ritus dirigitur. Resp. Suscipere obligationem sequendi directionem, qua regulatur ritus eo modo, quo directio se habet ad ritum, itavt si directio sit de necessariis pro ritu, & proinde de se obliget, suscipiens obligationem sequendi directionem trahat ad se illius obligationem. Si verò directio non obliget, quia non sit de necessariis, sed tantum sit de eo, quod conueniens est, suscipiens obligationem sequendi directionem trahat ad se tantum conuenientiam, quam secum affert directio, & ideò tunc tantum ex conuenientia teneatur ad id, quod præscribitur. Et ratio est. Quia suscipiens obligationem celebrandi diuina Officia secundum talem ritum, non se obligat in speciali ad hoc, & illud sigillatim in particulari, sed solum ad ritum in communi, & ideò ratione obligationis ad ritum solum se subijcit regulis ipsum præscribentibus, & eas ad se trahit seruandus eo modo, quo exigunt seruari. Quia autem aliquæ exigunt seruari ex necessitate, & sub præcepto, & aliæ præcepto, & aliæ solum ex conuenientia, ideò eodem modo ipse tenetur ex vi oneris assumpti eas seruare, nempe obligatorias sub præcepto, quia suscipit in se illarum obligationem, & directionem ex conuenientia, quia suscipit in se illarum directionem. 3

Ad rationem dubitandi constat ex dictis. Nam obligatio celebrandi secundum ritum Romanum non importat aliam obligationem, præter illam, quam dicunt regulæ præscribentes ritum. Et ideò, quando regulæ præscribentes non obligant, neque etiam inferunt obligationem in obligato ad ritum. De correspondentia autem Missæ solemnis cum Officio, est alia ratio: nam Missa est pars diuini Officij, & ideò Collegiales ad ipsam tenentur sub mortali tanquam principalem partem diuini Officij, ad quod tenentur. Si autem non celebrarent Missam solemnem conformem Officio, non celebrarent partem principalem Officij illius diei, atque adeò non satisfacerent alia Missa, quia hoc non compleret Officium diei. 4

QVÆSTIO 434.

An liceat sequi consuetudinem, si alicubi extet, celebrandi tempore vespertino.

SVMMARIVM.

1. *Consuetudo celebrandi Missam tempore vespertino apud Maronitas.*
2. *Maronitæ possunt vesperè celebrare Missam.*
   Constitutio Pij V. non afficit Maronitas circa Missæ celebrationem.
3. *Pius V. disposuit solum pro Romano ritu circa celebrationem.*
   Vbi causa finalis non habet locum, nec etiam locum habet lex.

4. *Latini morantes apud Maronitas possunt se illis conformare in hora celebrandi.*
Quisque edere potest carnes, vbi ex consuetudine eduntur.
5. *Quisque sequi potest consuetudinem loci.*
6. *Aduenæ Mediolani possunt non seruare primos quatuor dies Quadragesimæ.*
7. *Latinus apud Maronitas an licitè celebret secundum ritum Romanum.*
Potest sequi illius regionis morem.

1 Difficultas procedit propter Constit. Pij V. quæ huius Pontificis est 4. *tom.2.Bullar.* in qua prohibet sub pœna perpetuæ suspensionis à diuinis, ne deinceps, quisque audeat celebrare vesperè Missam sub quocumque prætextu. Et ideò cum in Oriente apud Maronitas, & fortè etiam alias nationes extet consuetudo non celebrandi Missas in Quadragesima, nisi paulò ante solis occasum, quia scilicet, cum ieiunent, non sumant cibum, nisi circa primam noctem, & non nisi illo tempore conuenit populus ad Ecclesiam pro audienda Missa, videtur quod, si aliquis Latinus ibi reperiatur, non possit se conformare tali consuetudini stante dicta Constitutione.

2 Dicendum 1. *Maronitas posse illis diebus stante antiquissima consuetudine celebrare circa Solis occasum.* Prob. Constit. Pij V. licet sit vniuersalis, non comprehendit tamen Maronitas, aut alias nationes habentes eamdem consuetudinem: ergo possunt licitè continuare suam consuetudinem. Anteced.prob. Constit. Pij V. prohibet tantum Missas vespertinas tanquam celebratas extra horas debitas, & cum peruersione ritus antiqui Romanæ Ecclesiæ, vt constat ex §. 1. ibi. *Antiquum S. Romanæ Ecclesiæ ritum in statutis Missarum celebrandarum temporibus peruertere satagentes.* Ergo finis Pontificis est tollere abusum contrarium ritui Romanæ Ecclesiæ, atque adeò conseruare eumdem ritum: ergo nihil disponit contra consuetudinem Maronitarum: imò indirectè eam confirmat, quia si vult manutenere ritum consuetum, censendus est etiam, velle manutenere hanc consuetudinem, cum sit secundum ritum Ecclesiæ Maronitarum.

3 Confir. Disponit solum in fauorem Ritus Romanæ Ecclesiæ, vt constat ex illis verbis, *Antiquum S. Romanæ Ecclesiæ ritum peruertere satagentes.* Ergo cum disponat solum pro ritu Romanæ Ecclesiæ, non se extendit dispositio ad ritum Maronitarum, atque adeò non intendit in ipsum inducere aliquam mutationem. Confir.2. Pontifex motus fuit ad condendam hanc Constitutionem ex eo, quod occasione facultatum, & licentiarum celebrabantur passim Missæ vespertino tempore, & in Ecclesia Romana paulatim introducebatur alius ritus. Vnde finis Pontificis fuit reducere ritum Romanum ad vnam, & eamdem vniformitatem: ergo cum hæc causa finalis non habeat locum apud Maronitas, nec etiam habebit locum dispositio, quæ non plus se extendit, quàm se extendat causa finalis, seu ratio legis, quæ per rationem ampliatur, & limitatur, *l.vnum ex familia, §.fin. ff. de leg.2.* & *l.si is, qui animo, ff. de acquiren. possess.* & notant Ias. *in l.Id quod. num.7. ff. de leg.1.* Surd. *consil.67. num.* 20. Rota *decis.* 10. *num.* 2. *part.* 2. *Recent.*

4 Dicendum 2. *Latinos morantes apud Maronitas posse se conformare consuetudini illorum circa horam celebrandi Missam.* Ita Vetricel. *de missionib. Apost. tit.15.quæst.259.per tot.* Et desumitur ex illis Doctoribus qui volunt, posse vnumquemque sequi consuetudinem loci, in quo reperitur, etiamsi extra locum adsit præceptum in contrarium, vt loquentes de comestione carnium tradunt Couar. *lib.4.variar. c.* *cap.10.num.8.* Sanchez *lib.3. de matrimon. disput.* 18. *num.27.* Nauar. *cap.23. Manual. num.12.* Henriquez *lib.9. sum.cap.25. num.2.* Io Sanchez *in select. de sacram. disp.54. num.28.* Lessius *lib.4. de iustit. & iure, cap.2. num.55.* Salas *disp.14. de legib. sect.5. num.63.* Rouagul. *in Praxi, tractat.6. de præcept. Eccles. lib.3. cap.* 10. *num.* 202. Et loquentes de Quadragesima, quando quis eam non compleuit, sed peruenit ad locum, vbi completa est, quod scilicet possit se conformare loco, idem Sanchez *lib.1.sum.cap.12. n.30.* Layman. *lib.* 1. *Theol. moral. tract.4. cap.* 11. *nmu.*8. Filiiuc. *tract.27. part.2. cap.6. num.109. in fine.* Idem Salas *num.69. loc.cit.* Bonac. *disp.1. de legib.quæst.1. punct.6. num.* 64 Baldel. *tom.1. Theol. moral. lib. 5. disp.32.num.14.* Bætil. *de lege municip.disquisit.1.§.5. num.5.* & alij communiter vel qui, licet doceant non teneri ad consuetudines, & leges municipales, addunt tamen, posse seruare, vel etiam docent teneri seruare, atque adeò etiam consuetudines, quæ se habent instar legis.

Desumitur autem ex Cap. *Illa, dist.*12 vbi refertur D. Ambros. apud D. August. *disp.* 18. *ad Ianuar.* ita habens. *Cum Romam venio Sabbatum ieiuno, cum Mediolani sum, non ieiuno. Sic & tu ad quamcumque Ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* Ratio autem est. Quia prohibitio Missarum vespertinarum non se extendit ad illa loca, cum sit facta solum pro locis, vt dictum est, in quibus seruatur ritus Romanus: ergo potest quicumque ibi reperitur tanquam liber ab huiusmodi prohibitione, sequi illam consuetudinem. 5

Confirm. Quia Ius commune ieiunandi proximis quatuor diebus Quadragesimæ Mediolani non viget, possunt aduenæ, qui ibi illis diebus reperiuntur, se conferre cōsuetudini, & non ieiunare: & primis duobus diebus edere carnes, & aliis duobus vesci ouis, & lacticiniis, vt tradunt Sanchez *lib.* 1. *sum. cap.* 11. *num.30.* Lessius *lib.4. de iust. & iure, cap.2. num.59.* Baldel. *tom.1. Theolog. moral. lib.5. disput.31. num.9.* Bonac. *disp.1.de legib.quæst.1. punct.6.n.64.* Layman. *lib.5.Theol.moral.tract.4.cap.11.num.8.* Salas *disp.14. de legib. sect.5. num.69.* Merol. *tom.2. Theolog. moral. disput.4. cap.3. dub.41. num.496.* & constat ex praxi fundata in eo, quia, cum agatur de obligatione abrogata in aliquo loco, censetur abrogata etiam quoad omnes, qui sunt in loco: ergo eodem modo poterit Latinus apud Maronitas eorum consuetudinem sequi quoad horam celebrandi Missam. 6

Dices. Celebrat ibi secundum ritum Latinum, & Romanum: ergo tenetur seruare omnia, quæ concernunt ritum Romanum in celebrando. Resp. Teneri seruare omnia, quæ concernunt ritum Romanum quoad intrinseca eidem ritui, vt conficere in Azymo, seruare normam, cum qua præscribitur Missa in Romano Missali: non autem quoad extrinseca, qualis est hora celebrandi, quia hæc quæcumque sit non variat modum celebrandi, sed Missa, semper est eadem, siue manè celebretur, siue vesperè: & ideò potest fieri separatio temporis à ritu intrinseco Missæ, & secundum ipsum complecti consuetudo regionis, licet Romano modo celebretur. 7

DE



DE LOCO,
IN QVO OFFERENDVM
est sacrificium.

LOca aliqua peculiaria fuisse semper destinata ad offerendum sacrificium, quando liberè permittatur offerri, constat ex perpetua consuetudine Ecclesiæ. Vnde, si quando in cryptis, domibus, priuatis, & aliis locis offerebatur, id proueniebat ex necessitate, quia stante persequutione, non poterant liberè, & publicè offerre. Modo ergo explicandæ sunt difficultates quæ concernunt hunc locum.

QVÆSTIO 435.

An sint erigenda templa, seu Ecclesiæ pro offerendo sacrificio.

SVMMARIVM.

1. *Templa impugnantur ab Hæreticis.*
2. *Templa sunt erigenda in ordine ad cultum Dei, &c.*
3. *Factum Salomonis id confirmat.* *Factum quoque Christi.*
4. *In templis ostenditur reuerentia erga Deum.*
5. *Deus quomodo in spiritu adorandus.*
6. *Quomodo Deus non habitet in templis manufactis.*
7. *In Ecclesia triumphante non est templum. ex Apocal.*
8. *Templa ritè eriguntur in ordine ad offerendum Deo sacrificium.* *Praxis erigendi.*
9. *Deus quomodo speciali modo præsens templis.*

1 NOn defuerunt prætar inimicos templorum Hæretici, qui templa impugnarent, & inprimis Faustus Manicheus apud Augustin. *Contra eumdem Faustum lib. 2. cap. 3. & 4.* improbabat templa tanquam id, in quo Christiani imitarentur Gentiles, & Hebræos. Quem postea sequuti sunt Messaliani, vt refert Damascen. *lib. de centum Hæresibus*, nam volebant solum in domibus esse orandum. Idem sensit Eustachius apud Socratem. *lib. 2. histor. cap. 33.* Moderniores quoque Hæretici similiter templa improbabant, vt Petrobosiani apud Clunlacen. *Epist. contra eumdem Petrobusian.* Albigenses apud Bernar. Lutremburgeres in Catal. Vvaldenses apud Claud. Caussordium *lib. contra Vvaldens. cap. 6.* Quidesistæ apud Thom. Vvaldens. *tom. 3. titul. 17. & 22.* Taboritæ apud Æneum Sylaiuon *de origine Boëm. cap. 35.* Lotherani autem, & Caluinistæ admittunt quidem templa, sed solum pro Concionibus, ministratione sacramentorum: non autem in ordine ad orationem, & honorem Sanctorum. Caluinos tamen admittit in ordine ad communes preces, vt *lib. 3. Instit. cap. 20. §. 30.* referente Bellarmino. Omnes tamen reprehendunt ornatum templorum ex lapidibus pretiosis, sericis, & argenteis, & aureis apparatibus, de quibus Bellarm. *tom. 1. controuers. 4. libr. 3. de Cultu Sanctorum, cap. 1.*

2 Dicendum 1. *Templa esse erigenda in ordine ad cultum Dei, & Sanctorum.* Pro hac Catholica veritate confirmanda sufficeret sola praxis Ecclesiæ, quæ semper ab initio erexit templa, seu Ecclesias, ad quas conuenirent fideles ad offerendum sacrificium, ad orandum, *&c.* quæ etiam constat approbata testimoniis Concilior. vt in Concil. Laodiceno *Can.* 28. vbi prohibetur facere Agapas in diuinis Domiciliis. Concil. Aurelian. 1. *Can.* 9. vt refertur in cap. *Omnes Basilicæ 16. quæst. 7.* & cap. *Si quis obiecerit. 1. quæst. 3.* Basilicæ prohibentur vendi propter sanctitatem.

3 Attamen insigne factum Salomonis id abundè confirmat. Siquidem iussu Dei ei edificauit templum, & postquam completum fuit, fuit rursus à Deo approbatum, & promisit se orantibus in ipso adfuturum, & gratias petentibus concessurum. Et quamuis Manicheus respondeat, quod templum fuit factum iussu Dei veteris Testamenti, qui non fuit verus Deus, sed malum principium, hæc tamen stultitia statim refellitur ex facto noui Testamenti. Nam Christus Ioan. 2. approbauit erectionem templi, & ostendit, esse ipsi impendendam venerationem, & reuerentiam, dum flagellis eiecit vendentes, & ementes dicens. *Auferte ista hinc, & nolite facere, domum Patris mei, domum negociationis.* Vnde ille Deus, qui in veteri Testamento iussit templum fabricari, approbauit in nouo, neque enim Christus approbasset, si iussu mali Principij fuisset erectum, & latiùs D. August. contra dictum Faustum loco citato, *num.* 1. & *contra Adamantium, cap.* 10. Rursus etiam Christus Matthæi 21. habet. *Domus mea, domus Orationis vocabitur.* Vnde si vocat domum suam, & declarat esse domum Orationis, manifestum fit, quod approbauit templa ordinata ad cultum Dei.

4 Ratio autem est. Quia dum eriguntur templa in ordine ad cultum Dei, ostenditur erga ipsum maxima reuerentia, siquidem licèt coli possit in quocumque loco, dum tamen cultus exhibetur in templo ad id destinato, exhibetur cum maiori reuerentia, siquidem actio reputatur tanti momenti, vt pro ipsa conueniat deputari specialem locum; quod satis ex eo patet, quod Princeps magis, vel minus denotat legatos aliorum Principum, prout potiùs in hac vel in illa aula recipit. Hinc etiam, prout templa sint magis, vel minus ornata, cedunt in maiorem, vel minorem cultum Dei, nam omnia illa ornamenta cedunt in honorem Dei sicut quando legatus adit principem, cum maiori, vel minori pompa. Et communis erectio templorum, quæ semper fuit in vsu apud Gentiles, qui solo lumine naturæ ducebantur, satis ostendit quod ex dictamine naturæ proueniat: ergo cum erectio templorum de se tendat in honorem, & cultum Dei, etiam sit apta ad excitandam deuotionem, & reuerentiam erga Deum, & aliàs non sit aliquo iure probibita in Lege noua; imò approbata ab Ecclesia Catholica, non potest vllo pacto improbari.

5 Dices Ioan. 4. Deus Spiritus est, cúmque in spiritu & virtute, oportet adorare: ergo non in templis. Resp. neg. conseq. Quia in spiritu quidem debet adorari eò, quod non sufficiat externa adoratio nisi sit coniuncta cum interna; non autem ibi significatur, quod non debeat Deus adorari in certo loco ad id destinato. Et ideò ibi Christus declarat, qualis debeat esse adoratio; non autem vbi debeat exerceri.

Digitized by Google

6 Dices 2. Actor. 17. de Deo dicit Apostolus Paulus. *Non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo.* Ergo Deo non sunt grata templa. Resp. Apostolum Paulum velle declarare quomodo Deus sit immensus, & non indigeat templis ad habitandum, vt declarant subsequentia verba: *Indigens aliquo:* Et rursus. *Quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum*, sed potiùs quod templa erigantur in honorem ipsius, vt scilicet nos habeamus loca destinata, in quibus exhibeamus ipsi cultum atque adeò, quod erigantur in nostram vtilitatem, non autem Dei. Et dicit, quod *Manibus humanis non colitur*, hoc est operibus manuum, quasi externa sufficiant ad colendum ipsum, sed colitur actibus internis significatis tamen etiam per signa externa.

7 Dices 3. Apoc. 21. Ioan. habet. *Et templum non vidi in eo Dominus enim Deus templum illius est.* Quod intelligitur de Ecclesia præsenti: nam subditur, *Et ambulabunt Gentes in lumine eius, & Reges afferent splendorem suum in illam*, quæ verba sunt ex Isaia *cap.* 60. Vbi Propheta loquitur de Ecclesia Militante. Resp. licèt Ioan. illa verba sumpserit ex Isaia loqui tamen de Ecclesia triumphante, vt explicant communiter, tam Patres, quam Expositores. Vnde August. *lib.* 20. *de Ciuit. Dei*, *cap.* 17. habet, esse nimium impudens velle exponere hunc locum Apocalypsis de Ecclesia militante. Et constat manifestè ex contextu, nàm dicerat. *Et vidi cælum nouum, & terram nouam*, & subiungit: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Nec obstat, quod voluerit destrui templum Hierusalem, nam ideò voluit, vt manifestum fieret, quod cessauit lex vetus, & ne Iudæi permanente templo, putarent, nondum venisse Messiam. Plura autem habet Bellarmin. *tom.* 2. *controuer.* 4. *lib.* 3. *de cultu Sanctorum*, *cap.* 4.

8 Dicendum 2. *Rectè erigi templa in ordine ad offerendum Deo sacrificium.* Hoc constat ex praxi vniuersalis Ecclesiæ, in qua semper fuerunt altaria, & templa, in quibus erigerentur altaria pro sacrificio offerendo, vt proinde hæc praxis ortum duxerit ex traditione Apostolica. Et proinde de Ecclesiis, seu templis, & altaribus mentionem faciunt *Canon.* 3. Apostolor. Dionys. *de Ecclesiast. Hierach. cap.* 3. Irenæus *lib.* 4. *cap.* 34. Athanas. *in Apolog. pro sua fuga.* Tertullian. *lib. de pænit.* Optatus *lib.* 6. *contra Parmenian.* August. *Epist.* 50. Nazian. *orat. in Gorgoniam Sororem.* Chrysost. *homil.* 51. *in Matth.* & Ambros. *lib.* 1. *de offic. cap.* 28. habet. *Nemo potest accusari, quia templum Dei ædificatum est.* Et alibi passim constat de huiusmodi praxi. Imò, cum Gentiles quoque suis falsis diis fabricauerint in quibus offerrent sacrificia, deducitur quod ostendente lumine naturali sint erigenda templa in ordine ad offerendum Deo sacrificium. Vnde reprobare templa in ordine ad offerendum sacrificium, non est aliud, quàm improbare factum Ecclesiæ per tot sæcula continuatum à Patribus, & Conciliis approbatum, & a lumine naturali congruum declaratum.

9 Ratio autem est. Quia Deus speciali modo est præsens in templis non quidem secundum præsentiam substantialem cum secundum hanc sit vbique, sed secundùm aliquam declarationem quoad effectus, quos ibi ostendit, quod satis constat ex *lib.* 3. *Reg.* nam cum *cap.* 8. Salomon ædificasset templum, & orasset Deum, vt in illo templo esset propitius, & exaudiret Populum *cap.* 9. Deus respondit: *Exaudiui orationem tuam*, &c. *Sanctificaui domum hanc quam ædificasti, vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Quibus voluit significare, se paratum esse exaudire in templo deprecantes; ergo est locus maximè aptus ad offerendum sacrificium, & proinde congruè institutum in hunc finem. Conseq. prob. Cum sacrificium deferat Deo maximum cultum, & tanquam propitiatorium, impetratorium, & satisfactorium ordinetur ad obtinenda nobis beneficia diuina melius offertur in loco, vbi Deus se declarat esse speciali modo præsentem in ordine ad exaudiendas orationes.

QVÆSTIO 436.

Quinam sint alij vsus templorum, seu Ecclesiarum.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia rectè instituta ad orandum Deum etiam priuatim.*
2. *Traditio Ecclesia conueniendi ad orationem.*
3. *Ecclesia est specialis inhabitatio Dei.*
4. *Quid sit orare in cubiculo, &c.*
5. *Finem veteris legis Christus significauit*, Ioan. 4.
6. *Quid sit offerre sacrificium in spiritu, &c.*
7. *Quid sit in spiritu adorare.*
8. *Error Iudæorum, quod in solo templo Hierosolymitano esset orandum.*
9. *Ecclesia rectè instituta pro administratione sacramentorum.*
10. *Sacramenta cur in loco publico ministranda.*
11. *Ecclesia rectè instituta pro instruendis populis.*
12. *Locus publicus pro instructione populi necessarius.*
13. *Ecclesia rectè instituta ad conseruandas reliquias Martyrum.*
14. *Olim mortuos prohibitos sepeliri in Ecclesia.*
15. *Congruentia sepeliendi mortuos in Ecclesia.*

Dicendum 1. *Ecclesias, & templa esse rectè institutas ad orandum Deum, tam communi oratione, quàm priuata.* Ita specialiter tradunt Bellarmin. *tom.* 2. *controuers.* 4. *lib.* 3. *de cultu Sanctor. cap.* 4. *propos.* 3. Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 1. ver. *Dico ergo secundo.* Hoc quoque constat ex continuata praxi ab initio nascentis Ecclesiæ, probatione Patrum, & Conciliorum. Et prob. ex Scriptura. Primò; quia Salomon petiit à Deo. 3. *Reg. cap.* 8. vt in templo Ecclesiæ exaudiret Populum orantem, & *cap.* 9. *subseq.* Deus dixit Salomoni se exauditurum, vnde approbauit factum eiusdem Salomonis ædificandi templum in ordine ad eundem. Secundò. Quia etiam promulgata lege noua iidem Apostoli suo exemplo confirmauerunt, nam Actor. 3. Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Tertiò. Quia Christus ipse Matth. 21. id declarauit, cum dixit: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* 1

Confirm. Quia hæc fuit semper traditio Ecclesiæ, vt fideles ad orationem conuenirent in Ecclesiis, & ideò semper Patres fecerunt mentionem de Ecclesiis tanquam de locis destinatis ad orandum. Origen. *homil.* 2. *in Exod.* Tertull. *cap.* 39. *Apologet.* Ambros. *orat. de traden.* Basil. *libr.* 2. *de Baptis. quæst.* 8. & *in quæst. fusius explicat. quæst.* 40. Chrysost. *sum.* 30. *contra Anomæos*, vbi respondens Anomæis habet, *Orare* (inquiunt Anomæi) *domi possumus Ieh homo decipis, & magno in errore versaris. Nam, etsi domi quoque orandi datur facultas tamen fieri non potest, vt domi tam bene ores, quàm in Ecclesia.* 2

Ratio autem est. Quia templa eriguntur in honorem Dei, vt sint domus ipsius. Vnde de templo dicitur Matth. 21. 3

Matth.21. *Domus mea.* Hoc est Dei; eò ipso autem, quod sunt domus Dei, ipse speciali modo inhabitat in iis, sicut dicitur speciali modo inhabitare iniustis eò, quod sint templum Dei iuxta illud ad Corinth. cap. 6. *Vos estis templum Dei viui, sicut dicit Dominus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo.* Ergo sunt locus maximè aptus ad orandum, siquidem excitat cogitationem de præsentia Dei, & facit, quod accedamus cum maiori reuerentia, & deuotione ad orandum. Rursus cum sit locus, in quo Deus speciali modo inhabitat ad effectum se communicandi nobis, est veluti locus audientiæ, vbi recipit postulationes nostras eas exauditurus; & ideò ibi eum magis propitium habemus.

4 Plura solent Hæretici obiicere, & primo Matth.6. Christus dixit. *Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito.* Ergo non in templis orandum est. Resp. Ista verba Christi non esse intelligenda secundum, quod literaliter sonant, sed significatiuè ita, vt contraponantur consuetudini Hypocritarum, de qua antea dixerat. *Cum oratis non eritis, sicut Hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes orare vt videantur ab hominibus.* Vnde aduersatiuè subdit. *Tu autem cum oraueris.* Et proinde sensus est, vt ipsi non faciunt sicut Hypocritæ. Cum igitur hi orent in eum finem, vt videantur, & acquirant inanem gloriam, vult quod non oretur in hunc finem: & ideò assumit locum secretum, non vt oratio fiat in loco secreto, sed vt fiat ex intentione, cum qua fieret si in loco secreto fieret. Et ita explicant communiter Patres.

5 Secundo obiiciunt Ioan.4. *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem.* Resp. Christum ita loquutum cum muliere Samaritana, vt ei significaret, quod veneras finis veteris legis, & proinde debebat etiam cessare adoratio, cum qua Deum adorabant. Et consequenter debebat etiam cessare locus destinatus tali speciali, adorationi non autem dicit, quod non essent futura alia loca specialiter destinata ad adorandum. Quia autem specialis actus adorationis consistit in oblatione sacrificij, ideò vult significare, quod non essent amplius oblaturi sacrificium illud, quod solebant offerre. Sed sacrificium nouum, quod dicitur offerri in spiritu, & veritate, atque adeò offerentes adorare in spiritu, & veritate. Quia erat futurum sacrificium, cuius hostia sola spiritu, & fide esset agnoscenda, licèt sub signis sensibilibus, non tamen ipsa sensibus obuia, & nihilominus, erat futura vera. Hostia, & verum sacrificium atque adeò in veritate offerendum.

6 Accedit etiam, quod lex Vetus non erat lex gratiæ, & ideò subministrabat tantum Dei cultum externum, non autem dabat fidem, & charitatem, per quam accedente cultu interno fieret verus cultus, & ideò non adorabant in spiritu, & veritate, etsi aliqui adorabant, id habebant ex gratia, quæ pertinebant ad nouum Testamentum, quia dabatur ex meritis Christi, & faciebat, quod ipsi quoque pertinerent ad nouum Testamentum. Christus ergo dixit, quod veneras tempus, in quo erant adoraturi in spiritu, & veritate, hoc est in fide, & charitate, quæ fuerat, quod adoratio non haberet pro fine proprium; interesse, sicut habebat adoratio veteris Legis, sed haberet ipsum Deum, & proinde esset vera adoratio. Hæc verò adoratio erat Deo alibi exhibenda, & vbique iuxta Malachiam cap. 1. dicentem in omni loco futurum, vt Deo offertur sacrificium contra illud quod dicebant fidei, quod in Hierusalem erat solum offerendum, quod indicauit Christus Ioan. 4. dum dixit Samaritanæ, *Vos dicitis quia Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet,* & Christus subiunxit, quod veneat tempus, quod amplius non adorarent in Hierusalem, quia templum & Ciuitas erant destruenda, sed adoraturi etiam in spiritu, & veritate, atque adeò in omni loco vbi spiritus moueret ad adorandum in veritate, hoc est vera adoratione, & non figurata.

Tertio obiiciunt ex Epist. 1. ad Timoth. cap. 2. *Volo ergo viros orare in omni loco leuantes puras manus, &c.* Ergo non in templis. Resp. Quod potius oppositum consequens debet deduci, ergo etiam in Ecclesiis, quæ cum sint aliquis locus venerint sub significatione omnis loci. Respond. ergo. Quod Apostolus reiicit errorem Iudæorum, qui disseminabant, quod solum in templo Hierosolymitano esset orandum: vnde cum in illo capite instruat circa orationem, declarat etiam, quod non solum Hierosolymis, sed etiam in omni loco conuenire possunt ad orandum. Ibi enim loquitur de publica, & communi oratione, vt explicant omnes Patres, & expositores Græci, & quamplures ex Latinis. Vnde non excluditur quod non possit fieri oratio in templis, sed quod in omni loco possint erigi templa ad orandum templum sicut in Hierusalem, & etiam orari extra templa. 7

Dicendum secundo. *Ecclesias, & templa esse rectè destinata, ad ministrationem sacramentorum.* Non quia extra ipsa ministrari non possint, sed possint, sed vt adesset locus communis, & publicus ad quam confluerent fideles ad illa percipienda. Ita Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 1. ver. *Dico tamen primo.* Bellarmin. *tom.* 2. *controuer.* 4. *lib.* 3. *de cult. Sanctor.* Hoc constat similiter, ex obseruantia subsequuta à primitiua Ecclesia vsque ad hæc tempora, nam semper Populus fidelis conueniebat in vnum locum in quo sacramenta ministrabantur; & ita desumitur ex Clemente *lib.* 10. *recognition. circa finem.* Eusеb. *lib.* 2. *Histor. cap.* 17. Iustino *Apolog.* 2. *circa finem.* Tertull. *lib. contra Valent. post init.* Cyprian. *serm. de Eleemos.* 8

Idem etiam tradit, & approbat Apost. *Epist.* 1. *ad Corinth. cap.* 11. vbi habet. *Conuenientibus vobis in vnum iam non est Dominicam Cœnam manducare, &c.* & *Audio scissuras esse inter vos,* & rursus. *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Similiter. *Si quis esurit domi manducet, vt non in iudicium conueniatis.* Quibus satis declarat adfuisse tunc Ecclesias, seu loca reputata, ad quæ conuenirent pro sumenda Eucharistia; nam ibi agit de Dominica Cœna, & reprehendit eos, qui etiam Cœnam vsualem in Ecclesia sumebant. 9

Ratio autem est. Quia sacramenta sunt publica, & communia omnibus, itavt omnes ius habeant, ad ipsa. Rursus ministri quoque ipsorum sunt publici, & ex officio tenentur ea omnibus petentibus ministrare: ergo debuit etiam deputari communis, & publicus locus, in quo ministrarentur, vt omnes possent conuenire, ad ea percipienda tanquam ad locum publicum, & omnibus communem. Confirm. Quia conuenit dignitati sacramentorum, & reuerentiæ ipsius debitæ, vt ministrentur in loco ad id specialiter deputato, & cultui diuino destinato, vt in eo loco, in quo colimus Deum, percipiamus etiam eius beneficia. 10

Dicendum 3. *Ecclesias rectè institutas fuisse etiam pro instruendis Populis in iis, quæ pertinerent ad fidem, & ad salutem, atque adeò pro Concionibus.* Ita Bellarmin. *tom.* 2. *controuer.* 5. *lib.* 3. *de cultu Sanctor. cap.* 4. *propos.* 1. Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 1. §. *Dico ergo secundo.* vâs. *Quam vtilitas.* Et hoc quoque stabilitum est continua obseruantia Ecclesiæ ab initio 11

tio eisque modo, & initium babuit à Cbristo, qui in templo populum. Mattb. 26. *Quotidie apud vos sedebam in templo, & non me tenuistis.* ioan. 16. *Ego palam loquutus sum modo. Ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudai conuenmit.* Et exemplum Christi sequuti sunt Apostoli. Actor. 5. *Angelus ipsis dixit: Ite, & stantes in templo loquimini plebi omnia verba vita buius, qui cum audissent, intrauerunt diluculo in templum, & docebant.* Et hæc consuetudo semper continuata est vsque ad præsentem diem.

12 Hoc autem ratione quoque constat. Nam cum impossibile sit, priuatim omnes instrui circa res fidei, & quæ pertinent ad salutem, & adhibere congruas orationes, & correptiones vitiorum, debuit depotari aliquis locus in quo eo adunaretur populus. Hoc enim esse necessarium lumen ipsum naturale ostendit cum buiusmodi loca apud omnes nationes, tàm Christianas, quàm Gentiles fuerunt deputata pro omnibus publicis functionibus. Ecclesiæ autem fuerunt loca congrua in ordine ad hunc effectum, siquidem est conueniens, vt in eo loco instruatur populus circa mysteria diuina, & circa media ad salutem, in quo ea recipit: præsertim quia ab iisdem ministris est instruendus populus, à quibus ipsi dispensantur mysteria diuina.

13 Dicendum 3. *Rectè etiam institutas fuisse Ecclesias ad conseruandas Reliquias Martyrum.* Hoc etiam constat continua praxi Ecclesiæ, nam statim, ac potuit ædificare Ecclesias, in iis cœpit recondere Reliquias Martyrum. Vnde Concil. Carthaginen. V. *Can.* 14. statuit, quod non dedicetur alicui Martyri Ecclesia, nisi in ea fuerint eius Reliquiæ, aut fuerit locus passionis, aut eius babitatio. Et passim in Concil. & à SS. Patribus dicuntur Basilicæ Martyrum. Ita in Concil. Gangrensi *Can.* 20. Cabilonen. *Can. vltim.* Hieron. *contra Vigilant.* August. *lib.* 1. *de Ciuit. Dei, cap.* 1. & *cap.* 6. & *lib.* 20. *contra Faust. cap.* 11. Ratio autem est. Quia Reliquiæ Sanctorum, sunt dignæ veneratione, quia fuerunt sanguine proprio declaratæ dignæ illo honore, qui debetur maioribus amicis Dei, quales sunt, qui pro ipso vitam profundunt, & quia Christus in ipsis triumphauit contra persequutores suæ sponsæ Ecclesiæ, & quia sanguine proprio plantauerunt Ecclesiam.

14 Quod autem spectat ad sepulturam fidelium, quamuis templum cum sit in hunc finem institutum, vt inseruiat pro sepultura, quod ex eo constat quia aliquando fuit, probibitum ne cadauera fidelium sepelirentur intra Ecclesiam, sed in Atrio, aut Cœmeterio, vt in cap. *Pracipiendum de consecrat. dist.* 2. & in Concil. Bracbaten. apud Bruchar. *cap.* 157. Attamen receptum etiam fuit, vt defuncti intra Ecclesiam sepelirentur. Vnde Concil. Moguntin. *c.* 52. definiuit. *Nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, aut fideles Laici.* Et praxis sepeliendi defunctos in Ecclesia viget his temporibus, quamuis etiam in Atrio, aut Cœmeterio sepeliantur, quod parum refert, quia adhoc censentur sepeliri in Ecclesia, quia sepeliuntur in loco, qui pertinet ad Ecclesiam. Vnde, & hoc fit, quod quamuis Ecclesiæ, non sint erectæ in hunc finem, facta tamen erectione sit etiam huic vsui destinatæ.

15 Hoc autem babet fundamentum in eo, quod, cum fideles Christiani vixerint tanquam filij Ecclesiæ, eorum quoque curam post mortē suscipiat, & tanquam filios in suos amplexus recipiat, recipiendo eorumdem corpora intra loca, in quibus quoad suas functiones repræsentatur. Rursus cum se gerat tanquam matrem erga ipsos, & eos admittat ad participationem illorum bonorum, quæ defunctis filius communicare potest, quando decedunt, vt filij veri in fide viua, æquum etiam est, vt externis signis id ostendat, & eos declaret tanquam filios, atque adeò à cæteris pro talibus habendos, quod præstat eos recipiendo in sinum suum; quod est valdè ipsis proficuum, vt constat ex iis, quæ tradunt D. Gregor. *lib.* 4. *dialog. cap.* 50. & D. August. *de Cura pro Mort. agen. cap. vltim.* vbi commemorant vtilitates, quæ prouenìunt ex sepultura in Ecclesia.

QVÆSTIO 437.

An Sanctis erigi possint Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia appellatione quid veniat.*
2. *Quid propriè templum significet, & quid Basilica.*
3. *Templum, Basilica, & Ecclesia confunduntur.*
4. *Sacra ædes rectè ædificantur in honorem Sanctorum.*
5. *Praxis dedicandi Ecclesias in honorem Sanctorum.*
6. *Ratione cultus debiti eriguntur templa in honorem Sanctorum.*
7. *Quid probibeat Concil. Carthaginense circa erectionem Altarium.*
8. *Si non adsunt Reliquia, quomodo Sanctis erigi possint Ecclesia.*
9. *Cur erectio sacrarum ædium in honorem Sanctorum non contineant idololatriam.*

QVamuis nomen Ecclesia ex sua prima significatione importet coadunationem hominum, atque adeò cœtum personarum vnitaa in fide, & charitatem, quæ faciunt veram Dei Ecclesiam animatam quæ etiam est sponsa Christi. Attamen applicatum est etiam hoc nomen ad significandum locum, in quo coadunatur aliquis cætus fidelium ex iis, qui constituunt Ecclesiam, vt obseruat Augustinus, *lib.* 3. *in Leuit. quæst.* 57. quatenus nomen contenti applicatur etiam continenti, iuxta etiam etiam illud Iudith. 6. *Et per totam noctem intra Ecclesiam orauerunt*, & in vtraque significatione accipit hoc nomen S. Clemen. *lib.* 6. *constit.* 61. & 63. & plura ad hanc rem notat Pamel *ad Tertul. lib. de Idolat. cap.* 7. 1

Est autem supponendum, quod licèt hæc nomina Templum, Basilica, de vno, & de eodem ædificio dicantur, ipsum tamen significant secundum diuersas habitudines. Nam nomen Templum propriæ significat locum destinatum ad oblationem sacrificij, & ideò sicut sacrificium significat cultum Latriæ debitum soli Deo, ita etiam erectio Templi importat cultum Latriæ, & proinde erigi solum potest ipsi Deo, vt tradit D. August. *lib.* 1. *contra Maximin.* & *lib. contra sermon. Arianor.* & *lib.* 8. *de Ciuit. Dei, cap. vltim.* coniungit Templum cum Altari, & sacrificio, & vult esse inter se ita annexa, vt cui conuenit vnum, conueniat & alterum, & è contra. Nomen autem Basilica ex sua primaria significatione importat domum Regiam, vt constat etiam ex Etymologia; vnde Esther. 5. dicitur. *Stetit in atrio domus Regia, quod erat interius contra Basilicam Regis.* Similiter etiam importat locum, seu domus, in quo confluentibus ius dicebat Principis. Vsurpari tamen cœpit etiam pro loco, in quo Reliquiæ Martyrum, recondebantur, seu pro illo ædificio, quod erigebatur in honorem Martyrum. Vnde idem August. *De causa pro mortuis, cap.* 1. babet, *In Beatissimi Felicis Basilica poneretur.* Et Hieronym. contra Vigilantium. *Ingredere Basilicas Martyrum,* 2

&

& aliquando purgaberis. Hoc autem discrimen inter templa, & Basilicas expressit D. August. *lib. 22. de Ciuit. cap.* 10. inquiens. *Nos Martyribus nostris non templa sicut Diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis,* quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus Ecclesia autem significat in ordine ad congregationem personam atque adeò importat locum, in quo coadunatur populus fidelis.

3 Hinc autem, quia idem locus erectus fuit in ordine ad sacrificium, in ordine ad memorias Martyrum, & in ordine ad recipiendum populum fidelem conuenientem ad mysteria sacra futura, est vt hoc triplici nomine templi Basilicæ, & Ecclesiæ significetur. Et quamuis hæc nomina significent eundem locum cum diuersa habitudine, solent tamen confundi, & indifferentet vsurpati ad significandum edificium materialiter sumptum; Vnde Basil. *in Psal.*114. vocat templum Martyrum, quod etiam constat ex communi modo loquendi. Difficultas autem modo est, an rectè sanctis extruantur Memoriæ in eorumdem honorem dicatæ, quæ etiam sint templa, & Ecclesiæ in ordine ad alios fines, qui deseruiunt.

4 Dicendum est. *Rectè ædificari sacras ædes in honorem Sanctorum & in ipsorum memoriam.* Hæc semper fuit vniuersalis Praxis Ecclesiæ. Et omnes Scriptores tàm veteres, quàm moderniores, sicut etiam Concilia mentionem fecerint huius praxis. Concilium Gangrense *Epistola ad Episcopos Armeniæ*, damnat Eustachium, quid contemnebat Basilicas Sanctorum Martyrum. Concil. Cabil. *Can. vlt.* meminit Basilicarum Martyrũ. Cyril. *Catech.* 16. Ecclesiæ Apostolorum erectæ in Hierusalem, vbi Spiritus sanctus descenderat supra Apostolos Nazian. *Orat.* 1. *in Iulian.* laudat Gallum, quia Mariæ Martyri sacram ædem erigebat. Nyssen. *Orat. in Theodor.* memorat Ecclesiam ipsi Martyri dicatam. Chrysost. *Hom.*18. *ad Populum* meminit de Martyrum templis. Theodoret. *lib.*8. *ad Græcos*, dicit Idolotum templa facta esse Martyrum. Ambros. *lib.*1. *epist.* 5. *ad Felicem Episcopum.* Ortus est sermo de Basilica quam condidit Apostolorum nomine dedicanda. Augustinus *lib.*8. *de Ciuit. Dei cap.*26. Hoc videtur dolere, quod memoriæ Martyrum nostrorum templis eorum delubrisque succederent.

5 Accedunt etiam facta sanctitate celebrium hominum cui templa dedicarunt in honorem Sanctorum S. Syluester Papa dedicauit Basilicas in honorem Sanctorum Apostolorum. Liberius Papa Basilicam sanctæ Mariæ ad Præsepe, & alij Pontifices alias Ecclesias in honorem aliorum Sanctorum, vt passim constat ex sacris Historiis, & etiam ex monumentis antiquissimarum Ecclesiarum, quæ adhuc extant in in toto Christiano orbe & Romæ adhuc extat Panthon olim Idolorum Fanum, nunc in honorem omnium Sanctorum dicatum: vt proinde nimis intolerabilis imprudentia sit hanc continuatam Ecclesiæ praxim adeò etiam miraculis approbatam in honorem suorum Sanctorum, improbare velle.

6 Ratio autem est. Quia sicuti Deo est debitus cultus Latriæ; ita etiam Sanctis est debitus cultus proportionatus eorumdem excellentiæ, qui dicitur cultus duliæ. Nam sicut Deus est summa excellentia, & nostrum summum bonum, à quo nobis omnia bona proueniunt, & cui vniri debemus tanquam nostro vltimo fini: ita etiam Sancti in genere creato dicunt magnam excellentiam, & sunt nostri Protectores apud Deum, & impetrant nobis plurima bona, & ipsis sumus coniuncti in sua societate, cuius caput est Christus: ergo cum cultus, quem debemus Deo, exigat etigi templa in ordine ad sacrificiũ, ita etiam cultus, quem debemus Sãctis, exigit, erigi ipsis ædes sacras, in quibus eis exhibeamus cultum.

Dices. Concil. Carthaginen. 5. *Can.*14. prohibere extrui Ecclesias, seu memorias Martyrum, nisi ibi sint Martyrum Reliquiæ, aut origo alicuius habitationis, possessionis, vel passionis: ergo non possunt erigi Basilicæ, vbi prædicta non adsint, & tamen videmus erigi, ergo male eriguntur. Posset respondeti, illam legem tanquam positiuam esse abrogatam contrariorum. Vera tamen responsio est. Quod ibi absolutè non prohibet erigi Ecclesias Martyribus, vbi non sint aliquid ex dictis requisitis; sed solum prohibet erigi altaria, tanquam continentia memorias Martyrum, cum re vera non contineant, quod satis indicant verba illius Canonis, quæ ita habent. *Item placuit, vt Altaria, quæ passim per agros, aut vias tanquam memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut Reliquiæ Martyrum condita probantur ab Episcopis, qui illis locis præsunt, si fieri potest, aduertantur; in quibus notanda sunt verba tanquam memoria Martyrum, & in quibus nullum corpus,* quibus declarat, se improbare Altaria, quibus homines decipiuntur, cum eriguntur tanquam continentes aliquam memoriam Martyrum, & non contineant. Quod etiam confirmat, quod subdit, quod scilicet nulla memoria Martyrum acceptetur, nisi verè adsit, & fidelissima origine. Et concludit. *Nam, quæ per somnia, & per inanes, quasi reuelationes quorumlibet hominum vbique constituuntur Altaria, omnimodo reprobentur.* Ex quo constat, quod intendit tollere abusum erigendi Altaria, tanquam ibi esset aliqua memoria Martyris alicuius, prætextu reuelationum, seu potius somniorum. 7

Dices 2. Ergo non licebit erigere Basilicas Angelis, & Sanctis, quorum nullam habemus reliquiam, seu memoriam. Resp. Non posse erigi tanquam continentes memoriam, si non adsit talis memoria, nam huiusmodi erectio tenderet ad fallendum: nam ibi repræsentaret memoriam quæ non adesset. Posse tamen erigi in honorem, & in ordine ad cultum ipsis debitum. Est tamen aduertendum, quod possunt erigi ædes sacræ Angelis tanquam continentes aliquam memoriam ipsorum; quia, quamuis non fuerint apud nos, aliqui tamen apparuerunt, & ideò in memoriam talis apparitionis erigi potest ædes sacra, vt fuit factum in monte Gargono in Apulia in memoriam Michaëlis Archangeli. 8

Ex dictis autẽ colligitur, cur erectio sacrarũ ædium in honorem Sanctorum, & Angelorum non reducatur ad idololatriam, sicut obiiciunt Hæretici. Quia scilicet non eriguntur ipsis tanquam in ordine ad sacrificium, seu cultum Latriæ, Idololatria enim importat exhibitionem cultus Latriæ illi, qui non est Deus: & ideò non potest habere locum, nisi talis cultus creaturæ exhibeatur. Erectio autem sacrarum ædium, de se non est determinata ad hunc finem, sed est indifferens ad plures fines, sicut etiam est indifferens ad plures vsus, & proinde sicut determinatur ab erigente ita qualificatur, si enim determinetur ad cultum Latriæ creaturæ exhibendum continet idololatriam, si ad talem cultum Deo exhibendum continet Latriam & fit templum. Si ad cultum proportionatum exhibendum Sanctis, & Angelis reducitur ad dubiam, & ædes sacra accedit Basilica. Et hoc est, quod dixit August. *lib. contra Maximin. argument.* 11. *de Spiritu sancto.* Ita habens: *Non ne si alicui sancto Angelo excellentissimo de ligno, & lapidibus faceremus templum, anathematizaremur à veritate Christi, & ab Ecclesia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam seruitutem, quæ vni tantum debetur Deo?* Loquitur enim de templo, quatenus propriæ templum est cum ordine ad sacrificium. Quia tamen, vt dictum est, eadem sacra ædes inseruite 9

potest pro sacrificio, culto Sanctorum, & coadunatione populi, ideò erigi potest ad omnes hos fines. Neque hoc est congruum, quia sunt fioes subordinati, quotum principalis est cultus Dci, ad quem cæteri ordinantur. Et sicut sancti suot cooioncti Deo in Beata societate; ita etiam decet, quod cum debita subordinatione coniungaotur in cultu, & quod in eodem loco, tam Deo, quàm ipsis eahibeatur.

QVÆSTIO 438.

An Ecclesia consecratio sit rectè instituta.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia rectè consecrantur cum solamnitate, &c.*
   Solemnitas consecrationis Ecclesia approbata à Christo.
2. *Ecclesiacur consecranda.*
3. *Ecclesia rectè consecrantur variis precibus.*
   Altaria, & Ecclesia semper variis ritibus consecrata.
4. *Sacrificatio Ecclesia debuit repræsentari signis sensibilibus.*
5. *Caremonia consecrationis Ecclesia non sunt quid superstitiosum.*
6. *Ecclesia ratione consecrationis sit locus sanctus.*

1 SVo more Hæretici reptehendunt consecrationem Ecclesiæ, præsertim ratione cœremoniarum, & solemnitatis, cum qua fit. Dicendom tamen est. *Ecclesias rectè consecrari cum solemnitate, & lætitia.* Ita specialiter Bellarmin. *tom. 2. controuer. 14. lib. 3. de cultu Sanctorum, cap. 5.* ver. *Prima sit.* Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 2. ver. *Prima ergo.* Hoc autem fundamentum habet in veteri Testamento, io quo legitor, Templum, cum magna solemnitate, & lætitia fuisse consecratum à Salomone *lib. 2. Paralipon. cap.* 7. ab Esdra *lib. 1. Esdra cap. 6.* & *lib. 1. Machab. cap. 4.* Et hæc solemnitas consecrationis approbata fuit in nouo Testamento ab initio nascentis Ecclesiæ à Christo Primo loco, num *Ioan.* 10. accessit ad festum dedicationis templi præbeos nobis exemplom celebrandi solemniter dedicationem, vt ponderat Gregorius Papa relatus in cap. *Solemnitas. de consecrat. dist.* 1. Deinde à Pontificibos. Vnde Clemens Papa *epistol.* 2. *ad Iacob.* relatus in cap. *Ecclesias. de consecrat. distinct.* 1. habet Ecclesias esse consecrandas diuinis precibus. Felix Papa III. *Epistola ad omnes Episcopos cap.* 1. Exemplo Moysis coosecrantis templum decernit, dedicationes Ecclesiarum faciendas, & celebrandas esse cum solemnitate, & lætitia, & passim ipsi Pontifices dedicaueront Ecclesias, cum solemoitate, & lætitia. Vnde ex facto tam antiquo, quàm communiter ab Ecclesia omoibus tempotibus recepto, constat, quod hæc solemnitas in nouo quoque Testamento erat adhibenda. Nec erat ea iis cœremoniis, quæ cessare debebant adueniente Lege noua, quia non ordinabantur ad figuranda, quæ sunt noui Testamenti: sed potius ad significandam lætitiam Ecclesiæ triumphantis: Et quia cum dedicaretur Deo, debuit sanctificari, & debuit ostendi lætitia ob erectionem loci in quo cultus Dei exerceretur, tanquam de re, quæ valde conducit ad assequendam salutem. Vnde cessat obiectio Magdeburgensium *Censur. 4. cap. 6.* qood in hac dedicatione Ecclesiarum Christiani Iudaizent: non enim est Iudaizare, seruare ea, quæ aliunde debita sunt, quàm ea Lege veteri quæ cessaoit, sed seruare ea, quæ iam cum ipsa lege cessauerunt.

2 Ratio verò est. Quia Ecclesiæ pro duobus præcipuè ioseruiunt. Nempe, vt sint Dei habitatio, quatenus io ipsis se ostendit secuodom speciales effectus præcipuè exauditionis. Vt sint loca io quibus nobis diuioa mysteria communicentur. Ex vtroque autem capite debita est consecratio, & lætitia, nam cum Deus sit Sanctus Sanctorum, imo ipsa sanctitas debet locus, vt sit congrua habitatio ipsius sanctificari. Rursus etiam, vt sit proportionatus dispensationi mysteriorum Dei, aptus ad eacitandam deuotionem, & reuerentiam. Rursus quia lætitia causatur ea assequutione rerum, quæ desideratæ sunt, & charæ. Cum in consecratione Ecclesiæ assequamur, Deum inhabitare apud nos, locũ vbi recipiamus, quæ nobis conducunt ad salutem, & Deo cultum eahibeamus, atqoe adeò pignus cœlestis Ecclesiæ, merito lætari debemus, & exultare.

3 Dicendum 2. *Ecclesias, seu templa rectè ab Ecclesia consecrari variis precibus, & cœremoniis.* Ita etiam Bellarmin. *comm. 2. controuers. 4. lib. 3. de cultu Sanctorum, proposit.* 2. vbi ver. *Quoniam ergo. & sequent.* explicat significationes cœremoniarum, & rituum, qui adhibentur in consecratione Ecclesiæ. Ratio autem est, quia semper fuit in vso consecrandi Altaria, & Ecclesias variis ritibus, & cœremoniis in Lege oaturæ Iacob consecrauit Altare fuodens oleum desuper, vt habetur *Genes.* 28. Vigente Lege veteri coosecrauit Altare, & Tabernaculum eum oleo, vt legitur *Numeror.* 7. & *Exodi* 40. in lege Euangelica ab initio nascentis Ecclesiæ cœperuot Altaria atque Ecclesias consecrari oleo, & aliis cœremoniis, vt desumitur ea D. Dionys. Coëtaneo Apostolorum. *De Ecclesiast. Hierarchia, cap. 5. part.* 1. Clemente *epist. ad Iacob.* Concilio Agathensi, *cap.* 14. Ioan. Papa *epist. ad Episcopos Italia*, & plura referuntur. *de consecrat. distinct.* 1. Vnde Hæretici, qui reprehendunt ritum consecrationis Ecclesiarum, reprehendunt, quod semper vsitatum fuit tàm in veteri Testamento, imò, & io lege Naturæ, quàm in lege Euangelica.

4 Ratio autem est. Quia Christus instituit Ecclesiam visibilem, & voluit visibiliter regi, & administrari. Atque ea, quæ in ipsa fiunt, voluit sub visibilibus signis repræsentari, vt constat in sacramentis, quæ cum instituerit ad inuisibiliter saoctificaodos homines, voluit sub signis sensibilibus hanc sanctificationem declarari: ergo cum etiam Ecclesiæ dedicentur Deo, & sanctificentur, ad seruandum eomdem tenorem procedendi, quem Christus instituit, debuerunt ordinari signa sensibilia repræsentatiua huius sanctificationis. Quod aotem sanctificatio rectè fiat per precea constat ea Apostol. *epist. 1. ad Timoth. cap. 4. Nihil obiciendum est, quod cùm gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.*

5 Ex dictis colligitur cœremooias, & ritus, cùm quibus consecrantur Ecclesiæ, non esse quid superstitiosum, aut magicum, vt putaoerunt, seu potiùs Catholicis obiecerunt Magdeburgenses; sed esse signa quædam sensibilia instituta tanquam sanctificatioa sacrarum ædium, & significatiua eorum, quæ spiritualiter fiont in huiusmodi consecratione. Atque in hac Ecclesia imitantur Christum, qui ordinauit, vt dictum est, signa sensibilia ad sanctificandos homines.

6 Secundo colligitur. Ecclesias ratione consecrationis euadere loca Sancta, atque adeò digna speciali reuerentia. Quod satis declarauit ipse Deus *lib. 3. Reg. cap.* 9. dum post dedicationem templi dixit Salomoni *Sanctificaui domum hanc, quam ædificaui.* Quod etiam signo sensibili declarauit, vt habetur *cap.* 8. eiusdem libri dum dicitur. *Nebula enim gloria impleuit domum domini.* Ratio autem est. Quia quicquid Deo dedicatur, sanctum fit: vnde *Leuitici vlt.* dicitur.

Annal,

Animal, quod immolari potest Domino, si quis vouerit, sanctum erit. Et rursus. *Quicquid semel fuerit consecratum Domino, Sanctum Sanctorum erit Domino.* Ex quibus satis constat, quod ex consecratione Ecclesia acquirat sanctitatem, tanquam quid ipsius Dei, & ipsi coniunctum ratione ordinis, quem, vt locus sacrificij habet ad ipsum.

QVÆSTIO 439.

An rectè extruantur Ecclesiæ cùm magnificentia, & pretioso ornatu.

SVMMARIVM.

1. *Constructio, & ornatus magnificus Ecclesiarum est laudabilis.*
2. *In apparatu templi Hebræorum, quid cessauerit.*
3. *Magnificentia structuræ, & pretiosus ornatus Ecclesiæ tendit in Dei honorem.*
4. *Quomodo D. Hieronym. reprehendat magnificentiam Ecclesiarum.*
5. *In quo non imitandi Hebræi circa ornatum templi. D. Hieronym. approbat ornatum templorum.*
6. *Subleuatio pauperum præferenda ornatui Ecclesiæ.*
7. *Nonnulla loca PP. explicata. Hilar. Lactent.*
8. *Quando subuentio pauperum præferenda ornatui Ecclesiæ, & econtra.*

1 Magnificam structuram templorum, & ornatum pretiosum suo more reprehendunt Hæretici, vt Vuiclefistæ, & Caluinistæ, & Lutherani, sed non aduertunt, quod reprehendunt id, quod ab Ethenicis quoque lumine naturæ dirigente factum est, & quod semper in Ecclesia approbatum est. Vnde dicendum. *Optimum esse, construere magnificas Ecclesias, & eas magnificentissimè ornare.* Pro confirmatione sufficere potest respicere ad originem, vnde hoc profluxit. Nam magnificentia ista ortum traxit ab ipso Deo; nam cum esset fabricandum ipsi tabernaculum, præscripsit structuram ipsius cum magnificentissimo ornatu ex pretiosa materia, vt habetur in Exodo *cap. 25. & sequentib.* Rursus etiam Salomon ædificauit templum omnium magnificentissimum, & cum pretiosissimo ornatu, vt constat non solum ex historiis, sed etiam ex duobus *cap. vltimis lib. 1. Paralip. & lib. 2. cap. 3. & sequent.*

2 Dices. In Testamento nouo aliter procedendum esse. Nam in veteri illa concedebantur propter figuras, & propter sacrificia corporalia, quæ immolabant. Nunc verò res aliter se habet, quia lex nostra est spiritualis. Contra. In apparatu Hebræorum, duo possunt considerari, & instrumenta cum ædificio; & pretiositas instrumentorum, & ædificiorum. Si consideretur primo modo pertinet quidem ad figuras, at si consideretur secundo modo, pertinet quidem ad moralitatem, quia continet honorem erga Deum. Vnde cum lex vetus cessauerit solùm quoad cæremonialia, non autem quoad moralia, adhuc durat ista moralitas.

3 Ratio autem est. Quia ea omnia, quæ tendunt in Dei honorem bona sunt, & eo meliora, quò magis erga Deum honorifica sunt. Nam honorare Deum est actus Religionis, & ideò quæcunque tendunt in Dei honorem, pertinent ad virtutem Religionis. At sicut templa tendunt in honorem Dei, & eius cultum, ita etiam magnificentia structuræ, & pretiosus ornatus; quia ex his resultat maior honor Deo, & maior cultus, sicuti quando Rex recipitur in magnifica domo, & valde ornata, plus honoratur, quàm si reciperetur in domo humili, & absque ornatu: ergo cùm magnificè construare Ecclesias, & valdè ornare, sit actus virtutis Religionis, non potest, non esse, nisi quid optimum.

Obiiciunt Hæretici ex D. Hieronymo *Epist. 2. ad Nepotian.* vbi reprehendit fabricantes magnificè Ecclesias inquiens: *Multi ædificant parietes, & columnas Ecclesiæ substruunt, marmora nitent, auro splendent laquearia, gemmis altare distinguitur, & ministrorum nulla electio est. Neque verò mihi aliquis opponat dicens. In Iudæa templum, mensam, lucernas, thuribula, patellas, scyphos mortariola, & cætera ex auro fabrefacta. Tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes Hostias immolabant, & sanguis pecudum erat redemptio peccatorum.* Resp. D. Hieronymum ibi reprehendere eos, qui declinant ad extrema, nec in medio sistunt, vbi reperitur virtus, & postquam plura commemorauit, quæ tanquam extrema sunt vitanda, subiungit verba allata, quibus reprehendit Prælatos, qui totum suum studium ponebant in ornatu templorum, & cætera magis præcipua negligebant, qualis erat electio ministrorum, subuentio pauperum; & suum errorem tegebant specie Religionis exemplo templi Hierosolymitani, quod satis declarant illa verba. *Et ministrorum nulla electio est.* 4

Deinde ad euertendum eorum fundamentum subdit, quod non debemus imitari in hoc Iudæos, quia hoc fiebat apud ipsos carnaliter, alioquin deberemus imitari etiam in cæteris cæremoniis, & cum ipsis iudaizare, vt declarant verba, quæ paulo post subnectit. *Alioquin si tantum litteram sequimur atque in auro, & diuitiis simplex nos delectat historia, cum auro, obseruemus, & cætera. Ducant Pontifices Christi vxores Virgines, &c.* Et concludit. *Aut aurum repudiemus, cum cæteris superstitionibus Iudæorum, aut si aurum placet, placeant, & Iudæi, quos cum auro, aut probare nobis necesse est, aut damnare.* Ex quibus manifestè deducitur, quod loquitur de iis, qui more Iudæorum sibi complacentes in auro, diuitiis, eas templis applicabant habentes finem carnalem, sicut habebant Iudæi, qui sequentes legem quæ carnalis erat, carnaliter operabantur, & proinde si volumus in hoc operari imitando Iudæos, & operando carnali modo debemus imitari, & in cæteris cæremonialibus illius legis carnalis. Verum id non possumus facere, quia habemus legem Euangelicam, quæ spiritualis est. Quare non reprehendit eos, qui in medio sistunt, nec carnali modo ornant templa, sed ornatum templorum de se carnalem ordinant ad finem spiritualem, nempe ad cultum Dei, & aliquo modo spiritualizant. Quod autem D. Hieronymus probet ornatum templorum clarè constat ex *Epist. 8. ad Demetriadem.* vbi loquens de dispensatione opum, quod eidem Demetriadi sua debet, dicit, quod scire debebat, quod nihil esset babitura, nisi quod in bonis operibus erogaret, & subdit, *num. 30. Alij ædificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles aduehant, earumque deaurent capita pretiosum ornatum non sentientia, argentoque valuas, & gemmis aurata distinguant Altaria, non reprehendo, non abnuo; vnusquisque in suo abundet.* Vnde quando in illa verba Hierem. cap. 2. *Nolite confidere verbis mendacij, &c.* dicit, quod Dominus præcepit nobis, ne fiduciam habeamus in ornatu templorum, intendit ostendere, quod ornare templa nobis non proderit, nisi habeamus bonam conscientiam; quia cultus Dei mendax est, si non sit ex charitate; vnde Hieron. citatis verba illa: *Templum Domini, templum Domini*, vocat verba mendacia, quia non erunt ex puro corde. 5

6 Secundo obiiciunt ex Ambrof.*lib.2.de offic.cap.28.* *Melius fuerat, vt vasa viuentium feruaret quam metallorum. His non potest responsum referri. Quid enim diceret; Timui, ne templo Dei ornatus deesset, respondebit. Aurum sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro, non emuntur. Ornatus sacramentorum redemptio captiuorum est.* Similia habent Chrysost. *Homil.* 51. & 81. *in Matth.* & alij Patres. Respond. Ambrof. & veteres esse intelligendos, quod non sint pauperes in grauissima necessitate relinquendi propter ornatum Ecclesiarum; quod satis indicant illa verba. *Melius fuerat, vt vasa viuentium, hoc est pauperes seruarentur*, seruari autem supponit talem necessitatem, ex qua aliquo modo perituri sint, aut secundum vitam, aut secundum libertatem. Quando enim agitur de ornando templo, agitur de actu Religionis, qui non cadit sub obligatione. At quando agitur de subleuando paupere in grauissima necessitate constituto, agitur de actu charitatis, qui cadit sub obligatione. Et eodem modo accipiendus est Bernard. *in Apolog. ad Guilel. Abb. propè finem*, dum ait, *O vanitas vanitatum, sed non vanior, quàm insanior, fulget Ecclesia in parietibus, & in pauperibus eget suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit.* Et ideò Accacius apud Socratem *lib. 7. Historiar. cap. 2.* Accusatus, quod vendidisset vasa sacra ob redimendos captiuos, respondit, *Deus noster neque discis, neque calicibus eget, quia non comedit, neque bibit.* Ex quibus constat, quod neque vendiderat vasa necessaria pro ministeriis sacris.

7 Alia testimonia Patrum obiiciunt Hæretici, quæ non faciunt ad rem, vt illud Hilarij, *Epist. contra Auxent. Malè parietum vos amor cepit; malè Ecclesiam Dei in tectis, ædificiisque veneramini*; nam non agit de ornatu templi, sed quia audiebant Auxentium Episcopum Hæreticum, quia putabant audiendum, eo quod ipse teneret Ecclesiam, & Catholici non haberent; & proinde dicit, eos malè venerari Ecclesiam in ædificiis, quia putabant ratione ædificij esse veram Ecclesiam. Et illod Lactant. *lib. 2. cap. 4.* Laudantem Petetium, quod scripserit, vasa aurea non debere templis inferri, loquebatur enim Peresius de templis Idolorum. Vnde concludit Lactant. Quis vsus est pretio forū munerum, nihil sentientibus.

8 Ex dictis colligitur, quomodo procedendum sit in eligenda potius subuentione pauperum, quàm ornatu templorum, quando dispensandæ sunt diuitiæ ex libera potestate. Ita enim hæc duo comparantur ad inuicem, vt possint habere varias considerationes. Nam possunt comparari templa in statu necessitatis cum pauperibus item in statu necessitatis. Et tunc præferenda sont templa quando non habent necessaria pro ministeriis diuinis, quia his agitur de necessariis in ordine ad salutem spiritualem. Si verò templa adsint constituta in necessitate, & pauperes sint in tali necessitate, vt teneamur ex charitate subuenire, tunc ipsi præferendi sont, quia adest obligatio charitatis, & nulla adest obligatio pro ornando templo. Si autem pauperes, & templa sint in æquali statu est liberum vnicuique impendere suas diuitias, prout ei magis libuerit. Si autem quisque erat, quodnam ex bis nobilius sit, & magis Deo placens. *Resp.* Esse attendendum finem. Si enim vtrumque fiat, sicut debet fieri, itavt vtrumque impetretur à charitate magis placebit Deo, & nobilius erit ornare templa, aut fabricare, quia importat actum Religionis immediatè tendens erga Deum, quæ est virtus nobilior, quàm sit misericordia. Et hæc inseruient pro soluendis pluribus argumentis, quæ possunt offerri contra ornatum templorum.

QVÆSTIO 440.

An necessarium sit, Ecclesiam esse consecratam, vt in ea sacrificium offerri possit.

SVMMARIVM.

1. *De iure antiquo non poterat offerri sacrificium, nisi in Ecclesia consecrata.*
2. *Episcopi poterant concedere licentiam celebrandi extra Ecclesiam.*
3. *Sacrificium offerri potest in locis tantum benedictis.*
4. *Dispositio Concilij Tridentini in hac materia.*
5. *Cur sufficiat, locum celebrationis esse tantum benedictum.*
6. *Cur consecratio Ecclesiæ non sit frustratoria.*
7. *Facultas Episcoporum concedendi licentiam celebrandi in quocumque honesto loco, est restricta per Concil. Trident.*

Svpponendum est. De iure antiquo non licere offerre sacrificium, nisi in Ecclesia ab Episcopo consecrata. Ita statutum fuit in Concilio Romano relato in cap. *Nullus. de consecrat. dist. 1.* ibi *Nullus Presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis.* Hoc autem factum fuit, quia cum templum sit in ordine ad sacrificium, debuit sacrificium offerri in templo tanquam, in loco proptio, & ad ipsum destinato. Debuit autem templum destinati, & consecrati ita exigente cultu diuino, vt constat ex iam dictis in superioribus. 1

Supponendum 2. Quod licèt statutum fuerit, quod sacrificium offerretur in Ecclesiis consecratis, fuit tamen relictum in potestate Episcopi loci concedere licentiam offerendi extra Ecclesias consecratas. Ita statuit Clemens Papa *Epist. 3.* vt refertur in cap. *Hic ergo. De consecrat. dist. 1.* ibi. *In altis locis sacrificare, & Missas celebrare non licet, nisi in his, quibus Episcopus proprius iusserit, aut ab Episcopo regulariter ordinato, tenente videlicet Ciuitatem, consecrata fuerint. Hæc Apostoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderunt.* Idem etiam statuit Concil. Triburiens. *cap. 4.* relatum in cap. *Missarum de consecrat. dist. 1.* vbi sic statuit. *Missarum solemnia non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus.* Hoc autem factum est, quia cum Ecclesiæ consecratæ essent tunc temporis rarissimæ, nec etiam omnes fideles ad ipsas conuenite possent, etat moraliter impossibile, quod semper celebraretur in ipsis & ideò facta est facultas Episcopo concedendi licentiam celebrandi extra Ecclesias. Modo autem difficultas est, an regulariter celebrari possit in aliquo loco non consecrato. 2

Dicendum est. *Sacrificium offerri regulariter posse non solum in Ecclesiis consecratis, sed etiam in Ecclesiis aut oratoriis tantum benedictis, aut etiam non benedictis deputatis tamen tantum cultui Diuino.* Ita communiter Doctores, qui etiam aduertunt, quod huiusmodi Ecclesiæ, seu oratoria debent esse approbata vel à summo Pontifice, vel ab Episcopo Glos. *in cap. Si Ecclesia. de consecrat. Eccles. vel Altaris.* Panormit. *num. 3.* & cæteri Doctores *ibidem* D. Thom. *3. part. quæst. 83. art. 3. ad 2.* & exposit. *ibidem* Raymondus *lib. 3. sum. titul. 13. cap. 6. §. 4.* Sotus *in 4. distinct. 13. quæst. 1. art. 3.* vct. *Huiusmodi autem.* Tabiena *verbo* Missa. *num. 8.* Sylueſter *quæst. 5. dicto 1.* Angel. *verbo* Eucharistia, 3

Eucharistia, *quæst.*10. Graff. *part.*1.*decis. lib.*2. *cap.*42. *num.*1. Toler. *lib.*1. *cap.* 2. *num.*1. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.*27. *num.*4. Vasquez 3. *part. disp.*233. *cap.*1. *num.*2. Suarez *disput.*81. *de Eucharist. sect.*3. ver. *Est autem.* Facundez *precept.*1. *Eccles.lib.*3.*cap.*13.*num.*5. Reginal. *lib.*29. *praxis fori pœnit. cap.*9. *sect.*5. *n.*175. Azor. *part.*1. *lib.* 10. *cap.*26. *init.* Diaz *in pract. Crimin. cap.* 39. Naldus *verbo* Missa, *num.* 31. Cucbus *lib.*5. *Instit. tit.*6. *num.* 38. Nauar. *cap.*25. *Manual. num.*81. Barbosa *de potest. Episcopi allegat.*23. *num*..... Tusch. *lib.*1. *de visit. cap.* 21. *num.* 8. Sanchez *lib.*9. *de matrimon. disput.*15. *num.*24. & 36. Layman. *lib.*5. *Theol. moral. tract.*5. *cap.*5. *init.* Coninch *de sacram. quæst.*83. *art.*3. *dub.*1. Palaus *part.*4. *oper. moral. tractat.*22. *disp. vnic. punct.*8. *num.*1. Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disputat.*4. *de sacrific. Miss. difficult.*6. *init.* Amicus *tom.*7.*Curs.Theol. disp.*33. *sect.*12.*n.*331. Villalob. *part.* 1. *sum.tract.*8. *difficult.*23.*num.*2. Tanner. *tom.*4. *disput.*5. *quæst.* 10. *dub.*2. *num.*18. Trulleneh *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 8. *dub.* 14. *num.* 1. Lessius *de sacrament. quæst.*83. *num.*77. Garzia *lib.* 2. *de sacrific. Miss. cap.*13. Faust. *de Eucharist. lib.*2.*quæst.*166. Quarttus *in Rubric. Missal. part.*3. *tit.*10. *num.*1. *sect.*1. *dub.*3. Dicastil. *tract.*5. *de sacrament. disput.*4. *dub.*6. *num.*85. Auersa *quæst.*11. *de Eucharist. sect.*14. ver. *Secundo ergo.* Machad. *tom.*2. *lib.*4. *part.*1. *tractat.* 11. *docum.* 1. *num.* 1. Franciscus Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.*6. *num.*1. Tamburin. *Opusc. de sacrif. Miss. cap.*4. §. 1. *num.* 1. Paa Iordan. *tom.*1. *Lucubrat. lib.*4. *tit.*4. *num.*113. ver. *Sic igitur.*.

4 Hoc autem ea eo sequitur, quod, non solùm antiquitus licebat celebrare extra Ecclesias consecratas cum Episcopi licentia, vt constat ex textib. allatis *num.*2, Sed etiam ex dispositione nouissima Concil. Trident. *sess.* 22. *in Decreta de seruand. & vitand. in celebrat. Missar.* vbi inter alia disponit, *Néve patiantur* (Episcopi) *priuatis in domibus, atque omninò extra Ecclesias; & ad diuinum sanctum cultum dedicata Oratoria ab eisdem ordinarijs designanda, & visitadu sanctum hoc sacrificium à Sæcularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi.* In quibus vnum concedit, & alterum negat. Concedit enim, posse celebrari Missam in Ecclesiis, ac etiam in Oratoriis, dummodo tantùm diuino cultui inseruiant, negat verò, seu iniungit Episcopis, quod non sinant offerri extra dicta loca. Per Oratoria autem dedicata non intelligit Oratoria consecrata, aut benedicta, sed solùm deputata pro solo diuino cultu, cùm ita praxis declaret.

5 Ratio autem est. Quia quamuis Ecclesiæ in maximo numero creuerint, & etiam plurimæ sint consecratæ. Attamen, quia consecratio est difficilis, cum sit longissima cæremonia impienda ab Episcopo plurimis aliis occupationibus distento. Et quia etiam numerus Missarum maximus est, quia etiam non possont fideles præcipuè in villis, & oppidis, ita facilè accedere ad Ecclesias consecratas, ideò factum est, quod passim reduceretur ad praxim, quod iure antiquo de licentia Episcopi concedebatur, nimirum celebrandi extra Ecclesias consecratas, In locis tamen dedicatis sibi diuino cultui.

6 Dices. Si potest regulariter celebrari extra Ecclesias consecratas, frustra sit consecratio Ecclesiarum nam principaliter fit in ordine ad finem offerendi sacrificium. Vnde sufficiet, quod adsint loca specialiter in hunc finem deputata. Resp. neg. sequel. Quia, quamuis consecratio sit etiam in ordine ad sacrificium, immediatè tamen est propter solemnem sanctificationem loci, & vt sit proportionata habitatio Dei, qui ad ostendendos suos effectus, iuxta illud quod *lib.* 2. Machab. *cap.*3. de templo Iudæorum dixit Heliodor. *In loco isto est verè Dei virtus quædam: nam ipse qui habitat in cœlis Visitator, & Auditor est loci illius.* Ex hoc ergo tantum fit, quod curandum sit, quantum fieri potest, quod Ecclesiæ consecrentur, & quod Episcopi debeant esse faciles ad implendum pro hoc propriam operam.

Ex dictis colligitur; quod per dispositionem Concilij Tridentini, de qua *num.*4. restricta remaneat auctoritas Episcoporum, quam habebant de iure antiquo, concedendi, scilicet facultatem celebrandi in quolibet honesto loco, iuxta Cap. *Missarum, de consecrat. distinct.*1. ibi: *Vbi ipse permiserit*, & Cap. *Hic ergo, eod.tit.* ibi: *Nisi in his, in quibus Episcopus proprius iusserit*, vt notant etiam Nauar. *cap.*25. *Manual. num.* 82. Azor. *part.* 1. *lib.*10. *cap.* 26. *quæst.*3. Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *Obseruandum.* Gutierrez *quæst. Canon.*99. *cap.*30. *num.*25. *lib.*1. Coninch *de sacrament. quæst.*83. *art.*2. *dub.*3. *n.* 225. Reginal. *lib.*29. *praxis fori pœnit. num.*176. Bonacina *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.*9. *proposit.*21. *num.*10. Tusch. *lib.*1. *de visit. cap.*21. *num.*8. Barbosa *de potest. Episc. allegat.*23. *num.*7. Paa Iordan. *tom.*1. *Lucubrat. lib.*4. *tit.*1. *num.*117. & communiter. Licet enim allegata iura tribuant liberam potestatem concedendi, offerendi sacrificium extra Ecclesiam, attamen cum Trident. citat. iniungat, quod non patiantur celebrari Missam extra Ecclesias, & Oratoria deputata tantum diuino cultui, à fortiori vult, quod non possint dare licentiam, nam frustra id iniungeret, si ipsi possent dare licentiam. Hoc autem intelligitur regulariter, & extra casus necessitatis; secus autem pro aliquo casu particulari, vt *infrà* dicetur. 7

QVÆSTIO 441.

An sufficiat tacita licentia Episcopi pro loco celebrationis.

SVMMARIVM.

1. *Pro erigenda Ecclesia, aut Oratorio pro foro externo requiritur expressa licentia Episcopi.*
2. *Pro foro conscientia sufficit tacita.*
3. *Consensus non verbis tantum, sed etiam facto declaratur.*
4. *Unde colligatur sufficere tacitam licentiam.*
5. *Quomodo tacita licentia haberi possit.*
6. *Licentia tacita non debet quis consensus esse pro erigenda Ecclesia, &c.*
7. *Pro licentia tacita non sufficit scientia erectionis Ecclesiæ, & non repugnantia.*

EX dict. in præcedenti constat, quod Ecclesiæ, & Oratoria, quæ inseruiunt pro oblatione sacrificij, & sint tantum diuino cultui deputata, non possint erigi absque auctoritate, & licentia Episcopi, dubitatur modo, an sufficiat tacita, an verò requiratur expressa. Et quidem pro foro externo requiri expressam, non videtur dubitandum; quia debet constare, quod fuerit obtenta, vt in hoc foro suffragari possit, alioquin semper prætendi posset, quod sine licentia fuisset erecta, etiam ipsemet Episcopus, cuius licentia tacita præsumpta fuit; & ideò, quamuis tacita licentia prodesse non posset, cum agatur de re apparenti, & iustificanda in foro externo, nihilominus quæritur, an sufficere possit, vt licitè, & salua conscientia erigi possit. 1

Dicendum est. *Tacitam licentiam Episcopi sufficere, vt licitè, & tuta conscientia Ecclesia erigi possit.* Ita Sylua. *de benef. part.* 1. *quæst.*6. *num. vlt.* Zerola *in praxi Episcop. part.*1. *verbo* Missa, *num.*1. Facundez 2

*precept.*1. *Eccles. lib.*3. *cap.*3. *num.*5. Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacrament. cap.*6. *num.*3. Pax Iordan. *tom.*1. *Lucubrat. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 114. ver. *Sufficit.* Fundamentum desumunt ex Cap. *Missarum, de consecrat. distinct.*1. ibi: *Vel ubi ipse* (Episcopus) *permiserit.* Si igitur sufficit permissio, sufficit etiam tacita licentia, cum permissionem, plus dicat, quàm tacitam licentiam.

3 Verum ex hoc textu non videtur hoc desumi. Quia cum permissio necessario supponat scientiam illius, quod faciendum est; vel Episcopo notificatur, quod sit Ecclesia erigenda, antequam erigatur, vel non. Si primum, aut annuit, aut saltem, non contradicit, sed sinit erigi, & tunc facto ipso expresse consentit, & declarat, quod non contradicat erectioni. Consensus enim, non solum verbis, sed etiam facto, & nutu declaratur, *l.Labeo, §.ult. ff. de suppellect. leg.* & *l. Ibi non voce, ff. de reg. iur.* & *l.2. ff. de pactis*, & notant Angel. *consil.* 335. *num.*3. Harpprech. *Instit. de Nug. num.* 181. illa autem taciturnitas Episcopi, cum posset contradicere, & deberet, si nollent, est signum consensus. Quamquam moraliter impossibile sit, quod non prodat in aliquod aliud signum, vel consensus, vel dissensus. Si secundum, neque etiam permittit, quia sine scientia non habet locum permissio.

4 Itaque ex eo tacita licentia sufficiet, quia nullo iure requiritur expressa. Quando autem nullo iure requiritur expressa licêtia, sufficit licentia quæcumque, quæ inducat verum consensum: atque adeò etiam interpretatiuum, qui est verus consensus. Quod colligitur ex diuerso modo disponendi in iure; nam quando disponit, quod requiritur aliqua licentia aliquando solum decernit, quod intercedat licentia, aliquando verò requirit explicitè expressam licentiam. Hic autem varius modus disponendi satis indicat, quod quando non facit mentionem de expressa licentia, sufficiat quæcumque etiam tacita.

5 Dubium tamen remanet, quid requiratur, vt interueniat tacita licentia. Resp. Duplici modo haberi posse tacitam licentiam. Primò, si sciat erigendam Ecclesiam, & non contradicat inhibendo erectionem. Et hoc pacto, quamuis non exhibeat erectoribus aliquod signum consensus, potest argui tacitus consensus, quia, si putaret, non expedire, quod exigeretur; teneretur exhibere secundum, si nihil sciat de futura erectione, sed concurrant tales circumstantiæ, vt sufficiant pro præsumendo consensu; quæ quia prudenti iudicio ponderandæ sunt, ideò non possunt comprehendi aliqua regula.

6 Est tamen aduertendum. Quod quamuis quis præsumere possit tacitam licentiam, non tamen debet contentus esse tali licentia, quia fieri potest, quod Episcopus aliàs libenter concessurus licentiam, ægrè ferat, quod in negocio tanti momenti, non petatur, & quod nimium sibi arrogent erectores Ecclesiarum, quia vti sola licentia præsefert speciem in foro externo procedendi auctoritatiuo modo, & proinde meritò impediat erectionem Ecclesiæ, & puniat, qui absque expressa licentia ceperunt erigere.

7 Rursus est etiam aduertendum. Quod pro tacita licentia, non sufficit, quod Episcopus per se, vel suos officiales sciat Ecclesiam fundari, ac in illa celebrari Missam, & non repugnet, vt putat Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacrament. cap.*8. *num.*3. Quia cum ex facto erectionis acquirat notitiam, iam priùs cœpit erigi, antequam sciret, atque adeò antequam posset repugnare, quia seclusa scientia non poterat repugnare: ergo cœpit erigi sine licentia tacita, quia hæc fundatur in eo, quod sciens non repugnet: & ideò sicut cœpit sine scientia, cœpit etiam erigi sine licentia: atque adeò cùm violatione legis, vnde ex hoc, non excluditur peccatum. Postquam tamen sciuit, & non repugnauit, potest incipere tolerantia, quæ tamen non operatur, quod prima inceptio, non fuerit illicita. Præsertim, quia fieri potest, quod toleret ex aliquo motiuo, quod sufficiat, vt locum habeat tolerantia, sed non vt ab initio locum habeat licentia, vt esset motiuum vitandi scandalum, & ideò non potest ex tolerantia argui ab initio tacita licentia.

QVÆSTIO 442.

An sit peccatum mortale offerre sacrificium sine necessitate extra loca deputata.

SVMMARIVM.

1. *Sine necessitate an sit peccatum mortale offerre sacrificium extra loca deputata*, & num. seq.
3. *Oblatio sacrificij grauiter prohibetur extra loca deputata.*
4. *Cessare potest pœna, licet non cesset prohibitio. Prohibitio celebrandi extra loca deputata continuatur per Concil. Trident.*

SI adesset contemptus, certum omninò esset, quod peccaretur mortaliter, etiamsi aliàs non esset peccatum mortale propter iniuriam, quæ irrogaretur auctoritati Ecclesiæ. Secluso autem contemptu. Prima sententia asserit, non esse peccatum mortale. Ita Sotus *in* 4. *dist.*13. *quæst.*2. *art.*3. *dicto* 3. ver. *Quintò.* Sà *verbo* Missa, *num.*20. etiam in correctis: vnde hæc opinio relicta fuit ab expurgatore. Lopez *parte* 2. *instruct. cap.*79. *ante* ver. *Superest.* Nullum aliud fundamentum reperio, nisi quod pœna comminata in iure antiquo, modo non habebat locum. Vnde si abrogata est pœna, videtur etiam abrogata grauis obligatio, ad quam consequebatur. 1

Secunda sententia asserit, peccare mortaliter. Ita D. Thom. 3. *part. quæst.*83. *art.*3. & *in* 4. *distinct.*13. *quæst.*1. *art.*2. *quæstiũ.*5. Scotus *quæst.*2. *art.*2. Durand. *quæst.*2. *n.*8. Palud. *quæst.*2. *art.*3. *concl.*1. D. Antonin. 3. *part. tit.*13. *cap.*5. §.4. Tabiena *verbo* Missa, *num.*8. Syluester *quæst.*5. *dicto* 2. Henriquez *lib.*9. *sum. cap.*27. *num.*1. *littera A. in Com* Nauar. *cap.*25. *Manual. n.*82. Azor. *part.*1. *lib.*10. *cap.*26. *quæst.* 8. Suarez *disp.* 81. *de Euchar. sect.*3. *init.* Graff. *part.*1. *decis. lib.*2. *cap.*42. *num.* 8. Vasquez 3. *part.* 233. *cap.* 1. *num.*9. Facundez *precept.*1. *Eccles. lib.*3. *cap.*13. *n.*2. Reginald. *lib.*29. *praxis fori pœnit. cap.*9. *sect.*5. *n.*175. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.*5. *cap.*5. *init.* Coninch *de sacram. quæst.*83. *art.*3. *dub.*1. Villalob. *part.*1. *sum. tract.*8. *difficult.*23. *num.*1. Fillinc. *tract.*5. *cap.*4. *quæst.*8. *num* 115. Ioan. à Cruce *part.*2. *direct. conscient. quæst.*3. *de sacrif. Miss. dub.*1. *concl.*1. Homobon. *part.*1. *exam. Eccles. tract.*4. *cap.*14. *quæst.*137. Syluius 3. *part. quæst.*83. *art.*3. *conclus.*4. Palaus *part.*4. *oper. moral. tract.*22. *disp. vn. punct.*8. *n.*3. Tanner. *tom.*4. *disp.*5. *quæst.*10. *dub.*2. *n.*18. vet. *Et verò.* Marchin. *de sacram. ordin. tract.*3. *part.*3. *cap.*9. *n.*2. Faust. *de Euchar. lib.*2. *quæst.*168. Hieron. Garzia *in sum. tract.*3. *difficul.*8. *dub.*2. *punct.*1. *num.*5. Barthol. ab Angelo *Dial.*5. §.619. Chamerota *de sacrif. Miss. dub.*1. Nugn. 3. *part. qu.*83. *art.*3. Llamas *part.*3. *Meth. cap.*5. §.15. Bonac. *disp.*4. *de sacram. quæst. vlt. punct. propos.*2. *num.*10. Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp.*4. *de sacrif. Miss. difficul.*6. ver. *Id verò.* Amicus *tom.*7. *Curs. Theol. disp.*33. *sect.*12. *n.*132. Granad. 3. *par. controuers.*6. *tract.*14. *disp.*12. *n.*1. Trullench *lib.*3. *de sacram. cap.*8. *dub.*14. *n.*1. Zerola *in praxi, verbo* Missa, *num.*1. Lugo Card. *disp.*20. *de Euchar. sect.*1. *num.*48. Machad. *tom.*2. *lib.*4. *part.*2. *tract.*11. *docum.*1. *num.*2. Leander *de sacrament. tract.*8. *disp.*6. *quæst.*15. Barbosa 2

de

de potest. Episc. alleg. 23. *num.* 6. Diaz *in pract. crimin. cap.* 39. *num.* 1. & 2. Auersa *quæst.* 11. *de Euchar. qu.* 14. *ver. Secunda ergo.* Lessius *de sacram. quæst.* 83. *art.* 2. *num.* 77. Dicastil. *de sacram. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 6 *n.* 86. Quartus *in Rubric. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 1. *sect.* 1. *dub.* 4 *ver. Secunda ergo.* Tambur. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 4 §. 1. *num.* 3. Pax Iordan. *tom.* 2. *Lucubrat. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 115.

3 Dicendum est. *Peccare mortaliter, qui seclusa necessitate, licet absque contemptu, celebrat extra loca deputata.* Fundamentum est. Quia adest prohibitio, quæ ex annexis colligitur esse grauissima, nam in Cap. 1. *de consecrat. dist.* 1. Felix IV. habet non esse celebrandum extra loca deputata, nisi summa exigente necessitate. Si igitur requiritur summa necessitas, oportet, quod prohibitio sit grauissima, contra quam sola summa necessitas præualere potest. Rurs. in Cap. *Hic ergo, ead. distinct. Oportet nos cognoscere voluntatem Dei, vbi & agendi, & sacrificandi est locus;* ex quo patet locus sacrificandi est designatus ex voluntate diuina. Tertio in Cap. *Nullus Presbyt. ead. distin.* 1. præsumenti celebrare in loco non deputato imponitur pœna depositionis, nam dicitur, quod non præsumat celebrare, &c. *Qui sui particeps de cætero voluerit esse Sacerdotij.* Grauitas autem pœnæ satis indicat grauitatem prohibitionis, & materiæ.

4 Nec dici potest, quod cessauit grauitas prohibitionis, quia cessauerit pœna depositionis. Nam potest quidem cessare pœna imposita ex eo, quod nimis rigorosa sit, & non cessare prohibitio legis. Deinde quod adhuc vigeat prohibitio est omninò certum, quod negant Auctores oppositæ sententiæ, & constat ex Concil. Trident. *sess.* 22. *in Decret. de seruan. & vitand. in celebrat. Miss.* dum iniungit Episcopis, quod non patiantur extra Ecclesias, & Oratoria diuino tantum cultui deputata celebrari. Rursus materia est grauis, quia semper eadem fuit, & aliquando fuit æstimata digna depositione, vt constat ex dictis *num. præced.* Ergo cum materia sit grauis, prohibitio quoque erit grauis, quia sequitur naturam materiæ prohibitæ. Præsertim, quia materia de se non est indifferens, sed continet irreuerentiam, quæ excusari non potest, nisi ratione necessitatis. Et ideò, quando Pontifices concedunt vsum Oratorij priuati, inter alias conditiones requirunt, quod locus sit decens, & quod huic tantum vsui inseruiat.

QVÆSTIO 443.

Quam pœnam incurrant celebrantes extra loca deputata.

SVMMARIVM.

1. *Pœna comminata celebrantibus extra loca deputata est depositio.*
2. *Hodie an habeat locum aliqua pœna.*
3. *Non est impositum interdictum ipso facto.*
4. *Nulla de iure imposita pœna.*
   Negatiua probatur ex eo, quod oppositum non appareat.
5. *Pœna celebrantis extra loca deputata est arbitraria.*
6. *An domus priuata publicanda, in qua celebratur sine iusta causa.*

1 IN Cap. *Nullus Presbyter, de consecrat. distinct.* 1. ponitur pœna comminatoria depositionis celebrandi extra loca deputata, vt constat ex illis verbis: *Qui sui particeps de cætero voluerit esse Sacerdotij.* Et ita statuit Syluester Papa in Generali Synodo, & concordat Concil. Carthag. 2. *can.* 9. ita disponens. *Quisquis Presbyter inconsulto Episcopo agenda in quolibet loco voluerit celebrare ipse honori suo sibi contrarius existit.* Et sexta Synodus *cap.* 31. relata Cap. *Clericos, eadem distinct.* 1. *de consecrat.* ita definit. *Clericos, qui ministrant, vel baptizant in Oratoriis, qua intra domos sunt, cum consensu Episcopi loci hoc facere præcipimus. Si quis verò hoc non obseruauerit deponatur.* Ex quibus constat, quod adeò graue hoc delictum æstimabatur, vt dignum censeretur depositione. Quæ tamen pœna cum amplius non sit in vsu, dubium est, an sit imposita aliqua pœna, quæ in ipso facto incurratur, cum prædicta fuerit tantum comminatoria.

Prima sententia asserit, esse ipso facto interdictos 2 ab Ecclesiæ ingressu. Ita Angel. *ve b. Missa, quæst.* 39. *in fine.* Tabiena *num.* 8. *in f.* Syluester *quæst.* 5. *dicto* 5. Armilla *num.* 4. Henriquez *lib.* 9. *de Miss. cap.* 27. *num.* 2. & *in Comment. littera F.* Garxia *in sum. tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 2. *part.* 2. *num.* 7. citant pro fundamento Cap. *Episcop. de priuileg. in* 6. quod tamen non facit ad rem, quia dicta pœna imponitur tantum celebranti in loco interdicto. *Præsenti decreto duximus esse statuendum, ne aliqui sæculares, aut Regulares quantumcumque exemptione, seu libertatis Sedis Apostolicæ priuilegijs communiti, cuiuscumque ordinis Religionis, status, vel conditionis existant scienter celebrent, vel faciant celebrare diuina in ciuitatibus, castris, villis (nisi quatenus eis à iure conceditur) seu locis aliqs interdictis ab ordinarijs, seu delegatis iudicibus, vel à iure. Qui verò contra præsumpserint præter alias pœnas à iure statutas, ingressum Ecclesiæ sibi nouerit interdictum.* Constat ergo nihil prorsus in hoc text. decerni de celebrantibus extra loca deputata, & ita explicant Gloss. & Doctores ibidem.

Itaque secunda sententia asserit, quod non sit 3 imposita huiusmodi pœna celebrantibus extra loca deputata. Ita Palud. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. ver. *Tertia conclus.* 3. *in fine.* Suarez *disp.* 81. *de Eucharist. sect.* 3. §. 1. *in fine.* Rodriquez *quæst. regul.* 43. *art.* 4. *tom.* 1. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 3. Tanner. *tom.* 4. *disput.* 5. *quæst.* 10. *dub* 2. *num.* 18. ver. *Et verò.* Villalob. *part.* 1. *sum. tract.* 8. *difficult.* 23. *num.* 1. Sotus *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *art.* 3. Syluius 3. *part. quæst.* 83. *art.* 3. Faustus *de Eucharist. lib.* 2. *quæst.* 169. Trulleoch. *lib.* 3. *de sacram. cap.* 8. *dub.* 14. *num.* 2. *in fine.* Conioch *de sacrament. quæst.* 83 *art.* 3. *dub.* 1. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disput. vnic. punct.* 8. *num.* 3. *in fine.* Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disputatione* 4. *dub.* 6. *numero* 87. Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 4. § 1. *num.* 2. Francisc. Lugo *de sacrament. libro* 5. *capite sexto, quæstione* 2. *numero* 21.

Dicendum ergo est. *Nullam esse de iure impositam* 4 *pœnam ipso facto incurrendam celebrantibus extra loca deputata.* Hoc non alio modo ostendi potest nisi prouocando ad inspectionem iuris, in quo nullus textus reperitur statuens pœnam aliquam ipso facto incurrendam: qui modus est verus modus probandi negatiuam argum. *l. fin. C. de reb. cred.* & tradunt Bee. *consil.* 40. *num.* 2. Menoch. *cons.* 98. *n.* 49. Surd. *consil.* 28. *num.* 1. Merlin. *decis.* 687. *num.* 20. Imò hæc negatiua eo ipso, quod contrarium, non probetur, dicitur satis probata, vt declarat Castrens. *in l.* 2. *n.* 4. *C. de error. aduocat.* Salicet. *num.* 3. *ver. Ve tamen.* Bal. *num.* 6. & *consil.* 318. *num.* 7. *lib.* 1. Menoch. *consil.* 322. *num.* 44. Hercul. *de negat. num.* 45. & 54. Merlin. *decis.* 832. *num.* 1. Præsumptio enim stat pro negante, dum de opposito, non ostenditur.

Itaque pœna huius delicti, cùm non sit à iure de- 5 terminata, siquidem pœna depositionis comminata,

non

non est in risu, remanebit iudicè arbitraria : Et proinde erunt pensandæ circumstantiæ, qoæ possunt aggrauare, vel miouere delictum, & iuxta illius grauitatem erit attemperanda pœna, vt etiam contingit in aliis pœnis arbitrariis.

6 Addunt Salic. *in Margarita fisci casu* 82. Clar. *in Pract. crim. §.fin. quæst.*79. *num.*4. Cucch. *lib.*5. *Instit. maior. tit.*6.*num.*40 Pax Iordan. *tom.*1.*lucubrat. lib.*4. *tit.*1.*num.*116. Ex Authent. *Vt in priuat. domib.§.Hac enim* vers. *Sciant enim.* Quod quando in priuata domo celebratur absque iusta causa, quod domus illa publicanda sit, & applicanda fisco. Verùm hæc Authen. & Iustiniani imperatoris, quia proinde, vt innixa tantum potestate ciuili noo habet aliquam vim, vtpotè quæ non extendatur ad disponendum de hac materia. Adde etiam, quod licet excedat terminos potestatis disponit tamen tantum pro Ciuitate Constantinopolitana.

QVÆSTIO 444.

An de iure posit Episcopus dare licentiam celebrandi extra Ecclesiam sine necessitate.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus de iure communi concedit licentiam celebrandi extra loca deputata.*
2. *Absque necessitate an possit concedere hanc licentiam,* & n.seq.
4. *Facultas de iure concessa Episcopis concedendi celebrationem extra loca deputata, non est restricta ad casum necessitatis.*
5. *Et fuit in praxi vsque ad Concil.Trident.*
6. *Facultas concedendi licentiam celebrandi extra loca deputata requirebat causam rationabilem.*
7. *Quando aliquid committitur arbitrio intelligitur de regulato.*
8. *Decretum Felicis Papæ de celebratione extra Ecclesias fuit abrogatum.*

1 DIfficultas procedit de iure veteri, nam qold dicendum in virtute dispositionis Concil: Trident. videbitur *infrà.* Est autem supponendum quod de iure communi potest Episcopos concedere licentiam celebrandi extra Ecclesiam, vt decernitur in Cap. *Hic ergo, de consecrat. dist.*1. *vbi* refertur Clemens Papa statuens. *In aliis locis sacrificare & missas celebrare non licet, nisi in iis, in quibus Episcopus proprius iusserit*, & in Cap. *Missarum ead.dist.* Concil. Triburiense definit. *Missarum solemnia non vbique sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus.* Et ita obseruant communiter cum Glos. *in cap. concedimus, verbo* In Capellis, *de consecrat. dist.*1. & Cap. *In his. De priuileg.* & cum D.Thom.3.*part.quæst.*83.*art.*2. *ad* 2. & *in* 4. *distinct.*13.*quæst.* 1.*art.*2. *quæst.*5.solum difficultas est, an Episcopus possit concedere hanc licentiam absque necessitate.

2 Prima sententia asserit : Episcopum de iore commoni non posse dare hanc licentiam, nisi stante necessitate. Ita Glos. in cap. *Vnicuique de consecrat. dist.*1. Angelus *verbo* Missa, *quæst.*40. Gras. *part.*1.*decis. lib.*2.*cap.*42. *num.*7. Henriquez *lib.*9.*sum.cap.*27. *n.*1. Fundamentum desumitur ex cap. *Tabernaculum, de consecrat.dist.*1.vbi Felix IV.habet Missas non esse celebrandas extra Ecclesias, nisi summa exigente necessitate.

3 Secunda sententia asserit, posse concedere licentiam absque vlla necessitate. Ita Palud. *in* 4. *dist.*13. *q.*2.*art.*3.*conclus.*1.Sotus *q.*2.*art.*2.*dicto* 3.*dub.*1.S. Anton.3.*par.tit.*13.*c.*6 §.4 Syluester *verbo* Missa, *quæst.*5. *dict.*3.Tolet.*lib.*2.*c.*2.*n.*1.Vasquez 3.*part.disp.*233.*c.*1. *num.*5.Suarez *disput.*81. *de Eucharist.sect.*3. vers.*secundo obseruandum*, Sà *verbo* Missa, *n.*10.*in fine* Facuodez *precept.*1.*Eccles.lib.*3.*c.*13.*dub.* .Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacram. cap.*6.*q.*3.*n.*26. Marchin. *de ordine tract.*3. *part.*3.*c.*9.*n.*3.

Dicendum est. *Episcopum de iure communi posse concedere licentiam celebrandi extra loca deputata absque necessitate.* Ratio est. Quia ius commune concedit liberam facultatem Episcopo concedendi hanc licentiam, nec restringit ad casum necessitatis, vt in cap. *Missarum, de consecrat.dist.*1.vbi Concil. Triburiense *definit.* Missas esse celebrandas, non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, quibus verbis datur Episcopo libera facultas concedendi licentiam, quandu voluerit, & Clemens Papa in cap. *Hic ergo ead. distinct.*ibi. *In aliis locis Missas celebrare non licet nisi in his, in quibus Episcopus proprius iusserit*. Si autem requireretur causa necessitatis; id exprimerent, & non relinqueretur arbitrio ipsius. 4

Dices. Hoc valere de iure antiqoissimo, non aotem de iure subsequenti; Contra. Quia vsque ad tempora Concilij Tridentini id practicatum fuit, vt proinde Concil. decreuerit *sess.*22. *in Decr. de seruand. & vitand.in celebrat. Miss.* quod Episcopi non patiantur, celebrari Missam extra Ecclesias, & Oratoria diuina tantum cultui dicata, & constat etiam post Concil. Trident. Episcopos concessisse celebrationem Missæ in Oratoriis priuatarum domorum, vt desumitur ex decreto id prohibente de quo *infra.* 5

Dicendum 2. *De iure communi non potuisse Episcopum concedere licentiam celebrandi extra loca deputata, nisi ex rationabili causa, non autem ex mero libito.* Ratio est. Quia ideo ius requirit licentiam Episcopi, vt scilicet expendat causam, an iusta sit, & rationabilis : nam si voluisset, quod etiam sine iusta causa posset concedere licentiam, non fuisset necessarium petere talem licentiam dum enim vult quod ab ipso petatur, & quod ipse approbet celebrationem, vult, quod procedat tanquam superior, atque adeo secundum illam directionem prudentiæ iudicij eum qua tenentur superiores procedere in exercendis actibus superioritatis. Vnde eom prudentia regulet actus, vt sint rationabiles, oportet, quod procedat in ipsorum exequutione cum prudenti, & rationabili motiuo. 6

Confirm: Dùm aliquid committitur alterius arbitrio, intelligitur de arbitrio regulato. Iuxta ea, quæ tradunt Bart. *in extrauag. Ad reprimendum* ver. *Videbitur n.*8. Peregr. *decis.*329. *lib.*2. Graffis. *decis.*7. *n.*7. *de re iudicat.*Paleot.*decis.*290.Ludou.*decis.*461.*num.*1. Rota *in Vlixbonensi Honon.* 28. *Ianuary* 1594. & *in Brixiensi pensionis* 15. *Martij* 1599. & desumitur, ex *l.fin.§.Sed etsi C.Communia de legat.* Ergo dum relinquitur arbitrio Episcupi concedere licentiam celebrandi extra Ecclesiam, intelligitur de arbitriu rationabili, quod regulatum sit secundum prudentiam, atque adeo fundato in aliquo iusto motiuo. 7

Neque obstat fundamentum primæ sententiæ, nam in illo tex. Felix Papa loquitur de celebratione extra Ecclesias consecratas; vnde neque tunc permittebatur celebratio Misæ in Ecclesiis benedictis, neque in oratoriis diuino tantum cultui dedicatis, nisi summa vrgente necessitate. Cum ergo processu temporis aliter seruatum sit, & introductum, quod extra Ecclesias & loca deputata celebretur cum licentia Episcopi, ideo venit in necessariam consequentiam, quod Decretum Felicis Papæ laxatum sit, & proinde quod modo quoad hanc partem, non possit assumi ad aliquid probandum. 8

QVÆSTIO

QVÆSTIO 445.

Quid possit Episcopus circa celebrationem extra loca deputata post Concil.Trident.

SVMMARIVM.

1. *Quid disponat Concilium Tridentinum circa loca celebrandi.*
2. *Episcopus an sine necessitate possit concedere celebrationem extra loca deputata.*
4. *Post Concil. Tridentin. non potest absolute concedere celebrare extra loca deputata.*
   Valet argumentum à minori ad maius.
5. *Quod non est prohibitum censetur permissum.*
6. *Concilium Tridentinum intendit auferre celebrationem extra loca deputata.*
   Prohibito aliquo prohibente omnia, quæ ipsum inferunt.
7. *In casu necessitatis potest Episcopus concedere Missam extra loca deputata.*
8. *Episcopis non est oblata facultas concedendi celebrationem extra loca deputata.*
   Quando possint ea vti.
9. *Est restricta, nec locum habet extra casus rationabiles.*
10. *Celebrare extra loca deputata cum licentia, & causa rationabili, non est abusus.*

1 Difficultes procedit propter dispositiooem Coocilij Tridentioi *sess. 22. in decret. de seruand. & vitand. in celebratione Missarum.* Vbi Concilium disponit, qood Episcopi, *Non patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinam tantum culturam deputata oratoria ab iisdem ordinariis designanda, & visitanda sanctum hoc sacrificium à Secularibus, aut Regularibus quibuscunque peragi.* Vnde duplex punctus difficultatis insurgit primos, an sine necessitete possint concedere licentiam celebrendi extra loce deputata. Secundus an saltem in casu necessitatis.

2 Prima sententia esserit, edhuc posse Episcopos concedere licentiam absque necessitate celebrandi Missam extra loca deputata. Ita Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 3. argument. 2. dicto 3.* ver. *Circa hoc.* vbi ait, licitum esse celebrere etiam sine necessitate de licentia Episcopi Sà *verbo* Missa. *num. 20.* essetens, Episcopum posse dare licentiam celebrandi io Cepelle domus priuatæ. Henriquez *lib. 9. sum. cap. 27. num. 1.* Fundamentom huius seotentiæ est. Quia Concilium Tridentinum io dicto decreto non abstulit aliquam facultatem, sed solum iniuoxit, ne patiantur celebrare Missam extre Ecclesiam, & oratoria tentum cultui diuino deputeta, & in priuatis domibus, quod oon est auferre potestatem ab Episcopis, sed iniungere, quid præstare debeeot, quando eliquis celebrere vellet extre loce deputate, quod intelligi potest absque debite licentie, & ita videtur accipiendum, ad vitandam correctionem iuris communis, quæ quantum fieri potest vitenda est. Quod etiam ex eo confirm. quia finis Concilij, vt declaret in Procem. est occurrere abusibus. Noo aotem est abusus celebrare extra loca deputata com licentie Episcopi, atque adeò iutis communis, quod Episcopis concedis facultatem dandi hanc licentiem.

3 Secunda sententia esserit, post Concilium Tridentinum non posse Episcopos dare licentiam celebrendi extra loca deputata absque necessitate. Ita Nauar. *cap. 25. Manual. num. 81.* & *consil. 1. de celebrat.* *num. 76. lib. 1.* Diex *in pract. crim. cap. 34.* Rodriquez *part. 1. sum. cap. 249. conclus. 14.* & *quæst. regul. 43. art. 6. tom. 1.* Maiol. *de irregularit. lib. 3. cap. 23. num. 4.* Graf. *part. 1. decis. lib. 2. cap. 42. num. 8.* Azorius *part. 1. lib. 10. cap. 26. quæst. 6. in fine.* Piesec. *in Praxi Episcopi, part. 2. cap. 3. tit. de visit. Eccles. Paroch. num. 21.* Queranta *in sum. Bullar. verbo* Missa. *ver. Quanta* Gutierrez *lib. 1. quæst. canon. cap. 30. num. 28.* Naldus *in sum. verbo* Missa *num. 31.* Coninch. *de sacrament. quæst. 83. art. 3. n. 223.* Beia *part. 4. casu 33. ver. 3. dico* Seyr. *in florib. decis.* Tit. *de priuileg. decis. 17.* Rodriquez *in Compend. resol. 9 n. 5.* Ragut. *de Miss. in Eccles. quæst. 57. n. 1.* Vasquez *3. part. disput. 233. cap. 1. num. 3.* Suarez *disput. 81. de Euchar. sect. 3.* ver. *Secundo obseruandum.* Reginaldus *lib. 19. Praxis fori pœnit. cap. 9. sect. 5. num. 176.* Fernandez *præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 13. num. 8. & 10.* Faust. *de Eucharist. lib. 2. quæst. 270.* ver. *At hodie.* Marchin. *de ordine, tract. 3. part. 3. c. 9. num. 4* Layman. *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. cap. 5. num. 4.* Ioan. à Cruce *lib. 2. de Statu Relig. cap. 5. dub. 7.* Barbos. *de potest. Episcop. alleg. 23. n. 7.* Paleus *part. 4. oper. moral. tract. 22. disput. vnic. punct. 8. num. 6.* Garzie *in sum. tractat. difficult. 8. dub. 2. punct. 2. num. 12. in fine.* Filliucius *tractat. 5. cap. 4. num. 116.* Bonac. *disput. 4. de sacrament. quæst. vltim. punct. 9. propos. 2. num. 11.* Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disput. 33. sect. 12. num. 331.* Gaspar Hurted. *de sacrament. disp. 4. de sacrif. Miss. difficult. 6.* ver. *Vnde Episcopi.* Villalob. *part. 1. sum. tractat. 8. difficult. 23. num. 2.* Trullench. *in Bull. Cruciate. lib. 1. §. 3. dub. 4. num. 3.* & *lib. 3. de sacrament. cap. 8. dub. 14. num. 2.* Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disput. 4. dub. 6. num. 88.* Auerse *de Eucharistia, quæst. 11. sect. 14.* ver. *Nihilominus.* Pex Iordan. *tom. 1. variar. Lucubrat. lib. 4. tit. 1. num. 118.* Fraocisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 6. quæst. 3. num. 27.* Quertus *in Rubricas Missalis, part. 3. titul. 10. num. 1. sect. 1. dub. 4. in fine.* Tamburin. *de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 4. §. 2. num. 6. & 7.*

4 Dicendum 1. *Episcopos post Concilium Tridentinum, non posse concedere absolutè facultatem celebrandi Missam extra loca deputata.* Hoc apertè deducitur ex decreto dicti Concil. ellato supra *num. 1.* Cum enim iniungat Episcopis duo. Vnum, ne patiantur celebrari Missam in domibus priuatis: Alterum, nec etiam extra Ecclesias, & oratorie solum cultui diuino deputata; prohibet ipsis non permittant huiusmodi celebrationem: ergo à fortiori prohibet, oe coocedant licentiam, quia plus est concedere, quam permittere; & ideò, si prohibetur permittere probibetur etiam concedere, qoia permittere reperitur in concedere; valet eoim argumentum à mioori ad maius, vt tradunt Euerar. *In Topica legali loco 45.* Surd. *decis. 254. num. 15.* Gammar. *lib. 2. Dialect. legal. loco à minori ad maius,* & communiter vbi est aduertendum, quod Concil. non dicit, quod non petiantur Episcopi celebrari Missam, &c. sine licentia, quasi solum tollat abusum celebrandi sine liceotia, sed absolutè, quod non patientur celebrari.

5 Confirm. Quod præcipitur non permitti supponitur prohibitum quia, cum totum id, quod aliquo iure non est prohibitum, censeatur permissum *l. Nec non.* ibi. *Sed si lex non prohiberet. ff. Ex quib. caus. ma.* & *l. Mutus. §. Quæritur. ff. de Procurater.* & cap. 1. *De translat. Prælat.* vbi Gloss. verbo *Non inuenitur.* & cap. *Cum illarum de sentent. excommunicat.* & cap. *Cum apud. de Sponsalib.* Eo ipso, quod aliquid præcipitur non permitti, remanet prohibitum. Et dum præcipitur non permitti simul etiem præcipitur non concedi: ergo cum Concil. præcipiat Episcopis non permittere, simul etiam præcipit, ne coocedent.

6 Confirmet. 1. Intentio Concilij est auferre celebretionem extra loca deputata, dum iniungit Episcopus,

scopus, quod eam non permittant; & proinde dispositio ipsius tendit ad remouendum actum huius celebrationis: ergo tendit etiam ad restringendam potestatem Episcoporum, ne possint concedere hunc actum alioquin frustraretur intentio Concilij, si possent concedere actum, quem intendit remouere. Vnde ex necessitate, quando aliquid prohibetur, etiam omnia, quæ ipsum inferunt iuxta regulam cap. *Cum quid. de regul. iur. in 6.* quæ habet fundamentum *in l. Pupillus. §. Sed si per interpositum. ff. de auctorit. tut.* & *l. Eos in fine. Cod. de Tutor.* & cap. *Nam. de constitut.* & cap. *Præterea. de offic. deleg.*

7 Dicendum 2. *In aliquo casu necessitatis potest Episcopus dare licentiam celebrandi extra Ecclesiam, & loca deputata.* Ita Doctores secundæ sententiæ nomine autem necessitatis intelligitur necessitas Moralis, seu magna etiam congruentia, vt magis constabat ea infra dicendis. Concurrunt nonnullæ declarat. sacræ Congregationis quæ emanarunt apud Collect. Gallemart. *ad decretum de seruand. & vitand. in celebrat. Missar. sess. 22.* Prima est. *Ordinarij arbitrio permittit Pontifex necessitato personarum, & infirmitatis qualitate pensata, vt pro infirmorum commoditate etiam in priuato oratorio, vel Altari ad hoc deputato facultatem celebrandi concedat.* Secundum est apud eumdem in litteris scriptis Archiepiscopo Ianuensi, vbi ita habetur. *In casu necessitatis concedat arbitrio suo modo celebretur in Oratorio, vel Altari ad id ministerium decenter constituto.*

8 Ratio est. Quia dispositio Tridentini est dispositio quædam generalis de non celebranda Missa extra loca deputata, quæ non tollit facultatem ab Episcopis concedendi licentiam celebrandi extra ipsa, quia tantum iniungit, ne patiantur celebrari, quod non est auferre potestatem, quàm habent, sed solùm præcipere, ne ca vtantur, ergo eum omnis dispositio generalis ad aliquos casus particulares, qui important aliquam necessitatem, aut in quibus non videtur habere locum ratio finalis legis, aut aliqua iusta causa non deberet ad ipsos extendi, occurrentibus huiusmodi casibus poterit Episcopus concedere licentiam celebrandi extra loca deputata, quia habet pro se probabilem opinionem, quod non sit quoad hos casus restricta sua potestas; quæ opinio fundatur, in eo, quod omnes leges admittunt dispensationes, Epichciam, &c. Vnde cum ipsi sit relicta potestas, & solum sit impedita, remanebit expedita quando locum posset habere dispensatio, ex Epicheia.

9 Ad fundamentum in oppositum. Resp. Ex dictis Concil. quidem non abstulisse ab Episcopis facultatem concedendi licentiam celebrandi extra hora depotata: eam tamen restrinxisse, itavt non habeat locum regolariter, & extra causas rationabiles. Quia Concil. absolutè non vult celebrationem extra loca deputata: hæc autem voluntas est impeditiua facultatis ipsius. Nec potest habere locum explicatio, quod intelligatur de celebratione sine licentia, quia absolutè iniungit, ne patiantur, & à fortiori, ne concedant celebrationem Missæ extra loca deputata. Vnde necessariò est admittenda correctio iuris communis, alioquin frustraretur finis Concilij.

10 Ad Confirm. Non esse abusum celebrare extra loca deputata cum licentia, si interueniat iusta, & rationabilis causa; esse tamen abusum, si non interueniat. Quia tunc ipsamet licentia est abusus potestatis. Quia autem Episcopi nimis faciles erant ad concedendam suam licentiam, & nimia benignitas introducebat abusum; ideò Concil. restrinxit eorum facultatem, & absolutè iniunxit, ne paterentur celebrari extra loca deputata, reliquendo tantum casus speciales, vt explicatum est, vt nimirum sic coarctata facultas sisteret intra debitos terminos, nec declinaret in abusum. Vnde nec possunt concedere licentiam celebrandi in oratorijs priuatis iuxta ea, quæ suo loco trado ex decreto S. Congregat. Concil. iussu Pauli V. edito *die 25. Octobr. 1615.*

QVÆSTIO 446.

An Episcopus possit suis subditis concedere licentiam celebrandi extra loca deputata in aliena Diœcesi.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus an possit concedere suis subditis licentiam celebrandi extra loca deputata in aliena Diœcesi.* & num. seq.
3. *Episcopi indigent priuilegio, vt in aliena Diœcesi celebrent extra loca deputata.*
4. *Potestas Episcopi est coarctata ad ea, quæ sunt sua Diœcesis.*
5. *Celebrare extra loca deputata ex necessitate in aliena Diœcesi, & cum licentia Episcopi alterius Diœcesis, sunt valdè diuersa.*
6. *Dispensatio celebrandi extra loca deputata est circa locum, & tangit Diœcesim de qua est locus.*
7. *Subiecta materia determinat verborum significationem.*

Prima sententia asserit, Episcopum posse concedere licentiam suis subditis celebrandi, extra loca deputata, etiam pro aliena Diœcesi. Ita Sylvester *verbo* Missa 1. *quæst. 5. dicto 3.* Fundamentum est. Quia potest celebrari in casu necessitatis, etiam sine licentia, quando commodè peti non potest: ergo multo magis eum licentia proprij Episcopi. Secundò in cap. *Missarum de consecratione, distinctione prima.* Conceditur celebrari, vbi Episcopus permiserit: ergo etiam in aliena Diœcesi. 1

Secunda sententia negat, posse Episcopum concedere hanc licentiam pro aliena Diœcesi. Ita Angelus *verbo* Missa. *quæst.* 40. Rodriquez *part. 1. summ. cap. 249. conclus.* 14. *not.* 2. Vasquez 3. *part. disput.* 233. *cap.* 1. *num.* 2. *in fine.* Suarez *disput.* 81. *de Eucharistia, sect.* 3. ver. *Secundum obseruandum* Ludouicus à sancto Ioanne *part.* 1. *summ. quæst.* 11. *art.* 4. *dub.* 3. Facoodez *præcept.* 1. *Eccles. libr.* 3. *cap.* 13. *num.* 7. Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 6. *num.* 94. 2

Dicendum est. *Episcopos non posse concedere suis subditis facultatem celebrandi extra loca deputata pro aliena Diœcesi.* Hoc conuincitur ex eo, quod, si possent Episcopi concedere hanc licentiam suis subditis pro aliena Diœcesi, à fortiori, ipsi quoque possent ea vti, & quando celebrant, & quando coram se faciunt celebrare; nec pro hoc indigeret priuilegio. Indigent autem priuilegio, vt proinde ipsis concessum fuerat in cap. *Quoniam de priuileg. in 6.* quod licèt modo factum sit ius commune, vtpote, quia insertum est in corpore iuris, attamen ostendit, quod hoc non conueniat ratione facultatis Episcopalis. Et cum sit priuilegium pro ipsis, non dat facultatem concedendi hoc ipsum alijs. 3

Ratio

4 Ratio autem à priori est. Quia anctoritas,& potestas Episcopalis est coarctata iotra terminos Diœcesis. Siquidem non est potestas vniuersalis, sed localis habens certum terminum pro sua adæquata sphæra. Vnde licèt Episcopus manens extra Diœcesim possit in pluribus exercere suam potestatem, adhuc tamen debet exercere solum circa ea, quæ Diœcesis, vt proinde debeat semper terminari ad ea, quæ sunt Diœcesis; ergo facultas concedendi licentiam celebrandi extra horas deputatas, nõ potest se extendere ad alienam Diœcesim; nam se extenderet extra propriam sphæram, & licentia esset nulla defectu potestatis, quia operaretur pro loco, pro quo non posset operari; atque adeò eodem modo se haberet, ac si non operaretur.

5 Ad 1. oppositæ sententiæ. resp. Aliud esse celebrare in aliena Diœcesi in casu necessitatis sine liceotia: & aliud celebrare cum licentia proprij Episcopi. Primum trahit secum licentiam, quia necessitas facit licitum, quod aliàs non erat, & non est necessaria alia licentia. Ad secuodum importat licentiam nullam defectu potestatis, quæ non se extendit ad alienam Diœcasim, nec ad proprios subditos pro iis, quæ agenda suot in aliena Diœcesi; & ideò non potest suffragari, sed res in eodem statu est, ac si nulla fuissat concessa licentia.

6 Instabis, potest Episcopus proprium subditum dispensare, vt io aliena Diœcesi oon ieiunet, comedat carnes quando prohibentur, ordinetur non seruatis interstitiis, & à non suo Episcopo, &c. Ergo poterit etiam dispensare, vt celebret eatra loca deputata. Resp. Posse dispensare in prædictis, & aliis huiusmodi, quia sunt dispensationes purè personales, quæ non egrediuntur personam nec aliquo pacto se eatendunt ad locum. Dispensatio autem celebrandi eatra loca deputata non est personalis, sed se extendit ad locum, nam relaxat legem disponentem de loco celebrationis, sed potius eligit nouum locum pro celebratione. Vnde eligeret in aliena Diœcesi, si concederet hanc licentiam pro aliena Diœcesi, atque adeò eaerceret auctoritatem circa locum alienum, & ad se non pertioeotem.

7 Ad 2. In illo cap. *Missarum*. Concedi licentiam celebrandi, vbi Episcopus permiserit, intelligendo intra propriam diœcesim: nam dictio, *Vbi*, debet accipi in terminis habilibus, & secundum subiectam materiam, quia subiecta materia est regula pro determinanda verborum significatione, *l. Ex conducto*, §. *Papinianus*. ver. *Sed & si*. *ff. Lorati*, & obseruat Zasius *lib. 1. singul. resp. cap. 6. num. vlt.* Vnde in præsenti verbum, *vbi*, debet restringi iuxta subiectam materiam, quæ est facultas permitteudi, quæ est coarctata ad propriam Diœcesim.

QVÆSTIO 447.

An possit Episcopus concedere licentiam celebrandi in Oratorio priuatæ domus, si sit permanenter diuino cultui dicatum.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus an possit concedere licentiam celebrandi permanenter in oratorio priuato.* & num. seq.
3. *Decretum sacræ Congregatio circa oratoria priuata.*
4. *Procedit de oratoriis permanenter deputatis diuino cultui.*
   Continet declarationem auctoritatiuam.
5. *De iure communi non licet celebrare in priuatis Oratoriis.*
6. *Sacrificium exigit offerri publico modo.*
7. *Conceduntur offerri vbi Episcopus voluisset, sed in publico.*
8. *Episcopi non possunt concedere Missam in priuatis Oratoriis.*
9. *Declaratio nil de nouo inducit, sed quid sit factum, ostendit.*
   Declaratio retrotrahitur ad tempus emanatæ legis.
10. *Quid intelligat Concil. Trident. per Oratoria diuino cultui dicata.*

Difficultas procedit de licentia celebrandi permanenter: non autem pro vna, aut altera vice in aliquo casu necessitatis, nam de hoc videbimus infra. Prima autem sententia tenet, quod possit concedere hanc facultatem. Ita Zerola *in Praxi Episcop. part. 1. verbo* Missa *ad 1. princip. conclus. 5.* vbi asserit S. Congregationem ita declarasse. Henriquez *lib. 9. summ. cap. 27. num. 1.* Beia *part. 4. casuum conscient. casu 33.* ver. *Tertio dico.* Rodriquez *quæst. Regul. 143. artic. 6. tom. 1.* Coninch *de sacrament. quæst. 83. art. 3. dub. 1. num. 226.* Suarez *disput. 81. de Eucharist. sect. 3.* ver. *Secundo obseruandum*; quamuis satis obscurè Gutierrez *lib. 1. quæst. canon. cap. 30. num. 20.* Quaranta *in sum. Bullarij*, verbo *Missæ*. Sà *verbo* Missa. *num. 20.* Layman. *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. cap. 5. n. 4.* Vasquez *3. part. disput. 233. cap. 1. num 3.* Palaus *part. 1. oper. moral. tracta. 22. disput. vnic. punct. 8. num. 6.* Facundez *precept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 12. num. 9. & sequent.* Baunius *part. 1. Theol. moral. tract. 10. de Præsbyt. quæst. 14.* ver. *Patet tertio* Llamas *2. part. Meth. c. 5. §. 15.* Ioan. à Cruce *lib. 2. de statu religionis. cap. 5. dub. 7.* Zipens *de iure Pontificio lib. 3. tit. de celebr. Miss. n. 8.* Præposit. *3. part. quæst. 83. art. 3. dub. 1 num. 147.* Vuigers. *dub. 15. num. 67.* Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disput. 33. sect. 12. num. 131.* Lessius *de sacrament. quæst. 83. art. 2. tit. de loco. num. 78.* Fundamentum hujus senteotiæ est. Quia Concil. Trid. *sess. 22. in decreto de seruand. & vitand. in celebrat. Miss.* solum iniungit Episcopis, ne patiantur Missam celebrari extra Ecclesiam, & oratoria diuino tantum cultui dicatis poterit permittere celebrationem: ergo etiam si sint intra domos priuatas. 1

Secunda sententia negat posse concedere, etiamsi sint diuino tantum cultui dicata. Ita Nauarrus *cap. 25. Manualis, num. 81.* & *Consil. 1. de Constitutione, lib. 1.* Azotius *part. 1. lib. 10. cap. 26. quæst. 3.* Bonacina *disputat. 4. de sacramento, quæstione vltima, punct. 9. num. 11.* Miranda *tom. 1. Manualis, quæst. 40. articul. 9. conclus. 3. in fine.* Scottia *lib. 2. de sacrificio Missæ, quæstione decimatertia, num. 3.* Riccius *in Praxi resolut. 538.* Homobonus *part. 2. Examin. Ecclesiast. tractat. 8. cap. 5. quæst. 14.* Fusch. *libr. 1. de Visitat. cap. 21. num. 8.* Naldus *in sum. verbo* Missa, *num. 3.* Gauantus *in Rubric. Missal. part. 1. tit. 20. littera M*, Marchin. *de sacramento Ordinis, tract. 3. parte tertia, capite nono, numero septimo.* Faustus *de Eucharistia, libro secundo, quæst. 160.* quos secutus sum *in decis. moral. decis. 165. numero secundo.* Quibus nunc addendi sunt Trullench. *lib. 3. de sacramento, capite octauo, dubio decimoquarto, numero secundo*, Gaspar. Hurtad. *de sacramentis, disputatione 74. de sacrificio Missæ, difficult. 6.* ver. *Addimus.* Caspens. *parte secunda, Cursus Theologie, tractatu vigesimotertio, disputatione tertia, sectione tertia, numero 66. in fine.* Lugo Cardin. *disput. 20. de Eucharist. sect. 2. num. 50.* Garzia *in sum. tract. 3. diffic. 8. dub. 2. punct. 2. num. 15.* Valer. *in different. vtriusque fori. verbo* Missa. *different. 2.* ver. *Ex qua infertur.* Villalobos *part. 1. summ. tractat. 8. difficult. 23. num. 2.* Pax Jordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 4. tit. 1. num. 121.* 2

Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 14. ver. *Quæstio.* Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 6. *quæst.* 3. *num.* 59. Thomas Hurtad. *part.* 2. *resol. moral. tractat.* 15. *cap.* 1. 1. *disput.* §. 1. *dub.* 1. *num.* 2191. ver. *Hæc sententia.* Antonel. *de regim. Eccles. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 1. Megal. *variar. resol.* 168. *n.* 11. *tom.* 5. quoniam aliqui volunt hanc facultatem esse oblitam per Concil. Trident. alij vero solum per decretum Pauli V. de quo mox.

3 Antequam resoluatur difficultas præmittendum est decretum S. Concil. Congregationis iussu Pauli V. per litteras circulares omnibus Episcopis intimatum tenoris sequentis. *Perillustrissime, ac Reuerendissime Domine vti Fratri. Tametsi S. Cardinalium Congregat. Concilij Trident. interpretat. optimis innixa rationibus sæpissimè responderit, celebrandi licentias in priuatis Oratoriis non nisi à Sede Apostolica esse concedendas, conspectum est tamen per plures Antistites eiusdem Concilij verba in alium sensum detorquentes, passim illas, ac nullo propè delectu impertiri. Qua quidem facilitate, ne dum ipsi Pontificiam sibi auctoritatem adsciscunt, aliarumque Ecclesiarum & frequentiam minuunt, & dignitatem; verum etiam (Quod summè dolendum est) tremendum illud mysterium, quo nullum aliud opus adeò sanctum, atque diuinum à Christi fidelibus tractari potest intra domesticos parietes plerumque cum tanta irreuerentia peragitur; vt nihil ferè inter prophanam, & diuinam domum interesse videatur. Quod sanè teterrimum exemplum, vt de Christiana Republica euellant Illustrissimi Patres amplitudini sua veterisque Archiepiscopis, atque Episcopis vniuersis sanctissimi Domini Nostri Iesu, significandum duxerunt facultatem huiusmodi licentias dandi ipsius Concilij decreto vnicuique ademptam esse, solique Beatissimo Romano Pontifici esse reseruatam proindeque amplitudini suæ abstinendum esse ab illis vtcumque tribuendis; ac si quos hactenus; vel à tres antecessoribus, aut aliàs quo quomodo, quàm ab ipso summo Pontifice concessas reperieris, nullas, atque irritas esse, quàm primum decernas, atque enixe seruandum, ne vlla illarum ratio imposterum habeatur. Quam quidem sacra Congregationis, atque adeò sanctitatis suæ voluntatem libenter amplitudo sua perficiet harumque litterarum exemplum in acta publica primo quoque tempore referendum, ac deinde ad singulos istius Prouinciæ Episcopos, &c. Datum Romæ die* 10. *Martij anno* 1615.

4 Circa autem hoc decretum obseruandum est. Quod loquitur de priuatis oratoriis, quæ permanenter sint diuino cultui dicata; quod satis indicant illa verba, *Eiusdem Concilij verba in alium sensum detorquentes.* Quia scilicet verba illa Concilij ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria, extendebant etiam ad oratoria priuata. Secundo. Quod huiusmodi decretum continet declarationem auctoritatiuam, eum non solum emanauerit à Congregatione, quæ habet auctoritatem declarandi Concil. Trident. sed etiam summus Pontifex suam auctoritatem interposuerit. Tertiò. Quod facultas dandi licentiam celebrandi in priuatis oratoriis est solum apud summum Pontificem: non autem apud aliquem inferiorem, quod sit licèt debet intelligi seclusa speciali delegatione. Quartò. Quod innitantur licentiæ, quæ hucusq; à quocunque fuerint concessæ, præterquam à summo Pontifice. Circa quod est aduertendum, quod non iniungitur, quod declarentur irritæ, quasi aliàs essent irritæ, sed quod decernantur irritæ, hoc est annullentur, quia fieri poterat, quod aliàs essent validæ, si non omnes saltem plures, quia vel fortè erant concessæ ab habentibus facultatem concedendi, vel ab Episcopis innixis opinioni, quàm putabant probabilem. Quæ proinde tribuit facultatem.

5 Dicendum 1. *De iure communi non licere celebrare Missam in priuatis oratoriis.* Ita definitum fuit in Concil. Laodicen. *cap.* 58. vt refert, & confirmat Felix IV. *Epist.* 1. *decret.* relata in cap. *Tabernaculum de consecrat. dist.* 1. ibi. *Quod autem, vt paulò superius prælibatum est, oblationes in domibus offerri non debeant in eodem Concilio Laodicensi*, cap. 58. *prohibitum habetur*, ita. *Non oportet in domibus oblationes celebrari ab Episcopis, & Presbyteris*, & in Concil. Aurelianensi relato in cap. *Vnicuique de consecrat. dist.* 1. ibi. *Vnicuique fidelium in domo sua oratorium licet habere, & ibi orare: Missas autem ibi celebrare non licet.*

Ratio autem est. Quia oblatio sacrificij est cultus publicus, & offertur Deo in persona Christi, qui est caput Ecclesiæ, & nomine eiusdem Ecclesiæ, atque adeò publico modo. Quia tanquam sacrificium publicum; & omnibus commune relictum à Christo Sponsæ suæ Ecclesiæ, vt habet Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. *de sacrif. Miss.* exigit ex natura sua offerri publico modo, & proinde etiam in loco publico, vt locus congruat modo oblationis: ergo spectata natura sacrificij decerni debuit, quod non offeratur in domibus, & oratoriis priuatis. Hoc autem intelligi debet seclusa rationabili causa, cuius intuitu concedi potuit dispensatio. 6

Dices ex cap. *Missarum*, & cap. *Hic ergo. de consecrat. dist.* 1. celebrari potest Missa in quocunque loco Episcopus concesserit: ergo etiam in oratoriis priuatis: & proinde poterit ipse concedere hanc licentiam. *Resp.* Quod potest celebrari vbicumque permiserit Episcopus, sed rationabiliter, & ideò, vt dictum est in superioribus, hoc relictum est eius arbitrio, sed regulare, secundum rationem, & regulas prudentiæ. Non est autem rationabile, quod sacrificium publicum, & publico modo offerendum sine causa iusta offeratur occulto modo in priuatis domibus. Vnde optimè sibi cohærent iura, quæ concedunt offerri sacrificium vbicumque concesserit Episcopus, & quod non sit offerendum in priuatis domibus, quia prima iura procedunt de quocunque loco habili pro sacrificio, atque adeò de publico. 7

Dicendum 2. *Episcopos non posse modo post Concil. Trident. concedere facultatem celebrandi in priuatis oratoriis.* Ratio est. Quia in decreto, de quo supra n. 3. declaratur, id prohibitum fuisse à Concilio Trident. *in decreto de seruandis, & vitandis in celebrat. Missar. sess.* 22. & declaratio est auctoritatiua emanata de mandato Pontificis: ergo licèt Episcopi ante Concil. præscripserint hac facultatem post Conc. tamen non potuerunt amplius vti. Hæc autem declaratio fundatur in verbis dispositionis Concilij siquidem Concil. in dicto decreto disponit, quod in priuatis domibus non celebretur, vt constat ex illis verbis, *Neue patiantur priuatis in domibus.* Et de publico disponit, quod Episcopi non finant celebrari extra Ecclesiam, & oratorio diuino tantum cultui dedicata, vt liquet ex illis verbis. *Atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria.* Vnde cum non possint Episcopi venire contra dispositionem Concilij, non potuerunt post ipsum amplius huiusmodi licentias concedere. 8

Ex quo fit, Quod cum declaratio non inducat nouum ius, sed quid dispositionis sit ostendat *l. Asse toto. ff. de hered. instit.* & *l. Vnum ex familia*, §. *Si de falcidia. ff. de leg.* 2. & *l. Heredes palam.* §. *si quid post ff. de testam.* ibi. *Poterit declarare, de quo senserit? Et puto posse, nihil enim nunc dat, sed datum significat.* & *l. Adeo.* §. *Cum quis. ff. de acquien. rer. dom.* & Clemen. I. *De iurepatr.* & obseruant communiter Doctores. Bald. *in lib.* 1. ver. *Quero quat. testes. C. de Codicillis.* Dec. *in l. edicta. n.* 47. *Cod. de eden.* Caspens. *in l. Heredes palam.* §. *Sed & si notam.* ver. *Quid autem. ff. de testam.* Imola *ibid. not.* 2. Aretin. §. *Si quid. not.* 1. Roman. *in lib.* 1. §. *Si quis simpliciter. ff. de verbor. oblig.* Saliect. *in l. Et constitut. C. de legib.* 9

legib. Hyppolit. de Marsil. *in l.1. §. Si quis vltro.* vet. *Vlterius.ff.de quæst.* Fulgos.*consi.*147. vet. *Ad secundum.* Cardin. *in cap. fin.* ver. *Si verò, de Constitut.* Felin. *in cap. hist. quæst. de offic. delegat.* Rota *decis.*454. *n.*2. *part.*1.*Recent.* & communiter cum Glos.*in d.cap.Cum te, de vsur.* & in cap. *Per tuas,*vet. *De nouo, de donat.* prædicta declaratio retrotrahitur ad tempus publicationis Concilij, itavt cêseatur emanasse simul cum dispositione eiusdem Concilij, vt obseruant Anton.Gabr. *in commun.conclus. tit.de Reg.iur. conclus.*3. *num.*9.plures alios citans Mantic. *de coniectur.vlt.volunt.lib.*1.*tit.*16.*num.*7.Surdus *decis.*21.*per totam.*Gratian. *cap.*147. *n.*2. *discept.forens.* Et proinde obligatio Concilij hi declarati cœpit à publicatione eiusdem Concilij, & consequenter ab illo tempore non potuerunt amplius Episcopi concedere priuata oratoria in ordine ad offerendum sacrificium, & sequuta hac declaratione cœpit mala fides; itavt amplius concessæ licentiæ non possent suffragari.

10 Ex dictis colligitur.Quod per oratoria diuino tantum cultui dedicata intelligit Concilium Tridentinum oratoria publica. Nam eo ipso, quod dedicantur tantum cultui diuino, euadunt publica, siquidem cultus diuinus est cultus publicus, & omnibus communis, & ideo eo ipso, quod Oratoria dedicantur cultui diuino, datur ius vnicuique accedendi ad ipsa ad deferendum Deo cultum propter quem instituta sunt. Vnde quamuis Oratoria priuata immunia sint ab omni alio vsu, & in ipsis exerceatur tantum cultus diuinus, non sunt tamen dedicata cultui diuino, cum non omnes ius habeant ad colendum Deum in ipsis, sed sunt destinata pro vsu priuatarum personarum in ordine ad colendum Deum. Vnde ex his solutum manet fundamentum pro opposita opinione, & praxis ita certa, & vniuersalis est, vt non liceat amplius ambigere, an possint Episcopi concedere licentiam celebrandi in priuatis Oratoriis, sed certum omninò sit, non posse.

QVÆSTIO 448.

An vbi Concilium Tridentinum non est receptum possint Episcopi concedere licentiam, vt celebretur in priuatis Oratoriis.

SVMMARIVM.

1. *Declaratio non habet locum, vbi non habet lex declarata.*
2. *Vbi Concil.Trident. non est præceptum non possunt Episcopi absolutè concedere Oratoria priuata pro Missa.*
3. *Ex natura rei non possunt Episcopi concedere celebrationem in priuatis Oratoriis.*
4. *Præscripta si sit facultas concedendi priuata oratoria, potest Episcopus concedere vbi Concil.Trid. non est receptum.*
   Præscriptio æquiparatur priuilegio.

1 Videtur affirmatiuè respondendum, quia cum id prohibitum sit per Decretum Concilij Tridentini, *de seruand. & vitand. in celebrat. Missar.* vt declarauit S. Congregatio de mandato summi Pontificis, hæc prohibitio non habebit locum vbi decreta Concil. Trident. non sunt recepta. Hoc enim est de ratione cuiuscunque legis, vt non obliget, nisi cum sit recepta, quia consuetudo præualet contra legem, iuxta Cap.*fin.de consuet.* & obseruant communiter si lex non recipiatur ex aliquo rationabili motiuo.

2 Cum distinctione tamen resoluenda est difficultas. Vnde dicendum primò. *Etiam vbi non est receptum Concil. Trident. non posse Episcopos absolutè loquendo concedere licentiam celebrandi in oratoriis priuatis.* Ratio est; quia id est prohibitum de iure communi, nempe in Concilio Laodicensi *c.*58. approbato à Felice IV. Papa *epist.prima Decret.* relat. in cap. *Tabernaculum, de consecrat. dist.*1. & in Concil.Aurelianen. relato in cap.*Vnicuique,ead.dist.* Vnde cum ius commune afficiat omnes, afficiet etiam Episcopos, vbi non est receptum Concil.Trident.

Ratio autem est. Quia non spectat ad Episcopos 3 ex natura rei concedere licentiam celebrandi in priuatis domibus. Nam sacrificium de se est publicum, & exigit publico modo offerri tanquam contiones publicum cultum,cui omnes cooperari debeat, atque adeò exigit offerri in publico loco; non possunt autem Episcopi disponere de iis, quæ concernunt cultum publicum communem toti Ecclesiæ, quia hæc subiiciuntur communi, & vniuersali auctoritati,quæ est solum in summo Pontifice. Et ideò ad solum summum Pontificem pertinet regulare ea, quæ communia sunt toti Ecclesiæ exclusis casibus particularibus, qui permittuntur Episcopis.

Dicendum 2. *Si aliquis Episcopus præscripsit hanc facultatem concedendi licentias celebrandi in Oratoriis priuatis potest adhuc concedere, si in eius Diœcesi non sit receptum Concilium Trident.* Ratio est. Quia licet de iure communi non possint concedere hanc facultatem, seu licentiam, quia tamen potest quis existimare quod de iure iis conueniat facultas concedendi has licentias, vt de facto, vtplurimum putauerunt Episcopi etiam post Concilium Tridentinum, ideo interuenire potuit titulus auctoritatis Episcopalis, qui sufficiens sit ad permittendum, iuxta cap.*Si diligenti*, & cap.*Dudum*, & cap.*fin.de præscript.* Si ergo præscriptio completa fuit, Concil.Trid. vbi non fuit receptum, non potuit eam auferre, & ideò adhuc manet in suo robore, sicut enim possit summus Pontifex concedere priuilegium alicui Episcopo, vt possit concedere licentias celebrandi in oratoriis priuatis; ita etiam potuit hac præscribi. Præscriptio autem æquiparatur priuilegio, vt obseruant Glos. *in Cap. Neutr.* verbo *Consuetudo, de iudic.* Socin. *sent. consil.*160. *vol.*2. Crauetta *de antiquo tempore, part.*4. §. *Absolutis differunt. quæst.* 3. *num.*10. Roland. *consil.*66. *num.*40. *vol.*2. Cacheran. *decis.*139. *num.* 12. Tapia *in l. fin. part.* 2. *cap.*11. *num.* 23. *ff. de Constit. Princip.* 4

QVÆSTIO 449.

An Oratorium habens ingressum publicum, & priuatum comprehendatur sub Decreto Concil. Trident.

SVMMARIVM.

1. *Oratorium an sit publicum, si præter ingressum publicum habeat etiam priuatum.*
2. *Est secundum dispositionem Concil.Trident.& ideò publicum.*
3. *Publicum quodnam dicatur.*
4. *Communicatio per ingressum priuatum cum domo priuata non tollit, quin Oratorium sit publicum.*
5. *Ingressus priuatus non afficit reuerentia debita Oratorij.*
6. *Oratoria habentia ingressum publicum, subiiciuntur visitationi Episcopi.*
7. *Vt Oratorium sit publicum non requiritur campana.*
8. *Qualis ingressus è domo priuata prohibitus.*

1 Difficultas est, an oratarium annexum domui priuatæ, per quam pateat ingressus in ipsum, ita tamen vt habeat ingressum alterum publicum correspondens publicæ viæ, per quem quilibet ingredi possit in oratorium publicum sit dedicatum cultui diuino, de quibus disponit Concil. Trident. *in decreto de seruand. & vitand. in celebratione Missar. sess. 22.* & possit in ipsis permitti celebratio Missæ, difficultas autem oritur ex eo, quod habeat ingressum priuatum.

2 Dicendum est. *Huiusmodi oratorium esse publicum, & proinde ex illis, in quibus iuxta dispositionem Concilij Tridentini potest permitti celebratio Missa.* Ita tradidi etiam *in decis. moralib. decis.* 173 & postea *in quæst. Canon.* 349. *Centur.* 4. & ita postea tradiderunt etiam Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 14. ver. *Quintò, in fine.* Thomas Hurtad. *part.* 2. *resolut. moral. tractat.* 12. *cap.* 1. *num.* 2193. Baldus *in quæst. select. lib.* 4. *quæst.* 10 §. 10. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 161. Quintanaduen. *tom.* 1. *singul. tract.* 7. *singul.* 33. *num.* 9. Et confirmant Riccius *decis.* 78. *num.* 5. *part.* 4. Alphons. de Leone *de offic. Capell. quæst.* 3. *sess.* 1. *in fine.* dum dicunt, quod oratorium erectum in cortili non sit priuatum, sed publicum, & ideò non comprehendatur sub decreto S. Congregat. de priuatis oratoriis.

3 Ratio autem est. Quia ingressus priuatus remanente publico non tollit formam oratorij publici; nam id publicum dicitur, quod est omnium vsui destinatum, §. *fin. instit. de rer. empt.* & *l. Sed celsus.* & *l. Sacra conuenta.* §. *Papinianus. ff. de contrahen. empor.* & *l. Riparum. ff. de rer. diuis.* & *l. Prætor. ait.* §. 1. ver. *Hoc interdictum. ff. Ne quid. in loco publico,* & obseruant Gloss. *in dict. l. Prætor. ait.* ver. *Publico vsui,* & *in* §. *Superior.* verbo *Publica,* & *in* §. *Riparum.* verbo *Publicas instit. de rer. diuis.* Bart. *in l.* 1. *ff. de publ. iudic.* Aluar. *in l. Littus. ff. de verborum significat.* cum ergo oratorium, quamuis habeat priuatum ingressum, dummodo retineat publicum, sit omnium vsui destinatum, adhuc remanebit publicum, atque adeò aptum, vt in eo celebrari possit cum sit erectum auctoritate Episcopi, vt supponitur.

4 Dices ratione ingressus priuati habere communicationem cum domo priuata, & proinde censeri oratorium illius domus. Sed hoc non officit. Quia communicatio per ingressum priuatum cum domo priuata non tollit, quin sit destinatum omnium vsui per ingressum publicum, & proinde, nec tollit, quin sit oratorium publicum, & priuatus ingressus non appropriat priuato vsui. Decretum autem de oratoriis priuatis procedit tantum de iis, quæ inseruiunt vsui priuato, nam dicuntur priuata ratione vsus. Qui autem ingrediuntur per ingressum priuatum, vtuntur oratorio non vsu priuato, sed vsu publico, quia vtuntur tanquam aliqui ex iis, pro quorum vsu est destinatum.

5 Dices 2. Esse contra reuerentiam debitam loco destinato publico cultui, & celebrationi Missæ, quod ad ipsum pateat ingressus priuatus, quia videtur hoc pacto appropriari vsui priuato. Verum neque hoc obstat. Quia priuatus ingressus non trahit secum aliquid, quod non sit in publico ingressu & solum dicit, quod ille ingressus sit certis personis destinatus quod non est contra debitam reuerentiam sicut non est contra reuerentiam, quod in oratorio publico, & Ecclesia aliqua loca cum speciali scamno sint reseruata aliquibus personis determinatis. Nec appropriat oratorium priuato vsui, quia non habent alium vsum, qui priuato ingressu ingrediuntur, quam qui ingrediuntur per communem portam, & ideò cum habeant aliquam appropriationem, sed tantum reseruationem talis ingressus. Nec communicatio cum priuata domo in alio consistit, quàm secundum ingressum, & proinde non est communicatio, qua ipsum oratorium communicet, sed est verè extrinseca, & proinde nullam secum affert indecentiam.

Ex his colligitur, huiusmodi oratoria subiecta esse visitationi Episcopi quoties indicauerit expedire. Nam Concil. Trid. *in dicto decreto de seruand. & vitand. in celebrat. Miss. sess.* 22. inter alia, quæ disponit, vt possint Episcopi concedere licentiam celebrandi in oratoriis diuino tantum cultui dicatis est, quod sint ab ipsis visitanda. Et iure, quia necesse est, quod Episcopus inuigilet, an hæc oratoria manuteneantur cum debita decentia, & reuerentia non minus, quam si essent Ecclesiæ; præsertim, quia ista oratoria siue habeant, siue non habeant ingressum priuatum, sunt exposita maiori periculo indecentiæ, cum non habeant illos ministros, quos habent Ecclesiæ curantes cultum ipsum. 6

Secundo colligitur contra Trullench *in Bulla Cruciata, lib.* 1 §. 1. *dub* 4. *n.* 5. Barbosa *de iure Eccles. lib.* 2. *c.* 8. *n.* 52. Non esse necessarium vt oratorium sit publicum, quod adsit campana ad conuocandos populos, sed sine ipsa adhuc remanere publicum, si omnibus pateat, vt aduertit etiam Thom. Hurtad. *part.* 2. *resol. moral. tractat.* 12. *c.* 1. *in digres.* §. 1. *dub.* 1. *n.* 2194. Quia Campana est tantum signum publici oratorij, & proinde supponit, quod iam sit publicum: non autem pertinet ad formam, per quam constituitur publicum. Nam in tantum Campana ordinatur ad conuocandos populos, in quantum oratorium est omnium vsui destinatum, atque adeò erectum vt publicum. 7

Est tamen aduertendum, quod priuatus ingressus ad hæc oratoria non debet immediatè patere ex aliquo cubiculo domus, sed vel è cortili vel aliquo atrio extra domum. Nam in quadam formula declaratoria de publica Capella apud secretarium Litterarum Apostolicarum in forma Breuis, declaratur debere esse separatum à priuatis domibus, ita vt per ipsas ingredi aut prospici non possit. Et ideò si prius ingrediendum sit cortile, aut atrium, seruabitur declaratio. Ita autem declaratum fuit, non quia ingressus è domo priuata tollat publicitatem oratorij, sed quia non approbatur. 8

QVÆSTIO 450.

An in Oratorio habente publicum, & priuatum ingressum celebrari possit ianuis clausis.

SVMMARIVM.

1. *In oratorio habente publicum, & priuatum ingressum non potest continuo celebrari ianuis clausis.*
2. *Audientes Missam in oratoriis ianuis clausis satisfaciunt præcepto.*
3. *Pro aliqua vice celebrari potest ianuis clausis in oratorio habente publicum ingressum.*
4. *Vt cultus sit publicus, sufficit, si vt plurimum publico modo exerceatur.*
5. *Faciens celebrare ianuis clausis regulariter in oratoriis habentibus publicum, & priuatum ingressum violat ius illorum, qui possunt interuenire.*

Sensus est, an possit celebrari ianuis clausis coram illis, qui habent priuatum ingressum, ita vt 1

non

non admittantur alij per publicum ingressum. Et quidem, si loquamur de continua celebratione, certum debet esse, quod non possit celebrari clausis ianuis, vt etiam advertit Thomas Hurtad. *part.2. resol. moral. tract.2. cap.1. in digress.* §.1.*dub.1. n.*2194. Nam hoc pacto oratorium publicum verteretur in priuatum, & remaneret tantum publicum destinatione, vsu autem esset priuatum, & qui erigeret tale oratorium huiusmodi intentione fraudem faceret legi, quia intenderet habere oratorium pro vsu priuato cum forma tamen publici oratorij, & ideo grauiter peccaret.

2 Rursus etiam certum debet esse, quod audiens missam in his oratoriis ianuis clausis satisfaceret præcepto audiendi Missam: nam audiret in oratorio destinato pro cultu publico, atque adeo in quo offerri potest sacrificium in ordine ad satisfaciendum præcepto pro quibuscunque confluentibus. Nec obstat, quod ianuæ sint clausæ, quia sicut hoc non tollit qualitatem loci apti, vt in ipso impleri possit præceptum ita nec tollit, quia impleatur; sic etiam possent claudi, quando iam confluxit populus per ingressum publicum, & similiter etiam possent claudi si non haberet ingressum priuatum. Solum ergo dubium remanet, an possit ianuis clausis celebrari pro aliqua vice.

3 Dicendum est. Pro aliqua vice ex causa rationabili celebrari posse ianuis clausis admissis iis tantum, qui habent priuatum ingressum, & quos ipsi voluerint. Et hoc pacto accipiendum est, quod dixi in *decis. moral. decis.*173. *num.*3. quod sequutus est Quintanaduen. *tom.1. singul. tract.7. sing.* 33. *in fine.* In quo tamen est aduertendum, quod si in die, in quo audienda est Missa de præcepto, & vna tantum celebranda sit, videndum est, ne celebrare ianuis clausis sit causa, quod qui solebant confluere, non seruent præceptum, & proinde si Missa celebretur specialis eorum, qui habent priuatum ingressum admonendi erunt, vt possint alibi præcepto satisfacere.

4 Ratio autem est. Quia licet publicum oratorium requirat cultum publicum, atque adeò oblationem sacrificij, in qua consistit præcipuus cultus publico modo exercitus confluentibus, quicunque voluerint. Id est tamen necessarium, quod semper publico modo offeratur, sed potest aliquando offerri clausis ianuis, vt passim etiam in Ecclesiis contingere solet. Vt enim manuteneatur publicus cultus, sufficit, si vt plurimum publico modo, & coram quibuscunque confluentibus offeratur sacrificium, nec est necessarium, quod semper tali modo offeratur. Eo ipso autem quod manutenetur publicus cultus, non conuertitur in vsum priuatum per id, quod aliquando celebretur ianuis clausis coram certis personis.

5 Ex his colligitur. Quod faciens celebrare regulariter in his oratoriis ianuis clausis violat ius, quod quisque habet ad interueniendum sacrificio. Quia quamuis faciens celebrare sustineat onera, quæ requiruntur pro Capellano manutenendo; attamen eo ipso, quod facit celebrare in publico oratorio, quisque acquirit ius ad interueniendum illi sacrificio tanquam nomine publico oblato, & continenti publicum cultum, & ideo non potest impediri, ne interueniat claudendo ianuas, aut alio modo, nisi interueniret aliqua rationabilis causa, qualis esset timor inimicorum, qui possunt superuenire; timor infectionis tempore pestilentiæ; aut aliqua alia huiusmodi causa grauis.

QVÆSTIO 451.

An possit Episcopus concedere licentiam, vt pro aliqua vice celebretur in priuata domo.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus an possit concedere licentiam, vt pro aliqua vice celebratur in priuata domo,* & n.seq.

3 *Causa finalis regulat totam dispositionem.*
Finis Concil. Trid. iniungentis Episcopis ne permittant celebrari in priuatis domibus.
Celebratio in priuata domo pro aliqua vice non contrariatur fini Concil.Trident. & decreti S.Congregat.

4 *Vna lex distinguitur per aliam.*

PRima sententia negat, Episcopum posse concedere pro quocunque casu licentiam celebrandi in priuatis domibus. Ita Nauar. *cap.25.manual. n.*81. & *consil.1.num.76. de constit.* & *consil.16. num.2. de priuileg.* Fuschus *lib.1. de visit.cap.21. num.*8. Gutierrez *lib.1.quæst.canon.cap.30.num.25.* Ledesma *part.1.sum. cap.20.* vers. *latet vna difficultad.* Llamas 3. *part. Meth. cap.5.* §.15. Fundamentum huius sententiæ desumitur ex decreto Concilij Trident. *de seruan.& vitan. in celebrat. Miss. sess.* 22. vbi iniungit Episcopis absolutè, ne patiantur celebrari in domibus priuatis. 1

Secunda sententia asserit. Posse ex aliqua iusta causa concedere licentiam pro aliquo casu. Ita Lessius *de sacrament.quæst.*83.*art.3. tit. de loco n.* 78. vers. *deinde* Beia *part.4. Responças cassien. casu* 33. ver. *Tertio dico,* Alzedo *part.1. de præcel. dignit. Episc.cap.*13. *n.*9. Barbosa *de Potest. Episc.part.2. allegat.23.num.9. in fine* Cened. *quæst. canon.44.num.5.* Dicastil. *de sacram. tract.5.disp.4.dub.5.sum.*94 Palaus *part.4.oper. moral. tract.22.disp.vnic.part.8.n.*6. Ludouic. à S.Ioan. *par.5.sum.quæst.11.de Eucharist.art.4.dub.5. difficult.*2. Cespedes *de exempt. Regul.cap.5.dub.91.n.*9 Facundez *præcep.1. Eccles. lib.3.cap.13.num.*14 Machab. *tom.2. lib.4.par.6.tract.16.docum.6.num.*3. Pas Iordan. *tom.1. lucubrat.lib.4.tit.1.num.*121. Thomas Hurtad. *part.2. resol. moral. tract.12.cap.1. in digres.* §.1.*dub.1.n.*2196. Francisc. Lugo, *lib.5.de sacram.cap.6.quæst.3.num.*29. ver. *notat etiam* Gaspar Hurtad. *de sacram. disp.4. de sacrific. Miss.difficul.6.*ver. *Vnde Episcopi.* 2

Dicendum est. *Posse Episcopos concedere facultatem, vt in priuatis domibus celebretur Missa concurrente aliqua iusta, & rationabili causa.* Ratio est. Quia licet Concil. Trident. in decreto *de seruand.& vitand. in celebrat. mis.* iniungat indefinite Episcopis, ne patiantur celebrari in priuatis domibus, hoc tamen accipiendum est secundum mensuram causæ finalis sicut etiam Decretum S. Congregat. iussu Pauli V. Editum, de quo supra, quia hæc est illa, quæ regulat dispositionem, eamque ampliat, & restringit, *l. cum pater* §. *Dulcissimis, ff. de leg* 3. & notant *ibi* Bart. & cæteri Doctores Socin. *conf.89. num.9. lib.*3. Craueta *consil.227. num.*6. Osach. *decis. Pedemont.* 98. *num.*10. Surd. *consil.389. num.*9. Pistor. *lib.2. quæst.*59. *n.*19. Ludouis. *decis.544. num.*5. Causa autem finalis Decreti Concil. Trident. est tollere abusus, & restituere sacrificio debitum honorem, & cultum, vt constat ex illis verbis, *Vt ei debitus honor, & cultus ad Dei gloriam, & fidelis Populi ædificationem restituatur.* Eadem etiam est causa finalis, *d. Decreti* S.Congregat. nam cum postquam notata fuit nimia facilitas Episcoporum in concedendis oratoriis priuatis, ob quam minuatur frequentia Ecclesiarum subditur. 3

Verum

Verum etiam tremendum illud mysterium, quo nullum aliud opus adeò sanctum, atque diuinis à Christi fidelibus tractari potest inter domesticos parietes plerunque, cum tanta irreuerentia peragitur, vt nihil fere inter prophanam, & diuinam domum interesse videatur. Quod sanè vt teterrimum exemplum vt de Christiana Republica euellant Illustrissimi Patres, &c. Ex quibus patet, quod hoc decretum procedit de licentiis permanentibus cum hæ solæ minuant frequentiam Ecclesiarum, & solæ videantur auferre discrimen inter prophanas, & diuinas domos, & ideo S.Congregatio voluit auferre hunc abusum, auferendo facultatem ab Episcopis, seu declarando eos illam non habere concedendi licentias permanentes celebrandi in priuatis oratoriis. Rursus nec locum habet causa finalis Concilij Trident. Quia quod semel, aut iterum celebretur in priuatis domibus in loco decenti, non est contra irreuerentiam, & honorem debitum sacrificio siquidem tanquam quid extraordinarium cum maximo cultu exercebitur, & ideo non continet abusum, quem Concilium intendit auferre.

4 Confirm. Vna lex distinguitur per aliam, *l. sciendum, ff. Qui satisdare cog.* & *l. Filiusfamilias, ff. de act.& obligat.* & *l.Quamuis, ff. de in ius vocando.* Ergo cum dispositio Conc.Trid. indefinitè loquatur iniungendo Episcopis, ne patiantur celebrari in priuatis domibus, debet distingui secundum ius antiquum, vt non excludat casus particulares, in quibus militat specialis causa, quæ reddit licentiam rationabilem, sicut non excludebat ius antiquum, vt in cap. *Missarum, de consecrat. dist.* 1. quod licet sit Concilij Triburiensis Prouincialis, fuit tamen vniuersali consuetudine receptum & cap. *Hic ergo, eadem dist.* Quod est Clementis *Epist.* 3. & praxis quoque secundum ius vetus hoc ipsum declarat, quæ etiam vltra debitos limites fuit extensa. Ex his autem, quæ dicta sunt, solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ.

QVÆSTIO 452.

Quanta debeat esse necessitas, vt possit Episcopus concedere licentiam celebrandi in priuata domo.

SVMMARIVM.

1. *Concurrente aliqua necessitate conceditur licentia celebrandi extra loca deputata.*
2. *Quæ necessitas sufficiat, vt concedatur licentia celebrandi extra loca deputata. Verba significant secundum subiectam materiam.*
   Pro celebrando extra loca deputata cum licentia sufficit necessitas politica.
3. *Nunquam adest absoluta necessitas celebrandi extra loca deputata.*
4. *Quod est difficile habetur pro impossibili.*
5. *Locus sacrificij non est de iure diuino.*
6. *Pontifices ex causa infirmitatis concesserunt Missam in priuatis Oratoriis.*
7. *Quid in concedenda Missa in priuata domo debeant aduertere Episcopi.*

1 De iure antiquo concedebatur licentia celebrandi extra loca deputata concurrente aliqua necessitate. Et idem admittunt etiam de iure nouo communiter Doctores. Quia hoc est commune, vt in omnibus legibus censeantur exclusi casus necessitatis, vel per Epicheiam, vel per dispensationem. Et quia in omnibus casibus non potest haberi recursus ad summum Pontificem, ideò rectum regimen exigit, vt apud Episcopos sit facultas dispensandi in casibus particularibus occurrentibus, alioquin non esset sufficienter prouisum subditorũ necessitatibus, difficultas autem est, quanta, & qualia debeat esse ita necessitas.

Dicendum est: *Hanc necessitatem non debere esse absolutam, sed sufficere moralem iuxta subiectam materiam.* Dixi iuxta *subiectam materiam*, quia non sumus in materia, quæ de se possit inducere præcisam necessitatem, etiam in genere morali, sed solum talem conuenientiam, quæ se habeat instar necessitatis. Quare autem necessitas tali pacto accipienda sit, ex eo deducitur, quod verba significant secundum subiectam materiam, *l.cum pater §. Donatum, ff. de leg.* 2. & *l.sed etsi §.Item si iuramento, ff.de iureiur.* & *l.cum manu lata, ff. de contrahen.empt.* & *l.Vbi ità donatur, ff.de donat. cau. mort.* & *cap. Constitutus, de Religios. domib.* ex quibus tex. & aliis hæc regula deducitur. Vnde etiam verbum necessitas, quando dicitur in ordine ad celebrationem Missæ in domibus priuatis, debet accipi secundum subiectam materiam, atque adeo de illa necessitate, quæ potest exigere celebrationem Missæ. Et proinde quod sufficiat necessitas moralis fundata in deuotione fidelium, vel alia congruente ratione ex vsu politico nobilium personarum tradunt etiam Vasquez 3. *par. disp.*233. *cap.*1. *num.*4. Thomas Hurtad. *part.*1. *moral. resol. tract.* 12.*c.*1.*in digest.*§.1.*dub.*2.*n.* 2198. 2

3 Quod non possit adesse absoluta necessitas, satis constat, quia materia non est capax talis necessitatis. Nam ad summum prouenire posset ratione præcepti audiendi Missam. Verum ex hoc capite non prouenit, quia hoc præceptum obligat supposita celebratione Missæ, quæ si non adsit nec etiam vrget præceptum, & ideò nunquam potest adesse necessitas absoluta etiam moralis.

4 Verum quod sufficiat necessitas moralis secundum quid, & iuxta subiectam materiam ex eo deducitur. Quod leges humanæ non obligant cum graui incommodo, vt docent communiter. Vnde cap. *Erit autem dist.*1. inter alias conditiones legis requiritur, quod sit possibilis, hoc est facilis; quia, quod est difficile perinde est, ac si fieri non possit *l.Vnica §.*1. *ff. de lib.vniuer.* vbi Glos. *verbo consentire*, Speculat. *tit.de solut.* Felin. *in cap.Ecclesia S.Mariæ num.*86. *de constit.* Incommodum autem intelligitur intra terminos materiæ eiusdem legis; Et ideo, quando contingeret notabile incommodum in materia celebrationis tantum intra loca deputata, & posset occurri celebrando in domo priuata aderit saltem sufficiens causa dispensandi.

5 Dices. Deuteron. 12. Deus præcepit, quod sacrificia non offerentur in omni loco, sed in loco tantum, quem elegerit Deus ipse. Ergo non est solum lex humana, sed etiam diuina, quæ determinat locum sacrificij. Resp. neg. conseq. Quia quod tum præcepit Deus, pertinuit ad cæremonialia, quæ in lege Euangelij cessauerunt. Vnde modo loca sacrificij non eliguntur à Deo, sed designantur à quibuscunque Episcopis, & ideo lex de loco sacrificij est merè humana.

6 Confirm. Pontifices ex causa infirmitatis concesserunt celebrationem in priuatis oratoriis pro diebus festiuis personis nullo titulo insignibus, & ego pro diuersis talea dispensationes obtinui sub Vrbano VIII. Quæ tamen dispensatio non habet pro causa nisi necessitatem moralem iuxta explicationem positam. Ergo talis necessitas est sufficiens causa dispensandi. Ergo quod respectu Pontificis est sufficiens causa dispensandi, absolutè, & permanenter erit sufficiens causa respectu Episcopi dispensandi pro aliqua vice.

Est

7 Est tamen aduertendum, quod in concedenda hac licentia debent specialiter aduertere Episcopi, an si concedatur, sit executioni mandanda cum debita reuerentia, & decore sacrificij; aliàs nulla esset sufficiens causa pro concessione, quia reuerentia & cultus debitus sacrificio tanquam quid superioris ordinis est præferendus cuicunque necessitati. Et quia quando non seruaretur, locum haberet causa finalis prohibitionis celebrandi in priuatis domibus, quæ est seruare debitum cultum, & reuerentiam erga sacrificium, & ideo vigeret prohibitio pro illo casu, nec locum haberet Epicheia, seu dispensatio, quia licat hæc relaxet legem, non tamen tendit contra finem legis.

QVÆSTIO 453.

An pro ministrando viatico celebrari possit in domo priuata.

SVMMARIVM.

1. *Quando possit, adesse necessitas celebrandi in priuata domo ob causam viatici.*
2. *Ob necessitatem viatici celebrari potest in priuata domo.*
   Vndè hoc declaratur.
3. *Præceptum, de non celebrando in loco priuato cedit præcepto de viatico.*
4. *Vt possit ministrari extrema-vnctio remittitur ritus cæremonialis.*
5. *Integritas, confessionis remittitur, vt possit moribundus sumere viaticum.*
6. *Ius ad viaticum est suo modo publicum.*
   Ius publicum quodnam sit.
   Oblatio sacrificij subiicitur necessitati viatici.
7. *In priuata domo an celebrari possit sine licentia ob necessitatem viatici.*

1 POtest occurrere talis necessitas, vt adsit periculum, quod infirmus moriatur absque viatico, nisi in priuata domo celebretur, quia nimirum longè distet Ecclesia, & probabiliter non adsit tempus deferendi, aut si infirmus sit extra muros ciuitatis, cuius portæ non aperiantur, nisi orto iam sole; & proinde non adsit tempus, vt deferatur ab Ecclesia, quæ est intra muros aut ex aliquo alio simili impedimento, cui obuiari possit si in domo infirmi celebretur. Vnde difficultas est, an in tali casu possit celebrari. Difficultas autem procedit, si adsint necessaria pro celebratione, & domus sit talis, vt in decenti loco, & cum debito cultu celebrari possit, & proinde sit domus honestæ personæ, quia domus pauperum non habent decentem locum pro celebratione.

2 Partem affirmatiuam tradidi in *decis. moralib. decis.* 169. *n.* 1. & ita etiam docent Tolet. *lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 1. Fernandez *part.* 3. *Theol. moral. c.* 5. §. 10. *n.* 2. Nugnus 3. *par. qu.* 83. *art.* 3. & sequutus est Thom. Hurtad. *par.* 2. *resol. moral. tract.* 12. *c.* 1. *in digress.* §. 1. *dub.* 1. *num.* 2197. Quia, inquit, sicut Ecclesia dat pro illo casu iurisdictionem simplici Sacerdoti, vt moribundus satisfaciat præcepto confessionis, ita etiam censenda est dare facultatem celebrandi in domo infirmi, vt satisfaciat præcepto communionis. Nec dici potest quod sacramentum pœnitentiæ sit maioris necessitatis, quia dato, quod quis sciret per reuelationem esse contritum, adhuc teneretur implere præceptum diuinum de peccatis subiiciendis clauibus, in quem finem datur iurisdictio Sacerdoti simplici. Si quis tamen diceret quod non datur in hunc finem, sed ob necessitatem resurgendi à peccato per sacramentum, cum per contritionem sit difficile, & datur quoad omnes quia nescitur, qui indigeant, aut non indigeant, non video quomodo efficaciter vrgeri posset.

Ratio ergo est. Quia concurrũt duo præcepta quorum vnum necesse est non impleri, nã si seruatur præ- 3
ceptum de non celebrando in domo priuata, nõ potest impleri præceptum de viatico. Si implendum est præceptum de viatico debet celebrari in domo priuata; & non seruari præceptum hoc prohibens. In hoc autem concursu debet cedere præceptum de non celebrando in domo priuata, quia est præceptum inferioris ordinis, nam est præceptum purè humanum habẽs pro fine reuerentiam, & cultum debitum sacrificij, cui prouidere potest etiam celebrando in domo priuata, vnde in celebratione huiusmodi potest obtineri finis præcepti etiam si non seruetur præceptum. At præceptum de viatico est diuinũ, & dato, quod non esset diuinum, sed humanũ, fundaretur tamen in necessitate viatici pro articulo mortis: & proinde esset præceptum iniungens remedium institutum à Christo pro acquirenda salute, quod facit, esse præceptum superioris ordinis, quia saltem mandaret exequutionem illius in ordine ad finem salutis, quod in ordine ad eumdem finem est institutum à Christo.

Confir. Sacramentum extremæ vnctionis est minus 4
necessariũ quam sit Eucharistia, seu Viaticũ quia hoc plus proficit, & tamen, vt possit ministrari extrema-vnctio remittitur ritus cæremonialis, cum quo ex institutione Ecclesiæ debet ministrari, & sufficit si seruetur ritus essentialis, vt communiter docent quando ità necessitas exigit. Ergo vt etiam ministrari possit viaticum, remittet prohibitionem celebrandi in domo priuata, quia hoc pertinet solum ad ritum extrinsecum celebrationis, qualia est locus.

Confir. 2. Integritas confessionis est necessaria pro 5
sacramento pœnitentiæ necessitate sacramenti, ita vt si quis non integrè confiteatur, nullũ sit sacramẽtum; & desumitur ex Conc. Trid. *sess.* 14. *c.* 6. præsertim ibi. *Qui verò secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati per Sacerdotẽ remittendum proponũt.* Et tamen, vt moribundus possit recipere hoc sacramentum, si timeatur superuentura mors, aut etiam ex alia minori causa, remittitur ista integritas, quæ est de iure diuino: Ergo vt possit percipere viaticum censenda est remittere prohibitionem celebrandi in domo priuata, cum etiam seruata proportione sit quid minoris momenti. Nec obstat, quod sacramentum pœnitentiæ sit absolutè necessarium, Viaticum autem solum secundum quid. Nam si ex eo, quod sacramentum pœnitẽtiæ est absolutè necessarium, remittitur integritas confessionis, quæ aliàs est absolutè necessaria necessitate sacramenti. Ex eo, quod viaticum est necessarium secundum quid, debent remitti, quæ alias pro celebratione sunt tantum necessaria secundum quid, præsertim, si sit minor necessitas ipsorum respectu celebrationis, quam sit necessitas viatici respectu moribundi, vt in præsenti contingit; nam agitur tantum de loco, qui est quid extrinsecum celebrationi, & totum discrimen consistit in eo, quod sit, vel non sit deputatus pro celebratione.

Dices. Necessitatẽ infirmi quoad viaticum esse pri- 6
uatam. Prohibitionem autẽ celebrãdi in domo priuata respicere cultũ sacrificij, & proinde esse in ordine publico, & ideò non debere cedere. Resp. Necessitatẽ viatici posse dici suo modo publicã, quia fundatur in iure vniuersali, quod Christus dedit singulis fidelibus, vt membris Ecclesiæ ad sacramenta; vnde cum hoc ius sit commune omnibus tanquam mẽbris Ecclesiæ, & sit in ordine ad sacra, nempe sacramenta, erit ius publicũ, iuxta Cap. *Ius publicum, dist.* 1. Atq; adeo necessitas fundata in hoc iure erit publica. Deinde cũ sacramentũ Eucharistię sit institutũ à Christo in ordine ad subueniendum huic necessitati, etiam oblatio sacrificij

crificij tanquam oecessaria pro hoc sacramento conficieodo erit institutum etiam in ordine ad hanc necessitatem: Ergo ea, quæ sunt institutæ ab Ecclesiæ tanquam ritus extrinseci, & in quibus ipsa solet dispensare, debeot ita accipi, vt oon impediant finem, quẽ Christus respexit in iostitutione, & proiode censeri debẽt remissæ, quando alias impediant hunc finẽ.

7 Ex his colligitur. Quod occurreote casu, quod pro mioistrando viatico celebrandum sit iuxta superius dicta in aliqua priuata domo, poterit celebrari absque licentia Episcopi, quia regulariter, oisi forte esset præsens, tempus noo permittet, vt petatur. Si enim angostia temporis noo permittit, vt deferri possit viaticum à loco remoto, nec etiam permittit, vt peti possit licentia, & proiode io tali casu sufficiet præsumpta, cum ioteruenia causa omnium rationabilissima, ex quibus potest concedere celebrationem io domo priuata. Si tameo peti posset, esset omnino petenda, quia agitur de eo, quod fit in foro externo, quod proinde debet auctorizari à superiori. Et ideo quando dubitatur, quod tempus non sufficiat pro expectaoda licentia, poterit mitti ad eam petendam, & interim celebrari, oe expectatio liceotiæ faciat, quod moribuodus sine viatico decedat.

QVÆSTIO 454.

An infirmitas sit causa sufficiens pro licentia celebrandi pro aliqua vice in domo priuata.

SVMMARIVM.

1. *Infirmitas an causa sufficiens sit concedendi Missam in priuata domo*, & n.seq.
2. *Ex causa infirmitatis possunt Episcopi pro aliqua vice concedere Missam in priuata domo.*
3. *Infirmitas importat necessitatem, qua sufficis pro celebratione in domo priuata.*
   Ita approbata à S.Congregat.
4. *Infirmitas ex suo genere exhibet causam iustam.*
   Infirmitas fuit, quod leges generaliter loquentes non habeant locum quoad infirmos.
5. *Infirmitas est iusta causa pro obtinendis iis, qua alias non possent obtineri.*
6. *Infirmis tanquam afflictis indulgendum.*

1 PRima sententia est eorum, qui absolutè negant posse Episcopum coneedere licentiam celebrandi in domibus priuatis. Ita Nauar. *cap.* 25. *Manual. num.*81. & *consil.*1. *num.* 76. *de const.* & *consil.*16. *n.*1. *de priuileg.* Azor. *tom.*1. *lib.*10. *cap.* 23. *quæst.*3. Miranda *tom.*1. *Manual. quæst.* 40. *art.*9. *in* 3. *conclus.* Fusch. *lib.*4. *de visit. cap.*21. *num.*8. Gotierrez *lib.*1. *Canonic. quæst. cap.*30. *num.*25. Llamas 3. *part. Meth. cap.*5. §.15. & loquens de hoc speciali casu Ledesma *part.*1. *sum. cap.*20. *de Eucharist.* vers. *Lateuja difficultades, in fine.* Fundatur io dispositione Coocil. Trideot. ex decreto S.Congregat. iusso Pauli V. edito, sed ex dictis in superioribus constat, quomodo hæc non obstent, & quod Decretum S.Congregat. loquitur de liceotiis permanentibus

2 Secunda sententia asserit, esse causam sufficientem, vt possit concedi licentia. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.*2. *art.*3. vers. *Tum verò.* Vasquez 3. *part. disp.*233. *cap.*1. *numer.*5. Gaspar. Hurtad. *de sacram. disput.*4. *de sacrific. Miss. difficult.*6. vers. *Vnde Episcopi.* Beja *part.*4. *respons. casu* 33. vers. *Tertiò dico,* Alzedo *part.*1. *de præcel. Episcop. dignit. cap.*13. *n.*9. Barbosa *de potest. Episcopi, part.*2. *allegat.*23. *num.*9. *in fine.* Valer. *in differens. vtriusque priu. verbo* Missa, *differens.*2. vers. *Vno tamen casu.* Nauarr. *part.*1. *sum. Bullar. tit. de celebrat. Miss. prohib. in orat. priuatis, nu.*3. Quintanaduen. *tom.*1. *singul. tract.*7. *singul.* 32. *num.*6. Thomas Hurtad. *part.*2. *resol. moral. tract.*12. *cap.*1. *in digress.* §.1. *dub.*3. *n.*2201.

3 Ex causa iofirmitatis pro aliqua vice posse Episcopum concedere licentiam celebrandi in priuata domo, mihi videtor valde probabile. Qood habet fundamentum in Respons. S. Coogregat. ad Archiepiscopum Ianueos. apud Gallema. *ad decret. de seruand. & vitan. in celebr. Miss. Concil. Trident. sess.* 22. ibi. *In casu tamen necessitatis concedat arbitrio suo, modo celebretur in oratorio, vel Altari ad id ministerium decenter constituto.* Et quia Doctores magis communiter ita accipiunt Decretum Concil. Trid. & S.Congregat. Hoc aotem debet intelligi, quando infirmitas ooo esset habitualis, quia tunc recurri potest ad sedem Apostolicam, & quando cum debita reuerentia, & cultu offerri potest sacrificium.

4 Ratio autem est. Quia iofirmitas importat illam necessitatem, quæ pro hac concessione sufficit, nam vt dictum est io superioribus, requiritur solum oecessitas moralis, quæ iuxta subiectam materiam interuenire potest: talis autem est infirmitas in præsenti materia, oam hæc impedit, oe possit exhiberi Deo cultus, qoi est ipsi debitus ab vnoquoque per sacrificiom: Ergo cum possit tolli hoc impedimeotum per dispensationem concedentem in domo priuata oblationem sacrificij, & possit dispensatio executioni mandari cum debita decentia, causa erit sufficiens pro dispensatione, si aliàs in persona cnocurraot qualitates, quæ eam dignam reddant tali fauore. Et proinde infirmitas fuit habita pro causa sufficieoti ad hanc licentiam obtinendam à S. Congregat. apud Gallema. *ad decretum de seruan. & vitand. in celebrat. Miss. sess.* 22. *Concil. Trident.* vbi testatur de consensu summi Pootificis, ibi. *Quibus, non obstantibus Ordinarij arbitrio permittit Pontifex necessitate personarum, & infirmitatis qualitate pensata, vt pro infirmorum commoditate, etiam in priuato Oratorio, seu Altari ad hoc deputato facultatem celebrandi concedat.*

5 Confirm. Infirmitas ex genere suo exhibet causam iustam, & rationabilem, *l. Cum hæres*, §. *Stichus, ff. de statu. lib.* & *l. Contumaciam, ff. de re iud.* & cap. *Quod sedem, de Offic. ordinar.* & latè Decian. *resp.*14. *num.* 31. *vol.*3. atque est talis vt faciat, quod leges generaliter loquentes restringantur, & noo habeant locum quoad infirmos, *l. Arboribus*, §. *de illo ff. de vsufruct.* & *l. si longius,* & *l. Iudex, ff. de re iud.* & *l. Licet, ff. de recept. arbit.* & *l. Filiusfamil.* §. *fin. ff. de procurat.* & passim, & obseruant Francisc. Nau. *qu.*645. *num.*1. *part.*5. Innocent. *in cap.*1. *num.*2. *de celebrat. Missar.* Ergo cum io omni lege dispensari possit ex iusta, & rationabili causa, & possit Episcopus dispensare io hac lege de non celebraodo in domo priuata, poterit dispensare ex causa infirmitatis, cum sit iosta, & rationabilis causa.

6 Dices. Infirmitatem exhibere causam rationabilem pro excusandis infirmis in ordine ad ea, quæ alias tenentur præstare: noo autem in ordioe ad relaxandas leges, quæ ipsos noo obligãt, verum quod sit iusta, & rationabilis causa etiam ad obtinenda, quæ aliàs non possent obtinere, desumitur ex c. *Ex part. de cler. ægrotan.* vbi dicitur, quod afflictioni non est addenda afflictio, sed miseriæ iofirmorum miserendum. Vnde infirmitas ratione afflictioois, & miseriæ, quam secum trahit est iusta, & rationabilis causa, cur aliqua priuilegia coocedaotur infirmo. Esset autem magna afflictio persooæ piæ, & deuotæ priuari sacrificio Missæ, & ideo iuxta qualitates personarum erit causa sufficiens, vt possit concedi pro aliqua vice celebratio in priuata domo iuxta facultatem Episcopi.

QVÆSTIO

QVÆSTIO 455.

An, quando egressus è domo non est tutus, sit causa sufficiens pro licentia celebrandi in domo priuata.

SVMMARIVM.

1. *Si egressus è domo non sit tutus, est causa iusta concedendi priuatam celebrationem.*
   Declaratio S. Congregationis in hac materia.
2. *Quando adsit rationabilis causa pro dispensatione in lege.*
   Interpretatio legis ex coniectata mente legislatoris.
3. *Amissio lucri aequiparatur damno.*
   Etiam in spiritualibus.
4. *Dispensatio in lege confert ad maius bonum communitatis.*

1 EX diuersis causis potest egressus è domo non esse tutus, praecipuè autem tempore belli, aut pestis, quando scilicet grassatur; vnde quaeritur, an haec sit causa sufficiens concedendi licentiam celebrandi pro aliqua vice in domo priuata. Dicendum est. *Egressum è domo non tutum ratione belli, aut pestis, aut alterius similis tituli esse causam sufficientem pro concedenda licentia celebrandi in domo priuata.* Ita Barbosa *de potest. Episcop. part. 2. allegat.* 23. *num.* 8. Marchin. *de bello diuino, part. 6. cap. 1. num.* 5. Thomas Hurtad. *part. 2. moral. resol. tract. 12. cap. 1. in digress.* §. 1. *dub. 3. in fine*, & caeteri, qui volunt posse concedi hanc licentiam pro aliqua vice ex qualibet rationabili causa, quos in superioribus recensui. Ita bis declarauit S. Congregat. apud Gallemart. *ad Decret. de seruan. & vitan. in celebrat. Miss. sess.* 22. Concil. Trid. primo in litteris ad Archiepiscopum Ianuensem, ibi. *In casu tamen necessitatis concedat arbitrio suo*, & de consensu Pontificis pro omnibus Episcopis citato loco *num.* 6. ibi. *Quibus non obstantibus Ordinarij arbitrio permittit Pontifex necessitate personarum, & infirmitatis qualitate pensata, vt pro infirmorum commoditate etiam in priuato Oratorio, vel Altari ad hoc deputato facultatem celebrandi concedat.* Cum enim admittatur causa necessitatis indefinitè, admittitur quaecunque necessitas. Neque contrariantur Decreto S. Congregat. de quo *suprà*; quia, vt pluries dictum est, procedit de licentiis permanentibus; non autem de licentiis per modum dispensationis in aliquo particulari casu.

2 Ratio resolutionis est. Quia tunc adest causa iusta, & rationabilis pro dispensatione in lege, quando, si non dispensaretur, lex afferret aliquod extraordinarium incommodum, aut quando venit ad casum, quem Legislator interrogatus verisimiliter non comprehendisset sub lege, quod sufficit, vt possit locum habere interpretatio, quod si Legislator adesset, ita dixisset, vt docet Arist. 5. *Ethic. cap.* 10. & D. Th. 2. 2. *quaest.* 120. *art.* 1. & 2. Modo autem sumus in casu, in quo obseruantia legis impedit adimpletionem praecepti; & priuat consolatione, & vtilitate spirituali, quae percipitur ex cooperatione per assistentiam ad sacrificium, quod respectu personarum piarum est quid graue, & in casu, in quo de facto S. Congreg. de mente Pontificis respondit, concedi posse licentiam, vt constat ex declarationibus adductis *num.* 1.

3 Confir. Amissio lucri aequiparatur damno. *l. vn. C. De sent. pro eo, quod inter profer.* & Cap. *Licet, de ferijs.* Et proinde si hoc valet in temporalibus, à fortiori valebit etiam in spiritualibus, itavt amissio lucri spiritualis aequiparetur damno spirituali: ergo si dispensatur in lege, ne amittatur lucrum temporale; vt in dict. Cap. *Licet, de ferijs*, à fortiori erit dispensandum, ne amittatur lucrum spirituale, quia spiritualia sunt in altiori ordine, & pluris facienda quam temporalia. Amittitur autem magnum lucrum spirituale, si non possit audiri Missa praesertim per notabile tempus. Quia non solum amittitur lucrum, quod percipiunt ex sacrificio, qui assistunt, sed etiam lucrum, quod prouenit ex exercitio virtutis religionis, & aliarum virtutum, quas personae piae possent exercere. Rursus etiam in hac dispensatione interuenit vtilitas Ecclesiae, quae consurgit ex eo, quod seruentur praecepta ipsius, siquidem cum leges sint propter bonum commune, obseruantia quoque ipsarum redundat in bonum commune.

Dices. Esse maius bonum, quod seruetur lex de non celebrando in domo priuata, & ideò praeferendum esse. Verum si hoc admitteretur, nunquam esset dispensandum in aliqua lege, quia semper dici posset, quod est maius bonum rigorosa obseruantia ipsius. Hoc tamen non potest admitti. Quia maius bonum resultat, quod leges temperentur aequitate, & quod aliquando remittatur obligatio ipsarum; vt constat ex praxi. Nam hoc pacto libentiùs homines se subijciunt legibus, & meliori, & faciliori modo manutenentur in obseruantia, quod valdè conducit Reipub. Rursus fit quaedam temperatio rigoris, & aequitatis, quae valdè vtilis est. Habent etiam Doctores communitatis plures occasiones beneficij afficiendi benemeritos, quod valdè interest Reipub. quia caeteri conantur seipsos quoque reddere benemeritos, & alia plura commoda ex hoc percipiuntur; quod abundè declarat, quantum expediat dispensatio in legibus, & quantum expediat eas reducere ad aequitatem. 4

QVÆSTIO 456.

An quando secundum politicum vsum non est licitus egressus è domo adsit sufficiens causa dispensandi pro celebratione in priuata domo.

SVMMARIVM.

1. *Mos non egrediendo domo ob mortem valdè coniuncti per aliquos dies.*
   An sit sufficiens causa celebrandi in domo priuata mos non egrediendo domo ob mortem coniuncti.
2. *Nobilitas personae cum impotentia accedendi ad Ecclesiam est causa sufficiens pro dispensatione pro Missa priuata.*
3. *Vtilitas spiritualis est causa sufficiens dispensandi.*

EGressus è domo potest non esse licitus ex diuerso capite, praecipuè autem in aliquibus locis obtinuit consuetudo, vt personae nobiles non egrediantur domo per aliquot dies, si succedat mors aliquorum ex valdè coniunctis. Vnde dubitatur, an ex hac causa concedi possit licentia celebrandi in domo priuata. Dicendum est. *Esse sufficientem causam concedendi huiusmodi licentiam.* Ita ij qui tenent, quod possit Episcopus concedere pro aliqua iure stante quacunque rationabili causa, quos suprà *qu.* 450. *n.* 2. retuli, & in his terminis Th. Hurtad. *part. 1. resol. mor. tr. 12. cap. 1. in digres.* §. 1. *dub. 2. n.* 2198. & *dub. 3. n.* 2202. *in fine*; Cespedes *de exemp. Regul. cap. 5. dub.* 91. *num.* 10. 1

Ratio autem pro hac, & aliis similibus casibus est, quia agitur de lege, in qua passim solet dispensari à Summo Pontifice, & proinde non est lex quae cum rigore seruari soleat, sed aequitate. Et in qua pro causa dispensationis solet sufficere sola nobilitas personae: ergo 2

ergo si cõcurrat nobilitas personæ cõiuncta cum impotentia accedendi ad Ecclesiã pro audienda Missa, qualis interuenit stante politico vso non egrediendi domo, sufficiet etiam, vt possit Episcopus pro aliqua vice dispensare, quia vltra causam ordinariam interuenit etiam aliqua moralis necessitas.

3 Confirmat. Finis prohibitionis, quatenus est vitandi irreuerentiam, & seruandi debitum cultum, & dignitatem sacrificij cessat in his casibus, quia supponitur, quod cum debita reuerentia, & cultu sit celebrandum. Rursus etiam dispensatio habet adiunctam vtilitatem spiritualem dispensati: Ergo interuenit causa sufficiens pro dispensatione iuxta ea, quæ tradunt communiter præsertim Sotus *lib.3. de iust. & iure quæst.7.art.vlt.§.Sed argum.* Suarez *lib.6. de legibus cap.*18.*num.*24.Merol.*tom.*2.*Theol. moral.* 1. *disp.*4.*cap.*6.*dub.*23.*n.*300.

QVÆSTIO 457.

An obitus personæ præcipuæ præsente corpore in domo sit sufficiens causa ibi celebrandi.

SVMMARIVM.

1. *Consuetudo celebrandi domi in obitu personæ præcipuæ corpore præsente.*
2. *Hæc consuetudo an permittenda.*
   Consuetudo localis quando seruanda.
3. *Consuetudo celebrandi domi præsente corpore toleranda.*
   Celebratio domi præsente defuncto præscribi potest.
4. *Consuetudo celebrandi domi præsente corpore præualere potest contra ius.*
5. *Huic consuetudini non obstat Decretum S.Congreg.*
   Consuetudo specialis derogat legi generali.

1 IN aliquibus locis in obitu personarum nobilium, antequam corpus deferatur ad sepulturam, solent in domo, vbi reperitur cadauer, celebrari Missæ, & hanc consuetudinem vigere Hispali in Hispania, & à se visam, testatur Quintanaduen. *infrà* citandus. Dubitatur ergo, an licitè seruetur, & Episcopus licitè concedat talem licentiam. Negat Diana *part.9. tract.1.resol.*44.Quia non scit,fuisse aliquando in Italia practicatum, nec adest necessitas, quæ præbeat iustam causam dispensandi; & quia Missæ illæ, quæ celebrantur in domo priuata, celebrari possunt cum maiori reuerentia & æquali fructu pro defuncto in Ecclesia.

2 Sed non video quo fundamento ex eo, quod non adsit ista consuetudo in Italia reiiciatur in Hispania, nam si hoc rectè procederet, essent reiiciendæ omnes locales consuetudines, quæ non essent in Italia,quod neque ipse Diana admittit, cum plures exteras approbet. Imò de natura consuetudinis est, vt sit localis vt plurimum, & est semper seruanda, quando nihil continet iniquum,iuxta Cap. *Illa, dist.*12. Quod autem non adsit necessitas, quamuis hoc verum sit rem in se considerando: attenta consuetudine adest sufficiens necessitas, nempe se conformandi communi vsui; quamquam hæc licentia non fundetur in necessitate, sed consuetudine. Nec obstat, quod cum æquali fructu, & maiori reuerentia celebrari possint Missæ in Ecclesia, nam dato, quod etiam cum maiori reuerentia celebrari possint in Ecclesia, adhuc hoc ipsum dici potest respectu cuiuscunque concessionis Oratorij priuati, & tamen conceditur ob commoditatem, vnde poterit etiam concedi in casu præsenti priuata celebratio ad indulgendum consuetudini.

3 Dicendum itaque est. *Supposita consuetudine posse Episcopus concedere licentiam in hoc speciali casu celebrandi in domo priuata.* Ita Quintanaduen. *tom.*2. *singul. tract.*7. *singul.*32. *numer.* 6. Et videtur etiam idem sentire Thomas Hurtad. *part.* 2. *resol. moral. tractat.* 12. *cap.* 1. *in digres.* §.1. *dub.* 2. *num.*2198. Ratio autem est. Quia sumus in materia, quæ est capax priuilegij, vt constat ex priuilegio oratorij priuati, quod passim conceditur. Ergo etiam sumus in materia quæ consuetudine præscribi potest, itavt possit inducere priuilegium, vel quasi priuilegium iuxta ea, quæ tradunt Glos. *in* cap. *Conquestus, verbo.* Consuetudo 9. *quæst.*3. & *in cap.* Monet. *verb.* Consuetudinem, *de iudic.* Petrus de Vbald. *de Canon.Episcop.part.*2. *cap.*2.*num.*19. Barbat. *concl.*81. vers. *Quinimò plus. lib.* 1. Grammas *consil. ciuil.* 98. Mandos. *de priuileg. ad instar. glos.*15. *n.*59. Roland. *consil.*86.*num.*4.*vol.*1. Craner.*de antiquo temp.part.*4. §. *Absolut. different. quæst.*3. *num.* 10. Ergo si consuetudine præscriptum sit, quod in dicta causa concedatur licentia celebrandi in domo priuata, rectè concedetur, quia concedetur vsus quasi priuilegij præscripti.

4 Confirmatur. Hæc consuetudo est tantum contra ius humanum Ecclesiasticum: nec continet aliquid turpe, aut contra bonos mores, cum sit ex illis, quæ per priuilegium concedantur à summis Pontificibus, vt constat ex praxi. Ergo potest præualere contra ius, cui contrariatur iuxta Cap. *fin. de consuet.* Ergo possunt Episcopi eam seruare, vbi est introducta, & continuare concessionẽ licentiæ in huiusmodi casus.

5 Dices. Decretum S. Congregat. de iussu Pauli V. emanatum declarauit, non posse, nec potuisse Episcopos concedere huiusmodi licentias, sed spectare tantum ad summum Pontificem. Ergo cum agatur de casu, qui frequenter occurrit, & pro quo in genere consuli potest summus Pontifex, non poterant Episcopi concedere talem licentiam. Resp. Decretum S. Congregat. procedere de licentiis permanentibus, quæ habent tractum successiuum, vt dictum est in superioribus, qualis non est licentia, de qua modo agitur. Quod etiam ex eo colligitur, quod iniungit Episcopis, quod concessas decernant irritas, quod supponit habere tractum successiuum. Deinde non tollit consuetudinem concedendi in aliquo casu particulari pro aliqua vice; & proinde ista consuetudo tanquam lex particularis derogaret in hac parte dicto Decreto, & in sua generalitate illi contrariaretur iuxta cap. 1. *de constit. in* 6. ibi: *Quia tamen locorum specialium, & personarum singularium consuetudines, & statuta, cum sint facti; & in facto consistat potest probabiliter ignorare, ipsis, dum sint rationabilia per constitutionem à se nouiter additam, nisi expressè caueatur in ipsa non intelligitur in aliquo derogare.* In prædicto autem decreto, nulla fit mentio huius consuetudinis, nec in specie, nec in genere.

QVÆSTIO 458.

Quibus personis concedenda sit licentia celebrandi in domo priuata ab Episcopis.

SVMMARIVM.

1. *Personis nobilibus concedi potest pro aliqua vice ex causa Missa in priuata domo.*
   Nobiles magis quam cæteri conferunt ad bonum commune.
2. *Personis insignibus an concedi possit Missa domi pro aliqua vice ex causa.*

3. *Persona*

3. *Personæ insignes merentur ornari priuilegiis.*
4. *Personis insignibus concedi potest ab Episcopo pro aliqua vice celebratio domi.*
In dispensando habenda est ratio personarum, quæ magis conferunt ad bonum commune.
Scientia, morum probitas, prudentia, &c. præbent causam dispensandi.
5. *Omnis persona insignis est dispensabilis, &c.*
6. *Prærogatiua meritorum est sufficiens causa dispensandi.*
7. *Nobilitas Doctorum æquiparatur nobilitati sanguinis.*
8. *Argumentum negatiuum non releuat.*
9. *Qualibus personis concedenda celebratio in domo priuata.*

1 PRocedit difficultas de licentia pro aliqua vice. Et quidem, quod personis nobilibus concedi possit non videtur in dubium reuocari posse cum passim concedatur à summis Pontificibus priuilegium oratorij priuati personis nobilibus. Et habet fundamentum etiam in ratione; nam cum priuilegia, & dispensationes ordinari debeant, vt concurrant in vtilitatem publicam, & proinde communicari iis personis, quæ magis conferunt ad bonum commune, fit quod personæ nobiles sint habiles, vt ipsis cōferantur priuilegia, & dispensationes, quia magis quam cæteri conferunt ad bonum commune, vt tradunt communiter cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 163. *art.* 2. *in corpore*. Difficultas autem est, an aliis personis, licèt non sint nobilitate conspicuæ, si aliunde insignes sint concedi possit huiusmodi licentia.

2 Partem affirmatiuam tradidi *in decis. moraliter. decis.* 70. *num.* 7. vbi dixi, posse concedi personis insignibus, vel ob aliquod seruitium præstitum communitati, vel ob litteras, & scientiam, vel ob alium titulum digno homine liberali, & qui reddat personas dignas speciali veneratione. Verum Diana *part.* 9. *tract.* 1. *resol.* 44. *casu* 3. ait. Hoc sibi displicere, quia Doctores loquuntur tantum de personis nobilibus, & Pontifices solum nobilitate conspicuis solent hoc priuilegium concedere, præsertim quia illustres in scientiis possunt alia via honorari, sed si hæc conclusio Dianæ displicuit, debet etiam displicere principium, ex quo necessaria consequentia sequitur, cum tamen sit communiter à Doctoribus receptum, & canonizatum in iure canonico, vt mox videbimus.

3 Itaque non displicuit, sed placuit Thomæ Hurtado, *Qui doctrinas è suis fontibus haurire solet*, *part.* 2. *resol. moral. tractat.* 1. 2. *cap.* 1. *in digress.* §. 1. *dub.* 3. *num.* 2202. inquiens. Nobilis est per Equestrem ordinem, imò quamuis non sit ita nobilis, si præstitit beneficium grande communitati, in qua est insignis prudentia, opibus, scientia, militia, & aliis similibus; si tamen Missa in domibus suis potest celebrari cum debita reuerentia, huiusmodi enim personæ, vt notat Pasqualigus *decis.* 70. *num.* 7. merentur ornari specialibus priuilegiis.

4 Dicendum ergo est. *Licentiam celebrandi in priuata domo pro aliqua vice posse ab Episcopis concedi personis insignibus scientiam, aut quacumque alia qualitate, quæ aliquo modo concernat publicam vtilitatem, & sit ornamentum hominis liberalibus.* Hoc sequitur ex principio communiter recepto in materia dispensationum, quod scilicet cum dispensatione præsertim in spiritualibus ordinentur præcipuè ad vtilitatem communem, in dispensando debet ratio illarum personarum, quæ magis conferunt ad bonum commune, & proinde quæ habent qualitates, ex quibus prouenit communis vtilitas. Hæ autem qualitates sunt scientia, potentia, industria, & aliæ huiusmodi. Imò scientia insignis magis confert ad publicam vtilitatem, quam aliæ qualitates, vt proinde videamus, quantum glorientur ciuitates, quod habuerint insignes in litteris. Hoc est commune principium quem ponunt Doctores pro regulanda causa extrinseca dispensationis, traditum à D. Thom. 2. 2. *quæst.* 162. *art.* 2. *in corpore*, & *ad* 2. & canonizatum in iure canonico à Cœlestino III. in cap. *Innotuit. de elect.* ibi. *Multa enim in casu dispensationem inducere videbantur litterarum scientia, morum honestas, vita virtus, & summa personæ.* Enumerat autem Pontifex has qualitates, non quia cæteras excludat, sed quia hæc concurrebant in persona, de cuius dispensatione agebatur; inter has tamen reperitur scientia, cuius non esse habendam rationem vult Diana *citat.* cum tamen Pontifex ex ipsa moueatur ad dispensandum cum illegitimo pro Episcopatu, atque adeò in Constitutione Conciliarij Concilij Lateranensis sub Alexandro III.

Ex hoc ergo principio vniuersali elicitur conclusio particularis, quod si talis persona sit insignis in aliqua ex his qualitatibus, possit cum ipsa dispensari pro aliqua vice ab Episcopo, vt in eius domo Missa celebretur, si decenti modo celebrare possit. Imò hæc est particularis propositio contenta in principio vniuersali, quæ non tam deducitur ex vniuersali, quàm explicatur sicut quando principium vniuersale applicatur materiæ particulari, vt cum dicitur omne totum est maius sua parte, & subditur corpus humanum est maius pede. 5

Confirm. scientia, quando est insignis, & adhibetur in beneficium commune, aut docendo, aut scribendo, aut consulendo, aut quocumque alio modo, reddit hominem benemeritum de Rep. Et dignum specialibus fauoribus. Prærogatiua autem meritorum est in genere sufficiens causa pro dispensatione, atque adeò in quacumque materia, vt obseruat Abbas in dict. cap. *Innotuit, de celebratione*, per illum text. ex quo elicitur etiam quod scientia insignis sufficiat pro dispensatione, siquidem ex ipsa mouebatur Pontifex ad dispensandum: ergo à fortiori sufficiat in præsenti. 6

Accedit etiam; Quod, quamuis Doctores non habeant nobilitatem sanguinis, habent tamen suam nobilitatem quæ æquiparatur nobilitati sanguinis, vt tradunt Anton. Faber. *lib.* 1. *Cod. tit.* 28. *decis.* 20. Benius *de Priuileg. Iurisconsult. part.* 3. *priuileg.* 56. Mathias Stephanus *de nobilitat. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 29. Harperecht. §. *Seruum.* 5. *num.* 79. *instit. de iure personæ*, Gutierrez *lib.* 4. *pract. quæst. cap.* 17. *num.* 8. Menoch. *præsump.* 189. *num.* 86. *lib* 4. Vualterus *de priuileg. Doctorum, cap.* 9. §. 52. vbi alios citat. §. 50. *quæst.* 30. Abberic. Gent. *lib.* 4. *de Nupt. cap.* 13. Vnde si ratione scientiæ fiunt nobiles si scientia sit insignis, nobilitas quoque erit insignis: ergo ex hoc quoque capite erunt personæ habiles, vt dispensentur. 7

Nec obstat, quod Doctores agentes de hac licentia faciant mentionem de nobilibus, non autem de insignibus in litteris, aut alia qualitate; quia, cum non loquantur de his, neque censendi sunt inclusi, neque exclusi, & cum non exterminauerint hunc punctum, argumentum ab eorundem auctoritate nihil concludit; neque enim valet consequentia. Nam dicunt, quod possit concedi hæc licentia: ergo non potest. Thomas autem Hurtad. qui examinauit, partem affirmatiuam tenuit; quod autem Pontifices non concedant hoc priuilegium personis insignibus in scientia, &c. nihil similiter releuat, quia est argumentum negatiuum; & vt aliquid probaret oporteret, quod constaret, quod instauerint pro priuilegio, & quod Pontifex notam haberet eorumdem 8

eminentiam, & noluerint concedere. Neque tamen adhuc concurreret, quia modo agitur de licentia concedenda ab Episcopis pro vita, aut altera vice, quod est quid longè diuersum.

9 Est tamen aduertendum, valde expedire, quod huiusmodi licentiæ non concedantur, nisi illis personis, quæ in suis actionibus ostendunt pietatem, & religionem, quia non est æquum, quod participent priuilegia Ecclesiæ, præsertim in rebus spiritualibus, qui circa res Ecclesiasticas parum affectos se ostendunt, præsertim, quia præsumi potest, quod non sint vsuri priuilegio cum ea reuerentia, & decentia, quam requirit oblatio sacrificij. Econtra verò personæ piæ, & religiosæ tanquam dignæ speciali fauore admitti possunt ad hoc priuilegium participandum, si cætera concurrant, cum præsumi possit ab ipsis omnis reuerentia, & decentia.

QVÆSTIO 459.

An opiniones de licentia celebrandi aliqua vice in domo priuata sint practicabiles ab Episcopis.

SVMMARIVM.

1. *Episcopi an sequi possint opiniones circa celebrationem in domo priuata.* & num. seq.
3. *Quid obseruandum in iudicando, quænam sit communis opinio.*
4. *Iudex sequens communem opinionem, non tenetur de syndicatu.*
5. *Episcopus potest exercere suam facultatem secundum communem opinionem.*
Omnis potestas est in beneficium communitatis.

1 Diana *part. 9. tract. 1. resol. 44.* ver. *Casus tertius, in fine*, concludit. *Itaque Episcopi me consulente abstineant à dandis similibus licentiis.* & *resol. 45. casu 5. in fine*, habet. *Ideò lector tu cogita, & à fortiori Episcopi etiam cogitent, ne postea cum rubore fraternam correctionem à S. Congregat. in Domino recipiant.* Fortè ei reuelatus fuit, quem sensum esset habitura S. Congregat. si ei deferretur aliquis Episcopus, qui has licentias concederet; nam cum iste sensus dependeat à pluribus circumstantiis incertis, nimirum, à numero, qualitate, opinione, quam sequantur, informatione, consulatione, quæ tunc temporis contingent, cæterisque circumstantiis in facti contingentia concurrentibus, est impossibile coniecturare sensum huiusmodi. Quod si maior pars Cardinalium interuenientium Congregationi sequeretur opinionem magis communem, quod Episcopi concedere possint has licentias. An contra conscientiam reprehenderent?

2 An licet non consulat Diana, consulunt tamen egregij, & probati Doctores, qui sine hæsitatione tradunt, posse Episcopos concedere hanc licentiam. Hi sunt Lessius *de sacrament. disput. 85. art. 2.* Tit. *De loco. num. 78.* ver. *Deinde.* Bein *part. 4. Respon. casu 33.* ver. *Tertio dico.* Alzado *part. 1. de Præcel. Episcop. dignitat. cap. 13. num. 9.* Barbosa *de potestate Episcopi part. 2. allegat. 23. num. 9.* Cenodus *quæst. 44. Canon. num. 5. & sequent.* Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disput. 4. dub. 5. num. 94.* Palaus *part. 4. oper. moral. tractat. 22. disput. 1. punct. 8. num. 6.* Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 13. num. 14.* Machad. *tom. 2. lib. 4. part. 6. tractat. 16. docum. 6. num. 3.* Pax Iordan. *tom. 4. Lucubrat. lib. 4. titul. 1. num. 121.* Thomas Hurtad. *part. 2. moral. resolut. tractat. 12. cap. 1. in Digres. §. 1. dub. 11 num. 2196. & sequent.* Francisc. Lugo *de sacrament. lib. 5. cap. 6. quæst. 3. num. 29.* ver. *Nota etiam.* Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disputat. 4. de sacrific. Miss. difficult. 6.* ver. *Vnde Episcopi*, Sotus *in 4. distinct. 13. quæst. 2. artic. 3.* ver. *Imò verò.* Vasquez *3. part. disput. 233. cap. 2. num. 5.* Valer. *in differen. vtriusque fori, verbo* Missa. *different. 2.* ver. *Vno tamen casu.* Nauar. *part. 1. sum. Bullar.* Tit. *de celebrat. Miss. in orat. priuato. num. 3.* Quintanaduen. *tom. 1. singul. tractat. 7. singul. 32. num. 6.* Marchin. *de bello diuino, part. 6. cap. 1. num. 5.* & fortè alij quoque quos non vidi. Hi autem sunt decem, & nouem Doctores, qui scripserunt post Concilium Tridentinum, ac etiam excepto vno, aut altero post decretum sacræ Congregationis iussu Pauli V. editum, & vt plurimum examinant materiam, nec solum perfunctoriè scribunt. E contra verò Doctores oppositum sentientes longè pauciores sunt, nec in pondere iudicij adæquare possunt quamplures ex citatis.

Vnde hæc opinio est communissima non solum attendendo numerum Doctorum, qui eam tradunt, sed etiam modum, quo tradunt, nempe examinando, & confirmando, quod in iudicando. Quænam sit communis opinio, esse obseruandum, tradunt. Aleiat. *regul. 1. præsum. 51. num. 2.* ver. *Item intellige.* Ceual. *in præfat. ad quæst. pract. num. 11.* Menoch. *Præsumpt. 71. num. 39. lib. 2.* Nauar. *cap. 27. Manual. num. 28.* Sanchez *lib. 3. de matrimonio, disputat. 44. num. 2.* Et proinde est talis conditionis, vt possit quisque eam sequi. 3

Ex hoc ergo sequitur, quod non possint Episcopi iure reprehendi, si sequantur hanc opinionem, cum sit opinio magis communis; quàm si sequatur Iudex, non tenetur de syndicatu, quia tenetur eam sequi, *l. 1.* ver. *Sanè crebrior.* & *l. Athletas. ff. de offic. quæstor.* & cap. *In Canonicis, distinct. 19.* & cap. *De quibus. distinct. 20.* & cap. *de iudic. 4. quæst. 3.* & tradunt Bald. *in l. 1. in fine. ff. De Senator.* per illum text. & *in l. fin. Cod. de institut. & substitut.* Ias. *in Authen. Nouissima. num. 21. Cod. de inoffic. testament.* Angel. *in l. fine. Cod. de pœna iud.* Alexand. *in l. Cum probat. ff. De re iud.* Abbas *in cap. 1. de re iud.* Ioan. Andræas *in cap. 1. de Constit.* Castrens. *consil. 19. vol. 2.* Salzedo *in addit. ad Reg. 107.* Bernard. Diaz. Vnde si Iudex rectè iudicat sequendo communem opinionem, nec reprehendi potest, nec Episcopus quoque poterit reprehendi, si in vsu suæ potestatis sequatur opinionem magis communem. 4

Dices. Iudicem teneri ad iudicandum, & ideò debere sequi aliquam opinionem, & proinde magis communem. At Episcopus non tenetur concedere licentiam celebrandi in domo priuata, & proinde non cogi ad sequendam in hac materia aliquam sententiam. Contra licet non teneatur Episcopus concedere hanc licentiam potest tamen exercere suam facultatem, & si exerceat, secundum opinionem magis communem, imò communissimam, non potest reprehendi. Deinde cum omnis potestas sit in beneficium subditorum, seu communitatis, vt notat D. Thom. 2. 2. *quæst. 163. art. 2. in corpore* ex illo 1. ad Corinth. 1. 2. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem.* Debet Episcopus manutenere suam potestatem, vt ea, quando expedient, vti possit in beneficium communitatis, præsertim quia non est Dominus talis potestatis, sed administrator, & ideò illam conseruare debet pro successoribus. 5

QVÆSTIO

QVÆSTIO 460.

Quanto tempore debeat impediri egressus è domo, vt possit concedi licentia celebrandi in priuata domo.

SVMMARIVM.

1. *Quanto tempore impediri debeat egressus è domo, vt possit concedi licentia celebrandi in priuata domo.*
2. *Diuersa ratio de celebratione sub diu, ac in domo priuata.*
3. *Carere Missa per duos menses est causa sufficiens pro licentia celebrandi in domo priuata.*
4. *Praeceptum audiendi Missam est mixtum cum diuino.*
   Præceptum de audienda Missa speciali modo obligat diebus solemnioribus.
5. *Adueniente solemniori festo dispensari potest pro Missa in priuata domo durante impedimento secundi.*
6. *Inconuenientia cessant ex circumstantiis in celebratione in priuata domo.*
   Sensus sacræ Congregationis circa Missam in priuata domo.
7. *Quæ necessitas sufficiat pro Missa in priuata domo.*

1 QVod quando secundum vsum politicum, aut alia de causa non est licitus egressus è domo, possit concedi licentia celebrandi, *in decis. moralib.* & supra cum Thoma Hurtado. Modo autem videndum est, quanto tempore debeat durare hoc impedimentum, vt possit concedi licentia, *in decis. moralib. decis.* 171. *num.* 4. Dixi, quod debet durare per notabile tempus, aut concurrere cum ipso aliqua ex principalioribus solemnitatibus.

2 Hoc non placuit Dianæ, *part.* 9. *tractat.* 1. *resol.* 45. *casu* 5. & quod *decis.* 167. *num.* 8. dixi de nauigantibus, quod si per mensem caruerunt Missa, possent appellentes ad terram sub diu celebrare, applicat huic casui, non videns, quod ratio est longè diuersa de nauigantibus, & celebratione sub die, ac de celebratione in domo priuata. Et subdit quod si quis domi per mensem detineretur podagra, aut carceratus, posset Episcopus concedere licentiam celebrandi in domo, quod non admittit, quia non inuenit in hoc illam magnam necessitatem, quæ requiritur.

3 Verum Thomas Hurtad. *part.* 2. *resol. moral. tract.* 12. *cap.* 1. *in digres.* §. 1. *part.* 3. *num.* 2202. tradit, quod ego docui citato loco decis. inquit enim, *Omnis illa dicitur rationabilis causa, ob quam non est licitus secundum politicum vsum, vel ex alio motiuo egressus è domo si duret causa in diebus valdè festiuis.* Neque cæteri Doctores oppositum docent. Itaque tenendum est, *Quod hæc sit sufficiens causa dispensandi pro celebranda Missa in domo priuata.* Si autem quæras quanto tempore præcisè durare debeat impedimentum, vt possit concedi huiusmodi licentia, seu quantum sit hoc notabile tempus. Respondeo duo menses posse censeri notabile tempus.

4 Quod autem hæc sit sufficiens causa pro concedenda licentia, ex eo deducitur, quod præceptum audiendi Missam est secundum substantiam diuinum naturale, siquidem est de colendo Deo per sacrificium, quod fit, quando quis assistit oblationi sacrificij secundum autem determinationem ad dies Dominicas, & alios dies Festos, qui de præcepto colantur, est Ecclesiasticum. Ex quo fit, quod secluso præcepto Ecclesiæ de audienda Missa adhuc tenerentur fideles assistere aliquando oblationi sacrificij magis, vel minus frequenter iuxta occasiones, quæ se offerrent vnicuique, ratione quarum ratio naturalis dictaret, hunc cultum esse debitum Deo, vel ratione indigentiæ, beneficiorum diuinorum, vel ab gratias agendas, vel ex aliquo alio capite. Rursus cum dies Festi solemniores sint tales, quia sunt instituti ab Ecclesia ad speciali modo colendum Deum assistentia quoque ad sacrificium est speciali modo debita, vt ratio naturalis dictat, quod isti sint dies trahentes ad se obligationem naturalem colendi Deum per sacrificium pro illis vicibus, quibus ita colendus esset secluso Ecclesiæ præcepto.

Ex hoc autem fit, quod durante impedimento 5
exeundi domo per duos menses, aut adueniente solemniori Festo adsit sufficiens causa pro dispensando, vt in priuata domo celebretur, si cætera concurrant. Nam aduenit tempus, in quo aut ratione Festi solemnis, aut ratione diuturnitatis probabiliter vrget obligatio naturalis colendi Deum per sacrificium, & proinde consurgit ius ad colendum; quod remanet impeditum ex eo, quod impeditur egressus è domo; ergo est valde rationabile, quod suppleatur, & tollitur impedimentum per dispensationem in loco celebrationis. Et tunc dispensatio confert ad publicam vtilitatem, quia facit, quod Deo soluatur, quod ipsi naturali iure est debitum. Interest enim valdè Ecclesiæ, quod singuli reddant Deo, quæ ipsi debita sunt, quia hoc pacto seruatur debitus ordo, quem ipsa debet semper procurare.

Illationes verò, quas infert Diana, non sequuntur 6
ex dictis, quia malè accepit vnicum mensem pro tempore notabili, formæ autem, quæ sequuntur ex dictis, non sunt absurdæ, vt ipse putat, si accipiantur sicuti debent accipi, nempe quando Missa celebrari potest cum debita reuerentia, & decentia, & & persona, cum qua dispensandum est, spectabilis est, aut nobilitate, aut scientia, aut aliqua alia qualitate, de qua dictum est in superioribus & pietas quoque & religio eminet in ipsa. Vnde non sequitur, quod passim videretur celebrari in priuatis domibus, vt infert Diana, nam casus isti de impedimento egrediendi domo per notabile tempus rari sunt, & multò rariores personæ in quibus vniantur prædicta requisita. Et mirum est, quod Diana intulerit tanquam absurdum, quod S. Congregatio putauit conueniens, & rationabile, dum scripsit Archiepiscopo Ianuen. vt apud Galleman. *ad decret. de seruand. & vitand. in celebrat. Miss. sess.* 22. Concil. Tridentin. quod nemini permitteret priuatam celebrationem qui posset ad Ecclesiam ire, concedat tamen in casu necessitatis arbitrio suo. Per hanc autem necessitatem intelligitur de casu opposito, nempe quando non potest quis adire Ecclesiam iuxta regulam, quod exclusio vnius est inclusio cæterorum, & quod eadem S. Congregat. de consensu Pontificis apud eumdem Gallema. *ibid.* declarauit. Quod ordinarij arbitrio permittit Pontifex necessitate personarum, & infirmitate qualitate pensata, vt pro infirmorum commoditate etiam in priuato oratorio vel alteri ad hoc deputato facultatem celebrandi concedat.

Cum autem subdit idem Diana, quod in hoc ca- 7
su non inuenit illam magnam necessitatem, quam requirunt Doctores. Resp. quod inueniet eam, quàm Vasquez quem frequenter titulo sapientissimi exornat, & quem vnum sibi instar omnium esse alias dixit putat sufficere 3. *part. disput.* 233. *cap.* 1. *num.* 4. & quam etiam plures, vt constat ex supradictis, præsertim Thomas Hurtad. *part.* 2. *resol. moral. tract.* 12. *cap.* 1. *in digres.* §. 1. *dub.* 2. *num.* 2198. putant sufficere, vt etiam constat ex iis, quæ hucusque pro variis casibus allata sunt. Non autem dicit, quod solum

concedunt

concedunt Doctores celebrationem in priuata domo ratiooe infirmitatis, & quando infirmus est in articulo mortis, falsum est, cum admittant etiam alios casus, vt coustat ex superioribus, dum diuersi Doctores pro aliis casibus citati sunt.

QVÆSTIO 461.

An in casu necessitatis offerri possit sacrificium extra loca deputata.

SVMMARIVM.

1. *Ex necessitate offerri potest sacrificium in publico extra loca depatata.*
2. *Casus necessitatis in iure excipitur, dum pracipitur offerri sacrificium in locis deputatis.*
3. *Necessitas non habet legem.*
4. *Qua necessitas, requiratur vt offerri possit sacrificium extra loca deputata.*
   Necessitas, & vtilitas aquiparantur.
5. *Facultas celebrandi extra loca deputata ex necessitate non est sublata.*
   Prohibitio generalis non comprehendit, qua fiunt ex necessitate.
   Necessitas facit licitum, quod alias non est licitum.

1 PRocedit quæstio de oblatiooe publica, atque adeò quæ fit in loco publico; non antem in priuatis domibus ad instaotiam singularium personarum. Conueniunt autem communiter Doctores, quod offerri possit extra loca deputata stante necessitate in qoocumque loco bonesto, & decenti. Ita D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 3. *ad* 1. *&* 2. & *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 5. Durand. *quæst.* 2. *num.* 8. Scot. *quæst.* 2. *art.* 2. §. *Item patet.* Paludan. *quæst.* 2. *art.* 3. *conclus.* 1. Sotus *quæst.* 2. *art.* 3. *argum.* 2. *dicto* 3. Gabr. *in Can. Missæ, sect.* 13. *littera H.* D. Antonin. 3. *part. tit.* 13. *cap.* 6. §. 4. Raymundus *lib.* 8. *sum. titul. de sacrament. iteran.* §. 12. Tabiena *verbo* Missa. *num.* 8. Angelus *quæst.* 40. Armilla *n.* 4. Syluester *quæst.* 8. *dict.* 2. Nauarrus *cap.* 25. *Manual. num.* 82. & *consil.* 7. *num.* 5. *de celebrat. Missar. lib.* 3. Cened. *practicar. quæst.* 44. *num.* 4. *& sequent. lib.* 1. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 249. *conclus.* 14. *not.* 1. Azorius *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 6. Sà *verbo* Missa, *num.* 20. Graf. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 8. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 27. *num.* 2. & *in Comm. littera P.* Beja *part.* 4. *casu* 33. ver. *Probatur.* Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *Tertia exceptio.* Vasquex *disput.* 233. *part.* 3. *cap.* 1. *num.* 6. Naldus *in sum. verbo* Missa. *num.* 27. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. cap.* 13. *num.* 14. Reginaldus *lib.* 29. *Praxis fori pœnit. capite* 9. *sect.* 5. *numero* 177. Duraod. *de ritibus Eccles. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 8. Bartholomæus ab Angelo *Dialog.* 5. *de Miss.* §. 619. Chamerota *de sacrific. Miss. dub.* 11. Nugnus 3. *part. quæstione* 83. *artic.* 3. Conioch *dub.* 1. *num.* 224. Llamas 5. *part. Meth. cap.* 5. §. 15. Filliucius *tractat.* 5. *cap.* 4. *num.* 115. Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vltim. punct.* 9. *num.* 10. Faustus *de Eucharistia, lib.* 2. *de sacrificio Missæ, quæst.* 170. ver. *Ab hoc.* Gutierrez *lib.* 1. *quæst. Canon. cap.* 30. *num.* 26. Lopez *part.* 2. *instruct. tit. de Eucharistia, cap.* 29. ver. *Infert deinde.* Aragon. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 2. *circa fin.* Ledesma *part.* 1. *sum. cap.* 20. *de Eucharist.* ver. *La segunda exception.* Hieronym. Rodriquez *in Compend. quæst. regul. resol.* 9. *num.* 5. ver. *Hodie.* Villalob. *part.* 1. *sum. tractat.* 8. *difficult.* 23. *num.* 2. *in fine.* Auersa *de Eucharist. quæst.* 22. *sect.* 14. ver. *Tertiò tamen.* Machad. *tom.* 2. *lib.* 4. *part.* 1. *tractat.* 11. *docum.* 1. *num.* 3. Becan. *de sacrament. cap.* 25. *quæst.* 3. Ludouic. à S. Ioan. *quæst.* 11. *de Eucharist. art.* 4. *dub.* 5. Hieronym. Garzia *in sum. tractat.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 2. *punct.* 1. *num.* 6. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tractat.* 5. *cap.* 5. *n.* 3. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tractat.* 22. *disput. vnic. punct.* 8 *num.* 4. Granad. 3. *part. contron.* 6. *tract.* 14. *disput.* 12. *num.* 1. Taoner. *tom.* 4. *disp.* 5 *quæst.* 10. *dub.* 2. *num.* 28. Amicus *tom.* 3. *Curs. Theol. disput.* 33. *sect.* 12. *num.* 232. Zechius *de sacrament. tractat. de Miss. cap.* 3. ver. *Tollit prædicta.* Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp.* 4. *de sacrific. Miss. difficult.* 6. ver. *Obseruandum est.* Caspens. *part.* 2. *Curs. Theol. tractat.* 23. *disp.* 3. *sect.* 3. *n.* 67. Putean. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. ver. *Est.* Valer. *in differ. vtriusque fori verbo* Missa, *differen.* 2. ver. *Quartò fallit.* Lugo Card. *disp.* 20. *de Eucharist. sect.* 2. *num.* 48. ver. *Excipitur secundo.* Trullench *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 8. *dub.* 14. *num.* 3. Antoncl. *de reg. Eccles. lib.* 1. *cap.* 14. §. 1. *num.* 3. Lessius *de sacram. quæst.* 83. *art.* 2. Tit. *De loco. num.* 78. ver. *Ob necessitatem.* Dicastil. *de de sacrament. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 6. *num.* 88. Piaser. *in praxi Episcopi, part.* 2. *cap.* 3. *num.* 21. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucabrat. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 118. Raguc. *de Missa in Eccles. quæst.* 57. *num.* 1. Fraocisc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 6. *quæst.* 3. *num.* 17. Leander *de sacrament. tractat.* 8. *disp.* 6. *quæst.* 16.

Dicendum ergo est. *Stante necessitate licere celebrare extra loca depatata in loco tamen decenti.* Ratio autē est. Quia iura antiqua ita præcipiunt Missas celebrari in locis Deo consecratis, at tamen excipiant casus necessitatis, ita io cap. 1. *De consecrat. dist.* 1. vbi ita decernit Felix IV. & idem Felix in cap. *Tabernaculum.* Idem ex eadem repetitur in cap. *Sicut, eadem distinct.* Idem quoque statuitur in cap. *Concedimus, distinctione eadem.* Quod licet ex Concil. Tribuciensi prouinciali, attamen est vniuersaliter receptum, & concordat cum decretis summorum Pontificum. Et coosooat praxis Ecclesiæ vbique seruata. 2

Ratio autem est. Quia lex de offereodo sacrificio in locis destinatis obligat, sicut obligant aliæ leges Ecclesiasticæ, & ciuiles, quæ oou se extendunt ad casus oecessitatis: vnde est illud. Quod oecessitas non habet legem, vt in hoc proposito dicitur in cap. *Sicut, de consecrat. dist.* 1. Et eo magis hoc locum habet in hac materia, quia lex ipsa excipit casum necessitatis, vt proinde constet de intentione legis, quod nolit includere casus oecessitatis. 3

Quanta autem debeat esse ista necessitas, colligitur ex iis, quæ tradunt Doctores, & ex praxi. Certum autem est, quod tunc solum potest habere locum, quando non est possibile celebrare io loco deputato. Quia si celebrari possit, excluditur omnis oecessitas. Rursus etiam certum est, quod non potest esse necessitas absoluta etiam moralis, quia non potest esse maior, quam sit necessaria Missæ celebratio. Missæ autem celebratio numquam absolutè est oecessaria. Itaque illa necessitas sufficiat, quæ facit, quod suo modo Missa sit necessaria, quæ solum est quædam moralis necessitas potius id bene esse, vt constabit ex casibus, in quibus Doctores concedunt, posse celebrari extra horam deputatam. Vnde hæc necessitas est potius vtilitas, quatenus scilicet oecessitas & vtilitas æquiparatur à iure, vt in cap. *In causis, de re iudicata,* & io cap. *Post translationem, de renuntiat.* & in cap. *Proposuisti, de prebend.* & in cap. *Statum.* §. *Prouisuris. de rescript. in* 6. & in Clement. 1. *de reb. Eccles. non alienan.* & obseruant Iooocent. *in cap. Cum omnes. de constit.* Abbas *in cap. Vt super. de reb. Eccles. non alien.* Bald. *in Rubr. C. Qui bon. ced. poss.* Alexan. *in l. Nepos. Proculo. ff. de verbor. significat.* 4

Dubium tamen remanet, ao hoc sit sublatum per Concil. Trident *sess.* 22. *in decreto de seruand. & vitan.* 5

in

Digitized by Google

in celebrat. Miss. Dum absolutè, & siue vlla exceptione iniungit Episcopis, quod non patiantur celebrari Missas extra Ecclesias diuino tantum cultui dedicatas Resp. Nequaquam hoc esse sublatum. Quia etiam si prohibitio sit generalissima, nunquam censetur comprehendere, quæ fiunt causa necessitatis, *l. Aliæ nationes, ff. de fam. ercisc.* & *l.* 1. *ff. de fundo dot.* & *l. Pater filium init. ff. de leg.* 3. & notant Doctores *l. Filiusfamilias*, §. *Diui*, *ff. de leg.* 1. Ias. *in l. Si vnus*, §. *pactus*, *ff. de pactis.* Castrens. *consil.* 183. Roman. *consil.* 250. Alexand. *consil.* 215. *volum.* 6. Socin. *consil.* 80. *circa fin. volum.* 4. Crauetta *consil.* 6. *num.* 91. *volum.* 1. Imò si comprehenderet, necessitas faceret licitum, quod alias non esset licitum, Cap. *Consuluisti, de celebrat. Missar.* & Cap. *Licet, de pœnit. & remiss.* & Cap. *Quanto, de consuetudine*, & Cap. *Licet, de ferijs.* Et ideò quamuis Concil. Trident. absolutè, & generaliter loquatur, non comprehendit casus necessitatis, sicut nec comprehendebant iura antiqua; à quibus quoad hoc debet accipere interpretationem, & cum necessitas sit de iure communi exclusa, debuisset specialiter includi à Concil. quando voluisset, quod sua dispositio haberet locum concurrente etiam necessitate, quia alioquin non censetur derogatum quoad hoc iuri antiquo; cum ius nouum non contrarietur, siquidem accipi potest sicut accipitur ius antiquum cum exclusione casuum necessitatis.

QVÆSTIO 462.

An defectu Ecclesiæ liceat extra loca deputata celebrare.

SVMMARIVM.

1. *Defectu Ecclesiæ celebrari potest in quocumque, vt populus impleat præceptum audiendi Missam.*
2. *Id exprimitur in iure.*
   Cessat obligatio celebrandi in Ecclesia, si desit.
3. *Ius offerendi sacrificium præualet præcepto celebrandi in Ecclesia.*
4. *Potest celebrari extra Ecclesiam, licet populus pro Missa adire possit aliud oppidum.*
5. *Diruta Ecclesia celebrari potest extra ipsam extra dies festos.*
6. *Satiùs est celebrare subdio, quàm in Ecclesia diruta.*

1 Potest diuersimodè Ecclesia deficere, vel incendio, vel ruina, vel aliquo alio modo. Quod autem celebrari possit pro conficiendo viatico, iam constat ex dictis in superioribus; solum difficultas est, an possit celebrari vt populus possit satisfacere præcepto audiendi Missam. Dicendum est. *Deficiente Ecclesia, aut Oratorijs diuino cultui deputatis posse celebrari in quocumque loco decenti; vt populus implere possit præceptum audiendi Missam.* Nec est primus casus necessitatis, quem communiter admittunt D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 3. *ad* 1. *&* 2. & *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiun.* 7. Scotus *quæst.* 2. *art.* 2. §. *Casus autem.* Palud. *quæst.* 2. *art.* 3. *conclus.* 1. Sotus *quæst.* 2. *art.* 3. *dicto* 3. Syluester *verbo* Missa 1. *quæst.* 5. Tabiena *num.* 8. Armilla *num.* 4. D. Antonin. 3. *part. sum. tit.* 13. *cap.* 6. §. 4. Vasquez *disput.* 233. *cap.* 1. *num.* 6. Suarez *disp.* 81. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *Tertia exceptio.* Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disp. vn. punct.* 8. *num.* 4. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 3. Coninch. *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. *num.* 214. ver. *Secundus casus.* Valer. *in Differ. vtriusque fori*, *verbo* Missa, *different.* 2. ver. *Quartò falsis.* Lugo Cardin. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.* 2. *num.* 48. ver. *Excipitur primò.* Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 6. *num.* 4. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 128. asserens, se concessisse licentiam vbi à Turcis Ecclesiæ erant dirutæ, nec reficiebantur ob timorem, ne rursus diruerentur. Leander *tract.* 8. *de sacrament. disputat.* 6. *quæst.* 16. Garzia *in summ. tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 2. *punct.* 2. *num.* 14. *in fine.*

Hic autem casus est expressus in iure, in Cap. *Concedimus, de consecrat. dist.* 1. ibi: *Concedimus etiam, vt sicubi à Normanis, & Sclauis, ab Vngaris, & à malis Christianis, seu alio quocumque modo Ecclesiæ fuerint inuersæ, & combustæ in Capellis cum tabula consecrata Missas interim celebrari permittimus, donec Ecclesiæ ipsæ restaurari queant*; per Capellas autem intelligitur locus destinatus pro celebratione. Ratio autem est. Quia in tantum adest obligatio celebrandi in Ecclesiis, & locis deputatis, inquantum adsunt. Quod si non adsint, non debent fideles priuari sacrificio; quod etiam constat ex praxi primitiuæ Ecclesiæ; nam defectu Ecclesiarum celebrabant Sacerdotes, vbi poterant, & proinde modo quoque celebrandum est deficiente Ecclesia, vbi potest celebrari. 2

Accedit etiam. Quod oblatio sacrificij est de iure naturali diuino, & fideles habent ius ad ipsum offerendum per Sacerdotem. Quod autem offeratur in locis deputatis, est solum ex institutione Ecclesiastica: ergo, si defectu Ecclesiæ non potest offerri in locis deputatis, non debent priuari fideles suo iure, nec cessare, quod est de iure naturali diuino; sed debet potius cessare lex Ecclesiastica requirens certum locum, & relinquere oblationem sacrificij in sua natura, vt offeratur in eo loco, in quo offerri potest. 3

Ex his colligitur. Quod sicuti populus vnius oppidi non tenetur accedere ad aliud oppidum pro implendo præcepto de Audienda Missa, ita nec tenetur accedere quando in proprio oppido Ecclesia est diruta, & ideò potiùs est in eius oppido extra loca deputa celebrandum; quia si Ecclesia diruta est sufficiens causa, erit etiam, licet possit populus ad aliud oppidum accedere. Præsertim, quia in dicto Cap. *Concedimus*, absolutè conceditur facultas absque obligatione accedendi ad alium locum, vbi in Ecclesia celebrari possit. 4

Secundò colligitur. Quod etiam extra dies festos poterit extra Ecclesiam celebrari, si sit diruta, si occurrat occasio, quæ videatur exigere celebrationem Missæ, vt si populus ex deuotione accederet ad audiendam Missam, si aliqua processio institueretur, sicut si alia similis occasio occurreret; nam conceditur celebratio in tali casu extra loca deputata, vt satisfiat populo desideranti Missam, nam in diebus festis cessat præceptum, quando deest Ecclesia, & tamen celebrari potest. Præsertim, quia populus magis ægrè ferret priuari Missa in his diebus, quam in diebus festiuis. 5

Tertiò colligitur. Satis esse celebrare subdio, quàm celebrare in Ecclesia diruta, nisi aliquo decenti modo aptari possit. Nam Ecclesia diruta quandiù ita manet, est motiuum tristitiæ, & repræsentat quandam deformitatem pro sacrificio; præsertim, si id contingerit in iniuriam Christianæ religionis, & ideò aptior est locus subdio, vbi tamen curandum erit, quod altare erectum aliquo modo sit coopertum ob iniurias, aut inclementiam cœli, quæ possit Sacerdotem molestia afficere. 6

QVÆSTIO 463.

An ratione itineris possit extra loca deputata celebrari.

SVMMARIVM.

1. *In itinere licet extra loca deputata celebrare.*
2. *Nauigantes appellentes ad littus possunt ibi celebrare.*
3. *Deficiente possibilitate, lex desinit esse lex.*
4. *Lex non precipit abstinere à celebratione vbi non sunt Ecclesiæ, Oratoria &c.*
5. *Lex obligans ad celebrandum in locis deputatis illa præsupponit.*
Sublato præsupposito cessat dispositio in ipso fundata.
Disponens ex aliquo præsupposito, disponit sub conditione.

1 CAsus occurrere potest, quando iter habentes non reperiunt Ecclesiam, aut Oratoria, in quibus celebrare possint, quod continget in terris infidelium, aut etiam in nauigantibus, quando appellunt ad littora, vbi nulla est habitatio. Communiter autem hunc quoque casum admittunt, in quo liceat extra loca deputata celebrare. Ita D. Thom. 3. *part. quæst.*83. *art.*3. *ad* 2. Sotus *in* 4. *dist.*13. *quæst.* 1. *art.*3. *argum.*2. Sà *verbo* Missa. *num.*10. Suarez *disp.*81. *de Eucharist. sect.*3. *vers. Tertia exceptio.* Vasquez 3. *part. disp.*233. *cap.*1. *num.*6. Reginal. *lib.* 29. *Praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.*5. *num.* 177. Tolet. *lib.*2. *cap.* 2. *num.*7. Coninch *de sacrament. quæst.*83. *art.*3. *dub.*1. *num.*224. *vers. Secundus casus*, Villalob. *part.*1. *sum. tract.*8. *difficultat.* 23. *num.* 5. Valer. *in differ. cuiusque fori, verbo*, Missa *different.* 2. *vers. Quinto fallit.* Lessius *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 2. *tit. de hora, num.* 78. *vers. Ob necessitatem.* Dicastil. *de sacram. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.*3. *num.*99. Tanner. *tom.* 4. *disp.*5. *quæst.*10. *dub.*2. *num.*28. Leander *de sacrament. tractat.* 8. *disputat.*6. *quæst.*16. Auersa *quæst.*11. *de Eucharist. quæst.*14. *vers. Tertiò tamen.* Layman. *lib.*5. *Theol. moral. tractat.* 5. *cap.*5. *num.*3. Cardinal. Lugo *disp.* 20. *de Eucharist. sect.* 2. *num.* 48. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 6. *num.*5.

2 Dicendum ergo est. *Deficientibus Ecclesiis, & oratoriis in itinere licere celebrare subdio, aut alio loco decenti, si adsint altare, viaticum, & cætera necessaria pro celebratione.* Vnde nauigantes appellentes ad litus poterunt ibi celebrare. Hic casus est expressus in cap. *Concedimus. de consecrat. dist.* 1. ibi. *In itinere verò positus, si Ecclesia defuerit, subdio, seu in tentoriis, si tabula altaris consecrata cæteraque sacra ministeria ad id officium pertinentia ibi adfuerint, Missarum solemnia celebrare concedimus: aliter omnino interdicimus.*

3 Ratio esse potest. Quia lex obligat, quando seruari potest, quando verò seruari non potest, non obligat, quia ventum est ad casum impossibilitatis. Vnde pro illo casu lex definit esse lex, quia ei deficit conditio essentialis, quam communiter requirunt iuxta cap. *Erit autem, dist.* 4. Ergo lex de celebrando in Ecclesiis, aut oratoriis deputatis obligat tantum, vbi sunt Ecclesiæ, aut oratoria, quia ibi solum seruari potest, non autem vbi non sunt cum ibi non possit obseruari. Et ideò quando Concil. Trident. *sess.*22. *in decreto de vitand. & seruand. in celebr. Miss.* iniungit Episcopis, ne patiantur celebrari Missas extra Ecclesias, aut oratoria diuino tantum cultui dedicata intelligit vbi sunt Ecclesiæ, & talia Oratoria.

Dices. Posse seruari legem abstinendo à celebratione. Contra lex non præcipit, quod non celebretur, sed determinat locum, in quo est celebrandum, ita vt tota materia legis sit determinatio loci in ordine ad sacrificium; & ideò vbi non sunt loca determinata, neque etiam sacrificium remanet addictum loco: quia vi addictio saluetur, requiruntur extrema loci & sacrificium: ergo cum lex decernat, vt sacrificium offeratur in tali loco, non autem, quod non offeratur si non potest offerri in tali loco, non inducit obligationem, nisi vbi sunt loca determinata pro sacrificio. 4

Accedit etiam, quod dispositio obligans ad celebrandum in locis deputatis, præsupponit, quod adsint Ecclesiæ, & oratoria, in quibus celebrari possit: ergo si non adsint cessat eius obligatio, quia sublato præsupposito, cessat dispositio, in ipso fundatum cap. *Si Papa de priuileg. in* 6. & Clement. *Si summus, de sentent. excommunicat.* & l. *Martyria. Cod. de seru. fugit.* vbi Glos. & Doctores. Dec. *consil.*63. *n.*6. & *consil.*497. *per totum.* Alexan. *consil.*126. *lib.*5. Roman. *consil.*495. Ripa *in cap.*2. *n.*39. *de rescript.* Ruin. *consil.*83. *n.*5. *vol.*1. Sociu. iun. *consil.*114. *n.*22. *vol.*3. Roland. *de lucro dot. q.*11. *n.*17. Cephal. *consil.*90. *num.*81. Hyppolit. Rimnal. *consil.*29. 10. Beccius *consil.*53. *n.*7. Surdus *consil.*150. *num.*18. Serapbin. *decis.*829. *num.*6. Merlin. *decis.*590. *num.*6. Rota *decis.*146. *n.*4. *part.*4. *Recent.* Cuius ratio est. Quia disponens ex aliquo præsupposito, disponit sub conditione illius, quod præsupponit, vt obseruant Dec. *consil.*644. *n.*15. Decian. *resp.*1. *n.*16. *vol.*1. Menoch. *Consil.*175. *inst.* & *vers. Et primo.* Vnde si deficit conditio, sub qua disponitur, deficit quoque ipsa dispositio. 5

QVÆSTIO 464.

Quando ratione itineris celebrare liceat extra loca deputata.

SVMMARIVM.

1. *Quando ratione itineris liceat celebrare extra loca deputata.*
2. *Videtur concessa facultas absoluta.*
3. *In quibus regionibus liceat singulis festis ratione itineris subdio celebrare.*
4. *Præceptum audiendi Missam preualet præcepto non celebrandi extra loca deputata, & cur.*
5. *In quibus regionibus liceat extra loca deputata offerre sacrificium quoties libuerit.*
6. *Priuilegium Episcoporum celebrandi in itinere cum altari viatico, in quo consistat.*

NOn conueniunt inter se Doctores, quando iter præbeat iustam causam celebrandi extra loca deputata, quidam enim ex citatis *in praeced. quæst. n.*1. loquuntur absolutè non determinando neque dies, neque tempus, & proinde videntur velle quod eodem modo liceat, ac posset celebrari in Ecclesia. Alij verò vt Suarez, Coninch, Lugo Card. Dicast. nolunt, quod tunc liceat, quando per plures dies aut Missa caruerint, aut sint cariturit eò, quod non occurrat locus deputatus ad celebrandum. Ita locis citat. *in praeced. quæst. n.*1. Alij verò, vt Tolet. Valerus, Auersa, Franc. Lugo locis cit. *n.*2. *q. praeced.* volunt, id licere omnibus diebus, in quibus Missa audienda est de præcepto. 1

Et quidem si consideretur cap. *Concedimus, de consecrat. dist.* 1. absolutè loquitur, & proinde videtur concedisse facultatem absolutam ratione itineris deficiente Ecclesia, vt subdio, seu in tentoriis celebretur, quia nullam ponit restrictionem, neque de diebus festis, neque de pluribus diebus. Et talem existimat fuisse intentionem illius Concilij Triburiensis. 2

Quia

Quia tamen fuit Concilium Prouinciale, nec constat quomodo in cæteris Prouinciis habuerit locum, ideò non potest ex ipso desumi certa resolutio, sed difficultas resoluenda est ex regulis, secundum quas resoluuntur alij huiusmodi casus.

3 Distinguendum ergo videtur de regionibus, in quibus adsunt Ecclesiæ, & Oratoria; & de regionibus in quibus non adsunt. In regionibus ergo, in quibus adsunt Ecclesiæ, atque Oratoria, sed in itinere non occurrunt, existimo, quod singulis diebus festiuis, in quibus Missa audienda est de præcepto possit in quocumque honesto loco celebrari Missa. Ratio est. Quia, cum in hac materia attendatur solum necessitas secundum quid, & sufficiens necessitas vrgentia præcepti; vnde etiam quando Ecclesia est diruta potest extra ipsam celebrari pro implendo præcepto, & alij casus, in quibus admittunt Doctores celebrationem extra Ecclesiam, non sunt maioris necessitatis, quàm sit iste.

4 Confirm. In hoc casu concurrunt duo præcepta, quorum obseruantia sit incompossibilis: nam si obseruetur præceptum de non celebrando extra loca deputata, est impossibile obseruare præceptum de audienda Missa; et si sit obseruandum præceptum de audienda Missa, non potest seruari præceptum de celebrando in locis deputatis: ergo debet obseruari præceptum magis principale, cum in concursu duorum magis principale sit præferendum. Est autem magis principale præceptum de audienda Missa: tum quia secundum substantiam est diuinum naturale, & solum Ecclesiasticum secundum determinationem; præceptum autem de celebrando in loco deputato est merè Ecclesiasticum: tum quia materia huius præcepti est supremus cultus Dei, qui exhibetur per sacrificium, qui est quid excellentiùs, quàm sit illa maior reuerentia, cum qua offertur sacrificium, quando offertur in loco deputato: tum quia semper in Ecclesia præualuit oblatio sacrificij, quando non potuit offerri in loco deputato, ita vt potius offerretur in omni meliori loco in quo offerri potest, quàm omitteretur.

5 Quod ad regiones autem, in quibus non sunt loca deputata pro oblatione sacrificij dicendum est: *Posse itinerantes offerre sacrificium in loco decenti quotiescumque libuerit.* Et quod dicitur de itinerantibus intelligendum est etiam de ibidem permanentibus. Ratio est, quia iuxta ea, quæ dicta sunt *in quæst. præced.* præsertim *num. 5.* dispositio legis non habet locum, nisi habeat etiam id, quod præsupponit: ergo cum lex disponens, quod sacrificium offeratur in deputatis locis, præsupponat existentiam horum locorum, non habebit locum, nisi existant huiusmodi loca: ergo non valebit pro regionibus, in quibus non adsunt: ergo cum dispositio legis non se extendat ad illa loca, remanebit absolutè liberum celebrare in quocumque decenti loco.

6 Dices. Est priuilegium Episcoporum celebrare in itinere cum altari viatico extra loca deputata, ex Cap. *fin. de priuileg. in 6.* Ergo non possunt cæteri ita celebrare, nam si possunt, non opus fuisset concedere Episcopis hoc priuilegium. *Resp.* Vt aduertunt etiam Suarez *disp. 81. de Eucharist. sect. 3.* vet. *Tertia exceptio.* Dieastil. *de sacram. tract. 5. disput. 4. dub. 5. num. 99.* Priuilegium Episcoporum in eo consistere, quod possint semper celebrare cum altari viatico etiam quando alias celebrari possit in locis deputatis, & ideò respicit commoditatem Episcoporum, & tendit ad reddendam facilem celebrationem Missæ. Quod cæteros autem hoc tantum est licitum ratione necessitatis, quando scilicet non adsunt loca deputata, in quibus celebrari possit.

QVÆSTIO 465.

An tempore pestilentiæ possit celebrari Missa extra loca deputata.

SVMMARIVM.

1. *Tempore pestilentiæ celebrari potest extra loca deputata.*
2. *Accessus ad Ecclesiam est valdè periculosus tempore pestilentiæ.*
3. *Incipiente pestilentia licet celebrare extra Ecclesias.*
4. *Quando etiam sumitur experimentum de cessatione pestilentiæ, seu tempore vulgò* della quarantena.

Dicendum est. *Tempus pestilentiæ subministrare causam sufficientem celebrandi extra loca deputata.* Ita Zerola *in praxi Episcopali,* verbo *Missa.* Barbosa *de potest. Episc. part. 2. allegat. 23. num. 9.* qui citat Riuinum *in praxi fori Eccles. resol. 460. num. 2. iuxta 2. edit.* Marchin. *de bello diuino, part. 6. cap. 1. num. 5. & sequent.* Garzia *in sum. tract. 3. difficult. 8. dub. 2. part. 2. num. 20.* Pax Iordan. *tom. 1. Lucubr. lib. 4. tit. 1. n. 127.* Et ita in praxi seruatum fuit Mediolani grassante pestilentia tempore S. Caroli Borromæi, nam celebrabatur in viis publicis erecto Altari. Et quamuis Doctores communiter non referunt hunc casum, continet tamen causam maioris necessitatis, quam cæteri, qui ab ipsis admittuntur; & ideò ex principio generali, quod stante necessitate celebrari possit extra loca deputata, subintrat etiam iste casus. 1

Ratio est. Quia accessus ad Ecclesiam est valdè vnicuique periculosus, cum possit facilè contrahere pestilentiam, quæ contrahitur etiam, vbi non creditur adesse periculum; & ideò eo maius est periculum quò minùs cognoscitur, quia non potest caueri. Rursus concursus populi ad Ecclesias auget pestilentiam, quia habitus ratione propinquitatis communicat morbum pestiferum: & cum plurium habitus commisceatur, totus aër ipso impletur, & sic habitus infectus attrahitur per respirationem, & simul etiam attrahitur pestilentia. Vnde cum per accessum ad Ecclesias constituantur personæ in graui periculo, aderit sufficiens causa necessitatis pro hoc periculo vitando celebrandi extra loca deputata in publico loco. 2

Et hoc, nedum locum habebit, quando grassatur pestilentia, sed etiam, quando ita incipit, quod timetur sit grassatura. Quia cum regulariter lenibus initiis incipit, & postea inualescit, & grassatur; vnde præcauendum nedum periculo, sed etiam incrementum pestilentiæ, atque adeò ad conseruandam multorum hominum vitam, poterit extra Ecclesias celebrari Missa, præsertim quando angustæ sunt; nam tunc vnus solus infectus potest plures inficere. Et ideò adhuc in isto casu necessitas est valdè grauis. 3

Rursus etiam quando cessauit pestilentia, & per prohibitionem conuersationis sumitur experimentum; & vt, si qui lue infecti remanserint, separari possint, atque adeò vt purgetur locus vulgò *con la quarantena,* adest sufficiens causa celebrandi in loco publico. Quia scilicet est prohibitus accessus ad Ecclesiam, & omnis conuersatio, & coadunatio; & ideò, vt possit populus è fenestris assistere oblationi sacrificij, posset extra Ecclesias celebrari. 4

QVÆSTIO 466.

An quando confluentem populum Ecclesia non capit, liceat extra ipsam celebrare.

SVMMARIVM.

1. *Quod locus celebrationis non capiat confluentem populum ex diuersis capite procedere potest.*
2. *Quando locus non capit confluentem populum, potest extra ipsum celebrari.*
3. *Si Ecclesia non capiat populum eodem pacto se habet, ac si non adesset.*
   Non esse, & esse inutile æquiparantur.
4. *Quid si plures Missæ in Ecclesia celebrentur.*
5. *Quando celebratur extra Ecclesiam, vbi Altare erigendum.*

1 HIc casus plures alios speciales sub se comprehendit in quibus ex diuersis occasionibus contingit, quod Ecclesia confluentem populum non capiat, siue etiam Oratorium, vt quando fiunt solemnes supplicationes ad Ecclesias angustas, aut Oratoria, qualia sunt quæ reperiuntur in Eremitoriis. Quando celebratur aliquod festum solemne, quando confluit populus pro aliqua indulgentia lucranda, quando de nouo ordinatus Sacerdos celebrat primam Missam; omnes enim isti, & alij huiusmodi casus habent eandem rationem necessitatis; nempe, quia Ecclesia non capit populum confluentem. Et ideò, quod dicitur in vno casu dicendum est etiam in alio.

2 Communiter autem admittunt hunc casum. Ita Sotus *in 4. distinct.13. quæst.2. art.3. argum.2. dicto 3.* Nauar. *cap.25. moral. numero* 82. Henriquez *lib.9. sum. cap.27. numero 2.* Graff. *part.1. decis. libro 2. cap.42. numero* 92. Azor. *parte 1. libro 10. capite 26. quæst.6.* Rodriquez *part.1. sum. capite 249. conclus.14. not.1.* Sà *verbo* Missa, *numero* 10. Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *Tertia exceptio.* Vasquez *3. parte, disputatione 235. cap.1. num.4.* Naldus *in sum. verbo* Missa, *numero* 32. Reginal. *lib.29. praxis fori pœnit. cap.9. sect.5. numero* 177. Layman. *libro 5. Theol. moral. tractatu 5. capite 5. numero 3.* Faustus *de Eucharist. lib.2. quæst.* 170. ver. *Hoc idem.* Facundez *præcept.1. Eccles. lib.3. cap.13. num.14.* Chamerota *de sacrific. Miss. dub.14.* Bartholomæus ab Angelo *Dialog. 5. de Missa*, §.619. Nugnus *de sacram. quæst.83. art.3.* Coninch *ibid. dub.1. num.224.* Llamas *3. part. Meth. cap.5. §.15.* Filliuc. *tract.5. cap.4. quæst.8. num.115.* Hieronym. Garzia *in sum. tract.3. difficult.8. dub.2. punct.1. numero 6.* Palaus *part.4. oper. moral. tractatu 22. disputat. vnic. punct.8. numero 4.* Granad. *3. part. controuers. 6. tractatu 14. disput.12. num.1.* Amicus *tom.7. Curs. Theol. disputatione 33. sectione 12. numero 332.* Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disputat.4. de sacrific. Miss. difficult.6.* ver. *Obseruandum est.* Caspens. *part.2. Curs. Theolog. tract.23. disputat.3. sect.3. num.67.* Villalob. *part.1. sum. tract.8. difficult.23. numero 3.* Valerus *Differ. vtriusque fori, verbo* Missa, *differ.2.* ver. *Quartò fallit.* Tanner. *tom.4. disput.5. quæst.10. dub.2. numero 28.* Trullench. *lib.3. de sacrament. cap.8. dub.14. num.3.* Auersa *quæst.11. de Eucharist. sect.14.* ver. *Tertiò tamen.* Machad. *tom.2. libro 4. parte 1. tractatu 11. docum.1. num.3.* Thomas Hurtad. *part.2. resol. moral. tractatu 12. cap.1. in digres. §.1. dub.2. num.2198.* Lessius *de sacrament. quæst.83. art.2.* Tit. *De loco, numero* 78. ver. *Ob necessitatem.* Marchin. *de sacram. Ordin. quæst.83. art.2.* Garzia *in sum. tract.3. difficult.8. dub.2. punct.2. num.* 20. Dicastil. *de sacrament. tractatu 5. disputatione 4. dubio 6. numero* 97. Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. libro 4. titulo 1. numero* 125. Francisc. Lugo *de sacrament. lib.5. cap.6. numero 6.* Leander *tractatu 8. de sacramentis, disputatione 6. quæstione* 16.

Ratio huius communis doctrinæ ex eo desumi 3 potest, quod cum Ecclesia populum confluentem capere non possit, eodem pacto se habet, ac si non adesset, quia, quæ adest inutilis est, cum non inseruiat pro confluenti populo, quod autem aliquid sit, & inutile sit, æquiparantur, itavt inutile non computetur, tanquam si non esset, *l. Quoties, ff. Qui satis dar. cog.* vbi Glos. & Doctores, & §. *Sit autem, Instit. de satisd. tut.* & obseruant communiter cum Glos. *in cap.2. verbo* Inutilem, *de translat. Episcop.* Cum ergo defectu Ecclesiæ liceat celebrare in quocumque decenti loco, in tentoriis, vel sub die, iuxta Cap. *Concedimus, de consecrat. dist.1.* licebit etiam in huiusmodi casu. Præsertim cum adsit aliqua moralis necessitas celebrandi pro toto populo.

Et hoc locum habet etiam si in Ecclesia, seu 4 Oratorio plures Missæ celebrentur successiuè, sed tantus populus simul conflueret, quem Ecclesia non caperet. Nam tunc quoque militat eadem ratio. Et accedit, quod quisque niteretur Ecclesiam ingredi, & cæteros præuenire, atque adeò se ita inuicem singuli vrgerent, aut exponerentur periculo alicuius grauis damni corporalis. Vnde etiam necessitas vitandi hoc incommodum subministrat sufficientem causam celebrandi extra Ecclesiam.

Est tamen aduertendum, quod quando ob nu- 5 merositatem populi celebratur extra Ecclesiam, congruum est, quod altare erigatur circa valuas Ecclesiæ si commoditas ita ferat; nam hoc facto extrahitur celebratio quanto minus fieri potest ab Ecclesia; imò secundum quamdam moralem æstimationem censetur celebrari in Ecclesia, cum altare sit ipsi annexum.

QVÆSTIO 467.

An in Castris militum offerri possit sacrificium.

SVMMARIVM.

1. *In Castris militum offerri potest sacrificium.*
2. *Nomine Castrorum quod intelligatur.*
3. *Exercitus censetur sine Ecclesia, quia licet adsit non potest totus accedere.*
4. *In Castris celebrari possunt plures Missæ.*

AD causam necessitatis offerendi sacrificium 1 extra loca deputata agnoscunt communiter Doctores in Castris militum. Ita Palud. *in 4. dist.13. quæst.2. artic.2. conclus.1.* D. Antonin. *3. par. tit.13. capite 6. §.4.* Syluester *verbo* Missa, *quæst.5. dicto 2.* Henriquez *libro 9. summ. capite 27. numero 2.* Azor. *parte 1. libro 10. capite 26. quæstione 6.* Graff. *parte 1. decis. libro 2. capite 42. numero 9.* Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *Tertia exceptio.* Vasquez *3. parte, disputat. 233. capite 1. numero 4.* Reginal. *libro 29. praxis fori pœnit. cap.9. sect.5. numero* 177. Facundez *præcept.1. Eccles. libro 3. capite 13. numero 14.* Layman. *libro 5. Theol. moral. tract.5. cap.5. numero 3.* Tanner. *tom.4. disput.5. quæst.10. dub.2. numero 28.* Nauarr. *capite 25. Manual. numero* 81. Faustus *de Eucharist. lib.2. quæst.* 170. ver. *Ab hoc autem.* Palaus *part.4. oper. moral. tract.22. disp. vn. punct.8. numero 4.* Amicus *tom.7. Cursus Theolog. disput.33.*

disput. 33. *sect.* 12. *num.* 332. qui limitat ad dies festos. Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disput.* 4. *de sacrific. Miss. difficult.* 6. ver. *Obseruandum est.* Caspens. *tom.* 2. *Curs. Theol. tract.* 23. *disp.* 3. *sect.* 3. *numero* 67. Trullench. *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 8. *dub.* 14. *num.* 3. Villalob. *part.* 1. *sum. tract.* 8. *difficult.* 25. *numero* 3. Valer. *in Differ. vtriusque fori, verbo* Missa, *differ.* 2. ver. *Quartò fallit.* Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 14. ver. *Tertiò tamen.* Dicastil. *de sacram. tract.* 5. *disput.* 4. *dub.* 6. *num.* 97. Filliuc. *tract.* 5. *numero* 114. Lugo Cardin. *disp.* 20. *de Eucharist. sect.* 2. *num.* 48. ver. *Excipitur.* qui limitat ad dies festos. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 123. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 6. *num.* 3. Thomas Hurtad. *part.* 2. *resol. moral. tractatu* 12. *capite* 1. *in Digres.* §. 1. *dub.* 2. *num.* 2198. qui limitat ad dies festiuos. Leander *de sacrament. tract.* 8. *disputat.* 6. *quæst.* 16. Garzia *in summ. tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 2. *punct.* 2. *num.* 20.

2 Dicendum ergo est. Posse in Castris offerri sacrificium, vt milites in die festo impleant præceptum audiendi Missam. Nomine autem Castrorum intelligitur quicumque locus, in quo moretur exercitus extra ciuitates, & oppida. Imò etiam si moretur in aliquo oppido, vbi celebratur Missa, sed non possit vniuersus capi ab Ecclesiis, quæ ibi reperiuntur poterit extra Ecclesias celebrari non secus, ac quando confluit numerosus populus quem Ecclesia capere non potest, iuxta ea, quæ cum communi sententia dicta sunt in superioribus.

3 Fundamentum pro hac resolutione est. Quia accessus ad Ecclesiam est impossibilis exercitui, & proinde remanet sine Ecclesia aliqua, nam ordo militiæ postulat, vt non deserat suas mansiones, propter grauia detrimenta, quæ inde prouenire possent: ergo cum defectu Ecclesiæ possit subdio, vel sub aliquo tentorio celebrari, poterit etiam celebrari in hoc casu. Præsertim, quia Doctores in hoc casu agnoscunt illam causam necessitatis, quæ in hac materia sufficit. Sensus autem Doctorum est sufficiens ad auctorizandam causam pro sufficienti.

4 Ex his autem sequitur, quod possint in Castris celebrari plures Missæ in diuersis locis, vulgò *Quartieri*, in quibus resident milites, cum enim non possint stationes suas deserere, & in eumdem locum conuenire absque perturbatione ordinis militaris, & periculo notabilis damni; & eadem sit ratio quoad omnes, poterit pro omnibus Missa celebrari, & ideò apud singulas stationes, vt vnicuique prouideatur. In quo tamen debet semper salua manere decentia, & reuerentia debita sacrificio.

QVÆSTIO 468.

An in diebus profestis celebrari possit in Castris militum.

SVMMARIVM.

1. *In diebus profestis an celebrari possit in tentorijs Generalium, & Ductorum militum*, & nom. sequent.
   Rationes in contrarium expenduntur.
2. *In tentorijs Ducum celebrari potest diebus profestis.*
3. *Necessitas offerendi sacrificium in exercitu.*
4. *Ratione publicæ vtilitatis curanda oblatio sacrificij in exercitu.*
5. *Oblatio sacrificij in exercitu tendit ad publicam vtilitatem, & ideò locum habet dispensatio.*

IN Decis. moralib. *decis.* 167. *num.* 4. addidi. Quod Generales exercituum, & alij primarij Ductores militum possint facere celebrare in suis tentoriis, etiam diebus profestis. Contra quod insurgit Diana *part.* 9. *tract.* 1. *resol.* 44. *casu* 2. dicens, quod non audeant Episcopi licentiam huiusmodi concedere; nam S. Congregat. graui reprehensione non erunt immunes. Quis quæso hoc illi significauit? aut vt melius dicam reuelauit? agitur enim de futuris contingentibus. Plura dicit, sed quæ non sunt alicuius momenti. Primò, quod non inuenit alium Doctorem, qui ipsum reijciat, vnde subintrat regula quod in casu nouo ab aliis non examinato, sufficiat resolui secundum probabilitatem. Secundò, quia non adest praxis. Verum neque praxis adest, quod in diebus festis celebretur in exercitu subdio. Quia milites parum curant spiritualia, & tamen casum communiter admittunt. Tertiò, quia est tantum licitum celebrare extra Ecclesiam in casu magnæ necessitatis. Verum licet aliqui canones ita loquantur, hoc tamen intelligi potest absque dispensatione, & licentia Episcopi. Deinde praxis subsequens hoc valdè moderata est. Quæ magna necessitas est celebrandi extra Ecclesiam, quando Sacerdos celebrat primam Missam, & populus confluens capi non potest intra Ecclesiam? & tamen communiter casum admittunt. Quartò, quia Card. Lugo *disp.* 20. *de Euchar. sect.* 2. *num.* 4. solum admittit, vt in Castris militum possit diebus festis celebrari pro implendo præcepto. Sed plures quoque alij hoc solum admittunt, vt notaui in *præced. quæst. num.* 1. Verum nec ipse, nec isti loquuntur de hoc casu, seu quoad generales, & alios primarios Doctores militum. Adducere autem auctoritatem Doctorum circa ea, de quibus non agunt, non video quod proficere possit. Quintò, quia Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 27. *num.* 2. ait hanc licentiam concedendam esse Regi, aut Duci, qui præest exercitui. Et infert Diana; ergo non aliis. Si iste Doctor loqueretur taxatiuè, ad summum vnum Doctorem contrarium sentientem, & nulla ratione suum dictum munientem afferret. Verum nec loquitur taxatiuè, vnde non video, quomodo ex ipsius dicto inferat Diana consequentiam: ergo non aliis. Quam quæso Dialecticam ostenderet, qui si argueret. Petrus celebris Doctor sentit, quod Papa dispensare possit cum Rege, vt ducat coniunctam sibi in secundo consanguinitatis gradu: ergo sentit, quod non possit dispensare cum aliis. 1

Dicendum ergo est. *Diebus profestis celebrari posse pro Generalibus, & primarijs Ductoribus militum in eorum tentorijs.* Ita etiam Thomas Hurtad. *part.* 2. *resol. moral. tract.* 12. *cap.* 1. *in digres.* §. 1. *dub.* 2. *n.* 2198. qui ponit hoc inter ea, quæ *num. anteced.* dixit, se selecturum tanquam probabiliora ex Auctoribus Classicis. Ita autem inquit: *Similiter tempore belli diebus festiuis pro exercitu vniuerso; & alijs pro Generalibus, Ducibus, & alijs primarijs Officialibus potest celebrari in suis tentorijs vna, vel altera Missa.* Possent etiam citari ij, qui docent posse celebrari in Castris absque limitatione ad dies festos, nempe ij, quos in *præced. quæst. num.* 1. recensui absque eo, quod notarem loqui cum limitatione. Et quidem si ob deuotionem assistendi primæ Missæ noui Sacerdotis indulgent communiter, vt celebretur extra Ecclesiam, quando intra ipsam non potest includi populus confluens, non video; cur non debeat concedi etiam in tentoriis prædictorum, cum in his maior ratio vrgeat, siquidem non solum indulgetur deuotioni, sed etiam necessitati. 2

In citato loco *decis. moral.* eam rationem attuli; quod ratione muneris tenentur procurare salutem exercitus; & proinde adhibere media etiam spiri- 3

tualia, quorum præcipuum est placatio Dei, & imploratio diuini auxilij, quæ non possent meliori modo obtineri, quam per oblationem sacrificij. Sed respondet Diana quod possunt adhibere alia media ad hæc obtinenda, & quod possunt offerre sacrificium in Ecclesiis. Verum cum sacrificium sit medium omnium potentissimum ad placandum Deum, & impetrandum, quia pro motiuo placationis, & impetrationis exhibetur tanquam hostia ipse Christus, & applicantur merita Passionis ipsius; & sit ab ipso Christo institutum, vt offeratur pro omnibus necessitatibus, vt habet Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. *de sacrific. Miss.* cogerentur carere huiusmodi medio. Et quamuis possunt facere offerre in Ecclesiis, non tamen ipsi offerre possent, sicut offerunt, qui oblationi assistunt: ergo in hoc casu locum habet specialis necessitas, & quæ maior sit illa, ratione cuius plures casus admittunt Doctores, in quibus celebrari possit extra loca deputata; & oblatio sacrificij sit necessaria ex necessitate, qua necessarium est diuinum auxilium in re tanti momenti, qualis est administratio belli, cum eo modo sit necessarium medium, quò est necessarius finis. Quis autem dicat diuinum auxilium non esse summè necessarium?

4 Confir. Impediri ab offerendo sacrificium, quando eius oblatio putatur necessaria pro graui, & publica necessitate eos, ad quos pertinet curare publicam vtilitatem, est valdè graue, & trahit secum notabile damnum, quatenus facit carere medio omnium proportionato in ordine ad subueniendum necessitati: ergo cum Ductores militum, dum actu bellum gerunt, sint cum exercitu in graui necessitate publica, quia administratio belli est negocium publicum, & semper indigent diuino auxilio ob prosperum exitum non solum, sed etiam ad vitanda damna, quæ superuenire possunt; & ad ipsos pertineat curare publicam vtilitatem, valdè graue erit, & notabilis damni non posse Deo offerre sacrificium, præsertim quando instat occasio aliqua aut pugnandi, aut egrediendi, aut se subtrahendi alicui periculo, aut alia huiusmodi. Quod si hoc non fecerint, est, quia inuigilant tantum ad remedia temporalia, non autem ad spiritualia, sicut deberent: ergo quantum est de se, præbet sufficientem causam concedendi licentiam celebrandi in tentoriis, cum leges admittant dispensationes, quotiescumque sit grauis ipsarum obseruantia, vt docent communiter.

5 Confirmatur secundò. Dispensatio in isto casu est circa id, quod tendit ad publicam vtilitatem. Siquidem quod Ductores militum primarij possint offerre sacrificium pro salute exercitus, & pro prospero successu belli pertinet ad vtilitatem publicam, & illa oblatio ordinatur ad publicam vtilitatem. Et ideò lex de non offerendo sacrificio extra loca deputata, quatenus impedit oblationem in Castris impedit etiam hic, quod tendit ad publicam vtilitatem: ergo lex est in statu, vt admittat dispensationem; & interpretationem, quod in tali casu sit relaxanda, quia concurrit id, quod potest inducere dispensationem, iuxta id, quod communiter tradunt, cum D. Thom. 1. 2. *quæst.* 97. *articulo* 4. & quod docent Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 18. *de reformat.*

QVÆSTIO 469.

An vltra dies festos liceat in castris pro militibus celebrare Missam.

SVMMARIVM.

1. *Vltra dies festos licet in castris celebrare Missam.*
2. *Milites quando sint in periculo mortis.*
3. *Necessitas celebrandi in castris pro ministranda Eucharistia.*
4. *Pro ministrando viatico licet celebrare extra Ecclesiam.*
5. *Si milites viuerent Christiano modo, posset quotidie celebrari in castris.*
6. *Quid sufficiat, vt celebrari possit extra Ecclesiam.*

Dicendum est. *Vltra dies festos licere in castris alijs etiam diebus ministrare Missam ex causa necessitatis.* Hoc autem intelligendum est, si milites viuere vellent Christiano modo, & ea præstare, quæ quisque fidelis præstare debet in ordine ad salutem. Quia semper adessent, qui communionem sumere vellent, vt succedente morte, essent parati. Sed quia sunt immemores propriæ salutis, ideò per accidens cessat huiusmodi necessitas. Rursus etiam hoc intelligitur, quando adest occasio conserendi manum cum hoste, aut agrediendi locum aliquem. Ita Palud. *in* 4. *distinctione* 13. *quæstione* 2, *artic.* 3. *conclus.* 1. Raymund. *libro* 3. *tit. de sacrament. iteran.* §. 12. D. Antonin. *tertia parte, tit.* 13. *capite sexto*, §. 4. Syluester *verbo* Missa 1. *quæst.* 5. *dicto secundo.* Graff. *part.* 1. *decis. libro* 2. *capite* 42. *numero* 10. qui loquuntur in ordine ad ministrandam Eucharistiam. 1

Hoc autem deducitur ex eo, quod milites, quando castrametati sunt propè hostem, aut obsident aliquem locum, sunt in occasione proxima pugnandi, quæ semper de momento in momentum expectari potest, & proinde sunt in periculo mortis, vt tradunt communiter Doctores Gloss. *in cap. Pastoralis, verbo* Præterquam, *de offic. ordin.* vbi & cæteri Doctores. Couaruuias *in cap. Alma mater, part.* 1. §. 11. *num.* 8. Molina *tom.* 4. *de iust. & iure. disputatione* 63. *numero* 5. Graf. *de effectib. clericat. capite* 9. *numero* 153. Sayr. *libro secundo, de censur. cap.* 10. *numero* 28. Vgolin. *de censur. tab.* 1. *cap.* 4. §. 1. Sanchez *lib.* 2. *summ. cap.* 13. *numero* 3. Duard. *in Bullam cœnæ, lib.* 3. §. 2. *quæst.* 2. Alterius *de censur. libro* 1. *disputatione* 6. *capite* 6. Layman. *libro* 5. *Theolog. moral. tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 13. Bonacina *disput.* 1. *de censur. quæst.* 3. *punct.* 3. *num.* 4. Bellet. *in disquisit.* 1. *Cleric. tit. de disciplin. Cleric.* §. 1. *numero* 52. Mancin. *in pract. visit. infirm. pract.* 4. *dub.* 3. ver. *Item qui.* Zambran. *de casib. occurrent. temp. mort. prælud.* 1. *num.* 3. Ripa *de Actis, in art. mort. capite* 35. *numero* 1. Belloch. *de casibus reseruat. part.* 1. *quæst.* 2. *numero* 126. Candid. *tom.* 1. *disquisit.* 3. *art.* 9. *dub.* 1. Trullench *lib.* 1. *in decal. cap.* 3. *dub.* 7. *numero secundo*, & alij. Nam stante occasione proxima conserendi manum cum inimico, sunt etiam in periculo moriendi, siquidem expositi sunt, vt ab ipso occidantur & nemo scit, an sit futurus ex illis, qui non occidentur. Sic etiam qui habet occasionem proximam peccandi est in periculo peccandi. 2

Ex hoc autem fit, quod se gerere debeant tanquam existentes in periculo mortis, & quod se præparare debeant non solum per sacramentum pœnitentiæ, 3

sed

ſed etiam Euchariſtiæ. Quod ſi hoc non faciunt, id contingit, vel quia immemores ſunt propriæ ſalutis, vel quia non apprehendunt periculum. Stante autem neceſſitate adeſt ſufficientiſſima cauſa celebrandi in caſtris, vt poſſint milites, ſumere Euchariſtiam, & manere præparati ad moriendum. Et hæc eſt grauior cauſa neceſſitatis, quam ſit in quocunque alio caſu ex iis, quos communiter admittunt Doctores.

4 Accedit etiam, quod quando eſſet conficienda Euchariſtia pro conſtituto in pericolo mortis, celebrari poteſt extra Eccleſiam, & quemcunque aliom locum deputatum, vt docent Tolet. *lib.2. ſum.cap.2. num.1.* Fernand. 2. *part.3. examin. Theol.moral. cap.5.* §.10. *numer.* 2. Nugn.3. *part.quæſt.*89. *art.*3. Thomas Hurtad. *tom.2. reſol. moral. tract.* 12. *cap.*1. *in digreſ.* §.1. *dub.* 1. *numero* 1197. & alij: Ergo à fortiori pro miniſtranda pluribus, & pluribus conſtitutis in periculo mortis poterit celebrari in caſtria militum.

5 Ex dictis colligitur. Quod dato, quod milites viuerent, ſicut deberent viuere, Chriſtianè, poſſet quotidie in caſtris offerri ſacrificium, quando adeſſet occaſio conferendi manum cum hoſte; nam quotidie vrgeret periculum mortis, & quia non poſſent omnes eodem die ſumere Euchariſtiam, quia plures ſemper occupati eſſent in functioonibus militaribus, quas nullo pacto poſſent relinquere, ideo, quotidie adeſſent, qui ſumerent Euchariſtiam, & ideo ad ſatisfaciendum eorum neceſſitati, eſſet quotidie celebrandum. Verum, vt dictum eſt, ceſſat hæc neceſſitas, quia nihil minus cogitant, quàm mortem, & præparationem ad ipſam.

6 Secundo colligitur: Quod diſcurrendo per illos caſus, quos communiter admittunt Doctores, in quibus extra loca deputata celebrari poteſt, non requiritur magna neceſſitas: ſed ſufficit etiam quædam decentia, qualis eſt illa, quæ fundatur in deuotione, modo tamen in locis deputatis celebrari non poſſit. Nam quod Miſſa prima Sacerdotis celebretur extra Eccleſiam, quando ipſa non poteſt capere populum admittitur ſolum ad indulgendum deuotioni populi, ſicut etiam quando fiunt ſupplicationes, & Ecclaſia non capit populum; præſertim ſi non ſit audienda Miſſa de præcepto. Vnde poterunt alij caſus ſimiles reſolui, ſi occurrant, conſiderando, an ſecum afferant neceſſitatem ſecundum menſuram illam, quam habet de quibus dictum eſt in ſuperioribus.

QVÆSTIO 470.

An quando ratione neceſsitatis eſt celebrandum extra loca deputata, ſit neceſſaria licentia Epiſcopi.

SVMMARIVM.

1. *Quande neceſſitas non prauidetur celebrari peteſt extra loca deputata ſine licentia.*
2. *Qnid ſi commode peti poſſit,* & n.ſeq.
4. *Stante euidente neceſſitate non eſt neceſſaria licentia.*
5. *Neceſſitas legibus non ſubiacet.*
6. *In legibus quando cauſa neceſſitatis eſt euidens, non eſt opus diſpenſatione.*
7. *Si neceſſitas non ſit euidens eſt neceſſaria licentia pro celebratione extra loca deputata.*
8. *Cauſa non euidens indiget recognitione.*
9. *Neceſſitas quando cenſenda ſit euidens pro celebratione extra loca deputata.*
10. *Caſus approbandi ab Epiſcopo pro celebratione extra loca deputata.*

IN hac difficultate in vno conueniunt communiter Doctores. Quando neceſsitas non præuidetur, ſed ita occurrit, vt non poſsit commodè peti licentia, quod non ſit neceſſaria, ſed poſſe celebrari, licet non adſit licentia. Quia ipſa neceſsitas facit hoc licitum: Quia cum ius commune concedat, poſſe celebrari extra loca deputata ſtante neceſsitate, celebrari poteſt virtute huius conceſsionis: atque ceſſat obligatio petendi licentiam, cum commodè peti non poſsit. Vnde difficultas eſt, an ſit neceſſaria, quando commodè peti poteſt. 1

Prima ſententia aſſerit, eſſe petendam. Ita D. Thomas 3. *part. quæſt.* 83. *art.2. ad* 2. quatenus docet, poſſe in neceſsitate celebrari extra Eccleſiam, ſed de conſenſu Epiſcopi Durand. *in 4. diſt.* 13. *quæſt. 2. num.*8. Palud. *quæſt.* 1. *art.*3. *concluſ.* 1. D. Antonin. 3. *part. tit.* 13. *cap.*6. §.4. Tabiena *verbo* Miſſa, *num.*8. Sylueſter *quæſt.5. dicto* 2. Tolet. *lib.2. cap.2. num.*1. Azor. *part.1. lib.*10. *cap.* 26. *quæſt.*6. Henriquez *lib.9. ſum. cap.*27. *num.*2. Suarez *diſp.*81. *de Euchariſt. ſect.*3. verſ. *Tertia exceptio.* Reginald. *lib.* 29. *praxis fori pœnit. cap.* 9. *ſect.* 5. *num.* 177. *in fine.* Ledeſma *part.* 1. *ſum. cap.*20. *de Euchariſt.* verſ. *La ſegunda excepcion.* Fauſtus *de Euchariſt. lib.*2. *quæſt.* 170. verſ. *Ab hac autem* Facundez *præcept.* 1. *Eccleſ. lib.*13. *cap.*13. *num.*14. Garzia *in ſum. tract.*3. *difficult.*8. *dub.2. part.1. num.*6. Alphonſ. de Leone *de cenſur. recollet.6. num.* 851. Tanner. *tract.4. ſum. diſp.5. quæſt.*10. *dub.2. num.*28. Amicus *tom.7. Curſ. Theol. diſput.* 23. *ſect.*12. *num.*332. Villalob. *part.*1. *ſum. tract.* 8. *difficult.*23. *num.*3. Trullench. *lib.3. de ſacram. cap.*8. *dub.... num.*3. Coninch. 3. *part.qu.*83. *art.3. dub.1. num.*224. Auerſa, *quæſt.*11. *de Euchariſt. ſect.* 14. verſ. *Tertio tamen in fine* Dicaſtil. *de ſacram. tract.5. diſp.4. dub 6.num.*79. Thomas Hurtad. *part.2. reſol.moral.tract.*12. *cap.1. in digreſ.*§.1. *dub.4.n.*2204. Qui vult ſemper petendam licentiam, quando extra articulum mortis neceſſitas eſt priuatæ perſonæ, & etiam quando eſt alicuius multitudinis, & poteſt peti. Fondamentum pro hac ſententia affert Alphonſus de Leone. Quia Concil. Trident. tribuit facultatem Epiſcopis concedendi hanc licentiam pro caſu neceſſitatis, ad quem reſtringit ipſorum facultatem. Ergo ſi quando adeſt neceſſitas, non eſſet petenda licentia, fruſtatoria eſſet conceſsio Concilij. 2

3 Secunda ſententia aſſerit, non eſſe neceſſariam licentiam Epiſcopi. Ita Nauar. *cap.* 25. *manual. n.*82. Rodriguez *part.1. ſumm. cap.* 249. *concluſ.* 14. *vol.*1. Sotus, *in 4. diſt.*13. *quæſt.2. art.*3. verſ. *Colligit ergo ſecundo.* Armilla *verbo* Miſsa, *num.*4. Sà *numer.*10. Graſ. *part.* 1. *deciſ. lib.2. cap.*42. *num.*8. Vaſquez 3. *part. diſp.*233. *cap.1. num.4. & 6.* Nald. *in ſum. verbo* Miſsa, *num.*32. Becan. *de ſacram. cap.25. quæſt.*5. Ludouicos à S. Ioan. *part.1. ſumm. quæſt.*15. *art.4. dub.*5. Marchin. *de ſacram. ordin. tract.3. part.3. cap.9. n.*11. *in fine.* Palaua *part.4. oper. moral. tract.2. diſput. vn. part.8. num.*5. Quatenus vult, diſpenſationem Epiſcopi inſeruire pro cauſa neceſsitatis debita. Machad. *tractat.* 2. *lib.* 1. *part.* 1. *tractat.* 11. *docum.* 1. *numero* 3. Valerus *in different. vtriuſque fori, verbo* Miſsa, *different.* 2. verſ. *Quarto fallit.* Layman. *lib.5. Theologic. moral. tractat.5. cap.*1. *numero* 3. Gaſpar. Hurtad. *de ſacrament. diſput.4. de ſacrific. Miſſ. difficult.* 6. verſ. *Obſeruandum eſt.* Lezana, *tom.*1. *quæſt. Regul. cap.*21. *n.*16. Franciſc. Lugo *lib.5. de ſacram. cap.6. num.* 6. Quoniam tamen aliqui addant, decens eſse, quod licentia petatur. Ita Sotus, Layman. Marchin. Machad. Valerus, Lugo.

In

4 In hac difficultate existimo in hæredum iis quæ tradidi in *decis. moralib. decis.168. num.3. & sequent.* Vnde dicendum 1. *Stante necessitate euidente, & notoria, non esse necessariam licentiam Episcopi.* Hoc autem intelligitur sicut intellexi in dicta decis. quando celebrandum est in loco publico, non autem in domo priuata nam cum celebratio Missæ in domibus priuatis specialiter prohibeatur in cap. *Sicut*, & in cap. *Vnusquisque. de consecr. dist.* 1. nec sit conformis naturæ sacrificij, quod tanquam publicum publico modo exigit offerri, secluso Articulo mortis, & indigentia viatici, est semper necessaria aliqua indigentia.

5 Ratio autem est. Quia generaliter loquendo obligatio legum cessat. Vrgente necessitate, quæ legibus non subiacet, vt passim leges ipsæ loquentur. Cap. *Mutationes*, & cap. *Scias frater. 7. quæst.* 1. & cap. *consil.2. de obseruat. ieiunior*, & cap. *fin. de feriis*, & cap. *Non minus, de immunit. Eccles.* & cap. *Nemo. De reg. iur. in 6.* Et specialiter de necessitate in hoc casu, cap. *Sicut*, & cap. *Concedimus, de consecrat. dist.* 1. Ergo si necessitas sit euidens, de se declarat, quod lex prohibens oblationem sacrificij extra loca deputata, non obligat. In illo casu, & subintrat ius concedens licentiam celebrandi extra loca deputata, & proinde non est necessaria alia licentia, cum habeatur à iure.

6 Confirm. In aliis legibus, quando causa necessitatis est euidens, non est opus dispensatione, & licentia, sed ea se ipsa necessitas impedit, aut soluit obligationem legis, vt tradunt communiter D. Thom. 2.2. *quæst.147. art.4. in corpore.* Gabriel. *in 4. dist.16. quæst.3. art.1. not.5.* Ledesma 2. *par. tract.27. cap.1. dub.5. post. 5. conclus.* Palat. *in 4. dist.15. disp.8. post conclus.4. §. Obseruandum est autem.* Lessius, *lib.4. de iust. & iure. cap.2. dub.6. num.45.* Syluius 2. 2. *quæst.147. art.4.* vers. *Porrò circa causas*, & alij. Quia scilicet subintrat regula communis, quod necessitas non habet legem. Ergo à fortiori id locum habebit in casu præsenti, quia ius prohibens celebrationem Missæ extra loca deputata, excludit expressè casum necessitatis. Atque adeo casus necessitatis tanquam exclusus à lege, non remanet sub ipsius dispositione prohibitiua, sed sub concessiua, & ideo stante concessione legis, non est necessaria alia licentia.

7 Dicendum 2. *Quando necessitas non est euidens est necessaria licentia Episcopi, si haberi potest.* Dixi si haberi potest, quia dato quod Episcopus non sit. Præsens, aut tempus non permittat recursum ad ipsum, tunc adest licentia interpretatiua, quia potest rationabiliter præsumi ipsius consensus ex eo, quod si peteretur licentia, probabiliter præsumi potest, quod concederet, quia est rationabile, quod concederet.

8 Ratio autem est. Quia quando necessitas non est euidens, dubitari potest. An sit vera necessitas, quæ non comprehendatur sub lege, & proinde non remanet probata, & stabilita causa necessitatis, sicut remanet, quando est coniuncta cum euidentia, siquidem euidentia stat loco probationis cap. *Euidentia. De accusat.* Ergo indiget iudicio, & auctoritate superioris, vt recipiat determinationem, quod sit illa causa, pro qua ius concedit celebrationem extra loca deputata. Præsertim quia fieri potest; quod neque sit tanta necessitas, vt de se soluat legem, sed opus sit aliqua indulgentia; & dispensatione.

9 Dubium verò remanet, quando censendum sit, quod necessitas sit euidens. Resp. Quod casus necessitatis sunt in triplici differentia. Alij enim sunt expressi in iure, alij recipiuntur communiter à Doctoribus; alij vero sunt similes communiter receptis. Quod spectat ad primos, censendum est, habere euidenter necessitatem, quia eorundem necessitas est canonizata à iure, atque adeo habenda est pro sufficienti, & certa. Duos autem casus expressos reperio in cap. *Concedimus, de consecrat. dist.* 1. Primus est, si Ecclesiæ sint destructæ, seu combustæ: hæc enim est necessitas omninò accidens. Secundus est. Si desit Ecclesia constitutis in itinere. Vnde seruari potest regula generalis, quod defectus Ecclesiæ inducat necessitatem euidentem. Et constat etiam ratione, quia lex adstringens ad celebrandam in locis deputatis, præsupponit, adesse huiusmodi loca; & proinde si non adsint non potest adstringere.

10 Casus autem, quos admittunt Doctores vltra prædictos non habent ita euidentem necessitatem, nisi quatenus ad defectum Ecclesiæ reduci possunt. Et quia vestiri possunt diuersis circumstantiis, quæ possunt augere, & minuere necessitatem. Et quia eos non admittunt, vt absolutæ necessitatis, & qui de se soluant obligationem legis, sed tanquam eos; pro quibus potest Episcopus concedere licentiam, ideo non erunt euidentis necessitatis; & proinde opus erit petere licentiam, si permittunt peti. Et idem dicendum est de aliis casibus similibus, qui possunt occurrere. Et hoc à fortiori, quia non sunt auctorizati à Doctoribus, & ideo debent auctorizari à superiori; præsertim, quia non erunt semper æqualis necessitatis. Si tamen reduci possunt ad necessitatē expressam in iure, quæ consistit in defectu Ecclesiæ, non esset opus alia licentia; vt si accidisset adesse quidem Ecclesia, sed minitaretur ruinam; nam tunc populus non esset exponendus periculo, & res eodem modo se haberet, ac si non adesset Ecclesia.

QVÆSTIO 471.

An in mari liceat offerre sacrificium à nauigantibus.

SVMMARIVM.

1. *In triremibus non potest celebrari.*
2. *In magnis nauigiis an celebrari possit*, & n. seq.
4. *Mari tranquillo potest in magnis nauigiis celebrari Missa.*
   Praxis antiqua.
5. *Si celebretur in magnis nauigiis mari tranquillo non adest periculum effusionis.*
   Peritorum relationi standum est.
6. *Standum est opinioni melius adminiculata.*
7. *In quacunque longa nauigatione celebrari potest in nauigiis* &c.
8. *Semel declarato, quod possit in mari celebrari, non est opus alia licentia.*
9. *Episcopus non potest concedere celebrationem in mari, aut declarare* &c.
   Mare non est intra diœcesim alicuius Episcopi.
10. *Quid dicendum de quodam Rituali non permittente celebrationem in mari.*

1 IN longis nauigationibus, quando multo tempore nauigantes longè absunt à terra, ita vt non possint appellere pro offerendo sacrificio, dubitatur, an possint in naui erigere altare, & offerre sacrificium. Certum est autē, quod in triremibus non potest occurrere huiusmodi necessitas; nam frequenter prorsus ingrediuntur; proinde cum celebrare possint in Terra, quando appellitur, cessat necessitas celebrandi in ipsis triremibus. Solum videtur posse occurrere repentinus aliquis casus, in quo non liceat appellere ad terram,

terram, & sit necessarium ministrare viaticum. Verum quia in triremibus non solet, nec potest regulariter celebrari, nec etiam in hoc casu poterit, quia non adsunt necessaria pro celebratione, dato quod casus faceret, quod posset celebrari. Vnde remanet difficultas, an in magnis nauigiis celebrari possit.

2 Prima sententia negat, esse licitum celebrare in mari. Ita Palud. *in 4. distinct.* 13. *quaest.* 2. *art.* 3. *conclus.* 1. Sotus *quaest. item* 2. *art.* 3. *argum.* 1. *in fine.* Turrecrem. *in cap. Sicut. de consecrat dist.* 1. Ioan. de Tribur. *lib.* 3 *sum. tit. de sacrament. iterum.* §. 12. Tabiena *verbo* Missa. *num.* Syluester *quaest.* 5. *dicto* 2. Armilla *num.* 4. Angelus *quaest.* 4. D. Antonin. 3. *part. tit.* 13. *cap.* 6. §. 4. Nauarrus *cap.* 25. *Manual. num.* 82. *in fine.* Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 27. *num.* 3. Maiol. *lib.* 3. *de irregular. cap.* 23. *num.* 3. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 2. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *q.* 6. *in fine.* Vasquez 3. *part. disput.* 233. *cap.* 1. *num.* 5. Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 3. *ver. Tertia exceptio.* Reginaldus *lib.* 29. *Praxis fori poenit. cap.* 9. *sect.* 5. *num.* 176. *in fine.* Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quaest. vlt. punct.* 8. *n.* 12. Coninch *de sacrament. quaest.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. *num.* 226. Barthol. ab Angelo *dialog.* 5. *de Missa.* §. 620. Faustus *de Eucharist. lib.* 2. *q.* 173. *ver. Sed caeteri* Zezara *part.* 1. *quaest. regular. cap.* 21. *num.* 16. Ledesma *tom.* 1. *tractat. de Eucharist. cap.* 20. *dub.* 4. Zanard. *part.* 1. *direct. Theol. de sacrament. Eucharist. cap.* 14. Chamerota *de sacrament. tractat.* 4. *de sacrific. Miss. dub.* 15. Astens. *part.* 1. *sum. lib.* 4. *tit.* 14. *art.* 4. *q.* 2. Ioan. à Cruce *part.* 2. *Direct. Conscient. quaest. de sacrific. Miss. dub.* 1. *conclus.* 2. Pitigian. *in* 4. *distinct.* 13. *quaest.* 2. *artic.* 2. Homobon. *part.* 1. *Exam. Eccles. num.* 4. *cap.* 14. *quaest.* 137. Filliucius *tractat.* 5. *cap.* 4. *numero* 116. Molfes. *part.* 1. *summ. tractat.* 3. *cap.* 10. *num.* 32. Villalobos *part.* 1. *summ. tractat.* 8. *difficultat.* 23. *numero* 4. Chellisson. 3. *part. quaest.* 83. *articul.* 3. *dub.* 1. Praeposit. *dub. item* 1. *num.* 148. Tanner. *tom.* 4. *sum. disp.* 5. *quaest.* 10. *dub.* 2. *num.* 28. Graf. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 10. Pax Iurdan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 139. Vnicum fundamentum huius sententiae est. Quia licet in necessitate celebrari possit extra locum consuetum, non tamen cum aliquo periculo. In mari autem semper adest periculum effusionis sanguinis, quia licèt mare sit tanquillum, potest derepente ventis commoueri. Addunt alij, quia in naui non potest esse locus decens. Verum hoc non potest dici, nisi ab iis, qui nunquam naues viderunt, nam cum adsint cubicula, potest aliquod ipsorum ornari, vt fiat decentissimus locus.

3 Secunda sententia asserit, posse celebrari in mari in magnis nauigiis existente mari tranquillo. Ita Durand. *lib.* 4 *Rational. diuin. offic. cap.* 1. *num.* 41. Sà *verbo* Missa. *num* 19 Maior. *in* 4. *distinct.* 13. *quaest.* 4. *post init.* Granad. 3. *part. controuers.* 6. *tractat.* 14. *disput.* 193. Scottia *lib.* 2. *de sacrific. Miss. cap.* 13. *num.* 15. Layman. *lib.* 5 *Theol. moral. tractat.* 5. *cap.* 5. *num.* 6. Facundez *praecept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 15. Testans de praxi, quoad eos, qui nauigant ad Indos. Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disput.* 4. *de sacrific. Miss. difficult.* 6. *ver. Obseruandum. in fine.* Marchin. *de sacrament. ordin. tract.* 3. *cap.* 9. *num.* 14. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tractat.* 22. *disputat. vnic. punct.* 8. *num.* 16. Caspens. *part.* 2. *Curs. Theol. tractat.* 23. *disput.* 3. *sect.* 3. *num.* 67. Auersa *quaest.* 11. *de Eucharist, sect.* 14. *init.* Machad. *tom.* 2. *lib.* 4. *part.* 11. *docum.* 1. *num.* 6. Lugo Card. *disput.* 20. *de Eucharistia, sect.* 3. Franeisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 6. *quaest.* 1. *num.* 9. Qui testatur, se in nauigatione ad Indias in naui celebrasse. Ita *numero decimoquarto*, Leander *de sacrament. tractat.* 8. *disputatione sexta*, *quaest.* 18. *ver. Sed pro talibus.* Et huius quoque sententiae difficultate perpensa fuisse plures Academias Hispaniae testatur Lugo Cardinal. citat.

Dicendum est. *Posse in mari in nauigiis magnis celebrari Missam existente mari tranquillo.* Hoc autem intelligitur supposito, quod sit praeparatus locus, in quo possit cum debita decentia, & reuerentia sacrificium offerri. Ita etiam concessisse Clementem VIII. & Paulum V. re diu, multumque perpensa, testatur Facundez *citat.* & proinde consuetudinem fuisse introductam authenticè. Atque hoc fuisse antiquitus in vsu testatur Baronius *tom.* 8. *annal. anno* 700. *num.* 3. Idem etiam de Vulfrano Archiepiscopo Sennonensi, vt referunt Ionas Abbas, & Surius in eius vita. D. etiam Gregorius *lib.* 3. *Dialog. cap.* 36. refert omnes, qui cum Maximiano erant in naui iam quassata, Corpus, & Sanguinem Christi accepisse; quod fieri non potuit, nisi ipse, aut alius celebrasset. Et quamuis haec facta sint potius administranda, attamen satis ostendunt, quod non est nouum celebrare in mari, & quod sine periculo exerceri potest, vt constat eos fecisse: & proinde quod ratione talis circumstantiae loci non est excludendum. 4

Fundamentum autem huius sententiae non aliunde sumi potest, nisi excludendo fundamentum oppositum, nam cum ratione necessitatis deficiente loco deputato celebrare, liceat extra ipsum erit licitum etiam in mari secluso periculo effusionis sanguinis. Vnde difficultas reducitur ad quaestionem facti, an adsit, vel non adsit huiusmodi periculum. Quod autem non adsit, tradunt periti nauigationis, quando scilicet mare est tranquillum, & ideò ipsorum relationi est standum, *lib.* 3. *Cod. fin. regund.* & *l. Semel. Cod. de re militari*, & cap. *Proposuisti. de probat.* vbi Felin. *num.* 6. Abbas *num.* 4. Dec. *num.* 17. Bart. *in l.* 2. *Cod. de rescind. vendit.* Cagnol. *numero* 258. Bossius *de delict. numero sexto*, Alexander. *consil.* 12. ver. *Et benè facit.* Gomez *tom.* 3. *Variar. resolut. cap.* 3. *numero octauo*, ver. *Vnde in hoc casu.* Cabal. *resolut. crimin.* 181. *numero* 3. Merlin. *decis.* 446. *num.* 7. Seraphin. *decis.* 665. *num.* 2. & 4. Ludouic. *decis.* 161. *num.* 8. Quod praesertim locum habet, quia experientia ipsa resolutione peritorum confirmauit, cum nauigantes ad Indias celebrent in magnis nauigiis absque vllo prorsus periculo. 5

Rursus cum Doctores oppositae sententiae asserant, adesse periculum effusionis sanguinis, quia mare, licet tranquillum, repente turbari potest. Doctores verò pro hac sententia asserant, quod nullum adsit periculum standum est assertioni, quae melius adminiculatur. Duorum assertio adminiculatur ex eo, quod mare est instabile & repentè commouetur: Posteriorum assertio adminiculator peritorum relatione, & assertione, quod nunquam mare ita repente mutatur, quin praeuideantur aliqua leuia initia, & proinde non absque eo, quod concedat tempus sufficiens pro complenda Missa. Secundo adminiculatur experientia, quae est rerum magistra. Tertiò ratione, quia naues magnae ita suo pondere, & anchoris firmantur, vt leuis commotio maris non sufficiat ad eas concutiendas, aut mouendas, vt experientia constat, & ideò eorum assertioni tanquam melius fundatae standum est. 6

Ex dictis colligitur, quod in qoacumque longa nauigatione celebrari poterit in nauigiis magnis, in quibus adesse potest securitas, & locus opportunus celebrandi cum debita decentia, nam militat eadem ratio necessitatis, quae locum habet etiam stando in licentiis Clemen. VIII. & Paul. V. Nam licèt prodierint pro nauigantibus ad Indias, habent ta- 7

men locum pro omnibus nauigantibus; siquidem cum petitæ fuerint ratione difficultatis, quod non liceret stante periculo effusionis sanguinis, dum concessæ sunt, fuerunt potius quædam declarationes, quod liceat in mari celebrare, atque adeò quod non adsit periculum sanguinis effundendi, quam dispensationes. Nam si non adest periculum, fit licitum omnibus, quia aliàs adest necessitas sufficiens: si verò adesset periculum, non potuissent Pontifices has licentias concedere. Et ideò semel concessæ habent vim declarationis, quæ se extendit ad nauigantea ad quemcumque locum.

8 Colligitur 2. Quod si semel constet de aliqua declaratione summorum Pontificum, seu licentia celebrandi in Mari, non est opus alia declaratione, aut licentia, vt cæteri quoque celebrare possint. Quia casus reducitur ad necessitatem euidentem, quæ consistit in impossibilitate habendi Ecclesiam, seu locum alium deputatum pro celebratione, atque adeò ad casus auctorizatos in iure in cap. *Concedimus. de consecrat. dist.* 1. De hac autem licentia, seu declaratione constare potest, vel ex Scriptura, si appareat authentica; vel ex casu certo subsequuto in virtute huiusmodi licentiæ.

9 Colligitur 3. contra Granad. 3. *part. controuers. 6. tract.* 14. *disput.* 13. *num.* 6. Non posse Episcopum concedere huiusmodi licentias, seu declarationes celebrandi in mari, vt aduertunt Coninch. *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. *num.* 226. Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disputat.* 4. *dub.* 6. *num.* 90. *circa fin.* asserentes, viros graues, & doctos in hac fuisse sententia. Ratio clara est. Quia Episcoporum iurisdictio est coarctata intra sphæram vniuscunque Diœcesis, ita vt non possit extendi vltra ipsam, vnde ex hoc capite cum communi sententia dictum est, quod non possunt concedere facultatem suis subditis celebrandi in aliena Diœcesi extra loca deputata. Mare autem, præsertim longè distans à terris, non est intra terminos alicuius Diœcesis, atque adeò extra iurisdictionem vniuscunque. Præsertim cum Doctores non conueniant, an etiam sit de ditione alicuius Principis, an verò sit omnibus liberum. Nec dici potest, quod possit Episcopus à cuius Diœcesi soluunt nauigantes, dare huiusmodi licentiam, quia non dat pro aliena Diœcesi; nam adhuc datet pro loco, ad quem non se extendit ipsius iurisdictio. Nec item dici potest, quod possit declarare, quod liceat celebrare, tum quia ista declaratio non esset auctorizatiua pro illo loco, quia iurisdictio non se extendit ad ipsum, ita nec etiam declaratio, quatenus fundata in auctoritate, & iurisdictione. Tum quia Episcopus non potest auctoritatiuè se ingerere circa ea, quæ spectant ad Ecclesiam vniuersalem, qualis est oblatio sacrificij cum omnibus, quæ ipsum concernunt, quale est, an possit offerri in Mari. Vnde ex nullo capite potest ad ipsum pertinere concedere licentiam, aut declarare.

10 Colligitur 4. Ad illud, quod affert. Nauarr. *De Orat. Miscell. Miscellan.* 90. citans Rituale quoddam à Leone X. approbatum in quo *part.* 1. *tractat.* 4. *cap.* 35. dicitur, non licere alicui celebrare in loco fluctuanti, nec in mari, aut flumine, nam vt obseruat Lugo Cardinal. non constat, quod tale Rituale positiuè approbatum fuerit, sed solum, quod fuerit permissum, vnde ex hoc non acquirit auctoritatem aliquam, quia vt potuerit permitti, sufficit si non contineat aliquod, quod non sit conforme probabili Doctrinæ, qualis tunc præsertim erat, quod non posset celebrari in Mari, aut in flumine.

QVÆSTIO 472.

Quando liceat in Mari celebrare.

SVMMARIVM.

1. *In duobus casibus licet in mari celebrare.*
2. *Alij casus in quibus licet in mari celebrare diebus profestis.*
3. *Vnde hoc desumatur.*
4. *Nauigantes quoad celebrationem Missæ se habent, ac si essent in terris, in quibus non essent Ecclesiæ.*
5. *Quædam necessitas celebrandi in mari singulis diebus.*

IN duobus casibus esse licitum celebrare, non videtur posse in dubium reuocari, nempe in diebus festis, quando vrget præceptum audiendi Missam; nam tunc adest causa necessitatis, ob quam licet etiam in terra extra loca deputata celebrare, & in casu, in quo pro aliquo moribundo esset conficiendum viaticum. In his enim casibus necessitas est euidens, quia ex vno capite vrget occasio celebrandi, & ex alio non adest Ecclesia aut oratorium publicum, in quo celebretur; solum autem difficultas est, an in cæteris diebus celebrari possit seclusa occasione viatici. 1

Et quidem posse occurrere alias occasiones, in quibus diebus profestis liceat celebrare, non credo posse difficultatem pati, qualis esset, si post periculosam tempestatem essent gratiæ agendæ Deo pro liberatione, si aliquod aliud periculum esset superandum, si pro aliqua re graui esset implorandum diuinum auxilium, aut si occurreret festiuitas alicuius sancti, quem nauigantes speciali deuotione colerent. Nam in his casibus militat illa necessitas moralis, ob quam concedunt Doctores, celebrari posse extra Ecclesiam; neque enim est maior necessitas in celebratione extra Ecclesiam, vt Populus audiat primam Missam noui Sacerdotis; etsi in hoc habetur ratio deuotionis Populi, maior deuotio exercetur, dum cum sacrificio colitur festiuitas alicuius sancti, quam cum auditur prima Missa alicuius Sacerdotis, quia posset alterius Missa audiri in Ecclesia; quod verò sit prima Missa, solum conducit ad excitandam maiorem deuotionem. 2

Dicendum est. *Vltra prædictos dies, & occasiones, posse etiam cæteris diebus in mari celebrari, quando licuerit.* Ita Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 6. *quæst.* 1. *num.* 14. testans de praxi in nauigationibus ad Indias, & asserens, se celebrasse in dicta nauigatione etiam diebus profestis & consueuisse in eius nauigio tres, aut quatuor Missas singulis diebus celebrari. Hoc desumi potest ex cap. *Concedimus, de consecrat. dist.* 1. quod licet sit Concilij prouincialis, attamen, vt alias dictum est, fuit receptum consuetudine vniuersali. Ibi ergo conceditur quod destructis Ecclesiis, possit celebrari extra ipsam in aliqua Capella. Nomine autem Capellæ intelligitur, non locus destinatus cultui diuino, sed aliquod tugurium, seu locus coopertus, atque adeò quod ea celebratio, quæ aliàs esset facienda in Ecclesia, fiat extra ipsam; atque adeo etiam diebus profestis, quia tunc locus non deputatus subrogatur loco deputato, atque adeò obtinet eandem prærogatiuam. Nauigantes autem non habent Ecclesiam, atque adeo sunt in eodem statu, ac si pro ipsis Ecclesiæ essent destructæ. Vnde nauigium, seu locus ad hunc effectum in ipso præparatus subrogatur loco Ecclesiæ, atque adeò obtinebit eandem prærogatiuam. 3

Rursus

4 Rursus in eodem cap. *Conceditur*, itinerantibus, quibus deficit Ecclesia, possint subdio, vel sub aliquo tentorio celebrare, & quando iter habent per regiones infidelium, aut Hæreticorum, in quibus non sunt absolutè loca deputata pro oblatione sacrificij, tanquam omnino carentes Ecclesiis possunt celebrare quibuscunque diebus libuerit, quia non ligantur lege celebrandi loco deputato, vt in superioribus dictum est. Nauigantes autem carent omnino Ecclesia, & mare quoad hoc comparatur regionibus infidelium: ergo remanent immunes ab obligatione celebrandi in loco deputato, & possunt, quando libuerit celebrare in loco, quem habent, quia hic est Ecclesia respectu ipsorum.

5 Præterea adest etiam, quædam moralis necessitas celebrandi singulis diebus. Primò quidem, quia continuò nauigantes subsunt variis periculis, vnde adest necessitas impetrandi à Deo præseruationem: nec aliud medium magis opportunum suppetit, quam oblatio sacrificij, pro quibuscumque necessitatibus est offerendum iuxta traditionem Apostolicam, vt habet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 2. de sacrific. Missæ.* Secundò, quia otium, in quo continuò degunt nauigantes, est continuus fomes ad peccandum, & ideò indigent aliquo speciali medio, quo impetrent specialia auxilia gratiæ ad vitanda peccata, quo nullum efficacius esse potest, quam sacrificium. Tertiò. Quia cum non adsint ibi functiones Ecclesiasticæ quæ alunt deuotionem fidelium, indigent oblatione sacrificij pro alenda deuotione, alioquin facilè esset, quod in nauigationibus adeò longis, quamplures ferè obliuiscerentur, se esse Christianos.

QVÆSTIO 473.

An liceat celebrare in flumine.

SVMMARIVM.

1. *In flumine non licet celebrare.*
2. *Aliquando videtur posse celebrari.*
3. *Nulli casus inferunt necessitatem celebrandi in flumine.*
4. *Nauigia, quæ sunt in fluminibus minus apta vt in ipsis celebretur.*

1 COmmuniter negant, esse licitum, vt ego etiam dixi *in decis. moral. decis.* 81. *num.* 1. Quia cum flumina nunquam sint tam magna, vt non possit ad litus descendi cum summa facilitate; nunquam potest adesse necessitas celebrandi in nauigio. Quod etiam confirmari potest, quia summus Pontifex rogatus, vt concederet facultatem celebrandi in triremibus, sicut concesserat pro nauibus, noluit concedere, quia triremes frequenter ad terram appellunt.

2 Attamen postea occurrit, quod potest succedere talis casus necessitatis, cui non aliter videatur obuiari posse, nisi celebrando in nauigio, vt cum post longam nauigationem peruenitur ad aliquem locum, apud quem non admittantur eò, quod, aut venerint de loco suspecto ratione pestilentiæ, aut quia ripas fluminis teneant hostes, aut ratione alicuius similis accidentis, & instat necessitas ministrandi viaticum moribundo. In his enim casibus cessat ratio, ob quam non potest celebrari in flumine, quod scilicet possit descendi, & celebrare in Ripis.

3 Verum neque in his casibus aderit ista necessitas, quia si non permittuntur descendere, possunt incolas rogare, vt faciant celebrare in Ripis, aut quod adhibitis custodibus permittant descendere, qui necessarij sunt pro celebratione, aut quod saltem subministrent Eucharistiá pro moribundo; & sic euitabitur necessitas celebrandi in nauigio. Quod si hostes teneant ripas fluminis, nec etiam erit tutum celebrare in nauigio, quia poterunt offendere nauigium, & consequenter etiam celebrantem, & causare sacrificio plura pericula.

Accedit etiam, quod in nauigiis, quibus solent flumina nauigare cum non sint, vt plurimum, valdè magna, & destinata vt plurimum oneribus vehendis, non adest illa commoditas, vt possit præparari locus decens pro celebratione. Si autem locus non est decens, nec etiam admitti potest celebratio. Si tamen parari posset locus congruus, & talis esset casus, vt nullo modo posset in Ripis celebrari, & vrgeret necessitas, crederem, quod tunc celebrari posset, quod videtur sentire Henriquez *lib. 9. sum. cap. 27. n. 4.* Verum hucusque non mihi videtur, quod casus possit esse possibilis. 5

QVÆSTIO 474.

An priuilegia Regularium celebrandi extra loca deputata, sint reuocata per Concil. Tridentinum.

SVMMARIVM.

1. *Dispositio Concil. Trident. circa celebrationem extra loca deputata.*
2. *In quibus non afficiat Regulares.*
   Generalis dispositio non se extendit ad ea, de quibus est specialiter prouisum.
3. *Priuilegia regularium circa celebrationem extra loca deputata an reuocata.*
6. *Priuilegia clausa in corpore iuris, vt reuocentur, requirunt specialem mentionem.*
7. *Priuilegia non inserta in corpore iuris circa celebrationem extra loca deputata non sunt reuocata.*
   Priuilegia quatenus censeantur reuocata.
8. *Priuilegia celebrandi extra loca deputata non contrariantur dispositioni Concilij Tridentini.*
9. *Possunt habere suum effectum quamdiu non accedat prohibitio.*
10. *Clausula*; Non obstantibus priuilegiis quibuscunque, *non se extendit ad qualificata.*
11. *Clausula in fine posita se extendit ad omnia præcedentia.*
    Nisi adsit ratio in contrarium.
    Refertur ad ea, quibus rectè conuenit.
12. *Quid operetur dispositio Concil. stantibus priuilegiis circa celebrationem, &c.*
13. *Regulares possunt adhuc celebrare extra loca deputata.*
    Quando requiritur specialis derogatio non sufficiunt clausula generales.
14. *Concessio noui priuilegij non arguit reuocationem præcedentis.*

SVpponendum est Concil. Trident. *sess. 22. in Decrete de seruand. & vitand. in celebratione Missæ.* 1
ita disponere loquens de Episcopis. *Néve patiantur priuatis in domibus, atque omninè extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem ordinarijs designanda, & visitanda sanctum hoc sacrificium à Sæcularibus, aut Regularibus quibus-*

cumque peragi. Vnde cum ex vi huius dispositionis remaneat prohibita celebratio Missæ in domibus priuatis, & extra Ecclesias, & publica Oratoria, dubium insurgit, an priuilegia regularium maneant in suo robore post Concil. Trident. quorum vigore celebrare poterant in quolibet honesto, & decenti loco cum Altari portatili.

2 Secundò est supponendum. Quod enim Concil. in allegatis verbis disponat specialiter quoad Regulares, cum eos specialiter exprimat, cætera quæ in illo capite, seu decreto disponuntur, non disponuntur, quoad ipsos Regulares, quia subintrat regula, quod generalis prouisio, seu dispositio non se extendit ad eos, de quibus est specialiter prouisum, l. Cum in Testamento, §. fin. ff. de hared. instit. & l. Seruo manumisso, ff. de pecul. leg. & l. Cohæredi. §. Qui patrem. ff. de vulgari, & pupill. substit. & l. Hæres meus, §. Dua statua, ff. de leg. 3. & notant Ruin. consil. 131. n. 4. lib. 2. cum consil. 90. num. 6. Surd. consil. 456. num. 48. Hier. Gabr. consil. 95. num. 7. Castil. tom. 2. controu. cap. 91. num. 83. ver. Deinde. Seraph. decis. 476. n. 2. Et ratio clara est. Quia, si voluisset comprehendere Regulares quoad omnia disposita in eo Decreto, aut eos non expressisset vnquam, sed reliquisset sub generali dispositione, aut expressisset in principio, aut in fine referendo ad ipsos totam dispositionem. Vnde cum solum expresserit in illa speciali ratione, in qua disponitur de celebratione Missæ extra loca deputata, manifestum fit, quod sub ipsa tantum voluit eos comprehendi.

3 Prima sententia asserit. Priuilegia Regularium circa vsum Altaris portatilis fuisse per Concil. reuocata. Ita Nauar. cap. 25. Manual. numero 82. in fine. Sorbus in Compend. priuileg. Mendican. verbo Missa 3. in adnot. §. 1. Azor. parte 1. libro 10. cap. 26. quæst. 7. Henriquez lib. 9. sum. cap. 27. num. 2. in Comment. littera S. Conineb de sacramen. quæst. 83. art. 3. dub. 1. num. 226. Vasquez 3. parte, disput. 233. cap. 1. num. 7. in fine. Suarez disput. 81. de Eucharist. sect. 3. ver. Quarta exceptio. Facundez præcept. 5. Eccles. lib. 3. cap. 13. num. 16. Regioal. lib. 29. praxis fori pœnit. cap. 9. sect. 1. numero 178. Beja part. 4. respon. cas. conscien. casu 33. ver. Et quamuis. Chamerota de sacrament. tract. de Eucharist. dub. 15. Barbosa de potest. Episcop. allegat. 23. num. 4. Faustus de Eucharist. lib. 2. de sacrific. Miss. quæst. 171. Lezana part. 1. quæst. Regul. cap. 21. num. 16. Peregrin. in Compend. Priuileg. Cleric. Regul. part. 1. titul. Missa, §. 2. Miranda tom. 1. Manual. quæst. 40. art 9. Becan. de sacrament. cap. 25. numero 2. Garxia in sum. tract. 3. difficult. 8. dub. 2. punct. 5. num. 29. Layman. lib. 5. Theol. moral. tract. 5. cap. 5. num. 5. Palaus part. 4. quæst. moral. tract. 22. disputat. vnic. punct. 8. num. 8. Tanner. tom. 4. disput. 5. quæst. 10. dub. 2. num. 23. Posseuin. de pollut. Eccles. disp. 2. cap. 11. num. 1.

4 Fundamentum pro hac sententia desumitur primò ex Concil. Trident. cit. num. 1. vbi sub dispositione de celebratione Missar. extra loca deputata comprehendit in specie etiam Regulares, & in fine illius Decreti, addit clausulam: Non obstantibus quibuscunque priuilegijs. Secundò, quia Paulus III. concesserat Iesuitis priuilegium celebrandi cum Altari portatili in quocunque loco honesto, & congruenti, vt in Compend. Priuileg. huius Relig. verbo Altare. Quia tamen fuit concessum ante Concil. Trident. habitum fuit pro reuocato, & ipsum tanquam reuocatum confirmauit Gregor. XIII. in sua Constit. 57. tom. 2. Bullar. ibi. Vsum Altaris viatici Societati vestra à felic. record. Paulo Papa III. concessum. Deinde à Concil. Trident. sublatum vobis hactenus restituimus, &c. Ex quibus patet, quod Pontifex habuit huiusmodi priuilegia pro vniuersaliter reuocatis.

Secunda sententia asserit, non esse reuocata, & proinde posse Regulares vti suis priuilegiis, nisi ab Episcopis prohibeantur. Ita Rodriquez tom. 1. quæst. Regul. quæst. 43. art. 5. & tom. 3. sum. cap. 19. num. 3. Ledesma part. 1. sum. tract. de Eucharist. difficult. 4. circa 2. conclus. ver. Esto supposito. asserens alios doctos viros ita sentire, & citat Medinam Ioan. à Cruce lib. 2. de priuil. Regul. cap. 5. dub. 7. post conclus. 4. ver. Si obijcias Decretum. Hieron. Rodriquez in Compend. Regul. resolut. 9. num. 4. Lugo Cardin. disput. 20. de Eucharist. sect. 2. num. 51. Portel. in dub. regular. verbo Altare, num. 1. Marchin. de sacrament. Ordin. tract. part. 3. cap. 9. num. 12. Caspens. tom. 3. Curs. Theolog. tract. 23. disputat. 3. sect. 3. num. 68. Baunius part. 1. Theol. moral. tract. 10. quæst. 14. de Presbyter. ver. Quo decreto. Lodouic. à S. Ioan. part. 1. summ. quæst. 12. de Eucharist. art. 3. dub. 1. append. 1 Præposit. 3. part. quæst. 83. art. 3. n. 151. Auersa quæst. 11. de Eucharist. sect. 14. ver. Quartò videbitur. Tamburin. tom. 2. de iure Abbat. disput. 5. quæst. 6. num 8. Dicastil. de sacrament. tractatu 5. disputat. 4. dubio 6. num. 104. Francisc. Lugo lib. 5. de sacrament. cap. 6. quæst. 4. num. 32. Peirin. tom. 1. de Priuileg. ad Constit. Pyrrhi, n. 31. Villalob. part. 1. sum. tract. 8. difficult. 23. num. 7. ver. Tambien tiene. Thomas Hurtad. part. 2. resolut. moral. tractatu 12. cap. 1. in digres. num. 2226. Valer. in Differ. vtriusque fori, verbo Missa, differ. 2. num. 1. Leander de sacrament. tractatu 8. disputat. 6. quæst. 17. ver. Sed æquè, & Lezana in Mari magno Prædicat. num. 118. asserit, probabiliter in praxi sustineri posse. 5

Dicendum 1. Priuilegium celebrandi cum Altari portatili extra loca deputata concessum PP. Dominicanis, & Franciscanis, & insertum in corpore iuris non est reuocatum per Concilium Tridentinum; & proinde remanet in suo robore etiam quoad eos, qui ipsum participant per communicationem. Quatenus occasione insertum in corpore iuris fuit de nouo concessum, & declaratum ab Honorio III. in Cap. In his, de priuil. Hoc autem manifestum fit, & regula certa, & ab omnibus admissa. Quod priuilegia inserta in corpore iuris non reuocentur per clausulas generales, sed sit necessaria specialis mentio; ita desumitur ex l. Eius militis, §. Militia, ff. de testam. milit. & tradunt Gloss. in Authent. Qua in Prouincia, ver. Illico, C. Vbi de crim. agi opor. Bart. ibid. opposit. 2. Bald. ver. Tertia solutio. Felin. in cap. 1. num. 12. & in cap. Nonnulli, num. 26. de rescript. Roman. consil. 498. num. 14. Ias. in l. 1. num. 16. de constit. Dec. consil. 164. num. 4. Tuseb. litt. P. conclus. 215. n. 44. Grammat. decis. 20. num. 1. Loter. lib. 2. de re benefic. quæst. 7. n. 26. Suarez lib. 8. de legib. cap. 38. n. 12. Miranda tom. 1. Manual. quæst. 45. art. 6. Ruin. consil. 228. num. 13. vol. 2. Palaus part. 1. oper. moral. tract. 3. disp. 4. de priuil. punct. 2. §. 4. n. 15. Menoch. præsumpt. 40. n. 12. lib. 6. Nauar. cap. 27. Manual. n. 265. Ricciul. de iure person. extra Eccles. prem. cap. 14. num. 5. Coccin. decis. 36. num. 72. Donat. in praxi rer. regul. part. 1. tract. 14. quæst. 2. n. 1. Merol. tom. 3. Theol. moral. disputat. 6. cap. 7. dub. 8. num. 212. Rota decis. 340. in Antiquis, & decis. 645. num. 5. part. 3. Recent. & in Romana successionis de Girona 27. Iunij 1574. coram Robusterio, cum ergo in illo Decreto Concil. Trident. sit tantum clausula generalis: Non obstantibus priuilegijs, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus, quibuscunque, non se extendit ad derogandum dicto priuilegio inserto in corpore iuris. 6

Dicendum 2. Priuilegia, quæ non sunt inserta in corpore iuris, neque esse reuocata absolutè. Sed solum quatenus non possint se tueri virtute ipsorum contra Episcopos prohibentes celebrationem Missæ extra loca deputata. Ratio est. Quia priuilegia reuocata per aliquam 7

Digitized by Google

quam legem non censentur reuocata, nisi quatenus cum lege reuocante repugnantiam habent, *l. vnica*, §. *His tantummodo, C. de Latin. libert. tollen.* vbi Glos.
7 & rursus Glos. *in Authent. de hered. ab intest. circa init.* verbo *Vacantibus*. Roman. *consil.* 57. *num.* 2. Bart. *in Extrauag. Ad reprimendam.* vet. *Non obstantibus*. Rota *decis.* 289. *n.* 6. *part.* 3. *Recent.* Finis enim reuocationis est, vt sublatis contrariis possit lex sortiri suum effectum, & ideò non se extendit vltra id, quod est necessarium, vt lex sortiatur effectum. Non est autem necessarium, vt plus reuocentur, quam contrarientur, quia reuocatis, quatenus contrariantur, non possunt impedire effectum.

8 Dispositio autem Concil. Trident. *in Decreto de seruand. & vitand. in celebr. Miss. sess.* 22. non loquitur cum Regularibus, neque ipsis directè prohibet, quòd non celebrent Missam extra loca deputata, sed solum loquitur cum Episcopis iniungendo, quod non permittant, Regulares celebrare extra loca deputata. Deinde in fine totius dispositionis reuocat priuilegia: ergo ista priuilegia non censentur reuocata, nisi quatenus contrariantur huic dispositioni. Non contrariantur autem, nisi quatenus Regulares vigore ipsorum se tueri possunt contra Episcopos prohibentes celebrationem Missarum extra loca deputata.

9 Dices. Vel priuilegia manent in suo robore quoad actum quem concedunt, nempè celebrationem Missæ cum Altari portatili extra loca deputata, & proindè reddunt ipsis licitum, vel non manent in suo robore: si primum, ergo Episcopi non possunt impedire, & proindè ista priuilegia sunt contraria dispositioni Concilij, quatenus concedunt actum. Si secundum: ergo sunt absolutè reuocata. Resp. manere in suo robore, & reddere licitum actum non absolutè, sed quatenus non prohibetur ab Episcopis, & proindè reuocatio suum effectum operatur, quod tollit ab ipsis independentiam respectu Episcoporum quoad vsum eorumdem priuilegiorum. Quia sicut prius vti poterant etiam contradicentibus Episcopis, modò, si contradicant, non possunt vti, & actus aliàs licitus, fit illicitus. Hoc autem factum est à Concilio; quia intendebat in illo decreto tollere tantum abusus, atque adeò noluit prohibere Regularibus, ne celebrarent extra loca deputata cum Altari portatili in virtute suorum priuilegiorum, sed solum iniunxerit Episcopis, ne permitterent celebrare relinquendo eorum prudenti iudicio secernere abusus à legitimo vsu priuilegiorum, & prohibere, quando aduerterent abusus, quod antea non poterant stante exemptione Regularium, & eorumdem priuilegiis.

10 Addendum tamen est, remanere dubium, an per illam clausulam, *Non obstantibus priuilegijs quibuscumque*, positam in illo decreto remaneant reuocata priuilegia Regularium. Nam clausula ista, licet tanquam generalis habeat vim reuocandi priuilegia in genere, atque adeò omnes species contentas sub genere; attamen non se extendit ad priuilegia aliquo speciali modo qualificata, & communiter docent. Et proinde non se extendere ad reuocanda priuilegia Regularium tanquam concessa titulo remuneratorio ob benemerita ipsa, non tradunt Mandus. *in Regul.* 13. *Cancellar. quæst.* 6. *num.* 8. Bursat. *consil.* 138. *num.* 77. *vol.* 2. Rodriquez *quæst. regul.* 9. *art.* 6. *in fin. tom.* 1. Henr. Salaman. *Relect. de priuil. in casib. Bonan. disput. casu* 3. *die* 27. *Iunij* 1581. Merol. *tom.* 3. *Theol. moral. disp.* 6. *cap.* 7. *dub.* 8. *n.* 214. In dubio autem præsumendum est pro non reuocatione, vt tradunt Glos. *in sum. prope fin.* 25. *quæst.* 2. Roman. *consil.* 327. Vicent. de Franch. *decis.* 125. *n.* 5. Seraphin. *decis.* 196. *num.* 1. Quia non debet quis priuari possessione sui priuilegij ex titulo dubio, cùm in dubiis melior sit conditio possidentis.

Et quamuis in fine dicti Decreti apponatur clausula derogatoria: *Non obstantibus priuilegijs, &c.* proinde referri debet ad omnia præcedentia, *l.* 1. *C. de liber. prater.* vbi Glos. *verbo Nulla*, & *l.* 3. §. *Filius, eod. tit.* & notant Ancharan. *consil.* 68. *num.* 4 Paris. *consil.* 85. *num.* 10. *lib.* 2. Alexand. *consil.* 212. *num.* 8. *lib.* 6. Decian. *consil.* 70. *num.* 19. *lib.* 3. Rota *decis.* 407. *num.* 8. *part.* 3. *Recent.* & consequenter deroget priuilegiis omnibus contrariis omnibus dispositis in præcedentibus. Quia hoc locum habet, quando non adest ratio in contrarium, & proinde non debet referri ad ea, quibus non rectè conuenit, vt obseruant Ias. *in l.* 1. *limit.* 1. *num.* 8. *Cod. de liber. prater.* Ruin. *consil.* 72. *num.* 13. *lib.* 1. Gabr. *conclus.* 9. *num.* 16. *de clausul.* Rota apud Merlin. *decis.* 237. *num.* 10. Dicta autem clausula non congruit priuilegiis Regularium tanquam iis, quæ, vt dictum est, non comprehenduntur sub generali clausula reuocatoria, & quia Concilium in illa speciali oratione. Discretiuè disponit de Regularibus quoad celebrationem extra loca deputata, & ideò clausula in fine posita non est extendenda ad id, de quo discretiue dispositum est. 11

Nec obiici potest. Quod si non reuocatentur priuilegia Regularium, frustratoria esset dispositio Concilij iniungens Episcopis, ne patiantur, Regulares celebrare Missas extra Ecclesias, & Oratoria diuino tantum cultui dedicata. Nam semper sortiri potest effectum quoad Regulares non priuilegiatos. Deinde adhuc potest habere effectum quoad priuilegiatos, quia in virtute priuilegiorum non possunt regulares facere aliquid, quod contineat abusum, præsertim irreuerentiæ erga huiusmodi sacrificium, siquidem priuilegia non concedunt; nisi quod rationabile est; & ideò si virtute priuilegiorum celebrent extra loca deputata, cum abusu, & irreuerentia, poterunt Episcopi se ingerere, & prohibere celebrationem tanquam specialis mandati, quod habent à Concilio. 12

Ex dictis autem colligitur. Adhuc posse Regulares priuilegiatos, vti Altari portatili, & celebrare extra loca deputata, salua tamen decentia, & reuerentia debita sacrificio. Non autem priuilegia, hoc ipsis concedentia reuocata non sunt, aut non sunt absolutè reuocata, sed solum quatenus contrariantur illi speciali dispositioni, quæ in illa decreta disponit de Regularibus discretiuè quoad celebrationem extra loca deputata. Aut denique quia dato, quod essent reuocata, remanet tamen in suo robore priuilegium, Cap. *In his, de priuileg.* quod tanquam clausum in corpore iuris non comprehenditur sub reuocatoriis generalibus in forma communi; quia vltra allata *num.* 6. quando requiritur specialis derogatio, non sufficiunt clausulæ generales, vt tradunt inter alios Archidiacon. *in Rubric. num.* 2. verf. *Dic plenius, de constit. in* 6. Dec. *in cap.* 1. *num.* 8. *de Iudic. in* 1. *Lectur.* Couaruu. *lib.* 4. *Decret. tit. de sponsal. part.* 2. *cap.* 8. § 9. *num.* 6. verf. *Quibus ego addo.* Penna *decis.* 997. *numero* 5. Rota *decis.* 122. *numero* 1. *part.* 1. *diuers.* & *in Valentina Decimar. coram* Lancellotto apud Marchesan. *de commiss. part.* 1. *pag.* 639. & in alia *Toletana Decimar. coram* Iusto apud eumdem Marchesan. *part.* 2. *pag.* 596. 13

Ad fundamentum 1. sentent. constat ex dictis, nam derogatio priuilegiorum, aut non est facta à Concilio quoad Regulares, aut ad summum quatenus contrariatur dispositioni, atque adeo quatenus nequeant Regulares se tueri vigore priuilegiorum contra Episcopos prohibentes celebrationem extra 14

loca deputata ; priuilegium autem in corpore iuris insertum nullo modo remanet reuocatum. Ad 2. Gregor.XIII. in concessione illius priuilegij non declarasse, quod priuilegium Paul.III. aut cætera remanserint reuocata, sed supposuisse fuisse reuocata ea narratione pro eodem priuilegio obtinendo, quæ narratio fuit fundata in opinione; quod Concilium ea reuocasset, vnde nihil aliud probat, nisi quod tunc opinati sint, quod essent reuocata. Deinde cum non fuerit priuilegium insertum in corpore iuris dici potest, quod remanserit reuocatum, non absolutè sed solum quatenus contrariabatur dispositioni Concilij, atque adeo vsus ipsius non subiiciebatur Episcopis: & ideo modo maneret, nisi esset restitutum à Gregorio XIII.

QVÆSTIO 475.

An post Concil. Trident. adsint priuilegia de nouo concessa circa celebrationem Missæ cum altari viatico.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegium concessum à Greger. XIII. pro altari viatico.*
2. *Est relatiuum ad priuilegium Pauli III. & quale hoc sit.*
3. *Restringit dictum priuilegium Pauli III. & in quo consistat restrictio.*
4. *Pro quibus Missionariis concessum sit.*
5. *Participantes hoc priuilegium non possunt eo vti sine licentia Superiorum.*
6. *Priuilegium Altaris portatilis Pij IV. & quale sit, & quos complectatur.*
   Est concessum post Concil. Trident.
7. *Quinam Sacerdos eligi possit pro vsu huius priuilegij.*
8. *Communicatur speciali modo clericis Regularibus.*

1 EXtat priuilegium concessum PP. Iesuitis à Gregorio XIII. seu potius restitutum post Concilium Trident. sub die 1. *Octobris anni* 1579. in sua *Constitut.57.tom.2. Bullar.* teneris sequentis. *Vsum altaris viatici societati vestra à Fel.record. Paulo Papa III. concessum, deinde à Concilio Trident. vniuersè sublatum, vobis eatenus restituimus, vt inter missiones quæ à superioribus fiunt Presbyteri vestri seruata aliàs forma dicta concessionis Missa Sacrificium licitè valeant celebrare super huiusmodi altari vbique gentium, etiam in Castris militum, modo loca etsi communia, & prophana tuta, & honesta sint, & Generalis, aut per eum Prouinciales, Præpositi eo tunc vtendum fore iudicauerint.*

2 Quia tamen hoc priuilegium est relatiuum ad priuilegium Pauli III. nam Gregor. vult, quod seruetur forma in ipso præscripta: ideo videndus est etiam tenor priuilegij Pauli III. qui talis est in eius *Constitut. Licet debitum*, quæ est 48. §. 14. *tom.1. Bullar. Liceatque præpositis, & de eorum etiam facultate vniuersis fratribus, & sociis societatis huiusmodi in presbyteratus ordine constitutis in locis, in quibus degunt, & eos pro tempore morari contigerit, habere Oratoria, & in eis, ac quocunque alio honesto, & congruenti loco in Altari portatili cum debitis reuerentia, & honore, etiam tempore interdicti, quauis etiam Auctoritate Apostolica appositi, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis submissa voce Missas, & alia diuina officia celebrare ac Ecclesiastica sacramenta recipere, & aliis ministrare, dummodo ipsi causam non dederint interdicto, nec contingat id ipsis specialiter interdici.*

3 Ex quibus patet, quod priuilegium Gregorij restituit solum vsum altaris portatilis, quia pro hoc solum facit supplicatum tanquam sublato per Concilium Tridént. *Vnde quando Pontifex dicit seruata alias forma dicta concessionis*, intelligit, quod celebratio fiat in loco honesto, & congruenti cum debita reuerentia, & honore. Non tamen Gregor. restituit integrè priuilegium Paul. III. quia ab ipso concessum fuerat absolutè, vt sine vlla restitutione: Gregorius autem restituit cum restitutione ad missiones. Quod satis declarant illa verba. *Vniuersa sublata, vobis eatenus restituimus, vt inter missiones*, &c. Supponit enim Pontifex, quod in Concil. Trident. fuerit vniuersaliter, & absolutè ablatum, & ideo restituit vt possint illo vti, dum sunt in missionibus. Dictio enim, *Eatenus*, habet vim limitandi iuxta cap. *Significatum de præben.* & cap. *Super his de rescript. & obseruat.* Dec. *consil.38. n.3.vol.2.*

4 Sed dubium est, de quibus missionibus intelligenda sit concessio, an de iis tantum, quæ dirigantur ad infideles, an verò etiam de iis, quæ dirigantur ad fideles rudes instituendos, & ad eorundem confessiones excipiendas. Resp. Esse intelligendum de omnibus; tum quia loquitur absolutè de missionibus, nec restringit ad has, vel illas. Tum quia vigore priuilegij Pauli III. poterant vti in omnibus missionibus; vnde cum restitutum sit in ordine ad missiones, habebit quoad ipsas eandem amplitudinem; Tum quia in omnibus militat ratio necessitatis, cum etiam inter fideles, qui incolunt montes aut sparguntur per agros, sit difficilis accessus ad Ecclesias, cum longè absint, nec fideles possint ita facilè ad eos accedere.

5 Est tamen aduertendum, quod participantes hoc priuilegium, non possunt eo vti, nisi de licentia suorum superiorum, quia hoc requirit Paulus III. & Gregor. XIII. se remittit ad formam, cum qua concessum est à Paulo. Neque communicantes vti possunt nisi in missionibus, quia communicatur cum eadem restrictione ad missiones; dum autem celebrant, poterunt ministrare Eucharistiam. Quia ita habet priuilegium Paul. III. cui quoad hoc nulla obstat reuocatio: semper tamen vsus huius altaris portatilis erit dependens à licentia superiorum, cum Paulus III. sub hac forma illud concesserit.

6 Alterum priuilegium concessum fuit à Pio IV. Canonicis Regularibus Lateranensibus sub *die* 18. *Maij anni* 1565. *anno* 6. Sui Pontificatus, vt habetur in eorundem priuilegiis, & in compend. *priuileg. S. Mariæ Fulsensis* tit. *Infirm.* §. 5. & in compend. *priuileg. Clericor. Regul.* Tit. *Infirmi.* §. 2. quod quidem priuilegium magnum est, & spectabile, cum fuerit concessum post Concil. Trident. quod confirmatum fuit ab eodem Pontifice anno 1563. Septimo Kal. Februarij, & etiam post reuocationem priuilegiorum, quæ contrariantur Concil. Trident. quæ facta fuit ab eodem Pontifice XIII. *Kal. Martij anno* 1565. Continet autem hoc priuilegium, quod singuli quibusvis infirmitatibus detenti, itavt per Medicum, aut superiorem iis prohibitum sit exire è cubiculis, durante tantum infirmitate, possint facere celebrare Missam per aliquem præsbyterum per eos eligendum in propriis cubiculis in altari portatili, in loco tamen decenti, & honesto: ibique Eucharistiam sumere nulla Ordinariorum locorum, aut aliorum requisita licentia. Et habet hoc priuilegium clausulas amplissimas derogatorias Constitutionũ Apostolicarum. Quod sanè, vt dixi, valde notabile est, præsertim ob circumstantiam temporis, in quo fuit concessum.

Circa

7 Circa quod est aduertendum, quod cum concedat facultatem infirmo eligendi iuxtà suum libitom Sacerdotem, possunt noo solum eligere aliquem eiusdem Religionis, sed etiam Sacerdotem sæcularem, imò etiam Regularem alterius Religionis, qui absque alia licentia suorum superiorum poterit ibi celebrare, nam Pontifex io dicto priuilegio concedit electo plenam, & liberam facultatem celebrandi, & ideo non indiget alia licentia: imò oec Ordinarius loci hoc ei prohibere potest, sicut nec etiam superior Religionis, quia noo possunt impedire facultatem concessam à Pontifice, & Ordinarius, si Regulares, sint exempti, non habet ios in ipsos. Imò oec etiam Ordinarius prohibere poterit Sacerdotes sæculares.

8 Secundo est aduertendum, quod hoc priuilegium speciali modo communicatur Clericis Regularibus vulgò Theatinis, nam Clemens VII. *In sua constitut.11.§.5.tom.1.Bullar.* communicat ipsis in specie priuilegia Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium amplissimo modo, ibi: *Et vt omnibus, & singulis priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indultis, fauoribus, concessionibus, & gratiis spiritualibus & temporalibus, quibus potiuntur, & gaudent, aut in futurum potieatur, & gaudebunt Canonici Regulares Lateranensis Congregatioais persona, & loca eorum, vos persona, & loca vestra vti, potiri & gaudere possitis. Quorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis haberi volumus: itavt littera Apostolica super eisdem priulegiis, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus, & gratiis eisdem concessis, vel pro tempore concedendis, mutatis dumtaxat nominibus, cognominibus, & irrenocationibus, & diebus ad libitum vestrum expedsri possiat, perinde ac si illa omnia, & singula, noa solum per clausulas generales, sed per eorum tenores de verbo ad verbam expressionem fecissent, vt bis per has nostras litteras sub hac ipsa die expresè, & specialiter concessas teaore præsentium ex certa nostra scientia, & ex Apostolica plenitudine potestatis, vobis, ac sociis, & successoribus vestris in perpetuum concedimus pariter, & indalgemus; & ad præmissa omnia, & singula qaibuscumque impedimentis, & contradictionibus amotis, liberam, plenamque auctoritatem, & facaltatem elargimur.* Stante ergo hac amplissima commonicatione prædictum prioilegiom se habet, ac si immediatè dictis Clericis Regularibos concessum fuisset. Et ideo in praxi eo vsi suor, de quo ego testis oculatus sum.

QVÆSTIO 476.

An, si Priuilegia celebrandi extra loca deputata renocata essent per Concil. Trident. reuixerint per aliqnam confirmationem.

SVMMARIVM.

1. *Coarilio Trident. derogatur sine expressa mentione.*
2. *Omnia sancita ia Tridentino sabiiciuntur voluntati summi Pontificis.*
3. *De stylo Curiæ aanquam ei expresò derogatur. Stylus habet vim legis.*
4. *Priuilegia renocata Clericor. Regal. reuixerunt per Confirm. Gregor. XV.*
5. *Clausala,* Motu proprio, *facit, quod concessio latè interpretetur.*
6. *Clausula,* Ex certa scientia, *restituit priuilegia renocata. Claasula,* Ex certa scientia, *ponit dispositionem in forma specifica.*
7. *Princeps præsumitur habere scientiam iuris. Clausula,* Ex certa scientia, *habet vim noua concessioais.*
8. *Clausala,* Ex certa scientia, *restitait priuilegia; si Princeps habuit scientiam reuocationis.*
9. *Negatio clausularum, quæ solent apponi negat effectum earumdem, & intere oppositam.*
10. *Clausula,* De nouo concedimus, *qaid operetur. Renalidat priuilegia aliàs reuocata, aut nulla.*
11. *Clausula,* Quorum tenores, *quid operetur. Fictio habetur pro veritate.*
12. *Claasala,* Omnia, & singoli, *habet vim specialis concessioaos, & expressienis.*
13. *Clausula,* De plenitudine potestatis, *qaid importet.*
14. *Priuilegia sunt leges priuatæ. Motiuum sufficieas restituendi priuilegia.*
15. *Amplissima clausula derogatoria.*
16. *Mentio de vno cum clausula, & aliis censetur omnibus derogatam.*

1 PRo resolotione difficultatis est præmittendum, quod vt derogetur Concilio Tridentino; non est opus, vt de eo fiat aliqua mentio, sed sufficit rescriptum Pontificis, in quo concedator aliquid contrarium Decretis eiosdem Coocilij. vt contra Facuodez *lib.3.de matrim. disp.26. aara.7.* docent communiter præsertim, qoi oouum habent stylum Romanæ Curiæ. ita Germon. *de indult. Cardin. §.Per quæ sublatis num.74.* Goozalez *ad reg.8. Cancel. Glos.6.aum.120.* Marta *de clausul.part.4.claus.14. num.3.* Bonac. *disp.2. de ceasur.quæst.5.punct.2. nam.5.* vers. *Ratio desamitur.* Moreta *de commat. vlt.volunt. cap.13. a.250.* Gratian. *discept.forens. cap.940.* Marescott. *lib.2.variar.resolut. cap.38.aum.41.* Sigismund. à Bononia *de Elect.dub.5.* Massobr. *ia praxi habendi conuers. requisito 17. dub.4. num.8.* Ricciul. *de iure persoaar. extra Eccles. prem. lib.5.cap.14.num.6.* & *lib.8.cap.4.n.6.* Giconipar. *in defens. iur. Pontific.disp.3.quæst.3.dub.2.cap.2.* Barbosa *in Collectan. ad Trident. sess.25.cap.21. de reformat.* Rodriquez *quæst. Regul. 37. art.4.§. Circa qaam, tom.3.* Hierooym. Rodriquez *in compend. quæst. Regular. resol.116.num.17.* Garcias *tom.1. de Benefic.part.4.cap.5. num.30.* Filliuc. *tract.16.n.320.* Vechi. *in praxi Nouit. disp.9.dub.13. num.8.* Donat. *in praxi rer.regul.part.1. tract.14.qu.4.* vbi latè Cæsar de Grass. *decis.3. de rescriptis.* Rota *decis.179. a.6.* & *decis.687. num.24. part.2. recent.* & *in vna pensioais S. Angoli 16. Decembris 1594. coram Pamphilio,* & *in Valentina decimar. 8. Februarij 1588. coram Orano,* & *in Conchensi exempt. decimar.13. Martij 1589. coram eodem,* & *in eadem causa die 9. Decemb.1602. coram Penia.* Et ita etiam declarauit S.Concil. Congreg. io vna Abulensi apud Garcian. *a.4.* loci citati, & aliam similem declarationem refert Quaranta *in summ. Bullar.* verb. *Confessor. in fine.* Imò Garcias citato *cap.num.32.* refert motum proprium Pij V. emanatum anno 1570. ita declarantis.

2 Hoc autem prouenit ex eo, quod idem Concilium *sess.25. cap.21.* subiecit omnia in ipso sancita voluntati summi Pootificis, ita enim habet. *Postremo sancta Synodus omnia, & siagula, sub quibuscumque clausulis, & verbis quæ in morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina, tam sub fel.record. Paulo III. ac Iulio III. Qaàm sub beatissimo Pio IV. Pontificibus maximis in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat, ita decreta fuisse, vt in his salua semper auctoritas Sedis Apostolica, & sit, & esse intelligatur.* Ex quo fit, quod Concilium careat illa prærogatiua, quæ eius statuta tanquam Conciliaria, specialiori modo quam

cætera

Digitized by Google

cætera testagentur abrogationi, aut dispensationi, sed æquè sint abrogabilia, & dispensabilia, ac cætera, & ideo vt ipsis derogetur, non sit opus speciali mentione, aut derogatione, sed sufficiat, aut contrarium factum Pontificis, aut derogatoria generalis.

3 Et hoc totum confirm. stylo Romanæ Curiæ, nam quando Pontifex concedit aliquid contrarium dispositionibus dicti Concil. nunquam illi derogat. Huiusmodi autem stylus habet vim legis, & ideo est illi standum cap. *Quam graui de crim.fal.* Felin. *in cap.1. verbo* Stylus. *De rescript.* Parisf. *cons.44.num* 17. *lib.1.* Menoch. *cons.*270.Riccius *in Collect.*1206. Metola *de Priuileg. dissert.6. cap.5.dub.7. num.*99.vers. *Limitatur, tom.3.Theol.moral.* Guido Pap. *decis.*119. Et hoc seruatur etiamsi Concil. in aliquibus decretis habeat clausulas, quæ aliàs videntur requirere specialem derogationem; nam cum æquè omnia subiecit auctoritati, & voluntati summi Pontificis, eodem modo vnda eius voluntas contra omnia præualet. Nec obstat, quod summus Pontifex confirmauerit dictum Concilium, & reuocauerit priuilegia ipsi contrariantia, quia confirmauit totum Concilium, & proinde etiam dispositionem qua Concil. subiecit auctoritati, & voluntati eiusdem Pontificis omnia ab ipso disposita, & ideo confirmando hanc quoque dispositionem, eam acceptauit, & fecit suam. Hoc autem præmisso.

4 Dicendum est. *Si priuilegia celebrandi in quocumque honesto loco, fuissent per Concil. Trident. reuocata, reuixissent pro Clericis Regularibus, virtute confirmationis subsequuta per felic.rec record. Greg.XV. qua eorumdem priuilegia in amplissima forma confirmauit, & absque clausula dummodo non sint aliàs reuocata, & etiam absque clausula dummodo Concil. Trident. Decretis non sint contraria.* Tenor Confirmationis est. *Motu itaque proprio, & ex certa scientia nostra, deque Apostolica potestatis plenitudine, omnia & singula priuilegia facultates, exemptiones, immunitates, gratias & indulta principaliter, vel per communicationem aliàs quomodolibet Congregationi, & Clericis præfatis per quoscunque Romanos Pontifices, prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam concessa, quorum tenores præcedentibus pro expressis haberi volumus, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, eaque omnia, ac singula innouamus, ac de nouo etiam concedimus.*

5 Hoc autem desumitur primò ex clausula, *Motu proprio*, quæ habet vim reddendi concessionem fauorabilem, atque adeo latè interpretandam, vt tradunt Gozadin. *consil.*8.*num.*20. Grat. *consil.*9.*n.*178. *lib.*1.Roman.*consil.*327.Curt.Sen. *consil.*66.*vers. confirmatur.* Rota *decis.*140.*num.*14.*part.*1.*in nouiss.* Nam dum sponte propria mouetur Princeps ad aliquod beneficium alicui impendendum præsupponitur in ipso specialis beneuolentia, quæ faciat eiusdem voluntatem tendere fauorabili modo ad concessionem, atque adeo quod principium concessionis fit beneuolentia, non autem ex aliquo extrinseco motiuo. Ex quo fit, quod dicta confirmatio, si potest extendi sit extendenda ad restituenda priuilegia reuocata per Concil.Trident.

6 Quod autem possit extendi ad restituenda priuilegia reuocata, deducitur ex alia clausula, *Ex certa scientia*, quæ licet non operetur aliquid circa ea, quæ in facto consistunt, nisi præcedat specifica informatio Pontificis, vt latè dixi *quæst. canon.*107.*Cent.*2. operatur tamen circa ea, quæ sunt iuris, quia præsumitur in Principe scientia illorum, quę sunt iuris, & ideo operatur, quod dispositio sit in forma specifica circa ea, quæ sunt iuris non secus, ac est in forma specifica circa ea, quæ sunt facti, quando præcessit specifica informatio. Nam dum Princeps asserit se procedere ex certa scientia, disponit in forma specifica de iis, quorum scientiam habet iuxta ea, quæ tradunt Felin. *in cap. Cum inter. num.*5. vers. *intelliget bene, de except.* Bald. *in l. fin. n.*9.vers. *Dices etiam, C. Senten. res. non poss.* Dec.*consil.*407.*n.*23. Parisf.*consil.*4. *nu.*81. *lib.*1.Menoch. *consil.*1. *num.*432. Curt.Sen.*consil.*49. *num.*35. Gozad. *consil.*9.*num.*8.Gabr. *conclus.*1. *num.*46.*de claus.* Dec. *in* cap. *Ad hæc* vers. *Et prædicta conclus. de rescrip.* Castrens. *consil.*159.*in fine.* Socin. iun. *consil.*32. *num.*4. Vincent. de Franchis, *decis.*192. *num.*18.Sanchez, *lib.*8. *de matrimon. disp.*4.*n.*6. Seraphin.*decis.*268.*n.*5.Puteus *decis.*70.*n.*4.*lib.*3.Rota *decis.* 666. *part.*1. *Recent.* & alij quos citaui *dict. quæst. canon.*107.*n.*4.

Cum ergo Princeps præsupponatur habere scientiam iuris: vt in dicto cap. 1. *de Constitut.in* 6. Atque adeo Pontifex Iuris Canonici, & Concilij Tridentini, vtpote illius, cuius Decreta praxis continuo offert practicanda, dum declarat, se procedere ex certa scientia, dispositio ipsius erit in forma specifica circa ea, quæ habentur in iure, & in Concilio Trident. Cum ergo in iure, & Concilio Tridentino reuocentur plura priuilegia, præsumetur habere cognitionem reuocationis ipsorum. Ergo dum dicit confirmare ex certa scientia priuilegia alicuius Religionis, censetur in forma specifica confirmare, quæ reuocata sunt, vtpotè de quibus habet scientiam. Confirmatio autem in forma specifica restituit priuilegia reuocata, & alio quocumque modo amissa, quia vim habet nouæ concessionis, vt docent communiter cum Glos. *in cap. quia diuersitatem, de concess. praben.* & *in cap. venient, de transact.* & *in cap.* 2. *de Sacris.* Felin. *in cap. Inter dilectos, num.*13. *de fide instrumen.* Panorm. *ibid.* Dec. *in rub. de confir. vtil. vel inutil. dub.*4. Bald. *tit. Per quos fiat inuest. cap.*1. *num.* 2. Bart. *in l. More, num.* ... *ff. de iurisd. omn. iud.* Oldrad. *consil.*257. *num.* 12. Natta *consil.*636. *num.* 171. vers. *Sed obstat.* Rolan. *consil.*1. *num.*58.*vol.*3.Ioan. Vincent. Anna *alleg.*47. *n.*15. Parisf. *consil.*3. *num.*38. *lib.*4. Suarez, *lib.*8. *de leg. cap.*18. *num.*11. Rodriquez *quæst. Regul.*8. *art.*3. & 10. *tom.*1. Megal. *tom.*2. *variar. resol. num.*3. *disp.*4. *punct.*2. §.10. *num.*5. & desumitur ex cap. 1. & cap. *Veniens, de transact.* & *cap.*2. *de pact.* 7

Et quoad priuilegia reuocata à iure, atque à Concilio Trident. habet Regula, quod tunc confirmatio ex certa scientia restituit priuilegia reuocata, si Princeps scientiam habuit reuocationis, vt obseruant Alexan. *consil.*123. *num.*20. vers. *Præmitto.* Vitalin. *de claus.* Tit. *de claus. Ex cert. scient.* Tusch. *littera C. conclus.*341. *num.*20. Constat autem, quod in Pontifice præsumitur scientia Iuris Canonici, & Concil. Trident. 8

Et valde efficax confirmatio desumitur ex eo, quod non adsint clausulæ: *Dummodo sub nullis reuocationibus sint comprehensa, & dummodo Concilij Tridentini Decretis non sint contraria.* Quæ apponi solent in confirmatione priuilegiorum cum clausula. *Ex certa scientia.* Si enim confirmatio cum tali clausula non haberet vim restituendi priuilegia reuocata, & Concilij Trident. Decretis contraria, non excluderentur per dictas clausulas, & ideo, quando non adsunt huiusmodi clausulæ non remanent exclusa. 9

Alia quoque clausula posita in dicta confirmatione nempe: *Ac de nouo etiam concedimus,* satis indicat mentē Pontificis fuisse non solum confirmare priuilegia, sed etiam sublata restituere, quia non solum præmisset dictiones confirmamus, robur adiicimus, sed etiam innouamus. Vnde cum subdat clausulam, *Ac de nouo etiam concedimus*, oportet, quod voluerit concedere, quæ amissa erant reuocatione, aut quocumq; alio modo; nam huiusmodi clausula reualidat 10

priuilegia

priuilegia reuocata, aot alias nulla, vt tradunt Ruin. *consil.*31. *num.*6. *vol.*1. Surd. *consil.*419. *num.* 25. Lanar. *consil.* 21. *num.* 15. Paschal. *de iurib. patr. potest. part.*1. *cap.*1. *num.*65. Panormit. *in cap. fin.de Decim.* Suarez *lib.*8. *de legib.cap.*19.*num.*5. Rodriquez *quæst. regul.* 8. *art.*2. *tom.*1. Donat. *in praxi rer.regul.part.*1. *tract.*11. *quæst.*7. *num.*1. quod à fortiori habet locum in præsenti, qoia eum clausula, *De nouo concedimus*, coniungitur dictio, *Etiam*, nam hæc dictio etiam est extensiua, & implicet, quod prius non erat dictum iuxta ea, quæ tradunt Ruin. *consil.*43. *num.*19. *lib.*2. Gonxalex *ad Reg.*8. *Cancel. Gloss.* 36. *num.* 25. Rota *decis.*408. *num.*1. *in* 1. *collect. nouiss. apud Farinac.* & *decis.*311. *num.* 1. *part.* 3. *Recent.* Vnde cum antea præmiserit Pontifex, quod confirmat, adiicit robur Apostolicæ firmitatis, innouat, dum subdit, *Ac de nouo etiam concedimus*, oportet, quod aliquid diuersum à præmissis intenderit, quod aliud non potest esse, quam veram concessionem priuilegiotom, & proinde, quæ vim habeat cooeedendi, atque restituendi, quæ amplius non sunt.

11 Rursus etiam clausula, *Quorum tenores pro expressis, &c.* operatur eandem restitotionem priuilegiorom reuocatorum, atque alio modo cessauerunt. Nam Pontifex, quando est ipsi impossibile tollere in specie, omnia, & singula impedimenta, quæ iogrediuntur effectuationem suæ voluntatis efficacis, adhibet clausulam, *Quorum tenores pro expressis haberi volumus*, & vult; quod sit talis efficaciæ, vt eodem modo operetur, ac si reuera tenores, de quibus loquuntur, esseot in specie expressi, & ita semper iudicat Rota; & ita tradunt Butrius *consil.*2. *num.*4. ver. *Nam in gratia*, & *consil.* 29. *num.* 5. Dec. *consil.*165. Geminian. *consil.*65.*n.*21. ver. *Istud rescriptum.* Craneta *consil.*127.*n.*7. Sesse *decis.*93.*n.*1. Sarnens. *ad Reg. Cancel.in proœm.quæst.*6.*n.*6. & *in Reg.de trien.qu.*17. *num.*6. Cassador. *decis.*10.*num.*3. & *decis.*38.*num.*3. *de Reg. cancel.* Federic.de Sen. *consil.*47. *n.*2. ver. *Si dicimus.* Seraphin. *decis.*510. Rota *decis.*466. *n.*5. & *decis.*506. *num.*5. *part.*1. *Recent.* & *decis.*607.*n.*2. & *decis.*407. *n.*7. *part.*3. *Recent.* & apud Zachiam *de oblig. Camer. decis.*93.*n.*19. & *in Comaclensi, & Ferrar. Praposit.* 15. *Decemb.*1625. *coram Remboldo*, & *in Ferrariensi Tannonis* 14. *Iunij* 1622. *coram Vbaldo Sen.* & *in Cremonensi bonor.* 5. *Iunij* 1624. & *in Sabinensi castri Montis Rotundi* 8. *Febr.*1627. *coram Coccino.* Nam stante impossibilitate recensendi omnia fingit Pontifex, quod omnia sunt expressa. Fictio autem habetur pro veritate, & operatur, sicut operatur veritas, *l.*1. §. *Hoc Senatusconsf. ff. Ad Trebel.* & cap. *Ad audientiam, de Cler. non resid.* & cap. *Cum dilectus, eod. tit.* Vnde eum ageretur de recensendis omnibus priuilegiis concessis Cler. Reg. non solom immediatè, sed etiam per communicationem, quæ innumera sunt, & multò plores clausulæ præseruantes quoad deroganda, ideò Pontifex vsus est clausula, *Quorum tenores pro expressis, &c.* & proinde in hoc casu operatur, ac si omnia in specie, & indiuiduo essent expressa.

12 Et hæc à fortioti procedunt, quia dicta clausula refertur ad præcedentem, *Omnia, & singula*, & proinde habet vim operaodi qood omnia, & singula habenda sint pro expressis, nam auget vim buius clausulæ, quæ etiam habet vim specialis expressionis: vnde eum apponatur duplex clausula, quæ facit haberi pro expressis omnia, & singula priuilegia, declaratur enixa voluntas Pontificis, quod omnia, & singula priuilegia sint in viridi robore. Quod autem clausula omnia, & singula habeat vim specialis expressionis, & indiuiduæ quoad ea, ad quæ refertur, tradunt communiter Glos. *in cap. Vt cura, de Iurepatron. in* 6. Bald. *consil.*461.*n.*6. *lib.*1. Roland. *consil.*11.*n.*71. *lib.*3. Socin. *consil.*3.*n.*17. *vol.*3. Curt. iun. *cons.*74.*n.*6. Hier. Gabr. *consil.*144.*n.*68. *lib.*2. Dec. *consil.*512.*n.*6. Surd. *cons.*412. *n.*27. Marta *de clausul.part.*1. *claus.*87. *n.*2. *in vlt. edit.* Rota *decis.*130. *n.*3. *part.*2. *Recent.* Nec obstat, quod omnia, & singula priuilegia non fuerint expressa; quia cum fuerit impossibile exprimere, sufficit quod habuerit pro expressis, atque adeò fictione iuris expressa fuerint. Cum enim procederet in illa confirmatione secundum absolutam potestatem, vt declarat clausula, *De plenitudine potestatis*, potuit habere pro expressis, quæ alias debuissent exprimi.

Dicta autem clausula, *De plenitudine potestatis*, 13 quia importat vsum absolutæ potestatis, vt notat Sanchez *lib.*2. *de matrim.disp.*15.*n.*3. Mooeta *de commut. vlt. volunt. cap.*7.*n.*115. declarat; quod Pontifex in dicta confirmatione præstare voluerit quicquid absolutè, seu de absoluta potestate facere poterat, vnde eum potuerit restituere priuilegia reuocata, & sciuerit esse reuocata, inferendum est, restituisse, & voluisse restituere præsertim stante amplissima derogatione contrariorum quorumcunque, quam opposuit. Vnde non potest dici quod defectu licentiæ non se extendat ad reuocata.

Accedit etiam. Quod eum priuilegia non sint quid 14 facti, quod omninò pertineat ad factum, sed potius ad ius, quia sunt leges priuatæ, iuxta Cap. *Priuileg. dist.*3. quæ emanauerunt à prædecessoribus confirmantis, debet in ipso præsumi saltem aliqua cognitio, quod nimirum singula concessa fuerint in beneficium Religionis, & quod si reuocata sunt, ideò sint reuoacta; quia expediebat, quod leges, quarum intuitu reuocata sunt, vniformiter obseruarentur. Vnde potuit Pontifex alio motiuo, quod scilicet expediat communi bono, quod aliqui benemeriti eximaotur à legibus, & quod illud motiuum, cuius intuitu fuerunt concessa, præualeat motiuo, cuius intuitu fuerunt reuocata, iudicare esse restituenda. Hæc autem scientia sufficit, vt possit prudenter deliberare de restitutione, & secundum regulas rectæ rationis, quia non agitur de concedendo aliquid de nouo, vt proinde debeat cognoscere singula in specie, quæ concedit; sed agitur de restituendo, quod ablatum: & ideò sufficit specifica cognitio de motiuo restitutionis, vt restitutio fit in forma specifica, atque adeò etiam confirmatio, & concessio de nouo. Sicuti etiam quaodo agitur de restituendo spoliato, vt procedatur cum causæ cognitione, non est necessarium, quod in specie examinentur omnia, & singula quibus spoliatus est, sed sufficit si constet de possessione, & quomodo spoliatus sit, & ratio, seu motiuum cur restituendus sit. Quæ omnia fuerunt nota Pontifici, & ideò cum cognitione causæ apposuit clausulam, *De plenitudine potestatis*. Præsertim, quia quaodo Pontifex vtitur hac clausula, præsumitur motus ex causa rationabili, vt notant Abbas *in cap. Cum venissent, num.* 8. *de iud.* & Rota *in Assyriensi Canon.* 5. *Iunij* 1595. *coram Iusto*, apud Marchesan. *de commiss. part.*2.

Et hæc omnia confirmantur ex amplissimis clau- 15 sulis derogatoriis appositis in dict. confit. quæ tales sunt. *Non obstantibus fel. record. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & in Concilio Generali de duabus diætis, dummodo vltra tres diætas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, alijsque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & decretis per quoscunque Romanos Pontifices similiter prædecessores nostros etiam viua vocis Oraculo, aut aliàs quomodolibet hactenus editas, necnon aliorum ordinum etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis quibuscunque personis, sub quibusuis verborum formis, ac tenoribus, ac cum quibusuis derogatoriarum derogato-*

rijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac circunstantibus, & alijs decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret eorum omnium, ac singulorum tenoribus præsentis pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentibus, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrarijs quibuscumque. Quæ derogatio quam amplissima sit satis patet.

16 In qua tamen derogatione notanda est clausula, *Non obstantibus in Concilio generali de duabus dietis, alijsque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, &c.* per quam derogatum remaner Constitutionibus Conciliaribus, de quibus in derogatione est facienda specialis mentio, nam quando debet fieri specialis mentio de aliquibus constitutionibus, si fiat specialiter de vna ipsarum, & addatur clausula, *Et alijs non obstantibus*, censetur etiam cæteris derogatum, vt tradunt Marta *clausula* 14.*num.*3.*part.*4. qui citat Puteum *decis.*515.*num.*2. *lib.*1. Rotam *decis.*26.*part.*3. *lib.*1. *in Nouiss.* dictio enim, *Alijsque* repetit, constitutiones similes in qualitate. *l. fin.* §. *Cui dulcia, ff. de vino trit. alleg.* & tradunt Cephal. *consil.*13.*num.*11. *vol.*1. Ruin. *consil.*181. *num.*2.*vol.*2. Paris. *consil.*145. *num.*25.*vol.*4. Macerlos *ad Reg.*12. *Cancel. quæst.*6.*n.*2. Osasch. *decis. Pedemon.*52. *n.*123. Vnde cum sit expressa vna Conciliaris Constit. cum dictione, *Alijsque*, censetur facta omnium mentio.

QVÆSTIO 477.

Quænam sint priuilegia celebrandi extra loca deputata concessu Regularibus.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegium celebrandi in omni loco cum Altari portatili vbicunque fuerint Regulares.*
2. *Priuilegium celebrandi in quocunque loco honesto, etiam in cubiculis sæcularium.*
3. *Qualia debeant esse ista cubicula.*
4. *Requiritur causa vt celebrari possit in cubiculis sæcularium.*
   Plenitudo potestatis non se extendit ad irrationabilia.
5. *Priuilegij huius vigore non potest celebrari ad instantiam sæcularium.*
6. *Regulares an dum sunt in aliquo loco transeunter vti possint Altari portatili.*
7. *Requiritur rationabilis causa vt priuilegium hoc habeat locum.*
8. *Ratione infirmitatis an celebrare possint in cubiculis sæcularium.*

1 PRæter priuilegia concessa post Concil. Trid. de quibus dictum est in superioribus, extrat priuilegium Honorij III. insertum in corpore iuris, in cap. *In his, de priuileg.* concessum PP. Dominicanis, & Franciscanis; quod non fuisse reuocatum per Concil. Trid. dictum est similiter in superioribus. Cum enim antea concessum fuisset iisdem priuilegium celebrandi vbicunque fuerint cum Altari Viatico, & Episcopi, prætenderet quod non possent vti priuilegio absque illorum licentia, declarauit, non esse necessariam talem licentiam, & iussit, priuilegium ab ipsis Episcopis publicari. Dum autem hoc priuilegium concedit vt possint celebrare cum Altari viatico vbicunque fuerit, intelligitur in quocunque loco honesto, ac decenti.

Rursus Sixtus IV. concessit iisdem Fr. Minoribus, 2
vt non solum in Oratoriis, & locis, in quibus degunt, sed etiam in quocumque alio loco congruenti, & honesto possint super Altari portatili Missas liberè, & licitè celebrare similiter iisdem concessit Alexand. VI. Quod possint celebrare Missas in cameris sæcularium, & in plateis. Quæ duo priuilegia habentur *in Compend. priuileg. mendicat.* verbo *Missa* 1. *quoad locum.*

Est tamen aduertendum circa hoc vltimum, quod 3
cum concedat, posse celebrare in cubiculis sæcularium debet intelligi de cubiculis habilibus ad celebrationem, & proinde, quæ sint loca honesta, & decentia. Non sunt autem talia, non solum, quando immunda sunt, & destinata seruitiis sordidis, sed etiam, quando aliàs munda, & ornata inseruiunt tamen vsibus, quos non decet exercere in loco sacrificij, vt si in cubiculo dormiunt coniugati, quia sequitur, quod ibi quoque exerceant copulam coniugalem. Et similiter etiam, dum concedit, quod possint celebrare in Palatio, debet accipi de loco honesto, & decenter præparato.

Rursus est aduertendum. Quod dum concedit 4
quod possint celebrare in cubiculis sæcularium, non debet accipi, quod possint liberè, & sine aliqua causa in ipsis celebrare, quia priuilegium acceptum in tanta latitudine esset irrationabile. Nam cum destinata sint loca publica pro oblatione sacrificij, & hoc sit iuxta exigentiam eiusdem sacrificij, quod tanquam publicum exigit publico modo offerri, est irrationabile, quod absque iusta causa offeratur in cubiculis sæcularium, & ideò non potest concedi per priuilegium, etiam de plenitudine potestatis; nam plenitudo potestatis, non se extendit ad irrationabilia, vt notant Bald. *consil.*345. *init. lib.* 1. Tusch. *littera C. conclus.*342. *n.*9. Et ideò requirit priuilegium, vt sit rationabile, quod adsit aliqua causa, quæ reddat rationabilem ipsam celebrationem.

An autem concedant posse celebrare in cubiculis 5
sæcularium ad eorumdem instantiam, videtur negatiuè resoluendum. Quia priuilegium continet fauorem priuilegiati, & ideò hoc priuilegium concedit tantum posse celebrare in dictis cubiculis ob propriam commoditatem, & vtilitatem, vt si in itinere hospitarentur apud sæculares, nec adesset honestus locus, in quo possent celebrare. Si autem possent celebrare ad Instantiam sæcularium, priuilegium non tam esset ipsis concessum, quàm sæcularibus, quia contineret rationem ipsorum, & ad ipsam commoditatem ordinaretur.

Sed difficultas est. Quid concedat priuilegium Ho- 6
norij insertum in corpore iuris dum concedit. Vt vbicunque fuerit, sine parochialis iuris præiudicio cum Altari viatico valeant celebrare. Difficultas autem consistit in dictione, *Vbicunque fuerint*, nam hæc duo verba importãt locum, & existentiam priuilegiatorũ in loco. Et quidem cum esse alicubi non importet permanentiam in loco, & verificari possit etiam de eo, qui est in aliquo loco transeunter, sequitur, quod debeat sumi in sua ampla significatione; & proinde, quod priuilegium habeat locum in quocunque loco extiterint priuilegiati siue permanenter, siue transeunter, quia cum sit insertum in corpore iuris, atque adeò habeat rationem legis, debet tanquam lex fauorabilis amplè interpretari, vt indicat etiam text. eiusdem priuilegij, Cap. *In his, de priuilegijs*, præsertim cum nullius contineat præiudicium.

In quo autem loco virtute eiusdem priuilegij ce- 7
lebrari possit desumitur ex eodem Capite, *In his.* Nam ibi Pontifex habet. Quod priuilegium nihil eis conferret, si in eo vti non possent sine

Episcopo

Episcoporum licentia: vnde fit, quod priuilegium concedat quod tunc poterant concedere Episcopi circa celebrationem extra loca deputata. Tunc autem poterant concedere ex rationabili tamen causa celebrare in quocunque honesto, & decenti loco, vnde hoc ipsum concedat, hoc quoque priuilegium stante rationabili causa, quæ etiam requiritur, vt priuilegium quoque rationabile sit, sicuti, est necessarium, vt dictum est supra *num.4*.

8 An autem in virtute huius priuilegij possint celebrare in cubiculis sæcularium ex rationabili causa, qualis esset occasio infirmitatis, aut alia huiusmodi; videatur affirmatiuè resoluendum, quia hoc priuilegium concedit priuilegiatis independenter ab Episcopis quod aliàs ipsis liceret sine priuilegio annuentibus iisdem Episcopis tunc temporis. Annuentibus autem Episcopis tunc temporis licebat celebrare in domibus sæcularium, ex aliqua causa iusta, & rationabili ad instantiam ipsorum, quod etiam passim practicabatur.

QVÆSTIO 478.

An Socius priuilegiati possit celebrare in Altari viatico, quando ipse celebrat.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegium concessum vni ex sociis extenditur etiam ad alium.*
2. *Socius itineris non potest celebrare in altari viatico, licet alter socius sit priuilegiatus.*
   Priuilegium Altaris portatilis est personale.
   Priuilegium personale non extenditur de persona ad personam.
3. *Priuilegium vnius ex sociis quando extendatur ad alium.*
4. *Priuilegium insertum in corpore iuris extenditur, si concurrant, quæ requiruntur ad extensionem.*

1 SVpponitur quod non sit aliàs priuilegiatus quoad hoc, an si in itinere priuilegiatus celebret cum Altari viatico extra loca deputata, possit etiam socius in eodem Altari celebrare. Et videtur affirmatiuè resoluendum. Quia priuilegium concessum vni ex sociis, extenditur etiam ad alterum, vt docent Salicet. *in l. 1. n. 2. C. de diuers. rescript.* Panorm. *in cap. Quam si de Iudais.* Felin. *ibid.* Dec. *in l. In omnibus causis, ff. de reg. iur.* Lopez *l. 40. ver. Le puedes aprouechar. tit. 18. part. 3.* Auendan. *de exequen. mand. part. 2. c. 14. num. 3.* Felic. *de societ. cap. 12. num. 4.*

2 Dicendum tamen est. *Non posse socium itineris celebrare in eodem Altari viatico.* Ita Suarez *disput. 81. de Euchbarist. sect. 3. ver. Quarta exceptio.* Peirin. *tom. 1. de priuileg. ad constit. Pij V. num. 28. circa fin.* Ratio est. Quia priuilegium celebrandi cum Altari viatico in quocunque loco sequitur priuilegiatum, nam est personale, vt proinde sequatur personam vbicunque fuerit, vt elicitur in dicto cap. *In his de priuileg.* Priuilegium autem personale non extenditur de persona ad personam sine identitate, etiam ob maioritatem rationis, vt tradunt commoniter Cardin. *in Clemen. 1. quæst. 6. de testam.* Panorm. *in cap. Canonica. num. 1. de sent. excommun.* Bart. *in leg. fin. ff. de constit. princip.* Barbosa *in l. 1. part. 1. num. 19. ff. Soluto matrimonio.* Suarez *lib. 8. de legib. cap. 28. num. 11.* Salas *disput. 17. de legib. sect. 8. num. 48.* Palaus *part. 1. oper. moral. tractat. 3. disput. 4. punct. 23.* Merol. *tom. 3. Theolog. moral. disput. 6. cap. 6. n. 230.* & est iuxta regul. cap. *Priuilegium de reg. iur. in 6.*

& habetur fundamentum in cap. *Sanè, de Priuileg.* & in Clement. 1. *de Censib.*

3 Ad rationem dubitandi. Respon. Priuilegium concessum vni ex sociis extendi ad alterum etiam, quando conceditur existente iam societate, non autem quando conceditur ante societatem, quia non est in potestate priuilegiati trahere in societatem cum alio priuilegia sibi concessa. Rursus requiritur etiam, quod sit priuilegium circa ea quæ sunt communia ratione societatis, quia extensio priuilegij fundatur in communitate, quam inducit societas. Hæ autem duæ conditiones deficiunt in casu præsenti; nam neque priuilegium est concessum existente societate itineris, sed ante, neque intuitu talis societatis, neque versatur circa aliquid commune nisi iter.

4 Dices. Est priuilegium insertum in corpore iuris, & proinde habet rationem legis, & est fauorabile. Ergo debet extendi sicut extenduntur lex fauorabilia. Respon. Debere extendi sed seruatis iis, quæ requiruntur ad extensiones Legis. Vnde sicut lex non extenditur ad eos, pro quibus non est posita, quia non fuit de intentione legislatoris eos obligare, ita nec priuilegium debet extendi ad eos, pro quibus nullo modo est concessum. Rursus, sicut vt lex extendatur, requiritur identitas, aut saltem similitudo rationis; ita etiam vt extendatur priuilegium, quæ in præsenti non habet locum quia ratio finalis concedendi priuilegium tam principalibus, quàm participantibus fuit fauor religionum, & remuneratio benemeritorum eorundem.

QVÆSTIO 479.

An ratione infirmitatis celebrari possit Missa in cubiculis Religiosorum.

SVMMARIVM.

1. *Regulares habentes communicationem priuilegiorum celebrare possunt occasione infirmitatis in cubiculis.*
2. *Priuilegium hoc conceditur est post Concil. Trident. concessum.*
3. *Quanta debeat esse infirmitas, vt priuilegium locum habeat.*
   In hac materia non est scrupulizandum.
4. *Quibus diebus virtute dicti priuilegij celebrari possit.*
   Amplè est interpretandum.

Dicendum est. *Regulares habentes in communi rationem priuilegiorum tempore infirmitatis posse facere celebrare in cubiculis propriis, & ibi Eucharistiam suscipere.* Ita Peregrin. *in Compend. Priuileg. Cler. Regul. Tit. Infirmi.* §. 2. Marchin. *de sacrament. ordin. tract. 3. part. 3. cap. 9. num. 12.* Lezana *in sum. verbo* Altare. *num. 15.* Testaos de physis à se visa Pellizzar. *tom. 2. Manual. tract. 8. cap. 2. sect. 2. num. 96.* Thomas Hurtad. *tom. 2. resolut. moral. tractat. 12. cap. 1. indigref.* §. 3. *num. 2228.* Hieronym. Rodriquez *in Compend. resol. 9. num. 7.* Cespedes *de except. Regul. cap. 5. dub. 93. num. 8.* Quarrus *in Rubr. Missal. part. 3. tit. 10. num. 1. sect. 2. dub. 8. ver. Colligitur 1.* Et de praxi ego quoque sum testis oculatus, vt etiam tradidi *in decis. Moralib. decis. 186, num. 1. & sequent.* 1

Hoc autem fundamentum habet in Priuilegio Pij IV. concesso Canonicis Regularibus Lateranensibus, *sub die 18. Maij, anno 1565.* post Concilium Tridenti 2

Tridentinum, & reuocationem priuilegiorum, quæ sunt contraria eisdem Concilis, & refertur *in Compend. Priuileg. Congregat. S. Maria Fulienʃ.* Tit. *Infirmi*, §. *Et à Peregrino loco num. præced. citat.* Quod priuilegium habet amplissimas clausulas derogatorias,& in specie constitutionum emanatarum ab eodem Pontifice. Vnde non potest obstare huic priuilegio Concil. Trident. cum sit concessum post idem Concil. quamuis non esset derogatum eidem Concilio, cum non sit necessaria derogatio respectu huius Concilij, vt in superioribus dictum est; nec etiam est necessaria licentia aliqua Ordinariorum; imò nec etiam Superiorum Regularium, quia ita exprimitur in eodem priuilegio, vt constat ex illa clausula, *Ordinariorum locorum, seu quouis aliorum licentia desuper minimè requisita.*

3 Sed difficultas est. Quanta debeat esse infirmitas, vt priuilegium locum habere possit. Resp. Hoc exprimi in eodem priuilegio, vt nimirum sufficiat quæcumque infirmitas, ratione cuius sit prohibitum vel à medico, vel à superiore exire è cubiculo. Ex quo fit, quod à fortiori locum habebit priuilegium, quando infirmitas reddit religiosum impotentem, vt possit exire è cubiculo, & multò magis è lecto, quia si sufficit infirmitas dubia, vt impediat egressum, & determinata per prohibitionem medici, vel superioris, à fortiori sufficiet infirmitas certo prohibens, imò reddens impossibilem egressum è cubiculo. Et in hac materia non est scrupulizandum, vt dixi citato loco *decis. moral.* & postea etiam notauit Thomas Hurtad. *part.2. resol. moral. tract.12. cap.1. in digress.* §.3. *num.*2218. Cespedes *de exempt. Regul. cap.5. dub.93. num.*3. Dicastil. *de sacrament. tract. 5. disp.4. dub.6. num.*104. Neque enim denegandi sunt infirmis effectus benignitatis Summi Pontificis, seu ipsi sibi denegare non debent, & simul se priuare spirituali fructu.

4 Rursos dubitari potest. Quibus diebus virtute dicti priuilegij celebrare liceat in cubiculis infirmorum. Et quidem, quod celebrari possit in diebus, in quibus Missa audienda est de præcepto, non est in dubium reuocandum, sicut etiam quando aliàs ministranda esset Eucharistia, quia ad minus priuilegium in his diebus locum habere debet. Verum existimo etiam quod singulis diebus possit priuilegium locum habere, nam est indefinitum pro toto tempore, quo durabit infirmitas, nec coarctatur ad dies, in quibus Missa audienda est de præcepto. Et ideò tanquam fauorabile, & in nullius præiudicium amplè accipiendum est, quantum admittit verborum significatio. Et si Episcopis concessum est posse celebrare in Altari portatili, vt possint quotidiè, aut celebrare, aut audire Missam, quia non decet eos aliquem diem transire sine Missa, vt dicitur in Cap. *Quoniam, de priuileg. in 6.* Cum religiosus quoque non deceat transire aliquem diem sine Missa prædictum priuilegium extendetur ad singulos dies; præsertim, quia hoc confert ad obseruantiam Constitutionum, quas credo iniungere Religiosis, sicut nobis iniungunt nostræ, quod iis diebus, in quibus non celebrant, audiant Missam.

QVÆSTIO 480.

An Moniales subiecta ordini priuilegiato gaudeant prædicto priuilegio.

SVMMARIVM.

1. *Moniales subiecta Regularibus priuilegiatis participant priuilegium quoad celebrationem Missa, &c.*
2. *Moniales gaudent priuilegiis concessis, & concedendis Regularibus, quibus subijciuntur.*
3. *Vsus huius priuilegij impeditur per Bullam Gregor. XIII. de ingressu ad Moniales.*
4. *Extra clausuram possunt Moniales erigere Oratorium correspondens infirmaria.*

Priuilegium Pij IV. celebrandi in cubiculis infirmorum extenditur per communicationem ad omnes religiosos habentes communicationem priuilegiorum concessorum, & concedendorum. Vnde oritur dubium, an hoc priuilegium extendatur ad Moniales subiectas Regularibus participantibus priuilegium. Dicendum autem est. *Moniales subiectos Regularibus priuilegiatis in hoc participare hoc ipsum priuilegium.* Ita tradidi *in decis. moralibus, decis.*176. *num.*3. *& sequent.* sunt Cespedes *de exempt. regul. cap.25. dub.93. num.*3. Quintanaduen. *tom.1. singul. tract.7. singul.34. num.*8. Thomas Hurtad. *part.2. resolut. moral. tract.12. cap.1. in digress.* §.3. *num.*2230. Quartus *in Rubric. Missal. part.3. tit.10. num.1. sect.2. dub.6.* ver. *Colligitur tertiò.* 1

Hoc deducitur ex eo quod Moniales gaudent priuilegiis concessis, & concedendis Regularibus, quibus subiiciuntur; nam id plures Romani Pontifices iisdem Monialibus concesserunt, vt obseruant Miranda *tom.2. Manual. quæst.46. artic.*2. Rodriquez *quæst. regul.13. art 21. & 22.* & *quæst.20. art.*20. Hieronym. Rodriquez *in Compend. resol.98. num.15.* & *resol.116. num.*46. afferens diuersa priuilegia, quibus hæc communicatio conceditur Pij V. Gregor. XIII. Clement. VIII. & Pauli V. Quæ communicatio fundatur in eo, quod sint membra religionis, & proinde veniunt sub nomine religiosorum priuilegiatorum. Deinde hoc ipsum priuilegium celebrandi in cubiculis infirmorum in specie fuit concessum etiam pro mulieribus Congregationis priuilegiatæ. 2

In dicta tamen *decis. moral.176. num.*3. adnotaui, quod huiusmodi priuilegium, quoad Moniales non est facilè ad praxim reducendum propter inconuenientia, quæ inde succedere possent. Nunc autem addo, quod existimo, vsum huius priuilegij quoad Moniales impediri per Bullam Gregorij XIII. circa clausuram Monialium, quæ est 28. *eiusdem Pontificis, tom.2. Bullar.* in qua §.4. statuitur, quod vrgentibus necessitatibus, dumtaxat possit concedi licentia ingrediendi monasteria, & admitti ingressuri à Monialibus. Vnde cum vsus istius priuilegij dependeat à legis relaxatione clausuræ, quæ per ipsam non relaxatur, non potest habere effectuationem, nisi relaxetur per licentiam clausura. Non potest autem licentia concedi ad hunc effectum, quia non est illa vrgens necessitas, quam requirit Gregor. XIII. 3

Possunt tamen ad satisfaciendum deuotioni Monialium infirmarum erigi Oratoria extra clausuram correspondentia infirmariæ, è qua per fenestram supra Altare audiri possit Missa, & ita intra claustra disponi cubicula aliqua, vt etiam è lecto Missam audire possent. Nam quamuis Oratorium istud esset priuatum aliquo modo, non esset tamen in domo priuata, quia esset in loco pertinente ad monasterium, etsi monasterium esset subiectum Regularibus, erigi posset virtute priuilegiorum eorumdem, quæ extenduntur ad ea erigenda in quocumque loco ad ipsos pertinente, vt *infra* dicetur. 4

QVÆSTIO 481.

An, si Moniales sint diuersi instituti, seu ordinis, ac sint Regulares, quibus subijciuntur, gaudeant hoc priuilegio.

SVMMARIVM.

1. *Moniales gaudent priuilegijs Regularium, quibus subijciuntur quatenus capaces.*
2. *Id negat Hurtadus.*
3. *Extensio priuilegiorum Regularium ad Moniales subiectas.*
4. *Moniales, licet diuersi ordinis faciunt vnum corpus cum Regularibus, quibus subijciuntur.*
5. *Priuilegia, quæ fouent religionem debent amplè interpretari.*
   Summa ratio est, quæ pro religione facit.
6. *Priuilegia motu proprio concessa sunt amplè interpretanda, licet derogent iuri communi.*
7. *Beneficia Principis sunt amplè interpretanda.*
   In fauorabilibus masculinum concipit fœmininum.

1 RESolutio huius difficultatis non tàm inseruiret pro hoc priuilegio, cum dictum sit eius vsum impediri per Constitutionem Gregorij XIII. quàm pro aliis cum sit eadem ratio de omnibus, quæ communicari possint. Quod autem gaudeant priuilegiis Regularium, quatenus capaces sunt, quibus subduntur, quamuis sint diuersi ordinis, seu instituti, tradidi *in decis. moral. decis.* 149. *num.* 2.

2 Thomas autem Hurtad. *tom.* 2. *moral. resol. tract.* 12. *cap.* 1. *in digress.* §. 3. *num.* 2232. id negat. Quia inquit, nisi praxis sit in contrarium sciente, & tacente Summo Pontifice, priuilegia non communicantur ratione regiminis præcisè; sed ratione eiusdem instituti, & regiminis simul; quia solum regimen non currit in eadem regula, & professione.

3 Verum non est recedendum à tradita doctrina, quam etiam amplexi sunt Cespedes *de exempt. regul. cap.* 3. *dub.* 93. *num.* 3. Quintanaduen. *tom.* 1. *singul. tract.* 7. *singul.* 34. *num.* 4. Quartus *in Rubric. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 1. *sect.* 2. *dub.* 8. ver. *Colligitur tertio.* Quia dato, quod vnio sub regimine non sufficeret pro fundanda communicatione priuilegiorum, adest speciale priuilegium Bonifacij VIII. in quo concessit Fratribus Minoribus, quod quæcumque Moniales virtute alicuius indulti Apostolici commissæ fuerint gubernationi eorumdem gaudeant priuilegiis concessis, & concedendis ipsis Fratribus. Cum autem priuilegium dicat, *Quæcumque Moniales*, locum habet, siue sint eiusdem, siue diuersi instituti. Rursus, quia priuilegium conceditur intuitu subiectionis in ordine ad regimen.

4 Verum etiam secluso priuilegio non obstante diuersitate ordinis, seu instituti, locum haberet communicatio priuilegiorum, quorum Moniales sunt capaces. Nam eo ipso quod committuntur regimini alicuius religionis, eidem religioni incorporantur, & vniuntur; & fiunt membra ipsius; quia licet secundum diuersam regulam, recipiunt tamen influxum directionis, qui sufficit ad fundandam vnionem, qua aliqui colliguntur tanquam membra in eodem corpore sub eodem capite. Stante autem, quod tanquam membra vniantur in eodem corpore religionis, debent participare ea omnia, quæ communia sunt toti corpori, quia sunt priuilegia concessa omnibus, & singulis membris religionis.

5 Accedit etiam, quod huiusmodi priuilegium, atque etiam cætera, quæ sunt concessa Regularibus, sunt concessa intuitu religionis, & pietatis: nam tendunt ad promouendos fructus quos faciunt Religiosi in Ecclesia Dei, & vt possint melius Deo inseruire, & saltem ad eos magis excitandos ad seruitium Ecclesiæ, dum vident se remunerari huiusmodi priuilegiis. Vnde habent pro fine vtilitatem publicam, augmentum pietatis, & religionis: & ideò, quamuis derogent in communi, interest publicæ vtilitatis, quod derogetur, & etiam, quod magis derogetur cum maiori ampliatione priuilegij. Et ideò etiam illa priuilegia, quæ deberent strictè interpretari, debent in hoc casu ampliari, cum ita exigat pietas, & fauor priuilegij. Quia summa ratio est, quæ pro religione facit, *l. Sunt personæ, ff. de relig. & sumpt. fun.* iuxta *l. fin. Cod. de ijs qui ven. ætat. imper.* & Bart. doctrinam *in l. Omnes populi, num.* 60. *ff. de iustit. & iur.* & *l. Si constante, ff. Soluto matrimonio.*

6 Accedit etiam, quod vt plurimum priuilegia Regularium concessa sunt à Summis Pontificibus ex motu proprio, atque adeò, etiam si derogent iuri communi, sunt amplè interpretanda, quia censentur simpliciter fauorabilia, Cap. *Si motu proprio, de preben. in* 6. & notant Panormit. *in cap. Cum in cunctis, §. Cum verò, numero* 46. *de elect.* Felin. *in Cap. Ex parte, numero* 13. *limitat* 6. *de rescript.* Alexander de Næuo *in cap. Quia circa, numero* 10. *de consanguin. & affin.* Rebuff. *in Concord.* Tit. *Forma mand.* verbo *Motu proprio.* Gabr. *lib.* 10. *conclus.* 2. *num.* 61.

7 Vnde cum agatur de beneficiis Summorum Pontificum, debet fieri lata interpretatio quoad personas, *l. Emancipatum, ff. de senat.* & *l. Milites, C. de quæst.* & *l. Decisionum, Cod. de pœn.* ita vt masculinum concipiat fœmininum, iuxta *l. Qui duos mulos, ff. de leg.* 3. & *l. Mancipia, Cod. de seru. fugit.* & iuxta ea, quæ tradunt Tiraquel. *de retract. consanguinit.* §. 1. *Gloss.* 9. *num.* 186. & 204. Bald. *in l.* 2. *Cod. de iure emphyteut.* Imola *in cap. Potuit, in fine, de locat.* Alexand. *in l. Quod dicitur, num.* 5. *ff. de obligat.* Arias Pinel. *in l.* 3. *numero* 23. *Cod. de bon. mater.* Iulius Clar. *lib.* 5. *recep. sentent.* §. *Emphyteusis, quæst.* 32.

QVÆSTIO 482.

An, si Regulares decumbant apud sæculares possunt vti priuilegio de celebratione in cubiculis.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegium de celebratione in cubiculo, an locum habeat si priuilegiatus decumbat apud sæculares.*
2. *Concil. Trident. non obstat huic priuilegio.*
3. *An sit purè personale.*
4. *Priuilegiatus decumbens apud sæculares potest vti priuilegio celebrationis, &c.*
5. *Priuilegium quando sit personale.*
6. *Priuilegium celebrandi in cubiculo, &c. vt personale sequitur personam.*
7. *In facultatiuis non habet locum non vsus: & priuilegia non amittuntur.*
8. *Episcopi licentia an necessaria pro vsu priuilegij celebrandi in cubiculo infirmi priuilegiati.*

1 QVod priuilegium Pij IV. pro infirmis, vt possit in eorumdem cubiculis celebrari Missa, si non possint exire habeat locum etiam si reperiatur infirmus extra monasterium in domo sæcularium, dixi *in decis. moral. decis.* 77. *num.* 1. Hoc tamen non placuit

Lezanæ *in sum. verbo* Altare, *num.* 16. Dianæ *part.* 9. *tract.* 1. *resolutione* 34. *vers. Sed ego, circa finem*, qui tamen nihil affert in confirmationem *suprà* id, quod dicit Lezana; & ideo nec auget numerum. Thomas Hurtad. *part.* 2. *resol. moral. tract.* 12. *cap.* 1. *in digress.* §. 3. *num.* 2235. qui addit, quod si Regularis habeat adhuc priuilegium, non expedit illo vti in domibus sæcularium inconsulto Episcopo, nisi vrgentissima causa non permittat consuli.

2 Fundatur Lezana in eo, quod celebraretur omnino extra Ecclesiam in domo priuata, quod Concil. Trident. iniungit Episcopis non permittere. Vnde talis celebratio esset contra voluntatem Episcoporum, qui id, non permittat ob declarationem S. Congregat. quod licentia celebrandi in priuatis oratoriis sit concedenda à sola Sede Apostolica. Verum non video, quid hæc obstent. Nam dictum Priuilegium Pij IV. est concessum post Concil. Trid. & proinde cum derogatione ipsius, iuxta dicta in superioribus. Quod celebratio esset contra voluntatem, Episcoporum nil referret, quia priuilegium exprimit, quod absque ipsorum licentia id licet. Sed non credo quod Episcopi nolint exequi priuilegia concessa à summis Pontificibus. Quod autem licentia celebrandi in priuatis Oratoriis concedatur solum à Sede Apostolica, nihil ipsum iuuat, quia agitur de exequutione priuilegij concessi ab Apostolica sede, atque adeo cum licentia ipsius.

3 Thomas autem Hurtad. mouetur. Quia hoc priuilegium non est purè personale, sed respicit locum sui monasterij, quia extra Ecclesiam non licet celebrare. Sed hoc esset probandum, quod non sit purè personale, nec probatur ex eo quod non liceat celebrare extra Ecclesiam, quia ex priuilegio licet, & etiam cum sola licentia Episcopi in aliquo casu particulari; & etiam in domibus sæcularium, vt in casu infirmitatis, quod admittit etiam idemmet Hurtad.

4 Itaque tenendum est, *Quod vigore Priuilegij Pij IV. possit Regularis priuilegiatus facere celebrare in proprio cubiculo, etiamsi sit in domo sæcularium occasione infirmitatis, ob quam non possit egredi.* Hanc resolutionem sequuti sunt Cespedes, *de exemptione Regul. cap.* 5. *dub.* 93. *num.* 2. Quintanaduen. *tom.* 1. *singul. tract.* 7. *singul.* 34. *num.* 7. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 1. *sect.* 2. *dub.* 8. *vers. Colligitur secundo.* Lezana autem citat pro hac sententia, Emanuel. Rodriquez, *quest. Regul.* 43. *art.* 4. & 5. *tom.* 1. & Hieronym. Rodriquez, *in dub. regular. verbo* Altare, *n.* 1. Sed non loquuntur in terminis huius priuilegij: faciunt tamen ad rem, quatenus docent non esse prohibitum stantibus priuilegiis celebrare in domibus priuatis, nisi in cubiculis, in quibus dormiunt sæculares.

5 Quod autem priuilegium huiusmodi sit personale, non videtur posse in dubium reuocari. Nam verba priuilegij diriguntur ad personas, & illis conceditur actio personalis; nam conceditur, quod possint eligere Præsbyterum, & ipsum facere celebrare coram se in cubiculo durante infirmitate; vnde tanquam directum in personam, & conceptum pro actione personali ipsius, & dependens ab eius voluntate, est personale, vt tradunt Glos. *in cap. Tua, de his, quæ fiunt à Prælat.* Bar. *in l.* 1. *num.* 2. *ff. de constit. princip.* Craueta *consil.* 239. *num.* 4. Alciat. *consil.* 7. *num.* 16. *lib.* 4. Cerier. *lib.* 3. *de primogenit. quest.* 1. *n.* 3. Ruin. *consil.* 217. *num.* 15. *vol.* 1. Barbosa, *in l. Qnia tale, num.* 5. *ff. soluto matrimon.* Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 3. *num.* 10. Metola, *tom.* 3. *Theol. moral. disp.* 6. *de priuileg. c.* 2. *difficult.* 1. *n.* 10. & communiter.

6 Ex hoc porrò fit, quod tanquam priuilegium personale sequi debeat personam in quocunque loco, *l. In omnibus*, & *l. Priuilegia quædam, ff. de reg. iur.* & *cap. Priuilegium, de reg. iur. in* 6. nisi ostendatur quod sit pro certo loco, cui coarctetur: quia stat firma Regula, quod priuilegium personale sequatur personam, & locum habeat in loco quocunque, donec constet de aliqua exceptione, per quam ponatur restrictio pro certo loco. De hac autem restrictione non constat ex tenore priuilegij, sicut deberet constare, vt esset adstrictum loco. Imò oppositum colligitur, quia tenor priuilegij habet; quod possint in cubiculo facere celebrare absque Ordinariorum licentia, quod superfluum esset, si priuilegium haberet locum solum intra monasterium, nam cum Ordinarius nullum ius possit exercere circa ea, quæ sunt in Monasterio exempto, frustra poneretur, quod pro celebrando intra ipsum non sit necessaria licentia Ordinarij. Vnde cum priuilegium concedat, quod possint infirmi facere celebrare absque licentia Ordinarij, oportet, quod intelligatur extra monasterium, vbi possent ordinarij prætendere id fieri non posse absque ipsorum licentia.

Dices. Hoc priuilegium saltem quoad celebrationem extra Monasteria non esse in vsu. Verum non potest prætendi non vsus; quia huiusmodi priuilegium est facultatiuum, vt satis declarant illa verba, *liberè, & licitè possint.* In facultatiuis autem non potest acquiri non vsus, vt notant. Veral. *decis.* 306. *num.* 7. *part.* 1. Pennia *decis.* 734. *num.* 34. *part.* 1. Et proinde, quod priuilegia facultatiua non admittuntur per non vsum quocunque tempore tradunt communiter Glos. *in cap. Vt priuilegia, verbo* Semel in anno, *de priuileg.* Ioan. Andr. *in cap. fin. de consuet. in* 6. Gemin. *ibid.* vbi, & alij Doctores. Padil. *in l. Falso, num.* 5. *C. de diuers. rescrip.* Gail. *obseruat.* 60. *num.* 9. *lib.* 2. Tusch. *littera P. conclus.* 755. *init.* Moneta *de commut. vlt. volunt. cap.* 8. *num.* 904. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 34. *num.* 17. Felin. *in cap. cum accessissent, de constit.* Dec. *ibid.* Puteus *decis.* 369. *num.* 5. *lib.* 2. *in nouis.* vbi habet, nec etiam amitti spatio centum annorum Merlin. *decis.* 830. *num.* 7. vbi nullo vnquam temporis spatio amitti. Et ideo non potest prætendi huiusmodi priuilegium cessasse ex non vsu. 7

Quod autem spectat ad licentiam, quamuis Thomas Hurtad. *n.* 1. *citat.* dicat, esse petendam ab Episcopis, non est tamen necessaria, quia priuilegium expressè eam excludit, vt constat ex illa clausula. *Ordinariorum locorum, seu quorumuis aliorum licentia desuper minimè requisita.* Et constat etiam de iure ex cap. *In his, de priuileg.* Quando enim Pontifex concedit aliquod priuilegium, non est necessaria inferioris licentia pro ipsius vsu, nisi forte tenor priuilegij eam requireret. Imò etiamsi priuilegiatur eligeret ad hunc effectum Sacerdotem sæcularem, nec ipse indigeret licentia sui Ordinarij, quia quatenus posset prætendi, quod non sufficeret facultas priuilegiati, Pontifex in specie concedit facultatem Sacerdoti electo, itavt præsbyter electus habeat liberam, & plenam facultatem celebrandi: dum autem habet licentiam à Papa, non indiget alia licentia. 8

QVÆSTIO 483.

An si sæculares decumbant apud Regulares, possit in eorum cubiculis Missa celebrari.

SVMMARIVM.

1. *Regulares priuilegiati non possunt celebrare Missam in cubiculo sæcularis decumbentis in Monasterio.*

2. *Priuile*

2. *Priuilegium celebrandi in cubiculo infirmorum est tantum in fauorem Regularium.*
3. *Nec etiam id licet in virtute aliorum priuilegiorum.*
4. *An id liceat in virtute priuilegij, Cap.* In his, de priuileg.

1 QVod non possint Regulares virtute prædicti priuilegij Pij IV. celebrare Missam in cubiculo alicuius sæcularis infirmi apud eosdem Regulares, dixi *in decis. moralib. decis.* 177. *numero* 3. oppositum sentiunt Thomas Hurtad. *part.2. resolut. moralib. tractat.* 12. *cap.1. in digress.* §. 3. *num.* 2219. & Quintanaduen. *tom.* 1. *singul. tractat.* 7. *singul.* 34. *num.*7. *in fine*, qui tamen non loquitur in virtute huius priuilegij, sed generaliter in virtute priuilegiorum.

2 Tenendum tamen. *Quod in virtute priuilegij Pij IV. non liceat celebrare in cubiculis suorum Monasteriorum, vbi decumbunt saeculares infirmi.* Hoc mihi certum omninò videtur, si consideretur tenor priuilegij, nam non est priuilegium concessum omnibus religiosis celebrandi in cubiculis infirmorum, sed est priuilegium concessum infirmis, vt possint eligere Sacerdotem, qui durante infirmitate, ob quam prohibeantur exire è cubiculo, possit coram ipsis celebrare, & ideò est priuilegium concessum tantum infirmis, & pro ipsis: vnde non se extendit ad alios infirmos, nec ad Sacerdotes ad celebrandum pro alijs infirmis; siquidem priuilegium non extenditur vltra personas, ad quas dirigitur, vt est noti iuris.

3 An autem in virtute aliorum priuilegiorum id liceat, hoc quoque mihi certum videtur, quod id non liceat virtute priuilegiorum, quæ dant ipsis facultatem deputandi Capellas, & Oratoria in proprijs Conuentibus, in quibus liceat celebrare in Altari portatili. Siquidem si benè consideratur, quid valdè diuersum concedunt eiusmodi priuilegia. Aliud est enim deputare Capellas, & Oratoria pro celebratione Missarum, & aliud celebrare in cubiculo infirmi. Primum enim dicit, quod deputentur loca permanenter diuino cultui dedicata, in quibus possit celebrari, & proinde est priuilegium, quod virtute deputationis conceditur loco. Secundum autem dicit celebrationem in loco deputato vsibus profanis, & est priuilegium personale.

4 Ad rem facit priuilegium insertum in corpore iuris, in cap. *In his, de priuilegijs.* Per hoc enim priuilegium conceditur independenter ab Episcoporum licentia, quod poterant sine priuilegio, cum licentia Episcoporum, quam tunc poterant concedere. Siquidem Pontifex dicit, quod si necessaria fuisset pro vsu priuilegij Episcoporum licentia, nihil per priuilegium concessum fuisset; vnde fit, quod priuilegium concedat, quod poterant concedere Episcopi. Tunc autem poterant concedere ex rationabili causa celebrationem in cubiculo infirmi, vt constat ex dictis *suprà suo loco*; & ideò hoc quoque priuilegium id concedet, & cum non sit reuocatum à Concil. Trident. vt dictum est in superioribus, poterunt virtute ipsius celebrare in cubiculo Monasterij, in quo existit infirmus sæcularis. Est tamen aduertendum, quod cum vsus huius priuilegij requirat causam, vt dictum suo loco requirit ex parte infirmi aliquam qualitatem, quæ ipsum reddat aliquo modo conspicuum, vt sit dignus tali gratia, & rationabiliter ipsi impendi possit. Quæ probabilia licet videantur, attamen quia, vt dictum est in superioribus, hoc priuilegium fauorem ipsorum Regularium: non autem sæcularium, ideò neque virtute ipsius videtur licita eius celebratio.

QVÆSTIO 484.

An Regulares habeant priuilegia erigendi Oratoria, & Capellas pro celebratione Missa in proprijs locis.

SVMMARIVM.

1. *Regulares possunt erigere in quibuscunque locis propriis Oratoria, & Capellas.*
2. *Priuilegium Pauli III. pro erectione Oratoriorum.*
3. *Fuit confirmatum à Gregorio XIII.*
4. *Est commune, sicut & catera omnibus Regularibus participantibus.*
5. *Priuilegia Regularium erigendi Oratoria in proprijs locis non sunt reuocata.*
6. *Hæc priuilegia non sunt contraria Concil. Trid.*

1 PLura extant priuilegia concessa à Romanis Pontificibus Regolaribus, quorum vigore erigere possunt in quibuscunque locis propriis Oratoria, & Capellas in ordine ad celebrationem Missarum. Inter quæ extat priuilegium Alexandri IV. concessum Augustinianis, *Vt in locis, & Oratorijs proprijs possint cum viatico Altari Missas celebrare*, vt in *Constit.*24. §.3. *eiusdem Pontificis*, relata *in Bullario Augustiniano.* Idem quoque Priuilegium concessit iisdem Augustinianis, sed plenius confirmauit Clem. IV. vt *in eius 4. Constit. in eod. Bullar.*

2 Priuilegium autem omnium recentissimum est illud, quod concessum fuit PP. Iesuitis à Paulo III. *in sua Constit.*28. §.14. *tom.*1. *Bullar.* tenoris sequentis. *Liceatque Præpositis, & de eorum etiam facultate cæteris Fratribus, & socijs Societatis huiusmodi in presbyteratus ordine constitutis in locis, in quibus degunt, & eos pro tempore morari contigerit, habere Oratoria, & in eis, ac quocunque alio honesto & congruenti loco in Altari portatili cum debitis reuerentia, & honore, etiam tempore interdicti, quauis etiam Apostolica auctoritate appositi ianuis clausis excommunicatis, & interdictis exclusis submissa voce Missas, & alia diuina officia celebrare.*

3 Quia tamen dubitari poterat, an hoc priuilegium esset reuocatum per Concil. Trid. Ideò Gregor. III. iterum ipsum concessit iisdem Patribus, sub *die* 3. *mensis May* 1575. *in Bulla*, quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, vt in *Compend. Priuileg. Societ. Iesu*, Tit. *Oratoria.* Oportet tamen, quod Oratoria, seu Capellæ sunt destinatæ tantum diuino cultui, & quod apptobentur, vel à Generali, vel à Prouinciali; nec requiritur licentia Episcopi, vt in eodem priuilegio exprimitur. Imò dato, quod non exprimaretur, neque adhuc esset necessaria licentia Episcopi. Tum quia priuilegium est Papale, & ideò eius vsus est independens à quocunque inferiori; tum quia Monasteria Regularium sunt exempta à iurisdictione Episcopi, & ideò non potest se ingerere.

4 His autem priuilegiis fruuntur omnes Regulares, qui habent communicationem priuilegiorum, vt obseruant communiter Doctores, Rodriquez *quæst. regul.*75. *art.*1. *tom.*1. Peregrin. *in Compend. priuileg. Cler. Regul. tit. Missa*, §.1. Suarez *disp.*81. *de Euchar. sect.*3. ver. *Quarta exceptio.* Azor. *tom.*1. *lib.*10. *cap.*26. *qu.*9. Henriquez *lib.*9. *sum. cap.*27. *num.*1. Villalob. *part.*1. *sum. tract.*8. *difficul.*23. *in fine.* Facundez *præcept.*1. *Eccles. lib.*3. *cap.*13. *num.*17. Portel. *in dub. regul. verbo* Altare, *num.*3. Hieron. Rodriquez *in Compend. quæst. regul. resol.*9. *n.*8. Marchin. *de sacram. Ordin. tract.*3. *part.*3. *cap.*9. *n.*13. Lezana *part.*1. *quæst. regul. c.*21. *n.*14. Hieron. Garzia *in sum. tr.*3. *diffic.*8. *dub.*2. *punct.*3. *n.*31.

Palaus

Palaus *part.4. oper.moral. tract.22. disp.vnic. punct.*8. *num.9.* Quintanaduen.*tom.1.singul.tract.7.singul.*34. *num.*6. Caspens. *tom.2.Curs.Theol. tract.23. disput.3. sect.3.num.68.* Ludouic.à S.Ioan.*part.1.sum. quest.12. de Eucharist.art.2. dub.1.* Thom.Hurtad.*part.2. resol. moral.tract.12.cap.1. in digress.§.1.num.2221.*Quartus *in Rub. Missal.part.3.tit.10.num.1.sect.2.dub.9.*

5 An autem hæc priuilegia reuocata sint per Concil. Trident. si loquamur de illis, quæ ante ipsum concessa sunt, nam de priuilegio Gregorij XIII. certum est, modo subsistere, cum sit concessum post Trident. qui tenent cætera priuilegia, concedentia celebrationem in quocumque decenti loco, non esse reuocata, à fortiori tenebunt, neque hæc esse reuocata, quos supra suo loco recensui. Et in specie hæc priuilegia distinguens à modo dictis non esse reuocata, tradit Hieron. Garcia *in sum. tract.3. diff.8. dub.2. punct.3.n.3.* testans de communi. Quamuis à Diana *part. 9. tract.1. resol.32. init.* citetur pro reuocatione, cum tamen locus ab ipso citatus non loquatur de his priuilegiis, sed de aliis, quibus per modum actus concedebatur celebrare in quolibet decenti loco. Thomas Hurtad. *part.2. resol. moral. tract. 12. cap.1. in digress. §.2. num.2222.* vbi alios citat.

6 Ratio autem est. Quia huiusmodi priuilegium non est contrarium dispositioni Concil.Trid. solum enim Concilium disponit, quod Episcopi non patiantur etiam à Regularibus celebrari Missas in priuatis domibus, aut extra Ecclesiam omninò, & Oratoria diuino tantum cultui dicata. Vnde excludit Concilium solum domus priuatas, Oratoria, quæ non sint dicata tantum diuino cultui, & cætera loca prophana: itavt non sit celebrandum omninò extra Ecclesiam, & Oratoria diuino tantum cultui dedicata, quæ duo loca includit tanquam habilia, in quibus celebrari possit. Hæ autem Capellæ, seu Oratoria, quæ eriguntur in locis Regularium, non sunt in domibus priuatis. Quia loca Regularium non sunt domus priuatæ, & sunt delicata solum diuino cultui: & proinde non sunt loca, in quibus secundum Concilium non debeat permitti celebratio; sed potius, in quibus secundum ipsum possit celebrari. Et proinde priuilegium erigendi hæc loca non est in ordine ad celebrationem, quasi concedat aliquid, quod de iure non sit licitum, sed est in ordine ad deputanda loca pro sacrificio, atque adeò communicat Regularibus illam facultatem quam habent Episcopi.

QVÆSTIO 485.

Quomodo approbanda sint huiusmodi Oratoria, & Capellæ.

SVMMARIVM.

1. *Oratoria intra septa Regularium à quibus approbanda.*
2. *Quid quoad eas Religiones quæ non habent Prouinciales.*
   Approbari an possint à Superiori locali.
3. *Prouincialis an possit per alium approbari.*
   Qui facit per alium, per se facere censetur, & quomodo, num.5.
4. *Clausula,* Per se, *quid operetur.*
5. *Quando factum radicatur in persona, quid per alium facit, non censetur per se facere.*
6. *Oratoria præsentialiter debent approbari, aut prauia per alium inspectione.*

1 IN priuilegio, quod concessit PP. Iesuitis Gregor. XIII. requiritur approbatio Prouincialis. Ita enim habet. Volumus, vt in Oratoriis, & Capellis, quæ ipsius Societatis Prouinciales per se in domibus, Collegiis, & aliis locis, vbi aliqui Societatis residebunt, approbauerint, & ad diuinum dumtaxat cultum deputauerit Missæ, & alia diuina officia, alterius licentia desuper minimè requisita, celebrari possint. Dum autem requirit approbationem Prouincialium, non excludit approbationem Generalis, quia cum auctoritas Prouincialium sit etiam in Generali tanquam in superiori gradu, quæ conceduntur Prouincialibus, censentur etiam concessa Generali.

2 Difficultas tamen est quoad illos Regulares, qui participant priuilegium, sed non habent Prouinciales. Resp. Pelizar. *tom.2. Manual.tract.8.cap.5.sect.2. num. 65.* Existimo tamen, quod in ordine ad hunc effectum succedant, qui sunt loco Prouincialium, quamuis non habeant totam illam iurisdictionem, quam habent Prouinciales, quales sunt Visitatores. Nã approbatio Oratoriorũ, cum requirat inspectionem, aut saltem informationem, propriè pertinet ad officium visitandi, & ideò puto, talem approbationem commissam esse Prouincialibus, quia habent visitare Prouinciam, & in specie possunt loca, quæ huiusmodi muneri deputantur. Non tamen puto, posse admitti, quod habet Quartus *in Rubricis Missalis, parte tertia, titulo* 10. *numero primo, sectione secunda, dubio 9. corollar. 1. in fine*, quod scilicet hæc approbatio fieri possit à superiore locali, vel ex propria auctoritate, quia facultas concessa superioribus in dignitate, non transit ad inferiores, non ex ratihabitione, quia non potest supponi ratihabitio illius, quod requirit in superiore causæ cognitionem; qualis est approbatio, quæ tanquam actus iudicij requirit cognitionem causæ: sed tantum illius, quod dependet à nudo consensu, præsertim quia Prouinciales debent per seipsos approbare, vt in tenore priuilegij.

3 Maior difficultas est circa hanc particulam priuilegij an stante clausula, *Per se*, possit Prouincialis committere alteri approbationem hanc Oratoriorum. Quintanaduen. putat quod Prouincialis possit approbare. Ita *tom. 1. singular. tractatu septimo, singul.* 34. *numero* 4. Quia cum hoc ei conueniat ex iurisdictione ordinaria, potest delegare, sicut delegat Episcopus. Deinde quia saluatur, quod per se faciat, vt requirit priuilegium, nam facere per se videtur, quod per alium facit. Cap. *Qui per alium, de reg. iur. in 6.* & *l. 1. §. Deiecisse. ff. de vi, & vi arm.* Econtra verò Pelliaar. *tom.2. Manual. tract. 8. cap.2. sect.2. num.91.* oppositum tenet. Nam requirit Pontifex in concessione priuileg. quod per ipsos Prouinciales approbentur.

4 Et quidem attendendo tenorem priuilegij, videtur necessarium, quod Prouinciales per seipsos approbent; nam clausula, *Per se*, determinat vsum facultatis concessæ, & præscribit modum, & formam, cum qua sit adhibenda, & ideo licet sit facultas, & iurisdictio ordinaria, non est tamen delegabilis, quia eo modo præscripto, in concessione sit indelegabilis. Est autem in facultate concedentis præscribere modum, & formam, cum qua sit adhibenda iurisdictio, & facultas, quam concedit, cum totum dependet ex eius voluntate.

5 Quando autem dicitur, quod qui per alium facit per se facere videtur, sensus est, quod illa actio tribuatur eis tanquam auctori, qui per alium illam exercet; non autem saluatur, quod personali modo exerceat illam; sicut debet exerceri, quando iniungitur alicui quod per se aliquid faciat; nam clausula, *Per se*, dicit modum personale operandi. Et ideò regula, qui per alium facit, per se facere videtur non habet locum, quando

quando factum radicatur in persona, vt tradunt Bart. *in l. Si iis, qui.* vet. *Verum venio ad secundum.* & *in l. Sed si vnum.* §. 1. *ff. de iniur.* Ias. *in l. 1.* §. *Per Procuratorem. not.* 3. *ff. de acquir. possess.* quia tunc debet esse factum personale, etiam quoad modum, quo fit.

6 Est tamen aduertendum quod per se erit necessarium, vt per se approbent, quod per se erit inspiciant locum, sed poterunt delegare inspectionem Altaris, & habita relatione ipsum approbare, vel reprobare. Nam adhuc saluatur, quod per se approbent, quia aliud est approbare, & aliud capere informationem de loco. Priuilegium autem requirit solum, quod per se approbent, non autem, quod per se sumant informationem.

QVÆSTIO 486.

An in Capellis, & Oratoriis erectis intra septa Regularium possunt exteri Sacerdotes celebrare.

SVMMARIVM.

1. *Exteri Sacerdotes possunt celebrare in Oratoriis intra septa Regularium.*
2. *Oratoria intra septa Regularium sunt loca habilia vt in ipsis celebretur.*
3. *Priuilegium erigendi est in fauorem Regularium Oratorium autem erectum in fauorem omnium.*
4. *Oratoria intra septa Regularium sunt appendices Ecclesiæ.*
   Monasterium venit nomine Ecclesiæ.
5. *Diebus exceptis pro Oratoriis priuatis potest in Oratoriis intra septa Regularium celebrari.*
6. *Secluso priuilegio possunt Regulares erigere Capellas annexas Ecclesiæ.*
7. *Pro functione aliàs in Ecclesia exercenda posset erigi Oratorium intra septa Regularium.*

1 Dicendum est. *In Capellis, & Oratoriis erectis intra septa Regularium, quoslibet Sacerdotes celebrare posse.* Ita Henriquez *lib. 9. summa. cap.* 27. *n.* 2. Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *Quarta exceptio.* Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 7. Faustus *lib.* 2. *de Eucharist. quæst.* 171. ver. *Rursus ab eodem.* Quos citaui, & secutus sum, *in decis. moral. decis.* 181. *num.* 1. quibus nunc addendi sunt Lezana *in summ. verbo* Oratoria. *num.* 4. Quintanadueo. *tom.* 1. *singul. tractat.* 7. *singul.* 34. *num.* 5. Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 3. §. 3. *num.* 15. Quartus *in Rubric. Missalis, part.* 3. *titul.* 10. *num.* 1. *sect.* 2. *dub.* 9. ver. *Colligitur secundo.* Scortia *lib.* 2. *de sacrific. Miss. cap.* 10. Garzia *in summ. tractat.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 7. *punct.* 3. *n.* 33. Passerin. *de pollut. Eccles. disputat.* 2. *cap.* 11. *num.* 3. & constat etiam ex praxi, quæ Romæ seruatur, nam in pluribus Monasteriis adsunt separata ab Ecclesia Oratoria, in quibus indifferenter Episcopi, & sæculares Sacerdotes celebrant.

2 Ratio autem est. Quia stante Priuilegio deputandi huiusmodi loca pro diuino tantum cultu destinata, facta deputatione in virtute priuilegij, iam sunt loca habilia, & destinata pro oblatione sacrificij non secus, ac sint Oratoria erecta indifferenter pro omnibus in ordine ad offerendum sacrificium. Et aliàs non adest aliqua restrictio, sicut adest pro Oratoriis priuatis vt vna, vel tantum certus numerus Missarum celebrari possit: ergo remanet libera facultas celebrandi quot Missas libuerit, & à quibuscunque.

Dices. Hoc priuilegium est pro ipsis religiosis, 3
quia facultas erigendi huiusmodi Oratoria est in eum finem, vt possint religiosi ibi celebrare. Et ideò non plus debet extendi, quàm extendatur causa finalis. Respon. Causam finalem concessionis fuisse quidem commoditatem religiosorum, vt scilicet possent commodius celebrare Missam, & iuxta exigentiam occasionum; & ideò facultatem concessam non debere extendi plus quam extendatur causa finalis, atque adeò non posse erigere huiusmodi Oratoria extra propria loca, vbi non habent ipsi celebrare. Attamen erecto Oratorio non ex vi priuilegij, sed ex natura rei loquitur, quod cæteri quoque possint ibi celebrare, quia est iam locus deputatus pro oblatione sacrificij, non secus, ac si quis obtineret pro commoditate propria erigere Oratorium adnexum propriæ domui ruralis, cum ingressu publico, posset quilibet ibi celebrare, quia hoc aduenit ex concessione priuilegij, sed ex natura loci.

Accedit etiam, quod huiusmodi Capellæ, seu 4
Oratoria, si erecta sint intra Monasterium, censeri possunt pars quædam, seu Appendia Ecclesiæ siquidem totum Monasterium venit nomine Ecclesiæ, vt tradunt communiter Doctores *in Rubr. de reb. Eccles. non alien.* Ioan. Andr. *in cap.* 1. *inst. de rest. in integrum.* & cæteri. Abbas *in cap.* 1. *de consuet.* Cardin. *in Clement.* 1. *quæst.* 3. *de iudic.* Et ideò dum celebrant in his locis, seruatur dispositio Concilij Tridentini, quod non celebretur extra Ecclesiam omnino. Quia celebratur in aliqua Appendice Ecclesiæ.

Ex his colligitur, quod ij, qui celebrant in pri- 5
uatis Oratoriis ex priuilegio, & non possunt certis diebus solemnioribus, & in die Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, & aliis in iis celebrare, sed tenentur accedere ad Ecclesiam, poterunt dictis diebus celebrare in huiusmodi Oratoriis. Nam non sunt Oratoria priuata in quibus non permittatur dictis diebus celebrare, sed licet in omnibus diebus indifferenter in ipsis celebrare. Et sunt etiam suo modo Oratoria publica diuino tantum cultui destinata, nam ab omnibus indifferenter celebrari potest. Et praxis hic Romæ hoc ipsum confirmat.

Colligitur 2. Quod secluso etiam priuilegio pos- 6
sunt à Regularibus erigi Capellæ Ecclesiæ annexæ, quamuis ad ipsas, non immediate ab Ecclesia pateat ingressus, sed vel per Chorum, aut Sacristiam in quibus remoto concursu populi celebrari possit: nam huiusmodi Capellæ censentur Capellæ Ecclesiæ, cum sint ipsi annexæ, & per ipsas fit quædam extensio Ecclesiæ eiusdem; & ideò eo iure quo erigitur Ecclesia, eriguntur etiam ipsæ; siquidem erecta iam Ecclesia, non est necessaria noua licentia pro ampliatione; & priuilegia, quæ concedunt erectionem Capellarum, & Oratoriorum procedunt de iis, quæ nullam connexionem habent ad Ecclesias.

Imò si pro aliqua functione, quæ aliàs esset in Ec- 7
clesia exercenda, occurreret erigere Oratoria etiam intra interiora Monasterij, vt pro excitando matutino hiemis tempore, censerem posse erigi secluso priuilegio, quia esset extensio quædam Ecclesiæ; non enim extensio requirit contiguitatem, quia hæc non facit, nisi ad extensionem materialem, sed sufficit destinatio pro iis, quæ in Ecclesia sunt exercendæ. Facta autem hac deputatione posset in ipso celebrari, quia esset Oratorium dedicatum tantum diuino cultui, & annexum Ecclesiæ, atque adeò pars ipsius.

QVÆSTIO 487.

An in infirmariis Regularium institui possint Oratoria pro infirmis.

SVMMARIVM.

1. *Oratoria erigi possunt in infirmariis Regularium.*
2. *In virtute etiam priuilegij Pij IV.*
   Cui conceditur plus conceditur etiam minus.
3. *Saculares decumbentes in infirmariis Regularium an possint ibi facere celebrare,*
4. *Infirmus an possit celebrare in Altari erecto virtute priuilegij Pij IV.*

1 EX dictis io præcedentibus sequitur, quod institui possint Oratoria, seu Capellæ in infirmariis Regularium ad effectum, vt pro ipsis celebrari possit, & è cubiculo, aut etiam è lecto audire Missam, quod in specie aduertunt Garzia *in summ. tractat.* 3. *difficultat.* 8. *dnb.* 2. *part.* 3. *num.* 31. Lezana *tom.* 1. *quæst. Regul. cap.* 31. *num.* 14. Hieronym. Rodriquez *in Compend. resol.* 9. *num.* 7. Passeriu. *de pollut. Eccles. disput.* 2. *cap.* 11. *num.* 3. Hoc autem habet locum io virtute priuilegiorum, quibus conceditur Regularibus facultas erigendi huiusmodi Oratoria, seu Capellas in quocunque loco decenti suorum Monasteriorum. Quia non limitant locum, in quo sit erigenda, & ideò erigi possunt in quocunque loco exegerit commoditas, cum propter commoditatem concessa sint.

2 Rursus erigi etiam poterunt in virtute priuilegij Pij IV. de quo supra dictum est, in quo conceditur infirmis, vt possint facere celebrare durante infirmitate in propriis cubiculis; nam hoc concesso remaner etiam concessum posse facere celebrare prope proprium cubiculum in loco honesto, quia concesso, quod est plus, conceditur etiam quod est minus & in concesso maiori continetur iuxta regulam cap. *Cui licèt de regul. iur. in* 6. Et quamuis concedat solum celebrationem per modum actus staure occasione infirmitatis, constitui tamen poterit Oratorium per modum habitus, ita tamen vt non inseruiat nisi per modum actus, quando scilicet id est necessarium pro infirmo, qui non potest egredi è cubiculo, itavt, si possit egredi, non liceat in ipso celebrare.

3 Ex quo sequitur. Quod si ibi adest aliquis sæcularis infirmus, non posset pro ipso celebrari in Oratorio erecto in virtute huius priuilegij, sicut nec posset ibi celebrare; Quia hoc priuilegium, vt dictum est, etiam in superioribus, est concessum tantum ipsis infirmis religiosis, & ideò non potest se extendere ad sæculares. E contra verò, si sit erectum in virtute priuilegij concedendis Oratoriorum erectionem in Monasteriis, poterit ibi celebrari etiam pro infirmis sæcularibus, & ipsi quoque poterunt in ipsis celebrare, quia vt dicitur est tanquam permanenter cultui soli diuino dedicata, & non omnino extra Ecclesiam, sunt apta, vt quilibet possit in ipsis celebrare.

4 Dubitari tamen potest, an si Oratorium sit erectum in virtute priuilegij Pij IV. possit infirmus in ipso celebrare. Ratio difficultatis sumitur ex eo, quod est concessum pro iis qui prohibentur egredi è cubiculo, iste autem non prohiberetur, nam egrederentur ad celebrandum in dicto Oratorio. Existimo tamen, quod posset celebrare si alias non ei permitteretur accessus ad Ecclesiam, aut ad alia Oratoria Conuentus, nam in priuilegio egressus à cubiculo accipitur moraliter, itavt intelligatur de egressu eum facultate eundi quò voluerit, & præsertim eum accessu ad Ecclesiam; non autem de egressu ad tres, aut paucos passus; fieri enim potest, quod melius concedat hunc egressum, sed non egressum ab infirmaria; & ideò in tali casu adhuc censebitur interdictus egressus è cubiculo, quia est ei interdictus simpliciter, licèt concessus secundum quid.

QVÆSTIO 488.

An in Grangiis Regularium erigi possint Oratoria pro celebratione Missæ.

SVMMARIVM.

1. *In Grangiis Regularium possunt erigi Oratoria pro celebratione.*
2. *Priuilegia pro ipsorum erectione.*
3. *An sit necessarium, vt in Grangiis resideant Religiosi, vt possint erigi.*
   Numerus pluralis continet etiam singularem.
4. *In Grangiis erigi possunt Oratoria virtute priuilegiorum concedentium Altare portatile.*
   Grangia sunt loca Ecclesiastica, & gaudent immunitate.
5. *Speciale priuilegium erigendi Oratoria in Grangiis*
6. *In Grangiis possunt audire Missam, & suscipere sacramenta quicunque ad ipsas pertinent.*

DIcendum est. *Posse in Grangiis suis Regulares erigere Oratoria, seu Capellas in quibus Missa celebretur.* Ita Rodriquez *quæst. Regul.* 55. *artic.* 1. *init. tom.* 2. Hieronym. Rodriquez *in Compend. quæst. Regul. resol.* 9. *num.* 1. Peirin. *tom.* 1. *de priuileg. ad constitut. Pirrhi, numero* 31. Lezana *tom.* 2. *quæst. Regul. cap.* 21. *num.* 15. & *in summa verbo* Altare *numero decimoquarto*, Ioan. à Cruce. *De statu religionis, libro secundo, capite quinto, dub.* 7. *conclus.* 2. Alphonsus de Leone *de censuris, recolet.* 46. *numero* 854. Garzia *in summ. tractat.* 3. *difficult.* 8. *dubio secundo, puncto tertio, numero trigesimoquarto*, Bordon. *tom.* 2. *Consil. Regular. resolut.* 90. *numero nono*, Quiotanaduen. *tomo* 1. *singul. tractatu secundo, singul.* 34. *numero primo* Tamburinus *de iure Abbatum, tomo secundo, disputatione quinta, quæstione sexta, numero octauo*, Thomas Hurtad. *tomo secundo, resolutionum moralium, tractatu* 12. *capite primo, in digres.* §. *secundo, numero* 2223. Ioan. Henriquez *in summ. sect.* 22. *quæstione* 16. Quartus *in Rubricas Missalis, parte tertia, titulo decimo, numero primo, sectione secunda, dubio nono, corol.* 1. Passerin. *de pollutione Ecclesiæ, disputatione prima, capite undecimo, numero secundo*, Diecastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disputatione* 4. *dub.* 6. *num.* 104. 1

Hæ autem Capellæ, seu Oratoria erigi possunt in virtute diuersorum priuilegiorum. Et primo, si ibi resideant aliqui religiosi erigi possunt in virtute priuilegij concessi Iesuitis à Gregorio XIII. per quod concedit, quod in locis, in quibus aliqui resident possint ea erigere. Vt autem resideant, non est necessaria residentia continua, sed sufficit si aliquo anni tempore resideant; quia adhuc verificatur, quod ibi resideant. An autem possit ibi celebrari, quando non resident, si videlicet contingeret, 2

contingeret, quod aliquis ibi in transitu repeteretur, videtur affirmatiuè resoluendum, quia iam sunt loca destinata pro celebratione, & non suot ea illis, in quibus non est celebrandum iuxta dispositionem Concilij Tridentini, cum non siot priuatæ domus, nec priuata Oratoria.

3 Difficultas autem est, stante, quod priuilegium dicit, *vbi aliqui residebunt*, necessarium sit, quod plurea resideant an verò sufficiat vnus. Videtur enim, quod sit oecessarium plures residere, quia pluralis numerus saltem duo requirit. Eaistimo tamen, sufficere, si vnos tantum resideat. Nam pluralis numerus non ponitur pro forma, sed ad ostendeodum, qualis dabeat esse locus, in quo oratorium erigi possit, nempe quod sit locus residentiæ in quo casu numerus pluralis continet etiam singularem. §.2.*instit. de except.* ibi. Superioribus libris, id est superiori libro. & *l. Falsa* §. *Quid ergo. ff. de condit. & demonstrat.* & *l. Ait prætor. init. ff. de negot. gest.* & *l. Cum vxori. C. Quando dies leg.* & notant Castreos. *in l. 1. C. De Condit. insér.* Dec. *consil.* 50. *circa fin.* Craueta *consil.* 180. *num.* 3. Decian. *consil.* 64. *num.* 39. *lib.* 2. Et facit etiam communis modus loquendi, nam dicitur habere liberos, qui babet vnum tantum; dicitur alere seruos, qui vnom alit, & aliæ huiusmodi loquotiones passim sunt in vsu; in quibus numerus pluralis accipitur etiam pro singulari.

4 Secondo erigi possunt oratoria in Grangiis virtute priuilegiorum, quæ concedunt vsum altaris portatilis, quæ in superioribus allata sunt; & est etiam illud notandum, quod Sixtos IV. confirmauit, & ampliauit pro Frattibua Prædicatoribus, vt in eotom Mari magno apud Confect. *Bulla 1. huius Pontificis.* ibi. *Concedimus eisdem Fratribus, vt non solum in oratoriis, & locis, in quibus degunt, sed etiam in quouis alio loco congruenti honesto possint super altari portatili huiusmodi Missa, & alia diuina officia libere, & licitè celebrare.* Cum enim hæc prioilegia concedant celebrationem Missæ io altari portatili in qoouis loco honesto, & decenti, eoocedunt etiam præparationem loci, atque adeò etiam erectionem Oratorij seu Capellæ, quæ est meliot præparatio, quæ fieri possit. Neque obstat Concil. Trident. *in decreto de seruand. & vitand. in celebrat. Missar. sect.* 22. Quia non cootingit Episcopis, quod non sinant celebrari Missas io Altari portatili, nam passim io Ecclesiis quoque adhibetur, sed ne sinant celebrare extra Ecclesiam omninò, & Oraroria diuino tantum cultui dedicata, quod noo contingit in hac celebratione; huiusmodi enim Oratoria sunt raotum diuino cultui dedicata, & noo sunt io domo prioata, cum Grangiæ siot loca Ecclesiastica, & gaudeant immunitate, vt concessit Eugenius IV. Ordini Cisterciensi, vt in Compend. Priuileg. *eiusdem Ordin.* Tit. *Grangiæ*, §. 2.

5 Terriò erigi possunt etiam in virtute prinilegiorum, quæ absolutè concedunt erectiooem horum Oratoriorum in propriis locis, de quibus dictum est in superiorum, quæ etiam non fuisse reuocata à Concilio Tridentino ostensum est. Deinde adest speciale priuilegium Grangiis concessum Ordini Cisterciensi ab Alexandro III. vt in Compend. *Priuileg. Cistercien. tit. Grangiæ*, §. 1. per qood specialiter concedit, vt possint in ipsis erigi Oratoria in ordine ad celebrandam Missam.

6 Imò concedit insuper, qnod omnes, qui quomodocumque pertinent ad dictas Grangias, vel ratiooe incolatus, vel quia sint vassalli, vel Coloni illius loci, vel quacunque alia de causa ibi commorantes, possint accedere non solum pro audienda Missa, sed etiam pro suscipiendis illis sacramentis, quæ à regularibos ministrari possunt, quæ sunt pœnitentia, & Eucharistia. In quo tamen hoc priuilegium concedit aliquid minus, qoàm per alia concessum sit iisdem regularibus, cum sit concessuio posse quibuscunque ministrare Sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ in quacunque Ecclesia, & decenti loco, qooad Sacramentum Pœnitentiæ, quod hic adnotari debuit.

QVÆSTIO 489.

An in Oratoriis Grangiarum possint cæteri Sacerdotes celebrare.

SVMMARIVM.

1. *Quicunque Sacerdotes possunt in Grangiis Regularium celebrare.*
2. *Etiam ob suam commoditatem.*
   Textus varij in oppositum allati, & explicati.
3. *Celebratio in Oratoriis Grangiarum est secundum dispositionem Concil. Trident.*
4. *Oratoria Grangiarum non sunt priuata Oratoria.*

QVod non solum religiosi illius loci, sed etiam cæteri eatranei ab ipsis vocati possint celebrare Missam in Oratoriis Grangiarum non videtur in dubium reuocari posse, quia agitur de seruitio eorumdem Religiosorum & de allequeodo fine propter quem huiusmodi oratoria instituta sunt. Vnde possent regulates, quando nullus Sacerdos ipsorum ibi residet deputare externum Sacerdotem, qui celebret, vt ij, qui pertinent ad dictas Grangias, possent Missam audire. Vode solum difficultas est, an exteri ob suam commoditatem ibi celebrare possint. 1

Prima sententia negat, exteros ibi celebrare posse. ita Bordin. *tom.* 2. *consil. moral. resolut.* 90. *num.* 9. citat. cap. *Patentibus de Priuilegiis*, & cap. *fin. de censibus.* sed noo fauent huic opinioni, nam in cap. *Patentibus.* Solum prohibetur Templariis, & Hospitalariis, quod non possint in Oratoriis, propriatum domorum habere Campanas, & publicè pulsare: quæ Oratoria erant in domo priuata; vnde nec etiam eadem est ratio, quoad qualitatem cum Oratoriis Grangiarum. in cap. verò *fin. de Priuileg.* solum prohibet Pontifex Gregorius IX. Nequis pro eo, quod Religiosi celebrent in Oratoriis Grangiarum suarum audeat ob iis exigere procurationes, & quæ debentur ratione visitationis: vnde ne verbum quidem de prohibitiooe, ne externi in ipsis celebrent cum solum prohibeat exigentiam procurationum. Circa verò teoorem priuilegiorum, in quo se fundat, est aduertendum, quod licèt concedant erectionem horum Oratoriorum in ordine ad celebraodum pro raligiosorum, & eorum, qui pertinent ad Grangias, commoditate, attameo quia erigitur locus aptus de se pro celebratione iuxta communem vsum, ideò admitti possuot etiam eateri. Alioquio cum etiam Ecclesiæ erigantur à Regolaribus ob suam commoditatem præsertim à Mooachis Carthusiensibus, qui eas erigunt intra septa conoeotus, non possunt admittere ad celebrandum in ipsis. 2

Secunda sententia asserit, posse in dictis Oratoriis quoscumque celebrare. ita Ioan. Henriquez *in sum. sect.* 22. *quæst.* 26. Quintanaduen. *tom.* 4. *singul. tractat.* 4. *singul.* 34. *num.* 3. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 3. *titul.* 10. *num.* 1. *sect.* 2. *dub.* 9. *vol.* 2. Passerio. *de pollut. Eccles. disput.* 2. *cap.* 11. *num.* 3. Et illi, qui hoc ipsũ docent de Oratoriis erectis intra Monasteria; siquidem est eadem ratio. Et hæc sententia est tenenda. 3

Quia quando celebratio non est omninò extra Ecclesiam, & oratoris diuino tantum cultui dedicata, est secundum dispositionem Concilij Tridentini *in Decrete de seruand.& vitand. in celebrat. Miss.* Atque adeo vnicuique licita, ita vt non prohiberi possit per Episcopum. Celebratio autem in his Oratoriis non est extra Oratoria diuino tantum cultui deputata, nam non sunt alteri vsui deputata; imo nec omnino extra Ecclesiam. Quia grangiæ sunt loca Ecclesiastica, at gaudeant immunitate Ecclesiastica.

4 Dices esse priuata Oratoria, & ideo non posse quemlibet in ipsis celebrare. Verum non posse dici priuata Oratoria, videtur omninò certum; nam non sunt in domibus priuatis, neque deseruiunt vsui priuato personarum priuatarum; sed sunt in loco gaudente immunitate, & deseruiunt certæ alicui communitati, nec ibi exercetur cultus priuatus, sed publicus, & publico modo pro omnibus illis, qui pertinent ad dictas grangias. Vnde etiam Bordon. *cit. resol.* 90. *num.*6. fatetur, esse publica quoad Religionem.

QVÆSTIO 490.

An in hospitijs erigi possint Oratoria.

SVMMARIVM.

1. *Regulares erigere possunt Oratoria in suis hospitijs.*
2. *Quando pro hospitijs locum habeat priuilegium Gregorij XIII.*
3. *Quando priuilegium Honorij IV.*

1 POsse Regulares in suis hospitiis erigere Oratoria, docent Garzia *in sum. tractat.* 3. *difficult.* 8. *dub.*2. *punct.* 3. *num.* 31. Passerin. *disput.*2. *de Pollut. Eccles. cap.*11. *num.*3. Thomas Hurtad. *part.* 2. *resolut. Moral. tractat.* 12. *cap.*1. *in digress.* §. 2. *n.*2224. qui vult, posse erigi siue hospitium sit fundatum cum auctoritate Episcopi, siue etiam, absque ipsa, si sit permanens, ad quod diuertant Religiosi itinerantes, aut in quo aliqui negociorum causa habitent, etiamsi sit vnus, & reliqui sint seruientes, licet etiam sæculares.

2 Et quidem, si in hospitio, quocunque modo sit erectum, resideant aliqui religiosi, siue etiam vnus, habet locum priuilegium Gregorij XIII. in quo concedit PP. Iesuitis, vt possint erigere Oratoria in locis, in quibus aliqui residebunt, quod, vt dictum est in superioribus, participatur ab omnibus habentibus communicationem. Et est eadem ratio de his hospitiis, ac de cæteris locis, quia hoc priuilegium est concessum ob commodationem celebrandi: est autem magis necessaria hæc commoditas in hospitiis, quia si non haberent ibi Oratoria, deberent, aut relinquere celebrationem, aut accedere ad alienas Ecclesias.

3 Si verò non resideant aliqui, subintrat priuilegium Honorij IV. concessum Prædicatoribus, & Minoribus in cap. *In his*, *de priuileg.* quod tanquam insertum in corpore iuris non esse reuocatum per Trident.constat ex dictis in superioribus. Cum enim in ipso concedatur, posse priuilegiatos celebrare cum Altari portatili vbicunque fuerint, poterunt etiam in his hospitiis celebrare cum eodem Altari; quod, vt decentiùs fiat, poterunt erigere Oratoria, seu Capellas, in quibus celebrent, nam posse celebrare in quocunque loco cum Altari portatili, simul etiam includit facultatem erigendi locum opportunum, in quo collocetur.

QVÆSTIO 491.

An in domibus ruralibus possint Regulares erigere Oratoria pro celebratione Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Regulares possunt in suis domibus ruralibus erigere Oratoria.*
2. *Quando pro his locis non inseruiat priuilegium Gregorij XIII.*
3. *Quorum priuilegiorum vigore erigi possint.*
4. *Priuilegia erigendi locum celebrationis non sunt restricta ad causam necessitatis.*
5. *Regularis in transitu potest celebrare in Oratorio domus ruralis.*

PRocedit difficultas de domibus ruralibus, quæ non sunt grangiæ; sed quæ inseruiunt Religiosis pro honesta animi relaxatione, & pro conualescentibus, dicendum est autem. *Posse in his domibus erigere Oratoria, seu Capellas pro celebratione Missæ.* Ita Garzia *in sum. tract.* 3. *difficult.*8. *dub.*2. *punct.* 3. *num.*31. Pellizar. *tom.*1. *Manual. tract.*8. *cap.*2. *sect.*2. *num.*91. Passer. *de pollut. Eccles. disput.* 2. *cap.* 11. *num.* 2. Hoc autem constat etiam ex praxi ita Interpretante priuilegia. Et quidem, quando per aliquot dies ibi resideant aliqui Religiosi, habet locum priuilegium Gregorij XIII. concessum Iesuitis, per quod conceditur erigere Oratoria in locis in quibus aliqui resideant, quamuis id solum contingat in aliqua anni parte. Erectio autem Oratorij, quia iam est locus destinatus ritè pro celebratione Missæ, poterit in eo celebrari, etiam extra tempus residentiæ. 1

Si verò non sint loca residentiæ, sed tantum inseruiant pro quotidianis recreationibus, ita vt ibi non soleat pernoctari, aut nec etiam possit ob aëris intemperiem quales sunt hic Romæ plures villæ aliàs deliciarum plenæ; hoc priuilegium non inseruiet, cum sit concessum solum pro locis, in quibus aliqui resideant, & ideò, si aliqui non resideant, concessio non habet locum, nam extenderetur vltra intentionem concedentis. 2

Ponderant tamen alia priuilegia, nempe illa, quæ concedunt erectionem Oratorij in quibuscunque locis religionis, de quibus dictum est in superioribus. Hæc enim priuilegia sunt generalia, dum concedunt, quod in locis, & Oratoriis propriis possint in Altari viatico celebrare, & ideò vt habeant locum, sufficit, quod locus sit proprius Religionis. Rursus etiam inseruire possunt priuilegia celebrandi in quocunque honesto loco, quale concessum fuit Prædicatoribus à Sixto IV. vt in Mari magno ipsorum apud Confect. *in Collect. priuileg.* quod est *Bulla* 1. huius Pontificis, nam in virtute priuilegij possunt celebrare in his domibus, & quia possunt consequenter præparare locum pro celebratione, possunt etiam præparare locum permanentem, qualia sunt Oratoria, & Capellæ cum hoc redundet in maiorem reuerentiam sacrificij. 3

Dices. Hæc priuilegia celebrandi in quocunque honesto loco esse accipienda, vt habeant locum, quando occurrit aliqua causa necessitatis; non autem absoluté. Iterum hæc restrictio non adest in ipsis priuilegiis, & illud Sixti IV. de quo *num. praeced.* est absolutum, & compleat idem priuilegium aliàs ipsis concessum. Attamen licet prudens vsus priuilegij exigat, quod sine aliqua causa necessitatis non mandetur executioni, hoc tamen solum valet, quando est celebrandum in loco, qui non est permanéter dicatus 4

cultui

eultni diuino. At quando est permanenter dicatus, potest prinilegium eum tota sua latitudine mandari exequntioni.

5 Est his colligitur, quod si quis in transitu reperiretur in aliqua harũ domorum, posset in eius Oratorio seu Capella celebrare, quia iam est locus depntatus pro celebratione, & est conformis dispositioni Concilij Tridentini, quia est dicatus tantum dinino cultui, nec est in priuata domo: sed in domo Religiosornm; qnia licet inseruiat solum pro animi relaxatione, ioseruit tamen pro vsibus eorundem; & habetnr pro parte Monasterij; siquidem est necessaria pro manutentione Monasterij, & commoda substentatione Religiosorum, qualem requirunt Gregoxins XV. & Vrbaons VIII. in suis eonstitutionibus pro introductione nouarum Religionum. Et hoc habebit iocum, etiamsi talis domus esset condncta, non adhue secundnm vsum esset membrum Monasterij, & necessaria pro vsibus Religiosorum.

QVÆSTIO 492.

An si Regularium aliquos contingat manere pro aliquot diebus in aliqua domo, non propria, possint ibi erigere Oratorium pro celebratione.

SVMMARIVM.

1. *Regulares communicantes in priuilegiis possunt erigere Oratorium si contingat eos morari per aliquot dies in domo non propria.*
2. *Quodnam priuilegium id concedat.*
3. *Inseruit etiam priuilegium insertum in corpore iuris.*

1 CAsns facilè accidere potest tempore belli, aut pestilentiæ; fieri enim potest, quod aliqui Regulares pro fugiendis periculis se recipiant ad aliquem locum tutum, ant qnod cogaotur extra conuentum manere, vei quia sit occupatus pro functiooibus bellicia, aut qnia engaotur degere extra conuentum ad sumendum experimentum sanitatis, vulgò *Sar la quarantena*, aut ex aliqua alia causa. Vnde dubitatur, an in his casibus possint, vbi degunt erigere oratorium pro celebratione Missarum virtute prinilegiorum. Dicendum autem est. *Regulares communicantes in Priuilegiis posse erigere Oratorium, aut Capellam in quocunque loco per aliquot dies degant pro celebranda Missa in Altari portatili.* Ita ferè Ioan. à Cruce *libro de statu Religionis, cap. 5. dub. 7. conclus. 3.*

2 Pro hoc inseruit Priuileginm Gregorij XIII. concessum PP. Iesuitis, cum enim concedant facultatem erigendi oratoria, non solum in domibus professis, & Collegiia, sed etiam in aliis locis, vbi aliqni societatis resederint, & sufficiat residentia pro aliquo tempore, vt in superioribus dictum est, poterunt etiam in prædictis locis erigere. In hoc tamen casu difficilis est praxis prinilegij, quia cum prouincialis debeat per seipsum approbate hniusmodi oratoria, si non esset præsens oporteret ad ipsum scribere, & quod ipse committeret informationem, & postea rescriberet, in quo possent consumi plures dies, præsertim si loogè abesset.

3 Facilior erit praxis priuilegij inserti in corpore Inris Honorij IV. in cap. *In his, de priuilegiis.* in quo conceditur, vt vbicunque fnerint Regulares, possint ibi celebrare, eum Altari viatico præsertim stante etiam concessione Sixti IV. facta Prædicatoribus per quam ampliat priuilegium, vt scilicet possint, cum Altari portatili celebrare in quocunque loeo honesto, & decenti, vt in mari magno eorumdem Prædicatornm, quod est *Constitutio* 1. eiusdem Sixti IV. apud Confect. *in Collect. priuileg.* sumua enim in easu, in quo licitè exequutioni mandari potest priuilegium, cum adsit causa necessitatis, siquidem Religiosi illi, aut Missa carere deberent, aut vri Altari portatili. Et ideò præparare poterunt aliquem locum in modum Oratorij, seu Capellæ, in quo celebrent.

QVÆSTIO 493.

An Episcopi prohibere possint Regularibus, ne erigant Oratoria pro celebratione Missa in Grangiis, intra Monasteria, in Hospitiis, &c.

SVMMARIVM.

1. *Episcopi non possunt prohibere Regularibus, ne erigant Oratoria intra Monasteria, in Grangiis, hospitiis, &c.*
2. *Cur facultas Episcoporum ad hanc prohibitionem non se extendat.*
3. *Priuilegium Gregorij XIII. impedit, ne Episcopi possint se ingerere.*
4. *Episcopi non possunt se ingerere in celebratione in cubiculis Religiosorum infirmorum.*
5. *Episcopi nõ habent iurisdictionem quoad Regulares, quando in locis propriis exemptis celebrant.*
Exemptio Regularium requirit specialem mentionem.

1 DIcendum est. *Episcopos non posse prohibere huiusmodi Oratoria, seu Capellas, neque celebrationem Missa in Grangiis, Monasteriis, Hospitiis, &c. Religiosorum priuilegiatorum.* Ita Rodriquez *tom. 2. quæst. Regul. 75. art. 1.* Alphonsus de Leone, *recollect. 6. de censur. num. 854.* Ioan. à Cruce *lib. 2. de Statu relig. cap. 5. dub. 7. conclus. 2.* Lezana *in sum. verbo* Altare, *num. 14.* Garzia *in sum. tract. 3. difficult. 8. dub. 2. punct. 3. num. 32. circa fin.* Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disput. 4. dub. 6. num. 104.*

2 Ratio est. Quia tota facnltas, qnam Concil. Trident. *sess. 22. in Decreto de seruand. & vitand. in celebrat. Missar.* Quoad regulares est, quod non patiantur celebrari omnino extra Ecclesiam, aut extra Oratoria dinino tantummodo cultui dedicata, nec in priuatis domibus. Vnde non possunt se ingerere, quando non adest materia, qnam iuxta Concilium Tridentinum non debent pati. In his autem casibns non adest, quia non celebratur in priuaris domibua, neque extra oratoria quæ non sint solummodo dicata diuino cultui, imò neque etiam extra Ecclesiam omninò; nam tàm Conuentus, quàm Grangiæ, & Hospitium sunt loca Ecclesiastica, & gaudent immnnitate, & proinde æquiparantur Ecclesiæ.

3 Accedit etiam. Quod Priuilegium Gregorij XIII. est concessum post Concilium Tridentinum, & concedit etiam, quod pro his Oratoriis sufficiat approbatio prouincialis, oec reqniratur alterius licentia: & proinde derogat Concilio Tridentino: ergo derogat etiam facultati, quam tribuit Episcopis supra Regulares circa oratoriorum erectionem, & celebrationem in ipsis; & proinde nullo pacto possunt se ingerere circa celebrationem in huiusmodi oratoriis.

4 Ex qnibns colligitur. Neque etiam posse Episcopos se ingerere circa celebrationem in cnbiculis

Infirmorum Religiosorum, quia cum id eis licitum sit per Priuilegium Pij IV. concessum post Tridentinum, & etiam post reuocationem Priuilegiorum, quæ obstabant exequutioni Concilij Trident. atque adeò cum derogatione eiusdem Concilij, quatenus ipsi contrariaretur, cessat etiam in hoc casu facultas Episcoporum, ipsis à Concilio collata, quoad Regulares.

5 Quamquam existimo, quod nunquam Episcopi in hac materia habuerint iurisdictionem, quoad Regulares, quando celebrant, in locis propriis exemptis, qualia sunt Monasteria Grangiæ, Hospitia. Quia Concilium solum dat facultatem supra regulares quantumuis exemptos, sed non extendit ipsorum iurisdictionem, quoad locum, sed illam relinquit intra terminos Diœcesis at, que adeò non dat iurisdictionem exercendam in locis exemptis, atque adeò non dat iurisdictionem exercendam in locis exemptis, & quæ licet sint in Diœcesi, non sunt tamen de Diœcesi. Nam cùm alia sit exemptio locorum eorumdem regularium, vtpotè speciali dispositione Apostolica stabilita, vt dixi *in quæst. Canonic. quæst.* 176. *numero secundo, centur.* 2. opus fuisset, quod Concilium expressisset, quod non sinant Episcopi celebrare extra Ecclesiam, &c. etiam in locis exemptis. Verum hoc non disposuit Concilium, quia eius intentio non fuit, quod Episcopi prohiberent regulares celebrare in loco decenti intra propria loca, vtpotè, quæ veniunt nomine Ecclesiæ, atque adeò non sit celebratio omninò extra Ecclesiam.

QVÆSTIO 494.

An Oratoria erecta virtute priuilegiorum à Regularibus sint benedicenda.

SVMMARIVM.

1. *Oratoria non habitura statum permanentem non non sunt benedicenda.*
2. *Oratoria Grangiarum non sunt necessario benedicenda.*
3. *Deputatio sufficit pro dedicatione ad diuinum cultum.*
4. *Oratoria erecta virtute priuilegij Gregorij XIII. non possunt amplius conuerti in prophanos vsus.*

1 SI loquamur de Oratoriis, quæ eriguntur pro aliqua occasione, ita vt non sint habitura statum permanentem, certum est, non esse benedicenda, quia quamuis pro aliquo tempore deputentur pro solo cultu diuino, attamen quia debent postea conuerti in prophanos vsus, non debent benedici: alioquin non possent in talem vsum conuerti, quia quod semel est Deo dicatum, non debet amplius in prophanos vsus conuerti. Et ideo difficultas remanet de oratoriis, quæ sunt habitura statum permanentem, qualia sunt, quæ eriguntur in Grangiis, intra septa Monasterij, & alia huiusmodi.

2 Dicendum est. *Huiusmodi oratoria non esse necessario benedicenda.* Ita Bordon. *tom.* 3. *consil. regul. resol.* 90. *num.* 3. Passerin. *de pollut. Eccles. disput.* 2. *cap.* 11. *n.* 4. Ratio autem est. Quia consecratio, aut benedictio non est necessaria, vt locus reductus capax celebrationis Missæ: siquidem celebratur in Oratoriis priuatis quæ non benedicuntur: & etiam ex causa necessitatis in quocunque loco honesto, vt constat ex dictis in superioribus, imò de iure antiquo poterat celebrari quocunque loco concedebat Episcopus, sed est necessaria, vt locus non solum sit destinatus pro cultu diuino: sed etiam, vt sit specialiter Deo dicatus: ergo cum ista Oratoria erigantur solum in eum finem, vt in ipsis possit celebrari Missa, non erit necessaria benedictio.

Dices. Esse necessariam, vt sint dicata diuino cultui, sicut exigit Concil. Trident. *sess.* 22. *in Decreto de seruand. & vitand. in celebrat. Miss.* Resp. Neq; ad hunc finem esse necessariam benedictionem, nam dedicantur cultui diuino per deputationem illius, qui habet auctoritatem erigendi, nam cum sit auctoritatiua deputatio, habet vim dedicandi solo cultui diuino, & æquiualet benedictioni quoad hunc effectum. 3

Ex his colligitur. Quod oratoria erecta in virtute Priuilegij Gregorij XIII. in Conuentibus, aut Hospitiis, seu Grangiis, &c. non possunt auctoritate superiorum localium amplius conuerti in prophanos vsus. Nam cum debeant approbari à Prouincialibus, aut cæteris, qui stant loco Prouincialium; & hi approbent virtute facultatis acceptæ à summo Pontifice, habet hæc approbatio vim auctoritatiuæ deputationis pro cultu diuino, & ideò tanquam auctorizata, non possunt à superiori locali in prophanos vsus conuerti, sed requiritur auctoritas approbantis. Quia iuxta regulam Iuris. Per quas causas res nascitur, per easdem dissoluitur. Imò etiam erit necessaria aliqua iusta causa, vt esset occasio Fabricæ, aut necessitas pro vsu aliquo prophano, aut quia expediret erigi in loco magis opportuno, aut aliqua alia huiusmodi. 4

QVÆSTIO 495.

An Oratoria erecta, à Regularibus virtute Priuilegiorum sint capacia pollutionis.

SVMMARIVM.

1. *Orateria erecta virtute priuilegiorum an capacia pollutionis.* & num. seq.
4. *Locus non benedictus non est capax macula, quam infert pollutio.*
5. *Non omnia loca religiosa sunt capacia pollutionis.*
7. *Pollutio requirit speciale fundamentum.*
8. *Deputatio ad cultum diuinum non supplet benedictionem.*

Ecclesia non consecrata, vt polluatur, requiritur, quod sit benedicta.

HAbet locum difficultas, quando Oratoria sunt permanenter dedicata cultui diuino, & oblationi sacrificij, vt sunt illa quæ sunt in Grangiis, Hospitiis, Monasteriis, &c. Prima ergo sententia asserit, esse capacia pollutionis. Ita Glos. *in cap. fin. verbo* Non consecrata, *De consecrat. Eccles.* dum dicit, Ecclesiam non consecratum pollui, quia ille locus est authoritate Episcopi diuino cultui dicatus: vnde pro pollutione putat, sufficere dedicationem diuino cultui. Sanchez *lib.* 9. *de de matrim. disput.* 15. *num.* 39. Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 3. Lugo Card. *dispnt.* 20. *de Encharist. num.* 60. Quartus *in Rubric. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 2. ver. *Secundo sentent.* 1 3

Probat. Quia dicuntur loca Religiosa, nec ad prophanos vsus redire possunt, cap. *Ad hæc, de Relig. domib.* Secundò, quia gaudent immunitate, vt tradunt Abbas, Angel. Syluester, Tabiena, Armilla, Gregor. Lopez, Nauarr. Couaruu. alios referens, Ruiz. 2

Ruiz in practica apud Sanchea loco cit. Tertiò, Quia statutum puniens delictum in Ecclesia patratum, comprehendit etiam erectam authoritate Episcopi licet non consecratam, vt tradunt Calderin. Dominic. Syluester, Nauar. apud Sanchez *citat.* Quarto. Quia deputatio Episcopi supplet effectum benedictionis. Vnde cap. *fin. de consecr. Eccles.* Ecclesia non consectata, si polluta fuerit, debet recouciliari.

3 Secunda sententia negat, esse capacia pollutionis. Ita Henriquez *lib. 5. sum. cap. 6. n. 5. in Comment. littera H, & lib. 9. cap. 27. num. 5.* Rodriquez *tom. 1. sum. cap. 154. num. 13.* Layman. *lib. 5. Theol. moral. tractat. 5. cap. 5. num. 1.* testans de praxi. Megal. *part. 1. instit. pereg. lib. 5. cap. 13. num. 5.* Barbosa *lib. 2. de iure Ecclesiast. cap. 8. num. 16.* Bordon. *tom. 2. consil. regul. resolut. 90. n. 4.* Leander *de sacrament. tractat. 5. disput. 8. §. 4. quæst. 25.* Auila *part. 5. de Censur. disput. 7. dub. 2. conclus. 1. in fine.* Reginaldus *lib. 29. cap. 9. sect. 5. num. 187. ver. Caterum.* Caspens. *part. 1. Curs. Theol. tractat. 23. disput. 3. sect. 3. num. 73.* Pellizzar. *in Manual. tom. 2. tractat. 5. disput. 8. §. 4. quæst. 25.* Passerin. *de pollut. Eccles. disput. 2. cap. 11. num. 4.*

4 Dicendum est. *Huiusmodi oratoria non esse capacia Pollutionis.* Ratio est. Quia pollutio est macula, quæ in morali æstimatione infertur Ecclesiæ per aliquam actionem iniuriosam, habita ratione qualitatis ipsius, sed quamuis locus sit destinatus tantum diuino cultui, non est capax huius maculæ, nec huius iniuriæ: ergo nec etiam pollutionis. Min. prob. Nam ista macula, & iniuria non afficit diuinum cultum, sed afficit locum quatenus talis locus est, & proinde quatenus est ita qualificatus, vt sit capax maculæ, & iniuriæ; hoc autem, non conuenit, quia sit destinatus pro cultu diuino, nam hæc destinatio est per actionem extrinsecam. Capacitas autem maculæ debet dicere qualitatem aliquam intrinsecam, secundum quam possit fœdari, itavt consurgat macula, in qua consistat pollutio. Hæc autem qualitas non potest esse alia, quàm sanctitas, quam acquirat ratione consecrationis, aut benedictionis.

5 Confirm. Si pollueren tur, esset necessaria reconciliatio ad tollendam pollutionem. Non constat autem, quænam reconciliatio esset adhibenda, & deberet esse diuersa ab iis, quibus reconciliantur Ecclesiæ, sicut est diuersa reconciliatio Ecclesiæ consecratæ, & Ecclesiæ tantum benedictæ, cum huiusmodi oratoria, non sint benedicta; Rursus non posset fieri reconciliatio, nisi cum aliquo ritu, & benedictione. Vnde reconciliatio induceret aliquam formam, quam antea non habebant, & sic non esset reconciliatio, sed benedictio, nam reconciliatio restituit, quod est amissum per pollutionem.

6 Ad 1. Resp. Non omnia loca Religiosa esse capacia pollutionis, nam etiam Monasteria Regularium sunt loca Religiosa, & tamen non polluuntur per illas actiones, quibus polluitur Ecclesia. Vnde oportet ponere aliud fundamentum, præter qualitatem religiositatis, in qua fundatur capacitas pollutionis, sicut etiam, nec Priuilegium immunitatis sufficit, vt locus polluatur; vt constat in iisdem Monasteriis, quæ gaudent immunitate. Imò etiam de iure antiquo per triginta passus extra Ecclesiam se extendebat immunitas, & tamen illud spatium triginta passuum non erat capax pollutionis, & per hoc solutum manet secundum Argumentum.

7 Ad 3. Quod statutum puniens delictum patratum in Ecclesia procedat etiam de non consecrata, non facit, quod si non sit etiam benedicta, sit capax pollutionis; nam, vt dictum est, requiritur speciale fundamentum pro pollutione, ratione cuius possit dici maculari, quod non requiritur, vt prohibeantur aliquæ actiones in ipso loco destinato pro cultu diuino; vnde etiam in Regimine Ciuili prohibentur specialiter aliquæ actiones in certis locis, vt in Palatio Principis, in platea, &c. & ideò puniri possunt aliquæ actiones, tam patratæ in Ecclesia consecrata, quàm non consecrata ex eo capite, quod vtroque modo se habeat, sit destinata pro cultu diuino. Accedit etiam, quod Ecclesiæ, licet non consecratæ, soleat tamen benedici antequam incipiat in ipsis exerceri cultus diuinus. Ratione autem benedictionis sunt loca sacra, & capacia pollutionis.

Ad 4. Deputationem Episcopi, aut alterius habentis iurisdictionem supplere effectum benedictionis quoad deputationem pro cultu Dei, non autem quoad sanctificationem quæ est qualitas quædam moralis, quæ inducitur per benedictionem. Quando autem *in cap. fin. de consecrat. Eccles.* dicitur, quod Ecclesia non consecrata, si polluatur, debet reconciliari, seu aqua exorcizata lauari; intelligitur de Ecclesia iam benedicta, licet non consecrata; cuius Ecclesiæ tantum benedictæ, & non consecratæ forma ponitur in Rituali Romano, & potest fieri per simplicem Sacerdotem. Secus autem, quando est consecrata, quia tunc pro simplici Sacerdote requiritur priuilegium Sedis Apostolicæ Et quando Glos. *ibid.* dicit, quod Ecclesia non consecrata polluitur. Quia est locus dicatus diuino cultui auctoritate Episcopi, intelligitur de dedicatione facta mediante benedictione, quia licet hæc benedictio fiat à simplici Sacerdote, requiritur tamen auctoritas Episcopi, vt aduertit Rituale Romanum *Titul. de benedict. noua Ecclesia.* 8

QVÆSTIO 496.

An celebratio diuinorum officiorum faciat Oratorium capax pollutionis.

SVMMARIVM.

1. *Locus, in quo celebrantur diuina officia, licèt non benedictus, an capax pollutionis.*
2. *Celebratio diuinorum officiorum non reddit locum capacem pollutionis.*
3. *In Oratoriis non benedictis non committitur sacrilegium.*

QVod locus, in quo cœperint celebrari diuina officia, sit capax pollutionis, licèt non benedictus, 1 aut consecratus, tradit Dicastil. *tractat. 5. de sacrament. disput. 4. dub. 6. num. 102.* & citat Glos. *in cap. Ecclesia verbo* celebrantur. *De immunit Eccles.* Quæ ita habet. Ex hoc videtur, quod si adhuc ibi adsunt diuina officia celebrata, nondum gaudeant priuilegio illorum, in quibus celebrantur diuina, quia nondum plenè dedicata videatur diuinis obsequiis. Vnde sacrilegium ibi non diceretur committi, nec debet aspergi propter hoc qui nullum diuinum officium fuit ibi celebratum. Aspergi tamen debet, si aliquid turpe ibi factum, antequam ibi celebretur.

Verum non potest admitti, quod sola celebratio diuinorum officiorum sufficiat ad ita dedicandum 2 locum diuinis obsequiis, vt reddatur capax pollutionis; nam principalissimum omnium diuinorum officiorum est celebratio Missæ: vnde cum hæc celebretur etiam in oratoris priuatis, ipsa quoque essent capacia pollutionis, quod tamen est falsum; itaque ad inducendum hanc capacitatem requiritur illa sanctitas, quæ impeditur Ecclesiæ per consecrationem, seu benedictionem quæ in ordine spirituali morali

morali ipsi tribuit quandam pulchritudinem ratiooe cuius potest maculari. Et Glos. accipienda est de celebratione diuinorum officiorum, quæ fit in benedictiooe, vel consecratione.

3 Ex dictis colligitur cum Glos. citat. & Bordon. *tom.2.consi.moral.resol.*90.*n.*7. Nun committi sacrilegium in his Oratoriis ratione circũstantiæ loci, quia cum locus non sit sanctificatus; nec consecratione, nec benedictione non interuenit violatio loci sacri, in quo consistit sacrilegium ratione loci.

QVÆSTIO 497.

An, & qualiter prohibeatur offerre sacrificium in Ecclesia polluta.

SVMMARIVM.

1. *Sacrifiium non potest offerri in Ecclesia polluta.*
2. *Offerre sacrificium in Ecclesia polluta est peccatum mortale.*
3. *Lex obligat proportionaliter ad materiam.*
4. *Consecratio, seu pollutio quomodo inuicem comparentur.*
5. *Pollutio Ecclesiæ, & interdictum quomodo differant.*
6. *Audientes Missam in Ecclesia polluta an peccent.*

1 DE iure Canonico prohibetur oblatio sacrificij in Ecclesia polluta, vt desumitur. cap. *Ecclesiam* 1. & cap. *Ecclesiam* 2. *de consecrat. distinct.* 1. & cap. *fin. de consecrat. Eccles.* & cap. *Tuarum de priuileg.* & cap. *vnic. de consecrat. Eccles. in* 6. quæ prohibitio in eo fundatur, quod sicut Ecclesia per benedictionem, aot consecrationem sanctificatur; & redditur locus positioè babilis pro oblatione sacrificij. Ita per pollutionem, quia maculatur illa sanctificatio, per quam habebat talem babilitatem fit positiuè inhabilis, & ideò pollutio ponit positiuum impedimentum in ordine ad oblationem sacrificij. Dubitatur autem, quale peccatum sit violare hanc prohibitionem.

2 Diceodum est. *Esse peccatum mortale offerre sacrificium in Ecclesia polluta.* Ita commoniter D. Thom. 3.*part.quæst.*86.*art.*3.*ad* 2.*&* 3. vbi etiam expositores Paludan. *in* 4. *distinct.*13. *quæst.* 2. *art.* 3. *conclus.* 3. Sotus *quæst.* 2. *art.* 3. *argum.* 2. *decis.* 4. vers. *Quocirca.* Tabiena *verbo* Consecratio 2. *num.* 10. Angelus *verbo* Consecratio Ecclesiæ, *num.*8. Armilla *n.*10. Syluester *verbo* Coosecratio 2. *quæst.* 9. D. Antonin. 3. *part. tit.* 12. *cap.* 6. §. 5. Naldus *in sum. verbo* Ecclesia. *num.* 26. Nauarrus *cap.*25. *Manual.num.*83. ver. *Decimo septimo peccat.* Sayr. *lib.*5. *Thesuan. c.*16. *num.*26. Henriquez *lib.*9. *sum. cap.*27. *num.*7. Rodriquez *part.* 1. *summ. cap.* 154. *conclus.* 14. Auila *de censur. part.* 5. *disput.* 7. *dub.* 3. *conclus.* 1. Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. vers. *His positis*, Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 1. Reginald. *lib.* 20. *Praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 5. *num.* 179. Layman. *lib.*5. *Theol. moral. tract.*5. *cap.*5. *num.*6. Coninch. *de sacrament. quæst.*83. *art.*3. *dub.*2. *num.*52. Contrad. *part.*2. *respons. cas. conscient. quæst.*224. Azor. *part.*1. *lib.*10. *cap.*26. *quæst.* 13. Lessius *de sacrament. quæst.* 83. *artic.* 2. *tit. de loco*, *num.* 85. *vers.* 2. Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disput.* 4. *dub.*7. *num.* 106. Marchin. *de sacrament. ordin. tractat.* 3. *cap.*10. *num.*1. Cenedus *in Collect. ad decret. collect.*153. Barbosa *de potest Episcop. allegat.*28. *n.*54. Palaus *part.*4. *oper. moral. tractat.*22. *disput.*... *part.*8. *num.*11. Tanner *tom.* 4. *summ. disput.*5. *quæst.*10. *dub.*2. *num.*19. Lugo Card. *disput.* 20. *de Eucharistia*, *n.*52. Garzia *in sum. tractat.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 2. *punct.* 4. *num.*46. Amicus *tom.*7. *Curs. Theol. disput.*33. *sect.*12. *num.* 343. Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disput.* 4. *de sacrific. Miss. difficult.*7. ver. *His ergo.* Putean. 3. *part. quæst.*83. *art.* 3. *dub.* 2. ver. *Cæterum circa finem.* Villalub. *part.* 1. *sum. tractat.* 8. *difficult.* 24. *num.* 11. Trulleoch *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 8. *dub.* 15. *n.* 3. Ludouic. à S. Ioan. *part.*1. *quæst.*11. *de Eucharist. artic.* 5. *dub.* 1. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 14. ver. *Decimo tandem.* Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.*6. *quæst.* 6. *num.* 40. Vgolin. *de censur. lib.*1. *cap.*1. *num.*2. Miranda *tom.*1. *Manual. quæst.* 39. *art.*6. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 137. Squillan. *de obligat. Cler. part.* 5. *num.*77. Delbene *de immunit. tom.* 1. *cap.* 2. *dub.*2. *sect.*2. *num.*7. Passerin. *de pollut. Eccles. disput.* 10. *cap.*1 *num.* 1.

Ratio autem est. Quia probibitio est in materia grαui, atque adeò debet iuxta regulam commuoem sumere grauitatem à sua materia, præsertim quia, aut legislator non potest leuiter obligare staote grauitate materiæ, aut saltem stante materia graui præsumitur obligare propotiiooaliter ad ipsum, nisi de opposito constet. Quod autem materia sit grauis ex eo constat, quia per pollotionem in communi existimatione Ecclesia deperdit illam babilitatem, quam in ordine ad sacrificium acquirit per consecrationem, aoi benedictionem; & quia pollotio trahit secum maculam, ideò positiuè reddit inhabilem, vt in ipsa offeratur sacrificium. Vnde offerre in ipsa lædit notabiliter reuereotiam debitam sacrificio, & magis, quàm si offerretur extra locum deputatom, quia locus non deputatus, vt esset domus priuata, aut subdio, non habet positiuum impedimentum in ordine ad oblationem sacrificij, sicut habet Ecclesia polluta. 3

Ea his colligitur, quod consecratio, vel benedictio, & pollotio comparãtur ad inuicem sicut duo contraria, quorum vnum destruit alterum: sicut enim Ecclesia per consecrationem, aut benedictionem sanctificatur, & acquirit quandam moralem qualitatem, per quam fit positiuè habilis ad oblationem sacrificij; ita per pollutionem in morali æstimatione amittit hanc sanctitatem, & habilitatem, & tanquam maculata habet positiuum impedimentum in ordine ad oblationem sacrificij. 4

Colligitur 2. Pollutionem, & interdictum differre etiam quoad effectum. Quia quamuis in eo conueniant, quod ponunt impedimentum in ordine ad celebrationem diuinorum officiorum; hæc tamen est solum conuenientia generica, quia est diuersum Impedimentum respectu vtriusque. Nam interdictum ponit solum impedimentum extrinsecum fundatum in sola prohibitione, & proiode est effectus iustitiæ punitiuæ, quæ in pœnam alicuios delicti intercedit in Ecclesiis celebrationem diuinorum officiorum, non autem est iotrinsecum ipsi Ecclesiæ. At impedimentum, quod causat pollutio, non prouenit immediatè à causa extrinseca, sed consurgit ex ipsa Ecclesia iniuriosè habita, & ex macula, qua afficitur, & ideò non potest tolli boc impedimentum, nisi per mutationem factam in eadem Ecclesia mediante aliqua benedictione. 5

Tertiò colligitor. Laicos quoque peccare posse in ordine ad celebrationem in Ecclesia polluta, vt generaliter loquens io bac materia de contrauenientibus præcepto circa Ecclesias pollutas tradit Passerin. *disput.* 10. *de pollut. Eccles. cap.* 1. *num.* 4. Ratio est, Quia prohibetur in Ecclesia pollota celebratio diuinorum officiorum, quorum præcipuum est celebratio Missæ: & proinde probibitio afficit omnes concurrentes ad celebrationem. Laici autem audientes Missam concurrunt ad celebrationem, nam sunt coofferentes, 6

Google

coofferentes, & ideo ipsi quoque peccant mortaliter, quia violant prohibitionem in eadem materia graui. Secus autem dantes eleemosyoam, aut alio modo ptocurantes celebrari Missam, oisi specialiter procurarent celebrari in Ecclesia polluta, nam tunc etiam inducerent ad peccandum, cum possit celebrari etiam in Ecclesia noo polluta; & ideo tunc non censentur cooperari violatiooi probibitioois.

QVÆSTIO 498.

Quanam pœna sit imposita celebrantibus in Ecclesia polluta.

SVMMARIVM.

1. *Celebrantibus in Ecclesia polluta secundum aliquos est imposita irregularitas.*
2. *Secundum alios suspensionis pœna.*
3. *Secundum alios pœna interdicti.*
4. *De iure nulla pœna est imposita.*
5. *Negatiua censetur probata, si non probetur contrarium.*
6. *Celebrans in Ecclesia polluta non sit irregularis,* & num. 1.
   Ecclesia polluta non est interdicta.
7. *Celebrans in Ecclesia polluta est puniendus pœna arbitraria.*
8. *Si Regularis celebret in Ecclesia polluta non propria, potest Episcopus instare,&c. pro punitione apud superiorem.*

1 PRima sententia asserit, esse impositam pœnam irregularitatis celebrantibus scienter, & absque necessitate in Ecclesia polluta. Ita Hostiens. *in cap. fin. de consecrat. Eccles.* Et ita videtur sentire etiam Gras. *part.1. decis. lib.2. cap.42. num.* 10. vers. *Nec etiam.* Verum hæc sententia statim reiicitur, cum absque vllo fundamento iotroducat hanc irregularitatem imo oppositum deciditur à Bonifac. VIII. in cap. *Is qui de sentent. excommunicat. in 6.* vbi de hoc casu interrogatus respondet, quod etsi temerariè agat, qui celebrat in Ecclesia polluta, non incurrit tamen irregularitatem, quia talis irregularitas noo est expressa in iure, & ita sentiunt communiter præsertim iofrà citandi.

2 Secunda sententia asserit, esse impositam pœnam suspensionis; & proinde si postea celebrent, fieri irregulares. Ita Azor. *part.1. lib.10. cap.26. quæst.* 16. Piasec. *part.1. Praxis Episcopi cap.5. num.5.* ver. *Ante reconciliationem.* Verùm hæc quoque sententia seipsa corruit. Quia cum suspensio sit censura, atque adeo pœna canonica, non est introducenda, oisi sit in iure expressa; vt de irregularitate dicitur in cap. *Is qui de sentent. excommunicat. in 6.* Nullibi autem in iure exprimitur pœna suspensionis cootra celebrantes in Ecclesia polluta.

3 Tertia sententia asserit, celebrantes in Ecclesia polluta incurrere pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ. Ita Lappus *in cap. Episcoporum, de Priuilegiis in 6.* Tabieoa *verbo* Consecratio §.9. Angel. *num.* 8. Sylnester *verbo.* Consecrario 2. *in fine.* Naldus *verbo.* Ecclesia *num.25.* Nauar. *in Manual. cap.25. num.94.* Vinal. *in Candel.* tit. *de suspens. num.*86. Sed hæc quoque sententia est ex illis, in quibus elausis oculis vnus sequutus est alium; neque enim habet vllum fundamentum. Nec asseri potest, imponi delicto aliquam pœnam, nisi à iure decernatur. Nullum autem ius decernit hanc pœnam celebranti in Ecclesia polluta. Et cum Bonifacius VIII. in cap. *Is qui de sentent. excommunicat.* solum dicat, quod temerariè agit, qui celebrat scienter in Ecclesia polluta, & ita excludat pœnam irregularitatis, vt non faciat meutionem alterius, satis erat, vt neque assereretur pœna interdicti ab iogressu Ecclesiæ.

Itaque dicendum est. *In iure nullam pœnam esse impositam celebrantibus in Ecclesia polluta.* Ita communiter Doctores cum Glos. in cap. *Is qui, de sentent. excommunicat. in* 6. Innocent. & alij *ibidem* Geminian. *in cap. vnic. de consecrat. Ecclesia, in* 6. Richar. *in 4. distinct. 13. art. 4. q. 1.* Scot. *qu. 2. art. 3. §. Circa primum.* Palud. *q. item. 2. art. 3. conclus. 3.* Soc. *q. 2 art. 1. argum. 2. dicto* 4. vet. *Rursus etiam adnotandum* D. Antonin. *3. part. tit. 12. cap. 6. §. 5.* Astens. *part. 2. sum. lib. 3. tit. 29. art. 3. q. 4.* Pisanel. *verbo* Consecratio, *n.* 10. Sayr. *lib. 5. Thesauri, cap. 16. n. 29.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 27. num. 7.* & *in Com. littera M.* Aula *part. 5. de censur. disp. 7. dub. 3. conclus. 3.* Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect. 2.* vers. *Sed quaret aliquis.* Facundez *precept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 14. n. 3.* Reginal. *lib. 29. Praxis fori pœnit. c. 9. sect. 5. num.* 179. Bonac. *disp. 4. de matrim. quæst. vlt. n. 26.* Coninch. *de sacram. art. 3. dub.* 1. Layman. *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. cap. 5. n. 6.* Courad. *part. 1. Respons. moral. qu.* 424. Barbosa *de Potestate Episcopi allegat. 28. n. 54.* Lugo Card. *disp. 20. de Eucharist. sect. 2. n. 52.* Megal. *tam. 2. variar. resol.* 168. *num.* 17. Bordoo. *tom. 2. consil. Regular. resol.* 89. *n.* 39. Delbene *de immunitat. c. 2. dub. 2. sect. 11. n. 22.* Thesaurus *in Praxi Eccles. part. 2. verb. sacrilegium cap. 5.* Marchin. *de sacram. Ordin. tract. 3. part. 3. cap. 10. num. 6.* Gaspar. Hurtad. *de sacram. disput. 4. de sacrific. Miss. difficult. 7.* ver. *Qui autem.* Machad. *tom. 2. lib. 4. part. 1. tract. 11. docum. 2. n. 2.* Lessius *de sacram. quæst. 83. art. 2. tit. de loco num. 85.* vers. *Notandum 2.* Putean. *3. part. q. 83. art. 3. dub. 2.* vers. *Caterum.* Villalob. *part. 1. sum. tract. 2. disput. vn. part. 8. num.* 11. Trullench. *lib. 3. de sacram. cap. 8. dub. 15. n. 4.* Ludouic. à S. Ioan. *part. 1. sum. quæst. 11. de Eucharist. art. 5. dub. 2. conclus.* 1. Dicastil. *tract. 5. de sacram. disp. 4. dub. 7. num.* 108. Tanner. *tom. 4. sum. disput. 5. quæst. 10. dub. 2. num.* 19. ver. *Non tamen.* Francisc. Lugo *de sacram. lib. 5. cap. 6. quæst. 6. num.* 41. Paa Iordan. *tom. 1. lucubrat. lib. 5. tit. 12. num.* 143. Passerin. *de pollut. Eccles. disp. 10. cap. 5. num. 4.* Garzia *in sum. tract. 3. difficult. 8. dub. 2. punct. 4. num.* 47. Quartus *in Rubr. Missal. part. 3. tit. 10. n. 1. dub. 1.* vers. *Vera ergo.*

Fundamentum pro hac resolutione desumitur ex eo, quod non potest induci aliquid tanquam à iure sancitum, oisi etiam proferatur ius sanciens, & si non profertur, remanet pars negatiua probata quod sufficit, quod non probetur cootrarium, *l. 1. C. de probat.* & obseruant Glos. *in l. 2. verbo.* Compellere. *C. de iure Emphyteut.* Ripa *in l. Ex facto, §. si quis rogatus, n. 7. ff. Ad senatuscon. Treb.* Lanfran. *in cap. Quoniam contra, num. 14. de probat.* Bald. *cons. 79. lib. 2.* Crauett. *consil. 1. in fine.* Cephal. *cons. 377. n. 11. vol. 4.* Herculao. *de probat. neg. n.* 80.

Dices. Qui celebrat in Ecclesia interdicta, sit irregularis. Ecclesia autem polluta est interdicta in ordine ad celebrationem. Miror, quod Doctores conspicui ita potuerint opinari cum in cap. *Is qui, de sentent. excommunicat. in 6.* Pontifex declaret, quod celebrans in Ecclesia polluta non fiat irregularis, & ibidem, §. *Si verò.* Quod celebrans io loco interdicto fiat irregularis. Vnde cum Pontifex distinguat inter celebrare in Ecclesia polluta, & inter celebrare in Ecclesia interdicta, & pro vno declaret, esse impositam pœnã irregularitatis & pro alio nõ esse impositã, manifestũ fit, quod Ecclesia polluta non sit interdicta, & quod aliud sit interdictũ & aliud pollutio, sicut etiam dictũ est in *præced. q. n. 5.* Vnde nec rectè ex c. *Episcoporũ, de priuil. in* 6. infertur pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ pro celebrantibus io Ecclesia polluta, quia ille tex. procedit de interdicto, quo locus aliquis seu ciuitas ligatur, & disponit contra exemptos, qui

ratione exemptionis prætendunt, se non teneti seruare interdicta impnsita ab inferioribus summo Pontifice, & his imponit pœnam interdicti ab ingressu Ecclesia.

7 Dicendum 2. *Celebrantem scienter in Ecclesia polluta esse puniendum pœna arbitraria.* Ita Calderin. *de Interdict. cap. 3. §. Nonnulls.* Canitol. *lib. 6, Resp. Moral. quest. 5n. numero 4.* Belloch. *in Praxi Theolog. moral. part. 2. quest. 4. num. 211.* Crauet. *consil. 40. num. 1n.* ver. *Qua temeritas.* Megal. *tom. 2. resolut. variar. 168. num. 17.* qoi etiam citat Tosch. Aotonel. *de regimin. Eccles. lib. 1. cap. 16. §. 4. num. 201. in fin.* Cassina *in Mistagogia, tit. 7. num. 11.* Passerin. *de pollut. Ecclesia, disput. 10. cap. 5. num. 5.* Ratio est. Quia celebratio in Ecclesia polluta est graue delictum; Vnde in cap. *Is qui. de sentent. excommunicat. in* 6. dicitur, quod ita celebtans tenete agat: ergo cum pro hoc delicto non sit à iure aliqua pœna stabilita, erit pœna arbitraria puniendum.

8 Ea quibus colligitur, quod si Regularis celebret in Ecclesia polluta non propria, habebit locum dispositio Concilij Trident. *sess. vlt. cap. 14. de regular.* & poterit Episcopus instare apod ipsius supetintem pro punitione, & præfigere terminum, intra quem puniri debeat, quod si intra præfixum terminum non puniatur, poterit ipse Episcopus punite. Hoc autem habet locum soppofito, qood celebratin sit nntoria, quia dispositin Concilij procedit solum, quando delictum est notorium. Posita autem notorietate delicti, seqoitur etiam alia conditio tequisita à Concilio, nempe quod ratione delicti Populn scandalo sit, quia dum celebrat in Ecclesia pollota, non potest non generare scandalum. Quomodo autem adimplendæ sint aliæ conditiones, quas tequirit Concil. explicaoi *in obseruat. ad Lauretum de Franchis, part. 2. num. 5.*

QVÆSTIO, 500.

An liceat celebrare in Ecclesia polluta in festis, in quibus suspenditur interdictum.

SVMMARIVM.

1. *Effectus interdicti suspenditur in aliquibus festis.*
2. *Effectus pollutionis non suspenditur in festis, in quibus suspenditur interdictum.*
3. *Cap.* Alma mater, *non disponit de pollutione Ecclesia.*
   Nec eius dispositio extendi potest ad pollutionem Ecclesia.

1 DVrante interdicto pro aliquibus festis sospenduntur ipsius effectus ex dispositione cap. *Alma mater. de sentent. excommunicat. in* 6. per qoam mitigatur rignr interdicti secundum dispnsitionem iuris antiqui, quam quidem dispositionem dicti cap. *Alma mater.* plures Doctores extendunt etiam ad cessationem à diuinis, & ideò oritur dobium, an etiam sit extendenda ad Ecclesiam pollutam, itavt in iisdem festis suspendantur effectus pollutionis, & celebrari possint diuina officia.

2 . Dicendum est. *Effectus pollutionis non suspendi in festis, in quibus suspenduntur effectus interdicti.* Et ideò non posse in ipsis celebrari Missam in Ecclesia polluta. Ita Glos. *in cap. Tuarum. verbo* Ad reconciliationem. *de priuileg.* Henriquez *lib. 13. sum. cap. 51. n. 5. in fine.* Sayt. *lib. 5. Thesaur. cap. 16. num. 30.* Villadiego *de irregularit. cap. 5. num. 10.* Auila *de censur. part. 5. disput. 7. dub. 3. conclus. 3. in fine.* Thesaur. *in praxi part. 2. verbo* sacrilegium *cap. 5.* ver. *An autem.* Francisc. Logo *de sacrament. lib. 5. cap. 6. quest. 6. num. 41, in fine.* Paa Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 5. tit. 12. n. 141.* Delbene *de immunit. tom. 1. cap. 2. dub. 2. sect. 11. n. 17.* Passerin. *de pollut. Eccles. disp. 9. c. 6. n. 4.*

Ratio est, quia dictum c. *Alma mater.* disponit tantum de interdicto; nec extenditur ad casum pollutionis Ecclesiæ: nec etiam fit extensio per alia iura. Nec etiam adest fundamentum extendendi doctrinaliter, quia extensio fundatur in identitate, aut similitudine rationis. Hic autem neutra adest, sed adest longè diuersa ratio, nam cap. *Alma mater.* loquitur de interdicto Generali, non aotem de speciali alicuius Ecclesiæ, & ideò, ne fideles careant toto anno diuinis officiis, & præsertim sacrificio Missæ, suspenduntur pro aliquibus festis effectus interdicti. At pollutio est tantum vnius Ecclesiæ. Rursus non est in potestate innocentium tollere interdictum, & ideò intuitu ipsorum principaliter suspenduntur effectus interdicti pro aliquibus diebus. At pollutio tolli potest quàm primum, vt experientia patet, & ideò non est opus tali suspensione, etiamsi in illn loco nnn sit alia Ecclesia. Deinde si suspendi possunt effectus pollutionis, potest etiam tolli pnllutio per teconciliationem Ecclesiæ. At qoando sospenduotur effectus interdicti, non ptest tolli interdictum, qnia non potest tolli, nisi cesset contumacia corum, ob quam positum est, quæ si cessaret, tolleretur interdictum, & non cessarent solum effectus ipsius. Denique quia stante pollotinne Ecclesiæ, præsertim si sit vnica in loco, potest celebrari extra Ecclesiam siue in Oratorio, sioe etiam in loco ptophann. At stante interdicto generali neque etiam extra Ecclesias celebrari potest, quia pmhibentur vniuersaliter celebrari dioina officia io illo lnco. 3

QVÆSTIO 501.

An, vt Ecclesia habeatur pro polluta requiratur Iudicis sententia.

SVMMARIVM.

1. *Sententia iudicis an necessaria, vt Ecclesia habeatur pro pollnta.* & oum. seq.
3. *Pollutio notoria non requirit sententiam iudicis.*
   Dispositum de interdicto, & aliis censuris non habet locum in pollutione Ecclesia.
   Extensio non habet locum vbi est diuersa ratio.
4. *Stante causa dubia pollutionis est necessaria sententia.*

PRima sententia doeet, Ecclesiam noo esse habendam pro pollnta, nisi accedat Iudicis sententia declarans, esse pollutam. Ita Rodriq. *part. 1. sum. cap. 154. num. 12. in fine* Basseus *in floreb. Theol. moral. verbo* Sacrilegium 1. *num.* 8. ver. *Obseruandum.* Delbene *de immunit. part. 1. cap. 2. dub. 2. sect. 2. num. 27.* Ioan. Maria Castilentus *in Polianth. moral. Theol. verbo* Consecratio Eccles. *difficult. 2.* ver. *Caterum.* Fundamentum est quia pollutio se habet per modum coiusdam censuræ, nempe interdicti, vt tradunt plures Doctores, qni eam compatant intetdicto, vt Palud. *in 4. distinct. 18. quast. 8. art. 4. conclus. 3.* Syluester. *verbo* Interdictum *4. quast. 3. distinct. 1.* Sayt. *lib. 5. Thesauri, cap. 16. num. 1.* Auila *part. 5. de censur. disput. 6. dub. 6. conclus. 3.* Iuxta autem decretum Concil. Constant. *Ad euitanda,* non tenemur vitare, seu nos abstinere à communicarione in diuinis, nisi accedente declaratione Iudicis excepto casu publicæ percussionis Clerici. 2

Secunda sententia negat, requiri sententiam Iudicis, sed sufficere quod nota sit pollotio. Ita Suarez *disput. 81.* 2

*disput.*81. *de Eucharist. sect.*4. *casu* 3. *dub.*2. *in fine*, & *disput.*37. *de censur. sect.* 1. *num.*27. Facundez *precep.*1. *Eccles.lib.*3.*cap.*14.*num.*34. Alterius *de Censuris tom.*2. *disput.*3.*de interdict.cap.*1. Lugo Card.*disp.*20. *de Eucharist. sect.* 2.*num.*55. Mazuchel.*de casib.reseruatis. disput.*6. *cap.*6.*num.*36. Francisc.Lugo *lib.*5.*de sacram. cap.*6. *quæst.*12. *num.*92.

3 Dicendum est. *Ecclesiam habendam esse pro polluta, etiamsi non interueniat sententia Iudicis, dummodo pollutio sit notoria.* Ita declarat Praxis non solum hic Romæ, vbi plures casus vidi, sed etiam in aliis ciuitatibus Italiæ, vbi similiter plures huiusmodi casu obseruaui. Ratio autem est. Quia pollutio, vt dictum est in superioribus, non est censura, & proinde neque etiam interdictum, sed differt genere ab interdicto, quia interdictum est sub genere cēsuræ, sub quo non est pollutio. Vnde pollutio non est pœna sicuti est interdictum: ergo quod dispositum est in Concilio Constantiensi circa interdictum, & alias censuras, non potest extendi ad pollutionem Ecclesiæ, quia hæc non est materia, circa quam disponat Concil. nec in ipsa militat eadem ratio, sed longè diuersa. Ratio enim Concil. finalis fuit, euitare pericula, quæ conscientiis timoratis accidere poterant circa obseruantiam censurarum, an scilicet hic, vel ille vitandus esset, an esset interdictum seruandum, vt proinde possent plures in his errare, & per consequens peccare, & proinde ad tollenda huiusmodi pericola statuit, quod nulla censura innodatus esset ab aliis vitandus, nisi præcedente sententia Iudicis. Hæc autem ratio non militat in pollutione, quia eam seruare pertinet ad solum Rectorem Ecclesiæ, ad quem spectat dirigere, quæ pertinent ad celebrationem Diuinorum Officiorum: vnde cum sit diuersa ratio, non habet locum extensio *l.Iulia.*§.6.*ff. de ritu nupt.* & notat Craueta *cons.*17.*num.*2.

4 Dices. Multoties esse dubium, an sit polluta, vt præsertim contingit in effusione sanguinis, de qua dubitari potest an sufficiat pro pollutione, & ideò necessariam esse sententiam Iudicis. Resp. Aliud esse, an stante vera, & certa causa pollutionis, sit adhuc necessaria sententia Iudicis, vt habeatur pro polluta, & aliud, vt stante causa dubia sit necessaria sententia. Primum dicit, quod iudicenda sit pollutio, quæ eum supponitur certa, & quæ proinde non obseruanda, nisi stante hoc inductione per sententiam Iudicis: secundum dicit, quod iudicandum sit de existentia pollutionis. Sed neque pro hoc secundo necessaria est Iudicis sententia, sed sufficit, si consulantur periti, & extraiudicialiter decernatur, an sit, vel non sit polluta.

QVÆSTIO 501.

An, vt non liceat celebrare in Ecclesia polluta, requiratur notorietas facti.

SVMMARIVM.

1. *Notarietas pollutionis est necessaria, vt non possit celebrari in Ecclesia polluta.*
2. *Quia pollutio fundatur in communi æstimatione.*
3. *Actio pollutiua non polluit Ecclesiam, nisi aduertatur.*
Non esse, & non apparere paria sunt.
4. *Vt polluatur Ecclesia sufficit, si actiones secundum se aduertantur, licet non tanquam pollutiua.*

1 CVm non sit necessaria Iudicis sententia declarans, Ecclesiam esse pollutam, vt non liceat amplius in ea offerre sacrificium, vt dictum est, dubitatur an, & quæ notorietas facti sit necessaria. Dicendum est. *Requiri notorietatem pollutionis, quæ sit facti, aut Iuris.* Notorietas facti habetur, quando factum pollutiuum Ecclesiæ de se est notorium, vt si coram pluribus effundatur sanguis: notorietas iuris est, non quando Iudex declarat Ecclesiam pollutā, sed quando factum pollutiuum deducitur ad forum, & reus iuridice confitetur ipsum: aut per legitimos Testes conuincitur. Ita communiter Sotus *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *art.* 3. *argum.* 2. *dicto* 4. ver. *Et est hic.* Syluester *verbo* Consecratio 2. *quæst.*5.*cap.*3. Nauar.*cap.*27. *Manual. num.* 256. Sà *verbo* Ecclesia, *num.* 19. Lessius, *lib.*4. *de Iustit. & Iur. cap.* 3. *dub.*2. *num.*86. Graf. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 27. Victoria *in summ.* Tit. *de Eucharist.num.*99. Rodriquez *part.*1. *summ. cap.* 154. *conclus.* 11. *num.* 12. Azor. *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 5. *quæst.* 2. Sayr. *lib.* 5. *Thesaur. cap.* 16. *num.* 10. Suarez *disputat.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *casu* 3. *dubio* 2. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. libr.* 3. *cap.* 14. *num.* 33. Sanchez *lib.* 9. *de matrimon. disputat.* 15. *num.* 11. Reginald. *lib.* 29. *Praxis fori pænit. cap.* 9. *sect.* 5. *num.* 183. Lugo Cardinal. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.* 2. *num.* 55. Delbene *de immunit. tom.* 1. *cap.* 2. *dub.*2. *sect.* 3. *num.* 22. Passetin. *de pollut. Eccles. disput.*4. *cap.* 1. *num.*4.

Ratio est. Quia pollutio inducit maculam moralem in communi hominum existimatione, quatenus scilicet decernente iure apprehenditur violata illa sanctitas loci, quæ ei impertita fuit, vel per consecrationem, vel per benedictionem. Hæc autem communis existimatio debet habere suum fundamentum, quod non potest esse aliud, quàm notorietas actionis pollutiuæ, nam si notoria nun sit, non potest causare communem opinionem. 2

Ex quibus colligitur. Quod licet in Ecclesia plena populo sequatur actio aliqua de se pollutiua Ecclesiæ, sed non aduertatur, Ecclesiam non esse censendam pollutam, vt aduertit etiam Passer. *de pollut. Eccl.disp.*4. *c.*2.*n.*4. Nam cum ad inducendum pollutionem requiratur notorietas actionis pollutiuæ, quæ inducat opinionem de maculata sanctitate loci, si non aduertantur, non causabit hanc opinionem, atq; adeo eodem modo se habebit, ac si essent secreta imo etiā, si aliqui aduerterent, dummodo numerus non sufficeret ad reddendum factum publicum, neque adhuc adesset notorietas sufficiens pro inducenda pollutione. Nec obstat, quod factum, quantum est de se, sit notorium tanquam gestum coram multitudine, quia quoad hunc effectum se habet tanquam si non esset gestum, siquidem non esse, & non apparere paria sunt *l.Duo sunt litis, ff. de testam.tut.* & *l.Cum rei.* §.*Itaque, ff.de leg.*1. & obseruant Abbas *cons.*18.*init. n.*2. Viuina *decis.*34. *n.*1. Guil. *obseruat.*105.*n.*1.4. *lib.*1. Cacheran. *decis.Pedem.*129.*num.*9. Rota *decis.*167.*num.*35. *part.*1. *Recent.* 3

Secundo sequitur contra Passetin.*disp.*4.*de Pollut. Eccles. cap.*4.*n.*4. sufficere pro inducenda pollutione, quod actiones secundum se aduertuntur, nec necessariam esse, quod aduertantur tanquam sufficientes ad inducendam pollutionem, quia pollutio depēdet quidem à publicitate actionum, sed non dependet ab eo, quod aduertantur tanquam sufficientes ad polluendam Ecclesiam, & proinde sufficit, quod aduertatur substantia actionis: vnde si effunderetur sanguis corā pluribus rudibus, qui nescirent, quid esset pollutio Ecclesiæ, aut quæ actiones essent pollutiuæ adhuc Ecclesia pollueretur. Et ratio est: quia istæ actiones habent à se, quod sint pollutiuæ Ecclesiæ, cum Ita à iure dispositum sit: non autem ab opinione, seu aduertentia hominū, quod tales sint, & solū requiritur notitia, per quā sint publicè secundū suam substantiā, & 4

ideò semper polluent, siue aduertantur tanquam sufficientes ad polluendum siue non aduertatur ista sufficientia. Vnde non licèt arguere, si actiones sint insufficientes ad polluendam Ecclesiam, non polluent, licet aduertantur ergo neque polluent, licet sint sufficientes, sed non vitales aduertantur: nam in primo casu à negatione causæ negatur effectus: in secundo à negatione aduertentiæ ad sufficientiam causæ negatur effectus.

QVÆSTIO 502.

An in dubio, quod Ecclesia sit polluta, sit abstinendum à celebratione Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Pollutio Ecclesia potest esse dubia ex diuerso capite.*
2. *In dubio Ecclesia an habenda pro polluta.*
3. *In dubio fuit, Ecclesia non est habenda pro polluta.*
   Super facto dubio non potest proferri sententia certa.
4. *Si dubium sit iuris, an Ecclesia iudicanda polluta.*
   Ex iure dubio non potest deturbari possessio certa.
   In pari causa fauendum possidenti.
5. *Possessio manutenenda quousque constet de contrario iure.*
6. *Ecclesia non potest sine sufficienti fundamento priuari celebratione.*
   Dispositio de irregularitate ex homicidio dubio applicabilis pollutioni Ecclesiæ.
7. *Ecclesia iudicata polluta est tanquam spoliata restituenda, si reperiatur non fuisse, aut pollutionem esse dubiam.*

1 DVbium de pollutione Ecclesiæ oriri potest ex diuerso capite. Nam dubium esse potest, & quoad factum, & quoad ius. Quoad factum dubia erit pollutio, si dubium sit an sit facta actio pollutiua Ecclesiæ, seu si constet de actione, an sit facta in Ecclesia, quia si non sit facta in Ecclesia, non erit pollutiua, quia non erit iniuriosa Ecclesiæ. Quoad ius verò potest esse dubia. Primò sit dubium sit, an actio ex natura sua, sit pollutiua; secundo si certum sit, quod actio ex natura sua sit quidem pollutiua, vt est effusio sanguinis, sed dubium sit, an habeat illas circunstantias, quæ necessariæ sunt, vt polluat; vt si dubium sit, an effusio sanguinis sit in magna quantitate, aut an actio pollutiua sit publica.

2 Quod in dubio Ecclesia non sit habenda pro pollutiua, tradunt absolutè Facundez *precept.1. Eccles. lib. 3. cap. 14. num. 15.* Sayt. *lib. 5. Thesaur. cap. 16. num. 7.* Megal. *variar. resolut. 168. num. 7. tom. 2.* Delbene *de immunitate tom. 1. cap. 2. dub. 2. num. 53.* Passerin. *de pollut. Eccles. disput. 1. cap. 20. num. 4.* vbi latè.

3 Si igitur, dubium se teneat ex parte facti, ita vt dubium sit quomodocunque, an facta sit pollutio, iudicandum est, quod non sit facta. Ratio vniuersalis est quia super facto dubio non potest proferri certa sententia, cap. *Graue. 11. quæst. 3.* & cap. *Indicantem 3. quæst. 5.* & cap. *Habuisse. distinct. 33.* & §. *Illud quæsitum. instit. de reg. diuis.* & §. *Curare. instit. de act.* Si igitur factum pollutionis est dubium, & Ecclesia iudicatur, & decernitur polluta, profertur sententia certa super facto incerto, quæ licet non sit iudicialis, facit tamen, quod Ecclesia habeatur pro polluta, & operatur eundem effectum, ac si esset iudicialis.

At si dubium sit ex parte iuris, adhuc iudicandum est, Ecclesiam non esse pollutam. Ecclesia enim possidet iustitia notoria suam necessitatem acquisitam ex benedictione, vel consecratione, & ideò ex iure dubio non debet deturbari sua possessione, sicut iniqua esset sententia, quæ iustum possessorem ex iure dubio deturbaret possessione. Nam etiam in pari causa fauendum est potius possidenti. *l. Apud celsum. §. Marcellus. ff. de dol. mali except.* & *l. Si seruum. §. Sequitur. ff. de verbor. obligat.* & *l. fin. Cod. de rei vendic.* & adest regula iuris, quod in pari causa fauendum est possessori cap. *In pari de reg. iur. in 6.* 4

Ex quo fit, quod Ecclesia manutenenda sit tanquam non polluta, quousque constet de pollutione, quia possessio est vnicuique manutenenda, donec de contrario iure constet cap. *penult. de instit.* & *l. Arianus. ff. de act.* & latè Alciat. *De præscript. regul. vltim. præsumpt. 43. per totam.* Quod præsertim verum est quia agitur de fauore Ecclesiæ atque adeò de publica vtilitate quæ inest fauore Ecclesiæ; & manutentioni Diuinorum Officiorum, & ideò sequenda est opinio quæ magis fauet Ecclesiæ, vt tradunt Bart. & cæteri Doctores *in l. 1. §. 1. ff. solut. matrimonio.* 5

Dicens. Stante dubio de pollutione, si abstineatur à celebratione Missæ nullum adest periculum; si verò celebretur adest periculum irrogandi irreuerentiam sacrificio; dum fieri potest, quod offeratur in loco polluto. Vnde videtur habere locum dispositio cap. *Significasti 2. de homicid.* Resp. Si celebretur, non adesse quidem periculum vllum, attamen irrogari posse iniuria Ecclesiæ, dum sine sufficienti fundamento priuatur celebratione Diuinorum Officiorum, & sua sanctitate. In secundo verò casu, hoc est si celebretur, neque adest periculum, quia cum Ecclesia non polluatur nisi in ordine ad moralem æstimationem, nec etiam irrogatur irreuerentia sacrificio, nisi offeratur in Ecclesia, quæ polluta sit in ordine ad moralem æstimationem, non est autem talis stante dubio; & ideò, si in ea celebretur, expellitur dubium, & nulla fit irreuerentia sacrificio. Vnde casus est diuersus, ac in dicto cap. *Significasti 2.* Quia ibi Pontifex consideratur, quod dubius de homicidio potest reuera esse homicida atque adeò irregularis, etsi celebraret, adesset periculum, quod homicida offerret sacrificium. 6

Ex dictis colligitur, quod si Ecclesia habita pro polluta, reperiatur, non fuisse pollutam, aut dubium fuisse, an fuerit polluta siue ex parte facti, siue ex parte iuris, tanquam iniustè spoliatam esse restituendam pristino statui, quia sumus in extraiudicialibus, in quibus non licet deturbare aliquem sua possessione. Et quamuis extraiudicialiter iudicandum sit de pollutione Ecclesiæ, in dubio tamen non potest iudicari polluta, & ideò tanquam spoliata suo iure, restituenda est cap. *fin. de ordine cognitionum,* & cap. *Conquerente, de restitut. spoliat.* & cap. *Venerabili. de officio delegat.* 7

QVÆSTIO

QVÆSTIO 503.

Quid faciendum si dùm celebratur Missa polluatur Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Si polluatur Ecclesia relinquenda Missa si Canon non sit cœptus.*
2. *Si Canone cœpto moneatur celebrans de pollutione Ecclesiæ, debet continuare.*
3. *In Canone, incipit sacrificium.*
4. *Superueniente pollutione Ecclesia diuina Officia imperfecta relinquenda.*
5. *Celebrans cœpto Canone non potest relinquere Missam.*
6. *Celebrans debet certiorari de pollutione, & interim suspendere Missam.*

1 DIcendum est. *Si dum celebratur Missa, polluatur Ecclesia relinquenda est Missa, si Canon non sit incœptus. Si verò cœptus sit, est complenda.* Ita communiter Graff. *part.*1. *decis.lib.*2.*cap.*41.*n.*11.Vgolin. *de potest.Episc.part.*2.*cap.*29.§.7.*num.*3. Zanard. *in direct.cap.*14.*de Eucharist.in fine.* Alter. *de censur. tom.*2. *disput.*3. *c.*3.*in fine.* Suarez *disp.*81. *de Eucharist.sect.*4. *in fine.* Facundez *precepr.*1. *Eccles.lib.*3.*cap.*14.*num.*7. Reginald.*lib.*29.*praxis fori,pœnit.num.*179.Barbosa *de potest.Episc.allegat.*28.*n.*63.Coninch.*de sacram.qu.*83. *art.*2.*dub.*1.*n.*236.Layman.*lib.*5.*Theol.moral.tract.*5. *cap.*5.*n.*13. Stephanus à S. Gregor. *de sacram. lib.*3. *cap.*31.*num.*25.Mazuchel. *de casib.reseru.disp.*2.*cap.*6. *difficult.*2. *num.*83. Delbene *de immunit. tom.*1. *cap.*2. *dub.*2.*sect.*12. Bonac. *de matrim.quæst.*4.*par.vlt.n.*24. Franciscus Lugo *lib.*5.*de sacram.cap.*6. *quæst.*12.*n,*97. Trulleneb. *lib.*3.*de sacram.cap.*8. *dub.*15. *n.*16.Passer. *de Pollut.Eccles.disp.*9 *cap.*27.

2 Desumitur autem ex Rubr. Missal. *de defect.* §.10. *num.*2.vbi ita disponitur. *Si Sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante Canonem dimittatur Missa : si post Canonem, non dimittatur.* Tunc autem incipit Canon, quando dicitur, Te igitur Clementissimè. Ex quo fit; quod si Sacerdos celebrans protulisset tantom primum verbum Canonis, quando ei innotescit de pollotione Ecclesiæ, deberet continuare celebrationem quia iam est Canon incœptus, & quamuis primum verbum non faciat sensum, & proinde non videatur propriè cœptus Canon; attamen quia pronunciatur in ordine ad subseqnentia verba inchoat etiam sensum, & ideo valet absolutè, quod sit incœptus Canon.

3 Ratio autem est. Quia, quæ præscribontur ante Canonem, sunt solom precationes quædam, & præparationes pro oblatione sacrificij: in Canone autem incipit oblatio sacrificij, non quidem secundum suam essentiam, quæ consistit in consecratione, vt dictum est suo loco, sed quoad verba, quibus substantia sacrificij veluti exornatur. Et ideo in Canone censetur incipere sacrificium, quia incipit secundum preces, quibus vestitur. Cum igitur cœpto Canone sit incœptum sacrificium, non obstante pollutione Ecclesiæ debet perfici;præponderat enim quod sacrificium cœptom non relinquatur imperfectum obseruantiæ legis de pollutione Ecclesiæ. Ante Canonem autem, quia non est incœptum Sacrificium non est vlterius prosequendum, quia prænalet lex de violatione Ecclesiæ.

4 Ex his colligitur cætera omnia diuina officia,esse imperfecta relinquenda, si superueniat pollutio Ecclesiæ, vt notant etiam Doctores *num.*1. citati, nam in bis non adest illa ratio, quæ militat in sacrificio, vt non debeat imperfectum relinqui, nam cætera diuina officia consistunt in puris precibus, quæ recipiunt diuisionem per partes, & ideo nihil refert. Si omittantur partes aliquæ, & aliæ recitentur; existimo tamen, quod si parum aliquid superesset pro complendo officio, quod celebratur, quod posset compleri; nam paruitas materiæ excusaret à peccato graui; & causa non relinquendi imperfectum Officium cœptum etiam à veniali.

5 Colligitur secundo cum Villalob. *part.*1. *summ. tract.*8.*difficult.*24.*num.*13. Non esse in potestate Sacerdotis relinquere sacrificium, si Canon cœptus sit, quia si cedit lex de pollutione Ecclesiæ, quia maior est exigentia sacrificij, vt compleatur, quàm legis, vt obseruetur, iam si non continuaretur, fieret contra hanc exigentiam, quæ cum sit grauis, vtpotè cui lex de pollutione cedit, grauiter peccaretur. E contra verò, si Canon non sit cœptus tenetur incœptam Missam relinquere, alloquin violaret legem de pollutione & peccaret mortaliter.

6 Colligitur tertiò. Quod, si dum celebrat Sacerdos, & nondùm Canon sit incœptus, audiat pollutam esse Ecclesiam debere tantisper intermittere, donec certiorari possit. Quod si facta diligentia non certioretur de pollutione, prosequi poterit, quia non debet in dubio relinquere celebrationem, sed donec certus sit, cum sit in possessione celebrandi, debet manuteneri, nec in dubio, iuxta superius dicta, habenda est Ecclesia pro polluta. Quod si aliquos audiat dicentes, Ecclesiam esse pollutam, alios verò dicentes, non esse pollutam, cum habeat testimonia pro vtraque parte poterit, quam libuerit, sequi, & proinde continuare poterit celebrationem.

QVÆSTIO 504.

Vbi celebrandum vrgente necessitate an in Ecclesia polluta, an potius extra loca deputata.

SVMMARIVM.

1. *Potius extra loca deputata, quàm in Ecclesia polluta celebrandum secundum aliquos.*
2. *Oppositum tamen est probabilius.*
3. *Cur aptior Ecclesia polluta, quàm locus non deputatus pro celebratione.*
4. *Ecclesia polluta retinet suam sanctitatem, licet maculatam, & habilitatem, vt sit locus sacrificij, licet impeditam.*

1 SI contingat casus, quod celebrandum sit, nec alibi celebrari possit quàm in Ecclesia polluta, aut extra loca deputata dubitatur, vbinam potius celebrandum sit. Quod potius celebrandum sit extra loca deputata, quàm in Ecclesia polluta tradunt Gauant. *in Manual.Episc.verbo* Ecclesiæ reconciliatio *n.*9. Barb. *de potest.Episcopi alleg.*28.*n.*61.Pax Iordan. *tom.*1.*lucubrat. lib.*5.*tit.*12.*n.*152. Passerin. *de pollut.Eccl.disp.*9. *ca.*26.*n.*4.Fundamentum est.Quia Ecclesia polluta est positiuè inhabilis pro celebratione,locus autem non deputatus est tantom negatiuè inhabilis, vnde habet minorem obsistentiam.

2 Verù existimo quod oppositum tenendum sit, quod videtur sentire cōmuniter Doctores,dum concedunt quod vrgēte necessitate saltē de licentia Episcopi celebrari possit in loco polluto, quod non possit admitti, si potius esset celebrandum in loco non deputato: nam semper adesset huiusmodi aliquis locus decens, & ideorum posset Episcopus concedere licentiam

celebrandi in loco polluto, si potius deberet concedere io loco non deputato.

3 Ratio autem est. Quia locus non deputatus pro oblatione sacrificij nullam habet habilitatem, vt sit locus aptus pro sacrificio, nec vllo modo est deputatus pro hac functione. At locus consecratus, aut benedictus ex eo, quod polluatur, non amittit deputationem pro cultu diuino, quia remanet deputatio auctoritatiua qua primo deputatus fuit obsequiis diuinis. Nec amittit esse sacrum, sed tantum in sua sanctitate maculatur: & ideò remanet in ipso habilitas positiua tam ratione auctoritatiuæ deputationis, quàm ratione consecrationis, seu benedictionis, & solum superuenit impedimentum, quod impedit actum huius habilitatis, quæ tamen remanet in habitu, licet impedita, quia scilicet Ecclesia non polluitur secundum se, sed in hominum existimatione, & ideò secundum se semper remanet Sancta: ergo cum sit habenda ratio maioris, vel minoris habilitatis, potius erit celebrandum in Ecclesia polluta, quàm in loco non deputato, quia illa habet positiuam habilitatem, licet impeditam, esse verò nullam habet habilitatem. Impedimentum verò vrgente necessitate suspenditur, quia lex cedit necessitati, Cap. *Concilium, de obseruat. ieiun.* Cap. *Non minus, de immunit. Eccles.* & Cap. *fin. de fer.* & Cap. *Nemo, de reg. iur. in 6.*

4 Confirmat. Sacerdos canonicè impeditus, retinet suam consecrationem, atque adeò potestatem Sacerdotalem, & solum impeditur exercitium huius potestatis, itavt si exerceat, validè exerceat, licet peccet: ergo etiam Ecclesia polluta retinebit suam sanctitatem, & habilitatem in ordine ad oblationem, & solum impedimentum passiuum exercitij ipsius; si tamen exerceatur validè exercebitur, hoc est, adhibebitur, tanquam locus sacer, & deputatus oblationi sacrificij. Siquidem pollutio est canonicum impedimentum impediens exercitium, seu vsum passiuum talis loci: ergo si ratione necessitatis est celebrandum, potius in Ecclesia polluta, quàm in loco non deputato erit celebrandum, quia Ecclesia polluta recipiet oblationem sacrificij ad hoc tanquam ad huoc effectum deputatus, & consecratus.

QVÆSTIO 505.

An de iure aliquando liceat in Ecclesia polluta celebrare Missam.

SVMMARIVM.

1. *De iure potest aliquando celebrari in Ecclesia polluta.*
   Ecclesia polluta statim reconcilianda.
2. *Concesso fine conceduntur etiam media.*
   Tempore interdicti conceditur celebratio semel in hebdomada ob renouandam Eucharistiam.
3. *Non tamen solemniter.*
4. *Nec in Ecclesia interdicta, aut polluta licet solemniter celebrare ob renouandam Eucharistiam.*
5. *Publicè an possit celebrari.*
6. *Quando celebratur ob renouandam Eucharistiam non potest populus admitti.*

1 Dicendum est. *Quando in Ecclesia polluta solet asseruari Eucharistia in ordine ad ministrandum viaticum, posse singulis hebdomadibus celebrari Missam ad renouandam Eucharistiam.* Ita Vgolin. *de potestate Episcopi, part. 2. cap. 29. §. 7. num. 1. in fine.* Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 5. tit. 12. num. 147.* Passerin. *de pollut. Eccles. disput. 3. cap. 24. num. 4.* Casus tamen non ita facilè occurrere poterit, quia Ecclesiæ pollutæ statim reconciliandæ sunt, iuxta Cap. *fin. de consecrat. Eccles. vel Altar.*

Ratio autem est. Quia de iure licita sunt media necessaria ad finem, & quando conceditur finis conceduntur, etiam media omnia necessaria ad ipsum, *l. 2. de iurisdict. omn. iud.* vbi communiter Doctores. Vnde etiam tempore interdicti io hunc eundem effectum renouandi Eucharistiam conceditur celebrare Missam semel in hebdomada, in Cap. *Permittimus, de sentent. excommun.* Ergo etiam in Ecclesia polluta celebrari poterit semel in hebdomada pro renouanda Eucharistia, quia hoc est medium necessarium pro ipsa conseruanda, in ordine ad ministrandum viaticum. 2

An autem liceat solemniter celebrare, hoc est cum Diacono, Subdiacono, cantu, &c. Resp. negatiuè cum Passerino *disput. 9. de pollutione Eccles. cap. 25. num. 5.* Quia de iure conceditur celebratio quatenus necessaria pro renouanda Eucharistia; non est autem necessaria cum tali solemnitate, & aliàs huiusmodi solemnitas est aliquid de diuinis Officiis prohibitis in Ecclesia polluta; vnde celebraretur aliquid prohibitum absque necessitate, & proinde contra legem, quæ solum concedit necessitati, atque adeò solum tantum, quantum necessitas exigit. 3

An autem possit publicè celebrari; an verò celebrari debeat ianuis clausis, affirmat idem Passerin. celebrari posse publicè, ita *disput. 9. de pollut. Eccles. cap. 15. num. 4.* Ratio est. Quia hæc celebratio est licita de iure ratione necessitatis renouandi Eucharistiam: ergo secundum eam mensuram licita, secundum quam exigit necessitas, quia non plus potest esse in causato, quod sit in causa. Necessitas autem non exigit publicam celebrationem. Nec est eadem ratio, quando celebratur in Ecclesia polluta, vt fideles audiant Missam, quia tunc necessitas exigit, in præsenti casu, vt supponitur. 4

Accedit etiam, quod celebrari, & admitti fideles ad audiendam Missam sunt diuersa; cum vnum possit esse sine alio: ergo ex eo, quod necessitas faciat licitum vnum, non potest dici, quod faciat licitum alterum. Imò in dict. Cap. *Permittimus, de sentent. excommunicat.* conceditur solum semel in hebdomada celebrari pro renouanda Eucharistia, sed ianuis clausis, quia scilicet publica celebratio non est necessaria pro fine intento: ergo cum in præsenti ex eadem prorsus causa, finali concedatur, concedetur solum secundum eandem mensuram, & non plus, atque adeò ianuis clausis. 5

QVÆSTIO 506.

An ex causa necessitatis concedere possit Episcopus, vt celebretur in Ecclesia polluta.

SVMMARIVM.

1. *Ex causa necessitatis potest Episcopus concedere licentiam celebrandi in Ecclesia polluta.*
2. *Episcopus potest dare licentiam celebrandi in quocunque loco.*
3. *Episcopus dispensare potest in sacris canonibus ex causa necessitatis, & quando.*
4. *Dispensari potest celebratio in Ecclesia polluta ex causa alicuius solemnitatis.*

Dicendum est. *Ex causa necessitatis posse Episcopum concedere licentiam celebrandi in Ecclesia polluta.* Ita communiter D. Thom. *3. part. quæst. 83. art. 3.* 1

art.3. ad 2. in fine. Sotus in 4. distinct. 13. quæst. 2. art.3. argument.2. dicto 4. ver. Ais verò. Victoria in sum. tit. de Eucharist. num.99. Henriquez lib. 9. sum. cap.27. num.7. Rodriquez part.1. sum. cap.154. n.15. Auila de censur. pars.5.disput.7. dub.3. conclus.2. Sayr. lib.5. thesaur. cap.16. num. 29. Suarez disput. 81. de Eucharist. sect.4. ver. His positis. Naldus in sum.verbo Ecclesia, num.26. Facundez precept. 1. Eccles. lib. 3. cap.14. num. 2. Reginald. lib. 29. praxis fori pœnit. num. 179. Miranda tom. 2. Manual. quæst.39. art.6. Victorel. ad Tolet.lib.5. cap.8. Barbosa de potest. Episcop. allegat.28. num.54. & 64. Layman. lib.5. Theol. moral. tract.5. cap.5. num.13. Lugo Cardin. disp. 20. de Eucharist. sect.2. num.63. Marchin. de sacrament. Ordin. tract.3. pars. 3. num. 2. Lessius de sacrament. quæst. 83. art. 2. tit. De loco, num.85. ver. Notare 2. Tanner. tom.4. disput.5. quæst.10. dub.7. num. 24. ver. Similiter. Gaspar. Hurtad. de sacrament. disput. 4. de sacrific. Miss.difficult.7. ver. Hic ergo, in fine. Ludouic. à S. Ioan. in sum. quæst.11. de Eucharist. art.5. dub.1. difficult.1. Villalob. part. 1. sum. tract. 8. difficult. 24. num.11. Trullench. lib.3. de sacrament. cap.8. dub.15. num.5. Auersa quæst.11. de Eucharist. sect.14. ver. Decimo tandem. Garaia in sum. tract.3. difficult.8. dub.2. part.4. num.48. Francisc. Lugo de sacrament. lib.5. cap.6. quæst.6. num.42. Pax Iordan. tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.12. num.151. Gabr. à S.Vincent. de sacrament. disp.3. de sacrif. Miss. quæst.3. quæsito 5.

2 Hoc autem ex eo prob. Quod Episcopus potest dare licentiam in quocunque loco celebrandi, Cap. Missarum, Cap. Hic ergo, de consecrat. dist.1. Quæ tamen ratio aliquibus non videtur efficax, quia est quid minus dare licentiam celebrandi in loco non deputato. Sed esse quid maius constat ex dictis in superioribus. Ex eo capite non videtur efficax, quia potest dare quidem licentiam celebrandi in quocunque loco, sed decenti, & honesto, qualis non videtur Ecclesia polluta.

3 Ratio ergo ex eo petenda est quod in casu necessitatis potest Episcopus dispensate in sacris Canonibus, quando dispensatio non est prohibita, aut reseruata à iure, vel consuetudine: hoc enim requirit rectum regimen, vt sit sufficienter prouisum populis, præsertim quando non est permissus recursus ad summum Pontificem, vt in præsenti casu, in quo necessitas ipsum non permittit. Et quod facultas dispensandi in hoc casu sit apud Episcopum, declarat praxis ipsa. Et quia, sicut Episcopus est exequutor legis, ita etiam potest vti epicheia, quando ita ratio exigit, & declarare, quod tunc adsit sufficiens causa non seruandi legem, stante ergo facultate dispensandi potest ex iusta causa dispensare, & dum dispensat, sicut tollit obligationem legis, ita etiam suspendit eius effectus, & proinde in illo casu locus non habetur pro polluto, nec pro indecenti, & non honesto, quia relaxata obligatione legis, locus non subiicitur ipsi, atque adeò nec eiusdem effectibus.

4 Ex dictis infertur quod stante aliqua solemnitate, in qua exerceretur deuotio populi erga talem Ecclesiam potest Episcopus dispensare, nam non solum concurreret maior vtilitas, sed etiam maior reuerentia. Cum enim in signum reuerentiæ diuinorum mysteriorum non celebretur in Ecclesia polluta, hoc signum non est opportunum, quando perturbat deuotionem populi, & specialem cultum.

QVÆSTIO 507.

An aliquando sine licentia Episcopi liceat in Ecclesia polluta celebrare.

SVMMARIVM.

1. *In Ecclesia polluta aliquando sine licentia celebrari potest.*
2. *Epicheia, quando locum habeat.*
   Lex cedit necessitati.
   Id censetur dispositum, quod disponens verisimiliter expressisset, si cogitasset.
3. *Quæ necessitas requiratur, vt liceat celebrare sine licentia in Ecclesia polluta.*
4. *Sufficit tamen si necessitas probabiliter soluat obligationem.*

Dicendum est. *Posse aliquando celebrari in Ecclesia polluta absque licentia Episcopi.* Ita Suarez disput.81. de Eucharist. sect.4. ver. His positis. Rodriquez part.1.sum.cap.154.num.15. Facundez precept.1. Eccles. lib.3. cap.14. num. 2. Reginald. lib. 29. praxis fori pœnit. num.179. Lugo Cardin.disp.20. de Eucharist. sect. 2. num. 63. Marchin. de sacrament. Ordin. tract.3. pars. 3. cap. 10. num. 2. Lessius de sacrament. quæst.83.art.2. Tit. de loco, num.85. ver. Notandum 2. Tanner. tom.4. disput.5. quæst.10. dub.2. num.24. ver. Similiter. Luduuic. à S. Ioan. in sum. quæst.11. de Eucharist. art.5. dub.1. difficult.1. Garaia in sum. tract.3. difficult.8. dub.2. punct.4. num.48. Trullench. lib.3. de sacrament. cap.8. dub.15. num. 5. Auersa quæst. 11. de Eucharist. sect.14. ver. Decimo tandem. Francisc. Lugo lib.5. de sacrament. cap.6. quæst.6. num.42. Delbene de immunit. tom.1. cap.2. sect.10. num.21. 1

Ratio autem est. Quia quando vrget necessitas, & non potest recurri ad superiorem, & lex vrget, vt obseruentur, habet locum epicheia, quia respiciendo ad mentem legislatoris iudicamus, noluisse comprehendere illum casum, ex eo, quod noluisset obligare contra necessitatem. Quia cum lex cedat necessitati, Cap. Non minus, de immunit. Eccles. & Cap. Consilium, de obseruat. ieiun. vt Cap. fin. de feriis, præsumitur, quod ipse quoque voluerit legem suam illi cedere. Rursus. Quia id censetur dispositum, quod disponens expressisset verisimiter, si cogitasset, aut interrogatus fuisset, vt obseruant communiter Doctores Castrens. in Auth. Nisi rogati, num. 3. Cod. ad Trebel. Corn. consil. 253. num. 6. ver. Hanc etiam, lib.4. Dec. consil. 159. num.4. ver. Etiam ideò. Ludouis. decis. 301. num. 9. 2

Est tamen aduertendum, quod, vt liceat celebrare in Ecclesia polluta absque licentia, est necessaria talis causa, seu necessitas, quæ de se soluat obligationem legis. Nam quando adest causa solum sufficiens pro dispensatione, debet interuenire dispensatio, quæ soluat obligationem legis, quæ non obstante causa durat, & ideò tunc non potest sine licentia non seruari lex. Vt igitur possit non seruari necesse est, quod obligatio dissoluatur pro illo casu ab ipsa causa. Et ideò debet necessitas esse euidens necessitas, quia, vt docent communiter agendo de dispensatione, aut in communi, aut in hac, vel illa materia, requiritur causa euidens, vt non sit necessaria dispensatio. Ita D. Thom. 1.2. quæst.147. art.4. in corpore. Gabr. in 4. distinct.16. quæst.3. art.1. not.3. Palat. dist. 15. disputat. 8. post conclus. 4. §. Obseruandum est autem. Angel. verbo Ieiunium, num.20. Rosel. num. 25. Nauar. in Manual. cap.21. num.21. Azor. part.1. lib.7. cap.18. quæst.2. 3

Vt

4 Vt autem causa necessitatis soluat obligatinnem legis, non est necessarium, quod sit causa cetto soluens, sed sufficit, quod probabiliter soluat, seu quod sit causa necessitatis soluens probabilitet obligatinnem legis, vt in alia materia loquens, tradit Palaus *part.1. oper.moral.tract.3.disput.5. §.2.n.4.* Nam cum in iis, quæ iuris sunt, sequi possimus opinionem improbabilem, si causa probabiliter soluat legis obligationem, sequi possumus hanc probabilem opinionem solutionis, & habere pro soluta dictam obligationem, præsertim quia cum simus in moralibus, non potest esse euidens solutio obligationis.

QVÆSTIO 508.

Quanta debeat esse necessitas, vt Episcopus concedere possit licentiam celebrandi in loco polluto.

SVMMARIVM.

1. *Quando non adsit necessitas celebrandi in Ecclesia polluta.*
2. *Pro licentia celebrandi in Ecclesia polluta requiritur grauis causa.*
3. *An sufficiat, vt populus possit audire Missam.*
4. *Requiritur, causa grauis sed ordinaria.*
5. *Dispensatio celebrandi in Ecclesia polluta ordinatur ad magnum bonum.*
6. *Quando vt populus possit audire Missam liceat celebrare in Ecclesia polluta.*
7. *Ne omittatur cultus considerabilis potest dispensari, vt celebretur in Ecclesia polluta.*
8. *Consuetudo celebrandi in Ecclesia polluta ob sepulturam hæretici, quomodo saluetur.*

1 SVpponendum est. Nunquam posse, adesse sufficientem necessitatem celebrandi in Ecclesia polluta, quando sine graui incommodo in aliis Ecclesiis celebrari potest. Et quamuis Regulares non deceat accedere ad alienas Ecclesias pro celebranda Missa, possunt tamen iuxta ipsorum priuilegia erigere Oratoria, & Capellas intra septa Conuentus, & ibi celebrare. Vnde neque quoad ipsos adest necessitas dispensandi, vt celebrent in Ecclesia polluta. Quanta autem debeat esse necessitas, vt dispensari possit, non conueniunt Doctores.

2 Prima sententia asserit, requiri grauem causam, seu necessitatem. Ita Henriquez *lib.9.summ.cap.27.num.7.* Facundez *precept.1. Eccles. lib.3. cap. 14. n.2.* Suarez *disputat.81.de Euchar. sect.4.* vers. *His positis.* Rodriquez *part.1.sum. cap.153.num.18.* Auila *par.5. de censur. disput. 7. dub.3. concl.2.* Reginald. *lib. 29. praxis fori pœnit.cap.9. sect.5. num.179.* Tannet.*tom.4. disp.5. quæst.10. dub.2. num.24.* vers. *Similiter.* Trullench. *lib.3. de sacram. cap.8.dub.15.num.5.* Marchin. *de sacram. Ordin. tract.3.part.3.cap.10.num.2.* Naldus *in sum. verbo* Ecclesia, *num.* 26. Quia scilicet est dispensatio in lege graui.

3 Secunda sententia non requirit ita grauem causam, & vult sufficere causam, vt Populus possit audire Missam in die festo, quando scilicet, non potest commodè alibi audire. Ita Sotus *in 4. dist. 13. qu.2. art.3. argum.2. dicto 4. §. Ait verò.* Lessius *de sacrament. quæst.83.art.2.* tit. *De loco num.85.* vers. *Notandum 2.* Garzia *in sum. tit.3.difficult.8. dub.2. punct.4. num.48.* Ludouic. à S. Ioan. *in sum. quæst.11. de Eucharist. art.5. dub.1. difficult.1.* Qui vult posse celebrari in Ecclesia polluta, quando potest celebrari extra Ecclesiam. Auersa, *quæst. 11. de Eucharist. sect. 14.* vers. *Decimo tandem.* Franscisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 6. quæst.6. numer.42. in fine.* Delbene *de immunitat. tom. 1. cap.2. dub.2. sectione 10. num. 21.*

4 Dicendum est. *Vt dispensari possit pro celebratione in Ecclesia polluta, requiri quidem causam grauem, non tamen ita grauem, vt non sufficiat ordinaria in genere graui.* Ratio est. Quia agitur de dispensatione in lege purè Ecclesiastica, & quæ non est de reseruatis, sed saltem de consuetudine commissa est Episcopis. Ergo non requiritur causa grauior, quàm requiratur pro dispensatione in cæteris legibus ordinariis, in quarum dispensatione, non adest specialis difficultas.

5 Confirm. In cap. *fin. de consecrat. Eccles.* Pontifex vult, quod Ecclesia polluta statim reconcilietur, ne suspendantur Organa diuinæ laudis. Ergo censet, quod pollutio Ecclesiæ impediat aliquid magni momenti, vt proinde velit statim tolli. Ergo si contingat, quod non possit statim reconciliari, ne suspendantur diutius organa diuinæ laudis, & impediatur bonum cultus Diuini poterit dispensari, vt celebretur in Ecclesia polluta. Præsertim quia talis dispensatio cedit in bonum Ecclesiæ, quia restituitur suo splendori; cedit in bonum diuini cultus, quia restituitur in illa Ecclesia: cedit in bonum fidelium, quia acquirunt commoditatem diuinorum officiorum in illa Ecclesia: vnde agitur de dispensatione maximè fauorabili.

6 Ex dictis colligitur. Quod si contingat in die, in quo Missa audienda sit de præcepto, Ecclesiam esse pollutam nec possit reconciliari, nec adsit alia Ecclesia, ad quam Populus possit commodè accedere, esse sufficientem causam, vt dispensari possit ad celebrandum in ipsa. Nam ex vna parte concurrit obseruantia legis de pollutione & ex alia cultus Deo exhibendus ab illo populo per sacrificium, qui secundum substantiam est debitus de iure naturæ, licet secundam determinationem ex præcepto Ecclesiæ. Est autem præferendus iste cultus tanquam quid maioris momenti, præsertim quia plures ob incommoditatem accedendi ad alium locum omittetent exhibere. Hinc si Ecclesiæ Monialium polluantur, nec pro die festo possint consecrari, in fortiori erit sufficiens causa dispensandi, cum non possint audire Missam in alio loco.

7 Colligitur 2. Quod quotiescunque agitur de aliquo cultu Dei, qui sit alicuius considerationis, quia aliàs esset omittendus, erit sufficiens causa pro dispensatione. Ratio est. Quia pollutio Ecclesiæ est inducta ob cultum Ecclesiæ, vt scilicet ostendatur, quanti facienda sit reuerentia debita Ecclesiis, quando ratione actionum, quæ iniuriam inferunt habetur pro maculata in sua sanctitate. Non debent autem, quæ propter cultum introducta sunt, cultum impedire, vt in hac materia speciali desumitur ex dicto capit. *fin. de consecrat. Eccles.* cum iubeat Pontifex statim reconciliari, ne impediatur cultus diuinus resultans ex celebratione diuinorum officiorum.

8 Tertio colligitur. Saluari consuetudinem Germaniæ, & aliorum locorum, vbi Hæretici mixti sunt cum Catholicis, & sepeliuntur in Ecclesiis, celebrandi in dictis Ecclesiis absque præmissa reconciliatione, vt obseruant Suarez, Facundez, Garzia, & alij ex citatis *num.2. & 3.* Nam id fit ex præsumpta licentia Episcoporum, quia sumus in casu necessitatis, quæ facit ipsam præsumi, & quamuis erat Lugo Cardin. *disput. 20. de Eucharist. sect.2. num.96.* quod non deberet censeri polluta Ecclesia, quia non sunt nominatim denunciati. Attamen quia notoriè profitentur sectam Hæreticam damnatam, sunt notoriè excommunicati, & ideo iis non prodest Decretum

cretum Concilij Constantiensis, cum inter vitandos ponat etiam notoriè excommunicatos, prout ipsum refert Suarez *disputatione 9. de censur. sectione secunda, numero secundo*, ibi: *Aut si aliquem ita notoriò excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari.* Valet tamen opinio opposita, si admittatur quod dicta extrauag. aliter se habeat, & loquatur solum de notorio percussore Clerici, sicuti eam refert D. Antonin. *tertia parte, tit. 25. cap. 4.* nam tunc non sunt vitandi cæteri excommunicati, licet notorij, & ideò Ecclesiam non polluunt in ea sepulti.

QVÆSTIO 509.

An si contingat in Ecclesia polluta celebrari, remaneat reconciliata.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia non polluitur in se, sed in hominum opinione.*
   Diuersa ratio de Ecclesia, nec etiam benedicta, ac de polluta.
2. *Pollui Ecclesiam in hominum opinione, quid sit.*
3. *Bona, vel mala fides nil confert ad reconciliationem Ecclesiæ pro celebratione.*
4. *Ecclesia polluta an remaneat reconciliata per celebrationem*, & num. seq.
6. *Ecclesia polluta per subsequentem celebrationem quomodo remaneat reconciliata.*
7. *Celebratio restituit Ecclesiæ, quod amisit per pollutionem.*
8. *Pro reconcilianda Ecclesia requiritur oblatio sacrificij.*
9. *Oblatio sacrificij dignificat Ecclesiam.*
10. *Celebratio priuati Sacerdotis quomodo possit reconciliare Ecclesiam.*
11. *Ecclesia reconciliata per celebrationem indiget reconciliatione Rituali.*
12. *Cur Ecclesia polluta per celebrationem rehabilitetur, & non suspensus*, &c.
13. *Celebrans in Ecclesia polluta, in qua prius celebratum fuit, non peccat.*

1 PRo resolutione difficultatis est aduertendum, quod est diuersa ratio de Ecclesia polluta, ac de Ecclesia nondum benedicta, aut consecrata in ordine ad solutionem præsentis difficultatis. Nam Ecclesia non benedicta, aut non consecrata nullam habet sanctitatem, cum nondum ab aliquo illam acceperit: & ideo, vt celebratio sacrificij posset eam reddere non indigentem consecratione, oporteret, quod illi communicaret hanc sanctitatem: Ecclesia verò polluta adhuc retinet suam sanctitatem, quia non polluitur in se, sed solùm in hominum opinione, vt notant Durand. *libro primo Rational. diuinor. officior. capite sexto, numero* 33. Abbas. *in cap. proposuisti numero quinto, de consecrat. Eccles.* Graf. *part. 1. decis. libro secundo capite quadragesimo octauo, numero vigesimo secundo.* Vgolin. *de potestate. Episcop. capite vigesimo nono § tertio.* ver. *Excipitur.* Gambarup. *de casibus reseruat. casu 6. numero primo.* Barbos. *de potestate Episcopor. allegat.* 28. *numero* 20. Cuius rei ratio est. Quia quæ sancta sunt, coinquinari non possunt, cum coinquinatio veniat solum ex libera actione. Ita expressè in Cap. *Quidem 1. quæstio. 1.* & cap. *fin. 15. quæst. vltim.* & Cap. *Vestra, de cohabitat.*

Cler. Vnde, vt possit per celebrationem Missæ reconciliari, non est necesse, quod celebratio possit ipsi conferre sanctitatem, sed sufficit, quod possit tollere pollutionem in ordine ad hominum opinionem.

Secundo est aduertendum. Pollui secundum hominum opinionem, non esse aliud, nisi quod pol- 2
luens faciat id, quod quantum est de se, pollueret Ecclesiam, si esset capax pollutionis. Ita Glos. *in cap. vnic. verbo.* Pollui. *de consecrat. Eccles. in 6.* quam sequuti sunt Vgolin. *de potestat. Episcopor. cap. 29. §.1. numero primo.* Zechius *de sacrament. tractat. de Missa cap.7. in fine*, Pax Iordan. *tom. 1. lucubrat. lib.5. tit. 11. numero tertio.* Passerin. *de pollut. Ecclesiast. dispensat. cap.7. numero quarto.* Vnde huiusmodi pollutio est potius actiua, quàm passiua, quia non est passiua, nisi quatenus recipitur in hominum apprehensione. Cum enim fiat in Ecclesia aliqua ex illis actionibus, quas ius sanciuit esse pollutiuas Ecclesiæ, & homines cum videant, apprehendunt, Ecclesiam pollui; & reddi inhabilem, vt in ipsa celebrentur officia diuina.

Tertio est aduertendum. Quod pro solutione huius difficultatis, non est recurrendum, ad bonam, 3
vel malam fidem, cum qua celebratur Missa in Ecclesia polluta, quia nihil prorsus confert, vt in simili dixi in *decis. moralib. decis. 45. numero* 10. & notant etiam Layman. *libro 5. Theol. moral. tract.5. cap. 15. numero* 13. Garzia *in summ. tractat. 3. difficult. 8. dub. 2. part.4. numero* 49. Licet enim bona fides excuset à peccato, & mala sit fundamentum peccati, attamen non immutant naturam Sacrificij, & ideo si de se habet vim reconciliandi Ecclesiam, habebit etiam, siue ipsum concomitetur bona, siue mala fides.

Prima sententia negat, per oblationem sacrificij in Ecclesia polluta remanere reconciliatam. Ita 4
Layman. *libro 5. Theolog. moral. tractat. 5. capit. 5. numero* 13. Sayr. *lib.5. de censur. cap.16. num.11.* Facundez *precept.1. Eccles. lib. 3. cap.2. numero 15.* Portel. *in dub. Regular. verbo* Ecclesia, *num.5.* Lugo Cardin. *de Eucharist. disputat. 20. num.62.* Faust. *de Eucharist. lib. 2. quæst. 238.* Francisc. Lugo *de sacrament. lib.5. cap.6. quæst.12. numero 99.* Garzia *in summ. tractat. 3. difficult. 8. dubio secundo, parte quarta numero 49.* Piasec. *in Praxi Episcopor. parte prima, capite quinto, numero 5.* Et ita etiam videntur sentire, qui dicunt quod potest Episcopus dare licentiam, quod in ipsa celebretur, donec reconcilietur, quamuis possent explicari iuxta inferius dicenda. Prob. Si in Ecclesia non consecrata, aut non benedicta, offerretur sacrificium, non indigeret amplius consecratione, aut benedictione. Secundo nullum ius tribuit oblationi sacrificij hanc vim, ergo cum reconciliatio sit introducta à iure facienda est cum forma præscripta à iure, quia sine causa non potest induci effectus. Sic quia pollutio est inducta à iure non induitur, nisi per causas à iure præscriptas.

Secunda sententia asserit reconciliari per oblationem sacrificij. Ita Castro *de legat. pœnit. libro se-* 5
cundo disputatio penult. capite vltim. post 3. conclus. Henriquez *libro nono, summ. capite vigesimoseptimo, numero sexto.* Graf. *cons. 1. numero decimo, de consecratio. Ecclesiastic.* Sà *verbo.* Ecclesia, *numero decimonono.* Zerola *in Praxi parte prima*, vers. *Pollutio Ecclesiastic. not. 5.* Auila *parte quinta, de censur. disputatio septima, dubio tertio.* Naldus *verbo* Ecclesia, *numero vigesimoquarto*; Bonacin. *de matrimonio, quæstio quarta, puncto vltimo, numero vigesimoseptimo.* Franciscus de Nigro *in Addit.* ad Ruiz.

parte sexta. animaduer. 8. numero quarto. Matchin. *de sacrament. Ordinat. tractat. 3. part. 3. capite 13. numero tertio.* Marchant. *in Quest. Pastoral. tractat. 5. capite octauo.* vers. *Hinc resolue.* Delbene *tom. 1. de immunitat. capite secundo, dubio secundo, sectio 11. numero sexto*, Tannet. *tom. 4. disput. 5. quæst. 10. dub. 2. numero 36.*

6 Dicendum 1. *Ecclesiam pollutam per subsequutam oblationem sacrificij remanere reconciliatam substantialiter.* Et hoc pacto accipiendum est, quod dixi *in decis. moral. decis. 45.* Et enim duplex reconciliatio, alia substantialis & alia ritualis. Substantialis est illa, quæ restituit secundum substantiam, quod oblatum est per pollutionem. Ritualis verò est illa, quæ fit certa forma, & ritú præscripto ad inducendum legali, & iuridico modo effectum reconciliationis.

7 Quod autem remaneat reconciliata substantialiter, ea eo deducitur; quia oblatio sactificij restituit Ecclesiæ secundum substantiam, quod amisit per pollutionem. Cum enim per pollutioné non amisetit suam sanctitatem, vt dictum est, sed solum in opinione hominum habeatur pro polluta, itavt non censeatur amplius ratione maculæ idonea, quod in ista offeratur sacrificium, dum in ipsa offertur, ex facto oblationis quamuis alias illicito, apprehenditur rehabilitata ad recipiendam oblationem sacrificij quod reuiuiscat sanctitas loci, quæ veluti remanebat mortificata. Siquidem per huiusmodi factum restituitur pristino vsui, respectu cuius erat impedita.

8 Confir. Pro reconcilianda Ecclesia requiritur inter alia oblatio sacrificij, quæ iuxta præscriptum Pontificalis, & Ritualis Romani fit post nonnullas preces recitatas, & aspersiones aquæ exorcizatæ, siue benedictæ, & fit vltimo loco tanquam pro complemento reconciliationis. Vnde Glos. *in cap. Ecclesiæ verbo*, celebrantur, *de immunitate Ecclesiæ* habet, quod si in Ecclesia non sint celebrata diuina officia, nondum plenè dedicata videtur diuinis obsequiis, & idem ibi sacrilegium non committi: ergo cum oblatio sacrificij sit præcipuum inter diuina officia, & etiam magis principale inter omnia, quæ interueniunt in reconciliatione, oportet etiam, quod habeat præcipuam vim reconciliandi Ecclesiam.

9 Confir. 2. Ideo apprehenditor Ecclesia polluta per actiones pollutiuas, quia apprehenditur irreuerenter tractata, iudicatur quasi decidisse ab illa dignitate ratione cuius censebatur locus idoneus pro oblatione sacrificij. Sed ea hoc, quod in ipsa post pollutionem offeratur sacrificium restituitur suæ dignitati, & restituitur reuerentia debita: nam ex hoc fit quod apprehēdatur dignificata à sacrificio, & restituta suo decori, siquidē oblatio sacrificij est omnium actionū dignissima, & sanctissima, & habet vim dignificandi, sicut omnia alia dignificatina, sic anima dignificat corpus, quia in ipso recipitur, & anima sancta dignificat magis specialiter corpus, vt proinde ex hoc corpora sanctorum sint speciali veneratione digna. Quæ enim sancta sunt sanctificant recipientia, omnium autem sanctissima est oblatio sacrificij, & ideo facta in Ecclesia polluta præbet sufficiens fundamentum apprehendendi, quod ipsi restituatur pristina dignitas, & reuerentia.

10 Dices. Id admitti non posse, quia non fit auctoritatiuè. Ad tollendam autem pollutionem requiritur auctoritas Ecclesiæ, sicut eius auctoritate fuit introducta pollutio. Contra. Si simplex Sacerdos reconciliet Ecclesiam simpliciter benedictam remanebat reconciliata, licet peccaret quia id faceret sine licentia Episcopi: & tamen non reconciliaret auctoritatiuè, secundo saltem remanebit substantialiter reconciliata, si de licentia Episcopi in ipsa celebret, Tertio. Sacerdos offert sactificium, non in persona propria, sed in persona Ecclesiæ, & Christi ita vt Christus sit principalis offerens, & oblatio sactificij est actio publica: ergo, cum in persona Christi, & Ecclesiæ offeratur à ministro publico, quidquid consurgit ex oblatione sactificij est quid publicè ab Ecclesia & Christo auctorizatum atque adeò etiam reconciliatio Ecclesiæ.

Dicendum 2. *Ecclesia polluta reconciliata substantialiter per oblationem sacrificij indiget reconciliatione rituali, vt sit perfectè, & integrè reconciliata.* 11
Ratio est. Quia quando Ecclesia præscribit faciendum aliquid cum certis ritibus & cæremoniis, si fiat sine ipsius, debent postea suppleri, vt constat in Baptismo, qui si conferatur priuatim requirit postea, quod suppleantur solemnitates. Hic etiam in matrimonio priuatim celebrato, suppletur postea solemnis benedictio nuptiarum: ergo licet Ecclesia polluta remaneat reconciliata per celebrationem, supplendi postea tamen sunt ritus reconciliationis, vt integre remaneat reconciliata secundum ritum Ecclesiæ.

Dices. Si suspensus, aut interdictus exerceat actum à quo suspenditur, vel interdicitur, non rehabilitatur, ergo neque si celebretur in Ecclesia polluta, rehabilitabitur, quia est veluti suspensa, & interdicta à tali actu. Resp. esse diuersam rationem, quia Ecclesia se habet passiue respectu celebrationis, exercens verò actiuè respectu actus à quo est suspensus, seu interdictus: & ideo non debet reportare beneficium, & violationem suspensionis, aut interdicti si autem instetur, quod Ecclesia interdicta non restituitur per celebrationem in ipsa; ergo neque polluta. Resp. Esse disparem rationem. Quia interdictum non officit Ecclesiæ secundum se sed tantum consistit in extrinseca prohibitione, quæ proinde dependet ab aliena voluntate, at pollutio in opinione hominum officit Ecclesiæ secundum se, & consistit in maculatione propriæ sanctitatis, & ideo, vt tollatur, sufficit, si depellatur macula. Celebratio autem est sufficiens ad eam depellendam, vt constat ex dictis. At non habet vim immutandi voluntatem manutenentem interdictum. 12

Ex dictis colligitur, quod si quis celebraret in Ecclesia polluta, in qua prius post exequutam & notificatam pollutionem fuisset celebratum, secluso scandalo non peccaret. Ratio est. Quia iam tanquam substantialiter reconciliata facta est habilis, vt in ipsa celebrari posset & cum cessauerit ad reconciliationem substantialem prohibitio celebrandi, quia cessauit pollutio quoad substantiam, cessauit impedimentum, ratione cuius non poterat in ipsa celebrari. 13

DE



DE CONSECRATIONE ECCLESIARVM.

VM consecratio Ecclesiarum instituta sit, vt locus sit speciali modo sanctificatus, & Deo dicatus, atque adeò habeat specialem habilitatem, vt in eo offeratur sacrificium, ideò de ipsa agendum est tanquam de præparatione pro loco sacrificij.

QVÆSTIO 510.

Quid requiratur, vt possint Ecclesiæ erigi, & consecrari.

SVMMARIVM.

1. *Pro consecranda Ecclesia erat antiquitus necessaria licentia Summi Pontificis.*
2. *Temporis progressu non fuit amplius necessaria.*
3. *Regulares exempti, an indigeant licentia Episcopi pro erigenda Ecclesia.*
4. *Regulares habentes Monasterium non indigent licentia pro Ecclesia erigenda.*
5. *Regulares an pro erigenda Ecclesia indigeant licentia Pontificis.*
6. *Virtute priuilegiorum non indigent.*
7. *Neque priuilegijs obstant recentiera Decreta.*
8. *Vigere Concilij Tridentini sufficit sola licentia Episcopi.*
9. *Modò ex dispositione Innocentij X. requiritur licentia Apostolica Sedis.*
Aliàs erectio est nulla.
Et regulares subsunt omnimodæ iurisdictioni Episcopi.

1 SVpponendum est de iure antiquo fuisse necessariam licentiam Summi Pontificis pro erigenda, & consecranda Ecclesia. Ita sanciuit Gelasius Papa relatus in cap. *Basilicas, de consecrat. dist.* 1. ibi: *Basilicas nouiter institutas non petitis ex more preceptionibus dedicare non audeant*, & in c. *Locorum*, & in cap. *Precepta ead. dist.* idem sancitur; sicut etiam in cap. *Ecclesia, ead. item dist.* Nicolaus Papa idem repetit, ibi: *Iuxta sacra decreta, nec ipsa debet absque preceptione Papæ Basilica nouiter construi.* Hoc autem antiquitus seruabatur, quia raræ admodum erigebantur Ecclesiæ.

2 Supponendum 2. Temporis progressu erectionem, & consecrationem Ecclesiarum non fuisse amplius de reseruatis Summo Pontifici, sed sufficiens fuisse, quod Episcopus loci concederet licentiam, hanc tamen fuisse necessariam. Cap. *Nemo, de consecrat. dist.* 1. & constat etiam ex Authent. *de Eccles. tit.* §. *Si quis autem*, & ex Authent. *Vt deter. numerus Cler.* §. 1. Imò in Cap. *Auctoritate, de priuileg. in* 6. hoc extenditur etiam ad exemptos, itavt non possint erigere Ecclesias in locis non exemptis sine consensu Diœcesani; & in exemptis sine licentia Papæ, vel eiusdem priuilegio. Et ita notant communiter Doctores Glos. *in dict. cap. Nemo*, vbi etiam Archidiacon. & cæteri in dict. cap. *Auctoritate.* Angelus *verbo* Ecclesia, *num.* 5. Syluester *verbo* Ecclesia 2. *quæst.* 1. Tabiena *num.* 4. Azor. *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 3. *quæst.* 2. D. Antonin. 3. *part. tit.* 12. *cap.* 2. §. 2. Piasec. *in praxi Episcop. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 1. Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 20. *initr.* plures citans. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 8. *num.* 13.

3 An autem etiam Regulares exempti indigeant licentia Episcopi, vt possint erigere, & consecrare suas Ecclesias. Dicendum est. *Esse necessariam tam iure veteri, quàm de iure nouo.* De iure quidem veteri, quia ita statuitur ab Alexandro IV. in Cap. *Auctoritate, de priuileg. in* 6. & de iure nouo, quia Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 3. *de Regul.* statuit. Nac de cætero similia loca erigantur, sine Episcopi, in cuius Diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta. Et ita obseruant communiter Glos. & Doctores in dict. Cap. *Auctoritate.* Item Glos. *in cap. Cum olim* 2. *verbo* Reuocari, *de priuileg.* Ostiens. *ibid.* Card. *numero tertio*, Abbas *numero nono*, Butrins *numero* 56. Palud. *in* 4. *distinct.* 13. *quæstione* 2. *articulo* 3. *conclus.* 1. *in fine.* Angelus *verbo* Ecclesia, *numero* 5. Tabiena *numero* 4. Armilla *numero quinto.* Syluester *verbo* Ecclesia 2. *numero* 2. D. Antonin. *tertia parte, tit.* 22. *cap.* 2. §. 3. Azor. *parte secunda, libro nono, capite tertio, quæstione secunda.* Rodriquez *quæst. regul.* 23. *art.* 7. & *quæst.* 49. *articulo* 3. *tom.* 1. Zerula *in praxi, part.* 1. *verbo* Monachi, §. 1. & 2. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæstione* 33. *artic.* 1. *conclus.* 3. Piasecus *in praxi, parte secunda, cap.* 3. *num.* 41. Campanil. *in diuer. iur. Rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 80. Cochier. *de iurisdict. Ordinar. exempt. part.* 1. *quæst.* 36.

4 Hoc autem intelligitur, quando monasterium simul, & Ecclesiæ sunt erigendæ; nam si haberent Monasterium, & vellent Ecclesiam erigere, non indigerent noua licentia, quia est concessa, cum pro Monasterio concessa est, tanquam de eo, quod venit in necessariam consequentiam. Et ideò si haberent Regulares Ecclesiam exiguam, & vellent amplam erigere, non indigerent alia licentia.

5 An autem vltra licentiam Episcoporum sit etiam necessaria licentia Summi Pontificis, vt possint Regulares erigere, & consecrare Ecclesias, quod intelligitur simul cum Monasterijs annexis, affirmant Campanilis *in diuer. iur. Rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 80. *in fine*, alias citans Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 26. *num.* 4. Nouar. *in practic. conclus. noui iur. Pontific. conclus.* 1. *alias* 10. *numero quarto.* Zerula *in praxi, parte prima, verbo* Monachi, §. 1. Ricciua *decis.* 169. *num.* 4. *part.* 4. Tamburin. *de iure Abbat. disput.* 5. *quæst.* 1. *num.* 3. *tom.* 1. Ventiglia *in pract. anot.* 16. *num.* 17. Quod tamen non habet locum, nisi quoad Mendicantes, quod solum quoad ipsos, ita decernitur in cap. 1. *de excessibus Prælat.* & in Clement. *Cupientes, de pœnis*; non autem quoad Monachos, qui non veniunt in odiosis nomine Mendicantium.

6 Virtute tamen priuilegiorum poterant absque licentia Summi Pontificis erigere Ecclesias, & Monasteria cum sola licentia Episcopi; vt notant Rodriquez *quæst. regular.* 23. *art.* 7. *tom.* 1. Lezana *in sum. verbo* Monasteria, *numero quarto.* Cespedes *de exemptionib. regul. capite primo, dubio* 2. *numero* 2. Nouar. *in practic. conclus. noui iur. Pontific. conclus.* 1. *alias* 10. *num.* 4. Donat. *in praxi rer. regul. part.* 2. *tit. de ædificandis Monasterijs, quæst.* 13. *numero* 14. Quæ priuilegia fuerunt concessa à Paulo V. Carmelitis *anno* 1605. *in sua Constitut.* 10. quæ incipit, *Ad Ecclesia, & anno* 1618. Monachis Fuliensibus *in Bulla incipiente Monasterio.* Quæ priuilegia derogant iuri communi, quatenus requirit licentiam Pontificis.

7 Neque obstant Decreta recentia circa erectionem Ecclesiarum, & Monasteriorum, quia non reuocant licentias, indulta, & priuilegia circa fundationem nouorum Monasteriorum, nisi quatenus

contraria sunt iis, quæ in ipsis disponũtur. Nam suot autem cootraria, quatenus requiraot licentiã Summi Pontificis. Cum de hoc nullam faciant mentionem: sed solum quatenus, præscribuot certam formam, & solemnitatem seruandam in nouis erectionibus, & proinde remanent priuilegia io suo robore, quatenus eximant à petenda licentia à Summo Pontifice.

8 Verum quod etiam absque priuilegiis stante dispositione Cooeilij Tridentini *sess. 25. capite tertio, de regularibus*, sufficiat sola licentia Episcopi, tradunt Cespedes *de exempt. Regul. capite primo, dubio secundo, numero quarto.* Nouar. *in praxi noni iur. Pontific. conclus.* 1. alias 10. *numero* 8. Alter. Nouar. *in sum.* Tit. *de ædificand. Monaster.* Donat. *in praxi rer. Regul. parte* 2. *titulo* 1. *de ædificand. Monaster. quæstione* 14. Rota *decis.* 143. *parte secunda, Recent.* asserens, hodie hanc facultatem esse tributam Episcopis, qui in ea fuodanrur, quod Concil. Trident. *loco citat.* totum hoc negotium delegauerit Episcopis. Quod videtur confirmari etiam per recentiora decreta, de quibus *num. præcedens.* dum præscribunt nouam formam, & solemnitatem seruandam, oec requirunt licentiam Summi Pontificis.

9 Attamen nec priuilegia, nec dispositio Concilij Tridentini amplius iuuant ob omniom recentissimam dispositionem Innocentij X. *anno* 1652. *Idibus Octobris, quæst.* 28. huius Pontificis *in Bullar.* vbi §. 5. statuit, quod absque licentia Romanæ sedis oon possint quicunqoe Regulares erigere nouas Ecclesias, & Mooasteria cum forma ibi præscripta seruata. Ita enim habet: *Constitutiones felicis record. Bonifacij VIII. quæ incipit*, Cum ex eo, *necnon Clementis VIII. incipientem: Quoniam ad institutam aliorumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum super erectione nouorum Conuentuum editas eorundem tenorem innouantes illisque addentes hoc perpetuò prohibemus edicto, ne deincepe aliquis Regularium Ordinum Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis Iesu in aliqua ciuitate, castro, villa, seu loco ad habitandum domos, vel loca quæcunque de nouo recipere, seu Monasteria Conuentus, vel Collegia incipere, vel fundare præsumat absque Sedis Apostolicæ licentia speciali plenam, & expressam faciente de prohibitione huiusmodi mentionem in scriptis, & gratis concedenda præuia examinatione Congregationis negotijs Episcoporum, ac Regularium præposita. Si secus egerint eo ipso incurrant pœnas priuationis, & inhabilitatis, vt supra inflictas, & nihilominus receptiones, fundationes, & erectiones sint ipso iure nulla, & inualida, & domos, ac loca ipsa, & personæ in eis degentes omnimodæ iurisdictioni, visitationi, correctioni ordinarij loci plena in omnibus subiaceant.* Ex qoibus saris constar, quod oecessaria sit licentia Sedis Apostolicæ, præsertim quia amplissimæ derogatoriæ, quibus vtitur, derogat quibuscunque priuilegiis. Plura autem alia, quæ concernunt præsentem materiam examinaui, *in obseruat.* ad Laureot. de Franchis *part.* 1. *numero* 476. *& sequentibus.*

QVÆSTIO 511.

An, & à quo Ecclesia benedicenda sit.

SVMMARIVM.

1. *Benedictio Ecclesiæ, an necessaria, vt possit in ipsa celebrari.*
2. *Celebrans in Ecclesia non benedicta an peccet.*
3. *Ecclesia benedici potest à quocunque Sacerdote de licentia Episcopi.*
4. *Benedicens Ecclesiam sine licentia Episcopi an peccet.*
5. *Regulares benedicere possint proprias Ecclesias, &c.*
6. *Libere vti possunt priuilegio quoad hoc.*
7. *Generales Ordinum communicantium in priuilegijs, an possint benedicere primum lapidem, & fundamenta Ecclesiæ.*

Difficilis est vsus huius priuilegij.

Qvia Ecclesiæ consecratio difficilis est, & ideò non statim, ac est constructa, consecrari potest, ideò solet præmitti benedictio, quovsqoe postea consecrari possit. Vnde in Ritoali Romano inter benedictiones ponitur etiam benedictio pro noua Ecclesia. An autem hæc benedictio sit necessaria, vt possit in ea offerri sacrificium, videtur negare Abbas *in cap. fin. num.* 3. *de celebrat. Missar.* dum asserit, quod sufficit licentia Episcopi, cum qua erigitur, cum per hanc remaneat deputata ad diuinas laudes. Asserit tamen Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 81. vet. *Si tamen*; quia Rituale ita statuit. Verum hoc decretum noo reperio in Rituali nouo, sed solum in Rubric. huius benedictionis dicit, *Vt ibi Missæ sacrificium celebrari possit*, quod potest accipi de potentia secundum congrucotiam, non secuodum necessitatem. Attamen quia Ecclesia est locus publicè deputatus pro oblatione sacrificij, ideò videtur oecessaria benedictio tanquam ritus, in quo consistat ista publica deputatio; nam auctoritas Episcopi, com qua erigitur auctorixat quidem erectionem, non tamen deputat formaliter pro oblatione sacrificij, sed tantum ordinat ad ipsam. Siquidem deputatio formalis consistit io communicatione alicuius sanctitatis, vt habet D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 3. *ad* 3. 1

An autem si quis in Ecclesia celebret antequam benedicatur, peccet. Seclusо contemptu benedictionis modo noo videtur peccare mortaliter. Nam vsus obtinuit, vt offerri soleat sacrificium io Oratoriis non benedictis, qualia sunt omnia priuata, & ea eriguntur intra Monasteria Regularium, & in eorundem grangiis, hospitiis, &c. Vnde sacrificium neque de se, oeque secundum ritum Ecclesiæ exigere videtur, vt offeratur in loco benedicto: & proinde nulla fit ioiuria sacrificio, si offeratur in Ecclesia noodom beoedicta; neque etiam ipsi Ecclesiæ eum ex tali oblatione remaneat dignificata. Neque etiam violatur aliqua lex, quæ grauiter id prohibeat. 2

A quo autem sit benedicenda resp. Posse benedici à quocunque Sacerdote de licentia Episcopi, vt desumitur ex Rubric. præfixa huic Benedictioni Ritual. Romani. Requiritur autem licentia Episcopi, noo ad validitatem benedictionis, quia, cum sit simplex benedictio, oon excedit potestatem Sacerdotalem, sed vt ipsius auctoritate deputetur oblationi sacrificij tanquam locus publicus, & Deo dicatus. Et ideò facultas benedicendi sequitur Sacerdotalem potestatem. Vt autem exerceri possit, requiritur licentia Episcopi tanquam si vsus sapiat exercitium iurisdictionis. 3

4 Ex qoo fit, quod si Sacerdos absque Episcopi licentia benediceret aliquam Ecclesiam, grauiter peccaret, quia sibi vsurparet id, quod oon est in ipsius facultate, & mitteret falcem in alienam messem; quod cum contingat in re graui, & publica, grauiter lædit potestatem Episcopalem. Cum enim agatur de deputando loco pro oblatione sacrificij, atque adeò in ordine ad publicum cultum, spectat hoc ad munus Episcopi, ad quem pertinet dirigere ea, quæ sunt cultus diuini. Quare, qui id præsumeret

punìri

puniti posset pœna extraordinaria ab eodem Episcopo.

5 Ex priuilegio tamen Regulares habentes communicationem priuilegiorum benedicere possunt omnes Ecclesias, Cæmeteria, & Capitola sui Ordinis. Et hanc benedictionem exercere possunt non solum Generalis, sed etiam Visitatores, Prouinciales, & eorundem vices gerentes. Ita concessit Iulius II. Fratrib. Minimis. Magis autem amplum priuilegium concessit Leo X. Fr. Min. nam non solum id concessit Generalibus, & Prouincialibus, sed etiam Guardianis, & Custodibus pro tempore existentibus. Imò concessit etiam Capitulo Generali quod possit aliquos deputare, qui valeant Ecclesias Ordinis benedicere. Vtrumque Priuilegium habet, *in Compend. Priuileg. Mendicant. verbo* Benedicere, *num.* 12. *&* 14.

6 An autem possint Regulares liberè vti hoc priuilegio, difficultatem facit Henriquez *lib.* 13. *sum. cap.* 51. *num.* 5. *in comment. littera E.* restringens vsum, quando Ordinarius nimis distat. Verum cum priuilegium absolutum sit, & vniuersale pro omnibus Ecclesiis benedicendis, non videtur, quid impediat liberum vsum ipsius; & sicut liberè vtuntur priuilegio benedicendi vestes sacras, & corporalia, non video, cur etiam isto priuilegio liberè vti non possint.

7 Est etiam aduertendum, quod Generales Ordinum communicantium in priuilegiis possunt Pontificali more benedicere primum lapidem; & fundamenta Ecclesiæ construendæ. Ita Cœlestinus V. concessit suæ Religionis Generali, vt refert *Compend. Priuileg. S. Mariæ Fuliensis,* Tit. *Ecclesia,* §. 4. & Peregrin. *in Compend. Priuileg. Cler. Regul. part.* 2. Tit. *Ecclesiæ,* §. 1. Quia tamen Generalis non semper est præsens. Ideò Regulares vti possunt alio priuilegio, per quod Leo X. in Concilio Lateranensi concessit Fratrib. Minorib. quod si Episcopus loci bis, aut ter cum debita reuerentia, & instantia requisitus sine legitima causa recuset ponere primarium lapidem; possint poni facere per alium Episcopum. In vsu tamen huius priuilegij oriri possunt plures difficultates, nimirum, an Episcopus absque iusta causa recuset, an obstet Concilium Tridentinum prohibens exercitium pontificalium Episcopis in altera Diœcesi, & aliæ huiusmodi, vnde in praxi parum poterit inseruire. Et ideò melius erit, aut procurare, quod Episcopus id committat Sacerdoti ordinario, nam est functio, quæ non excedit potestatem Sacerdotalem, aut videre, an Generalis habens facultatem benedicendi possit alteri delegare, quæ enim conueniunt ex priuilegio, conueniunt ordinaria potestate, & ideò delegabilia sunt.

QVÆSTIO 512.

A quo sit consecranda Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia est consecranda ab Episcopo.*
2. *Ex institutione tamen Ecclesiæ.*
3. *Ecclesia dedicanda ab Episcopo proprio loci.*
4. *Episcopus alterius Diœcesis non potest consecrare Ecclesias.*
5. *Priuilegium Leonis X. circa consecrationem Ecclesiarum Regularium.*
6. *Alienus Episcopus consecrans Ecclesias validè consecrat.*
   Est tamen puniendus.
   Pœna imposita à Trident. contra exercentes Pontificalia an locum habeat.
7. *Habens iurisdictionem quasi Episcopalem non potest vocare quem voluerit Episcopum pro consecratione Ecclesiæ.*
   Nisi sit nullius Diœcesis habens territorium proprium.

Dicendum. *Ecclesias esse consecrandas ab Episcopo.* 1
Ita in cap. *Relictis, distinct.* 25. & cap. *Placuit.* 1. *quæst.* 9. & cap. *Nullus, de consecrat. dist.* 1. & cap. 2. & cap. *Aqua, de consecrat. Eccles.* vbi declaratur, non posse hanc functionem delegari alicui non Episcopo: & quod si extaret consuetudo, sit extirpanda, tanquam corruptela. Subdit tamen ibi Pontifex, quod misericorditer, quoad Ecclesias iam dedicatas per inferiorem Episcopo, dispensat. Et ita communiter Doctores D. Antonin. 3. *part. tit.* 12. *cap.* 6. §. 3. Durand. *de diuin. offic. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 2. Tabiena *verbo* Consecratio 2. *num.* 1. Syluester *num.* 2. Angelus *init.* Armilla *num.* 1. Sà *num.* 2. Azor. *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 4. *quæst.* 1. Piasec. *in praxi Episcop. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 2. Miranda *tom.* 2. *Manual. quæst.* 39. *art.* 1. Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.* 9. *num.* 8. Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 27. *num.* 1. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disp. vn. punct.* 8. *num.* 2. Tamburin. *de iure Abbat. tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 1. *num.* 1. Garzia *in sum. tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 2. *punct.* 5. *n.* 51.

Hoc autem prouenit ex institutione Ecclesiæ, quæ voluit, quod talis consecratio fieret à suprema pote- 2
state ordinis Sacerdotalis, quæ est in solo Episcopo. Et ideò consecratio Ecclesiæ est actus ordinis Episcopalis, non ex natura sua, quasi requirat potestatem Episcopalem, & non sufficiat inferior, sed ex ordinatione Ecclesiæ, quæ voluit, quod ista functio esset propria talis ordinis.

Dicendum 2. *Ecclesias esse dedicandas ab Episcopo proprio loci.* Ita statuitur in Cap. *Hic ergo, de conse-* 3
crat. distinct. 1. & in Cap. *Nemo, ead. distinct.* & in Cap. *Tua fraternitas, de consecrat. Eccles.* Et ita notant communiter Goffred. *in sum.* Tit. *De consecrat. Eccles. num.* 1. Hostiens. *num.* 2. Angelus *verbo* Consecratio, *init.* Syluester *verbo* Consecratio 2. *num.* 2. Tabiena *num.* 1. Sà *num.* 2. Azor. *part.* 2. *lib.* 10. *cap.* 4. *quæst.* 1. Piasec. *in praxi Episcop. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. Vgolin. *de potestate Episcop. cap.* 28. Tusch. *littera C. conclus.* 245. Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 26. *num.* 2. Giaff. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 3. Ratio autem est. Quia consecratio Ecclesiarum est actus ordinis, & consequenter supponit potestatem exercendi ordinem. Potestas autem exercendi ordinem Episcopalem in diœcesi, est in proprio illius Episcopo, qui cum sit ordinatus ad talem Ecclesiam, potestas quoque ordinis Episcopalis est in ordine ad eandem Ecclesiam. Accedit etiam quod ad ipsam pertinet dirigere ea, quæ sunt cultus diuini in propria Diœcesi.

Ex quibus fit, quod nequeat alienus Episcopus 4
consecrare Ecclesias, nisi de licentia Diœcesani, vt obseruant communiter Doctores, Panormit. *in cap. Tua fraternitas, num.* 2. *de consecrat. Eccles.* Angel. *verbo* Consecratio, *init.* Syluester *verbo* Consecratio 2. *num.* 2. Tabiena *num.* 1. Sà *num.* 2. Azor. *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 4. *quæst.* 1. Goffred. *in sum.* Tit. *de consecrat. Eccles. num.* 1. Hostiens. *num.* 2. Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 26. *num.* 1. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 10. *num.* 6. Gauant. *in Manual. Episcop. verbo* Ecclesiæ Consecratio, *num.* 1. Miranda *tom.* 2. *Manual. quæst.* 39. *art.* 1. Tamburin. *tom.* 1. *de iure Abbat. disp.* 5. *quæst.* 1. *num.* 1. Et desumitur ex cap. *Tua fraternitas, de consecrat. Eccles.* ibi: *In tua Diœcesi.* Et ratio est. Quia potestas Episcopalis est restricta ad terminos Diœcesis tanquam ad suam sphæram adæquatam, itavt non possint extra ipsam se

extendere. Atque adeò nec etiam potestas ordinis tanquam ea, quæ quoad exercitium est coarctata intra terminos iurisdictionis: ergo non potest Episcopus in alia Diœcesi exercere potestatem ordinis consecrando Ecclesias.

5 Imò Leo X. concessisset Fratribus Minoribus, quod quilibet Episcopus Catholicus posset eorumdem Ecclesias, Altaria, & Cœmeteria consecrare Diœcesani licentia minimè requisita, sed idem Pontifex in Concilio Lateranensi restrinxit hoc priuilegium, vt nimirum tunc solum possent, quando Diœcesanus bis, aut ter cum debita reuerentia requisitus, sine legitima causa recusaret. Ex quo deducitur, quod intentio Pontificum sit, quod huiusmodi functio exerceatur à Diœcesano.

6 Si tamen alienus Episcopus consecraret Ecclesiam valida esset consecratio, quia hæc quoad validitatem dependet solum à potestate ordinis, vt contingit etiam in cæteris, quæ sunt Ordinis. Esset tamen puniendus pœna imposita à S. Canonibus. Quæ est suspensio per annum à celebratione Missæ, vt in cap. *Episcopus* 1. *quæst.* 1. ibi. *Uno anno à Missarum celebratione cessabit.* In Concilio autem Tridentino *sess. 6. cap. 5. de Reformat.* Exercens Pontificalia in aliena Diœcesi sine licentia, per annum ob exercitio Pontificalium suspenditur. Reuera tamen videtur disponere solum de exercitio Pontificalium in ordinatione vt innuunt illa verba. *Et in personas eidem Ordinario subiectas.* Et rursus. *Et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso iure suspensi*, vt etiam alibi dictum est.

7 Hic tamen insurgit dubium. An ordinarius habens iurisdictionem quasi Episcopalem concedere possit licentiam alicui Episcopo consecrandi Ecclesias sibi subiectas. Resp. Non posse etiamsi aliàs exemptus sit. Ita declarauit Sacra Congregatio apud Collect. Gallemart. ad *cap. 5. de reformat. num. 2. sess.* 6. Concilij Tridentini & tenor Declarationis est. *Non potest Prælatus inferior, etiam exemptus huiusmodi licentiam concedere* (nempe consecrandi Ecclesias.) *Sed ordinarius loci, qui communiter esse intelligitur Episcopus in cuius Diœcesi locus est constitutus.* Et ratio est. Quia qui non habet potestatem supra actum, non potest ipsum alteri delegare: Si tamen Prælatus sit nullius Diœcesis, & habeat territorium proprium, vocare poterit quem voluerit Episcopum, nam excepta institutione, & concessione dimissoriarum cæterarum pertinent ad Episcopum viciniorem neque etiam in visitatione, vt declarauit S. Concilij Congregat. in vna Celsensi 27. *Septemb.* 1602.

QVÆSTIO 513.

An consecratio Ecclesiæ committi possit simplici Sacerdoti.

SVMMARIVM.

1. *Episcopum non potest inferiori committere consecrationem Ecclesiæ.*
2. *Et opposita consuetudo extirpanda.*
3. *Consecratio Ecclesiæ an simplici Sacerdoti committi possit à Pontifice.* & num. seq.
5. *Quæ non possint à Papa simplici Sacerdoti delegari.*
6. *Consecratio Ecclesiæ quomodo sit actus Ordinis Episcopalis.*
 Quæ de iure positiuo sunt Ordinis Episcopalis possunt à Papa committi inferiori.
7. *Potestas supra Corpus Christi mysticum fundatur super potestate supra corpus Christi verum.*

1 SVpponendum est. Episcopum non posse committere simplici Sacerdoti, aut alteri inferiori Episcopo, licet in dignitate constituto, consecrationem Ecclesiæ. Ita communiter Doctores Gloss. *in cap. Aqua. de consecrat. Eccles.* Abbas *num.* 2. Durand. *de diuin. offic. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 2. Angel. *verbo* Consecratio *init.* Syluester. *verbo* Consecrat. 2. *num.* 2. Tabiena *num.* 1. Sà *num.* 4. Azor. *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 4. *quæst.* 1. Piasec. *in praxi Episcop. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 2. Henriquez *lib.* 10. *sum. cap.* 24. *in fine.* Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 10. *num.* 5. Palaua *part.* 4. *oper. moral. tractat.* 22. *disput. vnic. punct.* 8. *num.* 2. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *num.* 1.

2 Ita etiam statuitur in cap. *Aqua de consecrat. Eccles.* & declarat Pontifex Gregorius IX. appositam consuetudinem esse corruptelam, & proinde euellendam. Imò ibi Pontifex assignat rationem huius suæ determinationis: Quia Episcopus potest quidem committere, quæ iurisdictionis sunt Clericis inferioribus, quæ tamen sunt ordinis Episcopalis, non potest committere, nisi habenti Ordinem Episcopalem. Et hoc prouenit, quia omnis actus requirit in agente potentiam proportionatam: huiusmodi autem actus requirunt potestatem ordinis Episcopalis, quia sunt actus talis ordinis, solum difficultas est, an committi possit simplici Sacerdoti à summo Pontifice.

3 Prima sententia asserit, non posse committi. Ita Angelus *verbo* Consecratio Ecclesiæ *init.* Et habet hæc sententia fundamentum in eo, quod ea quæ sunt ordinis non possunt committi non habenti ordinem cap. *Quamuis. distinct.* 68. & cap. *Aqua de consecrat. Eccles. vel altar.* & notant Abbas *ibid. n.* 2. Bald. *de præscript. part.* 5. *princip. quæst.* 11. *num.* 9. Couarrun. *lib.* 3. *Variar. cap.* 30. *num.* 3. Burat. *consil.* 125. *num.* 41. *vol.* 1. Lancellot. *Instit. iur. can. Tit. de Eccles. ædificand.*

4 Communis sententia asserit posse committi. Ita Gl. *in cap. Omni tempore. de consecrat. distinct.* 4. Tabiena *verbo* Abbas, *num.* 12. Sà *verbo* Consecratio, *num.* 4. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 27. *num.* 6. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 16. *quæst.* 10. Suarez *disp.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *in fine.* Goffredus *in summ. tit. de consecrat. Eccles. num.* 1. Hostiens. *num.* 2. Tusch. *littera C, conclus.* 745. Leo *part.* 1. *fori Eccles. cap.* 5. *num.* 3. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib. titul.* 10. *num.* 5. ver. *Quod tamen.* Miranda *tom.* 2. *Manual. quæst.* 39. *art.* 2. Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 27. *num.* 1. Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vltim. punct. vlt. punct.* 9. *num.* 8. Palaos *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disp. vnic. punct.* 8. *num.* 2. Tamburin. *de iure Abbat. tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 7. *num.* 2.

5 Dicendum est. *Consecrationem Ecclesiæ posse committi à summo Pontifice simplici Sacerdoti.* Desumitur ex D. Thom. *in* 4. *distinct.* 7. *quæst.* 3. *art.* 1. *quæst.* 3. vbi habet, quod ea quæ sunt ordinis & dicunt relationem ad Corpus Christi verum, vel ad eius materiam, non possunt à Papa simplici Sacerdoti delegari. Possunt autem delegari, quæ habent relationem ad Corpus Christi mysticum. Et constat etiam ex praxi, nam vt refert Strozius *de offic. Viat. lib.* 2. *qu.* 5. *num.* 5. Pius IV. anno 1563. concessit Vicario Episcopatus Æsini, posse reconciliare Ecclesiam pollutam, de qua est eadem ratio, ac de consecratione; cum etiam reconciliatio Ecclesiæ consecratæ sit actus ordinis Episcopalis.

6 Ratio autem est. Quia consecratio Ecclesiæ non est actus ordinis Episcopalis ex institutione diuina,

sed

sed ex institutione Ecclesiæ; quia scilicet, voluit Ecclesia, quod per potestatem Episcopalem actus iste exerceretur. Cum ergo summus Pontifex habeat potestatem supra ea omnia, quæ sunt de institutione Ecclesiastica, poterit, quæ ex institutione Ecclesiastica possunt à solo Episcopo edoceri, facere, quod exerceantur etiam à simplici Sacerdote. Et ideò posse committi, quæ solum de iure positiuo sunt ordinis Episcopalis inferiori Episcopo tradunt Glos. *in cap. Peruenit. dist. 95.* Abbas *in cap. Aqua. in fine. de consecrat. Eccles.* Seisel. *in Rubr. num. 13. ff. de officio eius.* Rebuf. *in praxi benefic.* Tit. *forma vic. Archidiacon. num. 169.* Vectius *in pract. lib. 2. cap. 16. num. 5.* Syluester *verbo* Ordo 3. *num.* 7. & communiter tam Canonistæ quàm Theologi cum D. Thom. *in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 1. quæstiun. 3.*

7 Confirm. Quilibet Sacerdos habet tantam potestatem supra Corpus Christi verum, quantam habet Episcopus: ergo adest in ipso fundamentum, vt possint ei committi omnes illi actus, qui de iure positiuo adscripti sunt Episcopo. Conseq. prob. Quia omnes isti actus ad corpus Christi Mysticum pertinent, atque adeò requirunt potentiam supra ipsum in exercēte. Potestas autem supra Corpus Christi Mysticum fundatur in potentia supra Corpus Christi verum, & ideo vbi adest ista, potest etiam poni potestas supra mysticum. Fundamentum autem oppositæ sententiæ solutum manet ex dictis.

QVÆSTIO 514.

An Ecclesia consecrari possit à pluribus Episcopis simul.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia an à pluribus Episcopis simul cōsecrari possit. Quomodo intelligendum, quod à solo Diœcesano sit consecranda.*
2. *Consecratio Ecclesiæ, si non possit perfici debet ab alio ab initio inchoari.*
3. *Quando plures Episcopi consecrant Ecclesiam an possint singuli concedere indulgentiam.*
4. *Ecclesia potest à pluribus simul consecrari: & vnde desumitur.*
5. *Praxis quod plures Episcopi consecrent Ecclesiam.*
6. *Consecratio Ecclesiæ secundum diuersas partes potest perfici in pluribus. Extrema-Vnctio potest ministrari à pluribus.*
7. *Vnitas consecrātis non est pro forma consecrationis.*
8. *Quando ab initio inchoanda consecratio, si deficiat consecrans.*
9. *Cur ab initio repetenda consecratio si deficiat consecrans.*
10. *Quid si deficiat postquam vnxit aliquas cruces.*
11. *Consecrans Ecclesiam potest concedere annum indulgentiæ. Deseruit ipse opus iniunctum.*
12. *Si plures consecrent Ecclesiam, indulgentia ab vno solo concessa tenet.*
13. *Consecrans Ecclesiam, si excedat in concessione indulgentiæ an tota sit nulla. Vtile per inutile non vitiatur.*

1 PRima sententia asserit, non posse consecrari à pluribus Episcopis, sed debere consecrari ab vno tantum. Ita Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 5. tit. 10. num. 7. ver. Subamplia 3.* vbi habet, quod licet plures Episcopi conueniant. Oportet tamen, quod vnus sit consecrator omnia peragens. Solent citari etiam ij Doctores, qui dicunt, quod Ecclesia sit consecranda à solo Diœcesano. Verum nihil iuuant, quia, dum dicunt, quod à solo Diœcesano est consecranda intelligunt quoad iurisdictionem, quia solus habet ius consecrandi: non autem dicunt, quod non possit alios adhibere, aut committere pluribus consecrationem. Et in hoc sensu accipienda sunt cap. *Nemo 1. de consecrat. dist. 1.* & cap. *Tua Fraternitas. de consecrat. Ecclesiæ*, nam loquuntur taxatiuè de Diœcesano ad excludendam à cæteris auctoritatem consecrandi, non autem ad astruendam vnitatem consecrationis; alioquin cum loquantur de Diœcesano taxatiuè non posset alteri consecrationem committere.

2 Prob. Clemens VIII. in Pontificali ponit pro forma consecrationis vnitatem Episcopi consecrantis. Secundo S. Rituum Congregat. *in Vlisbonensi 12. Aprilis* 1614. declarauit, quod si ab aliquo Episcopo sit inchoata consecratio, & ex ab aliquo casu improuiso non perficiatur, debet ab alio Episcopo denuo inchoari, & perfici, vt refert Barbosa *in collect. Bullar. verbo* Consecratio *num. 3.*

3 Secunda sententia asserit, posse consecrari à pluribus Episcopis simul concurrentibus ad consecrationem. Ita supponunt potius, quàm disputent plures Doctores, dum quærunt, an quando plures Episcopi consecrant Ecclesiam possint singuli concedere illum annum indulgentiæ, quem potest concedere, quando vnus tantum consecrat. Ita Specular *lib. 4. part. 4.* Tit. *de pænit. & remis. n. 4.* Hostiens. *in sum.* Tit. *de pænit. §. Quis possit.* Nauar. Dicastil. *not. 31. num. 3.* Vgolin. *de potest. Episcop. part. 2. cap. 41. §. 1. num. 2.* Syluester *verbo* Indulgentia. *num. 11.* Viuian. *in Ratio. iur. Pontific. lib. 5. tit. de pænit. & remis. ad cap. Cum ex eo.* Azor. *part. 1. lib. 3. cap. 55. qu. 6.* Suarez 3. *part. disp. 51. de pænit. sect. 2. num. 5.* Lauor. *de indulgent part. 2. c. 11. num. 38.* Gauant. *in Manuali Episcop. verbo* Ecclesiæ consecrat. *n. 11.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 88. n. 14.* Aleedo *de Præcellent. Episcop. part. 2. cap. 3. num. 7.* Et quamuis concludant, quod non possint concedere vltra annum, non tamen hoc concludunt ex eo, quod non sint Consecratores, sed quia Pontifex non vult, quod per Episcopos concedatur indulgentia maior vno anno.

4 Dicendum est. *Ecclesiam consecrari posse simul à pluribus Episcopis tanquam consecratoribus.* Desumitur ex cap. *Cum ex eo. de pænit. & remis.* ibi. *Decernimus, vt cum dedicatur Basilica non extendatur indulgentia vltra annum, siue ab vno solo, siue à pluribus Episcopis dedicetur.* vbi cum tribuat dedicationem pluribus Episcopis, oportet, quod verè sint consecratores, alioquin non posset dici, *siue à pluribus dedicetur*, quia si essent tantum assistentes, non dedicarent. Deinde caussa huius limitationis non est, quia vnus tantum sit consecrator, & ideò cæteri non possint concedere indulgentiam; sed quia Pontifex, vt ibi explicat, non vult, quod per superfluas indulgentias pœnitentiales satisfactio eneruetur.

5 Hoc etiam constat ex praxi, nam constat aliquando eandem Ecclesiam à pluribus consecratam. Nam Baronius *tom. 11. anno* 1099. Loquens de Roberto Rege habet. *Ab ipsis sanctis Sacerdotibus* (Episcopis) *secum ipsum benedici, & consecrari solemnitas fecit.* & *ann.* 1028. refert Basilicam Lemouicensem fuisse consecratam ab vndecim Episcopis & in Chronicis Minorum *part. 1. lib. 2. cap. 3.* refertur, Ecclesiam S. Mariæ Angelorum Assitij consecratam fuisse à pluribus Episcopis. Et Venetiis in Ecclesia S. Euphemiæ, & sociarum adest inscriptio huiusmodi. *Consecrata fuit ista Ecclesia S. Virginum Euphemiæ, Dorotheæ, Teclæ, & Trasmede Zudeca Castellana Diœcesis per RR. PP. D. Castellanum Lucam Dei gratia Episcopum Sardicensem Vicarium Castellanum, & Bartholomæum eadem gratia Episcopum Agiensem*, &c. Quinimo quomodo Vrbanus VIII. anno 1626. consecrauit

Ecclesiam

Ecclesiam Principis Apostolorum adhibuit plores Episcopos, quorum quatuor iniunxerunt Cruces: Nec dici potest, quod dispensauerit, vt se subtraheret labori; quia, si consecratio requireret vnitatem consecrantis, maodasset vni taorum Episcopo inionctionem Crocum, & non quatuor. Vode cum adsit praxis, & ius supponat id fieri, noo potest in dubium reuocari, quio possit fieri.

6 Ratio autem est. Quia consecratio Ecclesiæ habet partes distinctas, quarum vna non dependet ab alia, licet omnes ordinentur ad idem subiectum, & ad eundem effectum. Ergo perfici potest secundum diuersas partes à plutibus Episcopis, oam vt coeant in vnam, & eandem consecrationem, sufficit vnitas subiecti, in quo recipiuntur, nempe Ecclesiæ. Confirm. Sacramentum Extremæ-vnctionis qoamuis sit vnum, & sit ex institutione diuina, quia tamen perficitur per plures vnctiones, & plutes formas, validè perficitur à plutibus Sacerdotibus, si tamen singuli ita perficiant vnam, vel plures vnctiones, & simul proferant formam correspondentem, vt docent Suarez *tom.4. in 3.part. disp.44.sect.1. num.*8.Taoner. *tom.4. summ. disput.7. quæst.1. dub.3. num.*85. Metat. *tom.3.sum. disp.*20.*de Extrema vnctione sect.1. num.1.* Bonacina *disp. 2. de sacrament. quæst. vnic. punct. 4. num.1.* Villalob. *part.1. sum. tract.10. difficult. 6. n.4.* Filliuc. *tract. 3. cap.5. numer.*94. Barbosa *de proch. cap.22. num.9.* Dicastil. *de sacram. tract. 7. disput.1. dub.1 a. num.*186. & alij. Imo etiam licitè tali pacto administrari potest ex aliqua causa ratioonabili. Ergo à fortiori coosecratio Ecclesiæ, secundum suas diuersas partes perfici poterit à diuersis Episcopis, cum sit tantum vna ratioue subiecti, quæ voitas soluatur, siue vnus, siue plores sint consecratores.

7 Ad 1. Resp. Vnitatem consecraotis nequaquam poni posse pro forma in Pontificali, alioquin Vrbanus VIII. consecrasset Ecclesiam Principis Apostolorum eum diuersa forma à consueta, nam tuoc quatuor Episcopi vnxerunt Ctuces, quæ functio est inter principales consecrationis. Deinde com consecrans sit caosa efficiens, & ministet, non potest esse forma, sicut nec etiam in sacramentis est forma; nam forma debet esse intrinseca rei, quæ fit, & distincta à causa efficiente. Rursus licet Pontificale loquatur de Episcopo in singulari, ideo loquitur in singulari, quia procedit de ministro necessatio, & considerato quoad qualitatem potestatis: non autem quia excludat pluralitatem ministrorum. Si è contra D. Iacobus loquens de ministro Extremævnctionis in plurali loquitur. *Inducat presbyteros*, & tamen sufficit vous.

8 Ad 2. Illam declatationem neque esse io forma Authenticea, ita vt ei sit fides adhibenda neque esse vacuam à suspicione, nam refertur in Collect. Bullarij, quod opus prohibitum fuit, quia continet plures declaratiooes adulterinas. Accedit etiam, quod *ibid.* hæc eadem declaratio diuersò modo refertur, bis enim refertur, oam *num.* 3. habet. *Debet ab alio Episcopo denuo incboari, & perfici*, & *num.*7. referens haoc eaodem declatationem in eadem causa eodem aono, & die, coniungit eum alia declaratione, & totus tenor est. *Consecratio Ecclesiæ, maximè consistit in vngendis sacro Crismate duodecim crucibus per Ecclesiam, & in proferendis illis verbis sanctificetur, & consecretur*, &c. *Adeo si Episcopus consecrans deficiat ex improuiso antequam dicta faciat, melius erit consecrationem ab alio inchoari, & perfici.* Est autem quid valde diuersum dicere. *Debet inchoari*, & dicere, *Melius erit incboari*, nam hoc secundum supponit, qood possit etiam non iochoari. Rursus atiam est diuersum dicere absolutè. Quod si deficiat, & dicere. Quod si deficiat, antequam vngat cruces. Et quid si deficeret postqoam voxit aliqoam Crucem.

Verum admissa quoque hac declaratione, non 9 deducitur ex ipsa iotentum. Nam, si deficiat consecrans., antequam perficiat coosecratiooem, ideo est repetenda ab alio ab initio, quia supponitur, qood tunc non adsit Episcopus, qui tuoc possit inchoatam continuare. Nam si talis cootinuatio habet iocum in sacrificio, itavt perficiatur, vel quoad consecratiooem, vel etiam quoad consecrationem alterius speciei, si deficiat consecrans, ab alio Sacerdote poterit etiam perfici consecratio Ecclesiæ, si adsit, qui cootinuet inceptom. Verum quia non adest expectandum etit per notabile tempus; ideo stante hac iotercapedine temporis, noo videtur præcedens pars consecrationis posse continuari cum subsequenti; & ideo melius erit eam ab ioitio repetere.

Difficultas tamen est. Quid faciendum, si defi- 10 ciat consecrans postquam vnxit aliquas cruces, & aliæ remanent vngendæ, & non adsit alius Episcopus, qui tunc continuet consecrationem. Resp. Esse repetendam totam consecrationem, & de nouo inungendæ cruces vnctæ. Ratio est. Quia consecratio coëxistit in communicatione cuiusdam sanctitatis moralis, quæ sit rituali modo, atque adeo efficacia communicandi talem sanctitatem consistit in illa forma Rituali, quæ adhibetur, quæ applicata Ecclesiæ vt subiecto, causat io ipsa huiosmodi sanctitatem modo proportionato, quo sacramentum applicatum subiecto causat in ipso suum effectum. Sicut ergo Sacramentum non potest causare suum effectum, oisi quando est completum; ita oec etiam consecratio causare potest suum effectum saoctificandi, nisi quando habet esse completum atque adeo oisi quando tota consecratio secundum suum esse rituale completa est, seu nisi, quando forma ritualis consecrationis est completa.

Ex dictis aliter intelligitor. Quod cum consecran- 11 tes Ecclesias possint concedere annom vnum indulgentiæ, vt statuitor io cap. *Cum ex eo*, §. *Decernimus, de consecrat. Eccles.* vbi Innocentius III. decreuit io Coocil. Lateranensi, quod non possent excedere annum vnum indulgentiæ siue vous, siue plutes Episcopi consecrent eandem Ecclesiam, & idem etiam repetat Bonifacius VIII. in cap. *Indulgentiæ, de consecrat. Eccles. in 6.* & non explicetur, quibus concedere possiot; & sub quo opere inuncto, sit, quod possint ipsi consecrantes decernere, quod à iure indecisum relictum est tamen, vt tamen oon excedant terminos suæ potestatis, & proinde tantum propriis subditis concedant. Existimo tameo, quod si non subditi reperirentur præsentes possent frui huiosmodi beneficio, quia pro illo tempore reputantur subditi, sicut etiam pro talibus babentur in ordine ad sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ.

Secundo colligitor contra Glos. *in cap. Cum ex* 12 *eo verbo, ff. Pluribus, de pænit. & remis.* Quod si quaodo plores consecrant eandem Ecclesiam, siaguli coocedent vnum annum indulgeotiæ non tenete concessionem, vt notat Glos. *sequens ibid.* & desumitur ex codem tex. ibi, *indulta remissio non excedat.* Com enim Episcopus non concedat indulgentias auctoritate propria, siquidem non habet facoltatem dispensandi thesaurum Ecclesiæ cuius facultas non excedit terminos concessioois, & ideo oulliter coocedit, si vltra id, quod ei permittitur, concedit. Quod expresse declarauit Bonifacius VIII. in cap. *Indulgentiæ, de pænit. & remis. in 6.* ibi: *Indulgentiæ, quæ ab vno, vel pluribus Episcopis in Ecclesiarum dedicationibus, vel aliis quibuscunque casibus, conceduntur vires non obtinent, si statutum excesserint,*

Concilij

Concilij Generalis, nempe Lateranensis sub Innocent. III.

3 Maior difficultas est. An si Episcopus in concessione indulgentiæ excedat terminum præfixum, valeat secundum illam partem, quam potest concedere, an verò tota sit nulla. Resp. Quod quamuis nonnulli Canonistæ putent, totam esse nullam, reuera tamen esse validam secundum partem, quam potest concedere, & nullam solum secundum excessum. Ita Glos. *in cap. fin. de pœnit. & remiss. in* 6. & *in cap. Cum ex eo, de pœnit. & remiss.* Io. Andr. *ibid.* Panormit. *num.*8. Archidiacon. *in Reg.* 37. *de reg. iur. in* 6. Sotus *in* 4. *distinct.* 21. *quæst.* 1. *art.* 4. *ad* 2. Syluester *verbo* Indulgentia, *quæst.*5. vet. *Quintum.* Angel. *num.* 5. Nauar. *de indulgent. not.* 31. *n.*3. Henriquez *lib.*7. *cap.*31. *num.* 4. Corduba *in quæst. lib.* 5. *quæst.* 12. *propos.* 2. *in fine.* Viuian. *in ration. iur. Pontific. lib.*5. tit. *De pœnitent. & remissionib. ad cap. Cum ex eo.* Vgolin. *de potest. Episcop. part.* 2. *cap.*41. §.1. *num.*2. Alzedo *de precel. Episcop. part.*2. *cap.*3. *num.*8. & communiter. Siquidem cum simus in diuisibilibus, nam dies, & anni indulgentiarum separari possunt, habet locum Regula iur. Quod vtile per inutile non vitiatur, fundata in cap. *A nobis* 2. *de sacrament. iteran.* & cap. *Cum super, de Offic. deleg.* & cap. *fin. de procurat.* & cap. *Sacris, de sepultur.* & ideò salua manet indulgentia correspondens facultati, quia causa applicata ad operandum operatur secundum proprias vires, quamuis non totum faciat, quod vult applicans, si vult supra virtutem causæ.

QVÆSTIO 515.

An modo locum habeant priuilegia Regularium circa vocandos Episcopos pro consecrandis suis Ecclesiis.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegium circa vocandos Episcopos pro consecratione Ecclesiarum.*
2. *Episcopus non potest in aliena Diœcesi Pontificalia exercere.*
3. *Priuilegia Regularium circa consecrationem suarum Ecclesiarum, an modo subsistant,* & numero seq.
5. *Priuilegium concessum in Concil. Lateran. valet post Concil. Trident.*
   Hoc priuilegium est lex.
6. *Negligentia inferioris supplenda per superiorem.*
7. *Vt Regulares vtantur dispositione Concil. Lateranen. circa consecrationem Ecclesiarum non requiritur necessitas.*
8. *Instare debent & quoties Regulares apud Diœcesanum pro consecratione Ecclesiæ vt vti possint priuilegio &c.*
   In alternatiua quantitas minus onerosa est in obligatione.
9. *Quomodo constare debeat, quod Diœcesanus, non habeat legitimam causam, vt locum habeat priuilegium circa Ecclesiæ consecrationem.*
10. *Constare debet de instantiis coram Ordinario, vt locum habeat priuilegium.*
11. *Regulares aduocare possunt plures Episcopos pro consecrat. Eccles. quando recessu Ordinarij dictum aduocantium de recusatione Ordinarij sufficit alieno Episcopo, vt possit consecrare Ecclesiam.*

LEo X. concesserat Minoribus, quod quilibet Catholicus Episcopus posset consecrare eorum Ecclesias, altaria, & cœmeteria, & omnes alios actus Pontificales exercere in ipsorum locis Diœcesanis loci, vel cuiusvis alterius licentia minimè requisita, vt refertur in *Compend. Priuilegior. Mendicant. verbo*, Benedicere *numero* 15. Postea tamen in Concilio Lateranensi dictum Priuilegium restrinxit statuens; quod dicti Fratres, nequeant ab alieno Episcopo consecrationem Ecclesiæ vel Altarium, aut Monasterij benedictionem petere, sese in Ecclesiis per eas pro tempore ædificandis primum lapidem per alienum Episcopum poni facere, nisi vbi Ordinarius bis, aut per cum debita reuerentia, & instantia requisitus sine legitima causa id recusauerit. Alia etiam priuilegia referuntur huic similia, vt est inter cætera illud Iulij II. concessum Minimis in *eius constit.* 1. *apud Peirin. tom.*1. *de priuileg.* nimirum, vt possent, Ordin. Ecclesias, & Oratoria quæcumque recepta, & recipienda nondum consecrata facta prius requisitione ab Episcopis locorum, eisdem recusantibus, vel negligentibus per quemlibet aliam Catholicum Antistitem gratiam, & communionem dictæ sedis habentem, consecrari facere. 1

Difficultas autem modo est, an hæc priuilegia subsistant post Concil. Trident. & Ratio dubitandi oritur ex dispositione, *cap.*5. *de reformat. sess.* 6. vbi decernitur. *Nulli Episcopo liceat cuiusvis priuilegij prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantum*, &c. Ex quo videntur cessasse huiusmodi priuilegia, quia consecratio Ecclesiæ continet exercitium Pontificalium. 2

Prima sententia tenet, huiusmodi priuilegia amplius non suffragari tanquam reuocata à Concilio. Ita Hieronymus Sorbus *in compend. priuileg. Mendicant. verbo*, Benedicere *num.* 15. *in margin. un.* & *in adnot. ad* §.15. Peirin. *tom.*1. *de priuileg. ad constitut.*2. *Iulij II. numero* 46. Quod à fortiori videtur dicendum, quia in declarat. ad dict. locum Concil. *num.* 3. apud Collect. Gallemart. habetur: *Nec etiam potest Episcopus Pontificalia exercere in loco exempto iurisdictionis non Episcopi, sed inferioris, etiam vocatur ab ipso inferiori sine licentia Episcopi, intra cuius Diœcesis fines esset locus ille, etiam si ille inferior prætenderet ratione exemptionis vocare Episcopum, quem voluerit.* Vnde Regulares non possunt prætendere loca sua tanquam exempta non comprehendi sub Decreto præfato Concilij. 3

Secunda sententia docet, manere in suo robore priuilegium Leonis X. Ita Rodriquez *tom.*1. *quæstio.* 19. *artic.*4. Miranda *tom.*2. *Manual. quæst.* 49. *artic.* 1. *conclus.*3. Henriquez *lib.*13. *sum. cap.* 51. *num.*5. *in Com. littera* E, Barbosa *de potestate Episcop. allegat.*27. *num.*11. Tamburin. *tom.*1. *de iure Abbat. disput.*23. *quæst.*8. *numer.*3. Lezana *verbo* Ecclesia, *numero* 8. qui tamen addit, non esse adhibendum huiusmodi priuilegium, nisi in casu necessitatis, qui vix contingere potest, cum sufficiant Ecclesiæ benedictæ. Pax Iordan. *tom.*1. *Lucubrat. lib.*5. *tit.* 10. *num.*9. 4

Dicendum est. *Prædictam concessionem Concilij Lateranensis seu Leonis X. in Concilio Lateranensi habere vigorem etiam post Concilium Tridentinum.* Ratio est. Quia Concilium prohibet exercitium Pontificalium in altera Diœcesi prætextu cuiusvis priuilegij. Ergo non prohibet prætextu concessionis, 5

seu legis, quæ non fit priuilegium. Dispositio autem Leonis X. in Concilio Lateranensi non est priuilegium, imò reuocat priuilegium aliàs concessum, & solum concedit, quod ex vi boni regiminis est necessarium concedi, nempe quod si Diœcesani nolint consecrare Ecclesias, itavt constet de hac nolitione, vt ideò debeant eum reuerentia bis, aut ter de hoc requiri, possint sibi prouidere de alio Catholico Episcopo. Exigit enim bonum regimen, vt vnicuique sufficienter prouideatur; vnde cum Ecclesiæ sint consecrandæ iuxta dispositionem sacrorum Canonum, debent etiam prouidere de consecratore. Cum igitur prouiderint de Diœcesano, si iste nolit, debuit prouideri de alio consecratore, vt qui vellent seruare Sacros Canones possent. Dispositio autem Leonis X. prouidet pro hoc casu; & ideò non est priuilegium, sed lex iuxta exigentiam boni communis.

6 Constat. De iure est supplenda per superiorem negligentia Prælati inferioris, Cap. 1. & Cap. *Licet Magister, de suppend. negligent. Prælat.* & Cap. *fin. eod. tit. in 6.* Et ad hoc tenetur ratione muneris, siquidem, cum præsideat Prælatis inferioribus, debet curare, vt muneri proprio satisfaciant, & si non satisfecerint, debet alios substituere, vt in dict. Cap. 1. & Cap. *fin.* Et hoc præcipuè spectat ad Summum Pontificem tanquam Pastorem vniuersalem: ergo si Episcopus negligat consecrationem Ecclesiarum Regularium, & nolit consecrare, pertinet ad Pontificem supplere hanc negligentiam, & malam voluntatem. Hoc autem factum est, concedendo Regularibus, vt possint aduocare alium Episcopum; ergo huiusmodi dispositio tanquam ordinata ad supplendam negligentiam Prælatorum est lex non autem priuilegium. Et ex his soluta manet ratio dubitandi, siquidem Concil. Trident. prohibet exercitium Pontificalium intuitu priuilegiorum.

7 Ex dictis colligitur, quod non requiritur necessitas, vt possint Regulares vti prædicta dispositione Leonis X. Si enim non subsistit post Concilium Tridentinum, neque etiam habebit locum pro casu necessitatis, quia tanquam abrogata nullum habebit vigorem. Si verò subsistit, poterunt vti tota sua amplitudine, atque adeò toties quoties voluerint, suas Ecclesias consecrari; quia dispositio procedit absolutè, & absque vlla restrictione ad casum necessitatis. Et militat ratio, quia negligentia inferiorum est supplenda per superiores in his omnibus, ad quæ tenentur ex officio, etiam si aliàs non adsit casus necessitatis.

8 Verum cum iuxta præfatam dispositionem debeant Regulares cum reuerentia requirere Episcopum bis, aut ter, dubitatur, an requiratur, quod ter instent, aut sufficiat, quod instent bis. Resp. Decens esse, quod instent, & abundent; in rigore tamen sufficiet, si bis tantum instauerint. Quia dispositio Leonis loquitur alternatiuè *Bis, aut ter.* In alternatiua autem quantitatis minus onerosa est in obligatione, *l. Si quid venditor. §. 2. ff. de ædilit. edicto.* & *l. fin. ff. de prætor. stipulat.* & *l. Si ita stipulat. ff. de verborum obligat.* & *l. Semper in obscuris, ff. de reg. iur.*

9 Rursus cum secundum dictam dispositionem Leonis opus sit, quod Episcopus nolit consecrare Ecclesiam absque legitima causa, vt possit ab alieno consecrari, dubitatur, quomodo constare debeat, quod non habeat legitimam causam. Resp. Debere constare ex ipsius allegatione, nam cum requiratur, vt impendat munus suum, quod tenetur impendere, dum recusat impendere, oportet vt alleget causam cur nolit impendere: præsertim, quia cum Regulares ipso nolente ius habeant vocandi alium Episcopum, tenetur allegare causam, si non vult, quod vtantur suo iure; nam eo ipso, quod non allegat præsumitur non habere. An autem causa sit legitima, an non, iudicio prudentis viri standum est; vt autem sit causa legitima, vel debet se tenere ex parte Ecclesiæ, itavt obstet consecrationi, vel ex parte ipsius Episcopi, itavt reddat ipsum moraliter impotentem ad functionem.

Quia tamen fieri posset, si casus contingeret, quod res deduceretur ad forum externum, ideò necesse erit, vt huiusmodi instantiæ fiant tali modo, vt de ipsis extraiudicialiter constet ad hunc effectum, vt possint probari, si opus fuerit etiam in iudicio. Quia si Episcopus obstaret consecrationi per alium facienda, aut ea peracta prætenderet Regulares, & consecratorem Episcopum incurrisse pœnam, spectabit ad Regulares docere, quomodo legitimè processerint, quod nequaquam præstare poterunt, nisi probent præmisisse debitas, & reuerentes instantias, cum sub hac conditione, & quod Episcopus absque legitima causa recusauerit, concessum sit posse aduocare alium Episcopum. 10

An autem aduocare possint plures Episcopos, qui simul consecrent Ecclesiam iuxta dicta in superioribus, videtur affirmatiuè resoluendum. Tum quia se habent per modum vnius consecratoris, & ideò si licet aduocare consecratorem, licebit etiam aduocare plures, qui se habeant per modum vnius. Tum quia est vna, & eadem functio, pro qua aduocantur: vnde exercitium Pontificalium non plus se extendit, quam se extenderet, si vnus tantum consecraret, cum non fiat alia actio Pontificalium, nisi illa, quæ fieret vno tantum consecrante. Quod autem idem exercitium Pontificalium fit à pluribus, materialiter se habet. 11

Denique an constare debeat Episcopo aduocato, quod Diœcesanus requisitus iuxta dispositionem Leonis recusauerit consecrare absque legitima causa. Resp. Sufficere dictum aduocanti, quia præsumere debet, quod in re tam manifesta peragenda, & tam graui non fallant: præsertim, quia non sumus in iudicialibus, & ideò sufficit extraiudicialis notitia. 12

QVÆSTIO 516.

An quocunque die Ecclesia consecrari possit.

SVMMARIVM.

1. *Interdicti tempore non potest consecrari Ecclesia.*
2. *Solo mane, & ab Episcopo ieiuno consecrari potest Ecclesia.*
3. *Ecclesia consecrari potest quocunque die tam festo, quàm profesto.*
4. *Cur quocunque die Ecclesia consecrari possit.*
5. *In triduo maioris hebdomadæ non potest consecrari Ecclesia.*
6. *Neque in maioribus solemnitatibus.*
   Maiores solemnitates non includuntur, nisi specialiter exprimantur.
   Quæ sint speciali nota digna non veniunt in generali dispositione.
   Speciali nota quæ digna sint.
7. *Consecrans Ecclesiam in triduo maioris hebdomadæ, & in maioribus solemnitatibus, qualiter peccet.*

Difficultas procedit, de quocunque die illius temporis, in quo est permissa consecratio; siquidem 1

quidem tempore interdicti nullo die fieri potest, vt inter alios notat Vgolinus *de potestate Episcopi cap.* 28. Barbosa *de potestate item Episcopi allegat.* 26. *numero tertio.* Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *titulo* 10. *numero* 12. Est enim consecratio Ecclesiæ quoddam ex diuiois officiis, præsertim, quia cum Missa est celebraoda, & ideo tempore interdicti remanet prohibita.

2 Rursus etiam est aduertendum, quod in solo mane celebrari potest, atque adeò tantum ab Episcopo ieiuno, vt dicitur in Rubrica Pontifical. Roman. *Tit. de consecrat. Eccles.* Hoc autem prouenit, quia functio consecratioois includit Missam, quæ tantum mane celebrari potest, & à ieiunis. Quia tameo Pontificale Roman. permittit, quod si consecrator sit nimis fatigatus, possit per alium facere celebrare Missam: licèt cooueniens sit, quod ipse celebret, ideò si prævideat, se non posse celebrare, nec etiam tenebitur seruare ieiuoium, cum ipsa ooo exigat à ieiuno exerceri; sed solum sit necessarium ratione Missæ celebrandę; & ideò ad vitandum lassitudinem poterit cōsecratot aliquid antea sumere, si non sit celebraturus.

3 Dicendum est. *Ecclesias consecrari posse quocunque die tàm festo, quàm profesto.* Ita communiter Doctores tam Caoonistæ, quàm Theologi Gloss. *in cap. Tua Fraternitas. de consecrat. Eccles.* Abbas *num.* 2. Ioan. Andr. & cæteri Doctores *ibid.* Goffred. *in sum. tit. de consecratione Eccles. num.* 3. Hostiens. *num.* 1. D. Antonio. 3. *part. tit.* 12. *cap.* 6. §. 3. Angelus *verbo* Coosecratio *num.* 1. Armilla *num.* 1. Syluester *verbo* Consecratio 2. *num.* 2. Tabiena *num.* 1. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 11. Piasec. *in Praxi Episcop. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 2. *vers. Ædificata.* Vgolin. *de potest. Episcop. cap.* 28. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disp. vnic. punct.* 8. *num.* 1. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 10. *num.* 11. & statuitur *in dict. cap. Tua fraternitas. de consecrat. Eccles.* ibi: *Tam diebus Dominicis, quam priuatis.*

4 Cur autem statutum sit, quod omoi die consecrari possit Ecclesia, & non sint statuti centū dies, sicuti statuti sunt pro cōferendis ordinibus, pro consecraodis Episcopis, existimo inde factum, quia functio est longa, & laboriosa, & proinde committi debet in quemcumque diem vti possit coosecrator seligere opportuoum, & sibi commodum. Cum enim plures Ecclesiæ consecratæ noo siot ex eo, quod difficile sit habere Episcopum consecrantem, adhuc pauciores sunt consecratæ, si solum certis diebus coosecrari posseot.

5 An autem omnibus omnino diebus consecrari possit; itavt nullus omnino excludatur. Resp. Non posse consecrari in tribus diebus vltimis maioris hebdomadæ. Hoc deducitur ex dicto cap. *Tua fraternitas. de consecrat. Eccles.* vbi Innocent. III. habet, quod consecratio Ecclesiæ fieri potest tam diebus Dominicis, quàm priuatis, per priuatos autem dies intelligit feriales: ergo coarctatur consecratio Ecclesiæ ad dies Dominicos, & priuatos. Triduum aotem vitimum maioris hebdomadæ, neque continet dies Dominicos, neque dies priuatos, quia dies illi, quamuis voceotur feriæ, vocantur semper tamen cum addito, & suot dedicati commemorationi Passionis Christi, vt proinde Ecclesia excludat ab illis diebus omnes festiuitates, & ad alios dies transferat vt neque etiam celebret institotionem Eucharistiæ, nam Missa feriæ quintæ est potius commemoratio præparationis Christi ad Passionem, quam celebratio institutionis Eucharistiæ. Vnde celebratur postea post octauam Pentecostes: & ideò illis diebus non conuenit solemoitas dedicationis Ecclesiæ, quæ est solemnitas lætitiæ; siquidem lætitia, & luctus ooo benè cohærent.

Ex his quoque sequitur, quod exclud[illegible] maiores sulemnitates, quales sunt dies primus Paschatis, & Pentecostes, Natiuitatis Domini, & Epiphaniæ, oam quamuis duæ priores incidant in die Dominico non habentur tamen pro diebus Dominicis; sed Festiuitas Dominicæ absorbetur à maiori Festiuitate: vnde in officio nullam penitus habet partem, & multò minus sicut & aliæ solemnitates, sunt dies priuati, & ideò noo sunt ex illis diebus, in quibus iuxta tex. allatum consecrari possit Ecclesia. Accedit, quod istæ solemnitates, sicut etiam triduum maioris hebdomadæ, sunt speciali nota digna tanquam celebritates priuilegiatæ: & ideò in dicto text. debuissent specialiter exprimi, vt habentur inclusæ io diebus, in quibus consecrari possunt Ecclesiæ. [illegible] §. 26. *ff. de iniur.* & *l.* 1. §. *Dixerit. ff. de publican.* & cap. *Quamuis de prabend. in* 6. & notant Alexandr. *Concil.* 104. *in fine. lib.* 1. Anchatan. *consil.* 215. *n.* 4. Menoch. *de adipiscen. remed.* 4. *n.* 834. Craueta *consil.* 880. *n.* 19. Afflict. *decis.* 111. *n.* 9. Quia in Ecclesiastica dispositione non veniuot, quæ speciali nota digna sunt *l. Obligatione generali. ff. de pignorib.* & cap. *Quintanal. de iureiur.* & c. *fin. de offic. Vicar. in* 6. Quod autem prædicti dies sunt speciali nota digna ex eo constat quod sunt dies priuilegiati, & magni momenti cap. *fin. de praben.* & cap. *Cum Clerici de verbor. significat.* 6

An autem, qui consecraret Ecclesiam aliquo ex dictis diebus, peccaret mortaliter, pars affirmatiua mihi videtur valdè probabilis. Nam præter notabilem admiratiooem, quam causaret in populo, læd[eret] ootabiliter institutionem Ecclesiasticam, quæ facit, quod dicti dies secundum se totos tribuantur celebritati, quæ colitur, nec admittant consortium alterius celebritatis. Quia autem institutio Ecclesiastica ordinat celebritates pertinet ad bonum commune Ecclesiæ, & ideò dum læditur, læditur commune bonum, læsio autem esset notabilis, quia læderetur pars omoium notabilis huius dispositionis. 7

QVÆSTIO 517.

An Ecclesia debeat esse dotata vt consecrari possit.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesiæ non possunt ædificari, nisi dotentur.*
2. *Ecclesia non potest consecrari, nisi dotetur.*
3. *Fundator Ecclesiæ, consecrator, & heredes compelli possunt ad dotandam Ecclesiam.*
4. *Episcopus, qui consecrauit Ecclesiam indotatam, an teneatur dotare.*
5. *Alienus Episcopus consecrans cum licentiâ Diœcesani Ecclesiam tenetur dotare, nisi sit dotata.*

SVpponendum est. *Ecclesias non posse ædificari, nisi eis prouideatur de dote competenti, vt habetur ex* cap. *Placuit. 1. quæst.* 1. & cap. *Prementes* 16. *quæst. vlt.* & cap. *Cum sicut. de consecrat. Eccles.* Et tradunt Gloss. *ibid.* Et cæteri scribentes Durand. *lib.* 1. *de diuin. offic. cap.* 6. *num.* 3. Piasec. *in Praxi Episcop. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 2. Duen. *reg.* 225. Barbosa *de potestat. Episcopi allegat.* 26. *numero* 3. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. libro quinto, titulo* 10. *numero* 14. Quantum enim cedit io cultum Dei erectio Ecclesiarum, & auget splendorem illius tantumdem decoris affert, si posteà negligatur, nec manuteneatur tanquam domus Dei. 1

2 Dicendum est. *Si Ecclesia sit ædificata sine dote, non debet consecrari, nisi prouideatur de dote congrua.* Ita communiter Doctores præsertim *num. præced.* citati, & statuitur in dicto Cap. *Cum sicut, de consecrat. Eccles.* ibi, *cum non sit Ecclesia, nisi de dote & promissum fuerit, consecranda.* Ratio est. Quia Ecclesia sicut per consecrationem sanctificatur, & specialiori modo trahit ad se præsentiam Dei. Ita etiam fit digna maiori veneratione, & reuerentia. Ergo à fortiori exigit manuteneri cum debito decore atque adeo exigit etiam dotem necessariam pro manutentione.

Ex his sequitur. Quod fundator Ecclesiæ, & qui facit eam consecrare, si neque in fundatione, neque in consecratione dotata sit, possit & debet compelli ad dotandum, sicut etiam hæredes ipsius in eius defectum per Authent. *de Eccles. titul.* §. *sin autem*, & §. *Si quis ædificationem*, & cap. *Prementes* 16. *quæst. vlt.* & expressè statuitur in dict. cap. *Cum sicut, de consecrat. Eccles.* ibi, *Cum non sit Ecclesia, nisi de dote promissum eis fuerit, consecranda, eò liberalius ad dotandam prædictam Ecclesiam aperire manus munificentia tua debes, quoad hoc fortius tanquam ex debito iam teneris.* Scribit autem Pontifex Reginæ Hungariæ quæ fecerat Ecclesiam consecrari, venit enim in consequentiam ad fundationem, & consecrationem Ecclesiæ manutentio ipsius, & ideo, qui vult primum, tacitè se obligat ad secundum §. 5. *Instit. quib. ex cau.* & *l. a. ff. de iurisd.*

3 Maior tamen difficultas est de Episcopo, qui consecrauit indotatam Ecclesiam, an deficiente fundatore, & hærede, quia scilicet non habeant, vnde dotent, teneatur ipse dotare. Et affirmatiuè est resoluendum, itavt procedat etiam, si solum consensum præbuerit consecratione. Ita Glos. *in cap. Cum sicut, verbo* Consecranda, *de consecrat. Eccles.* Goffred. *in summ. tit. de consecrat. Eccles. num.* 4. *in fine.* Palaus, *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disput.* 22. *punct.* 8. *num.* 2. Pax Iordan. *tom.* 1. *lucubrat. lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 115. Quia scilicet Episcopus permittens consecrari Ecclesiam sine dote, est in culpa, cum teneatur inquirere, an sit dotata. Et ideo tenetur supplere, quod sua culpa in damnum Ecclesiæ factum est, *l. fin. ff. de eo per quem factum erit*, & *l. si duobus* §. 1. *in fine, ff. Si mensur. fals. mod. dix.*

4 Ex quibus sequitur, quod si Episcopus alienus instaret pro consecratione Ecclesiæ apud Diœcesanum, quam vellet ipse consecrare; & obtenta licentia consecraret indotatam, in defectum cæterorum, teneretur ipse dotare, præsertim si aliquo modo ad ipsum pertineret & si concessisset ad expensas pro ædificatione, aut à suis antecessoribus esset ædificata, aut saltem contulisset manus adiutrices. Ratio est. Quia, licet non teneatur tanquam consecrator, quia consecrat nomine alterius, teneretur tamen tanquam faciens consecrari, siquidem ipse procurat consecrationem; faciens autem consecrare Ecclesiam indotatam, tenetur dotare iuxta tex. expressissimum, cap. *Cum sicut, de consecrat. Eccles.* Vnde prius ipse, & eius hæredes, si fortè defunctus esset, teneretur dotare, quam Episcopus, qui consensum præbuit pro consecratione.

QVÆSTIO 518.

An etiam Regularium Ecclesia debeant dotari.

SVMMARIVM.

1. *Regularium Ecclesia an dotanda*, & numero sequent.
3. *Monachi erigere possunt Ecclesias, & consecrare absque dote.*
4. *Ecclesia mendicantium quomodo dotanda.*
5. *Ius disponens Ecclesias non esse consecrandas, nisi dotentur, comprehendit etiam Ecclesias mendicantium.*
6. *Regulares possunt erigere Oratoria absque dote.*
7. *Ecclesia Clericorum Regularium dotanda.*

PRima sententia negat, Ecclesias Regularium mendicantium, & etiam habentium reditus, quales sunt Ecclesiæ Monachorum esse dotandas. Ita Syluester *verbo* Ecclesia 2. *num.* 4. & quod ad Ecclesias Mendicantium Lezana *in sum. verbo* Ecclesia, *num.* 8. Fundamentum huius sententiæ est, quia ita habet antiqua consuetudo. Vel quia sic accipiuntur priuilegia. 1

Secunda sententia asserit, etiam Regularium Ecclesias esse dotandas. Ita Glos. *in cap. Cum sicut, verbo* Consecrando, *de consecrat. Eccles.* Abbas *num.* 1. Lambertin. *de iure patron. part.* 1. *lib.* 1. *quæst.* 5. *art.* 21. Viuian. *de iure patron. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 31. Franciscus Leo *part.* 1. *Thesaur. fori Eccles. cap.* 5. *de consecrat. Eccles. num.* 5. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. libro* 5. *titulo* 8. *numero* 16. & alij communiter. 2

In hac difficultate existimo. *Monachos erigere posse Ecclesias, & facere consecrari absque alia dote.* Ratio est clara, quia prouentus quos habent, non tantum destinati sunt pro illorum sustentatione, quam etiam pro manutentione Ecclesiæ, & ideo habet rationem dotis Ecclesiæ: nam dos Ecclesiæ debet etiam esse pro alendis ministris, vt tradunt Doctores *suprà citati*; & ideò quod inseruit pro ministris, inseruit etiam pro Ecclesia. 3

Si verò loquamur de Ecclesiis Mendicantium existimo posse vtramque sententiam conciliari, vt scilicet non sint dotandæ pro sustentatione Ministrorum, seu ipsorum Regularium, sint tamen dotandæ pro illorum manutentione. Ratio prioris partis est. Quia cum institutum Mendicantium sit viuere ex eleemosynis emendicatis, non debet intuitu Ecclesiæ destrui, sicut destrueretur, si dotaretur Ecclesia etiam pro ipsorum sustentatione, nam non amplius viuerent emendicando. Quod etiam supponunt Decreto Clement. VIII. Gregor. XV. & Vrban. VIII. circa erectionem manutentionum, cum disponant, quod non possint erigi in iis certus religiosorum numerus addi possit, & eleemosynis absque aliorum detrimento. 4

Ratio posterioris partis est. Quia cum ius disponat vniuersaliter, quod Ecclesiæ non debeant consecrari, nisi sint dotatæ, vt in cap. *Cum sicut, de consecrat. Eccles.* comprehendit etiam Ecclesias Regularium; respectu quorum, cum non adsit ratio in contrarium, sicut adest respectu ipsorum Religiosorum, non debent excludi ab vniuersali dispositione iuris, præsertim quia si relinquerentur indotatæ essent expositæ periculo, quod manutenerentur cum illo splendore qui est debitus, & quod negligeretur cultus, vt experientia constat, dum sacra suppellex cernitur lacera, & sordida cum dedecore Religiosorum. Quod ex eo prouenit, quod eleemosynæ, neque sufficiant pro ipsorum sustentatione. 5

Ex hoc tamen non fit, quod non possint Regulares erigere Oratoria publica absque dotatione, in quibus possint iuxta ipsorum institutum diuina officia celebrare, quia hoc venit in consequentiam ad erectionem Monasterij. Si enim possunt erigere Monasteria absque eo, quod sit iis prouisum de dote, vt possint institutum proprium exercere necessaria omninò iis sunt Oratoria pu- 6

blica

blica in quibus celebrent diuina officia, & sacramenta administrent, quibus alliciant fideles ad eleemosynas elargiendas tanquam fructuosis operariis.

7 Quod autem dictum est de dotatione Ecclesiarum, vt scilicet consecrari non possint nisi sint dotatæ etiam si fiot Regularium, à fortiori locum habent quoad Ecclesias Theatinorum. Quia cum sustententur ex eleemosynis sponte oblatis, longè ipsas difficilius est manutenere Ecclesias, præsertim magnas, & quæ requirunt notabiles sumptus, cum illo splendore, & notabili apparatu, cum quo eas manutenerent subtrahentes propriis alimentis quantum possunt, vt in Ecclesiæ cultum impendant. Et hoc procedit de iure, eorom tameo Ecclesiæ, quæ hucusque consecratæ sunt, indotatæ etiam sunt, vtpotè ædificatæ piorum fidelium adiutricibus manibus.

QVÆSTIO 519.

An prius auferenda sit causa pollutionis, antequam consecretur Ecclesia, si adsit.

SVMMARIVM.

1. *Auferenda prius causa pollutiua, quàm consecranda Ecclesia.*
2. *Infideles repelluntur ab Ecclesia.* *Quibus viuis non communicat Ecclesia, nec etiam communicat mortuis.*
3. *Polluto cœmeterio non potest Ecclesia consecrari.* *Auferenda prius causa pollutiua cœmeterij, quàm Ecclesia consecretur.*
4. *Quid si ossa infidelis discerni non possint vt exhumentur.*
5. *Mater sepulta cum fœtu non polluit Ecclesiam.* *Fœtus est portio matris.*
6. *Infans non baptizatus sepultus in Ecclesia an polluat.*
7. *An antequam consecretur Ecclesia extrahendum sit cadauer excommunicati.* *Quid de cadauere Heretici.*

1 QVia contingere potest, quod in Ecclesia consecranda adsit aliqua causa pollutiua Ecclesiæ, ideò dubitatur, an prius sit auferenda: Et proinde difficultas procedit de causa, quæ habeat esse permanens, qualis est cadauer infidelis in ipsa sepultum; sepultura enim huius cadaueris pollnit Ecclesiá. Dicendum est. *Ante consecrationem Ecclesia, remouendam esse ab ipsa prius causam inductiuam pollutionis, atque adeò prius exhumanda cadauera infidelium, si qua ibi reperiantur.* Ita statuitur in cap. *Ecclesiam.* & cap. *Sequent. de consecrat. distinct.* 1. vbi Gloss. *verbo Ecclesiam.* Archidiacon. *ibid.* Goffred. *in sum. tit. de consecrat. Eccles. num.* 7. Hostiens. *eodem tit.* §. *Et an sit. num.*7. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 9. *num.*16. & communiter.

2 Ratio. Quam affert Gloss. cit. est. Quia infideles viui repelluntur ab Ecclesia cap. *Clericos. dist.* 21. & cap. *Perlectis. distinct.* 25. Quibus aotem viuis Ecclesia non communicat, nec etiam mortuis communicare potest 24. *quæst.* 2. *cap.* 1. & cap. *sacris de sepult.* Accedit etiam. Quod cum causa pollutiua habeat esse permanens, pollutio quoque permanenter durat ad durationem causæ. Et ideò consecraretur Ecclesia, & simul etiam pollueretur, quia sicuti causa pollutiua inducit pollutionem contra consecrationem existentem, ita etiam induceret contra consecrationem, quæ de nouo fit.

Et hoc locum habeat, etiam si sepultum esset in cœmeterio, quia licèt polluto cœmeterio non polluatur Ecclesia, quia se habeat accessoriè ad Ecclesiam, vt determinatur in cap. *vnic. de consecrat. Eccles. in* 6. Attamen, non potest Ecclesia consecrari polluto cœmeterio, quia non decet, quod principale sit sanctificatum, & accessorium pollutum cum accessorium sequi debeat naturam sui principalis. Accedit etiam, quod quando consecrantur Ecclesiæ, cœmeteria quoque debent benedici. cap. *Consuluisti. de consecrat. Eccles.* & ideò debet ab ipsis quoque auferri causa pollutionis. 3

Si tamen contingat, quod ossa cadaueris infidelis discerni non possint ab ossibus fidelium, reliquenda suot iuxta cap. *Sacris de sepult.* vbi ita aduertit Gloss. & Doct. Goffred. *in sum. tit. de pollut. Eccles. num.* 7. Hostiens. *eod. tit.* §. *Et an sit. num.*7. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 9. *num.*22. Et communiter. Nam non debet propter infidelis ossa, fidelium ossibus præiodicium inferri. Neque dici potest, quod dum remaoent ossa infidelis, remanet etiam causa pollutionis, & proinde etiam pollutio iuxta supradicta, *num.* 2. Nam, dum non possunt discerni, Ecclesia ea non habet amplius pro causa pollutiua, & proinde neqoe dici potest; quod remaneat causa pollutionis cum enim causæ pollutionis sint inductæ ab Ecclesia, non sunt aliæ cognoscendæ; nisi quas inducit Ecclesia. 4

Cum autem nomine infidelis veniat non baptizatus, vt notant Doctores citati dubitatur de muliere pregnante sepulta cum fœtu, & etiam de infantibus natis, qui moriuntur, antequam baptizari possint, Et quod spectat ad matrem sepultam cum fœtu, non esse extrahendam, qoia non polluit Ecclesiam, notant communiter præsertim Goffred. *in sum. tit. de consecrat. Eccles. num.*16. Hostiens. *Cod. tit.* §. *Et an sit. num.* 8. Sylnester. *verbo* Consecratio 2. *quæst.* 2. vet. *Quartus casus.* Armilla *num.* 21. Tabiena *num.*17. Azot. *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 4. *quæst.* 5. vet. *Quid dicendum*, Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 154. *conclus.* 3. Facundez *precept.* 1. *Eccles. cap.* 14. *num.* 57. & alij cum Glos. *in cap. Ecclesiam* 1. *de consecrat.* 1. Ratio autem est. Quia sunt portio ventris matris. *lib.* 1. §. 1. *ff. de vent. inspic.* vbi Glos. *verbo* Portio. & ideò non faciunt personam distinctum à matre. 5

Quod spectat ad infantem decedentem sine baptismo, quamuis Hostieos. *num. præcedent. citat.* & alij putent, polluere Ecclesiam, & proinde esse extrahendum ante consecrationem, probabilius tamen mihi videtur, quam non polluat, vt docent Palud. *in* 4. *distinct.*18. *quæst.*8. *art.* 4. *conclus.* 5. *in fine.* Saytus *lib.* 5. *Thesaur. cap.* 16. *num.* 25. Vgolin. *de potestat. Episcop. cap.* 29. §. 5. *in fine.* Ratio est. Quia non sunt propriè infideles, sed non fideles. Infidelis enim is dicitur, qui profitetur sectam aliquam infidelitatis: & proinde qui fit positiuè talis, vt sunt idololatræ vnde harum quoq; infantes erunt verè infideles, quia sequuntur sectam patris, sub cuius potestate sunt. At infantes fidelium sunt in via ad baptismum, quia sunt sob voluntate patentum introducendi eos in Ecclesiam per ianuam Baptismi, atque adeò destinati ad profitendam fidem, vnde si contingat mori ante Baptismum, tanquam infideles, sed vt in via ad fidem, licèt nondum fideles. 6

Quod autè dictum est de infideli, locum habet etiã quoad eos excommunicatos, qui in Ecclesia sepulti eam polluunt. Ao autem sint tantum denunciati, an etiam cæteri, pendet ex eo, an non denunciati polluant Ecclesiam, si in ea sepeliantur. Sicut etiam an idem sit dicendum de Hæreticis, & cæteris, quibus denegatur Ecclesiastica sepultura, vt sunt notorij 7

vsurarij cap. *Quamquam de vsuris. in 6.* In notorio peccato decedentes cap. *Quibuscunque 23. quæst. 7.* & alij huiusmodi. Quidem enim volunt, horum quoque cadauera esse extrahenda, antequam consecretur Ecclesia: alij verò, non esse extrahenda resolutio enim difficultatis dependet ex eo, an sepulti in Ecclesia eam polluant. Quia si polluant, sunt extrahenda; secus autem, si non polluant.

QVÆSTIO 520.

An si Ecclesia non possit circuiri possit consecrari.

SVMMARIVM.

1. *Ritus circumeundi Ecclesiam in consecratione.*
2. *Ecclesia consecranda, etiam si vndique non possit circuiri.*
Sufficit aspergi vbi potest circuiri.

1 INter ritus seruandos in Ecclesiæ consecratione, præscribitur, quod consecrator ter circumeat Ecclesiam, eam aspergendo. Quia tamen fieri potest quod huiusmodi ritus seruari non possit eò, quod ex aliquo impedimento extrinseco circuiri non possit, nee possit adhiberi talis diligentia, quæ superet impedimentum. Dubitatur an hoc non obstante consecrari possit, cum non possit integrè seruari forma ritualis præscripta.

2 Dicendum est. *Ecclesiam consecrari posse, etiamsi non possit vndequaque circuiri cum aspersione.* Ita sæpius declarauit S. Rituum Congregatio *in Carnotensi 10. Decembris* 1600. & in *Asturicensi 17. Nouembris eod. anno*, & in *Colleno 25. Iunij* 1601. Et obseruat Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 5. tit. 9. num.* 80. Ratio autem est. Quia ritus aspersionis, quamuis pertineat ad consecrationem, non est tamen propriè forma consecrationis, sed potius quædam dispositio, qua præparatur Ecclesia ad recipiendam formam consecrationis: ergo non est absolutè necessarium, vt exterius aspergatur per omnes partes per circuitum, sed sufficit, si aspergatur secundum eas partes, quæ aspergi possunt.

QVÆSTIO 521.

An Ecclesia sit consecranda simul cum Altari.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia an necessariò simul consecranda cum Altari.*
2. *Cur cum Ecclesia consecrandum Altare.*
3. *Ecclesia consecrari potest sine Altari, etiamsi Altare maius non sit consecratum.*
4. *Consecratio Altaris distinguitur à consecratione Ecclesiæ.*
5. *Dum consecratur Ecclesia, & Altare maius est consecratum, non est eodem contextu necessario consecrandum aliud Altare.*

1 IN Pontificali *in Rubr. de consecrat. Eccles.* præscribitur, quod simul cum Ecclesia consecretur etiam Altare maius. Dubitatur autem, in hoc sit necessarium, vel an possit consecrari sola Ecclesia. Dicendum est. *Si Altare maius sit iam consecratum, posse consecrari solam Ecclesiam.* Ita Glos. *in cap. Si motum. verbo* Altare. *de consecrat. distinct.* 1. Hostiens. *in sum.* Tit. *de consecrat. Eccles.* §. *Et an sit iterum. num.* 6. Ioan. Andr. *in cap. Proposuisti. num.* 8. *de consecrat. Eccles.* Abbas *num.* 10. Buritus *num.* 7. Durand. *lib.* 1. *de diuin. offic. cap.* 6. *num.* 32. Vgolin. *de potest. Episcop. cap.* 29. *in fine.* Graf. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 16. Tuschus *lib.* 1. *de visit. cap.* 21. *num.* 7. Piasec. *part.* 1. *in Praxi Episcop. cap.* 65. *num.* 7. Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 27. *num.* 25. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 75.

2 Ratio est. Quia in tantum Pontificale præscribit consecrationem Altaris Maioris, in quantum supponit, quod non sit consecratum, & conueniens est simul cum Ecclesia consecrari: ergo si iam esset consecratum, poterit sola Ecclesia consecrari. Et proinde Pontificale non solum ponit consecrationem Ecclesiæ, vt distinctam à consecratione Altaris, sed etiam monet, quomodo peragenda, quando non consecratur Altare.

3 Dicendum 2. *Etiamsi Altare maius non sit consecratum, potest consecrari Ecclesia sine Altari.* Desumitur ex cap. *Si motum*, & cap. *de fabrica de consecrat. distinct.* 1. Quatenus significant consecrationem Ecclesiæ esse independentem à consecratione Altaris, & ita etiam tradunt Doctores, *num.* 1. *citat.* Hoc autem intelligitur de rigore; nam conuenientia exigit, quod etiam consecretur Altare.

4 Ratio est. Quia sunt duæ distinctæ consecrationes, & inuicem separabiles. Quod ex eo constat, quia potest amitti consecratio Ecclesiæ, & non Altaris, vt si destruatur Ecclesia Altari immoto: & è contra amitti consecratio Altaris remanente consecratione Ecclesiæ, vt si destruatur Altare: ergo cum possit destrui vna consecratio, & non aliàs poterit etiam induci vna sine alia, quia quæ secundum destructionem non dependent ad inuicem, nec etiam dependebunt quoad productionem.

5 Ex his colligitur contra Pacem Iordanum, quòd si consecratum sit Altare maius, non esse loco illius eodem contextu, cum Ecclesiæ consecratione consecrare aliquod ex aliis Altaribus. Licèt enim consecrari possit, non tamen eodem contextu, cum consecratione Ecclesiæ, quasi veniens in consequentiam ad illius consecrationem. Nam Altare consecratur in consequentiam ad consecrationem Ecclesiæ est Altare propter quod est erecta Ecclesia, hoc autem est Altare principale, seu maius, quod correspondet illi vni Altari, quod solum consecrari poterat antiquitus in qualibet Ecclesia; vnicum enim tantum Altare in qualibet Ecclesia poterat erigi, vt desumitur ex cap. *Nullus presbyter* 2. *de consecrat. distinct.* 1.

QVÆSTIO 522.

An consecratio Ecclesiæ requirat celebrationem Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia consecranda cum celebratione Missæ.*
2. *Celebratio Missæ est veluti forma consecratiua.*
3. *Missa an celebranda à consecrante.*
4. *Consecrator neque celebrans Missam neque faciens celebrare peccat mortaliter.*

DIcendum est. *Ecclesiam esse consecrandam cum celebratione Missæ.* Ita communiter Gloss. *in cap. Omnes Basilicæ de consecrat. distinct.* 1. & *in cap. Quod sicut verbo* Diuidatur. *de elect.* Goffred. *in sum.* Tit. *de consecrat. Eccles. num.* 2. Hostiens. *eodem tit.* §. *Et qualiter.*

qualiter. num. 5. D. Antonin. *part.* 3. *titul.* 12. *cap.* 6. *ante* §. 1. Sylvester *verbo* Consecratio 2. *num.* 1. Tabiena *ibidem* Armilla *ibid.* Sà *num.* 3. Azor. *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 4 *quæst.* 2. Piasec. *part.* 1. *Praxis Episcopi, cap.* 5. *num.* 8. Graf. *part.* 2. *decis. libr.* 2. *cap.* 15. *num.* 11. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *titul.* 9. *num.* 27.

2 Ita autem statuitur in cap. *Omnes Basilicæ*, & in cap. *De fabrica. de consecrat. distinct.* 1. Ratio autem huius institutionis est, quia preces, & omnia illa, quæ interueniunt in consecratione sunt suo modo causæ effectiuè sanctitatis, quæ inducitur per consecrationem: celebratio verò Missæ veluti forma applicata in genere causæ formalis ad sacrificandum: continet enim oblationem sacrificij, quæ est oblatio munda, & sancta, quæ indignitate, aut malitia offerentium inquinari non potest; vt habet Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. *de sacrific. Miss.* & proinde habet vim sanctificandi, sanctificat enim offerentem si dignè offerat, & sanctificat locum in quo offertur instar formæ illius sanctificatiuæ, si inueniat capacem, vt infra explicabitur.

3 An autem celebranda sit Missa ab ipso consecratore affirmat Gloss. *in cap. Quod sicut verbo* Diuidatur. *de elect.* & in cap. *Omnes Basilicæ, de consecrat. distinct.* 1. Goffred. *in sum. Tit. de consecrat. Eccles. num.* 2. Hostiens. *eod. tit.* §. *Et qualiter. num.* 5. Sylvester *verbo* Consecrat. 2. *num.* 15. Miranda *tom.* 2. *Manual. quæst.* 39. *art.* 2. *conclus.* 3. Azor. *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 4 *quæst.* 2. Verum quicquid sit de iure antiquo. Hodie Pontificale Roman. indulget, quod si consecrator nimis fatigatus sit, possit facere celebrare Missam per alium, vt notat etiam Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 27. cum enim functio sit longa, & laboriosa, voluit Pontificale procedere, ne fortè consecrator ob lassitudinem cogeretur, aut relinquere Missam, aut inceptum non complere, & ideò remisit arbitrio ipsius celebrare per se, vel per alium, vt pensatis propriis iuribus eligeret, quod magis expediret. Et ita obseruat etiam Hugo apud Glos. *in cap. Omnes Basilicæ, verbo* Cum Missa. *de consecrat. dist.* 1.

4 Ex quo fit, quod si consecrator neque celebrat, neque faceret celebrare Missam, peccaret mortaliter siue Missa sit de substantia consecrationis, siue non sit, quia saltem faceret contra ritum, & consuetudinem Ecclesiæ. Non secus ac, si ordinans celebraret ordinationes absque Missa, & proinde Consecrator esset puniendus, vt notat Glos. *in cap. Quod sicut. verbo* Diuidatur. *de elect.*

QVÆSTIO 523.

An celebratio Missæ sit de substantia consecrationis Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1. *Missa an sit de substantia consecrationis Ecclesiæ.*
2. *Celebratio Missæ colligitur esse de substantia consecrationis.*
3. *Oblatio sacrificij est sanctificatiua Ecclesiæ.*
4. *Preces potius preparant ad consecrationem, oblatio verò sacrificij perficit,*
   Plus est facto quàm verbis deputare.
5. *Ecclesia nondum plenè dedicata ante oblationem sacrificij.*
6. *Cur celebratio Missæ, non sit de substantia Ordinationis.*
7. *Celebratio quæ fit in consecratione non supponit Ecclesiam consecratam.*

Videntur communiter consentire, quod celebratio Missæ non sit de substantia consecrationis. Ita Glos. *in cap. Quod sicut verbo.* Diuidatur. *de elect.* Panorm. *num.* 7. Goffred. *in sum.* Tit. *de consecrat. Eccles. num.* 2. Hostiens. *eod. tit.* §. *Et qualiter. num.* 5. D. Antonin. 3. *part. tit.* 12. *cap.* 6. *ante* 1. §. Sylvester *verbo* Consecrat. *num.* 1. Tabiena & Armilla *ibidem* Sà *num.* 3. Azor. *lib.* 9. *cap.* 4. *quæst.* 2. Mirsnda *tom.* 2. *Manual. quæst.* 39. *art.* 2. *conclus.* 3. Barbosa *de potestate Episcopi, allegat.* 26. *num.* 10. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *titul.* 9. *num.* 27. 1

Opposita sententia est. Quorundam apud Glos. *in cap. Omnes Basilicæ, verbo* Cum Missa. *de consecrat. distinct.* 1. & hæc sententia habet magnum fundamentum in cap. *de fabrica. de consecrat. ead. dist.* 1. Nam Vigilius Papa *Epistol.* 1. *ad Eleutherium cap.* 4. habet. *Quia consecrationem cuiuslibet Ecclesiæ, in qua Spiritus sancti arrha non ponitur celebritatem scimus tantum esse Missarum.* Si igitur celebritas, seu celebratio Missæ est consecratio Ecclesiæ oportet, quod Missæ celebratio sit de substantia consecrationis. Et rursus subdit. *Et ideò, si qua Sanctorum Basilica à fundamentis etiam fuerit innouata sine Altaris motione, sine aliqua dubitatione, cum in ea fuerit Missarum solemnitas celebrata, totius consecrationis sanctificatio implebitur.* Si igitur celebratio Missæ in Ecclesia à fundamentis innouata, quæ proinde consecratione indiget, implet totius consecrationis sanctificationem, sine ipsa non erit impleta, & proinde erit de substantia illius. Denique subdit. *Si verò sanctuaria (nempe Altaria) quæ habebat ablata sunt, rursus eorum repositione, & Missarum solemnitate reuerentiam sanctificationis accipiet.* Ecce quomodo de nouo vult, quod Ecclesia accipiat sanctificationem in celebratione Missæ. 2

Pro hac parte adest etiam ratio. Nam oblatio sacrificij, quæ fit in Missa, est actio sanctificatiua, non minus, quàm tota alia series consecrationis: ergo si præscribitur, pro consecranda Ecclesia, præscribetur tanquam actio sanctificatiua: ergo tanquam de substantia, quia actio sanctificatiua est, importat substantiam consecrationis, quia, vt consecratio est, habet sanctificare. Quod autem sit actio sanctificatiua ex eo constat, quod est actio maxime sacra, & apta ad inducendum sanctitatem. Ideò enim preces, vnctiones, & cætera, quæ fiunt in consecratione Ecclesiæ, habent vim sanctificandi, quia sunt actiones sacræ, quæ sunt super locum ad eum deputandum pro oblatione sacrificij, & vt sit specialis habitatio Dei. Oblatio autem sacrificij est actio sacra, quæ fit super locum, & ad solum effectiuè, sed formaliter deputat huic muneri, vt trahit Deum speciali modo ad ibi inhabitandum tanquam ad locum, in quo speciali modo colitur, nempe cultu supremo. 3

Accedit etiam. Quod preces, quæ recitantur in consecratione Ecclesiæ, aspersiones, vnctiones, videntur potius quædam præparationes ad consecrationem, quam forma consecrationis, sicut in ordinatione Sacerdotis orationes, & vnctio manuum est quid præambulum ad collationem potestatis Sacerdotalis: ergo cum consecratio habeat deputare Ecclesiam, & sanctificando facere, quod sit locus proprius sacrificij, hoc principaliter fiet per oblationem sacrificij, quia per ipsam accipit potestatem passiuam, & determinationem ad hunc actum, cum cætera antecedentia fiant tantum sanctificatiua præparatiua, & quæ requirunt determinationem ad propriam vitam, & cultum, qui exercendus est in templo. 4

templo. Facto enim ipso, nempe oblatiooe sacrificij, deputatur, & determinatur ad hunc actum. Plus autem est facto deputate, & determinare, quam verbis *l. Si tamen. §. Si quia. ff. de adilit. dict.* & cap. *Dilecti filij. de appellat. & obseruant.* Roman. *cons.* 291. *num.* 4. Abbas *cons.* 116. *num.* 3. *lib.* 2. Bald. *cons.* 400. ver. *Nec refert, vtrum. lib.* 4. Ias. *consil.* 153. *item* Confirmantur prædicta *lib.* 2. Quia nimirum factum non solum habet intentionem facientis, sed etiam opus.

5 Et propterea Glos. *in cap. Ecclesia, verbo* Celebrantur. *de immunit. Eccles.* habet loquens de Ecclesiis, quod si adhuc ibi noo sunt diuina officia celebrata, oondum gaudeant priuilegio illorum io quibus celebraotur diuioa, & reddit rationem, quia nondum plenè dedicatæ videntor. Si igitur absque celebratione diuioorum officiorum, seu Missæ. Ecclesia nondom est plenè dedicata, eportet, quod celebratio Missæ sit de substantia consecrationis. Addit etiam Glos. quod in Ecclesia, in qua oon sunt celebrata diuina officia, oon diceretur committi sacrilegium, nec propter tales huiusmodi actiones in ea commissas pollueretur, & propterea non deberet aspergi, seu reconciliari, quæ omnia significant oon esse sanctificatam. Et proinde celebrationem Missæ esse de substantia consecrationis.

6 Dices. Celebratio Missæ noo est de substaotia ordinatioois, quamuis ordines præsertim sacri conferantor cum Missa: ergo neque erit de substantia consecrationis Ecclesiæ. Resp. Disparem rationem. Quia scilicet ordinatio est sacramentum, & proinde ad soi substantiam non requirit celebrationem Missæ, quia hæc ooo interuenit ex institutiooe Christi, sed ex institutiooe Ecclesiæ. Deinde celebratio Missæ non tendit ad conferendam illam potestatem quam confert ordinatio; oblatio verò sacrificij tendit ad conferendam illam sanctificationem, quam confert consecratio, & ideò censeri debet instituta tanquam de substantia consecratioois.

7 Dices 2. Celebratio Missæ suppooit Ecclesiam cooseruatam, oam ideò celebratur in coosecratione, vt exerceatur functio, cui per coosecrationem dedicata est. Resp. Nego assumptū. Quia celebratur Missa simul cum consecratione, vt sit actio compleos sanctificationem, quæ per coosecrationem inducitur: nam vt dictum est, cætera, quæ proceduot, incipiuot sanctificare in genere, & veluti præparare ad certam formam sanctificationis, quæ postea inducitur per celebratiooem Missæ, qua tota præcedens coosecratio determinatur, vt faciat Ecclesiam sanctam in ordine ad sacrificium, & trahat ibi Deum tanquam ad locum, in qoo speciali modo inhabitet in ordioe ad acceptandum sacrificiom populi; & ideò se habet, vt vltimum sanctificatiuum, & determinatiuum.

QVÆSTIO 524.

In quo consistat sanctificatio, quam per consecrationem acquirit Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Specialis inhabitatio Dei in Ecclesia, in quo consistat.*
2. *Sanctificatio Ecclesia est quid morale.*
3. *Sanctitas Ecclesia ex consecratione quid importet.*
4. *Ecclesia ratione sanctificationis fit speciale instrumentum Dei ad excitandem deuotionem.*
5. *Ecclesia dignificat orationes, qua in ea fiunt.*
6. *Ingressu in Ecclesiam consecratam an remittantur venialia.*

SVpponendum est, Ecclesiam per consecratiooem ita saoctificari, vt fiat specialis habitatio Dei, vt ootaoi Caiet. *3. part. quæst.* 83. *art.* 3. Valdens *tom.* 3. *de sacrament. tit.* 17. *cap.* 147. Quia autem Deus est vbique ratione immensitatis, oec secundum se magis in vno, quàm in alio loco, ideò hæc specialis inhabitatio non potest io alio consistere, quàm in præsentia in ordine ad aliquam specialem operationem, & effectum. Quia enim ex operatione arguimus Dei præsentiam, ideò ex speciali operatione arguimus specialem præsentiam. Vnde non alia ratiooe anima iusti dicitur templum Dei, nisi quia speciali modo per effectum suæ gratiæ io ipsa inhabitat. 1

Supponendum 2. Quod sicuti sanctificatio est actio quædam moralis, qua sanctificatur Ecclesia, ita etiam sanctitas, quam inducit, nam potest esse aliquid aliud, quam moralis, qoædam qualitas, cum debeat correspondere suæ, causæ de hac autem qualitate dubitatur, quid dicat. 2

Dicendum 1. *Hanc qualitatem importare dignitatē moralem, quam dignificat certus locus, ex connotatione Dei speciali modo inhabitantis, atque adeò moralem repræsentationē præsentia Dei.* Hoc colligitur ex analogia sanctitatis huius ad sanctitatem simul physicam, & moralem, qua sanctificatur anima. Talis enim sanctitas dignificat personam ex eo, quod declaratur tanquam templum, in quo habitet Deus, atque adeò quatenus secundum specialem effectum declarat præsentiam Dei: ergo eodem modo discuttendum est etiam de sanctitate Ecclesiæ. 3

Dicendum 2. *Ratione huius sanctitatis Ecclesiam fieri speciale instrumentum Dei in ordine ad excitandam deuotionem fidelium, & reuerentiam erga Deum.* Ita Caiet. *3. part. quæst.* 83. *art.* 3. Sotos *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 3. *resp.* 1. ver. *Quod si interroget.* Suarez 3. *part. tom.* 3. *disput.* 15. *sect.* 4. ver. *Addo ergo tertio.* Henriquez *lib.* 9. *cap.* 27. *num.* 4. *in fine.* & alij com D. Thom. 2. 2. *quæst.* 84. *art.* 3. *ad* 2. Consistit autem in hoc, quod obiectiuo modo tanquam Dei habitatio excites deuotionem, & reuerentiam & Deus vtens hac obiectiua motiooe interios per soam gratiam operetur, quod ista deuotio, & reuerentia, exerceatur, sicut oportet. Ratio aotem est, Quia singula obiecta ioxta propriam naturam mouent intellectum & excitant ad illas cogitatiooes eorum, cum quibus habent aliquam coonexionem. Cum ergo Ecclesia ratione consecrationis habeat connexionem cum sacrificio, cum speciali Dei præsentia, quæ sunt obiecta excitatiua reuerentiæ, & deuotionis, habebit vim excitandi cogitationes moentes ad reuerentiam, ex deuotione: ergo si Deus per suam gratiam interius operetur excitabontur piæ cogitationes virtutum supernaturalium deuotiooia, & reuerentiæ. 4

Dicendom 3. *Ratione sanctitatis accepta, in consecratione Ecclesiam dignificare orationes, quæ in ea fiunt, itavt sint Deo magis accepta.* Ratio est. Quia Ecclesia ex institutione est locus orationis, vnde Christus dixit Matth. 21. 13. *Scriptum est domus mea, domus orationis est*; & ideò Ecclesia assistit speciali modo huiosmodi orationibus, quia cum assistat loco, quam specialiter destinatio ad Dei cultum, assistit etiam omnibos, quæ ex institotione fiunt in ipsa: ergo ex huiusmodi assistentia Ecclesiæ recipiunt orationes aliqoam specialem dignitatem tanqoam ab Ecclesiæ auctoritate, & quæ aliquo modo etiam nomine ipsios afferuntur. Et ideò Deus speciali modo eas exaudit, quod indicauit etiam Salomon 3. *Regum, cap.* 8. dum orans Deum, dixit, *Vt sint oculi tui* 5

aperti

Digitized by Google

aperti super domum hanc nocte, ac die. Et sicut sanctitas personæ dignificat operationes prouenientes ab ipsa; ita etiam sanctitas loci dignificat orationem pmfusam ex ipso loco.

6 An autem per ingressum Ecclesiæ sanctificatæ remittantur peccata venialia. Resp. D. Thom. 3.*part. quæst*. 83.*art*. 3. *ad* 3. Quod quidam non improbabiliter dicunt, quod per ingressum Ecclesiæ consecratæ homo consequatur remissionem peccatorum venialium, sicut, & per aspersionem aquæ benedictæ inducentes, quod in *Psal*.84. dicitur, *Benedixisti Domine terram tuam, remisisti iniquitatem plebis.* Hoc autem debet intelligi, quatenus in ingrediente Ecclesiam excitantur aliqui actus pietatis, & deuotionis, per quos venialia remittantur concurrente obiectiua sanctitate Ecclesiæ tanquam instrumento Dei ad illas excitandas, iuxta superius dicta *num*.20.

QVÆSTIO 525.

An consecratio Ecclesiæ iterari possit.

SVMMARIVM.

1. *Quando iteranda consecratio Ecclesia consecrata ab Hæreticis.*
2. *Consecratio Ecclesia non est iterabilis.*
3. *Consecratio Ecclesia non iteranda, quia relinquit post se sanctitatem.*
4. *In dubio consecrationis an Ecclesia consecranda.*
5. *Quodnam dubium requiratur, vt denuo consecretur Ecclesia.*
6. *An requiratur dubium negatiuum.*
7. *Quando Ecclesia consecratio sit dubia ob dubium de Ordine consecrantis.*
8. *Quomodo apponenda conditio, quando Ecclesia de nouo consecratur.*

1 SVpponendum est. Non rectè Piasecum *part*. 1. *Praxis Episcop. cap*. 5. *num*.4. ver. *Tertio*, asserere, iterandam consecrationem Ecclesiæ, quotiescunque est consecrata ab Hæreticis. Nam hoc solum locum habet, quando fuit consecrata ab Hæreticis absque forma ab Ecclesia præscripta, sicuti consecrabunt Ariani. Et hoc autem statuitur à Ioan. Papa in cap. *Eccles. Arianorum*. & à Gregor. Papa in cap. *Arianorum. de consecrat, distinct*. 1. Et ideò vniuersaliter, quando non est facta consecratio cum forma Ecclesiæ, reperenda est, vt notant Glos. *in dict. cap. Ecclesias Arianorum*. vbi & cæteri Doctores Archidiacon. *in cap. Ecclesia. tit*. 1. *quæst*. 4. Graff. *part*. 2. *decis. lib*.2. *cap*. 15. *num*. 14. ver. *Primum*. Pax Iordan. *tom*. 1. *Lucubrat. lib*.5. *titul*. 9. *num*. 66. Cum enim non sit consecrata secundum institutionem Ecclesiæ, non habetur pro consecrata iuxta cap. *Agapitus. de consecrat. distinct*. 1. vbi Anthimi Hæretici consecratio vocatur sacrilegæ fabulæ. Æquiparantur enim non fieri, & fieri, sed non legitimè. cap. *Veniens. de Presbyter. non Bapt.* & cap. *Inter corporalia de translatione Episcop*. & cap. *fin. de restit. spoliat.* Vnde difficultas est de consecratione facta secundum institutionem Ecclesiæ.

2 Dicendum est. *Consecrationem Ecclesiæ non esse iterabilem.* Ita statuitur in Niceno Concil. relato in cap. *Ecclesiis. de consecrat. dist*. 1. ibi. *Ecclesiis semel Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi.* Vbi Gloss. & Doctores Hostiens. *in sum*. Tit. *de consecrat. Eccles*. §. *Et an sit iteranda. num*. 3. Piasecus in *Praxi Episcop. part*. 1. *cap*. 5. *num*. 3. Durand. *de diuin. offic. lib*. 1. *cap*. 6. *num*. 31. Barbosa allegans alios *de potest. Episcop. allegat*. 27. *num*. 12. Pax Iordan. *tom*. 1. *Lucubrat. lib*. 5. *tit*. 9. *num*. 62. & & alij *infrà* citandi.

3 Ratio autem est. Quia consecratio imitatur aliquo modo sacramenta, quæ imprimunt characterem, siquidem ipsa quoque relinquit characterem sanctitatis, vt contingit etiam, quando consecrantur personæ, vt Abbates, Abbatissæ, Moniales, & ideò in dicto cap. *Ecclesiis de consecrat. distinct*. 1. Consecratio Ecclesiæ æquiparatur Baptismo, qui sicut non debet iterari, ita nec etiam Ecclesiæ consecratio. Et ideò qui eum iteraret, committeret proportionaliter sacrilegium, sicut committit, qui iteraret sacramentum non iterabile.

4 In dubio autem, an Ecclesia sit consecrata debeat iterum consecrari. Dicendum est. *Si consecratio Ecclesia sit dubia, debet iterum consecrari, sed sub conditione.* Ita statuitur in cap. *Solemnitates* 1. & cap. *Ecclesia, de consecrat. distinct*. 1. & cap. *Placuit*. & cap. *Cum itaque de consecrat. distinct*. 4. & notant Glos. *in dict. cap. Solemnitates*. Archidiacon. *ibidem* Abbas. *in cap. Proposuisti. num*.6. *de consecrat. Eccles*. Butr. *n*. 7. vbi & cæteri Doctores Vgolin. *de potestat. Episcop. cap*. 28. *num*. 9. ver. *Primo*. Graff. *part*. 2. *decis. lib*. 2. *cap*. 15. *num*. 14. ver. *Secundus*. Azor. *part*. 2. *lib*. 9. *cap*. 4. *quæst*. 5. Pax Iordan. *tom*. 1. *Lucubrat. lib*. 5. *titul*. 9. *num*. 64. & communiter. Et ratio desumitur ex ipsis sacramentis, quæ licet iterari non possint, iterantur tamen sub conditione, quando remanent dubia, vt de Baptismo decernitur *cap*. 2. *de Baptism*. Ergo etiam consecratio Ecclesiæ erit reiteranda, si sit dubia.

5 Sed difficultas remanet. Quantum debeat esse dubium, vt Ecclesiæ consecratio de nouo fiat. Respon. Requiri maius dubium, quam requiratur in sacramento Baptismi, & Ordinis, nam cum absolutè Baptismus sit necessarius tanquam ianua Sacramentorum, & etiam Ordo, ne irritentur sacramenta, quæ per Sacerdotes ministrantur non debet remanere aliquod dubium circa ipsam validitatem. Consecratio verò Ecclesiæ non est necessaria, cum passim celebratur in Ecclesiis tantum benedictis; & etiam in Oratoriis non benedictis.

6 Itaque videtur necessarium esse dubium negatiuum, ita vt nullum adsit motiuum iudicandi esse consecratam, quia si etiam adsit aliquod motiuum iudicandi pro consecratione erit circa factum, atque adeò habebit connexionem cum ipsa, erit sufficiens ad probandam consecrationem saltem extraiudicialiter, atque adeò non erit necessarium iterum consecrare: sic etiam vnicus testis sufficit ad probandum Baptismum quamuis sit sacramentum absolutè necessarium & quod facilius iterari debet.

7 Sed quid, si Ecclesiæ consecratio redderetur dubia, quia dubitaretur, an consecrator esset Episcopus. Resp. Quod si dubium habeat fundamentum considerabile, erit iterum consecranda sub conditione. Ita Graff. *part*.2. *decis. lib*.2. *cap*. 15. *num*.14. *in fine*. Leo *lib*. 1. *Thesauri fori Eccles. cap*.5. *num*.4. Pax Iordan. *tom*. 1. *Lucubrat. lib*.5. *tit*. 9. *num*. 65. argum. ex cap. *Presbyter dist*.68. vbi quando dubium est, an ordinatus fuerit Episcopus, debent Præsbyteri ordinati iterum ordinari: ergo etiam Ecclesia erit iterum consecranda, quando dubitatur, an consecrator fuerit Episcopus.

8 Rursus dubitari potest, quomodo sit apponenda conditio, quando sub conditione iterum Ecclesia consecratur; an scilicet sit exprimenda, an verò sufficiat eam mente concipere. Respon. Esse voce exprimendam, nec sufficere mente conci-

pere desumitur ex cap. *De quibus de Baptismo.* vbi Pontifex Alexand. III. pro iis, qui baptizantur sub conditione præscribit formam conditionalem in ipsis verbis, nempe. *Si Baptizatus es, non te Baptizo, & si nondum Baptizatus es ego te Baptizo*; & dicit Pontifex, quod baptizantur prædictis verbis, & proinde requirit formam ipsam conditionalem. Ratio autem pro præsenti casu est. Quia ad consecrationem Ecclesiæ nihil operatur intentio consecrantis, quia preces, conciones, & cætera quæ interueniunt, non sunt consecratiuæ tanquam actiones consecratoris, sed tanquam actiones Ecclesiæ, nam consecrator eas exercet tanquam publicus minister, & in persona Ecclesiæ; & ideò, si forma consecrationis est absoluta in esse extrinseco sensibili, quia Ecclesia non concipit aliquam conditionem, à qua dependeat, inducet etiam absolutè consecrationem, quia operabitur secundum suam institutionem, & secundum intentionem Ecclesiæ, à qua dependet. Et ideò necesse est, quod consecratio conditionatè se habeat quatenus exercetur in persona Ecclesiæ, quod fieri non potest, nisi opponatur sensibilis conditio.

QVÆSTIO 526.

An, si in Ecclesia nondum consecrata offeratur sacrificium, remaneat consecrata.

SVMMARIVM.

1. *Alia ratio de Ecclesia non consecrata, & alia de polluta.*
2. *Oblatio sacrificij diuerso modo se habet ad Ecclesiam, Altare, & Calicem quoad inferendum consecrationem.*
3. *Ecclesia non potest per oblationem sacrificij eo modo sanctificari, quo per consecrationem.*
4. *Ecclesia per oblationem sacrificij, an remaneat consecrata.* & num. seq.
5. *Plus est facto consecrare quàm verbis.*
7. *Ecclesia non remanet consecrata per æquipollentiam ex eo, quod in ipsa Missa celebretur.*
8. *Celebratio Missæ non habet vim æquipollentem consecrandi.*
9. *Oblatio sacrificij cur possit reconciliare Ecclesiam non vero consecrare.*
10. *Insufficientia celebrationis quoad sanctificandum locum, vnde colligatur.*
11. *Celebratio Missæ in consecratione Ecclesiæ sumitur pro toto ritu.*
12. *Missæ celebratio cur non sanctificet Ecclesiam.*

1 Resoluendum est, quod alibi etiam dicitur. Quod scilicet diuersa est ratio de Ecclesia non consecrata: & de Ecclesia polluta, quia Ecclesia non consecrata, quamuis benedicta, non habet illam sanctificationem, quam confert consecratio: Ecclesia vero licèt polluta, retinet suam consecrationem, & sanctitatem, quia non polluitur in se, sed tantum in opinione hominum, vt suo loco dicitur; quod satis ex eo constat; quia, quando reconciliatur, non reiteratur consecratio, quod esset necessarium, si eam amitteret, sicut iteratur, quando destruitur, & ædificatur, quia scilicet per destructionem amittit consecrationem. Et ideò facilius est, quod Ecclesia polluta per celebrationem Missæ reconcilietur, quàm quod Ecclesia non consecrata consecretur.

2 Rursus quamuis quamplures existiment eodem modo discurrendum esse de Ecclesia, ac de cæteris, quæ consecrantur, nempe Altari, & Calice, itavt, quod dicitur de vno dicendum etiam sit de altero, quod ego quoque aliquando putabam: attamen est diuersa ratio. Nam Ecclesia non se habet immediate ad oblationem sacrificij, sicut se habet Altare, & Calix, sed solum mediatè tanquam locus continens Altare super quo offertur sacrificium, & ideò difficilius est, quod per nudam oblationem sacrificij consecretur Ecclesia, quam Altare, aut Calix. Dixi per nudam, quia consecratione Ecclesiæ celebratio Missæ informat totam seriem consecrationis, & ratione ipsius trahitur tanquam forma ad sanctificandum Ecclesiam: non secus, vt anima mediante organizatione trahitur, ad informandum corpus.

3 Præterea certum esse debet, Non posse celebrationem Missæ consecrare, seu sanctificare Ecclesiam, eo modo, quo consecratur, & sanctificatur, quando secundum ritum Ecclesiæ consecratur. Quia in primis non seruatur eadem forma, & ritus, vt per se manifestum est. Deinde consecratio fit per certum ministrum, nempe Episcopum. c. *Tabernaculum.* c. *Sicut. de consecr. dist.* 1. & dictum est in superioribus. Vnde stante diuersitate ritus, seu forma, & etiam Ministri, non potest induci per celebrationem Missæ ea ritualis sanctitas, quæ inducitur per consecrationem, quia causæ, & actiones diuersæ inducunt etiam effectus diuersos. Et ideò, quando quæritur, an Ecclesia per oblationem sacrificij in ipsa, remanet sanctificata, non est sensus an recipiat eandem sanctitatem, quam inducit consecratio, sed an recipiat aliquam æquipollentem, ratione cuius alio modo dicatur sanctificata, & Deo dicata, itavt quamuis possit adhiberi consecratio consueta, non sit tamen de necessitate adhibenda, vt fiat locus sacer. Neque in alio sensu puto loquutos fuisse, qui partem affirmatiuam tradiderunt.

4 Prima sententia est eorum qui loquuntur, vel de Ecclesia, vel de Altari, & Calice, sed putant idem dicendum de omnibus, volunt autem per celebrationem remanere consecratam. Ita Castro *de lege pæn. lib.* 2. *disput. penult. cap. vlt. post* 3. *conclus.* Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 27. *num.* 60. Graff. *cons.* 1. *num.* 10. *de consecrat. Eccles.* Sà *verbo* Ecclesia *num.* 19. Auila *part.* 5. *de censuris, disput.* 7. *dub.* 3. Nald. *verbo* Ecclesia *num.* 24. Bonac. *de matrimon. quæst.* 4. *punct. vltim. num.* 27. Francisc. de Nigro *in addit. ad Ruiz part.* 6. *animaduers.* 8. *num.* 4. Marchin. *de sacrament. ordin. tractat.* 3. *part.* 3. *cap.* 13. *num.* 3. Marchant. *in quæst. Pastoralibus tractat.* 5. *cap.* 8. *ver. Hinc resolue.* Delbene *de immunit. cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 11. *num.* 6.

5 Fundamentum pro hac sententia desumitur ex cap. *De fabrica. de consecrat. distinct.* 1. vbi significatur, Ecclesiam à fundamentis innouatam, quæ proinde indiget noua consecratione, remanere consecratam, si in ea celebretur Missa. Secundò. Quia consecratio ordinatur ad sanctificandam Ecclesiam, & hæc sanctificatio non consistit in aliqua sanctitate propriè dicta, sed in eo, quod locus consecretur, & dedicetur Deo in ordine ad cultum, & præcipuè oblationem sacrificij. Hoc autem, fit per æquipollentiam per celebrationem Missæ, per quod facto ipso deputatur diuino cultui, & dedicatur pro oblatione sacrificij, plus autem est facto consecrare, quàm verbis *l. Non dubium* 6. *C. de legib.* & cap. *Legebatur. de maior. & obedient.*

6 Secunda sententia negat, remanere consecratam. Ita ij, qui putant esse eandem rationem de Ecclesia, & Altari, &c. & etiam qui id negant de reconciliatione Ecclesiæ: nam à fortiori, negant etiam de consecrat. Layman *lib.* 5. *Theol. moral. tractat.* 5. *cap.* 5. *n.* 13. Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.* 16. *n.* 11. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 15. Portel. *in Rubr. Regul. verbo* Ecclesia *num.* 5. Lugo Cardin. *de Eucharist. disput.* 20. *sect.* 2. *num.* 62. Faustus *de Eucharist. lib.* 2. *quæst.* 238. Franciscus Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 6. *quæst.* 12.

Digitized by Google

quest. 12. *num.* 99. Gatzia *in sum. tractat.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 2. *punct.* 4. *num.* 49. Piasec. *in praxi Episcop. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 5.

7 Dicendum est. *Ecclesiam non remanere consecratam per æquipollentiam ex eo, quod in ipsa celebretur Missa.* Prob. Vt Ecclesia celebratione Missæ remaneret consecrata per æquipollentiam, opus esset, quod celebratio Missæ haberet ex se hanc vim sanctificandi æquipollenter ad consecrationem, quia cum non habaar seorsim accepta ab institutione Ecclesiæ, deberet habere ex sui natura. Non habet autem hanc vim. Primò quia omnis actio sanctificatiua debet versari circa subiectum sanctificandum, & in ipsis ponere suum effectum, & non potest ponere, nisi actio in ipsa recipiatur: Talis autem non est celebratio Missæ, nam non versatur circa Ecclesiam, quia Ecclesia se habet solum mediate, sed versatur tantum circa Altare, in quo offertur sacrificium; & ideò cum Ecclesia remotè se babeat, nec adsit aliquid ratione cuius per modum actionis illam coniungat tanquam sanctificatiuum cum Ecclesia sicut coniungitur, quando vnitur cum ritu consecrationis, non potest exercere vim sanctificatiuam respectu ipsius.

8 Secundo. Quia si haberet ex se vim consecrandi æquipollenter, illam semper exerceret in quocunque loco, quia semper causa applicata cuicunque subiecto exercet in eo suam efficaciam producendo suum effectum. Hoc autem non contingit in celebratione Missæ, nam celebratur in Oratoriis, non solum publicis, & quæ sunt intra septa monasteriorum, sed etiam in priuatis absque eo, quod causet per æquipollentiam effectum consecrationis, siquidem conuerti possunt in prophanos vsus.

9 Dices. Si esset verum, quod dictum est, *num.* 7. neque etiam celebratio Missæ posset quoad substantiam reconciliare Ecclesiam pollutam, & tamen posse reconciliare dicetur suo loco. Resp. Esse disparem rationem, quia Ecclesia polluta non amittit consecrationem; sed tantum polluitur, non in se, sed in hominum opinione, & ideò pro reconciliatione non requiritur actio, quæ inducat in ipsam aliquam sanctitatem; sed sufficit actio, quæ eam restituat opinioni hominum deputatum, quod fit secundum substantiam, quando in ipsa celebratur sicut contingeret, si infamis, qui arcetur à dignitatibus promouetur à Principe ad aliquam dignitatem. Ecclesia namque ratione pollutionis non est habilis, vt in ea offeratur sacrificium, & ideò quando offertur, restituitur sue habilitat.

10 Dices 2. Contra id, quod dictum est *num.* 8. Non sanctificari omnem locum per celebrationem Missæ, sed eum solum, qui est capax sic, si gratia sanctificans poneretur in lapide, aut in bruto, non sanctificaret, quia subiectum non est capax, sanctificat autem si ponatur in anima. Requiritur ergo, vt locus sit capax sanctificationis, quod sit permanēter, & irreuocabiliter destinatus pro cultu diuino. Verum licet requiratur subiectum capax, vt possit in ipso causa ponere suum effectum: attamen eo ipso, quod subiectum est capax causæ est etiam capax effectus ipsius. Oratoria autem iuxta ritum Ecclesiæ sunt capacia, vt in iis offeratur sacrificium, & sunt ad hunc effectum destinata; & ideò sacrificari possent per oblationem ipsius, si oblatio baberet vim sanctificandi. Deinde oratoria, præcipuè quæ sunt intra septa Monasteriorum, aut inseruiunt pro Hospitalibus, Hospitiis, Grangiis sunt capacia consecrationis sicut sunt Ecclesiæ, ita vt si adhiberetur, remanerent consecrata: ergo sunt etiam capacia effectus sanctificationis, quem posset tribuere oblatio sacrificij, si baberet vim sanctificandi.

Ad 1. Resp. In illo text. c. *De fabrica. de consecrat. dist.* 1. per celebrationem solemnitatis Missarum, intelligi illam primam Missam, quæ celebratur in ordine ad consecrandam Ecclesiam; & quia hæc est principalis actio, ideò sumitur pro toto ritu consecrationis, nam est veluti forma informans totum ritum, quo trahitur ad sanctificandam Ecclesiam. Vnde solum ex hoc textu colligitur, quod Missæ celebratio pertineat ad substantiam consecrationis. 11

Ad secundam, Missæ celebrationem non sanctificare per æquipollentiam Ecclesiam, vt constat ex dictis, quia licèt sit actio sanctificatiua, non versatur tamen circa Ecclesiam, vt subiectum. Et ideò hoc non habet locum, quod sit plus facto consecrare, quàm verbis; quia non interuenit factum consecratiuum. 12

QVÆSTIO 527.

An stante opinione, quod Ecclesia per oblationem sacrificij consecretur, esset rursus consecranda.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia, in qua est celebrata Missa, stante opinione, quod per ipsam consecretur, an consecranda.*
2. *Debet de nouo consecrari etiam admissa hac opinione.*
3. *Factum S. Athanasij ex quo id elicitur.*
4. *Solemnitas Ecclesiæ est supplenda in quolibet actu.*
5. *Quando Ecclesia consecratur, in qua iam est celebratum, an omittenda Missa.*
6. *Qua consecratio Ecclesiæ non sit iterabilis.*

QVia potest aliquis amplecti opinionem, quod Ecclesia per oblationem sacrificij consecretur saltem quoad substantiam, ideò remanet dubium, quomodo iste in praxi se gerere debeat, an scilicet ritu consueto esset adhuc consecranda, an verò omitti posset consecratio. Ratio dubitandi est. Quia consecratio, vt dictum est in superioribus, imitatur sacramenta, quæ imprimunt characterem, & proinde non est iterabilis. Si ergo remanet consecrata per oblationem sacrificij, non poterit rursus consecrari; non secus, ac si ritu consueto fuisset consecrata, quia quod est sacrum, non potest rursus consecrari. 1

Dicendum tamen. *Etiam admissa opinione quod per oblationem sacrificij Ecclesia remaneat consecrata, adhuc tamen potest de nouo consecrari*, dixi, *potest*, quia consecratio non est absolutè necessaria cum sufficiat sola benedictio, & ideò Ecclesia, non est de necessitate consecranda. Hoc autem constat in primis ex praxi, nam passim celebratur per longum tempus in Ecclesiis solum benedictis, & postea consecrātur, quæ consuetudo satis esset ad ostendendum, quod dato quod celebratio Missæ conferret æquipollentem sanctificationem, non per hoc tamen fit, quod non possit Ecclesia solemni ritu consecrari. 2

Præterea hoc etiam ostendit factum S. Athanasij, de quo ipse *in apolog. ad Constantin. Imperat. in* 3. *accus. tom.* 2. *oper. ipsius*. Nam cum delatum fuisset Imperatori, quod consecrasset Ecclesiam, quam ipse Imperator ædificauerat, sine eius licentia, & interuentu. Respondit, se non consecrasse, sed tantum sacram synaxim celebrasse, Ecclesiam verò posteà consecrandam cum interuentu eiusdem Imperatoris. Ex quo constat, quod celebratio Missæ non impedit consecrationem post celebrandum data, quod induceret aliquam sanctitatem æquipollentem. 3

Quod etiam confirm. Quando priuatim ratione

necessitatis aliquis baptizatur, suppletur postea solemnitas Baptismi, cum omnibus ritibus, quamuis substantialiter baptizatus sit, & solùm non repetitur substantia Sacramenti, quia solum est iterabilis in dubio; & hoc totum constat ex praxi. Rursus. Si in ordinatione omittantur aliqua, quamuis ordinatos receperit verum ordinem, imò, & ipsum exercuerit, quæ sunt omissa debent suppleri, vt statuitur in cap. *vnic. de sacra vnct.* ergo dato, quod per celebrationem Missæ Ecclesia esset æquipollenter sanctificata, repetendi essent titus, qui præscribuntur in consecratione.

5 Dices. Ergo saltem erit omittenda Missa in consecratione, quia iam Ecclesia ab ipsa accepit sanctificationem. Resp. Quia neg. conseq. vt constat ex praxi. Et ratio est. Quia non sumus in Sacramentis, quæ iterari non possunt, sed agitur de Missa, quæ est iterabilis. Quando enim coniungitur cum cæteris ritibus, trahitur tanquam forma, quia ipsi informantur ad sanctificandam Ecclesiam, & habet etiam ex ordinatione Ecclesiæ vim sacrificandi. Et ideò alio modo concurrit ad sacrificandum, ac concurrat, quando se sola celebratur.

6 Ad rationem dubitandi resp. Consecrationem, quæ fit in forma ab Ecclesia præscripta non esse iterabilem, quia cum consistat in rituali modo consecrandi, quod est tali modo consecratum, non debet amplius consecrari. At si celebratio Missæ consecraret per æquipollentiam, esset consecratio iterabilis, alioquin in eadem Ecclesia celebrata vna Missa, non possent aliæ celebrari, nam celebrando iteraretur prima consecratio.

QVÆSTIO 528.

An consecrator possit aliquid exigere pro consecratione Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Consecrator non potest aliquid exigere pro consecratione Ecclesia.*
2. *Consecratio an irritetur interueniente pacto simoniaco.*
3. *Simonia non nocet validitati sacramentorum.*
4. *Ecclesia simoniacè consecrata cur dicatur potius execrata.*
5. *Ecclesia à Simoniaco consecrata an reconcilianda. Malitia consecrantis non nocet consecrationi.*

1 Dicendum est. *Non posse à consecratore aliquid exigi pro consecratione Ecclesiæ; & si exigat tam ipse, quàm dantes incurrunt simoniam.* Ita statuit Innocentius II. in Synodo Romana relatus in cap. *fin. 1. quæst.* 3. & Alexander III. relatus in cap. *Cum sit, de simonia*, & obseruant *ibid.* Hostiens. Io. Andr. Innocent. Abbas, & cæteri Doctores. Et ratio clara est. quia consecratio est quid spirituale, & ideò daretur, & acciperetur aliquid pro spirituali, in quo consistit simonia.

2 Difficultas autem est. An interueniente pacto simoniaco irritetur consecratio. Difficultas autem oritur ex cap. *Ecclesf.* 1. *q.* 4. vbi de Ecclesia, quæ per simoniam est consecrata dicitur, quod *quæ pactione consecrata fuerit potius execrata, quàm consecrata, dici debet.* Verum tenendum est, quod consecratio sit valida, & Ecclesia reuera maneat consecrata. Ita Glos. *in dict. cap. Ecclesia, verbo* Pactione, *in fine.* Et ita habetur ex cap. *Non nocet.* 1. *quæst.* 1. vbi dicitur. Quod malitia consecrantis, neque Ecclesiæ consecrationi nocet.

Vnde in hoc text. æquipatantur Baptismus, & extera sacramenta cum Ecclesiæ consecratione. Sicut igitur sacramenta simoniacè collata valida sunt: ita etiam Ecclesiæ consecratio. Et militat eadem ratio propositionaliter; ideò enim non nocet sacramentis simoniacè collatis malitia conferentis, quia Christus est principalis causa, minister verò operatur nomine Christi. In consecratione autem Ecclesiæ consecrator non operatur nomine proprio, sed in persona Ecclesiæ, & ideò eius malitia non vitiat consecrationem. 3

Ad text. in contrarium allatum resp. quod non dicit, quod fit execrata, sed quod potius execrata dici debet. Qui modos loquendi adhibetur in detestationem consecrationis; nam actio consecrationis, quatenus est actio ipsius, detestabilis est, seu quatenus imperata ex voluntate simoniaca, quatenus verò fit nomine Ecclesiæ, sancta est, & habet vim sanctificandi, non secus, ac si fieret à bono consecratore, sicut contingit etiam in sacrificio, quod neque, quatenus offertur nomine Ecclesiæ, inficitur malitia offerentis. 4

An autem Ecclesia à Simoniaco consecrata debeat reconciliari. Resp. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 34. & citat Archidiacon. *in cap. Ecclesia* 1. *quæst.* 4. Esse reconciliandam per alium Episcopum. Quia largo modo in odium criminis habetur pro non dedicata. Verum si hoc esset admittendum, non deberet reconciliari, sed consecrari, quia reconciliatio solum habet locum, quando manente consecratione, polluitur Ecclesia; si autem habetur pro non consecrata deberet de nouo consecrari. Itaque non videtur necessaria reconciliatio, aut aspersio, cum nullus text, hoc iniungat. Imò lo cap. *Non nocet* 1. *quæst.* 1. habetur expressè, quod *Non nocet malitia Episcopi neque ad Baptismum infantis, neque ad Ecclesiæ consecrationem.* Noceret autem, si esset aspergenda, & reconcilianda, nam redderet indigentem reconciliatione, atque adeò etiam pollutam. 5

QVÆSTIO 529.

An consecrans Ecclesiam possit exigere procurationem.

SVMMARIVM.

1. *Consecrans Ecclesiam potest exigere procurationem.*
2. *Procurationis appellatione quid veniat.*
3. *Procuratio subministranda magis, vel minus pinguis iuxta facultatem Ecclesia.*
4. *Consecrans Ecclesiam an possit cogere ad præstandam procurationem.*
5. *Procuratio non est exhibenda pro reconciliatione Ecclesia.*
In procuratione exigenda non valet extensio.
6. *Procuratio, quando non debetur, sponte exhibita, potest acceptari.*

Dicendum est. *Episcopum consecrantem Ecclesiam posse exigere procurationem.* Ita statuitur in cap. *Cum sit Romana, de simon.* & ita obseruant Glos. *ibid.* verbo *Procurationem.* Abbas, Io. Andr. Alexan. de Neuo, Innocent. Hostiens. & cæteri Doctor. *ibid.* Graff. *parte secunda, decisionum, libro secundo, capite decimoquinto, numero* 13. Leo *parte prima Thesauri fori Ecclesiast. capite sexto, numero decimosexto.* Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 36. Neque enim ista procuratio datur pro consecratione, aut labore, sed ex quadam ciuilitate: cum sit æquum, 1

quod

qood dum Episcopus impendit operam suam in consecratione, teeipiat, quæ necessaria sunt pto alimentis.

2 Nomine autem procutationis veniunt, quæ sunt necessatia pto alimentis Episcopi, & eorum, qui soot in ipsius comitatu. Ita desumitut ex Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.*3. *de Reformat.* vbi loquens de procurarione exhibenda Episcopis visitantibus, habet, quod nihil debent accipere exceptis tamen victualibus, quæ sibl, ae suis frugaliter, moderatéque pro temporis tantum necessitate, & non vltra, erunt ministraoda. Eadem autem tatio de procuratione pro conseeratione Ecclesiæ.

3 Est ramen aduertendum, quod ista victualia subministranda sunt à Rectoribus Eeelesiæ magis, vel minus pinguia luxta facultates Ecelesiæ, quæ consecratur. Cap. *Sopita*, *de censibus*, & notat Glos. *in eap. Cum sit*, *verbo* Procutationem. *De simonia.* E contra verò, si Ecclesia tatione paupertatis non posset exhibete procurationem, deberet Episcopus propriis sumptibus supplere, vt *ibid.* Glos. modo citata per rex. Cap.*Cauendum* 10. *Quest.*1. & cap.*Placuit.* 1. *Quest.*2. Abbas, Innocent. *ibid.* Graf. *lib.*2.*decis.cap.*15.*num.*13. *part.*2. Leo *lib.*1. *Thesauri fori Ecclesias cap.*5. *num.* 18. Neque enim Ecclesia tatione paupertatis debet carete consecratione. Et cum aliàs Episcopus habeat suos prouentus teoetur impendere gratis munus proptium, quando occasio id exigit.

4 An autem cogere possit ad præstandam procurationem, quando suppetunt facultates Ecclesiæ affirmatiuè tesoluendum est, vt notant Abbas *in* cap. *Cum sit Romana de simoni:* Pax Iordan. *tom.*1. *Lucubrat. lib.*5. *tit.*9.*n.*38. Quia quando Procuratio conceditut à iure, exigi potest & cogi, ad quem pertineat ad soluendum cap. *Sopita de censibus.* Quamuis enim procuratio soluatur potius ex quadam conuenientia, quam ex debito: Quia tamen ius eam decernit, vt dictum est, ideo transit in verum debitum, & locum habet coactio in ordine ad solutionem.

5 Est tamen aduertendum. Quod licet exhibenda sit procutatio pto consectatione Ecclesiarum, non tamen exhibenda est pro earundem reconciliatione, vt docent Archidiacon. *in eap. Ecclef. init. de consecrat. dist.* 1. Felin. *in eap. Accedentes in fine, de præscript.* Vincent. *in cap. Cum ab omni, de vita, & honest. clericor.* Butrius *in cap. Proposuisti, de consecrat. Eccles.* Abbas *ibid.* Neque enim lus pouit hune casum, in quo exhibenda sit procutatio. Tunc autem solum exhibenda est, qoando de iure exigi potest. Nec admittenda est doctrina Abbatis *in cap. Cum sit de simon.* procedi pusse de casibus similibus similes, quoad materiam procurationis quia strictè procedendum est, quia sumus io exorbitantibus à iure in quibus locum oon habet extensio. Vnde Concil. Trident. *sess.*24. *cap.* 3. *de reformat.* vult, quod in hac materia, quantum fieri possit strictè procedantur, & proinde neque in visitatione exigatur procuratio, licet de iure concessa si adsit consuetudo non exigendl.

6 An autem, si sponte exhibeatur, acceptari possit, non viderut adesse ius aliquod probibens aeeeptarl. Quamuis enim Concil. Trident. *sess.*24. *cap.*3. *de reformat.* disponat, quod oihil accipiatur ab Episcopo, aut suis, qualitercunqne offeratur, non disponit tamen pro præsenti casu, sed pro Visitatione, de qua est alia tatio, quia cum ordinerut ad corrigendum, debent excludi omnino munera, vt correctio, vbl opottet, liberior sit. Deinde excipit victualia ab hac dispositione, quæ concedlt, posse recipl.

QVÆSTIO 530.

An constare debeat de Consecratione, & quomodo.

SVMMARIVM.

1. *Quando aliquo modo non constat de consecratione, Ecelesia habenda pro non consecrata.*
2. *Vt probetur consecratio Ecclesiæ, sufficit aliqualis probatio.*
   Si tamen inducat intellectum ad assentiendum.
   In assensu dubio Ecclesia habenda pro non consecrata.
3. *Testis nesciens distinguere inter consecrationem, & benedictionem, non probat consecrationem.*
4. *Ecclesia Cathedralis an præsumenda consecrata, si non constet.*
5. *Probabilitas facti non sufficit pro præsumenda consecratione Ecclesiæ.*
6. *Quando indirectè probari possit consecratio Ecclesia.*

Dicendum est. *Si non constet aliquo modo de consecratione Ecelesiæ, habendam esse pro non consecrata, & ideo esse consecrandam.* Ita Innocent. *in Rubr. de consebrat. Eccles.* Penna *in l.vlt. vers.*24. *C. de Quest. lib.*12. Aleiat. *Reg.*2. *præsumpt.*4. *num.*2. Vbi latè. Mascardus *de probat. verbo* Consacratio Eccles. *conclus.* 415. *num.*1. & *verbo* Eccles. *an præsumption. consecration. conclusio.* 583. Vgolin. *de potest. Episc. cap.* 22. *num.*8. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.*5. *tit.*9. *num.*44. & communiter. Consectatio enim pertinet ad factum, & est ex iis, quæ relinquunt post se effectus permanentes, & ideo, cum noo semper post etectionem Ecclesiæ soleat subseqoi, sed frequenter adhibeatur Benedictio tantum, ideo si non constet aliquo modo de consecratione, non debet præsumi. 1

Dicendum 2. *Pro probanda consecratione Ecclesiæ non requiri plenam, & concludentem probationem, sed sufficere aliqualem, ac etiam minorem semiplena.* Ita communiter Doctores testaote Pax Iordano *tom.* 1. *Lucubrat. lib.*5. *tit.*9. *num.*48. Ratio est. Quia non agitur de alicuius præiudicio, sed de re maximè fauorabili. Verum in hoe quoque, eauendum est, ne potius leuiter, quàm solerę habeatur pro eonsecrata. Et proinde pensanda sunt motiua, ex quibus inducitur consectatio, debent enim esse talia, vt inducant intellectum ad assentiendum absque dubitatione, quod sit eoosectatio; quia si assentitur dubiè, sumus in dubio, & ldeo Ecclesia habenda est pro non consecrara iuxta cap. *Solemnitates, de consecrat. dist.*1. vbi Felix Papa, *Epist.*1. *ad omnes Orthodoxos.* Statuit ita: *De Ecelesiarum consecratione quoties dubitatur, & nec certa scriptura, nec certi testes existant; quo à quibus consecratio sciatur, absque vlla dubitatione scitote eas esse consecrandas.* Et ideo quando dicitur, quod sufficit aliqualis probatio, nec requiritur concludens, intelligitur, dummodo talis probatio in suo genere sit certa. 2

Ex qoibos sequitur, quod si testes asserentes, Ecclesiam esse consectatam, nescirent distinguere, inter consecrarionem, & benedictionem, non sufficerent, etiam si esent plures, pro probanda consectatione, qoia noo esent certi testes, quales tequiruntur in dict. cap. *Solemnitates*, nam deponerent de re incerta, quia eorum dictum correspondetet exceptioni, & notitiæ, quæ eum nesciat distinguere inter consecrationem, & benedictionem, nec etiam 3

dictum magis erit de consecratione quàm de benedictione. Et ideo eos examinans ante omnia requirere debet, an sciant, quid sit consecratio, & quid benedictio, quod si nesciant distinguere, interrogandi erunt an adhibiti sint ritus speciales consecrationis, si fortè de ipsis quoad factum habent notitiam.

4 De Ecclesia autem Cathedrali an præsumenda sit non consecrata, si de consecratione non constat volunt præsumendam consecratam, Mascard. *de probat. verbo Eccles. an præsum. consecr. conclus.* 583. n.2. Lambert. *de iurepatron. part.* 7. *art.* 2. *quæst.* 1. *lib.* 1. *num.* 15. vers. *An autem.* Vgolin. *de offic. Episcopor. cap.* 28. *num.* 4. *vers.* 1. *in fine,* quos sequitur Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 47. Quia vt plurimum Ecclesiæ Cathedrales cum primum perfectæ sunt, solent dedicari ob ipsorum prærogatiuam, tum quia id commodum est Episcopis, tum quia cum sint ipsorum sponsæ, curant earundem honorificentiam, & quantum possunt curant, eas ornare, præsertim spirituali ornamento consecrationis.

5 Verum hæc sunt tantum coniecturæ quædam, quæ coniecturaliter probant solam probabilitatem facti, non autem ipsum factum. Et proinde ex vi ipsarum factum consecrationis ponitur tantum sub probabilitate, non per certas probationes in suo genere eiusdem probabilitatis, sed solum per coniecturales: vnde adhuc factum remanet dubium secundum se, quia remanet tantum sub probabilitate; & remanet etiam dubium quoad probationem, quia probatio est solum coniecturalis. Et ideo non soluatur, quod requirit Felix Papa in Cap. *Solemnitates, de consecrat. dist.* 1. quod consecratio innotescat per certam scripturam, aut certos testes, aut per aliam probationem æquipollentem.

6 Nec obstat, quod etiam per indicia probetur consecratio Ecclesiæ, vt dicit Glos. Margin. in modo dict. cap. *Solemnitates.* Quia hoc procedit, quando indicia sunt certa, & non tantum in suo esse coniecturalia, & quando sunt circa factum ipsum: non autem circa tantum probabilitatem facti, quia hæc non probant factum esse, sed quod probabile sit, quod sit factum: Vnde adhuc relinquit factum in incertitudine.

QVÆSTIO 531.

Quibus argumentis probetur consecratio Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1. *Consecratio Ecclesiæ probatur per vnicum testem. Testis vnicus sufficit, cum agitur de fauore alicuius, & nullius præiudicio.*
2. *Qualis testis requiratur pro probanda consecratione Ecclesiæ. Testificans de baptismo debet esse certissimus.*
3. *Testis de auditu an sufficiat pro consecratione Ecclesiæ.*
4. *Quando alicuius intentio fundatur in consecratione Ecclesiæ debet concludenter probari.*
5. *Consecratio Ecclesiæ probatur ex memoriis relictis, & quanam sint.*
6. *Cruces in parietibus sunt sufficiens signum consecrationis.*
7. *Inscriptiones probant consecrationem Ecclesiæ.*
8. *Et est omnium certa probatio.*
9. *Libri, & scriptura probant consecrationem Ecclesiæ.*
10. *Scriptura priuata quando nullam faciant fidem.*
11. *Quid requiratur, vt libri, & scriptura probent consecrationem Ecclesiæ.*
12. *Fama probat consecrationem Ecclesiæ. Fama quando plenè probet.*
13. *Solemnitas consecrationis, quando probet consecrationem. Probationes præsumptiuæ quando sufficiant.*

QVod per testes probari possit, nulli dubium esse potest, & ita statuitur in cap. *Solemnitates, de consecrat. dist.* 1. Solum difficultas est, an sufficiat vnicus Testis. Dicendum 1. *Ad probandam consecrationem Ecclesiæ sufficere vnicum Testem.* Ita Glos. *in dict.* cap. *Solemnitates, verbo.* *Nec certi testes.* Alzedo *de præcellent. Episc. dignit. part.* 1. *cap.* 4. *n.* 27. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 53. Ratio generalis est. Quia quando agitur de fauore alicuius, & in iis, quæ nemini nocent, sufficit vnicus testis cap. *Cum itaque,* & cap. *Pastoralis, de consecrat. dist.* 4. & tradunt Glos. *fin. in cap. Licet vniuersis, de testib.* & *in* cap. *Placuit, de consecrat. dist.* 4. & *in cap. Quanto* 2. *Quæst.* 9. Domin. *ibid.* Speculator *tit. de test.* 6. *Fallent.* 9. & 16. Felin. *in cap. Veniens, de testib.* Iaf. *in l. Rescripta, C. de precib. Imperat. offer.* Hyppolit. *in l.* 1. §. *Idem Cornelio, ff. de quæst.* Afflict. *super const.* Tit. *De Apost. numer.* 12. *lib.* 1. Gabr. *tit. de testibus conclus.* 1. *num.* 16. Consecratio autem tendit in fauorem Ecclesiæ, & non in præiudicium alicuius, & ideo est ex illis, quæ teste vnico probari possunt. Confirm. Quia Baptismus de quo requiritur: maior certitudo, vtpote absolutè, necessariò probatur vnico teste, cap. *Paruulos, de consecrat. dist.* 4. Ergo etiam Ecclesiæ consecratio. 1

Est tamen aduertendum, quod non sufficit quicunque testis, sed debet esse testis certus, hoc est qui habeat cognitionem certam de eo, quod testificatur: sicut etiam debet esse, qui testificatur de baptismo, vt habetur ex cap. *Placuit* 3. *de consecrat. dist.* 4. ibi. *Quoties non inueniuntur certissimi testes.* Nam si non habet certam cognitionem, cum testificatio sit, secundum mensuram cognitionis, remanebit dubia. Atque adeo Ecclesia erit consecranda, iuxta cap. *Solemnitates, de consecrat. dist.* 1. 2

Atque ex hoc resoluitur difficultas, an sufficiat testis de auditu. Quod enim sufficiat, tenet Glos. *in dict.* cap. *Solemnitates,* verbo. *Nec certi testes, de consecrat. dist.* 1. Quod etiam videtur sentire Innocentius *in rubr. de consecrat. Eccles.* quem citat. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 54. & concludit, quod prudens arbitrium Episcopi debet indicare ex circunstantiis, an sufficiat dictum vnius testis, difficile tamen puto, quod possit sufficere testis vnicus de auditu, quia cum agatur de re publicè operata, fieri non potest, quin saltem de auditu adsint plures testes; vnde si vnicus tantum reperiretur res valde suspecta esset. Quicquid tamen de hoc sit, esset huiusmodi testis diligenter interrogandus, vnde id sciret, & iuxta originem notitiæ, quam habet, iudicandum. Et solum in eo casu esset admittenda eius testificatio, in quo constaret quod audierit, à personis, quibus esset præstanda fides: Et quando ipse quoque ratione qualitatum personalium mereretur certam fidem; & non adesset aliqua suspicio leuitatis. 3

Supradicta autem procedunt, quando aliquis suprà consecratione Ecclesiæ, non fundaret suam intentionem: nam in casu, in quo fundaret in ordine ad agendum in iudicio, deberet de ipsa consecratione plenè constare, quia tunc, cum procederetur iudiciali modo, probationes quoque ex quibus deberet resultare sententia, deberent esse iudiciales. 4

Et

Et ita notat etiam.Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat.lib.5. tit.9. numer.55.* quia inquit cessaret ratio, ob quam sufficeret vnicus testis, nam ageretur de alterius præiudicio.

5 Dicendum 2. *Consecrationem Ecclesiæ probari etiam ex memorijs relictis, siue tanquam testificationibus, siue tanquam signis.* Hæ autem memoriæ sunt diuersæ rationis, nam quædam sunt institutæ ad manutenendum memoriam talis facti: quæ dùm verò quæ sequuntur ex ipsa consecratione. Inter has memorias primò sunt Cruces, quæ formantur in parietibus Ecclesiæ quæ vnguntur in ipsa consecratione. Hæ igitur Cruces si reperiantur in parietibus Ecclesiæ probant consecrationem. Ita Lambertin. *de iurepatron. part.7. art.2. quæst.1. princip. lib.1. numero 1.* Mascard. *de probat. verbo* Ecclesia, *an præsum.consecr. conclus.583. num.2.* Philip. Dec. *consil.135. num.2. lib.1.* Alzedo *de præcel. Episcop. dign. part.2. cap.4. num.27.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg.27. numero 5.* Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.9. num.57.* qui *num.59.* id extendit, etiamsi non adsint omnes Cruces, sed aliquæ tantum.

6 Ratio autem est. Quia huiusmodi Cruces non formantur in parietibus Ecclesiæ, nisi quando consecratur, & propter effectum consecrationis, & ideò eo ipso, quod reperiuntur in parietibus supponitur sequuta consecratio. Dices. Potuisse contingere, quod Cruces formatæ sint in ordine ad consecrationem, sed quod postea ex aliquo inopinato casu non sit sequuta consecratio, & ibi remanserint Cruces. Sed hoc dici non potest, quia non est verisimile, quod Prælati permiserint remanere Cruces, si consecratio non fuisset sequuta, propter quam erant præparatæ. Nam cum suscipiatur tanquam infallibile signum consecrationis; non est credibile, quod etiam illi, ad quos spectat regimen Ecclesiæ permiserint remanere, dùm non sit subsequuta consecratio: quia hoc esset absque vlla vtilitate velle fallere posteros. Quod si non adsint omnes Cruces, sed tantum aliquæ, tunc erunt signum consecrationis; ex circunstantiis deduci possit, quod cæteræ vetustate consumptæ sint: secus autem, si deficiant hæ circunstantiæ, nam cum non sint in numero requisito pro consecratione præsumi potest, quoad alium effectum formatæ sint.

7 Secundò inter has memorias sunt inscriptiones, quæ positæ sunt ad effectum conseruandi memoriam consecrationis. Ita docet Innocent. *in Rubric.de consecrat. Eccles. num.1.* Purpurat. *in l.1. num.155. ff. Si cert. pet.* Dec. *consil.235. num.2. vet. Modo consecrat.* Curt. Iun. *de feud. part.1. quæst.1. num.10.* Mascar. *de probat. verbo* Consecrat. Eccles. *conclus.415. n.2.* & *verbo* Eccles. *an præsum. consecr. conclus.583. n.3.* Syluester *verbo* Consecratæ, *num.3.* Barbos. *de potest. Episcop. alleg.27. num.5.* Alzedo *de præcel. Episc. dign. part.2. cap.4. num.27.* Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.9. num.49.*

8 Et hæc est ex probationibus, quæ in hac materia haberi possunt inter omnes certa. Nam ponuntur huiusmodi inscriptiones tanquam testimonia ad perpetuam rei memoriam pro certificandis posteris de facto consecrationis, atque adeò publica auctoritate, nempe Episcopi consecrantis, aut committentis consecrationem, atque adeò vim habet Authenticæ probationis, cap. *Sanè* 2. 24. *quæst.*2. & *l.1. & 2. ff. de alb. scriben.* & tradunt Hyppolit. *in Rubr. num.192. Cod. de probat.* Alexand. *consil.90. num.12. volum.6.* Barbosa *consil.6. num.8. vol.2.* Calcan. *cons.98. num.8.* Guido Papa *consil.88. num.2.* & *quæstione 193. num.1.* Præsertim, quia testificanda est nuda existentia, quæ non requirit aliam probationem præter inspectionem.

9 Tertiò inter memorias probantes consecrationem Ecclesiæ reponuntur libri, & cæteræ scripturæ Ecclesiæ, in quibus notata sit consecratio ad futuram rei memoriam. Ita Glos. *in cap. Solemnitates, init. de consecrat. distinct.1.* Innocent. *Rubr. de consecrat. Eccles. num.1.* Abbas *in cap. Cum causam, de probat.* Felin. *num.2.* Mascard. *verbo* Consecrat. Eccles. *conclus.415. num.6.* Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.9. num.50.* Philip. Dec. *consil.135. num.2. vol.1.* Lambertin. *de iurepatronat. lib.1. art.7. quæst.2. a.10. part.1.* Syluester *verbo* Consecratio, *num.3.* Alzedo *de præcel. Episc. dignit. part.2. cap.4. num.27.* Quia licet huiusmodi Scripturæ priuatæ sint, cum tamen factæ sint ad transmittendum posteris factum consecrationis, habet vim saltem vnius testis, qui, vt dictum est supra *num.1.* sufficit in hac materia.

10 Nec obstat, quod scripturæ priuatæ, nullam faciant fidem, vt tradunt Doctores *in Authent. At si contractus, Cod. de fide instrument.* & *l. Scripturas, C. Qui potior in pign. habean.* & per adducta Maranta *part.6. special.* vet. *Et producantur Scriptura*, & *n.34.* Nam hoc intelligitur, quando iudicialiter proceditur, & quando requiruntur plenæ, & legitimæ probationes. Secus tamen in casu præsenti, quia sufficit, quod quocunque modo formari possit certum iudicium de facto consecrationis.

11 Et ideò, vt libri, & scripturæ sufficiant pro probanda consecratione; necesse est, quod tales sint, vt soleat ipsis fides adhiberi. Vnde si non soleret fides adhiberi, neque etiam probarent consecrationem, vt notant Glos. *in cap. Venerabilem, verbo* Transtulit, *de elect.* Bart. *in l.1. ff. Si cert. pet.* Felin. *in cap. Cum causam, num.1. de probat.* Mascard. *de probat. verbo* Consecrat. Eccles. *conclus.415. num.7.* alios citans. Nam tunc reijciuntur tanquam non merentes fidem. Rursus etiam oportet, quod testantur tanquam de re certa scribenti, & ideò si id scriptum fuisset tantum de auditu, non probarent, vt notat Bald. *in l.1. ff. de offic. quæst.* quia tunc non possunt expendi ea, quæ debent expendi, vt in hac materia credatur vnico testi de auditu.

12 Dicendum 3. *Famam quoque probare Ecclesiæ consecrationem.* Ita Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.9. num.56.* Ratio est. Quia quando sumus in antiquis, præsertim ciuilibus, fama plenè probat, vt tradunt Abbas *in cap. Licet ex quadam, post init. de testib.* Io. Andr. *ibid.* Hostiens. *in cap. Inter dilectos, de fide instrument.* & rursus ibi Abbas *num.6.* Bald. *in l. Conuenticula, verbo* Ex his infero, *C. de Episcop. & Cler.* Alexand. *in l. Cum aliquis, C. de iure deliber.* Ias. *ibid.* Speculator *tit. de probat. §. Nunc dicamus,* ver. *Concilium ergo.* Anton. Gabr. *lib.3. com. conclus. de præscript. conclus.1. num.84.* Quod saltem in hoc casu admittendum est, in quo non agitur de alicuius præiudicio. Oportet tamen, quod fama sit constans, quia si esset vana, nullam mereretur fidem. Rursus etiam, quod originis ipsius non extet initium, alioquin, si constaret de initio famæ, iuxta ipsum formandum esset iudicium, & non esset standum formæ.

13 Dicendum 4. Celebrationem quoque solemnitatis consecrationis probare consecrationem. Si tamen fuerit continuata; ita vt præsumi possit incœpisse statim post peractam consecrationem. Ratio est. Quia celebratio annua consecrationis facit vehementem præsumptionem, quod fuerit consecrata; neque enim verisimile est quod celebrent solemnitas consecrationis nisi præcesserit consecratio. In antiquis autem præsertim quando non requiritur exacta probatio sufficiunt probationes præsumptiuæ, *l. Census, & monumenta, ff. de probat.* & *l. Qui ex liberis, ff. de bonor. potest.* Secundum, & cap. *Cum causam,*

Digitized by Google

causam, de probat. & cap. *Veniens, de testib.* & tradunt Craucta *part.1. de antiq. temp. part. vlt. num.30. & 31.* cum Ias. & Calcan. Socin. *consil.266. num.31. vol.2.* Paris. *consil.104. num.42. vol.1.* Corn. *consil.24. num. 1. vol.4.* Castrens. *consil. 164. lib. 2.* Alexand. *consil.187. num.3. lib.2.* Ancharan. *consil.310.* Socin. Sen. *cons.187.* ver. *Secunda ratio, lib. 2.* Afflict. *decis.13. num.64.*

QVÆSTIO 532.

An consecratio Ecclesiæ sit quotannis solemnizanda.

SVMMARIVM.

1. *Consecratio Ecclesiæ quotannis solemnizanda.*
2. *Consecrator Ecclesiæ potest determinare diem pro annua solemnitate consecrationis.*
3. *Solemnitas annua consecrationis Ecclesiæ obligat sub mortali.*
4. *Redditur certa ex Constitutionibus Pij V.*
5. *Officium pro officio non potest pro consecratione Ecclesiæ, dato quod admittatur opinio illud admittens.*

1 SOlemnitatem dedicationis Ecclesiarum esse quotannis celebrandam, habetur ex Cap. *Solemnitates*, vbi Felix Papa ita statuit, & ex Cap. *Solemnitas, de consecrat. dist.* 1. vbi Gregor. quoque Papa idem statuit, & quod per octo dies celebranda sit, & id confirmat exemplo Christi, qui vt legitur in Euangelio, accessit ad festum dedicationis templi. Constat etiam ex praxi; nam in omnibus Ecclesiis dedicatis celebratur anniuersaria dies dedicationis cum octaua. Et ita obseruat Abbas *in Rubr. de consecrat. Eccles. n.2.* Ludouis. *decis.472. num. 5.* Rota *decis. 616. num. 1. part. 1. Recent.* alijs allegans. Solum difficultas est, an, & quanta sit obligatio celebrandi hanc festiuitatem.

2 Est autem præmittendum, quod est in potestate consecratoris determinare diem, in quo quotannis celebranda sit solemnitas consecrationis, si non placet dies, in quo dedicatur. Ita præscribitur in Rubricis Pontifical. *tit. de consecrat. Eccles.* Hoc autem debet exequi in ipso actu consecrationis, vt declarauit S.Rituum Congregatio 19. *Februarij* 1585. itavt extra actum non possit, vt declarauit 16. *Octobris* 1604. apud Gauant. *in Manual. Episcop. verbo* Ecclesiæ consecrat. *num.9. & 10.* Actus autem consecrationis intelligitur moraliter, nempè, aut quando est proximè inceptutus consecrationem, aut paulò postquàm compleuit. Hæc autem declaratio spectat propriè ad Episcopum consecratorem, itavt quando Episcopus loci committit alteri consecrationem, committat etiam actum declarandi, quia hic venit in consequentiam ad actum consecrandi. Et ita vidi seruari in vrbe in hac nostra Ecclesia S.Andreæ de Valle, quæ consecrata fuit ab Eminentiss. Francisco Cardinali Montalm.

3 Dicendum est. *Solemnitatem annuam consecrationis Ecclesiæ esse de obligatione sub peccato mortali.* Hæc autem obligatio deducitur ex cap. *Solemnitas, de consecrat. distinct.* 1. vbi dicitur, quod solemnitates dedicationum Ecclesiarum sunt quotannis celebrandæ. Et quamuis ex his verbis non colligatur præceptum, attamen quia subdit exemplum Christi, qui accessit ad festum dedicationis, inquiens omnibus id faciendi dans formam, videtur ex hoc exemplo inducere obligationem, siquidem vult Pontifex, quod sint celebrandæ ex eo, quod Christus suo exemplo docuit esse celebrandas.

4 Modo tamen obligatio est certa ex constitutionibus Pij V. præfixis Breuiario, & Missalis, in quibus obligat Pontifex, præcipit omnes, & singulos celebrare officium, & Missam iuxta ritum, & normam in ipsis præscriptam. Vnde cum Missale, & Breuiarium præscribant celebrationem dedicationis Ecclesiæ, remanet sub obligatione earundem Constitutionum, quia est pars ritus, & normæ, quæ præscribitur in Missali, & Breuiario. Et cum sit pars notabilis, cadet sub obligatione graui sub mortali.

5 Neque quoad hoc locum habere potest illa opinio quæ admittit officium pro officio. Nam quoad celebrationem dedicationis Ecclesiæ adest specialis repugnantia, dato quod illa opinio esset admittenda quoad alia officia. Nam celebratio dedicationis specialiter iniungitur in luce, vt dictum est *num. 3.* & quia dubium erat, an illi text. continerent obligationem grauem, sublatum est dubium per dictas constitutiones, & ideò tanquam specialiter iniuncta non admittit mutationem officij pro officio. Accedit etiam, quod talis mutatio tolleret à ritu præscripto præcipuam solemnitatem, & quæ durat per octo dies, & proinde induceret in situm præscriptum notabilem mutationem tam ratione qualitatis, quia excluderet vnam ex præcipuis solemnitatibus; quàm ratione quantitatis, quia excluderet per dies octo consuetum officium. Hæc autem mutatio prohibetur in dictis constitutionibus.

QVÆSTIO 533.

Quando Ecclesia amittat consecrationem, itavt de nouo consecranda sit.

SVMMARIVM.

1. *Consecratio non est iterabilis, quando remanet prior.*
2. *Amissio consecrationis differt à pollutione: & in quo.*
3. *Ecclesia amittit consecrationem, quando in totum vel in parte maiori destruitur.*
4. *Destructo tecto saluis parietibus non amittit Ecclesia consecrationem.*
5. *Quid si vltra tectum corruat etiam fornix.*
6. *Quid si destruatur tectum, & pars parietum supra fornicem.*
7. *Si destruatur Ecclesia, vt sub eadem forma ex eadem materia ædificetur, amittit consecrationem.*
8. *Nauis refecta & ijsdem tabulis, & sub eadem forma, est eadem.*

QVamuis consecratio iterabilis non sit, vt dictum est in superioribus, hoc tamen non tollit, quio possit aliquando amitti, & tunc habeat locum de nouo consecratio, quia tunc solum non est iterabilis, quando prior permanet. Vnde videndum est, quando Ecclesia indigeat noua consecratione, quod amittat priorem. 1

Est autem supponendum. Quod execratio, seu amissio consecrationis differt à pollutione, quia pollutio, vt dictum est etiam in superioribus, non destruit consecrationem, sed tantum maculat sanctitatem inductam per consecrationem: execratio è contra non inducit aliquam maculam, sed destruit ipsam consecrationem. Rursus ad execrationem Ecclesiæ 2

non

non consequitur execratio Altarium, si aliàs firma permaneant, neque ad execrationem Altarium sequitur execratio Ecclesiæ. E contra verò polluta Ecclesia, polluuntur altaria; & pollutis altaribus, polluitur etiam Ecclesia, cum actio, qua polluitur Altare fiat intra Ecclesiam. Atque ita notant inter alios Abbas *in cap. Proposuisti, circa finem, de consecratione Eccles.* Sylvester *verbo* Altare, *quaest.* 11. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 17. Delbene *de immunit. part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 15. *numero* 1. & 2. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 11. *num.* 1. Passerin. *de pollut. Eccles. disp.* 1. *cap.* 4. *num* 4.

3 Dicendum est. *Tunc Ecclesiam amittere consecrationem, quando, vel in totum, vel maiori ex parte simul destruitur, quocunque modo sequatur destructio.* Ita statuitur ex Concil. Nicæno in Cap. *Ecclesijs, de consecratione, distinctione prima*, & in Cap. *Ligneis, de consecratione Eccles.* & tradunt communiter Gloss. *in dict. cap. Ecclesijs, verbo* Exustæ, & *in cap. De fabrica, eadem distinctione*, & *in cap. Proposuisti*, & *in cap. Ligneis, de consecratione Eccles.* Ioan. Andr. Hostiens. Abbas, Butrius, & cæteri Canonistæ in dictum text. Innocent. *in Rubric. de consecratione Eccles.* Durand. *de diuin. Offic. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 31. *casu* 1. Paludan. *in* 4. *dist.* 13. *quaest.* 12. *artic.* 3. *conclus.* 2. Angel. *verbo* Consecratio Eccles. *num.* 3. *casu* 2. Sylvester *verbo* Consecratio 2. *quaest.* 4. *casu* 2. Tabiena *num.* 3. Armil. *eodem num.* Sà *verbo* Ecclesia, *num.* 18. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 27. *num.* 5. *in fine.* Azor. *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 4. *quaest.* 5. Suarez *disput.* 81. *de Euchárist. sect.* 4. *casu* 6. Facundez *praecept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 15. *numero* 59. Reginald. *lib.* 29. *praxis fori poenit. numero* 186. Piasec. *parte prima, praxis Episcop. capite quinto, numero quarto.* Miranda *tomo secundo, Manual. quaestione* 49. *articulo quinto, numero quarto.* Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 21. *numero* 13. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. libro quinto, titulo nono, numero* 67. Delbene *de immunit. parte* 1. *dubio* 2. *sectione* 14. *numero* 1. Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disputat.* 4. *dubio* 7. *numero* 117. Ratio autem est, quia, dum destruitur Ecclesia, aut ex toto, aut ex maiori parte, destruitur subiectum consecrationis, destructo autem subiecto, non potest remanere consecratio, & ideò si reficiatur est de nouo consecranda.

4 Ex his autem sequitur, quod si tectum Ecclesiæ destruatur saluis tamen parietibus, non per hoc Ecclesia amittat consecrationem, & proinde refecto tecto non erit repetenda consecratio; ita statuitur in cap. *Ligneis, de consecrat. Eccles.* vbi etiam Glos. Abbas, Io. Andr. Butr. & cæteri Doctores. Nam tectum Ecclesiæ non est maior pars ipsius, ideò per eius destructionem non dicitur destructa Ecclesia. Imò Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 72. extendit etiam si vltra tectum corruat modica pars parietum. Verum existimo, tunc solum posse habere locum, quando pars parietis, quæ corruit ita esset valdè modica, vt censerentur parietes integri perseuerare; nam in dict. cap. *Ligneis*, vt Ecclesia non amittat consecrationem, requiritur, quod parietes integri remaneant, ibi: *Cum parietes in sua integritate permanserint*, quod etiam notat Gloss. *ibid.* verbo *Parietibus.*

5 Maior difficultas est, quid dicendum, si Ecclesia habeat fornices, & vltra tectum corruat etiam fornix totus; tunc enim videtur magna ex parte destructa Ecclesia, atque adeò subsequuta reparatione indigere noua consecratione, sed tenendum est, quod neque tunc sit necessaria consecratio. Nam in dicto cap. *Ligneis*, quandiu parietes illæsi manent, seu integri, non est necessaria noua consecratio, vnde Gloss. *ibid.* verbo *Parietibus*, habet, quandiù parietes integri sunt, non est Ecclesia reconsecranda. Licet autem destruatur tectum, & totus fornix, non tamen destruuntur parietes, quia fornix est pars distincta à parietibus: imò vt pars destructa ab ipsis substentetur; imò fornix se habet loco tecti, & tectum est pars exterior Ecclesiæ.

Ex quibus deducitur, quod si destruatur tectum, & 6 tota illa pars parietum quæ se extendit supra fornicem ad substentandum tectum non amitteret consecrationem. Quia illi parietes tanquam extra ambitum Ecclesiæ habentur pro parte extranea in ordine ad effectum consecrationis, quia licet sint pars fabricæ, non sunt tamen pars Ecclesiæ consecratæ. Vnde etiam si tectum, & fornix destruerentur, & etiam parietes, quatenus se extendunt supra fornicem non amitteret consecrationem, quia remanerent integri parietes, quatenus sunt partes consecratæ Ecclesiæ.

Deducitur etiam resolutio illius quæstionis, an si 7 Ecclesia destruatur ex intentione tamen, vt reficiatur ex eadem materia sub eadem prorsus forma, & mensuris, indigeat noua consecratione. Resoluendum est; quod priorem consecrationem amittat, & noua indigeat. Ita docent Gloss. *in cap. De fabrica*, & in Cap. *Ecclesijs, de consecrat. dist.* 1. & in Cap. *Proposuisti, de consecrat. Eccles.* Io. Andr. *ibid. in fin.* Butrius *num.* 7. Abbas *num.* 8. Vgolin. *de offic. Episcop. cap.* 28. *num.* 4. *vers.* a. Piasec. *in praxi Episcop. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. tit.* 1. *not.* 9. *num.* 69. Nam siue Ecclesia reædificata sit eadem numero, siue non, certum est, quod destruitur, & postea reædificatur. Dum autem destruitur, quia desinit subiectum, destruitur quoque consecratio, & per reædificationem non restituitur, quia ædificatio non habet vim restituendi. Sed neque Ecclesia reædificata ex iisdem lapidibus sub eadem forma, & mensuris potest dici eodem numero, quia cœmentum, quod est bona pars reædificationis, est diuersum, & cum per ipsum ponatur vnio, & constructio in ordine ad vnitatem materialium, se habet tanquam forma, quia per ipsum ponitur compaginatio, & ideò ex ipso diiudicanda est noua Ecclesia tanquam habens vnitatem ex noua materia, vt desumitur ex *l. Qui res, §. Aream, ff. de solut.*

Nec est eadem ratio, ac de naui, quando dissolui- 8 tur animo eam reficiendi iisdem tabulis, quæ refecta est eodem numero nauis, vt desumitur ex *l. Inter stipulantem, §. Iuramenta, ff. de verb. oblig.* Nam adest aliquid peculiare in naui, ratione cuius habetur pro eadem: nam tabulæ ita singulæ formatæ sunt, & omnes inuicem coordinatæ, vt, si reficienda sit, singulæ eidem loco, & eum eodem ordine reponi debeant quem prius habebant; & ideò restituitur eadem numero nauis. Non sic autem contingit, quando destruitur domus, aut Ecclesia cum animo reficiendi, nam vltra nouum cœmentum, lapides non reponuntur eodem loco, in quo antea erant, neque cum eodem ordine, sed inseruiunt tanquam noua materia.

QVÆSTIO 534.

An, si Ecclesia consecrata fiat additio in longitudinem, vel latitudinem, vel altitudinem indigeat noua consecratione.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia si de nouo amplietur an consecranda.*
2. *Si censeatur noua Ecclesia, est de nouo consecranda, secus si censeatur eadem.*

Sacrum trahit ad se non sacrum.

3. *Si quod additur, est maius, est de nouo consecranda.*

4. *Quid si Ecclesia consecrata imponatur illud genus fornicis, quod dicitur* Cupula.

5. *Ecclesia ampliata an aspergenda aqua exorcizata.*

1 NOn esse de nouo consecrandam Ecclesiam, si amplietur, vel secundum longitudinem, vel latitudinem, vel secundum altitudinem, docent Glos. *in cap. De Fabrica, verbo* Innonat. *de consecr. dist.* 1. Archidiacon. *ibid.* Syluester *verbo* Consecratio 2. *quæst.* 4. *in fine.* Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 64. Delbene *de immunit. part.* 1. *cap.* 9. *dub.* 2. *sect.* 14. *num.* 16. Dicastil. *de sacram. tract.* 5. *disput.* 4. *dub.* 7. *n.* 127. Hoc tamen intelligitur, quando, quod de nouo additur, est quid minus: & quando maneant salui priores parietes.

2 Verum in hoc casu considerandum est, quale sit additamentum, & quam mutationem afferat Ecclesiæ. Nam si tale sit, vt moraliter censeatur noua Ecclesia, quod præsertim fiet, si mutetur forma, tanquam noua Ecclesia erit consecranda, quia tunc non habet locum, quod sacrum trahat ad se non sacrum; quia cum hoc contingat modo morali, dum in æstimatione morali non remanet eadem Ecclesia; nec etiam remanet sacrum, quod trahat ad se non sacrum. Si verò secundum moralem æstimationem remaneat eadem Ecclesia, tunc non indigebit noua consecratione, sed habebit locum quod magis dignum trahat ad se minus dignum, & quod sacrum trahat ad se non sacrum, Cap. *Quod in dubijs, de consecrat. Eccles.*

3 Et quamuis Rozella *verbo* Aqua benedicta, *numero* 1. Angel. *ibid.* potent, non esse necessarium, vt id, quod additur, sit minus, sed possit etiam esse maius, attamen, quicquid sit, ao in liquidis, qualis est aqua benedicta id admitti possit, in præsenti tamen nullo pacto est admittendum, quia si id, quod additur est maius, proculdubio in communi existimatione non erit amplius eadem Ecclesia; & dum non est eadem Ecclesia, perit subiectum consecrationis, atque adeò etiam consecratio. Nec obstat, quòd priores parietes integri permaneant, quia adhuc ipsi mutantur, cum qui priùs erant in suo ordine aliquod totum, fiunt pars, quæ mutatio sufficit, vt non censeantur amplius iidem parietes.

4 Ex quibus colligitur, quid dicendum sit, si Ecclesiæ consecratæ imponatur illud genus fornicis, quod vulgò dicitur *Cupula.* Dicendum est enim, quod quantumcunque ampla sit, & alta, & variet aliqualiter formam, non tamen fiat noua Ecclesia, ita vt indigeat consecratione. Nam parietes remanent integri, & immutati, & hoc genus fornicis pertinet potius ad tectum Ecclesiæ, quàm ad Ecclesiam. Quandiù autem parietes manent integri, & immutati, & Ecclesia non indiget noua consecratione, iuxta cap. *Ligneis, de consecrat. Eccles.*

5 An autem, quando Ecclesia ampliatur, aspergenda sit aqua exorcizata, affirmat Archidiacon. *in cap. De fabrica, de consecrat. dist.* 1. quod ad consilium refert Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 9. *n.* 74. quod tamen nequaquam est necessarium, nam si remanet eadem Ecclesia in morali opinione, & pars dignior trahit ad se minus dignam iam remanet consecrata; & ideò non est necessaria aliqua aspersio. Si verò non remanet eadem Ecclesia, est de nouo consecranda.

***

QVÆSTIO 535.

An, si successiuè Ecclesia restauretur, amittat consecrationem.

SVMMARIVM.

1. *Si parietes Ecclesiæ paulatim successiuè reficiantur, an Ecclesia consecranda.*
2. *Maiori parte simul, aut successiuè mutata non est amplius idem totum nisi fictione.*
3. *Ecclesia non amittit consecrationem si successiuè mutetur secundum partes modicas.*
4. *In qualibet mutatione modica successiua remanet eadem Ecclesia.*
5. *Viuens cur remaneat semper idem numero.*
6. *Ecclesia cuius maior pars est successiuè refecta per modicas mutationes remanet eadem physicè.*
7. *Cur non consecranda Ecclesia ex maiori parte secundùm modicas mutationes refecta.*
8. *An Ecclesia ex maiori parte refecta successiuè sit consecranda, non potest attendi consuetudo.*

COntingere potest, quod parietes Ecclesiæ paulatim successiuè reficiantur, vel in totum, vel secundum maiorem partem, dubitatur modo, an per hoc amittat consecrationem, itavt de nouo consecranda sit. Prima sententia asserit amittere consecrationem. Ita Innocent. *in Rubrica, de consecrat. Eccles.* Abbas *in cap. Proposuisti, num.* 8. *eod. tit.* Angel. *verbo* Consecratio Eccles. *quæst.* 3. *vers.* 3. Vngarel. *ibidem in addit.* Rozel. *ibid.* Tabiena *verbo* Consecratio 2. *num.* 3. *casu* 3. Armilla *num.* 3. Graff. *part.* 2. *decis. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 14. Prob. Quia quando pars maior parietum mutatur simul, aut successiuè non est amplius eadem Ecclesia, nisi secundum fictionem, *l. Quod in rerum, ff. de leg.* 1. In spiritualibus autem non attenditur fictio, sed veritas. Secundò tunc solum pars maior, & dignior trahit ad se minorem, minus dignam, quando fit commixtio, iuxta Cap. *Quod in dubijs, de consecrat. Eccles.* itavt mixta confundantur, & vnum fiant, quod non contingit in huiusmodi reparatione Ecclesiæ, quia quod additur est nouum additamentum. 1

Secunda sententia asserit remanere consecratam. Ita Glos. *in cap. De fabrica, de consecrat. distinct.* 1. & *in cap. Proposuisti, de consecratione Eccles.* & *in cap. Ligneis parietibus eod. tit.* Innocent. *in Rubric. de consecratione Eccles.* Hostiens. *ibidem.* Archidiacon. *in dict. cap. De fabrica.* Durand. *de diuin. offic. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 31. *casu* 2. Syluester *verbo* Consecratio 2. *quæst.* 4. *casu* 3. & *quæst.* 5. *casu* 6. referens Sum. Pirannel. & Confessor. Nauar. *capite* 27. *Manual. num.* 258. *casu* 6. Henriquez *libro nono, sum. capite* 27. *numero* 5. *in fine,* & *in comment. littera T.* Rodriquez *parte prima, sum. capite* 154. *conclus.* 14. Azor. *parte* 1. *capite* 26. *quæstione* 12. Soarez *disputatione* 81. *de Euchariſt. sectione* 4. *casu* 6. Facundez *precept. Eccles. libro* 3. *capite* 15. *numero* 59. Regiald. *libro* 29. *praxis fori pænit. capite* 9. *sectione* 5. *numero* 186. Lugo Cardin. *disputatione* 20. *de Eucharist. sectione* 2. *numero* 64. Coninch. *de sacrament. quæst.* 53. *art.* 3. *num.* 335. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 16. Delbene *de immunitat. part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 19. Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 7. *num.* 128. ver. *Oppositum.* Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disp. vnic. punct.* 8. *num.* 15. ver. *Notanter.* Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 27. *num.* 19. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 73. ver. *Innocent. tamen.* 2

Dicendum

3 Dicendum est. *Si parietes Ecclesiæ paulatim reficiantur successiuè secundum partes modicas, Ecclesia non indiget noua consecratione.* Vt autem hoc habeat locum oportet, quod ista refectio non fit, ex intentione mutandi totam Ecclesiam, quia tunc ab initio refectionis consideraretur tota fabrica Ecclesiæ vt renouanda, & ideò tota fabrica præcedens se haberet, vt terminus à quo restaurationis, atque adeò etiam totus terminus ad quem esset nouus, & consequenter esset altera Ecclesia.

4 Ratio autem est. Quia, dum paulatim successiuè per partes modicas restaurantur, totum additamentum incorporatur præcedenti fabricæ, & fit vnum cum ipsa ea vnitate, qua omnes Ecclesiæ partes faciunt vnum. Vnde in quolibet additamento terminus à quo mutationis est illa modica pars quæ remanet resoluta, & terminus ad quem est illa pars quæ fit de nouo, non quomodocunque, sed vt incorporata priori fabricæ, itavt terminus totalis ad quem sit tota fabrica cum illa noua restauratione: ergo facta hac mutatione remanet eadem Ecclesia, quia acquirit tantum modicam mutationem. Rursus quando fit secundum additamentum adhuc remanet eadem Ecclesia; quia non immutat ipsam, nisi modicè, & sic de tertia, de quarta mutatione; & deinceps. Et ideò cum in qualibet mutatione remaneat eadem Ecclesia, completis omnibus adhuc erit eadem. Cum ergo semper remaneat eadem Ecclesia nunquam indigebit consecratione.

5 Et hac ratione probatur etiam; quod viuens quamuis in ipso resoluantur continuò aliquæ partes, & aliæ continuò addantur per nutritionem, & crescat vsque ad certam mensuram, remanet tamen semper idem viuens; quia scilicet in quolibet termino accretionis est semper idem, siquidem quilibet terminus non importat talem mutationem, quæ faciat de vno aliud indiuiduum; in secunda autem accretione, quod additum est per primum non se habet amplius vt terminus, qui addatur, sed vt subiectum, cui additur: Sic etiam Grex est idem, quamuis aliqua animalia moriantur, & alia succedant, *l. Grege, ff. de leg.* Populus est idem, quamuis alij moriantur, & alij succedant, *l. Proponebatur, ff. de iudic.* Scilicet quia istę mutationes paulatim fiunt, & singulæ solum immutant secundum partes, & quod in vna ponitur de nouo, in sequenti non se habet, vt nouum, sed vt vetus, & vt subiectum, cui additur.

6 Ad 1. in oppositum resp. Falsum esse, quod Ecclesia, cuius paulatim maior pars parietum est refecta, sit tantum eadem perfectio, sed est eodem modo eadem physicè, & secundum veritatem, ac erat, quando cœpta est restauratio; sicut idem est viuens veraciter, qui nascitur, ac quando est in termino augmentationis. Quia, vt dictum est, illæ mutationes non coalescunt in vnam mutationem totalem, quia singulæ tendunt ad addendum illi, quod præexistit, & ideò vna comparatur ad aliam, non vt tendens ad eundem terminum, sed vt ponens subiectum pro ipso, seu cui per ipsum addatur, neque ex *l. Quod in rerum, ff. de leg.* 1. oppositum colligitur.

7 Ad secundum, quicquid sit, an requiratur commixtio, vt pars maior, & magis digna trahat ad se minorem, & minus dignam, nam hoc non facit ad casum præsentem: resp. Quod necessitas nouæ consecrationis non excluditur, quia pars maior, & dignior trahat ad se minorem, & minus dignam: sed quia remanet semper eadem numero Ecclesia, nam in quocunque statu consideretur Ecclesia, semper est illa eadem quæ erat prior, vt in superioribus explicatum est.

8 Ex dictis colligitur. Non rectè Vgolin. *de offic. Episcop. cap.* 28. *num.* 4. ver. *Tertius*, asserere circa prædictam difficultatem esse seruandam consuetudinem, itavt, vbi de nouò consecratur Ecclesia sic refecta, consecrari debeat: vbi verò de nouo non consecratur, non sit consecranda. Nam casus non est ita frequens, vt possit inducere consuetudinem; imò ita rarus, vt non sit, qui de consuetudine testari possit. Deinde non sumus in materia, in qua consuetudo possit operari. Quia vel Ecclesia amittit consecrationem, & tunc consuetudo non consecrandi de nouo non restituet amissam consecrationem, vel non amittit; & tum nihil confert consuetudo, quia iam Ecclesia non indiget consecratione.

QVÆSTIO 536.

An si ex intentione reficiendi totam Ecclesiam per partes destruatur, & readificetur, amittat consecrationem.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia per partes successiuè refecta ex intentione reficiendi totam an de nouo consecranda,* & num. seq.
3. *Ecclesia per partes successiuas refecta ex intentione reficiendi totam, non est eadem Ecclesia.*
4. *Intentio reficiendi totam Ecclesiam cur excludat identitatem, &c.*
5. *Mutatis ædificijs cur remaneat eadem ciuitas. Cur maneat eadem Ciuitas, Collegium, mutatis personis.*

Difficultas habet locum, quando partes quæ adduntur secundum se singulæ non habeat mutare Ecclesiam de vna in aliam, sicut dictum est, quando eodem modo ex necessitate reficitur. Rursus procedit difficultas, quando per partes reficitur Ecclesia seruata eadem forma; nam si variaretur forma, certum est, non futuram eandem Ecclesiam. Prima sententia asserit futuram eandem Ecclesiam, & proinde non indigere noua consecratione. Ita Lugo Card. *disp.* 20. *de Euchar. sect.* 2. *n.* 65. Delbene *de immunit. part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 14. *num.* 2. Dicastil. *de sacram. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 7. *n.* 133. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disp. vn. par.* 8. *n.* 15. ver. *Qui limitant.* Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 288. Fundamentum est. Quia remanet eadem Ciuitas, etiamsi omnes domus reædificentur ex intentione, vt pulchriores fiant, idem remanet Collegium, etiamsi omnes mutentur successiuè, vt meliores introducantur. 1

Secunda sententia asserit indigere consecratione, quia non manet eadem Ecclesia. Ita Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 5. *n.* 16. ver. *Hac posterior.* Et pro hac sententia faciunt ij, qui volunt, quod amittat consecrationem, quando per partes secundum totum, vel maiorem partem reficitur, licet absque intentione reficiendi totum, vt Abbas *in cap. Proposuisti, num.* 8. *de consecrat. Eccles.* Angelus *verbo* Consecratio Ecclesiæ, *quæst.* 3. *casu* 3. Addition. *ibid.* Rozel. *eodem verb. & quæst.* Tabiena *verbo* Consecratio 2. *qu.* 3. *cas.* 3. Armilla *n.* 3. Graff. *p.* 2. *decis. lib.* 2. *c.* 15. *n.* 14. 2

Dicendum est. *Si Ecclesia reficiatur per partes ex intentione tamen reficiendi totam, non est amplius eadem Ecclesia, & proinde indiget noua consecratione.* Hoc autem prouenit ratione intentionis, quæ in rebus Moralibus habet magnam vim, & in præsenti casu operatur, quod non sit eadem Ecclesia etiam in morali existimatione. Nam hæc intentio facit quod ab initio intendatur destructio totius prioris Ecclesiæ, & fabricatio alterius nouæ licet paulatim, & per partes fiat, tota tamen operatio tam demolitionis, 3

quàm instaurationis stat sub illa intentione, à qua dependet tanquam à causa, secundum quam regulatur, & à qua etiam accipit denominationem: ergo, cum intentio respiciat destructionem totius prioris Ecclesiæ, & constitutionem nouæ, etiam operatio erit destructio prioris Ecclesiæ, & constructio nouæ.

4 Rursus hæc intentio facit, quod locum habeat opposita ratio illius, ob quam remanet eadem Ecclesia, quando absque hac intentione per partes reficitur. Nam ideò est vna, quia quod remanet, & adiicitur in prima refectione respectu secundæ refectionis se habet, vt subiectum, & ideò semper in termino ad quem remanet eadem Ecclesia, quia totum, quod præexistit, & subiectum in qualibet mutatione illius, quod additur. Oppositum autem constringit, quando adest intentio reficiendi totam Ecclesiam. Nam in prima, refectione, quod additur non accrescit priori, quia prior non stat in permanentia, sed sub destructione, nam cœpit destrui, & totum est destruendum, sed seponitur tanquam pars Ecclesiæ, quæ in totum intenditur construi, & subsequenter refectiones sequuntur naturam, & conditionem prioris, & ideò non tendunt ad addendum veteri, sed ad reponendam nouam.

5 Ad fundamentum in oppositum resp. Non esse eandem rationem de Ciuitate, & Collegio. Nam si Ciuitas sumatur materialiter pro ædificiis, quamuis mutentur domus, mutantur intra eosdem muros ambientes, & ideò tanquam contentum intra ipsos sequuntur naturam continentis, quod cum remaneat idem, remanet etiam eadem Ciuitas. Si verò sumatur formaliter, tunc dicit coadunationem populi sub tali regimine quæ non mutatur, licet mutentur domus, & ideò hac perseuerante non mutatur Ciuitas, quia nomine Ciuitatis venit principaliter talis coadunatio. Sic etiam ex mutatione personarum Collegij, & intentione reuocandi singulas personas non fit alium Collegium, quia hæc mutatio fit secundum personas singulas: Collegium autem importat coadunationem, & omnes personas semel per modum vnius personæ fictæ, & prout stant sub illo iure se coadunandi ad certos actus, in quo nulla fit mutatio, etiamsi omnes ex intentione constituendi nouas personas mutentur, quia nulla fit mutatio in iure se coadunandi quod est forma Collegij.

QVÆSTIO 537.

An, si vnus ex quatuor parietibus Ecclesiæ, & bona pars alterius destruatur, amittat consecrationem.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia non amittit consecrationem, nisi secundum maiorem sui partem destruatur.*
2. *Destructo vno ex quatuor parietibus cum aliqua parte alterius perit consecratio.*
3. *Destructo vno ex quatuor parietibus etiam minori perit consecratio Ecclesiæ.*
4. *Quando destruatur figura Ecclesiæ, itavt pereat consecratio.*
5. *Quando non destruatur Ecclesia, si ex singulis quatuor parietibus destruantur partes aliquæ.*
6. *Si Ecclesia constet ex pluribus figuris, an destructa vna destruatur Ecclesia.*

1 Ratio dubitandi oritur ex eo, quod communiter docent Ecclesiam non amittere consecrationem, nisi secundum maiorem sui partem destruatur, vt notat Syluester *verbo* Consecratio 2. *num.* 4. *casu* 2. Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 258. Henriquez *in sum. lib.* 9. *cap.* 27. *num.* 5. & dictum est etiam in superioribus; quando autem destruitur vnus paries ex quatuor cum parte alterius, non destruitur maior pars, sed remanet, & ideò videtur non amittere consecrationem, & refecta non indigere noua consecratione. Ita videtur sentire Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disp.* 4. *dub.* 7. *num.* 134.

Dicendum tamen est. *Ecclesiam amittere consecrationem, si destruatur vnus ex quatuor parietibus cum aliqua parte alterius.* Ita Lugo Card. *disp.* 20. *de Euchar. sect.* 2. *num.* 66. Delbene *de immunit. part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 14. *num.* 23. Ratio est. Quia, quando dicitur, quod remanente maiori parte Ecclesiæ manet consecratio, intelligitur sub conditione, quod seruetur forma artificialis eiusdem Ecclesiæ. Quia si pereat forma, perit prorsus Ecclesia, vt contingit in qualibet re, siue naturali, siue artificiali, quæ destruitur destructa eius forma; si autem destruatur vnus ex quatuor parietibus cum parte Ecclesiæ, destruitur forma Ecclesiæ, quia deest vna integra pars, & potior, etiam alterius partis, ex quibus consurgit forma. Sicut enim figuræ omnes constantes ex pluribus lineis destruuntur, si subtrahatur vna aliqua linea, & pars alterius: ita etiam formæ artificiales, quia consurgunt ex lineis, quas important partes artificiatæ. 2

3 Imò addendum est, quod, etiamsi destruatur vnus tantum ex quatuor parietibus; etiamsi esset minor, & esset paries frontis, aut simile adhuc diceretur Ecclesia destructa, & amisisse consecrationem. Ratio est eadem, quia adhuc destruitur forma, sicut enim destruitur figura quadranguli sublata vna linea, ita etiam destruitur forma, seu figura Ecclesiæ destructo vno ex quatuor parietibus. Imò si Ecclesia esset triangularis siue æquilatera, siue non, adhuc destructo vno pariete destrueretur eius figura, & forma, & amitteret consecrationem.

Dices. Si in Ecclesia octangulari destruatur vnum tantum ex octo lateribus, destruitur figura octangularis, & tamen non destruitur Ecclesia, quia destruitur solum pars octaua ipsius: ergo ex destructione figuræ non sequitur destructio Ecclesiæ. Resp. Non destrui omninò figuram octangularem per destructionem vnius lateris. Quia si materialiter consideretur non subtrahitur pars aliqua valdè notabilis, &, quoad esse formale, quamuis desinat figura, remanet tamen veluti in potentia proxima, quia omnes aliæ partes retinent inter se illum ordinem, situm, & proportionē, quem habent in figura triangulati itavt in partibus remanentibus liceat inspicere figuram octangularē licet in vna parte deficientem. Non sit in quadrangulari, quia subtrahatur pars quarta subtrahitur aliquid valdè notabile, nec est determinata vt per quamcunque additionem fiat quadrangularis, seruata in additione proportione ad præexistentes lineas, nam duæ lineæ apertæ protrahi possunt in infinitum absque eo, quod coëat figura quadrangularis, quod si addatur octangulari seruata proportione ad reliquas lineas, non potest addi, nisi latus octauum. 4

5 Ex dictis colligitur. Quod si ex quatuor parietibus destruantur singularum partes aliquæ, quamuis, quod destruitur æquiualeret vni integro ex parietibus, non censeretur destructa Ecclesia, nec amitteret consecrationem. Ratio est. Quia remaneret forma, & figura ipsius eò, quod nulla pars destrueretur, quæ per se concurreret ad constitutionem formæ, sed tantum partes concurrentes mutilarentur, & ideò adhuc essent eædem, sed deficientes.

Secundò

6 Secundò colligitur. Quod si Ecclesia aliqua constet ex forma veluti composita ex pluribus figuris, quales sunt erectæ ad modum Crucis, nam in his adest corpus vulgo, Nauis ad modum quadrati, longi. Chorus ad modum alterius quadrati, aut etiam semicirculo terminatur. Brachia ad modum similiter quadrati, & circulus medians inter has omnes figuras, & illas coniungens, si destruatur vna aliqua ex his singulis figuris non semper destrueretur Ecclesia; nam si destruatur Chorus, non erit destructa Ecclesia; sicut etiam, si destruatur alterum ex brachiis: nam destruitur tantum aliqua pars ex integrantibus, & proinde dici potest quod remaneat corpus Ecclesiæ, sicut si abscindatur alicui crus, aut brachium, non destruitur corpus licet remaneat mutilatum.

QVÆSTIO 538.

An pereat consecratio, si decrustentur parietes Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1. *Decrustatione parietum per partes non perit consecratio.*
2. *Si decrustentur parietes totaliter an pereat consecratio.*
3. *Combustio quando faciat perire consecrationem Ecclesiæ.*
4. *Dum integri manent parietes, non perit consecratio Ecclesiæ.*
5. *Benedictio Ecclesiæ non perit, si solum mutetur.*
6. *Consecratio Ecclesiæ, non consistit in sola crusta.*
7. *Consecratio communicat suum effectum toti Ecclesiæ.*
8. *Decrustatis parietibus manet consecratio secundum praxim.*
9. *Consecratio Ecclesiæ non est solis locis unctis, nec iis decrustatis perit.*
10. *Ecclesia si dealbetur non amittit consecrationem.*

1 CONueniunt Doctores, quod si decrustatio parietum fiat per partes, itavt modo vna, modo alia pars decrustetur, & postea vestiatur, quod non amittit Ecclesia suam consecrationem, & ita specialiter notat Layman *lib. 5. Theol. moral. tractat. 5. cap. 5. num. 15.* ver. *Sed, vt ad propositum.* Nam est eadem ratio, ac de renouatione parietum, quæ non destruit consecrationem, quando fit per partes vt in superioribus dictum est, quia scilicet in quacunque decrustatione manet eadem Ecclesia. Difficultas autem est, an si tota simul decrustetur.

2 Abbas in cap. *Proposuisti. num. 7. de consecrat. Eccles.* Syluester *verbo* Consecratio 2. *quæst.* 3. Tabiena *num.* 3. Vgolin. *de offic. Episcop. cap.* 28. *n.* 4. ver. *Postremo* Layman. *lib. 5. Theol. tractat. 5. cap. 5. num.* 15. ver. *Sed vt ad propositum.* Palaus *part.* 4. *oper. moral. tractat.* 22. *disput. vnic. punct.* 8. *num.* 15. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib. 5. titul* 9. *num.* 68. Delbene *de immunitat. part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 14. *num.* 9. & alij cum Glos. *in cap. Ecclesiis. verbo* Exusta, *de consecrat. distinct.* 1. Et fundantur in ratione, quam affert Gloss. nimirum, quod consecratio potissimum consistit in crusta, quia in ipsa fit linitio, & ideò ea sublata tollitur consecratio.

3 Hæc tamen sententia mihi difficilis videtur. Primo quia non habet fundamentum in iure, quia licèt in dict. cap. *Eccles. de consecrat. distinct.* 1. inter causas in quibus Ecclesia amittit consecrationem, ponatur combustio, intelligitur tamen, quando combustio destruit formam Ecclesiæ, alioquin est eadem ratio de combustione, ac de cæteris destructionibus. Deinde ille ex æquiparat exustionem pollutioni sanguinis, aut seminis. Vnde cum dicit, quod Ecclesiis consecratis, non est alia consecratio adhibenda, nisi exustæ fuerint igne, &c. Oportet, quod intelligat de consecratione impropria, quæ consistit in reconciliatione, & consequenter intelligat etiam de combustione quæ non destruat formam Ecclesiæ, sed solum ita deturpat, sit necessaria aliqua reconciliatio.

Deinde in cap. *Ligneis, de consecrat. Eccles.* statuitur, quod quandiu integri manent parietes, Ecclesia non amittit consecrationem, quamuis autem decrustentur, integri manent, quia eorum integritas dependet à fabrica, non autem à crusta: quia crusta est veluti vestis parietum, partes verò, à quibus dependet integritas parietum, sunt ipsa fabrica, qua constat; vnde quandiu remanet tota fabrica parietum cum sua forma, remanet integritas parietum, & licet detrahatur crusta, detrahitur solum veluti quid accidentale, non autem quod pertineat ad substantiam parietum. 4

Tertiò. Quando Ecclesia est solum benedicta, benedictio est in solo, vt dicunt citati Doctores, quia aspergitur solum ad differentiam inquiunt Ecclesiæ consecratæ cuius consecratio est potissimum in crusta. Et tamen, si ponatur solum nouum, aut ex lapidibus sectis, aut ex lateribus, non amittit benedictionem: ergo nec Ecclesia amittet consecrationem, licet à parietibus destruatur crusta. 5

Quarto. Fundamentum oppositæ sententiæ non subsistit, nam si consecratio consistit potissimum in crusta, quia linitio fit in ipsa: ergo quando non fit, sed fit in Crucibus marmoreis insertis muro non consistet, quia fit in parte lapidea distincta à crusta, aut si se communicat crustæ, cur etiam non se communicabit muro, dum fit in crusta. Rursus quando pars crustæ destruitur, aut pars parietum dissoluitur, pars quæ additur, habetur pro consecrata ea communicatione cum præcedenti. Cur ergo etiam totus paries non erit consecratus, dum fit linitio in crusta. Præterea in Baptismo ablutio fit solum in cute, & tamen effectus sacramenti producitur in anima; sic etiam in Extrema-vnctione vngitur solum cutis, & tamen effectus transit ad animum: ergo etiam consecratio se communicabit toti parieti & non tantum crustæ. 6

Et quidem. Quod consecratio nec communicet suum effectum sanctificationis soli crustæ, sed etiam toti Ecclesiæ, mihi videtur omnino certum, nam non communicat secundum mensuram linitionis, sed secundum mensuram precum, quibus perficitur consecratio. Preces autem cadunt supra totam Ecclesiam, & consecrator precatur Deum, vt sanctificet Ecclesiam, atque adeò totum id quod venit nomine Ecclesiæ: imò etiam preces, cum quibus fit linitio, sunt directæ ad communicandam consecrationem toti Ecclesiæ, & ideò tota Ecclesia secundum omnes suas partes erit consecrata si ergo tota Ecclesia est consecrata, & non sola crusta, hac detracta remanebit adhuc consecratio, quia detrahitur minor pars, & quæ non est substantialis, sed accidentalis. 7

Denique praxis obstat supradictæ sententiæ, nam hic Romæ, vltimis diebus anni 1649. in Basilica sancti Petri fuit vno contextu destructa tota crusta à parietibus, & noua ficti marmoris reposita. Et tamen neque, quod scierim, mota fuit difficultas, an esset iteranda consecratio: hoc tamen certum est, quod non fuit de nouo consecrata: & proinde pro 8

certo habitum est, quod permaneret consecratio facta ab Vrbano Octauo. Hæc autem est praxis singularissima, quæ proinde potest vnicuique inseruite pro exemplo si casus occurreret.

9 Ex dictis colligitur. Non subsistere, quod habet Vgolio. *de offic. Episcop. cap.* 28. *num.* 4. vers. *Postremo.* Nimirum, quod in decrustatione considerandi sint loca, quæ tempore consecrationis fuerunt linita, quæ si salua permanent, non opus erit iterate consecrationem. Nam si hoc esset verum, sequeretur, quod consecratio esset solum in locis perlinitis tempore consecrationis, atque adeò quod reliquum Ecclesiæ non esset consecratum. Rursus, quod si tantum partes linitæ destruerentur, Ecclesia committeret consecrationem, cum tamen destruerentur exigua pars; nam si habebunt vim manutenendi consecrationem dum manutenentur, habebunt etiam vim destruendi, si destruantur; quia quando affirmatio est causa affirmationis, negatio quoque est causa negationis. Præterea si dum manutenentur partes linitæ, manuteneretur consecratio, possit destrui tota Ecclesia, & manuteneri partes linitæ, & reædificari absque eo, quod indigeret noua consecratione, quia tota Ecclesia remaneret consecrata ratione partium linitarum, quæ de priori Ecclesia remanserunt.

10 Secundò colligitur à fortiori, vt notant etiam Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tractat.* 5. *cap.* 5. *num.* 15. vers. *Sed vt ad propositum.* Delbene *pars.* 1. *de immunit. cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 14. *num.* 11. Ecclesiam non amittere consecrationem si dealbetur; nam per dealbationem nihil ipsi detrahitur, sed solum additur illa superficies alba. Imò etiamsi decrustaretur, vt superposita noua crusta pingeretur, vulgo, *à Fresco*, neque amitteret consecrationem. Et cæteri omnes casus illa regula mensurandi sunt, quod non amittitur consecratio, quandiu manet eadem Ecclesia, si quidem solum per destructionem amittitur.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

DE POLLVTIONE ECCLESIARVM.



CVM pollutio habeat locum, non solum quoad Ecclesias consecratas; sed etiam quoad benedictas, quamuis non destruat consecrationem, aut benedictionem, inficit, tamen locum, itavt habeatur pro indecenti, vt in ipso offeratur sacrificium: non quia in seipso recipiat maculam aliquam moralem; sed quia pro maculato habetur in hominum opinione. Est autem pollutio introducta de iure Canonico: & ideò examinandum est, & quando, & quomodo introducatur.

QVÆSTIO 539.

An Ecclesia per homicidium polluatur.

SVMMARIVM.

1. *Sola Ecclesia consecrata, aut benedicta polluitur. Ecclesia diruta & non reparanda amittit omnia priuilegia.*
2. *Quæ Oratoria non sint capacia pollutionis.*
3. *Ecclesiæ execrata non sunt capaces pollutionis.*
4. *Ecclesia polluta magis pollui possunt.*
5. *Ecclesia per quas actiones polluatur.*
6. *Ecclesia polluitur per homicidium.*
7. *Homicidium cur repositum inter causas pollutiuas Ecclesiæ.*
8. *Homicidium, quocunque modo contingat, polluit Ecclesiam.*
9. *Quodcunque nocumentum illatum alteri intra Ecclesiam seclusa morte, aut sanguinis effusione non polluit Ecclesiam.*

SVpponendum est. Cum quæritur, an Ecclesia homicidio polluatur, intelligi nomine Ecclesiæ eam, quæ benedicta est, aut consecrata. Quia cum pollutio sit inducta à iure, & importet maculam legalem, non potest esse talis, nisi respectu alicuius sanctitatis legalis, quia macula opponitur tantum sanctitati, quæ sit in suo genere. Ecclesia autem, quæ non sit consecrata, aut benedicta, nullam habet legalem sanctitatem. Vnde excluduntur Ecclesiæ nondum consecratæ aut benedictæ, quia nondum habent, vnde pollui possint. Rursus excluduntur Ecclesiæ dirutæ, siue auctoritate superioris, siue etiam absque ipsa, dummodo non sint amplius reparandæ, quia tunc non sunt amplius Ecclesiæ, & amittunt omnia priuilegia. cap. 1. *de non. oper. nunciat.* vbi Glos. ex cæteri Doctores. Felin. *in cap. Cum dilecta. num.* 21. *de rescript.* Angel. *verbo* Ciuitas. *num.* 1. & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 9. *de matrimon. disput.* 15. *num.* 37. Oportet tamen, quod si Ecclesia sit diruta absque auctoritate superioris, quod sit tali modo diruta, vt non conseruet amplius formam Ecclesiæ, alias non haberetur pro diruta, & locum haberet pollutio. 1

Secundò excluduntur omnia Oratoria, siue in Eremitoriis, siue in Hospitalibus, siue in Hospitiis, siue in Grangiis, siue in Domibus priuatis, siue in quocunque alio loco, si non sint erecta auctoritate Episcopi. Quia neque sunt loca religiosa, neque irreuocabiliter diuino cultui destinata, sed conuerti possunt ad vsus prophanos. cap. *Ad hæc. de relig. domib.* & notant communiter Gloss. *in Clement. contingit. de relig. domib.* Syluester *verbo* Loca sacra. *quæst.* 2. & 5. Tabiena *verbo* Immunitas, *quæst.* 14. & 15. Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. ver. *Quinto.* Sanch. alios referens *lib.* 9. *de matrimonio, disput.* 15. *num.* 39. Gauant. *in Manual. Episcop. verbo* Ecclesiæ reconciliatio, *num.* 16. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 11. *num.* 16. Imò etiamsi erecta sint auctoritate Episcopi; quia hæc auctoritas non communicat loco sanctitatem aliquam, secundum quam maculari possit, vt dictum est etiam suo loco, vt pluribus citatis notat Passerin. *de Pollut. Eccles. disput.* 2. *cap.* 3. *num.* 4. 2

Tertiò excluduntur Ecclesiæ execratæ, seu quæ quacunque ex causa amiserunt consecrationem. Nam cum per execrationem amiserint illam sanctitatem, secundum quam fiunt capaces pollutionis, causa, quæ aliàs inferret pollutionem, non infert defectus subiecti, sed eodem pacto se habet, ac si posita fuisset extra Ecclesiam: & tunc Ecclesia se habet, ac si esset factus locus prophanus. 3

Non tamen excludendæ sunt Ecclesiæ iam pollutæ, quasi non sint amplius capaces pollutionis; nam adhuc magis, non solum per alias causas pollutiuas, sed etiam per camdem repetitam pollui possunt; vt tradit etiam Passerin. *de pollut. Eccles. disput.* 2. *cap.* 12. *num.* 4. & non solum per solam applicationem causarum pollutiuarum; sed etiam per plures, & formales pollutiones, quod negat Passerin. modo citat. 4

Ratio

Ratio est. Quia hæc pollutio se babet propottionaliter ad sanctitatem Ecclesiæ, sicut se habet macula peccati ad animam. Quamuis autem vnica macula sufficiat ad tollendam sanctitatem animæ, & ipsam maculandam, adhuc tamen maculæ habituales formaliter multiplicantur, ad multiplicationem peccatorum: ergo etiam maculæ, seu pollutiones Ecclesiæ multiplicantur ad multiplicationem causarum. Hoc enim est commune in rebus moralibus, vt possit idem subiectum habere plures maculas. Nec obstat, quod vnica reconciliatione tollatur omnis pollutio; nam etiam vnica infusione gratiæ tollitur omnis macula habitualis; & tamen hæc non obstat, quin multiplicentur maculæ, nam id fit, quia reconciliatio habet oppositionem cum omnibus, & singulis pollutionibus.

5 Secundò. Supponendum est, contra Hostiens. *in sum.* Tit. *de consecrat. Eccles. num.* 9. & Piasec. *in prax. Episcop. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 5. ver. *Sacrilegio.* Ecclesiam non pollui per quascunque actiones enormissimas, & sacrilegas, sed solum per eas, quæ, tanquam pollutiuæ, sunt in iure expressæ, vt notant Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 11. *num.* 5. Passerin. *de pollut. Eccles. disput.* 3. *cap.* 1. *num.* 4. Nam cum pollutio sit inducta de iure Ecclesiastico, non potest prouenire ab aliis causis, quàm ab eodem iure assignatis: quia pollutio non prouenit præcisè à malitia actionum, sed ab institutione iuris. Et ideò in hac materia non valet argumentum, neque à paritate, neque à maioritate rationis, sicuti neque valet in irregularitate, sed præcisè standum est dispositioni iuris. Erunt tamen huiusmodi aliæ actiones, licèt non pollutiuæ, sacrilegæ tamen, & iniuriosæ Ecclesiæ.

6 Dicendum est. *Ecclesiam pollui per homicidium.* Ita statuitur in cap. *Si motum, de consecrat. distinct.* 1. & in cap. *Proposuisti, de consecrat. Eccles.* Et ita docent communiter Gloss. & Canonistæ *in dict. text.* Hostiens. *in summ.* Tit. *De consecrat. Eccles. num.* 5. Durand. *de diuin. offic. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 4. Astens. *part.* 2. *sum. lib.* 6. *tit.* 29. *art.* 3. D. Antonin. 3. *part. tit.* 12. *cap.* 6. §. 4. Paludan. *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 8. *art.* 2. Tabiena *verbo* Consecratio Eccles. *num.* 5. Angel. *num.* 4. Armilla *num.* 5. Syluester *verbo* Consecratio 2. *quæst.* 5. *casu* 1. Nauar. *in Manual. cap.* 27. *num.* 256. Sotus *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *art.* 3. *in resp. ad* 2. *dict.* 4. Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 26. *art.* 2. *de irregularit. in fine.* Auila *de censur. part.* 5. *disp.* 7. *dub.* 1. *conclus.* 2. *casu* 1. Rodriquez *part.* 1. *summ. cap.* 154. *conclus.* 6. *num.* 7. Azorius *part.* 1. *libr.* 1. *cap.* 26. *quæst.* 13. ver. *Quæres.* Viuald. *in Candel. tractat. de interdict. tit.* 3. *num.* 14. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 27. *num.* 5. Sà *verbo* Ecclesia. *num.* 13. Philiar. *de offic. Sacerd. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *num.* 1. & *tom.* 1. *de relig. lib.* 3. *de Templor. obser. cap.* 2. *num.* 2. Piasec. *part.* 1. *praxis Episcop. cap.* 5. *num.* 5. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 21. Zerola *in prax. Episcop. part.* 1. *verbo Pollutio Ecclesiæ.* Reginald. *lib.* 29. *praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 5. *num.* 180. Sayr. *lib.* 5. *Thesauri, cap.* 16. *num.* 12. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 8. Layman. *lib.* 5. *Theolog. moral. tractat.* 5. *cap.* 5. *num.* 8. ver. *Per homicidium.* Lessius *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 83. Tit. *de loco num.* 79. Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disputat.* 4. *dub.* 7. *num.* 14. Vgolin. *de offic. Episcop. cap.* 29. §. 1. Coninch. *de sacrament. quæst.* 89. *art.* 3. *dub.* 1. Barbosa *part.* 2. *allegat.* 28. *num.* .... Palaus *part.* 2. *oper. moral. tractat.* 11. *disp.* 1. *punct.* 1. *num.* 1. Tanner. *tom.* 4. *sum. disput.* 5. *quæst.* 10. *dub.* 2. *num.* 26. Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disput.* 4. *de sacrific. Miss. diffic.* 7. *init.* Caspens. *part.* 2. *Curs. Theolog. tractat.* 23. *disputat.* 3. *sect.* 3. *num.* 69. Francisc. Lugo *de sacrament. lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 7. *num.* 43. Delbene *de Immunit. part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 3. *num.* 1. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 11. *num.* 6. Passerin. *de pollut. Eccles. disp.* 3. *cap.* 2. *num.* 4.

Pro hac autem parte nulla ratio afferri potest, 7
cum dependeat solum à determinatione iuris, quod sicut induxit pollutionem, ita etiam debuit determinare causas pollutiuas. Inter has autem causas repositum fuit homicidium, ex ea congruentia, quia denotat excessum irreuerentiæ, erga Ecclesiam, cum violetur debita reuerentia simul cum præcepto charitatis diligendi proximum, quod est maximum: & ideò cum neque præceptum charitatis, neque reuerentia Ecclesiæ cohibere possit actionem, arguit maximam irreuerentiam, & ideò selecta est tanquam causa pollutiua Ecclesiæ.

Quod autem dictum est de homicidio, intelligitur 8
quocunque modo contingat homicidium, siue cum effusione sanguinis, siue sine effusione, vt notant communiter Doctores, quos citat, & sequitur Passerin. *de pollut. Eccles. disput.* 5. *cap.* 7. *num.* 4. Et proinde est causa pollutiua distincta ab effusione sanguinis. Nam homicidium est causa pollutiua, quatenus est actio auferens vitam, quod contingere potest absque vlla sanguinis effusione, vt in suffocatione. Effusio verò sanguinis est causa pollutiua secundum suam speciem, quatenus scilicet effundit sanguinem humanum.

Ex dictis colligitur. Quod si intra Ecclesiam in- 9
feratur homini nocumentum corporale, quantumuis graue, dummodo tamen non inferat mortem, aut sanguinis effusionem, non polluetur Ecclesia, quantumuis alias esset sufficiens ad inferendam mortem, vt notant communiter Abbas *in cap. Proposuisti. num.* 4. *de consecrat. Eccles.* Durand. *de diuin. offic. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 41. Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 256. ver. *Sanguinis.* Tabiena *verbo* Consecratio 2. *num.* 6. Armill. *num.* 5. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 154. *conclus.* 6. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 24. *in fine.* Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 13. Auila *part.* 5. *de Censur. disput.* 7. *dub.* 1. *propos.* 2. *casu* 1. Naldus *in sum. verbo* Ecclesia. *n.* 28. Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *casu* 1. Reginald. *lib.* 29. *praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 5. *num.* 181. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 13. Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 28. *num.* 23. Mazuchell. *de Casib. reseru. disput.* 2. *cap.* 6. *quæst.* 1. *difficult.* 1. *num.* 2. Passerin. *de pollut. Eccles. disput.* 5. *cap.* 2. *num.* 4. Ratio est. Quia cum causæ pollutiuæ Ecclesiæ sint determinatæ à iure, debent accipi secundum determinationem ipsius. Dum autem determinat homicidium tanquam causam pollutiuam, non determinat quodcunque aliud nocumentum, quod non sit homicidium: homicidium enim non saluatur, nisi in sola morte.

QVÆSTIO 540.

Quale debeat esse homicidium, vt sit pollutiuum Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1. *Solum homicidium opere ipso commissum polluit Ecclesiam.*
2. *Homicidium, vt polluat Ecclesiam debet esse voluntarium.*
3. *Sola actio iniuriosa, & humana polluit Ecclesiam.*

4. *Homi*

4. *Homicidium commissum à non habente vsum rationis, non polluit Ecclesiam.*
5. *Qnando homicidium commissum ab ebrio polluat Ecclesiam.*
6. *Homicidinm sequutum in ludo, aut ioco non polluit Ecclesiam.*
7. *Etiamsi actio ludi esset illicita.*
8. *Dummodo non prauideatur in ipsa periculum homicidij.*
9. *Occidens vnum, quem putat esse alium an polluat Ecclesiam.*
10. *Si intendens occidere vnum, occidat alium eò, quod ictus aberrat, adhuc polluitur Ecclesia.*
11. *Occidens inuite, aut ignoranter, sed vincibiliter polluit Ecclesiam.*
12. *Homicidium factnm à coacto, & non polluens Ecclesiam non potest dari.*
13. *Permittens occidi aliquem, non polluit Ecclesiam, etiamsi teneatur impedire.*
14. *Instigans canem, &c. ad occidendum in Ecclesia, polluit Ecclesiam.*

1 QVia homicidium committi potest, non tantum facto ipso, sed etiam aliis modis, vti suadendo, & impellendo, mandando; ideò supponendum est, quod ad effectum inducendæ pollutionis, requiritur homicidium opere ipso commissum. Et ita inter alios notant Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 10, Lugo Card. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.* 2. *num.* 53. Delbene *de Immunit. part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 3. *num.* 3. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 6. *quæst.* 7. *num.* 48. Passerin. *de pollut. Eccles. disput.* 5. *cap.* 3. *num.* 4. qui alios citat. Et ratio est, quia pollutio consurgit ex homicidio, quatenus homicidium est: & ideò quandiu non ponitur causa physica inducens homicidium, non censetur posita causa pollutiua Ecclesiæ. Sicut enim causa moralis, non est de se sufficiens ad inducendum homicidium, nisi accedat causa physica; ita nec etiam est sufficiens ad inducendam pollutionem mediante homicidio. Et quamuis quis mandat homicidium in Ecclesia, si extra Ecclesiam committatur, non polluetur. Vnde si iudex ferat in Ecclesia sententiam mortis, quamuis aliàs inferat iniuriam Ecclesiæ, non tamen ipsam polluit.

2 Dicendum est, *Vt homicidium sit pollutiuum Ecclesiæ, debere esse voluntarium, seu libere commissum.* Quia autem potest esse aliquid voluntarium dupliciter; nempè directè, quando nimirum est directè volitum: & indirectè, quando non est immediatè in se volitum, sed quia consequitur ad aliud, cum quo habet connexionem, si tamen ratione huius connexionis sit aliquo modo præuisum; siquidem nihil volitum, quin præcognitum; ideò, vt inducat pollutionem, sufficit si sit altero ex his modis voluntarium. Ita communiter Abbas *in cap. Proposuisti. num.* 2. *de consecrat. Eccles.* Durand. *de diuin. offic. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 40. Syluester *verbo* Consecratio 2. *quæst.* 5. *casu* 1. Tabiena *num.* 5. Armilla *ibid.* Angel. *verbo* Consecratio Ecclesiæ. *num.* 4. *casu* 2. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 154. *conclus.* 6. *num.* 7. D. Antonin. 3. *part. tit.* 12. *cap.* 6. §. 4. Sotus *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 2. *dist.* 4. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 27. *num.* 5. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 22. Azor. *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 5. *quæst.* 1. Sayr. *lib.* 5. *Thesauri. cap.* 16. *num.* 13. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 5. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 3. *de reuer. deb. cap.* 2. *num.* 2. & *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *init.* Reginald. *lib.* 29. *prax. fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 5. *num.* 180. Barbosa *de potestat. Episcop. allegat.* 28. *num.* 15. Passerin. *de pollut. Eccles. disput.* 5. *cap.* 12. *num.* 4. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 11. *num.* 30. & 32. Hostiens. *in cap. Si Ecclesia. de consecrat. Eccles.* Geminian. *in cap. vnic. num.* 21. *de consecrat. Eccles. in* 6. & cæteri cum Gloss. *ibid.* verbo *Sanguinis.*

Ratio autem est. Quia pollutio est inducta propter iniuriam, quæ fit Ecclesiæ: vnde necesse est, quod actio sit iniuriosa. Non potest autem esse iniuriosa, nisi humano modo exerceatur, quia iniuria est quid morale fundatum in actione humana: non potest autem humano modo exerceri, nisi libero modo exerceatur. Et hoc habet locum nedum quoad homicidium, sed etiam quoad omnes alias actiones, quæ sunt pollutiuæ Ecclesiæ. 3

Ex dictis colligitur. Ecclesiam non pollui per homicidium commissum ab amente, aut puero ante vsum rationis, obseruant etiam Doctores *num.* 2. citati, & præterea Squillan. *de obligat. Cler. part.* 5. *num.* 88. Mazuchell. *de Casib. reser. disput.* 2. *cap.* 6. *quæst.* 1. *difficult.* 2. *num.* 11. Franciscus Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 6. *quæst.* 7. *num.* 44. Barbos. *de potestat. Episcop. allegat.* 28. *num.* 6. Cassion *tit.* 7. *num.* 9. Castilent. *in Theol. moral. verbo* Consecratio Eccles. *cap.* 37. Passerin. *de pollut. Eccles. disput.* 5. *cap.* 15. *num.* 4. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *titul.* 11. *num.* 34. Nam cum prædictis non sint capaces actionum humanarum, nec etiam Ecclesiæ possunt iniuriam inferre; qua seclusa, cessat pollutio. 4

Colligitur 2. cum Doctoribus *num. preceden.* cit. Idem dicendum de ebrio, si tamen homicidium neque in causa illi sit voluntarium, quia militat eadem ratio; secus autem si ab ipso ante ebrietatem præuisum sit homicidium; nam tunc est ipsi voluntarium in causa, quod sufficit ad inducendum pollutionem. An autem sit necessarium, quod præuideatur homicidium sequuturum in Ecclesia, vt inducatur pollutio, affirmat Passerin. *disput.* 5. *de pollut. Eccles. cap.* 15. *num.* 5. Sed mihi videtur probabilius, quod sufficiat præuideri, quod possit sequi in Ecclesia, quamuis non determinatè præuideatur sequuturum; nam eò ipso, quod præuidetur, posse sequi, & nihilominus ponitur causa, est volitum in causa, si sequatur. Rursus oportet, quod ebrietas sit talis, vt auferat vsum rationis, & non relinquat actionem in esse humano. In dubio autem ex coniecturis diiudicandum est: quod si ex ipsis non possit vinci dubium, præsumendum est pro vera ebrietate, quia de ipsa constat: & quod non fuerit perfecta ebrietas, coniecturæ non sufficiunt. 5

Colligitur 3. Homicidium sequutum in ludo, aut ioco, non polluere Ecclesiam; si tamen actio ex se sit talis, vt non sit in ipsa aliquo modo voluntarium homicidium. Quod locum habet etiam quoad omnes alias actiones pollutiuas ob eandem rationem. Ita Gloss. *in cap. vnic. not.* 1. *de consecrat. Eccles. in* 6. Durand. *lib.* 1. *de diuin. offic. cap.* 6. *num.* 40. Rodriquez *part.* 1. *summ. cap.* 154. *conclus.* 7. *num.* 8. *in fine.* Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 256. *ver. Iniuriosè.* Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 26. *tractat. de irregular. in fine.* Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 58. *num.* 22. *in fine.* Sayr. *lib.* 5. *Thesaur. cap.* 56. *num.* 4. Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *casu* 2. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 15. Reginald. *lib.* 29. *Praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 5. *num.* 181. Mazuchell. *de casib. reser. disp.* 2. *cap.* 6. *num.* 14. Steph. à S. Greg. *de sacrament. lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 15. Delbene *de immunit. part.* 2. *cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 2. *num.* 34. Passerin. *de pollut. Eccles. disp.* 5. *cap.* 14. *num.* 4. Ratio est eadem; quia dum tollitur voluntarium, tollitur ratio, seu fundamentum humani actus, & consequenter ratio iniuriæ, & irreuerentiæ. 6

Et hoc verum est, etiamsi actio in qua consisteret 7

ludns,

ludus, esset illicita, vt contra Nauar. *cap.17. Manual. num. 256.* versf. *Iniuriosi.* Sayr. *lib. 5. Thesaur.cap. 16. num.13.* Rodriquez *part.1.sum.cap.154. num.8. in fine.* Azot. *part. 1. lib. 10. cap. 26. quest.13.* Pacem Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit. 11. num.41.* docent communiter cæteri Doctores, præsertim Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *casu* 2. Facundez *precept.1, Eccles. lib.3. cap.14. num.15.* Mazuchel. *de casib.reser.disp.2.cap.6.difficult.2.num.15.* Lugo Card. *disput.* 20. *de Euchariſt. sect.* 2. *num.* 54. Delbene *de Immunit. part. 1. cap.2.dub.2.sect.2. num.*40. Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 6. quest. 7. num.* 44. Passerin. *de pollutione Ecclesia, disputat. 5. cap. 14. numero* 5. Nam quamuis ludus sit illicitus; non per hoc tamen fit, quod in ipso præuideatur homicidium sequuturum. Dum ergo non præuidetur, nec etiam est voluntarium siue ludus sit licitus, siue illicitus: quia quod sit illicitus, non facit præuideri homicidium: dum autem non præuidetur, nec etiam est voluntarium, atque adeò nec iniuriosum.

8 Neque obstat cap. *Continebatur. de homicid.* Quia ibi Pontifex declarat irregularem Clericum, non quia exercuisset actionem illicitam; sed quia ludus, quem exercuit, continebat periculum homicidij, quia ludebat falce, seu cultro succinctus: & ideò potuit, & debuit præuidere periculum. Dum autem non cauit periculum, indirectè voluit homicidium. Et ideò sequitur solum, quod tunc ludus, sequuto homicidio, sit causa pollutionis, quando in se continet periculum homicidij.

9 Colligitur 4. Contra Facundez *precept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 14. num. 15.* Franc. Lugum *lib. 5. de sacrament. cap. 6. quest. 7. num.* 44. Passerin. *de pollut. Eccles. disput. 5. cap. 13. num.* 14. Quod si quis in Ecclesia occidens Paulum, putet esse Franciscum, itavt nec cogitet, posse esse alium, adhuc huiusmodi homicidium esse pollutiuum Ecclesiæ. Ratio est, quia licet non sit voluntarium terminatiuè, & quoad personam occisam, est tamen voluntarium in in actione occisiua; quia sciens & volens exercet actionem physicam occisionis hominis. Hoc autem sufficit, vt homicidium sit voluntarium, quamuis error sit in persona. Nam homicidium consistit in actione de se auferente vitam homini: quod autem auferat huic, vel illi, materialiter se habet. In præsenti autem casu, actio auferens de se vitam homini est voluntaria; quia à sciente, & volente prouenit. Confirmat. In hoc casu occidens, verè vult, & intendit occidere illum hominem in indiuiduo, in quem dirigit actionem occisiuam; & quamuis erret, putando esse alium, vult tamen men ipsum occidere: ergo tale homicidium est omnino ipsi voluntarium; quia intentio reuera fertur in illud indiuiduum præsens. Sic etiam, si Ordinans intenderet ordinare Petrum sibi præsentem, quem tamen putaret esse Laicum, reuera intentio ipsius esset efficax circa ipsum, & ipsum ordinaret, & talis ordinatio esset ipsi voluntaria.

10 Colligitur quinto. Contra eundem Passerin. citat. *disputatione quinta, de pollutione Ecclesia, capite decimotertio, numero primo.* Quod Ecclesia polluitur, si quis in ipsa volens occidere Franciscum, occidat Caium, eò quod ictus aberret. Ratio est eadem; quia adhuc homicidium est ipsi voluntarium, quamuis ex accidenti sortiatur effectum in alia persona ab intenta. Deinde pollutio refunditur in homicidium, non quia homicidium est, quia si casu fiat, non sequitur pollutio, sed quatenus est effectus actionis iniuriosæ eidem Ecclesiæ: atque adeò actionis moralis. Quamuis autem abertet ictus, & alius ab intento occidatur, adhuc tamen actio occisiua est moralis, & iniuriosa Ecclesiæ, quia continet eandem iniuriam, siue hunc, siue alium occidat: & est voluntaria tanquam iniuriosa Ecclesiæ, quia est voluntaria tanquam occisiua, eò quod exercens intendit per ipsam occidere.

Colligitur 6. Occidentem inuitè, aut ignoranter, 11
sed vincibiliter, in Ecclesia polluere ipsam; vt notat etiam Passerin. *de pollutione Ecclesia, disputatione quinta, capite 16. numero 5. & 6.* Nam occidens inuitus, adhuc tamen voluntariè occidit: quia quod fit ab inuito, solum secundum quid est inuoluntarium, absolutè verò est voluntarium, vt tradunt communiter in materia de actione humana. Rursus, ignorantia vincibilis est culpabilis, & proinde imputatur ad culpam quod inde sequitur: vnde homicidium huiusmodi imputabitur ad culpam, & erit iniuriosum Ecclesiæ.

Colligitur 7. Contra Passetin. *dict. disp.5. de pollut. Eccles.cap.16.num.4.* Non posse dari homicidium factum à coacto, quod non polluat Ecclesiam, eo quod non sit ipsi voluntarium. Ratio clara est. Vel enim is, qui dicitur coactè occidere, nihil omninò suarum virium confert ad occidendum: & tunc quamuis cogens occidere eo vtatur, tanquam instrumento ad occidendum, si coactio sit physica, se habebit merè vt instrumentum inanime, sicut esset ensis: & proinde non dicetur occidere, sed esse instrumentum occisoris. Vel confert aliquo modo suas vires, & tunc voluntariè se habebit ad illud homicidium, saltem secundum quid; quia potentia exequutiua tanquam omnino subordinata voluntati non mouet exterius vllo pacto, nisi consentiente voluntate: quocunque autem modo consentiat, redditur aliquo modo voluntaria illa actio. Si verò coactio sit moralis, adhuc manifestius est, quod homicidium sit voluntarium, quia hæc coactio non excludit consensum, sed inducit voluntatem ad consentiendum. 12

Colligitur 8. Vt notat etiam Passetin. *d. disp.5. de pollut. Eccles. cap.17. num.4.* Quod si quis occideretur in Ecclesia, permittente aliquo, qui tenenetur siue ex charitate, siue etiam ex iustitia impedire, non pollui Ecclesiam. Quod intelligi debet, dummodo non sequatur homicidium ab occidente humano modo, vt si quis occideretur à furioso, & qui posset non impedirer. Ratio est. Quia non impediens, quamuis teneatur, non est causa positiua homicidij, sed tantum permissiua: & ideò, quantum est ex hoc capite, non est voluntarium, nec procedens ex actione iniuriosa Ecclesiæ: atque adeò non est illud homicidium, quod à iure constituitur, tanquam causa pollutiua Ecclesiæ. 13

Colligitur 9. Contra Passetin. *disputat. 5. de pollut. Eccles. cap. 18. numero 4.* Remanere pollutam 14
Ecclesiam, si quis instiget canem, aut aliud brutum ad aliquem occidendum, & sequatur occisio. Ratio est, quia huiusmodi homicidium est voluntarium in se; quia intenditur ab instigante, & ad assequendum applicat remedium canis, aut alterius bruti instigati. Rursus, etiam concurrit ad ipsum physico modo, nempe instigando, & excitando furorem bruti in hunc effectum, atque adeò est concausa simul cum bruto ad occidendum; siquidem brutum sine furore non occideret; cum furore, nisi ex instigatione dirigeretur contra occisum. Nec dici potest cum Passerino, quod instigans sit causa remota, & quod brutum non sit instrumentum: nam eodem modo potest dici, quod applicans ignem non esset causa combustionis, quia ignis est causa principalis, & non instrumentum. Est igitur causa principalis, quia

quia applicat brutum ad occidendum, excitando furorem ipsius, & dirigendo in occisum. Nec dici potest, quod homicidium huiusmodi sit tantum volitum, non autem voluntarium; quia cum applicatio actionis occisiuæ sit voluntaria, erit etiam voluntarium homicidium. Deinde sufficit, si homicidium sit volitum, & physicè procuratum per applicationem causæ physicæ.

QVÆSTIO 541.

Qualis debeat esse causa, vt homicidium in ea voluntarium polluat Ecclesiam,

SVMMARIVM.

1. *Causa, vt inferat homicidium pollutiuum, debet inferre homicidium voluntarium.*
 Causa per accidens directè volita non infert homicidium pollutiuum.
2. *Nisi sit volita in ordine ad homicidium.*
3. *Homicidium volitum in causa remota non polluit Ecclesiam.*
4. *Homicidium volitum in causa dubia non polluit Ecclesiam secus si causa sit probabilis.*
5. *Causa probabilis homicidij, si est volita, est etiam volitum homicidium.*
6. *Si causa sit partialis, & ex alia causa partiali, sequatur homicidium non polluitur Ecclesia.*
7. *Polluitur Ecclesia morte sequuta si vnus sanæ mentis percutiat, & alter percutiens sit impos.*
8. *Homicidium polluit, si duo percutiant lethaliter licet vnus sit impos.*
9. *Si duo percutiant in Ecclesia, sed non mortaliter, non polluitur licet postea sequatur mors.*
 Sumenda illa interpretatio, quæ excludit delictum.
10. *Homicidium non polluit si sana mentis percutiat non lethaliter, & insanus percutiat lethaliter.*
 Si quis à sano mentis percutiatur lethaliter, & ex interuallo impos mentis percutiat, & statim sequatur mors, an polluatur Ecclesia.

1 QVia causa, in qua potest esse volitum homicidium, est multiplex; nempe per accidens, remota, dubia, inadæquata, seu partialis: ideò videndum est, quænam ex his causis inferat homicidium, quod sit pollutiuum Ecclesiæ. Requiritur autem, vt inferat homicidium pollutiuum, quod inferat homicidium voluntarium, cum tale debeat esse, vt sit pollutiuum. Dicendum 1. *Quando causa est per accidens, quamuis sit directè volita, homicidium ex ipsa sequens non polluit Ecclesiam.* Ita etiam Passerin. *disputat. 5. de pollut. Eccles. cap. 19. numero quarto.* Ratio est. Quia huiusmodi homicidium non est voluntarium in causa. Vt enim aliquid sit voluntarium in causa, requiritur, quod sit volita causa, tanquam causa illius, atque adeò cum ordine ad effectum. Causa autem per accidens, quia non est vera causa, non habet hunc ordinem; & ideò, eo ipso quod est volita, non est volita propter effectum, Quod etiam ex eo patet, quia si esset causa per se, si tamen non cognosceretur cum ordine ad effectum (ex volitione ipsius, non fieret voluntarius effectus in causa.

2 Hoc tamen temperandum est, vt non habeat locum, si causa, licet per accidens, sit tamen volita in ordine ad effectum. Quod etiam intelligendum est de cæteris causis, quarum volitio non reddit effectum voluntarium in causa. Ratio est. Quia eo ipso, quod causa est volita in ordine ad effectum, effectus quoque cadit sub intentionem volentis, atque adeò est ipsi voluntarius. Nec obstat, quod causa per accidens non habeat vim inferendi effectum, atque adeò nec in ipsum influat: & consequenter non dicat ordinem intrinsecum ad illum. Nam vt sit volita in ordine ad effectum, sufficit, si sit volita, vt coniuncta cum causis per se; nam tunc ratione ordinis ad effectum est implicitè volitum fundamentum huius ordinis, atque adeò effectus est volitus in causa per accidens, quatenus coniuncta cum causis per se.

Dicendum secundum. *Homicidium volitum in causa remota non pollvere Ecclesiam, si tamen volitio sistat in causa remota. Secus autem si causa remota sit volita, vt inferens proximam tanquam causam homicidij.* Priorem partem tradit etiam Passerinus, *disputatione quinta, de pollutione Ecclesiæ, capite decimonono, numero sexto.* Posteriorem vero negat; quia solum fit, quod homicidium sit volitum, non autem voluntarium. Ratio prioris partis est, Quia nullus effectus potest esse voluntarius in causa nisi in ea præuideatur. In causa autem remota non potest præuideri effectus, quia tanquam remota non dicit ordinem determinatum ad ipsum, quia est determinanda à proxima, alioquin esset causa determinata talis effectus, atque adeò non remota. Ratio autem posterioris partis est ex opposito. Quando enim causa remota est volita cum ordine ad proximam tanquam causam, remota est volita cum ordine ad effectum, licet mediatè, nempe mediante proxima, imò est volita etiam causa proxima tanquam causa: ergo est etiam volitus effectus, tum in ordine causæ remotæ, tum etiam in ipsa causa proxima. Sic fabricans cuniculum in Ecclesia cum ordine ad ipsum incendendum, quando in Ecclesia esset populus, occisio sequuta, esset ipsi voluntaria. 3

Dicendum tertium. *Homicidium volitum in causa dubia, quæ sit merè dubia, non pollvere Ecclesiam. Secus autem si causa sit probabilis ex vtraque parte.* Priorem partem tenet Passerinus, citato *disputatione quinta, de pollutione Ecclesiæ, capite decimonono, numero quinto.* Posteriorem autem videtur negare. Ratio prioris partis est. Quia causa dubia non habet determinatam connexionem cum effectu, sed contingentem: ergo non potest effectus præuideri vt futurus in causa, sicuti nec etiam actus liberi possunt præuideri in causa libera: alioquin si præuideretur, esset causa certa, & determinata. Effectus autem non potest esse voluntarius in causa, nisi in ipsa præuideatur. Secunda verò pars ex eo constat, quia cum causa sit probabilis, cognoscitur etiam effectus homicidij contineri in ipsa probabiliter: ergo eò ipso, quod est volita causa, est etiam volitus effectus, qui probabiliter cognoscitur in ipsa contineri: & eò ipso, quod executioni mandatur, mandatur in ordine ad effectum, quia cognoscitur posse sequi. 4

Dices. Dum causa est tantum probabilis, ex volitione ipsius non fieri: quod sit volitum homicidium, quia potest sequi etiam oppositum, & ideò potest esse volita secundum vnam tantum partem probabilitatis. Verum hoc partim falsum est, partim nihil iuuat. Falsum est enim, quod possit esse volita secundum illam partem tantum probabilitatis, 5

tis, quæ non iofert homicidium. Nam hæc volitio respicit applicationem causæ ad operandum, atque ideò seeundum illam rationem, secundum quam applicata operabitor, licèt hoe determinatè noo cogooscatur: ergo causa est volita secondum illam rationem, secundum quam applicata, est operatura: ergo si causabit homicidium, erit volita tanquam causatiua homicidij.

6 Dicendum 4. *Si causa, in qua est volitum homicidium, sit tantam partialis, sequuto homicidio ex alia causa, non polluitur Ecclesia; dummodo tamen non sit præuisus concursus aliarum causarum. Si tamen sit præuisus, polluetur Ecclesia, etiamsi alia causa non agant humana modo.* Ratio prioris partis est, Quia vt effectus sit voluntarius in causa, requiritur, quod io ipsa præuideatur, etsi non præuidetur, non est voluntarius in causa, quia nihil volitum, quin præcognitum. In causa aotem partiali, secluso concursu aliarum, non potest præuideri effectus, quia in ipsa noo continetur secundum se totum, sed tantum inadæquatè. E contra verò quando præuideret concursus aliarum caosarum, præuiderur etiam sequuturus effectus, & ideò qui applicat talem causam partialem, fit voluotarius cooperator talis effectus.

7 Dices cum Passerin. *disput. 5. de pollut. Eccles. cap.* 18. *num.* 4. Homicidiom non esse voluntarium, & pollotiuum Ecelesiæ, nisi sit vulitum in causa hic, & nunc sufficiente ad ipsum inferendum. Talis autem non est causa partialis: & ideò homleidium non erit voluntarium in ipsa. Resp. Caosam partialem de se non esse sofficientem ad iuferendum homicidium. Esse tamen sufficientem simul cum aliis; & ideò dum præuidetur habiturum coocursum aliarum concausarum, & cum hac præuisione est volita, est etiam volita vt sufficiens, quia est volita noo seorsum ab aliis, sed in consortio ipsarum.

8 Ex dictis colligitor. Quod si vnus sanæ mentis, & alter impos percotiant aliquem in Ecclesia, qui posteà moriatur, & vterque percutiat mortaliter, homicidium polluit Ecclesiam, vt notat etiam Passerin. *disput. 5. de pollut. Eccles. cap.* 18. *num.* 5. Nam homicidium est humano modo, & volontariè commissum ab eo, qui est sanæ mentis: & quamuis non fuerit solus occisor, fuit tamen sufficiens occisor, quia vulnerauit mortaliter. Imò etiamsi non percuteret mottaliter, dummodo tamen præuideret, interire posse, accedente percussione ameotis, esset verus homicida; & proinde Ecclesia per tale homicidiom pollueretur, nam coniungeret suam percussionem cum aliena, & faceret vnam totalem causam sufficientem pro infereoda morte.

9 Secundò colligitur. Quod si duo percutiant aliquem io Ecclesia, siue vterque sit sanæ mentis, siue vnus tantom, & neutra percussio arbitrio peritorum sit lethalis, qoamuis posteà sequatur mors, non remanebit Ecclesia polluta, vt obseruat etiam Passerin. cit. *dispnt. 5. de pollut. Eccles. cap.* 18. *num.* 8. Ratio est. Quia cum percussiones ooo sint lethales, præsumendum est, quod ex alia causa prouenit mors: nam semper sumenda est illa interpretatio, qoæ excludit delictum, vt tradunt Bart. *in l. Non solum.* §. *Sed vt probari. ff. de nuu. oper. non.* Decian. *resp.* 92. *num.* 529. *vol.* 2. Grammat. *decis.* 18. *num.* 5. Marsil. *consil.* 132. *num.* 4. Cephal. *consil.* 397. *num.* 98. *lib.* 3. Crauet. *coasil.* 247. *in fine.* Menocb. *cons.* 37. *num.* 104. per *l. Item apud.* §. *Si communem. ff. de iureiur.* & *l. Semper in obscuris.* 9. *ff. de reg. iur.* Hoc tamen limitari debet, nisi posteà, etiam post mortem, reperiatur, percussionem fuisse lethalem: oam tunc errore detecto, succedit veritas.

Tertiò colligitur. Qood si amens percutiat aliquem lethaliter in Ecclesia, & alter sanæ mentis percutiat non lethaliter, aot cum dubio, an percussio sit lethalis, & sequatur mors, tunc homicidium non futurum pollutiuum Ecclesiæ, vt notat idem Passerin. *eadem disputat. 5. de pollut. Eccles. cap.* 18. *numero septemo.* Nam, vt *numero præcedenti*, dictum est, sumenda est illa interpretatio, quæ excludit delictum. Vnde cum constet de auctore vulneris lethalis, & de altero saltem sit dubium, an percusserit lethaliter; excludendum est delictum respecto istius, & tribuendum homicidium mentis impoti, atque adeò ceosendum, nondum non polluere Ecclesiam. 10

Quartò colligitur. Non esse absolutè admittendum, quod habet Passerinus, *eadem disputatione quinta, de pollutione Ecclesiæ, capite decimooctauo, numero soxto.* Quod si quis sanæ mentis percutiat aliquem in Ecclesia lethaliter, & post aliquod interuallum temporis mentis impos eundem percutiat, qui statim moriatur, Ecclesiam non esse censendam pollutam, quia effectus mortis debet tribui vltimoò percussori mentis impoti. Nam videndum est, an secundus percussor tali percossione percusserit, vt ex vi ipsius esset sequutura statim mors, seclusa priuri percussione: si enim ita percussit, locum haber doctrina Passerini: si verò non ita percussit, sed solom secunda percussio intulit statim mortem, quia repetit primam percussionem, quà percussus dispositus fuerat ad mortem, tunc secundus percussor non est se solo, sed simul cum primo, causa mortis; imò solum accelerat mortem: & proinde homicidium erit voluntarium, & causatum à primo percussore, quia secunda percussio fuit caosa, quod statim sequeretur mors, quatenos cooiuncta com prima. Quod etiam diceodum est, si primos percussor sanæ mentis non percusserit lethaliter, & secunda percussio esset lethalis non secundum se, sed quia reperiret primam; nam tunc secunda percussio vniretur cum prima in vnicam causam sufficientem pro morte. Nam adhuc primus percussor esset causa iniuriosa, & voluntaria mortis. Nec obstat, quod non posuerit causam de se adæquatam, & non præuiderit mortem ob coniunctionem alienæ percussionis, quia hoc haberet locum, quando percussio huiusmodi fuisset tantum volita in caosa: cum autem sit volita secundum se, sufficit, quod voluntariè, & iniuriosè percosserit, vt sit cooperator mortis. 11

QVÆSTIO 542.

An, si post percussionem in Ecclesia superueniat noua causa inferens mortem, remaneat polluta Ecclesia.

SVMMARIVM.

2. *Si percussus in Ecclesia moriatur ex alia causa de se illatiua mortis, non polluitur.*
3. *Homicidium quatenus inducit pollutionem.*
4. *Ecclesia polluitur, si percussus in ipsa moriatur ex alia causa superueniente, licet de se non illatiua mortis.*
5. *Polluitur Ecclesia, si quis in ipsa lethaliter percutiatur, licet non praeideatur superuentura alia causa illatiua mortis.*
6. *Si percussus non lethaliter moriatur, quia non regulate vixit, non polluitur Ecclesia.*

7. *Si percussus non lethaliter moriatur ob defectum medicamentorum, &c. vt polluitur Ecclesia.*

8. *Quid si percutiens præuideat carentiam medicamentorum.*

1 SVpponit quæsitum, quod causa superueniens, & inferens mortem, non sit actus humanus, & proinde non inferat de se pollutionem, aut quod superueniat extra Ecclesiam. Causa autem superueniens vel est talis, vt secundum se præcisè esset illatura mortem; vt si percussus fulmine feriatur. Vel solum potest esse illatiua mortis in talibus circunstantiis, stante nimirum præcedenti percussione, vt si superueniret febris, aut quia percussio non rectè curaretur, aut aliquo alio modo.

2 Dicendum 1. *Si causa superueniens sit de se illatiua mortis, itavt inferret, etiamsi non præcessisset percussio, tunc Ecclesia non remanet polluta, etiamsi prima percussio non solum esset mortalis, sed etiam certò illatura mortem.* Ita etiam Passerin. *disput.* 5. *de pollut. Eccles. cap.* 21. *num.* 4. Ratio est, quia pollutio non sequitur ex causa illatiua mortis, sed ea morte ipsa; itavt effectus mortis requiratur cum effectu ad pollutionem; itavt nunquam, nisi sequatur effectus mortis, Ecclesia habeatur pro polluta. Secunda autem causa superueniens, & sufficiens de se pro inferenda morte præuenit in positione effectus mortis priorem causam, & ipsum facit proprium. Et ideò si non humano modo non operatur, aut occidit extra Ecclesiam, non sequitur pollutio.

3 Dices. Ecclesiam pollui per homicidium, quatenus est actio iniuriosa, & contra reuerentiam Ecclesiæ. In casu autem præsenti interuenit talis actio, & læsio debitæ reuerentiæ erga Ecclesiam. Resp. Pollutionem Ecclesiæ non induci per actionem iniuriosam, & contra reuerentiam debitam Ecclesiæ: sed per homicidium, non quomodocunque, sed vt subest actioni iniuriosæ, & irreuerenti. Et ideò licèt præcesserit talis actio, si tamen homicidium per aliam actionem inferatur, iudicandum est secundum hanc posteriorem actionem.

4 Dicendum 2. *Si causa superueniens, de se non sit sufficiens ad inferendam mortem, sed solum vt in tali subiecto iam percusso in Ecclesia, siue prima percussio fuerit lethalis siue non, si præuidit, superuenturam causam posteriorem erit illi voluntarium homicidium, atque adeò polluet Ecclesiam: secus autem si non præuidit.* Ratio prioris est, quia dum præuidet, superuenturam aliam causam, coniungit ipse cum ea suum concursum in ordine ad eundem effectum, nempe mortem; atque adeò fit concausa, & facit, quod homicidium, respectu suiipsius, sit voluntarium, & humano modo patratum. E contra verò, si non præuidet, mors est præter intentionem ipsius, & proinde non est ipsi voluntaria.

5 Dicendum 3. *Quamuis non præuideatur causa superuentura; si tamen prima percussio sit lethalis, & secunda non sit talis, seu non superueniat causa sufficiens ad inferendam mortem, homicidium erit voluntarium, respectu primi percussoris; atque adeò polluet Ecclesiam, si in ea moriens fuerit primò percussus.* Ratio est, quia secunda causa infert mortem, vt coniuncta cum priori percussione lethali, aut etiam accelerabit: ergo influxus physicus primi percutientis pertinget ad effectum mortis physicè in ipsum influendo.

6 Ex dictis colligitur, quod si percussus non lethaliter moriatur ex eo, quod noluerit regularè viuere, non erit homicidium imputandum percussori; vt notat etiam Passerin. *disput.* 5. *de pollut. Eccles. cap.* 22. *numero* 3. Quia scilicet superuenit alia causa voluntaria ipsi percusso, & quam poterat auertere, regularè viuendo, & ideò sibi ipsi imputare debet mortem. Et in tali casu, percussio est habenda pro dispositione ad mortem, quæ stante incontinentia percussi est causa sufficiens mortis; & cum talis dispositio non sit posita in ordine ad mortem, non erit percutiens cooperator respectu ipsius. Et ideò si percussio facta sit in Ecclesia, non remanebit polluta.

Secundò colligitur. Quod si percussio non sit 7
lethalis, sed percussus moriatur, vel ob carentiam medicamentorum, vel ob imperitiam medicorum; vel aliam similem causam, non erit mors voluntaria percussori, atque adeò nec polluet Ecclesiam. Ratio est, quia tunc mors non habet pro causa percussionem, quæ de se non erat sufficiens ad inferendam mortem. Dices, de se fuisse sufficientem, quia in tantum infert, in quantum illi non obuiatur per congrua medicamenta, &c. Et proinde mors ab ipsa prouenit. Verum licèt ab ipso incipiat mala dispositio corporis, quæ proinde tendit ad mortem, deficientibus congruis remediis, quia tamen secundum modum ordinarium non erat percussio lethalis, sed sanabilis congruis remediis; ideò in morali æstimatione non censetur mors prouenire ratione percussionis, sed ex incongruis medicamentis: nec reuera prouenit, quia stantibus incongruis medicamentis excitantur in corpore prauæ dispositiones, quæ inducunt ad mortem: & ideò ipsæ, & non percussio, sunt causa physica illius: nec mors imputatur percussori.

Maior difficultas est, si percutiens præuideat 8
carentiam medicorum, aut incongruitatem medicandi, &c. Et quidem, quod tunc percutiens sit causa mortis, & sequatur pollutio Ecclesiæ, tradit Passerin. *disputat.* 5. *de pollut. Eccles. cap.* 22. *numero* 4. Quia tunc illa percussio, licèt non secundum se, in his tamen circunstantiis, est lethalis. Hoc tamen patitur difficultatem, quia percussio, adhuc considerata in his circunstantiis, de se non est lethalis. Quia hæ circunstantiæ non ipsam variant in ratione percussionis, neque in ratione damni corporalis, sed solum in his circunstantiis superueniunt aliæ causæ, quæ neque variant percussionem in ratione percussionis, sed inchoant aliam infirmitatem, quæ posteà infert mortem, tanquam causa sufficiens illius. Et solum illa percussio in genere causæ materialis disponit ad effectum per accidens connexum, qualis est infirmitas superueniens, quæ non sequitur ex natura percussionis, sed ex accidenti, quia deficiunt congrua remedia. Vnde cum percussor non sit causa physica huius nouæ infirmitatis, nec ipsam velit in causa physica, sed solum cognoscat, futuram occasionem mortis: non videtur homicidium ab ipso perpetratum habendum pro pollutiuo Ecclesiæ, dato quod possit imputari ad culpam percussori. Quod etiam ex eo confirmatur. Quia vt polluat, debet esse iniuriosum, atque adeò proueniens à causa extrinseca. In tali autem casu prouenit à causa intrinseca, nempe ab intrinseca infirmitate, quæ solum habuit occasionem à causa extrinseca, valde etiam accidentalem. Vnde, falsum est, quod percussio sit causa physica sufficiens, & totalis mortis, vt vult Passerin. cit. Imò cum manifestè insurgat alia causa intrinseca mortis, & extrinseca percussioni, ipsi, & non percussioni est mors adscribenda; vt idem Passerin. *num. sequent.* cum Molina *tractat.* 3. *De Iustit. & iur. disp.* 32. *num.* 4. Gibalino *De irregularit. cap.* 4. *quæst.* 1. *consect.* 10. *num.* 31. rectè notat.

QVÆSTIO

QVÆSTIO 543.

An polluatur Ecclesia, si quis intendat tantùm percutere, sed non occidere.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia polluitur, si percussio sit mortalis, licet præter intentionem.*
2. *Paulatim si percussio sit grauis, licet præter intentionem.*
3. *Homicidium polluit Ecclesiam quatenus in exequutione, non quatenus in intentione.*
4. *Grauitas percussionis, licet præter intentionem sequitur naturam percussionis.*

1 PRocedit difficultas, quando percutiens intendit leuiter percutere, sed casu fit, quod percussio sit grauis, & mortalis; vt si percuteret in aliqua parte corporis, in qua percussio inferret mortem, non illatura in alia, in qua intendebat percutere. Certum enim est, quod si lethaliter percutiat, quamuis non intendat mortem, polluere Ecclesiam, quia intentio excludentia mortem, sicut non facit, quod percussio non sit lethalis, ita nec facit quod homicidium non sit voluntarium percutienti: vt notant Filliuc. *tract.* 29. *cap.* 8. *num.* 121. Floron. *de casib. reseruat. casu* 7. Mazuchel. *eod. tract. disput.* 2. *cap.* 7. *num.* 107. Passerin. *disput.* 5. *de pollut. Eccles. cap.* 2n. *num.* 4.

2 Dicendum est. *Homicidium causatum ex graui percussione casu, aut errore inflicta, licet ex intentione futura fuisset tantum leuis, polluere Ecclesiam.* Est contra Passerin. *disput.* 5. *de pollut. Eccles. cap.* an. *num.* 6. Qui tamen limitat, quod tunc solum non polluatur Ecclesia, quando error est inculpabilis, quia occisio est inuoluntaria. Verum, etiamsi error sit inculpabilis, adhuc polluetur Ecclesia.

3 Ratio est, quia homicidium est pollutiuum Ecclesiæ, non secundum quod est in intentione, sed secundum quod est in executione, & in foro externo: quia Ecclesia non iudicat de intentione, sed de actibus externis: ergo cum in præsenti, actus externus sit vera occasio, & sit voluntarius percutienti secundum se, licet non secundum excessum, & non constet externè de intentione terminata solum ad percussionem leuem, habendum est homicidium pro voluntariè perpetrato, atque adeò pro pollutiuo Ecclesiæ.

4 Confirm. Percussio secundum se est voluntaria, & iniuriosa tum percusso, tum etiam Ecclesiæ: & excessus, qui non est intentus, ratione cuius fit lethalis, imbibitur in ipsa substantia percussionis, veluti modus ipsius: ergo sequitur conditionem substantiæ percussionis, tanquam quid ipsi necessarium, & consequens ad substantiam: & proinde stat sub esse voluntario, & tanquam talis reputatur, saltem in foro externo. Præsertim, quia prouenit ab ea voluntate percutiendi, quæ vult percutere. Vnde si quis volens percutere, nihil cogitando de grauitate, vel leuitate percussionis, occidat, homicidium est ipsi absolutè voluntarium: ita etiam, si intendat percutere solum leuiter, & tamen percussio euadat grauis, quia intentio illa non tollit, quin percussio occidens proueniat à voluntate libera percutientis.

QVÆSTIO 544.

An, vt homicidium polluat Ecclesiam, sequi debeat per aliquam vim physicam externam.

SVMMARIVM.

1. *An vt homicidium polluat Ecclesiam debeat interuenire vis externa.*
2. *Homicidium infert pollutionem, quatenus iniuriosum Ecclesiæ.*
   Vt polluatur Ecclesia debet Ecclesia lædi in reuerentia apud hominum opinionem.
3. *Mors sequuta ex veneno propinato in Ecclesia eam non polluit.*
4. *Procurans abortum in Ecclesia absque externa vi non polluit Ecclesiam.*
   Occidens fœtum in vtero, non tenetur de homicidio.
5. *Preparans cuniculum in Ecclesia certo tempore incendendum, ipsam polluit.*
6. *Si quis cogat aliquem fame perire in Ecclesia, an illam polluat.*
   Idem est si quod prohibetur directè, fiat indirectè.
7. *Si quis in Ecclesia moriatur, & offendiculo ad hunc effectum præparato, an ipsam polluat.*
8. *Peste tactus si alium dedita opera inficiat in Ecclesia ipsam non polluit.*

PLura homicidia sequi possunt sine aliqua vi physica externa, vt quæ succedunt mediante veneno, aut si alicui paretur præcipitium, aut aliquo alio simili modo. Quod autem non sit necessarium, quod sequatur homicidium per vim externam, tradunt loquentes de homicidio per venenum. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 13. Viuald. *in Candelab. cap.* 3. *de interdict. num.* 66. Steph. à S. Greg. *de sacrament. lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 14. Passerin. *disp.* 5. *de pollut. Eccles. cap.* 24. *num.* 4. Fundamentum est, quia homicidium per venenum, aut aliam causam sine externa vi, est verum homicidium, non secus, ac si cum externa vi fieret. 1

Verum hæc doctrina mihi difficilis videtur: quia, licet homicidium absque externa vi, vt per venenum, sit verum homicidium, non tamen videtur habere illam qualitatem, quæ est necessaria, vt Ecclesia habeatur pro polluta. In tantum enim homicidium inducit pollutionem, sicut etiam & cæteræ causæ, in quantum lædit reuerentiam debitam Ecclesiæ, & proinde est iniuriosum Ecclesiæ; siquidem cum habeat polluere ratione circunstantiæ loci, in quo fit, oportet, quod ratione ipsius acquirat aliquam specialem qualitatem, qua maculat in hominum opinione sanctitatem Ecclesiæ, quæ non potest esse alia, nisi quia stante sanctitate Ecclesiæ, lædat reuerentiam ipsi debitam. Hanc autem qualitatem non videtur habere homicidium, quod committitur absque externa vi, siquidem non adest fundamentum apprehendi læsionem reuerentiæ debitæ. Cum enim Ecclesia polluatur tantum in hominum opinione, non in re, oportet, quod in hominum opinione remaneat læsa reuerentia ipsi debita: & ideò per causas occultas non polluitur, vt dicetur suo loco. Quando autem homicidium sequitur absque externa vi, non remanet læsa reuerentia debita Ecclesiæ in hominum opinione: quia non apparet actio aliqua iniuriosa Ecclesiæ, vnde apprehendatur huiusmodi læsio. Vnde etiam Passerin. *disput.* 5. *de pollut,* 2

Eccleſ. cap. 8. *num.* 5. ait, quod iura loquentia de pollutione per homicidium, loquuntur ſolum de homicidio per rixas, & contentiones commiſſo.

3 Quod ſi admittatur, ſequitur primò, quod propinato in Eccleſia alicui veneno, ſi mors ſequatur, non polluatur Eccleſia. Quod etiam ex eo deducitur, quia poteſt mors ſequi abſque cauſa phyſica vltra venenum. Vt ſi quis veneno inficiat vinum, & poſtea mandet alicui inſcio infectionis, quod de ipſo miniſtret pro celebranda Miſſa. Qui enim miniſtrat, non eſt cauſa phyſica voluntaria, & proinde homicidium quatenus prouenit ab ipſo, non eſt pollutiuum; ſed reus, quatenus prouenit à mandante, quia eſt ſolum cauſa moralis mortis. Pro pollutione autem requiritur cauſa phyſica, vt dictum eſt in ſuperioribus.

4 Secundò ſequitur, quod ſi quis in Eccleſia procuret abortum abſque externa vi, etiamſi fœtus ſit animatus, atque media tendant directè ad ipſum abijciendum, non per hoc remanere Eccleſiam pollutam, quia non apparet actio externa iniurioſa Eccleſiæ, ex qua formari poſſit conceptus, quod ſit læſa reuerentia ipſi debita. Accedit etiam, quod occidens partum in vtero non tenetur de homicidio, quia non occidit hominem in eſſe productum; ſed hominem in ſpe, & ideò non eſt in rigore homicidium. *l. Cum iter cæteras, C. de fideicom. lib.* 7. Bald. *ibid.* Aleaand. *in l. Quod dicitur, ff. de liber. & poſth.* Iacob. Butrigar. *in l. fin. ff. de ficar.* Angel. & Salicet. *ibid.* Vnde cum ſimus in materia, in qua homicidium debet propriè accipi, non habebit locum in præſenti caſu. Quod locum habebit etiam ſi ex remedio pro abortiendo mulier prægnans moreretur.

5 Tertiò ſequitur, quod ſi quis in Eccleſia præparet cuniculum certo tempore incendendum, tunc ſi ſequeretur mors alicuius, Eccleſiam fore pollutam. Quia quamuis non interueniat aliqua vis humana, interuenit tamen vis rei inanimatæ humano modo præparata; quod ſufficit, vt actio ſit iniurioſa Eccleſiæ, & læſiua reuerentiæ ipſi debitæ.

6 Quartò ſequitur, quod ſi quis cogatur fame perire in Eccleſia, aliquando remanere Eccleſiam pollutam, aliquando verò non pollui. Quod etiam notat Paſſerio. *de pollut. Eccleſ. cap.* 26. *num.* 4. Remanebit enim Eccleſia polluta, ſi aliqua vi externa prohibeat quis, cibum miniſtrari; nam tunc illa vis eſt iniurioſa Eccleſiæ, & tendit indirectè ad occidendum, & proinde cenſetur ordinata ad homicidium: ſiquidem eodem modo res habet, ſi quod prohibitum eſt fiat directè, ac ſi fiat indirectè. *l. Seius, & Augerius, ff. Ad l. Falc.* vbi Bart. & cæteri Doctores, & cap. *Deteſtanda* 2. *de præben. in* 6. & cap. *Cum quid, de reg. iur. in* 6. & obſeruant Barbat. *conſil.* 45. *in fin. vol.* 2. Gail. *obſeruat.* 145. *num.* 6. *lib.* 2. Menoch. *præſumpt.* 189. *num.* 82. *lib.* 4. Non remanebit autem polluta, ſi ſolum interueniant cauſæ negatiuæ, aut morales; quia ad inducendam pollutionem, vt dictum eſt in ſuperioribus, requiritur cauſa phyſica poſitiua.

7 Quintò ſequitur contra Paſſerinum *diſput.* 5. *de pollut. Eccleſ. cap.* 27. *num.* 4. Eccleſiam non pollui, ſi quis ibi moriatur ex præcipitio, ſeu offendiculo ibi præparato etiam ad hunc effectum. Ratio eſt. Quia non interuenit aliqua vis humano modo exercita, quæ ſit iniurioſa Eccleſiæ, & lædat reuerentiam ipſi debitam. Deinde artifex præparans offendiculum, non exercet aliquam actionem phyſicam, in qua incipiat occiſio, quia tota eius actio eſt factiua artificij illius, per quam phyſicè nullum motuum alicui infertur, & nulla alia actio phyſica interuenit ante illam, qua quis incidit in offendiculum: & proinde mors illa non eſt propriè homicidium, quia nulla interuenit actio phyſica ordinata ad auferendam vitam. Vnde Alex. *conſil.* 140. *vol.* 2. ait, quod qui ponit offendiculum in foueſtra pro capiendo fure nocturno, ſi fur cadat, & moriatur, non dicitur occidiſſe. Cuius rei ea ratio eſt, quia non facit aliquam actionem tendentem ad inferendam mortem. Quod ſimiliter contingit in caſu præſenti, vt dictum eſt.

Sextò ſequitur contra Paſſerin. *diſput.* 5. *de pollut. Eccleſ. cap.* 24. *num.* 7. Quod ſi peſte infectus contactu, etiam dedita opera, alium in Eccleſia inficiat, quamuis reus ſit homicidij, non tamen, ſequuta morte, polluetur Eccleſia. Nam non interuenit aliqua violenta actio iniurioſa Eccleſiæ, ea qua poſſint homines exiſtimare violatam eſſe reuerentiam debitam Eccleſiæ, & formare conceptum pollutionis, quod requiritur, vt inducatur pollutio, iuxta ea, quæ ſuperius dicta ſunt. 8

QVÆSTIO 545.

An, & qualiter homicidium debeat eſſe culpabile, vt polluat Eccleſiam.

SVMMARIVM.

1. *Homicidium ſine culpa non polluit Eccleſiam.*
2. *Vt homicidium polluat Eccleſiam, debet eſſe grauiter culpabile.*
3. *Debet eſſe etiam grauiter iniurioſum.*
4. *Homicidium iuſſu iudicis in Eccleſia quatenus illi iniurioſum.*
5. *Seipſum occidens in Eccleſia illam polluit. Quis non habet ius occidendi ſeipſum. Vſurpans ius, quod non habet, facit iniuriam.*
6. *Eccleſia polluitur etiamſi occiſus ſit Iudæus infidelis interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, non gaudens immunitate, &c.*

EX dictis in ſuperioribus ſatis conſtat, quod homicidium, ſine culpa alicuius ſuccedens, non polluat Eccleſiam. Siquidem tunc non interuenit actio iniurioſa Eccleſiæ lædens reuerentiam ipſius, vt notaot in ſpecie Sylueſter *verbo* Conſecratio, *num.* 5. Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 256. Vgolin. *de poteſt. Epiſcop. cap.* 29. §. 1. ver. *Locum non habet.* Facundez *præcept.* 1. *Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 14. *numero* 8. Sayr. *lib.* 5. *de cenſur. cap.* 16. *num.* 15. Suarez *diſp.* 81. *de Euchariſt. ſect.* 4. *init.* Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 28. *num.* 3. Delbene *de immunitat. part.* 1. *capite* 2. *dubio* 2. *ſectione* 2. *numero* 33. Paſſerin. alios citans *de pollut. Eccleſ. diſp.* 5. *cap.* 8. *num.* 4. Vnde difficultas remanet, qualiter debeat eſſe culpabile. 1

Dicendum eſt. *Vt homicidium ſit pollutiuum Eccleſiæ, debere eſſe grauiter culpabile, ſeu cum peccato mortali.* Ita Hoſtienſ. *in ſum. lib.* 3. Tit. *de conſecr. Eccleſ. num.* 5. §. *Et an ſit.* Palud. *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 8. *art.* 1. ver. *Quantum ad* 4. *concluſ.* 1. Baecon. *diſt.* 10. *quæſt.* 2. *art.* 3. Sotus *diſt.* 13. *quæſt.* 1. *art.* 3. *circa med.* Aſtenſ. *part.* 2. *lib.* 6. *tit.* 29. *art.* 3. Ledeſma 2. *par. quæſt.* 26. *art.* 2. *tract. de irregular. in fine.* Nauar. *in Manual. cap.* 27. *num.* 256. Sylueſt. *verbo* Conſecratio 2. *quæſt.* 5. *caſ.* 2. Tabiena *num.* 4. Angel. *num.* 4. ver. *Secundus.* Viuald. *in Candelab. tit. De interdict. num.* 54. Zerola *part.* 1. *praxis*, verbo *Pollutio Eccleſia.* Summa Corona *tit. De interdict. num.* 6. Graff. *part.* 1. *deciſ. lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 11. & 22. Philiar. *de offic. Sacerd. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. Sayr. *lib.* 5. *de cenſur. cap.* 16 *num.* 13. Suarez *diſputatione* 81. *de Euchariſt. ſect.* 4. *init.* Henriquez *lib.* 9. *ſum. cap.* 27. *numero* 5. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral.* 2

moral. tractat. 5. cap. 5. numero 8. Delbene *part.* 1. *de immunit. cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 2. *num.* 32. Franc. Lugo *de sacram. lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 44. Mazuchel. *de casib. reseruat. disp.* 6. *cap.* 6. *num.* 2. Passerin. *de pollut. Eccles. disput.* 5. *cap.* 8. *numer.* 5. Ratio autem est: Quia absque peccato mortali non interuenit actio occisiua iniuriosa Ecclesiæ, & lædens reuerentiam ipsi debitam, quod requiritur, vt homicidium sit pollutiuum Ecclesiæ.

3 Dicendum 2. *Vt homicidium polluat Ecclesiam, ita debere esse grauiter culpabile, vt simul etiam sit grauiter iniuriosum.* Ita communiter Glos. *in cap. vni. inst. de consecr. Eccles. in* 6. Abb. *in cap. Proposuisti, num.* 2. *de consecr. Eccles.* Syluest. *verbo* Consecratio 2. *quæst.* 5. *casu* 1. Tabien. *num.* 5. Armill. *ibid.* Angel. *verbo.* Consecratio Ecclesiæ, *num.* 4. Victoria *in sum. tit. de Eucharist. num.* 99. Nauarr. *cap.* 27. *Manual. num.* 256. ver. *Iniuriosè.* Sot. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 2. *dicto* 4. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 48. *n.* 23. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 154. *numer.* 7. Viuald. *in Candelab.* tit. *de interdict.* 3. *numer.* 10. Azot. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 13. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 27. *num.* 5. *in Comm. littera I,* Sayr. *lib.* 5. *de censur. c.* 16. *numer.* 4. Suarez *disp.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *casu* 2. Auila *de censur. part.* 5. *disput.* 7. *dub.* 2. *conclus.* 2. *casu* 1. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 8. Reginald. *lib.* 29. *Prax. fori Pœnit. cap.* 9 *sect.* 5. *n.* 180. Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 28. *num.* 2. Coninch. *de sacram. quæst.* 83. *art.* 3. *dub.*.... *num.* 222. Lugo Card. *disput.* 20. *de Euchar. sect.* 2. *num.* 53. Steph. à S. Greg. *de sacram. lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 14. Delbene *de immunit. cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 3. *num.* 32. Franc. Lugo *de sacram. lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 7. *num.* 43. Vgolin. *de potest. Episc. cap.* 29. §. 1. *num.* 1. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 11. *num.* 30. Passerin. *disp.* 5. *de pollut. Eccles. cap.* 10. *num.* 4. Ratio est. Quia homicidium polluens Ecclesiam, est homicidium propriè dictum: hoc autem est cum iniuria, quia lædit in vita ius occisi.

4 Dices: Si iudex faciat morte plecti reum in Ecclesia polluit; & tamen homicidium non est iniuriosum. Resp. Licet secundum se non sit iniuriosum, quia mors est debita ex iustitia: est tamen iniuriosum, attenta circumstantia loci: nam quisque in tali loco constitutus est sub protectione Ecclesiæ, iis vt nulla ipsi iniuria inferri possit circa corpus: & ideo, si inferatur, fit illi iniuria grauis, vel leuis, secundum quantitatem læsionis.

5 Ex dictis colligitur cum Glos. *in cap. vnic. de consecr. Eccl. in* 6. Gemin. *ibid.* Ioan. Andr. *num.* 3. Syluestr. *verbo.* Consecratio 2. *quæst.* 5. *casu* 1. Tabien. *num.* 7. Angel. *verbo* Consecratio, *Eccles. n.* 7. Paludan. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 8. *art.* 4. *conclus.* 1. *in fin.* Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 13. vers. *Rogabis.* Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.* 16. *num.* 4. Suarez *disp.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *casu* 2. *in fin.* Auila *de censur. part.* 5. *disp.* 7. *dub.* 1. *concl.* 2. vers. *Præterea.* Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 9. *in fin.* Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 11. *num.* 13. & communiter. Occidentem seipsum polluere Ecclesiam. Nam etiam, quando quis seipsum occidit, iniuriosè agit: quia non est Dominus propriæ vitæ; sed habet tantum vsumfructum. Puto tamen, rarò admodum contingere posse, quod quis sanæ mentis seipsum occidat, cum mors sit maximè contra appetitum naturalem, tanquam vltimum terribilium. Si tamen compos mentis se interimeret, pollueretur Ecclesia. Nec dici potest, quod non faciat iniuriam sibi; siquidem iniuria tanquam contra iustitiam est ad alterum. Quia sufficit, quod non habeat ius vulnerandi, aut occidendi seipsum, *l. Omne delictum,* §. *Qui se vulnerauerit, ff. Ad l. Aquil.* & cap. *Si non licet* 24. *Quæst.* 5. Nam eo ipso, quod sibi vsurpat ius quod non habet, iniuriosè agit, quia oportet, quod huiusmodi ius sit alterius.

6 Colligitur 2. cum Pace Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 11. *num.* 12. Quod si occisus in Ecclesia sit infidelis, Iudæus, aut Hæreticus, adhuc Ecclesia polluetur, quia militat eadem ratio, quod sit verum homicidium iniuriosum, & adhuc occisio est contra reuerentiam debitam Ecclesiæ, retinens, respectu ipsius eandem deformitatem. Quod etiam dicendum est cum Passerin. *disput.* 5. *de immunit. Eccles. cap.* 44. *num.* 4. Si occidatur interdictus ab ingressu Ecclesiæ, aut excommunicatus denunciatus: nam ex eo, quod quis sit interdictus, aut excommunicatus, non acquirit alter ius occidendi, nec violandi reuerentiam debitam Ecclesiæ. Insuper etiamsi occidatur is, qui non gaudet immunitate, vt notat etiam idem Passerin. *cap. anteceden.* 43. *num.* 4. Nam ex eo, quod non gaudeat, solum fit, quod possit extrahi, seruata forma Gregoriana; non autem quod possit ibi occidi absque violatione reuerentiæ debitæ Ecclesiæ. Denique, etiamsi, qui occiditur, posset impunè occidi in quocunque loco, quia semper, ob reuerentiam, intelligitur, excepta Ecclesia: & facultas occidendi in quocunque loco, accipienda est de loco habili ad occidendum.

QVÆSTIO 546.

An homicidium, ob sui defensionem, polluat Ecclesiam.

SVMMARIVM.

1. *Si homicidium non sit necessarium ad defensionem, polluitur Ecclesia licet interueniat defensio.*
2. *Homicidium ob necessariam defensionem non polluit Ecclesiam.*
3. *Cur sit licitum, & non sit iniuriosum.*
   Iura concedunt, occidere aggressorem.
4. *Quid si excedatur moderamen inculpatæ tutelæ, an homicidium polluat Ecclesiam.*
5. *Quid requiratur, vt polluat.*
6. *Excessus in defensione, si non sit ex dolo, non punitur.*
7. *Excessus in defensione non trahit excommunicationem contra inicientes manus violentas in Clericum.*
   Se defendenti non potest præscribi terminus, vltra quem non extendat defensionem.

1 INtelligitur de defensione iusta, & permissa secundum iura, adeoque quæ sit necessaria. Vnde si quis se defenderet occidendo, quando damnum illatum non permittit occisionem inferentis, quia homicidium esset iniuriosum, & culpabile, pollueret Ecclesiam. Sicut etiam si homicidium non esset necessarium, sed posset absque ipso locum habere sufficiens defensio.

2 Dicendum est. *Homicidium commissum ob iustam, & necessariam defensionem propriam, quando est secundum iura permissum, atque adeo seruato moderamine inculpatæ tutelæ, non polluit Ecclesiam.* Ita communiter Glos. *in cap. vnic. de consecr. Eccl. in* 6. Panormit. *in cap. Proposuisti, num.* 2. *de consecr. Eccles.* Syluest. *verbo* Consecratio 2. *quæst.* 5. *casu* 1. Tabiena *num.* 5. Armill. *num. item* 5. Angel. *verbo* Consecratio Eccles. *num.* 4. Sot. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 2. *dicto* 4. Nauarr. *cap.* 27. *Manual. num.* 256. Viual. *in Candel. tit.* 3. *de interdict. num.* 10. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 27. *n.* 5. *in Com. littera I,* Azor. *part.* 1. *lib.* 16. *cap.* 16. *quæst.* 13. Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.* 16. *num.* 4. Zech,

Zech. *de casib. reseru. casu* 11. ver. *Secundo.* Victoria *in sum. tit. de Eucharist. num.* 99. Auila *part.* 5. *de censur. disp.* 7. *dub.* 1. *conclus.* 2. *casu* 1. Graf. *part.* 1. *decis. lib.* 20. *cap.* 48. *num.* 9. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 154. *num.* 7. Medices *in sum. de peccat. part.* 2. *tit.* 9. *qu.* 10. Suarez *disp.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *casu* 1. & 2. Vener. *lib.* 9. *exam. Episc. cap.* 36. *num.* 4. Vgolin. *de potest. Episc. cap.* 29. § 1. *num.* 1. Riccius *in Praxi, resol.* 479. *part.* 1. Reginald. *lib.* 29. *Praxis fori Pœnit. cap.* 9. *sect.* 5. *num.* 180. Megal. *in Promptuar. verbo* Cœmeterium *num.* 5. Lugo Card. *disp.* 20. *de Eucharist. sect.* 2. *n.* 54. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *n.* 8. Bonac. *de matrim. quæst.* 4. *punct. vlt. num.* 20. Mazuchel. *de casib. reseru. disp.* 2. *cap.* 6. *num.* 4. Delbene *de immunit. part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 3. *num.* 35. Franc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 6. *quæst.* 8. *num.* 50. Antoneli. *de regim. Eccles. part.* 1. *cap.* 16. §. 1. *numero* 13. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubr. lib.* 5. *tit.* 11. *numero* 37. Stephan. à S. Gregor. *lib.* 3. *de sacram. cap.* 25. *num.* 14. Castilin. *in Theol. moral. verbo* Consecratio Eccles. *difficult.* 4. vers. *Secus tamen.* Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 28. *num.* 16. Passerin. alios etiam citans, *disp.* 5. *de pollut. Eccles. cap.* 29. *n.* 4.

3 Fundamentum est: Quia tale homicidium non habet conditiones requisitas, vt sit pollutiuum Ecclesiæ. Nam non est culpabile, cum sit ad defensionem, quæ permittitur etiam cum morte aggressoris: Vnde illa actio non est propriè homicidium, sed iusta defensio, & ideo materialiter tantum est homicidium, non autem formaliter: atque adeo non est in specie homicidij, sed in specie defensionis, atque adeo actionis licitæ. Nec etiam est iniuriosum, quia non est contra ius aliquod, imò secundum ius: nam omnia iura concedunt occidere aggressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, *l. Vt vim, ff. de iust. & iur.* & cap. *Dilecto, de sentent. excomm. in* 6. & Clement. *vnic. de homicidio.* Qui autem vtitur iure suo nemini facit iniuriam.

4 Maior difficultas est, Quid dicendum, si defensio excedat moderamen inculpatæ tutelæ. Quod si excessus sit notabilis pertingens ad peccatum mortale, polluitur Ecclesia, tradunt Syluest. *verbo* Consecratio Eccles. 2. *num.* 5. citans Innocent. Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 28. *numero* 19. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 11. *num.* 38. Passerin. *disp.* 5. *de pollut. Eccles. cap.* 36. *num.* 4. Quia tunc homicidium non solum est culpabile moraliter, sed etiam iniuriosum, quia contra iustitiam, vt notant Lessius *lib.* 2. *de iust. & iur. cap.* 9. *dub.* 21. Faustus *de restit. disp.* 25. *quæst.* 12. Homobon. *de casib. reseru. part.* 2. *cap.* 3. *circa fin.* Molina *de iust. & iur. tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 11. *num.* 5. *in fine*, Caramuel. *lib.* 1. *Theol. moral. disp.* 8. *num.* 139.

5 Verum, quamuis excessus reddat homicidium peccaminosum moraliter, & iniuriosum; non videtur statim esse pronunciandum, quod sit pollutiuum Ecclesiæ: sed videndum, an in hominum æstimatione lædat reuerentiam debitam Ecclesiæ; quia sine hac læsione non consurgit opinio pollutionis. Vt autem lædatur reuerentia, requiritur, quod excessus in defensione apprehendatur tanquam excessus notabilis: quia dato quod sit notabilis, & non apprehendatur, putabitur illa actio iusta defensio cum debito moderamine, atque adeo non lædere reuerentiam debitam Ecclesiæ. Vt autem possit apprehendi, debet ex se esse talis, vt constet esse extra lineam defensionis, & transire ad terminos vindictæ: & quod de hoc clarè constet, nam in dubio non est præsumendum delictum, & proinde, quod non sit extra lineam defensionis.

6 Præterea, iste excessus non prouenit ex animo inferendi iniuriam, sed propulsandi, & proinde est iuxta cap. *Significasti* 2. *de homicidio*, ibi: *Id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam.* Ergo non reddit homicidium iniuriosum, quia adhuc iste excessus est effectus animi se defendentis. Et proinde, quod excessus in defensione, si non sit ex dolo, non debeat puniri, tradunt Abb. *in cap. significasti, in fine, de homicid.* Felin. *n.* 14. Ancharan. *in Clem.* 1. *not.* 3. *de homicid.* Florian. de S. Petro *in l. si ex plagis*, §. *Tabernarius, ff. Ad l. Aquil.* Alexan. *in addit. ad Bart. l.* 1. *C. Vnde vi.* Si autem non debet puniri, nec etiam debet reddere homicidium pollutiuum Ecclesiæ, cum non polluatur, nisi per homicidium punibile.

Quod amplius confirm. excessus in defensione non 7
trahit excommunicationem contra iniicientes manus violentas in Clericum, cap. *Olim, de restit. spoliat.* vbi Glos. *verb. excessistis, in fine*, & cap. *Perpendimus, de sentent. excom.* Item Glos. *in cap. Significasti* 2. *verb.* Moderamine, *de homicid.* Gras. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 65. *n.* 14. Farinac. *in Prax. part.* 5. *qu.* 125. *n.* 418. Ergo cum talis excessus non puniatur à iure, nec etiam debet reddere homicidium pollutiuum Ecclesiæ: quia sicuti non reddit homicidium iniuriosum respectu personæ, ita nec etiam respectu Ecclesiæ. Ratio autem à priori est, quia feruor defensionis non permittit, quod defensio ita ponderetur, vt sit omnino iuxta mensuram necessariam: & ideo non potest præscribi defensori, quod vsque ad talem terminum, & non vltra extendat defensionem, vt notant Bald. *in l.* 1. *n.* 10. *C. Vnde vi* Hyppolit. *in l. Is qui, n.* 6. *C. Ad l. Cornel. de sicariis.* Obred. *de necess. defens. cap.* 12. *num.* 25. Et ideo excessus, nisi sit cum dolo, habendus est pro defensione necessaria.

QVÆSTIO 547.

An semper, quando homicidium est pro defensione, excludatur pollutio Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1. *Defensiuum homicidium quoties est licitum non inducit pollutionem.*
   Vim vi repellere licet.
2. *Ecclesia non polluitur, si aggressus intra ipsam ab innocente illum occidat.*
3. *Occidens inuasorem proximi in Ecclesia illam non polluit.*
4. *Occisio in Ecclesia pro defensione proprio non bonorum, an illam polluat.*
   Furem occidere an liceat.
   Vita proximi plus amanda quàm externa bona.
5. *Occisio pro defensione propriorum bonorum, quando licita.*
6. *Occisio in Ecclesia pro defensione honoris an illam polluat.*
7. *Homicidium an licitum pro defensione honoris, & famæ.*
8. *Honor, & fama æquiparãtur vitæ, sed non in omnib.*
9. *Si inuasus occidat in Ecclesia inuasorem, non polluitur, licet fugere possit.*
10. *Per occisionem parantis inuadere non polluitur Ecclesia.*

QVia res satis controuersa est, quandonam, pro 1
defensione, occidere liceat; idео pro regula generali, ita tenendum est. *Quod quoties homicidium defensiuum est licitum, nunquam inducit pollutionem, si contingat in Ecclesia.* Nec regula est secundum communem doctrinam Doctorum, quos *in præced.* citaui *num.* 2. & quam prosequitur Passerin. *de pollut. Eccles. disp.* 5.

disput. 5. cap. 30. & per plura subsequentia. Et ratio potissima est, quia vim vi repellere licet. *l. Vt vim. ff. de Iust. & iur.* & *l. Scientiam.* §. *Qui eum aliter. ff.* Ad *l. Aquil.* & cap. *Interfecisti.* & cap. *Significasti.* 2. *de homicid.* & cap. *Si vero.* 1. *de sententia excommunicationis.* Et ideò quotiescunque pro defensione, & vi repellenda est licitum homicidium aggressoris, si succedat in Ecclesia, non polluetur: quia tunc homicidium, non est homicidium, nisi materialiter; sed est iusta defensio, atque adeò actus licitus, & nullam inferens iniuriam Ecclesiæ, per quam reuerentia ipsi debita lædatur.

2 Ex his sequitur, quod si aggressus ab innocente in Ecclesia illum occidat ad sibi prospiciendum, non polluet Ecclesiam. Hoc autem contingere potest, si aggressor sit furiosus, quia non peccat aggrediendo. Ita notat Passerin. *disputat. 5. de pollutione Ecclesiæ, cap. 35. numero* 4. Debet tamen aggressus, quantum potest, declinare aggressionem; præsertim quia non est indecorum, etiam personæ nobili, & honestæ fugere, quando aggrediens est furiosus. Desumitur autem ex Clement. *Si furiosus de homicid.* vbi occidens in tali casu non fit irregularis. Et ratio est, quia in tali casu occidens neque peccat, & proinde nullam iniuriam infert occiso, nec lædit reuerentiam debitam Ecclesiæ. Et quamuis nunquam liceat occidere innocentem, hoc tamen intelligitur, quando occisio est in specie occisionis, & proinde ex specificatione sua tendit ad auferendam vitam: secus autem quando est in specie defensionis, quia tunc tendit ad propulsandam vim. Quam cum propulsare omnia iura permittant, vt dicitur in cap. *Si vero. de sententia excommunicationis.* permittunt etiam media necessaria, atque adeò cædem aggressoris alias innocentis, cum vim inferat, nec alio modo propulsare queat.

3 Sequitur 2. vt notat etiam Passerinus citat. *disput. 5. de pollut. Eccles. cap.* 30. *num.* 4. Quod si quis defendens proximum iniustè inuasum occidat inuasorem in Ecclesia, non polluetur. Nam adhuc cædes ista non est in speciem homicidij, sed in specie iustæ defensionis; atque adeò est cædes licita nec iniuriosa siue occiso, siue Ecclesiæ. Nam cum ex præcepto charitatis vnusquisque tenetur diligere proximum sicut semetipsum; quæ sunt ipsi licita in in fauorem proprium, sunt etiam licita in fauorem proximi.

4 Sequitur 3. Non posse vniuersaliter subsistere, quod habet Passerin. citat. *disputatione quinta, de pollutione Ecclesiæ, cap.* 31. *numero quarto.* Quod scilicet non polluatur Ecclesia, quando quis in ea occidit pro defensione propriorum bonorum externorum, aut etiam proximi, vt habet *cap.* 32. *numero quarto.* Quamuis enim aliqui teneant, quod pro defensione huiusmodi liceat inuasorem occidere, quorum nonnullos ipse citat: opposita tamen sententia vera est. Quia quando iura concedunt, quoduis vi repelli posse, intelligunt de vi illata contra personam. Quod autem non liceat occidere furem, etiamsi res Abbatæ non possent postea recuperari, habetur ex *l. Si ex plagis.* §. *Tabernarius. ff.* Ad *l. Aquil.* ibi. *Sed si ab eo non prior vapulasset.* & ex *l. Furem. ff.* Ad *l. Cornel. de sicar.* & ex cap. *Si perfodiens. de homid.* ibi. *Quia poterat discernere, quod ad furandum, non ad occidendum venisset, & ideò non debet occidi.* & ex cap. *Suscipimus. de homicid.* Quod etiam constat ex leg. 12. *Tabul.* quæ recitatur in *l. Itaque.* §. *Lex duodecim. ff.* Ad *l. Aquil.* vbi dicitur, quod præmisso clamore licet occidere furem nocturnum, non autem diurnum, nisi se armis defendat. Et ratio clara est. Quia secundum debitum ordinem charitatis, plus est amanda vita proximi, quam externa bona; quia vita proximi magis participat de motiuo charitatis, iuxta communem doctrinam cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 4. & 5. Nec obstat, quod possit fur se subtrahere periculo, relinquendo bona aliena: nam adhuc stat, quod iuxta ordinem charitatis, non possit eius vita postponi bonis externis; quia hoc prouenit ex natura obiectorum, quæ non immutatur per malitiam furantis. Itaque cum tale homicidium sit peccaminosum, & iniuriosum, & contra reuerentiam debitam Ecclesiæ; atque adeò pollutionem illius.

Itaque tunc solum non polluetur Ecclesia, quando licita est cædes pro defensione bonorum externorum: Tunc autem solum est licita, quando fur est nocturnus, & clamore præmisso, non fugit: aut quando est diurnus, sed cum armis paratus inferre vim, si defendantur bona externa, quia tunc plus est, quam fur, vt dicitur in cap. *Si perfodiens, de homicid.* In his enim duobus casibus iura permittunt cædem, vt constat ex dictis *numero præcedenti.* Nec, quod fur occidi possit, colligitur ex cap. *Interfecisti. de homicidio.* Imò oppositum. Nam ei, qui interfecit latronem, imponitur pœnitentia. & §. *Si autem.* Supponitur licita occisio, quando non solum est pro defensione bonorum, sed etiam personæ, vt satis declarant illa verba, *Te, itaque liberando.* 5

Sequitur 4. contra Passerin. *dict. disputat. 5. de pollutione Ecclesiæ, cap.* 33. *num.* 4. & 5. Pollui Ecclesiam, si in ea quis occidatur pro defensione solius honoris. Dixi, solius honoris, vt excluderem casum, in quo aggressus posset fugere, sed cum dedecore, & proinde non fugit, vt manuteneat proprium honorem; nam tunc occidit pro defensione honoris, sed pro defensione propriæ personæ. In quo sensu loquuntur plures Doctores, dum volunt, licitum esse, occidere pro defensione honoris. 6

Ratio autem est, quia homicidium non est licitum pro defensione honoris, & famæ, vt latè tradidi *in decis. Moral. decis.* 441. & *quæst. Canon.* 32. *Centur.* & rursus *quæst. Canon.* 352. *Centur.* 4. cum plusquam triginta Doctoribus. Nam honor, & fama reputantur inter bona externa; atque adeò sunt inferioris ordinis, quàm sit vita proximi, & minus participant de motiuo charitatis, quàm proximus ipse: & ideò, secundum debitum ordinem charitatis, sunt postponenda saluti spirituali proximi, vt supra *numero quarto*, dicebatur cum communi sententia. 7

Et licèt forma, & honor vitæ æquipatentur. *l. Iusta. init. ff. de manum. vi.* vbi Gloss. & *l. Isti quidem.* §. *Quod si dederit. ff. de eo quod met. caus.* Attamen est etiam disparitas, præsertim in ordine ad defensionem; nam si ab aggressore auferatur vita, damnum est omnino irreparabile, & ideò pro illius defensione vti possum quocumque medio, etiam cæde inuasoris: at si inuasor honoris, & famæ ipsum auferat, damnum non est irreparabile, quia etiam facilè possum recuperare: & ideò non est licitum pro eius defensione occidere; præsertim quia suppetunt alia media defensionis, vt in dictis locis ostendi. 8

Sequitur quintò, quod si inuasus occidat in Ecclesia inuasorem, quando fugere poterat, non pollui Ecclesiam, vt notat etiam Passerin. *citat. disputatione quinta, de pollutione Ecclesiæ, cap.* 37. *num.* 4. Nam, dato quod ratione circonstantiarum deberet fugere, & proinde peccet non se subtrahendo inuasioni; non tamen peccat, quando amplius non potest se subtrahere, se defendendo, & occidendo, si opus sit, pro sui defensione. Sunt enim diuersæ actiones, se subtrahere inuasioni, & se inuasum defendere. Et ideò, si peccatur in prima non implendo 9

obligationem se subtrahendi, non sequitur; quod peccetur in secunda, quando iam defensio, & cædes aggressoris facta est necessaria: nam hæc semper est secundum ius naturæ, & ideò licita.

10 Sequitur sexto, vt notat etiam *dict. disput. 5. de pollut. Eccles. cap. 38. num. 4.* Non pollui Ecclesiam per occisionem parantis inuadere, quamuis nondum actu inuaserit. Nam adhuc occisio est medium licitum pro defensione; quamuis enim nondum actu inuadat, dum tamen parat inuadere habetur pro inuasore, quia disponit inuasionem, quam si fortè iouadendus expectaret, non posset repellere. Et ideò iusta, & inculpata defensio potest aliquando exigere, quod præueniatur inuasio, vt contingit, quando scit quis ab aliquo sibi insidias strui, & mortem moliri.

QVÆSTIO 548.

An polluatur Ecclesia, si reus auctoritate publica morte plectatur in Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Si supplicium mortis reo inferatur, polluitur Ecclesia.*
2. *Supplicium mortis in Ecclesia sumptum est ipsi iniuriosum, & reo.*
3. *Si reus auctoritate Ecclesiastica supplicio mortis puniatur adhuc polluitur Ecclesia.*
4. *Polluitur Ecclesia si fugiens intra ipsam occidatur stante statuto, quod possit percuti.*
5. *Ecclesia an polluatur, si iudex iubeat percuti seditiosum.*

1 DIcendum est, *Pollui Ecclesiam, si in Ecclesia supplicium mortis reo infertur, licet publica auctoritate.* Ita communiter Syluester *verbo* Consecratio 2. *quæstione quinta, casu primo*, Sà *verbo* Ecclesia. *numero decimotertio*, Graff. *parte prima, decisionum, libro secundo, capite quadragesimooctauo; numero vigesimoprimo*, Azorius *part. 2. summ. lib. 9. capite quinto, quæstione prima*, Rodriquez *parte 1. summ. cap. 154. numero septimo*, Sayrus *libro quinto de Censuris, capite decimosexto, numero duodecimo*, Suarez *disputat. 81. de Eucharistia, sectione quarta, casu primo*, Facundez *precept. 1. Eccles. libro tertio, capite decimoquarto, numero nono, in fine.* Reginaldus *libro vigesimonono, Praxis fori pœnitentiæ, capite nono, sectione quinta, numero 180.* vers. *Atque ex his.* Lugo Cardinalis *disputatione 10. de Eucharistia, sectione 2. numero 54.* Barbosa *de potestate Episcopi allegat. 28. numero 25.* Delbene *part. 1. de Immunit. capite 2. dubio 2. sectione 3. numero 6.* Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. libro 5. titulo 11. numero 10.* Coninch. *de sacrament. quæst. 83. art. 3. dub. 21. numero 327.* Nauar. *cap. 27. Manual. num. 256.* Francisc. Lugo *libr. 5. de sacrament. cap. 6. quæst. 7. numero 44.* Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disput. 4. dub. 7. num. 114.* Tannet. *tom. 4. disput. 5. sect. 10. dub. 2. num. 26.* Lodouic. à S. Ioan. *in summ. quæst. 11. de Eucharist. art. 6. dub. 1. difficult. 3.*

2 Ratio autem est, quia licet mors iustè inferatur, & propterea ex hoc capite non interueniat peccatum; quia tamen locus est sanctus, & dedicatus obsequiis diuinis, fit illi grauissima iniuria, dum eligitur pro loco supplicij, & læditur reuerentia debita Ecclesiæ. Rursus etiam mors illa est iniuriosa reo, quia dum est in Ecclesia, est sub ipsius protectione, itavt non possit offendi corporaliter, & ideò fit ipsi iniuria, dum, non obstante tali protectione punitur.

Et hoc extendendum est, etiamsi reus auctoritate Ecclesiastica in Ecclesia morte afficiatur, etiam summi Pontificis, contra Passerin. *disput. 5. de pollut. Eccles. cap. 42. num. 4.* Quia licet summus Pontifex dispensare possit, ne reus immunitate gaudeat, non potest tamen dispensare, quod in loco sancto fiat aliqua actio, quæ lædat reuerentiam ipsi debitam. Quia irreuerentia erga res sanctas est mala ex obiecto, itavt non possit fieri licita ex quacunque dispensatione. Exequi autem sententiam mortis in Ecclesia est magna irreuerentia. Hoc tamen limitari debet, nisi reus se ita defenderit contra ministros iustitiæ, vt non posset extrahi ab Ecclesia, vt contingere posset, si plures morte plectendi se reciperent ad Ecclesiam, & ibi se armis defenderent: nam in casu, in quo non gauderent immunitate, possent obsideri, & occidi: quia tunc occiderentur tanquam hostes inferentes vim ministris iustitiæ: & tunc occisio non esset exequutio sententiæ, sed iusta defensio, qua defenderentur iura publica, & esset eadem ratio, ac si quiuis alius occideret aggressorem existentem in Ecclesia. 3

Ex dictis sequitur contra Naldum *in summ. verbo* Ecclesia. *num. 30.* Pollui Ecclesiam, si stante statuto, quod possit quisque percutere ingredientem suam possessionem, aggrediatur ingressum, & insequatur fugientem, & recipientem in Ecclesiam, ibi eum percutiat. Nam non percutit licitè, quia excedit terminos statuti: solum enim concedit, licitè percuti, quousque se extendit auctoritas statuentis: non se extendit autem ad dandam facultatem percutiendi in Ecclesia. Nec obstat, quod attendendum sit initium actus, quod est licitum: quia in tali casu non est vnicus actus; nam interuenit aggressio, insecutio, & percussio: & hæc fit tantum in Ecclesia, & ideò & initium, & finis est illicitus. Quod si omnia considerentur per modum vnius actus moralis; quia tamen erit diuisibilis, ideò quando venitur ad circunstantiam loci, quæ mutat speciem actus, & facit de licito euadere sacrilegium, incipiet esse illicitus. Nec valet, quod finis iudicandus sit secundum principium, nam hoc habet locum solum, quando actus perseuerat in iisdem qualitatibus, & circunstantiis, non autem quando mutatur de vna specie in aliam. 4

Sequitur 2. Quid dicendum de Doctrina, quam tradunt Henriquez *lib. 11. sum. cap. 16. num. 4. in fine.* Sà *verb.* Ecclesia. *num. 13.* Auila *de Censur. part. 5. disp. 7. dub. 1. conclus. 2. casu 1.* ver. *Iniuriosè.* Tanner. *tom. 4. disp. 5. quæst. 10. dub. 2. num. 26.* Delbene *de Immunitat. part. 1. cap. 2. dub. 2. sect. 2. num. 35.* Passerin. *disput. 5. de pollut. Eccles. cap. 46. num. 4.* nempe Iudicem posse in Ecclesia occidere seditiosum, & perturbatorem reipublicæ, nec proinde pollui Ecclesiam quamuis enim Facundez *tom. 2. in Decal. lib. 6. cap. 3. num. 14.* oppositum sentiat, & Diana *part. 6. tract. 1. resol. 35.* ver. *Ad auctoritatem verò.* vocet, sed nullo fundamento, prædictam doctrinam falsam; Attamen aliquando potest habere locum. Quia licet, vniuersaliter loquendo, non liceat iudici occidere reum in Ecclesia; attamen quando occisio sit necessaria ratione circunstantiarum, pro defensione reipub. licebit occidere, nec polluetur Ecclesia. Et hoc contingere potest, si quis in Ecclesia excitet seditionem contra rempoblicā apud populum, itavt sit in actuali excitatione, nec impediri possit alia via, nisi occidatur. Tum enim ius defensionis facit licitum homicidium illius, etiam in Ecclesia; cum defensio sit de iure naturali, & præualeat cuicumque iuri humano. 5

QVÆSTIO

QVÆSTIO 549.

An polluatur Ecclesia, si Martyr in ea occidatur.

SVMMARIVM.

1 *Per effusionem sanguinis Martyris polluitur Ecclesia.*

2. *Actio occidentium Martyrem est iniuriosa tum ipsi, tum Ecclesiæ.*

3. *Quando reconcilietur Ecclesia polluta ob effusionem sanguinis Martyris quid seruandum.*

1 QVamuis summa Confessorum *lib.3.tit.24.q.153.* asserat, per sanguinem Martyris in Ecclesia occisi, eam non pollui, sed potius sacrari: Dicendum tamen est, *Pollui, & proinde indigere reconciliatione.* Ita communiter Gloss. *in cap.vnic. verbo* Sanguinis. *in fine. e consecrat. Eccles.in 6.* Ioan. Andr. Archidiac. & cætera *ibid.* Paludan. *in 4.dist.18. quæst.8.art.4. conclus.1.* L. Antonin. *3.part.tit.12.cap.6.§.4.* Asten. *par.2. lib.6.t.29.art.3.* Syluester *verbo* Consecratio. *2.qu.5. casu 1.* Tabiena *num.5.* Armill. *ibid.* Angel. *verbo* Consecrati Ecclesiæ. *num.4.* Nauar. *cap.27. Manual. num.26.* Azor. *part. 1. lib.10. cap. 26. quæst. 13. ver. Quare.* Graff. *part.1.decis.lib.2.cap.48.num.24.* Sayr. *lib.5. de Censur.cap.16.num.14.* Vival. *in Candel.cap.3. de Interd.num.13.* Rodriquez *part.1.sum.cap.154. n.7. in fine* Facundez *præcept.1.Eccles. lib.3. cap. 14. n.10.* Suarez *disput. 81. de Eucharist. sect. 4. casu 1. in fine.* Auila *de Censur. part. 5. disput. 7. dub. 1. conclus. 2. casu* . Reginald. *lib.29.Praxi fori pœnit. cap.9.sect.5. num. 80.in fine* Turrecrem. *in cap. Si motum.num.2. de consecrat.dist.1.* Vgolin. *de potest. Episcop.cap.29. §.1. num 1.* Alter. *de Censur. tom. 2. disput. 3. de Interd. cap 1. ver. Verum.* Filliucius *tractat.5.cap.4.num.117.* Bosac. *disput.4.de matrim. punct. vlt. num.....* Barb. *de potest. Episc. allegat.28. num.19.* Mazuchel. *de Casib. reseru.disp.2.cap.6. num.9.* Delbene *de immunit. part. 1. cap.2.dub.2.sect.3.num.6.* Francisc. Lugo *de sacrament. lib.5. cap.6.quæst.7.num.44.* Stephan. à S. Greg. *de sacram.lib.3.cap.21.num.14.* Castilent. *in Theol. moral. verbo* Consecratio Eccles. *difficult. 4. ver. An verò.* Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat.lib.5.tit.11.num.8.* Passerio. *de pollut.Eccles. disp.5.cap.50. num.4.*

2 Ratio autem est, Quia licet sanguis Martyr effusus potius sanctificet, quàm polluat; vnde habet vim Baptismi sanctificantis respectu eiusdem Martyris: attamen actio occidentium est iniuriosa, nedum ipsi Martyri, sed etiam Ecclesiæ, & eo magis, quia grauius est peccatum occidere sanctum, & in odium fidei, quàm occidere alium. Vnde cum pollutio habeat fundamentum, non in morte occisi, sed in actione iniuriosa illatiua mortis, polluetur Ecclesia, etiamsi occidatur Martyr.

3 Est tamen hoc discrimen in hac pollutione, quod quando reconciliatur Ecclesia, non est lauandus locus, in quo sanguis Martyris effusus est, sicut fit, quando alias per sanguinis effusionem polluta est, vt aduertunt Gloss. Tabiena, Syluest. Angel. Sayr. Graff. & alij ex citat. Doctorib. sed colligendus est sanguis, & conseruandus. Nam illa lotio fit ad purgandum locum: sanguis autem Martyris non reddit locum immundum, sed venerabilem. Et ideò nec maior quantitas aquæ benedictæ est ibi effundenda.

QVÆSTIO 550.

An polluatur Ecclesia, intra quam ponitur causa homicidij, sed extra mors sequitur.

SVMMARIVM.

1. *Causa mortis posita in Ecclesia, si extra sequatur mors, an remaneat polluta.*

3. *Quando ex percussione intra Ecclesiam polluatur, licet mors extra sequatur.*

4. *Ecclesia non polluitur sequuta morte extra ipsam, nisi percussus intra Ecclesiam sit in statu morientis.*

5. *Vt polluatur Ecclesia, debet in ipsa perpetrari homicidium.*

6. *Quando in Ecclesia dicatur perpetratum homicidium.*

7. *Si post tempus considerabile ex percussione in Ecclesia sequatur mors non est habenda pro polluta.*

8. *Nisi mors sequatur intra Ecclesiam, potest haberi pro non polluta.*

POtest contingere, quod quis lethaliter vulneretur, aut contundatur intra Ecclesiam, sed mors extra ipsam sequatur. Dubitatur modo, an tunc Ecclesia remaneat polluta. Prima sententia asserit, pollui, etiamsi mors non sequatur intra Ecclesiam. Ita Glos. *in cap. vnic. de consecrat. Eccles. in 6.* Nauar. *cap. 27. Manual.num.256. ver. Sanguinis.* Rodriquez *part.1. sum. cap.154. num.7.* Graff. *part.2.decis.lib. 2. cap.48. num.24.* Auila *de Censur.part.5. disp.7. dub.1. propos.1. casu 1.* Nald. *in sum. verbo* Ecclesia. *num.28.* Gambarus *de casib.reseru.casu 6.num.8.* Layman. *lib.5. Theol.moral. tractat. 8.* Coninch. *de sacrament. quæst.83.art.3. dub..... num.327.* Facundez *præcept.1.Eccles.lib.3.c.14. num.13.* Marchin. *de sacrament. Ordin.tractat.3.part.3. cap.10.num.7.* Card. Lugo *disp.20.de Eucharist. sect.2. num.53.* Francisc. Lugo *lib.5.de sacram. cap.6.quæst.7. num.47.* Pax Iordan. *tom.2. Lucubrat. lib. 11. titul.3. num.330.* Antonell. *lib.5. de regimin. Eccles.cap. 16. num.6.* Dicastil. *de sacrament. tractat.5.disput.4. dub.7. num.114.* Tanner. *tom.4.disp.5.quæst.10.dub. 2. num.26.* Gaspar Hurtad. *de sacrament. disp.4. de sacrific. Miss. difficult.7.§.1.* Caspens. *part.2. Curs. Theol.tract.23.disput.3.sect.3.num.69.* Delbene *de Immunit.part.1. cap.2. dub.2.sect.3.num.3.* Ludouic. à S. Ioan. *in sum.quæst.11. de Eucharist.art.6. dub.1.difficult.1. append.3.* Fundamentum huius sententiæ est, quia ponitur causa sufficiens homicidij in Ecclesia, vt supponitur, ex qua postea sequitur naturaliter mors, quod sufficit, vt homicidium dicatur patratum in Ecclesia, nam iam est consummatum totum illud liberum, & culpabile, quod reperitur in homicidio.

Secunda sententia asserit. Non pollui Ecclesiam, nisi mors sequatur intra ipsam. Ita Abb. *in cap. Proposuisti.num.14.de consecrat.Eccles.* Azor. *part.1.lib.10. cap.26.quæst.13.* Suarez *disput.81. de Eucharist. sect.4. casu 1.* Reginaldus *lib. 29. Praxi fori pœnit. cap. 9. sect.5. num. 181.* Præposit. *3. part. quæst. 183. art. 3. dub. 2. num.152.* Amicus *tom. 7. Curs. theolog. disputat. 33. sect.12. num. 335.* Mazuchell. *de Casib. reseru. disp. 2. cap. 6. difficult.1. n.6.* Stephan. à S. Greg. *de sacram. lib.3.cap.21.num.14.* 2

Dicendum 1. *Si percussus in Ecclesia ad eum statum reducatur ratione percussionis, vt constituatur in statu moribundo, Ecclesia polluitur, etiamsi expiret extra ipsam.* Ratio est; quia dum ratione percussionis 3

reducitur ad talem statum, vt sit moribundus, quamuis expiret extra Ecclesiam, adhuc tamen mors incœpit moraliter in ipsa Ecclesia; quia in Ecclesia cœpit percussus esse magis propinquus mortis, quàm vitæ subsistenti: siquidem ita vita cœpit deficere, vt magis pro mortuo, quàm pro viuo haberetur: ergo cum causa mortis non solum, sed etiam mors in inchoatione, & æstimatione morali sit posita in Ecclesia, habetur homicidium in Ecclesia commissum.

4 Dicendum 2. *Ecclesiam non pollui, nisi mors sequatur intra Ecclesiam, saltem modo explicato num. præced.* Hanc propositionem probabilem putant etiam plures ex citatis pro prima opinione. Ratio est; quia causa pollutiua Ecclesiæ non est quomodocunque actio ipsa occidendi, sed quatenus coniungitur cum morte, quam causam: ergo si mors non causatur intra Ecclesiam, non committitur homicidium intra Ecclesiam, quia homicidium non consistit in sola actione, sed in complexo ex morte, & actione; itavt actio de se sit tantum causatiua homicidij; mors verò, vt sequuta ex tali actione sit homicidium: seu talis actio, vt est in termino mortis, atque adeò passiuè accepta: ergo cum Ecclesia non polluatur, nisi per homicidium, quatenus in ipsa commissum, non polluetur, nisi mors non sequatur intra Ecclesiam.

5 Confir. Quandiù non sequitur mors, non dicitur perpetratum homicidium; siquidem de ratione homicidij est, quod extinguat vitam hominis, itavt per hanc extinctionem formaliter constituatur: ergo si in Ecclesia extinguitur vita hominis, non committitur in ipsa homicidium, cum non fiat in ipsa id, in quo formaliter consistit homicidium: ergo neque habetur pollutio Ecclesiæ inducta à iure per homicidium, quia ius accipiendum est de homicidio propriè dicto: siquidem percussio lethalis est causatiuè tantum homicidium, non autem formaliter: & iura, quæ disponunt de homicidio, non se extendunt ad causam homicidij; siquidem sunt valdè diuersa causa, & effectus ex ipsa sequutus.

6 Ad fundamentum oppositæ sentent. Neque sufficere, vt dicatur patratum homicidium in Ecclesia, quod in ipsa ponatur causa sufficiens, ex qua naturaliter sequatur mors. Quia, sicuti non dicitur homicidium patratum, nisi sit mors sequuta, ita nec dicitur patratum in Ecclesia, nisi in ipsa sit sequuta mors; præsertim, quando sumus in materia odiosa, quæ strictè accipienda est. Nec obstat, quod sit consummatum totum illud liberum, & culpabile quod reperitur in homicidio; quia quamuis pollutio supponat totum hoc liberum, & culpabile, non tamen inducitur per ipsum, sed ipsum verum, & physicum homicidium: vnde si mors necessario sequutura ex percussione miraculosè impediretur, non remaneret Ecclesia polluta, quamuis præcessisset totum illud voluntarium, & culpabile, quod reperitur in homicidio.

7 Ex dictis sequitur præcipuè contra Passerin. *disputat. 5. de pollut. Eccles. cap. 6. num. 4.* Non esse habendam Ecclesiam pro polluta, si ex causa data in Ecclesia mors sequatur post tempus considerabile. Nam, non solum militat ratio, quod homicidium non sit sequutum in Ecclesia; sed etiam remanet dubium, an ex sola causa data in Ecclesia, vel etiam ex alia superueniente sit mors sequuta. Quia, si superuenit alia causa, indicat, quod data in Ecclesia non fuerit sufficiens pro morte, & proinde illa actio non fuerit causatiuè homicidium. In dubio autem, censendum est, quod Ecclesia non fuerit polluta, & quod causa data in Ecclesia non fecerit homicidium causatiuè: quia semper, quando est possibile, sumenda est illa interpretatio, quæ excludit delictum.

Sequitur 2. Quod cum vtraque opinio habeat 8
Doctores pro se in sufficienti numero, & qualitate, possit tutò in praxi amplecti absque vllo periculo. Nam cum per pollutionem, vt dictum est in superioribus, Ecclesia reuera non amittat suam sanctitatem, sed solum in hominum opinione; eo ipso quod sequendo posteriorem opinionem, non habetur pro polluta, nisi mors in ipsa sequatur, excluditur ipsa pollutio, quia excluditur ab hominum opinione conceptus ille, quo apprehenditur Ecclesia, tanquam maculata ex illa iniuriosa actione. Excluso autem hoc conceptu, remanet sublata pollutio.

QVÆSTIO 551

An polluatur Ecclesia, si percussus, aut vulneratus extra ipsam, in ea moriatur.

SVMMARIVM.

1. *Non polluitur Ecclesia, si in ipsa moriatur vulneratus extra.*
2. *Actio occisiua posita extra Ecclesiam non est pollutiua.*
   Homicidium in quo consistat.
3. *Si confugiens ad Ecclesiam vulneretur, & postea in ipsa moriatur, non polluitur.*

Dicendum est. *Non pollui Ecclesiam, si in ea moriatur vulneratus, aut percussus extra ipsam.* Ita 1
communiter Gloss. *in Cap. vn. verbo* Sanguins, *de consecrat. Eccles. in 6.* Durand. *de diuin. offic. lib. 1. cap. 6. num....* Paludan. *in 4. distinct. 18. quæst. 8. art. 1.* D. Antonin. 3. *part. tit. 12. cap. 6. §. 4.* Syluester *verbo* Consecratio 2. *quæst. 5.* Tabiena *numero* 6. Armilla *num. 5.* Angel. *verbo* Consecratio Ecclesiæ, *num. 5.* Nauar. *cap. 27. Manual. num. 256.* Rodriquez *part. 1. sum. cap. 154. num. 7.* Viuald. *in Candel.* Tit. *de interdict. cap. 3. num. 14.* Graff. *part. 1. decis. lib. 2. cap. 48. num. 21.* Piasec. *part. 1. praxis Episcop. cap. 5. num. 5.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 26. quæst. 13.* ver. *Quæres.* Sayr. *lib. 5. de censur. cap. 16. num. 15.* Sà *verbo* Ecclesia, *num. 13.* Auila *part. 5. de censur. disp. 7. dub. 1. conclus. 2. casu 1.* Suarez *disp. 81. de Eucharist. sect. 4. casu 1. & tom. 1. de relig. lib. 3. de templ. obser. cap. 2. num. 2.* Facundez *precept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 14. num. 8.* Reginald. *lib. 29. praxis fori pœnit. cap. 9. sect. 5. n. 180.* Barbosa *de potest. Episcop. allegat. 28. num. 23.* Delbene *de immunit. part. 1. cap. 2. dub. 2. sect. 3. num. 3.* Mazuchell. *de casib. reseru. disp. 2. cap. 6. quæst. 1. difficult. 1. num. 5.* Steph. à S. Greg. *de sacrament. lib. 3. cap. 21. num. 14.* Ludouic. à S. Ioan. *in sum. quæst. 11. de Eucharist. art. 6. difficult. 1. append. 2.* Dicastil. *de sacrament. tract. 5. disput. 4. dub. 7. num. 114.* Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disput. 33. sect. 12. num. 335.* Tanner. *tom. 4. disput. 5. quæst. 10. dub. 2. num. 27.* Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disput. 4. de sacrific. Miss. difficult. 7. init.* Caspens. *part. 2. Cursus Theol. tract. 23. disput. 3. sect. 3. num. 69.* Francisc. Lugo *de sacrament. lib. 5. cap. 6. quæst. 7. num. 45.* Pax Iordan. *tom. 2. Lucubrat. lib. 11. tit. 3. num. 339.* Passerin. *disput. 5. de pollut. Eccles. cap. 5. num. 4.*

Ratio autem est; quia mors non succedit in Ecclesia per actionem occidentis, sed ex alia causa, 2
quia scilicet, aut percussus se confert in ipsam, aut quia ad ipsam deferatur, aut ex alia simili. Ex quo fit, quod actio occidentis non sit iniuriosa Ecclesiæ,

sit, nec lædat reuerentiam ipsi debitam, & proinde nec etiam inferat pollutionem. Quod etiam ex eo constat, quia in tantum homicidium polluit Ecclesiam, in quantum est illi iniuriosum: & in tantum est iniuriosum, in quantum occidens non reueretur sanctitatem loci in patrando tali delicto: atque adeò, ratione circunstantiæ hæc actio occisiua est pollutiua. In hoc autem casu, quia actio occisiua exercetur extra Ecclesiam, & per accidens se habet ad ipsam, quod mors sequatur in Ecclesia, non interuenit in delicto talis circunstantia loci; atque adeò nec etiam pollutio Ecclesiæ. Denique, sicuti homicidium non consistit in sola actione, sed etiam in passione, seu extinctione vitæ; ita nec etiam consistit in sola morte, seu vitæ extinctione, sed etiam in actione violenta extinguente vitam: ergo si vtraque non contingit in Ecclesia, non committitur in ipsa homicidium.

4 Ex his colligitur, quod si quis percutiat, aut vulneret confugientem ad Ecclesiam, itavt postea in Ecclesia moriatur, si tamen percussio, aut vulnus infligatur, antequam ingrediatur Ecclesiam, non pollui. Ratio est, quia eum nondum sit ingressus in Ecclesiam, nondum circunstantia loci qualificat actionem, reddendo sacrilegam & iniuriosam Ecclesiæ. Dum autem non qualificatur actio à circunstantia loci, nec etiam refundit in homicidium qualitatem pollutiui Ecclesiæ.

QVÆSTIO 552.

An polluatur Ecclesia, si existens intra ipsam occidat existentem extra Ecclesiam.

SVMMARIVM.

1. *Si existens intra Ecclesiam occidat existentem extra, non polluitur Ecclesia.*
2. *Si existens extra occidat existentem intra, polluitur Ecclesia.*

1 DIcendum est. *Ecclesiam non pollui, si quis existens intra Ecclesiam occidat existentem extra ipsam.* Ita communiter Tabiena *verbo* Consecratio 2. *num.*7. Nauarr. *cap.*27. *Manual. num.*256. *casu* 1. *in fine.* Viuald. *in Candel. tit. de interdict. cap.*3. *num.*15. Auila *parte quinta, de censur. disputat.*7. *dub.*1. *conclus.*2. *casu* 1. Ledesma 2. *part.*4. *quæst.*26. *artic.*2. *tractat. de irregular. in fin.* Suarez *disput.*81. *de Eucharist. sect.*4. *casu* 1. Sayr. *lib.*5. *de censur. cap.*16. *num.*15. Facundez *precept.*1. *Eccles. lib.*3. *cap.*14. *num.*11. Reginald. *lib.*19. *praxis fori pœnit. cap.*9. *sect.*5. *num.*181. *in fine.* Amicus *tom.*7. *Curs. Theol. dispu.*33. *sect.*12. *num.*335. Delbene *de immunit. part.*1. *cap.*2. *dub.*1. *sect.*2. *num.*5. Bonac. *disput.*3. *de legib. quæst.*7. §. 4. *num.*8. Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacram. cap.*6. *quæst.*7. *num.*45. Pax Iordan. *tom.*1. *Lucubrat. lib.*5. *tit.*11. *num.*16. Passerin. *disp.*5. *de pollut. Eccles. cap.*5. *num.*5. Ratio autem est; quia licet actio incipiat in Ecclesia, consummatur tamen, & ponitur in termino extra Ecclesiam, atque adeò prout est occisiua completur extra Ecclesiam: ergo cum homicidium consistat in occisione passiuè accepta, non committetur intra Ecclesiam, sed extra, cum extra ipsam consummetur: atque adeò non remanebit Ecclesia polluta.

2 Dicendum 2. *Si existens extra Ecclesiam occidat existentem in Ecclesia, polluetur Ecclesia.* Ita Doctores *num. præcedent.* citati, & prætereà Ludouic. à S. Ioan. *in sum. quæstione vndecima, de Eucharistia, artic.*7. *dub.*3. *difficult.*4. *conclus.*1. Tanner. *tom.*4. *sum. disput.*5. *quæstione* 10. *dubio* 2. *numero* 27. Layman. *lib.*5. *Theologica moralis, tractatu* 5. *capite* 5. *numero* 7. Ratio est; quia terminus actionis ponitur intra Ecclesiam, cum actio occisiua ibi extinguat vitam: atque adeò quamuis occidens sit extra Ecclesiam, homicidium tamen sit intra Ecclesiam: ergo est pollutiuum illius, quia in tantum polluit, in quantum habet exequutionem in Ecclesia, quia hoc pacto lædit sanctitatem loci, & reuerentiam ipsi debitam.

DE SECVNDA CAVSA POLLVTIVA ECCLESIÆ.



CAVSA secunda pollutiua Ecclesiæ assignatur effusio sanguinis, quam esse diuersam ab homicidio plusquam manifestum est. Nam potest esse effusio sanguinis sine homicidio, vt passim contingit: & homicidium sine effusione sanguinis, vt cum quis suffocatur. Cum ergo separabiliter se habeant, constituent etiam causas pollutiuas distinctas, & separatas.

QVÆSTIO 553.

Per quam sanguinis effusionem polluatur Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia polluitur per sanguinis effusionem.*
2. *Sola effusio humani sanguinis polluit Ecclesiam.*
3. *Effusio sanguinis, vt polluat Ecclesiam, debet esse culpabilis mortaliter.*
4. *Quando homicidium polluit, aut non polluit Ecclesiam, polluit, aut non polluit etiam effusio sanguinis.*
5. *Ecclesia non polluitur, si inter ludendum quis vulneretur, & effundat sanguinem.*
6. *Etiamsi detur opera rei illicita.*
7. *Quando effusio proprij sanguinis polluat Ecclesiam.*
8. *Grauis percussio, etiam cum fractione oris in Ecclesia ipsam non polluit.*
9. *Consuetudo reconciliandi Ecclesiam, quando in ipsa alicui os frangitur, aut grauiter contunditur, an seruanda.*

DIcendum 1. *Ecclesiam pollui per sanguinis effusionem.* Ita statuitur in Cap. *Ecclesijs, de consecrat. distinct.*1. ex Concil. Niceno, & Innocent. III. in Cap. *Proposuisti, de consecrat. Eccles.* & ex Gregor. IX. in Cap. *fin. eod. tit.* ibi, *Sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lauetur*; & ex Bonifacio VIII. in Cap. *vnic. de consecrat. Eccles. in* 6. ibi, *Si Ecclesiam pollui sanguinis effusione contingat.* Huius autem rei nulla alia ratio assignari potest, nisi quia effusio sanguinis continet specialem irreuerentiam contra sanctitatem Ecclesiæ. 1

2 Dicendum 2º *Solam effusionem humani sanguinis pollnere Ecclesiam.* Ita communiter Doctores, Durand. *lib.1. de diuin. Offic. cap.6. num.*40. Ledesma 2. *part. quæst.26. art.2. tract. de irregularit. in fine.* Nauar. *c.27. Manual. num.256. verbo Humanus.* Viuald. *in Candel.* Tit. *de interdict. cap.3. num.6.* Sayr. *lib.5. de censur. cap.16. num.6.* Facundez *precept.1. Ecclef. lib.3. cap.14. num.15.* Vgolin. *de potest. Episcop. cap.29. §.1.* Ludou. à S. Ioan. *part.1. sum. quæst.11. de Eucharist. art.7. dub.1.* Barbos. *de potest. Episc. allegat.28. n.35.* & alij cum Glos. *in cap. vnic. vers.* Sanguinis, *de consecr. Eccl. in 6.* Ratio autem est, Quia ita Doctores, & praxis interpretantur ius statuens hanc causam pollutionis. Et licet possit fieri alteri iniuria effundendo sanguinem animalis, quod sit sub eius dominio; hæc tamen iniuria non tangit immediatè personam, & ideo non est illa, ex qua procedit ius. Accedit etiam, quod effusio sanguinis humani est actus crudelitatis, & ideo speciali modo detestabilis.

3 Dicendum 3. *Effusionem sanguinis humani, vt sit pollutiua Ecclesia, esse debere voluntariam, culpabilem mortaliter, atque adeo iniuriosam.* Ita communiter Glos. *in cap. vnic. verbo* Sanguinis, *de consecr. Eccles. in 6.* Duraud. *lib.1. de diuinis offic. lib.1. cap.6. num.6.* D. Antonin. 3. *part. tit.12. cap.6. §.4.* Palud. *in 4. dist. 18. quæst.8. art.4. conclus.1.* Augel. *verbo* Consecratio Ecclesiæ, *num.4.* Syluest. *verbo* Consecratio 2. *qu.5. casu* 2. Tabiena *num.4.* Viuald. *in Candel.* Tit. *de interd. cap.3. num.2.* Sayr. *lib.5. de censur. cap.16. n.2.* Rodriquez *part.1. sum. cap. 154. num.8.* Nauar. *c.27. Manual. num.256.* Graf. *part.1. decis. lib.2. cap.48. num.11.* Azor. *part.1. lib.10. cap.26. quæst.13.* Suarez *disp.81. de Eucharist. sect.4. casu 2.* & *tom.1. de Relig. lib.3. de Templ. cap.2. num.3.* Facundez *precept.1. Eccles. lib.3. cap.14. num.14.* Auila *part.5. de censur. disp.7. dub.1. conclus.2. casu 1.* Reginald. *lib.29. Prax. fori Pœnit. cap.9. sect.5. num.* 181. Ludouic. à S. Ioan. *in sum. quæst.11. de Eucharist. art.7. dub.1.* Lessius *de sacrament. quæst.83. art.2. tit. de loco, num.*80. Dicastil. *de sacram. tract.5. disp.4. dub.7. num.116.* Delbene *de immunit. part.1. cap.2. dub.2. sect.2. num.* 1. Layman. *lib.5. Theol. moral. tract.5. cap.5. n.7.* Caspen. *part.2. Curs. Theol. tract.23. disp.3. sect.3. n.70.* Gasp. Hurtad. *de sacram. disput. 4. de Sacrif. Miss. difficul. 7. §.2.* Tanner. *tom.4. disp.5. quæst.10. dub.2. n.28.* Amicus *tom.7. Curs. Theol. disput.33. sect.12. num.336.* Ratio autem est; Quia omnis causa pollutiua Ecclesiæ debet esse ipsi iniuriosa, & lædere reuerentiam ipsi debitam: & proinde debet esse in genere morali, quod fieri non potest, nisi libero modo exerceatur, debet esse culpabilis, alioquin non esset iniuriosa, nec læderet reuerentiam debitam Ecclesiæ.

4 Dicendum 4. *Quæ dicta sunt de homicidio in ordine ad polluendam Ecclesiam, habent locum in effusione sanguinis in ordine ad eundem effectum.* Ratio autem est, Quia conueniunt in eo, quod sint causæ pollutiuæ Ecclesiæ, & solum differunt materialiter, quod scilicet vnum est homicidium, altera effusio sanguinis. Ergo erunt etiam communia ea, quæ concernunt rationem pollutiui: & proinde quando homicidium non est pollutiuum, nec etiam effusio sanguinis erit pollutiua.

5 Ex dictis colligitur, Quod si inter ludendum quis ita percuteretur, aut vulneraretur, vt effunderet copiosum sanguinem; non per hoc Ecclesia pollueretur, vt notant communiter, præsertim Ludouic. à S. Ioan. *in sum. quæst.11. de Eucharist. art.7. dub.2.* Nam talis effusio est casualis, nec est culpabilis, sed ad summum ob aliquam negligentiam imputari potest ad peccatum veniale. Si tamen in ludo interueniret aliquis excessus, vt notat idem Ludouic. à S. Ioan. qui pertingeret ad peccatum mortale, pollueretur Ecclesia, quia tunc effusio esset ipsi iniuriosa.

6 Secundo colligitur, vt notant communiter, præsertim D. Ludouicus à S. Ioan. *quæst. cit. 11. de Eucharist. art.7. dub.2. difficult.1.* Quod etiamsi detur opera rei illicitæ, & iniuriosæ Ecclesiæ, & casu effundatur sanguis, non tamen Ecclesia pollueretur. Nam effusio adhuc casualis est, atque adeo non est culpabilis, & iniuriosa Ecclesiæ: sed tota iniuria, quæ ipsi infertur, sistit in exercitio rei illicitæ, nec se extendit ad effusionem sanguinis, vtpote per accidens consequentem.

7 Tertio colligitur: An polluatur Ecclesia per proprij sanguinis effusionem. Dupliciter enim potest proprius sanguis effundi, vel per actionem licitam vel illicitam: Si effundatur per actionem licitam, aut quæ non sit saltem mortaliter peccaminosa, nequaquam polluetur Ecclesia. At si effundatur per actionem illicitam, & peccaminosam, Ecclesia polluetur. Ita communiter Glos. *in cap. vnic. verbo* Sanguinis, *de consecrat. Eccles.* Ioan. Andr. *n.3.* Geminian. *ibid.* Item Glos. *in cap. Proposuisti, de consecr. Eccles.* Angel. *verbo* Consecratio Ecclesiæ *num.6.* Syluest. *verbo* Consecratio 2. *quæst.5. casu* 2. Tabiena *num.7.* Auila *part.5. de censur. disp.7. dub.2. conclus.2. casu* 1. Suarez *disp.81. de Eucharist. sect.4. casu* 2. Facundez *præcept.1. Eccles. lib.3. cap.14. num.57.* Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.11. num.13.* Coninch. *de sacram. quæst.83. art.3. dub.... num.228.* Franc. Lugo *lib.5. de sacram. cap.6. quæst.8. num.53.* Nam æquè fit iniuria Ecclesiæ, & læditur reuerentia ipsi debita siue sanguis effusus sit proprius, siue alienus: nam adhuc importat actionem crudelem, & contra charitatem, & proinde, à qua esset abstinendum ex motiuo sanctitatis Ecclesiæ.

8 Quarto colligitur, quod si alicui in Ecclesia frangatur crus, aut brachium, aut grauiter percutiatur, non pollui Ecclesiam, vt inter alios notant Nauarr. *cap.27. Manual. num.256.* Syluest. *verbo* Consecratio *2. num.5.* Abb. *in cap. Proposuisti, n.4. de consecr. Eccl.* Ioan. Andr. *in cap. Aqua, num.5. eod. tit.* Vgolin. *de off. Episc.29. §.2.* ver. *Excipitur.* Palaus *part. 2. tract.11. disp.1. punct.1. numer.1.* Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.11. num* 48. Riccius *in Prax. resol.257. part.3.* Bonac. *quæst.4. de matrim. punct. vlt. num.20.* Barbos. *de potest. Episc. allegat.28. num.54.* Antonell. *de regim. Eccles. part.1. lib.1. cap.16. num.2.* Passerin. *de pollut. Eccles. disp.6. cap.3. num.4.* Fractio enim ossium, & percussio non veniunt nomine vulneris, nec effusionis sanguinis, nec ad ipsas extendi potest dispositio iuris, cum non possit ipsis aptari. Vnde quamuis fieri posset, quod frangens alteri crus, aut brachium grauius peccet, & maiorem iniuriam inferat, quàm si inflicto vulnere effunderet copiosum sanguinem, non tamen polluetur Ecclesia: quia in hoc non est attendenda grauitas peccati, aut damni, sed dispositio iuris, cum tota materia pollutionis Ecclesiæ dependeat à iure positiuo.

9 Quinto colligitur, Quod si alicubi adsit consuetudo reconciliandi Ecclesias, si os aliquod alicui frangatur, aut grauiter contundatur, vt notat Durand. *lib.1. de diuin. offic. cap.6. num.41.* Cassina *in Myst og. Regul. cathec. 5. Eccles. tit.9. num. 12.* Passerin. *disp.6. de pollut. Eccles. cap.3. num.3.* addentes, id fieri ad terrorem, poterit absque vllo scrupulo non obseruari talis consuetudo, & se conformare iuri communi. Quod sicut in hoc casu non inducit pollutionem, ita nec iniungit reconciliationem. Nec percipit, quàm laudabile sit non se conformare iuri communi in hac materia rituali ad incutiendum timorem. Si enim Ecclesia non vult incutere, cur debent priuatæ personæ velle incutere, & facere contra ius commune.

QVÆSTIO

QVÆSTIO 554.

An vt effusio sanguinis polluat Ecclesiam, debeat esse hominis viui.

SVMMARIVM.

1. *Vt effusio sanguinis polluat Ecclesiam, an debeat esse hominis viui,* & n.2.
3. *Homo mortuus non est amplius homo.*
4. *Qua effusio sanguinis requiratur, vt polluat Ecclesiam.*
5. *Effusio sanguinis debet de præsenti esse humanus, vt polluat Ecclesiam.*
6. *Effusio sanguinis è corpore mortuo quomodo illi iniuriosa.*
7. *Si sanguis effluat è cadauere in Ecclesia, ad præsentiam occisoris, non polluitur.*

1 CONtingere potest, quod quis propè Ecclesiam occisus in Ecclesiam inferatur, & quod occisor putans, adhuc esse viuum, denuo vulneret in Ecclesia, & effundat sanguinem, cum adhuc cadauer calidum sit: Vnde dubitatur, an in hoc casu polluatur Ecclesia. Prima sententia asserit pollui. Ita Durand. *lib.1. de diuin. offic. cap.6. num.*41. Bacconius *in 4. dist.10. quæst.2. art.3.* Vgolin. *de potest. Episc.cap.29. §.2. num. 1.* Sà *verbo* Ecclesia, *num.*13. Fundamentum est, Quia iura dicunt, Ecclesiam violari effusione sanguinis, nec distinguunt de homine viuo, & mortuo. Confirm. Quia talis effusio est iniuriosa homini mortuo, & proinde etiam Ecclesiæ: & ostendit in vulnerante magnam crudelitatem.

2 Secunda sententia negat pollui. Ita Sayr. *lib.5. de censur. cap.* 16. *num.*7. Henriquez *lib.9. sum. cap.27. num.5.* Facundez *precept.1. Eccles. lib.3. cap.14.n.15.* Barbos. *de potest. Episc. allegat.*28.*num.*32. Bordon. *in consil. Regul. tom.2. resol.*89.*num.*17. Squillan. *de obligat. Cler. part.5.num.*88. Franc.Lugo *lib.5. de sacram. cap.6. quæst.*8. *num.*54. Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.11. numer.*53. Castilent. *in Theolog. moral. verbo* Consecratio Ecclesiæ, *difficult.*3. vers. *Dico secundo.* Delbene *de immunit. part.1. cap.2.dub.2.sect.2. numer.*49. Passerin. *de pollut. Eccles. disput.* 6. *cap.7. num.* 4.

3 Dicendum est. *Ecclesiam non pollui, si effusio sanguinis non sit è corpore viuo.* Ratio est, Quia ad polluendam Ecclesiam requiritur, quod effundatur sanguis hominis: non effunditur autem, quando effunditur è corpore mortuo: Quia corpus mortuum, seu homo mortuus non est amplius homo, *l.si homo mortuus, ff.de verbor. oblig.* & *l.Seruo manumisso, ff. de condit. indeb.* & *l. Falsus, C. de furtis.* Et cum simus in materia odiosa, non est facienda extensio vltra propriam verborum significationem.

4 Dices, Sanguinem, quandiù manet in cadauere, esse sanguinem hominis, quia cadauer non habet sanguinem, sed solum manet in ipso exiguo tempore, quia erat ordinatus ad manutenendam vitam hominis. Contra. Quia non sufficit ad pollutionem, quod effundatur sanguis hominis, sed requiritur, vt effundatur ex ipsomet homine, quia debet esse effusio, quæ tendat in præiudicium vitæ eiusdem hominis: atque adeo quod subtrahatur sanguis, quatenus inseruit manutentioni vitæ ipsius. Quod non contingit, si homo sit mortuus; nam tunc effunditur è cadauere, in quo non est diù permansurus, & cui nihil inseruit, & multò minus inseruit pro manutenenda vita.

5 Ad fundamentum in oppositum Resp. Quando iura dicunt, Ecclesiam violari effusione sanguinis humani, intelligere de effusione sanguinis humani propriè sumpta, atque adeo non de sanguine, qui fuit humanus, hoc est inseruiens vitæ hominis, de præsenti verò non est; sed de sanguine, qui de præsenti humanus est inseruiens vitæ hominis: atque adeo de sanguine, qui per effusionem extrahitur à suo naturali vase, quale est corpus humanum viuens; nam alias non extrahitur per effusionem à suo naturali statu, quem solum obtinet in corpore humano viuente. Ad Confirm. Effusionem sanguinis à corpore mortuo esse illi iniuriosam ratione actionis, qua extrahitur, quatenus omnis actio, quæ non seruat ipsi debitum honorem est illi iniuriosa: non autem esse iniuriosam, quatenus lædat ius ipsius ad retinendum in se sanguinem: nam cum non habeat ius retinendi, imo ex natura sua debeat ipsum abiicere, neque etiam lædi potest huiusmodi ius.

Ex his colligitur, Quod si è cadauere occisi illati in Ecclesiam effluat sanguis è vulneribus ad præsentiam occisoris, non polluetur Ecclesia, stante quacunque copia. Nam, ex quacunque causa proueniat illa effusio sanguinis, certum est, quod habet nouam causam, & non est aliqua noua iniuriosa actio occisoris, quia non interponitur de nouo, nisi præsentia ipsius. Vnde cum pollutio sequatur solum ex effusione sanguinis per iniuriosam actionem, non habebit locum in præsenti casu. Et ita etiam notat Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5.tit.11. num.* 55. 6

QVÆSTIO 555.

Quanta debeat esse effusio sanguinis, vt inducat pollutionem Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1. *Ad polluendam Ecclesiam requiritur copiosa effusio sanguinis.*
2. *Effusio in propria significatione importat abundantiam.*
3. *Quanta debeat esse copia, vt sanguis dicatur effusus.*
4. *Quantitas sanguinis an polluat Ecclesiam, ad quem pertineat iudicare.*
5. *Sanguis guttatim fluens an sufficiat ad polluendam Ecclesiam.*

QVamuis Alphonsus de Castro *lib.1. de lege pæn. cap.7. resol.*2. existimet, quamlibet minimam effusionem sanguinis, nisi fortè sit tantum vna, aut altera gutta, polluere Ecclesiam; Contrarium tamen tenent communiter asserentes, requiri copiosam, & abundantem effusionem. Ita Glos. *in cap. vnic. not.1. de consecr. Eccles. in 6.* Panormit. *in cap. Proposuisti, num.3. de consecr. Eccles.* Syluest. *verbo* Consecratio 2.*quæst.5. casu* 2. Tabiena *num.*4. Armilla *ibid.* Angel. *verbo.* Consecratio Eccles. *num.*4. Nauarr. *c.27. Manual. num.*256. vers. *Dixi, effundere.* Henriquez *lib.9. sum. cap.27. num.5.* Graf. *part.1. decis. lib.2. cap.48. n.25.* Azor. *part.2. lib.9. cap.5. quæst.1. casu* 2. Viuald. *in Candel.* Tit. *de interd. cap.3. num.7.* Piasec. *part.1. Prax. Episc. cap.5. n.5.* Auila *part.5. de censur. disp.7. dub.1. conclus.2. casu* 1. Suarez *disp.81. de Eucharist. sect.4. casu* 2. Facundez *precept.1. Eccles. lib.3. cap.14. num.14. & 19.* Reginald. *lib.29. Prax. fori pœnit. cap.9. sect.5. num.*181. Vgolin. *de potest. Episcop. cap.29. §.2. n.* 2. Barbos. item *de potest. Episcop. allegat.*28. *num.*32. Palaus *part.2. oper. moral. tractat.* 11. *disp.* 1. *punct.* 1. *num.* 1. Ludouic. à S. Ioan. *part.1. sum. quæst.*11. *de Eucharist.* 1

Eucharist. art.7. dub. 2. Lessios *de sacram. quaest.* 83. *art.*2. Tit. *De loco, num.*80. Dicastil. *de sacram. tract.*5. *disput.*4. *dub.*7. *num.*116. Sayr. *lib.*5. *de Censur. cap.*16. *num.* 13. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.*11. *num.*46. Layman. *lib.*5. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 5. *num.*8. Delbene *de immunit. part.*1. *cap.*2. *dub.*2. *sect.*2. *num.*42. Amicus *tom.*7. *Curs. Theol. disput.*33. *sect.*12. *num.*336. Gaspar. Hurtad. *de sacrament. disput.* 4. *de sacrific. Miss. difficult.* 7. ver. *Secundò violatur.* Caspens. *part.* 2. *Curs. Theol. tractat.* 23. *disput.*3. *sect.* 3. *num.*70.

2 Ratio autem est; quia sumus in materia odiosa, & proinde verba dispositionis non sunt extendenda vltra propriam significationem. Cum ergo iura disponant, pollui Ecclesiam per effusionem sanguinis, debet, effusio, accipi in propria significatione. In propria autem significatione importat abundantiam, & largitatem, ex Cap. *Reuertimini* 16. *quaest.*1. & *l.*2. *C. de inoffic. donat.* & notant Gloss. *in cap. Cum illorum, verbo* Effusionem, *de sentent. excomm.* & *in Clement. Ne Romani, verbo* Effundeodis, *de elect.* Innocent. *in dict. cap. Cum illorum,* §. *Quod si claustrales.* Aretin. *in tract. de malefic.* verbo *Sanguis.* Vnde metaphoricè sumitur verbum, *effundo*, pro prodigere, iuxta illud Cicer. *lib.*3. *de offic.* *Multi patrimonia effuderunt, inconsultè largiendo,* & lib.3. Tusculan. *Gracchus, cum largitiones maximas fecisset, & effudisset aerarium, verbis tamen defendebat aerarium.* Ex quibus constat, quod etiam secundum acceptionem scriptorum Latinorum importat effusio largitatem, & abundantiam.

3 Quanta autem debeat esse copia sanguinis effusi, seu quanta debeat esse copia, vt sanguis dicatur effusus. Respondent Franc. *in cap. vnic. de consecrat. Eccles. in* 6. Gemioian. *ibid.* vbi & alij Vgolin. *de potest. Episcop. cap.*29. §.2. *vers.*2. Bordon. *tom.*2. *consil. regul. resol.*89. *num.*13. Venet. *lib.*9. *exam. Episc. cap.*36. *num.*5. Maceraten. *resol.*112. *casu* 6. ver. *Accedit.* Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.*5. *tit.*11. *n.*47. Dicastil. *de sacrament. tract.*5. *disput.*4. *dub.*7. *n.*116. *in fine.* Standum esse iudicio Episcopi, qui arbitrabitur, an interuenerit quantitas sufficiens pro effusione. Et quidem, cum non sit aliquid in hac parte determinatum in iure, nec in opinione Doctorum, securrendum est ad prudentis viri iudicium. Hoc autem iudicium non potest congruè ferri ab alio, quàm ab Episcopo, siquidem ad ipsum spectat reconciliare Ecclesiam. Vt autem possit rectè arbitrari, necesse erit, quod vt se transferat super faciem loci ad considerandam quantitatem sanguinis effusi, aut quod sumat informationem extraiudicialem de quantitate sanguinis. Quod si non peruenerit ad pauimentum Ecclesiae, sed se diffuderit per vestes vulnerati, videndum erit, quaenam quantitas vestium madefacta sit, & iuxta ipsam ferri iudicium.

4 Ex his colligitur, quod cum aliquibus Regularibus concessum sit, posse reconciliare suas Ecclesias, vt suo loco dicetur, pertinebit etiam ad ipsorum superiores iudicare, an quantitas sanguinis sufficiat pro pollutione. Quia, vt dictum est de Episcopis, facultas reconciliandi trahit secum facultatem arbitrandi, an sequuta sit pollutio. Alioquin priuilegium reconciliandi Ecclesias haberet obicem pro executione, quia non posset exequutioni mandari, nisi Episcopo arbitrante de indigentia reconciliationis: & ideò vt facultas priuilegij sit expedita, debet esse coniuncta cum facultate arbitrandi de indigentia reconciliationis, quo pollutionem sequutam.

5 Colligitur 2. cum Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.*3. *cap.*14. *num.* 14. & 19. Ad polluendam Ecclesiam non sufficere, quod sanguis guttatim fluat è vulnere. Nam, dum guttatim fluit, non potest esse in illa copia, quae requiritur ad effusionem; praesertim, quia effusio, ex proprietate suae significationis, importat continuum, & copiosum fluxum sanguinis per aliquod tempus: quod non contingit, si guttatim fluat; nam hoc non est effundere, sed stillare.

QVAESTIO 557.

An Ecclesia polluatur, si ex vulnere non fluat sanguis.

SVMMARIVM.

1. *Vulnus an polluat Ecclesiam, si non emittat sanguinem.*
2. *Graue vulnus si non effundatur sanguis non polluit.*
3. *Ius statuit effusionem sanguinis pollucre Ecclesiam, non autem vulnus.*
4. *Vulnus sine copiosa sanguinis effusione non polluit.*
Cessante effusione sanguinis cessat causa pollutiua.
5. *Vulnera quomodo accipienda in cap.* Proposuisti, de consecrat. Eccles.

QVod Ecclesia polluatur, etiamsi vulnus non emittat sanguinem, dummodo sit graue, tradit Passerio. *disput.*6. *de pollut. Eccles. cap.*1. *num.*4. putans, eos falli, qui aliter sentiunt. Fundamentum ipsius est, quia in cap. *Proposuisti, de consecrat. Eccles.* inter causas pollutiuas Ecclesiae ponuntur vulnera, nec fit aliqua mentio de effusione sanguinis: ergo ad polluendam Ecclesiam, sufficiunt sola vulnera, absque eo quod sanguinem effundant. 1

Dicendum tamen est. *Ecclesiam non pollui, si ex vulnere licet graui, non effundatur sanguis.* Ita Sayr. *lib.*5. *de censur. cap.*16. *num.*5. Baeconius *in* 4. *dist.*10. *quaest.*2. *art.* 3. Syluest. *verbo* Consecratio 2. *quaest.*5. *casu* 2. Ledesma 2. *part.*4. *quaest.*26. *art.* 2. *tract. de de irregular. in fine.* Nauarr. *cap.*27. *Manual. n.*256. Viuald. *in Candel.* Tit. *de interdict. cap.* 3. *num.*57. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 24. Palaus *part.*2. *oper. moral. tract.*11. *disp.* 1. *punct.* 1. *num.* 5. Facondez *precept.* 2. *Eccles. lib.*4. *cap.*4. *num.*17. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 11. *num.* 48. ver. *Etiamsi.* Delbene *de immunit. part.* 1. *cap.* 2. *dub.*2. *sect.*2. *num.*46. 2

Ratio autem est, quia in statuenda hac causa pollutionis ius respexit ad sanguinis effusionem: non autem ad vulnus: vt proinde requiratur magna copia sanguinis, vt polluatur Ecclesia, vt communiter docent. Vnde percussio, quantumuis enormis, sine sanguinis effusione, non polluit, vt de communi dictum est. Nec obstat, quod in percussione non aperiatur caro, sicut aperitur in vulnere, quia haec apertio non consideratur secundum se à lege, sed in ordine ad effusionem sanguinis. 3

Confirm. Si fluxio sanguinis è vulnere, non obstante apertione carnis, non sit copiosa, non polluitur Ecclesia, vt dictum est in praecedent. cum communi sentent. Ergo id, quod consideratur in huiusmodi causa pollutiua, est effusio sanguinis: ergo si è vulnere non effundatur sanguis, non polluetur Ecclesia, quia cessabit id, ratione cuius habet vulnus, quod polluat. Confirm. 2. Canones disponunt, quod polluatur Ecclesia effusione sanguinis, nec explicant aliquid aliud, seu causam proximam effusionis, quia scilicet considerant id, quod est formaliter pollutiuum: ergo si cesset effusio sanguinis, cessabit id quod est formaliter pollutiuum: ergo, 4

quando

quando dicunt, quod volnera polluunt, intelligunt de vulneribus, quatenus habent annexam causam formalem pollutiuam, quæ est effusio sanguinis.

5 Ad fundamentum io oppositum resp. Quud Pontifex respondet interrogationi, quid faciendum, quia illa Ecclesia contingebant frequenter homicidia, & infligi vulnera: nimirum, tunc esse reconciliandam Ecclesiam. Vnde non disponit, quod vulnera polluant; sed supponit, quod homicidiom, & vulnera polluant, & suppositio est de vulneribus, de quibus loquebatur proponens: non constat autem, quod loqueretur de vulneribus non emittentibus sanguinem, sed potius emittentibus, quia loquebatur de vulneribus, quæ regulariter infliguntur, quæ sanguinem emittunt.

QVÆSTIO 557.

An, si vulnus sit leue, & sanguis fluens copiosus, polluatur Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Si vulnus sit leue, licet fluat copia sanguinis, Ecclesia non polluitur.*
2. *Verba dispositiua debent accipi de eo, quod est absolutè tale.*
3. *Leue vulnus non habetur pro vulnere.*
4. *Ecclesia quomodo polluatur per effusionem sanguinis.*
5. *Quodnam sit vulnus graue, & quodnam vulnus leue.*
6. *Si quis intendens vulnerare aperiat tantum venam, & fluat copiosus sanguis, an polluatur Ecclesia.*

1 Dicendum est. *Ecclesiam non pollui, si vulnus sit leue, licet fluat copia sanguinis.* Ita Layman. *lib.5. Theol. moral. tract.5. cap.5. num.7.* Sayr. *lib.5. de censur. cap.16. num. 3.* Graff. *part. 1. decis. lib. 2. cap.48. num.11. & 25.* Victor. *in sum. tit. de Euchar. num.99.* Sotus *in 4. dist.13. quæst.2. art.2. ad 2. dicto 4.* Facundez *præcept.1. Eccles. lib.3. cap.14. num.17.* Rodriquez *part.1. sum. cap.154. num.9.* Sa *verbo* Ecclesia, *num.13.* Auila *de censur. part.5. disp.7. dub.1. conclus.2. casu 1.* Suarez *disp.81. de Eucharist. sect.4. casu 2. in fine.* Bonac. *quæst. 4. de matrim. punct. vlt. num.20.* Maxuchell. *de casib. reseru. disput.2. cap.6. num.18.* Francisc. Lugo *de sacrament. lib. 5. cap.6. quæst.8. num.51.* Ludouic. à S. Ioan. *in sum. quæst.11. de Eucharist. art.7. dub.3. difficult.2. conclus.1.* Lessius *de sacram. quæst.83. art.2. tit. de loco, num.8.* Passerin. *disput.6. de pollut. Eccles. cap.2. num.14.* Megal. *var. resol.168. num.4. tom.2.*

2 Ratio autem est; quia verba disponentia circa aliquid debent accipi de eo, quod est absolutè, & simpliciter tale, vt notant Alexand. *consil. 186. int. lib.7.* Tusch. *littera V, conclus.101. num.19.* Gratian. *discept. forens. cap. 200. num. 19.* Quod enim non est absolutè, & simpliciter tale, noo dicitur tale absolutè, sed solom cum addito. Et ideò iura loquentia de pollutione Ecclesiæ per effusionem sanguinis ex vulnere, accipi debent de vulnere, quod sit simpliciter, & absolutè vulnus.

3 Leue autem vulnus non habetur pro vulnere, nec nomine vulneris venit, vt desumitur ex *l.1. §. Sed sciendum, ff. de adilit. edict.* ibi, *Proinde leuis febricula, aut vetus quartana, quæ tamen iam sperni potest, vel vulnusculum modicum, nullum habet in se delictum, quasi pronunciatum non sit; contemni enim hæc potuerunt.* Disponit autem lex de venditione serui, in quia proinde non interuenit delictum, si eius vulnusculum manifestatum non sit. Et ita etiam notant Bald. *in l. penult. C. de edilit. edict.* Socin. *reg.264. ver. Tertiò fallit.* Angel. *in l. Si pignora, §. Si furem, ff. de furt.* Afflict. *in cap.1. §. Porrò, num.5. Quæ sit prima caus. benef. amit. lib. 3.* Plaza *in epist. delict. lib. 2. cap. 13. numero 2.* Caluacan. *de brach. reg. part. 4. num.151.*

Dices. Ecclesia polluitur ratione effusionis sanguinis, ergo si fluat magna copia, etiamsi vulnus sit leue, polluetur. Resp. Pollui ratione effusionis sanguinis violentæ, & quæ per vim extrinsecam fiat, quod non contingit, quando vulnus est leue, quia de se non est habile ad extrahendam copiam sanguinis; & ideò, si extrahit, oportet, quod concurrat aliqua causa ab extrinseco: & consequenter, illa copia sanguinis habebit solum occasionem ab extrinseco, non autem causam violentam. 4

Sed difficultas est, quodnam dicendum sit vulnus graue, & quodnam leue. Nonnulli ex citat. Doctor. *num.1.* volunt, tunc vulnus esse graue, quando, secundum se, seclusis cæteris, est obiectum peccati mortalis. Ita Ludouic. à S. Ioan. & Passerin. Vnde erit leue, quando, ita acceptum, non erit obiectum peccati mortalis. Videtur tamen opportuniùs posse explicari, quod tunc sit graue, quando per ipsum corpus scinditur secundum notabilem partem in profunditate. Cùm enim vulnus debeat esse graue in ratione vulneris, debet hæc grauitas secundum id considerari, in quo consistat vulnus; cum autem vulnus consistat in scissione, quæ fit in corpore, debet hæc scissio esse grauis, vt vulnus sit graue: non est autem grauis, nisi sit secundum partem notabilem in profunditate; alioquin esset vulnus superficiale, quod pro leui haberetur. Hinc graue vulnus erit etiam ex se aptum ad effundendum sanguinem abundanter, quo enim profundiùs est, per plures partes sanguis confluit ad ipsum, atque adeò habet vnde maiorem copiam effundat. 5

Ex dictis colligitur, quod si quis alicui iniuriosè aperiat venam aliquam, intendens quidem vulnerare, sed casu tantum aperiens aliquam venam, quamuis fluat copia sanguinis, non polluetur Ecclesia. Nam illa aperitio venæ non est vulnus propriè, sed potius vulnusculum, vt constat ex facilitate, cum qua sanatur. Et quatenus haberet annexam aliquam scissionem carnis, quia esset modica, non egrederetur terminos vulneris leuis. Nec obstat, quod effundatur copia sanguinis; quia non effunditur ratione vulneris, nam non effunderetur, si esset in alia parte corporis, sed quia venæ sunt veluti canales deferentes sanguinem, & ideò promptum est ad effluendum ad quamcunque scissionem minimam. 6

QVÆSTIO 558.

An, vt polluatur Ecclesia, debeat vulnus esse lethale.

SVMMARIVM.

1. *Ad polluendam Ecclesiam non requiritur vulnus lethale.*
2. *Vulnus potest esse graue, licet non lethale, & proinde polluere Ecclesiam.*
3. *Si vulnus sit graue, & fluat exiguus sanguis an polluatur Ecclesia.*

Dicendum est. *Non esse necesse, vt polluatur Ecclesia, quod vulnus sit lethale, sed sufficit, si sit graue.* 1

Ita communiter, præsertim Suarez *disp.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. vers. *Secundò.* Sylvius *de sacram. qu.* 83. *art.* 3. Coninch. *ibid. num.* 228. Bonac. *quæst.* 4. *de matrim. punct. vlt. num.* 10. Franc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 6. *quæst.* 8. *num.* 51. Passerin. *disp.* 6. *de pollut. Eccles. cap.* 5. *num.* 4.

2 Ratio autem est, Quia vulnus, quamuis non sit lethale, potest esse graue cum emissione copiosa sanguinis, vt passim experientia constat. Ergo erit sufficiens ad polluendam Ecclesiam, quia iam interuenit, quod ius requirit pro pollutione. Præsertim quia eò ipso, quod est graue, per se, & non per accidens, ex alia scilicet causa, emittit copiam sanguinis; atque adeo ex se habet, quod inducat pollutionem. Confirm. Vulnus graue, quamuis non lethale, de se est obiectum peccati mortalis, & proinde infert iniuriam grauem: ergo est etiam grauiter iniuriosum Ecclesiæ, & consequenter ipsam polluit, si fit cum effusione sanguinis.

3 Ex dictis colligitur, quid dicendum, si vulnus sit graue, & solum effluat exiguus sanguis. Neque enim in tali casu Ecclesia censenda est polluta. Nam vulnus sine sanguine non polluit Ecclesiam, vt constat ex dictis in superioribus, quia tunc æquiparatur tantum contusioni, & fractioni ossium. Rursus etiam, exiguus sanguis, vt constat similiter ex dictis in superioribus, non sufficit, vt sanguis dicatur effusus: ergo ea neutro capite adest fundamentum iudicandi Ecclesiam pollutam. Sed neque ratione vtriusque coniunctim, siquidem nec ex ista coniunctione consurgit causa pollutiua, quæ non saluatur sine effusione sanguinis cum effectu.

QVÆSTIO 559.

An in dubio, quod vulnus sit leue, censenda sit polluta Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *In dubio quod vulnus sit leue, an censenda polluta Ecclesia.*
   In dubio iudicandum in fauorem possidentis.
   Quisque defendendus in possessione, donec contrarium probetur.
2. *In dubio vulnus censendum graue, si fluat copia sanguinis.*
3. *Quæ sit parua materia, quæ non sufficiat, vt sanguis dicatur effusus.*
4. *De quantitate sanguinis iudicandum iuxta partem corporis, à qua effunditur.*

1 Dicendum 1. *In dubio, an vulnus sit leue, an verò graue, iudicandum est, esse leue; & proinde Ecclesiam non esse pollutam.* Ita Cassina *in Catheck. regul. verb. Ecclesia, tit.* 7. *num.* 11. Hoc autem accipi debet, supposito quod non adsit motiuum sufficiens decernendi potius pro vna, quàm pro alia parte. Ratio autem est. Quia cum Ecclesia possideat suam sanctitatem ex consecratione absque macula pollutionis, iudicandum est in fauorem ipsius, *l. Arianus, ff. de action.* & cap. *fin. de senten.* & latè declarat Alciat. *reg. vlt. præsumpt.* 43. *per totam.* Debet enim quisque defendi in sua possessione, donec contrarium ostendatur, iuxta cap. *penult. de instrum.* Et ideo, nisi pollutio sit certa, iudicandum est pro Ecclesia.

2 Dicendum 2. *In dubio de grauitate, vel leuitate vulneris, si fluat sanguis copiosus, itavt possit dici effusio sanguinis, censendum est, vulnus esse graue, & Ecclesiam esse pollutam.* Ita Passerin. *disput.* 6. *de pollut. Eccles. cap.* 8. *num.* 4. Ratio est, Quia stante dubio de grauitate vulneris, non adest sufficiens motiuum iudicandi, quod sit leue. Rursus, stante copia sanguinis, adest motiuum iudicandi pro grauitate, quia illa copia sanguinis non potest tribui alteri causæ, sicut tribui potest, quando constat, vulnus esse leue, sed debet tribui eidem vulneri: vulnus autem, quod est aptum effundere sanguinem copiosum, habetur pro graui.

Quando autem ea quantitate sanguinis iudicandum sit, vulnus esse graue, standum est prudenti iudicio Episcopi, ad quem, vt dictum est in superioribus, spectat iudicare, an quantitas sanguinis sufficiat, vt dicatur effusus. Variant tamen admodum inter se Doctores in assignanda parua materia sanguinis, quæ non sufficiat, vt sanguis dicatur effusus. Aliqui enim ponunt tantùm vnicam guttam, vt Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 28. *num.* 54. Alij vnam, aut alteram guttam, vt Graf. *consil.* 1. *num.* 20. *de consecrat. Eccles. lib.* 3. *tom.* 1. Riccius *in prax. resol.* 266. *num.* 7. *part.* 3. Alij duas, aut tres guttas. Ita Coninch. *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. *num.* 227. Mazuchell. *de casib. reseru. disp.* 2. *cap.* 6. *num.* 12. Alij extendunt vsque ad sex guttas, vt summa Corona, *tit. de interdict. numer.* 5. Alij vero indefinitè loquuntur, ponentes aut aliquas, aut paucas guttas, vt Philiarch. *de off. Sacerd. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 13. Medices *in sum. de peccat. part.* 2. *tit.* 9. *quæst.* 10. Alij illam quantitatem, cuius macula Sacerdotalis hostiæ latitudinem non excedat. Denique Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 14. esse paruam quantitatem sanguinem guttatim effusum. Et Passerin. *disp.* 6. *de pollut. Eccles. cap.* 8. *num.* 5. ait, non licere in iudicando extendere vltra has quantitates paruitatem materiæ. 3

Verum hæc apud me difficilia sunt. Nam experientia constat, quod in minima incisione digiti, & quæ nullo pacto pro vulnere habetur, imo in nulla habetur consideratione, effluat plus quam sex guttæ sanguinis. Imo etiam tanta quantitas, quæ in panno lineo causet maiorem maculam, quam sit hostia Sacerdotalis: & tamen nullus dicit, quod ista quantitas sit sufficiens ad polluendam Ecclesiam. Vnde cum sanguis effluens è vulnere iudicandus sit modicæ, vel magnæ quantitatis, non videtur posse habere locum quantitates assignatas à præfatis Doctoribus, alioquin neque in leui incisione locum haberet paruitas materiæ. Et ideo iudicandum est, quod sanguis sit parua quantitas, aut magna iuxta partem corporis, cui inflictum est vulnus: Nam aliquæ partes plus sanguinis, aliquæ minus emittunt, & quod sit in quantitate proportionata vulneri graui, habita ratione illius sanguinis, quod regulariter soles fluere ex tali vulnere. 4

QVÆSTIO 560.

An, si vulnus sit leue in læsione corporali, sed graue in ratione iniuriæ, polluatur.

SVMMARIVM.

1. *Vulnus aut percussio in se leuis, potest esse grauis in ratione iniuriæ.*
2. *Vulnus, aut percussio polluens Ecclesiam debet esse grauis in læsione corporali.*
3. *Percussio quæ non est grauis respectu Clerici, potest esse grauis respectu Sacerdotis.*
4. *Si vulnus sit in se leue, licet fluat copia sanguinis, & sit graue in ratione iniuriæ non polluitur Ecclesia.*

Qvod possit vulnus, seu percussio esse in se leuis, & quoad læsionē corporis; sed grauis in ratione iniuriæ, cer- 1

certum omnino est. Quia grauitas iniuriæ non desumitur tantum à læsione corporali, sed etiam à qualitate personæ læsæ; quæ quo est dignior, eò grauior euadit iniuria: vt proinde iniuria, quæ illata personæ vili, est leuissima, fias grauissima, illata personæ nobili: nam quia consistit in læsione persunæ quoad dignitatem; quò digoior est persona, eò maior dignitas læditur, atque adeo grauior euadit iniuria. Hinc ioiuria, quæ infertur Deo per peccatum, est omninm summa, quæ excogitari possit, quia lædit dignitatem Dei infinitam.

2 Dicendum est. *Vt Ecclesia polluatur, requiri, quod vulnus, seu percussio, ex qua fluat sanguis, sit grauis in ratione læsionis corporalis.* Ita Dicastill. *de sacram. tract.5. disp.4. dub.7. num.*117. Passerin. *de pollut. Eccles. disp.6. cap.6. num.*4. Ratio autem est, Quia Canones, qui inducunt pollutionem, ponunt pro causa pollutiua, non iniuriam, quæ fit personæ, sed effusionem sanguinis violentam ex læsione corporali; ergo grauitas, vel leuitas non est attendenda secundum iniuriam, sed secundum læsionem corporalem quia debet attendi secundum causam pollutiuam Confirm. iniuria est quid extrinsecum respectu causæ pollutiuæ: nam stante eadem causa pollutiua, potest crescere, & decrescere iniuria. Ergo in iudicando de grauitate, vel leuitate causæ pollutiuæ, non est attendenda quantitas iniuriæ, nam non debet iudicari secundum ea, quæ sibi extrinseca sunt.

3 Dices. Percussio, quæ est leuis respectu Clerici ordinarij, & quæ non sufficit pro incurrenda excommunicatione, cap. *Si quis suadente diabolo.* Quia scilicet non pertingit ad peccatum mortale, respectu Sacerdotis grauis, esset grauis, & sufficiens pro contrahenda excommunicatione, quia esset peccatum mortale. Ergo etiam vulneratio leuis, si fiat grauis in ratione iniuriæ ratione qualitatis personæ, sufficiet pro polluenda Ecclesia. Resp. neg. Conseq. Quia est diuersa ratio. Nam Canon, *Si quis suadente diabolo.* Non tam considerat læsionem, quàm iniuriam, quæ fit personæ; quia considerat violentiam, quæ ipsi infertur, & consistit, non solum in læsione, sed etiam io iniuria. At Canones disponentes de pollutione Ecclesiæ, considerant sanguinis effusionem, atque adeo læsionem corporalem, ratione cuius effluit sanguis.

4 Ex dictis colligitur, Quod etiamsi ex leui vulnere fluat talis copia sanguinis, quæ sufficiat, vt dicatur effusus, & vulnus sit graue in ratione iniuriæ, neque adhuc polluetur Ecclesia. Ratio est, Quia, vt dictum est in superioribus, leue vulnus, etiam cum copia sanguinis, non polluit Ecclesiam. Quod autem accedat grauitas ratione iniuriæ, nihil confert ad causam pollutiuam Ecclesiæ; nam non auget in eodem genere, seu in ratione causæ pollutiuæ, sed in alio genere, nempe iniuriæ, & offensionis moralis.

QVÆSTIO 561.

An percussio polluat Ecclesiam, si causet tumorem, qui postea aperiendus sit, & fluat copia sanguinis.

SVMMARIVM.

1. *Percussio causans tumorem, qui postea dum aperitur effundat sanguinem, an polluat Ecclesiam.*
2. *Tumor etiam apertus non est propriè vulnus.*
   Apertio tumoris non est actio iniuriosa.
3. *Cur mors ex lethali vulnere in Ecclesia polluat, non autem sanguis effusus in aperitione tumoris.*
4. *Tumor ex percussione non est inchoatio vulneris.*

Si contingat, aliquem percuti in Ecclesia, & ex percussione causari tumorem talem, vt debeat postea ferro aperiri, & quando aperitur fluat copiosus sanguis, pollui Ecclesiam tradunt Sayr. *lib.5. de censur. cap.16. num.*8. Riccius *in Prax. resol.*258. *num.5. part.3.* Antonell. *de regim. Eccles. lib.1. cap.16. num.*2. Passerio. *disp.6. de pollut. Eccles. cap.4. num.*4. qui citat Glos. *in cap. vnic. verbo* Sanguinis, *de consecr. Eccles. in 6.* vbi tamen nihil de hoc habet, sicut nec Megal. ab ipso citat. Fundamentum huius sententiæ est, Quia illa tumefactio est inchoatio vulnerationis; fit enim vulnus accedente aperitione, tanquam conditione. 1

Verum hæc mihi valde difficilia videntur. Primò, quia certum est, quod percussio, quantumuis inducat tumorem, non per hoc inducit vulnus: itavt etiam, sequuta aperitione, habeat rationem vulneris propriè dicti. Vnde cum simus in materia non extendenda, non debet accipi pro vulnere, quod non est vulnus propriè dictum. Secundò, Quia aperitio tumoris siue fiat à Chirurgo, siue naturaliter, fit per actionem diuersam à percussione, imo etiam illi contrariam: nam percussio est actio læsiua; aperitio verò est actio proficua tendens ad euacuandam materiam corruptam, & quæ noceret, si non extraheretur, & ideo non est actio, quæ promoueat effectum prioris actionis, seu percussionis, & quasi compleat, quod per ipsam inchoatum est: sed tendit ad destruendum eundem effectum, tanquam nociuum corpori. Tertiò, Quia aperitio tumoris non est iniuriosa, & ideo nec complet percussionem perducendo ad esse vulneris: siquidem vulnus dicit aperitionem aliquam corporis iniuriosè factam. Sed est actio benefica. Ergo non inducet vulnus, quod sit pollutiuum Ecclesiæ, quamuis fluat copia sanguinis. 2

Dices. Qui lethaliter vulnerat in Ecclesia, ipsam polluit, quamuis postea sequatur mors extra Ecclesiam: ergo qui taliter percutit, vt postea aperiendus sit tumor, violabit Ecclesiam ratione vulneris. Resp. neg. Conseq. Quia est diuersa ratio. Nam mors sequitur ex vulnere tanquam causa, nec habet aliam causam: At aperitio tumoris, vt dictum est, sequitur ex alia causa, siue extrinseca, siue intrinseca, tendente ad vtilitatem personæ, atque adeo fauorabili, non autem iniuriosa, nec inducit propriè vulnus, sicut vulnus propriè inducit mortem. 3

Ad fundamentum In oppositum constat ex dictis: Neque enim illa tumefactio est inchoatio vulneris, Quia non potest esse inchoatio illius, quod non subsequitur; neque enim subsequitur vulnus. Siquidem vulnus non dicit quamcunque carnis scissionem, sed scissionem læsiuam corporis: illa autem scissio tumoris non est læsiua, sed curatiua, atque adeo proficua. Nec dici potest, quod qui percussit, posuit causam physicam per se vulnerationis, Quia, vt dictum est, non sequitur vulneratio. Deinde tumor non est causa physica aperitionis, quæ subsequitur, sed tantum occasio. Nam causa efficiens est Chirurgus, vel virtus naturalis, quatenus conatur transmittere materiam corruptam. Causa verò finalis est sanitas. Causa materialis est cutis, & aliqua pars carnis. Formalis verò est ipsa separatio partium. Vnde tumor ad nullam causam pertinet. 4

QVÆSTIO 562.

An polluatur Ecclesia ex iniuriosa, & abundanti effusione sanguinis è naribus.

SVMMARIVM.

1. *Diuersum est iudicium de effusione sanguinis è naribus, ac ex alia parte corporis.*

2. *Si percussio sit leuis, & sanguis abundans fluat è naribus non polluitur Ecclesia.*
3. *Etiamsi percussio in se leuis fiat grauis in ratione iniuria.*
4. *In rixis puerorum non polluitur Ecclesia si fluat è naribus copia sanguinis.*
5. *Si percussio narium sit peccaminosa mortaliter, pollui Ecclesiam qui sentiant.*
6. *Qui sentiant absolute non pollui.*
7. *Sanguis effusus ex percussione narium, licet graui, non polluit Ecclesiam.*
   Effusio sanguinis polluens Ecclesiam quomodo consideretur.
8. *Effusio sanguinis polluit Ecclesiam quatenus ostendit sæuitiam.*
9. *Effusio sanguinis è naribus non fit per vulnus.*
   Sola effusio sanguinis ex ruptione vulneratiua polluit Ecclesiam.
10. *Quomodo contingere debeat effusio sanguinis, vt polluat Ecclesiam.*

1 QVia fluxi sanguinis è naribus admodum facilis est, itavt non raro fluat naturaliter in magna quantitate: & proinde videantur nares instrumentum à natura ordinatum ad transmittendum sanguinem superfluum, quo caput aggrauari solet; ideo diuersimodè mensuranda est quantitas sanguinis, quoad nares, & quoad alias partes, vt dicatur, vel non dicatur abundans. Nam illa quantitas, quæ esset copiosa respectu alterius partis, non erit talis quoad nares: siquidem fluere potest ab ipsis ex leuissima causa, præsertim quando sanguis est paratus, vt transmittatur à natura, & ideo speciali regula procedendum est in decernenda abundantia sanguinis quoad nares.

2 Conueniunt autem Doctores communiter in hoc, quod si percussio sit leuis; itavt non pertingat ad peccatum mortale, quamuis sanguis effusus sit abundans, non polluatur Ecclesia. Et ratio clara est, quia non polluitur, nisi ratione sanguinis peccaminosè, & cum iniuria effusi. Et requiritur iniuria grauis, atque adeo peccatum graue: quia, vt dictum est in superioribus, pollutio, tanquam effectus notabilis, requirit causam grauem, est autem inducta à iure in detestationem sacrilegij, quod contra reuerentiam debitam Ecclesiæ committitur. Quia autem peccatum veniale non est tanta demonstratione detestabile, ideo debet præsupponere pollutio peccatum mortale.

3 Ex quo etiam sequitur, Quod licet percussio in se leuis, fiat grauis, & peccaminosa mortaliter, ratione personæ percussæ, non tamen sit polluitiua Ecclesiæ, licet effluat sanguis cum abundantia. Vt enim dictum est in superioribus, iniuria, quæ insurgit ratione qualitatis personæ, in hac materia non habetur in consideratione, quia est extrinseca, & accidentalis causæ pollutiuæ, quæ à iure consideratur solum, vt consistit in læsione corporali: & proinde qualitas personæ non influit in causam pollutiuam. Vnde difficultas est, si percussio pertingat ad peccatum mortale, & sanguis effluat abundanter.

4 Prima sententia asserit, in rixis puerorum non pollui Ecclesiam, etiamsi fluat abundantia sanguinis. Ita Sotus *in 4. dist.13. quæst.2. art.3.* Graff. *part.1. decis. lib.2. cap.48. num.15. in fine.* Hoc autem non puto asseri ab his Doctoribus, quia existiment, quod non peccent mortaliter, vt vult Passerin. *de pollut. Eccles. disp.6. cap.9. num.3.* Quia si peruenerunt ad vsum rationis, cognoscunt malitiam operis; atque adeo si percussio sit grauis, non possunt excusari à peccato mortali: sed potius ex ea causa, quod ratione ætatis non apprehendant sufficienter iniuriam, quæ sit sanctitati Ecclesiæ: nec Ecclesia apprehendat, tanquam in puerili actione illam sæuitiam, propter quam induxit pollutionem.

5 Secunda sententia asserit, pollui Ecclesiam, si percussio sit peccaminosa mortaliter. Ita Bonac. *quæst.4. de matrim. punct.vlt. num.20.* Coninch. *de sacrament. quæst.83. art.3.* vers. *Quæritur.* Macerat. *variar. resol. 112. casu 6. lib.1.* Mazuchel. *de casib. reser. disput.2. cap.6. difficult.2. num.13.* Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.11. num.31. in fine.* Franc. Lugo *lib.5. de sacram. cap.6. quæst.8. num.51.* Passerin. *de pollut. Eccles. disp.6. cap.9. num.4.* Fundamentum est, Quia interuenit grauis læsio corporalis, siquidem pertingit ad peccatum mortale: & copiosa sanguinis effusio, vt supponitur, quæ sufficiunt ad inducendam pollutionem.

6 Tertia sententia docet, non pollui. Ita Victoria *in sum. tit. de Eucharist. num.99.* Sà *verbo* Ecclesia, *n.13.* Facundez *præcept. 1. Eccles. lib.3. cap.14. num.7.* & *præcept. 2. lib.4. cap.4. numer.18.* Marchin. *de sacrament. Ordin. tract.3. part.3. cap.11. num.8.* Pottel. *in dub. Regul. verbo* Ecclesiæ Fratrum, *in Addit. num.3.* Piasec. *in Prax. Episc. part.2. cap.5. num.5.* Sqoillan. *de oblig. Cler. part.5. num.88.* Castilent. *in Theol. moral. verbo* Consecrat. Eccles. *difficult.3. conclus.3.* Megal. *resol. Variar. 168. num.7. tom.2.* Delbene *de immunit. part.1. cap.2. dub.2. sect.2. n.48.* Palaus *p.2. oper. moral. tract.11. disp.1. punct.1. n.1.*

7 Dicendum est. *Non pollui Ecclesiam ex graui percussione narium, licet pertingat ad peccatum mortale, & fluat magna copia sanguinis.* Hoc autem debet accipi, quod læsio sistat tantùm in naribus, & non offendat aliquam aliam partem, eam aperiendo; quia tunc læsio reduceretur ad vulnus, & propterea pollueretur Ecclesia. Ratio est, Quia iura, dum constituunt, pro causa pollutiua Ecclesiæ, effusionem sanguinis, considerant hanc effusionem, tanquam opus sæuitiæ, & tanquam aliquam inchoationem priuationis; siquidem ex subtractione sanguinis deficit vita: quando incipit effundi, incipit subtractio fundamenti eiusdem vitæ. Atque tanquam opus, quod Ecclesia ratione suæ lenitatis valde abhorret; vt proinde etiam iustæ effusioni sanguinis humani imposuerit inhabilitatem irregularitatis. Hoc autem non habet locum, quando sanguis effunditur è naribus, quia tunc extrahitur sanguis per organum, quo natura vtitur ad exonerationem capitis, & est sanguis superfluus, qui non inseruit pro fundamento vitæ; nisi fortè tantus sit fluxus, vt trahat secum etiam de sanguine necessario conseruationi vitæ. Et proinde effusio huius sanguinis non præ se fert illam sæuitiam, quam præ se fert effusio ex alia parte corporis.

8 Confirm. Effusio sanguinis è naribus frequentissimè fit naturali modo. Ergo quando violenter offenditur, non apparet in tali effusione sæuitia aliqua, quam abhorreat natura, sicut contingit, quando effunditur ex alia parte corporis; imo neque apparet aliquod signum violentiæ, cum eodem modo fluat, ac si flueret naturaliter. Ergo iura ponentia effusionem sanguinis, tanquam causam pollutiuam Ecclesiæ, non intelligunt de hac effusione, quia non habet eam qualitatem sæuitiæ, ratione cuius detestantur talem effusionem, tanquam contrariam lenitati, & humanitati, cum qua homines debent inuicem conuersari.

9 Confirm. 2. Effusio sanguinis è naribus non fit mediante vulnere, seu ruptione vulneratiua. Ergo non est effusio inducens pollutionem. Antecedens constat, quia quando ex contusione narium fluit sanguis, fluit eo modo, quo fluit, quando naturaliter emittitur, atque adeo per eandem viam fluit, per quam à natura transmittitur. Quando autē fluit naturaliter,

non intercedit vulnus, nec ruptio vulneratiua, quia natura non vulnerat seipsam. Consequenter etiam patet, quia iura loquuntur de effusione sanguinis per vulnus, aut ruptionem vulneratiuam; non autem de illa effusione sanguinis, quæ de se est indifferens, vt sit naturalis, & violenta: quia non fit violentia, nisi ab extrinseco, & proinde de ea solum, quæ semper habet causam violentam extrinsecam.

Dices, Causa huius effusionis hic, & nunc est violenta, & iniuriosa; ergo determinat effusionem sanguinis, vt hic, & nunc sit violenta, & iniuriosa, & consequenter, quod sit pollutiua Ecclesiæ. Resp. Non determinare effusionem sanguinis, vt secundum se sit violenta, & iniuriosa, quia fit eo modo, quo si contingeret naturaliter: sed solum determinare quoad causam extrinsecam; quia scilicet hic, & nunc habet causam extrinsecam violentam. Effusio autem sanguinis, vt pollutiua Ecclesiæ, debet secundum se esse violenta, issvt non contingat naturali modo sequi, qualis ex vulnere. Fundamentum autem oppositæ sententiæ solutum manet ex dictis.

QVÆSTIO 563.

An, si nouum vulnus superinferatur veteri cum copioso fluxu sanguinis, polluatur Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Vulnere consolidato si iniuriosè rumpatur, & fluat copia sanguinis, polluitur Ecclesia.*
2. *Non polluitur, si nondum consolidatum leuiter de nouo iniuriosè incidatur.*
3. *Polluitur, si noua incisio sit grauis, & fluat copia sanguinis.*

1 Dicendum est. *Si vulnus sit consolidatum, & rursus iniuriosè aperiatur fluente sanguine abundanter, pollui Ecclesiam.* Hoc videtur omninò certum, nam stante consolidatione prioris vulneris, vulnus superueniens est omnino nouum vulnus, nec aliud facit, quod aliud vulnus in eodem loco præcesserit, quia cum consolidatum fuerit, se habet ac si non præcessisset: ergo si prius vulnus iniuriosè aperitur cum effusione sanguinis polluetur Ecclesia, supponitur enim, quod vulnus, quod aperitur, fuerit graue, & quod aperiatur tali modo, vt de nouo sit graue.

2 Dicendum 2. *Si vulnus nondum sit consolidatum, & gladius transeat per ipsum leui incisione de nouo causata, & sanguis copiosè effundatur, non polluitur Ecclesia.* Hoc sequitur ex dictis in superioribus, vbi ostensum est, quod si vulnus sit leue, quamuis fluat copiosus sanguis, non polluitur Ecclesia. Ratio autem est. Quia dum gladius transit per vulnus præcedens, non debet considerari totum vulnus in iudicando de grauitate, sed scissio, quæ de nouo fit, quia in hac consistit noua iniuria, & noua causa pollutionis: ergo si hæc incisio non est grauis, non erit effusio sanguinis pollutiua Ecclesiæ, quia licet copiosa, supponitur habere causam ex antecedenti vulnere. Est tamen aduertendum, quod in iudicanda grauitate nouæ incisionis, non est habenda ratio solius quantitatis, sed etiam partis incisæ; nam fieri potest, quod sit talis incisio, vt reddat vulnus magni momenti, & periculosum.

3 Dicendum 3. *Si noua incisio, dum gladius transit per vulnus antiquum, sit grauis in ratione læsionis corporalis, & fluat copiosus sanguis, Ecclesia remanebit polluta.* Ita etiam Passerin. *disput.6. de pollut. Eccles. cap. 11. num. 4.* Ratio est, quia stante grauitate vulneris, illa effusio sanguinis habet ipsum vulnus nouum pro causa: siquidem ratione grauitatis est sufficiens ad transmittendam illam copiam sanguinis: & ideò cum effectus sit nouus præsumitur prouenire à causa noua sufficienti.

QVÆSTIO 564.

An, si ex vlcere violenter, & iniuriosè causato fluat copiosus sanguis, polluatur Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Vulneris, & vlceris discrimen.*
2. *Ratione vlceris violenter causati cum copia sanguinis, non polluitur Ecclesia.*
Qua effusio sanguinis polluat Ecclesiam.
3. *Vlcus non causatur illa actione externa, quam ius requirit pro polluenda Ecclesia.*
4. *Effusio sanguinis ab extrinseco causata sine externa vi sensibili non polluit Ecclesiam.*

Discrimen, quod est inter vulnus, & vlcus, locum præbet huic dubitationi. Vulnus enim infligitur per solam extrinsecam vim scindentem aliquam partem corporis; & proinde requirit violentiam extrinsecam, & sensibilem. Vlcus verò prouenit ab aliqua vi intrinseca, qualis est malignitas homorum, concurrentes in aliquam partem corporis, illam corrodunt, & causant corruptionem, vel intra corpus, vel exterius. Hæc autem vlcera causari possunt etiam ab homine, cum graui iniuria vlcerati, vt cum quis alteri propinat aliquid corrosiuum, quod potest esse tale; vt etiam causet vlcus externum. 1

Dicendum est, *Ratione vlceris violenter, & iniuriosè causati cum fluxu sanguinis copioso, non pollui Ecclesiam.* Ita etiam Passerin. *disput.6. de pollut. Eccles. cap.10. num.4.* qui probat ex eo, quod vlcus non sit vulnus, & quod ius disponit, quod Ecclesia polluatur ex sanguinis effusione, quæ fit ex vulnere, iuxta cap. *Proposuisti, de consecrat. Eccles.* Sed ex hoc capite debuisset etiam docere, quod effusio sanguinis è naribus non polluat, quia non interuenit vulnus propriè dictum. 2

Ex eo etiam probari potest, quod in hac actione; per quam causatur vlcus, non interuenit illa sæuitia externa, quæ interuenit in vulneratione, & quamuis detestans, declarat esse pollutiuam Ecclesiæ, quamuis enim in animo sit; si non sit tamen sensibilis in actione externa. Ex quo etiam fit, quod actio externa non continet irreuerentiam contra sanctitatem Ecclesiæ, quia licet sit in animo delinquentis, eam tamen non ostendit in actione externa. Et ideò cessant in actione externa illa motiua, ratione quorum ius posuit inter causas pollutiuas Ecclesiæ vulnerationem cum effusione sanguinis. Vnde fit, quod neque locum habeat dispositio statuens, effusionem sanguinis esse pollutiuam Ecclesiæ. 3

Ex dictis colligitur cum Passerin. *disp.6. de pollut. Eccles. cap.10. num.7.* Quod omnis effusio sanguinis, quamuis habeat ab extrinseco causam originatiuam, dummodo tamen non adsit externa vis sensibilis ictus, aut percussionis, non inducit pollutionē Ecclesiæ. Tum quia non adest vulnus propriè dictum, cum consistat in scissione facta per externam vim scin- 4

Digitized by Google

dentem, aut percutientem. Tum quia ſecluſa actione externa iniurioſa, non læditur reuerentia debita Eccleſiæ: ſiquidem læditur ſolum ex eo, quod in habitu externo non colitur ſanctitas ipſius, ſicuti colenda eſt: ſed nulla habita ratione illius, exercentur actiones, quas ſpecialiter ipſa Eccleſia abhorret.

QVÆSTIO 565.

An, vt Eccleſia polluatur, debeat ſanguis effundi intra ipſam.

SVMMARIVM.

1. *Vt polluatur Eccleſia an ſufficiat vulneratio in ipſa, licet extra effundatur ſanguis.*
2. *Eccleſia polluitur per vulnera.*
3. *Qui ſentiant requiri effuſionem ſanguinis intra Eccleſiam.*
4. *Cauſa pollutiua non polluit, niſi intra Eccleſiam compleatur.*
5. *Effuſio ſanguinis aſſignatur à iure pro cauſa pollutiua.*
6. *Cauſa pollutiua Eccleſia strictè accipienda eſt.*
7. *Cum ſit dubium an effuſio ſanguinis ſequi debeat in Eccleſia, iudicandum eſt pro non pollutione.*
8. *Cur* in cap. Propoſuiſti. *Non exprimatur effuſio ſanguinis.*
9. *Illa tantum actio polluit Eccleſiam, quæ eſt inducta à iure, & quatenus inducta.*
10. *Eccleſia polluitur licet ſanguis non cadat ſupra pauimentum.*
11. *Eccleſia non polluitur, ſi vulneratus extra ipſam effundat ſanguinem in ipſa.*
12. *Si exiſtens intra Eccleſiam vulneret exiſtentem extra cum effuſione ſanguinis, non polluitur.*
Quid ſi vulneratus irruat in vulnerantem, & ex vulnere fundat ſanguinem in Eccleſia.

1 COmmuniter docent, non eſſe neceſſarium, vt polluatur Eccleſia, quod ſanguis intra ipſam effundatur, ſed ſufficere, quod vulneratio fiat in Eccleſia. Ita Gloſ. *in cap. vnic. verbo* Sanguinis. *de conſecrat. Eccleſ.* Durand. *de diuin. offic. lib. 1. cap.6. numero* 40. Syluester *verbo* Conſecratio 2. *quæſt.* 5. *caſu* 2. Armilla *num.* 4. Angel. *verbo* Conſecratio Eccleſ. *num.* 5. Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 256. Victorio. *in ſumm. tit. de Euchariſt. num.* 99. Rodriquez *part. 1. ſumm. cap.* 154. *num.* 10. Azot. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.*29. *quæſt.* 13. ver. *Quæres.* Graff. *part.* 1. *deciſ. lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 23. Viuald. *in Candel. tit. de interd. cap.* 3. *num.* 11. Auila *part.* 5. *de Cenſur. diſput.*7. *dub.* 1. *concluſ.* 2. *caſu* 1. Suarez *diſpat.* 81. *de Euchariſt. ſect.* 4. *caſu* 2. Facundez *præcept.* 1. *Eccleſ. lib.* 3. *cap. cap.* 14. *num.* 16. Reginald. *lib.* 29. *Praxis fori pœnit. cap.* 9. *ſect.* 5. *num.* 181. Sà *verbo* Eccleſia. *num.* 13. Vigers *de ſacrament. in* 3. *part. quæſt.* 83. *dub.* 15. *num.* 68. Præpoſ. *art.* 3. *dub.* 2. *num.* 159. Cooinch. *dub.*1. *num.* 227. Sayr. *lib.* 5. *de Cenſur. cap.*16. *num.* 5. Lugo Card. *diſpat.*20. *de Euchariſt. ſect.* 2. *num.* 53. Mazuchel. *de Caſib. reſer. diſpat.* 2. *cap.* 6. *num.* 16. Riccius *reſol.* 258. *num.* 5. *part.* 3. Bonac. *quæſt.* 4. *de matrim. punct. vltim. n.*20. Squillan. *de oblig. Cler. part.* 5. *num.* 88. Antonill. *de regim. Eccleſ. lib.* 1. *cap.*16. *num.* 2. Alarius *lib.* 2. *caſ. conſcien. verbo* Eccleſia. *num.* 2. Franciſc. Lugo *lib.* 5. *de ſacrament. cap.* 6. *quæſt.* 8. *num.* 56. Medices *part.* 2. *ſum. de peccat. tit.* 9. *quæſt.* 10. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 18. Stephan. à S. Gregor. *de ſacrament. lib.*3. *cap.*21. *num.*15. Leſſius *de ſacrament. quæſt.* 83. *art.* 2. Tit. *de loco num.* 80. Dicaſtil. *de ſacrament. tractat.* 5. *diſput.* 4. *dub.* 7. *num.* 116. Megal. *reſol. Variar.* 168. *num.* 5. *tom.* 2. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tractat.* 5. *cap.* 5. *n.* 7. Gaſpar Hurtad. *de ſacrament. diſputat.* 4. *de ſacrific. Miſſ. difficult.* 7. ver. *Secundo violatur. in fine.* Tainer. *tom.* 4. *diſput.* 5. *quæſt.* 10. *dub.* 2. *num.* 28. Ludouic. à S. Ioan. *in ſum. quæſt.*11. *de Euchariſt. art.*7. *dub.* 3. Paſſerio. *diſput.* 6. *de pollut. Eccleſ. cap.* 4. *num.* 7. qui alios citat.

Fundamentum huius ſententiæ eſt, Quia in cap. *Propoſuiſti de conſecr. Eccleſ.* dicitur, Eccleſiam pollui per vulnera, nec fit aliqua mentio de effuſione ſanguinis intra Eccleſiam: ergo non eſt neceſſarium, quod intra Eccleſiam effundatur. Confirm. Eccleſia polluitur ratione actionis iniurioſæ, qua læditur ſanctitas ipſius, & reuerentia ipſi debita. Hæc autem actio non eſt effuſio ſanguinis intra Eccleſiam, ſed vulneris inflictio. 2

Secunda ſententia requirit effuſionem ſanguinis in ipſa Eccleſia. Ita videtur ſentire Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 28. *num.* 24. & eſſe receptiorem ſententiam, quamuis non rectè, aſſerit Pueroolus *in Bullam Cœnæ, cap.*10. *num.*10. ver. *reſp. enim.* & tanquam probabilem admittit Delbene *de Immunitat. part.*1. *cap.* 2. *dub.*2. *ſect.* 2. *num.*51. *& ſequent.* & ita ſentire deberent, ſi conſequenter loqui vellent, qui tenent, quod vt polluatur Eccleſia per homicidium, debeat ſequi in ipſa Eccleſia. Hi autem ſunt Suarez *diſp.* 81. *de Euchariſt. ſect.* 4. *caſu* 1. Azor. *part.*1. *lib.*10. *cap.* 26. *quæſt.* 13. Reginald. *lib.* 29. *Prax. fori pœnit. cap.* 9. *ſect.* 5. *num.* 171. Præpoſit. 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 3. *dub.* 2. *num.* 152. Amicus *tom.* 7. *Curſ. Theol. diſput.* 33. *ſect.* 12. *num.* 335. Mazuchel. *de Caſib. reſer. diſput.* 2. *cap.* 6. *difficult.* 1. *num.* 6. Stephan. à S. Gregor. *de ſacrament. libr.* 3. *cap.* 21. *num.* 14. 3

In hac difficultate, ſi attendamus auctoritatem, non eſt recedendum à priori ſententia, tanquam communiſſima, & quæ pro ſe habet Doctores inſignes. Si tamen attendamus ad rationem, meliori fundamento nititur poſterior ſententia. Certum eſt enim, quod Eccleſia non polluitur, niſi cauſa pollutiua inducta à iure ponatur in eadem Eccleſia: quia licet habeat initium in Eccleſia, non polluit, niſi intra eandem Eccleſiam compleatur. Vt contingit, quando exiſtens intra Eccleſiam ſclopeto vulnerat, aut occidit exiſtentem extra Eccleſiam. Vt docent omnes, nemine excepto, quamuis actio occiſiua incipiat intra Eccleſiam: ergo vt polluatur per effuſionem ſanguinis, debet iſta cauſa habere ſuum eſſe completum intra Eccleſiam. 4

Modo autem videndum eſt, in quo conſiſtat iſta cauſa, & quid importet, ſeu an habeat ſuum eſſe completum in vulneratione abſque fluxu ſanguinis. Quando autem iura hanc cauſam aſſignant, dicunt pollui Eccleſiam effuſione ſanguinis. Ita in cap. *Eccleſiis. diſt.*68. ibi. *Aut ſanguinis effuſione fuerint polluta.* Et idem repetitur in cap. *Eccleſiis. de conſecrat. diſt.* 1. & in cap. *fin. de conſecrat. Eccleſ.* ibi. *Aut ſanguinis effuſione polluta.* & in cap. *Tuarum de priuileg.* ibi. *Ipſam Eccleſiam ſanguinis effuſione fœdaſſet.* & in cap. *Vnic. de conſecrat. Eccleſ. in* 6. ibi, *Si Eccleſiam pollui ſanguinis, aut ſeminis effuſione contingat.* Ex quibus ſatis conſtat, quod iura conſtituunt cauſam pollutiuam Eccleſiæ in effuſione ſanguinis; & ideò niſi ſanguinis effuſio contingat in Eccleſia, non continget in ipſa cauſa pollutiua. Effuſio autem ſanguinis non conſiſtit in vulneratione formaliter; cum hæc ſit potius quædam efficientia, ex qua prouenit effuſio ſanguinis: 5

guinis : vnde si casu aliquo ex vulnere nnn fluat sanguis, nnn dicetur sanguis effusus, neqoe polluetur Ecclesia, sed consistit in ilia effluentia sanguinis è vulnere: ergo si fluxus sanguinis è vulnere non contingat intra Ecclesiam, noo ponetur in Ecclesia causa pollutiua.

6 Ei hinc à fortiori videtur, quia sumus in materia, qua strictè procedendum est, & proinde causa pollutiua Ecclesiæ strictè accipienda est, & secundum proprietatem. Vulneratio autem non est in stricta, & propria significationa effusinnis sanguinis, sed quid præuium ad ipsam : effusio verò propriè est fluxus sanguinis è corpore per illam partem, quæ aperta est per vulnerationem : ergo nisi hæc cnntingat intra Ecclesiam, nnn ponetur in ipsa causa pollutiua propriè sumpta.

7 Confirm. Quandn dubium est, an sequatnr pollutio Ecclesiæ, iudicandum est in fauorem Ecclesiæ, quod non sit polluta, vt dictum est in superioribus. Modo autem sumus certi, quod effusio sanguinis non fit intra Ecclesiam, si ibi non fluat sanguis è vulnere, vt etiam admittunt sequentes priorem sententiam. Rursus, sumus etiam certi ; quod causa pollutiua Ecclesiæ est effusio sanguinis, cum ita expressè Cannnes loquantur. Et snlum dubinm remanet, an hæc effusio contingera debeat intra Ecclesiam, an verò sufficiat, quod in Ecclesia pnnatur causa effusionis. Si hoc secundum admittatur, cum necesse sit quod causa pollutiua Ecclesiæ sit in Ecclesia, vt sequatur pollutio, fit extensio à vera ; & propria effusione sanguinis ad causam effasionis, & ipsa quoque constituitur causa pollutiua : & Canones loquentes de effusione extenduntur etiam ad causam effusionis, quasi essemus iu materia fauorabili, & longè interpretanda. Quod nnn est iudicare in fauorem Ecclesiæ, sed contra Ecclesiam : nec est excludare pnllutinnem, quando potest excludi ; sed vti axtensione, vt includatur.

8 Nequa ex cap. *Proposuisti.de consecr. Eccles.* oppositum cnlligitur; quia licèt ibi fiat mentin de vulneribus absque expressione effusionis sanguinis ; non tamen ibi disponitur, quod volnera, seclusa effusione sanguinis, intra Ecclesiam ; polluant eandem Ecclesiam. Nam ibi Pontifex reassumit narrationem sibi factam, quod scilicet in Ecclesia D. Iacobi ob contentionem prn custodia altaris contingerent sæpè homicidia, & vulnera : & interrogationi, quid in his casibus aliter faciendum, respondet, quod Ecclesia debeat reconciliari. Vnde nil mirum, si non exprimat effusionem sanguinis, cum non disponat da causa pnllutiua, sed tantum reassumat narrationem facti sibi expositi, sicuti exprimunt cætari Cannnes, quando lnquuntur de causa pollutiua. Verum quia loquitur de vulneribus inflictis in Ecclesia, loquitur etiam de effusiouc sanguinis, cum regulariter effundatur de vulneribus grauibus, & moraliter sit impossibile ; quod non effundatur.

9 Neque ratio nppositæ sententiæ vrget. Quia Ecclesia nnn pnlluitur, quia actio sit ipsi præcisè iniuriosa, & lædat sanctitatem ipsius : nam plures sunt huiusmodi actiones, per quas tamen non pollnitur, quia est actin destinata à iure tanquam pnllutiua, & ideò nisi sit ilia, quam destinat ius, nnn polluit. Ius autem decernit, quod effusin sanguinis, non autem, quod vulnera de se, seclusa effusione sanguinis, sit pollutiua ; & ideò nisi hæc intra Ecclesiam fiat, nnn sequitur pollutio. Effusin autem sanguinis specialiter est electa, quia causat horrorem, & declarat sæuitiam vulnerantis, quod non præstat vulnus, seclusa effusione sanguinis.

10 Ex dictis infertur. Quod quamuis sanguis è vulnere effusus non cadat supra pauimentum Ecclesiæ, sed aut dispergatur inter vestimenta, aut recipiatur dum fluit, in aliqun vase, polluitur nihilominus Ecclesia. Ita docent omnes communiter, præsertim citati *n.* 1. Ratin clara est, Quia licèt non cadat supra pauimentum, effunditur tamen intra Ecclesiam pnnitur causa pollutiua repræsentaos illam sæuitiam, in cuius detestatinnem institutum est qnod sit causa pollutioa.

Sequitur 2. Vt docent iidem Doctores *n.* 1. citati. 11
Non pollui Ecclesiam, si vulneratus extra ipsam, eam ingrediatur, & effundat sanguinem. Ratio est, quia tonc effusin sanguinis intra Ecclesiam est præter intentionem vulnerantis, & propterea nnn est iniuriosa Ecclesiæ, nec lædit reuerentiam debitam. Effusin enim sanguinis seqnitur naturam suæ causæ eo ferè modo, qun actus externus sequitur naturam interni ; & ideò si circunstantia loci non afficit causam effusionis, nempe vulnerationem, nec etiam afficit affusionem : sed per accidens, & materialiter se habet respectu ipsius : & sicut non refundit malitiam sacrilegij in actionem, ita nec facit, quod effusio sanguinis sit sacrilega, atque adeò nec læsiua reuerentiæ debitæ Ecclesiæ.

Sequitur 3. Vt docent iidem Doctores *num.* 1. citati, & cæteri omnes, Qund si quis existens in Ecclesia vulneret sclopeto, aut alio instrumento, existentem extra Ecclesiam, cum effusinne sanguinis, nnn polluatur Ecclesia. Nam quamuis actio incipiat in Ecclesia, attamen quatenus posset esse fundamentum pollutinnis, perficitur extra Ecclesiam : nam passiua vulneratio, quatenus iniuriosa vulnerato, & effusiua sanguinis, est fundamentum iniuriæ, quæ infertur Ecclesiæ, & pollutionis. Vnde cum secundum hanc rationem contingat extra Ecclesiam, non pnlluetur, licet in ea incipiat. Sed quid, si vnlneratus ingrediatur Ecclesiam irruens contra vulnerantem, & ibi effundat sanguinem ? Resp. Qund neque in tali casn polluetur Ecclesia, quia adhuc per accidens se habet, & præter intentinnem vulnerantis, quod effusio sequatur in Ecclesia : & ideò cum vulneratin non sit sacrilega, quia sit extra locum sacrum ; nec effusio sanguinis erit sacrilega, atque adeò nec iniuriosa Ecclesiæ, nec læsiua reuerentiæ debitæ ratione sanctitatis. 12

DE TERTIA
CAVSA POLLVTIVA
Ecclesiæ, nempe effusione seminis.

X alio quoque capite polluitur Ecclesia, nempe per effusionem seminis, quod intelligitur de humano, vt infra dicetur : & proinde consurgit tertia causa pollutiua, circa quam occurrunt nonnullæ difficultates, quæ modo explicandæ sunt.

QVÆSTIO 566.

Per qualem effusionem seminis polluatur Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia polluitur per effusionem seminis. Cur hæc causa inducta vt pollutiua Ecclesia.*

2. *Sola*

2. *Sola effusio seminis humani pollluit.*
3. *Cuiuscunque illa sit.*
4. *Effusio seminis muliebris polluit Ecclesiam.*
Dictio cuiuscunque comprehendit omne genus.
5. *Per effusionem menstruorum non polluitur Ecclesia.*
6. *Per effusionem seminis corrupti non polluitur Ecclesia.*

1 Dicendum 1. *Ecclesiam pollui per effusionem seminis.* Ita pluribus in locis statuitur in iure, vt in Cap. *Ecclesijs, de consecrat. dist.* 1. vbi Concilium Nicænum statuit, Ecclesias esse reconciliandas, si cuiuscunque semine fuerint pollutæ: & Gregor. IX. relatus in cap. *fin. de consecrat. Eccles.* definit, *Quod si Ecclesia cuiuscunque fuerit semine, aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lauetur.* Idem habet Bonifac. VIII. in cap. *vnic. de consecrat. in* 6. & Alexand. III. in cap. *Significasti, de homicidio*, præcipit, reconciliari Ecclesiam, in qua commissum fuerat adulterium. Cur autem hæc causa sit statuta tanquam pollutiua Ecclesiæ, ex eo deduci potest, quod est actio, quæ affert effundenti pudorem: & proinde quando effunditur, etiam licitè, quæruntur loca secreta seorsim à quocunque alio. Si igitur effundatur in Ecclesia, ostendit maximam audaciam contra reuerentiam debitam Ecclesiæ, & maximam impudentiam contra sanctitatem loci, dum non pudet facere in Ecclesia, quod pudet facere coram quocunque, & proinde grauissimè læditur sanctitas Ecclesiæ.

2 Dicendum 2. *Hanc effusionem debere esse seminis humani; itaut non sufficiat effusio alterius seminis, etiamsi quis concurrat cum peccato mortali ad ipsum effundendum.* Ita communiter Glos. *in cap. vnic. verbo* Seminis, *de consecrat. Eccles. in* 6. Durand. *de diuin. offic. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 39. *in fine.* Nauarr. *cap.* 27. *Manual. num.* 257. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 27. *num.* 5. *casu* 2. *littera* O. Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.* 16. *num.* 17. Viuald. *in Candel.* Tit. *de interdict. cap.* 3. *num.* 17. Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *casu* 3. & *tom.* 1. *de Relig. lib.* 3. *de templ. obser. cap.* 2. *num.* 3. *casu* 3. Auila *de censur. part.* 5. *disp.* 7. *dub.* 1. *conclus.* 2. *casu* 2. Reginald. *lib.* 29. *praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 5. *n.* 182. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *numero* 20. Castro *de lege pœn. lib.* 1. *cap.* 7. *docum.* 2. Vgolin. *de potest. Episcop. cap.* 29. §. 3. ver. *Postremo.* Squilian. *de oblig. Cleric. part.* 5. *num.* 94. Barbos. *de potest. Episcop. allegat.* 28. *num.* 43. Pax Iordan. *lib.* 5. *Lucubr. tit.* 12. *num.* 102. *tom.* 1. Lessius *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 2. *tit. de loco, num.* 81. Diçastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disput.* 4. *dub.* 7. *num.* 118. Delbene *de immunit. part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 4. *num.* 1. Passerin. *de pollut. Eccles. disp.* 7. *cap.* 1. *num.* 2. & alij passim. Ratio est, quia ius decreuit tantum quasdam actiones, quas decerneret vt pollutiuas Ecclesiæ, omnes tamen humanas; atque adeò etiam hanc, seminis effusionem posuit humanam: & ita praxis, & communis sensus Doctorum interpretantur iura. Et accedit etiam ratio, quia effusio seminis non humani, etiam procurata ab homine cum peccato, non habet illam deformitatem, quam habet effusio seminis humani, ex qua lædatur Ecclesiæ sanctitas.

3 Dicendum 3. *Effusionem seminis cuiuscunque siue Christiani, siue Heretici, siue Iudæi, siue Infidelis, concurrentibus conditionibus necessarijs, polluere Ecclesiam.* Ita communiter Durand. *lib.* 1. *de diuin. offic. cap.* 6. *num.* 3. Nauarr. *cap.* 27. *Manual. num.* 257. Syluest. *verbo* Consecratio 2. *quæst.* 5. *casu* 3. Tabiena *num.* 3. Sà *verbo* Ecclesia, *num.* 14. Viuald. *in Candel. tit. de interdict. cap.* 3. *num.* 18. Auila *de censur. part.* 5. *disput.* 7. *dub.* 1. *conclus.* 2. *casu* 2. Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.* 16. *num.* 18. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 154. *num.* 11. Suarez *disput.* 81. *de Euchar. sect.* 4. *casu* 3. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *numero* 20. Reginald. *lib.* 29. *praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 5. *n.* 182. Delbene *de immunit. part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 4. *num.* 2. Passerin. *de pollut. Eccles. disput.* 7. *cap.* 1. *num.* 5. Hoc autem desumitur ex ipsis text. disponentibus de pollutione. Nam in cap. *Ecclesijs, de consecrat. dist.* 1. dicitur, *Cuiuscunque semine.* Idem dicitur etiam in cap. *fin. de consecrat. Eccles.* Dictio autem, *Cuiuscunque*, est vniuersalissima, comprehendens omnes homines, cuiuscunque sectæ, & ordinis sint: & quia in vnoquoque hæc actio habet eandem deformitatem, contrariantem sanctitati Ecclesiæ, & reuerentiæ ipsi debitæ.

Dicendum 4. *Effusionem seminis muliebris polluere Ecclesiam.* Ita Glos. *in cap. vnic. verbo* Seminis, *de consecrat. Eccles. in* 6. Syluest. *verbo* Consecratio Eccles. 2. *quæst.* 5. *casu* 3. Tabiena *num.* 8. Vgolin. *de potest. Episcop. cap.* 29. §. *Postremo.* Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 154. *num.* 11. Nauarr. *cap.* 27. *Manual. n.* 257. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *numero* 20. Viuald. *in Candel. tit. de interdict. cap.* 3. *numero* 18. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 27. *num.* 5. Suarez *disp.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *casu* 3. Reginald. *lib.* 29. *prax. fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 5. *num.* 182. Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 28. *num.* 42. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 3. Delbene *de immunit. par.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 4. *num.* 3. Passerin. *disput.* 7. *de pollut. Eccles. cap.* 1. *num.* 4. & alij plures. Ratio est; Quia, licet controuertatur, an mulieres fundant verum semen, hoc tamen ad præsens institutum parum refert; siquidem nomine seminis intelligitur quodcunque semen, etiamsi in ordine ad generationem non sit verum semen: cum tali pacto omnes Doctores interpretentur text. atque hoc elicitur ex verbis eorundem text. nam dum dicitur in Cap. *Ecclesijs, de consecrat. dist.* 1. & in Cap. *fin. de consecrat. Eccles.* Cuiuscunque semine, ratione dictionis, *Cuiuscunque*, venit etiam semen mulierum, qualecunque sit: quia talis dictio comprehendit omne genus personarum, atque adeò se extendit etiam ad fœminas, iuxta ea, quæ tradunt Rebuff. *in tract. de pacific. poss. num.* 3. Socin. Iun. *consil.* 89. *num.* 13. *vol.* 3. Bursat. *consil.* 32. *num.* 14. *lib.* 1. Hondod. *consil.* 92. *num.* 7. *volum.* 1. Menoch. *consil.* 224. *num.* 7. Paris. *consil.* 9. *num.* 8. *lib.* 1. Ias. *in l. Quadam*, §. *Nihil interest, num.* 3. ver. *Limita, ff. de eden.* Mandos. *in reg.* 21. *Cancel. quæst.* 5. *num.* 2. Rot. *decis.* 268. *num.* 5. *part.* 1. *diuers.* 4

Ex dictis colligitur, Ecclesiam non pollui per effusionem menstruorum, aut similium, vt notant etiam Viuald. *in Candel. tit. de interdict. cap.* 3. *n.* 60. Fusch. *de visitatione lib. cap.* 25. *num.* 6. Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 28. *num.* 43. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 105. Passerin. *disput.* 7. *de pollut. Eccles. cap.* 2. *num.* 4. Quia nec sunt verum semen, imò, nec absolutè semen: nec voluntariè, & peccaminosè emittuntur. 5

Secundò colligitur, quod siue peccet, siue non peccet emittens semen corruptum, non tamen polluitur per ipsum Ecclesia; vt notat etiam Passerin. *disp.* 7. *de pollut. Eccles. cap.* 5. *num.* 4. Ratio clara est; quia Canones loquuntur de effusione seminis: non sunt autem extendendi ad semen corruptum, quia non est amplius semen: ea enim est natura corruptionis, vt destruat rem corruptam, & faciat aliam succedere. Quod etiam ex eo constat, quia semen corruptum acquirit veneniferam qualitatem; & ideò in eius effusione non verificatur dispositio, quod effundatur semen. 6

QVÆSTIO

QVÆSTIO 567.

An, & quomodo seminis effusio debeat esse voluntaria, vt polluatur Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Seminis effusio, nisi sit voluntaria, non polluit Ecclesiam.*
2. *Nec ab alio procurata contra voluntatem effundentis.*
3. *Neque si dans causam pollutioni, reuocet consensum.*
4. *Nec si solum permittatur effusio seminis, qua potest impediri.*
5. *Effusio seminis in causa voluntaria an polluat Ecclesiam*, & num.seq.
7. *Ecclesia non polluitur per effusionem seminis peccaminosam in causa.*
8. *Causa pollutiua Ecclesia quatenus à iure considerentur.*
9. *Effusio seminis; vt polluat Ecclesiam, qualis debeat esse.*
10. *Cur homicidium voluntarium in causa polluat Ecclesiam: non autem effusio seminis.*
11. *Licet causa sit positiua, in qua effusio seminis est voluntaria non polluitur Ecclesia.*
12. *Semen effusum ex turpi tantum cogitatione absque opere externo non polluit Ecclesiam.*

1 SVpponendum tanquam certum. Non pollui Ecclesiam per semiois effusionem, oisi sit voluntaria, & peccaminosa mortaliter: vt notant communiter Glos. *in cap. Ecclesijs, verbo* Semine, *de consecrat. distinct.* 1. Durand. *lib.* 1. *de diuin. offic. cap.* 6. *num.*39. Paludan. *in* 4. *distinct.*18. *quæst.*8. *art.*4. *conclus.*2. D. Antooin. 3. *part. tit.*12. *cap.*6. §. 4. *casu* 2. Syluest. *verbo* Consecratio 2. *quæst.* 5. *casu* 3. Tabiena *numero octauo*. Nauarr. *capite* 27. *Manual. numero* 257. Sotus *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.*2. *art.*3. *ad* 2. *dicto* 4. Victoria *in sum. tit. de Eucharist. num.* 99. Auila *de censur. part.* 5. *disput.*7. *dub.* 2. *conclus.* 2. *casu* 2. Sayr. *lib.*5. *de censur. cap.*26. *num.*21. Graff. *parte* 2. *decis. libro* 2. *cap.*48. *numero* 26. Henriquez *libro nono, summ. capite* 27. *numero* 5. *casu* 2. *littera* O. Facundez *precept.* 1. *Eccles. libro* 3. *capite* 14. *numero* 20. Suarez *disput.*81. *de Eucharist. sectione* 4. *casu* 3. Reginald. *libro* 29. *praxis fori pœnit. cap.*9. *sect.* 5. *num.* 182. Vgolin. *de potest. Episcop. cap.*29. §. 3. ver. *Excipitur.* Pontius *de matrimon. libro* 10. *capite* 10. *numero* 14. Miraoda *tom.*2. *Manual. quæstione* 39. *artic.*5. *conclus.* 1. *casu* 2. Medices *in sum. de peccat. part.* 2. *tit.* 9. *quæst.*10. Barbos. *de potest. Episcop. allegat.*28. *num.*43. Alter. *de censur. tom.*1. *disputatione* 3. *de interdict. capite* 1. ver. *Tertiò.* Megal. *in Promptuar. verbo* Cœmeterium, *numero* 5. Vener. *libro* 9. *exam. Episcop. capite* 36. *numero* 7. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.*12. *num.*104. Castilent. *in Theolog. moral. verbo* Consecrat. Eccles. *difficult.*7. *conclus.*1. Gambarup. *de casib. reseru. capite* 6. *num.*11. Bordon. *tom.*2. *consil. regul. resol.* 89. *numero* 21. Mazocbel. *de casib. reseru. disp.*2. *cap.*6. *numero* 20. Passerin. *disputatione* 7. *de pollut. Eccles. cap.* 3. *numero* 4. Ianuar. *de casib. reseru. resolut.* 64. *num.*4. Nam nisi effusio sit voluntaria, non est actus humanus, & ideò nec iniuriosa sanctitati Ecclesiæ, nec cootra reuerentiam ipsi debitam; atque adeò nec pollutiua. Vnde effusio in somno, in ebrietate, & quocunque modo, quo non sit libera effundenti, non polluet Ecclesiam.

Supponendum 2. Ob eandem rationem, non pollui Ecclesiam effusione seminis contra voluntatem effundentis ab alio procurata: vt notat etiam Passerin. *disp.*7. *de pollut. Eccles. cap.*5. *num.*4. Quia cum effundens noo coosentiat, neque etiam peccat; & cum procurans non effuodat, neque etiam ipse polluit, nam polluitur solum per ipsam effusionem, quatenus peccaminosam; non est autem tunc effusio peccaminosa, licet peccamioosè procurata. 2

Supponendum 3. Neque pollui Ecclesiam, si quis dans peccaminosè causam futuræ pollutioni, antequam sequatur, reuocet consensum in ipsam, & pœniteat: vt notat idem Passerin. plures citans; qui tamen non videntur in his terminis loqui, *disput.* 7. *de pollut. Eccles. cap.*6. *num.*4. Ratio autem est. Quia tooc pollutio noo est peccaminosa; quia dato, quod præcesserit consensus in causa, dum tamen fuit retractatus, cessat causa voluntarij, & peccati, & ideò tunc sequitur pollutio merè naturaliter. Et sicuti sublata causa physica, noo sequeretur physicè, ita soblata causa morali, ooo sequitur moraliter. 3

Supponendum 4. Quod si pollutio sequatur ex caosa negatiua, seu omissiua, quia scilicet effuodens semeo, permittit effusionem, quæ naturaliter sequitur, sed posset impedire, non pollui Ecclesiam: vt notat etiam Passerin. *disput.* 7. *de pollut. Eccles. cap* 8. *num.*4. Quia scilicet illa pollutio non est i¹¹ⁱ neccaminosa, & imputabilis, eo quod non sit causa positiua, sed tantum permissiua: sicut Deus noo est causa peccati, quamuis potens impedire, illud permittat. Nec dici potest, quod debeat impedire, quod oon sit opus naturæ, & proinde nec peccatum, dum sequitur naturali modo, non tenetur impedire. Solum ergo difficultas remanet, an, si effusio seminis sit voluntaria in causa, polluat Ecclesiam. 4

Prima sententia asserit, Ecclesiam pollui per effusionem seminis, licet solum in causa voluntariam. Ita ij, qui volunt pollui per quamcunque seminis effusionem peccaminosam mortaliter. Durand. *de diuin. offic. lib.*1. *cap.*6. *num.*39. D. Antonin. 3. *part. tit.*12 *cap.*6. §. 4. *casu* 2. Syluest. *verbo* Consecratio 2. *quæst.*5. *casu* 3. Tabiena *num.* 8. Armilla *num.*6. Sà *verbo* Ecclesia, *num.* 14. Rodriquez *part.* 1. *summ. cap.* 154. *num.* 12. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.*3. *cap.* 14. *num.*20. Suarez *disput.*81. *de Eucharist. sect.*4. *casu* 3. Reginald. *lib.*29. *praxis fori pœnit. cap.*9. *sect.*5. *numero* 162. & in his terminis tenent Angel. *verbo* Coosecratio Ecclesiæ, *num.*6. *casu* 6. *in fine.* Lugo *de sacrament. lib.*5. *cap.*6. *quæst.*9. *num.* 58. Passerin. *de pollut. Eccles. disput.* 7. *cap.*7. *num.* 4. Fundamentum est; quia huiusmodi effusio seminis est voluntaria saltem indirectè, & in causa: hoc autem voluntarium sufficit ad peccatum, & proinde etiam pro pollutione. 5

Secunda sententia asserit, non polluere. Ita Henriquez *lib.*9. *summ. cap.* 27. *num.*5. *littera* P. Sayr. *lib.*5. *de censur. cap.*16. *num.* 20. qui alios cit. Auila *de censur. part.* 5. *disput.* 7. *dub.* 2. *conclus.*2. *casu* 2. Bonac. *de matrimon. quæst.* 4. *punct. vlt. num.*19. Delbene *de immunit. parte* 1. *capite* 2. *dub.* 2. *sectione* 3. *numero* 6. 6

Dicendum est. *Ecclesiam non pollui per effusionem seminis voluntariam, & peccaminosam mortaliter, in causa.* Ratio est. Quia effusio seminis noo inducit pollutionem Ecclesiæ, oisi quatenus lædit sanctitatem ipsius, & est contra reuerentiam ipsi debitam. Talis autem non est pollutio, quæ est tantum voluntaria in causa. Nam in se non est volunrsria, & proiode nec est formaliter peccaminosa, vt constat, quando est à dormiente, aut ab ebrio, neque enim est actus humanus. Et ideò, secundum se non continet 7

irreuerentiam contra Ecclesiæ sanctitatem, atque adeò cessat ratio, cur sit pollutiua Ecclesiæ.

8 Confirm. Causæ pollutiuæ Ecclesiæ considerantur à iure secundum esse externum, & quatenus in conspectu hominum continent irreuerentiam erga locum sacrum: Vnde, vt dicetur suo loco, effusio seminis secreta non polluit. Effusio autem seminis voluntaria tantum in causa, secundum esse externum, & apparens, non continet hanc irreuerentiam; quia se habet, ac si naturali modo succederet, quia non habet tunc assistentiam voluntatis, ac rationis, à qua proueniat, atque adeò non declarat aliquam irreuerentiam erga Ecclesiam, sicut nec habet in se moralitatem.

9 Et ex his solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ; Nam vt effusio seminis polluat Ecclesiam, non sufficit, quod sit quocunque modo voluntaria, sed debet voluntas directè ad ipsam terminari, vt ponatur in esse externo apparenti tanquam moralis, & humana, vt haberi possit tanquam iniuriosa Ecclesiæ. Quod non contingit, quando est tantum voluntaria indirectè, quia tunc voluntas terminatur ad causam, & causa influit in effusionem.

10 Dices. Homicidium voluntarium solum in causa sufficit ad polluendam Ecclesiam, vt dictum est suo loco: ergo sufficiet etiam effusio seminis, licet tantum voluntaria in causa. Resp. neg. conseq. Quia est diuersa ratio. Nam homicidium, & effusio sanguinis secundum se, hoc est, secundum suam externam apparentiam, declarat sæuitiam animi occidentis, & effundentis sanguinem, & proinde secundum se contrariatur reuerentiæ debitæ Ecclesiæ: & ideò, si quocunque modo accedat voluntarium, sit iniuriosum Ecclesiæ, atque adeò pollutiuum. At effusio seminis hoc non habet de se, sed solum vt subest directioni rationis, & voluntatis; siquidem secundum se potest sequi naturali modo, & ideò nisi actu subsit dictæ directioni, non apparet moralis actus, nec iniuriosus sanctitati Ecclesiæ. Hoc autem prouenit, quia effusio seminis ex obiecto non est mala, sed indifferens, vt plutibus allegatis tradit Ioan. Sanchez *in select. de sacrament. disputat.* 21. *num.* 34. Lanfranch. *opusc. moral.* 19. *cap.* 7. *num.* 7. Bossius *in moralib. tit. de scrupul. num.* 163. *&* 213.

11 Ex quibus sequitur contra Passerin. *disput.* 7. *de pollut. Eccles. cap.* 9. *num.* 4. Quod licet causa, in qua est volita effusio seminis sit positiua de natura sua per se, ac proximè, & notabiliter influens, adhuc non polluetur Ecclesia; militat enim ratio, quod licet sit peccaminosa mortaliter in causa, non tamen in esse externo continet irreuerentiam contra Ecclesiam. Et cum actu non sit sub directione rationis, & voluntatis, se habet ac si naturali modo contingeret.

12 Sequitur 2. cum eodem Passerin. *dict. disput.* 7. *de pollut. Eccles. cap.* 10. *num.* 4. Ecclesiam non pollui, si semen effundatur ex turpi tantum cogitatione, absque vllo opere externo. Ratio est; quia tunc effusio seminis in esse externo non habet causam voluntariam, cum eius tota causa sit interior turpis cogitatio; & proinde neque habet esse externum, & apparens, tanquam voluntarium, & iniuriosum Ecclesiæ: vnde se habet tanquam si naturali modo sequeretur; & hoc à fortiori locum habet, si turpis cogitatio, ex qua oritur, aut non esset voluntaria, aut saltem non esset peccatum mortale, nam tunc cessat ratio, ob quam constituta est pollutiua Ecclesiæ; & quamuis manifestaretur, talem effusionem seminis esse peccaminosam ex turpi cogitatione, neque adhuc pollueretur Ecclesia: vt notat etiam idem Passerin. *num.* 5. *citato cap.* Quia ex hac manifestatione non fit, quod acquirat esse pollutionum, neque esse externum iniuriosum sanctitati Ecclesiæ, cum id solum habeat ex causa externa inducente ipsam effusionem.

QVÆSTIO 568.

An Ecclesia polluatur per quamcunque illicitam humani seminis effusionem.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia polluitur per quamcunque humani seminis effusionem illicitam.*
2. *Quæcunque seminis effusio illicita de iure statuitur causa pollutiua Ecclesiæ.*
3. *Vt polluatur Ecclesia non requiritur, quod semen effusum cadat in terram.*
4. *Ecclesia ratione adulterij, & simplicis fornicationis polluitur.*
5. *Effusio seminis ex confessione effundentis publicè polluit Ecclesiam.*

Dicendum 1. *Ecclesiam pollui per quamcunque humani seminis effusionem illicitam.* Intelligitur autem de effusione directè voluntaria, & quæ in esse externo appareat culpabilis, iuxta superius dicta. Ita sentiunt communiter omnes Durand. *lib.* 1. *de diuin. offic. cap.* 6. *num.* 39. Paludan. *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 8. *art.* 4. *conclus.* 2. D. Antonin. 3. *part. tit.* 12. *cap.* 6. §. 4. *casu* 2. Sylvest. *verbo* Consecratio 2. *quæst.* 5. *casu* 3. Tabiena *numero octauo*, Armilla *numero sexto*. Victor. *in summ. tit. de Eucharist. numero* 99. Graff. *parte* 1. *decisionum, libro secundo, capite* 48. *numero vigesimosexto*. Nauarr. *in Manual. capite* 27. *numero* 257. Sayr. *libro quinto, de censur. capite decimosexto, numero decimoseptimo*. Henriquez *libro nono, summ. capite* 27. *numero* 5. Sotus *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *artic.* 3. *ad* 2. *dicto* 4. Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *casu* 3. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 20. Reginald. *lib.* 29. *praxis fori pænit. cap.* 9. *sect.* 5. *num.* 182. Bonac. *quæst.* 4. *de matrim. punct. vlt.* Amicus *tom.* 7. *Curs. Theolog. disput.* 33. *sect.* 12. *num.* 337. 1

Ratio autem est. Quia Canones inducentes effusionem seminis tanquam causam inductiuam pollutionis Ecclesiæ, loquuntur generaliter: dicunt enim, vt dictum est in superioribus, pollui coiusicunque semine: ergo quotiescunque effusio est illicita, & concurrunt conditiones prædictæ, polluetur Ecclesia, quia est illa, de qua loquuntur Canones. Accedit etiam, quod talis effusio est contra reuerentiam debitam Ecclesiæ, siue vno modo contingat, siue alio: siue cum quacunque copula, siue absque copula, & ideò erit illa, quæ statuta est tanquam pollutiua Ecclesiæ. 2

Dicendum 2. *Non esse necessarium, vt polluatur Ecclesia, quod effusio seminis cadat in terram: sed sufficit, quod quocunque modo intra Ecclesiam effundatur.* Ita Bonac. *quæst.* 4. *de matrim. punct. vlt. num.* 19. Dicastil. *de sacram. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 7. *n.* 118. Gasp. Hurtad. *de sacram. disp.* 4. *de sacrific. Miss. difficult.* 7. vers. *Tertiò violatur*. Ludouic. à S. Ioan. *part.* 1. *sum. quæst.* 11. *de Euchar. art.* 8. *dub.* 1. Mazuchell. *de casib. reser. disp.* 2. *cap.* 5. *n.* 21. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 12. *n.* 110. Castilent. *in Theol. moral. verb.* Consecrat. Eccles. *diffic.* 7. ver. *Adde*. Passerio. *de pollut. Eccles. disp.* 7. *cap.* 11. *n.* 4. & alij communiter contra Graff. *lib.* 2. *decis. cap.* 48. *num.* 26. *part.* 1. qui sentire videtur, necessarium esse, quod decidat in terram. 3

Desumitur

4 Desomitur autem ex cap. *Si motum. de consecrat. distinct.* 1. & cap. *Significasti. de adult.* vbi decernitur, Ecclesiam esse pollutam, & proinde reconciliaodam ratione adulterij, & simplicis fornicationis, in quibus tamen actibus semen non effunditur in terram: sicut neque etiam qualibet alia copula. Vnde ex opposito, sequeretur, quod per oullam copulam, quantomuis enormem pollueretor Ecclesia. Ratio autem est, quia siue semen effoodatur in terram, siue noo, effunditur intra Ecclesiam, & proinde intra ipsam committitur illud sacrilegium, quod à iure determinatum est esse pollutiuum Ecclesiæ. Rursus, continet illam irreuerentiam, quàm ius contemplatur, dum statuit caosam pollutiuam Ecclesiæ: quia non est contra sanctitatem loci, quia semen cadat supra terram; sed quia intra ipsam Ecclesiam exercetur illa actio externa effusionis cum apparenti culpabilitate.

5 Dices. Si oon requireretur, quod effunderetur in terram, non posset effusio esse publica, sicut requiritur, vt polluatur Ecclesia, vt suo loco dicetur. Resp. neg. sequel. Qoia etiamsi effusio non fiat in terram, potest tamen manifestari diuersis modis, vt si cadat supra vestes, vel ex confessione effundentis, quæ sufficit, vt io cap. *Significasti de adult.* vbi *habetur pro polluta, & reconcilianda Ecclesia eo quod adultera confessa est adulterium commissum in ipsa*: vnde sufficiet etiaio confessio pro quolibet alio delicto pollutiuo.

QVÆSTIO 569.

An Ecclesia polluatur per cuiuscunque humoris venerei effusionem.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia non polluitur per effusionem humoris, qui dicitur distillatio.*
2. *Nec ex effusione emissa ab Eunuchis, aut Hermaphroditis.*
3. *Semine Hermaphroditorum, qui pollent in vno sexu, aut aqualiter in vtroque polluitur Ecclesia.*
4. *Effusione sanguinis loco seminis an polluatur Ecclesia.*
5. *Cur effusio seminis, & non alterius humoris polluat Ecclesiam.*
6. *Copula absque effusione seminis an polluat Ecclesiam.*

1 Dicendum est, *Ecclesiam non pollui per effusionem illius humoris, qui dicitur distillatio.* Ita Castleutus *in Theol. moral. verbo* Consecratio Eccles. *difficult.* 3. ver. *Aduertendum est.* Passerin. *de pollut. Eccles. disput.* 7. *cap.* 13. *num.* 4. Qui alios citat, qui tamen non loquuntur præcisè in his terminis. Ratio est. Quia iste humor, quamuis sit similis semini, non est tamen verum semen, cum vt plurimum effundatur insensibiliter: ergo licet contingat, effusionem esse peccaminosam mortaliter, non polluetur Ecclesia. Quia non potest tali effusioni adaptari dispositio legis, cum non sit effusio seminis.

2 Ex dictis sequitur, quod noo polluator Ecclesia per effusionem humoris, quem emittunt Eunuchi, aut Hermaphroditi, qui nullius seaus sunt, vt notat etiam Passerin. *de pollutione Ecclesia, disputatione septima, capite decimosexto, numero quarto.* Ratio est. Quia ea natura sua non sunt habiles generationi; & proinde humor ille non est verum semen secundum substantiam, nec etiam in esse imperfecto ad differentiam humoris, quem emittunt pueri, & senes, qui tanquam habiles ad producendum semen, possunt effundere saltem semen imperfectum. Vnde cum non sit verum semen, noo habebit locom pollutio Ecclesiæ, tanquam ea, quæ ioducitur per solam veri seminis effusionem.

Secundò sequitur, quod polluatur Ecclesia per effusionem seminis Hermaphroditorum, siue præpolleant in vno sexu, siue æqualiter in vtroque potentes sint, & apti secundum vtrumque sexum ad generationem. Ratio est, quia isti formant verum semen, quia sunt apti ad generandum. Hoc tamen erit discrimeo, quod poteotes in vtroque sexu pollueut Ecclesiam siue effundant secundum vnum, siue secundum alterum sexum: quia cum sint secundum vtramque apti ad generationem, secundum vtrumque effundent verum semeo. Qui verò sunt potentes io vno tantum sexo, solum polluent, si effundant secundum seaum, in quo sunt potentes: nam secundum eum, io quo sunt impotentes, oon formabunt verum semen. 3

Tertiò sequitur contra *dict. disputat.* 7. *de pollutione Ecclesie, capite decimoquarto, numero quarto.* Ecclesiam pollui per effusionem sanguinis loeo seminis, nisi fortè effundatur sanguis ea apertione alicuius venæ. Et ita docet Mazuchel. *disputatione secunda, de Casibus reseruatis, capite quinto*, num. 68. Quia ille sanguis non solum est materia proximè disposita ad formam seminis, sed etiam est semen, licet nondum perfectè concoctum, vt proinde adhuc retineat speciem aliquam sanguinis. Et proinde verificatur dispositio iuris, quod interueniat effusio seminis. 4

Dices. Etiamsi non effundatur verum semen, vt ab Eunuchis, in distillatione, &c. interuenit tamen eadem irreuerentia erga sanctitatem loci, & eadem indecentia actionis, quæ interuenit io effusione seminis, quando vtraque est peccaminosa mortaliter, quia solum est discrimen in materia effusa: non autem in effusione, aut modo, & instrumentis effusioois: ergo etiam tunc polluetor Ecclesia, quia identitas actionis facit, quod dispositio ad ipsam extendatur. Respond. Non adesse discrimen in sola materia effusa, sed etiam in effusione: quia effusio seminis est diuersæ speciei ab effusione alterius humoris: vnde si noo sit ordinata ad generatiooem, cootinet specialem malitiam. Cum ergo sit actio alterius speciei, non potest ad ipsam fieri extensio, etiam ex identitate ratioois. Quia ius non considerat indecentiam, & irreuerentiam præcisè, sed in tali actione specifica, & ideò vt dispositio ioris locum habeat, requiritur talis specifica actio. 5

Dices 2. Sequeretur, quod non pollueretur Ecclesia, si quis in ipsa ioiret culpam adulteram, aot fornicariam nototiam, si non seminaret. Resp. Ita sequi, & est de mente eorum, qui volunt, non sufficere pro polluenda Ecclesia vna, aut altera gutta fluxus seminis, quos io sequenti afferam. Quia licèt copula etiam absque seminatione sit indecens speciali modo in Ecclesia, & contineat irreuerentiam contra eius sanctitatem: attamen non est illa actio, quæ à iure decernitur, esse pollotiuam Ecclesiæ: & ideò non inducit pollutionem, qoia pollutio non ioducitur ratione irreuerentiæ; sed quia, supposita irreuerentia, ius decernit talem actionem esse pollutioam. Vnde pullutio prooenit ea determinatiooe iuris. 6

QVÆSTIO 570.

An quacunque quantitas seminis effusi sufficiat pro polluenda Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Quacunque quantitas seminis iuxta aliquos polluit Ecclesiam.*
2. *Iuxta alios requiritur abundantia seminis.*
3. *Cur requiratur abundantia iuxta subiectam materiam.*
4. *Quomodo constare possit de quantitate seminis effusa.*
5. *Ecclesia an censenda pro polluta, si stante copula, dicant, qui eam habuerunt, se non seminasse.*
   Iuramentum defertur, quando non potest haberi legitima probatio.

1 PRima sententia asserit, pollui per emissionem seminis io quacunque quantitate siue magna, siue parua, dummodò actus libidinosus sit completus. Ita Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 110. Passerin. *disput.* 7. *de pollut. Eccles. cap.* 12. *num.* 4. qui citat noonullos alios tanquam fauentes. Fundamentum est, quia aliàs non posset cognosci, quando Ecclesia esset ex hoc capite violata, cum non possit cognosci, præsertim in copula, quantitas seminis.

2 Secunda sententia asserit, requiri abundantiam, iuxta subiectam materiam. Ita Asteos. *part.* 2. *lib.* 6. *tit.* 29. *artic.* 3. *init.* Syluester *verbo* Coosecratio 2. *quæst.* 5. *casu* 3. Tabiena *num.* 8. Sà *verbo* Ecclesia. *num.* 14. Sayr. *lib* 5. *de Censur. cap.* 16. *num.* 21. Viuald. *in Candel. tit. de Interdict. cap.* 3. *num.* 16. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 154. *num.* 11. *in fine.* Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *casu* 3. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 21. Reginald. *lib.* 29. *Praxi fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 5. *num.* 182. Coninch. *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. *num.* 227. Nugn. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 3. *dub.* 2. Pinell. *de Casib. reseru. casu* 5. Amicus *tom.* 7. *Curs. Theol. disput.* 33. *sect.* 12. *num.* 337. Lodouicus à S. Ioan. *in sum. quæst.* 12. *de Eucharist. art.* 8. *dub.* 1. Lessius *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 2. Tit. *de loco. num.* 81. Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disp.* 4. *dub.* 7. *num.* 118. Gaspar Hurtad. *eod. tractat. disput.* 4. *de sacrific. Miss. difficult.* 7. vet. *Tertio violatur.* Caspens. *part.* 2. *Curs. Theol. tractat.* 23. *disput.* 3. *sect.* 3. *num.* 71. Delbene *de Immunit. part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 4. *num.* 2. Lugo Cardin. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.* 2. *num.* 55. Barbos. *de potestat. Episcop. allegat.* 28. *num.* 49. Mazuchel. *de Casib. reser. disput.* 2. *cap.* 5. *num.* 22. Steph. à S. Greg. *de sacrament. lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 16. Tannet. *tom.* 4. *disput.* 5. *quæst.* 10. *dub.* 2. *num.* 19.

3 Dicendum est. *Ecclesiam non pollui, nisi per abundantem effusionem seminis.* Hæc autem abundaotia intelligitor secundum subiectam materiam, itavt sit abundans in ea quantitate, in qua solet effuodi. Et præter citatos Doctores tenere debent ij omnes, qui hoc ipsum tenent de effusione sanguinis: nam iura eodem modo loqountur de vtroque. Vtuntur enim, tam io semine quàm in sanguine, nomine effusionis: effusio autem significat abundantiam, vt ostensum est, cum de effusione sanguinis ageretur.

4 Ad fundameotum in oppositum. Resp. Posse constare de quantitate sufficienti effusa pro pollutione Ecclesiæ: nam si effunditur extra copulam, iam de se ipsa constare potest diuersis modis, vt per se patet. Si verò effunditur in copula, eo ipso quod copula est consummata, præsomitur effusa copiosa quantitas io suo genere, cum hoc regulariter contingat, quod sufficit, vt Ecclesia habeatur pro polluta.

Sed quid, si de copula coostaret, sed qoi habueruot copulam, dicerent, se noo seminasse? Ao tunc esset iis credendum, & Ecclesiam non habendam pro polluta? Resp. Standum esse dicto ipsorum, si modo iuramento confirment. Cum enim in hoc casu locum habere non possit vera, & ordinaria probatio, deferendum est iuramentum in supplementum probationis, tanquam illud, qood est irregularis probatio. *l. Non erit.* §. *Datio.* ver. *Quasi probatum. ff. de Iurerur.* vbi Doctores. Quando enim materia est difficilis probationis, pro probatione exigitur iuramentum. Vt tradunt Mantica *decis.* 6. *num.* 8. *&* 11. & *decis.* 124. *num.* 12. Caualer. *decis.* 103. *num.* 1. Pegna *decis.* 130. *num.* 9 Rot. *in Rom. Pecuniar.* 9. *Decembris* 1584. *coram Rubeo Decano.* 5

QVÆSTIO 571.

An per copulam coniugalem polluatur Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Copulam coniugalem non polluere Ecclesiam, qui sentiant.*
2. *Copula coniugalis non prohibetur in loco sacro.*
3. *Copula coniugali polluit Ecclesiam, qui sentiant.*
4. *Copula coniugalis polluit Ecclesiam.*
   Copula coniugalis continetur sub prohibita effusione seminis in Ecclesia.
5. *Eadem turpitudo in copula coniugali quoad pollutionem Ecclesiæ ac in copula illicita.*
6. *Copula coniugalis in Ecclesia est irreuerens, & sacrilega.*
   Coeuntes in templis specialiter puniuntur.
7. *Ecclesia exigit esse in speciali veneratione.*
8. *Copula coniugalis ratione loci fit irreuerens.*
9. *Copula coniugalis in Ecclesia vnde fiat irreuerens.*
10. *Copula coniugalis occulta adhuc illicita in Ecclesia.*
11. *Copula coniugalis in Ecclesia, an contrahat specialem malitiam ex eo, quod polluat Ecclesiam.*

DIfficultas oritur ex eo, quod copula coniugalis est licita. Vnde prima sententia asserit, non pollui. Ita Glos. *in cap. Ecclesiis. verbo* Semioe. *de consecr. dist.* 1. vbi Hugo, Laoreot. &c. Archidiac. *ibid. in fine.* & *in cap. vnic. num.* 2. *de consecrat. Eccles. in fine. in* 6. Henriquez *in cap. fin. n.* 3. *de consecrat. Eccles.* Gerson. *in Compend. Theol. part.* 2. *tractat. de sacrament. matrim. Alphab.* 27. *littera P*, Rosel. *verbo* Consecratio 1. *n.* 9. Gaspar Hurtad. *de sacrament. disp.* 4. *de sacrific. Miss. difficul.* 7. ver. *Paludanus.* & *disp.* 10. *de matrim. diffic.* 4. ver. *Ecclesia ergo.* Pontios *de matrim. lib.* 10. *cap.* 10. Ianuar. *de Casib. reseru. resol.* 64. *num.* 4. 1

Fondamentum est, quia copula coniogalis de se licita: nec prohibetur exerceri in loco sacro aliquo iure. Nam cap. *Ecclesiis de consecrat. dist.* 1. & cap. *Significasti. de adulteriis.* vbi supponitur, pollui Ecclesiam per copulam, loquuntur de copula illicita adulterij. Et cap. *fin. de Consecrat. Eccles.* & cap. *vnic. eod. tit. in* 6. & cæteri text. licet loqoantur de effusione seminis cuiuscunque, debent tamen accipi de effusione illicita; quia sumus io materia, quæ strictè accipienda est. Vt etiam accipitur in effusione sanguinis: nam effusio iusta, vt quæ fit ad sui defensionem, oon violat Ecclesiam, vt suo loco dictum est. 2

Secunda

3 Secunda sententia asserit, polluere Ecclesiam. Ita Glos. in cap.vnic. verbo Seminis, de consecrat. Dominic. numer.10. Franc. num.7. Durand. de diuin. Offic. cap.6.num.39. Silua de benefic. part.1. quæst.5 requis.7. num.136. & 139. Diaz in Pract. cap.39. numer.2. vbi Salzedo littera B, Couarru.4. Decret. part. 2. cap.7. §.2. numer.3. Lopez in l.fin. verbo Fornicatio, tit.10. part.1. Perez lib.5. ordinat. tit.1. l.1. §.Quæri potest. Matienzo lib.5. Recopilat. tit.1. rubr. glos.1. num.99. Cnch. lib.5. Instit. maior. tit.12. num.121. Lælius de Zanth. de priuil. Eccles. priuileg. 5. numer.6. Angel. verbo Consecratio Eccles. num.6. Syluest. verbo Consecratio 2. quæst. 5. casu 3. Tabiena num.8. Armilla num.6. Nauarra cap.27. Manual. num.257. D.Antonin. 3. pars. tit.12. cap.6. §.4. casu 2. Cajet. in summ. verbo Matrimonium, cap.vlt. vers. Sextum caput. Victoria in sum. tit. de Eucharist. num.99. Castro lib.1. de lege pœnit. cap.7. docum.2. Richard. in 4.dist. 32. art.3. quæst.1. Gabr. quæst.vnic. art.2. conclus.11. Sot. art.3. conclus.3. Ouand. quæst.vnic. post 2.propos. Palud. dist.18. quæst.8. art.4. num. 20. Adrian. quæst. 14. de matrim. §.Pro huius. Ledesma 1.part.4. quæst.24.art.3. dub.7. casu 2. Abulens. quæst. 237. in cap. S.Matth. Bartholom. Ledesma de sacram. dub.40. de Euchar. post 3.conclus. Nider. in sum. præcept.6. cap.4. ver. Sextus. Petrus Ledesma de matrim. quæst.64. art.7. conclus.1. & part.1. sum. tract. de Euchar. cap.20. Viuald. in Candel. tit. de interd. cap.3. num.72. Angles in florib. quæst.6. de matrim. in fine, Henriquez lib.9. sum. cap.27. num.5. Vega tom.1. sum. cap.78. casu 1. Graf. part.1. decis. lib.2. cap.48. num.16. Rodriquez tom.1. sum. cap.154. n.11. & cap.243. num.19. Lopez part.1. instruct. cap.82. vers. At vero. Suarez disp.81. de Eucharist. sect.4. vers. Tertio violatur. Sanchez lib.9. de matrim. disput.5. num.7. Sayr. lib.5. de censur. cap.16. num.19. Azor. part.1. lib.10. cap.26. quæst.13. ver. Secundo modo. Auila de censur. part.5. disp.7. dub.1. conclus.2. casu 2. Lessius lib.4. de iust. & iur. cap.3. dub. 22. num. 86. Rebel. de oblig. iust. part.2. lib.3. qu. 19. sect.1. propos. 1. num.7. Palaus part 2. oper. moral. tractat. 11. disp.1. punct.1. num.1. Facundez præcep.1. Eccles. lib.3. cap.14. num.26. Reginald. lib.29. Prax. fori pœnit. cap.9. sect.5 num.182. vers. Quocirca. Coninck. de sacram. quæst.83. art.3. dub.1 num.231. Vgolin. de potest. Episc. cap.29. §.3. vers. Tertio. Philiar. de offic. Sacerd. lib.4. cap.4. sum. Pisanel. verbo Consecratio 2. num.8. Margarita Confessor. præcept. 6. numero 86. Medices in sum. de peccat. part.2. tit.9. quæst. 10. Leo part.1. Thesauri fori Eccles. cap. 5. n.6. Valent. tom.4. disp.10. quæst.6. punct.2. §.7. Megal. part.1. instit. lib.5. cap.13. num.9. Montalcin. in Lucerna animæ, cap.2. §.11. num.7. Riccius resol.257. num.6. part.3. Layman. lib.5. Theol. moral. tract.5. cap.5. num.8. Zechius de casib. reseru. casu 11. vers. Quo vero. Piasec. in Prax. Episc. part.1. cap.5. num.5. Lancellot. lib.2. instit. Canon. tit.18. in Glos. verb. seminis. Filliuc. tract.5. cap.4. num. 117. Bordon. tom.2. consil. regul. resol.89. n.21. Tamburin. de iure Abbat. tom.1. disput. 23. quæst.11. num.2. Bonac. quæst.4. de matrim. punct.vlt. num.6. Stephan. à S. Greg. de sacram. lib.3. cap.31. num.18. Barbosa de potest. Episc. allegat.28. num.48. Miranda tom.2. Manual. quæst.39. art.5. conclus.... vers. Secundum est. Portel. in dub. regul. verbo Ecclesiæ Fratrum, in addit. num.3. Naldus verbo Ecclesia, n.28. Fusch. lib.1. de Visit. cap.28. num.9. Scortia lib.2. de Sacrif. Miss. cap.13. Scalens. de censur. cap.13. de interdict. Gambarupt. de casib. reseru. casu 6. num. 11. in fine, Castilent. in Theol. moral. verbo Consecratio Ecclesiæ, difficult.7. vers. Quare copula. Alterius tom.2. de censur. disput.3. de interd. cap. 1. vers. Sed est aliqua. Auersa de matrim. quæst.21. sect.8. vers. Septimo. Antonell. de regim. Eccles. lib.1. cap.16. §.1. n.4. Alarius in Can. conscient. lib.2. verbo Ecclesia, n.9. Maznchel. de casib. reser. disp.2. cap.6. num.27. Cassina in Catech. tit.7. vers. Ecclesia, num.13. Pax Iordan. tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.12. num.114. Dicastill. de sacram. tract.5. disp.4. dub.7. num. 120. qui num. sequent. vocat probabilem oppositam sententiam. Ludouic. à S. Ioan. part.1. sum. qu.2. art.8. dub.2. conclus.1. Caspen. part.2. Curs. Theol. tract. 23. disp.3. sect.3. numer.71. Tanner. tom.4. disp.5. quæst.10. dub.2. n.29. Præposit.3. part. quæst.83. art.3. dub.2. num.156. Delbene de immunit. part.1. cap.2. dub.1. sect.3. num.3. Passerin. de pollut. Eccles. disp.7. cap.17. num.4. vbi alios citat. Et omnium latè Amicus tom. 9. Curs. Theol. qui est de matrim. disp.26. sect.4. n.53.

Dicendum est. Copulam coniugalem, in Ecclesia habitam, polluere Ecclesiam: & proinde esse sacrilegium. An autem semper polluat, & sit sacrilegium, infrà examinabitur. Prob. Quia iura supponunt, Ecclesias pollui, Cuiuscumque seminis effusione. Vt in cap. fin. de consecr. Eccles. & in cap. vnic. eodem tit. in 6. & dictio, cuiuscunque, vt dictum est in superioribus, est vniuersalissima, comprehendens omne genus personarum, & sic intelliguntur hi tex. communiter à Doctoribus, vt constat ex citat. num. præcedent. Nec licet discedere ab hac communi interpretatione: ergo comprehendet etiam coniugatos, quia ipsi quoque cadunt sub vniuersalitate illius dictionis. Confirm. Quia textus loquuntur eodem modo, & cum eadem vniuersalitate de effusione sanguinis, comprehendunt etiam effusionem iustam, & aliàs licitam, vt si Iudex alicui in pœnam delicti iuberet alicui manum præcidi in Ecclesia, quia scilicet furatus esset in eadem Ecclesia; vt admittunt etiam Doctores tenentes oppositam sententiam: ergo effusio quoque seminis comprehendet etiam aliàs licitam per copulam coniugalem. 4

Ratio autem est, Quia in copula coniugali militat eadem ratio, quæ militat in copula adulterij, aut fornicationis: & ideo si vna est determinata, vt sit pollutiua Ecclesiæ, erit determinatum de alia. Ideo enim effusio seminis est posita tanquam causa pollutiua Ecclesiæ, non quia præcisè sit sacrilegium; quia plura alia sunt sacrilegia, & non sunt pollutiua Ecclesiæ; sed quia est sacrilegium in genere luxuriæ, cuius exercitium est turpe, etiamsi aliàs sit licitum: Vnde etiam coniugatis, qui non amiserunt pudorem secretò, & seorsim ab aliis exercent copulam coniugalem, & eos puderet coram aliis exercere. Ratione autem huius turpitudinis, considerata fuit à legislatoribus tanquam indecens, quod exerceatur in loco sacro Deo dicato, & vt continens magnam irreuerentiam contra sanctitatem loci, quasi non pudeat homines exercere in habitaculo Dei, & coram ipso, quatenus ibi specialiter inhabitat, quod exercere pudet coram hominibus, & ideo effusio seminis fuit constituta tanquam causa pollutiua Ecclesiæ. 5

Quod autem etiam copula coniugalis, licet aliàs licita, in loco sacro sit sacrilega, tanquam irreuerens erga sanctitatem loci, ex eo constat, quod pudet homines eam exercere, coram aliis hominibus: vnde si putant, indecens esse exercere coram aliis, à fortiori etiam putabunt, exercere etiam in loco sancto Deo dicato, & in quo speciali modo Deus est præsens. Et naturaliter vnusquisque, qui apprehendit sanctitatem Ecclesiæ, horret facere in ipsa aliquid, quod importet irreuerentiam: & si facit, aut cum remorsu conscientiæ facit, aut quia non aduertit ad sanctitatem loci. Ergo cum exercitium copulæ coniugalis in Ecclesia sit indecens, & contra loci sanctitatem, erit sacrilega in ratione luxuriæ, & proinde comprehensa sub causa pollutiua, quæ consistit in effusione seminis. Hinc Tiraquell. l.15. connubial. num.107. 6

refert diuersa supplicia constituta à Principibus Gentilibus contra coëuntes in templis. Vnde lumen naturale ostendebat huius rei turpitudinem.

7 Confirm. Ecclesia eo ipso, quod est locus sanctificatus, & Deo dicatus, exigit esse in veneratione apud omnes, tanquam locus destinatus obsequiis diuinis,& in ipso speciali modo inhabitat Deus. Quod expressit Christus. Marc. 2. dum dixit: *Domus mea domus orationis vocabitur omnibus Gentibus.* Et ita exarsit in vendentes, & ementes in Templo, vt flagellis eos eiecerit, euerterit mensas, &c. Quibus abundè declarauit irreuerentiam, & iniuriam, quæ irrogabatur sanctitati loci per actiones, aliàs licitas. Ergo etiam copula coniugalis, quamuis aliàs licita, ratione indecentiæ ad locum, irrogabit illi iniuriam, & lædet sanctitatem ipsius. Vt proinde Christus illis obiecerit, quod fecerint templum speluncam latronum; hoc est, quod ita se gererent in templo, ac si essent in aliqua spelunca latronum: significans, huiusmodi actiones, quamuis aliàs licitas, redundare in contemptum loci; siquidem habetur, tanquam si esset locus vilis, & contemptibilis.

8 Confirm. 2. Si coniuges exercerent copulam coniugalem in aula Principis, offenderent Principem, quia irreuerenter se agerent erga habitationem ipsius, & talis actio contineret aliquem contemptum ipsius Principis, quatenus eligerent eius habitationem ad huiusmodi actionem. Ergo, si exerceatur in Ecclesia, contemnetur aliquo pacto Deus, quia actio vt indecens in tali loco, redundat in contemptum Dei. Hinc etiam, delicta commissa in Palatio Principis reputantur grauiora, quàm si in alio loco committerentur; & proinde seuerius puniuntur. Quod inde prouenit, quia ratione loci acquirunt aliquam specialem deformitatem, quæ redundat etiam in alias actiones, quamuis licitas, si indecentes sint in tali loco.

9 Ad fundamentum oppositæ sententiæ, copulam coniugalem, quamuis de se licitam, fieri illicitam in loco sacro ratione indecentiæ, quam habet ad ipsum, & ideo tanquam continentem irreuerentiam contra sanctitatem loci, remanere prohibitam iure naturæ. Sicut enim ius naturæ præcipit seruari virtutem Religionis, & reuerentiam debitam erga Deum: ita etiam prohibet quæ sunt contraria Religioni, & huiusmodi reuerentiæ, & hæc prohibitio reducitur ad præceptum naturale colendi Deum: cultus enim debitus Deo exigit, quod loca dedicata obsequiis ipsius sint in veneratione, & ideo prohibet irreuerentiam, tanquam contrariam. Stante autem hac prohibitione, & turpitudine actionis, ius Canonicum constituit, quod esset polluriua Ecclesiæ, vt constat ex *ibi* citatis tex. quia si loquuntur de seminis effusione illicita, vt admittunt Doctores tenentes oppositam sententiam, loquuntur etiam de copula coniugali, cùm hæc sit illicita in Ecclesia, vt constat ex dictis. Vnde non est eadem ratio de effusione sanguinis ad sui defensionem, quia hæc nedum est iusta secundum se, sed etiam in tali loco, vtpote quia hic, & nunc est necessaria ob defensionem.

10 Ex dictis colligitur cum Amico *tom.9.Curs.Theol. disp. 26. sect.4. num.*71. Copulam occultam coniugalem, etiam absque periculo, quod publicetur, adhuc esse illicitam, quia adhuc indecens est respectu loci, & ideo continet irreuerentiam, & est sacrilegium; quamuis enim non polluat Ecclesiam, non per hoc desinit esse peccatum. Quia non est prohibita ab Ecclesia tantùm vt polluriua, sed etiam est prohibita ratione rei, vt constat ex supradictis. Si tamen esset tantùm prohibita vt polluriua Ecclesiæ copula occulta, quia non esset polluriua, non esset peccaminosa. Supponit ergo Ecclesia malitiam sacrilegij, & tanquam talem declarat, & vult, quod sit polluriua.

Colligitur 2. Copulam coniugalem in Ecclesia non contrahere specialem malitiam ex prohibitione iuris ratione pollutionis, vt notat etiam Amicus *citat. disp.*26. *sect.*4 *num.*73. *tom.*9. *Curs. Theol.* Quia ius non prohibet copulam coniugalem in Ecclesia, sed supponit prohibitam, & hoc supposito, vult esse polluriuam Ecclesiæ. Etsi prohiberet, ex eodem motiuo prohiberet, quo est prohibita iure naturali, & ideo non contraheret nouam malitiam. Neque ex eo quod polluat Ecclesiam, assumit specialem malitiam; quia pollutio non consistit in alio, nisi in illa iniuria, & irreuerentia, quæ irrogatur Ecclesiæ, quæ apprehenditur tanquam macula polluens eiusdem sanctitatem. Vnde non dicit aliam malitiam, nisi illam, quam contrahit ratione loci. 11

QVÆSTIO 572.

An in casu necessitatis copula coniugalis in Ecclesia eam polluat.

SVMMARIVM.

1. *Quid requiratur, vt copula coniugalis censeatur necessaria in Ecclesia.*
2. *Copula coniugalis nunquam licita in Ecclesia secundum aliquos.*
3. *Secundum alios licita stante necessitate.*
4. *Copula coniugalis stante necessitate non polluit Ecclesiam.*
5. *Effusio sanguinis, si fiat necessaria non polluit Ecclesiam.*
6. *Copula coniugalis necessitas ad vitandum peccatum preualet prohibitioni, ne fiat in Ecclesia.*
7. *Vnde consurgat necessitas copulæ coniugalis in Ecclesia.*
8. *Si vnus coniugum rogatur morari in Ecclesia potest alter accedere ad petendum, & reddendum debitum.*

IDem est, ac si quæratur, an sit sacrilega; quia si est sacrilega polluit, si non est sacrilega non polluit. Casus autem necessitatis, vt locum habeat, plura requirit. Primo, quod coniuges necessitentur permanere in Ecclesia: Quia, si exire possent, non adesset necessitas vtendi copula in illo loco. Secundò, vt non adsit locus adnexus Ecclesiæ, ad quem in hunc effectum diuertere possint, vt esset sacristia, cubiculum aliquod, Campanile, aut *suprà* Ecclesiam, aut subtus ipsam, aut quicunque alius, qui non sit obnoxius pollutioni. Tertiò requiritur, quod non possint abstinere à copula absque periculo peccati incontinentiæ, quia si possent, copula non esset necessaria. 1

Prima sententia asserit, copulam coniugalem nunquam esse licitam, & proinde semper esse polluriuam Ecclesiæ. Ita Caiet. *in sum. verbo* Matrimonium, *cap.vlt.* vers. *Sextum caput.* Paludan. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.*8. *art.*4. *conclus.*2. D.Antonin. 3. *part. tit.*1. *cap.*10. §.2. Tabiena *verbo* Matrimonium 3. *num.*10. Pisanel. *verbo* Delictum, *num.*7. Armilla *n.*6. Gerson. *part.*2. *compend. Theol. tract. de sacram. matrim. alphab.* 27. *littera P*, Viuald. *in Candel.* tit. *de debit. coniug. num.*12. Nauarr. *cap.*16. *Manual. nu.*32. vers. *Non peccat.* Steph. de Gaeta, *in repetit. cap. ad limina* 30. *quæst.*1. §.4. *n.*178. Sotus *in* 4. *dist.*32.*qu.vnic. art.*3. §.*Hanc autem.* Fundamentum huius sententiæ est, 2

est, Quia nunquam potest adesse vera, & absoluta necessitas. Imo sicuti ob militiam, ob seruitium Principis coniuges abstinent à copula longo tempore, ita deberet etiam abstinere ob reuerentiam loci sacri.

3 Secunda sententia asserit, copulam coniugalem, stante necessitate, esse licitam in Ecclesia, & ideo eam non polluere. Ita, præter citatos *num. præcedent.* cæteri omnes *in præceden. quæst. num.* 3. citati. Et præterea Albert. Magn. *in* 4. *dist.* 32. *art.* 11. *ad* 2. Scot. *quæst. vnic. in fin.* Orbell. *ibid.* §. 3. Palat. *disp.* 1. Monald. *in sum. tract. de matrim.* Tit. *de effect.lib.matrim.* vers. *Est alius effectus.* Turrecrem. *in cap. scissis* 35. *quæst.* 4. *art.* 5. *num* 8. Alcozer *in sum. cap.* 20. Franc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 6. *quæst.* 9. *num.* 59. Amicus *tom.* 9. *de matrim. disp.* 26. *sect.* 4. *n.* 69. Passerin. *disp.* 7. *de pollut. Eccles. cap.* 18. *n.* 4.

4 Dicendum est. *Stante necessitate num.* 1. *exposita, copulam coniugalem esse licitam in Ecclesia, & ideo eam non polluere, si contingat manifestari.* Quia tunc cessat lex Ecclesiastica de pollutione, cum cesset in copula irreuerentia, & malitia sacrilegij. Ratio est, quia tunc cessat irreuerentia erga sanctitatem loci, atque adeo ratio sacrilegij. Nam in tantum est sacrilega, in quantum dedecet sanctitatem loci. Quando autem adhibetur ad vitandum periculum incontinentiæ, non dedecet, imo est secundum sanctitatem loci: nam tunc inducit rationem medij ordinati ad vitandam offensam Dei. Tenentur enim coniuges, non se exponere periculo incontinentiæ: & sanctitas loci, sicut exigit, quod in ipso non offendatur Deus, ita etiam, quod non se exponant periculo offendendi. Ergo si præuident incontinentiam, tenentur illam vitare, & adhibere media: Vnde dum eligunt copulam ad tollendum periculum, operantur iuxta exigentiam suæ obligationis, & sanctitatis loci.

5 Confirm. effusio sanguinis in Ecclesia est contra reuerentiam ipsi debitam, & lædit eius sanctitatem; & tamen si fiat necessaria pro vita propria conseruanda, cessat irreuerentia, & iniuria contra sanctitatem Ecclesiæ, & desinit esse sacrilegium: ergo à fortiori, si copula coniugalis sit necessaria pro defendenda vita spirituali animæ, nempe gratia ab insultibus dæmonis, & tentationum, desinit esse contra reuerentiam debitam Ecclesiæ, & fiet licita.

6 Confirm. 2. In præsenti casu concurrunt duæ obligationes: altera, qua tenentur coniuges vitare periculum incontinentiæ, & offendendi Deum; & altera, qua tenentur seruare reuerentiam debitam Ecclesiæ, & proinde in eo loco abstinere à copula coniugali: ergo in hoc concursu debet cedere ea, cuius obiectum non est malum absolutè, sed solum ratione circunstantiæ, vtpote quia maius malum est vitandum. Copula autem coniugalis in Ecclesia est mala tantùm ratione circumstantiæ loci: incontinentia verò est mala absolutè. Et ratio est. Quia in tali casu abstinentia à copula non ordinaretur in cultum Ecclesiæ, sed esset occasio peccandi, & ideo non censetur Deus exigere in talibus circumstantiis, ob reuerentiam Ecclesiæ, abstinentiam à copula coniugali, quia non censetur exigere occasionem ruinæ. Vnde cum cesset talis exigentia, cessat etiam malitia copulæ in tali loco. At nunquam censetur Deus relaxare obligationem ad continentiam. Sic etiam ob periculum incontinentiæ relaxatur votum castitatis, quod obligat de iure naturali diuino.

7 Ad fundamentum in oppositum resp. sufficere necessitatem copulæ pro vitanda incontinentia, vt constat ex dictis. Ad id, quod additur, quod coniuges ex causa temporali diu separati manent resp. Id prouenire ex ipsorum voluntate; quia quando vnus, vel ob seruitium Principis, vel ob militiam, vel ob mercaturam, vel alia de causa cogitur abesse, posset alter ipsum sequi: vnde non sit ipsis necessaria abstinentia à copula, sed voluntaria. Quod si se exponunt periculo incontinentiæ, ipsis imputandum est: quia aut non deberent separari, aut deberet alter alterum sequi: & ideo non est eadem ratio, quando coguntur in Ecclesia permanere, nec possunt diuertere ad locum non subiectum pollutioni, nam tunc abstinentia à copula non esset ipsis voluntaria, nec ipsi se exponerent periculo, sed exponerentur à prohibitione copulæ.

8 Ex dictis colligitur cum Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 15. *n.* 12. Suarez *disp.* 81. *de Euchar. sect.* 4. *casu* 3. *opin.* 3. *in fine.* Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 28. Quod si alter tantùm coniux cogeretur morari in Ecclesia, posset alter ad Ecclesiam accedere siue ad reddendum, siue ad petendum debitum, stante periculo incontinentiæ. Quia, vt dictum est, cessat in his circumstantiis irreuerentia erga locum sacrum, & copula fit licita. Circa autem iudicandum de periculo incontinentiæ, deberent inuicem stare dicto petentis, supposito, quod sciat, aut moneatur, quod secluso hoc periculo, copula non sit licita in tali loco.

QVÆSTIO 573.

An quando copula adhibetur ad vitandum periculum incontinentiæ, si sit publica, polluatur Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Aliud quod copula sit publica, & aliud, quod publico modo exerceatur.*
2. *Copula publicè exercita an polluat Ecclesiam, stante necessitate,* & n. seq.
4. *Copula coniugalis publicè habita cur polluat Ecclesiam.*

1 ALiud est, quod fiat publica, aliud quod publico modo exerceatur. Potest enim exerceri secreto, & quod postea publicetur ab aliquo, qui conscius sit, aut furtim videat, aut à coniugum confessione. Publico autem modo exerceretur, si coram pluribus haberetur. Et quidem si secretè exerceretur, & postea publicaretur, non pollueretur Ecclesia, quia hoc est, id quod in præced. dictùm est, quod non polluat, quando ob vitandam incontinentiam fit licita, & non adest locus, ad quem diuertant coniuges in hunc effectum. Vnde difficultas est, si publicè exerceatur.

2 Prima sententia asserit, non pollui Ecclesiam, si publicè exerceatur copula. Ita Palat. *in* 4. *dist.* 32. *disp.* 1. vers. *At verò contra.* Ledesma *part.* 1. *sum. tract. de Euchar. cap.* 20. vbi *de modo, quo polluitur Ecclesia, difficult.* 1. vers. *Digo lo segundo.* Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 5. *num.* 12. Suarez *disp.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *casu* 3. *opin.* 3. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 29. Mazuchel. *de casib. reser. disp.* 2. *cap.* 6. *num.* 27. Passerin. *disp.* 7. *de pollut. Eccles. cap.* 18. *n.* 9. Fundamentum est. Quia, cum sit licita in tali casu, cessat irreuerentia, atque adeo etiam causa, cur sit pollutiua.

3 Secunda sententia asserit, pollui Ecclesiam. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 32. *quæst. vn. art.* 3. *concl.* 3. vers. *Hanc autem.* Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.* 16. *n.* 19. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 243. *conclus.* 19. & *cap.* 154. *num.* 11. Rebel. *de obligat. iust. part.* 2. *lib.* 3. *de matrim. qu.* 29. *sect.* 1. *propos.* 3. *n.* 9. & alij ex citatis *in præcedent.* pro secunda sententia.

Dicendum

Digitized by Google

4 Dicendum est. *Pollui Ecclesiam, si in casu necessitatis ob vitandam incontinentiam, publicè habeatur copula.* Ratio est, Quia non potest adesse præcisa necessitas habendi copulam publicè, cum possit haberi aut noctu, aut quando ianuæ Ecclesiæ sunt clausæ. Deinde copula publicè habita, quamuis de se sit licita, est contra honestatem naturalem, & causans abominationem, tanquam quid turpe ex circunstantia: ergo publicè habita induitur speciali malitia, ratione talis circumstantiæ, quæ est malitia grauis, cum in re graui sit quid turpe: ergo tanquam illicita ratione talis circunstantiæ, erit etiam contra reuerentiam debitam Ecclesiæ: quia licet exuat irreuerentiam, quando fit necessaria pro vitanda incontinentia, nam tunc remanet secundum suum esse naturale, non exuit tamen, quando adhuc aliunde remanet illicita: nam quandiù illicita, est semper dedecens sanctitatem loci, & proinde illi iniuriosa, atque adeo ipsam polluens.

QVÆSTIO 574.

An requiratur longum tempus, vt copula censeatur necessaria pro vitanda incontinentia, vt non polluat Ecclesiam.

SVMMARIVM.

1. *Si longo tempore abstinendum esset copula coniugalis fieret licita in Ecclesia.*
2. *Quodnam sit longum tempus, in quo esset abstinendum.*
3. *Non requiri longum tempus, in quo esset abstinendum à copula coniugali, vt fiat licita in Ecclesia.*
4. *Copula coniugalis vt fiat licita in Ecclesia, non requiritur per se quod aliquo tempore aliàs esset abstinendum.*
   Copula coniugalis fit licita in Ecclesia quoties vrget periculum incontinentiæ.
5. *Abstinentia longi temporis non reddit licitam copulam coniugalem, secluso periculo incontinentiæ.*
6. *Quod copula coniugalis sit licita, regulandum est ex conscientia.*
7. *Existentia periculi incontinentiæ reddit licitam copulam coniugalem in Ecclesia, & non existentia illicitam.*
8. *Diuturnitas abstinentiæ à copula coniugali facit illam præsumi licitam in Ecclesia.*

1 PRima sententia asserit, longum tempus sufficere, vt censeatur copula necessaria ad vitandum periculum incontinentiæ. Ita Sanchez *lib.9. de matrim. disput.15. num.12.* Suarez *disp.81. de Euchar. sect.4. casu 3.* Facundez *præcept.2. Eccles. lib.4.cap.4. num.27.* Lessius *lib.4. de iust. & iur. cap.3.numer.85.* Ledesma *tom.1. sum. tract. de Eucharist. cap.20.* vbi, *de modo quo polluit. Eccles. difficul.1.* vers. *Digo lo segundo.* Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.6.tit.12.n.116.* Castilent. *in moral. Theolog. verbo* Consecratio Eccles. *difficul.7.* vers. *Quare copula.* Passerin. *disp.7. de pollut. Eccles.cap.18.num.6.* Fundamentum est. Quia stante longa mora, præsumitur adesse periculum morale, quod attenta communi fragilitate contingere solet verisimiliter, & communiter.

2 Quæ autem pro hoc sit longa mora, non conueniunt inter se Doctores citati. Nam alij volunt, longam moram esse tres, aut quatuor, aut quinque dies. Ita Ledesma, Suarez, Facundez, *præcept. 1. Eccles. lib.3. cap.14. num.27.* qui etiam admittit pro longo tempore spatium duorum dierum. Alij vero requirunt spatium saltem quindecim, aut viginti dierum. Ita Lessius *lib.4. de iust. & iur. cap.3. dub.12. n.86.* Alij requirunt pro longa mora vnum mensem. Ita Sanchez.

Secunda sententia asserit, non requiri longum tempus, quamuis sufficiat. Ita Bonac. *quæst.4. de matrim. punct. vlt. num.19.* Sà *verbo* Debitum coniugale, *num.12.* Fiane. Lugo *lib.5. de sacram. cap.6. quæst.9. num.62.* Mazuchel. *de casib. reser. disp.2. cap.6. n.32.* Passerin. *disp.7. de pollut. Eccles. cap. 18. num.5.* Qui tamen, vt visum est *num.1.* tenent etiam, quod longa mora afferat morale periculum. 3

Dicendum 1. *Non requiri per se aliquam moram, vt ratione periculi incontinentiæ fiat licita in Ecclesia copula coniugalis.* Prob. Periculum incontinentiæ non dependet per se ab aliqua mora temporis: ergo non requiritur, vt copula, ratione talis periculi fiat licita, & non polluat Ecclesiam. Anteced. constat, quia stimuli carnis non afferuntur à tempore, sed ab initio motæ in Ecclesia possunt ita graues insurgere, vt afferant probabilissimum periculum incontinentiæ. Conseq. etiam constat: nam si ob vitandum periculum sit licita copula in Ecclesia, fiet quotiescumque adest tale periculum, & proinde non erit necessaria aliqua longa mora, vt euadat licita, & non polluat Ecclesiam. 4

Dicendum 2. *Neque moram temporis, quamuis longam, sufficere, vt copula coniugalis fiat licita, nisi vrgeant carnis stimuli.* Itaque nullo est habenda ratio temporis pro putanda licita vel illicita copula coniugali in Ecclesia, neque attendendum periculum aliquod generale, & commune incontinentiæ, quod sit in morali æstimatione, sed tantum verum, & singulare vniuscuiusque. Neque fit, quod res remaneat plena scrupulis, quia & experientia, & sensus ipse docet vnumquemque, quid possit, vel non possit in hac materia. 5

Ratio autem est: Quia agitur de actione personali, quæ non recipit ab extrinsecis, nempe tempore, communi opinione suam moralitatem, sed à propria vniuscuiusque conscientia: ergo, cum non sit licita, nisi ob vitandum periculum incontinentiæ, si non adsit verè tale periculum in tali persona, non erit illi licita: & si in se non apprehendit periculum, neque etiam apprehendere potest talem actionem tanquam sibi necessariam ad euitandum periculum, atque adeo nec sibi licitam. Hinc experientia constat, quod aliqui coniuges per plures, & plures menses, absque vllo periculo incontinentiæ, abstinent à copula coniugali. Quis autem dicet, hos nisi fortè superueniant stimuli carnis, posse post mensem, aut etiam minus tempus, vti in Ecclesia copula ad vitandum periculum incontinentiæ. 6

Confirm. ex illo certissimo principio, Quando affirmatio est causa affirmationis, negatio quoque est causa negationis: ergo, si existentia veri periculi est causa vt copula sit licita in Ecclesia pro vitanda incontinentia; non existentia veri periculi incontinentiæ erit causa, vt non sit licita. Quia autem huiusmodi periculum est periculum peccandi, ideo est periculum vnicuique proprium, & personale: & ideo facit, quod copula sit licita in proprietate personali, hoc est huic personæ, cuius est periculum. Ergo, si non adsit periculum proprium personæ, non erit eidem personæ licita copula coniugalis. Ex quibus patet, quod non est habenda ratio periculi præsumpti, vt assumebat opposita sententia. 7

Ex dictis sequitur, Quod quamuis diuturnitas temporis non conferat ad reddendam licitam copulam coniugalem in Ecclesia, est tamen sufficiens pro 8

foro

foro externo, ad fundandam præsumptionem periculi, atque adeò ad iudicandum, copulam fuisse licitam. Vnde, si publicetur, quod aliqui in Ecclesia copulam habuerint, & sequuta sit post longam moram in Ecclesia, præsumi poterit, nisi de opposito constet, quod fuerit adhibita ex necessitate vitandi periculi incontinentiæ; & proinde, quod Ecclesia non sit polluta. Quantum autem tempus requiratur pro longa mora, remittendum est prudenti arbitrio, & attendendæ circumstantiæ coniugum, præsertim ætatis: nam in iuuenibus frequentiùs est periculum incontinentiæ, & regulariter non possunt se diutiùs continere.

QVÆSTIO 575.

An, si longa futura sit mora, ab initio sit licita copula coniugalis in Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Quando mora in Ecclesia est futura longa, ab initio esse licitam copulam coniugalem, qui sentiant.*
2. *Copula coniugalis in Ecclesia est solum licita, quando de præsenti adest verum periculum incontinentiæ.*
3. *Si incertum sit, an mora sit futura longa, non est licita copula, & iuxta opinionem, quod sit licita ab initio, quando mora est futura longa.*

1 SAnchez *lib.9. de matrimon. disput.15. num.13. circa fin.* Alcozer. *in sum. cap.20. §. Los tocamientos.* Mazuchell. *de casib. reseruat. disput.2. cap.6. num.32.* Passerin. *de pollut. Eccles. disput. 7. cap. 18. num. 8.* putant, quando mora in Ecclesia est futura longa, licitam esse ab initio copulam coniugalem, quia iam adest vrgens causa, nec cogendi sunt expectare, donec aliquod tempus elabatur; cum non sit maior ratio de vno, quam de altero; aliàs post primam copulam, tenerentur expectare, quod elaberetur aliquod tempus, antequam de nouo commiscerentur. Quod esset obiicere coniugibus nimios scrupulos, & offendicula; non autem illorum fragilitati consulere.

2 Verum hæc doctrina probari non potest. Nam cum copula non sit licita in Ecclesia, nisi ratione vitandi periculum incontinentiæ; itavt debeat assumi tanquam medium ad hoc periculum vitandum: id non habet locum, nisi adsit de præsenti verum, reale, & personale periculum, itavt à coniugibus cognoscatur: nec sufficit præsumptum; aliàs in rei veritate vterentur copula absque periculo, & proinde non tanquam medio ad illud vitandum: & consequenter non haberet, vnde tunc euaderet licita: ergo si ab initio non adest huiusmodi periculum, etiamsi mora sit futura diuturna, non erit licita.

3 Ex dictis colligitur à fortiori, quod si ab initio incertum sit, an mora sit futura longa, non licebit vti copula. Quod locum habet, etiamsi aliàs esset licita ab initio, quando mora est futura diuturna; vt aduertit etiam Passerin. *num. 1. citat.* Ratio est; quia in dubio præualet possessio. Ecclesia autem est in possessione, quod non possit in ipsa haberi copula maritalis, & ab hac possessione non potest deturbari, nisi per aliquid certum, quod reddat copulam licitam.

QVÆSTIO 576.

An solum in casu periculi sit licita copula coniugalis in Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Si mora futura sit diuturna copula coniugalis est licita in Ecclesia toties, quoties esset licita extra ipsam secundum aliquos.*
2. *Lex attendit quæ frequenter accidunt.*
3. *Copula coniugalis solum licita in Ecclesia ex periculo incontinentiæ, licet mora sit diuturna.*
4. *Copula coniugalis non est licita in Ecclesia, nisi accedat causa, quæ tollat turpitudinem.*
5. *Lex quando recipiat, quæ plerunque accidunt. Copula coniugalis in Ecclesia vnde fiat licita.*
6. *Periculum incontinentiæ morali modo pensandum.*

PRima sententia asserit, quod quando mora in Ecclesia est futura diuturna, licita est copula 1
coniugalis toties, quoties esset licita extra Ecclesiam. Ita Maior *in 4. distinct.32. quæst.1. argument.2. contra 3. conclus.* Palat. *disputatione 1. ver. At verò contra.* Bartholom. Ledesma *de sacrament. dub. 12. de pœnitent.* vbi *de interrogat. circa 6. præcept. §. Similiter interrogetur.* Sanchez *libro 9. de matrimon. disputatione 15. numero 13.* qui ait, huius sententiæ videri etiam, qui dicunt, copulam esse licitam, quando mora in Ecclesia est futura diuturna. Ex quo tamen non infertur necessariò hæc sententia; nam possunt intelligere licitam, quod in longa mora superuenit vtplurimum periculum incontinentiæ. Præterea, hanc etiam sententiam tenent Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.12. num. 116.* Facundez *præcept.2. Eccles. lib.4. cap.4. num.21.* Castilent. *in Theol. moral. verbo* Consecratio Eccles. *difficult.8. ver. Quare copula.* Passerin. *disp.7. de pollut. Eccles. cap.18. num.7.*

Fundamentum huius sententiæ est. Quia lex at- 2
tendit ad ea, quæ frequenter accidunt, *l. Nam ad ea, ff. de legib.* Vnde cum frequenter accidat periculum incontinentiæ in longa mora intra Ecclesiam, ratione huius frequentis periculi copula censebitur absolutè concessa. Secundò, quia alioquin coniuges vrgerentur grauissimis singulis, & essent expositi periculo peccandi mortaliter, si semper esset discutiendum, an adesset periculum incontinentiæ.

Secunda sententia asserit, non esse licitam, sicuti 3
esset licita extra Ecclesiam, sed solum quando adest periculum incontinentiæ. Ita Syluest. *verbo* Debitum, *num.5.* Paland. *in 4. dist.32. quæst. vnic. post 2. propos.* Castro *lib. 1. de lege pœn. cap.7. docum. 2.* Margarita Confess. *præcept. 6.* Henriquez *lib.9. sum. cap.27. num. 15. & lib. 11. cap. 16. num. 4.* Lopez 2. *part. instruct. cap.79. ver. Præterea.* Ledesma 2. *part.4. quæst.66. art.1. in fine.*

Dicendum est. *Stante diuturna mora in Ecclesia,* 4
copulam maritalem non esse licitam toties quoties esset licita extra Ecclesiam, sed solum quando adest periculum incontinentiæ. Ratio est. Quia de se est illicita, vtpotè contra reuerentiam debitam Ecclesiæ, vt dictū est in superioribus: & hoc non per aliquam legem extrinsecam prohibentem, sed ex natura rei: ergo non potest fieri licita, nisi superueniat aliqua causa, quæ excludat ab ipsa talem irreuerentiam. Hæc autē causa non potest esse aliqua lex extrinseca, quia lex non tollit à rebus, quæ ex natura sua illis conueniunt: & proinde

proinde quod est malum ex se, & non quia prohibitũ, non fit licitum ex eo, quod lex concedat. Sic si lex aliqua concederet fornicationem, non per hoc fieret licita: ergo cum copula in Ecclesia fiat licita solum ea causa vitandi periculum incontinentiæ, nisi superueniat hæc causa, non fiet licita. Hæc autem causa non superuenit semper in diuturna mora, quasi sit continua, sed solum quando de præsenti vrget periculum incontinentiæ.

5 Ad 1. Resp. non probare intentum. Primò quia valet, quod lex respiciat quæ plerumque accidunt, quando versatur circa materiam indifferentem, de qua statuit, habita ratione illios, quod plerumque accidit. Modo autem non sumus in materia indifferenti, sed in materia turpi ex natura sua. Secundò, quia copula maritalis non fit licita in Ecclesia ad vitandum periculum incontinentiæ per aliquam legem positiuam, quæ dispenset, vt proinde respiciat, quod plerumque accidit. Sed cum lege naturali ob indecentiam suam fit prohibita, subintrat Epicheia, quod non sit prohibita, quando fit medium necessarium ad vitandam incontinentiam Epicheia autem non potest plus extendi, quàm extendatur ratio, in qua fundatur.

6 Ad secundum neg. seq. Quia periculum non est ponderandum rigorosè, & strictè, sed morali modo, & secundum prudens iudicium. Et ideo pro periculo incontinentiæ accipiendi erunt stimuli graues carnis, & vrgentes vltra consuetum, quia tunc adest fundamentum formandi probabile iudicium periculi incontinentiæ, nisi sequatur copula. Quo stante, non erit licita copula, quando etiam ob obtinendam prolem, procurarentur stimuli carnis, nec quando tales sunt, vt facilè compesci possint. Qua regula stante, cessant scrupuli, & offendicula, præsertim si quisque iudicet secundum propriam conscientiam. Et est eadem ratio ac de vitandis cæteris periculis, & proximis occasionibus peccandi.

QVÆSTIO 577.

An petenti debitum in Ecclesia liceat alteri coniugi reddere, aut possit.

SVMMARIVM.

1. *Stante periculo incontinentiæ coniux tenetur in Ecclesia reddere alteri debitum.*
2. *Si non adsit periculum incontinentiæ adhuc teneri reddere debitum, qui sentiant.*
3. *Qui sentiant non teneri.*
4. *Committere etiam sacrilegium alij sentiunt.*
5. *Coniux petens debitum in Ecclesia petit illicitum, & ideo alter non tenetur reddere. Matrimonium quam potestatem det suprà corpora.*
6. *Coniunx cur alteri petenti debitum teneatur reddere non obstante voto castitatis.*

1 QVando copula est necessaria ad vitandum periculum incontinentiæ, non habet locum quæstio. Quia tunc certum est, quod potest alter petenti, & tenetur reddere debitum, quia tunc est licita copula, & ideo difficultas est, quando est illicita: quia non honestatur necessitate ad vitandum periculum incontinentiæ: & hæc quoque quæstio facit ad præsens institutum; nam ex hoc pendet, an vterque concurrat ad pollutionem Ecclesiæ.

2 Prima sententia asserit, teneri reddere debitum petenti, nisi ipsum possit suadere, quod desistat à petendo. Ita Hostien. *in sum. tit. de matrim.* §. *Quis sit effectus*, *num.* 11. & *in cap.* 1. *num.* 6. *de conting. leprос.* Ioan. Andr. *num.* 3. Aneharan. *in fine.* Butrins *num.* 13. Archidiac. *in cap. vnic. num.* 2. *de consecrat. Eccles. in* 6. Aboleo. *quæst.* 237. *in capit.* 5. *Matth.* Goffr. *in summ.* tit. *de matrimon. contr. contra interd. Eccles. numero* 4. Gerson. *part.* 2. *de regul. moral. tractat. de matrimon. alphab.* 25. *littera I*, *in fine.* Fundamentum est, Quia petenti sacrilegè contra votum castitatis tenetur alter reddere debitum: ergo, licet petat sacrilegè in Ecclesia, tenebitur reddere.

Secunda sententia asserit, non teneri reddere. Ita Glos. *in cap. Quoniam, verbo* Opportuno, *distinct.* 31. & *in cap. penult. in fine.* 33. *Quæst.* 4. & *in cap. Ecclesiis, verbo* Semine, *dist.* 68. Domioic. *in d. cap. Quoniam, in fine, de coniug. leprosor.* Alens. *part.* 2. *quæst.* 166. *numero* 3. *ad* 5. Palud. *in* 4. *dist.* 31. *quæst.* 3. *art.* 2. *numero* 14. Mayron. *dist.* 32. *quæst. vnic.* D. Antonin. 3. *part. tit.* 20. §. 2. Nauarr. *in summ. cap.* 16. *num.* 25. Viguer. *cap.* 16. *Instit. Theol.* §. 7. *vers.* 50. Turrecrem. *in cap. Sciatis* 33. *quæst.* 4. *artic.* 5. *numero* 8. Stephan. à Gaeta *in repet. cap. Ad limina* 30. *quæst.* 5. §. 4. *numero* 179. 3

Tertia sententia asserit, non solum non teneri reddere debitum, sed reddendo committere graue sacrilegium. Ita Richar. *in* 4. *dist.* 32. *art.* 3. *quæst.* 1. Supplemen. Gabr. *quæst. vnic. art.* 2. *conclus.* 11. Rosel. *verbo* Debitum, *num.* 7. Armilla *num.* 6. Asten. *part.* 2. *summ. lib.* 8. *titul.* 10. *articul.* 4. *quæst.* 2. Adrian. *in* 4. *quæst.* 24. *de matrimon.* §. *Pro huius succincta.* Sanchez *libro nono, de matrimonio, disputat.* 15. *numero octauo*, Domioic. *in cap. vnic. numero decimo, de consecr. Ecclesiast. in* 6. Tiraquell. *leg. decimaquinta, connub. numero* 106. 4

Dicendum est. *Coniugi petenti debitum in Ecclesia, secluso periculo incontinentiæ, non licere alteri coniugi reddere, sed committere graue sacrilegium, si reddat.* Ratio est, Quia petens petit actum illicitum secundum se, ratione circumstantiæ loci, & qui non potest exerceri ab altero coniuge sine sacrilegio: ergo alter coniux non solum non tenetur reddere, sed committit sacrilegium, si reddat, quia facit actum sibi prohibitum contra reuerentiam Ecclesiæ. Confirm. In tantum posset, aut teneretur reddere, in quantum alter coniux haberet potestatem sui corporis, & ius ad petendum. Sed non habet; quia matrimonium non dat potestatem suprà corpora, nisi intra terminos licitos, non autem extendit ad illicita, nec dat ius petendi debitum, nisi quando licitè copula exerceri potest. In præsenti autem casu copula non potest licitè exerceri ratione circumstantiæ loci. 5

Ad fundamentum primæ sententiæ resp. esse diuersam rationem. Quia votum castitatis afficit tantùm vouentem, ponendo impedimentum, ne possit petere debitum: non autem tollit ius ad petendum; quia non dissoluit matrimonium. Hoc autem ius nascitur ex matrimonio. Vnde alter coniux reddendo non facit aliquid sibi prohibitum, quia non afficitur aliquo pacto voto alterius: imo facit, quod ratione vinculi matrimonij tenetur facere. Contrarium verò accidit quando petitur debitum in Ecclesia, quia prohibitio copulæ in Ecclesia afficit vtrumque, & actus ex natura sua est illicitus: & ideo nec peti potest, nec reddi sine peccato. 6

DE

Digitized by Google



DE QVARTA CAVSA pollutiua Ecclesiæ, nempe sepultura excommunicatorum, & Infidelium.



QVARTA causa pollutiua Ecclesiæ desumitur ex parte sepulturæ, quando scilicet Ecclesiæ irrogatur iniuria sepeliendo in ipsa eos, qui sunt separati à gremio ipsius. Nam tunc læditur reuerentia ipsi debita, & eiusdem sanctitas, quia veluti prophanatur, dum deputatur ad vsum eorum, quos à se reiicit, & trahuntur ad gremium ipsius, quos non agnoscit vt suos. Reducitur autem hæc sepultura ad duo genera personarum, nempe excommunicatorum, & Infidelium, seu Paganorum.

QVÆSTIO 578.

An, & per quam excommunicatorum sepulturam polluatur Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia polluitur per excommunicatorum sepulturam.*
2. *Vt polluatur Ecclesia debet sepultura excommunicatorum esse completa.*
3. *Si excommunicatus deferatur ad Ecclesiam, & celebrentur exequia non polluitur.*
4. *Ecclesia polluitur, licet excommunicati sepultura aut infidelis non sit perpetua.*
   In materia stricta ius extenditur quantum se extendit propria significatio verborum.
5. *Ecclesia polluitur per sepulturam excommunicati etiam per modum depositi.*
   Identitas rationis facit, quod lex odiosa comprehendat casum.
6. *Ecclesia non polluitur si excommunicatus sit absolutus in articulo mortis.*
7. *Neque si post mortem sit legitimè absolutus.*
8. *Polluitur, licet excommunicatus ante mortem dederit signa pœnitentia.*
   Participatio communionis Ecclesia non potest obtineri ab excommunicato sine absolutione.
9. *Datur appellatio à declaratoria excommunicationis, &c.*
10. *Si dubia sit validitas excommunicationis, sepultura excommunicati non polluet Ecclesiam.*
    In dubio quando standum pro excommunicatione.
    Quod est nullum non potest habere effectum.
11. *Sepultura inuitè excommunicati polluit Ecclesiam.*
12. *Sepultura interdicti ab ingressu Ecclesia non polluit.*
13. *Cineres aut ossa excommunicati polluunt Ecclesiam, si ibi sepeliantur.*
14. *Qua Ecclesia polluatur, si partes cadaueris excommunicati in diuersis sepeliantur.*
15. *Quid si caput sepeliatur in vna Ecclesia, & corpus in alia vnius sepultura non efficiuntur plura sepulchra.*
    Caput est imago vnde cognoscitur homo.

1 DIcendum 1. *Ecclesiam pollui per excommunicatorum sepulturam.* Ita statuitur ab Innoc. III. in cap. *Consuluisti, de consecrat. Eccles.* ibi, *Cœmeteria, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconciliandæ erunt aspersione aquæ solemniter benedictæ, sicut in Dedicationibus Ecclesiarum fieri consueuit.* Est autem eadem ratio, imo maior de Ecclesia; quia Cœmeterium, tanquam accessorium, sequitur Ecclesiam, vt suum principale, vt dicitur in cap. *vnic. de consecr. Eccl. in* 6. Et ita notant communiter omnes Doctores. Ideo autem hæc sepultura est instituta tanquam pollutiua Ecclesiæ, quia infert ipsi grauissimam iniuriam. Nam cum Ecclesia reiecerit excommunicatum à suo gremio, tanquam contumacem; dum eius cadauer ponitur in sinu ipsius, contemnitur sententia Ecclesiæ de excommunicatione, & veluti cogitur recipere eum, quem à se reiecit. Quod redundat in maximum contemptum ipsius: & proinde magnopere læditur eius sanctitas, & reuerentia ipsi debita.

2 Dicendum 2. *Ecclesiam non pollui, nisi per sepulturam completam excommunicati.* Constat enim sepultura ex duobus actibus, seu partibus, quatenus dicit actum sepeliendi. Primus est, immissio cadaueris in locum destinatum pro sepultura, qualiscumque ille sit. Secundus est, reconditio eiusdem cadaueris in eodem loco: vel quia terra superponatur, vel quia imponatur lapis, quicunque sit, vel quocunque alio modo ibi recondatur cadauer. Ratio est, Quia pollutio Ecclesiæ est materia odiosa, & ideo strictè accipienda: ergo cum ius ponat sepulturam, vt causam pollutiuam Ecclesiæ, debet strictè accipi, atque adeo prout dicit actum completum sepulturæ.

3 Ex quibus sequitur, quod si excommunicatus deferatur ad Ecclesiam, celebrentur ibi exequiæ, non tamen polluetur Ecclesia, quia hæ sunt præparationes tantum, & præambula ad sepulturam, non autem sepultura. Imo, etiamsi cadauer immitteretur sepulturæ, & ibi non reconderetur; neque adhuc pollueretur Ecclesia: quia esset tantum inchoata sepultura, non completa. Et proinde etiam, ita permanente cadauere, non impedirentur officia diuina. Deberet tamen extrahi, aut absolui, quia adhuc importaret indecentiam.

4 Dicendum 3. *Ecclesiam pollui per sepulturam excommunicati, seu infidelis, quamuis non sit perpetua, sed solum per modum depositi.* Est contra Passerin. *de sepult.* 8. *de pollut. Eccles. cap.* 3. *num.* 4. Ratio est, Quia quamuis sepultura non sit futura perpetua, est tamen vera sepultura; nam completur ex sua duplici parte, nempe repositione cadaueris in locum destinatum pro sepultura, & reconditione eiusdem, & solum differt à perpetua sepultura in aliquo extrinseco, nempe in tempore durationis, quia non futura perpetua: ergo secundum se, est vera sepultura: & ideo quamuis simus in materia stricta, non potest excludi, quin includatur sub dispositione iuris, quia etiam in materia stricta ius extenditur, quantum se extendit propria, & rigorosa significatio verborum naturalis. Vnde in *l. Non aliter, ff. de leg.* 3. dicitur, *Non aliter à significatione verborum eius recedi, quàm cum manifestum est aliud ipsum sensisse.* Vnde leges odiosas esse extendendas quantum admittit propria, & naturalis significatio verborum, de communi Glos. *in l. Non possunt, in fin. ff. de legib.* Angel. *in l. fin. vers. Tertiò, quaritur, ff. de constit. Princip.*

Aret. *in l. Cum lege, ff. de testam.* Dec. *in cap. 1. num. 87. de constit. in 1. lect.* Panormit, *num.* 14. & cæteri Canonistæ *ibid.* Barbos. *in l. Quia tale, num. 37. ff. soluto matrim.* Natta *cons. 63. num. 16.* Paris. *cons. 22. num. 6. vol. 4.* Surd. *cons. 140. num. 63. vol. 1.* Suarez *lib. 6. de legib. cap. 2. n. 3.*

5 Confirm. Etiamsi sepultura sit per modum depositi, habet locum ratio, ob quam sepultura excommunicati est constituta pollutiua Ecclesiæ: nam adhuc separatus à communione Ecclesiæ, ponitur per sepulturam in eius gremio, & constituitur inter participantes suffragia Ecclesiæ: quod redundat in magnum contemptum ipsius: ergo cum habeat locum causa finalis, habebit locum etiam dispositio: siquidem identitas rationis facit quod etiam lex odiosa comprehendat casum, vt tradunt Imola *in cap. 1. de tempor. ordin. in 6.* Geminian. *ibid.* Panorm. *in cap. fin. num. 10. de rescript.* Roland. *cons. 17. num. 48. lib. 1.* Gomez *lib. 1. Variar. cap. 5. num. 12.* Ozasc. *decis. Pedemont. 67. num. 8.* vers. *Quod in pœn.* Villag. *in rubr. de extens. leg. pœn. tan. num. 1.* Couarru. *in cap. Alma mater, part. 2. §. 4. num. 7.* Euorar. *loco à rat. leg. ampl. ad extens. ipsius,* vers. *debet ergo.* Gutierrez *lib. 1. Quæst. Canon. cap. 30. numer. 23.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 42. num. 4.* Suarez *lib. 6. de legib. cap. 4. n. 2.* Præsertim si concurrat etiam propria verborum significatio, vt in præsenti.

6 Dicendum 4. *Ecclesiam non pollui per sepulturam excommunicati, sed absoluti à quocumque Sacerdote in articulo mortis.* Ita etiam Passerin. *de pollut. Eccles. disp. 8. cap. 16. num. 4.* Ratio est. Quia Concil. Trident. *sess. 14. cap. 7.* declarat, in Ecclesia nunquam fuisse aliquid reseruatum in articulo mortis, sed quemcunque Sacerdotem absoluere posse: ergo absolutio in articulo mortis ab excommunicatione, est vera absolutio, licet sit reseruata, & proinde tollit impedimentum obstans Ecclesiasticæ sepulturæ.

7 Dicendum 5. *Per sepulturam excommunicati, post mortem legitimè absoluti, non polluitur Ecclesia.* Vt autem legitimè absoluatur, necesse est, quod absoluatur ab eo, qui aliàs de iure potest absoluere: nam cum non simus amplius in articulo mortis, cessat facultas absoluendi quoad eos, qui eam habent pro mortis articulo. Absoluuntur autem excommunicati post mortem, secundum formam cap. *A nobis, de sentent. excommun.* Ratio autem est, quia præmissa absolutione, non sepelitur amplius excommunicatus.

8 Dicendum 6. *Pollui Ecclesiam per sepulturam excommunicati, non obstante quod ante mortem signa pœnitentiæ exhibuerit, & petierit absolutionem, sed non obtinuerit.* Ita Passerin. *disp. 8. de pollut. Eccles. c. 58. num. 4.* Ratio est, Quia signa pœnitentiæ, & petitio absolutionis non restituunt communioni Ecclesiæ, atque adeò non tollunt excommunicationem: ergo adhuc moritur excommunicatus, & cum impedimento, ne possit in Ecclesia sepeliri. Sepultura enim est participatio communionis Ecclesiæ, quæ non potest obtineri, nisi per absolutionem; iuxta cap. *A nobis 2. de sentent. excomm.* Nec obstat, quod aliquando Sacr. Congreg. Episc. & Regul. iusserit, excommunicatos, qui præmiserunt signa pœnitentiæ, sepeliri in Ecclesia, vt in Nolana 19. *Iulij* 1629. nam iussit sepeliri seruatis seruandis, hoc est præmissa absolutione, quæ potest præmitti, cum ipsi præmiserint signa pœnitentiæ: Vnde eo ipso, quod iussit sepeliri in Ecclesia, concessit facultatem absoluendi, tanquam necessariam pro exequutione sepulturæ, iuxta *l. 2. ff. de iurisd. omn. iud.* vbi communiter Doctores.

9 Ex dictis colligitur, Quod cum detur appellatio à declaratoria excommunicationis, quando non sumus in notoriis, etiam quoad effectum suspensiuum, vt tradunt communiter cum Glos. *in cap. Cupientes, §. Quod si per viginti, verbo* Priuatos, *de elect. in 6.* quorum plures refert Barbos. *in cap. Peruenit, de appellat.* Non pollui Ecclesiam, si is, qui appellauit, in ipsa sepeliatur. Cum enim appellatio habeat effectum suspensiuum, suspendit etiam impedimentum Ecclesiasticæ sepulturæ, & ideo sepeliri potest, tanquam si non esset excommunicatus.

Secundò colligitur, Quid dicendum sit, si dubitetur de validitate excommunicationis. Si enim dubium sit, an excommunicatio sit sortita suum effectum; vel quia defuerit iurisdictio in excommunicatore; vel quia dubium sit, an locum habeat casus excommunicationis; vel ex aliquo alio capite, tunc pronunciandum est pro excommunicato, quod non sit verè excommunicatus: & proinde sepeliri possit in Ecclesia, nec locum habeat pollutio. Quia cum habeat ius ad Ecclesiasticam sepulturam, non est deturbandus ab hoc iure certo ob incertam excommunicationem. Si verò excommunicatio sit sortita suum effectum, sed dubium sit, an ad fuerit sufficiens causa; aut an sit seruatus ordo essentialis, an præcesserit appellatio, standum esse pro excommunicatione, tradunt Sanchez *lib. 1. sum. cap. 10. n. 56.* Palaus *disp. 1. de censur. punct. 8. num. 8.* & alij, quos citat, & sequitur Passerin. *disp. 8. de pollut. Eccles. cap. 13. num. 3. & 4.* quia tunc excommunicatio est in possessione. Verum, quoties dubium cadit supra validitatem excommunicationis, ex quocunque capite proueniat, videtur pronunciandum contra excommunicationem. Primò, quia, in tantum est in possessione, in quantum est valida, & ligat. Si igitur dubia est validitas, dubia est etiam possessio: & è contra, certa est possessio iuris excommunicati, & ideo præferenda. Secundò, Quia quod est nullum, non potest habere aliquem effectum, *l. Non putauit §. non quauis, ff. de bonor. possess. cont. tab.* & *l. non dubium, C. de legib.* & cap. *Illud, de Iurepatr.* Ergo quando dubium est, an sit nullum, est etiam dubium, an sortitum sit aliquem effectum: ergo quando dubitatur de validitate excommunicationis, dubitatur etiam, an priuauerit communione Ecclesiæ. Ergo, cum quilibet fidelis ius habeat ad communionem Ecclesiæ, non debet priuari hoc iure certo, ratione dubiæ priuationis; qualis est, quando dubitatur de validitate excommunicationis. 10

Tertiò colligitur, iniustè excommunicatum, si sepeliatur in Ecclesia, illam polluere. Quia si excommunicatio sit tantum iniusta, sed tamen valida, parit suos effectus, atque adeò priuat Ecclesiastica sepultura. Si verò est ita iniusta, vt etiam sit inualida defectu causæ, quia scilicet falsa sit causa, ob quam lata est, licet in foro externo appareat vera. Tunc, quia lex fundata in falsa præsumptione non obligat in conscientia, nec obligat talis excommunicatio in conscientia. Quia tamen in foro externo præsumitur vera, ideo etiam excommunicatio præsumitur valida, & ideo si excommunicatus sepeliatur in Ecclesia, in foro externo præsumetur polluta. 11

Quartò colligitur, Ecclesiam non pollui per sepulturam illius, qui personaliter est interdictus ab ingressu Ecclesiæ, vt obseruant Palud. *in 4. distinctione 18. quæst. octaua, artic. 4. conclus. 6.* Suarez *tom. 1. de Religion. tractat. 2. libro tertio, cap. 2. numero 12.* Vgolin. *de potest. Episcop. cap. 29. §. 3. in fine,* Sayr. *libro quinto, de censur. cap. 16. numero 22. in fine,* Layman. *libro 1. Theolog. moral. tractat. 5. cap. 5. n. 8.* Lugo Cardin. *disputati. 20. de Eucharist. sect. 2. numero 56.* Delbene *de immunit. parte 1. cap. 2. dub. 2. sect. quinta, numero 4.* Pax Iordan. *tom. 3. Lucubrat. lib. 5.* 12

lib. 5. tit. 12. num.131. Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 6. quæst. 10. num. 66. in fin.* Quartus *in Rubr. Missal. part. 3. tit. 10. num. 2. dub. 5.* ver. *Nota secundo.* Passerin. *disput. 8. de pollut. Eccles. cap. 10. num. 4.* Nam licet sic interdictus non possit sepeliri in Ecclesia, iuxta Cap. *Is cui, de sentent. excommun. in 6.* si tamen sepeliatur, non polluere; quia iura decernentia, sepulturam esse pollutiuam Ecclesiæ, loquuntur solum de excommunicato, non de interdicto: & ideò, cum interdictum sit alia censuræ species ab excommunicatione, interdictus non comprehenditur vllo modo sub significatione verborum disponentium de sepultura excommunicati: & ideò nec etiam dispositio ad ipsum extenditur.

13 Quintò colligitur cum Passerino *disput. 8. de pollut. Eccles. cap. 4. num. 4.* Pollui Ecclesiam, si cineres, aut ossa excommunicati sepeliantur in Ecclesia. Quia quando iura disponunt, quod polluatur Ecclesia per sepulturam excommunicati, intelligitur de sepultura illius, quod post mortem de excommunicato remanet, quandiù durat excommunicatio; atque adeò siue sint cineres, siue ossa; nam sufficiunt, vt dicatur intrusus in gremium Ecclesiæ contra eius voluntatem, qui ab ipso separatus, & eiectus est.

14 Sextò colligitur cum eodem Passerin. *citat.* Quod si partes cadaueris excommunicati sepeliantur in diuersis locis, illa Ecclesia polluetur, in qua moraliter censebitur sepultus, nempe in qua principalior pars sepulta esset: quia sicuti ratione ipsius dicitur sepultus excommunicatus, ita etiam Ecclesia dicetur polluta. Imò si caput sepeliatur in Ecclesia, & reliquum corpus extra Ecclesiam, adhuc pollueretur; quia cum caput sit principalissimum membrum, in quo totus homo repræsentatur, ratione sepulti capitis in Ecclesia, diceretur excommunicatus habere sepulturam Ecclesiasticam, iuxta *l. Cum in diuersis, ff. de relig. & sumpt. funer.*

15 Sed quid, si caput sepeliatur in vna Ecclesia, & reliquum cadaueris in alia? Putat Passerin. tunc illam tantùm Ecclesiam pollui, in qua sepelitur caput; quia cum sit principalior pars corporis, ab ipso debet desumi denominatio: altera verò non polluetur; quia non potest vnius sepultura efficere plura sepulchra. *l. Cum in diuersis, ff. de relig. & sumpt. fun.* Verum, cum in hac lege dicitur, vnius sepulturam non posse efficere plura sepulchra, intelligitur nomine sepulchri locus religiosus: nam iuxta ius ciuile, vbi quis sepelitur, locus fit religiosus. Non valet autem consequentia, non potest vnius sepultura efficere plura loca religiosa, ergo non potest plura polluere. Quod satis ex eo patet, quia per *dict. legem*, si transferatur cadauer, locus in quo erat, desinit esse religiosus: at si excommunicatus transferatur ab Ecclesia, in qua erat sepultus, non desinit esse polluta, & polluit alteram, ad quam transfertur. Itaque existimo probabilius, pollui vtramque Ecclesiam, quia in vtraque exercetur actio sepeliendi, & in vtraque dicitur sepultus excommunicatus; in vna ratione capitis, quod est imago, vnde cognoscimur, vt dicitur *in dict. l. Cum in diuersis*, & in altera ratione corporis, quod est maxima pars cadaueris. Præsertim, quia in vtraque intruditur in sinum Ecclesiæ, qui est ab ipsa eiectus, & vtrobique contra ipsam exerceretur eadem iniuria, & idem contemptus.

QVÆSTIO 579.

An, vt polluatur Ecclesia per sepulturam excommunicati, debeat esse denunciatus.

SVMMARIVM.

1. *Excommunicatus an debeat esse denunciatus, vt eius sepultura polluatur Ecclesia,* & num. seq.
3. *Sepultura excommunicati cur polluat Ecclesiam.*
4. *Ecclesia quando polluatur sepultura publici percussoris clerici.*

PRima sententia asserit, Ecclesiam pollui per sepulturam cuiuscunque excommunicati, siue denunciati, siue non denunciati. Ita Abb. *in cap. Consuluisti, de consecrat. Eccles.* Alterius *tom. 1. de censur. lib. 1. disput. 14. cap. 1.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 26. quæst. 13.* Fundamentum est. Quia iura loquuntur absolutè de excommunicato, nec adhibent limitationem de denunciato, & ideò nec nos debemus adhibere. 1

Secunda sententia requirit, quod sit denunciatus, aut publicus Clerici percussor. Ita Durand. *lib. 1. de diuin. offic. cap. 6. num. 42.* Rodriquez *part. 1. sum. cap. 154. num. 2.* Henriquez *lib. 9. sum. num. 5. littera B.* Nald. *in sum. verbo* Ecclesia, *num. 29.* Sayr. *lib. 5. de Censur. cap. 16. num. 27.* Facundez *precept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 14. num. 55.* Suarez *disput. 81. de Eucharist. sect. 4. casu 4. & tom. 5. de censur. disp. 12. sect. 4. num. 5. & tom. 1. de relig. lib. 3. de rener. deb. loc. sacr. cap. 2. num. 3.* Auila *part. 5. de censur. disp. 7. dub. 1. conclus. 2. casu 3.* Sà *verbo* Ecclesia, *num. 5.* Reginald. *lib. 29. praxis fori pœnit. cap. 9. sectione 5. num. 184. casu 4.* Victoria *in sum. tit. de Eucharist. num. 99.* Coninch. *de sacrament. quæst. 83. artic. 3. dub. 2. num. 232.* Filliuc. *tract. 5. num. 117.* Faustus *de Eucharist. lib. 2. quæst. 195. vers. Quartus modus.* Bonac. *quæst. 4. de matrimon. punct. vlt. num. 22.* Layman. *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. cap. 5. num. 8.* Scortia *de sacrific. Miss. lib. 2. cap. 13.* Mazuchel. *de casib. reseru. disputat. 2. cap. 6. num. 39.* Lugo Cardin. *disput. 20. de Eucharist. sect. 2. num. 56.* Nauar. *cap. 27. Manual. num. 185.* Vgolin. *de potest. Episcop. cap. 29. §. 4. vers. Excipitur.* Squillau. *de obligat. Cleric. part. 5. num. 95.* Barbos. *de potest. Episcop. allegat. 28. num. 5.* Palaus *part. 2. oper. moral. tract. 11. disput. 1. punct. 1. num. 1.* Bassæos *in Florib. Theol. verbo* Sacrilegium 1. *num. 6.* Delbene *part. 1. de immunit. cap. 2. dub. 2. sect. 5. num. 2.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacram. cap. 6. quæst. 10. num. 65.* Thesaur. *in praxi Eccles. part. 2. verbo* Sepultura, *cap. 4. quæst. 3.* ver. *Item differentia.* Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 5. tit. 12. num. 125.* Antonel. *de regim. Eccles. lib. 1. cap. 16. num. 8.* Castilent. *in Theol. moral. verbo* Consecratio Eccles. *difficul. 6. concl. 3.* Steph. à S. Greg. *de sacram. lib. 3. cap. 31. n. 21.* Lessius *de sacram. quæst. 83. art. 2.* Tit. *de loco, &c. num. 82.* Dicastil. *de sacram. tract. 5. disput. 4. dub. 7. num. 122.* Tanner. *tom. 4. disput. 5. quæst. 10. dub. 2. num. 30.* Amicus *tom. 7. Curs. Theol. disput. 33. sect. 12. num. 338.* Gaspar. Hurtad. *de sacram. disput. 4. de sacrific. Miss. difficult. 7.* ver. *Quartò violatur.* Caspens. *part. 2. Curs. Theol. tract. 23. disput. 3. sect. 3. num. 72.* Ludouicus à S. Ioan. *in sum. quæst. 11. de Eucharist. art. 9. dub. 1.* Quartus *in Rubr. Missal. part. 3. tit. 10. n. 2. dub. 5.* ver. *Secunda sententia.* Passerin. *disp. 8. de pollut. Eccles. cap. 6. num. 4.* 2

Dicendum est. *Ecclesiam non pollui, nisi per sepulturam excommunicati vitandi.* Ratio est. Quia 3

in tantum sepultura excommunicati polluit Ecclesiam, in quantum est separatus à communione Ecclesiæ, & ideò dum iottoducitur in eius communionem per sepultoram eootta eiosdem voluntatem, fit ipsi grauis iniutia, & exercetor actio, quæ tendit in maximum contemptum. Sed excommunicatus non euitandus in foro eaterno non est separatus à communione Ecclesiæ, iuata determinationem eattauag. *Ad euitandu.* Edita io Concilio Coostantien. Seu secundum alios, in Basilieo. Et ideò, si sepeliatur in Ecclesia, eam non polluet, quia non arcetur ab eius communione.

4 Dixi, *Excommunicati vitandi*, vt includerem publicos percussores Clericorum, qui quando factum non potest aliqua tergiuersatioue celari, nec aliquo suffragio excusari, sunt vitandi absque aliqua alia denunciatione, vt statuitur in eadem extrauag. Si tamen aliquam probabilem eacusationem afferat, non erit vitandus, nisi subsequente declaratotia. Quia verò difficilis est casus, in quo publicus Clerici percussor non habeat aliquam probabilem excusatonem; ideò pro praxi, seclusa sententia iudicis, erit obseruandum, an vitetur, & à quibus: quia si vitetur communiter, etit habendus pto excommunicato vitando. Et proinde si sepeliatur in Ecclesia, erit censenda polluta. Secus autem si non vitetur, aut si tantum ab aliquibus: quia tunc hi non sufficiunt ad declarandum ipso facto, esse vitandum, cum factum noo sit commune, sed tantùm aliquorum.

QVÆSTIO 580.

An polluatur Ecclesia per sepulturam illius, de quo constat notoriè excommunicatum.

SVMMARIVM.

1. *Aliqui in genere declarantur excommunicati.*
2. *Diuersa lectio Extrauag. Ad euitanda.*
3. *Quæ lectio præferenda.*
4. *Sepultura excommunicati notorij notorietate facti non polluit Ecclesiam.*
5. *Sententia contra aliquem declaratoria criminis, cui est annexa ex communi, non reddit vitandum.*
6. *An habendus pro denunciato, si in sententia declaratoria dicatur, quod locum habeant pœna imposita tali delicto, etiam imposita sit excommunicatio.*
7. *Vt quis vitetur, non sufficit si iudex dicat, quod incurrerit excommunicationem.*

Sepultura excommunicati an polluat Ecclesiam, si sepeliatur in loco, vbi non est nota denunciatio.

1 QVia contingit, aliquos declatari excommunicatos generaliter ob aliquam tationem, seu causam, quæ locum habet in singulis, vt contingit in in Bulla Cœnæ, in qua specialiter excommunicantur profitentes talem, aut talem hætesim: ideò, si notorium sit, aliquos talem hæresim profiteri, ratione cuius profiteotes excommunicati sunt, videtur pollui Ecclesia, si post mortem in ea sepeliantur. Videntur enim huiusmodi denunciati tanquam excommunicati, & proinde vitandi.

2 Est antem præmittendum, quod eattauag. *Ad euitanda.* cum diuersa lectione solet teferri. Nam D. Aotonin. 3. *part. tit.* 25. *cap.* 3. tanquam editam in Concil. Constantien. & innouatam in Basilien. antequam scissuram faceret, refert eum hoc tenote. *Saluo, si quem pro sacrilega manuum iniectione in Clericum, in sententiam latam à Canone adeò notoriè constiterit incidisse, quod factum non possit ulla tergiuersatione celari, nec aliquo suffragio excusari; nam à communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri.* Alij verò illam referunt cum alio teoote, vt videre est apud Suarez *de Censur. disput.* 9. *sect.* 2. *num.* 2. Ita enim habet. *Aut si aliquem ita notoriè excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari. Nam à communione illius abstineri vult, iuxta Canonicas sanctiones.* Ex qoibus coostat, quod ioxta priorem lectiooem specialiter statuitur de excommunicato, ob publicam iniectionem manuum in Clericum; iuxta posteriorem, eatenditur ad omnes ootoriè eacommunicatos. Hæc autem posterior lectio est secundum Concil. Basileen. ita enim refertur etiam in Prag. sanct. *Tit. de Excommunic. non vitan.*

Verum prior lectio, iuxta telationem S. Antonin. est magis recepta, videtur etiam esse secundum praxim Ecclesiæ. Primò, quia D. Antonin. refert, Martinum V. diaisse, quod volebat, quod semper duraret, & loquitur de ea, quam ipse refert. Secundò, Quia Consil. Basileense non fuit approbatom. Tertiò, Quia secundum formam relatam à S. Antonin. magis inseruit fioi constitotionis, nempe ad sedandas conscientias. Nec obstat, quod in Concilio Lateranen. subsequuto referatur eadem constitutio, provt in Concil. Basileen. quia non refertur tanquam innouata pro lege vniuersali, sed tanquam pertinens ad concordata inter Leonem X. & Regem Galliæ, & proinde, tanquam à Gallis sub eo tenore proposita, & recensita inter concordata. Et proinde iuxta tenotem relatum à S. Aotonin. eam amplectuntur communiter Doctores, præsertim Recentiotes. 3

Dicendum est. *Ecclesiam non pollui per sepulturam excommunicati notoriè notorietate facti.* Vnde non polluitur per sepulturam illius, de quo constat fuisse nototiè Hæreticum. Ita Nauar. *cons.* 15. *num.* 4. *de Haret.* Azot. *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 11. *quæst.* 3. Lugo Card. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.* 2. *num.* 56. Delbene *de immunit. part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 5. *num.* 2. Pueronius *in Bulla Cœn. cap.* 1. *num.* 22. ver. *Quamobrem.* Passerin. *disput.* 8. *de pollut. Eccles. cap.* 7. *num.* 4. & cæteri communiter relati in *præcedent. quæst. num.* 2. dum dicuot, non pollui Ecclesiam, nisi per sepulturam excommunicati nominatim denunciati. Ratio autem est, quia in dict. Eattauag. vt aliquis excommunicatus sit vitandus, requiritur, quod sententia excommunicationis sit expressè, & specialiter contra ipsum personaliter pronunciata; quod est idem ac nisi sit nominatim denunciatus, vt excommunicatus, vt communiter ioterpretantur: ergo qoi notoriè excommunicatus, cum non adsit contra ipsum sententia declaratoria, non est vitandus: ergo neque erit separandus à communione Ecclesiæ in Ecclesiastica sepultura. Et ideò, si sepeliatur, non polluetur Ecclesia. 4

Ex dictis colligitur contta Suatez *disput.* 9. *de Censur. sect.* 2. *num.* 10. Quod licet contra aliquem lata sit sententia declaratoria, aut condemnatoria criminis, cui sit adnexa excommunicatio, non per hoc erit vitandus: & si sepeliatur in Ecclesia, non polluetur, vt tradunt Couarruu. *in cap. Alma mater. part.* 1. §. 2. *num.* 9. Nauarr. *in cap. Quando. de Consecrat. dist.* 1. Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 9. *num.* 4. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 5. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *Can.* 1. *quæst.* 7. *num.* 18. Palaus *disp.* 2. *de Censur. punct.* 4. *num.* 6. Faustus *de Eucharist. lib.* 2. *quæst.* 196. & alij. Nam aliud est ferre sententiam criminis, & aliud ferre sententiam excommunicationis declaratoriam. Præsertim quia fieri potest, quod qui com- 5

misit

misit crimen, non traxerit excommunicationem annexam, eo quod ignoraret esse annexam. In quo casu non contrahitur, vt docent quamplures celebres Doctores, quos citaui in *quæst. Canon. quæst.* 358. *n.* 3. *cent.* 4.

6 Secundò colligitur, neque etiam habendum esse pro denunciato excommunicato, si in sententia delicti adderetur, quod incurrerit in pœnas, & censuras impositas tali delicto; vt notant Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 9. *num.* 4. Reginald. *lib.* 1. *prax. fori Pœnit. cap.* 10. *num.* 118. Coninch. *de Censur. disp.* 14. *dub.* 2. *num.* 10. & alij. Et proinde neque in tali casu sepultura pollueret Ecclesiam Ratio autem est. Quia sententiare, quod aliquis incurrerit pœnas, & censuras impositas delicto, non est denunciare excommunicatum: quia licet censura imposita sit excommunicatio, non exprimitur, quod talis sit excommunicatus. Vnde non est denunciare excommunicatum nominatim.

7 Imò, vt aliquis tanquam excommunicatus denunciatus sit vitandus, non sufficit, quod iudex proferat sententiam excommunicationis, seu declaret, quod aliquis incurrerit excommunicationem; sed requiritur, quod publicè denuncier huiusmodi sententiam. Et ideò, si moriatur, antequam denuncietur, non pollueret Ecclesia, si in ea sepeliatur. Ita de communi docent Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 35. Couarrun. *in cap. Alma mater. part.* 1. §. 2. *num.* 9. Suarez *disp.* 9. *de Censur. sect.* 2. *num.* 8. Molfes. *part.* 1. *sum. tract.* 6. *cap.* 16. *num.* 74. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *Can.* 1. *quæst.* 8. *num.* 17. Coninch. *disp.* 14. *de censur. dub.* 2. *num.* 10. Auila *part.* 2. *de Censur. cap.* 6. *disput.* 2. *dub.* 3. Thesaur. *de pœnis. Eccles. part.* 2. *verbo* Censura *cap.* 4. ver. *Hæc moderatio.* Denunciatio enim dicit respectum ad eos, quibus fit: & ideò, nisi publico modo denunciatur excommunicatus non potest saluari, quod sit facta denunciatio iis, qui eum vitare debent: atque adeò non erit sufficiens, vt obliget ad vitandum, sicut nec lex obligat ad sui obseruantiam, nisi sit sufficienter promulgata.

8 Tertiò colligitur, Quod cum controuersum sit apud Theologos, an excommunicatus vitandus in vno loco, sit etiam vitandus in alio; probabile est, quod non sit diuulganda denunciatio, si contingat mori, & sepeliri in Ecclesia in ordine ad iudicandum de pollutione; nam amplecti poterit alterutra ex his sententiis, cum vtraque habeat pro se Doctores ex primis. Melius tamen erit, non habere Ecclesiam pro polluta, quicquid sit de his sententiis, ex eo scilicet capite, quod causa pollutiua debeat esse publica, vt infra suo loco dicetur. Et ideò, cum non sit publicum, quod sepultus sit excommunicatus vitandus: neque etiam erit publica causa pollutiua, & consequenter non erit censenda polluta Ecclesia.

QVÆSTIO 581.

An si excommunicatus vitandus, qui post absolutionem reincidit, polluat Ecclesiam, si in ea sepeliatur.

SVMMARIVM.

1. *Absolutus ad reincidentiam, si reincidat & sepeliatur in Ecclesia illam non polluit.*
2. *Reincidens in excommunicationem, vt sit vitandus, debet de nouo denunciari.*

1 Dicendum est. *Absolutum ab excommunicatione ad reincidentiam, si contingat reincidere, & sepeliatur in Ecclesia, non pollui Ecclesiam.* Ita etiam Passerin. *de pollut. Eccles. disput.* 8. *cap.* 15. *num.* 4. Ratio autem est. Quia quamuis reincidentia afferat secum excommunicationem, non tamen affert secum denunciationem, sed opus est noua denunciatione, vt sit excommunicatus vitandus: ergo, cum post reincidentiam non sit vitandus absque noua denunciatione: nec etiam, si sepeliatur in Ecclesia, illam polluit, cum non arceatur à communione Ecclesiæ, iuxta dicta in superioribus.

2 Quod autem, vt vitandus sit, necessaria sit noua denunciatio, tradunt Henriquez *cons.* 37. *num.* 4. Layman. *lib.* 1. *Theol. moral. tractat.* 5. *part.* 1. *cap.* 7. *in fine.* Alphons. de Leon. *resol.* 2. *de Censur. num.* 890. ver. *Sed an. in fine.* & desumitur ex cap. *Quæstioni. de appellat.* ibi, *Statim, in eandem reducendus sententiam.* Si enim reducendus, requirit factum hominis reducentis, atque adeò de nouo denunciantis. Et ex cap. *Ad reprimen. in fine. de Offic. Ordinar.* ibi, *Quod si facere contempserit, eum in excommunicationis sententiam, appellatione remota, reducere non omittas.* Vbi similiter significatur, quod sit necessaria denunciatio, vt sit vitandus, sicut erat prius. Ratio autem est. Quia denunciatio prior non se extendit ad excommunicationem, quatenus superueniente ratione reincidentiæ, quia interrumpitur ratione absolutionis, quæ cum tollat excommunicationem, ratione cuius vitandus est excommunicatus, tollit etiam denunciationem, nec sinit, quod se extendat ad excommunicationem superuenientem ob reincidentiam. Nec dici potest, quod sicut superuenit excommunicatio, ita superueniat etiam denunciatio: quia cum denunciatio sit manifestatio, quod quis ratione excommunicationis sit vitandus, denunciatio, quæ denunciat aliquem vitandum ob excommunicationem, qua de præsenti ligatur, non denunciat vitandum ob eam, quæ superueniet, & incertum est, an sit superuentura. Et ideò necessaria est noua denunciatio.

QVÆSTIO 582.

An per sepulturam infidelis polluatur Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia polluitur sepultura infidelis.*
2. *Canones, ex quibus id desumitur.*
3. *Sepelientes scienter infidelem in Ecclesia peccant mortaliter.*
4. *Ecclesia polluitur ex nudo facto sepultura infidelis.*
5. *Polluitur Ecclesia si in ea sepeliatur paruulus natus ex infidelibus.*
6. *Non polluitur Ecclesia sepultura illius qui est baptizatus solum baptismo flaminis.*

Dicendum est. *Ecclesiam pollui per sepulturam infidelis.* Ita tradunt communiter Doctores, Gloss. *in cap. Ecclesiam.* 1. *de Consecr. Eccles.* Ioan. Andr. *in cap. Consuluisti. eodem. tit.* Abb. *num.* 4. Palud. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 8. *art.* 4. *conclus.* 5. Syluester *verbo* Consecratio 2. *quæst.* 5. *casu* 4. Armilla *n.* 6. Angel. *verbo* Consecratio Eccles. *num.* 6. *casu* 3. Sà *verbo* Ecclesia. *num.* 16. Sayr. *lib.* 5. *de Censur. cap.* 16. *num.* 23. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 27. *n.* 5. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 154. *conclus.* 3. Suarez *disp.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *casu* 5. Azorius *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 13. *casu* 4. Auila *part.* 5. *de Censur. disput.* 7.

disput.7. dub.2. conclus.2. casu 4. Facundez *precept.1. Eccles. lib.* 3. *cap.*14. *num.* 57. Reginald. *lib.*29. *praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.*5. *num.*184. *casu* 5. Filliuc. *tract.*5. *num.* 117. Lugo Card. *disput.*20. *de Eucharist. sect.*2. *num.*57. Barbos. *de potest. Episcop. alleg.*28. *num.*53. Leo *part.*1. *Thesaur. for. Eccles cap.*5. *vers.*4. Nauar. *cap.*27. *Manual. num.*257. vers. *Quartus*. Pax Iordan. *tom.*1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.*12. *num.*17. Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacrament. cap.*6. *quæst.*11. *num.*69. Layman. *lib.*5. *Theol. moral. tractat.*5. *cap.*5. *num.*8. Dicastil. *de sacram. tract.*5. *disput.*4. *dub.*7. *num.*123. Delbene *de immunit. part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 6. *num.* 1.

2 Ita autem statuitur io Cap. *Ecclesiam* 1. *de consecr. Eccles.* ibi, *Ecclesiam, in qua paganus sepultus est, non liceat consecrare, atque Missas in ea celebrare; sed iactari foras, & mundari oportet.* & Cap. *Eccles.* 2. *eod. tit.* ibi, *Ecclesiam, in qua mortuorum cadauera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet: sed si apta videtur ad consecrandum, inde euulsis corporibus, & rasis parietibus, vel tignis eius loci readificetur.* Hæc autem dispositio iuris habet fundamentum, eo quod infideles non sunt de gremio Ecclesiæ, nec aliquo modo ad ipsam pertinent, nisi quatenus ad fidem reducere potest. Si igitur eorum corpora sepeliantur in Ecclesia, ponuntur in eius gremio, & commiscentur membris ipsius, & dignantur eo honore, quem Ecclesia suis tantùm filiis impertit. Et ideò infertur magna iniuria ipsi Ecclesiæ, dum quos à se repellit, contra eius voluntatem intra ipsam reponuntur, & dum pro ipsis vsurpatur honor filiorum. Rursus, tanquam mortui in sua infidelitate, remanent abominabiles eidem Ecclesiæ, & ideò fœdatur sanctitas ipsius, si eorum cadauera intra ipsam recondantur.

3 Difficultas autem est, an, vt sequatur pollutio, requiritur culpa mortalis in hac sepultura, an verò sufficiat nudum factum. Certum est autem, quod sepeliens sciens infidelem io Ecclesia, peccat mortaliter, quia in re graui infert illi iniuriam, & contra eius voluntatem vsurpat sibi ius, quod non habet, & vtitur loco sepulturæ inuito domino. Vnde omnes quoque cooperantes huic sepulturæ peccant mortaliter, cum cooperentur peccato mortali: sic deferentes corpus, aperientes, aut fodientes sepulchrum, iubentes, & etiam admittentes. Solum ergo difficultas est in eo casu, in quo absque culpa sepeliretur, quia scilicet nesciretur, esse infidelem, & postea detegeretur infidelis.

4 Dicendum 2. *Pollui Ecclesiam ex nudo facto sepulturæ infidelis.* Ita Layman. *lib.*5. *Theol. moral. tract.*5. *cap.*5. *num.*8. Lugo Cardin. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.*2. *num.*57. Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacram. cap.*6. *quæst.*11. *num.* 69. Quartus *in Rubric. Missal. part.*3. *tit.*10. *num.*2. *dub.*6. *init.* Dicastil. *de sacram. tract.*5. *disput.*4. *dub.*7. *num.*123. & desumitur ex *text. citat. num.* 2. Nam in ipsis consideratur nudum factum sepulturæ, vt proinde disponant, non posse consecrari Ecclesias, nisi cadauera infidelium prius eiiciantur, & Ecclesiæ purgentur. Et ratio est. Quia ipsum cadauer infidelis importat indecentiam in ordine ad requiescendum in loco sancto, & inter filios Ecclesiæ: & quod Ecclesia recipiat eum in sinu suo post mortem, quem viuentem, tanquam prorsus alienum reiecit. Et ideò cum fundamentum pollutionis sit in ipso cadauere, sequetur pollutio ex nudo facto sepulturæ.

5 Ex dictis colligitur, pollui Ecclesiam, si in ea sepeliatur paruulus natus ex parentibus infidelibus: vt tradunt Sayr. *lib* 5. *de censur. c.*16. *n.*26. Vgolin. *de offic. Episc. p.*2. *cap.*29. §.5. Barbos. *de potest. Episc. alleg.*28. *n.*53. Franc. Lugo *lib.*5. *de sacram. cap.*6. *quæst.*11. *n.*70. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubr. lib.* 5. *tit.* 12. *n.*117. Passerin. *disput.* 8. *de pollut. Eccles. cap.* 21. *num.*4. Quia licet non sint positiuè secundum se, quia non habent propriam voluntatem, secundum quam profiteantur sectam infidelitatis; sunt tamen infideles positiuè in professione parentum: siquidem paruuli quandiù non habent propriam voluntatem, censentur profiteri illam religionem, quam profitentur parentes: vnde baptizantur in fide parentum, nec ipsis inuitis baptizari possunt.

Secundò colligitur cum Passerino *disput. cit.*8. *de pollut. Eccles. cap.* 24. *num.* 4. Non pollui Ecclesiam per sepulturam illius, qui est baptizatus tantùm baptismo Flaminis: vt etiam tradunt communiter Doctores, Vgolin. *de potest. Episc. p.*2. *cap.*29. §.5. Palud. *in* 4. *distinct.*18. *quæst.*8. *art.*4. *conclus.*5. Sayr. *lib.*5. *de censur. cap.*16. *num.* 24. Rodriquez *part.* 1. *summ. cap.*154. *conclus.*6. Alter. *de censur. tom.*2. *disput.* 3. *de interdict. cap.*1. ver. *Sed postulabitur*. Bonac. *quæst.*4. *de matrimon. punct. vlt. num.*23. Vener. *lib.* 9. *exam. Episcop. cap.* 36. *num.* 10. Barbos. *de potest. Episcop. alleg.*28. *num.*53. *in fin.* Mazuebel. *de casib. reseruat. disputat.*2. *cap.*6. *num.* 6. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubr. lib.*5. *tit.*12. *num.*120. Thesaur. *de pœn. Eccles. part.*2. *verbo* Sepultura, *cap. sexto*, vers. *Limita*. Nam prædictus baptismus sufficit ad salutem, quando alias baptismus aquæ haberi non potest: & ratione contritionis inducit gratiam iustificationis, & facit membrum viuum Ecclesiæ, & proinde fundat ius ad sepulturam Ecclesiasticam. 6

QVÆSTIO 583.

An per sepulturam Cathecumeni polluatur Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia non polluitur per sepulturam Cathecumenorum.*
2. *Cathecumeni nullo modo sunt infideles.*
3. *Inter Cathecumenum, & Ecclesiam, quæ correspondentia.*
4. *Ecclesia non polluitur per sepulturam Hæretici.*
5. *Cur impedimentum disparitatis cultus in ordine ad matrimonium se extendat ad omnes non baptizatos.*

Dicendum est. Ecclesiam non pollui per sepulturam Cathecumeni. ita Palud. *in* 4. *distinct.*18. *quæst.*8. *artic.*4. *conclus.*5. Rodriquez *part.* 1. *summ. cap.*154. *conclus.*6. Sayr. *lib.*5. *de censur. cap.*16. *n.*24. Bonac. *quæst.* 4. *de matrim. punct. vlt. num.*23. Vgolin. *de potest. Episcop. part.*2. *cap.* 29. §.5. ver. *Excipitur*. Barbos. *eod. tract. allegat.*28. *num.*53. *in fine*. Pax Iordan. *tom.*1. *Lucubrat. lib.*5. *tit.*12. *num.* 120. Quartus *in Rubric. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 2. *dub.*6. *init.* Passerin. *disputatione* 8. *de pollut. Eccles. cap.*25. *num.*4. 1

Ratio autem est. Quia siue nomine infidelis veniat qui positiuè infidelis est, & aliquam sectam infidelitatis profitetur: vel etiam qui tantum negatiuè infidelis est, neutro modo sub nomine infidelis venit Cathecumenus. Non primò, quia non profitetur aliquam sectam infidelitatis; imò incipit profiteri fidem Christianam, in qua instruitur. Non secundo, quia non est negatiuè infidelis; siquidem iam iam habet fidem: nisi enim crederet, non quæreret instrui. Nec obstat, quod nondum sit professus fidem per baptismum, quia sufficit, quod sit in via ad profitendum. 2

Confirm.

Digitized by Google

3 Confirm. Inter Catechumenum, & Ecclesiam intercedat quasi quidam contractus, in quo ipse se tradidit Ecclesiæ instruendum in ordine ad baptismum, & ad se incorporandum corpori ipsius: & Ecclesia suscepit onus instruendi, & ipsum recipiendi in gremium suum, & incorporandi suis membris, ergo aliquo pacto incipit esse Ecclesiæ; itaut non sit amplius ex iis, quibus Ecclesia non communicat, sed iam incæpit communicare per instructionem: ergo post mortem ipsum non reiicit à sinu suo, quoad sepulturam. Vnde comparatur ad Ecclesiam, sicut nouitius comparatur ad religionem. Et ideò, sicut nouitius in fauorabilibus venit nomine religiosis & fruitur priuilegiis religionis: ita etiam Catechumenus in fauorabilibus venit nomine fidelis, & fruitur priuilegiis fidelium.

4 Ex dictis colligitur cum Lugo Cardin. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.* 2. *num.* 57. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 6. *quæst.* 11. *num.* 70. Quatro *in Rubr. Miss. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 6. *dub.* 6. *init.* Neque pollui Ecclesiam per sepulturam Hæretici, contra Tanner. *tom.* 4. *disput.* 5. *quæst.* 10. *dub.* 2. *num.* 31. Licet enim ratione Hæresis amiserit fidem; non venit tamen nomine infidelis, sed comprehenditur sub nomine fidelium, ex cap. *Omnium vtriusque sexus. de pænit. & remiss.* Quia scilicet, cum susceperit baptismum, tenetur esse fidelis, & retinet adhuc caracterem baptismalem, quod est signaculum fidelium, & remanet subditus Ecclesiæ, & membrum illius, quamuis abscissum.

5 Dices: Nomine infidelis in ordine ad matrimonium, ratione impedimenti disparitatis cultus, venit quicunque non est baptizatus, ac proinde etiam Catechumenus: ergo etiam in ordine ad sepulturam Ecclesiasticam: Resp. neg. Conseq. Quia est diuersa ratio. Nam impedimentum disparitatis cultus respicit matrimonium tanquam sacramentum, & ideò se extendit ad eos omnes infideles, qui non sunt capaces sacramenti; tales autem sunt omnes non baptizati, quia baptismus est ianua sacramentorum. At Catechumenus, licet non baptizatus, non est incapax Ecclesiasticæ sepulturæ, nec est ex iis, quibus Ecclesia non communicat.

QVÆSTIO 584.

An paruuli fidelium polluant Ecclesiam, si in ea sepeliantur.

SVMMARIVM.

1. *Paruuli fidelium sepulti in ventre matris non polluunt Ecclesiam.*
   Fœtus in ventre est pars corporis matris.
2. *Paruulus sepeliri potest simul cum matre si ipsa in partu moriatur absque pollutione Ecclesiæ.*
3. *Paruuli fidelium, si moriantur absque baptismo, an polluant Ecclesiam, si in ipsa moriantur.* & num. seq.
5. *Appellatione infidelis, quinam veniat, quando sepultura ipsius polluit Ecclesiam.*
6. *Paruuli censentur profiteri illam fidem, ad quam diriguntur à parentibus.*
7. *Ecclesia non polluitur sepultura paruuli non baptizati, etiam si tantum alter ex parentibus sit baptizatus.*
   Ecclesia potest compellere baptizare natum si alter parentum sit fidelis.
8. *Quid si alter tantum ex parentibus sit solum probabiliter fidelis.*

1 CONueniunt Doctores communiter, præsertim infra citandi, quod dum sunt in ventre matris, si contingat mori, non polluere Ecclesiam, si simul cum ipsa sepeliantur: nam quamdiù sunt in ventre, sunt pars corporis matris, iuxta *l.* 1. §. 1. *ff. de ventre inspicien.* & ideò sequuntur conditionem matris: quæ sicut admittitur ad Ecclesiasticam sepulturam; ita etiam debet admitti fœtus in vtero. Et ita specialiter notant Hostiens. *in sum.* Tit. *de consecratione Ecclesiæ*, §. *& an sit. num.* 8. Goffr. *eod. tit. num.* 10. Aduertunt tamen plures ex citandis, fieri posse, quod ex alio capite polluatur Ecclesia; si nimirum infans esset viuus in vtero, & ante sepulturam matris non extraheretur siue malitiosè, siue per incuriam: nam hæc incuria esset peccatum mortale, & causa mortis infantis, & ideò ratione homicidij pollueretur Ecclesia.

Rursus, quamuis Bonac. *quæst.* 4. *de matrimonio, puncto vltimo, num.* 24. censeat, quod si mater moriatur in partu, moriente quoque paruulo nondum baptizato, polluatur Ecclesia, si paruulus simul cum matre sepeliatur. Oppositum tamen tradunt Goffr. *numero præcedenti citati.* Vgolin. *de offic. Episc. part.* 2. *cap.* 19. §. 5. Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.* 16. *num.* 16. asserentes, in honorem matris Christianæ, posse sepeliri simul cum ipsa, quia adhuc censetur pars illius. Et quidem, quod tunc non polluatur Ecclesia, constabit ex infrà dicendis. 2

Prima sententia asserit, pollui Ecclesiam, si in ea sepeliantur paruuli nondum baptizati, licet nati ex parentibus fidelibus. ita Glos. *in cap. Ecclesiam. de consecrat. distinct.* 1. Hostiens. *in summ.* Tit. *de consecratione Ecclesiæ*, §. *& an sit. num.* 8. Syluest. *verbo* Consecratio 1. *quæst.* 5. *casu* 4. & *verbo* Sepultura. *quæst.* 10. *dicto* 1. Tabiena *num.* 17. Armilla *num.* 21. Angel. *num.* 31. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 154. *num.* 4. Piasec. *part.* 2. *prax. Episcop. cap.* 5. *numero quinto, casu* 3. Suarez *disputat.* 81. *de Eucharistia, sect.* 4. *casu* 5. Auila *parte* 5. *de censur. disputatione septima, dubio primo, conclusione secunda, casu* 3. Azorius *parte secunda, libro nono, capite quinto, quæstione prima, casu* 5. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. cap.* 14. *numero* 57. Reginaldus *libro vigesimonono, Praxis fori pœnit. capite nono, sectione quinta, numero* 185. Layman. *libr.* 5. *Theolog. moral. tractat.* 5. *cap.* 5. *numero octauo*. Coninck. *de sacrament. quæst.* 83. *articulo tertio, dubio secundo, numero* 233. Palaus *parte secunda, oper. moral. tractat.* 11. *disputat.* 1. *puncto* 1. *numero primo, in fine.* Lessius *de sacramentis, quæstione* 83. *articulo secundo*, Tit. *de loco, numero* 83. Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disputatione quarta, dubio* 7. *numero* 113. Ludouic. à S. Ioann. *in summ. quæstione vndecima de Eucharistia, articulo decimo, not.* 1. Faustus *de Eucharistia, libro secundo, quæstione* 197. vet. *Quintus modus.* Amicus *tom.* 7. *Curs. Theol. tractat.* 25. *disput.* 3. *sect.* 3. *num.* 72. Tanner. *tom.* 3. *disputat.* 5. *quæst.* 10. *dub.* 2. *num.* 31. Lugo Cardinal. *disp.* 20. *de Eucharistia, sectione secunda, numero* 57. Franciscus Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 6. *quæst.* 11. *num.* 72. Quartus *in Rubr. Miss. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 1. *dub.* 6. vers. *Communis tamen.* Delbene *de immunit. tom.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 6. *num.* 3. Fundamentum huius sententiæ nullum aliud est, quia etiam infans non baptizatus est infidelis saltem negatiuè: & ideò cadit sub dispositione disponente de infideli. 3

Secunda sententia negat pollui. Ita Palud. *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 8. *art.* 4. *conclus.* 5. *in fine.* Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.* 16. *num.* 25. Vgolio. *de offic. Episcop. part.* 2. *cap.* 29. §. 5. ver. *Tertiò excipiuntur.* Pax Iord. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 121. Bordon. *tom.* 2. *Concil. Regular. resol.* 89. *num.* 23. Alan. *in Canon. conscientiæ verbo* Ecclesia. *num.* 11. Passerin. *disp.* 8. *de pollut. Eccles. cap.* 21. *num.* 4. 4

Google

5 Dicendum est. *Ecclesiam non pollui, si in ea sepeliatur infans nondum baptizatus natus ex parentibus fidelibus.* Ratio est, quia quando iura disponunt, Ecclesiam pollui per sepulturam infidelis, vt in cap. *Ecclesiam,* 2. *de consecrat. Eccles.* nomine infidelis intelligunt eum, qui est professione infidelis, atque adeò qui est positiuè infidelis; profitens aliquam sectam infidelitatis, atque hæc interpretatio sumitur ex cap. *Ecclesiam* 1. *eod. tit.* vbi idem disponitur, & loco infidelis ponitur nomen Pagani, Paganus autem est ille, qui est professione infidelis.

6 Confirm. Paruuli sunt sub potestate parentum, etiam in ordine ad profitendum fidem: vnde ipsis inuitis, non possunt baptizari, ergo, in ordine ad fidem, sunt sub ipsorum directione: ergo censentur profiteri illam fidem, ad quam diriguntur à parentibus. Et ideò etiam in baptismo, cum non habeant proprium velle, parentum voluntate profitentur Christianam fidem: ergo, licet nondum sint baptizati, ex destinatione parentum sunt destinati ad profitendam Christianam fidem: imò aliquo modo profitentur, nempe inchoatione, quatenus sunt in via ad profitendum. Et ex his solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ.

7 Ex dictis colligitur cum Passerin. *disp.* 8. *de Pollut. Eccles. cap.* 22. *num.* 4. Ecclesiam non pollui per sepulturam paruuli nondum baptizati, licet alter tantùm ex parentibus sit fidelis. Ratio est. Quia eo ipso, quod aliquis parentum est fidelis, præualet fauor fidei, & potest Ecclesia compellere ad baptizandum paruulum. cap. *Iudæi* 28. *quæst.* 1. vbi Glos. *verbo Iudæi.* & communiter cum D. Thom. *in* 4. *distinct.* 39. *quæst. vnic. art.* 4. *ad* 4. & proinde sequitur conditionem parentis fidelis, & consequenter censetur esse in professione illius fidei, quam profitetur parens fidelis.

8 Colligitur 2. contra Passerin. *ead. disp.* 8. *de pollut. Eccles. cap.* 22. *num.* 5. Filium non baptizatum polluere Ecclesiam per sui ipsius sepulturam, si alter ex parentibus sit tantum probabiliter fidelis. Ratio est. Quia in tantum non pollueret, in quantum reciperetur ab Ecclesia tanquam filius parentis, quem ipsa Ecclesia recepit tanquam fidelem, atque adeò, tanquam in via ad fidem, licet nondum per baptismum eam susceperit. Ecclesia autem non recipit probabiliter tantùm fideles, quia, vt recipiantur, requirit expressam professionem fidei.

QVÆSTIO 585.

An, si ædificetur Ecclesia, vbi excommunicatus, aut infidelis est sepultus, remaneat polluta.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia non remanet polluta, si ædificetur vbi infidelis est sepultus.*
2. *Sepultura infidelis, vt inducat pollutionem, quid requirat.*
3. *Quando extrahendum cadauer infidelis, aut excommunicati, vt possit Ecclesia consecrari.*

Cessante præsupposito à iure facit etiam cessare ius.

Dispositio præsuppositiua est virtualiter conditionalis.

1 Dicendum est, Ecclesiam ædificatam in solo, vbi excommunicatus, aut infidelis esset sepultus, non remanere pollutam, est contra Passerin. *disp.* 8. *de pollut. Eccles. cap.* 26. *num.* 4. qui tenet remanere pollutam. Quod tamen non videtur cohærere cum eo, quod dixerat cum commen. sententia *disput.* 2. *cap.* 3. *num.* 4. Quod scilicet sola Ecclesia consecrata, aut benedicta, sit capax pollutionis. Vnde sic arguitur. Nisi Ecclesia sit consecrata, aut benedicta, non est capax pollutionis, ergo per id, quod ædificetur Ecclesia, vbi fuit sepultus excommunicatus, aut infidelis, non remanet polluta: quia ex vi solius ædificationis neque est consecrata, neque benedicta. Imò æquè pollueretur, si post ædificationem in ea sepeliretur: sed solum, vt consecraretur, vt benediceratur, esset extrahendum cadauer.

Confirm. Quia pollutio per sepulturam non inducitur, nisi sepeliatur in Ecclesia excommunicatus, aut infidelis: & proinde requiritur, quod locus Ecclesiæ assumatur pro huiusmodi sepultura. Quod etiam clarè habetur in vtroque cap. *Ecclesiam. de consecr. Eccles.* in 1. ibi. *In qua paganus sepultus est.* & in 2. ibi. *In qua mortuorum cadauera infidelium sepeliuntur.* Hoc autem factum non habet locum, si Ecclesia ædificetur vbi sepultus erat excommunicatus, aut infidelis: quia non per hoc verificatur, quod sit sepultus in Ecclesia, nec quod Ecclesiæ locus sit assumptus pro illius sepultura: sed è contra, quod locus sepulturæ illius sit assumptus pro Ecclesia. In quo Ecclesia non se habet passiuè respectu sepulturæ, sicut se debet habere, vt aliquis dicatur in ea sepultus. 2

Ex quibus colligitur, contra eundem Passerin. *ead. disput.* 8. *de pollut. Eccles. cap.* 26. *num.* 5. Non esse necessarium, ex vi Canonum, quamuis decens sit, quod ante consecrationem, vel benedictionem extrahatur cadauer excommunicati, aut infidelis; quia vt visum est, Canones volunt, quod extrahatur, quando in ea sepultum sit; vt in vtroque cap. *Ecclesiam, de consecratione Ecclesiæ.* Non verificatur, aut quod excommunicatus, aut infidelis sit sepultus in Ecclesia, sicut requirunt dicta iura: nam aliud est, sepeliri in Ecclesia, & aliud Ecclesiam ædificari, vbi quis talis sepultus fuit, & ideò quod iura disponunt ex præsuppositione vnius, non debet censeri dispositum ex præsuppositione alterius. Imò cum hoc alterum faciat cessare præsuppositum à iure, facit etiam cessare iuris dispositionem. cap. *Si Papa. de privileg. in* 6. & Clemen. *Si summus de sentent. excomm.* Quia dispositio præsuppositiua est conditionalis virtualiter, vt notant Dec. *cons.* 644. *num.* 5. Menoch. *cons.* 175. *num.* 12. alia allegans Decian. *resp.* 1. *num.* 16. *vol.* 1. 3

QVÆSTIO 586.

An detur aliqua alia causa pollutiua Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia polluitur, si consecretur à nominatim excommunicato secundum aliquos.*
2. *Quæ fiunt à pollutis polluuntur.*
Ordinatus ab excommunicato remanet suspensus.
3. *Ecclesia non polluitur licet ab excommunicato consecrata secundum alios.*
4. *Pollutio Ecclesiæ non habet locum, nisi sit in specie à iure inducta.*
5. *Actio consecratiua non potest esse pollutiua.*
6. *Quæ fiunt à Sacerdotibus nomine Christi aut Ecclesiæ non inficiuntur eorum malitia.*

Malitia

Malitia consecrantis non nocet Ecclesia conse-crata.

7. *Paritas rationis non habet locum in iis quæ merè pendent à iure.*

8. *Quæ fiunt à pollutis, quando polluantur.*
Cur ordinatus ab excommunicato remaneat suspensus.

1 PRæter causas pollutiuas Ecclesiæ, de quibus hactenus dictum est, solet alia assignari, nempe si consecretur, aut benedicatur ab Episcopo nominatim excommunicato, & vitando. Ita Abb. *in cap. Consuluisti. num. 5. de consecr. Eccles.* Hostiens. Butr. Ioan. Andr. & cæteri Canonistæ *ibid.* Durand. *de diuin. offic. lib. 1. cap. 6. num. 46. in fine.* Paludan. *in 4. distinct. 18. quæst. 8. art. 4. conclus. 4.* D. Antonin. *3. par. tit. 12. cap. 6. §. 4. casu 4.* Asten. *part. 2. lib. 6. tit. 29. art. 3. quæst. 3.* Syluest. *verbo* Consecratio 2. *quæst. 5. casu 5.* Tabiena *num. 8. casu 6.* Armilla *num. 7. casu 5.* Angel. *verbo* Consecratio Eccles. *num. 6. casu 4.* Sum. Confessor. *lib. 3. titul. 24. quæst. 150.* Ledesma *2. part. 4. quæst. 26. art. 2. tractat. de Irregularit. in fine.* Nauarr. *cap. 27. Manual. cap. 258. casu 5.* Sayr. *lib. 5. de Censur. cap. 16. num. 28.* Philiarc. *lib. 4. de offic. Sacerd. 1. cap. 4.* Graff. *cons. 1. num. 1. de consecr. Eccles. tom. 1.* Viuald. *in Candel.* Tit. *de Interd. cap. 3. num. 23.* Sà *verbo* Ecclesia. *num. 17.* Piasec. *par. 1. prax. Episc. cap. 5. num. 5.* Azorius *par. 1. lib. 10. cap. 26. quæst. 13.* ver. *Quinto.* Auila *part. 5. de Censur. disput. 7. dub. 2. conclus. 2. casu 4.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 27. num. 5. & in Commen. littera S,* Zerola *in prax. part. 1. verbo Pollutio Ecclesiæ.* Alterius *de Censur. disp. 3. cap. 1.* ver. *Et quamuis. tom. 2.* Miranda *tom. 2. Manual. quæst. 39. art. 5. conclus. 1.* ver. *Quintus.* Gambarupt. *de Casib. reseru. cap. 15. casu 6. num. 15.* Barbos. *de potest. Episcop. allegat. 27. num. 28.* Pax Iordan. *tom. 1. variar. Lucubrat. lib. 5. tit. 12. num. 132.* Portel. *in dub. Regular. verbo* Eccles. reconcil. *num. 4.* Ludouic. à S. Ioan. *in sum. quæst. 11. de Eucharist. art. 9. dub. 2. in fine.*

2 Fundamentum huius sententiæ est, quia Ecclesia polluitur, si in ea sepeliatur excommunicatus, vt constat ex dictis in superioribus: ergo etiam polluitur, si consecretur ab excommunicato. Confirm. cap. *Sic populus. 1. quæst. 1.* Quæ fiunt à pollutis polluuntur; vbi loquitur de Hæreticis: ergo, cum excommunicatus sit pollutus, & extra Ecclesiæ gremium, polluet Ecclesiam, quam consecrat. Confirm. 2. Ordinatus ab excommunicato remanet suspensus: ergo Ecclesia consecrata ab excommunicato remanebit veluti suspensa, itavt non possit in ipsa celebrari, nisi reconcilietur.

3 Secunda sententia negat pollui ex hoc capite. Ita Suarez *disput. 81. de Eucharist. sect. 4. casu 4.* Facundez *præcep. 1. Eccles. lib. 3. cap. 14. num. 56.* Vgolin. *de potest. Episcop. par. 2. cap. 29. §. 6. init.* Layman. *lib. 5. Theol. moral. tractat. 5. cap. 5. num. 9.* Coninch. *de sacrament. quæst. 83. art. 3. dub. 1. num. 232.* Lessius *tit. de loco. num. 83.* Lugo Cardin. *disp. 20. de Eucharist. sect. 2. num. 56.* Dicastil. *de sacrament. tract. 5. disp. 4. dub. 7. num. 124.* Faustus *de Eucharist. lib. 2. quæst. 197.* Tanner. *tom. 4. disp. 5. quæst. 10. dub. 2. num. 30.* Delbene *tom. 1. de Immunit. cap. 2. dub. 2. sect. 6. num. 14.* Mazuchel. *de Casib. reser. disp. 2. cap. 6. num. 41.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 6. quæst. 10. num. 68.* Quartus *in Rubr. Miss. part. 3. tit. 10. num. 2. dub. 5.* ver. *Dicendum tamen.* Syluius *3. par. quæst. 83. art. 3. quæst. vnic.* ver. *Septimum addunt.* Præposit. *dub. 2. num. 158.* Passerin. *de pollut. Eccles. disput. 3. cap. 3. numero 4.*

4 Dicendum est. *Ecclesiam consecratam, vel benedictam ab excommunicato denunciato, non remanere pollutam.* Ratio est. Quia pollutio Ecclesiæ secundum se totam est de iure positiuo Ecclesiastico: est enim introducta ab Ecclesia ob manutenendam reuerentiam debitam eidem Ecclesiæ: ergo non habet locum, nisi in casibus, in quibus est introducta à iure positiuo: non est autem à iure, quod polluatur Ecclesia, si consecretur aut benedicatur ab excommunicato vitando: neque enim Doctores oppositæ sententiæ afferunt aliquem textum, sed solum arguunt à similitudine rationis. Vnde in hac materia discurrendum est, sicut discurritur in materia irregularitatis, quæ non est admittenda, nisi sit expressa in iure, cap. *Is qui. de senten. excomm. in 6.*

5 Neque etiam à iure introduci potuit hæc causa pollutiua. Quia ius non potest facere, quod polluatur Ecclesia, quæ non est capax pollutionis, nisi prius sit consecrata aut benedicta. Rursus, non potest ius facere, quod actio consecratiua sit pollutiua; cum consecrare, sit sanctificare; & polluere, sit maculare sanctitatem, seu rem sanctificatam: ergo, cum Episcopus excommunicatus vitandus adhibeat veram actionem consecratiuam, non poterit facere, quod per eandem actionem Ecclesia remaneat polluta.

6 Ratio autem à priori est. Quia in iis, quæ Sacerdotes, aut Episcopi efficiunt non nomine proprio, sed Christi, aut Ecclesiæ, eorum malitia non nocet, quia sunt purè ministri; & quæ efficiunt habent efficaciam à principali, non autem à malo exequutore: vt constat in sacramentis, sacramentalibus, & precibus, quæ nomine Ecclesiæ Deo offeruntur. Vt desumitur ex cap. *Cum Scriptura.* cap. *Multi sæcularium.* & cap. *Dominus declarauit.* & cap. *Christus. 1. quæst. 1.* Consecratio autem, & benedictio fit ab Episcopo, aut Sacerdote tanquam puro Ministro, qui agit nomine Ecclesiæ: & ideò licèt sit excommunicatus vitandus, impendit tamen non solum veram consecrationem, sed etiam mundam, quæ non egeat reconciliatione, alioquin malitia consecrantis noceret Ecclesiæ consecratæ, contra cap. *Non nocet. 1. quæst. 1.* ibi. *Non nocet malitia Episcopi neque ad baptismum infantis, neque ad Ecclesiæ consecrationem.*

7 Ad fundamentum in oppositum neg. Conseq. Quia in iis, quæ merè pendent à iure positiuo, non habet locum paritas rationis, sed attenditur, quid sit, vel non sit à iure statutum, vt constat etiam in irregularitate. Deinde neque etiam adest paritas rationis, nam ratio est valdè diuersa. Nam ideò polluitur Ecclesia per sepulturam excommunicati; quia factum, nempe sepultura, est contra reuerentiam debitam Ecclesiæ, & quid dedecens eius sanctitatem, & redundans in contemptum. At in consecratione Ecclesiæ, factum ipsum, nempe consecratio, tendit in honorem Ecclesiæ, & ipsi communicat sanctitatem, in quo reperitur opposita ratio. Tunc adesset paritas, si ex eo, quod excommunicatus denunciatus sepeliret fidelem non impeditum, pollueretur Ecclesia; quamquam adhuc tunc quoque adesset disparitas.

8 Ad Confirm. 1. Ea, quæ fiunt à pollutis, pollui, quando fiunt nomine proprio: non autem quando fiunt nomine Christi, & Ecclesiæ, vt constat in sacramentis. Consecratio autem Ecclesiæ non fit nomine proprio, sed nomine Ecclesiæ. Ad 2. Confirm. neg. Conseq. Quia ideò ordinatus ab excommunicato remanet suspensus: quia à iure est imposita huiusmodi pœna; non autem quia susceptio ordinis ab excommunicato trahat secum ex natura rei huiusmodi suspensionem. Et ideò neque etiam consecratio Ecclesiæ facta ab excommunicato trahet secum pollutionem: neque aliunde locum habebit, cum non sit imposita à iure.

QVÆSTIO 587.

Quid veniat nomine Ecclesiæ in ordine ad pollutionem.

SVMMARIVM.

1. *Polluta Capella polluitur tota Ecclesia.*
2. *Si non sit incorporata non polluitur Ecclesia, licet per ipsam pateat aditus.*
   Polluto cœmeterio non polluitur alterum pariete diuisum, &c.
3. *Nomine Ecclesiæ in ordine ad pollutionem venit totum spacium, quod est intra terminos ipsius.*
4. *Cur solum spacium conclusum veniat nomine Ecclesiæ.*
5. *Chorus venit nomine Ecclesiæ in ordine ad pollutionem.*
6. *Si causa pollutiua contingat in quocunque loco destinato pro Officiis diuinis, polluitur Ecclesia.*
7. *In quocunque quis sit intra ambitum Ecclesiæ contingat causa pollutiua, polluitur Ecclesia.*
8. *Locus supra tectum tectum Ecclesiæ non venit nomine Ecclesiæ in ordine ad pollutionem.*
9. *Neque etiam locus inter fornicem, seu tabulatum, & tectum.*
   Polluta Capella supra fornicem an polluatur Ecclesia.
10. *Locus sub pauimento non venit nomine Ecclesiæ in ordine ad pollutionem.*
11. *Polluta turri, aut Campanili non polluitur Ecclesia.*
    Nisi pars inferior Campanilis sit intra ambitum Ecclesiæ.
12. *Polluto cœmeterio, aut cubiculo adiacentibus non polluitur Ecclesia.*
13. *Polluta Sacristia non polluitur Ecclesia.*
14. *Nisi Sacristia sit pars Ecclesiæ.*
15. *Cubicula habentes fenestellas respicientes in Ecclesiam, non sunt de ipsius corpore.*
    Pollutis cubiculis annexis non polluitur Ecclesia.
    Quid si intrarent intra ambitum Ecclesiæ.
16. *Pollutis cellulis, in quibus excipiuntur confessiones, an polluatur Ecclesia.*

1 Difficultas prouenit ex eo, quod Ecclesia habet diuersas partes: & ideò videndum est, quænam partes trahant secum pollutionem Ecclesiæ, quando in iis contingunt actiones pollutiuæ. Est autem supponendum, certum esse, quod si in Cappellis Ecclesiæ contingant actiones pollutiuæ, polluitur tota Ecclesia, vt tradunt communiter Abbas *in cap. Proposuisti. num. 10. de consecrat. Ecclesiæ.* Layman. *lib. 5. Theolog. moral. tract. 5. cap. 5. num. 10. in fine.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 15. num. 31.* Vgolin. *de potest. Episcop. part. 2. cap. 29. §. 7. in fin.* Pontius *de matrim. lib. 10. cap. 10. num. 3.* Fusch. *lib. 1. de Visit. cap. 22. num. 7.* Facundez *precept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 14. num. 37.* Megal. *part. 1. institut. lib. 5. cap. 13. num. 11. vet. Dices.* Vega *part. 2. sum. cap. 29. casu 5.* Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 5. titul. 12. num. 99.* Quartus *in Rubr. Miss. part. 3. tit. 10. num. 2. dub. 9. ver. Dico secundo.* Faustus *lib. 2. de Eucharist. quæst. 203. vers. Quartò.* Passerio. *de pollut. Eccles. disput. 2. cap. 24. num. 4.* Quod intelligitur, supposito, quod Cappellæ sint ita annexæ Ecclesiæ, vt per eam pateat aditus ad ipsas. Ratio autem est, quia huiusmodi Cappellæ sunt partes Ecclesiæ, & faciunt vnam Ecclesiam simul in ordine ad eundem finem, nempe ad offerendum sacrificium.

2 Est tamen aduertendum, quod si aliqua Cappella, licet contigua, non esset tamen incorporata Ecclesiæ, quamuis per ipsam ad eam aditus pateret, non pollueretur Ecclesia per actionem pollutiuam contingentem in Cappella: quia tunc non pollueretur pars Ecclesiæ, sed haberet locum quod dicitur de Cœmeteriis, de quibus ab vno patet ingressus in alium, sed pariete diuiduntur, in cap. *vnic. de consecrat. Eccles. in 6.* quod polluto vno non polluitur alterum. Quod autem Capella sit incorporata, vel non incorporata Ecclesiæ, cognosci potest ex structura fabricæ, ex qua constat, an componat simul cum aliis vnum corpus.

3 Dicendum est. *Nomine Ecclesiæ venire totum illud spatium, quod est intra corpus Ecclesiæ, seu quod terminatur terminis eiusdem Ecclesiæ.* Ita communiter Sanchez *lib. 9. de matrimon. disput. 15. num. 25.* Vega *part. 2. sum. cap. 94. casu 5.* Facundez *precept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 14. num. 37.* Faustus *de Eucharist. lib. 2. quæst. 203. init.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 26. quæst. 14.* Palaus *part. 2. oper. moral. tract. 11. disput. 1. punct. 1. num. 20.* Pontius *de matrimonio lib. 10. cap. 10. num. 3.* Lugo Cardinal. *disput. 20. de Eucharist. sect. 2. num. 58.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacramen. cap. 6. quæst. 13. num. 101.* Delbene *de Immunit. part. 1. cap. 2. dub. 2. sect. 7. num. 2.* Quartus *in Rubr. Missal. part. 3. tit. 10. num. 2. dub. 9. ver. Dico secundo.*

4 Ratio autem est, quia, vt polluatur Ecclesia, debet actio pollutiua contingere in ipsa, vt etiam loquuntur Canones, ergo cum Ecclesia habeat suos terminos, quibus concluditur, sicut habet quælibet alia res, debet huiusmodi actio contingere intra huiusmodi terminos: ergo solum spatium, quod est conclusum intra hos terminos, erit illud, intra quod, si contingat actio pollutiua, polluetur Ecclesia.

5 Ex quibus deducitur, Chorum venire nomine Ecclesiæ, non solum quando solis scabellis, aut alio modo seiungitur ab Ecclesia, licet stabili modo; sed etiam quando situs est in loco eminentiori, vel supra columnas, vel alio modo, vt docent communiter D. Antonin. *2. part. tit. 1. cap. 21. §. 5.* Sanchez *lib. 9. de matrimon. disput. 15. num. 33.* Facundez *precept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 14. num. 46.* Pontius *lib. 10. de matrimon. cap. 10. num. 3.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 6. quæst. 13. num. 101.* Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 5. titul. 12. num. 77.* Mazuchel. *de casib. reseru. disput. 2. cap. 6. num. 76.* Quartus *in Rubric. Missal. part. 3. titul. 20. num. 2. dub. 9. ver. Dico secundo.* Passerio. *de pollut. Eccles. disput. 2. cap. 40. num. 4.* Et hoc intelligendum est, quocunque modo separetur à reliquo corpore Ecclesiæ. Nam semper est pars, seu membrum principale Ecclesiæ, siquidem est locus destinatus ad psallendas horas Canonicas in Ecclesia: atque adeò Ecclesia semper ipsum trahit tanquam sui partem, & membrum necessarium in ordine ad persoluenda diuina officia.

6 Sequitur 2. Quod si actiones pollutiuæ contingant in pulpito, in loco Organorum, in odeis, in quibus musici cantant, & generaliter in quocunque loco deseruiente officiis diuinis, Ecclesiam pollui. Ita Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 15. num. 33.* Facundez *precept. 2. Eccles. lib. 4. cap. 4. num. 36.* Francisc. Lugo *de sacrament. lib. 5. cap. 6. quæst. 13. num. 101.* Cassina *in Caibech. Reg. tit. 7. n. 14.* loquentes de loco organorum, & loquentes etiam de pulpito. Pax Iordan. *tom. 5. Lucubr. lib. 5. tit. 12. num. 7.*

Passerin.

Paſſerin. *de pollut. Eccleſ. diſp.* 2. *cap.*38. *num.*4. & *cap.*39. *num.*4. Omnia enim loca iſta ſunt partes Eccleſiæ, & inſeruiunt eidem fini, cui inſeruit Eccleſia. Solum videtur dubitari poſſe, ſi adeſſet aliquod cubiculum extra muros Eccleſiæ, in quo adeſſent folles inſeruientes pro Organis, reſp. tamen, quod non ſequeretur pollutio, ſi actio pollutiua contingeret in tali cubiculo: nam quamuis inſeruiat Eccleſiæ, non inſeruit tamen in actione, quæ ſit exercenda in Eccleſia: & cum ſit extra muros ipſius, eſt etiam extra terminos, & ſpatium eiuſdem Eccleſiæ.

7 Sequitur 3. Pollui Eccleſiam, ſi actio pollutiua ſequatur in quocumque ſiue loco ſiue diuerſorio, ſiue conditorio, aut quocunque alio nomine vocetur, ſiue fixo & ſtabili, ſiue amouibili, quod ſit intra Eccleſiæ ambitum: vt ſunt conditoria reliquiarum fabricata intra parietes, armaria, &c. vt notat etiam Paſſerin. *diſput.*2. *de pollut. Eccleſ. cap.*43. & *ſequent.* Ratio eſt, Quia hæc omnia cum ſint intra ambitum Eccleſiæ, Quidquid etiam in ipſis contingit, intra Eccleſiam contingit: & proinde afficitur huiuſmodi actionibus, tanquam ſi in ea immediatè contigiſſent.

8 Sequitur 4. Nomine Eccleſiæ non venire locum ſuprà tectum Eccleſiæ: vnde ſi ibi occideretur, aut quis ſuſpenderetur à parte exteriori Eccleſiæ, non ſequeretur pollutio. Ita Gloſ. *in cap.vnic. verbo* Sanguinis, *de conſecr. Eccleſ. in* 6. Ioan.Andr. *numer.*2. Domin. *num.* 8. Ancharan. *num.*2. Franc. *numero* 6. Archidiacon. *in cap. Eccleſiis, num.*2. *de conſecr. diſt.*1. Henric. *in cap. fin. num.*4. *de conſecr. Eccleſ.* Syluest. *verbo* Conſecratio 2. *quæſt.*5. *caſu* 1. Tabiena *num.*6. Roſell. *verbo* Conſecratio 1. *n.*6. Angel. *verbo* Conſecratio Eccl. *numer.*5. Ledeſma 2. *part.*4. *quæſt.* 26. *art.*2. *ante tit. de caſib. reſer.* Nauarr. *cap.*27. *Manual. num.*256. Graff. *part.*1. *deciſ. lib.*2. *cap.*48. *num.*24. Lopez *part.*2. *inſtr. cap.*79. *de Euchar.* verſ. *Præterea.* Rodriquez *part.*1. *cap.*154. *num.*10. Vega *tom.*2. *ſum. cap.*94. *caſu* 5. Suarez *diſp.* 85. *de Euchar. ſect.*4. *poſt init.* Sanchez *lib.*9. *de matrim. diſp.*15. *num.*26. Azor. *part.*1. *lib.*10. *cap.*26. *quæſt.*14. Fauſt. *de Euchar. lib.*2. *quæſt.*203. verſ. *ex quo.* Pax Iordan. *tom.*1. *Lucubrat. lib.*5. *tit.*12. *num.*82. Facundez *præcept.*1. *Eccleſ. lib.*3. *cap.*14. *num.*38. Layman. *lib.*5. *Theol. moral. tract.*5. *cap.*5. *num.* 10. Bonac. *quæſt.*4. *de matrim. punct.vlt. num.*20. Pontius *lib.*10. *de matrim. cap.*10. *numer.*3. Franc.Lugo *lib.*5. *de ſacram. cap.*6. *quæſt.*13. *num.*101. Delbene *de immunit. part.*1. *cap.*2. *dub.*2. *ſect.*7. *n.*3. Paſſerin. *diſp.*2. *de pollut. Eccleſ. cap.*26. *num.*4. Ratio clara eſt, Quia ille locus non eſt intra, ſed etiam extra Eccleſiam, & proinde neque actio pollutiua contingit in Eccleſia.

9 Et hoc extendendum eſt etiam ad locum, qui eſt inter fornicem, ſeu tabulatum, & tectum. Ita Facundez, Delbene, Paſſerin. *num.præcedent.* citati. Ratio eſt, quia neque ille locus eſt intra ambitum Eccleſiæ; & quamuis materialiter veniat nomine Eccleſiæ, non venit tamen formaliter, quia neque eſt conſecratus, neque benedictus; ſed eſt locus diuerſus à loco Eccleſiæ, & ideo ſtante diſtinctione loci, actiones, quæ fiunt in ipſo, non ſunt factæ in Eccleſia, licet ſit pars materialis ædificij. Maior difficultas eſt, ſi ſuprà tectum, aut tabulatum reperiatur aliqua Cappella, in qua offeratur ſacrificium, & in ipſa contingat actio pollutiua. Pollui tunc Eccleſiam affirmant Sanchez, Iordan. Paſſerin. *num.præcedent.* citati, quia tunc Cappella erit pars Eccleſiæ. Verum oppoſitum mihi videtur probabilius: quia quamuis pateat per Eccleſiam ingreſſus ad ipſam, cum ſit in loco diſtincto, & qui non venit nomine Eccleſiæ, non poteſt haberi pro parte Eccleſiæ, ſicut ſi propè Eccleſiam eſſet Cappella, ad quam per Eccleſiam media aliqua porticu, aut per quid ſimile pateret ingreſſus.

Sequitur 5. Neque venire nomine Eccleſiæ locum ſub pauimento excauatum; proinde actiones pollutiuas ibi contingentes non polluere Eccleſiam. Quod tamen eſt intelligendum, niſi talis locus ſit deſtinatus ſepulturæ; nam tunc ſe habet tanquam pars Eccleſiæ, cum inſeruiat pro eo, pro quo inſeruit etiam Eccleſia. Aut niſi ſit extructus ad modum Eccleſiæ: nam tunc cenſetur pars inferior Eccleſiæ. Ita Ioan. Andr. *in cap.vnic. num.*2. *de conſecr. Eccleſ. in* 6. Ancharan. *ibid.* verſ. *Tangit.* Franc. *n.*6. Domin. *num.*8. Syluest. *verbo* Conſecratio 2. *quæſt.*5. *caſu* 1. Tabiena *num.*6. Nauarr. *cap.*27. *Manual. num.*256. Lopez *part.*2. *inſtruct. cap.*79. *de Euchar.* verſ. *Præterea.* Graff. *part.*1. *deciſ. lib.*2. *cap.*48. *num.*24. Vega *part.*2. *ſum. cap.*94. *caſu* 5. Rodriquez *part.*1. *ſumm. cap.*154. *numer.*10. Suarez *diſp.*81. *de Euchar. ſect.*4. verſ. *Tertio violatur.* Fauſt. *de Euchar. lib.*2. *quæſt.*203. verſ. *Ex quo.* Palaus *part.*2. *oper.moral. tract.*11. *diſp.*1. *punct.*1. *num.*2. Sanchez *lib.*9. *de matrim. diſp.*15. *n.*27. Facundez *præcept.*1. *Eccleſ. lib.*3. *cap.*14. *n.*39. Pontius *lib.*10. *de matrim. cap.*10. *num.*3. Mazuchell. *de caſib. reſer. diſp.*2. *cap.*6. *quæſt.*3. *difficult.*1. *n.*77. Pax Iordan. *tom.*1. *Lucubrat. lib.*5. *tit.*12. *num.*87. Delbene *de immunit. part.*1. *cap.*2. *dub.*2. *ſect.*7. *num.*3. Franc. Lugo *lib.*5. *de ſacram. cap.*6. *quæſt.* 13. *num.*101. Paſſerin. *diſp.*2. *de pollut. Eccleſ. cap.*27. *num.*4. Ratio eſt, quia huiuſmodi locus ſubterraneus eſt locus diſtinctus ab ambitu Eccleſiæ, & omninò extra ipſum, nec communicat in Eccleſia in officiis diuinis: & ideo non poteſt cenſeri pars illius. 10

Sequitur 6. Neque turrim, ſeu Campanile venire nomine Eccleſiæ in ordine ad præſentem effectum: & ideo actiones pollutiuas ibi contingentes non polluere Eccleſiam. Ita Sotus *in* 4. *diſt.*33. *quæſt. vnic. art.*3. *concluſ.*3. Nauarr. *cap.*16. *Manual. n.*32. Angles, *in florib. quæſt.* 6. *de matrim. in fine.* Graff. *part.*1. *deciſ. lib.* 2. *cap.*83. *numer.* 10. Lopez *part.*1. *Inſtr. cap.* 82. §. *At vero.* Vega *part.*1. *ſum. cap.* 78. *caſu* 1. Henriquez *lib.*5. *ſum. cap.*6. *num.*5. *in Com. littera H.* Fauſt. *de Euchariſt. lib.* 2. *quæſt.*203. verſ. *Secundo infertur.* Sanchez *lib.*9. *de matrim. diſp.* 15. *numer.*30. Facundez *præcept.*1. *Eccleſ. lib.*3. *cap.* 14. *num.*41. Pontius *lib.*10. *de matrim. cap.* 10. *num.* 3. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. allegat.*28. *num.*45. Mazuchel. *de caſib. reſer. diſp.*2. *cap.*6. *num.*79. Pax Iordan. *tom.*1. *Lucubrat. lib.*5. *tit.*12. *n.*85. Franc. Lugo *de ſacram. lib.*5. *cap.*6. *quæſt.*13. *num.*101. Delbene *de immunit. part.*1. *cap.* 2. *dub.*2. *ſect.*7. *num.* 4. Quartus *in Rubr. Miſſal. part.*3. *tit.*10. *num.*2. *dub.*9. verſ. *Dico* 2. Paſſerin. *de pollut. Eccleſ. diſp.*2. *cap.*29. *num.*4. Etenim Campanile, quamuis annexum Eccleſiæ, eſt locus diſtinctus, & extra ambitum Eccleſiæ: & ideo non eſt pars illius in ordine ad participandam conſecrationem, aut benedictionem, nec in ordine ad celebrationem diuinorum officiorum. Hoc tamen limitandum eſt, niſi pars inferior Campanilis ſit intra ambitum Eccleſiæ, vt contingit in quibuſdam Eccleſiis, in quibus Campanile erigitur ſuprà muros eiuſdem Eccleſiæ, & pars inferior correſpondet parti Eccleſiæ intra ambitum ipſius: nam tunc polluetur Eccleſia, ſi ibi contingant actiones pollutiuæ. Niſi fortè ita ſeparatum ſit etiam ſecundum partem inferiorem, vt ſe habeat tanquam locus extraneus, præſertim ſi non pateat ingreſſus ad ipſum per Eccleſiam. 11

Sequitur 7. Non pollui Eccleſiam, ſi actiones pollutiuæ contingant in cameris, ſeu cubiculis adiacentibus Eccleſiæ. Ita obſeruant Doctores, *numero præcedent.* allegati. Paſſerin. *cap.*30. *num.*4. Ratio eſt, quia licet ſint pars ædificij materialis, non communicant 12

nicant tamen tanquam partes cum Ecclesia formaliter sumpta, cum non sint pars loci celebrationis diuinorum officiorum, nec etiam sunt intra ambitum Ecclesiæ, & ideo sunt locus omnino distinctus.

13 Sequitur. 8. Neque sacristiam venire nomine Ecclesiæ, ad effectum, vt polluatur Ecclesia, si in ipsa contingant actiones pollutiuæ. Ita Sanchez *lib.9. de matrim. disp.15. num.31.* Facundez *precept.1. Eccles. lib.3. cap.14. num.41.* Layman. *lib.5. Theolog. moral. tract.5. cap.5. num.10.* Graff. *part.1. decis. lib.2. c.48. num.9.* Sotus *in 4. dist.34. quæst.1. art.3.* Pontius *de matrim. lib.10. cap.10. num.3.* Faust. *de Euchar. lib.2. quæst.103.* vers. *Secundò infertur.* Megal. *part.1. instit. lib.5. cap.13. num.11.* Mazuchel. *de casib. reser. disp.2. cap.6. numer.79.* Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.12. num.78.* Franc. Lugo *lib.5. de sacram. cap. 6. quæst.13. num.101.* Delbene *part.1. de immunit. cap.2. dub.1. sect.7. num.4.* Quartus *in Rubr. Missal. part.3. tit.10. numer.2. dub.9.* vers. *Dico secundo.* Passerin. *disp.2. de pollut. Eccles. cap.28. num.4.* Ratio est, Quia sacristia, quamuis sit pars ædificij Ecclesiæ, non est tamen pars Ecclesiæ, vt est deputata pro celebratione diuinorum officiorum: & ideo, sicut non communicat cum ipsa in loco officiorum diuinorum, ita neque communicat in consecratione seu benedictione. Sed est locus distinctus ordinatus ad conseruandum sacrum apparatum, & ad recipiendos ministros, vt se præparent pro celebratione diuinorum officiorum. Vnde actio pollutiua, quæ in ipsa contingit, non extendit suum effectum ad Ecclesiam.

14 Nec obstat, quod ad eam pateat ingressus per Ecclesiam, sicut patet ad Cappellam: quia hæc est locus destinatus pro celebratione diuinorum, & ideo est pars Ecclesiæ: non sic autem sacristia. Nec obstat, quod aliquando in sacristia celebretur Missa, quia celebratur tanquam in Oratorio, quod non pertinet ad Ecclesiam. Quia tamen alicubi sacristia se haber per modum alicuius Cappellæ, itavt in ipsa celebrentur continuò Missæ, sepeliantur defuncti, ideo tunc censenda est pars Ecclesiæ; & proinde actiones pollutiuæ in ipsa contingentes polluent etiam Ecclesiam.

15 Sequitur 9. Cubicula, seu cellulas, quæ habent fenestram respicientem in Ecclesiam, vt inde Missa audiri possit, non pertinere ad corpus Ecclesiæ, itavt polluatur, si in ipsis sequantur actiones pollutiuæ. Ita Sanchez *lib.9. de matrim. disp.15. n.35.* Facundez *precept.1. Eccles. lib.3. cap.14. nu.47.* Pontius *lib.10. de matrim. cap.10. numer.3.* Nauarr. *cap.16. Manual. num.34.* Graff. *part.1. decis. lib.2. cap.83. num.10.* Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.12. num.80.* Passerin. *de pollut. Eccles. disp.2. cap.36. num.4.* Nam non sunt pars Ecclesiæ, quatenus est locus deputatus diuinis officiis, sed sunt locus separatus. Si tamen intrarent intra ambitum Ecclesiæ, tunc essent pars illius, & pollueretur, si in ipsis contingerent actiones pollutiuæ, vt aduertit Delbene *part.1. de immunit. cap.2. dub.1. sect.7. num.7.* Testans de communi. Sed hoc intelligi debet, quoad illam partem, quæ esset intra muros, & ambitum Ecclesiæ. Nam cum de se non communicent in loco diuinorum officiorum, itavt sint pars illius; neque etiam veniunt nomine Ecclesiæ, nisi quatenus sunt intra eius ambitum; atque adeo solum secundum eam partem, quæ est intra ambitum Ecclesiæ. Nec obstat, quod sint deputatæ pro audienda Missa, & proinde videantur pars Ecclesiæ; quasi Missa non possit audiri, nisi in Ecclesia. Quia non est necesse, quod audiens Missam, sit intra Ecclesiam; sed sufficit, si præsens sit morali modo; pro quo sufficit stare ante portam Ecclesiæ, vel ad fenestram respicientem in Ecclesiam.

Sequitur 10. quid dicendum de locis, seu cellulis, in quibus excipiuntur confessiones mulierum. 16
Cum enim variis modis construi soleant, iuxta varietatem regionum; considerandum est, an sint intra ambitum Ecclesiæ, an extra. Rursum, an secundum totum, an secundum partem præterea, an pars, quæ est extra ambitum Ecclesiæ sit diuisa aliquo pariete, aut tabulato, aut alio modo permanenter, & inamouibiliter à parte, quæ est intra ambitum. Nam pars extra ambitum Ecclesiæ diuisa inamouibiliter non pertinebit ad Ecclesiam: & ideo si intra ipsam contingat causa pollutionis, non polluetur Ecclesia: secus autem, si non sit diuisa inamouibiliter: aut contingat causa pollutionis in parte, quæ est intra ambitum Ecclesiæ. Ita Sanchez *lib.9. de matrim. disput.15. numer.34.* Facundez *precept.1. Eccles. lib.3. cap.14. num.44.* & *precept.2. lib.4. cap.4 n.35.* Pontius *lib.10. de matrim. cap.10. num.3.* Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.12. num.81.* Passerin. *disp.2. de pollut. Eccles. cap.35. num.5.* Ratio prioris partis est, quia cum illa pars, quæ est extra ambitum Ecclesiæ, sit separata à parte, quæ est intra ambitum permanenter, & inamouibiliter, constituit distinctum locum ab Ecclesia, quamuis ipsi cohæreat, iuxta *cap. vnic. de consecrat. Eccles. in 6.* ibi, *Quamuis sibi cohærentia, pariete tamen medio seiunguntur.* Ratio posterioris partis est, Quia cum sint intra ambitum Ecclesiæ, aut pars, quæ extra ambitum continuetur cum ipsa absque vlla diuisione, faciunt vnum cum ipsa Ecclesia, & quicquid contingit intra ipsa, censetur contingere in Ecclesia.

QVÆSTIO 588.

An polluatur Ecclesia ratione portæ, aut vestibuli.

SVMMARIVM.

1. *Polluitur atrium Ecclesiæ si inseruiat pro cœmeterio.*
2. *Ecclesia quando polluatur, si in ostio contingat causa pollutiua.*
3. *Limen Ecclesiæ est partim intra, partim extra Ecclesiam.*
4. *Casus mixtus non continetur sub simplici.*
5. *Limen Ecclesiæ distinguitur in partes interiores, & exteriores: & quomodo cognoscantur.*
6. *Polluto atrio, seu vestibulo non polluitur Ecclesia.*
7. *Prohibitum in Ecclesia est etiam prohibitum in atrio.*
8. *Appellatione domus venit etiam ostium.*
9. *Causa pollutionis contingente in ostio ducente ab Ecclesia in altum locum, aut in podiolis, &c. an polluatur Ecclesia.*

QVia causa pollutionis contingere potest, aut in vestibulo, seu atrio Ecclesiæ, aut in porta; ideo dubitatur, an in tali casu Ecclesia polluatur. Est autem certum, quod si atrium inseruiret pro Cœmeterio, sicut etiam locus, qui est immediatè extra portam Ecclesiæ, quod pollueretur, si ibi contingeret aliqua actio pollutiua, quia Cœmeterium quoque est capax pollutionis, vt infrà suo loco dicetur. Et ita inter alios notat Sanchez *lib. 9. summ. disput. 15. numero 26. in fine,* & 28. Supposito autem, quod non adsit Cœmeterium, sed sit locus prophanus. 1

Dicendum 1. *Si causa pollutiua contingat in illa parte* 2

parte ostij, seu ianua, qua post valuas respicit spatium exterius, non polluetur Ecclesia: secus autem, si contingat in parte liminis, quod clausis ianuis remanet à parte interiori. Ita Dominic. *in cap. vnic. num. 6 de consecrat. Eccles. in 6.* Syluest. *verbo* Cœmeterium, *quæst.* 3. referens Imolam. Armilla *num.* 4. Angel. *verbo* Consecratio Cœmet. *num.* 3. Tabiena *verbo* Consecratio 4. *quæstione* 2. Rodriquez *tom.* 1. *sum. cap.* 154. *num.* 13. Sanchez *lib.* 9. *de matrimon. disp.* 15. *numero* 28. Auila *part.* 5. *de censur. disput.* 7. *dub.* 2. *conclus.* 4. Suarez *disput.* 85. *de Eucharist. sectione* 4. *casu* 5. *in fine.* Facundez *precept.* 1. *Eccles. libro* 3. *cap.* 14. *num.* 42. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 48. *numero* 11. Barbos. *de potestate Episcop. allegat.* 28. *num.* 20. Gambarupt. *de casib. reseru. casu* 6. *num.* 5. Mazuchell. *eodem tract. disput.* 2. *cap.* 6. *difficult.* 5. *num.* 50. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 12.
2 *num.* 90. Faustus *lib.* 8. *de Eucharist. quæst.* 205. Tanner. *tom.* 4. *disput.* 5. *quæst.* 10. *dub.* 2. *num.* 32. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 6. *quæst.* 13. *num.* 102. Verum, quod neque polluatur Ecclesia, si contingat causa pollutiua in spatio liminis, quod clauso ostio remanet à parte interiori Ecclesiæ, sentit Passerin. *de pollut. Eccles. disp.* 2. *cap.* 31. *num.* 6. *& seq.* sed sine firmo fundamento.

3 Ratio autem est. Quia, quando clauduntur fores, quidquid est à parte interiori, dicitur esse intra Ecclesiam; siquidem est intus clausum: & quicquid est à parte exteriori, dicitur esse extra Ecclesiam: ergo, quando contingit causa pollutiua in interiori, vel exteriori, dicetur contingere extra, vel intra Ecclesiam, etiamsi fores sint apertæ. Vnde si quis occideret existentem in parte interiori liminis ianuis clausis, verè occideret in Ecclesia, & illam pollueret: ergo etiam ianua aperta; quia, quod ianua sit aperta, vel clausa, non variat ambitum Ecclesiæ. Et proinde,
a limen Ecclesiæ esse partim intra, partim extra Ecclesiam, dixit Gloss. *in cap. Cum sanctum, verbo* Vit ergo, *de pænit. dist.* 5.

4 Obiicit Passerin. Casus mixtus non continetur sub simplicibus in odiosis: ergo, cum limen sit partim extra, partim intra Ecclesiam, tanquam quid mixtum, non continebitur sub specie, seu ambitu Ecclesiæ. Resp. Si aliquid concluderet, probaret, quod totum limen neque esset intra, neque extra Ecclesiam. Non sumus ergo in casu mixto: quia partes liminis non miscentur, sed sunt distinctæ, & distinctio designatur à valuis, quando clauduntur, aut etiam ab aliquo alio limite, seu termino.

5 Obiicit 2. Esset difficile cognoscere, quando causa pollutiua contigisset intra, vel extra Ecclesiam: Deinde partes liminis non sunt inuicem diuisæ, & ideò non potest dici vna intra, & alia extra Ecclesiam. Resp. Vtplurimum in limine adesse aliquod signum, seu terminum terminantem clausuram valuarum, qui sufficit ad designandam partem intra, & partem extra Ecclesiam, & ad præbendam notitiam, an causa pollutiua contigerit intra, vel extra. Quod si fortè non adsit limen, diuiditur in ordine ad clausuram valuarum, & ad postes substinentes valuas, vbi semper adest signum sufficiens.

6 Dicendum 2. *Vestibulum, seu atrium Ecclesia non inferre ipsi pollutionem, si in eo contingat causa pollutiua.* Ita à fortiori Doctores *num.* 1. citati, & specialiter Passerin. *de pollut. Eccles. disput.* 2. *cap.* 31. *num.* 4. Ratio est. Quia licet sit pars ædificij, non est tamen pars Ecclesiæ: siquidem muro separatur ab Ecclesia tanquam locus distinctus, nec communicat cum ipsa in deputatione ad diuina officia.

7 Dices. Prohibitum fieri in Ecclesia est etiam prohibitum in atrio, Cap. *Si quis in atrio*, & Cap. *Quisquis* 17. *quæst.* 4. & Cap. *Nulla* 12. *quæst.* 1. vbi Glos. & *l. Cætera*, §. *Hoc Senatusconsultum*, *ff. de leg.* 1. ergo habetur pro parte Ecclesiæ, & causæ pollutiuæ, tanquam prohibitæ, inferent ipsi pollutionem, atq; adeò etiam Ecclesiæ. Resp. Dato quod sint prohibitæ, non inferent pollutionem; quia ad eam inferendam non sufficit prohibitio, sed etiam requiritur sanctitas loci, quæ non est in atrio, quod non consecratur, nec benedicitur, nisi fortè sit cœmeterium: vnde nullæ Cruces in ipso signantur in consecratione Ecclesiæ.

Dices 2. Appellatione domus venit etiam ostium, 8
l. Si aquaductum, *ff. de contrahen. empt.* ergo venit etiam appellatione Ecclesiæ. Resp. Venire appellatione Ecclesiæ, tanquam partem ædificij ipsius: non autem pars exterior liminis venit appellatione Ecclesiæ, quatenus Ecclesia sumitur pro ambitu interiori. Sic etiam appellatione Ecclesiæ veniunt omnes partes exteriores ipsius, & tamen non sunt capaces pollutionis. Neque enim sufficit ad inducendam pollutionem, esse partem Ecclesiæ; sed insuper requiritur, quod sit pars interior; ita vt actio pollutiua, quæ in ipsa contingit, dicatur contingere intra Ecclesiam.

Ex dictis colligitur, eodem modo discuttendum 9
esse de cæteris portis, quæ ducunt aut in Sacristiam, aut in alium locum, qui non sit pars Ecclesiæ, quia militat eadem ratio. Item eodem modo proportionaliter loquendum de podiis, seu podiolis, vulg. *Poggioli.* Nam quatenus sunt intra ambitum Ecclesiæ, inducunt pollutionem, si in ipsis actio pollutiua contingat: quatenus verò sunt extra ambitum, non inducent.

QVÆSTIO 589.

An Baptisteria sint capacia pollutionis.

SVMMARIVM.

1. *Pollute Baptisterio existente intra Ecclesiam, polluitur etiam Ecclesia.*
2. *Baptisteria quando sint capacia pollutionis. Baptisteria solita consecrari.*

QVamuis Baptisteria vtplurimum sita sint in Ecclesia, aliquando tamen extra ipsam eriguntur. 1
Certum est autem, quod si intra Ecclesiam sint, siue in aliqua Capella, siue in aliqua alia parte, quod polluitur Ecclesia, si in ipsis contingat aliqua actio pollutiua, vt etiam notat Passerin. *de pollutione Eccles. disputatione secunda, capite vigesimoquinto, numero quarto.* Nam tunc sunt pars Ecclesiæ, quia sunt ipsi incorporata, nedum secundum ædificium, sed etiam secundum ambitum: siquidem continuatur ambitus ipsorum cum ambitu Ecclesiæ, & proinde constituunt vnum interius spatium, sicut constituunt Capellæ. Et hoc locum habet, etiamsi in loco Baptisterij non adsit altare, nec ibi celebrentur alia officia; quia sufficit, quod sit locus destinatus ad ministrandum sacramentum Baptismi, & quod eius ambitus continuetur cum ambitu Ecclesiæ. Vnde difficultas est, quando Baptisteria sunt loca separata ab Ecclesia.

Dicendum est. *Baptisteria esse capacia pollutionis,* 2
supposito, quod sint consecrata, aut benedicta, prout antiquitus consueuit. Ita Passerin. *disputatione* 2. *de pollut. Eccles. capite vigesimoquinto, numero quarto.* Ratio est. Quia omnis locus sanctificatus est capax pollutionis, siquidem maculari potest: Et Ecclesia non

Digitized by Google

non alia ratione est capax pollutionis, nisi quia est sanctificata: ergo si Baptisterium sit sanctificatum, benedictum, seu consecratum, erit capax pollutionis. Quod autem baptisteria consueuerint consecrari, constat ex ordine Romano, qui modum consecrationis tradit, & ex iis, quæ habet Viecomes *de ritib. Baptis. lib.1.cap.13.* & ex Amulario Fortnuato, *lib.1. de Eccles. offic. cap.28.*

QVÆSTIO 590.

An Ecclesia cœpta ædificari, antequam in ea celebrentur diuina officia, sit capax pollutionis.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia, in qua nondum celebrata sunt Officia diuina, an capax pollutionis.*
2. *Ecclesia licet non completa, si sit benedicta, est capax pollutionis.*
3. *Non sufficit tamen benedictio primi lapidis.*
4. *Ecclesia est capax pollutionis, licet in ipsa non conseruetur Eucharistia.*

1 ECclesiam, antequam in ea incipiant celebrari diuina officia, non esse capacem pollutionis, tenet Glos. *in cap.Ecclesiæ, verbo* Celebrantor, *de immunit. Eccles.* Quam sententiam nonnulli alij sequuti sunt, vt referunt *ibidem.* Panormit. & Hustien. fundamentom est. Quia cum nondum sint in ipsa celebrata dinina officia, nondum est plenè dedicata obsequiis dininis. Verum fortè intelligit de officiis dininis, quæ in benedictione, aut consecratione celebrautur. Ita vt velit tantùm, non sufficere, quod publica auctoritate Episcopi sit destinata celebrandis officiis diuinis. Quidquid tamen sit.

2 Dicendum est. *Ecclesiam cœptam ædificari, licet nondum completam, esse capacem pollutionis, si sit benedicta.* Ita Sot. *in 4.dist.32.quæst.vnic.art.3.concl.3.* Nauarr. *cap.16. Manual. num.32.* vers. *Nonè peccat.* Graff. *part.1. decis. lib.2. cap.83. num.10.* Henriquez *lib.9.summ.cap.27. num.5. & in Com. littera H.* Auila *part.5. de censur.disp.7.dub.2.conclus.1* Sanchez *lib.9. de matrimon. disp.15. nnmer.36.* Azor. *part.1. lib.10. cap.26. quæst.14.* Facundez *præcept.1. Eccles. lib.3. cap.14. num.48* Suarez *tom.1. de Relig. tract.2. lib.3. cap.9. num.4.* Lugo Card. *disp.20. de Eucharist. sect.2. num.60.* Palaus *part.2. oper. moral. tract.11. disput.1. punct.2. num.2.* Pontius *lib.10. de matrim. c.10.n.14.* Delbene *part.1. de immunit. c.16. dub.9.sect.1. num.2.* Passerin. *disp.2. de pollut. Eccles. c.16.n.4.* Ratio est, Quia non diuina officia, sed benedictio, aut consecratio sanctificant Ecclesiam. Eo ipso autem, quod Ecclesia est sanctificata, est capax pollutionis, quia maculatur ratione sanctitatis.

3 Ex dictis sequitur, Quod vt Ecclesia sit capax pollutionis, non sufficiat benedictio primi lapidis: nam huiusmodi benedictio ordinatur tantùm ad sanctificanda prima rudimenta Ecclesiæ; non autem ipsam Ecclesiam. Quandiù autem Ecclesia non est sanctificata, neque etiam est capax pollutionis.

4 Colligitur 2. Quod licet in Ecclesia non conseruetur Eucharistia, adhuc tamen, si sit benedicta, aut consecrata, erit capax pollutionis, vt notant Delbene *part.1. de immunit. c.16. dub.9. sect.1. num.16.* Passerin. *disp.2. de pollut. Eccles. c.19. num.4.* Nam Eucharistia, per id quod conseruetur, non sanctificat Ecclesiam: neque necessaria est ad manutenendam sanctitatem acceptam per consecrationem, aut benedictionem: ergo si alias consecrata, aut benedicta sit, erit capax pollutionis.

QVÆSTIO 591.

An Cappella, seu quæcunque alia pars addita Ecclesiæ, sit capax pollutionis.

SVMMARIVM.

1. *Polluta Cappella, aut parte addita Ecclesiæ, quando polluatur Ecclesia.*
2. *Additum Ecclesiæ ipsi incorporatur.*
Quod additur Ecclesiæ remanet sanctificatum.

HAbet locum difficultas, supposito quod noua pars, aut Cappella non benedicatur. Dicendum autem est, *Supposito, quod talis sit additio, quod Ecclesia non amittat consecrationem, pollui partem additam, atque adeo totam Ecclesiam, si in ea contingat actio aliqua pollutiua.* Quando autem Ecclesia amittat, vel non amittat consecrationem ex additamento, dictum est suo loco. Ita Syluest. *verbo* Consecratio 2. *quæst.5. in fine.* Sanchez *lib.9. de matrimon. disp.15. n.38.* Facundez *præcept.1. Eccles. lib.3.c.14. num.50.* Suarez *disput.81. de Eucharist. sect.4. casu 6.* Coninch. *de sacram. quæst.83. art.3. dub.1. num.235.* Layman. *lib.5. Theol. moral. tract.5. cap.5. numer.19.* Azor. *part.1. lib.10. c.26. quæst.12.* Bonac. *quæst.4. de matrim. punct. vlt. num.24.* Lugo Card. *disp.20. de Euchar. sect.2. num.65.* Passerin. *de pollut. Eccles. disp.2. cap.23. num.4.* Et cæteri, qui volunt, per huiusmodi additamentum Ecclesiam non amittere consecrationem, sed totam remanere consecratam. 1

Hoc autem in eo fundatur, Quod Cappella, seu pars addita de nouo incorporatur præcedenti, itavt vnum fit cum ipsa; non solum tanquam pars ædificij, sed etiam in communicatione in ordine ad diuina officia: vt proinde fiat vnum corpus Ecclesiæ. Et proinde ex hac communicatione, quod additur, remanet sanctificatum, eum sanctificatio sit quid morale, iuxta *cap.1. de consecr. Eccl.* vbi sacrum trahit ad se non sacrum: Quod etiam notat Glos. *ibid.* verb. *Altare*: & ideo, tanquam sanctificatum est capax pollutionis. Nec dici potest, quod solum in iis, quæ commiscentur, id locum habeat, vt sunt liquida; quia militat eadem ratio in omnibus, quando fiunt vnum quid. Ideo enim in iis, quæ commiscentur, sacrum trahit ad se non sacrum, quia fiunt vnum quid, & proinde, id locum habebit in omnibus, quæ fiunt vnum quid, vt contingit in additamento Ecclesiæ, quod cum præcedenti communicat in vno, & eodem corpore Ecclesiæ. 2

QVÆSTIO 592.

An Cœmeteria sint capacia pollutionis.

SVMMARIVM.

1. *Cœmeteria secundum aliquos non sunt capacia pollutionis.*
2. *Communis sententia, quod sint capacia.*
3. *Cœmeteria iisdem causis polluuntur, quibus Ecclesia.*
4. *Eadem ratio de pollutione cœmeteriorum, & Ecclesiarum.*
5. *Polluta Ecclesia polluitur cœmeterium, si sit contiguum.*

Vbi

6. *Vbi id statuatur.*
Ecclesia trahit ad se Cæmeterium, vt accessorium.
7. *Polluto vno Cæmeterio non polluitur contiguum, licet sole pariete diuisum.*

1 PRima seotentia negat, Cœmeteria esse capacia pollutionis. Ita Sotus *in 4. distinct. 32. quæst. vnic. art. 3. conclus.*...Angles *in Florib. part. 1. de matrimonio quæst. 6. in fine.* Vega *tom. 1. sum. cap. 78. casu 1.* Graff. *part. 1. decis. cap. 83. num. 10.* Rodriquez *part. 1. sum. cap. 243. conclus. 19.* Nullam autem affetunt ratiooem talis resolutionis. Solum videtur posse in eo fundari, quod oon sint loca destinata pro diuinis officiis, atque adeò quamuis sint sacra ooo tamen siot sanctificata, nec specialis habitatio Dei.

2 Secunda senteotia est communis, asserens, esse capacia pollutionis. Ita Durand. *lib. 1. de diuin. offic. cap. 6. num. 45.* Paludan. *in 4. distinct. 18. quæst 8. art. 4. conclus. 3.* D. Antonin. *3. part. tit. 12. cap. 6. §. 7.* Syluest. *verbo* Cœmeterium *num. 2.* Tabiena *verbo* Consectatio 4. *num. 1. & 2.* Armilla *num. 2.* Azorius *part. 2. lib. 9. cap. 6. quæst. 2.* Nauarr. *cap. 16. Manual. num. 3. ver. Interrogatus.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 27. num. 5.* Corduba *in sum. quæst. 12.* Reginald. *lib. 29. Prax. fori pœnit. cap. 9. sect. 5. num. 187.* Sayr. *lib. 5. de censur. cap. 16. num. 28.* Auila *part. 5. de Censur. disput. 7. dub. 2. conclus. 2.* Sanchez *lib. 9. summ. disputat. 15. num. 40.* Suarez *disput. 81. de Eucharist. sect. 4. casu 5.* Facundez *precept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 14. num. 51.* Lugo Cardinal. *disput. 20. de Eucharist. sect. 2. num. 58.* Franeisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 6. quæst. 13. num. 101.* Layman. *lib. 5. Theol. moral. tractat. 5. cap. 5. num. 11.* Faustus *de Eucharist. lib. 2. quæst. 206.* Delbene *de Immunit. part. 1. cap. 2. dub. 2. sect. 11. num. 1.* Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 5. tit. 11. num. 3.* Passerin. *disput. 2. de pollut. Eccles. cap. 46. num. 4.*

3 Dicendum est. *Cœmeteria pollui per easdem causas, quibus polluitur Ecclesia.* Intelligitur autem de Cœmeteriis, oon solum destinatis pro sepultura fidelium, sed etiam benedictis. Ita statuitur à Bonifacio VIII. *in cap. vnic. de Consecrat. Eccles. in 6.* & constat ex praxi: nam si contiogant in ipsis actiones pollutiuæ, reconciliantur. Ratio verò est. Quia dum benedicuntur, sanctificaotur, & suo modo consecrantur, & dedicantur Deo in ordine ad sepulturam fidelium: ergo eorum sanctitas violari potest, non secus, ac sanctitas Ecclesiæ: atque adeò inferri macula, & pollutio.

4 Dicendum 2. *Quoad pollutionem, esse eandem rationem de Cœmeteriis, ac de Ecclesia.* Atque adeò, quando actiones pollutiuæ sunt in iis circunstantiis, in quibus polluunt Ecclesiam, pollueot etiam Cœmeterium. Ita Fusc. *lib. 1. de Visit. cap. 12. num. 7.* Piasec. *part. 1. prax. Episcop. cap. 5. num. 6.* Italia *de Immunit. Eccles. lib. 1. cap. 4. §. 7. num. 8.* Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 5. tit. 11. num. 19.* Passerin. *disput. 2. de pollut. Eccles. cap. 46. num. 5.* Et ratio est. Quia ius inducit easdem causas pollutiuas tam Ecclesiæ, quàm Cœmeterij: oeque facit aliquod discrimen: ergo in iis circunstantiis, in quibus polluont Ecclesiam, polluent etiam Cœmeterium.

5 Dicendum 3. *Polluta Ecclesia, pollui etiam Cœmeterium, si sit ipsi contiguum. Non tamen sequitur è contra, quod polluto Cœmeterio, polluatur Ecclesia.* Tunc autem Cœmeterium est contiguum Ecclesiæ, quando inter ipsum, & Ecclesiam nihil mediat, sed solum Cœmeterij iungitur muris Ecclesiæ. Et hoc habet locum, etiamsi per Ecclesiam non pateat ingressus in Cœmeterium,, sed tantùm aliunde: nam hoc non tollit, quin Cœmeterium ooo sit contiguum Ecclesiæ. Ita communiter Doctores, præsertim supra citati.

Hoc autem statuitur io cap. *Vnic. de consecrat. Eccles. in 6.* Vbi etiam assignatur ratio, cur polluta Ecclesia, polluatur & Cœmeterium: & non è contra, ibi, *Si Ecclesiam pollui sanguinis, aut seminis effusione contingat, ipsius Cœmeterium, si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum. Non sic quoque in casu conuerso sentimus, vt videlicet, polluto Cœmeterio, quamuis Ecclesia contiguo, debeat Ecclesia reputari polluta, ne minus dignum maius, aut accessorium principale ad se trahere videatur.* Trahit ergo Ecclesia ad se Cœmeterium tanquam sui accessorium: pro quo tamen requiritur contiguitas, vt scilicet fundetur ad inuicem aliqua communicatio. Quæ tamen communicatio noo sufficit de se, alioquin etiam, consecrata Ecclesia, deberet censeri etiam consecratum Cœmeterium: sed ideò valet quia accedit etiam determinatio Iuris. 6

Ex dictis sequitur, quod polluto vno Cœmeterio, noo polluatur alterum contiguom, quamuis solo pariete diuisum, & quamuis pateat per ostium ingressus de vno in aliud, vt notant Glos. *in cap. vnic. verbo* Violatum. *de consecrat. Eccles. in 6.* D. Antonin. *3. part. tit. 12. cap. 5. §. 7.* Palud. *in 4. dist. 18. quæst. 8. art. 4. conclus. 3.* Tabieoa *verbo* Cœmeterium *num. 1.* Syluest. *num. 3.* Armill. *num. 4.* Angel. *verbo* Consecratio Cœmet. *num. 1.* Sà *verbo* Ecclesia. *num. 23.* Azot. *part. 2. lib. 9. cap. 6. quæst. 3.* Sayt. *lib. 5. de censur. cap. 16. num. 28.* Auila *part. 5. de censur. disp. 7. dub. 2. conclus. 2.* Rodriquez *part. 1. sum. cap. 154. num. 13.* Viuald. *in Candel. tit. de interdict. cap. 3. num. 29.* Suarez *disp. 81. de Eucharist. sect. 4. casu 5.* Reginaldus *lib. 24. Prax. fori pœnit. cap. 9. sect. 5. num. 187.* Barbos. *de iure Eccles. lib. 2. cap. 9. num. 10.* Lezana *in sum. verbo* Cœmeterium *num. 4.* Layman. *lib. 5. Theol. moral. tractat. 5. cap. 5. num. 11.* Et ita statuitur in cap. *Vnic. de Consecrat. Eccles. in 6.* ibi. *Ideòque, violato eorum altero, alterum, licet de vno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus, non propter hoc reputabitur violatum.* Et ratio etiam ibi assignatur, quia paries intermedius facit, quod sint plura Cœmeteria: & cum sint æqualia, cessat ratio, quod magis dignum trahat minus dignum, quæ militat in Ecclesia, respectu Cœmeterij sibi aonexi. 7

QVÆSTIO 593.

An, si causa pollutiua contingat in limine intermedio, polluatur vtrumque Cæmeterium.

SVMMARIVM.

1. *Si causa pollutiua ponatur in muro intermedio, neutrum Cæmeterium pollui, qui sentiant.*
Ostium in odiosis non venit nomine domus.
2. *Vicinius censeri pollutum, qui sentiant.*
3. *Si causa pollutiua contingat in muro diuisorio, nullum Cæmeterium polluitur; theoricè loquendo.*
4. *Limen Cæmeterij cur non capax pollutionis.*
5. *Si causa pollutiua contingat in muro diuisorio in praxi vtrumque Cæmeterium habendum pro polluto.*
6. *Quia non sumus in dubio, sed vtrumque præsumitur pollutum.*

PRima sententia asserit, oeutrum pollui. Ita Passerin. *disput. 2. de pollut. Eccles. cap. 48. num. 6.* Quod etiam videtur sentire Sà *verbo* Ecclesia. *numero 23.* quatenus docet, quod cum hoc sit dubium, 1

neutrum debet censeri pollutum. Fundamentum huius sententiæ est, quia ostium in odiosis non venit nomine domus, vt tradunt Betoius *consil.* 177. Vincen. de Franch. *decis.* 402. *num.* 11. Nec mixtum continetur sub simplicibus, quale est ostium, seu limeo intermedium mixtum ex duobus, seu communi duobus.

2 Secunda sententia asserit, quod quando causa pollutiua contingit in parte alteri viciniori, censetur pollutum vicinius. Si verò fiat in medio, vtrumque Cœmeterium esse pollutum; nisi fortè constet, limeo seu ostium factum esse gratia alterius ex ipsis, quia tunc, tanquam accessorium illius, cuius gratia est factum, se haber tanquam pars ipsius, & in ipsum inducit pollutionem. Ita Gemin. *in cap. vnic. de consecrat. Eccles. in* 6. Ioan. Andr. *ibid.* Tabiena *verbo* Consecratio 4. *num.* 3. Angel. *verbo* Consecratio Cœmeterij. *num.* 2. Syluester. *verbo* Cœmeterium. *num.* 3. Aulla *part.* 5. *de censur. disput.* 7. *dub.* 2. *conclus.* 3. Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *casu* 5. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 154. *num.* 13. Reginald. *lib.* 29. *Prax. fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 5. *num.* 187. Azorius *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 6. *quæst.* 3. Vgolin. *de potest. Episcop. part.* 2. *cap.* 29. §. 6. *num.* 2. vet. *At quid.* Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *titul.* 12. *num.* 97. Stephan. à S. Greg. *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 31. *numero* 27.

3 Dicendum 1. *Si loquamur theoricè, & causa contingat in limine diuisorio, nullum Cœmeterium erit pollutum.* Ratio est, quia limen diuisorium non est pars Cœmeterij, neque venit nomine illius: nam Cœmeterium est locus deputatus pro sepultura, & eius sanctificatio consistit in solo, quatenus est receptaculum cadauerum. Et proinde ratione soli, & receptaculi cadauerum est capax pollutionis. Limen autem diuisorium non est pars huius receptaculi, cum non sit pars loci destinati, vt sit receptaculum cadauerum, sed sit ordinatum ad distinguenda receptacula, ergo cum non sit pars, neque participet sanctificationem, quæ adhæret solo, quatenus est receptaculum cadauerum, neque etiam erit capax pollutionis.

4 Dices. Ecclesiæ limen, quoad partem interiorem est capax pollutionis, vt dictum est, ergo etiam limen Cœmeterij. Resp. neg. Conseq. Quia est diuersa ratio. Nam Cœmeterium, vt dictum est, importat solum, quatenus est receptaculum cadauerum, & ideò quæ non communicant in ratione talis receptaculi, non veniunt nomine Cœmeterij. At Ecclesia importat locum destinatum pro diuinis officiis, & ideò quæ communicant hoc loco veniunt nomine Ecclesiæ, tanquam pars illius; tale autem est limen à parte interiori ostij, siquidem continetur intra superficiem, quæ constituit locum Ecclesiæ. At limen non communicat, vt pars soli receptiui cadauerum, cum nullo pacto ad ipsa recipienda ordinetur, vt dictum est.

5 Dicendum 2. *In praxi, nisi certo constet, causam pollutiuam non fuisse egressam limen diuisorium, vtrumque Cœmeterium habendum pro polluto.* In praxi enim difficile est, quod causa pollutiua ita sistat in limine, vt non egrediatur ipsum. Et ideò si non constet, quod non sit egressa, aut quod ad vnum, & non alterum diuerterit, vtrumque habendum est pro polluto. Ratio autem est. Quia causa pollutionis est certa: & est etiam certum, quod afficit locum, & non est certum, quod sit coarctata ad limen: imò, moraliter loquendo est impossibilis talis coarctatio, quia est impossibile, quod vulneratus, aut occisus, aut semen effundens permanserit tempore, quo ponebatur causa, ita præcisè in limine, quod non deflexerit ad vnum, vel alterum Cœmeterium: ergo, si non constat, quod præcisè steterit in limine, aut ad alterutrum deflexerit, præsumendum est tanquam regulariter contingere solitum, quod aut ad alterum, aut etiam ad vtrumque deflexerit, & ideò vtrumque Cœmeterium præsumendum est pollutum.

Dices. In dubio Ecclesia non est censenda polluta: ergo neque Cœmeterium. Resp. Ita est dicendum. Verum in præsenti casu non sumus in dubio, sed in eo, quod est moraliter præsumendum: quia scilicet certa est actio pollutiua, & est moraliter præsumendum, quod non fuerit coarctata ad solum limen ob difficultatem in praxi talis coarctationis: & quod proinde aut vtrumque, aut alterum saltem sit pollutum. Quod si alterum tantum est pollutum, & non constat, quodnam fuerit, vt certa sit reconciliatio polluti, debet vtrumque reconciliari. 6

QVÆSTIO 594.

Quodnam spatium importet Cœmeterium in ordine ad pollutionem.

SVMMARIVM.

PAsserin. *De pollut. Eccles. disputat.* 2. *cap.* 50. *num.* 5. existimat, quod Cœmeterium importet totum illud spatium, quod est à solo vsque ad cœlum, & proinde non habeat terminum aliquem, quo claudatur. Et infert, quod si aliquis suspensus è domo, aut Ecclesia supra Cœmeterium occideretur pollueretur Cœmeterium. Hoc autem prob. ex *lib. Si vitem,* §. *Si quis proiectum. ff. Quod vi, aut clam.* vbi dicitur, quod sepulchri locus sit non solum qui recipit humationem, sed etiam omne cœlum, quod est supra ipsum. 1

2 Tenendum tamen est, quod Cœmeterium non dicat in ordine ad pollutionem spatium supernum vsque ad cœlum, sed illud tantùm, intra quod posita sunt esse corpora, quæ tangunt immediatè, vel mediatè solum Cœmeterij. Vt proinde causa pollutiua contingens circa corpus, quod non tangat immediatè, aut mediatè solum, non polluat Cœmeterium. Ratio est. Quia spatium supra Cœmeterium non est pars Cœmeterij, quia Cœmeterium est tantùm receptaculum cadauerum, & proinde importat tantùm ipsum solum, in quo recipiuntur, & benedictio ipsius adhæret solo, vt admittunt communiter. Et quatenus locus est, cum debeat concurrere ad locandum secundum propriam superficiem, aliàs non haberet rationem loci, non potest exigere maius spatium, quàm aërem superfusum, quàm extendatur locatum: nam exigit tantum spatium supernum, vt secum concurrens ad locandum: non concurrit autem simul ad locandum, nisi quatenus sua superficie circundat corpus tangens solum Cœmeterij.

Confirm.

3 Confirm. Si ad Cœmeterium pertineret totum spatium, quod est supra ipsum vsque ad cœlum; pertineret etiam illud spatium, quod non est sub humana dispositione, & circa quod homines nullam possunt exercere operationem. Atque adeò esset capax pollutionis illud spatium, circa, quod est impossibile exerceri actionem pollutiuam. Rursus, illud spatium esset capax pollutionis, ad quod non potest pertingere benedictio: neque enim benedictio, etiam secundum moralem sanctificationem, se extendit vltra sphæram humanæ actiuitatis: sphæra autem humanæ actiuitatis non se extendit vsque ad cœlum.

4 Confirm. 2. Quia Ecclesia non dicit maius spatium in ordine ad pollutionem, quàm vsque ad tectum, si contingat destrui tectum, non crescit huiusmodi spatium vsque ad cœlum, vt admittit etiam idem Passerin. *cit. cap. num.* 7. Ergo quia Cœmeterium cum tecto non diceret spatium vsque ad cœlum, sed tantum vsque ad tectum: ita neque etiam dicet, si careat tecto.

5 Neque vrget fundamentum oppositæ sententiæ. nam in illa lege solum statuitur, quod locus sepulchri sit etiam omne cœlum, quod est supra sepulchrum: intelligitur autem omne cœlum, secundum extensionem, non secundum altitudinem: omne autem cœlum secundum extensionem, seu latitudinem est locus sepulchri, quatenus simul cum solo sepulchri aptum est locare corpora, vt dictum est *num.* 2. quia non est locus, nisi quatenus est aptum ad locandum. Ex quibus fit, quod quamuis occideretur aliquis appensus in aëre supra Cœmeterium, quamuis occideretur supra Cœmeterium, non tamen occideretur in Cœmeterio, quia secundum se totum contineretur ab aëre, & ideò solus aër esset locus ipsius; non autem Cœmeterium, quia ex nulla parte concurreret ad continendum: atque adeò non pollueretur Cœmeterium.

6 Dices. Si occideretur appensus in Ecclesia, pollueretur, licet occisus totus contineretur ab aëre, in quo esset tanquam in loco. Respon. Esse diuersam rationem, quia cum Ecclesia sit c[illegible]sa suis terminis, totum spatium, quod est intra hos terminos, venit nomine Ecclesiæ, vt cum communi dictum est, in superioribus. Et ideò quidquid est intra hoc spatium, est intra Ecclesiam. Quia scilicet Ecclesia non continet solum ratione locationis, sed etiam ratione ambitus. At Cœmeterium solum continet ratione soli, atque adeò solum ratione locationis.

QVÆSTIO 595.

Quid faciendum, si dubium sit, an Cœmeterium sit benedictum.

SVMMARIVM.

1. *In dubio deficientibus præsumptionibus Cœmeterium non habendum pro benedicto.*
2. *Cœmeterium præsumitur benedictum, si sit circa Ecclesiam benedictam.*
3. *Si Ecclesia sit antiqua, & locus habeatur pro Cœmeterio ipsius, præsumitur benedictum.*
4. *Quantitas considerabilis sepultorum facit præsumi Cœmeterium benedictum.*
   Quod est contra prohibitionem non præsumitur.

1 QVia Cœmeterium non est capax pollutionis, nisi sit benedictum; ideò quando non constat de benedictione recurrendum est ad præsumptiones pro benedictione; quæ si desint, habendum est pro non benedicto: quia benedictio non est asserenda, nisi de ea constet, aut nisi præsumi possit, aliàs sine fundamento assereretur aliquid factum quod eodem modo posset negari factum.

2 Tunc autem præsumi potest Cœmeterium benedictum, quando est circa ipsam Ecclesiam, præsertim si constet, quod Ecclesia fuerit benedicta intelligitur autem de spatio non maiori quadraginta passibus, nec minori triginta. Ita Menoch. *præsumpt.* 72. *num.* 18. *lib.* 6. pro qua præsumptione plura allegat. Quæ tamen mihi non videtur sufficiens, nisi concurrat aliqua alia coniectura; quia non semper locus circa Ecclesiam eligitur pro Cœmeterio. Si autem Ecclesia haberet ius sepulturæ, & non adsit aliud Cœmeterium, nec in Ecclesia sepeliantur defuncti, tunc præsumptio haberet vim maiorem, quamuis neque adhuc concludentem.

3 Secunda præsumptio, & melior est, quando locus est reputatus pro Ecclesiæ Cœmeterio, & Ecclesia est antiqua. Ita Zabarell. *in Clement.* 1. *vet. Sed si dm. de sepult.* Mascard. *de probat. concl.* 289. *tom.* 1. Menoch. *dict. præsumpt.* 72. *num.* 21. Nam eo ipso quod habetur pro Cœmeterio, supponitur institutum in hunc finem iuxta Ecclesiæ ritum, atque adeò cum benedictione.

4 Tertia præsumptio, & fortissima. Si in loco Cœmeterij reperiatur sepulta quantitas considerabilis cadauerum. Ita Menoch. *dict. præsumpt.* 72. *num.* 22. *lib.* 6. Nam si non esset Cœmeterium benedictum, sequeretur, quod fideles fuissent sepulti in loco non sacro, contra consuetudinem, & prohibitionem Ecclesiæ, quæ prohibet sepeliri cadauera in loco non sacro. Vnde cum non possit præsumi antecessores Rectores Ecclesiæ in hoc deliquisse, iuxta *l. Merito. ff. Pro socio.* debet præsumi Cœmeterium benedictum.

DE PVBLICITATE actionum pollutiuarum Ecclesiæ.



QVAMVIS vt plurimum Doctores inquirant, an seminis effusio debeat esse publica, vt polluat Ecclesiam; conueniunt tamen, quod sit eadem ratio quoad omnes, & de hac causa specialiter solet inquiri; quia, si accidit, vt plurimum secreta est. Cæteræ verò regulariter sunt publicæ.

QVÆSTIO 596.

An, & quæ publicitas requiratur, vt sequatur pollutio.

SVMMARIVM.

1. *Actiones pollutiuæ Ecclesiæ debent esse publicæ, vt sequatur pollutio.*
2. *Cur debeant esse publicæ.*
3. *Quomodo polluant ratione irreuerentiæ.*
4. *Quæcunque publicitas sufficit, vt polluatur Ecclesia.*

5. *Vt actio pollutiua Ecclesiæ sit publica, sufficit extraiudicialis confessio delinquentis.*
6. *Vt actio pollutiua Ecclesiæ sit publica, non sufficit, quod in iudicio possit probari.*
7. *Neque quod sit deducta ad forum externum.*
8. *Neque quod sit mox publicanda.*
9. *Probatio in iudicio non sufficit, vt causa pollutiua polluat, nisi accedat credulitas populi.*
10. *Vt causa pollutiua sit famosa, sufficit fama proueniens ex scientia vnius.*
Rumor de causa pollutiua non sufficit, vt Ecclesia habeatur pro polluta.

1 Dicendum 1. *Actiones pollutiuas debere esse publicas, vt sequatur pollutio Ecclesiæ.* Ita communiter Glos. *in cap. vnic. verbo* Pollui. *de consecrat. Eccles. in* 6. Ioan. Andr. *ibid.* Hostien. *in summ. lib.* 3. Tit. *de consecrat. Eccles. num.* 5. §. *Et an sit iteranda.* Richard. *in* 4. *dist.* 13. *art.* 4. *quæst.* 1. Sotus *quæst.* 2. *art.* 3. *arg.* 2. *dicto* 4. ver. *Et est hic*, Baccon. *distinct.* 10. *quæst.* 2. *art.* 3. Paludan. *distinct.* 18. *quæst.* 8. *art.* 4. *conclus.* 2. Asten. *part.* 2. *sum. lib.* 6. *tit.* 29. *art.* 3 *init.* Tabiena *verbo* Consecratio 2. *num.* 8. Syluester. *quæst.* 5. *casu* 3. *in fine.* Armilla *num.* 4. Nauar. *cap.* 16. *Manual. num.* 32. ver. *Quarto.* & *cap.* 27. *num.* 256. *in fine* Castro *lib.* 1. *de leg. pœnit. cap.* 15. *conclus.* 3. *in fin.* Lopez *part.* 1. *instruct. cap.* 82. §. *At vero de redditione.* Lessius *lib.* 4. *de Iust. & iur. cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 86. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 27. *num.* 5. Zerola *in prax. part.* 1. *verbo* Pollutio. *num.* 1. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 11. & 26. Philiar. *de offic. Sacerd. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.* 16. *num.* 10. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 154. *num.* 12. Sanchez *lib.* 9. *de matrimon. disp.* 15. *num.* 12. Piasec. *part.* 1. *Prax. Episcop. cap.* 5. *num.* 5. ver. *Sacrilegio.* Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *casu* 3. *dub.* 2. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *n.* 31. Reginald. *lib. Praxi fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 5. *num.* 183. Bonac. *quæst.* 4. *de matrim. punct. vlt. num.* 25. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tractat.* 5. *cap.* 5. *num.* 8. Coninch. *de sacramen. quæst.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. *num.* 230. Lugo Cardin. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.* 2. *num.* 55. Pontius *lib.* 10. *de matrimon. cap.* 10. *in fine.* Palaus *part.* 2. *oper. moral. tractat.* 11. *disput.* 1. *punct.* 1. *num.* 2. ver. *Secundo ad polluendam.* Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disput.* 4. *dub.* 7. *num.* 118. Faustus *de Eucharist. lib.* 2. *quæst.* 201. Amicus *tom.* 7. *Curs. Theol. disput.* 33. *sect.* 12. *num.* 134. Delbene *part.* 1. *de immunit. cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 3. *num.* 1. Gaspar Hurtad. *de sacrament. disput.* 4. *de sacrific. Miss. difficult.* 7. ver. *Secundo violatur.* Caspens. *part.* 2. *Curs. Theol. tractat.* 23. *disput.* 3. *sect.* 3. *sect.* 3. *num.* 71. Francisc. Lugo *de sacrament. lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 12. *num.* 79. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubr. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 61. & 111. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 2. *dub.* 8. *init.* Passerin. *disput.* 3. *de pollut. Eccles. cap.* 12. *num.* 4.

2 Desumitur ex cap. *Significasti de adulter.* vbi decernitur, Ecclesiam remansisse pollutam ratione adulterij in ea commissi, quia adultera suum delictum confessa fuerat. Vnde si non fuisset confessa, non remansisset polluta. Ratio autem est. Quia pollutio est maculatio sanctitatis, quam habet Ecclesia ex benedictione, seu consecratione; non quoad se, sed in hominum opinione, vt dictum est in superioribus: ergo, vt sequatur pollutio, necesse est, quod causa pollutiua generet hanc opinionem maculationis. Non potest autem generare, quamdiu est secreta, sed necesse est, quod publicetur.

3 Dices. Actiones pollutiuæ polluunt Ecclesiam ratione irreuerentiæ, quam continent erga ipsius sanctitatem: ergo semper polluent, siue publicæ, siue secretæ sint, quia semper continent eandem irreuerentiam. Respond. Polluere ratione irreuerentiæ in ordine ad hominum apprehensionem: & quatenus apud ipsos generant auersionem ratione indignitatis, & irreuerentiæ, quam apprehendunt in ordine ad sanctitatem Ecclesiæ, quod non faciunt, nisi publicæ sint.

Dicendum 2. *Sufficere quamcumque publicitatem actionum pollutiuarum, vt polluatur Ecclesia.* Atque adeò non solum sufficiet notorietas facti, sed etiam famositas, siue proueniat ex confessione delinquentis siue ex fama, quæ ortum duxerit ab iis, qui præsentes fuerint. Ita communiter Glos. *in cap. vnic. verbo* Pollut. *de censur. Eccles. in* 6. Ioan. Andr. *ibid.* Hostiens. *in sum. lib.* 3. Tit. *de consecrat Eccles. num.* 5. §. *Et an sit iteranda.* Richard. *in* 4. *dist.* 13. *art.* 4. *quæst.* 1. Sotus *quæst.* 2. *art.* 3 *argum.* 2. *dicto* 4. ver. *Et est hic.* Syluester. *verbo* Consecratio 2. *quæst.* 5. *casu* 3. *in fine.* Nauar. *cap.* 16. *Manual. num.* 32. ver. *Quarto.* & *cap.* 27. *num.* 256. *in fine.* Lessius *lib.* 4. *de Iustit. & iur. cap.* 3. *dub.* 12. *num.* 86. *in fine.* Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 154. *num.* 12. Victoria *in sum. tit. de Eucharist. num.* 99. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 27. Azor. *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 5. *quæst.* 2. Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.* 16. *num.* 10. Sanchez *lib.* 9. *de matrimon. disp.* 15. *num.* 11. Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *casu* 3. *dub.* 2. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 33. Reginald. *lib.* 29. *praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 5. *num.* 183. Bonac. *quæst.* 4. *de matrimon. punct. vltim. num.* 25. Coninch. *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. *num.* 230. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 8. Auila *part.* 5. *de censur. disput.* 7. *dub.* 3. Lugo Cardinal. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.* 1. *num.* 55. Amicus *tom.* 7. *Curs. Theol. disput.* 33. *sect.* 12. *num.* 134. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de de sacrament. cap.* 6. *quæst.* 12. *num.* 79. Palaus *part.* 2. *oper. moral. tract.* 11. *disp.* 1. *punct.* 1. *num.* 2. *in fine.* Passerin. *disput.* 4. *de pollut. Eccles. cap.* 1. *num.* 4. Ratio autem est, Quia in tantum requiritur publicitas, in quantum est necessaria ad causandam opinionem de maculatione Ecclesiæ: ergo sufficiet illa publicitas, quæ potest causare hanc opinionem: quæcumque autem publicitas est sufficiens ad illam causandam. Hinc in cap. *Significasti, de adulter.* Ecclesia declaratur polluta, quia ex sola confessione delinquentis publicatum fuit delictum.

Ex quibus colligitur: Quod vt actiones pollutiuæ publicæ fiant ex confessione delinquentium, non requiritur, quod confessio sit iudicialis, sed sufficit etiam extraiudicialis, vt clarè desumitur ex d. cap. *Significasti, de adulter.* Nam mulier adultera non fuerat confessa adulterium commissum in Ecclesia in iudicio, sed extraiudicialiter: & nihilominus Pontifex iussit, Ecclesiam reconciliari. Quoad effectum namque pollutionis idem operatur confessio iudicialis, ac extraiudicialis; cum vtraque sufficiat ad causandam opinionem de iniuria illata Ecclesiæ. 5

Secundò colligitur cum Pontio *lib.* 10. *de matrimonio, cap.* 10. *num.* 15. *in fine.* Barbos. *de potest. Episcop. allegat.* 28. *num.* 39. Passerino *de pollut. Eccles. disp.* 4. *cap.* 9. *num.* 4. Non sufficere, vt causæ pollutiuæ dicantur publicæ, quod in iudicio probari possint. Ratio est, quia ad eas probandas sufficit notitia certa duorum: dum autem duo tantùm norunt, non possunt dici publicæ: imò adhuc sunt occultæ; quia neque sunt notoriæ notorietate iuris, neque notorietate facti. 6

Tertiò colligitur cum Passerin. *disput.* 4. *de pollut. Eccles. cap.* 10. *num.* 4. Neque sufficere ad reddendam causam pollutiuam publicam, quod sit deducta ad forum externum. Nam plura deducuntur, quæ tamen non probantur. Imò ante probationem retinent eundem statum, quem habebant, antequam deducerentur. Imò neque sufficit, quod probentur; sed oportet etiam, quod in populo innotescat 7

notescat probatio, vt possit causare opinionem de maculatione Ecclesiæ. Imo probatio, antequam publicetur, eum fiat coram paucis, habetur pro secreta.

8 Quartò colligitur contra Passerin. *disp.4. de pollut. Eccles. cap.11.num.4.* Non sufficere, quod causa pollutiua sit mox publicanda, vt Ecclesia habeatur pro polluta, sed requiri, quod præcedat publicatio. Ratio est. Quia publicatio aut est causa, aut saltem conditio, sub qua causa pollutiua infert pollutionem, aut saltem facit, quod Ecclesia habeatur pro polluta. Causa autem cum omnibus prærequisitis ad inducendum suum effectum, debet præcedere eundem effectum; itavt non possit haberi effectus, nisi omnia requisita ex parte causæ præcesserint. Et ideo non potest haberi Ecclesia pro polluta, nisi prius præcedat publicatio causæ.

9 Quintò colligitur cum Passerin. *cit. disp.4 de pollut. Eccles.* non sufficere ad inducendam pollutionem, quod causa pollutiua sit probata in iudicio, nisi etiam accedat credulitas populi. Vnde, si populus putaret, esse falsò probatum; non esset Ecclesia habenda pro polluta: quia tunc causa pollutiua non sortiretur suum effectum. Cum enim pollutio consistat in hominum opinione de maculatione sanctitatis Ecclesiæ, quousque non consurgit hæc opinio, non est habenda Ecclesia pro polluta. Non consurgit autem, licet delictum sit probatum in iudicio, si adhuc populus putet, non esse verum, sed falsò fuisse probatum.

10 Sextò colligitur, Quod vt causa pollutiua famosa fiat, & publica sufficienter in ordine ad inducendam pollutionem, sufficit, quod ortum habuerit fama ex scientia vnius: dummodo iste sit talis conditionis, vt mereatur fidem. Hoc elarè deducitur ex cap. *Significasti, de adulter.* vbi publicitas adulterij commissi in Ecclesia ortum habuit tantùm ex confessione, seu dicto adulteræ. Et ratio est, Quia vnius dictum merentis fidem sufficit ad causandam opinionem, licet non causandam firmam fidem. Vt autem habeatur Ecclesia pro polluta sufficit opinio. Quod præsertim locum habet, si dictum ipsius adminiculearetur coniecturis verisimilibus: quia tunc non tam ex ipsius dicto, quàm ex coniecturis innotesceret factum.

11 Septimò colligitur, Quod etiamsi adesset communis rumor in populo de causa pollutiua; non per hoc tamen Ecclesia habenda esset pro polluta, nisi talis rumor habeat sufficiens fundamentum, vt notat etiam Passerin. *de pollut. Eccles. disp.4. cap.14. num.6.* Nam, nisi haberet fundamentum sufficiens, habendus esset pro vano rumore, & iudicandum esset, quod populus non præberet assensum; atque adeo, quod non haberet locum opinio de pollutione.

QVÆSTIO 597.

Quid faciendum Sacerdoti, si in confessione cognouerit, Ecclesiam fuisse pollutam.

SVMMARIVM.

1. *Sacerdos cognoscens in confessione Ecclesiam esse pollutam, quid præstare debeat,* & n.seq.
3. *Se gerere debet, tanquam si nihil sciret.*
   Sacerdos audiens confessiones repræsentat Tribunal Christi.
4. *Sacerdos sciens in confessione pollutam Ecclesiam non tenetur occurrere pollutioni.*
5. *Quænam confessio delinquentis faciat Ecclesiam haberi pro polluta.*
   Detegens publicè delictum pollutiuum Ecclesiæ, inducit necessitatem reconciliationis.
6. *Confessarius audiens delictum pollutiuum Ecclesiæ, non debet petere licentiam manifestandi pollutionem.*
7. *Polluens occultè Ecclesiam potest in ipsa celebrare.*

PRima sententia asserit, huiusmodi Sacerdotem debere notificare Episcopo, quod Ecclesia indiget consecratione, absque eo quod quicquam aliud manifestet: & interim tutius esse abstinere à celebratione. Ita Hostien. *in sum.* Tit. *de pænit. & remiss. num.53 §. Et in quo tenetur.* Angel. *verbo* Confessio 8. *quæst.* 11. Summa Confessor. *lib.3. tit.34. quæst.154.* Asten. *part.2. sum. lib.6. tit.29. art.3. in.it.* Fundatur in eo, quod iste casus videatur ille, de quo in cap. *Significasti, de adulter.* Nam Sacerdos in confessione audierat Ecclesiam pollutam per adulterium, & notificauit Episcopo. 1

Secunda sententia docet, nullam rationem habendam huius cognitionis, & proinde se gerere debere, tanquam si nihil sciret. Ita Syluest. *verbo* Confessio 3. *quæst.* 18. Tabiena *numer.*14. *in fine.* Angel. *verbo* Confessio 8. *quæst.*11. Palud. *in 4. dist.18.qu.8. art 4. conclus.2. in fine.* Sayr. *lib.5. de censur. cap.16.num.10. in fine.* Barbos. *de potest. Episc. allegat* 28. *num.*41. Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.12.n.65.* Passerin. *disp.4. de pollut. Eccles. cap.8. n.4.* 2

Dicendum est. *Sacerdotem scientem in confessione contigisse in Ecclesia causam pollutiuam, se debere gerere, tanquam si omninò nihil sciret.* Et proinde debere continuare celebrationem, tanquam si talis causa non contigisset. Ratio est, Quia Sacerdos in actu audiendi confessionem repræsentat personam Christi, & tribunal ipsius, & se habet tanquam Iudex procedens nomine Christi, vt habet Concil. Trident. *sess.14. cap.5. de pænit.* Ergo notitia, quam acquirit in tali Tribunali, est omninò segregata ab humano commercio; ita vt sine iniuria illius tribunalis, & Christi non possit trahi ad ea, quæ sunt humani commercij: ergo non potest Sacerdos ea vti neque in genere, in ordine ad manifestandam causam pollutiuam in communi; nam traheretur ad humanum commercium, ad quod spectat pollutio Ecclesiæ, tanquam iure humano introducta. 3

Confirm. In tantum deberet talis Sacerdos manifestare Episcopo indigentiam reconciliationis Ecclesiæ, in quantum id esset necessarium pro remedio pollutionis. Sed non est necessarium, Quia quandiù causa pollutiua remanet occulta, Ecclesia aut non est polluta, aut saltem non est habenda pro polluta; atque adeo nec etiam reconcilianda: Quia tunc tantùm reconciliatio est necessaria, quando in opinione hominum Ecclesia est polluta. 4

Ad fundamentum in oppositum, ex illo tex. nihil concludi, nam quamuis dicatur, quod adultera confessa fuerit delictum, non tamen dicitur, quod confessa fuerit sacramentaliter: & ideo debet intelligi de confessione extraiudiciali, quia fortè ille Sacerdos habuit coniecturas delicti, & potuit interrogare mulierem extraiudicialiter, & illa confiteri. Deinde, non approbatur in illo text. quod Sacerdos detulerit factum ad Episcopum: imo in hoc malè fecit, nam non debuit infamare mulierem, cum delictum esset occultum, nec debuit vti confessione mulieris in eius præiudicium. Pontifex autem respondit, Ecclesiam esse reconciliandam, non quia in ipsa successerat delictum, quia tanquam occultum non inducebat pollutionem: sed quia Sacerdos publicè detexerat delictum Episcopo, vt constat ex illis verbis dict. text. *Publicè tibi detexerat.* Et proinde publicauerat iam delictum. In quo similiter errauit, quia debebat secretò monere Episcopum. 5

6 Ex dictis colligitur. Confessarium audientem in confessione delictum pollutiuum Ecclesiæ, in ea commissum, non debere petere licentiam à pœnitente manifestandi, quod Ecclesia indigeat teconciliatione ob delictum in ea commissum, vt putat Abb. *in illum text. num. 5.* fecisse Sacetdotem, de quo in dict. Cap. *Significasti, de adulter.* Quia neque Ecclesia, stante quod delictum sit occultum, indiget teconciliatione: neque pœnitens tenetut date huiusmodi licentiam, neque Sacerdos petere potest; cum non possit scientiam confessionis conuertere ad ea, quæ sunt humani commercij, quando aliàs pœoitens ooit tenetut teuelare, quod secretò scit.

7 Secundò colligitur cum Pace Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 5. tit. 12. num. 67.* Quod ille quoque, qui in Ecclesia commisit delictum pollutiuum, possit in ea celebtate, tanquam si non fuisset commissum huiusmodi delictum. Nam quandiù manet occultum, Ecclesia oon habetur pro polluta; & ideò nec etiam qui commisit delictum, habete debet; quia eius scientia, sicut non facit delictum publicum, ita nec etiam facit, quod debeat habere Ecclesiam pro polluta.

QVÆSTIO. 598.

An, si pars populi putet Ecclesiam pollutam, pars verò existimet non pollutam, sit habenda pro polluta.

SVMMARIVM.

1. *Quid faciendum si pars populi putet Ecclesiam pollutam, & pars non pollutam.*
2. *Stante quod pars populi sentiat Ecclesiam esse pollutam; & pars non esse pollutam iudicium pertinet ad Episcopum.*
3. *Quid ab Episcopo in ferendo hoc iudicio attendendum.*
4. *Si iudex pronunciet sententiam pollutiuam contigisse in Ecclesia; erit habenda pro polluta.*
5. *Episcopus tolerans pollutionem Ecclesiæ illam tollit.*
Dissimulans pollutionem Ecclesiæ grauiter peccat.

1 Contiogere potest, quod opinio populi sit diuersa circa pollutionem Ecclesiæ, eo quod aliqui negent, causam pollutiuam sequutam fuisse io Ecclesia; aliqui verò affirment. Vnde in hac discrepantia dubitatut, quid sentiendum sit. Pluta cumulat Passerio. *disput. 4. de pollut. Eccles. cap. 13. num. 4. & sequent.* Et ptimò, quod si populus sit diuisus in duas partes æquales, vnam affirmantium, & alteram negantium, tanquam in dubio iudicaodum, Ecclesiam non esse pollutam. Secundò, si maior pars affirmet, Ecclesiam habendam pto polluta, si verò neget, non habendam pto polluta, nisi præsumatur detiuatuta in maiorem partem. Tertiò, si populus sit diuisus in tres partes, quarum vna nec affirmet, nec neget, tunc standum esse Iudicis atbitrio; qui pensatis omnibus, decernet, quid sentiendum sit. Quartò, si medietas populi sciat euidentia facti, actionem pollutiuam sequutam in Ecclesia: & alia medietas ex legitima Iudicis sententia non fuisse sequutam; noo haberi sufficientem publicitatem: quia causa pollutiua non est notoria sufficienter notorietate facti, cum medietas tantùm populi sciat, & aliàs potius standum sit probatis in iudicio, cum ibi dictum testium sit iutatum. Quintò, si medietas populi sciat euideotia facti, causam pollutiuam non fuisse sequutam in Ecclesia: & alia medietas sciat ex legitima Iudicis sententia, fuisse sequutam, oon sufficere ad publicitatem, quia noo adest opinio pollutionis in maioti parte; nam ob euidentiam facti sententia Iudicis ab alia medietate non recipitur.

Verum hæc pro praxi inseruire oon possunt, & 2 continent casus motaliter impossibiles: quod scilicet adsit euideotia facti in medietate populi, & contrarium ptobetut in iudicio: Quod partes affirmans, & negaos sint omninò æquales. Casus autem, qui motaliter cootingere potest, est, quod plutes affirment, & plures negent. Et tuoc adest opposita opinio in populo, & proinde, secundum aliquos, Ecclesia est polluta; secundum autem alios, non est polluta. In quo opinionum conflictu pertiocbit ad Episcopum ferre sententiam, & statuete, an Ecclesia sit polluta, an oon. In ferendo autem huiusmodi iudicio, non erit habenda ratio numeri asserentium, & negantium: siquidem dictum, & opinio populi recipit augmentum, & diminutionem populari modo, & absque debita poodetatiooe: nam vulgus tegitut impetu, non ratione.

Itaqne considerare debebit in primis, an adsiot 3 petsonæ fide dignæ, quæ de facto, ex cetta scientia, & de euidentia testentur. Quæ si non adsint, recurtendum etit ad motiua asserentium, & negantium; & videndum, an adsint motiua sufficientia iudicandi pollutam Ecclesiam. Quæ si non adsint, non erit habenda tatio opinionis assetentium tanquam destitutæ fundamento sufficienti. Quod etiam habet locum, etiamsi maior pats asseteret, & ideò reijcienda. Quod si motiua asserentium siot sufficientia, etiamsi minot pats asserat, Ecclesia erit habenda pro polluta, quia non possunt cæteri rationabiliter negare, nisi habeant fundamentum suæ negationis. Quod si adsit, motiua affirmandi non erunt sufficientia; quia non adetit motiuum negaodi, oisi ptobetur negatiua coarctata ad tempus, & locum, & tunc certum fiet, quod oon erit polluta Ecclesia, & excludentur motiua in coottarium.

Denique com sententia Iudicis legitimè prolata 4 faciat ootorium iuris, erit habenda Ecclesia pto polluta, si Iudex sententiet, causam pollutiuam contigisse in Ecclesia. Sententia enim facit oototium iuris quoad omnes. Vnde cum ad inducendam pollutioneo sufficiat quæcuoque publicitas, siue facti, siue iutis, siue famositatis, vt admittit etiam ipsemet Passerious *disput. 4. de pollut. Eccles. cap. 1.* sententia inducet sufficientem publicitatem pro pollutione. Nec obstat quod aliqua pars populi teneat oppositum illius, quod ptonunciatum est per sententiam: nam adhuc sententia teddit factum publicum, atque adeò sufficiens ad inducendam pollutionem.

Ex dictis colligitut, Quod siue opinio pollutionis 5 sit diuersa in populo, siue sit conformis, si Ecclesia, seu Episcopus toleret pollutionem, & se gerat, ac si non esset sequuta, sufficiet ad elidendam pollutionem, quamuis Passerin. *disput. 4. de pollut. Eccles. cap. 16. num. 4.* oppositum sentiat. Ratio est. Quia talis dissimulatio habet vim dispergendi paulatim opinionem populi de pollutione, atque adeò tollendi publicitatem: nam videntes, Ecclesiam non haberi pro polluta ab iis, ad quos spectat, incipiuot sibi persuadere, id rationabiliter fieri, & proinde causam non fuisse sufficientem ad inducendam pollutionem, aut non habuisse illas conditiones, quæ necessatiæ sunt, vt inducatur pollutio. Verum tamen est, quod dissimulantes pollutionem mortaliter peccarent, quia in te graoi facerent contra institutionem Ecclesiasticam: & se exponetcot periculo

geoc

generandi scandalum in populo, & præberent occasionem cæteris contemnendi Ecclesiasticas institutiones.

QVÆSTIO 599.

An causa occulta polluat Ecclesiam ante publicationem.

SVMMARIVM.

1. *Posita causa pollutiua ponitur fundamentum pollutionis.*
2. *Statim ac ponitur causa sequitur pollutio secundum aliquos.*
3. *Requiri conditionem publicationis, qui sentiant.*
4. *Quandiù causa est occulta Ecclesia non remanet polluta.*
   Conditionalis dispositio non habet locum, nisi existente conditione.
5. *Praxis subsequuta interpretatur ius.*
6. *Causa pollutionis non inducit effectum, nisi dependenter à publicitate.*
7. *Ecclesia non acceptat causas pollutiuas, vt pollutiuas, nisi sint publicæ.*
   Dispositum sub vna conditione sub opposita non censetur dispositum.
8. *Pollutio quomodo afficiat Ecclesiam.*
9. *Causa pollutiuæ vnde habeant, quod polluant Ecclesiam.*
10. *Pollutio Ecclesiæ non potest auferri ante publicationem facti pollutiui.*
11. *Pollutio Ecclesiæ consurgit ex publicatione facti pollutiui.*

1 Difficultas in eo sita est: An quamuis Ecclesia non habeatur pro polluta, stante causa occulta, reuera tamen sit in se polluta: an verò, non solum non habeatur pro polluta, sed neque reuera sit polluta. In hac autem difficultate certum est, quod posita causa pollutiua, ponitur statim fundamentum pollutionis, seu id, quo inducitur pollutio, & proinde publicitas causæ non potest esse nisi conditio, à qua dependeat pollutio, itavt causa illa pollutiua non habeat sortiri suum effectum, nisi posita tali conditione, an verò sortiatur independenter à con-
2 ditione, licet nondum habeatur pro polluta.

Prima sententia asserit, statim ac ponitur causa, Ecclesiam remanere pollutam verè, & in se, licet non habeatur pro polluta; quia non adest publica notitia de pollutione. Ita significant D. Antonin. 3. *part. tit.*1.*cap.*20. §.2. Palud. *in* 4.*distinct.* 31. *quæst.*3. *art.*2. *num.*14 Adrian. *quæst.*14. *de matrim.* §. *Pro huius succincta.* Tabiena *verbo* Matrimonium 3.*num.*10. Nauarr. *cap.*16. *Manual. num.*32. vers. *Quartò.* Lessius *lib.*4. *de iust. & iur. cap.*3. *num* 87. Azor. *part.*1. *lib.*10. *cap.*26. *quæst.*13. Sanchez *lib.*9. *de matrimon. disput.*16. *num.*11. Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacrament. cap.*6. *quæst.*12. *num.*87. Pax Iordan. *tom.*1. *Lucubrat. lib.*5. *tit.*12. *num.*68. Fundamentum est. Quia huiusmodi actiones polluunt Ecclesiam ratione sacrilegij, & indecentiæ, quam habent cum sanctitate loci. Habent autem rationem sacrilegij, & huiusmodi indecentiam independenter à publicatione. Confirm. Si sequuta causa pollutionis, dum adhuc est occulta, reconcilietur Ecclesia, quæ erat tantùm benedicta à rectore conscio causæ, si postea publicetur causa pollutionis, non erit necessaria alia reconciliatio: ergo verè Ecclesia erat polluta ante publicationem. Confirm. 2. Si per causam occultam non pollueretur Ecclesia, neque posita publicatione Ecclesia indigeret reconciliatione, sicuti quia v.g. per copulam coniugalem, quando est licita in loco sacro, non polluitur, neque si publicetur indiget reconciliatione. 3

4 Secunda sententia docet, non pollui per causam occultam, nisi quando publicatur, itavt posita tantùm publicatione, incipiat esse polluta. Ita ij, qui docent absolutè, Ecclesiam per causam occultam non pollui. Ita Sayr. *lib.*5. *de censur. cap.*16. *num.*10. Graff. *part.*1. *decis. lib.*2. *cap.*48. *num.*11. & 16. Coninch. *de sacrament. quæst.*83. *art.*3. *dub.* 1. *num.*130. & alij ex citatis *suprà suo loco.* Et in terminis Vasquez 1.2. *disputat.*98. *num.*3. Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 2. *de reuer. deb. loc. sacr. lib.*3. *cap.*7. *num.*4. Pontius *lib.*10. *de matrim. cap.*10. *num.*15. Delbene *part.*1. *de immunit. cap.*2. *dub.* 2. *sect.* 3. *num.* 24.

4 Dicendum est. *Quandiu causa pollutiua manet occulta, Ecclesiam nec reputari, nec esse verè pollutam.* Prob Iura, quæ disponunt, Ecclesias pollui per certas causas, disponũt sub cõditione, quod huiusmodi causæ polluant, si sint publicæ, aut contingat publicari: ergo pollutio non sortitur effectum ex his causis, nisi posita conditione, sed suspenditur in euentum conditionis. Hæc est enim natura conditionalis dispositionis, vt solum habeat locum, existente conditione; & non habeat, non existente, *l.*1. vers. *Huius rei, ff. de off. eius cui mand. & iurisd.* & *l.* 17. *ff. Mandati.* Et proinde, quando conditionalis dispositio affirmat, eueniente conditione, negat ea deficiente, vt obseruat Craoet. *consil.*344. *num.*4. Angel. *consil.*373. *circa fin.* Ergo cum pollutio Ecclesiæ sit solum introducta de iure positiuo Ecclesiastico, & proinde non habeat locum, nisi secundum mensuram dispositionis ipsius, stante dispositione iuris conditionalis, habebit locum pollutio tanquam disposita à iure, stante conditione publicitatis, & non habebit locum, deficiente hac conditione.

5 Quamuis autem ex textib. non constet, hanc dispositionem iuris esse conditionalem, quia scilicet non disponunt, sed supponunt pollui per has causas ex alio iure antiquo, quod nos non habemus scriptum, constat tamen ex praxi, & obseruantia subsequuta, quæ interpretatur ius. Cap. *Cum venissent, de instit.* & Cap. *Cum dilectus, de consuetud.* & *l. Sed Iulianus*, §. *Porrò si acceperit*, vers. *Sed etsi. ff. Ad Senatusconf. Macedon.* & *l. Si. de interpretat. ff. de legib.* Nam nisi existat conditio publicitatis, non admittitur pollutio, neque reconcilianrur Ecclesiæ, vt constat ex praxi. Dicere autem, quod reuera sint pollutæ, sed non habeantur pro pollutis, non habet fundamentum: imò ex hoc conuincitur oppositum. Quia seclusa publicitate, non acceptatur pollutio tanquam inducta per talem causam occultam: ergo, cum pollutio sit effectus iuris eam inducentis, non acceptatur ius, vt inducens pollutionem, independenter à conditione publicitatis, deberet etiam acceptari effectus illius, nempe pollutio. Si autem acceptaretur pollutio, deberent etiam acceptari ea, quæ consequuntur pollutionem, qualis est cessatio à diuinis officiis in Ecclesia polluta.

6 Confirm. Si causa pollutiua induceret effectum pollutionis independenter à conditione publicitatis, etiam pollutio induceret suum effectum independenter ab eadem conditione; siquidem ex dispositione iuris est cum ipsa connexus inseparabiliter: ergo cum non inducatur, neque etiam induceret pollutio, sed sicut effectus pollutionis est dependens ab eadem conditione.

7 Confirm. Stante publicitate, Ecclesia recipit causas pollutiuas tanquam inducentes pollutionem, & seruat dispositionem, quod in loco polluto non celebrentur diuina officia, donec reconcilietur. Non existen

existente autem publicitate, non acceptat tales causas, vt inducentes pollutionem, nec effectum pollutiuis: vnde Pontifex in cap. *Significasti. de adult.* iudicauit Ecclesiam esse pollutam, quia Sacerdos, qui audierat ab adultera de commisso adulterio, publicè denunciauerat Episcopo: ergo cum lex non obliget, nisi sub mensura obseruantiæ, secundum quam etiam inducit suos effectus, ius de pollutione Ecclesiæ non eam inducet, nisi secundum mensuram obseruantiæ, atque adeò vt habeat locum conditionali modo, nempe existente conditione publicitatis: ergo non existente non habebit locum, quia quod est dispositum sub vna conditione, sub opposita non censetur dispositum. *l. Si legatum.* & *l. Legata inutiliter. ff. de adimen. leg.* & *l. Quod purè. init. ff. Quando dies leg. ced.* & *l. 2. ff. de in diem addict.* vbi Glos. verbo *Conditionalis.*

8 Et ratio à priori est. Quia pollutio non afficit reuera Ecclesiam secundum se, quasi in se ipsa polluatur, sed tantùm afficit in opinione hominum, qui apprehendunt eius sanctitatem quasi maculatam, iuxta cap. *Quidam 1. quæst. 1.* & notant communiter cum Glos. *in cap. vnic. de consecrat. Eccles. vel altar. in 6.* Ergo non possunt causæ pollutiuæ inducere pollutionem, nisi sub conditione publicitatis. Conseq. prob. Quia pollutio debet induci apud hominum opinionem, in qua solùm consistit Ecclesiæ pollutio: & ideò vt inducatur pollutio, debet applicari causa, ad hanc opinionem inducendam: non applicatur autem, nisi per publicitatem; quæ facit, quod factum gestum contra sanctitatem loci causet talem opinionem.

9 Ad fundamentum oppositæ sententiæ. Respond. Quod actiones pollutiuæ Ecclesiæ ipsam polluunt ratione sacrilegij, & indecentiæ, quam habent cum sanctitate loci, tanquam per fundamentum pollutionis. Ex hoc tamen non sequitur, quod causent pollutionem independenter à publicitate. Sic etiam ignis comburit ratione virtutis combustiuæ, & tamen non sortitur effectum, nisi applicetur. Vnde cum causæ pollutiuæ polluant causando opinionem de pollutione, ideò debent applicari, vt sortiantur effectum, quod non fit, nisi per publicitatem, vt dictum est *num. præcedent.* Hinc, quia est necessaria talis applicatio, Ecclesia non acceptat ius disponens de pollutione, nisi tanquam eam inducens sub conditione publicitatis.

10 Ad 1. Confirm. neg. sequel. Nam si ante publicationem facti pollutiui reconciliaretur Ecclesia, esset frustratoria reconciliatio: nam non tolleret pollutionem, quia non esset inducta: nec impediret, quia subsequeretur ad publicationem, quia non est introducta ab Ecclesia in hunc effectum, nec aliquid operatur vltra institutionem Ecclesiæ. Imò si ipsa posset impedire, impediret etiam consecratio, aut benedictio. Vnde eam reconcilians eodem pacto operaretur ac ille, qui absolueret aliquem à censura antequam illam incurreret, quando solum ponit causam actus, per quem censura incurritur. Sic qui reconciliaret Ecclesiam, in qua ad mortem aliquis est percussus, antequam moriatur, frustra reconciliaret, & sequuta morte, esset de nouo reconcilianda.

11 Ad 2. Confirm. neg. sequel. Nam posita publicatione consurgit pollutio tanquam dependens à tali conditione, vt dictum est. Nec est eadem ratio de copula coniugali, quod non polluat Ecclesiam, quando est licita, licet postea publicetur. Quia ius non decreuit pollui per hanc copulam, subsequente conditione publicitatis; sicut decreuit pollui superueniente conditione publicitatis per copulam illicitam in tali loco, & per alias causas pollutiuas.

QVÆSTIO 600.

An actiones pollutiuæ Ecclesiæ sint sacrilegia, si sint occultæ.

SVMMARIVM.

1. *Actiones pollutiuæ Ecclesiæ sunt sacrilegia.*
2. *An sint sacrilegia, si sint occultæ.* & numero sequenti.
4. *Actiones pollutiuæ Ecclesiæ sunt sacrilegia quatenus lædunt sanctitatem loci.*
5. *Ius supponit induci pollutionem per causas pollutiuas.*
6. *Actiones pollutiuæ vnde habeant, quod polluant Ecclesiam.*
7. *Ratione sacrilegij sunt institutæ, vt polluat Ecclesiam.*

SVpponendum est, actiones pollutiuas Ecclesiæ esse sacrilegia, quatenus lædunt locum sacrum, & illi inferunt iniuriam, vt docent communiter, Decian. *part. 2. tractat. Criminal. lib. 6. cap. 24. num. 7.* Viguer. *cap. 5. Theolog. instit. §. 6. ver. 8. init.* Layman. *lib. 4. Theol. moral. tractat.* 10. *cap. 7. num.* 8. Suarez *tom. 1. de relig. tractat. 2. de reuer. deb. loc. sacr. lib. 3. cap. 2. num. 1.* Lessius *lib. 2. de Iust. & iure. cap. 45. dub. 3. num. 13.* Filliuc. *tractat. 24. cap. 9. num. 235.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 6. quæst. 12. num. 84.* Mazuchel. *de casib. reseru. disput. 2. cap. 6. num. 87.* Delbene *de immunit. part. 1. cap. 2. dub. 2. sect. 17. num. 1.* Ratio autem est, quia sacrilegium est violatio rei sacræ. Per has autem actiones violatur locus sacer; siquidem ipsi fit iniuria, & læditur eiusdem sanctitas. 1

Prima sententia asserit, non esse sacrilegia, si occultè fiant. Ita Graff. *part. 1. decis. lib. 2. cap. 48. num. 26.* Coninch. *de sacrament. quæst. 83. art. 3. dub. 1. num. 230.* Vasquez *1. 2. disput. 98. num. 6.* Pontius *de matrimon. lib. 10. cap. 10. num. 5.* Tolet. *lib. 5. sum. cap. 8.* Caspens. *tom. 1. Curs. Theolog. tractat. de peccat. disput. 2. sect. 3. num. 10.* Caramuel. *in Theolog. regul. disput. 66. num. 1017.* Fundamentum huius sententiæ est, quia in tantum sunt sacrilegia, in quantum polluunt Ecclesiam: non polluunt autem, nisi quatenus publicæ sunt. 2

Secunda sententia asserit, esse sacrilegia, etiamsi occultæ sint. Ita Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 15. num. 11.* Suarez *tom. 1. de relig. tract. 2. de reuer. deb. loc. sacr. lib. 3. cap. 7. num. 4.* Raphaël à Turre *in sum. quæst. 99. art. 2. disput. 7.* Bonac. *quæst. 4. de matrim. punct. vltim. num. 7.* Azor. *part. 3. lib. 3. cap. 31. quæst. 6.* Lessius *lib. 4. de Iust. & iur. cap. 3. num. 86.* Facundez *præcept. 2. Eccles. lib. 4. cap. 4. num. 24.* Lugo *disput. 16. de pœnit. num. 462.* Trullench. *lib. 6. in decal. cap. 1. dub. 7. num. 7. in fine.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 6. quæst. 12. num. 83.* Delbene *part. 1. de immunit. cap. 2. dub. 2. sect. 17. num. 1.* Candid. *tom. 2. disquisit. 24. art. 23. dub. 38. num. 40.* Mazuchel. *de casib. reser. disput. 2. cap. 6. difficult. 5. num. 100.* Tamburin. *opusc. de Confess. lib. 3. cap. 7. §. 5. num. 36.* Machad. *tom. 1. lib. 2. part. 3. tractat. 4. docum. 3. num. 11.* Serra. *1. 2. D. Thom. quæst. 62. art. 2. dub. 2.* Passerin. *de pollut. Eccles. disputat. 1. cap. 16. numero 4.* 3

Dicendum est. *Actiones pollutiuas esse sacrilegia, etiamsi occultæ sint.* Ratio est, quia licet hæ actiones sint occultæ, ponunt tamen fundamentum pollutionis Ecclesiæ: siquidem, si publicentur, remanet 4

Ecclesia

Ecclesia polluta: ergo etiam quando occultæ sunt habent malitiam sacrilegij; quia pollutio fundatur in sacrilegio, & est inducta in detestationem talium actionum, ac proinde supponit in ipsis detestabilitatẽ, atque adeò malitiam sacrilegij. Confirm. Si quando sunt occultæ non haberent malitiam sacrilegij, non pollueretur Ecclesia, quando publicantur, quia non polluitur, nisi existente malitia sacrilegij. Ratione autem publicationis non possunt illam acquirere, quia est moralitas actus, quæ non conuenit actui externo, nisi quatenus ab actu interno in ipsum refunditur: Publicatio autem non potest immutare actum internum, quia est iam transactus; imò fieri potest, quod qui operatus est actiones pollutiuas sit mortuus.

5 Confirm. 2. Ius supponit induci violationem loci sacri per huiusmodi actiones, vt in vtroque cap. *Ecclesiis. de consecrat. dist.* 1. & in cap. *Proposuisti.* & in cap. *fin. de consecrat. Eccles.* & in cap *vnic. de consecrat. Eccles. in 6.* Ergo supponit, huiusmodi actiones prohibitas tanquam irreuerentes, & iniuriosas loco sacro, vt propterea in eandem detestationem sit inducta pollutio Ecclesiæ.

6 Confirm. 3. Pollutio est effectus harum actionum, siquidem peruenit in Ecclesiam, licet eam non afficiat secundum se, sed solum in hominum opinione, vt dictum est suo loco: ergo oportet, quod in se habeant vim polluendi, vt effectus & causa inuicem commensurentur. Non habent autem quatenus boni, vt per se patet, nec quatenus indifferentes; quia actus indifferens non causat effectum malum moraliter, nec est alteri iniuriosus: ergo quatenus mali moraliter; & proinde habent suam moralem malitiam. Rursus, hæc malitia debet esse certæ speciei, & debet contrariari sanctitati loci, alioquin illam non læderet: ergo debet habere rationem sacrilegij, cum violent sanctitatem loci sacri: ergo debent habere ea se independenter ab eo, quod sint publici, vel secreti, quia contrarietas horum actuum ad sanctitatem Ecclesiæ non prouenit ea publicitate, vel ea eo, quod sint secreti: quia hæ sunt circunstantiæ extrinsecæ, & non refundunt malitiam in actum; alioquin refunderent in omnes, cum tamen non refundant malitiam, in qua consistat vis pollutiua in alios, qui sunt mali.

7 Ad fundamentum in oppositum neg. assumpt. Nam non sunt sacrilegia, quatenus polluunt; sed sunt sacrilegia, quatenus continent iniuriam, & irreuerentiam contra sanctitatem loci sacri. Et ex hoc fit, quod ab Ecclesia institutæ sint tanquam pollutiuæ Ecclesiæ. Vnde ratio sacrilegij est fundamentum, ratione cuius institutæ sunt, vt sint pollutiuæ dependenter à conditione publicationis; semper tamen retinent malitiam sacrilegij, siue publicentur, siue non, quia illam accipiunt ab interiori actu operantis, quatenus tendit contra reuerentiam debitam Ecclesiæ, & non curando de iniuria, quæ infertur sanctitati Ecclesiæ audet illas exercere.

QVÆSTIO 601.

An actiones pollutiuæ Ecclesiæ sint sacrilega, quia prohibitæ, an ex natura sua.

SVMMARIVM.

1. *Actiones pollutiuas Ecclesiæ esse sacrilegia, quia prohibita, qui sentiant.*
2. *Peccatum commissum in die festo non est sacrilegium.*
   Non omnia peccata commissa in Ecclesia sunt sacrilegia.
3. *Actiones pollutiuas qui sentiant esse ex se sacrilegia.*
4. *Actiones pollutiua independenter à prohibitione sunt sacrilegia.*
5. *Loco sacro est debita reuerentia.*
6. *Actio, in qua non seruatur debita reuerentia erga Ecclesiam est sacrilegium.*
   Eiectio vendentium in templo ostendit actionem sacrilegam.
   Conuertere vasa sacra ad vsus prophanos est sacrilegium.
   Auferre depositum apud Ecclesiam est sacrilegium.
   Instituere conuiuia in Ecclesia est actio sacrilega.
7. *Actiones pollutiua Ecclesia secundum se sunt contra reuerentiam.*
   Vnde id habeat homicidium, & effusio sanguinis.
8. *Vnde effusio seminis.*
9. *Vnde sepulchra infidelis, aut excommunicati.*
10. *Aliqua actiones ex se contrariantur reuerentia debita loco sacro.*
11. *Dies festus ex parte temporis non requirit specialem reuerentiam.*
12. *Quando peccata commissa in loco sacro sint sacrilegia.*
13. *Actus purè interni non contrahunt malitiam sacrilegij.*

1 PRima sententia asserit, esse sacrilegia, quia prohibitæ sunt ob reuerentiam Ecclesiæ. Ita Caiet. 2. 2. *quæst.* 99. *art.* 1. *dub.* 5. Sotus *lib.* 2. *de Iust. & iur. quæst.* 4. *art.* 4. Valent. *tom.* 3. *disputat.* 6. *quæst.* 15. *punct.* 1. ver. *Præterea etiam.* Nauar. *cap.* 6. *Manual. num.* 11. & *in cap. Consideret. num.* 19. *de pænit. distinct.* 5. Azorius *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 31. *quæst.* 3. Vasquez 1. 2. *disput.* 98. *num.* 4. Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disput.* 15. *num.* 4. Pontius *lib.* 10. *de matrim. cap.* 10. *num.* 9. Gutierrez *lib.* 1. *quæst. Canon. cap.* 31. *quæst.* 3. Palaus *part.* 2. *oper. moral. tract.* 11. *disput.* 1. *punct.* 1. *num.* 7. Delbene *de immunit. part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *sect.* 18. *numero* 1. Quamquam *sect.* 19. *numero* 12. & 13. videatur incidere in oppositam sententiam.

2 Fundamentum est, quia nullum peccatum ex natura sua, seclusa probibitione Ecclesiæ, opponitur consecrationi, & sanctitati Ecclesiæ. Nec obstat, quod opponatur fini consecrationis, cum ea hoc non inferatur, esse sacrilegium; præsertim cùm non adsit specialis præceptio laudandi Deum tota die. Secundò. Peccata commissa in die festo non habent specialem malitiam, etiamsi dies festi sint instituti in cultum Dei: ergo nec peccata commissa in Ecclesia. Tertiò. Actus impudici, falsum testimonium, & cœtera peccata non sunt sacrilegia; deberent autem esse, si indecentia in loco sacro inferret in peccato malitiam sacrilegij. Nec dici potest, quod sint sacrilegia leuia, quia cum sit difficile determinare, quæ sit iniuria grauis, & quæ leuis, contra locum sacrum, materia præcepti remaneret obscura, cum tamen debeat esse liquida.

3 Secunda sententia asserit, ea natura sua esse sacrilegia independenter à prohibitione. Ita Syluest. *verbo* Confessio. 1. *quæst.* 10. Corduba *in sum. quæst.* 190. Medina *Cod. de Confess. quæst. de circunstan. loci sac.* Suarez *tom.* 1. *de relig. tractat.* 2. *de reuerent. deb. locis Sac. lib* 3. *cap.* 7. *n.* 6. & *disput.* 81. *de Euchar. sect.* 4. vers. *Tertiò violatur Ecclesia. opinio.* 2. Raphaël à Turre *in sum. quæst.* 99. *art.* 2. *disputat.* 7. Amicus *tom.* 9. *Curs. Theol. disput.* 26. *sect.* 4. *num.* 56. Lugo Cardin. *de pœnit.*

disput. 16. *sect.* 10. Passerin. *de pollut. Eccles. disput.* 1. *cap.* 15. *num.* 4.

4 Dicendum est. *Actiones pollutiuas Ecclesiæ esse ex natura sua sacrilegia, independenter à prohibitione Ecclesiæ.* Ratio desumitur ex eo, quod sit locus sacer, & proinde obiectum sacrilegij: Cum enim sacrilegium sit violatio loci sacri, eo ipso, quod locus sacer violatur, & ipsi infertur iniuria, committetur sacrilegium. Modo actiones pollutiuæ Ecclesiæ ex natura sua, & ante prohibitionem Ecelesiæ violant locum sacrum, & illi inferunt iniuriam; & ideò ex oatura sua sunt sacrilegia, aote prohibitionem Ecclesiæ.

5 Quod autem actioues pollutiuæ Ecclesiæ ex natura sua violent locum sacrum, illi inferendo iniuriam, ex eo deducitur, quod rebus omnibus sacris, atque adeò etiam loco sacro est debita reuerentia; vt desumitur ex Coocilio Nicæno II. *In generali definitione fidei*; & tradunt communiter cum D. Thom, 2. 2. *quæst.* 99. *art.* 1. & 3. & *sect.* 4. *in cap.* 11. *Epist.* 1. *ad Corinth.* & docent commuoiter Patres. Hæc autem reuereotia, quæ est debita Eeclesiis, non consistit in eò, quod aliquis specialis actus sit exercendus in honorem ipsarum; sed quod reuerenter tractentur, quando circa ipsas aliquid fit: & non fiat aliquid, quod redundet in ipsarum contemptum. Vt declarat Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 2. *de reuer. deb. loc. sacr. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 7. & *sequent.* Ex quo fit, quod actiones illæ, quæ si fiant in loco sacro, irreuereuter tractant locum sacrum, sacrilegia sint ex natura sua, seu ex sua specie, & obiecto; quia violant ipsum, dum ooo habeot eo loco, io quo habendus esset. Et proinde erunt grauia, aut leuia sacrilegia, provt contioent grauem, aut leuem irreuerentiam.

6. Quod verò actiooes illæ, io quibus ooo seruatur debita reuerentia rebus sacris, sint grauia sacrilegia, desumitur ex pluribus exemplis sacræ Scripturæ, conionctis cum iostructione nobis tradita. Vnde Matth. 21. & Ioan. 2. Christus eiecit veodentes, & ementes è templo, euertens illorum mensas, & flagellis eos cædens; non quia exercerent opus malum, sed quia irreuereoter tractabant templum. Quod satis expressit, dum dixit, *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Vnde non alia ratione vsus est tanta seueritate, nisi quia vtebaotur loco sacro ad vsus prophanos. Secundum exemplum habetur Dao. 5. ex facto Balthasaris Regis, qui vasa asportata è Hierusalem conuertit in vsus prophanos; vnde seuerissimè punitus fuit à Deo, quod non fecit, quaodiù vasa fuerunt in templo idolorum. Vnde Hieronymus *in illum locum* habet, *Quandiu vasa fuerunt in Idolio Babylonis, non est iratus Dominus. (Videbatur enim rem Dei, secundum prauam quidem opinionem, tamen diuino cultui consecrasse.) Postquam autem humanis vsibus diuina contaminant, statim pœna sequitur post sacrilegium.* Tertium exemplum est *lib.* 2. Machab. *cap.* 3. de Heliodoro, qui conatus est, è templo Hierosolymitano auferre pecuoias, quæ depositatæ, & cõereditæ eraot, qui flagellatus fuit à duobus iuuenibus, qui apparuetuot, vsque ad mortem, & non alia ratione, nisi propter iniuriam illatam templo, auferre cooando, quod sub ipsius protectione depositum fuerat. Vnde omnes auersabantur hanc actionem, tanquam factam in cootemptum templi: & ideò vers. 18. dicitur, *Alij etiam gregatim de domibus confluebant publica obsecratione supplicantes pro eo, quod in contemptum locus esset venturus.* Et Onias Sacerdos antea dixerat ipsi Heliodoro. vers. 12. *Decipi eos, qui credidissent loco, & templo, quod per vniuersum mundum honoratur, pro sui veneratione, & sanctitate, omninò impossibile esse.* Ex quibus patet, quod oblatio rei non sacræ à loco sacro, quia erat in illius custodia, iotulisse templo specialem iniuriam, quam Deus tàm seuerè vltus est. Quartum exemplum est ex epist. 1. *ad Corinth. cap.* 11. vbi Apostolus reprehendit instituentes coouiuia io Ecclesiis, tanquam cedentia in contemptum loci; ibi, *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Vnde Diuus Thomas *sect.* 4. *in hunc locum* ait, *Non enim est licitum, domum Dei, quæ deputata est pro sacris vsibus, communibus vsibus applicare.* Et Chrys. *hom.* 27. io hunc locum. *Quarta accusatio est, qua non solum pauperes, sed etiam Ecclesia afficitur contumelia. Sicut enim Dominicam Cœnam facis priuatam, etiam rursus locum, vtens Ecclesia tanquam domo.* Et Hierooymos *ibid.* explicaos illa verba, *Aut Ecclesiam Dei contemnitis? inquit, facientes eam triclinium epularum.* Et Anselm. *in eundem locum.* habet *Ecclesiam Dei contemni, dum in ea carnales cibi sumuntur.* Ex quibus constat, quod istæ actiones tenduot in contemptum Eeclesiæ, & proinde sunt sacrilegia, etiamsi alias licitæ siot.

Tales autem ex natura sua sunt actiones pollu- 7
tiuæ Ecclesiæ: quia si secuodum se considerentur, habent dissonaotiam ad rectam rationem in ordioe ad sanctitatem Ecclesiæ, seu quatenus dissonant cum sanctitate Ecclesiæ, habent dissonantiam ad rectam rationem; itavt recta ratio reprobat tanquam turpe, inhonestum, & coorrarium sanctitati loci, qood istæ actiones fiant io loco sacro. Specialis aotem Irreuerentia in his actionibus est diuersa, iuxta diuersitatem ipsarum. Nam homicidium, & effusio sanguinis lædit sanctitatem Ecclesiæ, quia qui est io Ecelesia, sicuti est in loco, qui est habitatio Dei; ita etiam est sub illius speciali protectione ratione loci; & proinde ratione loci lædit Deum, quia oon seruat erga locom illum reuerentiam, quam tenetur seruare. Sic etiam lædens aliqoem, aut ipsi insultans, in eiusdem domo, committit speciale delictum; quia ratiooe loci deberet esse securus ab omni iosultu: nam vnicuique propria domus debet esse tutissimum refugium. *l. Plerique.* & *l. Sed etsi. ff. de in ius vocan.* Non minus autem domos Dei, quàm propria debet esse voicoique tutissimum refugium. Et ideò est speciale delictum, ipsum in Ecclesia occidere, aut eius sanguioem effuodere, & quia fit iniuria locro sacro, ideò consurgit noua species malitiæ, nempe sacrilegium.

Effusio verò seminis, eum ex se sit res pudenda, 8
& ratio naturalis dictet, quod etiam, quando est licita, sit secretò facienda, dictat etiam eadem ratio naturalis, quod dedecear locum sacrom, tanquam mundè tractandum. Et ideò, si cootingat in loco sacro ex alicuius electione, lædit sanctitatem loci, vtpotè quod eligatur ad illas actiones, quarum pudet ipsos homines, & quod locus sanctificatus, & destinatus cultui diuino, atque adeò poblicis actionibus virtotis religionis assumatur pro immunda actione exercenda, & quæ ex natura sua quærit secretum in quo continetur maxima irreuerentia, & contemptus. Atque com hoc proueoiat ex natura ipsius actionis, ex natura qooque ipsius sacrilegium consurgat.

Vltima actio pollutiua continet sepulturam infi- 9
delis, aut excommunicati, in qua actiooe interuenit ex natura sua magnus contemptos Eeclesiæ: Nam in eiusdem gremium, contra ipsius voluntatem: intruduntur ij, quos maximè abhorret, & eum quibus refugit communicare. Et ideò vis ipsi infertur, & cogitur eos recipere, quos Eeclesiasticis legibus à se arcet, iu quo interueoit magnus con-

temptus

Digitized by Google

temptus loci sacri, & ratione loci, ipsius Dei, non secus, ac si in alicuius domum contra voluntatem Domini introduceretur aliquis, quem è domo sua eiecisset. Et ideò rectè ostendit, hanc actionem vergere ex natura sua, seu ex obiecto, in magnum contemptum loci sacri, & Dei, consequenter ex natura sua esse violatiuam illius, & importare rationem sacrilegij independenter à quacunque extrinseca humana prohibitione: quæ enim conueniunt ex obiecto, conueniunt ex vi suæ specificationis, & ab intrinseco.

10 Ad 1. in oppositum Resp. Nullum peccatum ex natura sua esse contra sanctitatem loci sacri, quatenus ipsam non destruit. Esse tamen contra ipsam, quatenus exigit certam reuerentiam, & honorem. ideò actiones pollutiuæ directè opponuntur ex natura sua eum reuerentia debita locis sacris, & ratione ipsius, ipsi loco sacro, vt iam constat ex dictis. Imò, sicut locus sacer, eo ipso quod sacer est, absque positiua lege exigit ex natura sua haberi in honore, & reuerentia: ita etiam actiones, quæ non seruant, respectu ipsius, debitum honorem, & reuerentiam, idque habet ex obiecto, ex natura sua opponuntur tali exigentiæ.

11 Ad 2. neg. conseq. quia est diuersa ratio. Nam tempus non est sanctificatum, neque est sacrum, sicuti est locus: & ideò non habet qualitatem, quæ possit refundere in peccata specialem malitiam, sicut habet locus sacer. Nam quod dies sit festus, & sanctificandus, non dicit aliquid ex parte temporis, sed solum ex parte operationum fidelium, nam debent cessare ab operibus seruilibus, & vacare cultui diuino, & hæc est sanctificatio, qua dicuntur festa sanctificari.

12 Ad 3. resp. Quod petit solutionem illius difficultatis, an omnia peccata commissa in loco sacro recipiant rationem sacrilegij. Quæ non est huius loci: sed sufficit in præsenti, quod quotiescunque circumstantia loci sacri transit in obiectum, actus ratione circunstantiæ sacrilegus sit. Tunc autem transit in rationem obiecti, quando actio, quæ exercetur, detrahit reuerentiæ debitæ loco, continendo respectu ipsius aliquam indecentiam: & ideò malitia sacrilegij erit grauis, vel leuis, iuxta grauitatem, vel leuitatem indecentiæ. Nec subsistit obiectio, quod materia præcepti non esset liquida, sed obscura: nam hoc contingit in quolibet præcepto, circa quod dubitatur, an hæc, vel illa materia cadat sub ipso: an hæc, & illa materia sit grauis, an leuis. Sic præceptum prohibens vsuram habet materiam obscurā in particulari; nam dubitatur, an hic, & ille contractus sit vsurarius: an hæc & illa sit parua materia. Solum ergo præceptum requirit materiam certam, & liquidam in communi: & talis est in præsenti irreuerentia erga locum sacrum: quando autem sit grauis vel leuis, remanet aliquando sub dubio; siquidem interdum grauitas, aut leuitas est tam aperta, vt non relinquatur locus dubitationi.

13 Ex quibus sequitur, quod actus purè interni secundum se considerati non possint contrahere malitiam huius sacrilegij, quia non possunt esse irreuerentes erga Ecclesiam. Huiusmodi etiam irreuerentia cum sit in ordine ad locum sensibilem, debet sensibiliter exerceri, & ideò requirit actum externum, tanquam fundamentum, in quo subsistat. Vnde tunc solùm actus internus contrahet malitiam huius sacrilegij, quando habebit pro obiecto actum externum irreuerentem; vt si quis decerneret intra se occidere in Ecclesia; quamuis enim non sequatur homicidium, habet tamen locum sacrilegium internum.



DE RECONCILIATIONE ECCLESIÆ.



AD pollutionem Ecclesiæ sequitur indigentia reconciliationis, vt scilicet restituatur suo pristino honori, & fiat capax celebrationis Diuinorum Officiorum. Quamuis enim non lædatur in sua sanctitate secundum se, læditur tamen in opinione hominum, vt dictum est in superioribus; & ideò in ordine ad ipsam restituendam pristino honori debet reconciliari.

QVÆSTIO 602.

An, si causa pollutionis post longum tempus detegatur, sit reconcilianda Ecclesia.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia statim reconcilianda.*
2. *Si in Ecclesia polluta celebretur, quomodo remaneat reconciliata.*
3. *Si ex licentia Episcopi in Ecclesia polluta celebretur, adhuc est reconcilianda.*
4. *Publicata pollutione post longum tempus an Ecclesia reconcilianda.*
5. *Iniuria spatio vnius anni aboletur.* *Sublata causa non potest subsequi effectus.*
6. *Actio iniuriæ spatio vnius anni præscribitur.*
7. *Si statim posita causa pollueretur Ecclesia, adhuc non esset reconcilianda si post longum tempus publicaretur.*
8. *Quodnam sit longum tempus, vt quando detegitur pollutio, non sit necessaria reconciliatio.*
9. *Si causa pollutiua habeat esse permanens, etiam post longum tempus detecta Ecclesia est reconcilianda.*

SVpponendum est, quod sequuta pollutione Ecclesiæ, quàm citò fieri potest, est reconcilianda, 1
ita enim decernitur in cap. *fin. de consecrat. Eccles.* ibi: *Aqua protinus exorcizata lauetur.* Et redditur ratio, cur statim reconcilianda sit. *Ne diuinæ laudis organa suspendantur.* Quia cum neque ex parte Ecclesiæ adsit culpa, nec ex parte Ministrorum ipsius, non est æquum, quod ob alienam culpam diù priuetur suo honore. Hoc tamen intelligitur pro tempore opportuno, nam reconciliatio, cùm exigat celebrationem Missæ, necessariò fieri debet in manè.

Supponendum 2. Quod licèt Ecclesia polluta remaneat reconciliata substantialiter, sed non ritualiter, si in ea celebretur Missa, vt dictum est in superioribus. Hoc tamen non habet locum, quando in ea celebratur, antequàm detegatur causa pollutionis. Nam cum pollutio non sequatur, nisi ex causa pollutiua sub conditione publicitatis, celebratio Missarum, quæ subsequitur causam pollutiuam, sed antecedit publicationem, antecedit etiam ipsam pollutionem, & ideò non potest eam detergere. 2

Supponendum 3. Quod licet Episcopus ex causa rationabili, concedat licentiam celebrandi in Ecclesia, quæ iam habetur pro polluta, non per hoc 3

tamen fit, quod non sit reconcilianda: quia per huiusmodi celebrationem solum substantialiter remanet reconciliata: non verò ritualiter; imò Episcopus concedendo licentiam celebrandi, reconciliationem faciendam, vt velut suspendit, saltem quoad communem æstimationem effectum reconciliationis, qui aliàs prouenire posset à celebratione Missæ. Difficultas autem est, an post longum tempus publicetur sequuta in Ecclesia causa pollutiua, adhuc sit reconcilianda Ecclesia.

4 Dicendum est. *Non esse necessariò reconciliandam, si post longum tempus publicetur causa pollutiua sequuta in Ecclesia sequuta in Ecclesia, præsertim si interim celebrata sint in ipsa diuina officia.* Ita etiam Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.12. num.70.* Ratio est quia vt dictum est in superioribus, pollutio non inducitur, quando ponitur causa pollutiua, sed quando ponitur conditio publicitatis, quia causa suspendit tanquam conditionata suum effectum in euentum conditionis: ergo quando est transactum longum tempus, licet ponatur conditio, non inducit amplius pollutionem; quia licet tanquam causa moralis possit extendere suum effectũ in tempus futurum, nõ potest tamen extendere in quodcunq; tempus futurum, sed solum quandiu moraliter censetur durare causa, quia nisi duret causa, non potest inde sequi aliquis effectus. Causa autem pollutiua non durat moraliter post longum tempus; quia in tantum est causa moralis, in quantum indignè tractat sanctitatem Ecclesiæ. Et ex hac indigna tractatione consurgit hominum opinio de maculatione Ecclesiæ, itavt habeant ipsam de præsenti pro maculata, quod non contingit, quando post longum tempus publicatur, quia tunc apprehenditur tanquàm quid præteritum, & quod amplius non habeat vim maculandi.

5 Confirmat. Iniuria spacio vnius anni aboletur, itavt iniuria affectus nequè agere possit, neque implorare officium Iudicis *l. sed si vnius. §. Si ante Iudicem. ff. de minor.* Ergo etiam lapsu temporis aboletur, iniuria facta Ecclesiæ per actionem pollutiuam: ergo licet subsequatur publicitas, non potest amplius inducere pollutionem, quippè deficit fundamentum, ratione cuius inducit, nam inducit ratione iniuriæ illatæ sanctitati Ecclesiæ. Sublata autem causa, non potest ampliùs subsequi effectus. *l. In omni. ff. de adopt.* & *l. Ex facto init. ff. de vulgar. & pupill. substit.* & *l. Adigere. §. Quamuis. ff. de Iurepatronat.* & *lib. 1. Cod. de heret.* & *l. Generaliter §. 1. Cod. de Episcop.* vbi Glos. & Doctor. communiter & cap. *Etsi Christus de iureiuran.* & cap. *Cum extante de appellat.* & cap. *Cum infirmitas de pœnit. & remiss.*

6 Confirm. 2. Si celebratio diuinorum officiorum fuerit continuata in Ecclesia, in qua contingit causa pollutiua per longum tempus, inducitur præscriptio contra iniuriam illatam sanctitati Ecclesiæ, siquidem etiam in Ciuilibus post annum non habet amplius vim tanquam præscripta subministrandi actionem contra inferentem. *l. Si non conuicij Cod. de iniur.* vbi Gloss. communiter recepta: ergo cum celebratio continuata diuinorum officiorum præscribat contra iniuriam illatam sanctitati Ecclesiæ, non poterit ampliùs tanquàm præscripta inducere pollutionem.

7 Et hoc quod dictum est, habet locum non solùm si inducatur pollutio, posita conditione publicitatis, sed etiamsi statim pollueretur Ecclesia, ac ponitur causa pollutiua. Nam adhuc spatio temporis extingueretur iniuria, atque adeò etiam pollutio, quæ innitur iniuriæ tanquàm fundamento. Et ideò adhuc militat eadem ratio, quæ locum habet, si tantum consurgat pollutio ad positionem publicitatis. Et proinde independenter à quacunque opinione, poterit Episcopus in facti contingentia sequi hanc sententiam, & non curare de causa pollutiua præterita.

Sed dubium remanet, quodnam sit longum tempus, quo elapso, censeatur extincta causa pollutiua, itavt non possit ampliùs inducere pollutionem. 8
Et quidem spacium vnius anni, esse sufficiens, debet esse extra controuersiam. Nam etiam in ciuilibus sufficit ad eam extinguendum, vt dictum est *numero quinto*, Existimo tamen, quod in præsenti sufficiat minus tempus. Tùm quia agitur de iniuria illata sanctitati Ecclesiæ, & Ecclesia, facilis est est ad tradendas obliuioni iniurias, & ideò apud ipsam debent faciliùs extingui. Tùm quia ius non vult diù huiusmodi iniurias, & pollutionem indè sequentem subsistere, cum in cap. *fin. de consecratione Ecclesiæ*, iniungat quod protinus tàm iniuria, quàm pollutio per reconciliationem aboleantur. Itaque probabile videtur quod per tres, aut quatuor menses, ad summum, non possit causa pollutiua inducere pollutionem, tanquam ea, quæ iam spectet ad tempus præteritum, nec possit de præsenti operari, tanquàm ea, quæ non amplius subsistat.

Quæ autem dicta sunt limitari debent, nisi causa 9
pollutiua habeat esse permanens. Et ideò habebunt solùm locum in homicidio, in effusione sanguinis, & seminis, non autem in sepultura excommunicati, aut infidelis, quia ratio iniuriæ, & irreuerentiæ contra sanctitatem Ecclesiæ in eo consistit, quod huiusmodi cadauera sint in gremio Ecclesiæ & ideò durat iniuria & irreuerentia, quandiù durant cadauera in gremio Ecclesiæ. Et ideò etiam si post longum tempus, id publicetur, cõsurget effectus pollutionis tanquam ex causa de præsenti polluente Ecclesiam.

QVÆSTIO 603.

An quo reconciliari possit Ecclesia, si non sit consecrata, sed solum benedicta.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia solum benedicta à quouis Sacerdote potest reconciliari.*
2. *Obseruantia subsequuta ita declarat.*
3. *Vicarius capitularis potest reconciliare Ecclesiam solum benedictam.*

Dicendum est. *Ecclesiam non consecratam, sed solùm benedictam, reconciliari posse à simplici Sacerdote.* Et idem dicendum est etiam de Cœmeterio, quod non sit solemniter ab Episcopo benedicto. Ita communiter Gloss. *in cap. finali, verbo* Lauetur, *de consecratione Ecclesiæ.* Ioan. Andr. *ibidem* Panorm. *numero sexto*, & cæteri Canonistæ Diuus Antoninus 3. *part. tit. 12. cap. 6. §. 6.* Sotus *in 4. distinct. 13. quæst. 2. artic. 3. argument. 2. dict. 4.* verbo *Quocirca.* Durandus *libro primo, de diuinis officiis, capite sexto, numero trigesimoseptimo, in fine.* Syluester *verbo* Consecratio 2. *quæstione octaua, in fine.* Tabiena *numero nono.* Armilla *numero secundo*, Angelus *verbo* Consecratio Ecclesiæ *initio.* Astensis *parte secunda, summæ libro sexto, tit. 29. artic. 3. quæst. 4.* Nauarrus *cap. 27. Manual. numero 256.* Sayr. *lib.5. de censur. cap.16. num.32.* Azor. *part.1. lib.10. cap.26. quæst.15.* Henriquez *lib.9. sum. cap.27. num.6.* 1

num. 6. Rodriquez *part. 1. sum. cap. 154. conclus.* 16. Auila *part. 5. de censur. disput. 7. dub. 4. conclus.* 1. Graff. *part. 1. decis. lib. 2. cap. 48. num.* 10. Suarez *disput. 81. de Eucharist. sect. 4. §. vltimo.* Facundez *praecept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 14. num.* 60. Faustus *de Eucharist. lib. 10. de sacrific. Miss. quaest.* 109. Vgolio. *part. 2. de potest. Episc. §. 8. num.* 3. Barbos. *eod. tract. alleg. 28. num.* 58. Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 5. tit. 12. num.* 160.

2 Hoc autem deducunt ea dict. Cap. *final. de consecrat. Eccles.* vbi Pontifex agens de Ecclesia non consecrata, & polluta, dicit quod aqua exorciata protinùs lauetur; vnde cum nihil dicat de Episcopo, sicut dixerat in Cap. *praeced.* Signum est, quod intelligit de quocunque Sacerdote. Quod tamen argumentum non esset firmum, nisi accederet obseruantia subsequuta, quae ita declarat ius. Et ita etiam respondit S. Rituum Congregat. *in Hydruntina* 15. *Decembr.* 1631. vt refert Pax Iordan. *citat.* Ratio verò est, quia non plus requiritur ad reconciliandam, quàm ad benediecendam Ecclesiam; vnde si simplex Sacerdos potest benedicere, poterit etiam reconciliare.

3 Ex quibus sequitur à fortiori, vt notat etiam Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 5. tit. 12. num.* 16. & habetur etiam in dicta declaratione Sact. Congregat. quod Vicarius Capitularis reconciliare possit huiusmodi Ecclesia, quia reconciliatio non est actus Ordinis Episcopalis, & ideò facultas reconciliandi, quam habet Episcopus transit in ipsum. Et dato, quod pro reconcilianda Ecclesia sit necessaria licentia Episcopi, ipse non indigebit alia licentia, quia exceptis iis, quae sunt ordinis, & quae conueniunt ex delegatione, omnia transeunt in ipsum, eo ipso, quod electus est Vicarius Capitularis.

QVAESTIO 604.

An, vt simplex Sacerdos reconciliet Ecclesiam non consecratam, sit necessaria licentia Episcopi.

SVMMARIVM.

1. *Licentia Episcopi an necessaria, vt simplex Sacerdos reconciliet Ecclesiam.*
3. *De iure non requiritur licentia Episcopi.*
4. *De conuenientia est necessaria.*
5. *Alia ratio est de benedictione Ecclesiae, alia de reconciliatione.*
Rituale cur requirat delegationem Episcopi pro reconcilianda Ecclesia solum benedicta.
6. *Episcopus prohibere potest, ne Ecclesia sibi subiecta reconcilientur sine ipsius licentia.*
Dictio, Protinus, *admittit aliquam dilationem, sicut etiam dictio*, In continenti.

1 PRima sententia asserit, requiri licentiam Episcopi, vel eius Vicarij. Ita videtur sentire Henriquez *lib. 9. sum. cap. 27. num. 6.* quamquam postea concludat non esse necessariam. Fundamentum huius sententiae esse potest, quia pro benedicenda est necessaria licentia Episcopi: ergo etiam pro reconcilianda. Confir. Quia Rituale Romanum *Tit. de reconciliat. Eccles. in Rubr. init.* habet, quod Ecclesiae violatae reconciliatio fiat per Sacerdotem ab Episcopo delegatum. Vnde Bonac. *quaest. 4. de matrimon. punct. vlt. num.* 27. absolutè asserit requiri licentiam Episcopi, & ita seruari in praxi in Dioecesi Mediolanensi.

2 Secunda sententia asserit, non esse necessariam licentiam Episcopi. Ita communiter Abbas *in cap. fin. num. 6. de consecrat. Eccles.* Angel. *verbo* Consecratio 2. *quaest. 8. in fin.* Tabiena *num. 1.* Armilla *num* 2. D. Antonio. 3. *part. tit. 12. cap. 6. §. 6.* Sotus *in 4. distinct. 13. quaest. 2. art. 3. argum. 2. dicto 4. ver. Quocirca.* Sayr. *lib. 5. de censur. cap. 16. num.* 31. Graff. *part. 1. decis. lib. 2. cap. 48. num.* 10. Auila *part. 5. de censur. disput. 7. dub. 4. conclus.* 1. Facundez *praecept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 14. num.* 60. Faust. *de Eucharist. lib. 2. quaest.* 209. Layman. *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. cap. 5. num.* 12. Francisc. Lugo *lib. 5. de sacram cap. 6. quaest. 3. num.* 94.

Dicendum est. *De iure non requiri licentiam Episcopi, vt possit Sacerdos Ecclesiam pollutam reconciliare, si sit tantùm benedicta.* Ratio est. Quia in Cap. *fin. de consecrat. Eccles.* dicit. Quod Ecclesia polluta aqua exorciata protinùs lauetur, qui locus iuxta obseruantiam, & communem interpretationem intelligitur de quocunque Sacerdote, & tamen Pontifex nullam mentionem facit de licentia Episcopi. Nec aliud ius proferri potest, ex vi cuius, talis licentia sit necessaria. Nec actus excedit munus Sacerdotale, alioquin, nec etiam simplex Sacerdos posset reconciliare cum licentia Episcopi: ergo nec de iure, nec ex natura rei requiritur huiusmodi licentia. 3

Dicendum 2. *Esse conueniens, quod reconciliatio Ecclesiae fiat cum consensu Episcopi, licet non sit consecrata.* Ratio est. Quia causa pollutionis Ecclesiae, tanquam Ecclesiastica, & spiritualis pertinet ad Episcopum. Et ideò quando sequitur, debet ipsi notificari, vt possit decernere, quid sibi agendum sit, & ideò non debet reconciliari, nisi de eius consensu, vt si fortè esset necessarius accessus pro cognoscendo de corpore delicti, possit mittere. Et quia reconciliatio, tanquam quid consecratium ad pollutionem pertinere videtur ad eandem causam, quae vt dictum est, pertinet ad Tribunal Episcopi. 4

Ad fundamentum in oppositum resp. Esse diuersam rationem de benedictione, quia de iure non possunt Ecclesiae deputari cultui diuino, nisi de licentia Episcopi; & ideò cum per benedictionem dedicetur Deo, & obsequiis diuinis, necessaria est licentia Episcopi. Quod non habet locum in reconciliatione, quia iam Ecclesia est dedicata; & reconciliatio est debita de iure, Cap. *fin. de consecr. Eccl.* Ad confirm. Rituale Romanum dicere, quod reconcilietur per Sacerdotem delegatum ab Episcopo, quia habuit rationem conuenientiae, quod scilicet debeat interuenire consensus Episcopi. Non tamen inducit obligationem, & necessitatem delegationis, quia hoc non pertinet ad ritum, & est extra scopum illius, quod intendit Rituale, quod praescribere certos, & determinatos ritos sacros, vt vna forma circa ipsos omnes procedant. 5

Ex dictis colligitur. Episcopum prohibere posse, quod Ecclesias sibi subiectas, ne reconcilientur absque eius licentia. Quia cum tractetur de Ecclesia subiecta, rationabiliter potest velle cognoscere quid circa ipsam fiat. Nec obstat, quod in Cap. *fin. de consecrat. Eccles.* dicatur, quod Ecclesia polluta protinùs reconcilietur: nam per hoc non excluditur, quod non possit Episcopus velle interponere suam auctoritatem. Nam dictio *Protinus*, iuxta subiectam materiam admittit aliquam dilationem, sicut etiam admittit dictio *In continenti*, quae est magis praecisa iuxta *l. fin. §. Illicò, Cod. de indic.* vbi Ias. & *l. Diuertio, ff. solut. matrimon.* vbi Alex. *num.* 10. Et constat etiam ex eo, quod reconciliatio non potest fieri, nisi manè, cum debeat interuenire Missae celebratio. 6

QVÆSTIO 605.

An aqua, cum qua reconciliatur Ecclesia non consecrata, debeat benedici ab Episcopo.

SVMMARIVM.

1. *Aqua cum qua Ecclesia benedicta reconciliatur, an benedicenda ab Episcopo.*
2. *Aqua exorcizata, quanam sit.*
3. *Aqua qua reconciliatur Ecclesia non consecrata communi modo benedicenda.*
4. *Si Episcopus benedicat, tanquam Sacerdos benedicet.*
5. *Quod non est expressum non est asserendum.*

1 QVod aqua cum qua reconciliatur Ecclesia, licet tantùm benedicta, debeat ab Episcopo benedici, tradunt Toler. *lib.5. sum.cap.*8. *num.*13. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.*5. *tit.*11. *num.*160. *in fine*, qui ait ita tenendum, quamuis antiqui oppositum senserint, cum non multùm vigeant eorum fundamenta. Minùs tamen viget, quod ipse affert pro fundamento propriæ sententiæ, cum in eo solum consistat, quod Rituale Romanum *in Rubr. de reconciliat. Eccles. non consecrat.* mandat parari vasculum cum aqua benedicta, & inchoat reconciliationem ab aspersione, nulla præuia benedictione aquæ.

2 Tenendum tamen est cum communi, & vera sententia, quod *Non sit necessarium, benedici ab Episcopo aquam, cum qua Ecclesia polluta reconcilianda sit.* Hoc in primis desumitur ex Cap. *final. de consecrat. Eccles.* vbi dicitur quod non consecrata, si polluatur, aqua exorcizata lauetur; hæc autem aqua exorcizata est aqua communis benedicta, cuius benedictio, seu exorcizatio est actus facultatis Sacerdotalis: vnde nec in dict. Cap. dicitur quod debeat benedici ab Episcopo.

3 Secundò. Si Episcopus benedicat hanc aquam, oportet, quod benedicat communi modo, seu cum benedictione assignata pro aqua exorcizanda, quæ etiam benedicitur à Sacerdore: ergo ea vi benedictionis non accipiet maiorem virtutem, quam accipiat per benedictionem Sacerdotis: ergo non requiritur, quod benedicatur ab Episcopo, quia in tantum posset requiri, quod ab ipso benediceretur, in quantum acciperet specialem virtutem.

4 Tertiò. Si Episcopus illam benedicat, non benedicat tanquã Episcopus, sed tanquam Sacerdos: ergo quod benedicens sit Episcopus, nihil confert ad benedictionem, & proinde non refert, quod sit benedicta ab Episcopo, aut simplici Sacerdote. Anteced. prob. Quia si benediceret tanquam Episcopus, esset actus ordinis Episcopalis, atque adeò deberet interuenire aliqua propria benedictio, quæ tantùm ab Episcopo adhiberi possit, & non à simplici Sacerdote, quæ tamen non assignatur, cum solùm assignetur ea, qua benedicitur aqua pro reconcilianda Ecclesia consecrata, nempe cum cinere.

5 Ad fundamentum in oppositum resp. Ex Rituali oppositum colligi, quia si aqua esset benedicenda ab Episcopo, id expressisset, vnde cum non sit expressum, neque nos debemus asserere. *l. Si seruum, §. Non dixit, ff. de acquir. hared.* & *l.*2. *§.*1. *ff. de iudic.* & Cap. *Inter* 2. *de Translat. Episcop.* Imò dum dicit, *Paretur vasculum cum aqua benedicta*, satis constat, quod intelligit de aqua communi benedictione benedicta. Dicit autem, quod paretur, non faciens mentionem de benedictione, quia supponit adesse benedictam, nec esse de nouo benedicendam. Incipit autem reconciliatio ab aspersione, quia benedictio aquæ etiamsi esset benedicenda ab Episcopo, non pertinet ad reconciliationem, sed est quid præparatorium.

QVÆSTIO 606.

A quo reconcilianda sit Ecclesia consecrata.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia consecrata non potest reconciliari nisi ab Episcopo.*
2. *Id in iure statuitur.*
3. *Consuetudine non potest induci, vt Ecclesia consecrata ab alio reconcilietur, quàm ab Episcopo.*
   Consuetudo debet habere conditoines legis.
4. *Consuetudo, quod Ecclesia consecrata reconcilietur à non Episcopo, an induci possit, vbi Episcopi longè distant.*
   Quæ acquiri possunt priuilegio, possunt etiam acquiri consuetudine.
   Consuetudine acquiritur iurisdictio.
5. *Episcopus potest committere alteri Episcopo reconciliationem Ecclesiæ consecratæ.*
   Et etiam benedictionem aquæ.

DIcendum est. *Si polluatur Ecclesia consecrata, non potest reconciliari, nisi ab Episcopo.* Ita communiter, tam Theologi, quàm Canonistæ Gloss. *in cap. Aqua, de consecrat. Eccles.* Abbas *num.* 1. Io. Andr. Hostiens. Butr. Ancharan. & cæteri *ibid.* D. Antonin. 3. *part. tit.* 12. *cap.* 6. §. 5. Syluest. *verbo* Consecratio 2. *quæst.*8. Tabiena *num.*9. Armill. *num.*2. Angel. *verbo* Consecratio Eccles. *num.*9. Sotus *in* 4. *dist.*13. *quæst.*2. *art.*3. *argum.*2. *dicto* 4. ver. *Quocirca.* Nauar. *consil.*1. *num.* 2. *de consecrat. Eccles. lib.*3. & *cap.*27. *Manual. num.*256. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 27. *num.*6. Graff. *part.*1. *decis. lib.*2. *cap.*48. *n.* 10. Azor. *part.*1. *lib.*10. *cap.*26. *quæst.*15. Auila *part.*5. *de censur. disput.*7. *dub.*4. *conclus.*2. Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.*16. *num.*31. Suarez *disput.*81. *de Eucharist. sect.*4. *in fine.* Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 70. Reginald. *lib.* 29. *praxis fori pœnit. cap.*9. *sect.*5. *num.*179. Vgolin. *part.*2. *de potest. Episc. cap.*29. §. 8. Barbosa *eod. tract. allegat.* 28. Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacrament. cap.*6. *quæst.*12. *num.*95. Pax Iordan. *lib.*5. *variar. Lucubrat. tit.*12. *num.*157. *tom.* 1. Faustus *de Eucharist. lib.*2. *de sacrific. Miss. quæstione* 209. Quartus *in Rubric. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.*2. *dub.*10. 1

Hoc autem expressè statuitur in Cap. *Aqua, de consecrat. Eccles.* quia cum consecratio Ecclesiæ fuerit instituta, tanquam actus ordinis Episcopalis: reconciliatio quoque sequitur naturam consecrationis tanquam in eodem ordine constituta, & ideò ipsa quoque est actus ordinis Episcopalis. 2

Atque hoc ita spectat priuatiuè quoad alios ad Episcopos, vt neque consuetudo in contrarium valeat, eò quod talis consuetudo induci non possit, vt expressè decernitur in dict. Cap. *Aqua*, ibi: *Non obstante consuetudine Prouinciæ Bracharensis, quæ dicenda est potius corruptela.* Et ideò cum lex damnet consuetudinem, nunquam poterit habere locum, quia semper retinebit rationem corruptelæ. Hoc autem ex eo prouenit, quod consuetudo, cum sit lex non scripta, debet habere conditiones legis, atque adeò debet esse necessaria, sicut debet esse lex, Cap. *Erit autem, dist.*4. vbi autem est Episcopus, non potest esse necessarium, quod reconciliatio Ecclesiæ fiat per Sacerdotem. 3

Hinc

4 Hine autem insurgit difficultas. An vbi non sunt Episcopi, aut saltem longè distantes, consuetudine induei possit, qood per Sacerdotem consecretur Ecclesia. Quantum autem spectat ad cap. *Aqua de consecrat. Eccles.* non obstat introductioni huius consuetudinis, nam ille text. solum loquitur de consuetudine in loco vbi erant Episcopi, & quæ introduxerat, quod reconciliatio committeretur Sacerdoti ab Episcopo. Modo autem sermo est de consuetudine in loco, vbi non sunt Episcopi, & qua præscribatur facultas consecrandi. Et affirmatiuè videtur respondendum, quia Pontifex, vt dicetur in fine, committere potest ex priuilegio simplici Sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ consecratæ, quia scilicet non est actus ordinis Episcopalis ex iure Diuino, sed tantùm ex iure Ecclesiastico. Quæ autem acquiri possunt priuilegio, acquiri possunt etiam consuetudine, vt tradunt communiter Glos. *in cap. Conquestus verbo* Consuetudo 9. *quæst.* 3. & *in cap. Nouit verbo* Consuetudinem *de iudic.* Vbald. *de Canon. port. part.* x. *cap.* 2. *num.* 28. Barbatia *consil.* 81. vers. *Quinimò*, Grammat. *cons. ciuil.* 98. Mandos. *de priuileg. ad instar Gloss.* 15. *num.* 59. Craueтт. *de Antiqu. temp. part.* 4. §. *Absolutis, different. quæst.* 3. *num.* 10. & communiter. Vnde acquiritur Iurisdictio cap. *Duo simul, de offic. Ordin.* ius exigendi tributa cap. *Super quibusdam*, §. *Præterea* vers. *Non extat. de verbor. significat.* Verum oppositum est probabilius, quia non possunt præscribi, aut consuetudiue acquiri, quorum non adest capacitas. Non habens autem ordinem, non est capax actua ordinis. Quando autem committitur simplici Sacerdoti denudatur, talis functio qualitate actus ordinis, quæ ei conuenit de iure positiuo, & ideo ille committi potest, non accommodatur capacitati ipsius.

5 An autem possit Episcopus committere alteri Episcopo reconciliationem Ecclesiæ consecratæ, affirmatiuè resoluitur in cap. *Aqua, de consecrat. Eccles.* ibi: *Aqua per Episcopum benedicta Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum, non negamus*, faciunt tamen difficultatem illa verba, *Aqua per Episcopum benedicta*, quæ significare videntur, quod licet Episcopus possit committere alteri Episcopo reconciliationem Ecclesiæ, non tamen possit committere benedictionem aquæ, cum qua est reconcilianda, sed debeat necessariò ab ipso benedici. Verum hic text. accipiendus est, quod aqua de congruentia debeat benedici à proprio Episcopo, non autem de necessitate, & proindè committi possit benedictio quoque alteri Episcopo, vt obseruant Abbas Ioan. Andr. Ancharan. Butr. Hostiens. & alij in hunc text. Franeisc. Lugo *lib.* 5. *de Sacram. cap.* 6. *quæst.* 1x. *n.* 94. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 159. Cum enim possit alteri Episcopo delegare ea, quæ sunt ordinis, vt dicitur in dict. cap. *Aqua*, poterit etiam delegare huiusmodi benedictionem.

QVÆSTIO 607.

An Episcopus possit committere reconciliationem Ecclesiæ consecratæ simplici Sacerdoti.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus an possit simplici Sacerdoti delegare reconciliationem Ecclesiæ consecratæ*, & numero sequent.
3. *Quæ sunt ordinis non possunt non habenti Ordinem delegari.*
4. *Delegans simplici Sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ consecratæ nulliter agit.*
   Actus fundatur in potentia operantis.
5. *Cur Pontifex in cap. Aqua toleret, reconciliationes Ecclesiarum consecratarum factas per simplices Sacerdotes.*

PRima sententia asserit Episcopum committere posse simplici Sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ consecratæ. Ita Victoria *in sum. tit. de Eucharist. numer.* 99. Sà etiam correctus *verbo* Ecclesia *num.* 10. Syluius 3. *part. quæst.* 83. *art.* 3. Addens se credere hoc esse in praxi concedente Pontifice. Et quod mirum est, nullo fundamento muniunt suam sententiam, licèt sit contra expressissimum text. nec text. respondent. Vnde fortè ipsum non viderunt, aut non aduerterunt. 1

Secunda sententia, & communis negat, posse committere. Ita Gloss. *in cap. Aqua verbo* Iurisdictionis, *de consecrat. Eccles.* Abbas *num.* 4. Hostiens. Ioan. Andr. & cæteri *ibid.* D. Antonin. 3. *part. tit.* 12. *cap.* 6. §. 5. Syluester *verbo* Consecratio x. *quæst.* 8. Tabiena *num.* 1. Armil. *num.* 9. Angel. *verbo* Consecratio Ecclesiæ *init.* Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* x. *art.* 3. *argum.* x. *dicto* 4. ver. *Quocirca.* Henriquez *lib.* 13. *sum. cap.* 51. *num.* 5. Graff. *prax.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 10. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 15. Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.* 16. *num.* 31. Auila *part.* 5. *de censur. disp.* 7. *dub.* 4. *conclus.* 3. Facundex *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *numero* 60. Suarez *disp.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *in fine.* Reginald. *lib.* 29. *praxis fin. pænit. cap.* 9. *sect.* 5. *num.* 179. Faustus *de Eucharist. lib.* 2. *de Sacrif. Miss. quæst.* 209. Sbroxius *de officio Vicar. lib.* 2. *quæst.* 5. *numer.* 4. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 158. Filliuc. *tract.* 5. *cap.* 4. *n.* 118. Nugn. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 1x. Franciſc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 6. *quæst.* 1x. *num.* 95. Tamburin. *de iure Abbat. tom.* 1. *disp.* 23. *quæst.* 10. *num.* x. Mirand. *tom.* 2. *Manual. quæst.* 39. *art.* 8. *conclus.* 2. Vgolin. *de potest. Episcop. cap.* 29. §. 8. *num.* x. Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 28. *num.* 56. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 2. *dub.* 10. ver. *Prima difficultas.* Lugo Cardin. *disputat.* 20. *de Eucharist. sect.* x. *numero* 61. 2

Dicendum est. *Episcopum non posse inferiori, seu simplici Sacerdoti delegare reconciliationem Ecclesiæ consecratæ.* Ita expresse statuitur in cap. *Aqua, de consecrat. Eccles.* vbi dicitur. Quod licet Ecclesia per alium Episcopum reconciliari possit, non tamen per simplicem Sacerdotem; & consuetudo, qua committitur simplici Sacerdoti, damnatur tanquam corruptela. Ratio est quam ponit tex. quia quæ sunt Ordinis, non possunt delegari non habenti ordinem, sicut etiam habetur in cap. *Quamuis dist.* 68. In delegato enim requiritur capacitas delegationis, atque adeò habilitas ad exercendum actum delegatum. Qui autem non habet ordines, non habet habilitatem ad exercendos actus ordinum, vsque adeò non est capax delegationis quoad ipsos. 3

An autem si Episcopus committeret simplici Sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ pollutæ consecratæ, teneret delegatio, negatiuè resoluendum est. Ratio est. Quia actus fundatur in potentia, & voluntate operantis, & vbi deficit potentia, voluntas vana est, & nihil operari potest, *l. Multum interest C. si quis alteri, vel sibi*, & notant communiter Socin. *Reg.* 30. ver. *Tertiò.* Menoch. *præsumpt.* 80. *n.* 11. *lib.* 1. Couarruu. *lib.* 3. *variar. cap.* 6. *num.* 9. Episcopus autem non habet potestatem delegandi actus ordinis non habenti ordinem, & ideò si deleget, nulla est delegatio, & quæcunque indè sequuntur. 4

Dices,

5 Dices. Pontifex in cap. *Aqua, de consecrat. Eccles.* tolerat reconciliationes Ecclesiarum factas per simplices Sacerdotes ex delegatione Episcoporum: ergo licet delegatio non sit licita, erit tamen valida, alioquin nec etiam esset valida reconciliatio, & proinde non toleraretur à Pontifice, quia tolerantia non facit validum, quod est nullum, & si facit, quando est simul cum consensu, non tamen ponit effectum, qui non nisi per certam causam poni potest, qualis est reconciliatio Ecclesiæ. Resp. Pontificem tolerare illas reconciliationes, quia fuerunt sufficientes ad tollendam pollutionem secundùm existimationem, licet non secundùm realitatem. Cum enim pollutio, vt dictum est in superioribus, non afficiat Ecclesiam secundum se, sed solum secundùm hominum opinionem, & proindè non destruat, neque maculet sanctitatem illi impensam per consecrationem, aut benedictionem, dum illæ reconciliationes putabantur legitimæ, fuerunt sufficientes, quoad communem existimationem, ad tollendam opinionem de pollutione, atque adeò ad tollendam etiam per accidens ipsam pollutionem. Et proinde non cessasset opinio de pollutione, rectè toleratæ sunt illæ reconciliationes.

QVÆSTIO 608.

An Ecclesia consecrata reconciliari possit à simplici Sacerdote de mandato Episcopi cum simplici aqua benedicta.

SVMMARIVM.

1. *Duplex reconciliatio Ecclesiæ.*
2. *Simplex Sacerdos an possit de mandato Episcopi reconciliare Ecclesiam consecratam simplici aqua benedicta,* & num. seq.
   Necessitas facit licitum quod aliàs est illicitum.
3. *Reconciliatio est nulla non adhibita forma præscripta.*
   Sacerdos simplex non potest reconciliare Ecclesiam consecratam.
4. *Non seruata forma actus est nullus.*
5. *Reconciliatio simplex non æquipollet solemni.*
6. *Consecratio ponit Ecclesiam in altiori ordine, quam ponat benedictio.*
7. *Reconciliatio simplex non sufficit pro Ecclesia consecrata polluta.*
8. *Forma reconciliationis est de necessitate medij.*

1 CVm duplex sit reconciliatio Ecclesiæ pollutæ; alia solemnis, quæ fit per Episcopum cum aqua mixta cinere, & vino ab ipso benedicta, & alia simplex, quæ potest fieri per simplicem Sacerdotem cum aqua simplici benedicta, dubitatur; An ex commissione Episcopi possit simplex Sacerdos reconciliare Ecclesiam consecratam cum hac simplici benedictione, cum non possit vti solemni reconciliatione.

2 Partem affirmatiuam tradit Bordon. *in decis. Miscellan. decis.* 632. ver. *Colligo ex his.* Fundamentum est quia ista reconciliatio non est actus Ordinis Episcopalis, nec excedit facultatem Sacerdotalem, & aliàs producit eundem effectum, quem produceret altera reconciliatio, cum violatio sit eadem, siue Ecclesia sit consecrata, siue solum benedicta. Nec obstat, quod assignetur pro vtraque forma diuersa, quia talis forma non est de necessitate medij, sed tantùm præcepti. Vnde infert, quod in casu necessitatis, potest id exequutioni mandari, vt in casu Sedis Episcopalis vacantis, quia tum cessat præceptum ratione necessitatis cap. *Quanto, de consuetudine,* & necessitas facit licitum, quod aliàs esset illicitum cap. *Quod non de reg. iur.* Et concludit, Vicarium Capitularem Sede vacante posse committere reconciliationem Ecclesiæ consecratæ simplici Sacerdoti exequendum cum simplici benedictione, & aqua simplici benedicta, quia hæc commissio est actus iurisdictionis, quæ transit in ipsum.

Dicendum est. *Reconciliationem Ecclesiæ consecratæ, etiam cum simplici aqua benedicta, & eo modo, quo reconciliatur Ecclesia tantùm benedicta, non posse committi simplici Sacerdoti.* Ratio est. Quia sicuti pollutio est de iure positiuo, & non inducitur, nisi per eas causas, quæ per ipsum statuuntur tanquam pollutiuæ: ita etiam reconciliatio est de iure positiuo, & non inducetur, nisi per causam ab ipso iure assignatam: ergo cum ius assignet reconciliationem actiuam cum sua propria forma, nisi hæc adhibeatur, non inducetur reconciliatio passiua Confirm. reconciliatio simplex habet vim reconciliandi Ecclesiam non consecratam: ergo non habebit vim reconciliandi Ecclesiam consecratam, quia nullam aliam habet vim, nisi quæ illi conuenit ex vi suæ institutionis, cum tota vis sit ex institutione Ecclesiæ: ergo cùm non sit instituta pro Ecclesia consecrata, non habebit vim ad ipsam reconciliandam. 3

Confirm. 2. Reconciliatio Ecclesiæ consecratæ est actus ordinis Episcopalis ex institutione Ecclesiæ, & peragitur cum certa, & determinata forma: ergo si alio modo reconcilietur; non sortietur effectum ex vulgata regula, quod non seruata forma, actus est nullus, & deficit effectus *l. 4. C. de sent. & interloqunt.* & *l.* 1. §. 2. *ff. de verbor. obligat.* & *l. Manius ff. de condit. & demonstrat.* & tradunt communiter cum Glos. *in cap. Cum dilecta,* verbo *Irritum de rescript.* vbi & Doctores. 4

Nec dici potest, quod forma adimpleretur, per æquipollens; siquidem adhiberetur alia forma reconciliationis, quod sufficit, quando forma est inducta ad certum finem. Nam non adesset huiusmodi æquipollentia, siquidem vna reconciliatio est actus ordinis Episcopalis, & altera Sacerdotalis, quorum vnus vtpotè inferioris ordinis non æquipollet alteri. Rursus tunc valet, quando forma æquipollenti obtinetur idem finis, quod non contingeret in præsenti casu, quia reconciliatio est causa effectiua reconciliationis passiuæ: vt ideò si variatur forma, variatur etiam substantia causæ, atque adeò efficientia illius. Variata autem efficientia, non obtinetur effectus. 5

Confirm. 3. Ideò ius statuit, quod Ecclesia consecrata reconcilietur ab Episcopo, quia ab Episcopo tanquam Episcopo, per actum ordinis Episcopalis fuit consecrata. Et Ecclesia tantùm benedicta potest reconciliari à simplici Sacerdote, cum benedictione simplici, quia eius primæua benedictio est actus ordinis Sacerdotalis, etiamsi peragatur ab Episcopo. Ex quo fit, quod Ecclesia consecrata sit in altiori ordine Sanctificationis, quod sit solùm benedicta; nam ad eam constituendam in tali ordine, requiritur altior causa, nempè Ordo Episcopalis: ergo non potest simplex Sacerdos reconciliatione, quæ sit actus ordinis Sacerdotalis eam reconciliare. Consseq. prob. Quia non potest causa inferior cum influxu inferiori, non solum in physicis, sed etiam in moralibus reparare, aut aliquid agere circa effectum causæ Superioris. 6

Ad fundamentum in oppositum resp. Verum quidem esse, quod talis reconciliatio non excedat facultatem Sacerdotalem: falsum tamen esse, quod produceat eundem effectum eò, quod non agat, vt dictum 7

dictum est, vltra institutionem suam. Est autem instituta tantum in ordine ad Ecclesiam tantùm benedictam.; & ideò habet vim tollendi maculam ab Ecclesia benedicta, non autem à consecrata, quia hæc est extra Sphæram ipsius. Hinc neque pollutio est eadem, sicut nec eadem est Sanctitas Ecclesiæ benedictæ, & Ecclesiæ consecratæ, nam pollutio, cum sit macula sanctitatis, variata sanctitate, variatur etiam pollutio; & proindè grauius peccat, qui polluit Ecclesiam consecratam, quàm qui polluit tantùm benedictam, quia lædit in eminentiori sanctitate.

8 Ad id, quod subditur, quod forma assignata non sit de necessitate medij, sed tantùm de necessitate præcepti Resp. Esse de necessitate medij, quia causa proportionata est necessaria necessitate medij pro obtinendo effectu. Reconciliatio autem cum tali forma est causa inducens reconciliationem passiuam Ecclesiæ consecratæ, & reconciliatio simplex cum aqua simplici benedicta, non est causa proportionata pro tali effectu, vt constat ex dictis.

QVÆSTIO 609.

An summus Pontifex delegare possit simplici Sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ consecratæ.

SVMMARIVM.

1. *Pontifex delegare potest simplici Sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ consecratæ.*
2. *Pontifex potest committere, quæ sunt ordinis superioris de iure positiuo inferiori.*
3. *Pontifex priuilegiare potest simplicem Sacerdotem ad reconciliandas Ecclesias consecratas, & ad consecrandas.*
4. *Si non potest reconciliari Ecclesia consecrata, nec etiam sufficit aspersio aquæ exorcizatæ.*
5. *Pontifex potest concedere Episcopis, vt possint delegare simplici Sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ consecratæ.*

1 Dicendum est. *Summum Pontificem, committere posse simplici Sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ consecratæ.* Ita communiter Glos. *in cap. Aqua, verbo* Iurisdictionis; *de consecrat. Eccles.* & Canonistæ *ibid.* D. Antonin. 3. *part. tit.* 12. *cap.* 6. §. 5. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *artic.* 3. *argum.* 2. *dict.* 4. ver. *Quocirca.* Syluester *verbo* Consecratio 2. Tabiena *num.* 1. Armilla *num.* 9. Angelus *verbo* Consecratio Ecclesiæ *init.* Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 15. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 51. *numero* 5. Graff. *part.* 1. *decis. libro* 2. *cap.* 48. *numero* 10. Sayr. *libro* 5. *de censur. cap.* 16. *numero* 31. Auila *disput.* 7. *de censur. dub.* 4. *conclus.* 3. *part.* 5. Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *in fine.* Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *numero* 60. Reginald. *lib.* 29. *Prax. for. pœnit. cap.* 9. *sect.* 5. *n.* 179. Faustus *de Eucharist. lib.* 2. *de Sacrific. Miss. qu.* 109. Sbrozzius *de offic. Vicar. libr.* 2. *quæst.* 5. *num* 4. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 12. *numero* 158. Filliuc. *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 118. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 5. *cap* 5. *num.* 12. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. capit.* 8. *quæst.* 12. *numero* 95. Cardin. Lugo *disp.* 20. *de Eucharist. sect.* 2. *num.* 61. Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 28. *num.* 56. Miranda *tom.* 2. *Manual. qu.* 34. *art.* 8. *conclus.* 2. Vgolin. *de Offic. Episc. p.* 2. *cap.* 29. §. 8. *n.* 2. Tamburin. *tom.* 1. *de iure Abbat. disp.* 23. *qu.* 10. *n.* 2. Quartus *in rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *n.* 2. *dub.* 10. ver. *Prima difficultas.*

2 Desumitur autem ex Rituali Romano, post ritum Reconciliationis Ecclesiæ non consecratæ, in Rubrica, vbi dicitur: *Simplex Sacerdos, tantùm ex priuilegio Sedis Apostolicæ potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare.* Ratio verò est. Quia licet Summus Pontifex non possit committere inferiori ea, quæ de iure Diuino sunt Ordinis Superioris, potest tamen committere ea, quæ solum de iure positiuo sunt talis ordinis, vt docent Gloss. *in cap. Peruenit, dist* 95. Abbas *in cap. Aqua, in fine, de consecrat. Eccles.* Pisel. *in Rubr. num.* 13. *ff. de offic. eius &c.* Rebuff. *in praxi, benef.* Tit. *forma Vicar.* Archidiac. *num.* 169. Vestrius *in pract. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 5. Syluester, *verbo* Ordo 3. *numero* 7. & communiter Theologi cum D. Thom. *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 3. Reconciliatio autem Ecclesiæ consecratæ est actus ordinis Episcopalis tantum de iure Ecclesiastico. Nam ipsa reconciliatio, sicut etiam consecratio, & pollutio originem habent à sola institutione Ecclesiæ, & ideò solum ius Ecclesiasticum addixit hos actus certo ordini. Pontifex autem, cum sit supra totum ius Ecclesiasticum, potest supra ipsum dispensare, & committere, quæ sunt ordinis Superioris inferiori. Et quod de facto commiserit, constat ex diuersis priuilegiis concessis Regularibus, de quibus *infrà.*

3 Ex dictis colligitur. Posse summum Pontificem committere simplici Sacerdoti etiam consecrationem Ecclesiæ nedum pro vna vice, sed semper per modum facultatis priuilegiatiuæ: quia cum iste actus spectet tantum ad ordinem Episcopalem ex dispositione Iuris Ecclesiastici, potest Pontifex concedere priuilegium derogans huic iuri, sicut etiam concedit in aliis materiis. Imò sicuti posset tollere huiusmodi ius absolutè, & facere, quod Consecratio non sit actus ordinis Episcopalis, à fortiori poterit etiam ipsi derogare.

4 Secundò colligitur, contra Plasec. *in Praxi Episcop. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 5. Quod si reconciliatio non possit statim obtineri ab Episcopo, non sufficiat lauare Ecclesiam aqua exorcizata, & interim in ea celebrare, donec reconcilietur, quod etiam notat Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 161. Quia per hanc aspersionem non tollitur pollutio, alioquin non esset de nouo reconcilianda; & ideò remanet idem impedimentum, ne possit in ipsa celebrari; nec iuuat cap. *fin. de consecrat. Eccles.* quia apertè loquitur, quando Ecclesia polluta non est consecrata.

5 Tertiò colligitur. Posse summum Pontificem concedere facultatem Episcopis, vt possint concedere facultatem simplici Sacerdoti reconciliandi Ecclesias consecratas, vt docent Innocent. *in cap. Aqua, de consecrat. Eccles.* testans quod Pontifex id indulserit pluribus Episcopis Ioan. Andr. *num.* 3. Ancharan. *num* 2. Butr. *num.* 7. Hostiens. & cæteri Canonistæ, *ibid.* Miranda *tom.* 2. *Manual. quæst.* 49. *art.* 8. *concl.* 2. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 12. *numer.* 163. Quia cum possit ipse id concedere simplici Sacerdoti, poterit etiam concedere Episcopis facultatem delegandi propriam potestatem, cum in hac concessione nihil aliud interueniat, nisi quod actus ordinis Episcopalis de iure Ecclesiastico possit exerceri per inferiorem.

QVÆSTIO 610.

An Regulares possint proprias Ecclesias pollutas reconciliare.

SVMMARIVM.

1. *Quinam Regulares possint proprias Ecclesias reconciliare.*
2. *Priuilegia id concedentia.*
   Dictio aliquem, importat vnum ex quibuscunque.
3. *Priuilegium Leonis X. circa reconciliationem, Ecclesiæ.*
4. *Distantia duarum leucarum an necessaria, vt possit per Regulares benedici aqua pro reconciliatione Ecclesiæ.*
   Dictio præsertim implicat casum magis dubitabilem.
   Facit habere locum idem ius in casu opposito.
5. *Defuncto Episcopo possunt Regulares benedicere aquam pro reconcilianda Ecclesia.*
   Episcopi non possunt impedire Regularibus vsum priuilegiorum.

1 DIcendum est. *Regulares posse proprias Ecclesias consecratas reconciliare, si contingat pollui.* Hoc autem intelligitur quoad Generales, Custodes, Guardianos, cæterosque Superiores. Hoc autem eis conuenit ex priuilegio Sedis Apostolicæ, & ita notant Rodriquez *part.1. sum. cap.28. conclus.2. & tom.1. quæst. Regul. quæst.19. art.3. & 6.* Henriquez *lib.9. sum. c.27. num.6. & in com. littera D.* Armilla *verbo* Consecratio, *num.12. in fine.* Sayr. *lib.5. de censur. cap.16. n.31.* Auila *par.5. de censur. disp.7. dub.4. conclus.3. in fine,* Vgolin. *de potest. Episc. part.2. cap.29. §.8. num.2.* Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 28. *num.*64. Tamburin. *de iure Abbat. tom.1. disp.23. quæst.10. num.3.* Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.12. num.163.* Portel. *in rubr. Regul. verbo* Ecclesiæ Reconciliatio, *num.1.* Cassina *in Catechesi Regul. tit.7. num.26.* Megal. *in promptuar. verbo* Ecclesia, *num.21. in fine.* Marchin. *de sacram. Ordin. tract.3. part.3. cap.11. num.14.* Graff. *consil.2. num.18. de consecrat. Eccles.* Nouar. *in summ. Bullar. tit. de pollut. Eccles. num.7.* Layman. *lib.5. Theol. moral. tract.5. cap.5. num.12.* Peirin. *de Prælat. Relig. qu.3. cap.8. num.2.* Faustus *de Eucharist. lib.2. de Sacrific. Miss. quæst.109. vet. Cæterum.* Quartus *in Rubr. Missal. p.3. tit.10. n.x. dub.10. vet. Tertia difficultas.*

2 Inter alia autem priuilegia, duo sunt celebriora. Primum Iulij II. quo concessit Prælatis Ordinis Minorum, vt possint reconciliare suas Ecclesias, sanguinis, siue seminis effusione, siue aliàs quomodocunque pollutas, quoties opus fuerit, aqua tamen prius per aliquem Catholicum Antistitem, vt moris est, benedicta. Ita refertur in *compend. Priuileg. Mendicant. verbo* Benedicere, *num.* 13. Ex quo constat, quod non sit necessarium aquam benedici per Episcopum Ordinarium, sed posse à quocunque Catholico benedici; nam priuilegium habet, *Per aliquem Catholicum Antistitem.* Dictio enim aliquem comprehendit omnes Episcopos absque vlla distinctione iuxta Gloss. *in Clem.1. verbo.* Aut earum parte, *de for. competent.* & cum aliis Caldas Perer. *de potest. eligen. cap.1. num.2.* Vnde etiam si non deficiat Ordinarius Episcopus, poterunt Regulares vti aqua benedicta per alium Episcopum. Hoc autem priuilegium in eo fundatur, quod Ecclesiæ Regularium, & ipsi Regulares sunt exempti, & ideò quoad ea, in quibus sunt exempti, possunt vti opera cuiuscunque Episcopi libuerit.

Alterum priuilegium est Leonis X. quo concessit Generalibus, Prouincialibus, ac Custodibus, necnon Guardianis fratrum Minorum Obseruantiæ, quod possint reconciliare Ecclesias &c. quæ quomodolibet sanguinis, vel seminis effusione pollutæ fuerint & hoc cum aqua per prædictos Prælatos benedicta, præsertim in locis remotis, vbi Episcopum aquam benedicentem per duas diætas adire non potuerint. Ita refertur in eodem *compend. Priuileg. Mendicant. verbo* Benedicere, *numer.*14. Et hoc priuilegium est magis amplum, quia concedit etiam facultatem benedicendi aquam. 3

Circa hoc tamen dubium remanet an, vt priuilegium habeat locum, quoad benedictionem aquæ requiratur distantia Episcopi per duas diætas. Et quamuis nonnulli existiment requiri, stando tamen in verbis priuilegiis, id non est necessarium, vt notant etiam Ioan. à Cruce *lib.2. de statu Relig. cap.5. dub.9. conclus.4.* Cassina *in Catech. Regul. tit.7. n.26.* Quod enim possint Prælati Regulares benedicere aquam conceditur, non solum quando Episcopus distat per duas diætas, sed etiam absolutè; nam conceditur: *Præsertim in locis remotis*, vbi Episcopum aquam benedicentem per duas diætas adire non potuerint dictio autem (*præsertim*) facit, quod concessio locum habeat potiori modo in casu distantiæ, non autem tollit quod seclusa distantia locum non habeat: imò supponit habere, quia exprimit casum minùs dubitabilem, & implicat magis dubitabilem iuxta *l. fin. ff. de liber. exhibend.* vbi Glos. *verb. Præsertim*, & *in cap. Pro humano, verbo* Præsertim, *de homicid. in 6.* vbi etiam Doctor. Mandos. *ad regul* 29. *Cancellar. quæst.6. num.2.* Menoch. *de arbit. casu* 416. *num.*19. Vnde hæc dictio significat idem ius habere locum in casu contrario, vt notant Matth. *cons.*490. *numer.*4. *vol.*3. Cassador. *decis.*4. *num.*8. *de concess. præbend.* 4

Ex quibus sequitur. Quod defuncto Episcopo, etiamsi quando est præsens, non possent Prælati Regulares benedicere aquam, possent tunc benedicere, vt notat Rodriquez *quæst. Regul.* 19. *art.*3. *tom.*1. *argum. ex cap. vnic. §. fin. ne sede vacante in 6.* Quia nulla est maior distantia, quàm ea, quæ ponitur per mortem, nec maior absentia, cum sit sine spe reuersionis. 5

Sequitur secundò. Quod non possint Episcopi prohibere Regulares, ne suas Ecclesias reconcilient, siue tantùm benedictæ sint, siue etiam consecratæ. Quia stantibus dictis priuilegiis habeat facultatem sufficientem. Imò non possunt impedire vsum eorundem priuilegiorum, nec ipsis contraire, cum Leo X. statuerit in fauorem Fratrum Eremitarum S. Augustini, atque adeò communicantium in priuilegiis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, si sæculares fuerint, & si Clerici, etiam priuationis dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ possint ab aliis impertari. Et ideò si contingat Regulares prohiberi ab aliquo Episcopo ne Ecclesias suas reconcilient, prohibitio erit nulla defectu auctoritatis, & tanquam contraria priuilegiis Apostolicis. 6

QVÆSTIO 611.

Quid nomine diæta in præfatis priuilegiis intelligatur.

SVMMARIVM.

1. *Diæta dupliciter accipitur.*
   Diæta legalis, vulgaris, quid sit.
2. *Quomodo accipienda in priuilegiis,* & n. seq.

3. *Nemine dieta venit vulgaris.*
4. *Quando est in contemplatione difficultas adeundi locum, diata accipitur vulgariter.*
5. *Diata vulgaris quomodo accipienda.*
6. *Diata vulgaris an possit sumi secundum mensuram itineris Fratrum Minorum.*
Specialia non veniunt in dispositione sine dispositione speciali.

1 DIfficultas oritur ex eo, quod diæta dupliciter accipitur, nempè vulgariter, & legaliter, vt notat Gloss. *in cap. Nonnulli, verbo* Vltra duos, *de rescrip.* Vulgaris importat iter vnius diei iuxta consuetudinem Regionis; & proinde non est eadem apud omnes, sed maior, aut minor; præsertim, si milliaria non sint eiusdem quantitatis. Legalis autem continet viginti milliaria, iuxta *l. 1. ff. Si quis caution.* & *l. 3. ff. de verbor. significat.* Est autem hoc discrimen inter vnum, & alium, quod in dicta legali quilibet excessus etiam vnius milliarij supra viginti computatur pro secunda diæta, vt dicitur in *ead. l. 3.* Non sic autem in diæta vulgari. Difficultas ergo est, an in præfatis priuilegiis diætæ accipi debeant legaliter, non vulgariter.

2 Prima sententia asserit, esse accipiendam de legalibus. Ita Rodriquez *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 19. art. 6. in fine.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 27. num. 7.* & *in com. littera D,* Fundamentum huius sententiæ est. Quia præsumendum est, quod Pontifex concedat priuilegium secundùm terminos Iuris, alioquin cum vulgares incertæ sint, non esset certum, quando priuilegium locum haberet, & suboriri possent plures difficultates.

3 Secunda sententia asserit, priuilegium esse accipiendum de diætis vulgaribus. Ita ij, qui vniuersaliter loquuntur, quod diæta in qualibet dispositione accipienda sit de vulgari, nisi aliter exprimatur Gloss. *in cap. Cupientes, verbo* Commodè, *de elect. in 6.* & *in cap. Nonnulli de rescript.* & *in cap. Statutum §. Cum autem de rescript. in 6.* Innocent. *in d. cap. Nonnulli, n. 2.* Hostiens. *ibid.* Abbas *num. 6.* Ioan. Andr. *in cap. Præsenti, §. Loca* ver. *Specialiter, de præbend. in 6.*

4 Dicendùm est. *In præfato priuilegio Leonis diætam accipiendam esse de vulgaribus.* Ratio est, quia de iure, nisi aliter exprimatur, nomine diætæ venit vulgaris, ita statuitur in cap. *Præsenti §. Loca, de præbend. in 6.* vbi dicitur diætas, de quibus agitur, debere esse legales, & ita specialiter computandas in illo casu. Vnde si specialiter sunt computandæ in illo singulari casu, legali modo, in aliis casibus, & generaliter erunt opposito modo, vt ponderat *ibid.* Io. Andr.

5 Deinde. In priuilegio habetur ratio difficultatis adeundi Episcopum ob distantiam loci, & hæc difficultas fundatur in distantia duarum diætarum. Si autem essent accipiendæ legaliter, sequeretur, quod si Episcopus per vnam diætam & *suprà* ipsam vnum, aut duo milliaria distaret, non esset adeundus, quia haberetur pro distanti duabus diætis iuxta *l. 3. ff. de verbor. significat.* quod non est verisimile, Pontificem intendisse cum vnum, aut duo milliaria non fundet difficultatem, quam non fundat vna diæta ex dictis autem solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ. Nam cum nomine diætæ veniat de iure vulgaris, nisi specialiter exprimatur legalis, dum Pontifex non expressit, intelligenda est vulgaris.

6 Cæterum adhuc dubium remanet quomodo istæ diætæ vulgares accipiendæ sint, nam cum sint accipiendæ secundùm consuetudinem Regionis, & in eadem Regione iter vnius diei sit diuersum, & modò breuiùs, modo lõgius, quia diuidi solet iuxta commoditaté hospitij, remanet incertum, quot milliaria Regionis importet vna diæta. Resp. quod cum diæta vulgaris accipi debeat secundùm consuetudinem Regionis, & importet iter vnius diei, vt aliquid certum habeatur, oporter sumere diętas cum inæqualitate, nempè secundùm diuisionem itineris comprehendentis singulis diebus habita ratione commoditatis hospitij, atque sicuti diuidere solent, qui iter habent, nec lentè, nec festinanter, quia dùm vulgariter accipiendæ sunt, etiam vulgariter mensurandæ, & diuidendæ sunt, atque adeò iuxta id, quod solet regulariter contingere.

Hinc tamen oritur alia difficultas, an possit intelligi priuilegium quod diæta contineat iter vnius diei iuxta mensuram fratrum Minorum, qui iter pedestres faciunt, atque adeò singulis diebus minorem quantitatem absoluunt. Cum enim priuilegium sit ipsis concessum, & debeant ipsi, accedere ad Episcopum, videtur diæta mensuranda secùndùm mensuram itineris ipsorum. Verum, cum hoc sit aliquid speciale, si Pontifex intellexisset de diætis itineris ipsorum, fuisset necessaria aliqua expressio specialis sicut est necessaria, quando intelliguntur diætæ legales, iuxta cap. *Præsenti, §. loca, de præbend. in 6.* vt dictum est *supra*, quæ cum desit, accipi debent de diætis vulgari modo acceptis, & mensuratis.

QVÆSTIO 612.

An Prælati Regulares possint delegare facultatem reconciliandi suas Ecclesias.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegium reconciliandi Ecclesias non conuenit Vicariis.*
2. *Habentes ex priuilegio facultatem reconciliandi Ecclesias, an possint delegare.*
3. *Nudum ministerium, commissum non potest delegari.*
4. *Facultas annexa dignitati, fit Ordinaria.*
5. *Quid requiratur, vt facultas possit delegari.*
Ex nullo ministerio possunt Regulares reconciliare suas Ecclesias.

SVpponendum est contra Peitin. *de Prælato Relig. quæst. 3. cap. 8. n. 2.* Cassinam *in Catechesi Regul. tit. 7. n. 17. init.* facultatem reconciliandi Ecclesias pollutas non competere Vicariis paruorum Cõuentuum. Quia non sunt expressi vllo modo in priuilegij tenore. Nam priuilegium Leonis concedit tantùm ea superioribus localibus, Custodibus, & Guardianis, & priuilegium Iulij II. solum Vicariis Prouincialium. Nomine autem Guardianorum, & Custodum non veniunt Vicarij paruorum Conuentuum, quamuis superiores sint in capite, quia tenent gradum inferiorem superioritatis. Vnde neque sunt tales per æquipollentiam. 1

An autem habentes facultatem reconciliandi possint alteri vices suas committere, affirmat Bordon. *in consil. Regul. resol. 17. quæst. 1. tom. 1.* idem Cassina *in Catechesi regul. tit. 7. n. 27.* Fundamentum est. Quia is, cui ex sua dignitate competit aliquod priuilegium perpetuum, potest alteri suas vices delegare, vt tradunt Gloss. *in cap. fin. de offic. Ordin.* Sà *verbo* Gratia *n. 27.* Pottel. *verbo* Dispensare *n. 2. in Addit.* & *verbo* Prælatus *n. 2.* Lezana *in sum. lib. 1. cap. 18. num. 24.* Ista autem facultas est concessa superioribus localibus in perpetuum per priuilegium. 2

Tenendum tamen est: *Quod non possint alteri cõmitti.* Ratio est. Quia dum per priuilegiũ conceditur facultas reconciliandi Ecclesias, committitur tantùm nudũ ministeriũ, nẽpe executio actus illius, qui aliàs de se est, Ordinis Episcopalis. Quãdo autẽ alicui cõmittitur nudum ministerium, exceptis legatis Apostolicis, non 3

poteſt alteri delegari, vt ſtatuitur in cap.*fin.* §.*Caeterum, de offic. deleg.* ibi: *Nulli, cui commiſſum fuerat prædicare crucem, excommunicare, vel abſoluere aliquos: diſpenſare cum irregularibus, vel iniungere pœnitentias, liceat hæc de cætero alijs demandare, quia non ſibi iuriſdictio, ſed totum miniſterium potius committitur hac parte.*

4 Dices. Id eſſe verum, quando poteſtas, quæ conceditur, non eſt annexa perpetuò alicui dignitati, ſeu officio; ſecùs autem ſi ſit annexa, quia tunc ſit ordinaria, & poteſt committi alteri, vt docent communiter Bart. *in l. Ambitioſa, n.34. ff. de decr. ab ordin. fac.* Ioan. Andr. *in addit. ad Specul. tit. de legat.* §.*vlt. in fine.* ver. *Legatus eſt.* Bald. *in cap. fin. de offic. ordin.* Imola *ibid. in fine.* Syluest. *verbo* Delegatus, *queſt.*8. *dicto* 1. Couatuo. *lib.3. var. cap.20. num.9.* Sanchez alios referens *lib. 3. de matrimonio, diſputatione 4. numero* 14.

5 Verùm ex hoc quoque capite ſequitur, quod actus reconciliationis Eccleſiæ non poſſit delegari, quia vt poteſtas conceſſa, delegari poſſit, requiritur, quod incorporetur dignitati, ſeu officio, vt ſiat iuriſdictio ordinaria, atque adeò debet eſſe poteſtas iuriſdictionis, vt etiã ſignificatur in cit. cap. *fin.* ibi: *Quia non ſibi iuriſdictio, &c.* Poteſtas autem reconciliandi Eccleſias cõceſſa Prælatis Regularibus, non eſt poteſtas iuriſdictionis, cũ non ſit ad actũ iuriſdictionis, ſed ad actũ ordinis. Et ideò cum ſit ipſis cõmiſſa tantũ exequutio actus ordinis, non autem conceſſa aliqua iuriſdictio, remanet commiſſum nudum miniſterium; & proindè non habet locum delegatio: præſertim quia exequutio huius miniſterij, non poteſt per modum poteſtatis alicui dignitati ineſſe, ſeu officio, ſed tantùm alicui ordini, cum ſit actus ordinis. Hinc ſolutum manet fundamentum in oppoſitum, quia locum habet ſolum quando, quod eſt annexum perpetuò alicui dignitati, ſe habet per modum iuriſdictionis, non autem quando eſt commiſſum per modum actus ordinis. Quod ſatis ex eo patet, quod Epiſcopus non poteſt hunc actum alteri delegare, licet ipſi conueniat perpetuò. Quia quæ ſunt ordinis, non poſſunt inferiori delegari.

QVÆSTIO 613.

An aqua pro reconciliatione Eccleſiæ conſecratæ benedici poßit benedictione ordinaria, additis addendis, &c.

SVMMARIVM.

1. *Aqua pro reconciliatione Eccleſiæ an benedici poſſit benedictione ordinaria, &c.*
2. *Deficiente forma deficit inſtitutum cum tali forma.*
3. *Benedictio quomodo faciat ſacramentale.*
4. *Virtus Dei communicatur contemplatione Eccleſiæ ſacramentalibus.*
5. *Vtens alia forma ab inſtituta ab Eccleſia, nihil agit.*
   Vtens in reconciliatione Eccleſiæ aqua benedicta diuerſa forma, peccat.

1 CAſſina *in Catecheſi Regul. tit.7. num.28.* habet, quod quando non eſt facile habere Pontificale, vt poſſit à Regularibus adhiberi benedictio aſſignata pro aqua ad reconciliandam Eccleſiam conſecratam, poterunt vti benedictione, qua vtimur in benedictione aquæ poſt immixtionem ſalis, additis addendis. Fundamentum eſt. Quia iſtæ benedictiones non ſunt neceſſariæ, neceſſitate rei ſacramentalis, itavt nulla ſit benedictio, ſi varientur, quia virtus Dei non eſt ita alligata verbis, vt non conferatur etiam per æquipollentia. Et concludit, quod in præſenti caſu huiuſmodi variatio erit ſolùm contra præceptum, quod ad ſummum obligat ad veniale, cum non ſit in materia graui, nec pertinet ad myſterium, aut ſolemnitatem magni momenti, imò ſtante vrgente cauſa, nec etiam locum habebit peccatum veniale.

Sed nullo pacto hoc eſt admittendum. Quia agitur de ſacramentali, quod non poteſt inſtitui auctoritate priuata; ſed tantùm auctoritate publica Eccleſiæ: ergo non habetur ſacramentale inſtitutum ab Eccleſia, niſi ſeruetur forma ab ipſa inſtituta, ex regula certa, & indubitata, quod quando aliquid eſt inſtitutum cum certa forma, deficiente forma, & ipſum quoque deficit, *l. Manum*, & *l. Qui heredi*, *ff. de condit. & demonſtrat.* vnde quia ſacramenta ſunt inſtituta à Chriſto cum certa forma, niſi conficiantur cum forma inſtituta, non conficiuntur, & ideò cum hoc quoque ſacramentale ſit ab Eccleſia inſtitutum cum certa forma, hac non ſeruata, non conficietur. 2

Confir. Benedictio facit ſacramentale ex vi ſignificationis verborum operantis in virtute Eccleſiæ, eo modo proportione ſeruata, qua forma ſacramentorum ex vi ſuæ ſignificationis conficit ſacramenta: & ſignificatio habet vim ex inſtitutione Eccleſiæ pro conficiendo ſacramentali: ergo ſi mutatur ſignificatio, non conficietur ſicut quando mutatur ſignificatio formæ ſacramentum: quia mutata ſignificatione, mutatur cauſa, & proinde non poteſt ex ea ſequi conſuetus effectus, intelligo autem de mutatione ſubſtantiali ſignificationis. Vnde concludendum eſt, quod ſi adhibeatur alia benedictio, non conficietur aqua benedicta, inſtituta pro reconciliatione Eccleſiæ conſecratæ. 3

Ex dictis, ſolutum manet argumentum oppoſitæ ſententiæ; nam benedictio, quæ non ſit cum forma præſcripta, nulla eſt. Et ad probat. reſp. Virtutem Dei eſſe verbis alligatam, & proindè non habere locum, niſi quando adhibetur forma inſtituta. Nam virtus Dei communicatur contemplatione Eccleſiæ, quæ inſtituit ſacramentale, atque adeò ſecundum menſuram inſtitutionis ipſius. Cum igitur Eccleſia intendat obtinere ad Deo huiuſmodi virtutem per talem formam, ſi alia adhibeatur, ſicuti Eccleſiæ intentio, & deprecatio, non eſt ipſi alligata, ita neque efficax erit ad obtinendum, & proinde benedictio erit nulla. 4

Ex quo ſit, quod licet, qui alia forma benediceret aquam, non peccaret, quia non faceret aliquid malum: non tamen benediceret nomine Eccleſiæ, ſed nomine proprio, quia non vteretur benedictione ab ipſa inſtituta, atque adeò non obtineret effectum, qui nomine Eccleſiæ eſſet obtinendus. Quod ſi poſtea vteretur aqua ſic benedicta ad reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ, nulliter quoque ageret, quia non vteretur ſacramentali præſcripto, atque adeò non ſeruaret debitam formam. In hoc autem peccaret, neque poſſet excuſari ratione neceſſitatis, quia neceſſitas non eſt talis vt poſſit excuſari, cum non ſit difficile reperire Pontificale, aut Rituale, & poſſit differri reconciliatio quouſque reperiatur. An autem peccatum ſit graue, affirmatiuè videtur reſoluendum, quia non ſeruaret ritum Eccleſiæ in re graui, non ſecus, ac qui reconciliaret Eccleſiam ſine aqua benedicta; & quia daret pro reconciliata Eccleſia, quæ reuera non eſſet reconciliata. 5

QVÆSTIO 614.

Quid specialiter seruandum in Ecclesia polluta ex sepultura infidelis, aut Excommunicati, quando reconciliatur.

SVMMARIVM.

1. *Quando reconciliatur Ecclesia polluta ratione sepulturæ, quid seruandum.*
2. *Parietes, & tigna an radenda.*
3. *Quid si Ecclesia sit tantum benedicta.*
4. *Rasura & dealbatio parietum, quando habeatur pro impossibili.*
5. *Rasura & dealbatio in ordine ad reconciliationem à iure excluditur.*
6. *Parietes, & tigna Ecclesiæ quando radenda.*

1 QVando contingit Ecclesiam pollui ex sepultura infidelium, & excommunicati: antequam deueniatur ad reconciliationem, eorum corpora extrahenda sunt, siue ab Ecclesia, siue à Cœmeterio. De corporibus infidelium statuitur in cap. *Ecclesiam* 1. *& 2. de consecrat. distinct.* 1. & de corporibus excommunicatorum in cap. *Sacris de sepult.* vbi redditur illa ratio, quod quibus viuis non communicamus, nec debemus etiam mortuis communicare. Hoc autem intelligitur, quando illorum cadauera à cæteris discerni possunt. Secùs autem quando non possunt discerni, vt declaratur in eod. cap. *Sacris.* Quia nobilis sepultura non proficit impiis, vt aliàs non debent cæterorum corpora, & ossa præiudicium pati, sicut possent pati, si extraheretur loco cadaueris, aut ossium infidelis, seu excommunicati. Hinc in dubio, an sit cadauer infidelis, aut excommunicati, non erit extrahendum ob eandem rationem, & quia tex. dicit, quod extrahatur, quando discerni potest: in dubio autem non discernitur, quia discerni est separari cum certitudine, ita vt affirmari possit. Hoc est cadauer infidelis.

2 Rursùs in dict. cap. *Ecclesiam* 2. *de consecrat. distinct.* 1. requiritur, quod ante reconciliationem sint tigna & parietes radendi. Verùm si attentè consideretur ille text. non loquitur de reconciliatione, sed de consecratione. Inquit enim, *Ecclesiam, in qua Mortuorum cadauera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet.* Sanctificare autem, est consecrare. Rursus subditur, *sed si apta videtur ad consecrandum.* Vnde iudicandum est. An sit apta ad consecrandum; si autem esset consecrata, & solùm esset reconcilianda, non haberet locum hoc iudicium, quia est absolutè reconcilianda, quando est consecrata. Præterea adhuc subditur; *Sed si hæc consecrata ante fuerit, Missas in ea celebrare licet, si tamen fideles fuerint, qui in ea sepulti sunt.* Ecce quomodo diuersimodè loquitur, quando Ecclesia prius erat consecrata. Et proindè quod non sint parietes radendi, quando Ecclesia est consecrata, notant Glos. *in dict. cap. vlt.* Abbas *in cap. Consuluisti. de consecrat. Eccles.* Ioan. Andr. *in cap. Proposuisti. eod. tit.* Hostiens. *ibid.* Azor. *part. 2. lib. 9. cap. 5. quæst. 1. ver. Quæret.* Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. tit. 12. num.* 124. Quod si essent radendi parietes, periret consecratio.

3 Sed adhuc difficultas est de Ecclesia non consecrata. Et difficultas oritur ex eo, quod si Ecclesia consecrata reconciliari potest absque eo, quod radantur parietes: cur non poterit etiam reconciliari Ecclesia non consecrata, sed tantum benedicta. Præsertim quia cum benedicta minùs sit sancta, minùs etiam polluitur. Itaque quamuis communiter Canonistæ videantur docere, quod sint radendi parietes, nonnulli tamen recentiores existimant sufficere, si dealbentur. Ita Faustus *de Eucharist. lib. 2. de sacrific. Miss. quæst.* 199. ver. *At melius.* Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 5. tit. 12. num. 124. in fine.* Delbene *de immunit. part. 1. cap. 2. dub. 2. sect. 6. num. 9.* & ita videtur etiam sentire Gloss. *in dict. cap. Ecclesiam* 2. *verbo* Et Rasis. *De consecrat. distinct.* 1. nam explicat. *Id est dealbatis.* Postea tamen videtur sibi contradicere, nam verbo *Reædificatur*, habet. *Ipsa rasura debet dealbari.*

4 Absolutè tamen tenendum est. *Quod non sit opus radere parietes, & tigna, vt reconcilietur Ecclesia, siue sit consecrata, siue tantùm benedicta.* Neque oppositum statuitur in dict. cap. *Ecclesiam.* Ratio est quia si essent radendi parietes, ius obligaret ad impossibile, nam multoties talis rasura est impossibilis, vt si parietes sint marmorei, aut cum ornatu marmoreo, aut opere musiuo ornati aut picturis insignibus picti. In his enim casibus, neque possunt radi, neque dealbari, nisi cum notabili detrimento Ecclesiæ, & destructione maioris splendoris ipsius, & proindè rasura, & dealbatio habentur pro impossibilibus *l. 2. §. 2.* ver. *Ex qua.* & *l. 137. §. Cum quis. ff. de verb. obligat.* & *l. Cum seruus. §. Constat. ff. de leg.* 1. & *l. Cum hæres. §. 1. ff. de statulib.* & notant Felin. *in cap. Ecclesia. num.* 81. *de constit.* Surd. *decis.* 141. *num.* 9. Medices. *de casibus fort. part. 2. qu.* 4. *numero* 13.

5 Confirm. in cap. *fin. de consecrat. Eccles.* vbi disponitur de reconciliatione Ecclesiæ non consecratæ, nihil prorsus dicitur de rasione parietum, & tignorum; imò tacitè excluditur, dum statuitur, quod protinùs aqua exorcizata lauetur; quod est reconciliari: non enim posset protinùs reconciliari, si essent parietes radendi, præsertim quando non suppeteret pecunia pro expensa: vnde aliquando contingeret per menses, & menses esse superaddendum à reconciliatione.

6 Neque in dict. cap. *Ecclesiam* 2. *de consecrat. dist.* 1. Disponitur quod pro reconciliatione Ecclesiæ sint radendi parietes, quia non loquitur de reconciliatione Ecclesiæ pollutæ, siue consecratæ, siue tantùm benedictæ, sed loquitur de Ecclesia, in qua ex consuetudine sepeliuntur infidelium cadauera, vt satis constat ex initio text. ibi. *Ecclesiam, in qua Mortuorum cadauera infidelium sepeliuntur*, neque enim dicit, in qua infidelis cadauer est sepultum, sed in qua sepeliuntur cadauera infidelium, qui modus loquendi importat frequentiam actus atque adeò significat esse locum quasi destinatum, saltem ex vsu pro illorum sepultura. In quo duo considerat text. tanquam absurda, & quod Ecclesia sit facta locus sepulturæ: & quod sit sepultura infidelium. Neque enim tunc temporis licebat aliquem etiam fidelem sepelire intra Ecclesiam. Quod declaratur per id, quod subsequitur: nempè *Sed si hæc* (Ecclesia) *consecrata ante fuerit, Missas in ea celebrare licet, si tamen fideles fuerint, qui in ea sepulti sunt.* Ex qua constat, quod in tantùm permittit Missas celebrari in Ecclesia, quæ fuerit locus sepulturæ, si tamen sepulti fuerint fideles, in quantum antea fuerit consecrata. Vult ergo text. quod tunc parietes, & tigna radantur, quando Ecclesia erat locus sepulturæ infidelium ex consuetudine. Quod insuper ex eo constat, quia inquit, quod huiusmodi Ecclesiam non licèt sanctificare, quod non diceret, si intelligeret de reconciliatione, quia esset absolutè reconcilianda, & solùm concedit, quod consecretur, si sit apta, ne scilicet pereat ædificium, vt fiebat etiam de templis Idolorum, cum illis tamen conditionibus, extractionis cadauerum, & rasuræ, per quam veluti reædificetur, ad delendam memoriam prophanitatis loci.

QVÆSTIO 615.

At, & quomodo reconciliandum sit Cæmeterium.

SVMMARIVM.

1. *Cæmeterium pollutum reconciliandum, & quomodo.*
2. *Cæmeterium solemniter benedictum est per Episcopum reconciliandum.*
3. *Regulares priuilegiati possunt Cæmeteria solemniter benedicta reconciliare.*
4. *Reconciliata Ecclesia an remaneat reconciliatum Cæmeterium pollutum ad pollutionem Ecclesiæ.*
5. *Cæmeterium seorsim reconciliandum.*
6. *Reconciliatio Ecclesiæ non extenditur à iure ad Cæmeterium, sicut extenditur pollutio. Alia forma reconciliatur Ecclesia, aliâ Cæmeterium.*

1 COEmeterium esse reconciliandum, si contingat pollui, est omninò indubitatum. Vnde si sit benedictum tantùm simplici benedictione, reconciliari poterit per quemlibet Sacerdotem; si verò sit solemniter benedictum, erit reconciliandum per Episcopum. Ita notant communiter Gloss. *in cap. Consuluisti. verbo* Cœmeteria. *De consecrat. Eccles.* ex Canonist. *ibid.* Hostiens. *in cap. Aqua. num. 9. eod. tit.* D. Antonin. 3. *part. tit. 12. cap. 6. §. 7.* Syluester *verbo* Cœmeterium *num.* 1. Angelus *verbo* Consecratio Cœmeterij *num.* 4. Tabiena *verbo* Consecratio 4. *num.* 4. Armilla *verbo* Cœmeterium *num.* 1. Nauarr. *consil. 1. num. 1. de consecrat. Eccles. lib.* 3. Vgolin. *de potestat. Episcop. part. 2. cap. 29. §. 8. num.* 4. Azor. *part. 2. lib. 9. cap. 6. quæst.* 8. Piasec. *part. 1. praxis Episcop. cap. 5. numero* 6. Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 14. num.* 51. Sanchez *lib. 9. de matrimonio disput. 15. n.* 40. Corduba *in sum. quæst.* 12. Henriquez *lib. 5. sum. cap. 6. num.* 5. Faustus *de Eucharist. lib. 2. de sacrific. Miss. quæst.* 206. Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 5. tit. 12. num.* 165. Delbene *de immunit. cap. 2. dub. 2. sect. 11. num. 2. part. 1.*

2 Quod autem Cœmeterium benedictum solemniter sit per Episcopum reconciliandum, habetur, & cap. *Consuluisti de consecrat. Eccles.* vbi statuitur, quod pollutum Cœmeterium reconciliandum erit, *Aspersione aquæ solemniter benedictæ, sicut in dedicationibus Ecclesiarum fieri consueuit.* Aqua autem solemniter benedicta est illa, de qua in cap. *Proposuisti eod. tit. de consecrat. Eccles.* quæ benedicitur cum vino, & cinere. Hinc fit, hanc reconciliationem esse peragendam per Episcopum, tum quia Aqua benedicta cum vino, & cinere non adhibetur, nisi in functionibus Episcopalibus. Tum quia text. habet, quod est reconciliandum aspersione aquæ solemniter benedictæ sicut in dedicationibus Ecclesiarum. In dedicationibus autem Ecclesiarum Cœmeteria benedicuntur per benedictionem Ordinis Episcopalis, atque adeò erit etiam reconciliandum per reconciliationem, quæ sit ordinis Episcopalis. Si autem non sit solemniter benedictum; posse per quemlibet Sacerdotem reconciliari ex eo deducitur, quod Cœmeterium est minùs dignum Ecclesia, & ideò si Ecclesia non consecrata reconciliari potest per quemlibet Sacerdotem, poterit etiam Cæmeterium. Et ratio est, quia causa, quæ potest dare, potest etiam restituere ablatum: & ideò cum possit simplex Sacerdos benedicere Cœmeterium, poterit etiam sanctitatem pollutam restituere.

3 Est tamen aduertendum, quod Regulares priuilegiati, qui possunt suas Ecclesias consecratas reconciliare, si polluantur, poterunt etiam reconciliare sua Cœmeteria solemniter benedicta. Tum quia in priuilegiis id exprimetur. Tum quia cum Cœmeteria sint accessorium Ecclesiæ cap. *Vnic. de consecrat. Eccles. in 6.* quod conceditur circa principale censetur etiam concessum circa accessorium, quia sequitur naturam sui principalis, & censetur vnum cum ipso.

4 Difficultas tamen superest. An reconciliata Ecclesia, remaneat etiam reconciliatum Cœmeterium, quod solum fuit pollutum in consequentiam tantùm ad pollutionem Ecclesiæ. Quod autem ex reconciliatione Ecclesiæ, remaneat reconciliatum etiam Cœmeterium tradunt Geminian. *in cap. vnic. num. 5. de consecrat. Eccles. in* 6. Archidiac. Ioann. Andr. & alij ex Canonist. *ibidem.* Sà *verbo* Ecclesia, *numero* 12. Auila *part. 5. de censur. disputat. 7. dubio 4. conclus.* 6. Tanner. *tom. 4. disputat. 5. quæst. 10. dub. 2. num.* 31. ver. *Atque hi casus.* Fundamentum est. Quia si polluitur concomitanter ad pollutionem Ecclesiæ, reconciliabitur etiam concomitanter ad reconciliationem Ecclesiæ.

5 Sed hanc doctrinam nullo modo esse amplectendam, dicit Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 5. titul. 12. num.* 165. Itaque tenendum est, *Quod non remaneat reconciliatum Cæmeterium ad reconciliationem Ecclesiæ. Sed debeat ipsum quoque reconciliari, quando reconciliatur Ecclesia.* Quod notat etiam Gloss. Marginal. *in cap. Consuluisti. de consecrat. Eccles.* obseruans quod in Pontificali ponitur Rubrica de reconciliat. Eccles. & Cœmeter. simul, & connexim. Deinde Pontificale mandat tam Ecclesiam, quàm Cœmeterium reconciliari, & ponit formam pro vtraque reconciliatione; in hac autem materia Pontificale habet vim legis.

6 Deinde. Tota ratio cur dicatur reconciliari ad reconciliationem Ecclesiæ ob connexionem, & quia est accessorium illius, ob quem etiam polluitur polluta Ecclesia. Hæc tamen ratio non valet. Nam hæc tantum valet quoad pollutionem, in quantum ius ita decreuit in cap. *vnico de consecrat. Eccles. in 6.* Hoc autem non decreuit quoad reconciliationem. Imò si hæc ratio valeret, oporteret, quod quando consecratur Ecclesia, remaneret etiam consecratum Cœmeterium, & propterea non esset seorsim benedicendum. Ratio autem à priori est, quia causa pollutionis est eadem prorsus respectu Ecclesiæ, & Cœmeterij. Et ideò succedens in Ecclesia potest extendere suum effectum etiam ad Cœmeterium: at consecratio, & reconciliatio non est eadem, sed diuersa; & ideò reconciliatio Ecclesiæ habet suum effectum coarctatum ad Ecclesiam, & non potest ipsum extendere ad Cœmeterium tanquam ad subiectum, ad quod non se extendit actiuitas ipsius; & idem etiam dicendum de consecratione.

Ex his autem solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ.

Digitized by Google



DE ORATORIIS PRIVATIS.



ORATORIVM sic dicitur ab orando, est enim propriè locus destinatus pro fundenda oratione, vt notat Syluester *verbo* Oratorium. Hinc autem consurgit duplex species Oratoriorum; nam alia sunt publica, quæ communia sunt omnibus volentibus preces Deo fundere. Alia verò priuata, quæ in priuatis domibus existunt pro commoditate priuata inhabitantium. De his ergo priuatis modo agendum est præsertim in ordine, vel celebratione Missæ.

QVÆSTIO 616.

An, & qua auctoritate liceat celebrare in priuatis Oratoriis.

SVMMARIVM.

1. *De iure prohibetur celebratio Missæ in Oratoriis priuatis.*
2. *Ad solum Pontificem spectat concedere Missam in Oratoriis priuatis.*
3. *Idque iuxta dispositionem Concilij Tridentinij.*
4. *Et decretum S. Congregat.*
5. *Circa Oratoria priuata id solum conceditur, quod exprimitur.*
   Priuilegium derogans iuri communi strictè accipiendum.

1 DE iure conceduntur priuata Oratoria in ordine ad orandum, prohibetur verò, Missas in ipsis celebrari, vt constat ex cap. *Vnicuique de consecrat. distinct.* 1. ibi. *In domo sua Oratorium licet habere, & ibi orare, Missas autem ibi celebrare non licet.* Quæ autem auctoritate in casibus extraordinariis in eis liceat celebrare, dictum est in superioribus, cum ageretur de celebratione extra loca deputata vbi, & de facultate, quam circa hoc habet Episcopus. Nunc autem videndum est, qua auctoritate liceat in eis ordinarie celebrare.

2 Dicendum est. *Ad solum summum Pontificem spectare concedere licentiam celebrandi regulariter in priuatis Oratoriis.* Per hoc tamen non excluditur, quin aliqui ex facultate delegata possint concedere talem licentiam aliquibus, Nunciis sedis Apostolicæ solebat concedi. Ita ij omnes, qui tenent, quod Episcopi post Concilium Tridentinum non possint concedere huiusmodi licentiam Nauar. *cap.* 25. *Manual. num.* 151. Diax *in pract. Crim. cap.* 34. Maiol. *de irregularit. lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 4. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 249. *concl.* 14. & *quæst. regul.* 43. *art.* 6. *tom.* 1. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 2. Azorios *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 6. *in fine.* Piasec. *in praxi Episcop. part.* 2. *cap.* 3. *tit. de Visit. Eccles. Paroch. num.* 21. Quarant. *in sum. Bullar. verbo* Missa ver. *Quarta.* Nald. *in sum. verbo* Missa *num.* 31. Suarez *disput.* 151. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *Secundo observandum* Vasquez 3. *part. disputat.* 233. *cap.* 1. *num.* 3. Facundex *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 9. & 10. Faustus *de Eucharist. lib.* 2. *quæst.* 270. ver. *At hodie.* Marchin. *de ordin. tractat.* 3. *part.* 3. *tom.* 9. *n.* 4. Ioan. à Cruce *lib.* 2. *de statut. relig. cap.* 5. *dub.* 7. Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 23. *num.* 7. Garzia *in sum. tract.* 3. *difficult.* 9. *dub.* 2. *punct.* 2. *num.* 12. *in fine.* Villalob. *part.* 9. *sum. tract.* 15. *difficult.* 23. *n.* 2. Trullench. *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 9. *dub.* 14. *n.* 2. Auersa *de Eucharist. quæst.* 12. *sect.* 14. ver. *Multo minus.* Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disput.* 4. *dub.* 6. *num.* 99. & alij plures.

Ratio desumitur ex dispositione Concilij Tridentini *sess.* 22. *in decreto de seruan. & vitand. in celebrat. Missar.* vbi iniungitur Episcopis ne patiantur, in priuatis domibus celebrari. Si ergo non possunt pati, seu permittere, quod celebretur in priuatis domibus, multo minus possunt id positiuè concedere cum plus sit concedere quam permittere. Et proinde si quod minus est non est Episcopis nec etiam licebit, quod maius est cap. *Si paulus* 32. *quæst.* 5. & cap. *Si ergo* 9. *quæst.* 1. & cap. *Qualibet in fin. distinct,* 40. & cap. *Ex parte de decim.* Et ideò cum non possint Episcopi hanc licentiam concedere, remanet reseruata summo Pontifici. 3

Desumitur ergo etiam ex decreto sacr. Concilij Congregat. iussu Pauli V. edito, & per litteras circulares omnibus Episcopis intimato *sub die* 10. *Martij* 1615. Vbi inter alia habetur. Facultatem huiusmodi licentias dandi ipsius Concilij decreto vnicuique ademptam esse, solique beatissimo Romano Pontifici esse reseruatam. Et iniungitur Episcopis, quod quam primum declarent licentias huiusmodi concessas irritas, & nullas esse. Ex quo decreto remanet certum facultatem concedendi licentiam celebrandi in priuatis Oratoriis spectare tamen ad summum Pontificem, aut ad eos, quibus ipse talem facultatem delegauerit. 4

Ex quibus deducitur. Quod cum non possit de iure celebrari Missa in priuatis Oratoriis, sed necessaria sit licentia summi Pontificis, debet attendi forma concessionis, ita vt non plus liceat, quàm in ipsa sit concessum; nec plus sit concessum quam in eadem sit expressum. Præsertim quia sumus in priuilegio, quod strictè interpretandum est, cum deroget iuri communi cap. *Porro.* & cap. *Ex parte.* & cap. *Petuistis de priuileg.* & notant Gloss. *in lit. A. D. Pio. ff. de re iud.* & *in l. Benè à Zenone*, verbo *Cum enim. Cod. de Quadrag. præscript. & doct. in* cap. *Sanè de priuileg.* Et proinde nullo pacto vltra limites concessos debet extendi. Quod ex sequentibus magis constabit. 5

QVÆSTIO 617.

An priuilegium celebrandi in Oratorio priuato sit odiosum, an fauorabile.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegium Oratorij priuati an odiosum, an vero fauorabile.* & num. seq.
2. *Lex correctiua strictè accipienda.*
4. *Priuilegium contra ius commune est odiosum.*
5. *Priuilegium Oratorij priuati est contra ius commune.*
6. *Priuilegium strictè accipiendum extenditur, quantum patitur propria verborum significatio.*
7. *In quo loco cum licentia Episcopi possit de iure communi celebrari Missa.*

8. *Concil.*

8. *Concil. Trident. circa celebrationis locum partim condit ius nouum partim innouat antiquum.*

9. *Priuilegium reducens ad ius antiquum, an semper fauorabile.*

10. *R. ductio ad ius antiquum quando fauorabilis.*

1 VAldè interest scire pro interpretatione priuilegij celebrandi in priuatis Oratotiis, an sit odiosum, an verò sit fauorabile, quia si est odiosum, est strictè interpretanda. Si verò fauorabile, erit amplè interpretanda. Prima sententia tenet esse fauorabile,& proinde amplè interpretaodum. Ita Nouar. *in sum. Bullar. tit. de Orat. priuat. num.9.* Megal. *resol.161. num.19. tom.2.* Fundamentum est. Quia concessio Oratorij priuati non est dispensatio, aut priuilegium contra ius commune, id est, de ipso iure communi. Quia Missa celebrari potest vbi Episcopus permiserit, Cap. *Missarum*, & Cap. *His ergo, de consecrat. distinct.1.* & ideò concedere facultatem, est vsus propriæ potestatis, vt notat Suarez *disput.91. de Encharist. sect.3. num. 2.* Filliuc. *tractat.5. cap.4. num.116.* Ergo non erit priuilegium odiosum, sed purum beneficium Principis, & proinde latè iorerpretandum, *l. Beneficium, ff. de constit. Princ.*

2 Secundò. Licet Concilium Trid. prohibeat celebrationem in Oratoriis priuatis,& proinde huiusmodi priuilegium sit concessum illius dispositione; est tamen secundum iua antiquum; ergo cum lex correctiua iuris communis sit odiosa, & strictè accipienda, *l. Præcipimus, ff. de appellat.* & Cap. *Dilectus, de consecrat.* & tradunt communiter Suarez *lib.6. de legib. cap.2. & 3.* & *cap.27. num.4.* Palaus *tract.3. de legib. disp. 4. punct.3. §.3. num.14.* priuilegium contrarium huic legi correctiuæ tanquam reducens ad ius commune antiquum continet fauurem, & est latè interpretandum, vt notant Sanchez *lib.1. de matrimon. disp.12. num.2.* Suarez *lib.6. de legib. cap.27. num.7.*

3 Secunda sententia asserit, huiusmodi priuilegium esse odiosum. Ita Suarez *disput.99. de Euchar. sect.6. ver. Secundum caput.* Cened. *quæst. canon.44. num.10.* Ledesma *part.1. sum. tract. de Eucharist. cap.27. difficult.2. part.16. conclus.* Merol. *tom.3. Theol. moral. disput.6. cap. 9. dub. 12. num.131.* Faustus *de Eucharist. libro 2. quæst. 424.* Trullench *in Bull. Cruciata, lib. 5. §. 3. dub. 4 num.11.* Filliuc. *tract.5. capite 7. numero 224.* Bardua *in select. quæst. lib. 10. quæst. 10. num. 25.*

4 Dicendum est. *Priuilegium celebrandi in Oratorijs priuatis esse odiosum ex eo, quod sit contra ius commune.* Ratio est, quia priuilegium concessum ius commune habetur pro odioso,& est strictè interpretandum, vt tradunt communiter Doctores Bart. *in l. Si finita, §. Ex hoc edicto, ff. de dam. dat.* Abb. *in cap. Quod dilecto, de consang. & affinit.* Syluester *verbo* Priuilegium, *quæst.3. lib.9. de legib. cap.27. num.5.* Sanch. qui alios citat *lib.9. de matrim. disp.1. num.3.* Qoia continet aliquam relaxationem iuris, atque adeò dispensatione qua strictè accepranda est.

5 Quod autem priuilegium celebrandi in Oratoriis priuatis sit contra ius commune, constat ea Epist. decret. Felicis 4. relata io Cap. *Tabernaculum, de consecrat. distinct.1.* vbi Pontifex refert sancitum fuisse in Concilio Laodicensi, quod in domibus priuatis non offerretur sacrificium, ibi; *Quod autem, vt paulò superius probatum est, oblationes in domibus offerri non debeant in eodem Concilio cap.59. prohibitum habetur, ità. Non oportet in domibus oblationes celebrari ab Episcopis, aut Presbyteris.* Et rursus *distinct. ead.* Cap. *Vnicuique. In domo sua Oratorium licet habere, & ibi orare, Missas autem ibi celebrare non licet*, quod est desumptum ex Concilio Aurelianensi. Cum ergo constet celebrationem Missæ in domibus priuatis, atque adeò in priuatis Oratoriis prohiberi de iure communi, constat etiam priuilegium id concedens esse contra iua commune.

Est tamen aduertendum, quod licet huiusmodi priuilegium strictè accipiendum sit, potest tamen 6
extendi, quando extenditur propria significatio verborum iuxta ea, quæ tradunt Gloss. *in l. Non possunt, in fine, ff. de legib.* Aretin. *in l. Cum lege, ff. de testament.* Dec. *in cap.1. de constit. num.9. in 1. lect.* Abbas *ibidem, num. 14.* vbi & cæteri Doctores Angel. *in l. fin.* ver. *Tertiò quæritur. ff. de constit. Princip.* Couar. *lib. 1. variar. cap. vlt. num. 1.* vers. *Nec satisfacit.* Tapia *in rubr. ff. de constit. Princip. cap. 6. in fin.* Paris. *consil. 28. num. 6. volum. 4.* Barbos. *in l. Quia tale, num.37. ff. Soluto matrimonio.* Nauar. *in cap. Bene, num.4. de pænit. distinct.1.* Surd. *consil.140. num.63. vol.1.* Mantic. *de tacit. tit.5. num.13. tom.1.* Natta *consil.63. num.16.* Suar. *lib.6. de legib. cap.2. num.3.* & communiter. Quia cum priuilegia adæquent mentem concedentis, quia tantum intelligitur concessum, quantum voluit concedere, dum concessio non extenditur vltra propriam verborum significationem, non extenditur vltra mentem concedentis, quia præsumitur ideò talibus verbis vsum fuisse, vt ipsis suam concessionem coadæquaret.

Ex dictis corruunt fundamenta oppositæ sentent. 7
Vnde ad primum negotium hoc priuilegium priuati Oratorij quoad celebrationem Missæ non esse contra iua commune, vt constat ex dictis *num. 5.* Ad probat. in qua dicitur, qood de iure communi potest celebrari Missa in quocunque locn Episcopns permiserit, respiciunt hoc esse verum de quocunque loco extra domos priuatas; non autem in domibus priuatis quia limitatio habetur ex ipso iure communi, non cum prohibeat celebrari in priuatis domibus, & ex alia parte concedat celebrari in quocunque locn, vbi Episcopus permiserit, huic generalitati derogatur pro denda prohibitionem, quæ fundatur in ratione, quæ militat, quoad domos priuatas, vtpotè destinatas familiaribus vsibus.

Ad 2. Concil. Trid. in illo Decret. *de seruand. & 8
vitand. in celebrat. Miss.* partim condere ius nouum, partim innouare antiquum, nam quatenus iniungit Episcopis, vt non patiantur celebrari Missas in priuatis domibus, innouat ius antiqoum ad tollendos abusus in hac materia. Et ideò priuilegium celebrandi in priuatis Oratoriis, nedum est contra dispositionem Concil. Trid. sed etiam contra ius antiquum innouatum. Vnde cessat ratio, quod dispositio Concilij sit strictè interpretanda, & priuilegium huiusmodi tanquam reducens ad ius antiqnum, vt fauorabile sit amplè accipiendum.

Nec semper vera est illa regula, quod priuilegium 9
reducens ad ius antiquum sit fauorabile, & amplè interpretandum, sicut nec quod correctio iuris sit semper odiosa; nam leges mutantes, seu abrogantes, quia fieri potest, quod quæ quæ antea erant vtiles ex mutatione rerum euadant minus vtiles, aut etiam inutiles, & non conducant ad publicam vtilitatem, sicut possunt conducere nouæ leges, vt docent communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst.97. art.1.* Debent enim leges ordinari ad publicam vtilitatem, & secundum ipsam regulari. Si ergo lex noua conducat ad publicam vtilitatem, & non lex antiqua abrogata, dum conceditur priuilegium contra legem nouam, reducendo ad ius antiquum, non erit priuilegium fauorabile, & ample interpretandum, quia derogat publicæ vtilitati, quam fouet lex noua. Quod contingit in præsenti materia: nam dispositio Concilij Triden. valdè confert ad conseruandam reuerentiam, cum qua sacrificium offerendum est, & ideò

Digitized by Google

ideò si esset secundum ius antiquum priuilegium celebrandi in priuatis Oratoriis, reducendo ad ipsum detraheret reuerentiæ sacrificij, atque adeò vtilitati publicæ, & quamuis respiceret fauorem priuatæ personæ, læderet tamen fauorem publicum, & proinde reductio ad ius antiquum non esset fauorabilis, sed odiosa tanquam contraria publicæ vtilitati.

10 Vnde illa regula, quod reductio ad ius antiquum sit fauorabilis, non debet accipi vniuersaliter, sed quod tunc solùm sit fauorabilis, quando ius antiquum continet fauorem publicum seu conducit ad publicam vtilitatem, neque enim fauorabilis esse potest, nisi quantum reducit ius antiquum, & veluti in centro in ipsum continet. Si ergo ius antiquum non sit fauorabile, seu non contineat fauorem publicum & communem, non erit fauorabile iuxta ea quæ tradunt Glos. *in cap. Si propter verbo* Primi anni. *de rescript. in 6.* & *in cap. Sciant cuncti. verbo* Alios *de elect. in 6.* Geminian. & Ioan. Andr. *ibid.* Dominic. *in dict. cap. Si propter num. 9.* Francisc. *num. 6.* Felin. *in cap. 1. num. 14. ver. Aliud est. de sponsal.* & *in cap. Non dubium. num. 2. de sentent. excommunicat.* Bart. *in lib. Qui exceptionem. num. 2. ff. de condict. indebit.* per illum text. Albert. *ibidem.* Castr. *in leg. Si quis nec causam. num. 4. ff. Si cert. per.* Ias. Salicet. *ibidem.* & alij communiter. Quod non continget, si ius antiquum abrogatum non contineat fauorem præsertim publicum.

QVÆSTIO 618.

Quale debeat esse Oratorium priuatum, vt in ipso celebrari possit Missa.

SVMMARIVM.

1. *Oratorium debet esse locus secretus ab aliis.*
2. *Debet esse ornatum, & qualiter.*
3. *Ornatus debet continere specialem decentiam.*
4. *Quomodo debeat separari à cæteris locis.*
5. *Cubiculum amplum an possit diuidi parieti ligneo itavt vna sola pars inseruiat pro Oratorio.*
6. *Supra Oratorium an sterni possit lectus ad dormiendum.*
7. *In casu necessitatis an inseruire possit pro aliquo domestico vsu.*
8. *Quæ necessitas in hoc consideranda.*
   Ablatiuum absolutum importat conditionem.
   Conditio impleri debet in forma specifica.
9. *Non seruata conditione perit concessio Oratorij priuati.*
   Concessum sub vna conditione, sub opposita censetur non concessum.
10. *Oratoria priuata possunt ad libitum conuerti ad vsus prophanos.*
11. *Quando mutatur Oratorium priuatum est necessaria noua approbatio.*
12. *Ordinarius approbans Oratorium carens qualitatibus requisitis, grauiter peccat.*
   Approbatio est nulla.
   In Oratorio carente qualitatibus requisitis, licet approbato, non potest celebrari.
   Deficiente conditione, concessio est nulla.

1 QVale debeat esse Oratorium priuatum exprimitur in concessione priuilegij illis clausulis. *Ad hoc decenter. muro extructo, & ornato, ab omnibus domesticis vsibus libero.* Ex quibus constat quando locus Oratorij debet taliter esse dispositus, vt discernitur, tanquam locus à cæteris discretus, & à domesticis vsibus exemptus cultui diuino specialiter designatus, & proinde debet esse similis quoad instructionem Ecclesiis, & Oratoriis publicis: atque adeò segregatus quoad instructionem à cæteris locis, quæ inseruiunt pro habitationem familiæ, & domesticis vsibus. Et ita notant Pellizar. *tom. 2. Manual. tractat. 9. cap. 2. sect. 2. num.* 140. Tamburin. *opuscul. de sacrificio Missæ libro primo, cap. 4. §. 4. numero 9.*

Rursus debet esse iuxta prædictas clausulas decenter ornatum. De hoc autem ornatu minutatim agit Nauar. *in summ. Bullar.* Tit. *de Orator. priuat. num. 3.* Summa autem hæc est vt adsit altare cum omni ornatu necessario in ordine ad celebrandam Missam, de quo dictum est suo loco, & quod vltra Altare adsit etiam necessarius apparatus pro Sacerdote, ministro, & pro tota functione Missæ. Rursus etiam alicuius sancti Imago in facie pendens supra Altare, & totus locus mundus sit, & vacuus ab omni alio apparatu qui non inseruiat in ordine ad celebrationem Missæ. 2

Quia tamen Pontifex requirit, quod sit decenter ornatum, ideò apparatus, qui est necessarius non solum pro instructione Altaris, sed etiam pro Sacerdote, ministro, & locu, debet continere quamdam specialem decentiam in ordine suo, alioquin non esset decenter ornatum: hæc enim decentia importat specialem qualitatem in ornato, quæ proinde verificanda est, vt possit Oratorium approbari ab Ordinario. Et est aduertendum, quod in his Oratoriis quoad ornatum requiritur maior nitor, & splendidior ornatus, quàm in Ecclesiis, Oratoria ista tanquam in priuata domo, & veluti in loco alieno ab oblatione sacrificij debent in ornatu excedere, vt appareat, quod priuilegiati non abutantur priuilegio, sed cum omni decore tractent locum sacrificij. Rursus in Ecclesiis tolerari potest minor cultus in ornato, vel ob ipsam paupertatem, vel quia, cum sint permanenter dicatur cultui diuino, ex hac dedicatione acquirunt venerationem, quod cum cesset in his Oratoriis priuatis, debet suppleri nitore ornatus. 3

Cum autem debeat esse liberum à domesticis vsibus, & proinde separatum à cæteris locis, dubitatur, an hæc separatio constare debeat quatuor murus, an verò sufficiant tres muri, & loco quarti pateat prospectus amplus versus reliquas partes domus. Et quod non requiratur separatio etiam per quartum murum tradit Tamburin. *opuscul. de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 4. §. 4. num. 9.* ita tamen, vt saltem tela ab vno ad aliud latus extensa claudi possit. Et quamuis decentius esset claudi quarto muro, attamen tolerare potest etiam prædictus modus, præsertim, quia praxi approbatur, & ita declarant hanc separationem iuxta ea, quæ de obseruantia communiter tradunt per text. *leg. Si de interpretatione. ff. de legib.* Rot. *decis. 150. num. 27. part. 5. recent. & decis. 14. num. 4. part. 7.* 4

Rursus etiam dubitari potest, an si cubiculum sit amplum, possit diuidi in duas partes pariete ligneo licet non pertingat ad fornicem cubiculi. Respondetur huiusmodi diuisionem quidem sufficientem; sed minus decentem. Nam sufficit, vt locus Oratorij sit seiunctus à loco destinato pro domesticis vsibus, quia locus consideratur præcipuè simul continentiam & ideò sufficit, quod secundum continentiam sit diuisus. Est tamen minus decens, quia separatio non est omnimoda, & præsertim si ad partem cubiculi seiunctam ab Oratorio pateret ingressus per ipsum Oratorium. Imò neque hoc pacto deberet tolerari. Quia Oratorium inseruiret pro ingressu, atque adeò pro aliquo domestico vsu, 5

& ad summum posset permitti, si dicta pars cubiculi inseruiat pro habitatione alicuius Clerici inseruientis Oratorio.

6 Tertiò dubitari potest, an si supra Oratorium adsit aliud cubiculum, possit ibi sterni lectus ad dormiendum. Respon. Magis congruere reuerentiæ, quod non sternatur: non tamen id esse prohibitum, quia reuera non est dormire in Oratorio, vt notat etiam Tamburin. *Opuscul. de sacrific. Missæ, lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.*9. ver. *Illud à me*; & iuxta ea, quæ notat Glos. *in cap. vnic. verbo* Sanguinis *de consecrat. Eccles. in* 6. Nec per hoc tollitur, quin remaneat Oratorium liberum à domesticis vsibus cum non Oratorium, sed cubiculum supra Oratorium inseruiat vsui domestico.

7 Quartò dubitatur an per clausulam, *A domesticis vsibus libero*, excludatur etiam casus necessitatis. Quod autem non excludatur, & proinde pro aliquo casu inseruire possit pro aliquo vsu domestico, tenet Tamburin. *opuscul. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.* 9. Quia inquit ipse ex causa necessitatis permittitur in Ecclesia consecrata, seu benedicta, dormire, comedere, negociari, & aliquando etiam copula inter coniuges iuxta ea, quæ tradit Sanch. *lib.* 9. *de matrimonio, disput.* 15. *num.* 12. Vnde à fortiori videntur hæc licere in Oratorio solum ad tempus factum vsum deputato.

8 Verum considerando qualis sit necessitas. Quia si necessitas oriatur ex aliquo casu fortuito non duraturo, tunc videntur habere locum, quæ dicta sunt, quia agitur, de vna, aut altera vice, quæ non facit, quin Oratorium remaneat liberum ab vsibus domesticis. Si verò necessitas duret aliquo tempore, non videntur tunc posse habere locum. Quia in concessione requiritur, quod sit liber locus Oratorij ab omnibus vsibus domesticis, vt declarat clausula, *Ab omnibus domesticis vsibus libero.* Quod ablatiuum absolutum importat conditionem iuxta *l. Si debitor.* §. 1. *ff. quib. mod. pign. vel hypot. soln.* & notant Bart. *in l.* 1. *quæst.* 13. *ff. de condit. & demonstr.* & Doctores *in littera A. Testatore eod. titul.* Quæ proinde impleri debet in forma specifica. *l. Qui heredi, & l. Mauius ff. de condit. & demonstrat.* & notant Ruin. *consil.* 110. *num.* 10. *lib.* 3. Surd. cum aliis *consil.* 196. *num.* 19. Hinc, quod si pluties inseruiat pro huiusmodi vsibus etiam ratione necessitatis non remaneat liberum ab vsibus domesticis, siquidem multiplicatio horum actuum inducit vsum domesticum, qui excluditur vigore concessionis.

9 Si ergo non remanet locus liber à domesticis vsibus, quamuis ad id necessitas vrgeat, non seruatur illa conditio, quæ requiritur in concessione, & sub qua est approbatus pro Oratorio ab Ordinario, & proinde perit etiam concessio, & approbatio. Nam concessum sub vna conditione, sub opposita censetur non concessum *l. Legata inutiliter. ff. de adimen. leg.* & *l. Quod pure. iuncto ff. Quando dies leg. eod.* & *lib.* 2. *ff. de in diem addict.* vbi Glos. *verbo Conditionalis*, & *lib. Aliquando. ff. de condit. & demonstrat.* & notant Ruin. *consil.* 33. *num.* 3. Natta *consil.* 200. *num.* 1. Cephal. *consil.* 17. *num.*10. Surd. *consil.* 153. *n.*9. Osach. *decis. Pedemont.* 160. *n.*4.

10 Denique est adnettendum. Quod huiusmodi Oratoria possunt ad libitum conuerti ad vsus domesticos, vt notat etiam Tamburin. *opuscul. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.*4. §. 4. *num.* 3. Ratio est, quia non sunt loca sacra, nec benedicta, nec permanenter deputata pro cultu diuino, sed sunt loca mere prophana, vt proinde necessarium sit priuilegium, vt possit in ipsis Missa celebrari, iuxta ea quæ notat etiam Sanchez *lib.*9. *de matrimonio, disput.* 15. *n.*39. & ideò non est necessaria aliqua licentia, vt consecrantur ad vsus prophanos, sed sufficit, quod priuilegiatus nolit amplius vti tali loco priuilegio.

Si tamen priuilegiatus vti vellet priuilegio in alio loco, aut etiam. Rursus in illo, erit necessaria noua approbatio Ordinarij iuxta ea, quæ infra dicentur, vt notat etiam Tamburinus, *opusc. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *n.*10. *in fine.* Nam pro vsu priuilegij est necessaria approbatio ordinarij per modum conditionis approbans locum, vt expressè habetur, in formula concessionis. Et ideò pro nouo vsu priuilegij, qualis est, quando mutatur locus, aut reassumitur. Qui ad vsus domesticos conuersus fuerat est necessaria noua approbatio aliàs non verificarentur illa verba. *Per Ordinarium loci prius visitando, & approbando*, quia non esset approbatus, etiam prior approbatio resoluta fuerit per conuersionem ad vsus prophanis. 11

Hic autem insurgit dubium: An si Oratorium non habeat qualitates expressas in litteris concessionis concernentes decentiam, & ornatum, possit in ipso celebrari, stante approbatione Ordinarij. In qua difficultate certum est, Ordinarium grauiter peccare, approbando Oratorium, quod caret qualitatibus requisitis in concessione, vt notat etiam Tancredus *in quæstione morali. tractat.* 2. *quæstione* 65. Quia in re graui, concernente oblationem sacrificij, facit contra eiusdem decentiam, & non seruat terminos suæ commissionis, cuius vigore potest solùm approbare Oratorium habens requisitas qualitates. Vnde etiam nulliter procedit, dum non seruat, quæ in approbando Oratorio seruare debet. cap. *Venerabili. de offic. delegat.* & cap. *Cum dilecta. de rescript.* & notant Gloss. *ibidem.* verbo *Transponentes.* Rota *decis.* 277. *num.* 14. & *decis.* 404. *num.* 13. *tom.* 2. *part.* 4. *recent.* & *decis.* 261. *num.* 12. *part.* 7. *recent.* Ex quo fit, quod in huiusmodi Oratorio non possit celebrari, vt notat etiam Tancredus *citatus.* Quia cum approbatio sit nulla, perinde est, ac si non fuisset approbatum. Deinde quia licentia celebrandi conceditur sub conditione, quod habeat Oratorium præscriptas qualitates, quibus si caret, cum deficiat conditio, deficit etiam concessio. *l. Si quis sub conditione. ff. Si quis omiss. caus.* & *l. Ex facto. ff. de hered. instit.* 12

QVÆSTIO 619.

An, & qualis approbatio requiratur pro priuato Oratorio.

SVMMARIVM.

1. *Oratorium priuatum qualiter approbandum ab Ordinario loci.*
2. *Ordinarius non potest pro approbando Oratorio exigere procurationem.*
3. *Priuata Oratoria an vltra primam vicem possint visitari.*
4. *Ordinarius loci licet non Episcopus potest approbare Oratoria.*
   Ordinarij appellatione quinam veniant.
5. *Ordinarius an possit committere approbationem Oratorij.*
   Ordinarius approbat iure proprio Oratoria.

Difficultatem resoluit clausula poni consueta in litteris concessionis. ibi: *Per Ordinarium loci prius visitando, & approbando.* Ex qua constat, quod ab Ordinario loci, in quo erigitur visitari debet & approbari. Visitatio autem, & approbatio in eum finem 1

finem requiritur vt sit tale, quale requiritur, in litteris concessionis, & vt iudicet, an ibi decenter offerri possit sacrificium. Per quæ verba exequutio priuilegij committitur Ordinario, & ratione loci fit ab ipso dependens.

2 An autem pro hac visitatione possit Ordinarius exigere procurationem, negatiuè resoluendum est, vt resoluunt etiam Sanch. *lib. 9. de matrimon. disput.* 15. *num.* 39. *circa init.* Tamburin. *opus. de sacrif. Miss. lib.* 1. *cap.* 4. §. 1. *num.* 11. Et argumentum desumitur ex cap. *fin. de censib.* vbi prohibetur Episcopis exigere procurationem, nam pro visitatione Oratoriorum, quæ in grangiis regularium eriguntur. Si tamen alicubi existeret consuetudo exigendi pro curato; non est damnanda, præsertim quando prædictus textus procedit de grangiis regularium de quibus militat specialis ratio, ne expensis grauentur.

3 An autem hæc Oratoria possint seclusa prima vice vlterius ab Ordinario visitari negatiuè resoluunt Sanch. *lib. 9. de matrim., disputat.* 15. *num.* 39. *circa init.* Tambur. *opus. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.* 11. per dict. cap. *fin. de censur.* & quia verba illa. *Prius visitande*, vnicam tantùm consecrationem significat, sed prædict. text. nihil facit ad rem, quia tantùm disponit de procurationibus non autem de visitatione prohibens ne quia exigat à regularibus procurationes, quæ debentur ratione visitationis, ex eo, quod in grangiis habeant Oratoria, in quibus celebretur; non autem prohibetur visitatio. Et quamuis verba illa. *Prius visitande*, vnicam visitationem denotent, denotant tamen in ordine ad approbationem. Vnde resoluendum videtur, quod possit visitare, vt cognoscat, an manuteneatur in eo statu, in quo debet esse, vt in ipso possit celebrari. Quod colligitur etiam ex illa clausula litterarum concessionis ibi, ac de ipsius Ordinarij licentia eius arbitrio duratura. Si enim est duratura ad arbitrium Ordinarij, oportet, vt possit arbitrari, an debeat durare, quod præstata non potest absque visitatione.

4 Ex quibus fit, quod facultas ista, ac priuilegij exequutio pertineat ad Ordinarium loci, vt satis declarant illa verba *per Ordinarium loci.* Vnde non solum Episcopus, sed quicunque alius, qui in locis exemptis habeat iurisdictionem ordinariam poterit executori mandare huiusmodi priuilegium, nam venit appellatione ordinarij, vt obseruat Zabarel. *in Clement. Quia Regulares. num.* 11. ver. *Octauo quæro. de supplen. negligent. Prælat.* Abb. *in cap. Vt forma num.* 6. *de sentent. excommunicat.* Dec. *cons.* 121. Bellar. *cons.* 30. Missinger. *in cap. Post cessionem. num.* 2. *de probat.* Paris. *lib.* 3. *de resignat. quæst.* 11. Nauar. *cons.* 9. *de priuileg.* Cochier. *de iurisdict. ordinar. in exempt. part.* 1. *quæst.* 1. *num.* 9. & ideò possunt ea exequi, quæ Ordinariis committuntur.

5 Hic autem insurgit dubium, an scilicet Ordinarius possit alteri committere vices suas ad approbanda huiusmodi Oratoria videtur enim negatiuè resoluendum, quia videtur ei delegata hæc facultas in ordine ad singulas speciales approbationes, & proindè non videtur posse alteri subdelegare. Tenendum tamen est, quod possint alteri committere vices suas, vt notat etiam Tambur. *opusc. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.* 13. quia hæc visitatio, & approbatio non committitur Ordinariis tanquam delegatis, sed iure proprio exercenda, nam eis committitur tanquam ordinariis, & proinde vigore iurisdictionis ordinariæ exercenda, vt notat etiam Sanchez *libro tertio, de matrimonio, disputatione septima, numero vigesimo.* Tum quia iuxta Decretum Concilij Tridentini, *sessione vigesimasecunda, de seruandis, & vitandis in celebratione Missarum,* spectat ad ipsos curare, vt ritè, & cum debito decore celebrentur, Missæ, & proinde etiam visitare, & approbare huiusmodi Oratoria.

QVÆSTIO 620.

Quid faciendum, si Ordinarius iniustè deneget approbare Oratorium.

SVMMARIVM.

1. *Priuatum Oratorium an habendum pro approbato si iniustè non approbetur.*
2. *Negante Ordinario approbationem Oratorij quid faciendum.*
3. *Ordinarius non potest impedire exequutionem priuilegij Oratorij priuati.*
4. *Non potest celebrari in Oratorio non approbato.*
   Ablatiuum absolutum importat conditionem, & formam.
5. *Non purificata conditione gratia conditionalis habetur pro non concessa.*
6. *Si Ordinarius nolit approbare Oratorium recurrendum ad superiorem.*
7. *Licentia petita & iniustè denegata, quando habeatur pro concessa.*

1 PRima sententia tenet, si ordinarius neget iniustè approbationem priuati Oratorij habendum esse pro approbato; & posse in ipso celebrari Missam. Ita Ludouicus à Cruce *in Bulla Cruciatæ, disputatione prima, capite quinto, dubio primo, numero quarto.* Quintanaducn. *tom.* 1. *singul. tractat.* 7. *singul.* 32. *numero tertio.* & ita videntur etiam sentire Garzia *in summ. tractat.* 3. *difficultat.* 8. *dubio secundo, puncto secundo, numero decimosexto.* Tamburinus *opuscul. de sacrific. Missæ, libro primo, capite quarto, §. quarto numero decimoquinto.* Et probabile putat Lezana *in summ. verbo* Bulla Cruciatæ, *numero decimoquarto.* Fundamentum huius sententiæ est, quia licentia petita, & iniustè negata habetur pro concessa, quando nihil aliud obstat, vt certè non obstat in præsenti casu supposito, quod Oratorium habeat requisita necessaria, vt possit approbari.

2 Secunda sententia negat, in tali casu posse celebrari, sed recurrendum esse ad superiores. Ita Pelizzar. *in Manual. regul. tractat.* 8. *cap.* 2. *sect.* 2. *num.* 93. Duardus *in Bull. Cruciata, part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 2. *sect.* 2. *num.* 10.

3 In hac difficultate illud videtur certum; non posse Ordinarium loci impedire, ne iuxta tenorem priuilegij celebretur in priuatis Oratoriis, vt notat etiam Tamburinus *opuscul. de sacrific. Miss. libro primo, capite quarto, §. Quarto, numero vndecimo.* Quod intelligitur tam directè, quàm indirectè, qui non potest impedire, nec alterare concessiones summi Pontificis. Ex quo fit, quod sub graui peccato teneatur approbare oratoria priuata, si concurrant conditiones requisitæ in litteris concessionis, nam iniuriam inferret parti, si nollet executioni mandare gratiam illi concessam à summo Pontifice, & etiam ipsi dum impediret gratiam ab ipso concessam. Quamuis enim exequutio remittatur arbitrio ordinarij, intelligitur tamen de arbitrio coarctato ad iudicandum iuxta conditiones requisitas in litteris concessionis, vt proindè

liceat ei solum arbitrari, an adsint, vel non adsint conditiones requisitæ, etsi adsint sit necessarius executor.

4 Secundo, non videtur vllo pacto posse celebrari Missam in Oratorio non sequuta approbatione ordinarij, etiamsi iniustè denegetur. Ratio est. Quia obstat clausula *Per ordinarium loci prius visitando, & approbando*, hic enim ablatiuus absolutus importat conditionem, vt dictum est in superioribus. *l. Si debitor. §. 1. ff. Quib. mod. pign. vel hypoth. solu.* & *l. Attentatore ff. de condit. & demonstrat.* & *l. Euictus. ff. de euict.* & *l. Impuberum. ff. de vulg. & pupil. substit.* & notant communiter DD. *in dict. l. à testatore,* Rota *coram Burat. dist. 696. num. 2.* & coram Merlin. *dist. 247. num.* 8. & consequenter importat etiam formam sub qua concessus sit vsus Oratorij priuati iuxta ea, quæ tradunt Bald. *in Authent. Matri & auiæ. Codice Quan. mul. tut. offic. fort.* Becan. alios referens *consil.* 39. *numero* 19. Surd. *cons.* 371. *numero* 69.

5 Cum ergo gratia priuati Oratorij sit concessa sub conditione, quod approbetur ab Ordinario non sequuta approbatione, siue iustè, siue iniustè non purificatur conditio, & proinde gratia habetur pro non facta. *l. Pecuniam, quam. ff. si cert. petl.* & *l. Necessario. §. Quod si pendente. ff. de pericul. & amiss. rei vendit.* & notant Paris. *consil.* 8. *num.* 25. *lib.* 3. Corn. *consil.* 156. *num.* 7. *lib.* 4. Ripa *consil.* 81. *num.* 23. Socin. iun. *consil.* 4. *num.* 16. *vol.* 2. Tiraquel. *in l. si vnquam. verbo* Reuertatur. *num.* 277. *Cod. de reuocan. donat.* & ideò, dum non sequitur approbatio non potest in ipso celebrari, quia gratia tanquam non facta, non potest sortiri aliquem effectum.

6 Ex quo fit, quod necessarium sit recurrere ad superiorem, nempè ad Archiepiscopũ, qui poterit causa cognita cogere Episcopum ad approbandum, aut si recuset, poterit ipse deputare, qui approbet, aut ad summũ Pontificem, qui poterit alteri committere visitationem, & approbationem Oratorij, imò poterit etiam punire Ordinarium eò, quod iniustè denegauerit approbationes, & noluerit exequi gratiam ab ipso concessam.

7 Ad fundamentum oppositæ sentent. Illam regulam, quod licentia petita, & instè denegata habetur pro concessa, non posse præsenti materiæ applicari, quia non habet locum, quando licentia requiritur tanquam conditio, & pro forma, sicut requiritur in præsenti, vt ostensum est. Tunc enim defectus licentiæ non finit, quod gratia possit sortiri suum effectum, tanquam conditionalis, & destituta sua forma, & vt licentia iniustè denegata habeatur pro concessa, necessarium est, quod supponat facultatem, seu potentiam ad actum faciendum, & quod pro exequutione tantum requiratur licentia. At quando licentia non supponit facultatem, sed dat, si denegatur, non habetur pro concessa, supposito, quod id non disponatur ab eo, qui potest talem licentiam dare, in casu autem præsenti non supponitur facultas, cum sit concessa sub conditione approbationis.

QVÆSTIO 621.

Quomodo licentia Oratorij priuati dependeat ab arbitrio Ordinarij.

SVMMARIVM.

1. *Licentia Ordinarij pro Oratorio priuato in quo consistat.*
2. *Clausula*, Eius arbitrio, &c. *quid importet in priuilegio priuati Oratorij.*
   Arbitrium quid importet.
3. *Ordinarius non potest reuocare licentiam Oratorij nisi ex causa, &c.*
   Arbitrium secundum quod ius debeat regulari.
4. *Ordinarius circa Oratoria priuata non habet plenum arbitrium.*
5. *Licentia Ordinarij pro Oratoriis priuatis non est necessaria in scriptis.*
6. *Si Ordinarius reuocet licentiam Oratorij irrationabiliter, recurrendum est ad superiorem.*

SOlet, in quibusdam litteris concessionis Oratorij priuati apponi clausula, *Ac de ipsius ordinarij licentia cius arbitrio duratura.* Vndè difficultas est, quid per hanc clausulam importetur. Et quidem per licentiam non importare aliud, quam concensum quo consentit, gratiam summi Pontificis exequutioni mandari, videtur certum. Nam licentia non est in ordine ad concedendam facultatem, quia nec potest concedere, & est iam concessa à summo Pontifice. Et proinde sequuta approbatione per quam ordinarius indicet, Oratorium habere conditiones necessarias, vt in ipso celebrari possit, venit in consequentiam, quod consentiat exequutioni gratiæ summi Pontificis, qui quidem consensus, cum non possit iuste denegari, quando Oratorium habet necessaria requisita, cognosceretur implicitè in ipsa approbatione, quia approbando tacitè consentit exequutioni. 1

Quod autem spectat ad clausulam, *Eius arbitrio duratura*, non reddit gratiam à mera voluntate Ordinarij dependentem, quia arbitrium non importat meram, & liberam voluntatem, sed importat arbitrium regulatum, qui est arbitrium boni viri, atque adeò iuri conforme, *l. in personam §. Generaliter ff. de reg. iur.* & obseruant Gloss. *ibid.* Dec. *num.* 1. Cagnol. *num. item.* 1. Boër. *in l. Cum filius. §. Pater. num.* 2. *ff. de legat.* 2. & *in Extrauagant. ad reprimendum verbo* Videbitur *num.* 8. Alex. *consil.* 219. *n.* 5. *lib.* 2. Seraphin. *de priuileg. iuram. priuileg.* 132. *numero* 81. Menoch. *lib.* 1. *de arbitrar. quæst.* 7. *num.* 15. Rota *coram* Ludouisio *dist.* 465. *num.* 1. & coram Merlin. *dist.* 629. *num.* 1. & alibi passim. 2

Ex quo fit, quod arbitrium debeat esse regulatum, secundum ius, & æquitatem non possit ordinarius reuocare licentiam Oratorij priuati, nisi ex causa graui, & quæ concernat vsum dict. Oratorij. Vt obseruat etiam Quintanaduen. *tom.* 1. *singul. tractat.* 7. *singul.* 32. *num.* 4. qualis esset, si non manuteneretur cum requisitis, ex conditionibus, cum quibus fuit approbatum, si irreperet aliquis abusus præsertim in celebrando, vt si celebrarentur plures Missæ, quàm conceduntur, aut si celebraretur in iis diebus, in quibus non indulgetur celebrari, & nulla subesset rationabilis causa celebrandi, aut quid simile, eo ipso enim, quod arbitrium debet esse regulatum à iure, debet esse regulatum secundum illud ius, quod concernit rem, de qua agitur iuxta *lib.* 3. *ff. de opin. libert.* & notant Natta *consil.* 155. Alex. *consil.* 219. *numero primo*, *vol.* 5. Ideò enim debet esse regulatum secundum ius, vt procedat in re, de qua agitur secundum æquitatem, quod fieri non potest, nisi regulatur secundum ius concernens rem, de qua agitur. 3

Accedit, quod aliàs esset in potestate Ordinarij reddere frustratoriam gratiam Pontificis si posset cum pleno arbitrio, aut ex quacumque causa, quæ non concerneret vsum Oratorij, nam statim ac approbasset, posset prætendere aliquam causam extraneam, & reuocare. Rursus cum teneat, ab initio approbare, & dare licentiam, si ex parte Oratorij concurrant 4

omnia

omnia requisita, aliàs cogi possit à superiore, dum oratorium permanet io eodem statu, non potest reuocare licentiam, quia est liceotia necessariò coocessa es vi litterarum Pontificis, & ideo durante eodem statu, necessitatur ex vi earundem litterarum ad manuteoendum consensum, quia est eadem ratio de peincipio, & continuatione, & quod redderet irrationabilem oegationem consensus ab initio, redderet etiam negationem contiouationis.

5 Ex dictis colligitur, quod stante clausula. *Ac de ipsius ordinarij licentia*, non est oecessaria eiusdem licentia in scriptis, sed sufficient litteræ concessionis, quibus ipse exequutionem promiserit, nam vt dictum est, ipse non concedit licentiam, cum nec possit concedere, sed dat exequutionem liceotiæ concessæ à Pontifice. Vnde cum io litteris Pontificis contineatur licentia eaequutioois litterarum Apostolicarum sufficit assensus eiusdem Ordinarij quocunque modo exhibitus.

6 Secundo colligitur. Quod si ordioarius reuocaret licentiam oratorij priuati irrationabiliter recurri posset ad superiorem pro restitutione eiusdem Oratorij, & ordinarius teneretur assigoare causam, ob quam reuocasset, cum enim sit ius acquisitum parti, nec arbitrium illi concessum sit plenum, sed regulatum secuodum ius, non potest reuocari nisi causa cognita, & ideo debet eam assignare, quando contra reuocationem habetur recursus, vt possit iudicari, an fuerit rationabilis, & sufficiens.

QVÆSTIO 622.

An, & quæ nobilitas requiratur pro Oratorio priuato.

SVMMARIVM.

1. *Pro priuilegio Oratorij an sufficiat nobilitas ex parte matris.*
2. *Descendentes ex fœminis dicuntur esse de genere, & parentela.*
3. *Nobilitas ab ascendentibus deriuat in descendentes.*
   Benignior opinio sequenda in materia nobilitatis.
4. *Nobilitas ex parte patris quando requiratur.*
5. *Nobilitas ex priuilegio sufficit pro Oratorio priuato.*
   Nobilis ex priuilegio admittitur sicut nobilis ex sanguine.
6. *Clausula ex nobili genere stat demonstratiuè in priuilegio Oratorij.*
7. *Nobilis ex priuilegio fruitur omnibus præeminentiis nobilium ex sanguine.*
8. *Comitissa vidua gaudet Oratorio concesso cum clausula:* Quia Vassallis præes, &c.
9. *Praesse vassallis in vxore quid dicat.*
   Dignitatis prærogatiua, quam vxor habet ex Viro, durat in vidua.
10. *Comitissa vidua nubens non Titulato, non fruitur Oratorio concesso intuitu Tituli.*

1 INter clausulas, quæ solent in litteris coocessionis Oratorij priuati apponi est illa. *Qui, vt asseris de nobili genere procreatus existis.* Ex qua constat supponi nobilitatem in priuilegiario. Vnde dubitatur, quæ nobilitas, & quomodo requiratur. Et primò dubitatur, ao sufficiat nobilitas ex parte matris. Quod autem noo sufficiat, sed requiratur nobilitas ex parte Patris, & hæc sufficiat, tenent Sanchez loquens de dispensatiooe cum nobili, *lib.8. de matrim. disp.19. num.6.* Tambuein. loquens in nostris terminis opus, *de Sacrif. Miss. lib.8. dispur.19.n.6.* Quia secundum communem modum intelligendi ij tantum habentur pro nobilibus, qui descendunt ex patre nobili.

2 Tenendum tamen est, *quod sufficiat nobilitas, ex parte matris.* Ratio est, quia hæc nobilitas sufficit ad verificandam oarratiuam expressam illis verbis: *Qui, vt asseris, de nobili genere procreatus existis:* nam descendentes ea fœminis dicuntur esse de genere, & parentela, vt tradunt Menoch. *cons.825.n.63.* Lopez *l.3. in glos. magna* vers. *succedit etiam tit.13. part.6.* & *l.2.* vers. *Elmos propinquo, quæst.3. tit.15. part.2.* Rot. coram Dunao. *deci.8. num.7.* qui ergo descendit ex matre nobili est de genere nobili, & proindè verificatur oarratiua.

3 Præsertim quia cum nobilitas ab ascendentibus descendat in descendentes, *l.fin. ff. de senat.* & notat Rot. *dist.210. num.1. part.3. Recent.* Tam pater, quàm mater transfundunt nobilitatem in filios, & ideo si sola mater nobilis sit, sufficiet, vt filius dicatur procedere ex nobili genere, & cum oobilitas sit materia fauorabilis, sumenda est semper benignior responsio pro nobilitate, vt notant Bald. *consil. 183. in fine lib.2.* Vincent. de Franc. *dist.2. numer.28.* vers. *ex ratione.* Menoch. *consil.827. num.1.* Rot. *dist.575. n.5. part.4. recent.* Io huc enim continetur etiam fauor publicus, quia augetur numerus nobilium.

4 Nec obstat fundamentum in oppositum; quia tunc solum requiritur nobilitas ea parte patris, quando requiritur nobilitas absoluta: oobilitas namque patris præsenti modo attenditur, & est oobilitas in propria significatione, vt obseruat. Rot. cum aliis *decis.294. num.8.* coram Durand. At in ampla significat. attenditur etiam nobilitas ex sola matre tanquam in materia fauorabili quæ sufficit, vt genitus ex matre nobili dicatur de genere nobili.

5 Rursus dubitatur, an sufficiat nobilitas ea priuilegio: Partem negaotem tradit Tambur. *opusc. de Sacrif. Miss. lib.1. cap.4. §.4. num.2.* Quia concessio non fit ei, qui nobilis est, sed ei, qui nobili genere procreatus est. Verùm oppositum videtur tenendum præsertim si io supplicatione eapressum tantum sit, quod Orator sit nobilis, & desumitur ex iis, qui volunt, nobiles ea priuilegio esse admittendus ad ea, pro quibus requiritur nobilitas sanguinis. Ita Bald. *in l. sine possideris, num.3. ff. de probat.* Garzia, *de nobilit. glos.1. §.2. num.50.* & *glos.35. num 48.* Mieres, *de maior. part.1. quæst.51. num 4.* Menchaca *de success. creat. lib.3. §.30. num.190.* Otalora. *de nobilit. part.3. princ. partic.2. cap.7. num.13.* Tiraquel. *de nobilit. cap.6.* Mastril. *de magistr. lib.2. cap.20. n.105.*

6 Ratio est. Qoia clausula, *de nobili genere procreatus existis*, noo ponitur taxatiuè ad taxandam nobilitatem ex genere, sed demonstratiuè ad demonstrandam nobilitatem, qua fruitur priuilegiatus, & ideo sufficit, quod quocunque modo fruatur nobilitate; concessio enim respicit præsentem statum, vnde si quis esset ea nobili genere procreatus, sed de præsenti non esset nobilis, quia amisisset nobilitatem, non ei suffragaretur priuilegium, quamuis verificaretur, quod ex oobili genere natus esset, quia scilicet finis requirendi nobilitatem in priuilegiario est ne vilescat priuilegium, vt vilesceret, si ordinariis personis coocederetur.

7 Rursus cum nobilis ex priuilegio fruatur omnibus prærogatiuis, & præeminentiis, quibus formatur nobilis ea sanguine, vt docent Pelaez. *de nobilitate glos.5. num.3. & 4.* Mastrill. *de magistr. lib.2. cap.10. num. 105.* Merol. *tom.3. Theol. moral. disp.6. cap.8. num.163.* fruetur etiam ista prærogatiua, vt sit capax priuilegij oratorij priuati non secus, ac si esset

ex nobili genere natur, cum nobilitas sit in ipso per æquipollentiam æquè, ac in natis ex nobili genere.

8 Hie autem insurgit dubium: an possit comitissa vidua frui Oratorio concesso cum clausula: *Quia vassallis praes, & iurisdictionem habet*, eò quod ita expositum sit Pontifici, dum viueret Maritus, qui tamen mortuus est, antequàm gratia concederetur. Vnde cum comitissa non præesset vassallis, nec haberet iurisdictionem ex propria persona, sed tantùm ex persona mariti, non videtur id amplius verificari mortuo marito, & proinde non habere locum Priuilegium Oratorij. Tenendum tamen est. *Adhuc habere locum Priuilegium*; & proinde posse frui concessione Oratorij. Ita etiam Tancredus *in quæst. moralib. tract.2.quæst.66.*

9 Ratio est. Quia quando fuit expositum Pontifici, quod præesset Vassallis, & Iurisdictionem haberet, non fuit expressum tanquàm id haberet ex propria persona, sed solùm ratione personæ Mariti; & talis expressio fuit in eum finem, vt notificaretur Pontifici dignitas, & prærogatiua mulieris, cuius intuitu Pontifex concederet priuatum Oratorium. Et proindè Pontifex respiciens ad mulieris dignitatem indulsit petitioni. Eadem autem dignitas, & prærogatiua, quam habebat dicta comitissa viuente viro, retinet etiam in viduitate defuncto viro per text. expressissimos, *l.fin.C. de incol. lib. 10.* & *l.Filij libertorum §.Vidua, ff. ad municip.* Vbi Glos. verbo *Domicilium*, & *l.Fœmina, ff.de senator.* ibi: *Fœminis enim dignitatem clarissimam mariti tribuunt*: Et infià: *Tamdiù igitur clarissima fœmina erit, quamdiu Senatori nupta est, vel clarissimo, aut separata ab eo, alij inferioris dignitatis non nupsit*: Et ita etiam tradunt communiter Decian. *consil. 33. num.9. lib.1.* Afflict. *ad constit. Neapol. lib. 2. Rubr. 31.num.17.* Paschal. *de virib.patr. potest.part.4. cap.2.num.6.* Otalora *de nobilit.part.4. cap.3. num.3.* Quod constat etiam ex praxi, siquidem retinent nomina dignitatis, & honorantur tanquàm habentes eandem dignitatem, vt constat in Reginis, Principissis, *&c.* vt aduertit etiam Tiraquel. *de nobilit.cap.18.n.7.*

10 Ex quibus deducitur. Quod si dicta comitissa nuberet, viro non dignificato titulo aliquo, trahente secum iurisdictionem, stante prædicta clausula, extingueretur Priuilegium priuati Oratorij: nam per huiusmodi nuptias amitteret prærogatiuam dignitatis, quam habet, vt habetur ex text. *num.præcedent.* citatis: siquidem per ipsos durat tantùm dignitatis præeminentia in vxore mortuo marito, quamdiu manet in statu viduitatis, & tradunt Bart. *in l.final. C. de verbor. significat.* Folgos. *ibidem*, Alciat. *in l.1. Verbo vxori C. de in ius vocand.* Abbas *in cap. super eo 2. de testib.* Tiraquel. alios citans, *de nobilit.c.18. num.5.* Vnde cum qualitas dignitatis sit qualitas fundamentalis, ea destructa, corrueret Priuilegium in ipsa fundatum, *l.Nam origo, ff. Quod vi, aut clam.* & *l. ego tecum, ff. de except. rei iudic.* & cap. *Paulus 1. quæst. 1.*

QVÆSTIO 623.

An non subsistente nobilitate, valeat priuilegium Oratorij priuati.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegium Oratorij est nullum, si priuilegiarius se expresserit nobilem & non fit.*
   Expressio falsi, quo mouetur Pontifex ad concedendum, vitiat gratiam.
2. *Si non verificetur clausula de nobilitate non valet priuilegium Oratorij.*
   Fundamentum concessionis debet verificari, vt valeat concessio.
3. *Quando non constat de fundamento gratia est concludenter probandum.*
4. *Nobilitas necessaria pro priuilegio Oratorij quando probanda.*
5. *Exequutor tenetur inquirere an gratia sit iustificata.*

MOuetur quæstio occasione dict. clausulæ per quam in concessione narratur, quod concessionarius sit ex nobili genere, & quidem si in supplicatione expressum sit, quod supplicans sit ex nobili genere, concessio erit nulla, vt notat etiam Tamburin. *opusc.de Sacrif. Miss. lib 1. cap.4. §.4. num.5.* nam quando exprimitur falsum circa id, ex quo mouetur Pontifex ad gratiam concedendam, & quo non existente non concederet, concessio est nulla, iuxta ea, quæ tradunt Glos. *in cap.Ex parte 2. verbo* Falsa, *de conuersat. coniug.* Speculat. *tit. de dispens. §. Dicendum restitui, num. 10. vers. Quod si.* Dec. *in cap. Postulanti num.11. not.4. in noua edit. de rescript.* Beroius, *ibid. num.35. in 2. Lect.* Innocent. *in cap. Dudum 2. num.75. vers. Inualidam de elect.* Imola *num.19.* Paris. *cons.4. num.4. num.35.vol.4.* Syluester *verbo* Rescriptum, *quæst.6.* Conat. *lib.1. variar. c.20. numer.5.* Staphil. *de litter. Grat.* Tit. *de vi, & effect. clausul. init. num.5.* Sanchez, qui alios citat. *lib.8. de matrim. disput.21.num.32.* Constat enim ex stylo Curiæ Romanæ, quod huiusmodi Oratoria non conceduntur, nisi personis nobilibus, & ideo falsi expressio circa nobilitatem est circa causam, qua non existente Pontifex non concederet, & proindè reddit nullam concessionem. 1

Si autem in supplicatione non exprimatur, quod supplicans sit nobilis, & nihilominus Pontifex supponat, esse nobilem, & proindè ponatur in narratiua litterarum dicta clausula, qua exprimatur, concessionarium esse nobilem, si non verificetur nobilitas, non valebit concessio. Cum enim in narratiua litterarum ponatur nobilitas supplicantis tanquam fundamentum concessionis, vt gratia subsistat, debet verificari iuxta ea, quæ communiter tradunt Felin. *in cap. Ad aures, de rescript.* Ioan. Andr. *in cap.1. de lit. concess. in 6.* vbi, & alij Rot. *dist.20. de prebend. in nouis*, & *decis.268. num.4. part.1. diuers.* & *dist.444. n.2.part.2.Recent.* & coram Bellamer.*dist.76.* & coram Puteo, *dist.245.num.1.lib.1.* & coram Vetal. *dist.128.p.1.* & coram Ludouis.*dist.214.n.2.* & coram Merlino, *dist.229.n.1.* 2

Imò si de tali conditione non constaret, esset concludenter probanda, quia ipsi tanquam fundamento gratia innititur iuxta *cap.1. de rescript.* & tradunt Bellam. *dist.625.* Puteus *dist.266.lib.3.* Ludouis. *dist.387.num.5.* Rot. *in Bononien. Prioratus 9. Iunij 1606. coram Manzanedo*, aliàs gratia non remaneret iustificata & proindè non posset exequutioni mandari. 3

Ex quibus deducitur, quod si nobilitas esset nota Ordinario, ad quem spectat litteras concessionis exequutioni mandare, non esset necessaria alia iustificatio nobilitatis, quia ei non committitur, vt se iudicialiter informet; & ideo sufficit, si extraiudicialiter sit notum, quod fundamentum gratiæ subsistat, si autem non esset nota nobilitas, vt si de nouo adueniret priuilegiatus ad habitandum in Diœcesi tunc esset iustificanda nobilitas, vt possent litteræ Pontificiæ exequutioni mandari. Quomodo autem iustificanda sit nobilitas, constat ex iis, quæ traduntur *in tract. de Capell.* quando est iustificanda nobilitas requisita à fundatore. An autem in tali casu sufficiat 4

informatio

Informatin extraiudicialis videtur affirmatiuè resoluendum, quia sicut sufficit, quod aliàs nota sit Ordinario nobilitas, ita etiam sufficit, quod si nota non sit, extraiudiciali modo innotescat.

5 Nec obstat, quod in litteris concessionis non fiat mentio de iustificanda nobilitate, sed tantum, quod Ordinarius visitare debeat, & approbare Oratorium, nam eo ipso, quod committitur exequutio tenetur inquirere, an gratia sit iustificata, & proindè, an subsistat nobilitas, quæ est fundamentum gratiæ, exequutori enim constare debet de veritate narratiuæ insertæ in litteris concessionis, vt possit eas exequutioni mandare, aliàs imprudenter procederet & faceret contra munus exequutoris.

QVÆSTIO 624.

An priuilegium Oratorij priuati sit tantum personale, an verò mixtum.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegium Oratorij an merè personale, an verò mixtum*, & n.seq.
3. *Verba priuilegij concepta in personam, reddit mere personale.*
4. *Quando contemplatione personæ conceditur priuilegium, est mere personale.*
5. *Quando in priuilegio conceditur facultas aliqua est mere personale.*
6. *Locus expressus in priuilegio Oratorij non reddit ipsum locale.*
7. *Priuilegium Oratorij extinguitur cum priuilegiario.*
   Priuilegium cessans quoad Dominum cessat etiam quoad familiam.

1 QVod priuilegium huiusmodi sit personale non potest in dubium reuocari, quia est concessum personæ, vt constat ex illis verbis. *Leg. specialis gratia fauore prosequi volentes*, & quia extinguitur simul cum persona. Vnde solum difficultas est, an sit merè personale, an verò etiam mixtum, itavt sit simul personale & locale. Quod autem non sit merè personale, sed mixtum ex personali, & locali tenet Metol. *tom.3. Theolog.moral. disput.6. cap.8. dub.22. num.*131. Fundamentum est; Quia non est præcisè concessum personæ, sed personæ pro tali loco determinato.

2 Secunda sententia tenet, quod sit tantum personale. Ita Megal. *variar.resol.*161. *num.6. tom.*2. Ioan. Anton. Nouat. *in summ. Bullar.* Tit. *de Orator. priuat. num.*6. Quintanaducn. *tom.1. singul. tract.7. singul.*31. Tamburin. *opuscul. de Sacrif. Miss. lib.1. cap.4.* §.4. *num.*2. & in hanc partem magis inclinat Bardus, *in select. moral. lib.* 10. *quæst.* 10. §.9. *numer.* 40. ex eo, quod immediatum obiectum priuilegij sit persona.

3 Dicendum est. *Priuilegium Oratorij priuati esse merè personale, & non mixtum.* Ratio est. Quia verba priuilegij referuntur immediatè ad personam, & per se primò, & principaliter, nullo autem pacto ad locum, vt constat ex illis verbis. *Leg. specialibus fauoribus prosequi volentes, &c.* & ex illis, *Vt in priuato Domus tua Oratorio celebrari facere libere, & licitè possis, & valeas indulgemus.* Quando verò verba priuilegij referuntur primò, & per se ad personam priuilegium est personale, & non coarctatum loco, & tradunt Bald. *in l.1. num.*13. *C. de sum. Trinit.* Innocent. *in cap. Bona 2. in fine, de postul. prælat.* Socin. *in l.2. num.4. ff. de reb. dub.* Ancharan. *in cap. Priuileg. cap. fin. de regul. iur. in 6.* Bart. *in l.1. num.24. C. de summ. Trinit.* Barbos. *in l. Quia tale, num.40. ff. soluto matrim.* vbi alios citat, & hanc doctrinam sequitur idem Metol. *tom.3. Theol. moral. disp.6. c.2. n.*39.

Confirm. Tunc priuilegium est merè personale quando verba concessionis diriguntur non in rem, aut locum, sed in personam, itavt illa in concessione sit contemplata à concedente tanquam illa, cui fit concessio, vt tradunt Glos. *in cap. Tua de his, quæ fiunt à Prælat.* Bart. *in l.1. num.2. ff. de constit. princip.* Alciat. *respons.*103. *num.*12. aliàs *cons.7. num.16. lib.*4. Craueta *cons.*239. *numer.*4. Boër. *cons.*217. *num.*15. *in fin. vol.*1. Barbos. *in l. quia tale num.5. ff. solut. matrim.* Ioan. Cerier. *de primogenit. lib.3. quæst.1. num.*3. Suarez *lib.8. de leg. cap.3. num.*10. & sequitur ipse Metol. *tom.3. Theol. moral. disput.6. cap.2. difficult.1. num.* 10. constat autem ex litteris concessionis, verba concessionis dirigi in personam, nam ita habent, *Vt celebrari facere libere, & licitè possis*, quæ taxatiuè diriguntur in personam, cui conceditur talis facultas faciendi celebrare. 4

Confirm. 2. Quod conceditur per priuilegium est facultas quædam faciendi celebrare, vt constat ex verbis concessionis, quæ proindè ex sui natura est personalis, quia facultas operandi liberè, & licitè non potest conuenire loco, sed tantum personæ. Ergo cum id, quod conceditur, sit personale, itavt tantum persona sit capax illius, erit priuilegium mere personale, quia est tale, quale est id, quod conceditur, cum ab ipso sumat suam speciem, & ratione rei concessæ coarctabitur ad solam personam. Quod etiam constat ex alia clausula, quæ solet apponi in litteris concessionis, nempe: *Dummodò in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit.* Quæ verba, *alteri concessa non fuerit*, significant concessionem, & priuilegium personale, vnde cum tale sit, quod conceditur quale est, quod exprimitur in hac clau, priuilegium erit merè personale. 5

Neque vrget fundamentum oppositæ sententiæ, quia licet exprimatur locus, in quo degit priuilegiarius, dum dicitur, *In Oratorio habitationis tuæ Diœcesis v.gr. Neapolitanæ.* Non tamen per hanc expressionem priuilegiatur aliquo modo, locus neque verba diriguntur ad ipsum tanquam ad obiectum, cui fiat priuilegium, sed exprimitur tanquam ad obiectum tanquam ille, in quo exercendum est priuilegium, sicuti quando conceditur in cap. *In his, de priuileg.* Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus priuilegium celebrandi missam, vbicumque fuerint in altari portatili, priuilegium est merè personale, & nullo pacto pertinet ad locum, sed tantum exprimitur locus tanquam ille, qui determinat licentiam ad id, quod aliàs non licet præsertim, quia ex parte loci nullum est motiuum, neque finale, neque impulsiuum respectu concessionis priuilegij. An autem expressio loci coarctet priuilegium ad locum explicabitur *infrà*. 6

Ex dictis sequitur. Quod priuilegium Oratorij priuati tanquam personale & priuilegiato inhærens, non transeat, sed cum ipso extinguatur iuxta regulam *l. In omnibus, ff. de regul. iur.* & cap. *Priuilegium, de regul. iur. in 6.* & ideo mortuo priuilegiario nec etiam familia ipsius eo amplius vti potest. Nec obstat, quod etiam concedatur familiæ, quia non concedit, personaliter familiæ, sed accessoriè, quatenus trahit ad participandum in priuilegio Domini; & ideo cum cesset priuilegium quoad Dominum, cessabit etiam quoad familiam, cap. *Qualibet, de elect.* & cap. *Audiuis, de procurat.* & cap. *Tua de sponsalib.* & *l. Cum principalis*, & *l. Nihil dolo, ff. de regul. iur.* Vnde in priuato illo oratorio non poterit amplius celebrari. 7

QVÆSTIO

QVÆSTIO 625.

An morte concedentis cesset priuilegium Oratorij priuati.

SVMMARIVM.

1. *Beneplacitum quando cesset.*
2. *Mortuo Pontifice non cessat priuilegium Oratorij.*
3. *Gratia facta non cessat morte concedentis.*
4. *Gratia perfecta non indiget amplius gratiosa voluntate conferentis.*
5. *Gratia Oratorij non est ad beneplacitum.*
6. *Beneplacitum respectu Pontificis quid dicat.*
7. *Beneplacitum quando sit perpetuum.*
8. *Concessio Oratorij potest mandari exequutioni post mortem concedentis.*

   Gratia facta, licet non exequutioni mandata non expirat morte concedentis.

1 RAtio dubitendi oritur ex eo, quod huiusmodi priuilegium tanquam reuocabile censetur concessum ad beneplacitum concedentis, & proindè videtur cessare, quando cessat beneplacitum, & proinde sequuta morte concedantis, cum tunc cesset omne eius beneplacitum natura enim beneplaciti est talis, vt id *suprà* quod cadit sit dependens in conseruari ab aliena voluntate, itavt cessante voluntate, cesset etiam, quod est ad illius beneplacitum *l. Centesimis*, §. *final. ff. de verbor. obligat.* & *l. vxor* §. *Scæuola ff. de leg. 3.* & cap. *Si gratiosè de rescript. in 6.*

2 Tenendum tamen est: *Quod mortuo sum. Pontifice concedente non cessat priuilegium priuati Oratorij.* Et idem dicendum esset de mortuo Episcopo, quando continuatio priuilegij ab eius licentie dependet. Ita etiam in his terminis Nauar. *in cap. Placuit n. 163. de pœnit. dist. 6.* Salzed. *ad prax. Diaz., cap. 26.* Suarez *disp. 27. de pœnit. sect. 4. num. 6.* Sayr. *de sacram. pœnit. cap. 22. num. 3.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 28. num. 36.* Tamburin. *opusc. de Sacrif. Miss. lib. 1. cap. 4. §. 4. num. 17. in fine, & 19.* & constat etiam ex praxi. Siquidem continuantur huiusmodi priuilegia, etiam mortuo Pontifice, qui ea concessit. Ratio est quia huiusmodi priuilegium, seu gratia est plenè sortita suum effectum ante mortem Pontificis, vt supponitur, cum priuilegiarius sit in possessione vtendi priuilegio, & proinde est gratia facta non facienda.

3 Gratia autem facta non cessat morte concedentis, quando est concessa absque vlla restrictione, qualis est gratia priuati Oratorij, vt docent communiter ita Glos. *in cap. Si cui nulla, num. 1. de præbend. in 6.* & verbo *Moriatur.* Archidiacon. *ibidem in fin.* vers. *Secus facienda.* Ancheran. *in cap. Si super gratia num. 1. de offic. deleg. in 6.* Dec. *in cap. Relatum num. 1. de Offic. deleg. in noua edit.* & *in Rubr. de constit. num. 41. in 1. lect.* Ripe *ibidem num. 10.* Rimmal. *num. 127. in fine.* Abbas *in cap. Quoniam num. 12. de offic. deleg.* Berous, *ibid.* Gaeta *in cap. Ad limina 30. quæst. 1. §. 4. quæst. 106. num. 312.* Bald. *in l. fin. num. 1.* vers. *Sed pone num. 3. ff. de constit. princ. in 1. lect.* Hi rationem Paulus *in Pract. Cancell. tit. de declarat. super proponentes*, vers. *Præstantis, Doctor.* Rosel. *verbo* Gratia, *nu.* Syluester, *quæst. 2.* Guttierez *quæst. Canon. lib. 1. cap. 15. num. 24.* Sanchez alios citans, *lib. 8. de matrim. disp. 28. n. 64.*

4 Et desumitur ex dict. cap. *de matrim. disp. 28. n. 64. Si cui nulla, de præbend. in 6.* vbi, quod gratia conferendi beneficia non expirat morte concedentis etiam re integra. Gratiam verò conferendi certæ personæ expirare reintegra, quia est gratia non in fauorem conferentis, sed illius, cui conferri debet, quia scilicet non habet esse perfectum, nec sortita est suum effectum. Ratio est: Quia quando gratia est perfecta non indiget amplius gratiose voluntate concedentis: vt ab ipsa accipiat vigorem, quia cum accepit totum necessarium; quando verò non est perfecta, cum debeat deduci ad esse perfectum, indiget voluntate concedentis, in cuius virtute deducatur, quæ si non existis, vt contigit mortuo concedente, non potest influere vigorem in complementum, & ideo ipsa quoque gratia remanet extincta.

5 Ad rationem dubitandi resp. Gratiam Oratorij priuati non esse gratiam ad beneplacitum concessam, neque enim hæc clausula ponitur in concessione, vt constat, sed absolutam, & absque vlla limitatione ad tempus, & cum sit gratia perfecta non expirat morte concedentis, vt dictum est, nec obstat, quod reuocari possit; quia hoc solum infert, quod remaneat sub dispositione concedentis, sicut etiam remanet lex sub dispositione legislatoris, & tamen non expirat morte ipsi; non autem infert, quod dependeat in conseruari ab eius voluntate, sed vt reuocetur indiget actu positiuo concedentis, aut illius successoris.

6 Addo etiam, quod si esset concessa expresè huiusmodi gratia cum clausula, *ad beneplacitum nostrum*, neque adhuc expiraret morte concedentis, nam intelligeretur de illo beneplacito, à quo procedit concessio. Beneplacitum autem, à quo procedit priuilegium oratorij priuati, non est nuda voluntas Pontificis, sed eius voluntas informata potestate Pontificie quia pro concessione requiritur tanquam causa efficiens huiusmodi potestas; itavt pro validitate concessionis voluntas assumere debeat hanc potestatem, & ille vestiri, aliàs voluntas non diceret beneplacit. efficax valens inducere hoc priuilegium. Ex quo fit, quod clausula, *ad beneplacitum nostrum*, resoluatur in clausulam, *ad beneplacitum auctoritatis nostræ*, nam cum auctoritas in beneplacito concedentis stet formaliter, & voluntas materialiter, tanquam subiectum potestatis, consideratur in illa clausula, quod formale est, & secundum ipsum iudicatur.

7 Beneplacitum autem auctoritatis, est beneplacitum non hominis, sed dignitatis, & ideo perpetuum est iuxta cap. *Si gratiosè de rescript. in 6.* Quia dignitas Pontificie perpetua est, & notent communiter Doctores, vt obseruat Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 28. num. 49.* Nec obstat, quod Pontifex dicat, *ad beneplacitum nostrum*, quia dictio nostrum non coarctat beneplacitum ad voluntatem hominis, sed connotat subiectum, in quo est dignitas, & proinde resoluitur in clausulam ad beneplacitum auctoritatis, & dignitatis, quam nos exercemus, & in hoc sensu accipienda est dictio Cap. *dist. 123. num. 4.* & *in addit. dist. 116.* Ric. *in praxi resol. 65. num. 4. part. 1.* dum volunt quod gratie ad beneplacitum dicatur perpetua, non est istis, quatenus beneplacitum importat dignitatis potestatem, que informatur voluntas concedentis.

8 Ex dictis infertur. Quod si litteræ concessionis Oratorij priuati non mandentur exequutioni per visitationem, & approbationem oratorij ante mortem concedentis poterunt sequuta morte mandari exequutioni: Nam non continent gratiam faciendam, sed gratiam factam, quod satis ex eo patet, quia non dant facultatem Ordinario concedendi Oratorium priuatum, itavt eum constituant exequutorem voluntarium, sed dent facultatem priuilegiario, vt possit

possit facere celebrare in suo Oratorio priuato, vt declarat illa clausula, *celebrare facere liberè, & licitè possis, & valeas, indulgemus*, sub conditione tamen, quod Oratorium approbetur ab Ordinario, & consentiat. Gratia autem facta, quamuis requirat alterius exequutionem, non expirat morte concedentis iuxta ea, quæ tradunt Hieron. Paol. *in proer. Cancel. tit. de declarat. super proponen. §. Præstantiss. Doctor.* Rebuff. *in Concordat. tit. de mandat. Apostol. §. 1.* verb. *Sui Pontificatus*, vers. *Licet quidam.* Ledesma *part.1.sum.tract.de matrim.cap.21.num.7.* Henriquez *lib.12. cap.2. num.5.* Suarez *disp.41. de censur. sect.2. in fin.* Sanchez qui alios citat *lib.8. de matrim. disp.26. num.87.*

QVÆSTIO 626.

An semper morte priuilegiarij cesset priuilegium priuati Oratorij.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegium priuati Oratorij quando secundum Pellizar. transeat ad hæredes.*
2. *Priuilegium Oratorij nunquam transit ad hæredes. Obseruantia interpretatur priuilegium.*
3. *Priuilegium non extenditur vltra ea, quæ verbis expressa sunt.*
4. *Clausula*, Ac de ipsius Ordinarij licentia, &c. *modificat priuilegium. Clausula accipiuntur secundum naturam actus.*
5. *Priuilegium Oratorij reuocari potest ex iusta causa, quando adest clausula*, Ac de ipsius Ordinarij licentia.

1 IN superioribus dictum est, quod priuilegium morte priuilegiarij extinguitur tanquam personale, nec transeat ad hæredes. Nunc videndum est, an hoc semper locum habeat, an verò aliquando transeat ad ipsos. Porrò valdè mirandum est, quod Pellizarius affirmet transire ad hæredes, *tom.2. Manual. prælat. regul. tract.8. cap.8. sect.2. num.153.* Ait enim quod si priuilegium contineat clausulam, *Ac de ipsius Ordinarij licentia eius arbitrio duratura*, non finitur morte priuilegiarij, sed transit ad familiam, quia debet durare quousque legitimè reuocetur. Fundamentum est, quia licet priuilegium personale morte priuilegiarij finiatur, hoc tamen solum habet locum, quando non adsunt verba, quæ perpetuitatem significent, ac transmissionem ad posteros, quæ si adsint non finitur morte priuilegiarij. In hoc autem priuilegio dicta clausula reddit habile priuilegium, vt perpetuetur, & transmittatur ad posteros, & operatur, quod debeat durare quousque reuocetur, & ideo non sequuta reuocatione transmittitur.

2 Sed hoc est contra praxim, & stylum Curiæ non permittentis huiusmodi priuilegia transire ad successores, & contra obseruantiam. Vnde dato quod dicta clausula esset apta, vt redderet priuilegium transmissibile, quia tamen obseruantia aliter ipsum interpretaretur, non posset transmitti. Obseruantia enim subsequuta declarat priuilegia, Cap. *Cum venissent, de instit.* & Cap. *Cum dilectus, de consuet.* & *l. Sed Iulianus, §. Porro, si acceperit.* ver. *Sed etsi, ff. Ad Macedonian.* & *l. Si de interpret. ff. de leg.* & tradunt communiter Doctores Paris. *consil. 22. numero 24. libro primo.* Crauetta *consil.226. numero 4.* Ruin. *consil.35. numero sexto, libro primo.* Purpurat. *consil.367. numero septuagesimoseptimo.* Menoch. *consil.55. numero 66.* Decius *consil.283. numero 7.* Natta *consil.192. numero quarto.* Roman. *consil.271. numero tertio.* Bald. *consil. 130.* & *in l. Si quibus, Cod. de fideicom. liber.* Rota coram Mantic. *decisione 320. numero quinto*, & alij, quos citaui, *quæst.canon.200. numero secundo, Centur. 2.* Vnde cum præsens priuilegium ex obseruantia habeat, quod cum priuilegiario extinguuntur, nec transeat ad successores, etiamsi verba aliquo modo viderentur reddere transmissibile non posset transmitti obstante obseruantia, quæ est mensura ipsius, & declarat eiusdem qualitatem.

Accedit etiam, quod ex nullo verbo concessionis 3
colligi potest, quod priuilegium extrahatur à puro esse personali, itavt egrediatur personam priuilegiatam, & ad successores transeat; quinimò tota concessio terminetur in persona singulari, vt constat ex illis verbis, *In tua, & familia tua, necnon hospitum tuorum nobilium præsentia celebrare facere liberè, & licitè possis, & valeas indulgemus.* Nec in contrarium suffragatur clausula, de qua Pellizar. vt mox dicetur. Vnde locum habet regula, quod priuilegia non extenduntur vltra ea, quæ verbis expressa sunt, *l. Si non fortem, §. Libertas, ff. de cond. indeb.* & Cap. *Et tuarum, auct. & vsu pal.* & Cap. *Cum Capella, de priuileg.* & notant communiter Doctores Alexand. *consil. 86. numero secundo, libro primo.* Francus *in cap. Per exempt. numero quinto, de priuil. in 6.* Ias. *in l.1. numero quarto, ff. de condit. princip.* Caballin. *de evict. §. Vt empt. ag. poss. numero 104.* Tiraquel. *in l. Si vnquam verb. Libertis, numero 45. de reuocand. donat.* Azor. *parte 1. lib. 5. cap.16. quæst.9.* Salas *de legib. disput.21. sect.3. numero 6.* Rodriquez *quæst. regul. 11. artic. 6.* vers. *Tertia regula, tom.1.* Rota coram Seraphin. *decis.609. num.3.* & *decis.324. num.12. part.5. Recent.* & ideò præsens priuilegium nullo modo transire potest ad successores, cum neque ex natura sua id ei conueniat tanquam personali, neque ex aliquibus verbis concessionis id colligi possit.

Neque subsistit fundamentum Pellizar. Quia illa 4
clausula, *Ac de ipsius Ordinarij licentia eius arbitrio duratura*, ponitur non ad extendendam, sed ad modificandam concessionem; supponit enim priuilegium quod à Pontifice conceditur, & operatur quod sit dependens à licentia Ordinarij, & proinde relinquit concessionem in suo statu, nempe quod sit merè personalis, quia clausulæ accipiuntur secundum naturam actus, *l. Si stipulatus sit, ff. de vsur.* & *l. fin. ff. de constit. pecun.* & notant Gloss. *in l. Si Patronus, §. Patronus, ff. Quæ in fraud. Patron.* Socin. iun. *consil.128. num.133.* præcipuè quando sunt clausulæ accessoriæ positæ non ad mutandam substantiam dispositionis, sed ad qualificandam, qualis est præsens.

Vnde eius effectus est, non quod priuilegium non 5
desinat, quando iuxta sui naturam desinere debet, sed quod pro eo quoque tempore, quo tanquam personale durat ad permanentiam personæ reuocari possit, si tamen interueniat iusta causa, iuxta ea, quæ dicta sunt in superioribus. Constat enim, quod talis clausula non ponitur ad ampliandum, sed ad restringendum priuilegium, quatenus subiicit ipsum alieno arbitrio, & dat facultatem Ordinario ipsum reuocandi, & proinde eiusdem concessio non est ita plena, sicuti esset seclusa hac dependentia.

QVÆSTIO 627.

An filia in absentia matris gaudens priuilegio Oratorij, gaudeat etiam mortua matre.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegio concessio matri pro Oratorio, & etiam filia principaliter durat post mortem matris.*
2. *Quid si priuilegium valeat pro absente matre.*
3. *Priuilegium extensum ad filiam in absentia matris, non durat mortua matre.*
   Priuilegium derogans iuri communi strictè accipiendum.
4. *Ex verbis concessionis desumitur mens concedentis.*
   In priuilegijs attenditur mens concedentis.
   Et potius mens quam verba.
5. *Priuilegium non conuenit ijs, de quibus non possunt accipi verba priuilegij.*

1 SVpponitur, quod priuilegium Oratorij priuati sit concessum matri, & simul etiam sit concessum filiæ, vt gaudeat eodem priuilegio in absentia matris, atque dubitatur, an etiam mortua matre possit filia gaudere eodem priuilegio. Certum est enim, quod si priuilegium Oratorij priuati esset principaliter concessum etiam filiæ, quod illo gauderet mortua matre; nam tunc essent duæ personæ æquè principaliter priuilegiatæ, & priuilegium vnius non dependeret à priuilegio alterius, & proinde esset virtualiter multiplex.

2 Quod autem, quando in priuilegio adest clausula, *Tibi, vt quando dicta N. à domo predicta abfit, durante absentia huiusmodi Missam in dicto Oratorio in tua, ac familiæ tuæ præsentia celebrari facere liberè, & licitè possis*, docet Pellizar. *tom. 2. Manual. tractatu octauo, capite secundo, sectione secunda, numero* 153. Quod si mater mortua sit possit filia vti eodem priuilegio: & proinde priuilegium non extinguatur morte matris fundamentum aliud non video, nisi quia per dictam clausulam priuilegium videtur extendi etiam ad filiam, & proinde esse principaliter priuilegiata.

3 Verum hoc subsistere non potest, quia per dictam clausulam non extenditur priuilegium absolutè ad filiam, sed tantum pro casu, in quo mater est absens. Vnde supponitur, quod in matre subsistat priuilegium, & stante tali subsistentia vsus illius extenditur ad filiam in casu absentiæ matris. Et proinde per hanc clausulam non extenditur priuilegium, sed vsus priuilegij: ergo cum priuilegia non sint extendenda vltra quàm verba sonent, vt dictum est *quæst. præcedent. numero tertio*, non debet quod concessum est pro casu absentiæ matris extendi ad casum mortis eiusdem matris. Præsertim, quia sumus in priuilegio, quod derogat iuri communi, quod proinde strictè accipiendum est, vt, obseruant communiter Doctores Bart. *in l. Si finita, §. Ex loco edicto, ff. de dam. dat.* Abbas *in cap. Quod dilecto, de consang. & affin.* Syluester *verbo* Priuilegium, *quæstione tertia.* Nauar. *capite duodecimo, Manual. numero septuagesimonono.* Suarez *libro octauo, de legibus, capite vigesimoseptimo, numero quinto.* Sanchez alios citans *libro octauo, de matrimonio, disputatione prima, numero tertio.* Salicet. *in l. 2. Cod. de noxa.* Put. *decisione 62. numero 2.* & alij cum Gloss. *in l. finali, §. In computatione, Cod. de iure delibér.*

Confirmatur. In huiusmodi priuilegiis mens Pontificis non est priuilegiare eos, quos vocat ad participandum in priuilegio, sed eum tantum in cuius fauorem emanat, vt constat ex illius, vel similibus verbis, *Tuæ deuotioni consulere volentes.* Item. *Téque specialibus fauoribus prosequi volentes, &c.* Quæ declarant mentem concedentis, iuxta ea quæ tradunt Crauetta *consil. 301. numero secundo, decis.* Pedemont. *consil. 51. numero* 10. Rota *decisione 271. numero secundo, parte quarta, Recent.* per text. *in l. finali, ff. de hered. instit.* & *l. 1. ff. Ad Macedon.* In priuilegiis autem attenditur semper mens concedentis, iuxta ea quæ tradunt Doctores *in cap. Tua, de decim.* & in Cap. *Quocirca, de priuileg.* & notat cum aliis Gonzalez *ad regul. 8. Cancell. §. 7. proœm. numero 64.* Imò potius mens, quam verba attenditur, vt dixi Rota *coram Mohed. decisione 13. de preben.* & eorum Duran. *decisione 48. numero 15.* Vnde cum constet, mentem Pontificum non esse priuilegiare filiam post mortem matris, sed tantum in absentia matris, extincta matre non remanebit priuilegium. 4

Fundamentum oppositæ sententiæ dissolutum manet ea dictis. Nam illa clausula non extendit priuilegium principaliter ad filiam, sed tantum vsum priuilegij matris pro tempore absentiæ eiusdem matris. Cæterum verba dispositiua priuilegij non possunt accipi de filia, & proinde nec etiam priuilegium, *l. constitutum, ff. de milit. testam.* & *l. 4. §. Toties, ff. de damn. infect.* & obseruant communiter Doctores Roman. *consil. 442. num. 2.* Alex. *consil. 17. num. 2. lib. 1.* Bald. *consil. 486. circa princip. ver. Secundò probatur.* 5

QVÆSTIO 628.

An transferens habitationem de loco ad locum intra eandem diœcesim trahat secum priuilegium priuati Oratorij.

SVMMARIVM.

1. *Mutata habitatione intra ciuitatem, adhuc valet priuilegium Oratorij.*
2. *Et etiam mutata intra diœcesim.*
3. *Quando mutatur habitatio est necessaria noua approbatio Oratorij.*
   Etiamsi in noua habitatione adsit locus alias approbatus.

DVpliciter contigit mutari habitationem intra eandem diœcesim, vel intra ciuitatem, vel extra ciuitatem, itavt, qui prius habitabat in ciuitate incipiat habitare in aliquo oppido, aut ruri. Dicendum autem primò. *Mutans habitationem intra eandem ciuitatem vtitur in noua habitatione priuilegio Oratorij priuati.* Ita Quintanaduen. *tom. 1. singul. tractat. 7. singul. 32. num. 4.* Tambutin. *Opuscul. de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 4. § 4. num. 6.* Bard. *in select. moralib. libro 10. quæstione 10. §. nono, numero 33.* Ratio est. Quia priuilegium est personale, & ex hoc capite sequitur personam; & aliàs est aliquo modo coarctatio ad locum. Confirm. Verba priuilegij habent, *Vt in priuato Oratorio domus tuæ solitæ habitationis Oratorio.* Ista autem verba, quæ determinant locum, verificantur de quacunque domo, in qua habitat priuilegiatius, & solum determinant locum relatiuè quoad priuilegiarium: itavt ille sit locus in quo conceditur Oratorium pro celebratione, in quo priuilegiarius figit habitationem. Et proinde cum non sit locus determinatus quoad 1

fictionem, erit locus errans, & mutabilis, sicut potest esse habitatio priuilegiarij.

2 Dicendum 2. *Si priuilegiarius mutet habitationem de loco ad locum intra eandem Diœcesim, trahit secum priuilegium Oratorij priuati, & vti potest in nouo loco habitationis.* Est eadem ratio quoad hoc, (ac de mutatione solius domus intra eundem locum. Nam cum priuilegium sit personale, debet sequi personam præsertim, quia non potest impediri ab aliqua restrictione, quin sequatur. Rursum cum priuilegium sit concessum personæ in ordine ad Oratorium siue consuetæ habitationis, censetur concessum secundum naturam habitationis, atque adeò cum habitatio consueta sit mutabilis, in ordine ad consuetam habitationem, quæ pro tempore aderit, & proinde absque determinatione habitationis in hoc, vel illo loco, sed pro omni loco, in quo erit consueta habitatio.

3 Est tamen aduertendum contra Quintanaduen. *tom. 1. singul. tract. 7. singul. 32. num. 4.* Necessariam esse approbationem Episcopi, seu Ordinarij, quando contingit, priuilegiatum mutare habitationem, vt docet etiam Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 4 §. 4. num. 7.* Quia tenor priuilegij requirit approbationem, sine qua non potest habere exequutionem, iuxta ea, quæ in superioribus dicta sunt. Nec sufficit qualis est casus, de quo Quintanaduen. *citat.* quod in noua habitatione adsit locus Oratorij aliàs ab Ordinario approbatus, & quod transmigrans secum deferat ornatum, seu apparatum alias quoque approbatum. Nam ex his non habetur approbatio requisita ex tenore priuilegij. Requiritur enim quod locus Oratoris approbetur in ordine ad exequutionem priuilegij in ipso exercendi, vt constat ex illis verbis, *Vt in priuato domus tuæ solitæ habitationis Oratorio, &c. per Ordinarium loci prius visitando, ac approbando, &c.* Approbatio autem illius loci, quæ præcessit fuit in ordine ad exequutionem alterius priuilegij, non autem illius quod de præsenti exequutioni mandandum est. Rursus approbatio, quæ præcessit fuit in fauorem aliarum personarum, non autem illius, quæ de nouo incipit habitare, & proinde non est sufficiens vt det exequutionem huic posteriori priuilegio. Accedit etiam quod in huiusmodi moratione irrepere potest aliquid indecens, & proinde necessaria est visitatio.

QVÆSTIO 629.

An transferens habitationem de vna ad aliam Diœcesim trahat secum priuilegium Oratorij priuati.

SVMMARIVM.

1. *Si in priuilegio non exprimatur Diœcesis sequitur personam in quocunque loco.*
2. *Non sequitur, si sit expressa secundum Merol. In priuilegijs non fit extensio de loco ad locum.*
3. *Priuilegium Oratorij sequitur extra diœcesim.*
4. *Nisi adsit taxatio ad diœcesim.*
5. *Expressio diœcesis stat demonstratiuè. Priuilegium extenditur quantum patitur significatio verborum.*
6. *In dubio verba stant demonstratiuè.*
7. *Verba recipiunt interpretationem à subiecta materia.*
8. *Priuilegium sequens personam non extenditur de loco ad locum.*
9. *Priuilegium quando sit coarctatum loco.*
10. *Priuilegium Oratorij est pro consueta habitatione.*
11. *Aliud priuilegium pro pluribus Oratorijs, & aliud sequens personam.*
12. *In materia odiosa, & exorbitanti sit lata interpretatio quantum patitur significatio propria verborum.*

Difficultas habet locum, quando in tenore priuilegij est expressus locus, seu Diœcesis, vt solet exprimi per illam clausulam, *Vt in priuato domus tuæ ciuitatis Venetiarum, verbi gratia, seu Vt in priuato domus tuæ Diœcesis Neapolitanæ, &c.* Nam si nulla fiat expressio loci, cessat difficultas, quia tunc priuilegium tanquam personale, & non coarctatum determinato loco sequitur personam, in quocunque loco existat, cum nullam habeat restrictionem. 1

Quod autem stante dicta clausula mutans habitationem de ciuitate in ciuitatem non trahat secum priuilegium, tradit Merol. *tom. 3. Theolog. moral. disput. 6. cap. 8. dub. 12. num. 126.* asserens, quod opposita sententia nititur debilissimo fundamento. Eius tamen opinio reiecta fuit à cæteris, qui post ipsum scripserunt, quia reuera non habet pro se rationes, quæ sint alicuius ponderis. Prob. Quia in priuilegiis non fit extensio de loco ad locum, sicut nec de persona ad personam etiam ex maioritate rationis, quia efficacia priuilegij non est posita in ratione, sed in voluntate concedentis: ergo cum priuilegium sit concessum, vt possit Missa celebrari in Oratorio existente in tali ciuitate, non poterit extendi ad existens in alia diœcesi. Secundò, si Summus Pontifex concederet priuilegium Sacerdoti, vt celebrando in Ecclesia sancti Dominici, verbi gratia, ciuitatis Neapolitanæ liberaret animam à Purgatorio, non gauderet priuilegio, si in alia Ecclesia celebraret, quia priuilegium esset concessum pro certa, & determinata Ecclesia: ergo non est extendendum ad aliam Ecclesiam, quamuis eandem facultatem Pontifex concessisset pro alia Ecclesia. Tertiò, sequeretur quod priuilegiatus posset facere celebrare coram se in priuato Oratorio in quocunque loco, etiamsi quotidie mutaret habitationem transmigrando de vna ciuitate ad aliam. Non est autem credibile, quod Pontifex voluerit concedere priuilegium adeò amplum. Quartò, Nunquam Summus Pontifex concedit per vnum breue, vt celebrari possit Missa in pluribus Oratoriis, vt constat ex stylo Romanæ Curiæ, quod est signum, quod concessio sit tantum pro vno loco. 2

Secunda sententia docet in mutatione habitationis de vno in aliam diœcesim priuilegium Oratorij priuati sequi priuilegiatum, & proinde posse vti, priuilegio in quocunque loco habitauerit. Ita Nauarr. *in sum. Bullar. tit. de Orator. priuat. num. 6.* Megal. *variar. resolut. 161. tom. 2.* Quintanadoen. *tom. 1. singul. tractat. 7. singul. 31. num. 3. & sequent.* Barbos. *de iur. Ecclesi. lib. 2. cap. 8. num. 16.* Pellizar. *tom. 2. Manual. Regul. tom. 8. cap. 2. sect. 2. num. 152.* Auersa *quæstione vndecima, de Eucharist. sectione 14. ver. Sextò.* Gabriel. à S. Vincent. *de sacrament. disputatione tertia, de sacrific. Miss. quæstione quinta, difficultate secunda.* Tamburin. *Opuscul. de sacrific. Miss. libro primo, capite quarto, §. quarto, numero secundo.* Bard. *in select. moralibus, libro decimo, quæstione decima, §. nono, numero quarto,* qui tamen addit, id esse verum, attendendo ad priuilegij verba, secus autem attendendo ad stylum Romanæ Curiæ. 3

Resolutio huius difficultatis pendet ex eo, an illa verba, *Diœcesis*, seu *Ciuitatis Neapolitanæ* sint 4

ſumenda teſtrictiuè, & taxatiuè, an verò demooſtratiuè. Et proinde aute omnia tenor totus priuilegij conſiderandus eſt, & inſpiciendus. An adſint aliqua verba taxatiua, ſeu teſtrictiua, qoæ referant ptiuilegium ad locum, & proinde ipſom reſtriogunt ad locum. Tuoc enim res clara eſt, quod extra expteſſum locum oon ſuffragabitut. Quamuis enim ptiuilegium ſit perſonale & ſequatur perſonam, poteſt tamen à concedente reſtriogi ad certum locum, & operari, vt perſona ceoſeatur ptiuilegiata taotum in illo loco, itavt ſequatur perſonam quotieſconque extiterit io tali loco, & tale eſſet ptiuilegium Oratotij priuati, ſi haberet teſtrictionem ad locum.

5 Stante autem, quod oon adſint verba aliqua, quæ reſtringunt priuilegium ad locum expreſſum tenendum eſt. *Quod locus expreſſus ſtet demonſtratiuè, & proinde priuilegium retineat ſuam liberam priuilegij perſonalis naturam, & ſequatur perſonam in quocunque loco.* Ratio eſt. Quia expreſſio loei oon ſit cum aliqua teſtrictione, per quam ptiuilegium reſtringatut ad locum expreſſum, vt ſupponitur, & proiode ptiuilegium aecipi poteſt ſine huiuſmodi reſtrictione attendeodo ad propriam verborum ſignificationem, ivtat loeus expreſſus ſtet demonſtratiuè: ergo ita aecipiendum eſt. Quia quamuis ptiuilegia huiuſmodi ſint ſtrictè interpreranda, hoc tamen ita aecipiendum, vt oon extendantur vltra propriam ſignificationem verbotum; ita tamen vt exteodatur, quantum admittit eadem ſignificatio, vt rtadunt communiter Doctores, Augel. *in l. fin. ff. de conſtit. princip.* Aretin. *in l. Cum lege, ff. de teſtam.* Couar. *lib.* 1. *var. cap. vlt. num.* 1. ver. *Nec ſatisfacit.* Tapia *in Rubr. de conſtit. Princip. cap.* 6. *in fine.* Tuſch. *littera P. concluſ.* 73 a. *num.* 6. Quos ſequitur idem Merol. *eod. tom.* 3. *diſp.* 6. *cap.* 6. *dub.* 5. *num.* 139.

6 Confirm. Quia ſaltem eſt dubium, an verba illa Ciuitatis, ſeu Diœceſis talis, eſſent demonſtratiuè, an verò taxatiuè, & teſtrictiuè. Nam Metol. vult ſtare reſtrictiuè: alij verò ſtare demooſtratiuè. In dubio autem verba cenſentur ſtare demonſtratiuè, vt tradunt Bart. *in l. Centurio, num.* 31. & 39. *ff. de vulgat. & pupil. ſubſit.* & *in l. Cum Pater, §. Menſe, n.* 9. *ff. de legat.* 2. Pariſ. *conſil.* 4. *num.* 36. *lib.* 4. Beroicus *conſil.* 12. *num.* 12. *lib.* 3. Cephal. *conſil.* 137. *num.* 37. *lib.* 1. Seraph. *deciſ.* 474. *num.* 4. Rota *deciſ.* 442. *n.* 3. *part.* 1. *diuerſ.* & coram Ludouiſ. *deciſ.* 516. *num.* 9. & coram Merlio. *deciſ.* 511. *num.* 11. & *deciſ.* 357. *n.* 4. *part.* 2. *Recent.* & *in Florent. affrancationis* 20. *Nouembris* 1634. *coram* Ghiſlerio.

7 Confirm. Verba recipiuot interpretationem à ſubiecta materia, itavt io ea ſignificatione accipienda ſint, io qua congruunt ſubiectæ materiæ, *l. Si vno, inst. ff. de locat.* & *l. Si ſtipulatus, ff. de vſur.* & *l. Plenum, ff. Equitis, ff. de vſu. & habit.* & notant Felin. *in cap. Sedes, num.* 1. *de reſcript.* Oldrad. *conſil.* 172. *num.* 6. Alexaod. *conſil.* 124. *num.* 4. *lib.* 2. Socin. *conſil.* 93. *num.* 4. *lib.* 1. Pariſ. *conſil.* 79. *num.* 20. *lib.* 3. Cephal. *conſil.* 516. *num.* 33. Citiac. *controu.* 61. *num.* 19. Rota coram eminentiſſimo Otthobono *deciſione* 44. *num.* 19. & coram Merlino *deciſ.* 607. *num.* 5. Cum ergo materia, ſupra quam cadunt prædicta verba ſit priuilegium perſooale, quod ex ſui natura ſequitur perſonam in quocunque loco, debet expreſſio loci ſumi demonſtratiuè, vt congruat naturæ priuilegij, & vt poſſit ſequi perſonam in quocunque loco.

8 Ad 1. in oppoſitum reſp. Priuilegium Oratorij priuati, non extendi de loco ad locum, quaodo priuilegiatus mutat habitatiooem de vna in aliam Ciuitatem, ſed portare ſecum priuilegium, quod tanquam perſonale propriæ perſonæ inhæret. Extenſio enim de loco ad locum noo poteſt habere locum, niſi io priuilegio locali, quale non eſt priuilegium, de quo agitur, & ideò talis extenſio tanquam non congruens huic priuilegium non aſſumitur, vt medium ad probandum, quod priuilegium valeat io quocunque loco. Ad id, quod additur, quod priuilegium ſit conceſſum pro Oratorio talis loci, reſp. Eſſe conceſſum pro Oratorio talis loci demonſtratiuè, vt cooſtat ex dictis noo autem taxatiuè, & tanquam reſtrictum ad locum.

9 Ad 2. ReſpicIendum eſſe ad teoorem illius conceſſioois, oam ſi priuilegium eſſet locale, aot perſonale, ſed coarctatum loco, tunc celebrando alibi non ſortiretur celebratio effectum conceſſum. Tunc autem eſſet cenſendum cuarctatum loco, quando ex parte loci concurreret aliqua cauſa, quæ moueret Pontificem ad concedendum potius in hoc loco, quam in alio. Si verò eſſet merè perſonale abſque coarctatione ad locum, tunc locus expreſſus ſtaret demonſtratiuè, & eundem effectum obtineret celebratio in quacunque alia Ecclesia: & hoc contingit in priuilegio Oratorij priuati, quia ex parte loci nulla omninò eſt cauſa, quæ moueat Pontificem ad concedendum potius in hoc, quàm in alio loco.

10 Ad 3. Non ſequi, quod infertur, nempè qood ſi quotidiè motaret habitationem de Ciuitate in Ciuitatem poſſet coram ſe facere celebrare. Nam priuilegium conceditur pto Oratorio cooſuetæ habitationis, tunc autem noo adeſſet Oratorium conſuetæ habitationis in omnibus locis, quia deeſſet habitatio, nam conſueta habitatio dicit habere ſedem fixam in aliquo loco, quæ deeſſet in illo cootinuo motu. Vnde quia nullibi io iis locis haberet conſuetam habitationem, nullibi poſſet vti priuilegio.

11 Ad 4. Ex eo, qood in iiſdem litteris non concedatur licentia celebrandi in plutibus Oratorlis non inferri, qood priuilegium celebrandi in proprio Oratorio priuato conſuetæ habitationis conſequatur priuilegiatum in quocunque loco, nec ſtylus Curiæ præiudicat priuilegiia perſonalis ſubſtantiæ. Nam aliud eſt, non concedi in iiſdem litteris plura Otatoria; & aliud quod priuilegium Oratotij ſequatur perſonam in quocunque loco. Primum enim ſolum concernit ſtylum circa modum conceſſioois, non autem circa ſobſtantiam rei conceſſæ, & ideo illam non alterat: ſecundum dicit, quod ſecundum ſubſtantiam ſit tantum conceſſum vnum Oratorium, ſed quod transferatur, provt ſe transfert perſona. Et ideo ſtylos curiæ oon tollit, quin priuilegium perſonale ſequatur perſonam, & proinde trahat ſecum effectum priuilegij, qui eſt erectio Oratorij in loco proprię habitationis, qood licet materialiter ſit diuerſum, eſt tamen idem ſecondum effectum, & formaliter relatiuè ad perſonam priuilegiatam: ſicut etiam habitatio eſt eadem, quatenus eſt illa habitatio, quæ eſt propria priuilegiati.

13 Nec obſtat, quod priuilegium ſit odioſum, quia contra ius commune, & ideo ſtrictè interpretandum ſit. Nam vt dictum eſt recipit totam illam latitudinem, quam admittit propria verborum ſignificatio. ſiquidem etiam in materia odioſa, & exorbitanti lata ſit interpretatio. Quatenos patitor propria verbotum ſigoificatio *l. Cum lege, ff. de teſt.* vbi Aretin. & cap. *Si quando, de ſent. excommunicat.* & notant Calderin. *conſ.* 1. *can. init. de conſanguinit. & affin.* & *conſ.* 24. *dub.* 1. *de præben.* Craueta *conſ.* 217. *num.* 12. Natta *conſ.* 63. *num.* 18. Dec. *conſ.* 13. *n.* 16. ver. *Et ad hoc facit.* Rota *deciſ.* 516. *n.* 4. *coram* Ludouiſ. verba autem priuilegij Oratorij priuati, cum ſint concepta in perſonam, cui datur facultas vtendi oratorio priuato, & abſque vlla teſtrictione ad locum, apta ſunt propriè ſigoificare priuilegium perſonale ſequens perſonam in quocunque loco, & ideo cum tali amplitudinę ſunt accipienda.

QVÆSTIO 630.

An qui habet priuilegium Oratorij priuati, possit ille vti tam in ciuitate, quàm ruri.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegium Oratorij non valet simul ruri, & in vrbe.*
2. *An valeat successiuè ruri & in vrbe.*
3. *Habitatio tam ruri quam in vrbe comprehenditur sub priuilegio Oratorij.*
4. *Taxatiua excludit qua non comprehenduntur sub ipso, & includit, qua comprehenduntur.*
5. *Taxatiua non excludit connexa.*
6. *Mens concedentis attendenda in priuilegiis. Priuilegium trahit secum necessaria pro vsu ipsius.*
7. *Vsus priuilegij Oratorij in vrbe, & ruri, non excedit terminos concessionis.*
8. *Priuilegium Oratorij, est in Ordine ad locum habitationis, & tantum extenditur, quantum habitatio.*

1 Quod non possit vti simul in ciuitate, & ruri, videt omnino certum, vt notat etiam Bardus *in select. moral. lib.* 10. *quæst.* 10. §. 9. *num.* 49. quia si simul vteretur oempè pro se vno, & alio pro familia in virtute eiusdem concessionis duo Oratoria, quod est contra mentem concedentis, & tenorem concessionis, in qua conceditur tantum vsus vnius Oratorij in ordine ad celebrandum. Vnde difficultas est, an vtendo vnico tantum Oratorio simul, possit duo habere alterum in ciuitate, & alterum ruri, quibus successiuè, & disiunctim vtatur.

2 Bardus *in select. moralib. lib.* 10. *quæst.* 10. §. 9. *num.* 46. *& sequent.* partem negantem tradit. Fundamentum est. Quia per priuilegium conceditur vnicum tantum Oratorium, & quamuis successiuè possint esse plura, non tamen ita, vt permaneote, vno erigatur alterum. Secundò, quia licèt priuilegium sit personale, non tamen præcisè consideratur persona, sed etiam commoratio in loco. Et ideò, dum Oratorium io loco suæ commorationis, non potest alibi aliud habere. Addit tamen *num.* 49. Quod si ruri commoretur maiori anni parte secundum rigorem iuris possit habere Oratorium, dummodò interim non vtatur, quod est in ciuitate, licet non secundum stylum Curiæ, & fundatur in eo, quia tunc ruri contulit quasi domicilium.

3 Tenendum tamen est, *Quod priuilegiatus possit etiam ruri habere Oratorium, quo vti possit, dum ibi commoratur, ita tamen vt interim non vtatur eo, quod est in ciuitate.* Hoc sequitur ex natura priuilegij personalis, quod non est affixum loco, sed tantum personæ adhæret, & proinde ipsam sequitur. *l. In omnibus ff. de reg. iur.* & cap. *Priuilegium de reg. iur. in* 6. Et quamuis concedatur in ordine ad locum, & sit contemplata persona, quatenus commorans, seu inhabitans io aliquo loco, non tamen conceditur io ordine ad certum, & determinatum locum, vt satis declarant illa verba. *Vt in priuato domus tuæ solita habitationis Oratorio*, quæ solum determinant locum domus, in qua soleat priuilegiatus habitare. Si igitur soleat habitare, tam in ciuitate, quàm ruri, vtraque habitatio comprehendetur sub concessione. Quia cum habitatio regularium soleat mutari de ciuitate ad rus, & de rure ad ciuitatem, secundum hanc mutabilitatem, tanquam regularem, & cognitam Pontifici comprehendetur sub propria significatione verborum priuilegij, & proinde priuilegium ad ipsam, secundum hanc significationem se extendet iuxta ea, quæ danda sunt. *quæstione præcedenti numero* 12.

Confirm. verba concessionis coarctant facultatem 4 faciendi celebrare in priuato oratorio, ad solitam habitationem priuilegiati, & habent implicitam taxatiuam talia habitationis: ergo sicut taxatio, & coarctatio excludit omnia, quæ non continentur sub taxatione, & coarctatione. cap. *Cum Ecclesia Sutrina.* §. *Pars Canonicorum. de caus. possess. & propriet.* & notant communiter Doctores, Bart. *in lib.* 1. *num.* 1. *ver. Pro cuius. ff. Si quis ius dicenti non obtemp.* Ias. *num.* 9. Bald. *in l. Si quis ex consensu. not.* 2. *Cod. de Episcop. audientia.* Dec. *in lib.* 1. *vers. Ex quibus etiam. Cod. de bonor. possess. contra tab.* Abbas. *in dict. cap. Cum Ecclesia Sutrina.* §. *Pars Canonica. num.* 9. Bellarm. *num.* 16. Butr. *num.* 19. Ita includit omnia, quæ continentur sub taxatione, seu sub verbis, quæ habent implicitam taxationem. Cum igitur illa verba: *Domus tuæ solita habitationis*, excludant omnem aliam domum, quæ noo sit solita habitatio priuilegiati, ita etiam includit omnem domum, quæ sit solita habitatio. Quia quæcumque domus, quæ sit solita habitatio non potest excludi per dicta verba, cum de ipsa verificentur. Si ergo non excluditur, oportet, quod includatur sub ipsis, & proinde, quod extendant concessionem ad ipsam. Vnde supposito, quod priuilegiatus soleat etiam ruri habitare, talis habitatio comprehenderur sub verbis concessionis.

Confirm. 2. Illa verba. *Domus tuæ solita habitationis*, non plus limitant, & taxant vsum priuilegij in 5 ordine ad locum, quàm limitaret, & taxaret dictio taxatiua, si adesset. Si autem adesset dictio taxatiua, non ita taxaret, vt excluderet habitationem solitam ruralem, quia talis habitatio est connexa cum habitatione io ciuitate, eo, quod nobiles solent habere domum habitationis ruralis, quæ est, quædam extensio propriæ habitationis, & veluti appendix ad habitationem in ciuitate. Taxatiua autem ita coarctat taxata, atque cætera excludit, vt tamen non excludat connexa, sicuti tradunt Gloss. *in cap. Episcopus dist.* 24. Bald. *in leg.* 1. *Cod. de bonor. poss. cont. tabul.* Dec. *ibid. num.* 4. Crauetta *de antiq. tempor. part.* 4. *princip. init. num.* 116. Euerard. *in Topica iur. loc. à vi, & natura taxat.* Anan. *cons.* 36. *num.* 3. Curt. Iun. *cons.* 127. *in fine.* Menoch. *cons.* 705. *num.* 23.

Denique in priuilegiis præcipuè est attendenda 6 mens concedentis, vt dixit Rota *coram Mohed. decis.* 13. *de prebend.* & coram Durand. *decis.* 49. *num.* 15. Mens autem summi Pontificis in his priuilegiis est, vt priuilegiatus possit cootinuò gaudere commoditate celebrationis Missæ in propria domo. Tum quia hoc secum affert priuilegium personale, quod vt adhærens personæ semper ipsam reddit priuilegiatam, tum quia excipit tantum quosdam dies, ad quos priuilegium non extenditur, & proindè extenditur ad omnes alios non exceptos, tum quia concedit vnam Missam celebrari pro vnoquoque die: ergo cum concessio sit coarctata pro singulis diebus diebus, & solum sit cantata ad Oratorium domus propriæ habitationis, debet eam concedi, tam pro habitatione vrbana, quàm pro rurali, dummodo sit propria, cum hoc sit necessarium, vt priuilegium sortiri possit suum effectum. *l. Is. ff. de iurisdict. omn. Iudic.* & *l.* 3. §. *fin. ff. de pœna. leg.* & *l. Veteres. ff. de itin. actuque priu.* vbi Gloss. & Bart. & cap. *Suspicionis. de offic. deleg.* & notant communiter Doctores.

Ad 1. pro opposita sentent. resp. Per priuilegium 7 non

non concedi Oratorium priuatum, quia quilibet potest ipsum habere absque vlla licentia de iure communi iuxta cap. *Vnicuique de consecrat. distinct.* 1. Sed conceditur vsus Oratorij priuati in ordine ad celebrationem Missæ. Et ideò ratione concessionis nihil disponitur circa habendum vnum, vel plura Oratoria priuata, sed tantum circa vsum. Et ideò, nisi vsus excedat terminos concessionis parum refert, quod fit in vno, vel pluribus Oratoriis. Non excedit autem ex eo, quod pro aliquo tempore exerceantur in Oratorio ciuitatis, & pro alio in Oratorio rurali: nam vsus conceditur pro vna Missa singulis diebus, exceptis nonnullis, & cum determinatione ad Oratorium domus solitæ habitationis, per hoc autem, quod ista celebratio sequatur modo in vno, modo in alio Oratorio ex prædictis Oratoriis non excedit Oratorium domus solitæ habitationis: & omninò materialiter se habet ad rem concessam variatio Oratorij, dummodo semper sit approbatum iuxta perscriptionem concessionis.

8 Ad 2. Quamuis priuilegium sit personale conceditamen in ordine ad locum, sed non cum alia determinatione, nisi domus propriæ habitationis. Et ideò si intra hanc determinationem adsit latitudo, extenditur priuilegium ex vi propriæ significationis verborum, quantum se extendit dicta latitudo. Et ideò, quando contingit priuilegiatum habere plures domos pro solita habitatione in ciuitate, ruri, quia continentur sub eadem determinatione, ideò ad omnes se extendit priuilegium. Quod etiam ex eo deducitur, quia per hoc, quod priuilegiatus vtatur modo vno, & modo alio Oratorio, non crescit vsus priuilegij, quia non celebratur plusquam vna Missa singulis diebus præmissis in priuato Oratorio solitæ habitationis, & proinde sistitur intra puros terminos concessionis, nec multiplicatur vsus priuati Oratorij, sed est idem vsus modo in vno, & modo in alio Oratorio.

QVÆSTIO 631.

An si plures familiæ habitent in domo diuisa in plures partes possit pro qualibet locum habere priuilegium Oratorij priuati.

SVMMARIVM.

1. *Si plures eiusdem domus impetrent priuilegium Oratorij primus solum valide obtinet.*
2. *Dictio* dummodo *facit gratiam conditionalem.*
3. *Domus quid importet.*
   Dictio, eadem *repetit easdem qualitates.*
4. *Domus quando dicatur eadem.*
   Vendita domo venit apotheca, hortus &c.
5. *Eadem domus quando sit diuisa in plures.*
6. *Multiplex Oratorium potest esse in domo diuisa in plures.*
7. *Domus quando sit multiplex.*
   Facto hominis debet diuidi in plures.
8. *Ostium in muro diuisorio non obstat diuisioni.*
9. *Pluralitas familiarum an diuidat domum.*
10. *Domus quando sit vna, quando multiplex.*
11. *Communio muri non infert communionem, sicut nec communio ingressus, &c.*
12. *Diuersitas solariorum infert diuersitatem domus.*
13. *Domus consideratur in ordine ad habitationem, & in ordine ad ipsam multiplicatur.*
14. *Sola designatio non diuidit domum.*

Facto hominis diuersis modis domus diuidi potest. Cur hortus, Apotheca, &c. trahantur à domo.

DVbium consurgit ratione clausulæ. *Dummodo in eadem domo celebrandi licentia, qua adhuc duret, alteri concessa non fuerit*; quæ solet apponi in litteris concessionis huius priuilegij. Vnde consurgit dubium, an si plures familiæ habitarent in vna ampla domo diuisa tamen in plures partes, vulgo *appartamenti*, & impetrarent priuilegium Oratorij, priuati valeret pro singulis. Certum est enim, quod si plures eiusdem domus, & familiæ impetrarent tale priuilegium, qui posteriori loco impetrarent nulliter impetrarent, vt aduertit etiam Tambur. *opusc. de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 4. §. 4. num. 20.* Quia stante dicta clausula, dictio *dummodo* reddit gratiam conditionalem quia adiecta est dispositioni *l. Thasi. §. Stichus. ff. de fideicom. libert.* & notant Socin. iun. *consil. 18. num. 13. vol. 3.* Rota coram Seraphino *decis. 1017. num. 5. & decis. 38. part. 1. diuers.* Et ideò non subsistente conditione nec etiam subsistit concessio. 1

Prima sententia tenet, quod etiamsi domus diuisa sit in plures partes, vulgo, *appartamenti*, in quibus habitent diuersæ familiæ vigore dictæ clausulæ, posse vnicam tantum familiam vti priuilegio priuati Oratorij. Ita latè Bardus *in select. lib. 10. quæst. 10. §. 2. & sequent.* Qui primò habet, quod licet dictio, *domus*, habeat plura significata iuxta *l. Pronunciatio. ff. de verb. signific.* Vbi Rebuff. *§. Iure proprio.* Menoch. *præsump. 88. num. 12. lib. 4.* Communis tamen, & propria significatio est, quod importet ædificium parietibus, tecto, solo constructum in ordine ad habitandum iuxta *l. Eum qui Ecclesi. ff. de vsucap.* & *l. In lege censoria. ff. de verb. signific.* & *l. Nec in ea. ff. ad leg. Iul. de adult.* & notant Corneus *consil. 206. num. 11.* Castrens. *cons. 92. ff. tot. lib. 1.* Addit autem, quod in priuilegio appellatione *domus* venit domus, quatenus dicit locum destinatum ad habitandum, quod probat excludendo alias significationes, quas domus habet. 2

Sed facilius probare potuisset ex dictione *eadem*, quæ addimr domui. Nam hæc dictio repetit domum, de qua ante cum identitate, & iisdem qualitatibus, vt obseruant Glos. *in l. Cum hi. §. Qui in perpetuum. ff. Si ager vectigalis.* Grat. *consil. 9. num. 88. vol. 1.* Surd. *decis. 125. num. 1.* Menoch. *præsump. 173. num. 10. lib. 4.* Constat autem, quod Pontifex antea loquutus est de domo, prout est locus ad habitandum ex illa clausula, *In priuato domus tuæ solitæ habitationis.* 3

Secundò dicit. Quod licet plures familiæ habitent in vna domo, seu palatio habente eosdem confines principales, eundem aditum, & ianuam primariam, non distinguuntur in diuersas domus in ordine, vel præsentem effectum. Hoc autem probatur. Quia vt ex vna domo constituantur plures, non sufficit sola designatio, sed requiritur factum hominis, nempè paries intermedius diuidens vnam partem ab alia, & affert text. & Doctores hoc afferentes, quos infrà afferam, quia faciunt pro confirmanda opposita conclusione: ergo non sufficit diuersitas familiæ. Confirm. Vendita, aut legata domo venit etiam Apotheca, hortus, &c. Si aditus ad apothecam, hortum, &c. non sit nisi per domum, quia faciunt vnum vnum cum ipsa: secus vt etiam si sit aditus diuersus, vt tradunt Alex. *cons. 223. lib. 2.* & *consil. 204. n. 2. lib. 6.* Castrens. *in l. Olympico, num. 2. ff. de seruit. rustic. prædior.* Ergo idem dicendum proportionaliter in præsenti. 4

Secunda sententia docet, diuiso palatio in plures partes, vulgo *appartamenti*, si inhabitent plures familiæ 5

miliæ esse diuersas domos,licet habeant aditum principalem communem. Ita Cumanus *consil.* 41. *num.* 4. Tusch. *litter. D. conclus.* 619. *num.* 2. & in terminis Oratorij Megal. *resol.* 191. *num.* 12. *tom.* 2. Tamburio. *opuscul. de sacrificio Missæ, lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *numero* 22.

6 Dicendum est. *Domum, seu Palatium diuisam in plures partes vulgò* Appartamenti, *& inhabitatum à diuersis familiis esse plures domos ad effectum gaudendi multiplici priuilegio iuxta diuersas familias Oratorij priuati.* Nomine autem partis intelligi debet pars talis, quæ habeat cubicula, & alia loca pro officinis, & aliis domesticis vsibus sufficientia pro habitatione familiæ, itavt in qualibet parte sint ea, quæ regulariter requiruntur pro constituenda vna domo. Et tunc nihil officiet, quod habeant ingressum communem, cortile commune, & salam principalem communem.

7 Desumitur ex *l. Si quis duos.* §. *Si quis partem. ff. Communia prædij.* ibi. *Quod & in ædibus potest dici, si Dominus pariete medio ædificato vnam domum in duas diuiserit, vt plerique faciunt, nam, & hic pro duabus domibus accipi debet.* Ex quo text. constat, quod eadem domus diuiditur in plures, vt ibidem etiam notat Gloss. §. *Fundus.* per aliquod diuisorium, quod exemplificant de pariete medio. Vnde Doctores ponunt discrimen inter fundum, & domum; quod fundus diuidi potest in plures sola destinatione, domus autem, non potest diuidi in plures, nisi facto hominis. Ita Ias. *in l. si domus, num.* 23. *ff. de legat.* 1. & *num.* 27. notat etiam pro diuidendo fundo requiri aliquod diuisorium. Castrens. *in dict. l. Si quis duos.* Cuman. *in l. Quod in rerum.* §. *Si quis. num.* 2. *ff. de legat.* 1. & alij; Ponitur autem exemplum de pariete intermedio, quia diuisiones domorum regulariter hoc pacto fiunt; non autem, quia alio modo possent fieri diuisio, dummodo diuisorium sit quid fixum, & permanens.

8 Huic autem diuisioni non obstat, quod in muro diuidente adsit ostium, per quod introitus pateat ad aliam partem domus diuisæ, quod manifestè desumitur ex cap. *Vnico de consecrat. Eccles. vel Altar. in* 6. ibi. *Non vnum, sed plura Cœmeteria esse noscuntur, quæ quamuis sibi cohærentia, pariete tamen medio seiunguntur. Ideòque violato eorum altero, alterum (licet de vno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus) non propter hoc reputabitur violatum.* Si ergo porta in muro diuisoria Cœmeteriorum non tollit eorundem pluralitatem, nec etiam tollet in inmuro intermedio diuidente domos.

9 Hinc autem elicitur ratio quando in eadem domo, seu palatio adsunt plures habitationes pro pluribus familiis, vulgò *Appartamenti*; adest semper aliquis murus diuisorius, per quem mansiones vnius partis segregantur ab aliis, quamuis adsit aliquod ostium in eodem muro, aut quamuis singulæ habitationes habeant sua peculiaria ostia, quæ correspondeant alicui communi atrio, aut alicui communi scalæ: ergo sunt domus distinctæ in ordine ad habitationem, & proinde sufficientes, vt possint familiæ habere singulæ priuilegium priuati Oratorij. De iure enim, vt dictum est, & secundum Doctores requiritur saltem murus diuidens, nec requiritur diuersitas ingressus: nec ostium in muro diuisorio obstat distinctioni, vt visum est *num. præcedenti.*

10 Confirm. Res artificiales diuiduntur, & plurificantur iuxta diuisionem, & plurificationem formæ. Quia sicut forma eas constituit, ita etiam diuidit ad inuicem. Cum ergo domus sit quid artificiale, constituetur, & diuidetur per suam formam artificialem. Et ideò domus erit vna, vel multiplex iuxta formam vnam, vel multiplicem. Quando ergo in eadem domo sunt plures habitationes singulæ sufficientes pro pluribus familiis multiplicatur forma domus; quia in domo aliæ sunt partes, quæ inseruiunt habitationi, & vsibus domesticis, vt sunt cubicula, officinæ, coquina, stabulum, &c. Aliæ verò sunt partes, quæ solum inseruiunt tanquam media ad habitationem, vt est ianua, vestibulum, scalæ, & huiusmodi. Domus autem, quatenus sumitur pro loco destinato ad habitationem, non includit has posteriores partes, nisi tanquam accessorias, & ideò vt multiplicetur domus, sufficit si multiplicetur forma quoad alias partes. Et ideò non obstante communitate ingressus, cortilis, scalarum, atrij, potest multiplicari forma domus, atque adeò domus, vt contingit, quando eadem domus diuiditur in plures habitationes, seu *Appartamenti.*

Confirm. 2. Communio muri, qua mansiones 11 domus vniuntur non infert communionem, seu consortium domus, sed tantum contiguitatem, & propterea non obstat pluralitati domuum, vt tradunt Ruin. *consil.* 27. *num.* 12. vet. *Secundo respond. lib.* 4. Iacob. Nouel. *De iure protbomis.* §. 20. *num.* 61. Tholosan. *lib.* 26. *sintagmat. iur. tit.* 1. *num.* 2. Rota coram Merlino *decis.* 386. *num.* 32. non alia ratione, nisi quia non infert cõmunicationem in habitatione, quæ necessaria est pro vnitate domus. Sed neque etiam communio ingressus, cortilis, atrij, scalæ non infert communicationem in habitatione. Vnde nec etiam inferet vnitatem in domo. Præsertim quia distinctio habitationis non obstante dicta communione, est sufficiens, vt possint separari à loco, quod est signum sufficiens diuersitatis domorum, vt ponderat Rota cit. *decis. num.* 28.

Ex quibus infertur, quod si domus pluribus solariis 12 constet nempè superiùs, & inferiùs, & in ipsis constituantur diuersæ habitationes, in quibus habitent diuersæ familiæ, erunt diuersæ domus iuxta diuersitatem solariorum, vulgò *Appartamenti di sopra, e di sotto,* vt ponderant Castrens. *in l. Si quis duo.* §. *Si quis partem in fine. ff. Communia prædior.* Caualcan. *decis.* 19. *num.* 52. 54. & 61. *part.* 2. Carpan. *ad statuta Mediolan. cap.* 434. *num.* 32. Rota coram Merlino *decis.* 411. *num.* 11. Quia inter has portiones domus adest sufficiens diuisio, nec est communicatio in actu inhabitandi inter familias inhabitantes, quod sufficit, vt censeantur domus diuersæ in ordine ad fruendum multiplici priuilegio Oratorij priuati.

Ratio verò horum omnium ea est, quia licet domus sumatur, prout importat ædificium in ordine ad habitandum constructum, atque adeò cum ea forma, quæ reddat ipsum habile ad talem effectum, attamen non debet accipi præcisè secundum se, sed cum ordine ad habitationem, quia consideratur tanquam habile pro habitatione. Ex quo fit, quod quando est tale, vt possit inseruire pro multiplici actuali habitatione multiplicis familiæ, absque eo, quod in habitando inuicem communicent, habendum fit pro multiplici domo, quia fient multiplicatur, habitatio actiua, seu actus inhabitandi seorsum ab alio, ita etiam multiplicatur habitatio passiua, seu habitabilitas: & consequenter multiplicatur illa qualitas, per quam ædificium constituitur in esse domus, quæ est aptitudo ad habitationem fundata in diuersis portionibus ædificij. 13

Ad primum pro prima sententia. Resp. Non sufficere quidem ad diuidendam vnam domum in plures solam designationẽ, sed requiri factum hominis, quod inferat diuisionem realem in ipsa domo. Hoc tamen diuersis modis interuenire potest, & sufficit, si quælibet portio diuisa habeat suas proprias mansiones, & sua propria ostia, nam mansiones propriis muris à cæteris distinguuntur, & ideò additis propriis ostiis, 14

quibus

quibus escludatut communicatio in habitatione, habetut sufficiens diuisin; nam sufficit, quod sit taliter disposita, vt familiæ inhabitantes non babcant inulcem communicare in habitatione.

15 Ad confirm. neg. consequent. Quia est diuersa tatio, nam hortus, apotheca, &c. se habent tanquam patres domus, & inseruiunt habitationi, & vsibus dnmesticis: & ideò si ad ipsas patet adirus per domum, habentur pm pattibus eiusdem domus. At ianua, cottile, atrium non sunt partes inseruientes habitationi, sed conducentes ad habitandum sicut conducit etiam scala: & respectu babitationis se habent tanquam partes accessntiæ, quamuis necessatiæ, vt petueniatur ad habitationem. Et ideò ipsatum communin, non tollit distinctionem babitationis, atque adeò nec etiam domus, vt constat ex suptadictis.

QVÆSTIO 632.

An quando plures familiæ habitant in eadem domo deuisa possint singulæ vti Oratorio sito in aliquo loco omnibus communi.

SVMMARIVM.

1. *Idem Oratorium in aliquo communi loco an inseruire possit pluribus familiis habitantibus in eadem domo.*
2. *Concessio Oratorij requirit, quod sit situm intra habitationem.*
   Verba priuilegij non extenduntur plusquàm sonant.
3. *Oratorium, nisi sit intra locum habitationis, non censetur concessum.*
4. *Oratorium situm in aliquo communi loco nulli familiæ inseruire potest ex habitantibus in eadem domo.*
5. *Priuilegium concedit vsum Oratorij intra habitationem.*

1 QVando eadem domus diuiditur in plures habitatinnes, potest Orarotium ita esse situm in aliquo lnco, vt non pettineat ad aliquam ex pottiobus dinisis, sed remaneat cxtra quamlibet partem, vulgò *Appartamento* vnde insurgit diffieultas, an si plutes ex habitationibus fruantur ptiuilegin Oratorij priuati, possint illn vti. Et videtur affirmatiuè resoluendum, quia eum per hne prinilegium, vt dictum est in superioribus, non eoncedatur Oratorium, sed celebrario in Otatorio, parum refert, quod idem Otatnrium inseruiat pluribns, dummodo quisque non excedat, quod sibi in priuilegio conceditur.

2 Dicendum tamen est. *Non posse idem Oratorium inseruire pluribus priuilegiatis, etiamsi situm sit in loco spectante communiter ad omnes.* Desumitut ex illa clausula apponi solita in huiusmodi concessione, *Vt in priuato domus tua solita habitationis Oratorio, &c.* Quæ significat concessionem esse factam ptn Oratorio existente intra babitationem, & ideò non haber lncum in Oratorio existente extra habitationem. Nec diei poicst, quod nnn teferat, quod sit intra, vel extra babitationem, quia est eadem ratin, quia in priuilegiis nnn attenditut identitas, vel maioritas ratinnis, sed quid sit concessum ex voluntate ptiuilegiantis, quæ mensura priuilegij; quid autem sit concessum desumitur ex verbis priuilegij, & ideò non extenduntur plusquam veiba sonant iuxta cap. *Priuilegia. de priuileg.* & obseruant communiter Doctotes Batt. *in l. Si finsta. §. Ex hoc edicto. ff. de dam. dat.* Abbas *in cap. Quod dilecto. de consanguinit. & affinit.* Syluester *verbo* Priuilegium *quæst.* 3. Nauar. *cap.* 12. *Manual. num.* 79. Suatez *lib.* 8. *de leg. cap.* 27. *num.* ..... Sancbez *lib.* 8. *de matrimonio disputat.* 1. *num.* 3. vbi alios citat.

Maior difficultas est, si non adsit clausula *solita* 3
habitationis, sed solum. *In priuato domus tuæ Oratorio, &c.* Sed adbue tenendum est, quod non possit vti tali Oratorio, quia cum non pertineat ad portionem domus, in qua habitat, non verificatur, quod sit in dumo sua. Quia cum domus sit diuisa in plures portiones, vulgò *Appartamenti*, atque adeò in plures domos, solum illa pottio, seu *Appartamento*, quæ importat locum habitationis, dicitur domus habitantis, & de ipsa solum verificatur clausula, *domus tua*, Oraturium autem cum sit in loco, qui est communis mnnibus habitationibus, nnn potest dici, quod sit magis vnius, quàm alterius habitationis.

Ex quibus infettur. Quod nullus priuilegiatus de 4
familiis habitantibus in dumn sic diuisa, vti poterit tali Orattrio, cum ad nullius habitatinnem pertineat, & proinde crit veluti oratorium extraneum; non autem, de quo vetificetut clausula *domus tua*, siue etiam *solita habitationis*, neque cnim continetur intra terminns habitationis huius, vel illius familiæ. Vt ergo possit Inseruire pro aliqua ex habitantibus familiis, necessarium erit, quod in diuisinne assignetur alicui peculiari familiæ, ex habitantibus, ita vt pertineat ad portionem, seu *Appartamento* talis familiæ.

Ex dictis soluitur ratio dubitandi. Nam quamuis 5
per huiusmodi priuilegium non concedatut Oratorium, sed vsus Otatorij, pto celebratinne Missæ, attamen celebratio Missæ determinatur ad Oratorium in specie, nempe ad illud, quod situm est in domo habitationis priuilegiati. Vnde cum huiusmodi ptiuilegia strictè aecipienda sint, & ptnvt verba sonant, vt dictum est supta *num.* 2. non potest extendi extta Oratorium domus proptiæ.

QVÆSTIO 633.

An locans alteri partem domus possit vti Oratorio sito in parte locata.

SVMMARIVM.

1. *Locans partem domus potest erigere Oratorium in parte sibi retenta.*
   Vbi verba non habent locum, nec etiam habet, priuilegium.
2. *Locator non potest vti Oratorio existente in parte domus locata.*
3. *Lex vna, declarat alteram.*
   Vnum priuilegium declarat alterum.
4. *Pronomen tua importat possessionem.*
   Conductor possidet ex locatoris persona.
5. *Clausula* ab omnibus domesticis vsibus libeto, *quid supponat.*
   Exceptio debet esse intra terminos rei, quam limitat.

QVia potest Dnminus Palatij locare Alteri par- 1
tem ipsius, & eontingere potest, quod Oratnrium sit crectum in parte locata, dubitatut, an Dominus lncans possit vti, si sit ptiuilegiatus tali Oratorio, cettum est autem, quod poterit erigere aliud Oratorium

Oratorium intra propriam habitationem iuxta tenorem priuilegij: etsi domus sit diuisa in plures iuxta superius dicta, poterit vti, etiamsi conductor in alia parte sibi locata vtatur Oratorio ibi constituto.

2 Dicendum est. *Dominum palatij locatorem non posse vti Oratorio sito in parte locata.* Et quidem si in litteris concessionis adsit solita clausula, *Domus tua solitæ habitationis*, res est clara, quod non poterit vti, quia non est Oratorium domus solitæ habitationis locatoris, sed est domus solitæ habitationis conductoris, & ideò priuilegium non habet locum, quia verba priuilegij non habent locum *l. Quod constitutum. ff. de testam. militat.* & cap. *priuilegia de priuilegiis.*

3 Maior difficultas est, si non adsint verba illa *solitæ habitationis.* Verum adhuc priuilegium erit pro Oratorio *domus habitationis*, nam verba illa *domus tuæ* important domum habitationis. Et de mente Pontificis satis constat, quod concedat pro Oratorio domus habitationis, dum dicit *domus tuæ.* Nam quando declarat, de qua domo intelligat, ponit illa verba *solitæ habitationis*, quod sufficit ad declarandam mentem Pontificis. Quia sicut vna lex, aliam distinguit, & declarat *l. Sciendum. ff. qui satis dar. cogan.* & *l. Filius familias. ff. de act. & obligat.* & *l. Quamuis. ff. de in ius vocan.* Ita etiam vnum priuilegium declarat aliud quando præcipuè sunt in eadem materia: Vnde cum illa verba *solitæ habitationis*, sint posita ad explicandum, quid intelligatur appellatione *domus tuæ*, quando solum dicitur domus tuæ intelligetur quoad habitationem, quia sic à Pontifice ipso explicantur, quando magis explicat mentem suam.

4 Confirm. Pronomen, *Tuæ*, quod additur dictioni *domus* importat possessionem, iuxta *l. Argento. ff. de auro, & argent. leg.* & notat Rebuffus *in l. Pupillus. §. Verbum suum*, & *in l. Meorum. ff. de verb. significat.* Est enim necessarium sumere illud pronomen in hac significatione, ad vitanda absurda, alioquin si significaret dominium, posset priuilegiatus erigere Oratorium in quacunque domo, quæ esset sub eius dominio, etiam cum alteri locaret, etiamsi longè distaret ab habitatione propria, vndè posset eodem modo, cum maiori etiam facilitate accedere ad aliquam Ecclesiam pro audienda Missa. Et vsus priuilegij esset extra finem eiusdem priuilegij, qui est concedere commoditatem audiendi Missam in propria domo, ne cogatur adire Ecclesiam: Locator autem non possidet domum locatam, quia possessio naturalis est penes conductorem, qui actu possidet, licet possideat ea locatoris persona, vt traduut Bart. *in l. 1. §. fin. num. 17. ff. vti possid. eum. consil.* 40. *num. 6. lib.* 4. Rota *decis.* 315. *num.* 2 *part.* 1. *diuers.* & *decis.* 208. *num.* 2. *part.* 2. *Rec.* & *decis.* 513. *num.* 8. *tom.* 3. *part.* 4. *Recent.* & *decis.* 359. *num.* 1. *parte quinta, Recent.* & *in Bononien. affectus* 4. *Iulij* 1629. coram Virili quæ est *decis.* 269. *num.* 2. apud Posth. *de manut.* & *in Portuen. stagni* 27. *Aprilis* 1640. §. *Tertio responsum fuit, coram* Eminentissimo Panzirolo, & *coram* Eminentissimo Otthobono *decis.* 80. *numero* 5.

5 Confirm. 2. Ea clausula, *Ab omnibus domesticis vsibus libero*, quæ excludit à loco Oratorij omnes domesticos vsus; & proinde excipiuntur tanquam indecentes vt exerceantur in loco Oratorij. Nec autem exceptio supponit, quod si vsus possint introduci in locum Oratorij vt proinde necesse fuerit excipi, consequenter quod locus Oratorij sit intra habitationem, vt domestici vsus ad ipsum quoque extendi possint, vt necesse fuerit excipere, & prohibere. Frustra autem exciperentur domestici vsus, ne exercerentur extra locum habitationis, cum domestici vsus non excedant terminos habitationis, exceptio namque debet esse intra terminos rei, quam limitat, vt notant Doctores *in lib. 1. ff. de regul. iur.* Rota *coram Ludouisio, decis.* 544. *num.* 26.

QVÆSTIO 634.

An valeat priuilegium Oratorij secundo loco impetratum in eadem domo deficiente primo.

SVMMARIVM.

1. *Secundum priuilegium non valet durante primo in eadem domo.*
2. *Quod est nullum ab initio non conualescit temporis tractu.*
3. *Cessante primo priuilegio incipit valere impetratum secundo loco.*
   Priuilegium habens tractum successiuum manutenetur toto tempore à voluntate concedentis.
   Priuilegium nullum ab initio potest postea valere, si habeat tractum successiuum.
4. *Priuilegium Oratorij habet partes separabiles.*
   Vtile per inutile non vitiatur.
5. *Nullum ab initio quomodo possit tractu temporis conualescere.*

QVia in concessione priuilegij pro Oratorio priuato solet apponi clausula, *Dummodo in eadem domo celebrandi licentia, qua adhuc duret, alteri concessa non fuerit*, ideò consurgit dubium, an priuilegium secundo loco impetratum in eadem domo incipiat valere, si cesset primum priuilegium, vel quia moriatur priuilegiatus, vel quia discedat ab illa domo, vel quocunque alio modo. Certum est enim, vt dictum est in superioribus, quod non valeat, durante primo priuilegio, cum sit concessum sub conditione, quod non adsit aliud priuilegium, quod adhuc duret. 1

Et videtur resoluendum, quod non incipiat valere, quia concessio est nulla, cum verificetur conditio, sub qua conceditur. Vnde locum habet regula, quod est nullum ab initio, non conualescit temporis tractu *l. Quod initio. ff. de regul. iur.* ex cap. *Quod sicut de elect.* & cap. *Non firmatur. de reg. iur. in 6.* Cum enim ab initio deficiat causa validitatis nullus potest sequi affectus gratiæ; deficit autem causa validitatis, quia deficit voluntas concedentis, cum sit sub conditione, quod pro eadem domo non adsit aliud priuilegium. 2

Dicendum tamen est, *Quod cessante primo priuilegio incipiat valere secundo loco impetratum pro eadem domo.* Ratio desumitur ex eo, quod priuilegium non consumitur vna vice, sed habet tractum temporis successiuum, & voluntas Pontificis concedentis tanquam causa concessionis se extendit ad totum tempus, in quo duraturum est priuilegium, & intendit ipsum concedere pro toto illo tempore: ergo quando cessat primum priuilegium, incipit valere secundum, quia tollitur impedimentum, quo eius validitas impediebatur, & continuatur causa dans validitatem, nempe voluntas Pontificis cum se extendat, vt dictum est, ad totum tempus, pro quo datur priuilegium, itavt, tunc incipiat priuilegium, tanquam tunc, & non antea concessum iuxta *leg. primam, §. 1. ff. de leg.* 3. ibi. *Quasi nunc datum*, & *l. Eos. ff. de ritu nupt.* & *cap.* 2. *de coniug. seruor.* & iuxta tradita per Glos. *in cap. Non* 3

firmatur. de regul. iur. in 6. Feder. de senis *cons.26.n.3.* Calderin. *cons.2.n.3. de constit.*

4 Confirm. Priuilegium celebrandi in Oratorio priuato habet partes separabiles, quia conceditur pro singulis diebus, nonnullis exceptis: & proinde continet veluti tot partialia priuilegia, quot sunt actus, pro quibus successiuè conceditur eo ferè pacto, quo tot sunt præcepta ieiunandi in Quadragesima, quot sunt ieiunia, atque tot sunt præcepta, quot sunt dies in obligatione Clericorum ad horas Canonicas, & & in aliis similibus: ergo pro parte valere potest, & pro parte non valere sicuti prædictæ leges partim obligare possunt, & partim non obligare, prout reperiunt subiectum capax vel non capax obligationis: ergo cum eius validitas dependeat à conditione, quod non adsit alius in eadẽ domo, qui habeat simile priuilegium, non valebit pro tempore, in quo non adsit conditio requisita; valebit autem pro tempore, quo aderit talis conditio, & subintrat regulæ, quod vtile per inutile non vitiatur, iuxta cap. *A nobis* 2. *de sacram. iteran.* & cap. *Cum super de offic. deleg.* & cap. *Sacris, de sepult.* & cap. *Vtile, de reg. iur. in 6.*

5 Ad rationem dubitandi resp. Quod ab initio est nullum non conualescere pro eo opere, pro quo fuit nullum, itavt ei superueniat validitas. Posse tamen conualescere, hoc est, incipere de nouo esse validum tanquam si de nouo fieret, si concurrant causæ, ex quibu possis de præsenti accipere validitatem. Vnde priuilegium Oratorij priuati pro eo opere, pro quo fuit nullum, non conualescit, quasi de nullo fiat validum, sed semper remanet nullum pro toto illo tempore, in quo non extitit conditio, sub qua concessum fuit. Pro tempore tamen, pro quo adest conditio, non potest dici nullum, sed validum. Et ideò cum concessio priuilegij huiusmodi respiciat latitudinem temporis, in cuius parte adest conditio, sub qua conceditur, & in alia parte non adest ab initio, quando fit pro aliqua parte temporis, pro qua fit, non est valida, & pro aliqua est valida, & consequenter, quod ab initio est nullum semper est tale, & quod ab initio voluit semper valet.

QVÆSTIO 635.

An in Oratorio priuato celebrari possint plures Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Vna tantum Missa singulis diebus celebrari potest in Oratorio priuato.*
   Quod in vno conceditur in alijs habetur pro denegato.
2. *Ex graui causa an possint plures Missæ celebrari in priuato Oratorio.*
3. *Priuilegia non excedunt id, quod verbis expressum est.*
   Ex eo quod familia non audierit Missam, non potest celebrari secunda Missa in Oratorio, sine etiam Dominus.
4. *Habilitas Altaris, vt in ipso celebretur requirit habilitatem loci.*
5. *Quando ex causa necessitatis celebrari potest in priuatis domibus, non sufficit priuilegium Oratorij.*

1 NOn posse celebrari in his Oratoriis plusquam vnam Missam singulis diebus, constat ex illa clausula: *Vnam Missam pro vnoquoque die*, quæ apponitur in litteris priuilegij, vt notant etiam Marchin. *de sacram. Ord. tract.3. part.3. cap.9. n.9.* Quintanaduen. *tom.1. singul. tract.7. singul.33. n.6.* Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.1. cap.4. §.4. n.19.* qui addit esse peccatum mortale celebrare plures Missas, & rectè. Quia idem est ac, si celebraretur extra loca deputata, cum tale Oratorium sit tantum deputatum, ac approbatum pro vna Missa, nec sit concessum, imò prohibitum celebrare plures Missas. Quia concessio taxatiua habet vim prohibitionis illius, quod non cadit sub taxatione. Quod non in vno conceditur in aliis habetur pro denegato, *l. Scire oportet, ff. de tut. & curat.* & Cap. *Cum quidem, de reg. iur. in 6.*

2 Addit Quintanaduen. *num. præcedent. cit.* Posse plures Missas celebrari accedente aliqua graui causa, vt si Dominus familiæ primam Missam audiuisset, aut cum quis mortuus est in domo, vbi est Oratorium, &c. Verum exclusis casibus, & causis in quibus Ordinarius concedere potest licentiam celebrandi, non solum extra loca deputata, sed etiam in priuatis domibus, de quibus dictum est suo loco, existimo non posse plures Missas celebrari in his Oratoriis. Nam de se non solum sunt loca inhabilia pro celebratione Missæ, sed etiam prohibita non solum de iure communi, Cap. *Tabernaculum*, & Cap. *Vnicuique, de consecrat. dist.1.* sed etiam ex Concil. Trid. *sess.22. in Decreto de seruan. & vitand. in celebrat. Miss.* vt ponderatum est in superioribus. Et ideò non plus celebrari potest in ipsis, quàm concedatur, quia limitata concessio relinquit prohibitionem quoad id, quod non est concessum.

3 Confirmatur. Licet in aliquibus casibus, & ex aliqua graui causa possit Episcopus concedere licentiam, vt celebretur in priuatis domibus, non tamen id conceditur in priuilegio priuati Oratorij, sed præcisè conceditur vna Missa in singulos dies nonnullis exceptis: ergo ex vi priuilegij ex nulla causa poterit celebrari Missa vltra concessam, quia priuilegium non potest extendi ad id, quod non concedit; non concedit autem vltra dictam Missam aliquid aliud, vt per se constat. Et proinde attendenda est regula, quod priuilegia non extenduntur vltra ea, quæ verbis expressa sunt, *l. Si non fortem, §. Libertus, ff. de condit. indeb.* & Cap. *Ex tuarum, de auctor. & vsu pal.* & cap. *Cum Capella, de priuil.* & notant communiter Doctores, Franc. *in cap. Nam volent. n.2. de priuil. in 6.* Ias. *in l.1. num.4. ff. de constit. Princ.* Tiraquell. *in l. Si vnquam, verbo* Libertus, *num.45. C. de reuoc. donat.* Rota coram Seraph. *decis.605. num.3.* & *decis.324. num.12. part.1. Recent.* Vnde nullo modo celebrari poterit secunda Missa, ex eo, quod Dominus familiæ non audiuit, cum id non habeatur ex vi priuilegij, neque sit causa sufficiens ad celebrandum in priuata domo.

4 Dices. Quamuis priuilegium concedat vnicam tantum Missam, dum tamen in Oratorio erigitur Altare, remanere habile, vt possint ibi celebrari aliæ Missæ, quia altare de se est habile, vt quisque possit celebrare in ipso. Resp. Licet altare sit habile, vt quisque possit in ipso celebrare stante consecratione; hoc tamen non valet pro quocunque loco, sed solum pro loco deputato ad celebrandũ, nam ad ritè celebrandam Missam non solum requiritur altare, sed etiam locus deputatus, in quo adhiberi possit altare. Priuatæ autem domus, & Oratoria in ipsis sita non sunt loca habilia, imò prohibita, vt in ipsis celebrari possit, & ideò requiritur specialis concessio, & quoad id, quod non venit sub concessione, retinent ordinaria prohibitione à iure. Vnde cum non veniat sub concessione nisi vnica tantum Missa, retineat ista Oratoria prohibitionem quoad alios.

5 Ex dictis infertur. Quod si occurrat aliqua necessitas celebrandi in priuatis domibus iuxta varios casus

sus de quibus suo loco dicitur est non poterit Missa celebrari in virtote priuilegij, de quo agitur quia, vt dictum est, nullo modo se extendit ad hos casus, neque quia adsit Orarorium & Altare erectum, quia hoc non habilitat locum plusquàm sit habilitatum à priuilegio, sed erit necessaria specialis licentia Episcopi iuxta ea, quæ dicta sunt suo loco. Poterit tamen erectio Oratorij facilitare licentiam, quia agitur de celebrando in loco, in quo ex priuilegio solet celebrari, & quia est locus ad hunc effectum approbatus, & pro tempore huic cultui diuino deputatus.

QVÆSTIO 636.

An regulares celebrare possint in Oratoriis priuatis Missas vltra concessam.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegia regularium celebrandi cum Altari Viatico sunt restricta ad certam locum.*
2. *Regulares non possunt in priuatis Oratoriis celebrare vltra tenorem concessionis.*
   Priuilegia regularium de Altari portatili sunt in fauorem ipsorum non autem sæcularium.
3. *In priuilegiis attendenda intentio concedentis.*
4. *Verba priuilegij non concedunt regularibus celebrare in priuatis domibus.*
   Priuilegij verba sunt attendenda.
5. *Priuatis in domibus celebrare est de iure prohibitũ.*
   Priuilegium quomodo interpretandum.
   Priuilegium non derogat iuri communi, nisi sit ipsi contrarium.
6. *Priuilegium non potest trahi ad vsum diuersum.*
   Nec ad alias personas à priuilegiatis.
7. *Priuilegium personale in annexis transit ad alios.*
   Quid requiratur, vt trahatur.

1 NOn defuere recentiores, qui assererent posse, per regulares celebrari plores Missas in priuatis Oratoriis virtute priuilegiorum quatenus saltem possunt celebrare in quocunque decenti loco cum Altari viatico. Vnde dicunt, quod, quamuis per priuilegium Oratorij priuati celebrari possit vnica tamen Missa, ex priuilegio tamen proprio possunt regulares plures celebrare in dictis Oratoriis. Quamuis autem regulares obtinuerint priuilegia diuersa circa vsum Altaris portatilis, de quibus dictum est suo loco, sunt tamen restricta ad monasterium, Grangias, & alia loca suarum habitationum. Illud magis amplum videtur, quod conceditur in cap. *In his de priuil.* nempe vt vbicunque fuerint sine Parochialis iuris præiudicio cũ Altari valeant Viatico celebrare.

2 Sed hæc opinio prorsus reiicienda est, tanquam inducens abusum priuilegiorum, neque dictum priuilegium præbet pro ipsa aliquod fundamentum, priuilegium enim celebrandi cum Altari portatili, vbicunq; fuerint, est concessum in fauorem regularium, & propter ipsorum commodum, vt solum in locis, vbi non habent Ecclesias, non coguntur accedere pro celebrando ad alienas Ecclesias, non autem est concessum in fauorem sæcularium, vt scilicet possint ipsi audire Missam in propria domo, alioquin si hoc esset verum, non indigerent priuilegio summi Pontificis ad audiendam Missam domi, quia possent facere celebrare per regulares virtute priuilegij ipsorum. Vnde constat de abusu priuilegij dum extenditu de persona priuilegiata ad personam non priuilegiatam, quod fieri non potest, vt obseruat Rota. *decis. 271. num. 7. part. 4. recent.*

3 Et præsertim quia non est verisimile fuisse mentem summi Pontificis concedentis huiusmodi priuilegium, quod illo vterentur in domibus priuatis ad effectum, vt sæculares in ipsis Missam audirent, in priuilegiis autem præcipuè attendenda est intentio concedentis cap. *Ex multiplici.* & cap. *Suggestum de decima.* & cap. *Vt priuilegia, de priuil.* & cap. *Tua. de Cler. non resident.* neque censendum est aliquid per ipsa concedi, quod non sit secundum verisimilem mentem concedentis.

Confirmat. Verba priuilegij solum habent, quod vbicunque fuerint, valeant cum Altari Viatico celebrare. Hæc autem verba non important facultatem celebrandi in priuatis domibus, quia optimè verificari possunt de celebratione in propriis habitationibus Religiosorum, vbi morantur. Imò nec possunt aptari celebrationi in priuatis domibus sæcularium, quia non potest dici de regularibus, quod sint, seu morentur in domibus sæcularium priuatis, sed necesse est, quod illuc eant in hunc finem, vt celebrent. Cum ergo verba priuilegij, consideranda, & attendenda sint cap. *Porro. de priuil.* Rot. *decis.* 117. *n.* 9. coram Penia non est dicendum, quod per prædictum priuilegium concedatur posse celebrare in priuatis Oratoriis ob commodum sæcularium. 4

Confirm. 2. Celebratio in priuatis Oratoriis est de iure communi prohibita cap. *Tabernaculam.* & cap. *Vnicuique de consecrat. dist.* 1. Ergo, vt priuilegium deroget iuri communi, debet in specie concedere celebrationem in priuatis Oratoriis. Et nisi in specie id concedat, interpretandũ est, quod quantum potest valere absq; derogatione huius iuris communis, nam eo modo interpretandum est, quo solet interpretari lex ipsa, circa quam ea semper interpretatio adhibetur, vt vitetur iuris communis correctio, aut derogatio *l. Si quando. C. de inoff. testam.* & *l. Præcipimus. C. de appellat.* & *cap. 1. de noui oper. nuntiat.* & cap. *Cum expediat. de elect. in* 6. prædictum autem priuilegium non concedit in specie celebrationem in priuatis Oratoriis, & ideò censendum est, quod non deroget iuri communi illam prohibenti, cum in verbis, nec in sensu sit ipsi contrarium iuxta cap. 1. *de constit. in* 6. & notat Bart. *in l. Nam & posteriores. ff. de legib.* Præsertim quia sortiri potest suum effectum extra priuata Oratoria, & proinde absque derogatione iuris communis. 5

Confirm. 3. Quoad dies, in quibus audienda est Missa ex præcepto Ecclesiæ. Præceptum enim obligat ad audiendam Missam in loco publico, in quo iuxta ritum Ecclesiæ solet celebrari, quia obligat ad exhibendum Deo cultum publicum, qualis in sacrificio exhibetur, & publico modo, atque adeò in loco publico, vnde qui audiunt Missam in priuato Oratorio, non satisfaciunt præcepto, & declarat Pontifex in litteris concessionis priuati Oratorij ibi. *Volumus autem, quod familiares seruitiis tuis non necessarij ibidem Missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesiam diebus festis de præcepto minime liberi censeantur.* Ergo non sufficit priuilegium regularium vt possit quis in priuato Oratorio satisfacere præcepto de audienda Missa, sed debet ipse in specie esse priuilegiatus. Tum quia priuilegium regularium non est pro sæcularibus de satisfaciendo præcepto de audienda Missa, nec potest ad vsum diuersum trahi, vt obseruant Tiraq. *de retract. lign.* §. 1. *gloss.* 14. *num.* 97. Rot. *in Valent. de Cosentayna* 26. *Ianuar.* 1582. coram Seraphino. Nec quod pro facilitanda celebratione Missæ concessum est regularibus, trahi potest ad alias personas, quæ indigent alio priuilegio iuxta cap. *Peruenit.* 7. *q.* 1. & cap. *Sanè de priuilegio* ibi. *Temerarium est, & indignum, aliquem sibi sua auctoritate præsumere, quod Romana Ecclesia alicui certa ratione inspecta, singularibus voluit beneficiis indulgere.* Vbi consideranda sunt verba illa, *Certa ratione inspecta,* 6

Digitized by Google

quæ ratio cum in Regularibus fuerit commoditas celebrandi Missam, cum hæc non militet in sæcularibus, neque etiam ex identitate rationis posset priuilegiũ ad ipsos extendi, si aliàs talis extensio in priuilegiis locum haberet. Et præcipuè cum sit priuilegium concessum personis quod ad alios trahi non potest. *l. Maritum*, & *l. Quia tale. ff. Soluto matrim.* & notant Bart. *in l. Paulus respon. ff. de acquir. hered.* Anchar. *cons.* 110. *num.* 2.

7 Nec dici potest. Quod eo ipso, quod Regulares possunt celebrare vbicunq; in Altari Viatico, possint etiã cæteri audire Missam, cum vnum sit connexum cum alio. Priuilegium autem personalè in annexis transeat ad alterum, vt tradunt Gloss. *in leg. fin. Cod. de muner. & honor. lib.* 10. Ias. *in lib.* 1. *num.* 12. *Cod. de transact.* & *in l. Si emancipat. num.* 9. *Cod. de collat.* Natta *cons.* 1. *num.* 10. *lib.* 1. alios citans. Menoch. *cons.* 136. *num.* 23. Tiraquel. alios allegans *de retract. consang.* §. 26. *glos.* 1. *num.* 34. Quia in primis priuilegium regularium non dat facultatem celebrandi in priuatis domibus sæcularium. Deinde non sumus in connexis, sed in separatis, quando optimè stare potest, quod celebretur Missa, & non audiatur ab iis, qui intersunt, præsertim quando vrget præceptum, cum debeant pro eo adimplendo accedere ad Ecclesiam. Denique tunc solum connexitas infert communionem priuilegij, quando non potest sortiri effectum in principaliter priuilegiato, nisi etiam sortiatur in persona connexa, quod cum in præsenti priuilegio locum non habet, nec etiam locum habet connexitas.

QVÆSTIO 637.

An ratione priuilegij Bullæ Cruciatæ celebrari possint plures Missæ in priuatis Oratoriis.

SVMMARIVM.

1 TEnor concessionis priuilegij Bullæ Cruciatæ talis est, *Concedimus, vt libere possint in priuato Oratorio ad diuinum cultum duntaxat deputato ab Ordinario designando, & visitando etiam in locis interdicto, quauis etiam Apostolica authoritate suppositis, dummodo ipsi causam huiusmodi interdicto non dederint, vel per eos non steterint, quin interdictum huiusmodi amoueatur, ac qui facultatem ad id ab infra scriptis Episcopo & Commissario habuerint etiam per horam, antequam illucescat dies, & per similem horam post meridiem in sua ac familiarium, & domesticorum, & consanguineorum suorum præsentiam Missas, & alia diuina officia per se ipsos, si presbyteri fuerint celebrare, vel per alium, seu alios celebrare facere, & tempore interdicti huiusmodi diuinis interesse.* Vnde dubitatur, an vigore huiusmodi concessionis celebrari possint plures Missæ singulis diebus, an vnica tantum.

Quod autem celebrari possint plures Missæ singulis diebus, tradunt Trullench. *in Bull. Cruc. lib.* 1. §. 3. *dub.* 4. *n.* 12. quamuis concludendum censeat, vt rarissimè priuilegiati vtantur hac facultate ob reuerentiam sacrificij. Quintanaduen. *tom.* 1. *singul. tract.* 7. *singul.* 33. *n.* 6. Bard. *in Bullam Cruc. part.* 2. *tractat.* 2. *sect.* 2. *num.* 24. Men. *in eandem Bull. Cruc. disputat.* 16. *cap.* 2. *n.* 9. Tambur. *opus. de sacrific. Miss. lib.* 1. *c.* 4. §. 4. *n.* 37. Fundamentum est. Quia, licet ex vi priuilegij de celebrando in priuato Oratorio celebrari possit vnica tamen Missa in singulos dies, id tamen prouenit, quia priuilegium conceditur cum hac limitatione. Priuilegium autem Bullæ Cruciatæ conceditur absq; tali limitatione. Confirm. Quia Decretum Pauli V. de celebranda vnica tamen Missa ab habentibus priuilegium, & aliæ limitationes in ipso oppositæ, habent tamen locum in priuilegio, quod conceditur pro vsu priuati Oratorij à Pontifice: non autem in priuilegio Bullæ Cruciatæ. Confirm. 2. Bulla Cruciatæ est concessa post promulgationem dicti decreti cum facultate data commissario suspendendi quæcunque contraria gratiis in ipsa concessis. 2

Verum. Si accipienda esset huiusmodi facultas absque vlla limitatione sequeretur, quod toto manè ab hora ante solis ortum vsque ad horam post meridiem celebrari possent continuò plures Missæ, & etiam plures simul, præsertim cum non sit maior ratio de duabus, quàm de tribus, vnde nulla esset differentia inter huiusmodi priuata Oratoria, & publicas Ecclesias, & ideò existimo, quod priuilegium non concedat nisi vnicam Missam in singulos dies, ita vt sensus sit quod possit in singulis huiusmodi Oratoriis singulæ Missæ quotidie celebrari. Hoc videtur desumi ex cap. *Vt priuilegia de priuileg.* vbi cum quibusdam Regularibus fuisset concessum, vt quando aduenirent in aliquem locum suppositum interdicto aperirentur Ecclesiæ, & expulsis excommunicatis diuina ibi officia celebrarentur. Et regulares per interpretarentur priuilegium, vt valeret pro singulis Ecclesiis singulorum locorum, quando ab ipsis visitarentur, reprobat Pontifex hanc interpretationem tanquam tendentem ad abusum priuilegij, & declarat, quod licèt pluraliter dictum sit, quod in eorum aduentu Ecclesiæ aperiantur, non tamen ad Ecclesias eiusdem loci diuisim, sed prædictorum locorum coniunctim sano referendum est intellectu, ne si hoc modo singulas eiusdem loci visitarent Ecclesias, nimium vilipendi contingeret sententiam interdicti. Hoc autem modo videtur interpretandum hoc priuilegium Cruciatæ, ita vt, dum concedit celebrari Missas in priuato Oratorio, accipiendum sit de singulis Missis in singulis diebus. 3

Et quod hic sit legitimus sensus priuilegij ex eo colligitur, quod ex dict. cap. *Vt priuilegia reiicienda*, est illa interpretatio priuilegij tanquam deducens ad abusum, ex qua sequitur absurdum, & relaxatur disciplina Ecclesiastica, quia huiusmodi interpretatio est contra mentem concedentis priuilegium, qui nec abusus intendit, nec relaxare disciplinam si autem interpreteretur priuilegium Cruciatæ de pluribus Missis, cum non sit maior ratio de duabus quam de quocunque numero, sequeretur absurdum quia est contra reuerentiam debitam sacrificio, cuius intuitu sublata est facultas Episcopis concedendi huiusmodi Oratoria & relaxar disciplinam circa celebrationem Missarum, & ideò reiicienda est, & alia amplectenda. 4

Confirm. Omnis dispositio, & concessio intelligitur

Digitized by Google

tur de vnica vice, iuxta *l. Bouet. §. Hoc sermone. ff. de verb. signif.* vbi latè Tiraquel. & præsertim quando causa concessionis restringitur ad vnicum actum, sicut restringitur in præsenti materia, quia causa concessionis est, vt priuilegiatus possit domi audire Missam, pro qua sufficit vnica celebratio; & quando adest causa, ob quam de vnico actu, & non de pluribus debeat accipi, vt in præsenti, quia vnica celebratio non videtur derogare reuerentiæ sacrificij, sicuti derogaret multiplex; & quia sacrificium, cum sit publicum, non debet eo modo offerri in priuatis domibus, sicut offertur in Ecclesia: ergo etiam huiusmodi priuilegium debet accipi pro vnica vice in singulos dies.

6 Confirm. 2. Priuilegium Cruciatæ concedit sub alternatiua, seu disiunctiuè, vt priuilegiati possint vel per seipsus celebrare in priuato Oratorio, si sint Sacerdotes, vel per alios, si non sint Sacerdotes: ergo cum altera pars alternatiuæ tantum possit habere locum iuxta electionem priuilegiati, si eligat per seipsum celebrare, erit ipsi concessa vnica tantum Missa cum non possit plures eodem die celebrare: ergo in altera parte alternatiuæ erit tantum concessa per alios vnica celebratio, dictio enim alternatiua vel ponitur inter æqualia, & idem importantia, *l. 1. ff. de reb. dub.* & notant Euerard. *in topic. iur. loco ab alternatiua.* Grat. *consil.43. num.17.* & *consil.104. num. 8. vol. 1.* Roman. *consil. 43. num.1.* Cassan. *ad consuetud. Burgund. rub. 4. §.23.* ver. *Ou promis, n.1.* Rota *decis.229. num. 25. part. 7. Recent.* & accedit, quod causa secundum quam regulari debet priuilegium est eadem, siue eligatur vna pars alternatiuæ, siue altera. Et ideò, si causa non plus exigit, quàm quod conceditur in vna parte alternatiua, nequaquam etiam concedetur, cum concessio sit secundum exigentiam causæ.

7 An autem ratione consuetudinis, quæ ita interpretata sit priuilegium, liceat celebrare eadem die plures Missas videtur affirmatiuè resoluendum, quia priuilegium recipit interpretationem à consuetudine, Cap. *Quod dilecto, de consang. & affinit.* & notant Alexand. *consil.9. num.1. lib.5.* Rota *decis.29. num.2. part.3. Recent.* Præsertim, quia magis attenditur interpretatio ex subsequuta obseruantia, quàm quælibet alia, licet magis vera, & magis tuti confirmis sit, vt tradunt Honded. *consil.92. num.30. lib.1.* Beltram. *ad decis. Ludouis. 184. num.8.* Rota *decis.574. num.3. part.1. diuers.* & *decis. 608. num.6. part.2. Recent.* & coram Buratto *decis.944. num. 6.* & coram Eminentiss. Otthobono *decis.165. num.20.* & *in Barchinonensi Canonicatus 15. Decemb. 1645. §. Nec prædicta,* coram Rojas.

8 Vt tamen hæc obseruantia vim habeat ita interpretandi priuilegium, oportet quod sit vniformis, quia licet ad interpretationem sufficiat, quod ita pluries fuerit obseruatum, vt tradunt Crauet. *consil.118. num.2.* Corn. *consil.188. num.10. lib.4.* Rota coram Caualerio *decis.80. num. 5.* & coram Butat. *decis.619. num. 9.* & coram Eminentiss. Otthobono *decis.161. num.12.* attamen si aliqui ita obseruassent, aliqui verò obseruassent oppositum, quia putassent, quod priuilegium ad id non pertingat non iuuaret obseruantia, quia tanquam difformis non esset attendenda, vt notant Dec. *consil.215. num.2.* ver. *Secundò probatur.* Crauet. *consil. 313. num. 4.* Batt. *in l.2. num.22. ff. Solut. matrim.* Alexand. *consil.5. num.7. lib.5.* Rolan. *consil.13. num.2. lib.4.* Corn. *consil.296. num.6.* ver. *Et licet, lib.4.* Rota *decis.19. part.2. diuers.* & *decis.366. num.3. part.4.* & *decis.365. num.2. par.2. Recent.* & *decis.455. num. 9. in fin. part. 4.* & *in Lunen. Sarsanen. Capellania 1. Martij 1602.* coram Sacrato, & *decis.99. num.6.* coram Merlin. & ideò standum esset dispositioni communi, & solitæ formæ concessionis huius priuilegij iuxta ea, quæ tradunt Bart. *in l. 1. num.2. ff. Sol. matrim.* Alexand. *consil. cit.* Crauet. *consil.861. num.5.* Rota *decis.438. num.2. part.1. diuers.* & *decis. 19. num.3. part.2.* & coram Merlino *decis.532. num.22.*

Ad fundamentum autem in oppositum. Priuilegium Cruciatæ circa celebrationem in Oratorio priuato esse limitatam ad vnicam Missam, quia quamuis non ponatur expresse hæc limitatio in ipso, inest tamen ex natura rei. Tum quia huiusmodi priuilegia conceduntur cum tali limitatione, quando certis personis conceduntur, quamuis sint gradu, nobilitate, & dignitate spectabiles: vnde ex his priuilegiis debet sumere interpretationem priuilegij Bullæ Cruciatæ. Secundò, quia priuilegia sumunt interpretationem, & mensuram ex causa, ob quam conceduntur, itavt tantum censeatur concessum, quantum exigit causa; causa autem non exigit plusquam vnicam Missam cum hæc sufficiat, vt domi audiri possit. Tertiò, quia hæc limitatio sumitur ex verbis eiusdem priuilegij, vt ponderandum est *num. 6.* 9

QVÆSTIO 638.

An per Bullam Cruciatæ concedatur facultas Oratorij priuati.

SVMMARIVM.

1. *Per Bullam Cruciatæ concedi priuatum Oratorium qui sentiant.*
2. *Non conceditur.*
3. *Absurdum sequens ex concessione.*
4. *Priuatum Oratorium à Commissario Cruciatæ poterat olim concedi.*
5. *Post Concil. Trident. non potuit concedere.*
6. *Per Concil. Trident. sublata est facultas vnicuique concedendi Oratoria.*
7. *Dictio, Solus excludit omnes alios.*
8. *Innouatio Cruciatæ fit in terminis habilibus.*
Confirmatio non restituit reuocata absque speciali mentione.
Priuatum Oratorium approbandum ab Ordinario loci.

QVod per Bullam Cruciatæ concedatur facultas Oratorij priuati, tradiderunt nonnulli, quorum suppresso nomine meminit Trullench. *infrà cit.* & hoc ipsum sentire videntur Rodriquez *in Bull. Cruciata, §.5. n.4.* & in *addit. ad §5. n. 1.* Ludouic. à Cruce item *in Bull. Cruciata, disput.1. cap.5. dub.1. num.1.* & Alphons. Perez *in lib. trium. Gratiar. fol.59.* habet. Quod Commissarius Generalis Bullæ Cruciatæ habet facultatem concedendi licentiam celebraodi in priuato Oratorio visitando prius per Ordinarium. Fundatur in illis verbis Bullæ: *Concedimus, vt liberè possint in priuato Oratorio ad diuinum cultum duntaxat deputato ab Ordinario designando, & visitando, Missas, & alia diuina officia, &c.* vbi notandum est, quod non dicit designato, & visitato, sed designando, & visitando, quæ verba important actum de futuro, & proinde ordinatum ad celebrationem quæ ibi conceditur. Si enim vellet Pontifex, quod supposita existentia Oratorij priuati approbari posset in ipso celebrari, dixisset in Oratorio aliàs designato, & visitato, non autem designando. Et confirm. Quia Oratorij designatio, & approbatio est accessoria facultati celebrandi. Si ergo Pontifex concedit in Bulla facultatem celebrandi in priuato 1

 Oratorio

Oratorio concedet etiam accessorium nempe deputationem Oratorij.

2 Verum quod in Bulla non concedatur hæc facultas tenent expresè Trullench *lib. 1. in Bull. Cruciata, §. 1. dub. 4. num. 7.* Quintanaduen. *tom. 1. singul. tract. 7. singul. 33. num. 5. & 7.* Mendus *in Bull. Cruciat. disput. 16. cap. 1. num. 8.* qui volunt, quod facultas celebrandi in Oratorio priuato supponat Oratorium iam concessum & approbatum. Fundamentum est, quia est omninò verisimile, quod Pontifices concedant tale priuilegium habentibus Bullam Cruciatæ, quia innumeri plebei, & abiectæ conditionis fruerentur priuilegio Oratorij priuati.

3 Et quidem est prorsus incredibile, quod Pontifices concesserint huiusmodi priuilegium, quia hoc non fuisset concedere priuilegium, sed maximum inducere abusum circa celebrationem Missæ, nec vsi fuissent sua potestate in ædificationem, sed in destructionem. Præsertim, quia cum priuilegium concedat audire Missam in huiusmodi Oratoriis, & sacramenta recipere præterquam in die Paschatis familiaribus, domesticis, & consanguineis priuilegiatis, nullus esset qui non posset audire Missam in his Oratoriis, & proinde remanerent desertæ Ecclesiæ, & cultus publicus destrueretur cum maximo scandalo fidelium, & proinde existimo nunquam Pontifices intendisse concedere tale priuilegium.

4 Quia tamen per citata verba Bullæ videntur talem facultatem concedere, ideò existimo, quod talis facultas ante decretum, & declarationem, de quibus infra, potuerit ab Episcopo, & Commissario generali Bullæ Cruciatæ concedi cum defectu tamen personarum, vt solet modo à Sede Apostolica concedi iuxta instructionem communicatam. Quod satis declarant illa verba Bullæ, *Ac qui facultatem ad id ab Episcopo, & Commissario habuerint*; verba enim illa, *Ad id*, referuntur ad celebrare, seu facere celebrare Missas, & alia diuina officia. Et consonant id, quod sonant Alphonsus Perea *lib. trium. gratiar. fol. 19.* Trullench *in Bull. Cruciata, lib. 2. §. 5. num. 7.* Mend. *in eandem Bull. disput. 37. cap. 15. num. 106.* Quod scilicet Commissarius generalis Bullæ Cruciatæ facultatem habeat concedendi Oratoria priuata in Ordine ad celebrationem Missæ, quod pluribus comprobat Mendos *cit. cap.*

5 Verum post Concil. Trident. *in Decret. de seruan. & vitand. in celebrat. Miss. sess. 22.* cessasse hanc facultatem existimo. Nam ita declarauit S. Congreg. Concil. Trident. iussu Summi Pontificis Pauli V. in his Circularibus ad omnes Episcopos, *sub die 10. Martij* 1615. vt constat ex illis verbis, *Quod sanè teterrimum exemplum, vt de Christiana Republica euellant RR. PP. Amplitudini tuæ, cæterisque Archiepiscopis, atque Episcopis vniuersis sanctiss. Dominis nostris iussu significandum duxerunt, facultatem huiusmodi licentias dandi ipsius Concilij Decreto vnicuique ademptum esse solique Beatiss. Romano Pontifici esse reseruatam. Proindéque amplitudini tuæ abstinendum esse ab illis, vtcumque tribuendis, ac si quas hactenus, vel à tuis antecessoribus, aut aliàs quoquomodo, quàm ab ipso Sum. Pontifice concessas repereris nullas, atque irritas esse, quamprimum decernas, atque enixè curandum, ne vlla illarum ratio imposterum habeatur.*

Nec responderi potest. Quod Decretum prædi-
6 ctum non procedat de Oratoriis, & celebratione in ipsis ex vi priuilegij Bullæ Cruciatæ, quia dum talis facultas conceditur à Commissario Bullæ facultate illi concessa à Summo Pontifice censetur concessa ab ipso Summo Pontifice. Nam Decretum procedit vniuersaliter de omnibus; quibus vult per Concil. Trident. ademptam esse facultatem concedendi tales licentias, atque adeò etiam Commissario Bullæ, vt declarat dictio *Vnicuique*, quæ vniuersalis est, & non recipit restrictionem, vt inter alios notant Alexand. *consil. 118. num. 5.* vet. *Et tanto magis, lib. 5.* Tusch. *littera D. concl. 397. num. 21. tom. 2.*

Et quia subdit soli Romano Pontifici talem fa- 7
cultatem esse reseruatam. Dictio autem, *Soli*, ita attribuit hanc facultatem Summo Pontifici, vt omnes alios excludat, vt notant Castrens. *in l. fin. Cod. de legib.* Dec. *in l. 1. num. 5. C. de bonor. possess. contra tab.* Rota coram Seraphino *decis. 820. num. 6. & decis. 449. numero nono, part. 1. Recent. & decis. 426. numero 5. part. 2.* & proinde excluduntur etiam ij, qui facultate concessa à Summo Pontifice id concedebant.

Nec item occurri potest, quod post Concil. Trid. 8
& Decretum Congregationis iussu Pauli V. sit pluries per plures Summos Pontifices confirmata, & innouata dicta Bulla. Nam confirmatio, & innouatio intelligitur in terminis habilibus, & proinde quoad ea, quæ, quando fit confirmatio, & innouatio erant in vigore; non quoad ea, quæ erant reuocata, nisi de ipsis fiat specialis mentio, vt obseruant Glos. *in l. Si quis priore, verbo* Specialiter, *ff. Ad Treb.* Bart. *ibid. n. 3.* Ias. *in l. Doli, n. 3. ff. de verbor. obligat.* Ancharan. *cons. 180. n. 6.* Rolan. *consil. 99. n. 8. vol. 2.* Rota coram Mohed. *decis. n. 2. de concess. praben. & decis. 765. n. 3.* coram Penia.

Circa autem approbationem Oratorij ab Ordina- 9
rio faciendam, obiter notandum est contra Ludouic. à Cruce *in Bul. Cruciata, disp. 1. cap. 5. dub. 1. num. 4.* Trullench. *in Bul. Cruc. lib. 1. §. 1. dub. 5. n. 7. in fin.* Garcian. *in sum. tract. 3. difficul. 8. dub. 2. pun. 3. n. 24.* Quintanaduen. *tom. 1. singul. tract. 7. sing. 32. n. 2.* qui volunt sufficere approbatione cuiuscunque Ordinarij sicuti sufficit approbatio cuiuscunque Ordinarij, vt confessarius virtute Iubilei eligi possit. Requiri approbationem Ordinarij loci, vt notant etiam Mendus *in Bull. Cruciata, disp. 16. cap. 1. n. 7.* Bard. *in Bull. Cruciata, part. 2. tract. 2. cap. 2. sect. 2. num. 6.* Ista enim approbatio Oratorij est actus iurisdictionis; & proinde non potest exerceri ab eo, qui habet iurisdictionem in loco. Et sicuti Confessarius vt possit eligi virtute Iubilei debet esse approbatus ab eo, qui circa ipsum potest in approbando exercere iurisdictionem; ita etiam Oratorium, vt possit approbari, debet esse sub iurisdictione Ordinarij. Nec obstat, quod dictum est de electione Confessarij, quia cum detur facultas eligendi approbatum, sufficit, si quocunque modo ei insit qualitas approbationis ab Ordinario. In Bulla autem non datur facultas eligendi Ordinarium, qui approbet, sed celebrandi in Oratorio approbato: vnde intelligitur de approbatione, prout de iure.

QVÆSTIO 639.

Quinam dies excipiantur, in quibus celebrari non potest in priuato Oratorio.

SVMMARIVM.

1. *Certis diebus in priuato Oratorio celebrari non potest.*
2. *Primus tantum dies Paschatis, & Pentecostes excipitur.*
3. *Quinam sint dies solemniores excepti in concessione priuati Oratorij,* & num. seq.
5. *Difficultas circa dies solemniores.*
   Qua ratio fuerit contemplata in assignatione festorum solemniorum.

6. Dies

6. *Dies festi solemniores possunt declarari ab Ordinario.*

7. *Patroni principales ciuitatis comprehenduntur sub festis solemnioribus exceptis in priuilegio Oratorij.*

8. *Ratio exceptionis festorum solemniorum non militat quoad Patronos ciuitatis.*

9. *Feria V. & Sabbati maioris hebdomadæ non continentur sub festis solemnioribus exceptis in priuilegio Oratorij priuati.*

1 EX litteris concessionis priuati Oratorij partim constat quinam dies excipiantur, & partim remanet sub dubio ex illa clausula, *Ac Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, necnon alijs solemnioribus anni festis diebus exceptis*. Remanet ergo dubium, an Pascha comprehendat omnes tres dies festos: & quinam sint hi solemniores dies festi, dum in specie non exprimuntur.

2 Quod spectat ad Pascha Resurrectionis, & Pentecosten intelligi tantum primum diem, tradunt Quintanaduen. *tom.1. singul. tract.7. singul.33. num.2.* Nald. *in sum. verbo* Interdictum, *num.* 8. Garzia *in sum. tract.3. difficult.8. dub.2. punct.2. num.17.* Lezana *in sum. verbo* Oratorium, *num.3.* Pellizar. *tom.1. Manual. Regul. tract.8. cap.2. sect.2. num.*148. Tamburin. *Opuscul. de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 4. §. 4. num.27.* ver. *Aduerte.* Et obseruantia ita interpretata est exceptionem, nam in secundo, & tertio die Paschatis, & Pentecostes regulariter vtuntur priuilegio priuati Oratorij, & qui non vtuntur non omittunt, quia putent non licere, sed ex libera electione. Vnde obseruantia est vniformis, & ideo inducit legitimam interpretationem. Et habet fundamentum in eo, quod aliqui docent, quod relaxatio interdicti in his festis se extendat solum ad primum diem.

3 Quod spectat ad alteram partem difficultatis, per solemniores dies festos intelligi eos in quibus indicet, sustineri, aut continuari non potest interdictum: censuerunt nonnolli, quorum suppresso nomine meminit Quintanaduen. *num. sequent. citand.* Quod tamen ipse non approbat, & quidem rectè, quia non adest fundamentum æquiparandi hos dies exceptos cum illis; qui non tam excipiuntur ratione solemnitatis, quam vt aliquoties in consolationem fidelium suspendatur effectus interdicti.

4 Per hos ergo alios solemniores dies festos intelligi Epiphaniam, Annunciationem, & Assumptionem B. Virginis, festum Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum S. Rituum Congregat. declarasse *die* 17. *Nouembris* 1607. testatur Gauant. *in Rubric. Miss. part.* 1. *tit.* 20. ver. *Sciendum quoque est*, & sequuntur Quintanaduen. *tom.* 1. *singul.* 33. *num.* 2. Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.1. cap.4. §.4. num.27.* Bard. *in Bull. Cruc. part.2. tract.2. cap.6. sect.* 2. *num.* 17. Barbos. *de iure Eccles. lib.2. cap.8. num.6.* & cæteri *suprà cit.* Et hæc declaratio, quamuis non sit in forma authentica, præbet tamen sufficiens fundamentum, vt possimus eam sequi tanquam relatam à viro in his rebus perito.

5 Et quamuis, vltra quod non est in forma authentica, adsit etiam difficultas, quod relinquit dies festos magis solemnes, & explicat minus solemnes. Nam explicat festum Annuntiationis B. Virginis, quod secundum Rubricas est secundæ Classis, & absque octaua, & relinquit Ascensionem Domini; festum Corporis Christi, Natiuitatem sancti Ioannis Baptistæ, Patronum præcipuum Ciuitatis, quæ secundum Rubricas sunt primæ classis, & celebrantur cum octaua. Attamen in his festis assignandis, non est habita ratio tam solemnitatis quoad ritum, quàm solemnitatis, quam fideles tenentur ostendere ratione commemorationis beneficij, quod perceperunt, & ratione cuius mediante cultu tenentur se ostendere gratos erga Deum; & proinde tenentur publicè conuenire ad sacrificium, quod Deo offertur. Commemorantur autem in dict. festis specialissima beneficia. Nam in Annunciatione commemoratur initium redemptionis, in festo SS. Apostolorum Petri & Pauli, promulgatio Euangelij, quæ per ipsos præcipuè introducta est, & proprio sanguine confirmata. Atque fundatio Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum Capitis. In festo omnium Sanctorum recoluntur omnia beneficia, quæ nobis ex omnium SS. intercessione proueniunt. In festo Assumptionis B.V. commemoratur beneficium aduocationis quam cœpit in cœlo interponere pro nobis apud Deum. Vnde licet alia festa sint maiora quoad ritum, non sunt tamen maiora, quoad commemorationem beneficij.

Verum quia prædicta declaratio, cum non sit 6
in forma authentica, non cogit, vt ipsam sequamur, ideò dubitatur, quid faciendum, si non admittatur. Resp. Tunc spectare ad Ordinarium declarare, quinam sint isti dies festi solemniores, quia sicuti ipsi committitur visitatio, & approbatio Oratorij, ita etiam videtur commissa declaratio horum festorum, & ideò siue sequi velint dict. declarationem S. Congregat. siue non, dum approbant Oratoria, deberent in scriptis declarare hos festos dies vt relinquerent Regulam priuilegiatis, quam sequantur.

An autem Patroni principales ciuitatum compre- 7
hendantur sub his festis solemnioribus, affirmat Bardus *in Bullam Cruciata, part.2. tract.2. cap.6. sect.2. num.*17. Gauant. autem *in Rubrica Miss. part.1. cap.5.* ver. *Sciendum quoque*, ait quod Ordinarij optarent, vt adderetur etiam Patronus ciuitatis, & quod priuilegiati deberent addere absque alio Decreto. Tamburin. autem *Opuscul. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.* 27. absoluè docet non esse addendos ex obligatione; & quidem quod spectat ad obligationem, ex nullo capite colligitur, & praxis est in contrarium. Imò pluribus in locis non est festum de præcepto: Vnde cum non adsit præceptum de audienda Missa, multò minus potest esse obligatio audiendi in Ecclesia.

Sed neque etiam adest talis conuenientia, vt ex- 8
cipi debeat sicut excipiuntur alij dies festi. Nam vbi non est festum de præcepto, constat quod non habet locum exceptio, quia fit, vt omnes in diebus exceptis teneantur conuenire ad Ecclesiam pro audienda Missa. Vbi verò est de præcepto non militat illa ratio, ob quam excipiuntur dies festi prædicti, ideò enim excipiuntur, vt omnes in ipsis exhibeant Deo publico modo sacrificij cultum, & ideò electi sunt tales dies quia sunt festi vniuersali Ecclesiæ, & in quibus Ecclesia recolit specialia beneficia vniuersalia, vt dictum est *suprà*, quæ omnia cessant in festis Patronorum quantumuis principalium.

Ex dictis infertur, quid dicendum de feria V. & 9
sabbato maioris hebdomadæ, cum non excipiantur dies festi, solemniores, hi dies non videntur excepti, siquidem non sunt dies festi: præsertim quando neque recensentur inter solemniores in præfata declarat. S. Congregat. Et quamuis alicubi saltem pro mane sint seruandi tanquam festiui ex dispositione Ordinarij: non tamen ex dispositione Romanæ Ecclesiæ, de quibus solis loquitur Pontifex in litteris concessionis Oratorij priuati quoad celebrationem. Vnde quæ dicta sunt de celebratione Missæ in dd. diebus habent locum etiam quoad Oratoria priuata,

QVÆSTIO

QVÆSTIO 640.

An ratione alicuius priuilegij celebrari possit in priuatis Oratorijs in festis exceptis.

SVMMARIVM.

1. *Festis exceptis celebrari posse in priuatis Oratoriis Cruciatæ, qui sentiant.*
2. *Oppositum est tenendum.*
Aliqui dies ex natura rei excepti pro celebratione in priuato Oratorio.
3. *Commissarius Bullæ in concessione priuati Oratorij excipere debuit aliquot dies.*
4. *Stylus Curiæ declarat mentem Principis.*
5. *Oratorium debet concedi ab inferioribus secundum stylum Curiæ.*
Verisimilis responsio disponentis habetur pro expressa.
6. *Mandatarius non potest facere contra mentem mandantis.*
7. *Contra prohibitionem Episcopi non potest quis solemnioribus diebus facere celebrare in Oratorio.*
8. *Bulla Cruciata concedit celebrationem solum in proprio Oratorio priuilegiato.*

1 QVod in festis exceptis celebrari possit Missa virtute Bullæ Cruciatæ, tradunt Rodriquez *in Bull. Cruciat.* §.5. *num.*4. & *in addit. ad* §.1. *num.*1. Quintanaduen. *tom.*1. *singul. tract.*7. *singul.*33. *num.*5. Trullench. *lib.*1. *in Bull. Cruc.* §.1. *dub.*5. *num.* 12. Bard. *in eandem Bull. part.*2. *tract.*2. *cap.*6. *sect.* 2. *num.* 19. Ludouic. à Cruce *item in eandem Bullam, disputat.*1. *cap.*5. *dub.*1. *num.* 3. Mendus *ibid. disput.* 16. *cap.* 2. *num.*9. addens, quod hoc non potest limitari à Prælato inferiori, cum sit priuilegium Sum. Pontif. Fundamentum est. Quia in priuilegio Bull. Cruc. non ponuntur illæ limitationes, quæ ponuntur in specialibus concessionibus Oratoriorum; vnde cum non excipiantur aliqui dies supposita approbatione Oratorij, poterit ibi in omnibus celebrari.

2 Tenendum tamen est. *Quod virtute Bullæ Cruciatæ non possit celebrari in priuatis Oratorijs diebus festis exceptis.* Ratio est. Quia licet isti dies non excipiantur in priuilegio Bullæ, remanent tamen ex natura rei aliqui dies excepti ex iis, in quibus tenetur quisque audire Missam: ergo cum declaratum sit in concessionibus specialibus, quod sint Pascha, Pentecostes, & Natalis dies Domini, & alij solemniores dies, debet priuilegium Cruciatæ regulari secundum hanc declarationem; cum sit declaratio authentica, de festis exceptis. Quod autem aliqui dies ex natura rei excipiantur ex eo desumitur, quod tenetur quisque iure diuino naturali profiteri publicè fidem Christianam Catholicam, & consequenter etiam illum cultum erga Deum, qui est secundum eandem fidem, qui præcipuè consistit in oblatione sacrificij, quod cum sit cultus publicus, & exigat publico modo exhiberi, obligat etiam vnumquemque ad ipsum publico modo exhibendum; & quia non sunt determinatæ vices, quibus talis cultus exhibendus sit Ecclesia determinauit, vt exhiberetur omnibus diebus festis de præcepto. Quando ergo conceditur facultas celebrandi in Oratorio priuato relaxatur præceptum Ecclesiæ de publico modo exhibendi Deo cultum sacrificij; non relaxatur tamen, quatenus est de iure naturali diuino; & ideò stante quocunque priuilegio de Oratorio priuato, remanet obligatio exbibendi aliquibus vicibus publico modo talem cultum. Quæ quidem vices reducuntur ad dies festos exceptos iuxta declarationem Summorum Pontificum.

Confir. In Bulla Cruciatæ non conceditur absolutè, omnibus facultas absolutæ celebrationis in priuato Oratorio, sed iis, qui obtinuerint licentiam à Commissario Cruciatæ, vt declarant illa verba, *Qui facultatem ad id ab infradictis Episcopis, & Commissario habuerint.* Ergo non potest dici, quod licentia sit absolutè concessa, & absque limitatione, cum sit concedenda à Commissario; qui proinde poterit declarare limitationes, quas vel ipse in instructione habuerit, vel iudicauerit apponendas. Imò eò ipso, quod quando talis licentia conceditur immediatè à Pontifice, solent excipi prædicti dies festi, à fortiori debent censeri excepti, etiam quando auctoritate ipsius ab aliis conceditur, cum nullo modo sit verisimile, quod Pontifex velit, quoad hoc concedi ab inferioribus priuilegium magis amplum, quàm concedatur ab ipso; præsertim cum ipse concedat personæ singulari, & Commissarius habeat facultatem concedendi indifferenter omnibus quibus iudicabit expedire, quod concedatur. 3

Confir. 2. Priuilegia non sunt extendenda vltra mentem concedentis, cum tota illorum validitas dependeat à voluntate concedentis, itavt non plus habeatur pro concesso, quam voluerit concedi. Dum autem, quando conceditur celebratio in priuatis Oratoriis, de stylo Curiæ excipiantur dd. dies festi, declaratur mens Summorum Pontificum, quod nolint in priuatis Oratoriis celebrari dictis festis, siquidem stylus consuetus declarat mentem Principis, vt obseruat Lappus *allegat.*89. *num.*6. Decius *in cap. Super litteris, num.* 32. ver. *Quæ autem sint. de rescrip.* Cassiodor. *decis.*12. *num.*14. *de præbend.* Beltram. *in addit. ad decis.* 150. *num.* 10. Ludouis. Rota coram Coccino *decis.* 150. *num.* 10. & coram Merlino *decis.*701. *num.* 3. 4

Neque subsistit fundamentum oppositæ sententiæ, quia licet priuilegium non limitet expresse facultatem excludendo aliquos dies festos, inest tamen tacitè, & ex natura rei limitatio; cum enim priuilegium non concedat licentiam absolutè celebrandi in priuato Oratorio, sed tantum obtenta quoad hoc licentia à Commissario Cruciatæ, supponit, quod sit concedenda, provt de stylo Curiæ solet concedi, & secundum illam formam, quam exigit subiecta materia. Et cum stylus declaret mentem Pontificis, vt *num. præced.* dicebatur, iam constat, quod mens Pontificis sit, quod in priuatis Oratoriis non celebretur dictis diebus. Vnde si interrogaretur omninò verisimile est, & indubitatum, quod responderet, se non intendere, quod in diebus exceptis virtute Bullæ Cruciatæ celebretur in priuatis Oratoriis, & proinde id habetur pro expresso iuxta ea, quæ tradunt Gloss. *in l. Tale pactum*, §. *fin. ff. de pact.* vbi etiam DD. Bald. *in l.*1. *num.* 2. *C. Quæ res oblig. poss.* Socin. ion. *consil.*78. *num.*31. *vol.* 3. Gabr. *conclus.*10. *lib.*2. *de regul. iur.* Ias. *in l.*3. *C. de liber. præter.* Salicet. *in l.*1. *C. Quæ res pignor.* Tiber. Decian. *resp.*44. *num.*79. *volum.* 3. 5

Ex dictis colligitur. Quod cum Commissarius Bullæ Cruciatæ sit exequutor gratiæ celebrandi in Oratorio priuato, non potest talem licentiam concedere, nisi cum limitationibus quas scit esse de mente Pontificis, & proinde, si concedat absque exceptione dictum, quos Pontifex excipit, nulla erit concessio, quoad tales dies, quia semper subintelligentur excepti, cum non possit facere contra mentem Summi Pontificis, cuius mandatum exequitur iuxta ea, quæ tradunt Bald. *in l. Vnum ex familia,* 6

§. Si

§. *Si duas, n. 4. ff. de legat.* 2. Ioan. à Cruce *de exequut. vlt. volunt. part.* 1 *q.* 1. *n.* 3. Capra *de exequut. vlt. volunt. in princip. n.* 7. Ladetch. *consil.* 171. *n.* 1. Simon de Pretis *de interpret. vlt. volunt. lib.* 5. *dispntat.* 2. *num.* 40. Rota coram Ludouis. *decis.* 179. *num.* 2.

7 Secundò colligitur non subsistere, quod ex mente Rodriquez, & aliorum tradit Bard. *in Bullam Cruciat. part.* 2. *tractat.* 2. *cap.* 6. *sect.* 2. *numero* 19. ver. *Dico tertio.* Quod si Episcopus prohibeat, ne aliquis celebret, vel audiat Missam in Oratorio priuato diebus solemniotibus, non obstante tali prohibitione possit celebrare, aut facere celebrare seclusio contemptu, quia non possit priuilegium restringi ab Episcopo. Nam cum talis facultas quoad solemniores dies non sit expressa, quæ tamen tanquam speciali nota digna debuisset exprimi, potest Episcopus prætendere rationabiliter, quod non sit concessa, præsertim quia iuxta regulam iuris in generali concessione non veniunt, quæ quis in specie non esset verisimiliter concessurus; & quia, vt constat ex dictis, adsunt plura motiua ad iudicandum, quod non sit concessa. Vnde potest vti facultate sibi tradita, per Concil. Trident. *sess.* 22. *in Decreto de seruand. & vitand. in celebrat. Missar.* & exequi illius dispositionem prohibendo celebrationem pro dictis diebus. Nam de prohibitione constat, de concessione autem celebrandi pro dictis diebus non constat.

8 Tertiò colligitur reiiciendam esse opinionem Bardi, quam tradit *loco num. præcedent. cit.* vet. *Dico quarto.* quod scilicet facultas concessa per Bullam Cruciatæ, locum habeat etiam in alieno Oratorio. Nam ex verbis Bullæ constat, quod tantum conceadat de Oratorio propriæ domus. Hæc enim facultas conceditur tantum iis, qui eam obtinuerint à Commissario, & Episcopo, vt declarat illa verba, *Qui facultatem ad id ab infradictis Episcopo, & Commissario habuerint.* Et hæc facultas non conceditur in ordine ad quodcunque Oratorium, sed pro Oratorio visitando, & designando ab Ordinatio, vt habet Bulla, & proinde erigendo ab ipso priuilegiato. Deinde adduntur etiam illa verba extensiua priuilegij. *In sua, ac familiarium, & domesticorum, & consanguineorum suorum præsentia,* quæ ostendunt dispositionem procedere de Oratorio isto iuxta propriam domum. Et fauet etiam ratio, quia si possent omnes influere ad huiusmodi Oratoria, ad celebrandam, siue audiendam Missam, ad recipienda sacramenta, &c. non essent amplius Oratoria priuata, sed publica, quia non seruirent vsui priuato, sed publico, siquidem ferè omnes habent Bullam, atque adeò sunt priuilegiati.

QVÆSTIO 641.

An Regulares festis diebus exceptis in concessione possint celebrare in priuatis Oratorijs.

SVMMARIVM.

1. *Regulares non possunt festis exceptis celebrare in priuatis Oratorijs.*
2. *Exceptio dierum relinquit priuilegiatos obligatos, vt in publico audiant Missam.*
3. *Celebrare in priuatis Oratorijs diebus exceptis esset abusus priuilegij.*
Semel prohibitum non est alia via permissum.
Cessante fine cessat priuilegium.
4. *Priuilegium mensuratur intentione concedent.*
5. *Priuilegiatis exceptis diebus tenetur in Ecclesia audire Missam.*
6. *Ex nulla causa diebus exceptis celebrari potest in priuato Oratorio.*

NOn defuerunt, qui partem affirmatiuam consolerent, putantes, quod priuilegium celebrandi vbicunque in Altari viatico se extendat ad celebrandum etiam in his diebus festis exceptis in priuatis Oratoriis. Verum ex dictis in superioribus constat, quod huiusmodi priuilegium non se extendat ad celebrandum in priuatis Oratoriis. Vnde tenendum est consequenter, *Non posse Regulares in festis solemnioribus exceptis celebrare in priuatis Oratorijs secularium domorum priuatarum.* Sequitur enim à fortiori, quia si non possunt cæteris diebus, multò minus poterunt in festis exceptis. 1

Ratio est. Quia, dum in concessione excipiuntur dies festi solemniores, atque adeò remanent exclusi, vt pro ipsis priuilegium non valeat, remanet prohibitio in suo vigore de non celebrando in priuato Oratorio. Et ideò relinquitur obligatio in suo vigore, vt teneantur priuilegiati accedere his diebus ad Ecclesias, seu publica Oratoria ad desetendum Deo publico modo cultum sacrificij. Ex quo fit, quod etiam remaneat in suo vigore præceptum assistendi Missæ publico modo; & ad profitendum publicam subiectionem Deo mediante oblatione sacrificij: ergo nec ex parte Regularium, nec ex parte habentis Oratorium, priuatum celebrari potest in dictis diebus priuato Oratorio. 2

Ex parte regularium repugnat, non solum quia priuilegium non se extendit ad celebrandum in priuatis domibus, sed etiam quia vsus illius dictis diebus esset abusus. Tum quia destrueret finem intentum à Pontifice in exclusione horum dierum, qui est quod priuilegiati conueniant in loco publico ad deferendum Deo cultum sacrificij, & ad augendum cultum publicum sua præsentia: vnde vsus priuilegij esset contra publicum Ecclesiæ bonum. Tum quia cum constet de Pontificis voluntate, quod velit priuilegiatos conuenire illis diebus ad Ecclesiam, & proinde relinquat sub prohibitione audiendi Missam in priuato Oratorio, non potest censeri, quod hoc sit alia via permissum, *l. Scire oportet*, §. *Si mater, ff. de tut. dat.* & *l. Quod dictum, ff. de pact.* & *l. Illud, ff. Ad leg. Aquil.* & Cap. *Tua, de procurat.* & iuxta Regulam cap. *Cum quid vna, ff. de regul. iur. in* 6. Tum quia cessaret causa finalis, ob quam concessum est priuilegium, quia si tantum extenderetur ad celebrandum in priuatis Oratoriis, in quantum posset ibi audiri Missa, & impleri præceptum. Non potest autem quia habentes Oratorium priuatum, non desobligentur à præcepto deferendi Deo cultum publicum, & ideò cessaret etiam priuilegium, *l. Titia*, §. *Vsurat, ff. de leg.* 2. & *l. Ex pacto, ff. de vulg. substit.* & notant Ripa *ibid. n.* 10. Amat. *decis. March.* 159. *num.* 4. Modestio. Pietor. *consil.* 51. *num.* 7. *lib.* 1. 3

Ex quo sit, quod pro tali casu non valeat priuilegium, siquidem tantum valet, quantum valere vult concedens, cum totum ab ipsius voluntate, & potestate dependeat; & proinde mensurari debet cum intentione ipsius. Cap. *Dilecti, de decim.* Ex mente autem, & voluntate concedentis priuilegium non se extendit ad abusum, nec ad destruendum finem intentum ob publicam vtilitatem, quia etiam in concedente quoad hoc non solum deficit voluntas, sed etiam potestas. Et ideò si Regulares extenderent priuilegium ad hunc vsum, exederent extra terminos concessionis, & nulliter procederent, & peccarent mortaliter tanquam celebrantes in loco prohibito. 4

5 Ex parte quoque priuilegiati pro Oratorio priuato id repugnat, quia, cum non sit ipsi concessum pro illis diebus interesse sacro in priuato Oratorio ratione præcepti audiendi Missam, tenetur assistere sacrificio in Ecclesia; quia præceptum est tum de audienda Missa in loco destinato ad celebrandum illis diebus. Tum quia est de deferendo publico modo Deo cultum sacrificij, nec iuuaret priuilegium Regularium, si possent celebrare etiam in dictis diebus in priuatis Oratoriis, quia hoc priuilegium non auferret ab ipso obligationem, quæ est ex præcepto prædicto, cum non sit datum priuilegium in ordine ad talem obligationem tollendam: sicut non eximeretur ab obligatione communionis parochialis, qui sumeret Eucharistiam extra parochiam.

6 Ex dictis infertur, quod neque ea causa infirmitatis, vel ex quacunque alia, quæ non permittat egressum è domo, poterit in priuatis Oratoriis etiam per Regulares celebrari in festis diebus exceptis. Nam eò ipso, quod excipiuntur hi dies tanquam loca priuata remanent inhabilia, vt possit in ipsis celebrari, quia talia sunt ex natura sua, nec priuilegium dat facultatem pro his diebus. Neque priuilegia Regularium dant facultatem celebrandi in priuatis domibus, vt dictum est in superioribus: & continent solum fauorem eorumdem Regularium, non autem fauorem sæcularium, vt in eorum commodum conuerti poterit.

QVÆSTIO 642.

An requiratur aliqua licentia, vt Sacerdotes in priuatis Oratorijs celebrare possint.

SVMMARIVM.

1. *Pro celebrando in priuato Oratorio non est necessaria licentia Parochi.*
2. *Regulares contra voluntatem Superiorum non possunt celebrare in priuato Oratorio.*
3. *Qua licentia requiratur pro Regularibus vt celebrent in priuato Oratorio.*
   Tacitum habetur pro expresso.
4. *Sæculares qua licentia indigeant, vt celebrent in priuato Oratorio.*

1 TAnquam certum supponi debet, quod non sit necessaria licentia parochi, neque quoad Regulares, neque quoad Sæculares Sacerdotes, cum neque ex natura rei requiratur; siquidem neque ad ipsos spectat dare huiusmodi licentiam, nec circa executionem licentiæ concessæ à Pontifice habent aliquod ius; neque est necessaria ex dispositione Pontificis, qui solum requirit licentiam ordinarij, quoad Sacerdotes sæculares, & suorum Superiorum quoad Regulares, vt constat ex illa clausula, *Per quemcunque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum sæcularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem.* Et ita etiam obseruant Cespedes *de exempt. Regul. cap.6. dub.*103.*n.*1. Tamborin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.*1. *cap.*4. §.4.*n.*23. Gabr. à S. Vincent. *de sacram. disp.*3. *de sacrific. Miss. quæst.*5. *difficult.*4.

2 Quod spectat ad Regulares certum est, non posse celebrare in his Oratoriis contra voluntatem suorum superiorum; non solum quia conceditur facultas celebrandi dependenter ab eorumdem licentia; sed etiam quia ratione voti obedientiæ subiecti sunt ipsorum voluntati, contra quam non habetur proprium velle, aut nolle, vt notat etiam Tambur. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.*1.*cap.*4.§.4.*n.*23. *in fine.* Sed difficultas est, an contraueniendo peccarent mortaliter. In quo considerandus est finis, ad quem inhibet superior celebrari, quia si sit legitimus & grauis peccabunt mortaliter, quia in re graui frustrabunt voluntatem sui superioris. Secluso verò fine, seu motiuo extrinseco non crederem esse mortale, semel, aut bis celebrare, quia hæc videtur materia leuis. Nec dici potest, quod importet totam materiam prohibitam: nam hoc est falsum, quia prohibetur absolutè celebratio, quæ cum amplectatur plures, & plures actus, vnus, aut alter actus est materia leuis respectu totius materiæ prohibitæ.

Quod spectat ad licentiam pro Regularibus, sufficere præsumptam, tradit Quintanaduen. *tom.*1. *singul. tract.*7. *singul.*32.*n.*5. quia talis licentia sufficit etiam pro aliis rebus grauioribus. Quod tamen intelligi debet, si adsit fundamentum præsumendi talem licentiam, quia tunc subintrat Regula, quod tacitum habeatur pro expresso, *l. Cum quid,* & *l. Si filiusfamilias, ff. Si cert. pet.* & *l. fin. C. Qui bon. ced. poss.* & *l.* 94. & 99. *ff. de verb. obligat.* & notant Feder. de Sen. *consil.*100. *init.* Alex. *consil.*109.*n.*17. ver. *Præterea, lib.*7. Menoch. *consil.*183.*num.*8. Tosch. *littera I. conclus.*7.*num.*13. Non tamen pro licentia præsumpta sufficit, quod Regulares habeant generalem licentiã celebrandi, quia in celebratione in Oratoriis potest adesse speciale motiuum, ob quod nolint superiores concedere vnicuique licentiam: sed ex aliis coniecturis præsumi debet. 3

Quò verò ad sæculares non requiri specialem licentiam Ordinarij, sed sufficere generalem celebrandi, tradunt Pellizar. *tom.*2. *Manual. Reg. tract.*8.*cap.*2. *sect.*2. *num.*146. Tambur. *Opusc. de sacrif. Miss. lib.*1. *cap.*4. §.4. *n.*23. Et rectè, vt constat etiam ex praxi, quia dicta clausula est apposita, ne priuilegiati possint facere celebrare per quemcunque Sacerdotem exterum, & qui non habeat licentiam celebrandi in Diœcesi, ob vitanda ea inconuenientia, quæ sequerentur si Sacerdotes exteri absque licentia Diœcesani celebrare possent in Diœcesi. Deinde non est imponenda alicui obligatio, de qua non constet, quod ipsi subiaceat; non constat autem quod Sacerdotes subiaceant obligationi de obtinenda speciali approbatione, cum generalis sufficiat ad verificandam dispositionem litterarum priuilegij. 4

QVÆSTIO 643.

Quomodo priuilegium priuati Oratorij non inferat præiudicium iuribus parochialibus.

SVMMARIVM.

1. *In concessione Oratorij præseruantur iura Parochialia.*
2. *Quænam sint.*
3. *Quæcunque iura parochialia sunt præseruata in concessione Oratorij.*
4. *In priuatis Oratoriis non potest inferri præiudicium functionibus parochialibus.*
5. *Iura parochialia ad quæ reducantur.*
6. *Benedictio candelarum, palmarum, cinerum, &c. non sunt iura parochialia priuatiuè quoad alios.*
7. *Nec etiam denunciatio festorum, ieiuniorum, &c.*

QVod per huiusmodi priuilegium non inferatur aliquod præiudicium iuribus parochialibus, est omninò certum ex illa clausula in litteris concessionis, *Sine tamen quorumcunque iurium Parochialium* 1

præiu

Digitized by Google

praiudicio. Vnde dubitatur, quænam sint ista iura parochialia, quæ præseruantur Parochis. Referunt autem Ioan. à Cruce *de statu religion. lib. 2. cap. 5. dub. 7. conclus.* 2. Ascan. Tamburin. *de iure Abbat. tom. 1. disp. 18. quæst. 6. num.* 18. Rodriquez *in Congren. resol. 9. num.* 6. Thomas Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 4. §. 3. num.* 12. Sixt. IV. declarasse aliam similem clausulam, nempe sine præiudicio Ecclesiæ parochialis, quæ in idem coincidit, quod non inferatur præiudicium Parocho, quoad decimas, primitias, & alias oblationes.

2 Alij verò volunt quod clausula, *Sine praiudicio iurium parochialium*, intelligatur etiam de iis, quæ spectant ad Sacramentorum administrationem, & alia, quæ ipsi Parocho debentur. Ita Quintanaduen. *tom. 1. singul. tract. 7. singul. 33. num.* 3. & ait Barbosa, ita declarasse S. Congregat. Trident. Concil. addit Pellizar. *tom. 2. Manual. Regular. tract.* 8. *cap. 2. sect. 2. subsect. 7. num.* 47. Non posse ministrari sacramenta, dari pacem, denunciari festa, ieiunia, matrimonia, & similia, quæ ad Parochum spectant, quia clausula habet quorumcunque iurium, & proinde complectitur omnia. Et hoc etiam approbat Tamburin. *Opuscul. de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 4. §. 4. num.* 25. Moises. autem *part. 1. sum. tract. 4. cap. 17. num.* 73. intelligit de administratione Sacramentorum, & de iis, quæ de iure debeount Parochiæ.

3 Et quidem stante dictione, *Quorumcunque*, certum est præseruari omnia iura parochialia, quia est vniuersalissima, & omnia complectitur, itavt prætextu priuilegij nullum præiudicium afferri possit Parochis, quoad ea, quæ ipsis de iure debentur, siue sint decimæ, siue primitiæ, &c. Vnde si priuilegiatus solet soluere aliquam annuam præstationem, aut quid simile intuitu celebrationis Missæ in parochia, aut quia Parochus ipsius contemplatione aliquid faceret, dummodo tamen ius esset acquisitum Parocho, non posset cessare à solutione, ex eo quod non accedat ad Parochiam ad Missam audiendam.

4 Nec item inferri potest præiudicium quoad eas functiones, quæ sunt de iure proprio Parochorum, quia non minus læditur alienum ius non soluendo, quod debitum est, quam vsurpando alienum, cum in vtroque casu fiat contra iustitiam: sunt enim quædam functiones, quæ spectant ad Parochum ratione muneris, quo fungitur: & hæc sunt de iure ipsius, itavt non possint per alium exerceri nisi vsurpet ius proprium Parochi; & ideò huiusmodi functiones præseruantur parochis per dict. clausulam appositam.

5 Iura autem parochorum, quamuis de iure veteri plura essent, quam modo sint; hodiè tamen reduci possunt ad sequentia. Primum est administratio aliquorum Sacramentorum, quæ reducitur ad Baptismum, Eucharistiam pro Paschate, & viatico Extremam vnctionem, & Matrimonium; nam de iure Ordo, & Confirmatio spectat tantum ad Episcopos, & etiam ratione ordinis. Sacramentum pœnitentiæ ministrari potest ab omnibus Regularibus priuilegiatis, sicut etiam Eucharistia extra Pascha. Secundum est ius sepeliendi, quando tamen non habet locum electio sepulturæ. Tertium est ad decimas, nisi fortè legitimè non soluantur, sicut etiam ad primitias, & ad obligationes, quæ fiunt in parochia; quæ tamen vbique locum non habent, cum alio modo prouisum sit. Quartum est ad percipiendam Canonicam portionem, circa quod tamen adsunt variæ exceptiones iuxta priuilegia, & decreta Summorum Pontificum.

6 Ex quibus infertur, quod benedictio candelarum, palmarum, cinerum, non sint iura propria parochorum. Vnde non solum in Ecclesiis Regularium, sed etiam in Ecclesiis Sæcularium, Oratoriis Confraternitatum solent benedici. Similiter etiam dare pacem, denunciare festa, & ieiunia non sunt iura specialia parochorum: Quinimò Regulares possunt vigore Concil. Trid. in suis Ecclesiis ea denunciare populo, nec prohiberi possunt ab Episcopo, quod non esset verum si denunciatio esset de iure Parochorum priuatiuè quoad alios. Ita Barbosa *ad cap. 8. sess. 22. Concil. Trid. num. 37. & ad cap. 12. num. 7. sess. 25. de reform.* Bordin. *in const. regul. resol. 7. num.* 103. Cespedes *de exempt. Regular. cap. 20. dub. 314. num.* 3. Peirin. *de priuileg. ad constit. 7. Pij V. num.* 13. qui affert declarationem S. Congregat. in quibusdam responsionibus ad Archiepiscopum Bononien. Cardinalem Ludouisium tenoris sequentis: *Ad primum Regulares non prohiberi in eorum Ecclesijs dies festos, & ieiunia annunciare.* Vnde etiam in Oratoriis priuatis poterunt annunciari, cum hoc sit potius quædam priuata monitio, siquidem fit in loco priuato, quam exercitium alicuius auctoritatis. Similiter etiam poterunt benedici candelæ, cinerea, palmæ, cum in hoc non vsurpetur alienum ius, sed tantum exerceatur munus Sacerdotale.

QVÆSTIO 644.

An in priuatis Oratoriis ministrari possit Eucharistia.

SVMMARIVM.

1. *In Oratorijs priuatis, an possit ministrari Eucharistia.*
2. *Ex celebratione Missæ non infertur facultas ministrandi Eucharistiam.*
3. *Ministratio Eucharistiæ est actus iurisdictionis. Est specialis nota digna.*
4. *Ministratio Eucharistiæ non exigitur à sacrificio. Accessorium quando veniat ad concessionem principalis.*

TAmburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 4. §. 4. num.* 26. proponit considerandum, an seclusis priuilegiis, & præsumpta licentia, possit ministrari Eucharistia in priuatis Oratoriis ex eo præcisè, quod Pontifex concedit familiæ audire Missam in iisdem. Quia inquit ipse, cum communio eorum, qui Missæ intersunt, pertineat ad idem sacrificium, vnde olim, qui Missæ intererant, semper communicabant, videtur quod concessa Missa teneatur etiam concessa communio, tanquam quid accessorium, & connexum cum Missa. 1

Verum ponderata hac ratione, oppositum omninò videtur tenendum. Nam sequeretur, quod in quolibet loco à quolibet celebrante ministrari posset Eucharistia Missæ interessentibus, quia in hoc militaret eadem ratio. Nam cum ibi concedatur Missa censebitur concessum omni celebranti communicare adstantes, tanquam quid connexum cum Missa. 2

Accedit etiam quod ministratio Eucharistiæ pertinet ad iurisdictionem, cum sit actus pascendi proprias oues, vt desumitur ex Concil. Carthag. 1. *can.* 7. & Concil. Mileuit. *canon.* 18. Et proinde vt Regulares posent ministrare Eucharistiam, quamuis liberè possunt celebrare in propriis Ecclesiis, & quilibet ibi interesse Missæ, non tamen ex hoc poterunt ministrare Eucharistiam, sed opus fuit specialibus priuilegiis qualia concessa ipsis fuerunt à Sum. Pontifice. Et ideò ex eo quod cōceditur Missa, non concernetur concessa facultas sumēdi Eucharistiam, & ministrandi, quia cum pertineat ad iurisdictionem est quid 3

ſpeciali nota dignum; & ideò non venit in conceſſione celebrandi cum debeat ſpecialiter exprimi, iuxta *l. Eos, C. de aquaduc.* & notant Craueta *conſil.* 880. *num.* 19. Alaxand. *conſil.* 104. *in fine, lib.* 1. Afflict. *decıſ.* 111. *num.* 9.

4 Nec valet ratio allata pro oppoſita parte. Siquidem communicatio non eſt acceſſoria ad ſacrificium ob exigentiam ſacrificij, quia ſolum exigit conſumi ob offerente: imò neque ex ritu Eccleſiæ cum his temporibus non ſoleant, vtplurimum intereſſentes Miſſæ communicare. Vnde conceſſio celebrandi in priuatis Oratoriis cenſetur facta ſecundum morem præſentis temporis, iuxta quem regulariter ab audientibus Miſſa non participatur de ſacrificio. Accedit etiam, quod ad conceſſionem celebrandi non venit tanquam acceſſorium miniſtratio Eucharistiæ, quia tunc tantum venit acceſſorium ad conceſſionem principalis, quando in acceſſorio non adeſt aliqua ſpecialis ratio, ob quam excludatur principalis conceſſione iuxta ea, quæ notant Alex. *conſil.* 4. *n.* 5. *lib.* 1. Craueta *conſ.* 506. *n.* 3. Maſcar. *concluſ.* 18. *n.* 19. Pacian. *de probat. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 69.

QVÆSTIO 645.

An Regulares miniſtrare poſſint Euchariſtiam in priuatis Oratorijs.

SVMMARIVM.

1. *Epiſcopus prohibere poteſt ne regulares celebrent in priuatis Oratorijs.*
2. *Regulares miniſtrare poſſunt Euchariſtiam in priuatis Oratorijs.*
3. *Priuilegium miniſtrandi Euchariſtiam conceſſum Regularibus,*
4. *Dictio,* Ac, *in conceſſione ſtat augmentatiuè augens conceſſionem.*
5. *Priuilegium Pij V. circa miniſtrationem Euchariſtiæ.*
6. *Nomine Eccleſiæ in priuilegio Pij V. præfato quid veniat.*
7. *Dictio,* Alias, *quid ſignificet in dicto priuilegio.*
8. *Priuilegium miniſtrandi Euchariſtiam non eſt præiudiciale Parochis.*
9. *Epiſcopus non poteſt prohibere, ne Regulares celebrent in priuatis Oratorijs, pro quibus adeſt priuilegium.*
   Contradicentes Regularibus quoad miniſtrationem Euchariſtiæ coërceri poſſunt per cenſuras.
   Prohibitio moleſtandi Regulares ſuper ipſorum priuilegijs.
10. Clement. Religioſi *non obſtat Regularibus quoad priuilegia miniſtrandi Euchariſtiam.*

1 QVod non poſſint miniſtrare ex eo, quod celebrare poſſunt in priuatis Oratoriis, ſequitur ex dictis in ſuperioribus. Vnde ſolum difficultas eſt, an miniſtrare poſſint virtute priuilegiorum. Ratio dubitandi eſt. Quia poteſt Epiſcopus prohibere, ne regulares celebrent in priuatis Oratoriis iuxta Concil. Trident. *ſeſſ.* 22. *de ſeruan. & vitand. in celebrat. Miſſ.* ergo etiam ne miniſtrent Euchariſtiam cum ſit quid annexum celebrationi. Secundò. Per Clement. Religioſi, *de priuileg.* prohibetur Religioſis miniſtrare Euchariſtiam alicui ſine ſpeciali licentia ſui Parochi, & priuilegia non dant maiorem facultatem miniſtrandi, quam in propriis Eccleſiis.

2 Tenendum tamen eſt. *Quod priuilegiati miniſtrare poſſint Euchariſtiam in priuatis Oratorijs.* Ita Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 9. *cap.* 3. ver. *Dices ergo.* Rodriquez *tom.* 1. *quæſt. regul. quæſt.* 56. *artic.* 3. ver. *Circa quas.* Ioan. à Cruce *de ſtatu Relig. lib.* 1. *cap.* 5. §. *Tertia concluſio.* Villalob. *part.* 1. *ſum. tract.* 9. *difficul.* 54. *in fine.* Ceſped. *de exempt. Regul. cap.* 6. *dub.* 103. Portel. *tom.* 2. *reſp. caſu* 11. *per totum.* Quintanaduen. *tom.* 1. *ſingul. tractat.* 7. *ſingul.* 33. *num.* 8. Baun. *tom.* 1. *Theol. moral. tract.* 5. *quæſt.* 19. ver. *Reſpondeo poſſe.* Gaſpar. Hurtad. *diſput.* 11. *de Euchariſt. difficult.* 6. ver. *Vaſquez in fine.* Tamburin. *Opuſc. de commun. cap.* 4. §. 4. *num.* 51.

Fundamentum deſumitur ex priuilegiis conceſſis à Summis Pontificibus, quorum duo inuenio præcipua. Primum eſt Pauli IV. relatum à Rodriquez in Bullario, in quo conceditur Fratribus Minoribus. *Quod de cætero per totum orbem omnium vtriuſque ſexus fidelium pro tempore dicti ordinis Fratres à ſuis Superioribus deputati Confeſſores, Confeſſiones etiam infirmorum, vbilibet etiam extra domos, & habitacula eorumdem Fratrum audire eoſque poſſe abſoluere, ac omni tempore præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ Sacramentum Euchariſtiæ tam illis, quàm quibuſuis perſonis miniſtrare poſſint Apoſtolica auctoritate indulgemus.* Vbi notanda ex illa clauſula, *Et extra domos, & habitacula eorumdem Fratrum*, quæ refertur etiam adminiſtrationem Euchariſtiæ, nam conceditur, quod poſſint miniſtrare Euchariſtiam iis, quorum confeſſiones audierint, & cæteris; & proinde etiam extra domos proprias, ſicuti extra domos proprias miniſtrant Sacramentum pœnitentiæ, quod etiam conſtat ex eo, quia poſſunt miniſtrare Sacramentum pœnitentiæ etiam infirmis, & proinde qui domo egredi non poſſint, vnde ſi poſſunt miniſtrare Euchariſtiam iis, quibus miniſtrarunt pœnitentiam poterunt iiſdem miniſtrare in Oratorio priuato, ſi adſit. 3

Colligitur etiam ex illa dictione, *Ac*, quæ eſt augmentatiuè, nam auget conceſſionem cum concedat ad miniſtrationem Euchariſtiæ, nec ponitur inter duas orationes perfectas, ſed inter duas partes eiuſdem orationis, quæ reguntur eodem verbo *Indulgemus*, & ideò copulatur conſequentia repetendo in ſubſequenti qualitatem, & dictam clauſulam expreſſam in præcedenti iuxta ea, quæ tradunt Bart. *in l. Seia*, §. *Caio. num.* 3. *ff. de fund. inſtruct.* Pariſ. *conſil.* 38. *numero* 25. *libro ſecundo.* Rota coram Ludouiſio *deciſione* 308. *numero tertio*, & *in Romana pecuniaria* 26. *Maij* 1627. coram Vitili. 4

Alterum priuilegium conceſſum fuit nobis Clericis Regularibus à Pio V. *in ſua conſtitutione, Ad immarceſcibilem* 7. *dies Februarij anno* 1567. & eſt 31. eiuſdem Pontificis *tom.* 2. *Bullar.* per quod tribuitur facultas miniſtrandi Euchariſtiam in omnibus quibuſcunque Eccleſiis, etiamſi ad alios pertineant, non ſolum quorum confeſſiones auditæ fuerint, ſed etiam cæterorum. Ita §. 15. vbi hæc habentur: *Congregationi Clericorum Regularium tunc, & pro tempore exiſtentibus Clericis Regularibus præfatis, vt ipſis, qui idonei forent Euchariſtiæ ſacramentum in omnibus, & ſingulis etiam ad eos non ſpectantibus Eccleſijs, quibuſcunque vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, debitè etiam non per eos, ſed alios confeſſis, & aliàs vt moris eſt, adminiſtrare*: & hoc priuilegium conceſſum fuit cum ampliſſimis derogationibus, & poſt Concil. Triden. 5

Neque dici poteſt, quod priuilegium ſit reſtrictum ad Eccleſias, & proinde non poſſit extendi ad priuata Oratoria. Quia in hoc caſu appellatione Eccleſiæ venit locus, in quo celebrari poteſt, & decenter diſtribui Euchariſtia, quia miniſtratio Euchariſtiæ venit in conſequentiam ad celebrationem non quoad facultatem miniſtrandi, ſed quoad 6

locum

locum ministrationis; itavt eo ipso quod est deputatus pro celebratione, censeatur etism deputatus pro ministratione Eucharistiæ in ordine ad eos qui possunt ministrare, & ideò appellatione Ecclesiæ venit locus deputarus pro celebranda Missa, præsertim prima constat de mente Pontificis concedendi, amplam facoltatem ministrandi Eucharistiam in quocunque loco, dum extendit facultatem etiam ad Ecclesias non pertinentes ad priuilegiatos. Est autem attendenda, potius mens concedentis priuilegium, quàm verbá, vt notat Rota coram Mohedano *decis.* 13. *de prabend.* & coram Durano *decis.* 48, *numero* 15.

7 Insuper adest etiam dictio *Alias*, quæ siue sumatur provt significat alio loco, vt *in l. Adeo.* §. *Quod si toto.ff. de acquir. rer. domin.* siue provt significat alio modo, seu alio casu, vt in *l. Qui testament.* §. *Mulier. ff. de testament.* & notat Rota coram Mantica *decis.* 316. *num.* 1. *in fine.* semper demonstrat quod extra Ecclesias, quatenus sumuntur pro locis publicis consecratis aut benedictis in ordine ad offerendum sacrificium possent ministrare Eucharistiam, & proinde ampliar disponendum ad quemcumque locum commodum admittentem decentem administrationem.

8 An autem cæteri Regulares participent hoc priuilegium debent consulere communicationem, quam habent priuilegiorum aliarum Religionum, & quantum se extendat, solum est aduertendum, quod hoc priuilegium non est præiudiciale parochis. Tum quia nihil detrahit de iure ipsorum, quia facultas concessa est cumulatiuè ad ipsorum facultatem, & est participatio illius facultatis, quam habet pascendi oues summus Pontifex, vt supremus Pastor, quam communicauit dictis regularibus, vt ouibus pascendis cooperarentur, quod verò possint in quibuscunque Ecclesiis etiam alienis ministrare, neque continet præiudicium alterius quia hoc facit, vt sint coadiutores eorum, qui ministrare possunt in dictis Ecclesiis deputati à summo Pontifice, quod confert ad seruitium earumdem Ecclesiarum, & vtilitatem fidelis populi, & proinde continet fauorem publicum & etiam ministrorum dictarum Ecclesiarum dum acquirunt coadiutores in seruitio Ecclesiæ.

9 Ad 1. in oppositum respondetur Episcopos neque posse prohibere, ne Regulares celebrent in Oratoriis priuatis pro quibus impetratum est priuilegium, cum ipse Pontifex det facultatem regularibus ibi celebrandi, dummodo adsit licentia suorum superiorum, neque prohibere posse, quin vtantur suis priuilegiis circa ministrationem Eucharistiæ, quia non possunt venire contra concessionem summi Pontificis, vnde in *eadem constitutione* Pij V. de qua *num.* 5. decernit Pontifex, quod contradictores quoad ea, quæ ibi concessit censuris coerceri possint, ibi. *Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas in alia opportuna iuris, & facti remedia appellatione postposita compescendo ac legitimis sub his habendis seruatis processibus censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.* Et idem Pius V. in fauorem Minimorum *in constit.* quæ incipit *Apostolica Sedis benignitas* sub die 9. *Nouembris* 1567. §. 3. quæ est tertia eiusdem Pontificis apud Petrin. *de priuileg.* hæc habentur *Districtius in virtute sanctæ obedientiæ cum aliis arbitrio nostro infligendis pœnis inhibentes locorum ordinariis, ac aliis quibuscumque ne eosdem Fratres Ordinis Minimorum contra eis sic concessa priuilegia molestare, inquietare vel perturbare audeant, vel præsumant.* Ex quibus exclusa remanet omnis facultas Ordinariorum prohibendi priuilegij prædicti vsum.

Ad 2. Priuilegia ministrandi Eucharistiam concessa fuisse Regularibus post dictam Clement. & cum amplissimis derogatoriis; & ideò non potest obstare priuilegiis, quod autem priuilegia non se restringant ad facultatem ministrandi in solis proprijs Ecclesiis, sed etiam in alienis, & vbicunque secundum ritum Ecclesiæ ministrari potest, constat ex dictis, præsertim quia huiusmodi priuilegium ample interpretandum est cum sit fauorabile, non quia sit in fauore Religiosorum, quia potius est occasio subeundi onera, sed quia est in fauorem Ecclesiæ, cum augeat ministros & seruitium ipsius, & proinde concernit publicam vtilitatem & fauore ipsius ample interpretandum est. 10

QVÆSTIO 646.

An in priuato Oratorio ministrari possit à quolibet Sacerdote Eucharistia habentibus Bullam Cruciata.

SVMMARIVM.

1. *Bulla Cruciata concedit in priuatis Oratoriis sumptionem sacramentorum.*
2. *Quemlibet Sacerdotem in priuato Oratorio virtute Cruciata, posse ministrare Eucharistiam, qui sentiant.*
3. *Qui negent.*
4. *Ex contextu Bulla desumitur, non posse.* *Dictio*, necnon, *quomodo copulet.*
5. *Ministratio Eucharistia in Bulla Cruciata censetur tempore interdicti.*
6. *Ministratio Eucharistia non censetur concessa, nisi exprimatur.*
7. *Priuilegia non plus extendenda, quàm verba sonent.*
8. *Bulla Cruciata nihil concedit quoad ministrum Eucharistia.* *Dispositio intelligitur in terminis habilibus.*
9. *Bulla Cruciata cur excipiat diem Paschatis, in quo non liceat sumere Eucharistiam in priuato Oratorio.*

IN Bulla Cruciatæ conceditur inter alia, *Necnon Eucharistiam; & alia Ecclesiastica sacramenta præter quàm in die Paschatis recipere, & eorum decedentium corpora cum etiam cum moderata funeralis pompa Ecclesiastica sepultura tradi possint.* Conceditur autem, vt patet ex contextu recipere Eucharistiam, & alia Ecclesiastica sacramenta in priuatis Oratoriis: vnde dubitatur solum, an possit recipi Eucharistia à quolibet Sacerdote. 1

Prima sententia asserit, posse quolibet tempore recipi Eucharistiam à quolibet Sacerdote, ita Vasquez 2. *part. disputat.* 219. *cap.* 5. Filliuc. *tractat.* 4. *cap.* 9. *num.* 265. Ludouic. à Cruce *in Bullam Cruciata, disput.* 1. *cap.* 5. *dub.* 6. *num.* 15. Diana *part.* 2. *tract.* 11. *resolut.* 20. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 14. ver. *Octauò.* Palaus *part.* 4. *tract.* 21. *disput. vnic. punct.* 18. *num.* 4. & *tractat.* 25. *disput. vnic. punct.* 6. *num.* 15. Fundamentum est primo, quia facultas recipiendi Eucharistiam non limitatur quoad ministrum. Secundò. Quia Pontifex excipit diem Paschatis, quæ exceptio fuisset superflua, si intelligeret de receptione à proprio Pastore, quia in die Paschatis, & quolibet tempore debet de iure recipere ab ab ipso: vnde cum excipiat diem Paschatis, debet intelligi quod possit recipere ab eo, à quo non potest in die Paschatis. 2

3 Secunda sententia negat, concedi facultatem recipiendi Eucharistiam à quolibet Sacerdote, sed tantum concedi, vt tempore interdicti habens Bullam possit recipere Eucharistiam. Ita Henriquez *lib. 7. sum. cap. 13. num. 4.* Auila *de censuris part. 5. disput. 4. sect. 2. dub. 8. in fine.* Rodriquez *in addit. ad Bull. Cruc. §. 5. num. 9.* Suarez *disput. 32. de Eucharist. sect. 2. dub. 1.* Trulleoch. *in Bullam Cruc. lib. 1. dub. 8. num. 4.* Nugnus *3. part. quæst. 82. art. 3.* Lugo Cardin. *disput. 18. de Eucharist. sect. 2. num.....* Bard. *in Bull. Cruciata, part. 2. tractat. 2. cap. 6. sect. 3. n. 3.*

4 Hæc sententia videtur omnino tenenda, & resoluendum, *Virtute Bullæ Cruciatæ non concedi, quod recipi possit Eucharistia à quocunque Sacerdote qui aliàs non possit ministrare hoc sacramentum, sed concedi solùm vt recipi possit tempore interdicti.* Desumitur ex contextu Bullæ considerando antecedentia, & subsequentia, nam immediatè ad concessionem prædictam procedunt illa verba, *Et tempore interdicti huiusmodi diuinis interesse*, & statim subditur, *necnon Eucharistiam, &c.* Vnde cum in antecedentibus concedat quæ sunt prohibita tempore interdicti & continuet eandem concessionem, concedet etiam in subsequentibus præsertim quia dictio, *Necnon*, ita copulat subsequentia cum antecedentibus vt repetat omnes qualitates præcedentes, vt tradunt Gloss. *in Clemen. 1. verbo* Necnon. *de offic. deleg.* Bart. *in l. Seio. §. Caio. ff. de fid. instrument.* & passim Rot. *decis. 132. num. 5. de reb. Eccles. non aliena.* coram Cæsar. de Grass. *& decis. 791. num. 2. part. 1. diuer. & decis. 41. num. 13. part. 1. Recent.* & *decis. 668. num. 1. part. 2. Recent.* & *decis. 217. num. 7. part. 6. Recent.* & *decis. 256. n. 19. part. 7. Recent.*

5 Rursus etiam pars altera concessionis quæ immediatè subsequitur idem declarat. Nam conceditur Ecclesiastica sepultura tempore interdicti cum modica pompa, in qua cum concedatur absque expressione interdicti, refertur necessariò ad clausulam præcedentem, *Ex tempore interdicti*, & proinde sub eadem etiam continuatur præcedens concessio de sumenda Eucharistia, præsertim quia concessio sepulturæ Ecclesiasticæ continuatur per dictionem, *Et*, quæ vt dictum est de dictione, *Necnon*, ita copulat, vt tribuat copulato qualitates præcedentes vt obseruat Rota coram Ludouisio *decis. 308. n. 3.*

6 Ratio autem est quia de iure communi non potest ministrare Eucharistiam, nisi proprius Pastor, aut qui ab illo habet licentiam, & proinde Regulares non ministrant, nisi ex priuilegio summi Pontificis: ergo non potest aliquo priuilegio concedi quod ministrari possit à quocunque Sacerdote, nisi hoc in ipso exprimatur, quia debet priuilegium derogare iuri communi, & non censetur derogare, nisi quatenus contrarium exprimitur, sicut etiam contingit in lege, quæ non derogat alteri legi, nisi quatenus ipsi contraria, & non censetur contraria, nisi quatenus contrarium exprimit, ita vt non possit concordari cum ipsa. Priuilegium autem Bullæ Cruciatæ nihil exprimit de ministro, & ideò non potest derogare iuri communi in ordine ad ministrum tanquam ipsi contrarium concedit enim solum, quod possit Eucharistia sumi & ideò debet censeri concessum, quod est prohibitum, & proinde pro tempore in quo non potest sumi.

7 Hinc subintrat regula seruanda in interpretatione priuilegiorum, quod scilicet, non sint plus extendenda quàm verba sonent, vt tradunt communiter Doctores per text. *in l. Si non fortem. §. Libertis. ff. de cond. indeb.* & cap. *Ex tuarum de auctor. & vsu pal.* & cap. *Cum Capella de priuileg.* Ita Franc. *in cap. Non valentes. num. 2. de priuileg. in 6.* Ias. *in l. 1. num. 4. ff. de constit. princip.* Tiraquel. *in l. Si vnquam verbo libertis. tom. 45. Cod. de reuocat. donat.* Azot. *part. 1. lib. 5. cap. 16. quæst. 9.* Salas *de legib. disput. 21. sect. 3. num. 4.* Rodriquez *quæst. regul. 11. art. 6. ver. Tertia regula. tom. 2.* Rota coram Seraph. *decis. 605. num. 3.* & *decis. 324. num. 12. part. 5. Recent.* In priuilegio autem, de quo agitur, nulla penitus mentio fit de ministro pro sumenda Eucharistia, & & ideò non potest dici, quod concedat ministrum, qui aliàs ministrare non possit; debuisset enim exprimi talis concessio, quæ cum nullo modo sit expressa, nullo quoque modo erit facta.

Ad 1. pro opposita sententia. In priuilegio Cruciatæ facultatem recipiendi Eucharistiam non limitari quoad ministrum ipsius, sed relinquitur in suo statu, prout de iure. Tunc valeret argumentum, si esset concessum aliquid de nouo circa ministrum, neque enim limitatio locum habere potest, nisi adsit limitandum; & ideò non potuit limitari, quod non est concessum. Cum autem concedat sumere Eucharistiam tempore interdicti, de ministro nihil decernit, quia relinquit dispositioni secundum quam regulatur ministratio Eucharistiæ, quoad ministrum, quia omnis dispositio intelligitur secundum terminos habiles, atque adeò præsens de recipienda Eucharistia per ministrum habilem iuxta ea, quæ tradunt Ias. *in l. 2. §. Præter att. num. 4. ver. 2. ff. qui satisd. cog.* Natta *cons. 359. num. 5. ver. Nam verba* Cephal. *cons. 23. num. 24. ver. Et intelligitur.* Surd. *cons. 380. num. 8. vers. Dispositio. lib. 2.* Rota coram Penia *decis. 906. num. 2.* 8

Ad 2. Exceptionem diei Paschatis fuisse necessariam, etsi, non concedatur sumere Eucharistiam à quocunque Sacerdote, quia cum possit sumi à Regularibus, priuilegiatis, erat opus excipere diem Paschatis, vt in ipso sumeret à proprio Pastore. Deinde cum possit sumere in priuato Oratorio, debuit ex hoc quoque capite excipi dies Paschatis, vt in ipso non possit sumere: ex quibus satis constat exceptionem non esse frustratoriam, sed operari suum effectum. 9

QVÆSTIO 647.

An in virtute Bullæ Cruciatæ possit in die Paschatis sumi Eucharistia in priuato Oratorio.

SVMMARIVM.

1. *Eucharistia an possit sumi in die Paschatis in priuato Oratorio, si impletum sit præceptum, &c.*
Quantum extendatur tempus implendæ communionis Paschalis.
2. *Quæ communio prohibeatur die Paschatis in priuato Oratorio.*
3. *Bulla Cruciata excipit præcisè communionem in die Paschatis in priuato Oratorio.*
4. *Communio Paschalis vt speciali nota digna non venit sub generali concessione, &c.*
5. *Communio præcisè excluditur in die Paschatis, quia excluditur etiam celebratio in priuato Oratorio.*
6. *Impeditus adire Ecclesiam non potest virtute Bullæ Cruciatæ petita licentia, & non obtenta, sumere communionem in priuato Oratorio.*

IN Bulla Cruciatæ sicuti conceditur tempore interdicti sumptio Eucharistiæ etiam in Oratorio priuato, ita excipitur dies Paschatis, vnde oritur difficultas, an si quis antea satisfecisset præcepto communionis 1

Digitized by Google

munionis Paschatis, possit in die ipso Paschatis sumere in ptiusto Oratorio. Est autem supponendum, quod nomine Pascbatis, quatenus importat tempus designatum pro adimpleodo præcepto Communionis, non intelligendum solus dies Paschatis, sed totum illud tempus quod solet ab Ecclesia concedi pro adimplendo præcepto, quod regulariter esse solet à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis, vel etiam magis amplum iuxta consuetudinem loci, ita docent communiter Doctores D.Thom. *in 4. distinct. 13. quæst. 3. art. 4.* Maior. *distinct. 17. quæst. 1.* Caiet. *in summ. verbo Communio*, Tabien. *num. 58.* Syluester *verbo* Euchatistis 3. *n.* 6. Suarez *disp. 76. de Eucharist. sect.* 2. ver. *Sed circa.* Nauar. *cap. 21. Manual. num. 45.* Azor. *part. 1. lib. 7. cap. 41. quæst.* 4. Facundez *precept. 3. Eccles. lib. 1. c. 5. num. 3.* Conincb. *de sacrament. quæst. 80. art. 21. dub. 4. num....* Angles *quæst. 2. de Eucharist. art. 9. conclus. 3.* Rodriquez *tom. 1. sum. cap. 64. num. 1.* Baribol. ab Angelo *Dialog. 4. §. 267.* Filliuc. *tract. 4. c. 2. n. 55.* Reginaldus *lib. 29. num. 74.* Molfes. *part. 1. sum. tractat. 3. cap. 8. num. 16.* Bonac. *disput. 4. de Eucharist. quæst. 7. punct. 2. num. 7.* Palaus *part. 4. oper. moral. tractat. 21. disput.... punct. 15. num. 2.* Isambert. 3. *part. quæst. 80. disput. 6. art. 2.* ver. *Sunt autem.* Mercer. *art. 11.* ver. *Notandum 3.* Chellison. ver. *Notandum tertio.* Præpos *dub. 2. not. 3.* Siluius *quæst. 1. conclus.* 2. ver. *Tandem verò.* Layman. *lib. 5. Theolog. moral. tractat. 4. cap. 5. num. 8.* Auersa *quæst. 8. de Eucharist. sect. 3.* ver. *Tertio.* Villalob. *part. 1. sum. tract. 7. difficult. 42. n. 7.* Henriquez *lib. 8. sum. c. 55.* Ludouic. à Cruce *in Bullam Cruciata, disput. 5. cap. 5. dub. 5. num. 4.* & hoc est certum ex declaratione Eugenij IV. *in extrauag. fide digna*, qui its declarauit & etiam ex praxi fidelium quæ ita declarauit præcepti obligationem, & eadem praxis admittitur ab Ecclesia.

2 Hoc autem stante dubitatur, an quando in Bulla Cruciatæ excluditur dies Paschatis, in quo non possit recipi Eucharistia in priuato Oratorio, intelligatur in ordine ad satisfaciendum præcepto de communione Paschali, an vero intelligatur de ipso die præcisè Paschatis. Quod autem intelligatur solum in ordine ad satisfaciendum præcepro de Communione Paschali, & proinde, qui satisfecerunt, possint in dicto die sumere Eucharistiam in priuato Oratorio tradunt Ludouic. à Cruce *in Bullam Cruciate, disput. 1. c. 3. dub. 5 num. 2.* Bardus *in Bullam Cruciata part. 2. tract. 2. cap. 4. sect. 2. num. 12.* Fundamentum huius sententiæ est, quia ideò excipitur dies Paschatis, vt fideles recognoscantur à proprio Pastore in receptione Eucharistiæ, quando sumenda est ex præcepto Ecclesiæ, cum ergo alio die impleri possit præceptum, vt fideles recognoscantur à proprio Pastore, si adimpleuerint, cessat causa finalis exclusionis atque adeò etiam exclusio.

3 Secunda sententia asserit excludi ipsum diem Paschatis præcisè, & independenter ab eo, quod adimpletum, vel non adimpletum, sit præceptum de communione Paschali ita Trullench. *in Bullam Cruciata lib. 1. §. 3. dub. 7. num. 8.* qui citat Nauarr. *c. 21. Manual. num. 52.* Azorius *part. 1. lib. 7. cap. 30. q. 7.* quatenus docent, quod quando conceditur regularibus posse ministrare Eucharistiam, præterquam in die Resurrectionis Dominicæ vt in priuilegio Sixti IV. & Leonis X. intelligitur ipse dies præcisus Dominicæ Resurrectionis. Fundamentum est, quia priuilegium supponit, quod communio Paschalis debeat sumi à proprio Pastore, & possit sumi à Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam in Albis; & proinde dum excipitur dies Paschatis, nedum excipitur ratione communionis Paschalis, sed etiam ratione sui.

Dicendum est. *In Bulla Cruciata excipi absolutè diem Paschatis, in quo non possit sumi in Oratorio priuato Eucharistia, & non tantum in ordine ad communionem Paschalem.* Ratio est. Quia communio Paschalis qua satisfit præcepto de sumenda Eucharistia est de iure Parochorum, & speciali nota digna tanquam pertinentia ad exercitium curæ animarum, & ideò quando conceditur facultas ministrandi Eucharistiam intelligitur semper excepta ministratio pro communione Paschali, nec censetur concedi, nisi specialiter exprimatur: ergo, dum Pontifex in Bulla Cruciatæ concedit sumere Eucharistiam non includitur sub hac concessione generali sumptio pro communione Paschali, quia tanquam speciali nota digna non venit sub generali concessione. *l Eos ff. De aquaduct.* & notant Alex. *consil. 104. in fine. lib. 1.* Crauetta *consil. 80. n. 19.* Alphons. *de decis. 111. num. 9.* ergo non opus fuit excludere diem Paschatis, si excluderetur tantum in ordine ad communionem Paschalem cum iam ista remaneret exclusa. 4

Confirmat. Dies Paschatis est exclusus etiam in ordine ad celebrandam Missam in priuato Oratorio tanquam vnus ex illis diebus, in quibus publico modo assistendum est sacrificio, vt publico modo reddatur Deo debitus cultus iuxta ea, quæ dicta sunt in superioribus: ergo exclusio, quæ fit in ordine ad sumendam Eucharistiam nedum est pro communiona Paschali, sed pro quacunque sumptione itavt finis exclusionis sit, quod tali die vsus priuati Oratorij sit omnino exclusum pro quacunque functione. 5

Ex dictis infertur. Quod si contingat, quod habens Oratorium priuatum non possit ex legitima causa adire Ecclesiam pro præcepto communionis Paschalis adimplendo, non poterit sicut putat Quintanaduen. *tom. 1. singul. tractat. 7. singul. 33. num. 4.* posse, adimplere præceptum in priuato Oratorio petita licentia Parochi, & denegata licet habeat Bullam Cruciatæ, quia in die Paschatis non potest ibi celebrari, vt dictum est suo loco. Tum quia Parochus non denegat iniustè licentiam, cum possit ipse velle in tali casu ministrare Eucharistiam, aut celebrando in Oratorio aliquo alio die extra diem Paschatis, vel deferendo ab Ecclesia Eucharistiam si tamen nec vellet Parochus ministrare, nec dare licentiam vt ab alio ministraretur, tunc licentia esset iniustè denegata; & ideò posset aliquo alio die ex destinato tempore pro præcepto implendo dummodo non sit dies Paschatis, implere in suo priuato Oratorio. 6

QVÆSTIO .648.

Quanam sit familia, quæ in priuatis Oratoriis potest audire Missam.

SVMMARIVM.

1. *In priuilegio Oratorij nomine familia non venit prosapia.*
2. *Sed qui constituunt vnicam domum.*
3. *Quis dicatur de Familia.*
4. *Coniuncti & simul habitantes veniunt nomine Familia quoad Oratorium.*
5. *Quid sufficiat, vt quis sit commensalis.*
6. *Pecunia pro alimentis sufficit exhiberi, vt quis sit commensalis.*
7. *Hortulanus potest audire Missam in priuato Oratorio.*

8. *Exteri*

8. *Exteri dum inseruiunt infirmo gaudent priuilegio Oratorij.*
9. *Vt quis sit familiaris, an sufficiat habitare in domo.*

1 IN concessione priuati Oratorij ponitur clausula, *In tua & familia tua, necnon hospitum tuorum nobilium præsentia celebrare facere liberè, & licitè possis.* Difficultas autem modo est quid iotelligatur nomine familiæ. Certum est autem, quod familiæ appellatiooe non venit familia quatenus comprehendit omnes agnatos iuxta ea, quæ notant Gabr. *conf.*132. *num.*59.*lib.*1. Simon de Præt. *de interpr. vlt. volunt. lib* 3. *interpr.*3. *dub.* 3. *dub.* 1. *solut.* 1. *num.* 26. cum aliis Rota. *decis.* 707. *num.* 6. *part.* 1. *Recent.* Neque enim familia sumitur in hac significatione tum quia priuileginm est concessum pto habitantibus in domo priuilegiati, aut ipsi inseruientibus, vnde in priuilegio excluduntur familiares qui non sunt necessarij seruitio Domini. Tum quia finis priuilegij est concedere commoditatem, vt Missa domi audiri possit, non autem vt extranei confluant ad audiendam.

2 Familiæ ergo appellatione veniunt ij, qui constituunt vnicam domum quatenus domus comprehendit personas non solum coninnctas domino, & cum ipso conuioentes, sed etiam omnes alias necessarias pro seruitiis iuxta ea, quæ tradit Tusch. *littera F. conclus.*72. *num.* 11. 27. & 30. & alij mox citandi; vnde vt quis veniat sub nomine familiæ requiritur, quod viuat expensis domioi, & sit ipsi coniunctum, seu pertineat ad ipsum sumere ratione parentelæ siue ratione seruitij, & proiode sit verè familiatis si aliàs sit persona extranea.

3 Vt autem aliquis dicatur familiaris duæ conditiones reperiuntur coniunctim, per quod viuat expensis domini, & quod inseruiat actio, quod intelligendum de personis extraneis, quæ non sunt coniunctæ in consanguinitate, aut affinitate domino, ita desumitur ex cap. *Sicut nobis, de verb. significat. in* 6. vbi id obseruant Doctores Franc. *num.*4. Bellarm. *consil.*20. *num.*9. Anchar. *conf.*398. *n.*2. Gomez *ad Reg. de impetrand. Benef. vacan. per obitum.* Mascard. *de probat. conclus.* 755. Tusch. *numero præcedenti*, citatus.

4 Ex quibus desumitur, quod io ordine ad audiendam Missam in virtute præsentis priuilegij, vt notat etiam Tambur. *opus. de sacrific. Miss. lib.*1. *cap.*4. §.4. *num.*18. Veniat vxor priuilegiari, filij, nurus, gener, & quicunque alij, qui priuilegiato coniuncti siot, & simul habitent, atque commensales sint. (Hi enim omnes pertinent ad eam familiam) prout importat vnum corpus cohabitantium, & conuiuentium. Insuper veoiant omnes serui, & seruæ inseruientes prædicti, aut personaliter aut in communi seruitio domus, quia suot persooæ necessariæ ad complementum familiæ.

5 Est tamen aduertendum, quod vt sint commensales supradictæ personæ attinentes ad priuilegiatum, non est necessarium, quod conueniant ad eandem mensam vt constat in seruis, qui dicuntur commensales domini, & tamen non conueniunt ad mensam ipsius, sed sufficit, quod viuant de communibus prouentibus, quibus substentatur familia, licet sternerent plures meosas ob commoditatem.

6 Rursus est etiam aduertendum, quod, vt aliquis sit commensalis, & dicatur viuere expensis domini, non est necessarium, quod dominus faciat subministrare cibaria, sed sufficit, quod exhibeat pecuniam per quam sibi de victu possit prouidere, vt notant etiam Tusch. *littera F. conclus.* 72. *num.* 37. Suarez *tom.*4. *de relig. tract.*10. *lib.*9. *cap.* 4. §. 4. *num.*29. & constat etiam ex praxi Romanæ Curiæ, nam habentur pro familiaribus Cardioalium, qui in pecunia recipiunt menstruom salarium. Et ratio est, quia ad commensalitatem materialiter, se habet; quod cibaria, vel quod subministretur pecunia, vnde possint comparari.

Ex quibus fit, vt notat etiam Pellizar. *tom.* 2. *Manual. tractat.*8. *cap.* 2. *sect.* 3. *quæst.* 12. Tambur. *opuscul. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 28. ver. *Hinc benè.* Quod hortulanus colens hortum, & obtinens salarium à domino si tamen continuò assistat culturæ, veniat necessariò familiaris, & commensalis in ordine ad audiendam Missam nam reuera est persona necessariò pro seruitio familiaris, & manet io continuo seruitio, & fit commensalis ratione salarij, & idem dicendum est de quibuscunque aliis ioseruientibus in qoocunque seruitio continuò concernente familiam, & habentibus salarium à domino pro sustentatione. 7

Secundo deducitur. Quod si quis accedat vt inseruiat infirmo, aut vt tanquam propinquus illi assistat, satisfaciet præcepto audiendo Missam in priuato Oratorio illius domus, nam hoc sufficit, vt fiat familiaris, inseruit enim actu, aut si tamen assistat, exercet munus eorum, qui sunt de familia, & proinde habetur tanquam vnus de familia; & hoc valet, etiamsi io litteris concessionis noo adsit clausula: *In præsentia tuorum hospitum*, quia hoc non fundatur in hospitio, sed in seruitio assistentiæ, incipiet autem statim gaudere priuilegio, quia statim incipit fundamentum nempe incorporatio familiæ. 8

Adest tamen specialis difficultas, an necessarium sit, vt aliqois veniat appellatione familiæ, & sit verè familiaris, quod habitet in domo sui domini, an verò sufficiat quæ inseruiat & obtineat salarium. Resp. Non esse necessarium, quod habitet in domo priuilegiati, vt notant etiam Gomez *ad reg. de impetrat. benef. vacan. per obitum famil. quæst.* 13. ver. *vlt.* Anton. Bard. *de temp. vtil. cap.* 12. *num.* 2. ver. *Sicut dicimus.* Menoch. *de arbit. lib.*2. *casu* 202. *n.*119. Suarez *tom.* 4. *de relig. tractat.* 10. *lib.*9. *cap.*4. *n.*15. Tamburin. *opuscul. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.*4. §. 4. *num.*29. Quia ad familiaritatem constituendam iuxta cap. *Sicut nobis. de verb. signific. in* 6. sufficiunt duæ conditiones nempe esse in seruitio continuò domini, & viuere expensis ipsius. Vnde negotiorum infirmorum gestor, vulgò *Factor* erit familiaris, licèt non habitet intra domum, vt ootat Pellizzar. *numero præced. cit.* & Tamburinus *modo citatus.* 9

QVÆSTIO 649.

An filij, & filiæ eorumdem vxores, & viri gaudeant Priuilegio si habitent in eadem domo, sed suis expensis viuant.

SVMMARIVM.

1. *Filij, filiæ, vxores eorumdem, & viri an fruantur Oratorio si propriis expensis viuant.*
2. *Non sunt commensales.*
3. *Constituunt propriam familiam.*
4. *Priuilegium Oratorij non potest extendi ad eos, qui non sunt propriè familiares.*
5. *Extraneus, sed commensalis an fruatur priuilegio Oratorij.*

SVpponitur, quod non sint commensales, sed suis expensis viuant seorsim à patre priuilegiato, habeant suos proprios seruos, & habitent in eadem domo 1

domo in suis propriis mansionibus. Quod autem fruantur priuilegio Patris tradunt Pellizar. *tom. 2. Manual. tractat.* 8. *cap.* 2. *sect.* 2. *part.* 12. Tamburin. *opuscul. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *numero* 31. Quia hoc priuilegium est priuilegium Principis, sine alicuius præiudicio, & proindè est ampliandum ad familiam longè sumptam filij autem & filiæ cum vxoribus, & viris, eorumdem serui, dum habitant in eadem domo; sunt de familia large sumpta.

2 Verum oppositum est tenendum, quod scilicet non fruantur priuilegio audiendi Missam in priuato Oratorio. Ratio videtur clara, quia nomine familiæ veniunt tantum, qui sunt familiares. Prædictæ autem personæ non sunt familiares, quia in ipsis deficit conditio necessaria ad constituendam familiaritatem, nempè commensalitas iuxta cap. *Sicut nobis. de verb. signific. in* 6. sine qua destruitur familiaritas.

3 Confirm. Prædictæ personæ, quoad personas proprias, & seruorum constituunt familiam omninò distinctam à priuilegiato, cum viuant propriis expensis, habeant omnia seruitia, & suos domesticos seorsim à familia priuilegiati; non communicent in habitatione, quamuis in eadem domo materiali habitent: ergo non possunt venire appellatione familiæ eiusdem priuilegiati, quia appellatione familiæ priuilegiati non venit alia familia distincta, sed tantum qui constituunt familiam eiusdem priuilegiati. Præsertim quia in familia filiorum, &c. concurrunt omnia necessaria ad constituendam familiam. Et ideò, cum plurificentur, constituunt plures familias, & vna non potest venire appellatione alterius.

4 Neque subsistit fundamentum oppositæ sententiæ, quia licet hoc priuilegium sit beneficium Principis; & absque alicuius præiudicio, est tamen contra ius commune, & ideò non potest extendi vltra propriam verborum significationem iuxta ea, quæ dicta sunt in superioribus. Familia autem habentis priuilegium, ad quam extenditur priuilegium, secundum suam propriam significationem coarctatur ad significandum familiam propriam eiusdem priuilegiati, & nullo modo aliam familiam distinctam. Imò filij, eorum vxores, &c. neque longè sunt de familia Patris, quamuis habitent in eadem domo, quia cum in eorumdem coadunatione concurrant omnia necessaria pro constituenda familia, non communicant in vnitate familiæ cum familia Patris: & proinde tanquam componentes distinctam familiam neque largè sunt de ipsius familia.

5 Hinc oritur alia difficultas. Quid dicendum de eo, qui nihil pertinet ad priuilegiatum, quoad parentelam, est tamen commensalis ipsius participans in communi seruitio, quod per famulas familiæ exhibetur, sed soluit pro alimentis certam pecuniæ quantitatem. Resp. Censeri de familia, & proindè frui priuilegio audiendi Missam in priuato Oratorio. Nam quamuis soluat pecuniam pro alimentis, est tamen incorporatus familiæ, quia est admissus ad conuiuendum cum cæteris de familia, & pecunia, quam soluit, & pro onere, quod Dominus familiæ assumit, dum se obligat ad alendum, & præstandum ea, quæ participant, qui sunt de familia. Et hoc locum habet, etiamsi haberet aliquos speciales famulos, nam hoc non tollit, quin sit incorporatus familiæ.

QVÆSTIO 650.

An degentes ruri in seruitio Domini gaudeant priuilegio Oratorij.

SVMMARIVM.

1. *Degentes ruri in seruitio Domini fruuntur priuilegio Oratorij ipsius.*
2. *Nec obstat, quod non morentur simul cum Domino.*
3. *Capellanus Domini, an & quando fruatur priuilegio Oratorij ipsius.*

1 QVia contingit, quod aliqui in seruitio Domini manentes degant ruri extra ciuitatem, vt vacent negotiis ruralibus, quales sunt villici, ideò dubitatur, an quando veniunt ad vrbem possint satisfacere præcepto audiendi Missam in Oratorio Domini priuilegiati. Resolutio autem difficultatis, pendet ex eo an sint verè familiares. Et affirmatiuè videtur resoluendum. Nam in ipsis concurrunt conditiones, quibus personæ extraneæ constituuntur familiares iuxta cap. *Sicut nobis. de verb. significat. in* 6. nempe. Esse in continuo seruitio, & esse commensalem, hoc est viuere expensis domini, vt dictum est in superioribus. Prædictæ enim personæ sunt in continuo seruitio Domini: & viuunt expensis illius, dum ipsis soluitur salarium, quo se alimentare possunt.

2 Nec obstat, quod degant ruri, quia vt dictum est *quæst.* 650. *num.* 9. non est necessarium, quod familiares habitent in eadem domo, vt constat ex praxi præsertim hic Romæ, vbi quàm plurimi non habitant in domo sui Domini; sed in propria, & tamen fruuntur priuilegiis familiaritatis, & hoc præsertim locum habet in villicis, & aliis huiusmodi, personis, quia ruri degunt ita exigente seruitio Dominorum. Vnde non obstat, quod non degant intra Ciuitatem, quia plus obstare deberet degere intra ciuitatem, extra domum sui Domini absque eo quod hoc exigat seruitium ipsius, quam ob exigentiam seruitij domini degere ruri, quia cum hoc conferat ad seruitium; potius confert ad fundandam familiaritatem, quàm ipsi obstet.

3 Ex his resolui potest alia difficultas de Capellano, an scilicet, quando contingit in dicto celebrare possit satisfacere præcepto audiendi Missam in Oratorio illius cuius est Capellanus. Partem affirmatiuam tradit Pellizar. *tom.* 2. *Manual. Regul. tract.* 8. *cap.* 2. *sect.* 2. *part.* 12. licet viuat in propria domo, & salarium tamen recipiat: verum distinguendum est cum Tamburin. *opuscul. de sacrificio Miss. lib.* 1. *cap.* 4. §. 8. *num.* 30. Quod non possit si salarium tantum percipiat pro celebrando absque eo, quod in celebratione inseruiat domino, sed habeat tantum onus celebrandi. Posse autem si sit addictus seruitio Domini; itavt celebret, & Dominus, aut familia habeat commoditatem audiendi Missam. Tunc enim est in seruitio Domini, & cum recipiat salarium, viuit expensis ipsius, & proinde concurrunt conditiones necessariæ, vt sit verè familiaris. Nec obstat, quod non habitet simul cum Domino iuxta dicta in superioribus.

QVÆSTIO 651.

An non exigens, quod sibi pro victu assignatum est, fruatur priuilegio Oratorij priuati.

SVMMARIVM.

1. *Nihil pro seruitio accipieas non videtur familiaris,*
2. *Non exigere, quod sibi assignatum est, non nocet familiaritati.*
3. *Non exigens, quod sibi assignatum est pro virtualibus, censetur donare.*
4. *Recipit mercedem seruitij, & transfert postea in soluentem.*
   Assignatio mercedis habet effectum, licet non exigatur.

1 SVpponit difficultas, quod quis maneat in seruitio priuilegiati, & habeat assignatam certam quantitatem pro victu, aut victualia, sed nihil de assignatis exigat, & quæritur, an is tanquam de familia possit satisfacere præcepto audiendo Missam in priuato Oratorio sui Domini. Ratio dubitandi est, quia non videtur esse familiaris, nam cum nihil pro seruitio recipiat, videtur gratis seruire, & proinde non viuere expensis Domini. Illa enim assignatio stipendij cum non habeat effectum eodem modo se habet, ac si non esset.

2 Dicendum tamen est. *Posse frui priuilegio, & satisfacere præcepto audiendo Missam in priuato Oratorio sui Domini.* Deducitur ex eo, quod non officit familiaritati non exigere, quod sibi assignatum est pro victu iuxta ea, quæ tradunt Gamb. *de Potest. leg. delat.* Rubr. *An possit legat. pla. benefic. confer. num.* 154. Menoch. *de Arbitr. lib.* 2. *cent.* 6. *casu* 552. *num.* 6. quatenus volunt, eum esse commensalem, cui locus datus est in Tinello licet vti nolit.

3 Ratio est. Quia eo ipso, quod assignata sunt alicui victualia, siue quantitas pecuniæ pro comparando victu sub onere seruiendi, & seruit, facit suum quod assignatum sibi est, & acquirit ius ad ipsum: ergo acquirit, quod sibi debetur pro alimentis, & proinde fit commensalis, quia ad verificandam hanc conditionem sufficit, quod habeat expensas pro victu aut ipsum victum à Domino. Nec obstat, quod non exigat, quia non exigendo censetur donare Domino, quod acquisiuit titulo seruitij; nam reuera abdicat à se ius acquisitum, & transfert in Dominum, quod non tollit, ne habuerit stipendium pro seruitio exhibito, & proindè nec etiam tollit commensalitatem necessariam pro familiaritate.

4 Ad rationem dubitandi respondetur. Falsò supponi, quod nihil recipiat pro seruitio, quia reuera recipit, quod pro compensatione assignatum fuit, nam seruiendo facit suum acquirendo ius ad ipsum quod satis ex eo constat, quod in iudicio posset cogere Dominum ad soluendum, si nollet soluere. Et hoc satis est, quod dicatur viuere expensis Domini; quam ad hoc verificandum non requiritur, quod conuertat in sui alimentatione, quod recipit à Domino, nam posset dare pro Eleemosyna, & aliunde viuere: sed sufficit quod seruiendo acquirat, quod possit conuertere in sui alimentationem. Nec etiam dici potest, quod assignatio non habeat effectum, & proinde paria sint non habere effectum; ac non esse factam assignationem. Nam reuera assignatio transfert in seruientem, quicquid est assignatum, & facit, quod sit de iure ipsius, & proinde non exigendo cedit iuri acquisito; & quod est de iure seruientis liberaliter datur Domino. Imò ex hoc arguitur, quod assignatio habeat effectum, quia subministrat materiam, exercendi actum specialem donationis.

QVÆSTIO 652.

An in priuatis Oratoriis celebrari possit præsente sola familia, & non Domino

SVMMARIVM.

1. *An requiratur præsentia Domini, vt possit celebrari in priuato Oratorio.*
   Dictio, &, quando sumi possit disiunctiuè.
2. *Qui asserant, non requiri præsentiam Domini.*
3. *Missa celebrari potest in priuato Oratorio præsente sola familia.*
   Dictio, &, auget & extendit concessionem ad copulata.
   Facit quod priuilegium sit concessum etiam personis copulatis.
4. *Dictio, &, æqualiter copulat.*
5. *Dictio, &, operatur, quod concessum vni, sit etiam concessum alteri, si copulet in ordine ad concessionem.*
6. *Dictio, &, operatur, quod personæ copulatæ, æqualiter participent priuilegium.*
7. *Priuilegium communicatur personis annexis principali priuilegiato.*
   Oblati Religionum participant eiusdem priuilegia.
8. *In priuilegio Oratorij familia est priuilegiata vt accessoria.*
9. *Vsus tamen priuilegij non est accessorius.*
10. *Dictio, &, sumitur coniunctiuè distributiuè in priuilegio Oratorij.*
11. *Priuilegiam Oratorij quomodo extendatur ad familiam.*

DIfficultas oritur ratione clausulæ, quæ ponitur in litteris concessionis nempe. *In tua, & familia tua necnon hospitum tuorum nobilium præsentia.* dubitatur enim an talis clausula requirat, quod Dominus sit præsens, vt coram familia celebrari possit si non sit præsens. Quod autem debeat necessariò esse præsens Dominus tenet Henriquez *lib. 7. sum. cap.* 13. *num.* 4. Rodriquez *in Bull. Cruc.* §. 5. *num.* 5. Bard. *in Bull. Cruc. part.* 2. *tractat.* 2. *cap.* 3. *sect.* 8. *num.* 69. Fundamentum est. Quia dictio, *&*, secundum suam propriam significationem, & naturam est copulatiua: & significatio disiunctiua est impropria Ergo cum sit accipienda secundum propriam significationem, quia sumus in priuilegio strictè interpretando requiret, quod interueniat Dominus. Confirmat. Tunc dictio, *&*, sumi potest disiunctiuè si illa, inter quæ ponitur, participent per se primò & sine dependentia vnius ab alio illam rationem, per quam connectuntur, vt si dicatur Petrus, & Paulus possint expendere centum aureos, & ambo sint diuites, secus autem si vnus participet cum dependentia ab alio, quam tunc est accipienda copulatiuè, vt si dicatur, Petrus Clericus, & sua familia sint immunes à Gabellis. In præsenti autem casu familia participat priuilegium dependenter à Domino. Et ex hoc, quod non valeat consequentia. Non potest familia audire Missam sine Domino: ergo nec Dominus sine familia, aut è contra, quia Dominus participat priuilegium per se: familia autem ratione Domini. 1

Secunda

2 Secunda sententia asserit celebrari posse in præsentia familiæ, licèt non sit præsens Dominus. Ita Megal. *resol. variar.* 161. *num.* 18. *tom.* 2. Nauar. *in sum. Bull. part.* 1. *tit. de orat. num.* 8. Ludouic.à Cruce *in Bulla Cruciata cap.* 5. *dub.* 3. *num.* 5. Quintanaduen. *tom.* 1. *singul. tract.* 7. *singul.* 32. *num.* 7. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tractat.* 25. *disput. vnic. punct.* 6. *num.* 9. Auersa *de Eucharist. part.* 11. *sect.* 14. vet. *Septimo*. Pellizar. *tom.* 2. *Manual. Regul. tractat.* 8. *cap.* 2. *sect.* 2. *num.* 149. Tambur. *opuscul. de sacrif. Miss. lib.* 1. *cap.* 4. *§.* 4. *num.* 39.

3 Dicendum est. *In priuatis Oratoriis celebrari posse Missam præsente sola familia licet non sit præsens Dominus.* Hoc autem desumitur ex dictione, *&* qua familia coniungitur cum domino dum dicitur, *In tua, & tua familia.* Tota enim copulatio, quam exercet hæc dictio, est in ordine ad dispositionem summi Pontificis, atque in ordine ad concessionem, & exercitium eiusdem concessionis, atque adeò ad participandum priuilegium. Est enim in oratione, quæ regitur verbo *Concedentes*, atque adeò familia copulatur in ordine ad verbum *Concedentes*, quod est copulari in ordine ad participandam concessionem: non ergo, ita dictio, *&* augeat, & amplifet dispositionem iuxta *l. Si adiiciatur. ff. Pro socio*, & *l. Facta tamen adiectio. ff. de leg.* 3. & notant DD. *in l. Gallus. §. Etiam si. ff. de liber. & posth.* Alex. *cons.* 120. *num.* 1. *lib.* 1. Menoch. *cons.* 878. *num.* 33. Bald. *in l. Sed etsi. in fine. ff. Pro socio.* Ruin. *cons.* 79. *num.* 9. *lib.* 5. Parisf. *cons.* 7. *num.* 29. *lib.* 3. Rota coram Ludouisf. *dec.* 21. *num.* 3. Vnde cum in præsenti copulat in ordine ad concessionem priuilegiatiuam ampliabit ipsam dispositionem concessionis, & extenditur etiam ad familiam, itavt censeatur ipsa quoque priuilegiata, & consequenter participet priuilegium non ratione Domini quia scilicet pertineat ad ipsum, qui est priuilegiatus, sed ratione concessionis priuilegiatiuæ, quæ immediatè se extendat ad ipsam, & circa ipsam operetur suum effectum, & ideò tanquam immediatè priuilegiata fructur priuilegio, licet in exercitio non adhibeatur à Domino, itavt vsus priuilegij familiæ non sit dependens ab vsu Domini. Pro quo est aduertendum, quod valdè diuersum, quod priuilegium sit tantum concessum domino, & ratione attinentiæ ad ipsum participetur à familia. Et aliud, quod ratione attinentiæ ad dominum sit priuilegium concessum familiæ. Primum facit quod participat familia tantum in vsu priuilegij, & tunc haberet locum prima sententia; secundum dicit, quod familia participet in ipso priuilegio, atque adeò quod in vsu non sit dependens à Domino. Est autem priuilegium concessum familiæ, vt dictum est.

4 Et præsertim hoc verum est, quia dictio *&*, æqualiter copulat, vt tradunt Socin. *sen. cons.* 40. *n.* 28. *lib.* 4. Natta *cons.* 573. *num.* 14. *lib.* 2. Menoch. *cons.* 943. *num.* 10. Signorol. *cons.* 199. *num.* 2. Iaf. *in l.* 1. *n.* 13. *ff. de iust. & iure.* Felin. *in cap.* 2. *num.* 32. *de rescript.* Guido Papa *decis.* 527. *num.* 1. Parisf. *cons.* 13. *num.* 14. *vol.* 1. Rota *decis.* 115. *num.* 8. *part.* 1. *diuers.* & coram Ludouisf. *decis.* 308. *num.* 3. Vnde cum in præsenti copulet familiam cum domino in ordine ad participandum priuilegium copulabit ad participandum æqualiter, & proinde vsus priuilegij quoad familiam non erit dependens ab vsu quoad dominum.

5 Confirm. Quando dictio *&* ponitur inter diuersas, personas respectu eiusdem rei in oratione, quæ regitur eodem verbo, quod tribuitur vni ex illis personis, etiam tributum alteri personæ iuxta ea, quæ tradunt Bart. *in l. Seia, §. Caio. num.* 5. *ff. de fundamento Instrum.* Aret. *cons.* 1. *num.* 13. Ruin. *cons.* 15. *num.* 8. *lib.* 1. Boët. *cons.* 120. *num.* 79. *lib.* 2. Socin. *iun. cons.* 160. *num.* 10. *lib.* 2. Menoch. *cons.* 117. *n.* 62. Rimin. sen. Socin. sen. Neuisan. *cons.* 72. *n.* 15. alios citans Molin. *lib.* 3. *de primog. cap.* 5. *num.* 57. Zabarel. *consil.* 58. *init.* Alex. *consil.* 120. vet. *Non obstat lib.* 1. In præsenti autem dictio ista ponitur inter dominum & eos, qui sunt de familia respectu eiusdem rei nempe priuilegij audiendi Missam in Oratorio priuato, & oratio regitur eodem verbo principali, indulgemus, & ideò facultas, quæ in priuilegio tribuitur Domino, tribueretur etiam familiæ.

Ex quo fit, quod effectus huius dispositionis priuilegiatiuæ æqualiter trahatur ad dominum, & familiam, itavt dictio *&* faciat copulatos æqualiter admitti ad participandum priuilegium iuxta ea, quæ notant per text. *l. Reos. §. Cum in tabulis. ff. de duobus reis.* Gomez *var. resol. cap.* 11. *num.* 19. *tom.* 1. *& c.* 1. *num.* 26. *tom.* 1. Gonsales *ad reg.* 8. *Cancell. glos.* 3. *n.* 16. Cenedus *singul.* 50. *num.* 20. Et ideò tanquam æqualiter participantes poterunt vti priuilegio absque dependentia ad inuicem, & illud solum erit discrimen, quod Dominus participabit priuilegium independenter à Domino quoad concessionem, licèt non quoad vsum. 6

Confirm. 2. Quando priuilegia communicantur personis annexis illi, cui conceditur priuilegium, ita tamen vt ipsæ trahantur ad participandum non solum vsum, sed etiam ipsum priuilegium, quamuis in his priuilegium dependeat in conseruanda manutentione priuilegij à præsenti iuxta ea, quæ tradunt Bald. *in l. omnia quæst.* 2. *C. de Episcop. & Cleric.* Panorm. *in cap. fin. num.* 6. *Ne Clerici vel Monachi* Socin. *in l.* 1. vet. *Potest tamen dubitari. ff. de leg.* 1. Tapia *in l. vlt. part.* 2. *cap.* 9. *num.* 120. *ff. de constit. Princ.* Mandosf. *de priuil. ad instar. quæst.* 6. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 16. *num.* 11. Quoad vsum tamen non licet dependentiam, itavt priuilegiati rationem alterius vti possint priuilegio quamuis ipse eo non vtatur, vt constat in familiaribus seu oblatis Religionum, quibus communicantur priuilegia nonnulla Religionis, itavt solum non possint vti contra eum rationem cuius participant iuxta doctrinam, quam tradunt Abb. *in cap. Ex parte. num.* 14 *de præsumpt.* Bart. *in l. donationes. Cod. de donat. inter Vir. & Vxor.* Rodriquez *quæst. reg.* 55. *art.* 21. *tom.* 1. Corduba *in notat. ad compend. priuil. verbo* Communicatio *in fine.* 7

Ratio verò horum omnium est quia familia, & Dominus se habent vt accessorium, & principale, & proinde concessio priuilegij se extendit ad ipsos iuxta eorundem capacitatem, & naturam, & consequenter afficit dominum vt præsentem, & familiam vt accessoriam, & hoc quia motiuum concedendi est principaliter domino, & accessoriè tantù in familia; sit tamen vera extentio priuilegij, etiam ad familiam, itavt immediatè ipsum participet, & ex hoc fit, quod cessante priuilegio principalis cesset etiam respectiuè familiæ, contrarium cum contingit quoad vsum priuilegij, nam ex natura sua vsus quoad vsum est separabilis ab vsu quoad alios, nec concessione est limitatum, vtrum possit ad vsum reduci ab accessorio, nisi simul reducatur à principali, & proinde ita censetur concessum priuilegium, vt secundum ipsius naturam, capacitatem possit ad praxim reduci, & proinde ab omnibus priuilegiatis, quamuis ratione alterius sint priuilegiati; nam adhuc reuera participant priuilegium, & ideò potest quoad ipsos operari suum effectum, cum non dependeat quoad ipsum ab vsu principalis. 8

Ad fundamentum primæ sententiæ, quod, sicut ex dictis constat, sumendo dictionem, *&*, copulatiuè 9

trahitur priuilegium etiam ad familiam, & proinde posse habere vsum ipsius independenter ab vsu actuali domini, nec obstare, quod familia sit priuilegiata accessoriè ad dominorum, quia hoc locum habet quoad concessionem priuilegij non autem quoad vsum. Accedit etiam, quod quamuis vtatur priuilegio audiendi Missam non præsente domino, adhuc tamen vtetur dependenter ab ipso, quia vtitur tanquam familia ipsius, atque adeò dependenter ab eo, quod ipse sit priuilegiatus, imò adhuc ipse vtitur priuilegio non pro se, sed pro familia, nam interest ipsius, quod familia possit audire Missam domi, cum id conferat eiusdem seruitio, & sicuti ipse est priuilegiatus ex eo, quod propria familia possit domi audire Missam, ita, dum audit, vsus priuilegij est in fauorem ipsius & est vsus priuilegij quod ipse habet.

10 Ad confirm. dictionem, *&* non sumi disiunctiuè quasi vnum separet ab alio, sed coniunctinè distributinè, seu in sensu singulari iuxta ea, quæ notant Alciat. *cons.* 39. *num.* 19. *fol.* 9. Vulpell. *de præposit. & aduer. dict. & num.* 2. ver. *Illud.* Cenedus *singul.* 50. *num.* 9. itavt singulariter attribuat priuilegij vsum omnibus copulatis. Ad probat. in contrarium. Resp. Tunc dictionem, *&* non posse sumi disiunctiuè, seu potius copulatiuè in sensu singulari, quando quæ connectuntur in ordine ad aliquid vnum tantum participat rem illam, alterum verò non participat ex se, sed tantum extrinsecè ratione coniunctionis cum altero, vt in exemplo de Clerico, & familia, nam solus Clericus est priuilegiatus, & familia ex denominatione ab ipso Clerico, ac in præsenti & familia est priuilegiata, quia ipsi quoque relaxatur obligatio audiendi Missam in Ecclesia, & ex vi concessionis priuilegiũ extenditur etiam ad ipsum.

11 Deinde aliud est loqui de priuilegio, & aliud de vsu priuilegij familia participat priuilegium ratione domini, non quia solus dominus participat, & solum per quandam redundantiam extendatur ad familiam, & non ex vi concessionis, sed quia contemplatione domini conceditur etiam familiæ, quod ex eo constat, quia priuilegium ex vi concessionis extenditur ad omnes personas expressas, in concessione autem Oratorij exprimitur familia tanquam priuilegiata, quòd verò spectat ad vsum, quamuis sit dependens ab eo, quod priuilegium perseueret in domino, non est tamen dependens ab vsu eiusdem domini, quia cum priuilegium sit secundum se extensum ad familiam, quandiu in ipsa perseuerat potest sortiri suom effectum absque quod sortiantur in domino, quia vsus priuilegij in familia non dependet ab vsu domini.

QVÆSTIO 653.

Quinam sint hospites, qui in domo priuilegiati gaudent priuilegio audiendi Missam in priuato Oratorio.

SVMMARIVM.

1. *Hospitum appellatione qui veniant.*
2. *Quam nobilitatem debeant habere hospites, vt participent in priuilegio Oratorij illius, apud quem degunt.*
   Nobilitas multipliciter dicitur.
3. *Hospes vnius diei an fruatur priuilegio Oratorij.*
4. *Diuites an veniant appellatione nobilium quoad priuilegium Oratorij.*

1 QVamuis non in omnibus, in pluribus tamen solet apponi clausula, *Necnon in hospitum eorum nobilium præsentia.* Qui possunt interesse Missæ, & satisfacere præcepto. Ex quo constat, quod duplex conditio debet concurrere, nempe quod sit hospes, & quod sit nobilis; hospitum autem appellatione veniunt ij, qui domi commorantur tanquam extranei recepti à domino, qui quidem sunt commensales, sed ex occasione temporanea, & ad certum tempus.

Quod autem non reperiatur nobilitas ex genere obseruat Tambur. *opuscul. de sacrific. Miss. lib.* 1. *c.* 4. §. 4. *num.* 32. *in fine*, quia dicitur tantum nobilium non autem: *Ex notabili genere*, Adde etiam, quod sufficit quæcunque nobilitas, siue ex genere, siue ex priuilegio, siue ratione matris tantum, siue ratione dignitatis, seu gradus, siue quocunque alio modo, nam quælibet nobilitas quocunque modo conueniat hospiti, sufficit ad verificandam qualitatem nobilitatis requisitam cum sufficiat, vt appellari possit nobilis. Nobilitas enim multipliciter dicitur iuxta ea, quæ tradunt Tiraquel. *de nobilit. cap.* 4. *& seq.* Bart. *in l.* 1. *Cod. de dignit. lib.* 11. Ioan. Garzia *de nobilit. gloss.* 48. §. 5. *num.* 1. *& sequent.* Et secundum quamcunque acceptationem sufficiens est ad denominandum nobilem. 2

An autem priuilegium extendatur ad hospitem vnius diei, vt cum quis inuitatur ad prandium, affirmat Pellizar. *tom.* 2. *Manual. tractat.* 8. *cap.* 2. *sect.* 2. *quæst.* 13. Et videtur admittere Tamburinus *opuscul. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 33. Et quidem, si priuilegium extendatur etiam ad hos hospites, non extrahitur à propria verborum significatione, quia reuera hi quoque sunt hospites, & sistitur in illa interpretatione, quam admittit priuilegium strictè interpretandum, quod autem Vir nobilis possit inuitari ad prandium in hunc finem vt fruatur priuilegio audiendi Missam in priuato Oratorio, affirmat *cit. loc.* Pellizar. nec dissentire videtur Tamburin. *loc. cit.* quia hoc non esset fraus, sed reddere habilem virum nobilem, vt frui possit priuilegio, sicut non sit fraus, quando quis exit è loco, vbi obligat ieiunium, & it ad locum, vbi non obligat, vt possit carnes manducare; & quidem cum qualitas hospitij assumi possit licito modo secundum se, non video, quid repugnet, quin assumi possit ad quemcumque licitum finem, præsertim, quia eò ipso, quod conceditur priuilegium personis alicuius specialis qualitatis, licèt vnicuique eam qualitatem sibi procurare, vt frui possit priuilegio. Est tamen aduertendum, quod priuilegium non extenditur ad seruos hospitum, quia licet possint dici hospites, non sunt tamen nobiles, & priuilegium extenditur solum ad hospites nobiles, non autem ad ipsorum famulos. 3

An autem in præsenti casu diuites veniant nobilium appellatione affirmandum videtur, quia secundùm politicum statum vocantur nobiles iuxta *l.* 3. *C. de commer. & mercat.* & notant Guido Papa *singul.* 875. Tiraq. *de nobilit. cap.* 3. Matienzo *l.* 7. *glos.* 4. *tit.* 7. *lib.* 5. *noua Recopilat.* Verum inspiciendum est, an exerceant aliqua ex iis, quæ non compatiuntur cum nobilitate habita ratione consuetudinis regionis, quia si non exercent, poterunt haberi pro nobilibus; si verò exerceant, non poterunt haberi, quia præualet exercitium, quod non compatitur secum nobilitatem tanquam sufficiens ad illam destruendam, nec est verisimile, quod Pontifex velit nomine nobilium complecti eos, quamuis diuites, qui exercent ea, quæ contraria sunt nobilitati. 4

QVÆSTIO

QVÆSTIO 654.

Quinam veniant consanguineorum nomine ad ad effectum audiendi Missam in priuato Oratorio.

SVMMARIVM.

1. *Quando consanguinei participant priuilegium Oratorij non opus est, vt habitent in domo priuilegiati.*
2. *Qui veniant consanguineorum nomine in priuilegio Oratorij.*
3. *An solum intra quartum gradum.*
4. *Consanguinei sunt omnes descendentes in quocunque gradu.*
5. *In priuilegio Oratorij consanguineorum nomine veniunt descendentes, & ascendentes.*
6. *Tum agnati, quàm cognati.*
7. *An spurij, & illegitimi.*
Illegitimi sunt verè consanguinei.
8. *Consanguineorum appellatione veniunt etiam fœminæ.*
9. *Coniuges an veniant consanguineorum appellatione.*
Principium est pars præcipua rerum.

1 SVpponendum est, vt notat etiam Bardus *in Bullam Cruciatæ, part. 2. tract. 2. cap. 3. sect. 3. num. 22.* quod quando consanguinei vocantur, ad participandum in priuilegio audiendi Missam in priuato Oratorio, nam solet aliquando poni clausula: *In consanguineorum præsentia*, non est necessarium, quod habitent in domo priuilegiati, nec quod viuant expensis ipsius, nam hoc requiritur ad titulum familiaritatis, consanguinei autem non vocantur ad participandum in priuilegio sub hoc titulo, sed sub alio, nempe consanguinitatis, vt hic solus titulus sufficit, quia apponitur in litteris concessionis, tanquam distinctus à titulo familiaritatis.

2 Qui autem veniant nomine consanguineorum, non conueniunt Doctores Henriquez *lib. 7. sum. 13. cap. 13. n. 2.* Asserit intelligi vxorem, filios, patrem, & matrem, ita vt concessio non extendatur vltra primum gradum consanguinitatis, fundamentum est, quia licèt vox consanguinitas ad alios extendatur, attamen ex intentione Pontificis non videtur extendenda vltra primum gradum.

3 Alij verò docent comprehendi sub hoc nomine omnes consanguineos, vsque ad quartum gradum, tam descendentes, quàm ascendentes, & transuersales. Ita Villalob. *part. 1. sum. tract. 27. claus. 4. n. 16.* Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 25. disput. vnic. punct. 6. n. 8.* Trullench. *in Bull. Cruciata lib. 1. §. 3. dub. 5. n. 3.* Bardus *in eamd. Bull. part. 2. tract. 2. cap. 3. sect. 3. n. 22.* An autem comprehendantur coniuges negat Castro Pal. *citat.* affirmat autem Bard. quia Auctores communiter ita sentiunt.

4 Sed non video cur consanguinei restringendi sint ad quartum gradum; si quidem secundum propriam significationem nomine consanguineorum non veniunt omnes descendentes in quocunque gradu iuxta *l. Si spurius ff. Vnde cognat.* ibi. *Quia consanguinitatis.* & cap. *Tua nos.* & cap. *Non debet. de consangu. & affinit.* & cap. *Postremo de appellat.* & notant Tiraquel. *de retract. lign. §. 1. gloss. 9. n. 4.* Rota *decis. 174. n. 9. part. 4. Recent.* & quicunque sanguine quocunque modo coniuncti sunt iuxta *l. Hac parte. ff. Vnde cognati*, & *l. Vel si sanguine. ff. de manumiss. vind.* & notant Doctores Bart. *in l. Pronunciatio. §. Familia. ff. de verb. signific.* & in *l. Cum quidam. §. 1. num. 1. vers. Sciendum est. ff. de acquir. hæred.* Couarr. *in 4. decret. part. 6. §. 6. de consang.* Abbas *in cap. Nonnullis. §. Sunt & alij in fine, de rescript.* Sanchez *lib. 7. de matrimonio disput. 50. n. 1.* Rota *decis. 39. n. 10. part. 4. Recent.*

Vnde accipiendo etiam priuilegium secundũ strictam significationem verborum sicut debet accipi, cum sit contra ius commune, adhuc venient omnes sanguine coniuncti tam ascendentes, quàm descendentes, & transuersales quocunque gradu, & modo coniungantur. Quia stricta interpretatio extenditur tantum quantum extenditur propria significatio verborum, vt notant Angel. *in l. fin. ff. de constit. princip.* Tapia ibidem *in Rubr. cap. 6. in fine.* Aret. *in l. Cum lege. ff. de testament.* Couarr. *lib. 1. variar. cap. vltim. num. 1. vers. Nec satisfacit.* Tosch. *littera P. concl. 732. numero 6.* 5

Ex quibus fit, quod nomine consanguineorum veniant tam agnati, quam cognati, vt cum pluribus obseruat. Mieres *de Maior. p. 2. q. 6. n. 299.* Rota coram Durano *decis. 115. num. 2.* Et quoad agnatos desumitur ex *l. Si spurius. ff. Vnde cognati*, & *l. Si post suos. ff. de suis, & legit. hæred.* & notant Cott. iun. *cons. 46. num. 4.* Bero. *cons. 83. num. 5.* Peregrin. *de fideicom. art. 21. n. 35.* Quo verò ad cognatos obseruant idem Peregr. Suar. *de substit. quæst. 364. num. 3.* Alban. *cons. 69.* Tiraquell. *de retract. lignag. §. 1. glos. 9. num. 5.* Gomez *decis. 102. lib. 2.* 6

An autem spurij, & illegitimi veniant appellatione consanguineorum. Videtur negatiuè resoluendum iuxta *l. Si spurius. ff. Vnde cognat.* & tradunt Honded. cum aliis *cons. 5. num. 16. lib. 2.* Gabriel. *cons. 195. n. 5. lib. 1.* Verum, si sint nati ex certo patre, de quo constat, cessat ratio, ob quam de Iure Ciuili non habentur pro consanguineis. Vnde cum ab eodem sanguine proueniant in specto iuræ naturæ sunt verè consanguinei, & pro talibus de iure Canonico habeatur, vt obseruant Bart. *in l. Pronunciatio §. Familia in fine. ff. de verb. signif.* & *in l. Tutelas. n. 4. ff. de cap. dimin.* Abbas *in cap. Nonnullis. §. Sunt & alij in fine. de rescript.* Nauar. *cons. 4. de iurepatron.* Rota *dec. 571. n. 4.* & *in Tirasonensi eleemosynaria 4. Nouembris 1603.* coram Lancelloto & *in Ianuensi Iurispatr. 12. Februarij 1607.* coram eodem & *in eadem 23. Ianuarij 1612.* coram Pamphilio. Et ideò quoad priuilegium Oratorij priuati ipsi quoque venient consanguineorum appellatione, & participabunt in ipso. 7

Ex quibus deducitur, quod in dicto priuilegio consanguineorum appellatione veniunt etiam fœminæ iuxta ea, quæ tradunt Menoch. *de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 84. n. 30.* Corn. *cons. 227. lib. 3.* Tiraquel. *de retract. ligna. §. 1. gloss. 9. n. 2.* Rebof. *in l. 1. ver. 13. ff. de verbor. signific.* Nam ipsæ quoque non minus, quam viri sanguine iunguntur, & iura sanguinis ad easdem descendunt. 8

An vero coniuges veniant appellatione consanguineorum parum refert in præsenti, quia participant in priuilegio tanquam de familia, atque adeo ex titulo diuerso, & qui solet apponi in omnibus concessionibus Oratorij priuati. Probabilius tamen videtur, quod veniant appellatione consanguineorum, quia licèt non trahant originem ex eodem sanguine, sunt tamen principium, & origo communicationis sanguinis, & sunt duo in carne vna iuxta, Gen. 2. Erunt duo in carne vna, & proinde ingrediuntur seriem consanguinitatis tanquam illius principium. Principium enim est cuiusque rei pars præcipua *l. 1. ff. de orig. Iur.* 9

QVÆSTIO 655.

Quinam veniant domesticorum appellatione, ad quos extenditur priuilegium Oratorij priuati.

SVMMARIVM.

1. *Domesticorum appellatione qui veniant in priuilegio Oratorij.*
2. *Domesticorum appellatione veniunt, qui sunt de familia.*
3. *Vt quis dicatur domesticus requiritur cohabitatio.*
4. *Vt quis sit domesticus non requiritur subiectio. Cohabitatio sufficit, vt quis sit domesticus.*
5. *Clausula*, Domesticorum tuorum *ampliat priuilegium ad aliam speciem personarum.*

1 ALiquando in concessione celebrationis Missæ in priuato Oratorio addi solet clausula, *Tuorum domesticorum præsentiam*, vnde dubium insurgit, quinam veniant domesticorum appellatione. *Dicendum est autem domesticorum appellatione venire non solum deputatos seruitijs, sed etiam cæteros de familia vt vxor, sponsa.* Et quod veniant qui sunt deputati seruitio desumitur ex *l. Respiciendum, §. Furta, ff. de pœn.* & tradunt Gloss. *in l. Lecta, ini. ff. Si cert. pet.* & *l. Præsenti, §. Sicubi, Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* & Doctores *in l. Etiam, Cod. de testib.* cum Gloss. *ibid.*

2 Quod autem veniant etiam cæteri de familia, tradunt Gloss. *in §. In testibus, instit. de testam.* Bald. *in l. Etiam, Cod. de testib.* Salicet. *ibid.* Bart. *in l. 1. init. ff. Ad Syllan.* Franc. *in cap. Si pater,* vers. *Decima de testam. in 6.* Fusar. alios citans *de substit. quæst.* 575. Salicet. *ibid.* Bart. *in l. 1. init. ff. Ad Syllan.* Angel. *consil.* 128. & alij communiter. Nam omnes, qui sunt de familia inuicem communicant in iis, quæ concernunt illam communicationem, quam repræsentat familia. Et sicuti sunt vices omnes, qui incorporati sunt eidem ciuitati, ita omnes sunt domestici, qui suo modo incorporati sunt alicui speciali familiæ.

3 An autem, qui habitat extra domum Domini, sed eius expensis viuat, & inseruiat, possit dici domesticus, affirmat Castro Palao *part. 4. oper. moral. tract. 25. disput. vnic. punct. 6. num. 6.* & proinde non esse necessarium, vt quis sit domesticus, quod habitet in domo. Verum Bard. *in Bullam Cruciata, part. 2. tract. 2. cap. 3. sect. 1. num. 5.* putat requiri, quod, vt quis sit domesticus, necessarium sit, quod cohabitet in domo. Et quidem quamuis ad familiaritatem non sit necessarium cohabitare in eadem domo, vt dictum est in superioribus, est tamen necessarium, vt quis sit verè, & propriè domesticus, vt notat Bart. *in l. Respiciendum, §. Furta, ff. de pœnis*, quia requiritur communicatio in habitatione, & conuersatione priuata: nam domesticus dicitur relatiuè ad domum, & cum importet participationem, debet esse participatio, & communicatio in eo, quod est præcipuum relatiuè ad domum, quod est communio in habitationem.

4 Ex quibus fit, quod licet ij, qui subiecti sunt vel ratione seruitij, vel ratione patriæ potestatis, sint domestici non tamen rectè Felin. *in cap. In litteris, num. 1. de testib.* Sanchez cum aliis *lib. 7. consil. cap. 1. dub. 10. num. 22.* requirunt hanc subiectionem, vt aliquis sit domesticus: nam inter fratres, & sorores non est aliqua, ex dictis subiectionibus, & tamen si cohabitent, sunt inuicem domestici; & ideò, vt sint domestici sufficit, quod cohabitent, & communicent in familiari conuersione, vt desumitur ex iis quæ tradunt Bald. *in l. 2. Cod. de testib.* Aretin. *consil.* 13. *num.* 14. Mascard. *de probat. conclus.* 533. neque oppositum sentiunt Doctores quos citat Sanchez, si rectè perpendantur.

Verum ex dictis videtur, quod clausula, *Domesticorum tuorum* præsentia non ampliet, sed restringat priuilegium; siquidem nomine familiarium veniunt etiam qui non habitant in domo, dummodo sint in continuo seruitio, & expensis domini alantur, quod videtur contra mentem Pontificis, qui cum prius concedat posse celebrari in præsentia familiæ, addendo clausulam, per quam extendat priuilegium ad domesticos, intendit ipsum ampliare. 5
Non restringit tamen, sed ampliat priuilegium, quia potest aliquis esse domesticus, & non esse familiaris, seu de familia, vt si quis habitet in eadem domo, sed viuat propriis expensis, itavt adsit sola communicatio in cohabitatione, & conuersatione priuata cum iis, qui constituunt familiam: non enim veniet appellatione familiarium, quia non viuit communibus expensis cum aliis, seu non est commensalis: nec etiam est extraneus stante dicta communicatione, vnde remanet, quod sit domesticus, quia inter extraneum respectu domus, sumpta prout dicit illam œconomiam, communionem, & domesticum non datur medium, cum eò ipso, quod non est extraneus pertinet ad domum, vt aliquis de ipso, & consequenter est domesticus, quia ratione cohabitationis, & familiaris conuersationis pertinet ad eamdem societatem conclusam intra eosdem domesticos parietes.

QVÆSTIO 656.

An habitantes in domo priuilegiati si viuant proprijs expensis, gaudeant priuilegio Oratorij priuati.

SVMMARIVM.

1. *Viuentes in domo priuilegiati, sed proprijs expensis, an gaudeant priuilegio Oratorij.*
2. *Quid requiratur, vt quis sit de familia.*
3. *Viuens proprijs expensis, & cohabitans cum priuilegiato quando fruatur Oratorio.*
4. *Priuilegium Oratorij non potest extendi ad eos, qui non sunt propriè de familia.*

QVia contingere potest, quod plures habitent in eadem domo, sed singuli habeant proprios famulos, & propriis expensis viuant, ideo dubitatur, an si quis ex ipsis habeat priuilegium celebrationis in priuato Oratorio, possint cæteri frui eodem priuilegio. Partem affirmatiuam tradit Pellizar. *in Manual. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 2. sect. 2. num. 149.* Fundamentum est. Quia, licet non sit propriè de familia habentis priuilegium, cum tamen in materia fauorabili potest nomen familiæ impropriari, vt extendatur ad præfatos, quia vsus priuati Oratorij nemini est præiudicialis, & aliàs fauorabilia debent ampliari, *l. Cum quidem, ff. de liber. & posthum.* 1

Tenendum tamen est. *Quod nullo modo comprehendantur sub nomine familiæ priuilegiatæ ad effectum, vt frui possint priuilegio celebrationis in Oratorio priuato.* Ita Bardus *in Bull. Cruciata, part. 2. tract. 2. cap. 3. sect. 1. num 4.* Gabr. à S. Vincent. *de sacram. disput. 3. de sacrific. Miss. quæst. 5. difficult. 2.* Ratio est. Quia cum familia importet quandam societatem œconomicam, 2

Digitized by Google

micam, in qua sunt omnia necessaria ad familiarem conuictum, & ad domesticos vsus, non potest quis dici de familia, nisi sit incorporatus huic Societati. Incorporatio autem fit vel ratione seruitij, vt contingit in famulis, vel ratione alicuius attinentiæ in ordine ad conuictum, & commensalitatem, vt quando plures consanguinei, aut affines simul viuunt. Qui autem viuunt propriis expensis, & habent proprium seruitium non communicant hoc modo, sed potius distinctam familiam constituunt: nam important aliquam specialem societatem in ordine ad conuictum à cæteris necessariis pro domesticis vsibus, & habitatio, licet in eadem domo, adhuc tamen est distincta, itavt actus habitandi sit diuersus, & solum eadem domus materialiter, & fortè etiam distincta in plures, & ideo nullo modo possunt dici de familia priuilegiati.

3 Si tamen quis cohabitet cum priuilegiato, itavt actus habitandi sit communis, & consequenter non adsit distinctio vnius partis domus ab alia, omnia principalia cubicula communia sint, etiam communicent in priuata conuersatione cum priuilegiato, quamuis propriis expensis viuat, & seorsum sumat cibum poterit frui priuilegio, non tanquam familiaris, sed tanquam domesticus iuxta ea, quæ dicta sunt *quæstione præcedenti, numero 5.* Quia adhuc adest communicatio in societate illa priuata, in qua consistit familia, quod sufficit ad constituendum aliquem domesticum, vt ibi dictum, oportet tamen quod priuilegium se extendat etiam ad domesticos, alias non prodesset.

4 Ad rationem in oppositum resp. Quod dum viuentes propriis expensis non sunt propriè de familia, nullo modo possunt trahi ad participandum in priuilegio. Licet vsus Oratorij priuati pro celebratione sit fauorabilis priuilegiato, est tamen priuilegium contra ius commune, & ideo non potest extendi, vt toties dictum est, vltra propriam verborum significationem. Et ideo si nomen familiæ improprietur, non trahet secum concessionem, quia non trahitur nisi à propria verborum significatione.

QVÆSTIO 643.

An comitantes priuilegiatum, dum domo egreditur participent in priuilegio Oratorij.

SVMMARIVM.

1. *Coniuncti cum priuilegiato, si habitent in diuersa parte domus, & viuant proprijs expensis an gaudeant Oratorio, si comitentur priuilegiatum.*
2. *Viuentes proprijs expensis in alia parte domus non sunt de familia.*
3. *Pedisequæ licet recipiant mercedem, non fruuntur Oratorio.*
4. *Comitantes Dominum tempore interdicti fruuntur priuilegio audiendi Missam.*
   Priuilegium extenditur ad eos, ad quos si non extenderetur, esset inutile.
5. *In priuilegio audiendi Missam tempore interdicti qui veniant nomine familiarum.*
6. *Vicissim per hebdomadas inseruientes, an fruantur priuilegio Oratorij illa hebdomada, in qua vacant.*
7. *Seruientes licet aliquando vacent adhuc sunt necessarij seruitio Domini.*

1 COmitantes priuilegiatum ad duo genera personarum reducuntur, nempe ad personas coniunctas, qualis est mater respectu filiæ, aut aliqua alia consanguinea, seu affinis, & ad eas qui funguntur munere famulandi. Supponit autem difficultas, quod personæ coniunctæ habitent in diuersa parte domus, & viuant propriis expensis, & quod famulantes in comitando egredientem domo habitent extra domum. Quod spectat ad primum, Molfes. *part. 1. sum. tract. 3. cap. 17. num. 70.* loquens de matre respectu filiæ, putat, gaudere priuilegio Oratorij, quod habet filia, quia licet non sit de mensa filiæ, est tamen largo modo de familia, quatenus necessaria pro honesta custodia filiæ: Si enim mater ob custodiendos filios excusatur ab audienda Missa, multò magis participabit priuilegium filiæ. Et addit plures viros doctos consultos ita respondisse.

Verum hoc non potest admitti. Quia cum possit dici tantum largè de familia, vt fatetur, ipse Molfes. hoc non sufficit, vt possit participare priuilegium, quia tanquam derogans iuri communi non potest extendi vltra propriam verborum significationem, vt toties dictum est. Deinde nec mater, nec aliæ huiusmodi personæ sunt absolutè de familia, quia deficiunt illæ conditiones, quibus quis constituitur de familia; neque enim pertinent ad illam societatem, quam importat familia priuilegiatæ, sed potiùs constituunt ipsæ aliam propriam societatem œconomicam cum suis propriis seruis, & cæteris, qui conuiuunt: nec sunt commensales priuilegiatæ, cum viuant propriis expensis, & constituant propriam commensalitatem. Et proinde ex vtroque capite fit, quod sint familiæ distinctæ, & consequenter quæ sunt de vna familia, nullo modo dici possint de alia familia, & è contra, quod sufficit vt priuilegium concessum pro vna familia non se extendat ad eos, qui sunt de alia. 2

Quod spectat ad seruas pedisequas comitantes, & famulos comitantes, qui tamen non habitant cum iis, quos comitantur, nec viuunt absolutè expensis eorum, quamuis recipiant aliquam mercedem pro illo exhibito comitatu, non posse admitti ad fruendū priuilegio celebrationis in Oratorio priuato pro satisfaciendo præcepto resoluendū est. Ita etiam Lopez *in instruct. conscien. cap. 6. de clauibus.* Trullench *lib. 1. in Bull. Cruc. §. 1. dub. 5. num. 2.* Ratio est. Quia non sunt de familia, ad quam extenditur priuilegium, vt enim quis sit de familia requiritur, vt sit continuò commensalis, vt desumitur ex cap. *Sicut nobis, de verb. signific. in 6.* ibi: *Et ex tuis expensis continuè domestici commensales.* Prædicti autem famuli, & famulæ, quamuis recipiant aliquam mercedem, quia tamen non est sufficiens pro expensis, nec etiam pro maiori parte, ideo non possunt esse commensales, sed solum censentur locare operas suas pro illo seruitio, pro quo recipiunt mercedem. 3

Solum obstare videtur, quod comitantes Dominum, aut Dominam ad audiendam Missam tempore interdicti possunt frui priuilegio, quo ipsi fruuntur audiendi Missam, si ante interdictum consueuerant vti eodem comitatu; vnde videtur etiam quod possint frui priuilegio satisfaciendi præcepto audiendi Missam in priuato Oratorio, sed hoc non obstat, quia est diuersa ratio: nam pedisequæ non sunt de familia, nec sunt in officio, seu seruitio necessario ad decentiam respectu Dominorum, quando audiunt Missam in Oratorio. At quando audiunt Missam in Ecclesia sunt in seruitio necessario ad decentiam, & ideò priuilegium extenditur ad ipsos, quia redderetur inutile, nisi ad ipsos extenderetur iuxta ea, quæ tradunt Bald. *in l. 1. Cod. de vxor. milit.* Lucas de Peña *in Rubr. de appar. Præf. vrb. lib. 12.* Bapt. *in tract. repræs. quæst. 7.* vers. *Ad sextum.* Felin. *in cap. 2. num. 2. de foro compet.* Geminian. *in cap.* 4

Licet,

Licet, de priuileg. in 6. vbi & cæteri Doctores cum Glossa. Priuilegium enim de audienda Missa in Ecclesia tempore interdicti comprehendit comitantes Dominum tanquam personas accessorias, & quasi pro vna, & eadem persona cum ipso computatos, vt notat etiam Suarez *lib.8. de legib. cap.28. num.14.* & proinde hæc non est extensio priuilegij, sed comprehensio.

5 Ex dictis infertur. Quod in hoc priuilegio audiendi Missam tempore interdicti familiares diuerso modo sumuntur, ac sumantur in priuilegio Oratorij priuati. Nam nomine familiarium veniunt tantum ij, qui comitantur dominum, aut dominam priuilegiatam, vt tradunt Anchatan. *in cap. Licet, de priuil. in 6.* Astens. *part.2. sum. lib.7. tit.16. art.1. qu.9.* Nauar. *cap.27. Manual. n.180.* Sot. *in 4. dist.22. quæst.3. art.1. post 4. conclus.* Vgolin. *de censur. cap.5. num.29.* Merol. *tom.3. Theol. moral. disp.6. cap.3. dub.10. diffic.1. n.137.* vbi alios citat Trulleneh *in Bull. Cruc. lib.1. §.3. dub.3. num. 2.* nam priuilegium comprehendit familiares tanquam necessarios domino pro honesto comitatu, & proinde tanquam implicatos in actuali seruitio ipsius in vsu priuilegij, cæteri autem, qui non solent comitari, non participant motiuum, ob quod priuilegium comprehendit comitantes.

6 Rursus dubitatur, an si priuilegiatus habeat familiares, qui ipsi per hebdomadas vicissim inseruiant, itavt aliqua hebdomada sint immunes à seruitio, possint pro tempore, quo sunt immunes gaudere priuilegio satisfaciendo præcepto Missæ assistendo celebrationi in Oratorio priuato. Et quidem si continuent in aliquo seruitio quodcunque sit, cessat difficultas, quamuis ab aliis sint immunes, quia adhuc verificatur de ipsis, quod sint necessarij seruitiis domini. At si immunes sint ab omni prorsus seruitio, non videntur pro illo tempore, quo immunes sunt posse frui priuilegio, nam cum actu non inseruiant verificatur de ipsis, quod non sint pro illo tempore necessarij seruitiis priuilegiati, & consequenter habet locum quoad ipsos exceptio, de qua suprà *num.1.* per quam excipiuntur à participatione priuilegij.

7 E contra verò cum remaneant addicti seruitio domini, quamuis ex eo, quod aliquibus diebus immunes sint ab eius seruitio videatur concludi, quod non sint necessarij, quatenus minor numerus continuè seruientium sufficeret, adhuc tamen videntur necessarij ad manutentionem splendoris seruitij, sicut exigit gradus, & conditio personæ; nam hæc immunitas à seruitio non solet concedi, nisi ab iis, quorum conditio est talis, vt exigat splendidum, itavt possit concedere regulariter hanc immunitatem; vnde adhuc de ipsis verificatur, quod sint necessarij seruitiis priuilegiati, quatenus ipsius conditio in seruitiis suæ domus exigit splendorem.

QVÆSTIO 658.

Quinam censeantur familiares necessarij pro seruitio, vt frui possint priuilegio audiendi Missam in Oratorio.

SVMMARIVM.

1. *Familiares non necessarij seruitijs non satisfaciunt præcepto audiendo Missam in Oratorio.*
2. *Qui non sunt in actuali seruitio Domini, non gaudent priuilegio Oratorij.*
3. *Necessitas, & vtilitas æquiparantur.*
4. *Actualiter vacantes seruitio Domini admittuntur ad priuilegium Oratorij.*
5. *Qui vacant seruitijs communibus domus fruuntur priuilegio Oratorij.*
   Negatiua destruit totam affirmatiuam.
6. *Clausula, quæ de nouo ponitur in concessione Oratorij, non excludit inseruientes domino priuilegiato.*
7. *Non præsumitur Princeps in concessione incontinenti se corrigere.*
8. *Clausula, quæ de nouo ponitur in concessione Oratorij, est exceptiua.*
   Exceptio facit, quod priuilegium participetur à non exceptis.
9. *Quinam familiares satisfaciant præcepto in Oratorio, stante noua clausula.*
   Continuum, ciuiliter sumptum, admittit aliquod internallum.
10. *Famuli assistentes in atrio, sunt in actuali seruitio.*
11. *Vt famuli gaudeant priuilegio Oratorij, sufficit mediatum seruitium.*

Sequens quoque clausula apponi solet in concessione celebrandi in priuato Oratorio. *Volumus autem, quod familiares seruitijs non necessarij ibidem Missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festiuis de præcepto minimè liberi censeantur.* Dubitatur ergo occasione huius clausulæ, quinam sint familiares, qui non sint necessarij seruitiis priuilegiati, vt proinde excludi debeant à participatione priuilegij. 1

Existimo autem, quod per hanc clausulam excludantur ij tantum, qui licet essent commensales, & de familia, non tamen essent in actuali seruitio Domini. Ratio est. Quia eodem modo debet sumi necessitas, quando consideretur in famulis respectu seruitij, ac quando consideratur in seruitio respectu Domini, itavt eo pacto, quo seruitium est necessarium respectu Domini, eo pacto sint etiam necessarij familiares respectu seruitij. Seruitium autem non est absolutè necessarium respectu Domini, sed tantùm conueniens, & vtile habita ratione status, & conditionis ipsius. Et proinde ij, quoque familiares dicuntur necessarij pro seruitio Domini, qui erunt conuenientes, & vtiles habita ratione conditionis, & status ipsius. 2

Accedit etiam, quod necessitas, & vtilitas in iure æquiparantur, Cap. *In causis, de re iud.* & cap. *Post translationem, de renun.* & cap. *Proposuisti, de præbend.* & cap. *Statutum, §. Prouisiones, de rescript. in 6.* & Clement. I. *de reb. Eccles. non alien.* & notant Innocent. *in cap. Cum omnes, de constit.* Abb. *in cap. Vt super, de reb. Eccles. non alien.* Bald. *in Rubr. C. Qui bon. ced. poss.* Alex. *in l. Nepos Proculo, ff. de verb. signif.* Ergo eo ipso, quod aliquis familiaris est vtilis seruitio Domini habebitur etiam pro necessario, & consequenter non erit spectandum præcisè ipsum seruitium, sed seruitium commodum, & conueniens statui, & dignitati personæ. 3

Hinc pro praxi illud videtur seruari, vt non sit præfiniendus certus numerus familiarium, qui admitti possint ad fruitionem priuilegij de audienda Missa in priuato Oratorio, sed indifferenter admitti possint omnes, qui actualiter vacant seruitio Domini, nam eo ipso, quod vacant eius seruitio, adest sufficiens fundamentum iudicandi eos necessitas pro ipsis seruitio, quatenus ita exigat decentia seruitij. Vnde per dictam clausulam excludentur ij familiares, qui alerentur à priuilegiato, sed non ob proprium seruitium, sed aut ex liberalitate, aut ad pompam. 4

Adhuc tamen dubitatur, an dicta clausula accipienda sit tantum de familiaribus necessariis pro seruitio personali priuilegiati, an verò etiam de necessariis pro seruitiis communibus domus. Quod autem 5

sit

sit accipienda de necessariis tam pro seruitio personali, quàm pro seruitio communi domus, atque adeò nemo excludatur ex iis, qui sunt in aliquo actuali seruitio concernente domum priuilegiati de-
5 sumitur tam ex ipsis verbis clausulæ, nam non habet seruitio tuo non necessarij in singulari, sed seruitiis tuis in plurali ad comprehendendum omne genus seruitiorum. Deinde quia exclusio illorum, qui non sunt necessarij seruitiis priuilegiati non conuenit iis, qui quocunque modo sunt necessarij, siquidem vt dicantur necessarij seruitiis priuilegiati, sufficit, si quocunque modo illud seruitium, quod exhibent, redundet in seruitium priuilegiati. Omnia autem seruitia redundant in ipsius seruitium, & ideo potest de ipsis verificari, quod non sint necessarij seruitiis, quia negatiua destruit totam affirmationem, *l. 9. §. 1. ff. Si quis cau. ind. sist.* & *l. 11. §. 1. ff. Ad exhibend.* & *l. 7. ff. De donat.* & cap. *Ad nostram, de probat.* & notant Doctores Gloss. *in l. Iuris gentium, §. Sed si frandandi, ff. de pact.* & *in cap. Cum dilectus, verbo A suspensis, de consuet.* & *in cap. 1. de reg. iur. in 6.* Dec. *consil. 3. n. 4.* vers. *Secundum verò.* Cranei. *consil. 809. num. 4.* Surd. *decis. 243. num. 6.*

6 Aliud dubium hic iosurgit, ob clausulam, quæ de nouo solet modo apponi in concessione priuati Oratorij priuati. Præmissa enim solita clausula: *In tua, ac familia tua præsentia celebrare facere, &c.* Subditur in fine concessionis: *Volumus autem quod familiares seruitijs tuis tempore dictæ Missæ actu non necessarij, ibidem Missæ huiusmodi interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minimè liberi censeantur.* Hæc enim clausula videtur excludere omnes familiares: Quia, si debent assistere Missæ, non possunt occupari in actuali seruitio Domini, cùm assistentia ad Missam non compatiatur talem occupationem. Præsertim quia non est necessarium, quod famuli assistant Domino, quando in priuato Oratorio audit Missam, sicuti quando audit in Ecclesia.

7 Nihilominùs tamen tenendum est, quod per hanc clausulam non excludatur concessio facta ad fauorem familiæ. Neque enim præsumendum est, quòd Pontifex in continenti seipsum corrigat, & auferat gratiam in præcedentibus verbis concessam. *l. Cum hic status, §. 1. in fine, ff. de donat. inter vir. & vxor.* & *l. Præcipimus, in fine, C. De appellat.* & *l. Non ad ea, ff. de condit. & demonstr.* & notat Gloss. *ibid.* Alex. *consil. 59. n. 14.* ver. *Et pro confirmatione, lib. 3.* Alciat. plures citans *Regul. 2. præsumpt. 28. num. 1.* Menoch. *præsumpt. 37. n. 9. lib. 6.* Rota *decis. 763. n. 14. part. 1. diuers.* Et in terminis concessionis, seu priuilegij Principis, Ancharan. *consil. 161. n. 3.* Craueta *cons. 21. in fine.* Alciat. *respons. 19. n. 4.* Paris. *cons. 61. in fin. lib. 2.* Dec. *consil. 168.* Menoch. *cit. præsumpt. 37. num. 7.*

8 Deinde illa clausula: *Volumus autem, &c.* est exceptiua, nam excipit à participatione priuilegij familiares, qui non sunt actu necessarij seruitio Domini tempore Missæ: & proinde firmat regulam in contrarium, quod scilicet priuilegium participetur ab iis, qui sunt in actuali seruitio Domini. *l. Quæsitum, §. Denique, ff. de instruct.* & *l. Nam quod liquidè. in fin. ff. de penu. leg.* & notant Bar. *in dict. §. Denique.* Dec. *in l. 1. n. 21. ff. de reg. iur.* Ruin. *consil. 41. n. 9. lib. 2.* Ripa *in l. 2. §. Quod si in patris, n. 13. ff. solut. matrim.* Dec. *consil. 552. n. 3.* ver. *Et hoc confirmatur,* Surd. *decis. 124. n. 12.* Menoch. *cons. 87. n. 35.* Rota coram Durano *decis. 184. num. 5.* & coram Ludouis. *decis. 257. n. 4.* & coram Merlino *decis. 607. n. 3.* Vnde videndum est, quinam familiares ex famulis participent priuilegium.

9 Existimo ergo, eos participare priuilegium, qui sunt in continuo seruitio Domini: itavt necesse sit ab ipso desistere, vt assistant Missæ, vt sunt Magister cubiculi, assistentes ostio cubiculi, & cæteri, quorum munus requirit, vt præsto sint ad nutus Domini. Ratio est; quia de his omnibus verificatur, quod tempore Missæ sint actu necessarij pro seruitiis Domini. Continuum enim seruirium extenditur etiam ad tempus Missæ: & quia est seruitiū actualē, & non tantū habituale, ideò actu sunt necessarij. Et quamuis desistant in seruitio, quando audiunt Missam, hoc non tollit, quin seruitiū sit cōtinuum, atque adeò nec quin actu inseruiant tempore Missæ. Quia continuitas seruitij accipitur ciuiliter, & proinde admittit interruptionē, & interuallum conueniens, vt obseruant Gumyer *in Pragmat. Sanct. Tit. de cau. in princ.* verb. *Ingster.* Dominic. *in proœm. 6. decret. §. Sacros.* ver. *Secundò.* Calderin. *consil. 88. aliàs 8. de offic. legat.* ver. *Item illud.* Roman. *consil. 264. n. 3.* Surd. *consil. 313. n. 24.* Quod satis ex eo constat; quia nisi esset audienda Missa, non suspenderetur actuale seruitium: & proinde dicuntur actu necessarij pro seruitio tempore Missæ. Quia per accidens est, quod pro illo tempore suspendatur seruitium, quod aliàs de se non deberet suspendi.

Et quamuis famuli, qui in atrio assistunt, non videantur esse in actuali cōtinuo seruitio, re vera tamen actu inseruiunt; quia illa assistentia continua est pars seruitij, quod tenentur ratione sui muneris exhibere: Inseruiunt enim domino non solùm quia se conseruāt promptos per illam assistentiam ad excipienda mandata, quando occurrit occasio, sed etiam, quia talis assistentia est necessaria pro decore domini. Vnde cum hoc seruitium exhibeant, etiam dum assistunt Missæ, neque suspenditur tempore Missæ eorumdē seruitiū. 10

Ex quibus deducitur, quod ij quoque participant priuilegium, qui occupantur in continuo seruitio domini, quamuis non immediatè circa personam ipsius. Et sufficit, quod seruitium sit continuum ipso mane diei festi de præcepto. Dicta enim clausula non coarctat seruitium ad immediatum circa personā dominī, sed generaliter loquitur de seruitio domini, quod propterea comprehendit tam immediatū, quàm mediatū. 11

QVÆSTIO 659.

An quilibet audiens Missam in priuato Oratorio satisfaciat præcepto.

SVMMARIVM.

1. *Quilibet potest in priuato Oratorio audire Missam.*
2. *Qui sentiant satisfacere etiam præcepto de audienda Missa.*
3. *Clausula quod audientes Missam in priuato Oratorio non satisfaciant præcepto, non est solum de stylo Curiæ, sed manutenet obligationem audiendi in Ecclesia.*
4. *Audiens Missam in Oratorio priuato non satisfacit præcepto, nisi sit priuilegiatus.*
5. *Quando verba sunt clara non potest de voluntate disponentis dubitari.*
6. *Exclusi à participatione priuilegij non satisfaciunt præcepto audiendo Missam in Oratorio.*
7. *Præceptum obligat audire Missam in loco publico.*
8. *Præceptum audiendi Missam cur non possit impleri in quocunque loco.*
9. *Non potens adire Ecclesiam non tenetur audire Missam in priuato Oratorio si non sit priuilegiatus.*

Occasione illius clausulæ apponi solitæ in concessione celebrationis Missæ in priuato Oratorio. *Volumus autem, quod familiares seruitijs tuis non necessarij ibidē Missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festiuis de præcepto minimè* 1

liberi censeantur, dubitatur, an prædicti famillares non necessarii pro seruitiis, sicut etiam cæteri extranci satisfaciunt præcepto audiendi Missam. Ex dicta autem clausula colligitur, quod possit quilibet ibi in Oratoriis priuatis interesse, & audire Missam, dum celebratur, quia supposita facultate celebrandi cum Deo deferatur cultus per sacrificium, non prohibetur cuique, quod concurrat ad illum cultum.

2 Quod autem spectat ad satisfaciendũ præcepto de audienda Missa, quamuis verba clausulæ adeo clara sint, vt excludant omnem dubitationem; non defuerunt tamen, qui sentirent, quod quilibet satisfacit præcepto audiendi Missam, dum audit in priuato Oratorio. Ita Homobon. *part.1.exam.Eccl. quæst.14. tract.8.cap.5.part.2.* Palaus *part.4.oper.moral.tract.21. de sacrif.Miss.disp.vn.punct.16.n.13.* Facund. *præcep.1. Eccles. lib.2.cap.2. n.8.* Henriq. *lib.9.sum. cap.25.n.9.* Pellizar. *tom.2. Manual.Reg.tract.8.cap.2. sect.2.subsect.2. quæst.4.* Fundamentum est; quia Missa potest audiri in quocunque loco, & præceptum audiendi solum obligat ad ipsam audiendam, vnde non potest fieri, quod ponendo substantiam operis iniuncti per præceptum, non adimpleatur præceptum.

3 Ad prædictam autem clausulam resp. apponi iuxta consuetudinem antiquam, secundùm quam quilibet tenebatur audire Missam in propria Parochia, quia Curia Romana loqui vult secundum Ritum hunc antiquum, non autem secundum consuetudinem, quæ abstulit obligationem audiendi Missam in Parochia. Et ideo talem clausulam nihil operari, vbi est abrogata dicta obligatio, & poni solum de stylo Curiæ, sed valdè mirum est, quod Pontifices scientes consuetudinem audiendi Missam pro implendo præcepto in quolibet loco vbi publicè celebratur, & eum declarauerint, quod audientes in Ecclesiis Regularium, satisfaciant præcepto, vt inter alios declarauit Leo X. *sub die 13. Nouemb.* 1517. vt in sua *Constit. 22. apud Confess.* & tamen loqui velint secundum Ritum antiquum, quasi adsit obligatio audiendi Missam in Parochia. Præsertim cum huiusmodi litteræ pro Oratoriis priuatis cœperint expediri pluribus sæculis post abrogatum ius antiquum.

4 Secunda, & communis sententia docet, quod non satisfaciant præcepto audiendi Missam. Ita Ricc. *resol.467.n.23. part.1.Prax.* Molfes. *part.1.sum. tract.3. cap.17.n.70.* Bonac. *de sacram.disp.4.quæst.vlt.punct.12. n.4.* Bariola *in Aphoris.* verbo *Oratorium* 2. Marchin. *de sacram.Ordin. tract.3. part.3. cap.9.n.10.* Garzia *in sum. tract.3. difficul.8.dub.2.punct.9. n.17.* Quarant. *in sum.Bull.* verbo *Missa*, vers. *Quarto.* Auersa *quæst.11.de Euchar.sect.19.* vers. *Quartò.* Franc.Lugo *lib.5. de sacram.cap.14. quæst.4.n.48.* Gabr.à S.Vinc. *de sacram. disput.3. de sacrif. Miss. quæst.5. difficul.1.* Tamburin. *Opusc. de sacrif. Miss. lib.1. cap.4 §.4 num.36.*

5 Itaque dicendum est. *Audientes Missam in priuato Oratorio, nisi sint ex priuilegiatis, non satisfacere præcepto audiendi Missam.* Hoc conuincitur ex prædicta clausula: *Volumus autem, quod familiares seruitijs tuis non necessarij ibidem Missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festiuis de præcepto minimè liberi censeantur.* Hæc enim sunt verba dispositiua, quibus Pontifex mentem, & voluntatem suam declarat, quod scilicet priuilegium, quod concedit, non liberet ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia illos familiares, qui non sunt necessarij seruitiis priuilegiati, & à fortiori, neque etiam cæteros, quibus non conceditur priuilegium. Et non dicit audiend. in Ecclesia parochiali, sed absolutè in Ecclesia. Et verba sunt adeò clara, vt non possit de voluntate Pontificis dubitari. *l.Ille, aut ille, §. Cum in verbis, ff. de leg.3.* & notant Aret. *consil.115.n.2.* Natta *consil.318. init. lib.2.* Rota coram Seraph. *decis.762. num.1.* & coram Coccino *decis.203.num.1.* & coram Peña *decis.751. numero 5.* & *part.1. Recent. decis.45. num.5.*

Accedit etiam, quod dicta verba posita sunt ad restringendam concessionem, cum enim Pontifex concedat, quod celebrari possit etiam in præsentia familiæ priuilegiati excludit à participatione huius priuilegij familiares necessarios pro seruitio domini, & proinde relinquit priuilegiatos familiares necessarios pro Domini seruitiis in ordine ad satisfaciendũ præcepto de audienda Missa, dum audiunt in priuato Oratorio. Et cæteros omnes tanquam exclusos vult non satisfacere præcepto audiendi Missam, & supponit, quod non possit impleri hoc præceptum in Oratorio priuato, nisi per priuilegium. 6

Ratio verò est. Quia præceptum audiendi Missam obligat ad interueniendum sacrificio, quod Deo offertur secundùm ritum institutum ab Ecclesia, & exigentiam sacrificij: ergo obligat ad interueniendum sacrificio in loco publico, & ad ipsum publico modo offerendum, quatenus singuli præsentes concurrunt ab oblationem. Tum quia secundum ritum Ecclesiæ hoc sacrificium est tantum offerendum in locis publicis ad id deputatis, vt constat ex Decreto Concil.Trid. *de seruan.& vitan. in celebr.Miss.sess.22.* & etiam ex iure veteri Cap. *Tabernaculum, de consecr. dist.1.* Et ideò præceptum obligans ad interueniendũ sacrificio obligat ad interueniendũ in loco publico; quia obligat ad interueniendum, vbi secundum ritum Ecclesiæ offertur. Tum quia cum sacrificium sit publicum spectans ad omnes, & contineat publicum cultum Dei, exigit offerri in publico loco. Et Ecclesia obligans ad interueniendum sacrificio, obligat ad deferendum Deo hunc cultum, atque adeò ad deferendũ publico modo, quia obligatio accipitur secundum subiectam materiam; vnde Pontifices concedentes priuilegium satisfaciendi huic præcepto in priuato Oratorio, supponunt adesse obligationem audiendi in Ecclesia Missam, à qua nolunt esse liberi, qui audiunt in priuato Oratorio, & non comprehenduntur sub priuilegio. Vnde præceptũ audiendi Missam non solum est de interueniendo sacrificio, sed etiam de deferendo cultum Deo publico modo, & declarandi hoc pacto professionem Religionis Christianæ. 7

Ad fundamentum oppositæ sentent. resp. Missam posse quidem audiri in quocunque loco, sed non in ordine ad implendum præceptum. Quia præceptum Ecclesiæ audiendi Missam in diebus festiuis determinat præceptum naturale diuinum de colendo Deo mediáte cultu sacrificij, & proinde ad offerendũ Deo sacrificium, sicut offerunt omnes adstantes secundum ritum, cum quo ex institutione Ecclesiæ debet offerri. Cum autem ex institutione Ecclesiæ debeat offerri publico modo, atque adeo in locis publicis audiatur; vnde falsum est, quod obliget tantùm ad audiendam Missam cum obliget ad audiendo eo modo, & loco, in quo ex institutione Ecclesiæ debet celebrari. Et ideo sicut sine dispensatione non potest celebrari in loco priuato, ita nec sine dispensatione audiri in ordine ad satisfaciendum præcepto. Et consequenter substantia operis, quod præcepto iniungitur, non est præcisè auditio Missæ, sed publica delatio cultus Deo per sacrificium. 8

Ex dictis sequitur, quod si quis non posset adire Ecclesiam in diebus festiuis de præcepto, vt Missæ interueniret, non teneretur audire in priuato Oratorio, si posset audire, & non esset ex priuilegiatis: nam audiendo non impleret præceptum, cum obliget ad audiendam in loco publico. Præceptum autem non obligat ad id, per quod impleri non potest. Oppositum tenet Pellizar. *tom. 2. Manual. Regul. tract.8. cap.2. sect.2. num.156.* Sed ex falso principio, 9

qoia

Digitized by Google

quia putat, quod impleatur præceptum, si audiatur in priuato Oratorio. Ex quo etiam fit, quod peccaret qui induceret non priuilegiatum ad audiendam Missam in aliquo priuato Oratorio, quando vrget præceptum audiendi, nisi bona fide excusaretur.

QVÆSTIO 660.

An qui habet Bullam Cruciatæ satisfaciat præcepto audiendo Missam in priuato Oratorio.

SVMMARIVM.

1. *Habentem Bullam Cruciatæ an satisfaciat audiendo Missam in priuato Oratorio.*
2. *Bulla Cruciata quid concedat circa priuatum Oratorium.*
3. *Quæ in Bulla Cruciata conceduntur circa priuata Oratoria, non egrediuntur terminos Oratorij proprij priuilegij.*
   Quod ab expresso deducitur habetur pro expresso.
4. *Absurdum sequens, si quilibet habens Bullam posset audire Missam in priuato Oratorio.*
   Ea interpretatio sumenda, quæ sit vniuersalis.
5. *Concessio, quod habentes Bullam audire possint Missam in priuato Oratorio esset reprehensibilis.*
   Vsus potestatis irrationabilis non est præsumendus in Pontifice.
6. *Ea interpretatio adhibenda, quæ excludit absurdum.*

1 QVod habens Bullam Cruciatæ satisfaciat præcepto audiendi Missam in priuato Oratorio, tradit Bard. alios citans *in Bull. Cruc. part. 2. tract. 2. cap. 6. sect. 1. num. 7.* Fundamentum est. Quia in dicta Bulla absolutè conceditur fieri sacrum in priuato Oratorio ad diuinum tantum cultum deputato, si fuerit visitatum, & approbatum ab Ordinario, & illi assistere Nec dici potest, quod restringat ad tempus interdicti priuilegium, quia dum concedit id licere etiam tempore interdicti, concedit etiam extra tempus interdicti, quia dictio *etiam* explicat casum magis dubitabilem, & implicat minus dubitabilem, qui in præsenti est tempus extra interdictum.

2 Sed sistendo in terminis Bullæ, non video, quomodo possit in vigore illius satisfacere præcepto audiendi Missam si audiat in Oratorio priuato. Quia non concedit absolutè celebrare, aut celebrare facere in priuato Oratorio, sed tantum iis, qui ad id facultatem, habuerint ab Episcopo, & Commissario. Hæc enim sunt verba Bullæ: *Concedimus, vt dicto biennio durante liberè possint in priuato Oratorio ad diuinum cultum duntaxat deputato ab Ordinario designando, & visitando, etiam in locis interdicto, quauis etiam Apostolica authoritate suppositis, dummodo ipsi causam huiusmodi interdicto non dederint, vel per eos non steterit, quin interdictum huiusmodi amoueatur: Ac qui facultatem ad id ab infradictis Episcopo, & Commissario habuerint, etiam per horam antequam illucescat dies, & per similem horam post meridiem in sua, ac familiarium, & domesticorum, & consanguineorum suorum præsentia Missas, & alia diuina officia per seipsos, si Presbyteri fuerint, celebrare, vel per alium, aut alios celebrare facere, & tempore interdicti huiusmodi diuinis interesse.* Vbi notanda sunt illa verba: *Ac qui facultatem ad id ab infradictis Episcopo, & Commissario habuerint*, quæ limitant concessionem quoad eos qui de re concessa licentiam habuerint ab Episcopo, & Commissario; quia seclusa priuilegium non habet vsum expeditum, cum sit concessum dependenter ab eorundem licentia. Et ideo non poterit quisque habens Bullam audire Missam in priuato Oratorio, & satisfacere præcepto.

Deinde, vt constat ex contextu concessionis di- 3
ctum priuilegium, non conceditur indifferenter pro quocunque priuato Oratorio, ita vt possit habēs Bullam in quocunque Oratorio huiusmodi audire Missam, & satisfacere præcepto. Sed tantum conceditur pro Oratorio proprio priuilegiati, vt declarant illa verba, *In sua, ac familiarium, & domesticorum, & consanguineorum suorum præsentia*, quæ supponunt, quod Oratorium sit erectum ad vsum priuatum familiæ, dum extendit concessionem ad familiam, ex quo fit, quod dispositio tanquam concepta in fauorem familiæ procedat de Oratorio erecto in commodum familiæ; & ideò, quod concessio sit facta tantùm pro huiusmodi Oratorio habetur pro expresso, cum ab expresso deducatur iuxta *l. Cum quod. ff. Si cert. pet.* & *l. Prætor ait, § 1. ff. De nou. oper. nunc.* vbi Gloss. *verbo Expressum.* Bald. *in l. 1. circa fin. Cod. De his, qui an. aper. tab. testam.* Rolan. *consil. 149. numero vndecimo, libro 4.* Paris. *consil. 97. numero 107. volum. 1.* Craueta *consil. 157. num. 6.* Bec. *consil. 14. num. 15.* Menoch. *de arbitr. cas. 276. num. 2.*

Præterea. Si vnicuique habenti Bullam concede- 4
retur posse audire Missam in priuato Oratorio, & satisfacere præcepto, cum ferè omnes habeant Bullam, etiam homines infimæ conditionis, sequeretur, quod publicus cultus Dei per sacrificium ferè destrueretur, quia possent ferè omnes in priuatis locis audire Missam, & pauci ad Ecclesiam; ad publicè assistendum sacrificio accederent; & proinde Pontifices in hoc magis vsi fuissent sua potestate in destructionem cultus diuini, quam in ædificationem, vnde hic sensus priuilegij non est accipiendus, cum non sit verisimilis, & sit sumenda ea interpretatio, quæ verisimilis sit, vt notant Craueta *consil. 33. numero 32.* Menoch. *de arbitrar. cas. 199. numero 10. libro 2.* Bald. *consil. 343. lib. 1.* Quia percurritur semper, quod dispositiones in sua dispositione rationabiliter processerit, atque adeò pro eius mente indaganda attendenda est verisimilitudo rationis.

Accedit etiam, quod si accipiatur priuilegium, 5
vt quilibet habens Bullam possit in priuato Oratorio audire Missam, & satisfacere præcepto, redditur factum Pontificis concedentis reprehensibile, quia inducit notabilissimam, & ferè totalem destructionem publici cultus Dei, & Ecclesiæ, & transfert ad priuata Oratoria. Et quamuis non omnes in hoc vterentur priuilegio possent tamen vti, & proinde, quantum est de se, concessio Pontificis esset apta, vt hoc inferret. Hæc autem interpretatio priuilegij non est approbabilis à iuris prudentibus, sed reprehensibilis tanquam ea, quæ facit præsumi, quod Pontifices irrationabiliter, & reprehensibiliter vtantur sua potestate in dispensandis gratiis, & proinde non debet admitti iuxta *l. Saluius Aristo, ff. de leg. præst.* & notant Socin. Sen. *consil. 27. numero 8. libro quarto.* Socin. Iun. *consil. 1. numero 127. libro primo.* Craueta *consil. tertio, numero vigesimotertio, & consil. 5. numero decimoquarto.* Menoch. *consil. 623. num. 4.*

Et in cons. potest addi, quod si admittitur talis 6
interpretatio, quod scilicet Bulla Cruciatæ concedat vnicuique illam habenti facultatem satisfaciendi præcepto de audienda Missa, dum audit in priuato Oratorio, sequitur hoc absurdum, quod priuilegium, quantum est de se, tendat ad augendum cultum priuatorum Oratoriorum, & ad

diminuendum Ecclesiarum, itavt totum, quod auget Oratoriis, totum detrahatur Ecclesiis. Nam poiest aotem boc pacto accipi, quia esset interpretatio contra regulam, quod ea interpretatio sit adhibenda, quæ excludit, non aotem quæ inducit absurdum, vt desumitur ex *l. Non est absurdum. ff. de bon. damnat.* & obseruant Crauet. *consil.* 62. *num.* 5. & *consil.* 130. *num.* 8. Dec. *consil.* 433. *circa fin.* Euerar. *in Topica iter. loco ab absurdo emtand.* Menoch. *consil.* 231. *num.* 19.

QVÆSTIO 661.

An si in aliqua domo adsit Oratorium priuatum possit eo vti, qui habet Bullam Cruciata.

SVMMARIVM.

1. *Habens Bullam Cruciata, an possit vti alieno Oratorio legitime erecto.*
2. *Priuilegium Oratorij virtute Bulla Cruciata non extenditur ad omnes.*
   Priuilegium non extenditur vltra personas expressas.
3. *Priuilegium concessum sub aliqua qualitate, non habet locum ea deficiente.*
4. *Obseruantia non attenditur contra verba clara dispositionis.*
5. *Si concedatur priuata celebratio Missa, conceditur etiam Oratorium tanquam accessorium.*

1 SVpponit proposita difficultas, quod in aliqua domo sit legitimè erectum Oratotiom per facultatem concessam à summo Pootifice, & priuilegiatus actu non vtatur Oratorio, quia sit absens, & quærit, an possit alius habitans in eadem domo vti illo Oratotio in virtute Bullæ Cruciatæ, quæ difficultas locum habet, etiamsi priuilegiatus actu habitaret in domo, sed non vteretur priuilegio nec pro se, nec pro familia. Et negatiuè resoluendum est, etiamsi dicta Bulla maneret in suo robore quoad concessionem celebrationis in priuato Oratorio.

2 Ratio est, quia vt dictum est etiam in superioribus priuilegium celebrandi, aut faciendi celebrare in priuato Oratorio non conceditur omnibus indifferenter, qui habent Bullam Cruciatæ, sed tantùm iis, *Qui facultatem ad id ab infradictis Episcopo, & Commissario habuerint.* Quæ clausula restringitur concessione ad specialem personam, quibus prædicti licentiam concesserint, quæ solæ, qooad hoc sunt priuilegiatæ, & ideò priuilegium non extenditur ad alias personas, quamuis habeant Bullam iuxta *l. Maritum.* & *l. Quia tale. ff. Soluto matrimonio.* & cap. *Potuisti* 7. *quæst.* 1. & cap. *Sanè. de priuileg.* & notaot Bart. *in l. Paulus. respondit. ff. de acquir. hæred.* Anchar. *cons.* 110. *num.* 2.

3 Confirm. Bulla Cruciatæ noo concedit absolutè facultatem celebrationis in priuato Oratorio, sed sub qualitate licentiæ obtinendæ ab Episcopo, & Commissario, vt constat ex clausula, de qua *numero præcedenti*, ergo si deficit hæc licentia, cessat etiam coocessio iuxta *l. Tmolus. ff. de cap. dimin.* & *l.* 4 §. *Totius. ff. de dam. info.* & cap. *Indemnitatibus.* §. *penul. de elect. in* 6. & ootant Gloss. *in l. Mancipia verbo.* Auocandam. *ff. de seru. fugit.* Surd. *cons.* 514. *num.* 4. Bald. *in leg. Humanitatis. num.* 28. *Cod. de impub. & aliis substit.* Craueta *consil.* 202. *num.* 31.

4 Solum obstare videtur. Quod obseruantia ita interpretatur priuilegium Bullæ Cruciatæ, vt absque alia facultate celebretur, aut celebrari fiat in Oratoriis aliàs legitimè erectis. Verùm cum illa verba. *Ac qui facultatem ad id ab infradictis Episcopo, & Commissario habuerit.* Sint omninò clara, qood requiratur dicta licentia, non potest cootraria obseruantia attendi iuxta *l. Ille, aut ille. ff. de leg.* 3. & *l.* 3. *in fine. Cod. de liber prater.* & obseruant Castrens. *in l. Hæredes palam.* §. *Si quid. ff. de testament.* Surd. *consil.* 426. *num.* 43. Rota coram Seraph. *decis.* 1108. *num.* 7. & coram Ludouis. *decis.* 184. *num.* 5. & coram Merlino *decis.* 792. *n.* 13.

Ex quibus deducitur, quod cum in concessione celebrationis Missæ in priuato Oratotio id, qood principaliter conceditur sit celebratio in priuato Oratorio, & erectio Oratorij priuati, veniat in consequentiam ad concessionem celebrationis priuatæ tanquam quid necessarium pro vsu priuilegij, non potest cum fundamento dici, qood sit concessa priuata celebratio Missæ, & quod non possit ad praxim deduci, nisi adsit Oratorium priuatum aliàs legitimè erectum. Nam cum erectio priuati Oratorij veniat in consequentiam ad facultatem faciendi celebrare in priuato loco tanquam ad ipsam celebrationem ordinata, eo ipso, quod conuenit alicui facultas pro priuata celebratione Missæ, venit etiam in consequentiam tanquam quid accessorium facultas erigendi priuatum Oratorium iuxta cap. *Prudentiam.* §. *Si verò. de Offic. deleg.* & not. Doctores *in l.* 1 *ff. de Iurisd. omn. iud.* Vnde quando non adest facultas erigendi priuatum Oratorium in ordine ad celebrationem, inferri etiam potest, quod nec adsit in ordine ad priuatam celebrationem, cum in huius solius concessione censetur etiam concedi erectio Oratorij. 5

QVÆSTIO 662.

An, qui non potest adire Ecclesiam, teneatur diebus festiuis audire Missam in priuato Oratorio.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegiatus tempore interdicti tenetur audire Missam.*
2. *Habens priuilegium Oratorij, an teneatur audire Missam, si non possit adire Ecclesiam.* & num. seq.
4. *Præceptum audiendi Missam obligat, quocunque modo potentes.*
5. *Priuilegium priuati Oratorij aperit viam obligationi in impeditis.*
6. *Priuilegium facilitans exequutionem præcepti, non impedit eius obligationem.*
7. *Quando quis teneatur vti priuilegio.*
8. *Supposito priuilegio, non est odiosum celebrare in priuato Oratorio.*
9. *Quando melius sit Missam non audire, quam celebrare, vbi non oportet.*
10. *Vtens priuilegio Oratorij, quando potest adire Ecclesiam, cum eximatur si non vtatur, quando non potest adire.*
11. *Habens priuilegium Oratorij, an teneatur prouidere de Sacerdote, quando vrget præceptum Missæ, & non potest adire Ecclesiam.*

SVpponitur, quod habeat priuilegium priuati Oratorij in Ordine ad celebrationem, itavt audiendo in priuato Oratorio satisfaciat præcepto. Quamuis autem videatur esse eadem ratio, de hoc, 1

ac

Digitized by Google

ac de eo, qui priuilegiatus eſt tempore interdicti, vt poſſit audire Miſſam, eſt tamen diuerſa; nam interdictum, quod priuat diuinis Officiis, ponit extrinſecum impedimentum ad implendum præceptum de audienda Miſſa, quod impedimentum cum tollatur per priuilegium audiendi vrgere videtur præceptum, quod aliàs rationem dicto impedimenti ceſſabat vrgere, & ideò plures Doctores, quos citat, & ſequitur Cenedus *quæſt. Canon.* 44. *num.* 3. tenent, quod priuilegiatus tempore interdicti tenetur audire Miſſam. At qui non poteſt domo exire liberatur ab obligatione tanquam incapax; nam quando ſuperuenit dies feſtiuus, afferens ſecum obligationem, cum reperiat impotentem eum, qui non poteſt domo exire, ipſum non afficit, ſicut afficit tempore interdicti cum inueniat de ſe potentem, & ſolùm adſit extrinſecum impedimentum, quod ſtante priuilegio ad ipſum non extenditur. Quæ an vera ſint, non eſt huius loci examinare.

2 An autem priuilegiatus, vt audiat Miſſam in priuato Oratorio teneatur audire, ſi aliàs domo egredi non poſſit, negant Ledeſma *part.* 1. *ſumm. tractat. de Euchariſt. cap.* 27. *concluſ.* 16. Suarez *diſput.* 88. *de Euchariſt. ſect.* 6. *ver. Secundum caput.* Corrad. *in reſp. Caſ. Conſcient. Caſ.* 241. *in fine.* Cened. *quæſt. Can.* 44. *num.* 10. Merol. *tom.* 3. *Theol. moral. diſputat.* 6. *cap.* 8. *dub.* 22. *num.* 132. Pellizar. *tom.* 2. *Manual. regul. tractat.* 8. *cap.* 2. *ſect.* 2. *num.* 154. Eſcobar. *in ſum. tract.* 1. *examen.* 11. *cap.* 11. *num.* 97. Gabr. à S. Vincent. *de ſacrament. diſput.* 3. *de ſacrifie. Miſſ. quæſt.* 5. *difficult.* 5. Fundamentum eſt. Quia nemo tenetur vti priuilegio ſibi conceſſo alioquin gratia fieret oneroſa, & libera facultas verteretur in obligationem. Secundò. Quia celebrare in Oratorio priuato eſt odioſum, & derogatorium iuris communis, & ideò non adeſt obligatio vtendi, vt impleatur aliud præceptum, quia minus eſt non audire Miſſam, quàm derogare iuri communi. Tertiò. Quia melius eſt Miſſam non audire, quàm ſacrum fieri vbi non oporteret, niſi pro ſumma neceſſitate, vt dicitur in cap. *Sicut de conſecrat. diſt.* 1.

3 Dicendum tamen eſt. *Quod potens ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam in priuato Oratorio, teneatur audire ibi, ſi aliàs impeditus ſit ne poſſit ire ad Eccleſiam.* Ita etiam Nugn. 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 6. vbi *de præcepto audiendi Miſſam. dub.* 3. ver. *Tertium impedimentum.* Hoc autem intelligitur, dummodo poſſit ſine graui incommodo ibi audire. Vnde ſi adeò ægrotaret, vt non poteſt accedere ad Oratorium, aut non poſſet attendere ad celebrationem excuſaretur.

4 Ratio eſt. Quia præceptum audiendi Miſſam obligat omnes illos, qui poſſunt audire, nec excuſantur, niſi impotentes, aut impediti. Qui autem habet priuilegium, vt poſſit ſatisfacere præcepto audiendi in priuato Oratorio, non eſt impotens, nec impeditus vt per ſe conſtat, & proinde præceptum ſuperueniens, cum non reperiat impotentem, aut impeditum ipſum afficiet. Nec dici poteſt, quod ſit impotens, aut impeditus ad implendum conſueto modo, & ſicut deberet implere, ſi non haberet priuilegium; nam hoc non ſufficit, vt eximatur ab obligatione præcepti.

5 Priuilegium namque cum concedat poſſe impleri præceptum audiendo in priuato Oratorio, detrahit de obligatione præcepti, quia tollit obligationem audiendi in Eccleſia; & ideò quando cum diebus feſtiuis ſuperuenit præceptum, non affert ſecum quoad priuilegiatum totam ſuam obligationem, ſed tantum illam, cui non eſt derogatum, quæ eſt præcisè obligatio audiendi Miſſam independenter à loco priuato, vel publico: ergo ſi non reperit impotentem, aut impeditum reſpectu huius obligationis, ipſum afficiet; quia tantùm impedimentum, aut impotentia facit, ne conſurgat obligatio; & priuilegiatus eſt potens ad implendam totam obligationem, quàm reſpectu ipſius continet præceptum.

Confirm. Quando priuilegium datur ad facilitandam obſeruantiam præcepti detrahendo partem obligationis, tunc priuilegiatus remanet obligatus ad ſeruandum præceptum ſecundùm illam moderationem, quæ inducta eſt per præceptum. Vnde ſi Pontifex concederet alicui, quod comedendo carnes, & in reliquo ſeruando formam ieiunij ſatisfaceret præcepto teneretur ieiunare, aut comedendo cibos conſuetos ieiunij; aut comedendo carnes, ſi non poſſet vti cibis conſuetis ieiunij, quia tale indultum detrahit de obligatione ieiunij, nēpe qualitatem ciborum & relinquit obligationem vnius comeſtionis. Priuilegium autem ſatisfaciendi præcepto audiendi Miſſam in priuato Oratorio, eſt datum ad facilitandam adimpletionem præcepti, cum detrahat partem obligationis, & ideò remanet obligatio, quamuis non poſſit adimpleri, quæ ſublata eſt per priuilegium. 6

Ad fundamenta pro oppoſita ſententia, & ad 1. Reſp. Nimirum teneri vti priuilegio, quantum eſt ea vi priuilegij; quia ita conceditur, vt remaneat in facultate conceſſionarij illo vti, vel non vti. Aliunde tamen fieri poſſe, vt teneatur vti; quia ſcilicet ſuperueniat aliqua obligatio, quæ cogat vti, priuilegio; quod contingit in præſenti, quia cum priuilegium, vt dictum eſt, ſit circa obſeruantiam præcepti de audienda Miſſa moderando obligationem ipſius, eò ipſo, quod quis acceptat priuilegium, vt poſſit ſatisfacere audiendo Miſſam in priuato Oratorio præcepto de audienda Miſſa, ſicuti præceptum obligat tantùm ad audiendam Miſſam ſiue hoc, ſiue illo modo, conſentit tacitè in obligationem ſic moderatam, & ideò, quando ſuperuenit, & non poteſt ire ad Eccleſiam obligatur ab ipſo præcepto ad vtendum priuilegio tanquam illo, quod non ſolùm eſt conceſſum in commodum priuilegiati, ſed etiam in facultatem præcepti, quatenus reddit ipſius obſeruantiam faciliorem, & minus impedibilem. Neque ſequitur, quod gratia fiat oneroſa, aut libera facultas vertatur in neceſſitatem, quia onus audiendi Miſſam non eſt à priuilegio, ſed à præcepto, quod non reperit priuilegiatum impeditum, & quod, cum virtute priuilegij afferat minorem obligationem, habet in tali caſu exequutionem poſſibilem in virtute priuilegij, quod pro ipſius faciliori obſeruantia conceſſum eſt. Priuilegium autem eſt in libera facultate, quoad vſum, quando non moderatur obligationem præcepti: nam tunc ratione præcepti obligantis venit vſus ipſius in acceſſoriam conſequentiam, cum præceptum obliget ſecundum moderationem, quam accipit. 7

Ad 2. Audire Miſſam in Oratorio non derogare iuri communi, ſed ſupponere derogatum iam per priuilegium, quod contingit, quando conceditur; non autem, quando ad praxim reducitur. Vnde audire Miſſam in priuato Oratorio, & non audire, quando diebus feſtiuis vrget præceptum, ita comparantur, vt primum nullum contineat inconueniens, neque tunc derogetur iuri communi, cum iam ſit ipſi derogatum. Secundùm verò contineat tranſgreſſionem præcepti, quia, vt dictum eſt, obligat audire ſiue in loco publico, ſiue in loco priuato. Nemo autem dicet, quod minus ſit, & potiùs eligendum non audire Miſſam, & violare præceptum, quàm exercere actum priuilegij, qui legitimè exerceri poteſt. 8

Ad 3. Melius eſſe Miſſam, non audire quam ſacrum fieri vbi non oportet, quando locus in quo 9

sacrum fit, est locus prohibitus, ita vt nequeat in ipso celebrari, in quo sensu procedit ille text. Secus autem quando locus licet de iure prohibitus, est tamen per priuilegium concessus, & cultui tantum diuino deputatus, quia tunc non fit contra aliquam prohibitionem, sed authorizatur celebratio in tali loco, & seruatur decentia debita, quam requirit sacrificium. Et in hunc finem in concessione priuilegij requirunt summi Pontifices, quod visitetur, & approbetur ab Ordinario loci.

10 Ex dictis infertur. Quod si quis vteretur priuilegio priuati Oratorij diebus non festiuis, aut quando potest adire Ecclesiam, & nollet postea vti diebus festiuis, quando non potest adire Ecclesiam multò minus excusaretur, vt aduertit Nugn. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 6. vbi *de oblig. audiendi Miss. dub.* 3. *imped.* 3. ver. *Ad secundum.* nam ostenderet, quandam irrationabilem substractionem à præcepto executione, & quandam auersionem ad obediendum Ecclesiæ, dum ab vsu priuilegij abstineret, à quo non abstineret, quando rationabiliter posset abstinere.

11 Infertur secundò cum Nugn. 3. *part. quæst.* 83. *articul.* 6. vbi *de obligat. audiendi Miss. dub.* 3. *imped.* 3. ver. *Dico secundò.* Quod habens priuilegium satisfaciendi præcepto audiendo Missam in priuato Oratorio, quando non potest adire Ecclesiam, tenetur prouidere de Sacerdote, qui coram ipso celebret in priuato Oratorio, nisi valdè difficile sit reperire; nam dum acceptauit priuilegium moderans obligationem audiendi Missam, tacitè se obligauit ad ipsum adimplendum secundùm talem moderationem; & & consequenter etiam ad media necessaria pro adimplendo; qui enim se obligat ad finem, se obligat etiam ad media necessaria pro assequutione finis. Oppositum sentit Suarez *disput.* 88. *de Eucharistia, sect.* 6. ver. *Secundum caput*, sed ex opposito principio, quod non teneatur vti priuilegio. Supposito tamen, quod teneatur audire Missam, venit in consequentiam, quod teneatur sibi prouidere de celebrante.

QVÆSTIO 663.

An Oratorium priuatum gaudeat Immunitate Ecclesiastica.

SVMMARIVM.

1. *Oratorium priuatum non gaudet immunitate.*
2. *Motiuum inducendi immunitatem.*
3. *Oratoria priuata non habent illam dignitatem, quæ fundat exigentiam immunitatis.*

1 QVod gaudeat immunitate Ecclesiastica, docet Henriquez *lib.* 7. *summ. cap.* 13. *num.* 4. *in Comm. litter. B.* Sed absque fundamento. Ideò alij communiter tenent, quod non gaudeat. Ita Abbas *in cap. fin. num.* 4. *de Censib.* Iulius Clarus *lib.* 5. *quæst.* 30. *num.* 7. Armilla *verbo* Immunitas. *num.* 19. Syluester. *ibidem.* Farinac. *in praxi quæst.* 78. *num.* 71. & *in Append. cap.* 17. *num.* 167. Peregr. *de immunit. cap.* 4. *num.* 62. Maius Italia *lib.* 1. *de immunitat. cap.* 4. §. 4. Tusch. *litt. L. conclus.* 59. *num.* 24. Filliuc. *tractat.* 15. *cap.* 6. *num.* 150. Gambacur. *lib.* 1. *de immunit. cap.* 1. *num.* 3. Bonac. *tom.* 3. *de censur. in part. disputat.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 16. §. 4. *num.* 14. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 9. Facundez *precept.* 2. *Eccles. lib.* 4. *cap.* 4. *cap.* 64. Remigius Gonni *de immunitat. Eccles. ampliat.* 2. Sanchez *lib.* 6. *cons. moral. cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 2. Trullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 11. *dub.* 1. *num.* 9. Lezana *in sum. verbo* Immunitas. *n.* 4. Barbosa *de iur. Eccles. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 68. Asserens ita declarasse Congregat. Episcop. & Regul. sub *die* 7. *Nouembris* 1617. Themudeus *decis.* 45. *num.* 29. *part.* 1. Bordon. *in cons. Regul. resol.* 90. *num.* 6.

Dicendum est ergo. *Oratoria priuata non gaudere immunitate.* Ratio est clara, quia in ipsis non habet locum illud motiuum, propter quod est introducta quoad Ecclesias, & alia loca, quæ ipsa gaudent. 2 Motiuum enim introducendi immunitatem fuit reuerentia debita locis sacris, aut Religiosis iuxta ea, quæ notant Gloss. *in cap. Inter alia. de Immunit. Eccles.* Abbas *ibidem num.* 4. Couar. *lib.* 2. *variar. c.* 20. *num.* 3. Et communiter. In Oratoriis autem priuatis non habet locum huiusmodi motiuum, quia non sunt loca sacra, nec perpetuo diuino cultui dedicata; nec sunt loca religiosa, sed merè prophana, quia ad libitum Domini conuerti possunt ad vsum prophanum.

Nec obstat, quod in ipsis offeratur Deo sacrificiũ, 3 & sint ad hunc effectum deputata, quia sunt deputata veluti ex accidenti, & non permanenter; & ideò ex oblatione non recipiunt illam dignitatem, quam reciperent, si essent deputata permanenter; vnde nec etiam est ipsis debita illa reuerentia, quæ fundatur in dignitate consurgente ex deputatione, vt sit locus permanens pro oblatione sacrificij deputatus. Deinde dignitas, quæ consurgit ex oblatione sacrificij est veluti extrinseca, & proinde non exigit reuerentiam illam, quam exigit dignitas intrinseca loci, qualis est, quæ consurgit ex stabili deputatione, & perpetua ad cultum Dei, & oblationem sacrificij.

QVÆSTIO 664.

An luxurians in Oratoriis priuatis committat sacrilegium.

SVMMARIVM.

1. *Luxurians in priuato Oratorio non committit sacrilegium.*
2. *Quid requiratur ad sacrilegium.*
3. *Peccata commissa in priuatis Oratoriis non contrahunt aliquam rationem sacrilegij.*
   Vnde Ecclesia refundat specialem malitiam in actiones etiam alias licitas.
4. *Priuatum Oratorium etiam perpetuò permensurum fundat malitiam sacrilegij.*

DIcendum est. *Luxuriantem in priuato Oratorio non committere sacrilegium.* Ita Sanchez *lib.* 9. 1 *de matrimonio, disput.* 15. *num.* 39. Barbos. *de Iure Eccles. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 16. Bordon. *in consil. Regul. resolut.* 90. *num.* 7. *tom.* 2. Leander *de sacrament. tractat.* 5. *disput.* 8. §. 4. *quæst.* 25. Pellizar. *tom.* 2. *Manual. Regul. tractat.* 5. *cap.* 3. *sect.* 1. *num.* 44.

Ratio est. Quia ad constituendum sacrilegium 2 requiritur specialis ratio malitiæ, & deformitatis, quæ consistit in violatione rei sacræ per irreuerentiam iuxta ea, quæ tradunt communiter cum Diuo Thom. 2. 2. *quæst.* 99. *art.* 1. & 2 *in corp.* Cum ergo Oratoria priuata non sint loca sacra, non sunt capacia violationis per irreuerentiam, atque adeò non faciunt, quod peccata quæ in ipsis committuntur induant rationem sacrilegij. Vnde neque etiam capacia sunt pollutionis iuxta ea, quæ suo loco dicta sunt.

Ex quibus infertur, quod neque, etiam alia peccata, quæ in his Oratoriis committi possunt, indu- 3 cunt

cunt rationem sacrilegii, sicut inducerent si committerentur in Ecclesia. Cum enim locus de se non sit aptus refondere specialem malitiam in nullam rationem refundet. Ideò enim Ecclesiæ refundunt etiam in actiones, quæ aliàs de se licitæ sunt, vt si Iudex comprehendi iubeat reum in Ecclesia, quæ actio, quamuis de se licita sit sacrilegium ob iniuriam illatam loco sacro, quia cum sint deputatæ ad cultum Dei, sortiuntur qualitatem finis, sicut sortiuntur media, & fiuor quoddam diuinum, vt habet D. Thom. 2. 2. *quæstione 99. articulo primo, in corpore*, & proinde debetur ipsis specialis reuerentia, quæ refertur in Deum. Vnde, quod fit contra exigentiam huius reuerentiæ, habet specialem rationem deformitatis, quæ constituit sacrilegium; quæ non habet locum in priuatis Oratoriis, cum non permanenter ad diuinum cultum dedicata sint, sed tantùm temporaneè, de qua deputatione intelligi debent verba concessionis Oratorij priua-
4 ti, nempe *ad diuinum tantùm cultum deputato.*

Imò etiamsi priuatum Oratorium ita fabricaretur, vt semper esset permansurum in domo priuata adhuc tamen eodem iure censeretur, quia neque adhuc esset locus sacer, & illa deputatio ad cultum diuinum, licèt semper permansura, esset tamen priuata authoritate inducta; & consequenter esset semper in libertate Domini domus auferre deputationem & conuertere locum ad vsus prophanos. Et proinde non redderetur dignum speciali reuerentia, quia hoc tantùm obtinet ex deputatione authoritatiua, & Canonica: nam hoc est per facultatem circa ea, quæ concernunt religionem, & proinde potest facere loca sacra, & religiosa; etsi deficiat hæc authoritas, deputatio sit merè materialis, & non operabitur aliquem effectum sacrum seu Religiosum.

QVÆSTIO 666.

Qua anticipatio admitti possit ante diem & postpositio respectu meridiei in Oratoriis priuatis virtute Bullæ Cruciatæ.

SVMMARIVM.

1. *Quomodo accipienda hora antequam illucescat, & post meridiem in celebratione virtute Cruciatæ in priuato Oratorio.*
2. *Intelligitur de hora ante tempus consuetum.*
3. *Omnis dispositio etiam exorbitans tantum extenditur, quantum admittitur propria verborum significatio.*

1 CIrca celebrationē in priuatis Oratoriis conceditur in Bulla Cruciatæ, vt celebrari possit per horam antequam illucescat, & per horam post meridiem vnde insurgit difficultas, quomodo hoc accipiendum sit. Bard. *in Bull. Cruciata part. 3. tractat. 4. cap. 2. num. 4.* videtur sentire, quod hæc anticipatio non possit accipi sicut nec postpositio respectu meridiei de hora vltra totum tempus ante, & post quod de iure communi pro celebratione conceditur, quia ex verbis priuilegij colligitur tãtum, quod concedatur præuentio vnius horæ ante lucem & productio alterius horæ post meridiem. Neque sequitur quod priuilegium sit inutile, quia cum dubitetur an anticipatio ante Auroram sit per mediam horam, an verò plus, aut minus Pontifex determinatè concedit per integram horam, & idem dicendum est etiam de productione temporis per alteram horam post meridiem.

Sed tenendum est. *Quod per priuilegium conceditur integra hora in anticipanda celebratione respectu horæ consuetæ & integra hora in postponenda.* Ita Natta *in Bull. Cruc. q. 33.* Palaus *p. 4. oper. mor. tract. 25. punct. 6. num. 10.* qui tamen non rectè infert, quod Missa inchoari potest duabus horis cum dimidia ante ortum solis, quia Aurora non durat per horam, & dimidiam ante solis ortum. Ratio clara est, quia termini, intra quos de iure licet celebrare Missam sunt ab Aurora, vsque ad meridiem, vt constat etiam ex Rubricis, priuilegium autem Cruciatæ accipit hos terminos, & addit horam vnam ante, dum concedit, quod per horam, antequam illucescat, liceat celebrare, quando enim incipit Aurora incipit illucescere, & aliam horam addit post meridiem. Cum ergo verba priuilegij sint clara quoad concessionem horæ ante, & post terminos de iure præfixos, & etiam quoad ipsos terminos dicendum est, quod tàm à parte ante, quàm à parte post concedatur integra hora supra tempus de iure concessum. 2

Cum ergo verba priuilegij secundum suam propriam significationem apta sint comprehendere ho- 3
ram vnam ante, & alteram horam post tempus concessum pro celebratione Missæ dicendum est, quod quod dicta hora concedatur, quia omnis dispositio, etiam exorbitans, est strictè accipienda, tantùm extenditur, quantum se extendit propria verborum significatio iuxta cap. *si quam. de sent. excomm.* & *l. Cum lege. ff. de testam.* & notant ibidem Aret. Crauetta *cons. 227. num. 12.* Calderin. *consil. 1. circa init. de consang. & affinit.* Rota coram Gregor. XV. *decis. 193. num. 4.*

QVÆSTIO 667.

An in Oratorio priuato acquiri possint Indulgentiæ de quibus in Bulla Cruciatæ.

SVMMARIVM.

1. *Indulgentiæ quæ conceduntur in Bulla Cruciatæ.*
2. *Acquiri an possint in priuato Oratorio.*
3. *Quid requirat Bulla pro iis acquirendis.*
   Cessante præsupposito cessat etiam dispositum.
4. *Præsuppositam inducit conditionem sub qua tantum valet dispositum.*
   Non existente conditione non valet actus.
5. *In priuato Oratorio non sufficiunt plura Altaria vt ibi acquiri possint indulgentiæ.*
   Subrogatum debet esse eiusdem qualitatis cum eo, cui subrogatur.
6. *Subrogatum comprehenditur sub eadem dispositione, &c.*
7. *Priuata Oratoria, non veniunt nomine Ecclesiæ, quoad indulgentias Cruciatæ.*
8. *Indulgentiæ Cruciatæ, an acquiri possint in Oratorio, si in eo loco non sint Ecclesiæ.*
   Habetur pro dispositio, quod disponens verisimiliter respondisset.

IN Bulla Cruciatæ conceduntur illam habentibus 1
Indulgentiæ stationum Almæ vrbis Romæ tàm intra quàm extra muros pro iis diebus, quibus ibidem conceduntur sub hoc tenore. *Etsi etiam deuotè visitauerint in loco, vbi eos morari contigerit singulis Quadragesimalibus, & aliis anni temporibus, & diebus stationum almæ vrbis, & extra illius muros quinque Ecclesias siue Altaria seu si ibi tot Ecclesias, seu Altaria*

Altaria non fuerint quinquies vnum, vel vnam Altare, siue Ecclesia precesque ad Deum similiter pro vnione, & victoria prædictis deuotè fuerint omnes. & singulas Indulgentias tam per se, quàm per modum suffragij pro personis, quæ in Christi Charitate decesserint, pro quibus visitauerint, consequantur quas consequi possent, si iisdem temporibus, & diebus singulas Ecclesias dictæ Vrbis, & extra illius muros huiusmodi pro eisdem stationibus, & Indulgentiis consequendis deputatos personaliter visitarent. Dubitatur ergo, an huiusmodi Indulgentiæ acquiri possint visitando priuatum Oratorium.

2 Quod autem acquiri possint, visitando priuatum Oratorium tradunt Ludouic. à Cruce *in Bull. Cruciatæ, disput. 1. cap. 8. dub. 13. num. 2.* Trulleucb. *in eandem Bull. lib. 1. §. 6. dub. 2. num. 2.* Villalob. *in summ. part. 1. tractat. 27. conclus. 8. num. 4.* Garzia *in sum. tractat. 3. difficult. 8. dub. 1. punct. 2. n. 21.* Leander *de sacrament. tractat. 5. disput. 14. quæst. 75.* Machad. *tom. 1. lib. 3. part. 2. tract. 4. docum. 5. n. 4.* Bardus *in Bull. Cruciatæ, part. 2. tract. 4. cap. 4. sect. 4. num. 31.* Fundamentum est, quia nomine Ecclesiæ, præsertim in fauorabilibus veniunt etiam Oratoria priuata. Deinde quia saltem Oratorium priuatum venit sub nomine Altaris, nam ibi est verum Altare.

3 Fateor, hanc sententiam non posse mihi placere; nam Bulla Cruciatæ absolutè non concedit Indulgentias prædictas visitantibus vnam Ecclesiam, seu Altare, sed absolutè requirit, quod visitentur quinque Ecclesiæ, seu Altaria, & solum indulget, quod, si ibi non adsint quinque Ecclesiæ, seu Altaria quinquies visitetur eadem Ecclesia, seu Altare: ergo si ibi adsint quinque Ecclesiæ, seu Altaria erit necessarium illos visitare nec poterit acquiri indulgentia in priuato Oratorio, quia concessio visitandi vnam Ecclesiam seu Altare quinquies est ex præsuppositione, quod non adsint quinque Ecclesiæ, seu Altaria; & ideò si cessat præsuppositum cessat etiam dispositum, atque concessio cap. *Si Papa, de priuileg. in 6.* & Clemen. *Si summus. de sentent. excomm.* & tradunt Gloss. *in l. Mancipia, de seru. fugit.* vbi etiam Doctores Dec. *cons. 63. num. 6.* & *cons. 497. per tot.* Alex. *cons. 126. lib. 5.* Menoch. *remed. 9. de recuper. poss. num. 161.* Rota coram Ludou. *decis. 208. n. 2.* & coram Merlino *decis. 584. num. 6.*

4 Præsuppositum enim inducit conditionem, sub qua subsequens dispositio habet locum, & proinde præsuppositiuè loquens conditionaliter loquitur, vt tradunt. Dec. *cons. 644. num. 15.* Menoch. *consil. 175. num. 2.* Decian. *resp. 1. num. 16. vol. 1.* & ideò nisi locum habeat conditio præsuppositi, non habet locum præsuppositiuè dispositum, quia intrat Regula, quod actus conditionalis non valeat, nisi existente conditione, *l. Si quis sub conditione. ff. Si quis omiss. cau.* & *l. Cadere diem. ff. de verb. signific.* & *l. Ex facto. ff. de hered. inst.*

5 Quod si locum habeat præsuppositum, itavt non adsint quinque Ecclesiæ, aut Altaria, quæ visitari possint, & proinde subintret dispositio visitandi quinquies eandem Ecclesiam, seu Altare, neque adhuc existimo, quod possit visitari priuatum Oratorium. Certum est enim, quod quinque Ecclesiæ, seu Altaria, quæ iniunguntur visitanda sint Ecclesiæ publicæ, & publica Altaria, cum in priuato Oratorio sit vnicum tantum Altare; vna autem Ecclesia, seu Altare quinquies visitandum subrogantur quinque Ecclesiis, seu Altaribus, & ideò debent esse eiusdem qualitatis cum iis, in quorum locum subrogantur *l. Si enim. §. Qui iniuriarum. ff. Si quis cauet.* & *l. Si donata. §. 1. ff. de donat. inter vir. & vxor.* & obseruant Gabr. *conclus. 2. de reg. iur.* Surd. *decis. 35. num. 9.* Rota coram Ludou. *decis. 463. n. 3.* & ideò si Ecclesiæ, & Altaria sunt publica, subrogatio quoque vnius Ecclesiæ, seu Altaris accipi debet de publicis.

6 Præsertim, quia quod subrogatur in locum alterius, comprehenditur sub eadem dispositione, & dicitur idem cum ipso §. *Si igitur defunctus,* ver. *Vnde consequens.* Authent. *de hered. ab intest. venien.* & notant Bald. *in l. Per diuersas, num. 21. C. Mandati.* Decian. *cons. 52. n. 53. lib. 1.* Natta *consil. 346. num. 3.* Rota coram Merlino *decis. 445. num. 2.* Cum ergo dispositio de quinque Ecclesiis, seu Altaribus visitandis sit de publicis subrogatio quoque de vnica Ecclesia, seu Altari quinquies visitando erit sub eadem dispositione, atque adeò cum dispositio de quinque sit de publicis, de publico quoque erit dum de vno quinquies visitando disponitur.

7 Ad fundamentum oppositæ senteut. resp. Quicquid sit, an priuata Oratoria veniant nomine Ecclesiæ, iam constat ex dictis, quod priuilegium non extenditur ad ipsa, quando adsunt quinque Ecclesiæ, aut Altaria. Quando autem non adsunt, iam constat, quod non sunt illa quæ loco quinque subrogantur tanquam diuersæ qualitatis ab illis, quibus fit subrogatio. Hinc etiam 2. eodem modo resp. nam admisso quod altare priuati Oratorij veniat sub nomine Altaris, non est tamen de illis Altaribus, de quibus procedit priuilegium; quod, vt dictum est, loquitur de publicis Altaribus, & sitis in Ecclesia, vt constat ex prima parte dispositionis. Secunda verò pars dispositionis subrogat Altare eiusdem qualitatis, atque adeò in publica Ecclesia situm.

8 Sed quid, si habens Bullam Cruciatæ reperitur in aliquo loco, vbi nulla sit Ecclesia, atque adeò nec publicum Altare. Resp. In tali casu ex coniecturata mente Summi Pontificis probabile esse, quod possint in priuato Oratorio acquiri. Est enim verisimile quod nolit Summus Pontifex in defectu Ecclesiæ, & publici Altaris, indulgentias reddi impossibiles, quoad acquisitionem, quod ex eo colligitur, quod substituit vnicam tantum Ecclesiam, seu Altare quinquies visitandum, si non adsint quinque, vnde quia verisimile est, quod Summus Pontifex de hoc interrogatus ita responderet, ideo habetur pro dispositio iuxta ea, quæ tradunt Castrens. *in Authent. Nisi rogati, num. 3.* Corn. *consil. 253. num. 6.* vers. *Hunc etiam.* Dec. *consil. 259. num. 4.* vers. *Et ideo.* Rota coram Lodouis. *decis. 301. num. 9.*

QVÆSTIO 668.

An priuilegium Bullæ Cruciatæ post Concil. Trid. & Decretum Pauli V. circa Oratoria priuata subsistat.

SVMMARIVM.

1. *Facultas priuati Oratorij non conceditur ab Episcopis.*
2. *Priuilegium Bullæ Cruciatæ circa priuata Oratoria est sublatum per Concil. Trid. & Decretum S. Congregat.*
   Declaratio S. Concil. Congreg. circa Oratoria priuata virtute Bullæ Cruciatæ.
3. *Facultas circa priuata Oratoria per Bullam Cruciatæ obstat Decreto Concilij, ideo sublata.*
4. *Bulla Cruciatæ prorogatur de vno termino ad alium, ideo remanet in eodem statu.*
   Prorogatio non addit de nouo, sed extendit ad vlterius tempus.

1 IN Decreto Concil. Trident. *sess. 22. de seruand. & vitand. in celebrat. Miss.* iniungitur Episcop. inter alia,

alia, quod non patiantur in priuatis domibus, & priuatis Oratoriis Missas celebrari. Et postea sub *die 30. Martij* 1615. iussu Pauli V. S. Concil. Congreg. decreuit, & declarauit, facultatem huiusmodi licentias dandi celebrandi in priuatis Oratoriis ipsius Concilij Decreto vnicuique ademptum esse, solique B. Romano Pontifici esse reseruatam. Et insuper licentias concessas post dictum Decretum Concilij declarandas esse irritas, præter concessas à summo Pontifice circa Oratoria priuata.

2 Dicendum est dict. *Priuilegium Bullæ Cruciatæ circa Oratoria fuisse sublatum per Concil. Trid. & perfectum Decretum S. Congregat.* Ita declarauit S. Concil. Congregat. & ego in Regesto Decreto eiusdem Congregat. vidi declarationem quinimò habeo ipsam apud me in forma Authentica Emanauit autem declaratio sub *die* 14. *Nouembris* 1648. ad instantiam Archiepiscopi Calatitani tenoris sequentis. *An priuilegium Bullæ Cruciatæ pro huiusmodi Oratoriis, & Altaribus ac Missarum celebratione in dicta Diœcesi possit suffragari. Item an quantenus dictæ Capellæ sub Decreto S. Concilij, necnon dicto Decreto Pauli V. & literarum prohibitione comprehendantur, & Bulla Cruciata non suffragetur, liceat Archiepiscopo contra Sacerdotes tam Sæculares, quàm Regulares in eisdem Capellis celebrare volentes post Edictum Archiepiscopi publicatum, seu intimatum procedere, & quibus pœnis illos punire.* S. autem Congregatio resp. *Priuilegium Bullæ Cruciatæ non suffragari.* Item. *Licere Archiepiscopo contra Sacerdotes tam Sæculares, quàm Regulares in eisdem Capellis celebrare volentes post Edictum Archiepiscopi publicatum procedere etiam ad pœnas Censurarum.*

3 Ratio desumitur, quia Concil. iniungit Episcopis, vt non patiantur in priuatis Oratoriis celebrari & in fine dicti Decreti, de quo *num.* 1. reuocat priuilegia. Si autem sub hac reuocatione contineretur etiam priuilegium Bullæ Cruciatæ non possent Episcopi exequi, quod, ipsis à Concilio iniungitur, quia semper obstaret huiusmodi priuilegium. Confirmat. Quia S. Congregatio in suo Decreto sub Paulo V. declarauit licentias omnes celebrandi in priuatis Oratoriis concessas post Concil. Trident. præterquam à summo Pontifice, esse nullas, & vt tales declarandas esse: ergo comprehendit etiam licentias concessas in virtute Bullæ Cruciatæ, quia licet sint concessæ per facultatem communicatam à summo Pontifice non sunt tamen concessæ ab ipso summo Pontifice.

4 Nec obstat quod post Concil. Trident. & Decretum sub Paulo V. concessa sit de nouo Bulla Cruciatæ, quia talis concessio facta est per modum prorogationis, quia cum esset concessa ad tempus determinatum prorogata fuit, & successiuè ad alium, & alium terminum. Et proinde remansit in iisdem terminis in quibus erat, quando fuit prorogata, quia prorogatio non addit de nouo sed solùm extendit ad vlterius tempus, vt dixit Rota coram Seraph. *dec.* 583. *num.* 2. *in fine.* & coram Merlino *decis.* 553. *num.* 11. & coram Ludouis. *decis.* 532. *num.* 17. Præsertim, quia non est verisimile quod Pontifices voluerint, reddere ita facilem concessionem celebrationis in priuatis Oratoriis, quam ipsi adeò difficile concedunt, & nonnisi concurrentibus certis conditionibus. Accedit etiam quod S. Congregationi non erat ignota prorogatio dictæ Bullæ, quæ successiuè fit ad alios, & alios terminos, & nihilominus declarauit, quod non suffragetur quoad priuilegium celebrationis in priuatis Oratoriis, & quod præmisso edicto possit ad pœnas deueniri contra celebrantes in ipsis prætextu priuilegij præfati.

DE ALTARI.

NOMINE Altaris intelligitur illa Ara, in qua offertur sacrificium; sic autem dicitur, quasi alta ara, vt notat Valfridus Strabo. *De reb. Eccles. cap.* 6. & cæteri, qui de eius etymologia agunt, vt Durand. *de diuin. lib.* 1. *cap.* 2. & 6. & proinde est propriè locus, in quo Corpus Christi offertur, vt tradunt D. August. *lib.* 20. *contra Faustum cap.* 21. De hoc ergo in præsenti agendum est.

QVÆSTIO 668.

Ex qua materia constare debeat Altare.

SVMMARIVM.

1. *Altare duplex, fixum, & mobile, seu portatile.*
2. *Altare constare debet ex lapide.*
3. *Altare quando incœperit esse lapideum.*
4. *Sufficit si, mensa Altaris sit lapidea.*
5. *Imò etiam pars illa super quo imponitur calix, & hostia.*
6. *Sufficit si ara Altaris lapidea capiat maiorem hostia, & pedis Calicis.*
7. *Altare confici potest ex quacunq; materia lapidea.*
8. *Altare an constare possit ex lapide, vulgo Talco.*
9. *Episcopus non potest dispensare quod Altare fiat ex alia materia, quam lapidea.*
Summus Pontifex potest dispensare.

SVpponendum est: Altare esse duplex; aliud stabile, & fixum, quod in certo loco manet immobile; aliud mobile, & portatile, quod huc illuc transferri potest; de vtroque autem mentio fit in iure, & de stabili, & fixo in c. *Si motum. de consecr. dist.* 1. & in cap. 1. & in cap. *Quod in dubiis*, & in cap. *Ligneis. de consecr. Eccles.* in quibus locis dicitur, quod si Altare motum fuerit amittit consecrationem. De mobili autem, & portatili fit mentio in cap. *Concedimus de consecrat. dist.* 1. vbi dicitur. Tabula consecrata, & in cap. *Quoniam de priuileg. in* 6. vbi dicitur Altare viaticum, quia inseruit in itinere. Aliqua autem habent communia, & alia specialia, ideò prius quæ communia sunt expendentur; deinde quæ vnicuique specialia. 1

Dicendum est. *Altare debere constare ex lapide*, hoc autem est de iure Ecclesiastico, nam in primitiua Ecclesia offerebatur sacrificium super Altari ligneo; vnde adhuc in Ecclesia Lateranensi conseruatur Altare ligneum, in quo dicitur, S. Petrum obtulisse sacrificium, vel etiam super qualibet alia materia. Modò autem statutum est, vt altaria lapidea sint; ita Gl. *in cap. Altaria de consecr. dist.* 1. Archidiac. & cæteri Canonistæ *ibid.* Ioan. Andr. *in cap.* 1. *n.* 1. *de consecrat. Eccles.* D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 3. *ad* 5. & *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæst.* 5. *ad* 2. Durand. *quæst.* 2. *n.* 8. Palud. *qu.* 1. *art.* 4. *concl.* 1. Sotus *q.* 2. *art.* 5. *argum.* 5. & cæteri Scholastici *ibidem.* Alens. *part.* 4. *quæst.* 10. *memb.* 5. *artic.* 2. Durand. *de diuin. offic. libro* 1. *cap.* 7. *num.* 28. Tabiena *verbo* Altare, *numero primo* Syluester. & Armilla *ibidem* Rodriquez *parte prima, summ. cap.* 229. *conclusione* 15. & *quæst. Regul.* 28. *art.* 1. *tom.* 1. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 28. 2

RRrr *num.* 1.

num. 1. Bellarm. *tom.*2.*Controuerſ.lib.*3. *de cult.ſanct.* *c.*3.*propoſit.*2.verſ. *Alius finis.* Vaſquez 3.*part.diſp.*233. *c.*2.*n.*10. Azor.*tom.*1.*lib.*10.*c.*27.*q.*2. Suarez *diſp.* 81. *de Eucharistiæ ſect.*5.*dicto* 2. Facundez *precept.*1. *Eccleſ.* *lib.*3.*cap.*22.*n.*2. Reginald.*lib.*29.*Praxis fori pœnit.c.*9. *ſect.*6.*n.*189. Layman.*lib.*5.*Theol.mor.tractat.*5. *cap.*6. *num.*.... Coninch. *de ſacrament.quæſt.*83. *art.*3.*dub.*2. *n.*238. Bonac.*diſput.*4.*de ſacrament. quæſt. vlt. punct.*9. *num.*9. Vgolin.*de poteſt.Epiſcop.p.*2.*cap.*3.*n.*1. Tuſch. *de viſit. col.*1.*cap.*21.*num.*9. Piaſec.*p.*1.*praxis Epiſcop.* *cap.*1.*n.*7. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. alleg.*27.*n.*24. Palaus *p.*4.*oper.mor.tractat.*22. *diſput. vnic. punct.*9. *n.*2. Dicaſtil.*de ſacrament. tractat.*5.*diſput.*4. *dub.*8. *n.*140. Nauar. *in Manual. cap.*25. *num.* 83. Tanner. *tom.*4. *diſp.*5. *quæſt.*10. *dub.*2. *num.* 44. Fauſt. *de Euchariſt.* *lib.* 2. *de ſacrific. Miſſ. quæſt.* 208. verſ. *Altare conſecratum.* Garzia *in ſumm. tractat.*3. *difficult.* 8.*dub.*3. *punct.*1. *num.* 2. Amic. *tom.* 7. *curſ. Theol. diſput.* 33. *ſect.* 12. *num.* 347. Gaſpar Hurtad. *de ſacram. diſp.*4. *de ſacrific. Miſſ. diffic.*8.*init.* Caſpenſ. *p.*2. *curſ. Theol.* *tractat.*23. *diſp.*3. *ſect.*4. *num.*75. Trullench. *lib.* 3. *de ſacram.c.*8.*dub.*16.*n.*1. Marchin.*de ſacram. Ordin. tractat.*3.*p.*3. *cap.*12. *n.*1. Leander. *de ſacrament.tract.*8. *diſp.*7. *quæſt.*7. Tambur.*in opuſc.de ſacrific. Miſſ. lib.*2. *cap.*5.§.1.*num.*1. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.*10. *num.*6. Franciſc. Lugo *de ſacrament. cap.* 7. *quæſt.* 2. *num.*17.

3 Hoc autem Initium habuit tempore S. Syluestri Papæ, qui quando cœpiæ ſunt publicè ædificari Ecclesiæ, ſtatuit, quod in poſterum altaria lapidea eſſent, & ita ſtatuitur etiam in cap. *Altaria de conſecrat.diſt.* 1. Hoc autem ita ſtatutum eſt; quia cum eſſent conſecrandæ, exigebatur materia ſolida, & quæ reſiſteret corruptioni; eſt autem electus pro materia capitum, quia eſt magis obuia, & facilis ad parandum, tum quia etiam in veteri Teſtamento ex lapidibus erigebantur altaria. Ratio autem myſtica eſt, quia, vt ait D.Thom.3.*p.q.*83.*art.*3. *ad* 5. Altare ſignificat, Chriſtum qui dicitur lapis 1. ad Corinth. 10. vel ſepulchrum Chriſti; quod fuit lapideum. Hæc autem eſt congruentia adinuenta poſt factum; nam ſi ſtatutum fuiſſet, quod altare eſſet ligneum dici poſſet ita factum, quia ſignificat Crucem; quæ fuit lignea; quia ſicut Chriſtus ſeipſum obtulit in Cruce; ita modo offeratur in altari.

4 Eſt tamen aduertendum, vt notant plures ex Anthoribus citatis *num.* 2. non eſſe neceſſarium, quod totum altare ſit lapideum ſiue ſit mobile ſiue fixum, ſed ſufficere quod ara tantum ſit lapidea, ſeu menſa ſuperior, quoad cætera autem poteſt eſſe ex quacumque alia materia ſiue lignea, ſiue terrea, ſiue ex cæmento, nam ſufficit quod ſit lapidea pars illa, quæ conſecratur, & ſupra qua offertur ſacrificium, quia in cap. *Altaria. de conſecrat. diſt.* 1. requiritur quod altaria ſint lapidea, vt conſecrari poſſint; atque adeò ſufficit, quod lapidea ſit illa pars; quæ conſecratur.

5 Imò non eſt neceſſarium, quod tota Ara, ſeu menſa ſuperior ſit lapidea, ſed ſufficit, quod illa pars, ſupra quam reponitur Calix, & Patena, ſit lapidea; atque adeò tum tanta longitudine, & latitudine, vt Calicem, & Patenam capere poſſit, vt notant iidem DD. præſertim Alenſ. Palud. Sot. Syluest. Nauarr. Azor. Layman. Suarez Coninch. & alij ex citat.*num.*2. quod non ſolum habet locum in altare portatili, ſed etiam in altari fixo; quia non requiritur altare lapideum, niſi, vt ſuper ipſo offeratur ſacrificium, & ideò ſufficit, vt tanta pars ſit lapidea, quanta ſufficiens eſt ad capienda vaſa, in quibus offertur ſacrificium.

6 Sed hic inſurgit difficultas, an menſa lapidea debeat eſſe tam lata, & longa, vt capiat adæquatè pedem Calicis, & Patenam. Partem affirmatiuam tradunt Palud.*in* 4.*diſt.*13.*q.*1.*art.*4.*concl.*2. Angel.*verb.* Altare *init.* Tabien.*n.*1. Armill.*ibid.* Nauar. *c.*25. *Manual.n.*83. Addentes, eſſe peccatum mortale offerre ſacrificium, ſi menſa lapidea non capiat dicta vaſa. Alij verò volunt, ſufficere, ſi capiat ſecundum maiorem partem ipſorum, ita Sylueſt. *verb.* Altare.*num.*1. Azor.*p.*1.*lib.*10.*c.*27.*q.*7. Rodriquez *p.*1.*ſum.cap.*249. *concl.*15. Suar.*diſp.*81.*de Euchar.ſect.*5.*dicto* 2. Vaſqu. *diſp.*233.*c.*2.*n.*20.*&* 15. Reginald. *lib.* 25. *Praxis fori pœnit.c.*9.*ſect.*6.*n.*189. Franc. Lugo *de ſacram.lib.*5.*c.*7. *q.*2.*n.*20. Coninch.*de ſacram.q.*83.*art.*3.*dub* 2. *n.*259. Tambur.*opuſ.de ſacrif. Miſſ.lib.*1.*c.*5.§.1.*n.*3. quod eſt probabilius, quia ſi menſa capiat maiorem partem, ſaluatur quod ſacrificium offeratur ſupra menſa lapidea.

7 Ex dictis colligitur. Altare conſtare poſſe ex quacumque ſpecie lapidea, ſiue ſit marmorea; ſiue non marmorea; ſiue vnius, ſiue alterius, ſiue mixti coloris, ſiue lapis ordinarius ſit ſiue pretioſus; dummodo ſit verus lapis. Vnde ſi gemmeus lapis eſſet tantæ magnitudinis, vt ex ipſo confici poſſet ſufficiens menſa; poſſet ex ipſo confici altare; Ratio eſt quia in iure ſolum requiritur, quod altare ſit lapideum, nec aliquid ſpecificatur circa qualitatem lapidis, & proinde admitti poteſt quicunque lapis, qui ſit verus lapis, nam ſufficit ad ſaluandum, quod altare ſit lapideum.

8 Secundò colligitur, an conſtare poſſit ex illo lapide, qui vulgo dicitur Taleo, qui ſecari poteſt in laminas ſubtiliſſimas, & diaphanus eſt; Dicaſtillus enim, qui mouet dubium *tract.*5. *de ſacram. diſput.*4. *dub.*8. *n.*142. relinquit dubium indeciſum & ſolum ſubdit, quod pluſculum inclinat in affirmatiuam partem; ſed mihi videtur abſolutè negandum. Tum quia licet, in aliquo imitetur lapides; dubium tamen eſt an ſit verus lapis, ſic etiam lignum foſſibile, quod in territorio Tudertino reperitur, ab aliquibus exiſtimatur lapis; & tamen eſt lignum. Deinde dato, quod eſſet verus lapis, quia tamen facile etiam aliquando abſque vlla opera ſcinditur in laminas, non eſſet materia apta pro altari ob ſuam fragilitatem, & ob facilem ſeparationem illorum veluti foliorum, quibus componitur.

9 Tertiò colligitur. Non poſſe Epiſcopum diſpenſare, vt altare conficiatur ex ferro, auro, argento, aut alio ſimili metallo, ſed hoc ſpectare ad ſummum Pontificem vt notant etiam Henriq. *lib.*9. *ſum.c.* 28. *n.*1. Facundez *precept.*2. *Eccleſ.lib.*3.*c.*22.*n.*3. Franciſc. Lugo *lib.*5.*de ſacram.c.*7. *q.*2. *n.*19. quia hoc pertinet ad publicum Ritum offerendi ſacrificium, nec eſt ex illis, in quibus talis caſus neceſſitatis occurrere poſſit, vt ſit neceſſaria diſpenſatio; nec caſus permittat recurſum ad ſummum Pontificem; & ideò eſt extra ſphæram poteſtatis Epiſcopalis, econtra verò quia ſummus Pontifex eſt ſupra totum ius Canonicum poterit diſpenſare. An autem poſſit adeſſe ſufficiens cauſa ad diſpenſandum, affirmatiuè videtur reſoluendum, vt ſi in aliqua Regione non adeſſent lapides, nec facile comparari poſſent, aut etiam vt ob honorem ſacrificij conſtet ex nobiliori materia. Nec obſtat, quod deficeret tunc ſignificatio myſtica; quia ſignificat Chriſtum; vel ſepulchrum, quia non eſt neceſſarium, quod altare habeat hanc ſignificationem; ſicuti non habebat antequam fieret ex lapidibus, ſed ſicuti hæc voluntariè attributa eſt altari lapideo, ita altari ex alia materia poteſt attribui alia ſignificatio proportionata.

QVÆSTIO

QVÆSTIO 669.

An aliquando liceat ex materia lateritia, au gypso conficere Altare.

SVMMARIVM.

1. *Altaria posse construi ex materia lateritia, aut gypso, qui sentiant.*
2. *Quid si adsit consuetudo legitimè præscripta.*
   Consuetudo prænalet contra ius Ecclesiasticum.
3. *Consuetudo conficiendi altaria ex alia materia quam lapidea non est introducenda absque consensu Pontificis.*

1 PArtem affirmatiuam tradit Baun. *part.* 1. *Theol. moral. tractat.* 6. *quæst.* 16. Asserens, quod audit nonnullos ob Ciuium inopiam, & lapidum raritatem construere altaria opere lataritio, aut gypso; & subdit in hoc non peccare, quia quod in lege non est licitum, necessitas facit licitum. Secundò quia interuenit saltem tacita, & virtualis indulgentia Pontificis, qui censetur indulgere, quod est necessarium pro offerendo sacrificio; atque adeò etiam altare lateritium, aut gypseum, aut alia materia simili, quando deest lapidea; quia debet semper prænalere sacrificium; quod est de iure naturali diuino, nec ipso debent Populi priuari ob difficultatem habendi altare lapideum. Hanc sententiam refert Garzia *in sum. tractat.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 3. *part.* 1. *num.* 2. nec ipsam reprobat.

2 In hac difficultate diuerso modo discurrendum est si consideretur consuetudo iam introducta; aut si agatur de ea introducendo; si enim in aliquo loco, adsit consuetudo legitimè præscripta; aut quia non fuerit receptum decretum de construendis altaribus ex materia lapidea; aut quia non potuerit continuari obseruantia, existimo, qood in tali casu liceat fabricare ex materia lateritia; aut ex alia iuxta Regionis consuetudinem, quia agitur de iure Ecclesiastico positiuo, contra quod prænalere potest consuetudo, iuxta cap. *fin. de consuetud.* nec dici potest quod huiusmodi consuetudo, non est rationabilis, cum habeat locum ob difficultatem seruandi ius Ecclesiasticum: de materia lapidea.

3 Verum si de nouo introducenda sit huiusmodi consuetudo, vt contingere potest in iis Regionibus: quarum populo de nouo conuertuntur ad fidem ob difficultatem habendi altaria lapidea, existimo, id non faciendum absque consensu, & dispensatione summi Pontificis; nam in hoc casu res est integra, & lex possidet exigens introduci Religionem Catholicam cum hoc ritu: ergo si adest difficultas, ob quam non possit introduci, exponenda est summo Pontifici, & expectandum, quid ipsa decreuerit, nam perpensis omnibus, decernet, quod expedire iudicauerit.

QVÆSTIO 670.

An apud Maronitas liceat Latinis celebrare in eorum Altaribus cedrinis.

SVMMARIVM.

1. *Modus construendi Altare apud Maronitas, & quid de ipso sentiendum.*
2. *Celebrans apud Maronitas an possit vti Altari ipsorum.*
   Non tenetur ieiunare accedens ad locum vbi non vrget præceptum iuris communis de ieiunio.
3. *Accedens ad locum vbi est completa Quadragesima non tenetur complere.*
4. *Consuetudo antiqua prænalet contra ius.*
5. *Missionarius non potest vti Altari Maronitarum, vbi non est in vsu.*
   Neque vbi non est Ecclesia habens talem vsum.
6. *Quid in casu necessitatis concurrente alio præcepto maiori pro celebratione.*

MAronitæ construunt sua altaria ex ligno cedrino, & aliquando iis insigunt quinque paruos lapides in modum Crucis. Hanc difficultatem mouet Verricel. *De mission. Apost. tit.* 15. *quæst.* 261. & respondet, quod si in tali altari nullus sit lapis, in nullo necessitatis casu licet Missionario in eo celebrare; & hoc probat ex eo, quod altare debeat esse lapideum. Secundò dicit, quod si in tali altari sit aliquis lapis tantæ latitudinis; atque longitudinis, vt capere possit pedem paruuli Calicis, & maiorem partem Hostiæ posse tunc celebrare, & pro hoc citat Doctores; qui volunt tantam quantitatem lapidis sufficere pro mensa altaris, vt dictum est in superioribus. 1

Sed non mihi videtur soluere difficultatem; non enim soluit attendendo ius, & consuetudinem Ecclesiæ Latinæ, & tamen difficultas in eo consistit, An supposito, quod consuetudo ista Maronitarum vtendi huiusmodi altari cedrino sit legitimè præscripta, ita vt licitè vtantur possit Missionarius, aut quilibet alius apud ipsos morans sequi illorum consuetudinem, & in tali altari celebrare. Dicendum est ergo. *Posse vnumquemque apud Maronitas vti altari, quo ipsi vtuntur, licèt non sit lapideum.* Hæc resolutio est de mente illorum omnium, qui volunt, posse vnumquemque sequi consuetudinem Regionis, etiamsi aliàs ipse teneatur præcepto de opposito. Vnde posse non ieiunare, quid discedit à proprio loco; vbi vrget præceptum iuris communis de ieiunio, & accedit ad locum, vbi tale præceptum est iam adimpletum, sicuti etiam loquentes de diebus festis tradunt Abbas *in cap. A nobis* 1. *num.* 11. *de senten. excommun.* Eclin. *num.* 6. Couarr. *lib.* 4. *var. cap.* 20. *num.* 8. Philiat. *tom.* 1. *de offic. Sacerd. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 32. ver. *At verò notandum.* Maior. *in* 4. *distinct.* 15. *quæst.* 5. Lopez *part.* 1. *instruct. cap.* 52. ver. *vnaquæque ciuitas.* Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 7. *quæst.* 15. *art.* 4. *dub.* 2. ver. *Sequitur ex dictis.* Henriquez *lib.* 7. *summ. cap.* 13. *num.* 8. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 2. *de dieb. fest. cap.* 15. *num.* 3. Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 3. Boss. *sect.* 4. *de subil. sect.* 19. *num.* 39. 2

Et loquens de eo, qui nondum completa Quadragesima accedit ad locum, vbi iam ob diuersitatem Calendarij est completa, quod scilicet non teneatur complere, tradunt Sanchez *lib.* 1. *sum. c.* 12. *n.* 30. Layman. *lib.* 1. *Theol. mor. tract.* 4. *c.* 11. *n.* 8. Salas *disput.* 14. *de legib. sect.* 5. *n.* 69. Filliuc. *tract.* 27. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 109. *in fin.* Bonac. *disput.* 1. *de legib. q.* 1. *punct.* 6. *num.* 64. Baldel. *tom.* 1. *Theol. mor. lib.* 5. *disp.* 31. *n.* 14. Basil. *de leg. municip. disquisit.* 1. §. 5. *n.* 5. Gordon. *lib.* 6. *Theol. mor q.* 18. *c.* 6. ver. *Sed quæstio est*, & tutum in praxi putat. Less. *lib.* 4. *de iust. & iur. c.* 2. *dub.* 8. *n.* 60. & communiter tenent, quod liceat sequi consuetudinem Regionis, vbi quis reperitur; dummodo non sit contra fidem, aut contra bonos mores. 3

Ratio autem est, quia Maronitæ sunt Catholici, & vtuntur huiusmodi altari ex præscripta consuetudine antiquissima. Vnde siue ab initio adfuerit iustus titulus, siue non potuit prænalere contra ius de altari lapideo inata cap. *fin. de consuetudine.* Ergo manentes apud ipsos possunt in oblatione sacrificij vti huiusmodi altari, cùm possit quisque se conformare legitimæ consuetudini 4

Regionis. Cap. *Illa autem distinct.* 12. ibi : *Nec disciplina vlla est in his melior grani, prudentique Christiano, quam vt, eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcunque partem deuenerit.* Et ibi quoque; *Ad quam forte Ecclesiam veneris, eius morem serua.*

5 Ex dictis colligitur. Quod non poterit Missionarius, aut quiuis alius vti præfato altari cedrino in iis Regionibus, in quibus non est in vsu; nam in tantum potest vti apud Maronitas, in quantum consuetudo ibi facit licitum eius vsum: ergo vbi non adest consuetudo, vsus ipsius non erit licitus; quod si contingat celebrare, vbi non sit solitum, nempe apud Infideles, neque ibi poterit vti, quia tenetur sequi ritum suæ Ecclesiæ cum non adsit ibi alia Ecclesia, quæ seruet alium Ritum, & qui proinde faciat ipsum licitum, & cui se conformare possit, & ideò subest iuri communi, quod omnes afficit, nisi aliunde esset obligare.

6 An autem in casu necessitatis adhiberi posset huiusmodi altare, quando scilicet nullum aliud suppeteret. Resp. Probabile esse, quod liceat, quando concurreret maius præceptum offerendi sacrificium; nam in tali casu non fieret circa ritum alia variatio, nisi quoad materiam, ex qua constare debet altare; quæ solum ex mero præcepto Ecclesiastico, debet esse lapidea, vnde si concurreret aliud præceptum maius, quod licet esset Ecclesiasticus, haberet tamen adnexam obligationem iuris naturalis, aut diuini, vt esset præceptum de sumenda in Paschate Eucharistia; per quod determinatur obligatio iuris diuini de sumendo hoc sacramentum, posset celebrari in tali altari, nam tacitè adest dispensatio Ecclesiæ. Siquidem præsumitur, quod in concursu duorum præceptorum, quorum vnum tantum seruari potest, velit illud seruari, quod est maius, & quod pluris interest seruari, atque adeo, quod dispenset in præcepto minori, vt maius seruetur.

QVÆSTIO 671.

An stante paruitate mensæ altaris, adhiberi possit minor hostia.

SVMMARIVM.

1. *Stante paruitate altaris potest adhiberi formula minor.*
2. *Quantitas formulæ consecrandæ non est determinata à iure.*

1 QVia contingere potest, quod mensa altaris sit adeò parua, vt neque secundum maiorem partem capiat pedem Calicis, & Hostiam; dubitatur, an tunc adhiberi possit formula parui; quales sunt illæ, in quibus laicis ministrari solet Eucharistia. Dicendum est, *Posse adhiberi formulam paruam aptam vt capiatur secundum sui maiorem partem à mensa altaris*; ita in casu, in quo non possit haberi maior hostia, tenet Marchant. *in quæst. pastoral. tractat.* 4. *cap.* 5. *quæst.* 3. *cas.* 6. & *in casu de paruitate altaris.* Verticel. *de Missionib. tract.* 15. *quæst.* 261. ver. *Sed quæres.* Limitat tamen ad casum rarum, & vrgentis necessitatis.

2 Ratio autem est, quia quantitas panis consecrandi in oblatione sacrificij non est determinata à iure, neque etiam consuetudo est talis, vt certam quantitatem induxerit; nam formæ, quæ consecrantur, etiam in eadem ciuitate non sunt æquales; nam aliquando sunt grandiores, aliquando minores; & quod sint quantitatis maioris, quam sint formulæ, in quibus ministratur Eucharistia, non videtur esse consuetudo grauiter obligans, cum potius sit introducta ob maiorem commoditatem pertractandi ipsam formulam secundum ritus præscriptos, nempe diuisionem, &c. Ergo si contingat, altare esse adeò paruum, vt non possit capere consuetam formam, poterit adhiberi minor, quæ capi possit secundum maiorem sui partem.

QVÆSTIO 672.

An, & quomodo altare sit consecrandum.

SVMMARIVM.

1. *Altaris consecratio antiquissima.*
2. *Altaria consecranda vnctione Chrismatis.*
3. *Antiquitus non omnia altaria erant lapidea. Prohibitum, altaria consecrari, si non essent lapidea.*

SVpponendum est. Dedicationē, seu consecrationē altarium esse antiquissimam, etiam in lege naturæ & in lege veteri scripta; nam Genes. 28. habetur. Quod Iacob erexit lapidem pro altari, & super ipsum oleum fudit per modum cuiusdam consecrationis; & idem legitur fecisse Genes. 35. Rursus in lege scripta Moyses super fusione olei consecrauit altare, vt legitur *Numer.* 7. & *Exodi* 40. Apud Christianos autem consecratio fuit in vsu in primitiua Ecclesia, vt desumitur ex Diuo Dionys. *De Ecclesiast. Hierarch. cap.* 5. *part.* 1. vbi habetur, quod altaria vngi debent, & consecrari ab Episcopo; vnde fit valde verisimile, quod hoc dimanauerit ab Apostolis, cum non sit possibile, quod aliquid tunc temporis institutum fuerit absque Apostolorum instructione. 1

Dicendum est. *Altaria esse consecranda vnctione Chrismatis, & Benedictione iuxta formam ab Ecclesia præscriptam.* Hoc autem statuitur in cap. *Altare* 1. *de consecrat. distinct.* 1. vbi dicitur. *Altaria si non fuerint lapidea, Chrismatis vnctione non consecrentur*, & cap. *Altaria* 2. ibi: *Altaria placuit non solum vnctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali Benedictione sacrari.* & ita declarat praxis Ecclesiæ, quæ vbique apud Catholicos semper viguit, & nunc etiam viget. 2

Hic autem obiter est notandum, quod antiquitus non omnia altaria erant lapidea, vt colligitur ex dicto cap. *Altaria* 1. nam prohibet Chrismatis vnctione consecrari, si non fuerint lapidea, quæ prohibitio duo supponit, vnum, quod erigerentur altaria, quæ non essent lapidea, neque enim prohibitum fuisset, altaria consecrari, si non essent lapidea, nisi extitissent aliqua non lapidea; alterum quod supponit est, quod altaria, quamuis non essent lapidea consecrarentur Chrismatis vnctione, neque enim adhibitum fuisset, nisi fuisset introductum. 3

QVÆSTIO 673.

A quonam Altare consecrandum sit.

SVMMARIVM.

1. *Altaria consecranda ab Episcopo.*
2. *Ius id statuens.*

Episcopus

Episcopus non potest committere inferiori consecrationem altaris.

3. *Altaria consecranda ab Episcopo loci.*
4. *Sede vacante à quo consecranda altaria.*
5. *Altare viaticum potest ad quemcunque transmitti, vt consecretur.*
6. *Altare fixum an possit consecrari in Ecclesia non consecrata.*

1 Difficultatem facit Cap. *Altaria 2. de consecrat. distinct. 1.* quia ibi dicitur, Altaria esse sacerdotali benedictione seruanda; & proinde videtur quilibet Sacerdos posse consecrate altaria, cum solum requiratur sacerdotalis benedictio. Dicendum tamen est. *Altaria esse consecranda ab Episcopo*; ita communiter Tabien. *verbo* Altare, *num.* 5. Angel. *num.* 7. Syluest. *quæst.* 2. Armilla *num.* 5. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 28. *num.* 1. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 27. *quæst.* 3. Vasquez 3. *part. disp.* 233. *cap.* 2. *num.* 12. Suar. *disp.* 81. *de Euchar. sect.* 5. ver. *Tertiò additur.* Rodriq. *part.* 1. *sum. cap.* 249. *conclus.* 15. Reginald. *lib.* 29. *praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 6. *num.* 190. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 3. Marchin. *de sacram. Ordin. tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 12. *num.* 2. Palaus *part.* 4. *oper. mor. tract.* 22. *disput. vnic. punct.* 9. *num.* 3. Dicastil. *de sacram. tract.* 5. *disput.* 4. *dub.* 8. *num.* 143. Garzia *in sum. tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 3. *punct.* 1. *num.* 4. Faust. *lib.* 2. *de Eucharist. quæst.* 208. ver. *Consecratio Altaris.* Lugo Card. *disp.* 20. *de Euchar. sect.* 3. *num.* 75. Leander. *de sacram. tract.* 8. *disp.* 7. *quæst.* 7. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 10. *num.* 15.

2 Quod autem altare consecrandum sit ab Episcopo statuitur in Cap. *Ministrare 26. quæst. 6.* vbi ea Concil. Agathen. refertur, *Consecrare altare Presbyter non præsumat*; & cap. *Quamuis, distinct.* 68. & in cap. *Quod in dubijs, de consecrat. Eccles.* ibi: *Altare verò, in quo tabula, cui consecrationis benedictio Pontificali ministerio adhibetur.* Et ratio est. Quia talis consecratio est actus ordinis Episcopalis de iure Ecclesiastico, & ideo non poterit Episcopus committere simplici Sacerdoti, sicut dictum est etiam de consecratione Ecclesiæ, nam non potest committere, quæ sunt ordinis alicui inferiori, sed solum quæ sunt iurisdictionis, vt dicitur in cap. *Cum aqua, de consecrat. Eccles.* vnde quando in cap. *Altaria 2. de consecrat. distinct.* 1. dicitur, quod sacerdotali benedictione seruatur, intelligitur de benedictione Episcopali; quia Episcopus antonomasticè dicitur Sacerdos.

3 Dicendum 2. *Altaria esse consideranda ab Episcopo loci*; ita statuitur in cap. *Nullus Presbyter, de consecrat. distinct.* 1. & com aliis notat Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 10. *num.* 15. Et ratio est. Quia cum ipse habeat auctoritatem Episcopalem supra totam suam Diœcesim, pertinet ad ipsum ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, nec potest alius mittere falcem in eius messem. Per hoc tamen non fit, quin possit alios Episcopus consecrate altaria, & alia huiusmodi de commissione Ordinarij, quia eum habeat ordinem, potest, quæ sunt ordinis, exercere, & solum illi deest auctoritas, quæ per commissionem communicatur; vt notat Gloss. *in cap. Aqua,* verbo *Iurisdictionis, in fine, de consecrat. Eccles.*

4 Sede autem vacante, vacari potest Episcopus vicinior ad consecranda altaria, vt notat Rodriquez *tom.* 3. *sum. cap.* 19. *num.* 7. Gauant. *in Manual. Episc. in addit. verbo* Altare, *num.* 4. Quia Episcopus vicinior est ille, qui supplet in Episcopalibus Sede vacante. Vnde ad ipsum quoque diriguntur exequutiones Apostolicæ. Esset tamen necessaria licentia Vicarij Capitularis; siquidem non est quis introducendus in domum alienam sine licentia Domini: posset tamen vocari eum licentia eiusdem Vicarij quilibet alius Episcopus; quia est in potestate Vicarij committere, cui voluerit, ea, quæ sunt auctoritatis. An autem possit Vicarius Capitularis denegate licentiam vocandi Episcopum pro consecrando altari, videtur negatiuè reconciliandum, quia agitur de re honesta, & secundum ritum Ecclesiæ necessaria, nisi fortè de breui expectaretur proprius Episcopus, nam tunc iure posset hanc functionem ei reseruare.

Quod tamen spectat ad altaria viatica, possunt pro consecratione transmitti ad quemcunque habentem facultatem consecrandi; quia eum non sint affixa loco, eorumdem consecratio non spectat ad certum consecratorem, sicut spectat fixorum consecratio: & ideo sicut in quocunque loco consecrari possunt, ita etiam à quocunque consecratore; qui in tali loco possit huiusmodi actum exercere. Et hoc nedum locum habet quoad exemptos, sed etiam quoad subditos; quia altare portatile non est res subdita, cum res non subijciantur, nisi ratione loci, seu territorij. 5

6 An autem altare fixum consecrari possit in Ecclesia non consecrata negant, nisi fortè interueniat licentia Summi Pontificis, Barbosa *de iur. Eccl. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 12. Tambutin. *Opuscul. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 5. §. 1. *num.* 2. Quartus *in Rubr. Miss. part.* 1. *tit.* 20. *dub.* 2. ver. *Dico tertio.* argum. ex cap. *Nullus Presbyter,* & cap. *Placuit, de consecrat. distinct.* 1. Sed ex his textibus nihil elicitur, quod faciat ad rem, vt considerantí patebit, & praxis est in contrarium. Vnde in vrbe in hac nostra Ecclesia S. Andreæ de Valle Cardinalis Maffeus Barberinus, postea Vrbanus VIII. Pontifex Maximus nomine, & opere in Capella à se pro sua familia magnificè extructa, absque vlla licentia Pontificis tunc regnantis consecrauit altare, licet nondum Ecclesia esset consecrata. Rursus in eadem Ecclesia, antequam consecraretur de mandato Apostolicæ visitationis alia duo altaria duarum Capellarum; quæ erant completæ quoad extructionem, fuerunt consecrata; vnde satis constat non esse necessariam Ecclesiæ consecrationem, vt altaria consecrati possint.

QVÆSTIO 674.

An in eodem die possint plura Altaria consecrari.

SVMMARIVM.

1. *Plura altaria possunt eodem die consecrari.*
2. *Plura altaria an possint simul consecrari.*
3. *Altaria an possint consecrari sine celebratione Missa.*
4. *Possunt in diuersis Ecclesijs eadem die plura altaria consecrari.*
Et in eadem Ecclesia.

Dicendum est. Posse in eodem die plura altaria consecrari; ita definitur cap. *Cum sis, de consecr. Eccles.* ibi: *Noueris igitur, quod plura in Ecclesia vna altaria, & plures Episcopos simul poteris consecrare*; & ita notant Gloss. *ibid.* Abb. *n.* 1. & cæteri Canonistæ, Syluest. *verbo* Altare, *num.* 4. Angel. *num.* 5. Gauant. *in Manual. verbo* Altare, *num.* 70. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 10. *num.* 60. Et ratio est. Quia nullibi reperitur prohibitum consecrare eadem die plura altaria, nec ea natura rei continet aliquod inconueniens. 1

Est tamen aduertendum, quod non licebit ea consecrare per modum vnius, sed singulis adhibenda erit propria consecratio; quia singulis communicari 2

debet sanctitas. Existimo tamen probabile, quod si altaria non valde distent, itavt possit consecrator esse omnibus moraliter præsens, possit recitare preces in communi pro omnibus, & solum replicare ea, quæ fiunt circa corpus altaris; quod ea eo suadetur, quia its fit etiam in ordinationibus, quando plures ordinantur simul, & in consecrationibus Episcoporū, imò alicubi in ipsamet collatione Ordinum, excepto Sacerdotio, materia exhibetur simul pluribus, & profertur forma in plurali. Magis tamen expedit, si adhibeantur pro consecratione tot Episcopi, quot sunt altaria; vt factum fuit in casu, de quo *num.6. in præced. quæst.*

3 Contra tamen prædicta adest obiectio, quæ mouetur à Gloss. *in Cap. Cum sis, de consecrat. Eccles.* nempe, quod non potest altare consecrari sine celebratione Missæ: ergo cum non possit Episcopus in eadem die nisi vnicam Missam celebrare, non poterit consecrare, nisi vnum altare. Resp. Consecrationem altaris non posse fieri sine Missa de congruentia; non autem de necessitate, quia non spectat ad substantiam consecrationis, sed solum inseruit veluti ad acquirendam possessionem altari, vt in ipso celebretur, nam aliàs supponit consecrationem peractam, & ideo in Pontificali dicitur *tit. de consecrat. Altaris,* quod consecrator celebret, peracta consecratione, vel faciat coram se celebrare.

4 Dicendum 2. *Etiam in diuersis Ecclesijs posse eadem die plura altaria consecrari, non solum à diuersis Episcopis, sed etiam ab eodem, si tempus suppetat.* Est contra Abb. *in cap. Cum sis, num.2. de consecrat. Eccles.* qui ea illo text. suam sententiam infert, quia Pontifex dicit: *In Ecclesia vna:* ergo non in pluribus. Attamen hæc illatio non valet, quis dictio, *Vna*, non ponitur taxatiuè, sed quia difficultas erat. An in eadē Ecclesia eodem die consecrari possent plura altaria, vt ibi indicat Gloss. *ibi.* quia putabat ille Episcopus, quod sicut eidem personæ eadem die non possunt plures Ordines conferri, ita nec etiam Ecclesiæ eidem posse plura altaria consecrari. Ratio est, quia nulla extat prohibitio, nec est ex natura rei illicitum, & quamuis non possit consecrator, nisi vnam Missam celebrare, poterit celebrare in vno ex altaribus consecratis, & in alio facere coram se celebrare, cum Pontificale relinquat sub electione alternatiua, celebrandi, aut faciendi coram se celebrare.

QVÆSTIO 675.

An consecrari possit Altare erectum supra aliquam sepulturam.

SVMMARIVM.

1. *Altare erectum supra sepulchrum non potest consecrari.*
2. *Sepultura sub altari est honor sanctitatis.*
3. *Vt consecretur altare, nec etiam sub eius scabello debet esse sepulchrum.*
4. *Corpora decedentium cum fama sanctitatis non possunt sepeliri sub altari.*
   Quid si aliqua essent sub altari tumulata ante Decreta Vrbani VIII.
5. *Sepelire aliquem sub altari est graue peccatum.*

1 DIceodum est. *Altare erectum supra aliquod sepulchrum non posse consecrari.* Et hoc habet locum, siue in eo sepulchro aliquis sepultus sit, siue non; sed si aliquis sepultus sit, extrahendum est cadauer, siue ossa, & cineres, & replendus locus, sicut etiam debet repleri, etiamsi nemo ibi fuerit sepultus, ita statuitur in cap. *Non oportet, de consecrat. dist.* 1. & tradunt communiter Gloss. *ibid.* Tabiena *verbo* Altare, *num.* 5. Armill. *num.* 6. D. Antonin. 3. *part. tit.* 12. *cap.*6. §.9. Piasec. *part.* 1. *praxis Episc. cap.*5. *num.*7. Tusch. *de visit. lib.*1. *cap.*21. *num.* 15. Barbosa *de potest. Episcop. allegat.*27. *num.*27. Nald. *in sum. verbo* Sepultura, *num.*11. *in fine.* Gauant. *in Manual. Episcop. verbo* Altare, *num.*9. Paa Iordan. *tom.*1. *Lucubrat. lib.*5. *tit.*10. *num.*27. & ita pluries respondet S.Congreg. interrogata de hoc casu Congreg. Conc. Episc. *in Interamnensi die* 13. *Septembris* 1593. apud Piasec. *cit.* Congreg. Episcop. *die* 8. *Nouembris* 1599. apud Gauant. *cit.*

Ratio est. Quia vsque à primitiua Ecclesia cœperunt altaria ædificari super sepulchris Martyrum in honorem ipsorum, vt scilicet sacrificium, quod offertur Deo, redundaret etiam in ipsorum gloriam, ex eo, quod locus sepulchri ipsorum eligeretur pro loco sacrificij; & proinde tumulati sub altari est quædam declaratio sanctitatis, quia est honor, qui non tribuitur, nisi Sanctis: & ideo si aliquis sepeliretur sub altari tribueretur ei honor, qui tribui non potest. 2

Quod autem dicitur de altari, est etiam extendendum ad scabellum quod est ante altare, vulgò *Bradella*, vt declarauit sacra Congreg. apud Nald. *num.*1. *cit.* & meritò, quia cum huiusmodi scabellum sit altaris, est particeps honoris eiusdem altaris, vnde etiam qui sepeliuntur sub scabello trahuntur ad participandum honorem altaris, & ideò militat eadem ratio in altari, ac in scabello. 3

Ex his autem sequitur. Quod neque corpora eorum, qui cum opinione, & fama sanctitatis decedunt, sepelliri possint sub altari, aut eius scabello; sed solum sepeliri poterunt propè altare, aut scabellum. Ratio est. Quia iste honor est & illis, qui secundum consuetudinem Ecclesiæ tribui solent Sanctis, quibus iam Ecclesia concessit venerationem. Decedentibus autem cum fama sanctitatis non solum non concedit venerationem, sed etiam prohibet omnia illa, quæ sunt signa venerationis; vt constat ex Decretis Vrbani VIII. in ordine ad beatificationem, & canonizationem, seruorum Dei. An autem si aliqui ante dicta Decreta reperirentur tumulati sub altari, essent extrahendi, pro vna parte facit prohibitio iuris, & eorumdem Decretorum prohibentium continuari signa exteriora venerationis. Pro opposita autem parte facit, quod sunt tradita perpetuæ sepulturæ, à qua non licet eos extrahere; in hanc difficultatem inclinarem potius quod in alio loco collocarentur tanquam sepulti in loco, in quo non poterant sepeliri, non secus, ac si quis sepultus extra locum sacrum posset extrahi, & in sacro sepeliri, si aliàs erat in ipso sepeliendus. 4

An autem, & qualiter peccet, qui sub altari aliquem sepeliret. Resp. Peccare grauiter, nam in re graui facit contra prohibitionem Ecclesiæ; siquidem sicut decernere cultum alicui est ex causis grauibus, & arduis, cuius iudicium fuit semper reseruatum Apostolicæ Sedi. Cap. *Audiuimus, de reliq. & venerat. Sanctor.* ita etiam tribuere alicui aliquem ea iis honoribus, quos Ecclesia tribuit tantum Sanctis; & ideò si tribuatur contra Ecclesiæ prohibitionem est reus grauis, & continet peccatum mortale. Accedit etiam, quod talis sepultura potest esse causa erroris, præsertim rudibus, qui ex hoc moueri possent ad colendum sic sepultum tanquam Sanctum. 5

QVÆSTIO

QVÆSTIO 676.

An præter Episcopos possint aliqui alij consecrare altaria.

SVMMARIVM.

1. *De iure communi inferior Episcopo non potest consecrare altare.*
   Actus ordinis Episcopalis non potest ab Episcopo committi inferiori.
2. *Summus Pontifex potest simplici Sacerdoti committere consecrationem altaris.*
3. *Consecratio altaris non potest ab inferiori ipso Episcopo præscribi.*
4. *Regulares aliquando ex priuilegio possunt consecrare altaria.*
5. *Priuilegia concessa Abbati participantur ab alijs Regularibus habentibus æquipollentem iurisdictionem.*
   Quando censeantur non adesse Episcopi Catholici.
6. *Priuilegium consecrandi altaria in terris Indorum.*
7. *Priuilegium consecrandi altaria in terris Infidelium.*
8. *S. Congregatio declarauit, Abbates posse consecrare, &c. licet interueniat sacra Vnctio.*
9. *Abbates Cassinenses possunt consecrare altaria solum pro suis Ecclesijs.*
10. *Priuilegia consecrandi altaria à quibus participentur.*
11. *Priuilegia concessa non Abbatibus à quibus participentur.*
12. *Discrimen inter priuilegia consecrandi altaria concessa Abbatibus, & concessa non Abbatibus.*
13. *Concessa consecratione altaris non conceditur confectio Chrismatis.*
    Concesso vno quando concedantur omnia necessaria ad ipsum.

1 SVpponendum est tanquam certum. Neminem Episcopo inferiorem posse de iure consecrare altaria, sicut etiam dictum est de consecratione Ecclesiarum; atque adeo neque Episcopos posse alteri inferiori consecrationem committere, cum ius expressè prohibeat, etiam Corepiscopis talem functionem, vt in Cap. *Quamuis, distinct.* 68. nam hæc consecratio est actus Ordinis Episcopalis, qui non potest committi inferiori iuxta Cap. *Aqua, de consecr. Eccles.* & ita notant communiter DD. præsertim Rodriquez *part. 1. sum. cap.* 249. *conclus.* 15. Henriquez *lib. 9. sum. cap. 28. num. 1. littera H.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 27. quæst. 4.* Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 12. num. 3.* Suarez *disp. 81. de Euchar. sect. 5. ver. Tertiò additur.* Reginald. *lib. 29. praxis fori pœnit. cap. 9. sect. 6. num. 190.*

2 Supponendum 2. Certum etiam esse, quod summus Pontifex potest simplici Sacerdoti committere consecrationem altaris; vt dictum est etiam de consecratione Ecclesiæ suo loco, vt notant iidem DD. & alij *infrà* citandi. Nam licet sit actus ordinis Episcopalis, non est tamen talis de iure diuino, sed ex institutione Ecclesiæ, vt significatur in dicto Cap. *Quamuis, dist.* 68. & ideo à Summo Pontifice, qui est supra institutiones Ecclesiasticas poterit inferiori committi.

3 Supponendum 3. Inferiorem Episcopo non posse consuetudine acquirere quod possit altaria consecrare; vt notant etiam Abb. *in cap. Aqua, num. 2. de consecrat. Eccles.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 27. quæst. 5.* quia licet Pontifex possit illi committere hanc functionem, vt dictum est, & proinde videatur posse præscribi, quia quod ab alio committi potest, etiam contra ipsum præscribi potest. Attamen seclusa commissione, non est actus præscriptibilis; nam est actus ordinis Episcopalis, qui sicut non potest exerceri à non habente ordinem, ita nec ab ipso præscribi; qui enim non est capax, non potest præscribere, & talis semper manet, quandiu ab habente potestatem denudetur talis qualitate. Vnde si inferior Episcopo vsurparet sibi facultatem ad hos actus, nulliter ageret, nec præscriberet, quia exerceret actum, cuius non est capax. Quando autem Summus Pontifex committit hanc consecrationem inferiori Episcopo, spoliat ipsum qualitate actus ordinis Episcopalis; quam habet ex institutione Ecclesiæ, & facit, quod cadat sub potestate illius. Modo autem difficultas est, an aliqui ex commissione summi Pontificis, seu priuilegio possint consecrare altaria. Hoc autem dependet ex priuilegiis concessis; hæc autem priuilegia non fuisse concessa aliquibus habet Henriq. *lib. 9. sum. cap. 28. num. 15. littera H.* Licet Papa possit concedere, in quo tamen fallitur, vt videbimus, & ostendit, se ignorare etiam priuilegium suæ Religionis quoad Missionarios, de quo *infrà*.

Dicendum est ergo. *Regulares communicantes in priuilegijs posse consecrare altaria.* Hoc autem intelligitur quoad eos, quibus facta est concessio iuxta priuilegia offerenda; neque enim omnes, & singuli id possunt. Extant autem pro hoc diuersa priuilegia. Primum est. Pij IV. concessum Monachis Cassinens. *die 6. Iunij* 1565. vt in eius *Constitut.* 125. *in Bullar. Cassinen. ex Archiuio sancti Petri de Perusio.* Tenor priuilegij est. *Eidem Congregat. vt singuli illius Abbates pro tempore existentes, qui licet quinquennales sint, nihilominus ex priuilegio Apostolico eidem Congregat. concesso Baculo Pastorali, & Mitra Pontificali in Ecclesijs Monasteriorum, in quibus Abbates pro tempore deputati existunt, vti, & benedictionem Pontificalem post diuina officia Christi Fidelibus inibi existentibus elargiri consueuerunt, quoscunque lapides marmoreos, vel porphireos, aut alios, ad eorum altarium portatilium aptos pro vsu quorumcunque vtriusque sexus dictæ Congregationis, Monasteriorum, Prioratum Ecclesiarum, & aliorum piorum locorum; super quibus ad altaria intra claustra eorumdem Monasteriorum, & Prioratuum; seu septa Ecclesiarum, & piorum locorum huiusmodi duntaxat, Missa celebrari possint, consecrare, & benedicere; Ordinariorum locorum licentia desuper minimè requisita, liberè, & licitè valeant; plenam, & liberam licentiam, & facultatem auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.* 4

5 Alterum priuilegium quoad omnia altaria, etiam fixa concessit Innoc. VIII. Abbati Monasterij Cassinens. ac aliis quatuor Abbatibus eiusdem Ordinis, vt in Constit. 5 huius Pontif. *in Bullar. apud* Rodriq. *sub 5. idus April.* 1489. Tenor concessionis est: *Ac altaria de nouo constructa, seu translata, aut mutata in quibuslibet locis dicti Ordinis, Chrismate sacro prius ab aliquo antistite, recepto, consecrare.* Quod priuilegium postea Gregor. XIV. *die 28. Iunij* 1591. extendit ad omnes Abbates Congregationis Cistercij in partibus Hispaniæ. Verum modo est commune omnibus Abbatibus cuiuscunque Religionis habentis priuilegium, quod priuilegia concessa etiam in specie aliquibus ab ipsis participentur.

6 Quoad alios autē non Abbates extat tertium priuilegium Adriani VI. concessum *anno* 1522. Prouincialibus Indiarum fratrum Minorum, vt possint in illis

Digitized by Google

illis locis consecrare altaria, & suis fratribus eandem facultatem impartiri, vt refert Rodriq. *tom. 1. quæst. Regul. q. 28. art. 2. in fine.*

7 Quartum priuilegium fuit concessum à Paulo III. Sacerdotibus Iesuitis 15. *Kalendas Nouembris, anno* 1549. vt scilicet in locis remotissimis Infidelium, in quibus Episcopi Catholici non adsunt possint altaria consecrare. Quid autem intelligatur per loca remotissima credetem intelligi ea omnia, in quibus non adest liberum exercitium Religionis Catholicæ; nam hæc valdè distant ab vrbe Roma, & proinde rectè appellantur remotissima, & vtplurimum ibi non sunt Episcopi Catholici.

8 Est autem aduertendum, quod cum S. Congreg. Concil. declarauit quod Abbates non possint ea benedicere, in quibus vnctio requiritur. Postea ad instantiam Procuratoris Generalis Congreg. Cassinen. *die* 10. *Septemb.* 1614. declarauit in hunc tenorem in fauorem priuilegiatorum: *S. Congregat. Cardinalium Concil. Trid. interpretum declarauit dictionem esse aliàs editam, quod Abbates, vtcunque benedicti, benedicere non possint ea, in quibus vnctio requiritur, non obstare, quominus idē munus prædicta benedictionis quoad ea, in quibus vnctio requiritur; impedire queant, si specialibus Apostolica Sedis priuilegijs, quibus idem Concilium nequaquam derogat munitis fuerint*, refertur in Bullar. Cassinen. *Constit.* 165.

9 Similiter ad fauorem eorumdem Abbatum emanauit Decretum Sacræ Rituum Congregationis *die decimosexto Aprilis, anno* 1644. talis tenoris: *In causa Placentina benedictionis inter Episcopum Placentinum ex vna, Abbatem S. Sixti eius ciuitatis Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassinen. partes ex alia super iure consecrandi quæcunque altaria fixa, aut portatilia. Die* 16. *Augusti* 1644. *S. Rituum Congregat. proponente Eminentiss. & Reuerendiss. Cardinali Franciotto, auditis partibus, & attentis priuilegijs Ordini prædicto ab Apostolica Sede concessis, censuit. Non licere Abbati consecrare altaria, nisi pro vsu propriarum Ecclesiarum, & Religiosorum eiusdem Ordinis tantum, & ita seruari mandauit.* Refertur in eodem Bullar. Cassinen. *Constit.* 127. Ex his autem declarationibus manifestum fit, supra dicta priuilegia in suo robore, etiam nunc, nec fuisse reuocata; alioquin à S. Congreg. non fuissent admissa.

10 Quod autem spectat ad participationem; ea, quæ concessa sunt Abbatibus tam Cassinen. quàm Cistercienfibus participabuntur, ab omnibus Superioribus Religionum habentibus communicationem; qui habent vsum Mitbræ, & Baculi; sunt enim priuilegia concessa intuitu facultatis vtendi insignibus Pontificalibus, quod expressè requirit Pius IV. in concessione priuilegij, & ideo non extenduntur per communicationem, nisi ad eos, qui habent insignia Pontificalia; nam huiusmodi priuilegia concessa fuerunt contemplatione vsus insignium Pontificalium, ac vel sub expressa, aut saltem tacita conditione talis vsus, & ideo non veniunt in generali communicatione quoad eos, qui non habent insignia Pontificalia, vt constat etiam ex praxi.

11 Priuilegia autem concessa non Abbatibus participantur ab omnibus Religiosis Prouincialibus, seu habentibus æquipollentem iurisdictionem in Indiis, quia ea suis subditis poterunt communicare, sicut possunt Prouinciales Minorum. Priuilegium verò concessum Iesuitis participatur ab omnibus Sacerdotibus Religionis pro locis remotissimis Infidelium, si ibi non sint Episcopi Catholici. Tunc autem censetur non adesse Episcopos Catholicos, quando, licet vicinus, non potest tamen ex quacunque causa accedere, ad locum, vbi consecrandum est altare, & cum priuilegium sit definitum, complectitur illi

altaria non solum portatilia, sed etiam fixa, dummodo in eo loco absque periculo irreuerétiæ erigi possint.

Differunt autem hæc priuilegia à priuilegiis concessis Abbatibus, quod hæc, vt visum est, sunt tantum quoad altaria inseruientium Religioni, & locis ipsi subiectis; cum talis limitatio sit expressa in priuilegio, & ita declarauerit S. Congregat. vt visum est *num.* 9. At priuilegia concessa pro Indiis, & locis remotissimis Infidelium non habent hanc limitationem; & ideo priuilegiati possunt consecrare non solum pro proprio vsu, sed etiam pro vsu cæterorum, & ideo consecrare poterunt quotquot erunt necessaria in illo loco. 12

Denique est aduertendum, quod licet in priuilegiis posterioribus non fiat mentio de Chrismate accipiendo ab Episcopo pro consecratione altaris, non tamen per hoc censeri debet concessa facultas conficiendi Chrisma, sed intelligitur, quod illud accipiant ab Episcopo; nam confectio Chrismatis est diuersus actus ordinis Episcopalis, & ideo ex eo, quod concedatur vnus, nempe consecratio altaris, non sequitur, quod etiam concedatur alter, vt satis constat in priuilegiis concessis Abbatibus, lo quibus non conceditur facultas conficiendi Chrisma. Quando enim dicitur, quod concesso vno, conceduntur omnia; sine quibus non peruenitur ad ipsum, intelligitur de illis, quæ purè sunt media ad ipsas ordinata, non autem de iis, quæ requirant ex sui natura specialem concessionem, & quod non veniant in generali concessione. Vnde non solum, quando Pontifices concesserunt priuilegium Abbatibus consecrandi altaria, expresserunt, quod deberent accipere Chrisma ab aliquo Episcopo; sed etiam quando concesserunt priuilegium conferendi suis subditis sacramentum Confirmationis; sicut concessit Sixtus V. Abbati Cassinen. vt in *Constit.* 234. *Bullarij Cassinen.* & Greg. XIV. Abbati Monasterij Cassinensis; vt in *constit.* 238. *eiusdem Bull. Cassinen.* Semper enim exprimunt, quod vti debeant Chrismate consecrato à Catholico Antistite; ita enim habet Gregor. XIV. *Nec solum sacramentum Chrismatis per Catholicum antistitem gratiam, & communionem dicta Sedis habeatem consecratum conferre.* 13

QVÆSTIO 677.

An si simplex Sacerdos consecraret Altare sine commissione Pontificis, teneret consecratio.

SVMMARIVM.

1. *Si altare consecretur à simplici Sacerdote sine commissione, inualida est consecratio.*
2. *Conualidari an possit à Summo Pontifice.*
3. *Consecratio inualida non potest rata haberi.*
Quod nullum est, ratificari non potest.
4. *Alia ratio de reconciliatione Ecclesiæ, ac de consecratione Ecclesiæ, & altaris.*

NOn futuram validam consecrationem pro certo tenendum est, vt notat etiam Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 27. *quæst.* 5. ver. *Obijcies.* Ratio est. Quia cum consecratio fit ex institutione Ecclesiæ, requiritur ad validitatem ipsius, quod ea interueniant, quæ tanquam substantialia sunt ab ipsa instituta, sicuti ad validitatem sacramentorum requiritur, quod interueniant, quæ tanquam substantialia instituta sunt à Christo. Cum autem hæc consecratio sit instituta ab Ecclesia, tanquam actus ordinis Episcopalis, & proinde ad sui substantiam requirat ministrum habentem 1

Digitized by Google

bentem talem ordinem, nulla erit, si non fiat à tali ministro; sicut nullum esset sacramentum, si non conficeretur à ministro à Christo deputato, solum difficultas est, an conualideretur, si rata haberetur à summo Pontifice.

2 Nonnulli recentiores putant, posse conualidari à summo Pontifice, si eam ratam haberet; & probant ex eo quod in cap. *Aqua. de consecr. Eccles.* Pontifex tolerauit, & ratas habuit reconciliationes Ecclesiarum consecratarũ, quæ factæ fuerunt à simplicibus Sacerdotibus de mandato Episcoporum, cum tamen nullæ fuerint defectu auctoritatis, quam non poterant Episcopi demandare simplici Sacerdoti, vt ibidem notant etiam Glos. *verb. Toleramus*, & Abb. *num.* 7. ergo conualidaret etiam consecrationem altaris; si eam ratam haberet.

3 Verùm hæc admitti non potest; quia ratam habere importat tantam voluntatem approbantem, quod gestum est, quæ non sufficit ad inducendam consecrationem, seu sanctificationẽ in altare, cum non induci possit per solum actum voluntatis; sed requiratur etiã causa exterior proportionata, & instituta ab Ecclesia, nẽpe consecratio. Vnde cum consecratio fuerit nulla, & proinde non sanctificauerit altare, non poterit induci per solam ratihabitionem; sic etiam sacramenta aliàs nulla non possunt conualidari per id, quod rata habeantur, sic si simplex Sacerdos ministret sacramentum confirmationis quod de mandato Pontificis ministrare potest, aut assistat matrimonio, quod præstare potest de eiusdem mandato, aut etiam de mandato Parochi, non conualidabuntur ex eo, quod habeantur; & facit regula iuris, quod ratificari non potest, quod nullum est, & proinde nec ratihabitione confirmari. Alex. Trentacinq. *var. resolut.* 9. *n.* 8. *lib.* 2. Bald. *in l. fin.* §. *Necessitate. n.* 16. *C. de bon. qua liber.* Innoc. *in c. Prudentiam. n.* 4. *de offic. deleg.* Surd. *decis.* 245. *num.* 5. Ioan. Bapt. Costa *de retract. c.* 8. *casu* 4. *num.* 16. Trulleneh. *littera R. concl.* 24.

4 Neque ex text. citat. *num.* 2. id colligi potest, quia est diuersa ratio de reconciliatione Ecclesiæ; ac de consecratione, siue Ecclesiæ, siue altaris; nam reconciliatio non habet inducere sanctificationẽ; quia pollutio nec tollit, nec maculat sanctitatem secundum se; sed solum in opinione hominum, & ideò ad tollendam pollutionem sufficit tollere ab opinione hominum illius maculam quod præstari potest per reconciliationem nullam, putatam tamen legitimam, & ideò cum per talẽ reconciliationẽ fuerit inducatur huiusmodi effectus, ipsum Pontifex tolerauit, & ratum habuit; at in consecratione induci debet effectus sanctitatis in rem consecratam; & ideò si consecratio est nulla, non potest induci huiusmodi effectus, atque adeò nec ratus haberi.

QVÆSTIO 678.

An repositio reliquiarum sanctarum sit de substantia Consecrationis.

SVMMARIVM.

1. *Qui sentiant ad validitatem consecrationis altaris necessarias esse reliquias.*
2. *Praxis antiqua reponendi reliquias in consecratione altaris.*
3. *Reliquias esse necessarias pro consecratione altaris fixi, non autem viatici, qui sentiant.*
4. *Absolutè non esse necessarias, qui tradant.*
5. *Reliquia non sunt de substantia cõsecrationis altaris. Ius non requirit reliquias pro consecratione altaris.*
6. *Non adest praeceptum recondendi reliquias in consecratione altaris.*

Tom. I.

7. *Quæ erectio altarium reprobetur in iure.*
8. *Quinam abusus prohibeantur in cap.* Non oportet, de consecrat. distinct. 1.
9. *Nomine Sanctuarij quid veniat in iure.* *Dictio*, Si verò *est aduersatiua.*
10. *Ex facto recondendi reliquias in consecratione Ecclesia non licet inferre praeceptum recondendi.*
11. *In consecratione altaris non debent reponi nisi Reliquia Sanctorum approbatorum.*
12. *Consecrans altare sine reliquiis non peccat.*
13. *Si altare erigatur supra sepulchrum alicuius sancti, an adhuc recondenda reliquia in consecratione.*

PRima sententia asserit, ita necessarium esse vt in Consecratione Altaris Reliquiæ Sanctorum recondantur in ipso, vt si secus fiat, nulla sit consecratio, ita Glos. in cap. *de fabrica tit. de consecrat. dist.* 1. & in cap. *Placuit*, verbo *Reliquia eodem tit.* Abbas *in cap.* 1. *num.* 2. *de consecrat. Eccles.* Archidiac. & alij *in d. cap. Placuit.* Hostiens. *in sum. tit. de consecrat. Eccl.* §. *Et qualiter. vet. Dicunt etiam.* Syluest. *verbo* Altare. *quæst.* 1. Tabiena *ibid. n.* 4. Armilla *num.* 5. & 7. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 17. *quæst.* 8. Piasec. *p.* 1. *Prax. Episc. cap.* 5. *n.* 7. Fusch. *de visit. lib.* 1. *cap.* 21. *n.* 1. Bonac. *disp.* 4. *de sacram. quæst. vlt. punct.* 9. *n.* 13. Faust. *de Euchar. lib.* 2. *de sacrif. Miss. quæst.* 109. Barbos. *lib.* 2. *de vniuers. iur. Eccles. cap.* 7. *num.* 7. Scortia *lib.* 2. *de sacrif. Miss. c.* 14. *num.* 4. Lublin. *in sum. verbo* Altare. *num.* 5. Summa Pisanel. *verbo* Consecratio *num.* 3. Thom. Hurtad. *part.* 1. *resol. moral. tract.* 1. *cap.* 6. *resolut.* 23. *num.* 254. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 10. *num.* 19. 1

Fundamentum huius sententiæ est. Quia in cap. *Placuit. de consecrat. distinct.* 1. iubentur euerti altaria in quibus non probatur esse reconditas Reliquias Sanctorum Martyrum. Secundo in cap. *de Fabrica eadem distinct.* Vigilius Papa decernit, vt si ab Ecclesia, vel altaria ablata sint sanctuaria, hoc est Reliquiæ, iterum reponantur Reliquiæ, & Ecclesia, vel altare consecretur. Tertiò D. Gregor. vt habet, *lib.* 3. *Dialog. cap.* 30. Arrianorum Ecclesiam consecrauit, introductis Reliquiis S. Sebastiani, & S. Agathæ. Quartò. Sacræ Congregationis Concil. 10. *Iunij* 1585. Respon. In consecratione altaris reponendas esse Reliquias Sanctorum approbatorum, ita apud Piasec. *num. præcedenti* citatum. 2

Secunda sententia asserit. Reliquias esse necessarias pro consecratione altaris fixi, non autem pro consecratione altaris portatilis, ita Durand. *lib.* 1. *de diuin. offic. cap.* 7. *num.* 23. Asten. *part.* 2. *sum. lib.* 6. *tit.* 39. Angel. *verbo* Altare. *num.* 3. & probabile putat Vasquez 3. *part. disputat.* 233. *cap.* 2. *num.* 57 ver. *Cum verò.* 3

Tertia sententia docet. Reliquias non esse necessarias pro consecratione altaris, ita Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 3. *argum.* 2. *dicto* 6. Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 5. ver. *Tertiò additur. in fine.* Vasq. *disput.* 233. *cap.* 2. *num.* 17. ver. *Alterum est.* Facundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 8. Reginald. *lib.* 29. *Prax. fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 6. *num.* 190. ver. *Porrò.* qui tamen addit adesse obligationem in conscientia ad eas reponendas, quando commodè fieri potest, Hieron. Rodriq. *in Compend. quæst.* 9. *Regular. resolut.* 9. *num.* 9. Lugo Card. *disp.* 24. *de Euchar. sect.* 2. *num.* 75. Coninch. *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 3. *dub.* 2. *num.* 241. Angel. *verbo* Altare. *num.* 3. Gaspar Hurtad. *de sacrament. disput.* 4. *de sacrific. Miss. diffic.* 8. ver. *Obseruandum est secundò.* Palaus *part.* 4. *oper. mor. tract.* 5. *c.* 5. *n.* 8. Trolleneh. *lib.* 3. *de sacram. c.* 8. *dub.* 16. *n.* 3. *in fin.* Casp. *part.* 2. *Curs. Theol. tract.* 23. *disp.* 3. *sect.* 4. *num.* 76. *in fine.* Lezana *in sum. verbo* Altare, *num.* 6. Granad. 3. *part. controu.* 6. *tract.* 14. *disp.* 12. *num.* 2. Zerol. *part.* 1. *praxis* 4

Episc. verb. *Altare*. Valer. *in differen. vtriusque fori, verbo* Missa, *differen.* 2. *in fine.* Leander *de sacram. tract.* 8. *disp.* 7. *quest.* 6. Dicastil. *de sacram. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 8. *n.* 146. Tambur. *in Opusc. de sacrif. Miss. lib.* 1. *cap.* 5. §. 1. *num* 10. Quart. *in Rubr. Miss. part.* 1. *tit.* 20. *dub.* 3. *difficult.* 1. vers. *Tertia sententia.* Filliuc. *tract.* 5. *num.* 123. Franc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 7. *quest.* 1. *n.* 15. Garxia *in sum. tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 3. *punct.* 1. *num.* 7.

5 Dicendum est. Reliquias non esse de substantia cōsecrationis altaris, consonat Rubr. Missal. antiqui, in qua monebatur quod si non essent reliquiæ reconditæ in altari, omitteretur illa particula Orationis, quæ dicitur post introitũ, *Quorũ hic reliquiæ sunt*. Desumitur autem ex eo, quod Pontifices, vt visum est, concesserunt facultatem simplicibus Sacerdotibus consecrandi altaria in Indiis, & in remotissimis locis Infidelium; vbi moraliter verum est, non posse haberi Reliquias haberi pro consecratione. Ratio autem est. Quia in iure, vbi, fit mentio de consecratione altarium, nihil prorsus dicitur de repositione reliquiarum. Vnde in cap. *Altaria* 2. *de consecrat. dist.* 1. vbi statuitur, quomodo altaria sit consecranda; solum requiritur vnctio Chrismatis, & Sacerdotalis, nempe Episcopalis Benedictio. Sic enim dicitur, *Altaria placuit non solum vnctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari.* Confirmat. Quia Reliquiæ ex natura sua non habent vim sanctificandum, nec sunt aliquod sacramentale ab Ecclesia institutum ad sanctificandum; sicut est Chrisma, aqua benedicta, &c.

6 Dicendum 2. *Nullum adesse Præceptum recondendi Reliquias in altari in eius consecratione.* Ita Doctores citati pro tertia sententia, qui aut absolutè negant hoc præceptum, aut saltem in desuetudinem abiisse. Ratio est. Quia cum hoc præceptum non deriuet ex lege naturali, aut diuina; sed merè ex institutione Ecclesiæ, non est asserendum, nisi constet fuisse ab Ecclesia impositum. Non constat autem, fuisse impositum, nam Canones, qui afferuntur, nihil prorsus de hoc præcipiunt, vt constabit ex solutione argumentorum.

7 Ad primum respondet. In illo cap. reprobari abusum erigentium altaria in villis, & Agris in memoriam martyrum, vbi nulla talis memoria aderat; sed fingebatur per inanes reuelationes: & proinde huiusmodi altaria esse euertenda, si fieri posset tanquam superstitiosa, quia essent incitamentum ad colendam memoriam Martyrum, vbi non adesset. Non autem vult euerti, quia nulliter consecrata sint, quia sine reliquiis martyrum; quod etiam constat ex eo, quod ibi subditur; quod scilicet nulla memoria Martyrum acceptetur, nisi ex fidelissima origine sit. Deinde neque ex illo textu habetur, quod talia altaria essent consecrata, sed solum dicitur, quod passim erigebantur in villis, & Agris in memoriam Martyrum. Imò hinc elicitur, non fuisse consecrata, cum non sit verisimile, Episcopos passim in Agris consecrasse altaria, cum tantum, consecrarentur in ordine ad offerendum sacrificium, quod tunc quoque non poterat extra Ecclesiam offerri.

8 Neque huiusmodi præceptum haberet, ex cap. *Non oportet. de consecrat. distinct.* 1. Nam in illo texto nihil prorsus habetur de consecratione altaris. Sed solum prohibentur quidam abusus; ita enim habet; *Non oportet Clericos ignaros & præsumptores super monumenta in Camp. ministeria portare, aut distribuere sacramenta, sed aut in Ecclesia, aut in Basilica, vbi Martyrum sint reliquiæ deposita*, ibi. *Pro Defunctis oblationes offerri; nec licet Christianis prandia ad Defunctorum sepulchra deferre, & sacrificare mortuis.* Ex quibus patet, quod nulla prorsus fit mentio de altari, sed solum designatur locus; vbi sacrificium offerendum sit pro Defunctis, nempe in Ecclesia, aut Basilica, in qua sunt Martyrum Reliquiæ; Basilica autem non est altare, & est diuersum, quod celebretur Missa in Basilica, in qua sunt SS. Reliquiæ, & dicere, quod consecratio altaris fit cum Reliquiis.

Ad secundum in illo cap. *De fabrica*, nihil prorsus haberi de recondendis Reliquiis in consecratione altaris, sed ibi agitur de consecratione Ecclesiæ; & nomine sanctuarij non intelliguntur Reliquiæ; sed altare. Vnde Glossa verbo *Sanctuaria*. explicat. *Reliquiæ Sanctorum, vel Altaria*; sed esse intelligenda altaria constat ex textu; ita enim habet. *Et ideò si qua Sanctorum Basilica à Fundamentis, etiam fuerit innouata sine Altaris motione, sine aliqua dubitatione, cum in ea fuerit Missarum solemnitas celebrata, totius consecrationis sanctificatio implebitur; si verò sanctuaria, quæ habebat, ablata sunt, rursus eorum repositionem, & Missarum solemnitate reuerentiam sanctificationis accipiet.* Cum enim anteà dixerat, quod si Ecclesia innouata fuerit sine altaris motione; posteà ponit casum, quando est innouata cum ablatione altarium, dum ait; *Si verò sanctuaria, quæ habebat, ablata sunt*, & proinde nomine sanctuarij, quod oblatum est, oportet, quod intelligat id, de quo antea posuerat casum, in quo non fuisset motum, & hoc est altare. Dictio enim. *Si verò*, est aduersatiua; vt obseruant Abbas *consil.* 63. *in fine. lib.* 1. Alexand. *consil.* 139. *numero* 23. *lib.* 6. & proinde versatur circa eandem materiam; vnde cum in præsenti præcessit casus de innouatione Ecclesiæ siue motione altaris, dict. *Si verò*, debet importare eundem casum; sed cum motione altaris. 9

Ad tertium. Aliud esse consecrare Ecclesiam, & aliud altare, & ideò ex vno non licet arguere ad aliud; Præterea quamuis Diuus Gregorius consecrauerit Ecclesiam introducendo Reliquias Martyrum, non sit quod debeant ex necessitate introduci, nam non statuit, quod debeant introduci; & quod fit ex conuenientia aut ad decorem, non transit in necessitatem. Vnde etiam in consecratione altaris est valde decens, quod reponantur Reliquiæ; si fieri potest, attamen non est necessarium. 10

Ad 4. S. Congreg. non declarasse, quod Reliquiæ sint de necessitate recondendæ in consecratione altaris, sed quod nō debeant reponi nisi Reliquiæ Sanctorum approbatorum; vnde procedit dicta declaratio ex suppositione, quod adhibeantur Reliquiæ, & declarat, non esse adhibendas, nisi Reliquias eorum, qui tanquam sancti sunt approbati ab Ecclesia.

Ex dictis colligitur. Consecrantem altare siue fixũ, siue portatile siue reliquiis non peccare, vt docent etiam Sotus *in* 4. *dist.* 13. *qu.* 2. *art.* 3. §. *Rursus etiam.* ver. *Sexto denique.* Suar. *disp.* 81. *de Euchar. sect.* 5. ver. *Tertiò additur. circa fin.* Gonich. *q.* 83. *de sacram. art.* 3. *dub.* 2. *n.* 24. & ferè omnes cit. supr. *n.* 4. ver. *Tertia sententia.* Ratio est, quia nullum adest præceptum ponendi Reliquias, vt dictum est, neque consuetudo est vniuersalis, cum frequenter non soleant poni, vt testantur iidem DD. vnde cum nulla violetur obligatio nullum etiam aderit peccatum. 11

Secundò colligitur resolutio illius difficultatis. An si altare erigeretur supra sepulchrum alicuius sancti, essent adhuc in eius consideratione recondendæ reliquiæ. Respondent enim Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 27. *quest.* 8. ver. *Quæres.* Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 10. *num.* 26. Quod si altare coniungitur cum sepulchro aliquo modo, ita vt censeri possit vnum cum ipso, non esse necessarias reliquias; esse tamen necessarias, si non fiat aliquid vnum ex altari, & sepulchro; quæ tamen responsio probari non potest, quia si reliquiæ necessariæ sunt 12

pro

pro consecratione, quæ sufficient quæ sunt in sepolchro; quia sepulchrum non consecratur, sed erunt reponendæ in altari, in quo recipitur consecratio. Si vero non sunt necessariæ, non erunt reponendæ; sine fiat quid vnum ex sepulchro, & altari, siue non. Adde, quod nunquam potest ita fieri quid vnum ex sepulchro, & altari, vt sepulchrum censeatur pars altaris. Est tamen aduertendum, quod S. Congregat. Episcop. & Regular. decreuit, altare portatile debere habere solitum repositorium Reliquiarum Ita sub *die 10. Septembris 1594.* & *1. Martij 1595.* Quod intelligitur iis regionibus, in quibus haberi possunt Reliquiæ.

QVÆSTIO 679.

An si desint Reliquiæ, recondi debeat Eucharistia loco ipsarum

SVMMARIVM.

1. *Deficientibus reliquijs an recondenda Reliquia in consecratione altaris.*
   Pars affirmatiua vnde colligatur.
2. *Communis sententia.*
3. *Vsus Eucharistiæ quinam sit.*
4. *Eucharistia cur non possit adhiberi ad sanctificandum altare.*
5. *Eucharistia non sanctificat per contactum.*
6. *Non est probabile quod Leo Papa pro consecratione altaris dederit corporale cum Eucharistia.*
7. *Diploma Benedicti Papæ circa reponendam Eucharistiam in consecratione altaris fictitium.*

1 QVamuis reliquiæ non sint necessariæ pro consecratione altaris, quia tamen laudabiliter in eius consecratione reponuntur; ideo dubitatur, an si desint, debeat loco ipsarum reponi Eucharistia. Partem affirmatiuam tradunt Gloss. *in cap. Placuit*, ver-bo *Reliquiæ, de consecrat. dist.* 1. Hugo *in cap. De fabrica, eadem distinct.* Durand. *lib.* 1. *de diuin. Offic. cap.* 7. *num.* 23. & addit Hugo, etiamsi adsint Reliquiæ, adhuc reponendam Eucharistiam, & Archidiac. loco *infra* citando testatur, hanc fuisse opinionem omnium Doctorum antiquorum. Habet fundamentum in eo, quod Leo Papa, deficientibus reliquiis, dedit partem Corporalis, & Eucharistiæ pro consecratione, ita refert Abb. *in cap.* 1. *n.* 3. *de consecr. Eccles.* Rursus Benedict. VIII. alias IX. qui Pontificatum tenuit ab anno M.XII. vsque ad annum M.XXIV. in quodam diplomate ad Marchionem Mantuæ, qui requisierat à Pontifice, an liceret in honorem Simeonis cuiusdam, qui paulò ante decesserat, Ecclesiam, & altare erigere. Respondet. *Si ita coruscat miraculis, vt vester homo nobis asseruit, ædificate Ecclesiam, collocate in ea eundem, iuxta quod altare consecrari rogate, in quo reliquia antiquorum Sanctorum recondantur cum sacratissimo Corpore Domini nostri Iesu Christi, & sic demum diuina mysteria celebrantes tractate eum vt Sanctum.* Hoc diploma refertur ab Autore Ligni vitæ *part.* 2. *lib.* 3. *sub die* 26. *Iulij*, & Castellino *de certitud. gloria Sanctor.* §. 4. Ex quo constat reponendam esse Eucharistiam, etiamsi adsint reliquiæ.

2 Secunda sententia negat, reponendam esse Eucharistiam, siue adsint, siue non adsint Reliquiæ; ita Archidiac. *in cap. Placuit, num.* 2. *de consecrat. distinct.* 1. Turrecrem. & alij Canonistæ *ibid.* Abb. *in cap.* 1. *de consecrat. Eccles.* Ioan. Andr. *num.* 9. Butr. *numero secundo.* Ancharan. *numero* 3. Hostiens. *in sum. tit. de consecrat. Eccles.* §. 3. *num.* 3. Tabiena *verbo* Altare, *num.* 6. Angel. *num.* 3. Syluest. *quæst.* 4. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 27. *quæst.* 9. Vasquez 3. *part. disputat.* 233. *capite* 2. *num.* 18. Suarez *disp. ut.* 81. *de Eucharist. sect.* 5. ver. *Tertiò additur. in fine.* Coninch *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 3. *dub.* 2. *num.* 242. Lugo Cardin. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.* 2. *num.* 75. Fagundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 7. *in fine.* Franciscus Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 7. *quæst.* 1. *num.* 13. Fusch. *de visit. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 3. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 10. *num.* 24. *ver. Altare, in fine.* Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disput. vnic. punct.* 9. *num.* 5. *in fine.* Leandet. *de sacrament. tract.* 8. *disputat.* 7. *quæst.* 6. Garzia *in sum. tractat.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 3. *punct.* 1. *num.* 7. Dicastill. *de sacrament. tract.* 5. *disput.* 4. *de sacrific. Miss. difficult.* 8. ver. *Obseruandum est secundò.* Faust. *de Eucharist. lib.* 2. *de sacrific. Miss. quæst.* 210. Tamburinus *Opuscul. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 5. §. 1. *num.* 11. Quartus *in Rubr. Miss. part.* 1. *tit.* 20. *dub.* 7. *difficul.* 1. ver. *Colligitur tertiò.*

Dicendum est. *Nullo modo reponi posse Eucharistiam in consecratione altaris*; ita respondisse sibi cum assistentium consilio Innocent. IV. Lugdunl testatur Hostiens. *num. præcedent. citat.* Ratio est; quia sacramenta non possunt adhiberi ad alium vsum, nisi ad illum, pro quo sunt instituta. Sacramentum autem Eucharistiæ non habet hunc vsum, vt inseruiat pro consecratione altaris; quia fuit institutum per modum cibi spiritualis pro refectione spirituali animarum, vt habet Concil. Trident. *sess.* 13. *cap.* 2. *de Eucharist.* ibi: *Sumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Et quamuis conseruari possit; & debeat, vt decernit idem Concil. *cap.* 6. *eiusdem sess.* non tamen in alium vsum, quàm cibi spiritualis, vnde recondere Eucharistiam consecratione altaris esset abusus; quia non vteremur hoc sacramento, sicut est vtendum; præsertim quia exponeretur certæ subsequuturæ corruptioni. 3

Confirmatur. Sacramenta sunt signa sensibilia sanctificatiua animarum, & in hunc finem sunt instituta à Christo, nec habent alium vsum ex vi suæ naturæ, & institutionis. Singula autem habent sanctificare modo sibi proprio, & proinde Eucharistia sanctificat per modum spiritualis nutritionis, & si seruatur, in hunc finem seruatur. Cap. *vnic. de consecrat. Eccles.* & *cap.* 1. *de Custod. Euchar.* Ergo eum vis sanctificatiua sacramentorum sit in ordine ad animas, non potest Eucharistia adhiberi ad sanctificandum altare, cum non habeat vim ipsum sanctificandi, quia tota vis est secundum mensuram institutionis, alioqnin eodem modo res se haberet; ac si ad sanctificandum lapidem adhiberetur Baptismus, quod certè esset sacrilegium. 4

Nec dici potest, quod Eucharistia habeat vim sanctificandi ratione contactus; quia si hoc esset verum, sufficeret, si altare Eucharistia tangeretur, nec opus esset illam in ipso recondere, & relinquere expositam certæ corruptioni. Deinde hic quoque casus esset contra finem, pro quo est instituta, & adhuc conuerteretur in vsum diuersum à sua institutione. 5

Neque, quæ pro opposita sententia allata sunt, probabilia sunt. Quod enim Leo Papa dederit partem corporalis cum Eucharistia, vt inseruiret loco Reliquiarum habet verisimilitudinem; quia cum tot Martyres requiescerent in vrbe Roma, facillimum fuit habere reliquias eorum. Vnde cum non sit probabile, quod deficerent reliquiæ, nec etiam probabile remanet factum Leonis. 6

7 Et improbabilissimum est, quod illud diploma Benedicti sit verum, sed omninò fictitium esse censeo, cum contineat improbabilissimam responsionem Pontificis. Constat enim ex Historiis, Canonibus,& Conciliis, quod Summi Pontifices cum maxima maturitate, & præuio diligenti examine processerunt in decernendis alicui honoribus, qui tribuuntur Sanctis; & tamen in illo diplomate Pontifex ad vnius Marchionis instantiam, & ad vnius relationem missi ab eodem Marchione de miraculis, absque alia informatione concessit, vt illum Simeonem tractarent tanquam Sanctum, quod cum nemo sanæ mentis sibi persuadere possit, vt in causa adeo ardua tam inconsideratè processerit, concluditur illud diploma esse apocryfum, & nullam fidem meretur neque in hoc, neque in cæteris.

QVÆSTIO 680.

An debeant recondi in altari, dum conseruantur plurium Sanctorum reliquiæ.

SVMMARIVM.

1. *Quid in sepulchro altaris recondendum, dum consecratur.*
2. *Reliquiæ possunt dici in plurali, licet sint eiusdem Sancti.*
3. *Pro consecratione altaris sufficiunt reliquiæ vnius Sancti.*

1 QVando in consecratione altaris adhibentur reliquiæ, recondi debent in sepulchro eiusdem altaris per Episcopum consecrantem, vt præscribit Pontificale. Etsi altare sit fixum, debet includi in eodem sepulchro carta, cui inscriptus sit dies, mensis, & annus consecrationis, nomen consecratoris; nomina Sanctorum, quorum reponuntur reliquiæ, & nomen Sancti, in cuius honore dedicatur altare. Deinde consecrator debet propriis manibus superimponere lapidem sepulchro altaris, & incipiat cœmento linire, prius cœmento benedicto; deinde poterunt cœmetarij perficere, ita monet Rubrica Pontificalis: vnde non est necessarium, vt ipse consecrator perficiat opus claudendi sepulchrum, vt putauerunt Io.Andr. *in cap.1.num.5. de consecr. Eccles.* Butr. *num.* 2. Ancharan. *ibid.*

2 An autem plurium Sanctorum reliquiæ sint recondendæ, affirmat Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.*10. *num.*23. Quia reliquiæ nominantur semper in plurali, vt autem pluralis loquutio verificetur, ad minus duo requiruntur ad *l.Vbi numerus, ff. de testib.* quod tamen non conuincit, nam etiam attendendo modum loquendi, etiam vnius tantum Sancti dicuntur reliquiæ in plurali; siquidem possunt esse plura fragmenta ossium, aut carnis, vnde duo ossa, aut duæ partes eiusdem ossis vnius Sancti rectè in plurali dicuntur reliquiæ; quia sunt plura, & singula sunt reliquiæ.

3 Itaque tenendum est. *Quod sufficiant reliquiæ vnius Sancti, etiamsi non sint multiplex, sed tantum vnica pars.* Ita Io Andr. *in cap.1. num.9. de consecrat. Eccles.* Ancharan. *num.*3. Butr. *num.* 12. qui tamen addunt, esse commendabile adhibere reliquias plurium. Ratio est. Quia eidem fini, cui inseruiunt reliquiæ plurium Sanctorum, inseruiunt etiam Reliquiæ vnius tantum Sancti; & hoc confirmatur ex praxi: vnde dum hic in vrbe consecraretur altare maius nostræ Ecclesiæ sancti Andreæ de Valle fuit repositum tantum corpus S. Isidori Martyris, consecrante F. M. Cardinali Francisco Montalto.



DE ALTARI FIXO.



HABET Altare fixum aliqua particularia, quæ in præsenti sunt explicanda, & præsertim quoad erectionem, & amissionem consecrationis, dotationem, &c. quæ non conueniunt altari portatili, quod cum solum inseruiat pro oblatione sacrificij, prout occasio se tulerit, non requirit aliquid aliud præter consecrationem.

QVÆSTIO 681.

Quis possit erigere altare fixum.

SVMMARIVM.

1. *Quibus modis erigi possit altare fixum.*
2. *Erectio altaris fixi spectat ad solum Episcopum.*
3. *Siue Ecclesia sit consecrata, siue non.*
4. *Quinam Abbates possint ex priuilegio erigere altaria fixa.*
5. *Prælati Regulares, qui non sunt Abbates an possint erigere & transferre altaria.*
6. *Erectio altaris, & translatio est actus separabilis à consecratione.*
7. *Erectio, & translatio altarium in Ecclesijs Regularium non spectat ad Episcopum.*
8. *Erectio altarium in proprijs Ecclesijs pertinet ad Regulares.*

QVæ pertinet ad dies, in quo consecrari potest altare ad probationem consecrationis; iterationem ipsius, quia sunt cõmunia cum Ecclesia, de quibus iam dictum est, non sunt hic repetenda. Est autem supponendum quatuor modis posse erigi altare fixum, quorum tres priores refert Abb. *in cap.1.n.1. de consecrat. Eccles.* & quartum addunt Angel. *verbo* Altare, *num.*2. Tabiena *n.*7. Syluest. *n.*1. Armill. *n.*8. Primus est, si in parte superiori mensæ recondantur reliquiæ, & postea claudatur, super imposito lapide. Secundus, si reliquiæ recondantur in parte anteriori altaris, & eodem modo claudatur. Tertius, si claudantur in latere dextero. Quartus, si fouea fiat sub mensa lapidea, & eadem mensa claudatur tanquam sigillo. Alterum modum obseruari hic Romæ, vt nimirum totum altare sit inter concauum, & intra hanc concauitatem erigatur tumulus seorsim à toto altari, & intra eundem tumulum recondantur reliquiæ. 1

Dicendum est. *Erectionem altarium spectare solum ad Episcopos*; ita Tabiena *verbo* Altare, *num.*3. Angel. *ibid.* Syluest. *num.*2. Armilla *ibid.* Azor. *part.* 1. *lib.*10. *cap.*27. *quæst.*6. Reginal. *lib.*29. *praxis fori pœnit. cap.*9. *sect.*6. *num.*193. & statuitur in Cap. *Quamuis, dist.*68. desumpto à Leone Papa *epist.*86. aliàs 88. *ad Episcop. German. & Galliæ*, ibi: *Quædam nouellis, & ecclesiasticis Regulis sibi prohibita nouerint; sicut & Presbyterorum, & Diaconorum, aut Virginum consecratio; sicut constitutio altaris, ac benedictio, vel vnctio; siquidem nec erigere eis altaria, nec Ecclesias, vel altaria consecrare licet, &c.* Loquitur autem de Presbyteris, aut 2

Corepisco

Digitized by Google

Coepiscopis, & in cap. *Nullus, de conserat. dist.* 1. statuitur ab Hormisda Papa, quod nullus Presbyter in Ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab Episcopo loci sanctificatum est, vel permissum.

3 Et quamuis Glos. in *cap. Quamuis verbo* Erigere. *distinct.* 68. Limitet ad Ecclesiam consecratam per textum dicti cap. *Nullus.* attamen cum cap. *Quamuis.* absolutè loquatur, & actum erectionis Altaris deneget Presbyteris, & Coepiscopis tanquam proprium Auctoritatis Episcopalis, & prohibitum cæteris, debet intelligi, siue Ecclesia sit consecrata, siue non, aliàs si ponetur erigere in Ecclesia non consecrata, erectio Altari non esset ipsis prohibita, nec esset propriè actus Episcopis reseruatus.

4 Dicendum 2. *Abbates Cistercienses, atque adeò omnes alios Abbates communicantes in priuilegiis de nouo erigere posse altaria in propriis locis, & erecta transferre, aut destruere non secus ac possunt Episcopi.* Ita ipsis concessit Innocent. VIII. *anno* 1489. *Quinto idus April.* vt in *constit.* 343. *num.* 2. *Bullar. Cassinens.* ibi. *Ac altaria de nouo constructa, seu translata, aut mutata in quibuslibet locis dicti Ordinis Chrismate sacro prius ab aliquo Antistite recepto, consecrare:* & Iulius II. concessit Abbatibus Congregationis Cassinens. vt in eod. Bullar. *Inter Priuilegia concessa absque expeditione Bulla, num.* 22. quod possint erigere, vel transferre altaria etiam irrequisito conuentu. Ratio est, quia habent potestatem supra formam altaris, nempe consecrationem: ergo multò magis debent habere supra materiam, quæ subiicit formæ.

5 Dicendum 3. Cæteros Prælatos Regulares, qui non sunt Abbates, posse in suis locis erigere, & transferre altaria. Ratio est. Quia priuilegium concessum Abbatibus Cisterciensibus est diuisibile; itavt habeat diuersas partes, & plura indulgeantur; siquidem sunt diuersi actus, erigere altaria, transferre, & consecrare, & vnus potest stare sine alio: ergo cum cæteri Prælati habeant communicationem priuilegiorum, atque adeò participent ea omnia, quorum sunt capaces, participabunt etiam huiusmodi priuilegium, quoad illos actus, quorum sunt capaces, vt sunt erigere, & transferre altaria.

6 Dices. Hos actus concedi in ordine ad consecrationem; & ideò censeri iis tantum concessos, quibus conceditur consecratio. Contra. Licèt concessi sint in ordine ad consecrationem, itavt non fuissent concessi, nisi fuisset concessa consecratio; attamen sunt actus separabiles, itavt possint habere exequutionem independenter à consecratione: ergo cum communicatio trahat priuilegia ad communicatarium, quantum ex natura sua trahi possunt, quia supponitur, quod sit amplissima, & prægnantissima, traharetiam de quocunque priuilegio illos actus, qui separabiles sunt, & non habent repugnantiam ad communicari.

7 Accedit etiam, quod Ecclesiæ Regularium sunt exemptæ ab Ordinariis; & ideò cum ad ipsos spectet auctoritas erigendi, & transferendi altaria, quamuis Ecclesiæ sunt ipsis subiectæ, non spectabit quoad Ecclesias, quæ non sunt ipsis subiectæ: ergo hæc auctoritas refundetur in Superiores Regulares, quibus Ecclesiæ subiiciuntur. Quia quando affirmatio est causa affirmationis, negatio quoque est causa negationis,

8 Rursus. Extant priuilegia concessa Cassinensibus, vt possint petere consecrationem altarium in suis locis à quocunque Cathulico Antiste. Ita concessit Calistus II. *anno* 1123. vt in Bullario Cassinensi *constit.* 11. *num.* 9. Quod priuilegium de nouo concessum fuit à subsequentibus Pontificibus. Hoc priuilegium supponi facultatem erigendi altaria; nam frustratorium esset, si ea auctoritate propria non possent erigere, aut transferre. Vnde oportet, quod aut de iure eis conueniat talis auctoritas ex eo, quod Ecclesiæ non sint subiectæ locorum Ordinariis, aut saltem ex priuilegio.

QVÆSTIO 682.

An quando consecratur Altare sit etiam dotandum.

SVMMARIVM.

1. *Altaria sunt dotanda pro manutentione.*
2. *Nisi tamen Ecclesia possit ea manutenere. Et proinde habeat dotem ad id destinatam.*
3. *Quanta debeat esse dos Altaris.*
4. *Quid attendendum in determinanda dote Altaris.*

Dicendum est. *Altaria esse dotanda ab erectoribus pro congrua manutentione.* Ita Gauant. *ex Concil. Prouin. Mediol. in Manuali Episcoporum verbo* Altare. *num.* 2. & 3. Fusch. *lib.* 1. *de visit. cap.* 21. *num.* 10. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 10. *num.* 33. & facit cap. *Ecclesia, vel altaria,* vbi statuitur, quod altaria superflua destruantur talia autem sunt, quæ non sunt dotata, quia non possunt congrue manuteneri. Ratio autem est. Quia Altaria eriguntur in ordine ad offerendum sacrificium, etsi non inseruiunt huic fini, superflua sunt, remanent absque debito splendore. Non possunt autem inseruire fini, nisi prouideantur de necessariis pro oblatione sacrificij, atque adeò, nisi dotentur. 1

Hoc tamen non habet locum, vt notat etiam Pax Iordan. cit. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 10. *num.* 35. Quando Ecclesia ita esset dotata, vt posset congruenti modo manutenere altaria, quia tunc dos Ecclesiæ censetur etiam dos altarium. Oportet tamen, quod ista dos sit instituta pro manutentione Ecclesiæ, non autem inseruiat pro manutentione ministrorum, quia prouentus destinati pro ministris non debent diminui, vt prouideatur altaribus, cum iam ad ipsos ius acquisierint, aliunde erit prouidendum de dote. 2

Quanta autem debeat esse dos altaris non potest certa regula definiri, quia hoc dependet ex variis circunstantiis ministrorum loci, seruitij, &c. Quæ enim est congrua dos in vno loco, non erit talis in alio, & ideò hoc relinquendum est arbitrio Episcopi, qui diligenter perpensis omnibus oneribus, & cæteris circunstantiis decernent quantitatem dotis. Ita etiam Rochus de Curte *de Iurepatr. part.* 3. *quæst.* 8. *num.* 172. Lambertin. *eod. tract. lib.* 1. *part.* 5. *quæst. princ.* 21. *num.* 16. Selua *de benef. quæst.* 5. *requis.* 8. *num.* 165. Fusch. *lib.* 1. *de visit. cap.* 21. *num.* 11. 3

Inter cætera tamen, quæ consideranda erunt ab Episcopo, erit consuetum seruitium, & apparatus aliorum altarium, quæ sunt in eadem Ecclesia iuxta *l. Titia. §. Seia. ff. de auro, & argent. leg.* Si enim ornatus ipsius esset inferioris conditionis, quàm sit in cæteris altaribus, redundaret in contemptum ipsius, quia videretur contemni; dum cæteri splendidè ornantur, ipsum verò vulgariter; & ideò quando Episcopus debet cogere Hæredes, aut alios ad dotandum, debet cogere, vt tantum dotem assignent, quanta sufficiat pro manutentione ipsius cum æqualitate ad cætera altaria. 4

QVÆSTIO 683.

An si celebretur in Altari non consecrato, remaneat consecratum.

SVMMARIVM.

1. *Diuerso modo potest altare remanere consecratum ex celebratione.*
2. *Sententia asserens altare non remanere consecratum ex celebratione.*
3. *Altaria consecranda, si dubitetur de consecratione.*
   Altaria consecranda licèt in iis celebratum sit.
4. *Epistola Innocentij Papæ, circa consecrationem altaris.*
5. *Altaria remanere consecrata ex celebratione qui sentiant.*
6. *Altare ex celebratione non recipit sanctitatem ritualem.*
7. *Consecratio quid præstet altari.*
8. *Altare per celebrationem quomodo sanctificetur.*
9. *Quid senserit Chrysost. de sanctificatione altaris ex celebratione.*
10. *Sanctificatio altaris in quo consistat.*
    Factum præualet verbis.
11. *Promouens bannitum ad honores ipsum restituit.*
12. *Altare cur ex celebratione sanctificetur, licet celebrans non possit consecrare.*
13. *Quomodo altare per celebrationem sanctificetur.*
14. *Altare sanctificatum per celebrationem ad ritu Ecclesiæ consecrandum.*
15. *Forma inducta ad aliquem effectum, sufficit si obtineatur effectus.*
16. *Sola ritualis consecratio altaris requirit certos ministros.*
17. *Quando vtendum sanctificatino instituto ab Ecclesia.*
18. *Omissa inordinatione, an supplenda.*
19. *Consecratio altarium spectat ad honorem Ecclesiæ.*
20. *Quæ altaria consecranda ex reuelatione, de qua Innocentius Papa.*
21. *Innocentius Papa cur iusserit altaria consecrari in quibus fuerat celebratum.*
22. *Innocentius Papa non prohibet offerri sacrificium altaribus, quæ non erant consecrata & aliàs in ipsis celebratum fuerat.*
23. *Celebrans super altari in quo fuit celebratum, licet non consecrato, non peccat.*
24. *Sanctificatio altaris ex celebratione vnde habeatur.*

1 Diuersimodè potest intelligi, quod remaneat consecratus. Primò quidem, an remaneat dedicatum Deo in vsum sacrificij. Et in hoc sensu non puto negari posse, quin remaneat consecratum, seu Deo dicatum; siquidem inseruiuit cultui sacro, per quem vsum segregatur ab vsibus prophanis ex natura rei, quia non est decens, quod post talem vsum conuertatur ad vsus prophanos. Et eò magis quia iam est ex sui natura, & structura institutum pro cultu diuino. Secundò an ex oblatione sacrificij remaneat sanctificatum recipiendo illam sanctitatem saltem per æquipollentiam, quam recipit ex consecratione, vt deinceps possit quisque absque peccato super ipso offerre sacrificium. Tertiò an recipiat illam sanctitatem veluti legalem, seu ritualem, quam recipit ex consecratione; & quoad hæc duo posteriora procedit difficultas, circa quam variè opinantur Doctores.

Prima sententia asserit, non remanere consecratum ex celebratione super ipso, siue mala, siue bona fide fiat. Ita ij, qui hoc ipsum docent de Ecclesia, & Calice Layman. *lib. 5. Theol. moral. tractat. 5. c. 5. num. 13.* Sayr. *lib. 5. de censuris cap. 16. num. 11.* Facundez *precept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 21. num. 15.* Portel. *in rubr. regul. verba* Ecclesia. *num. 5.* Suarez *disput. 81. de Eucharist. sect. 7. ver. Alia autem forma.* Lugo Cardin. *disp. 20. de Eucharist. sect. 2. num. 61.* Faustus *de Eucharist. lib. 2. de sacrific. Miss. quæst. 238.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 6. part. 1. c. 5. num. 5.* Quartus *in Rubr. Missal. part. 1. tractat. 20. dub. 4.* Et secundum hanc sententiam consuluit etiam doctissimus, & in rebus Ecclesiasticis versatissimus Hilarion Raneatus Abbas Cisterciensis. 2

Fundamenta huius sententiæ sunt. Primò, quia consecratio altaria continet certam formam, & solemnitatem præscriptam ab Ecclesiam. Non seruata autem forma nolliter proceditur, & non obtinetur effectus, qui debet induci per certum cum tali forma iuxta communem doctrinam. Secundò: consecratio altaris debet fieri per certos ministros, quia est actus ordinis Episcopalis cap. *Tabernaculum*, & cap. *Sicut*, & cap. *Hic ergo*, & cap. *Missarum solemnia*, & cap. *Nullus* 2. & cap. *Altaria* 2. *de consecrat. distinct.* 1. & cap. *Perlectis distinct.* 25. & cap. *Quamuis distinct.* 58. Ergo sine talibus ministris non potest haberi consecratio. Vnde celebrans in altari non consecrato lædit ius Episcopi. Tertiò Ecclesia non vtitur Eucharistia ad consecrandum, sed vnctione, & aliis signis: ergo signum est, quod non sufficiat celebratio ad consecrandum. Quartò, Omissa inordinatione suppleri debent ', etiamsi ordinatus exercuerit actum ordinis cap. *Vnico de sacr. vnct.* ergo actio ordinis non consecrat: ergo nec celebratio. Quintò altaria, & Ecclesiæ consecrari debent, si dubitatetur de consecratione cap. *Solemnitates*, 1. & cap. *Ecclesia de consecrat. dist.* 1. secus autem si erit certa cap. *Ecclesiis ead. distinct.*.... & cap. *In dubiis de consecrat. Eccles.* Est autem dubium, an altare sit consecratum ex celebratione Missæ. Sextò Innocent. III. *Epist. 357. lib. 1.* quæ est, *ad Octauium Hostiensem Episcopum.* Iubet quædam altaria consecrari, quæ reuelatum fuerat, consecrata non esse, & nihilominus in ipsis continuabatur celebratio. Licet per extensum ponere Epistolam, quia plura in ipsa erunt consideranda. 3

Octauio Hostiensi Episcopo Vicario nostro. Paucis diebus ante nostrum ab Vrbe recessum, Sacerdos quidem ætate longæuus, timoratus (vt creditur) ad præsentiam nostram accessit, secretò proponens, quod in visione nocturna dict. somnium ei apparuit B. Petrus Apostolus dicens. Accede ad Pontificem Innocentium, & ex mea sibi parte significa, quod à natiuitate sua quasi filium illum dilexi; & per diuersos gradus promotum, in mea tandem sede constitui. Quapropter, & ipse decorem, & honorem domus meæ debet diligere, studióque vigili promouere. Sciat ergo, quod in Ecclesia mea pauca sunt altaria consecrata; vnde contingit, quod in altaribus dissecratis diuina mysteria celebrantur. Faciat igitur ea saltem cum debita reuerentia consecrari, super quæ nouit frequentius officium celebrari diuinum. Verum cum semel, & iterum eadem sibi fuisset visio reuelata, nec ipse quod mandabatur, impleret, tertio tandem idem Apostolus, veluti offensus, intulit, dicens. Quia meum obaudisti mandatum; ego tuum tibi tollam auditum. Ex tunc ita Sacerdos effectus est, vt penitus non audiret. Gemens ergo vehementer, & plorans ad confessionem B. Petri deuotus accessit, cum lacrymis postulans, vt misereus sibi 4

sibi restitueret auditum, quia mandatum ipsius illico adimpleret. Quo per Dei misericordiam exaudito, quod acciderat ei, nobis per ordinem indicauit. Licet autem secundum Apostolum non sit credendum omni spiritui, quia tamen in tali negocio Angelus Satanæ non transfiguraret se in Angelum Lucis, & melius est piè credere, quàm temere dubitare, cum honestum sit, quod proponitur faciendum, & si verum non esset, quod asseritur reuelatum. Fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, per Apost. scripta mandamus, quamuis altaria Philippi, & Iacobi, Simonis, & Iudæ, B. Gregorij, & S. Andreæ, quæ dissecrata dicuntur, tu ipse consecres, vel per alios auctoritate nostra facias consecrari. Credimus enim, quod ex hoc nobis fraternitatis æterna retributionis accrescet. Hucusque Innocent. III.

5 Secunda sententia asserit remanere consecratum ex celebratione super ipso. Ita Castro *de lege pœn. lib. 2. disput. penult. cap. vlt. post. 3. conclus.*.... Henriquez *lib. 9. sum. cap. 27. num. 6.* Graff. *cons. 1. n. 10. de consecrat. Eccles.* Sà *verbo* Ecclesia, *num. 19.* Aulla *part. 5. de censur. disput. 7. dub. 3.* Naldus *in summ. verb.* Ecclesia, *num. 24.* Bonac. *de matrim. quæst. 4. punct. vltim. num. 27.* Francisc. de Nigro *in addit ad Ruiz. part. 6. animaduer. 8. num. 4.* Marchin. *de sacrament. ordin. tractat. 3. part. 3. cap. 13. num. 3.* Marchant. *in quæst. Pastoralib. tract. 5. cap. 8. ver. Hinc resolue.* Deibene *de immunit. cap. 2. dub. 2. sect. 1. n. 6.* Cœlestin. *in Compend. Theol. moral. tractat. 8. cap. 5. quæst. 9.* Timatch. Peirin. apud Ruiz. citat. Et hanc sententiam tradidi *in decis. moral. 45. num. 4.* & videtur approbare Garxia *in summ. tractat. 3. difficult. 8. dub. 3. punct. 1. num. 8. in fine*, dum me citato, subdit. Hanc sententiam à me probari authoritate, & bonis rationibus.

6 Dicendum 1. *Per celebrationem altare non recipere illam sanctitatem, veluti legalem, seu ritualem, quam recepit ex consecratione.* Ratio est. Quia consecratio Ecclesiæ est quoddam sanctificatiuum constitutum in speciali specie, atque adeò ordinatum ad causandum specialem sanctitatem secundum legem, & institutionem Ecclesiæ, quæ proinde dici potest legalis, & ritualis, & hæc sanctitas est diuersa ab aliis sanctitatibus, vtpotè quia per ipsum sanctificatum subiectum in ordine ad certum effectum: ergo cum huiusmodi sanctificatiuum habeat producere hanc specialem sanctitatem, non poterit produci per aliud sanctificatiuum diuersæ rationis, quia ex causis diuersis proueniunt diuersi effectus. Præsertim quia celebratio Missæ non est, sanctificatiuum talis eminentiæ, vt tanquam causa contineat omnem speciem sanctitatis.

7 Confirm. Consecratio nedum sanctificat altare deputando ad vsum sacrificandi, sed etiam solemnizat, ita vt præter hanc deputationem, recipiat etiam in se quandam solemnitatem passiuam, per quam acquirit specialem decorem in hominum existimatione, eo fere modo, quo Rex habens iam potestatem regiam, per quam sit verè Rex, adhuc tamen certis cæremoniis coronatur, & per hanc coronationem acquirit quandam maiestatem, quæ accidentalis est potestati Regiæ: ergo cum celebratio in altari non conferat ipsi hanc solemnitatem passiuam, quia vbi non est actiua, neque etiam potest esse passiua non conferet sanctitatem legalem, seu ritualem, ex qua illi proueniat iste specialis decor.

8 Dicendum 2. *Altaria per celebrationem æquipollenter sanctificari sanctificatione deputante ad vsum sacrificij.* Hoc autem accipiendum, siue in ipso celebretur bona, siue mala fide, quia sanctificatio non dependet à fide bona, vel mala celebrantis, sed ab ipsa actione sacrificij, quæ habet eandem vim siue sit coniuncta cum bona, siue cum mala fide, quia bona, vel mala fides non alterat actionem, quæ fit nomine Christi, & Ecclesiæ. Solum erit hoc discrimen, quod celebrans mala fide in altari non consecrato, peccabit mortaliter, vt suo loco dicetur.

9 Desumitur ex D. Ioan. Chrysostomo. *tom. 10. in Epist. 2. ad Corinth.* vbi primo habet, loquens de altari. *Hoc quidem admirabile est propter sacrificium, quod super illud ponitur.* Quo significat acquirere suam excellentiam, & prærogatiuam, ob quam sicit admirabile ex eo, quod super ipso offeratur sacrificium. Deinde subdit. *Lapis quidem est natura, sanctus autem fit, quoniam Corpus accipit Christi.* Accipit autem Corpus Christi, dum in ipso offertur, & proinde iuxta D. Ioan. Chrysostom. ipsa oblatio sanctificat altare. Rursus etiam subdit. *Tu autem hoc quidem Altare honoras, quod accipit Corpus Christi.* Quibus significat, quod altare ex eo honorandum ratione suæ sanctitatis. Et illud est notandum, quod Chrysostomus considerans excellentiam altaris, illam semper considerat in ordine ad Corpus Christi, & sacrificium, quasi nulla alia sit, quæ aliunde prouenit.

10 Ratio autem est. Quia sanctitas, quam recipit altare per consecrationem non consistit in alio, quam in deputatione ad cultum Dei, vt loquens de sanctificatione Tabernaculi habet D. Thom. 1. 2. *quæst. 102. art. 4. ad 9.* Et proinde dicit proportionabiliter id, quod dicit sanctitas hominis; sicut enim sanctitas hominis in eo consistit, quod reducat hominem in Deum, & cum ipso coniungat, vt cum vltimo fine, vt D. Thom. 1. 2. *quæst. 111. art. 1. in Corp.* & *art. 4. item in Corp.* Ita sanctificatio altaris in eo proportionabiliter consistet, quod suo modo ordinet altare in Deum, & modo aliquo cum ipso coniungat in ordine ad ipsius supremum cultum, quod fit per consecrationem. Hoc autem fit æquipollenter per oblationem sacrificij. Nam oblatio sacrificij non in habitu, seu actu signato, ordinatur altare ad vsum supremi cultus diuini, sed in actu exercito, seu per actualem vsum altaris ad talem finem. Hæc autem ordinatio, & deputatio videtur præualere, seu saltem æquipollere deputationi, quæ fit per consecrationem, quæ verbalis est, & ritualis, quia factum præualet verbis *l. Si tamen. §. Si ei, qui. ff. de adilit. edicto*, & cap. *dilecti filij 2. de appell.* & cap. *Legebatur. de maior. & obedient.* & notant Alexan. *cons. 117. num. 2. vol. 5.* Dec. *consil. 383. n. 4.* Roman. *cons. 291. num. 4.* Bald. *cons. 400. ver. Nec refert vtrum. lib. 4.* Cephal. *consil. 17. num. 15.* Natta *cons. 341. num. 4. vol. 2.* Grat. *cons. 47. num. 22. vol 2.* Abbas *consil. 116. num. 3. lib. 2.* Craueta *consil. 476. numero 6.*

11 Quod etiam ex eo confirm. Quia si Princeps promoueat inhabilem ad dignitates, censetur ipsum habilitare, quia collatio dignitatis præstat in actu exercito, quod præstaret habilitatio facta secundum formam legis. Vnde promouens bannitum ad honores censetur ipsum restituere, vt docet Ruin. *cons. 85. num. 9. lib. 4.* Beroius *consil. 183. num. 25. lib. 3.* Menoch. *consil. 275. num. 57.* Paris. *cons. 54. num. 15. lib. 4.* Farinac. *de crim. læs. maiest. quæst. 116. §. 3. num. 139.* alios citans Mastril. *de magistr. lib. 2. cap. 12. num. 60.* Surd. *cons. 270. num. 18.* Ergo etiam oblatio sacrificij super altari non consecrato ipsum deputat ad talem vsum, & habilitat de facto, sicut aliàs inhabilis inhabilitatis per actualem collationem dignitatis.

12 Dices. Id ad summum posse habere locum, si qui celebrat, posset conseruare: non autem in cæteris; sicut qui non posset habilitare, non habilitaret per id, quod ipsi conferret dignitatem, quam aliàs posset,

conferre

Digitized by Google

conferre. Contra. Nam est diuersa ratio. Ideò enim requiritur facultas habitandi, quia conferendo inhabili dignitatem, nulliter conferret. At celebrans, quamuis, non possit consecrare altare, validè offert sacrificium, & proinde altare remanet affectum ad vsum oblationis, quia iam pro vsu inseruiuit, & veluti exercuit munus instrumenti suscipientis oblationem.

13 Confirm. 2. Actio sacrificandi exercetur immediatè super altari tanquàm subiecto ordinato ad suscipiendam oblationem sacrificij; & proinde per modum exercitij assumit altare in vsum supremi cultus diuini: ergo altare remanet sanctificatum; quia remanet determinatum ad huiusmodi vsum; nam sicut consecratio determinat per modum efficientis; ita oblatio sacrificij determinat per modum causæ formalis, quia coniungitur secundum se cum altari, & tanquam causa formalis facit, quod altare habeat huiusmodi vsum. Cum sanctificatio in eo consistat, quod deputetur ad vsum, sanctificabitur per quamcumque causam deputatiuam. Quod præsertim verum est, quia altare super quo est oblatum sacrificium non posset sine irreuerentia conuerti ad vsus prophanos. Non est tamen eadem ratio de mappis, &c. quia nec sunt ornamenta altaris; vnde neque consecrantur, sed solùm benedicuntur, sed solùm benedicuntur. Altare verò est illud, quod principali modo habet vsum sacrificij.

14 Dicendum 3. *Quamuis altare remaneat sanctificatum æquipollenter per oblationem sacrificij, debet tamen secundum ritum Ecclesiæ consecrari.* Ratio est. Quia licèt sit consecratum æquipollenter, non tamen cum solemnitate ab Ecclesiam præscripta: solemnitates autem præscriptæ ab Ecclesia, etiamsi aliàs obtentus sit effectus principalis, seruari debent, vt constat in Baptismo, quando vrgente necessitate ministratur priuatim; nam posteà solemnitas ipsius in Ecclesia supplenda est, non obstante, quod sacramentum sortitum sit suum effectum, sic etiam quando priuato modo contrahitur matrimonium, conficitur sacramentum secundum substantiam, & tamen posteà adhibetur solemnis benedictio nuptiarum: ergo licèt altare remaneat æquipollenter sanctificatum oblatione sacrificij, adhuc tamen posteà adhibenda est solemnis, & ritualis consecratio iuxta institutionem Ecclesiæ.

15 Ad 1. Resp. Non seruata forma nulliter procedi, quando non est inducta ad certum effectum. Quando verò est inducta, sufficit, si quomodocumque obtineatur effectus. Ita Mantica *de Tacit. & ambig. lib. 2. tit. 4. num.* 45. Afferens Rotæ decisiones Rota *in Portugallien Decimarum* 11. *Februarij* 1591. coram Orano; & in *Auriensi Pastoralis* 7. *Aprilis* 1598. coram Lancellotto. Deinde, licèt non inducatur illa sanctitas ritualis, vt dictum est, inducitur tamen æquipollens.

16 Ad 2. Consecrationem altaris debere fieri per certos ministros, si loquamur de rituali, quia hæc est actus ordinis, non autem si loquamur de æquipollenti. Vnde argumentum solum probat, quod altare non remaneat consecratum rituali, & legali modo, non autem quod non remaneat consecratum æquipollenter; celebrans autem in altari non consecrato nequaquam lædit ius Episcopi, quia cum non sanctificet rituali modo non sibi vsurpat ius ipsius.

17 Ad 3. Ecclesiam debere vti aliquo sanctificatiuo à se instituto, quando inducit aliquam sanctificationem à se institutam, nec potest vti Eucharistia, quia non est instituta, nisi ad sanctificandas Animas per modum cibi spiritualis. Deinde altare non sanctificatur per Eucharistiam, sed per actionem sacrificandi, vt dictum est, quia talis actio facit, quod altare inseruiat pro huiusmodi vsu, atque adcò quod ipsum deputetur.

18 Ad 4. Omissa inordinatione esse supplenda, quia vt dictum est, solemnitates Ecclesiæ non sunt omittendæ etiam si obtentus sit effectus secundum substantiam. Quod si in ordinatione prætermissum sit aliquid substantiale, quia ordinatio est nulla, ideò repeti debet. Vnde ex hoc solum sequitur, quod non obstante æquipollenti sanctificatione sit consecrandum altare rituali modo adhibita solemnitate Ecclesiæ. Vnde manet solutum etiam quintum argumentum, quia solùm concludit, quod cum sit dubium, an altare remaneat consecratum per oblationem sacrificij super ipso, debeat secundum ritum Ecclesiæ consecrari, vt iam dictum est, etiam dato, quod non esset dubia consecratio, quia est tantùm consecratio per æquipollentiam.

19 Octauum argumentum exigit examinationem illius Epistol. Innocent. III. & reuelationis in ipsa contentæ, in qua plura continentur, quæ declarant non esse necessariam conseruationem, vt possit offerri sacrificium super altari, super quo est iam oblatum. Et primò S. Petrus dixit illi Sacerdoti, quod Pontifex Innocentius deberet rependere amorem, quo eum D. Petrus prosequutus fuerat, curando, & promouendo honorem suæ Ecclesiæ; vnde cum posteà se explicet, quod, vt hoc præstet, debet facere consecrare altaria suæ Ecclesiæ, satis declarat, quod ista consecratio spectat ad honorem Ecclesiæ, non autem, quod sit de necessitate.

20 Secundo D. Petrus medio illo Sacerdote non exegit à Pontifice consecrationem omnium altarium ob honorem Ecclesiæ, sed eorum consecratione contentus fuit, super quibus frequentiùs offerebatur sacrificium, vt apertè declarat illis verbis. *Faciat igitur ea saltem cum debita reuerentia consecrari, super quæ nouit frequentius officium celebrari diuinum.* Quod si super cæteris altaribus non potuisset celebrari, non fuisset contentus, quod aliqua tantùm consecrarentur, nam permisisset, & tacitè authenticasset, quod super ipsis posset offerri sacrificium, cum tamen illicitum esset.

21 Tertio. Pontifex non videtur moueri ex tali reuelatione ad aliquid peragendum, sed solum ratione rei propositæ. Vnde non resoluit, quod altaria consecrarentur, quia id esset necessarium, sed quia *Honestum sit, quod proponitur faciendum, etsi verum non esset, quod asseritur reuelatum.* Si autem non esset sanctificatum altare per primam oblationem sacrificij, non existimasset solum honestum, quod proponebatur, sed omnino necessarium.

22 Quarto. Pontifex iubet consecrari altaria, quæ dicebantur non esse consecrata, quæ tamen non fuerunt expressa in specie in reuelatione, & proinde ante reuelationem aderat saltem fama, quod non essent consecrata, & tamen Pontifex sinebat super ipsis offerri sacrificium. Quod satis indicat, sufficere, quod super altari sit semel oblatum sacrificium, vt continuari possit oblatio. Quinto denique ita iubet Pontifex altaria illa consecrari, vt tamen nec prohibeat, nec moneat, quod super ipsis non offeratur sacrificium, donec consecrarentur, quod sanè præstitisset, si ex antecedenti celebratione super ipsis non remansisset taliter sanctificata, vt sufficeret ad effectum, vt posset super ipsis continuari celebratio.

23 Ex quibus constat, quod præfata Epistola non solùm non est contra sententiam firmatam, sed illam magis confirmat iuxta ea, quæ ponderata sunt. Vnde si quis celebrasset super altari non consecrato, in quo antea alius, siue bona, siue mala fide obtulerit sacrificium, non peccaret, quia licet altare

adbuc

adhuc secundum ritum Ecclesiæ consecrandum sit, est tamen æquipollenter sanctificatum, & deputatum ad hunc specialem actum cultus diuini, atque adeò habile, vt super ipso offerri possit sacrificium.

Sequitur 2. Quod ista sanctificatio altaris non
4 habetur ab Eucharistia, quatenus sacramentum est, quia, vt talis non habet vim deputandi altare ad specialem vsum sacrificij; & ideò ex eo, quod reponatur super altari non sanctificat ipsum. Sed habetur ab ipsa actione sanctificandi, per quam altare iam destinatum in habitu ad vsum sacrificij assumitur ad huiusmodi vsum actualem; & ideò per talem actionem super ipso exercitum determinatur pro tali vsu, & veluti caractherizatur in ordine ad ipsum.

QVÆSTIO 684.

A quo possint Altaria consecrata destrui.

SVMMARIVM.

1. *Altare erectum in Ecclesia consecrata non potest destrui sine licentia Episcopi.*
2. *Etiam erectum in Ecclesia non consecrata.*
   Vbi superior manum apposuit, non potest inferior se ingerere.
3. *Prælati Regulares possunt in suis Ecclesiis destruere Altaria consecrata.*
4. *Quicquid potest Episcopus circa suos subditos, potest etiam Prælatus Regularis circa suos.*
5. *Quam manum apponat Episcopus consecrando Altaria Regularium.*

1 DIfficultas est, an pro destruendo altari sit necessaria Episcopi licentia. Quod autem sit necessaria, quando altare est in Ecclesia consecrata; secus autem quando in non consecrata, tradunt Tabiena *verbo* Altare. *n.* 3. Syluester *num.* 2. *in fine.* Angelus *num.* 6. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 27. *quæst.* 6. Reginald. *lib.* 29. *Praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 6. *n.* 193. Probat. ex cap. *Ecclesia de consecrat. distinct.* 1. ibi. *Superflua altaria destruantur*, vbi Gloss. intelligit, quæ sunt sine reliquiis. Sed quàm congruè, non video, cum possit altare esse sine reliquiis, & non esse superfluum, sed necessarium. Non tamen hic text. Probat intentum, quia non dicit, quod possint destrui sine licentia, nec quod ipsa sit necessaria. Citant etiam cap. *Placuit eadem. distinct.* sed loquitur de destruendis altaribus superstitione erectis: & hoc iniungit Episcopis, non quia ipsorum licentia fuerit necessaria, sed vt destructio exequutionem haberet. Vnde non potest hinc sumi argumentum à minori ad maius.

2 Dicendum est. *Altaria consecrata in Ecclesiis subiectis Episcopo non posse destrui absque illius licentia, & hoc siue Ecclesia consecrata sit, siue non consecrata.* Ratio est. Quia sunt erecta auctoritate eiusdem Episcopi: ergo eadem auctoritas, aut superior requiritur ad destruendum. Tum quia per quas causas res nascitur, per easdem etiam dissoluitur. Tum quia, vbi superior manum apposuit, non potest inferior se ingerere cap. *Vt nostram de appellat.* & per ea, quæ tradunt Gonzal. *de mensib. gloss.* 62. *num.* 27. Couarruu. *cap.* 9. *pract. num.* 4. Innocent. *in cap. Cum M. Ferrar. de constit.* Bald. *in cap.* 1. §. *Ad hæc de pace iuram. firm.* Imola *in l. Si expressum. ff. de appellatione.* Iason. *consil.* 9. *numero primo, libro tertio.*

3 Dicendum 2. *Prælatos Regulares posse in Ecclesiis sibi subiectis destruere Altaria consecrata.* Deducitur ex dictis in superioribus de priuilegiis transferendi altaria concessis Abbatibus Cisterciensibus, & Cassinensibus, quæ participantur, vt dictum est etiam à cæteris Prælatis Regularibus habentibus plenam communicationem priuilegiorum. Nam in translatione altaris interuenit destructio. Ratio autem est. Quia dictæ Ecclesiæ tanquàm exemptæ, sunt sub iurisdictione Prælati regularis eo modo, quo cæteræ sunt sub iurisdictione Episcopi: ergo potest circa ipsas, quod potest Episcopus circa sibi subiectas.

Confirmat. Quicquid potest Episcopus circa suos 4
subditos, potest etiam Prælatus in Regularis circa proprios, vt declarauit Pius V. *sub die* 21. *Iuly* 1571. in sua *Constit.* 132. *tom.* 2. *Bul.* ergo idem poterit etiam quoad Ecclesias sibi subiectas, quod potest Episcopus, quia est eadem ratio, cum talis potestas fundetur in subiectione, & vtrinque sit plena subiectio: ergo poterit destruere altaria consecrata, sicut potest Episcopus.

Dices. Episcopus manum apposuit consecrando, 5
Prælatus regularis non potest se ingerere, vtpotè inferior vt supra dicebamus. Resp. Non apposuisse manum auctoritatiuam: quia altare non fuit consecratum ex ipsius dispositione, sed ex dispositione Superioris Regularis; sed tantùm impendisse munus suum Episcopale. Et ideò remanet sub iurisdictione superioris Regularis. Quod etiam colligitur ex priuilegiis, quæ fuerunt concessa Cassinensibus, de quibus supra, vt possint petere consecrationem altarium in suis locis à quocunque Catholico Episcopo. Quod satis declarat, quod Episcopus loci non habeat iurisdictionem circa eorundem altaria, quam cum neque habeat extraneus consecrator, remanet penes Regularem Prælatum.

QVÆSTIO 685.

An Altare amittat consecrationem, si de loco ad locum integrum transferatur.

SVMMARIVM.

1. *Quibus modis Altare fixum amittat consecrationem.*
2. *Altare non amittit consecrationem, si integrum transferatur de loco ad locum.*
3. *Qua motione altare amittat consecrationem.*
   Si paries posterior destruatur, Altare non amittit consecrationem.

DVobus modis, ad quos omnes reducuntur, assignantur in iure, quibus Altare fixum amittit consecrationem: nempe si moueatur, & si frangatur. Ita in cap. 1. & cap. *Quod in dubiis de consecrat. Eccles.* vtrobique enim ponitur vterque modus; & in cap. *Quod in dubiis explicatur*, quod fractio debeat esse enormis, vt Altare amittat consecrationem, ibi *Vel enormiter facta fuerit.* Quod autem spectat ad motionem dubitatur, an sufficiat motio de loco ad locum integro manente Altari. 1

Dicendum est. *Si Altare integrum cum tota sua structura transferatur de loco ad locum, non amittit consecrationem.* Ita D. Antonio. 3. *part. titul.* 12. *cap.* 6. §. 9. summa Raymundina *lib.* 3. *titul. de sacrament. iteran.* §. 9. *in fine. in Gloss.* verbo *Mota iunctura.* Tabiena *verbo* Altare. *n.* 7. Vasquez 3. *part. disput.* 233. *cap.* 2. *num.* 13. Suarez *disp.* 81. *de Eucharistia, sect.* 5. *vers. Tertiò additur* Reginald. *lib.* 29. 2

Praxis fori pœnit. cap. 4. sect. 6. num. 192. ver. Peculiare. Lugo Cardin. disput. 20. de Eucharist. sect. 2. num. 74. Amicus tom. 7 Curs. Theol. disp. 33. sect. 12. num. 351. Garzia in sum. tract. 3. difficult. 8. dub. 3. punct. 1. n. 6. Barbosa in cap. 1. num. 2. de consecrat. Eccles. tom. 2. collect. Auersa quæst. 11. de Eucharist. sect. 13. ver. Deperditum. Quartus in Rubr. Missal. part. 1. tit. 20. dub. 5. ver. Aliqui. Fusch. lib. 1. de visit. cap. 22. n. 2. Paz Iordan. tom. 1. Lucubrat. lib. 5 tit. 10. num. 50. Franc. Lugo lib. 5. de sacrament. cap. 7. quæst. 3. num. 29. Ratio autem est, quia consecratio non deperditur, nisi ex defectu subiecti, si videlicet res consecrata destruatur, quia cum non habeat contrarium, non potest cessare, nisi deficiente subiecto: ergo si altare integrum cum tota sua structura transferatur, non amittet consecrationem, quia remanet integrum subiectum illius.

3 Dices, text. citati distinguunt fractionem altaris à motione, ergo per motionem intelligunt motum localem, quia si intelligerent aliquam aliam mutationem, interueniret fractio, seu dissolutio, & non essent duo modi, qui assignantur. Resp. Intelligere de motione, quæ fit cum dissolutione altaris, vt notat Glos. in cap. Ad hæc. de consecrat. Eccles. distinguitur autem dissolutio à fractione, quia dissolosio dicit, quod partes inuicem separentur, fractio verò attenditur secundum eandem partem, & præcipuè mensam lapideam.

4 Ex his colligitur cum Syluestro verbo Altare qu. 8. Francisc. Lugo lib. 5. de sacrament. cap. 7. quæst. 3. num. 29. Quarto in Rubr. Missal. part. 1. tit. 20. dub. 5. ver. Colligitur. Non amittere altare consecrationem, si destruatur paries posterior, cui est coniunctus. Ratio est. Quia huiusmodi paries non pertinet ad structuram ipsius, cum non sit eius pars, neque intrat formam artificialem altario. Quod est verùm, etiamsi mensa altaris inseratur parieti, itavt ab ipso sustentetur absque aliis stipitibus, aut alia inferiori structura; nam adhuc paries est, quid extraneum altari, cum non pertineat, vt pars ad structuram altaris, seu formam artificialem ipsius, nec participat in consecratione, sed tunc altare se habet, ac si sola mensa seorsim esset consecrata.

QVÆSTIO 686.

Qualis motio requiratur, vt Altare fixum amittat consecrationem.

SVMMARIVM.

1. *Quanam motione altare fixum amittat consecrationem.* & num. seq.
3. *Ex dissolutione structuræ perit consecratio altaris.*
4. *Si mensa conquassetur itavt non compaginetur inferiori structuræ perit consecratio Altaris.*
5. *Non tamen perit, si inferior structura sit lignea.*
6. *Nec si mensa Altaris sit seorsim consecrata.*
7. *Mensa sola Altaris an consecrari possit.*

1 CVm in iure non exprimatur, qualis debeat esse ista motio, vt altare fixum amittat consecrationem merito dabitur à Doctor. Prima sententia nomine motionis intelligit illam, per quam mutatur forma altaris. Ita Gloss. in cap. Si motum. verbo Altare. de consecrat. distinct. 1. & in cap. 1. verbo Altare. de consecrat. Eccles. & in cap. Quod in dubiis. verbo Mota eod. tit. Sà in prima editione verbo Altare. in fine.

2 Secunda sententia asserit per motionem intelligi illam per quam partes inuicem dissoluuntur, aut vna separetur à toto altari, vt si mensa remoueatur ab inferiori structura. Ita communiter Canonistæ, & Theologi Innocent. in Rubr. de consecrat. Eccles. Hostiens. in cap. 1. de consecrat. Eccles. Abbas num. 3. & in cap. Proposuisti. num. 9. eod. tit. Ioan. Andr. in cap. Quod in dubiis. eod. tit. Butrius, Anchatan. & alij, Archidiacon. in cap. Si motum. de consecrat. dist. 1. D. Antonin. 3. part. tit. 12. cap. 6. §. 9. Palud. in 4. dist. 13. qu. 2. art. 4. conclus. 2. sum. Raymun. lib. 3. tit. de sacrament. iteran. §. 9. in fine. Tabiena verbo Altare. num. 7. Syluester. quæst. 8. Angel. n. 2. Armilla num. 10. Azor. p. 1. sum. cap. 249. conclus. 15. Piasec. part. 1. Prax. Episcop. cap. 5. num. 8. ver. Violatur altare. Fusch. lib. 1. de visit. cap. 22. num. 3. Vasquez 3. part. disp. 233. cap. 2. nu. 13. Suarez disp. 81. de Eucharist. sect. 5. ver. Tertiò additur. Reginald. lib. 29. Prax. fori pœnit. cap. 9. sect. 6. nu. 192. vers. Peculiare est. Barbosa de potest. Episcop. alleg. 27. num. 26. Nauar. cap. 25. Manual. num. 83. Astens. lib. 4 sum. tit. 14. art. 4. Rodriquez in Compend. quæst. Reginald. resolut. 9. num. 10. Filliuc. tractat. 5. num. 121. Layman. lib. 5. Theolog. moral. tractat. 5. cap. 6. num. 3. Lugo Cardin. disp. 20. de Eucharist. sect. 2. num. 70. Coninch. de sacrament. quæst. 83. art. 3. dub. 2. num. 239. Francisc. Lugo lib. 5. de sacrament. cap. 7. quæst. 7. n. 30. Palaus part. 4. oper. moral. tract. 22. disput. vnic. punct. 9. num. 9. Gaspar Hurtad. de sacrament. disp. 4. de sacrific. Miss. difficult. 8. ver. Sed quæres. Amicus tom. 7. Curs. Theol. disp. 33. sect. 12. num. 351. Caspens. part. 2. Curs. Theol. tractat. 23. disput. 3 sect. 4. num. 76. Leander de sacrament. tractat. 8. disput. 7. quæst. 3. Tamburin. opusc. de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 5. §. 1. num. 12. Pax Iordan. tom. 1. Lucubrat. lib. 5. tit. 10. num. 45. Quartus in Rubr. Missal. part. 1. tit. 20. dub. 5. inst. Garzia in summ. tractat. 3. difficult. 8. dubio tertio, punct. 1. numero 6.

Dicendum est. *Altare amittere consecrationem per illam motionem, per quam dissoluitur structura altaris, vt cum mensa remouetur ab inferiori structura.* Vnde puto posteriorem sententiam non differre in substantia à prima, nam si dissoluatur structura altaris, mutatur forma eò, quod altare non retineat amplius suam formam artificialem. Ratio est, quia structura altaris est quædam compaginatio partium, ex qua resultat altare secundum suam formam artificialem: ergo quamdiu manet ista structura, permanet etiam altare: ergo etiam consecratio, quæ non perit, nisi pereunte subiecto, & destructo secundum suam formam artificialem, vt constat in cæteris rebus consecratis, aut benedictis in Ecclesia, in Calice, in vestibus sacris, &c. Vnde si motio non sit talis, vt destruat structuram altaris, non perit consecratio. Vnde in tantum ex remotione mensæ ab inferiori structura amittitur consecratio, in quantum perit structura altaris, nam mensa, quæ est principalis pars, separatur à cæteris partibus. 3

Est autem aduertendum cum Archidiacono in cap. 1. num. 4. de consecrat. Eccles. Ioan. Andr. ibid. Pax Iordan. tom. 1. Lucubrat. lib. 5. titul. 10. num. 46. Non esse necessarium, quod mensa ab inferiori structura prorsus remoueatur, sed sufficere, quod conquassetur, itavt quamuis superimposita moueat, non sit tamen per cementum illi vnita; nam adhuc destruitur structura altaris, quia non consistit solum in partibus componentibus altare, sed etiam in eadem vnione, quod est commune omnibus compositis tam naturalibus, quam artificialibus, & ideò sublata vnione perit structura. 4

Limitanda est tamen tradita doctrina, vt non habeat locum, si structura inferior sit lignea. Quia cum altare ligneum non sit capax consecrationis 5

cap.

cap. *Altaria* 1. *de consecrat. distinct.* 1. Tunc subiectum consecrationis erit solum mensa lapidea, & ideò per eius separationem à structura inferiori, non destruetur subiectum consecrationis. Vnde huiusmodi altare erit potius portatile quam fixum, quia ratione hæterogeneitatis materiæ non faciet vnum cum structura inferiori.

6 Secundò est limitanda cum Tabiena *verbo* Altare. *num.* 7. Syluester. *quæst.* 10. *in fine.* Archidiacono *in cap. Si motum.* vers. *Et ita intellige de consecrat. distinct.* 1. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 10. *num.* 47. Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.* 5. §. 1. *num.* 16. Palaò *part.* 4. *oper. Moral. tractat.* 22. *disput. vnic. punct.* 9. *num.* 9. Franc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 7. *quæst.* 3. *num.* 28. Garzia *in summ. tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 3. *punct.* 1. *num.* 6. vt non habeat locum, quando mensa lapidea altaris seorsim consecratur. Quia tunc quamuis postea coniungatur etiam cemento inferiori structuræ, adhuc tamen consecratio non egreditur terminos mensæ lapideæ, & ideò non perit consecratio, si postea remoueatur ab inferiori.

7 Subdit tamen Pax Iordan. cit. Quod huiusmodi forma consecrationis censetur abrogata, quia non reperitur in Pontificali, quod in hoc facit legem. Verum posse adhuc consecrari, non videtur dubitandum, vt affirmant quoque Quartus, & Tamburin. *num. præcedent.* citati, & Tamburin. testatur de Praxi, cui ipse interfuit. Et ratio est, quia in tali casu mensa altaris consecratur tanquam altare portatile, atque modo præscripto in Pontificali pro altari portatili, quod autem sit, maioris quantitatis, & æquet mensam altaris fixi, nihil officit, quia pro altari portatili non est perscripta certa magnitudo, neque definit esse portatile ex eo, quod non possit portari ab vno, sed requirantur plures. Rursus etiam non officit, quod firmatur super inferiori structura, etsi conglutinetur. Quia per hoc quoque non desinit esse portatile. Nam ex eo habet, quod sit portatile, quod sit consecratum tanquam mobile, & non affixum alicui inferiori structuræ, per id autem, quod affigatur, non fit fixum, & stabile nisi materialiter, & cum talis fixio consequatur consecrationem, non est causæ, cur pereat, si tollatur ipsa fixio, cum non pertineat ad subiectum consecrationis sicut si quodlibet altare, quod inseruierit pro portatili postea affigatur alicui inferiori structuræ.

QVÆSTIO 687.

An, si mensa coniungatur amouibiliter ex institutione inferiori structura pereat consecratio, si amoueatur.

SVMMARIVM.

1. *Consecratio altaris an pereat amota mensa ab inferiori structura, si sit ei vnita amouibiliter.* & n. seq.
3. *Separabilitas mensæ ab inferiori structura facit, quod per separationem non pereat altare.*
4. *Separatio partium fundata in structura, qua habeat partes amouibiles non destrui formam artificialem.*
5. *Calix, cuius cuppa tornatili opere cingitur pedi, non amittit, identitatem ex separatione.*
6. *Altare fixum an consecrari possit cum mensa amouibili ab inferiori structura.*
7. *Coniunctio mensæ altaris cum inferiori structura non constat ex aliquo iure, quod debeat esse inmobilis.*
8. *Calix tornatilis ob commoditatem postea introductus.*
9. *Altare non est institutum ab Ecclesia, nisi secundum substantiam.*

Procedit difficultas, quando mensa eo artificio esset fabricata, vt non solum posset superimponi; sed etiam vniri inferiori structuræ, & consecraretur cum tali coniunctione eo modo proportionaliter, quo Calix tornatilis, in quo cuppa vnitur pedi separabiliter, & absque eo, quod amittat consecrationem vt communiter docent. Quod autem amitteret consecrationem, videtur sentire Layman. *lib.* 5. *Theolog. moral. tractat.* 5. *cap.* 6. *num.* 5. *in fine.* Quia est diuersa ratio de Calice, nam in Calice tornatili sola cuppa per se consecratur, & ideò ea separata retinet consecrationem, at in altari fixo consecratio cadit supra totam molem, quia in hoc distinguitur à portatili, quod totum altare consecretur. 1

At quod non amitterent consecrationem, si essent in vsu, tradunt Lugo Cardin. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.* 2. *num.* 74. Quartus *in Rubric. Missal. part.* 1. *tit.* 20. *dub.* 5. ver. *Respondent aliqui.* subdit tamen vers. *Respondetur ergo.* Quod non possit altare fixum consecrari, cum illa separabilitate; quia essentia consecrationis pendet ex institutione Ecclesiæ, nec aliter potest validè fieri, aut consecrati, fuit autem institutum altare fixum, cum inseparabilitate partium. 2

In hac difficultate existimo quod supposito altari modo prædicto constructo, hoc est cum separabilitate mensæ ab inferiori structura non perditurum consecrationem si mensa separaretur. Ratio à priori est, quia non amittitur consecratio, nisi pereat subiectum consecrationis, vt patet in cæteris rebus consecratis, & etiam in ipso altari. Vnde fractio debet esse enormis, vt dicitur in cap. *Quod in dubiis. de consecratione Ecclesiæ.* Vt altare amittat consecrationem. Quia debet destruere formam artificialem ipsius, sed per id, quod mensa altaris amouibiliter vnita inferiori structuræ separetur, non perit subiectum consecrationis, nempe altare. Quia coniunctio non habet esse permanens, sed quoad actum secundum ex sui institutione potest esse, & non in actu, ita tamen, vt semper remaneat in habitu ratione ordinis partium, quæ quamdiu immutatæ manent, retinent ordinem ad actualem coniunctionem. Vnde etiam separatis partibus semper habetur pro eodem altari, sicut in Calice tornatili separata Cuppa à pede remanet idem Calix: ergo remanet etiam eadem consecratio. 3

Confirm. Ideò in altari fixo perit consecratio ex separatione mensæ ab inferiori structura, quia tollitur conglutinatio, qua cum ipsa coniungitur, quæ ex natura illius artificiali, & ita exigente forma artificiali, habet esse permanens; & proinde destruitur forma artificialis in aliquo permanenti. E contra autem accidit, si mensa sit coniuncta amouibiliter, vt si nimirum inniteretur quatuor columnis, quæ ipsi tornatili modo iungerentur, sicut iungitur pes Cuppæ Calicis; nam non destruitur forma artificialis in aliquo permanenti, quia illa coniunctio ex natura formæ artificialis est transitoria, itavt possit esse, & non esse, & forma artificialis ita exigit, itavt includat in se ipsa illam immobilitatem, & proinde manet forma siue partes sint actu coniunctæ siue non, cum vtrumque sit secundum exigentiam formæ, quæ exigit posse separari: ergo ex separatione non peribit consecratio ex illo principio, quod quando affirmatio est causa affirmationis, negatio quoque est causa negationis. 4

5 Et proinde. Quartus citat. rectè arguit, quod esset eadem ratio de huiusmodi altari, ac de Calice tornatili, & quod Calix tornatilis totus consecratur, & non solum cuppa, quia consecratur tanquam instrumentum, & vas aptum pro consecratione sanguinis, atque adeò tanquam Calix: non est autem talis cuppa, sed coniunctum ex pede, & cuppa. Quod etiam ex eo deducitur, quia si Cuppæ supponeretur pes alius, non esset amplius idem Calix, sed diuersus, & si iste alter pes suppositus non esset consecratus, Calix non diceretur consecratus, & non esset habilis pro oblatione sacrificij.

6 Secundò existimo valde probabile, quod possit construi, & consecrari altare fixum cum mensa coniuncta inferiori structuræ amouibiliter. Ratio est, quia Ecclesia in altari fixo solum requirit mensam, & inferiorem structuram inuicem coniunctas, ita vt faciant vnum per vnionem artificialem. Quod autem hoc vel illo modo coniungantur, relinquitur arbitrio artificis, quia talis coniunctio est opus artis. Et proinde poterunt coniungi amouibiliter, vel inamouibiliter cum vtraque coniunctio ponat vnitatem artificialem.

7 Confirm. Non constat ex aliquo iure, quod sit instituta ab Ecclesia coniunctio immobilis: nam iura, quæ dicunt altare amittere consecrationem, si motum fuerit, intelligunt, vt vidimus in superioribus, secundum communem sententiam de motione, per quam fit dissolutio partium, & perit ex hac dissolutione forma artificialis, non autem perscribunt, quod coniunctio partium fiant hoc, vel illo modo: ergo non est introducenda tanquam instituta ab Ecclesia, quia nihil est habendum pro instituto, nisi constet de institutione.

8 Confirm. 2. Quando fuit institutus Calix pro consecrare non fuit institutus cum aliqua certa forma artificiali, sed tantum, vt instrumentum aptum ad continendum vinum consecrandum, & proinde non est probabile, quod fuerit institutus cum cuppa coniuncta pedi tornatili modo, sed immobiliter, quia hoc etiam modo est vsus ordinarius, sed quod postea ob commoditatem constructus sit tornatilis: ergo idem dicendum est de altari, cum sit eadem ratio. Aut si est institutus tornatilis, sequitur, quod fuerit introductus non tornatilis.

9 Confirm. 3. Quando instituit Christus sacramenta, non instituit, nisi ea, quæ pertinent ad substantiam, cætera verò reliquit determinationi Ecclesiæ, quia scil. efficacia sacramentorum consistat in substantialibus, & Christus instituit tantum sacramenta dans illis efficaciam: ergo etiam Ecclesia instituens altare pro sacrificio missæ, non instituit, nisi secundum substantiam cætera relinquens determinationi eorum, qui ipsum erigebant. Vnde non instituit quantitatem, neque formam, neque locum sigilli, cum diuersimodè ponatur, quia scilicet eius intentio tantũ erat determinare locum immediatum super quo offerretur sacrificium, quod esset sanctum, & Deo dicatum: ergo in altari fixo solum determinauit, quod mensa coniungeretur inferiori structuræ, modum autem coniunctionis reliquit determinationi eorum, qui ipsum erigebant. Ex quibus solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ; nam non constat, quod Ecclesia instituerit coniunctionem mensæ cum inferiori structura immobilem. Imò, quod hoc reliquerit arbitrio erigentis altare probabile est ex supradictis.

QVÆSTIO 688.

An si aliquid remoueatur de inferiori structura, Altare amittat consecrationem.

SVMMARIVM.

1. *Quando Altare amittat consecrationem, si aliquid remoueatur de inferiori structura.* & num. sequenti.
3. *Si inferior structura remaneat apta ad substentandam mensam, non perit consecratio altaris.*
4. *Nisi motio sit enormis, non perit consecratio Altaris.*
   Si ex mensa fracta altaris remaneat pars apta, vt super ipsa offeratur sacrificium, retinet consecrationem.
5. *Si columnæ, quæ remanent, possint substentare altare, non perit consecratio ex alicuius motione.*

PRima sententia asserit, quod si lapis, qui remouetur ab inferiori structura, sit principalis, aut tangens mensam, vel locum consecrationis, vel sic vna ex quatuor columnis, cui mensa innititur, altare amittit consecrationem. Ita Glos. *in cap. Si motum. verbo* Altare *de consecrat. dist. 1.* & *in cap. 1. verbo* Altare. *de consecrat. Eccles.* Abbas *num. 3.* Summa Raymund. *lib. 3. tit. de sacrament. iter. §. 9. in fine.* Tabiena *verbo* Altare. *num. 7.* Syluester. *quæst. 8.* Armill. *num. 10.* sum. Confect. *lib. 3. tit. 29. quæst. 150.* D. Antonin. *3. part. tit. 12. cap. 6. §. 9.* Angel. *verbo* Altare. *num. 2.* Miranda *tom. 2. Manual. Prælat. quæst. 39. art. 3. conclus. 1.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 27. num. 26.* Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 5. tit. 10. num. 49.* Fundamentum est, quia est motio, seu fractio notabilis. 1

Secunda sententia asserit, altare non amittere consecrationem, nisi, quod de inferiori structura remouetur, sit tale, quod altare amittat formam. Ita Vasquez *3. part. disput. 253. cap. 2. num. 13.* Layman. *lib. 5. Theol. moral. tractat. 5. cap. 6. num. 3.* Suarez *disp. 81. de Eucharist. sect. 5. ver. Tertio additur.* Palaus *part. 4. oper. moral. tractat. 22. disputat. vnic. punct. 9. num. 9.* Lugo *disput. 20. de Eucharist. sect. 2. num. 67.* Quartus *in Rubr. Missal. part. 1. titul. 20. dub. 5.* ver. *colligitur.* 2

Dicendum est. *Altare non amittere consecrationem ex eo, quod aliqui lapides auferantur ab inferiori structura, etiam si sint angulares, & tangant mensam, aut partes consecratas, dummodo structura, quæ remanet adhuc apta sit ad sustentandam mensã altaris, quæ proinde adhuc stabilis maneat.* Ratio est, quia, vt iam dictum est, & constat in aliis rebus consecratis, non perit consecratio, quandiu manet subiectum consecratum cum sua forma accidentali, seu artificiali. Et proinde neque altare quoque amittet. Quandiu autem inferior structura remanet talis, facta quacunque mutatione, vt substentet mensam, sicut antea substentabat, non perit forma artificialis altaris, vt per se constat; nam adhuc remanet altare fixum habile, vt in ipso offerri possit sacrificium, sicut antea offerebatur. 3

Confirm. Per fractionem altare non amittit consecrationem, nisi sit enormis, vt in cap. *Quod in dubiis de consecrat. Eccles.* Ergo neque per motionem, nisi sit enormis. Non est autem enormis, quando altare substentatur, vt prius ab inferiori structura, cum eadem habilitate ad oblationem sacrificij: & quandiu retinet eandem formam, 4

licet

licet ex parte diminutam. Confirmatur. Eodem modo discurrendum est de altari, ac de Ecclesia, quoad amissionem consecrationis, quia eodem modo proportionaliter consecrantur, & constituuntur sua propria forma artificiali. Ecclesia autem non amittit consecrationem per destructionem cuiuscunque partis, quandiù retinet suam formam, quoad parietes, etiamsi aliàs destructio sit notabilis. Confirm. 3. Si frangatur mensa, dummodo pars, quæ remanet, sit apta, vt in ipsa offeratur sacrificium, non amittit consecrationem, vt communiter docent, ergo neque ratione inferioris structuræ altare amittet consecrationem, quandiù manet apta ad sustendandum altare.

5 Ex dictis sequitur, quod si mensa altaris sustentetur pluribus columnis, aut etiam solum quatuor, si aliqua ipsarum frangatur, aut remoueatur, non amittet consecrationem, si quæ remanent, sufficiant ad substentandum altare, vt dixi etiam *decis. moral. 43. num. 7.* Nam non destruitur forma artificialis altaris, sed tantum mutilatur, quod est quid longè diuersum. Sic etiam si homini abscindatur crus, quamuis duo tantum habeat, licet remaneat mutilatus, retinet tamen formam humani corporis. Vnde potiori modo id continget in altari, quia remanet mensa sustentata, & vt prius inseruiens eidem vsui.

QVÆSTIO 689.

Quæ sit fractura enormis, quæ tollit consecrationem altaris.

SVMMARIVM.

1. *Mensa enormiter fracta perit consecratio altaris.*
2. *Fractura altaris quando sit enormis*, & numero sequent.
3. *In dubio an fractura sit enormis standum iudicio Episcopi.*
4. *Fractura est enormis, quando altare amittit formam.*
5. *Et si in nulla parte reponi possit Calix, & Hostia.*
6. *Fractura est enormis, quando non remanet idem numero altare.*
Pereunte subiecto perit consecratio.
7. *Fracta mensa altaris perit consecratio; licet pars aliqua remaneat affixa inferiori structuræ.*
8. *Fracta mensa in duas partes, si loco moueantur perit consecratio altaris.*
9. *Si pars notabilis structuræ inferioris maneat sine mensa fractura est notabilis.*
10. *Si mensa diuidatur in partes, sed loco non moueantur, nec ab inferiori structura separentur non perit consecratio.*
11. *In quocunque loco contingat fractio notabilis perit consecratio.*

1 ALtare amittere consecrationem, quando ara consecrata enormiter frangitur statuitur in cap. 1. & in cap. *Quod in dubijs, de consecrat. Eccles.* ibi: *Altare, in quo tabula, cui consecrationis benedictio Pontificali ministerio adhibetur, si mota, vel enormiter fracta fuerit, debet non immeritò consecrari.* Et in cap. *Ligneis, eod. tit. Cum parietes in sua integritate permanserint, & tabula altaris mota, vel enormiter læsa non fuerit ob causam prædictam, nec Ecclesia, nec Altare debet denuò consecrari.* Ex quibus constat, quod quamuis aliqui hunc modum amittendi consecrationem tribuant solum altari portatili concessit tamen etiam altari fixo, nam de eadem tabula dicitur, *Si mota, vel enormiter fracta fuerit*, & ideo est modus communis vtrique altari fixo, & portatili. Difficultas autem est, quæ sit enormis fractio, quæ deperdi faciat consecrationem.

Prima sententia asserit fracturam tunc esse enormem, quando est vltra medietatem. Ita Gloss. *in cap. Si motum, verbo* Altare, *vers.* Idem est, *de consecrat. distinct. 1.* Syluester *verbo* Altare, *quæst. 8.* Armil. *num. 1.* Fundamentum est. Quia læsio vltra medietatem est enormis, quod contigit etiam in ciuilibus, vt in contractibus. 2

Secunda sententia. Tunc fractionem esse enormem, quando est tanta, vt appareat deformitas in altari. In dubio verò standum esse determinationi Episcopi. Ita Hostiens. *in cap. 1. de consecrat. Eccles.* D. Antonin. *3. part. tit. 12. cap. 6. § 9.* Tabiena *verbo* Altare, *num. 7. in fine.* Rodriquez *in Compend. quæst. Regul. resol. 9. num. 10.* quam sententiam amplectuntur Syluester, & Armilla *num. præced. cit.* 3

Tertia sententia vult, tunc fracturam esse enormem, quando est tanta, vt altare amittat formam. Ita Abbas *in cap. Quod in dubijs; num. 1. not. 1. de consecrat. Eccles.* Sà *verbo* Altare, *num. 1.* quem modum dicendi complectuntur etiam D. Antonin. Syluester *numero secundo citat.* Tabiena *citat. supra numero tertio.* 4

Quarta sententia docet tunc fracturam esse enormem, quando in nulla parte confractæ mensæ reponi potest pars calicis, & hostia. Si enim in aliqua parte possit collocari, talis pars manebit consecrata. Ita Suarez *disput. 81. de Eucharist. sect. 5. ver. Tertio additur.* Vasquez *3. part. disput. 233. cap. 2. num. 23.* Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 27. quæst. 12.* Rodriquez *part. 1. sum. cap. 249. conclus. 15.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 28. num. 1.* Layman. *lib. 5. Theol. moral. tractat. 5. cap. 6. num. 3.* Regiald. *lib. 29. praxis fori pœnit. cap. 9. sect. 6. num. 192.* Coninch *de sacrament. quæst. 83. art. 3. dub. 2. num. 139.* Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 22. num. 4.* Lugo Cardin. *disput. 20. de Eucharist. sect. 2. num. 67.* Bonac. *disp. 4. de sacram. quæst. vlt. punct. 9. num. 15.* Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 5. tit. 10. num. 52.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 27. num. 25.* Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 12. disput. vnic. punct. 9. num. 7.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacrament. cap. 7. quæst. 3. num. 23.* Faustus *lib. 2. de sacrament. Ordin. tract. 3. part. 3. cap. 12. num. 2.* Verùm licet sententia fortè locum habere possit quoad altare portatile, quoad altare tamen fixum subsistere non potest, vt constabit ex dicendis. 5

Dicendum est. *Tunc altare amittere consecrationem, quando fractura est tanta, vt censeatur destructa forma artificiali, & non esse amplius idem numero altare, quod erat prius.* Quando autem remaneat, vel non remaneat idem numero altare, prudenti iudicio, & morali æstimatione decernendum est. Hoc autem deducitur ex illo principio in hac materia vniuersaliter, recepto quoad omnes alias res consecratas, quod non pereat consecratio, quandiù permanet subiectum illius, itavt non destruatur, quamuis in aliqua parte desinat, vt in Calice, Ecclesia, & cæteris rebus benedictis. Et facit ratio naturalis, quia consecratio est quædam qualitas rei consecratæ, quæ inhæret subiecto, tanquam forma accidentalis ipsius, & non habet contrarium, à quo expellatur; huiusmodi autem accidens cum habeat esse permanens, nec dependeat in conseruari à sua causa, tandiù permanet in subiecto, quandiù durat idem numero subiectum: ergo non perit consecratio altaris, ratione fracturæ, nisi pereat forma altaris, itavt non sit amplius idem numero. Confir. Quando manet forma artificialis, itavt sit idem numero altare, manet etiam saltem substantialiter eius speciositas, quia sicut forma dat esse rei, ita etiam dat speciositatem, 6

& proinde non poteſt eſſe deforme, vt ſecunda ſententia aſſerebat.

7 Ex his ſequitur. Quod ſi altaris fixi menſa frangatur, quamuis remaneat pars aliqua affixa inferinri ſtructuræ, in qua collocari poſſit calix, & patena; imò etiam, excedat, adhuc tamen etiam hæc pars amittet conſecrationem. Ratin eſt. Quia in hac parte non conſeruatur forma altaris fixi, itavt poſſit dici eadem tabula, ſeu menſa altaris, quæ erat prius. Menſa enim altaris fixi eſt iam ampla, vt poſſint ex ea confici plures portatiles. Quis autem dicat remanere eandem numero tabulam cum eadem forma artificiali, ſi remaneat tantum decima, aut duodecima pars; ſi autem non remanet eadem numero tabula fractio eſt enormis, quia variat numero ſubiectum, & prninde perit conſecratio.

8 Sequitur 2. Qund ſi menſa ita frangatur in duas partes, vt loco dimoueantur, etiamſi partes ſint æquales, aut etiam vna, maior altera, peribit conſecratin, non ſulùm, quia menſa loco moueatur, atque adeo ſeparetur ab inferiori ſtructura, ſed etiam quia neutra pars remaner illud numero altare, quod prius erat. Quamuis enim in quantitate continua partes diuiſæ euadant ſingulæ, aliquod totum, nnn tamen ſunt illud numern tntum, quod erat prius. Nec iuuat, quod altare non requirat certam formam, aut quantitatem, quia ſufficit, qund, ſi ſemel eſt conſecratum cum aliqua forma, & quantitate, pereat illa forma, & quantitas, vt non ſit amplius idem numero altare.

9 Sequitur 3. Quod menſa altaris in duas partes diuidatur, quarum maior remaneat fixa inferinri ſtructuræ, ſi tamen, quæ ſeparatur relinquat notabilem partem inferioris ſtructuræ, quæ non ſubſtituatur menſæ, fractura erit notabilis, atque adeo altare amittet conſecrationem. Et in hoc deberent conuenire, qui volunt per ablutionem vnius lapidis ex illis, qui tangunt menſam, perire conſecrationem. Ratin eſt. Quia in tali caſn altare eſt ſemidirutum, atque adeo non ſeruat amplius ſuam formam, neque menſa eſt eadem, quæ prius.

10 Sequitur 4. Quod ſi menſa in duas partes ſcindatur, dummodo tamen inuicem non ſeparentur localiter, nec etiam ab inferiori ſtructura altare non amittet conſecrationem, nam illa ſciſſura non tollit formam altaris, nec facit aliud numero, ſed ſe habet ſicut homo vulneratus, qui adhuc manet idem homo, & ideo abſque noua conſecratione poteſt ſciſſura glutine aliquo vniri. Nec obſtat, quod altare debeat conſtare ex vno lapide, quia ad ſummum, hoc eſt verum, quando de nouo conſecratur, deindè gluten vniens diuerſas partes facit vnum lapidem, quia vnitas artificialis ſufficit, vt lapis ſit vnus.

11 Sequitur 5. Quod in quocunque loco menſæ altaris contingat notabilis fractura, peribit conſecratio, vt notant Abbas *in cap. Ligneis, num.1. not. 2. de conſecrat. Eccleſ.* Tabiena *verbo* Altare, *num.7.* verſ. *Secundò execratur.* Syluester *num.* 10. *in fine*, nam in quocunque loco, contingat, eſt ſufficiens ad deſtruendam formam artificialem altaris, atque adeò ad deſtruendum ſubiectum conſecrationis.

QVÆSTIO 690.

An pereat conſecratio, ſi altare frangatur in quatuor cornibus.

SVMMARIVM.

1. *Si altare frangatur in quatuor cornibus an pereat conſecratio,* & num. ſeq.
3. *Sola enormis fractura facit perire conſecrationem altaris.*
4. *Licet vnctio fiat in cornibus, conſecratur tamen totum altare.*

PRima ſententia aſſerit, perire conſecrationem, ſi altare frangatur in quatuor cornibus. Ita D. Antonin. *part.3. tit.12. cap.5. §.9.* Sum. Raymund. *lib.3. tit. de ſacrament. iteran. §. 9. in comment. littera X.* Abbas *in cap.1. init. not.1. de conſecrat. Eccleſ.* Syluester *verbo* Altare, *quæſt.8.* Armill. *num.* 10. Henriquez *lib.9. ſum. cap.28. num.1.* Azot. *part.1. lib.10. cap.26. quæſt. 11.* Reginald. *lib.29. praxis fori pœnit. cap. 9. ſect.6. num.192.* Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib. 5. tit.12. num.52.* Bonac. *diſput. 4. de ſacrament. quæſt. vlt. punct.9. num. 15.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat. 27. num.26.* Fundamentum eſt. Quia conſecratio peragitur in quatuor cornibus, quæ iniunguntur, & proinde perit ſubiectum conſecrationis. 1

Secunda ſententia negat, amittere conſecrationem. Ita Layman. *lib. 5. Theol. moral. tract.5. cap.6. num.6.* Palaus *part.4. oper. moral. tract.22. diſp. vnic. punct.9. num.8. in fine.* Lugo Cardin. *diſp.20. de Euchariſt. ſect.2. num.75.* Franciſc. Lugo *lib.5. de ſacram. cap.7. quæſt.3. num. 16.* Tamburin. *Opuſc. de ſacrific. Miſſ. lib. 1. cap. 5. §. 1. num. 14.* Quartus *in Rubric. Miſſal. part.1. tit.20. dub.5.* verſ. *Colligitur primò.* 2

Dicendum eſt. *Altare non amittere conſecrationem, etiamſi frangatur in omnibus quatuor cornibus.* Et hoc valet etiam in altari portatili. Hoc tamen debet intelligi ſi fractura non ſit enormis, nam fieri poſſet, quod talis eſſet, vt computata in omnibus quatuor cornibus, maiorem partem altaris deſtrueret. Ratio eſt. Quia iura ſtatuentia amiſſionem conſecrationis, non faciunt mentionem, niſi enormis fracturæ, nihil autem de cornibus: ergo cum in hac materia non ſit aliquid decernendum, quod non decernat, non eſt admittenda amiſſio conſecrationis ex tali cauſa. 3

Præſertim quia fundamentum oppoſitæ ſententiæ non ſubſiſtit. Nam licet vnctio fiat in cornibus, conſecratur tamen totum altare, ſicut etiam licet in conſecratione Eccleſiæ vngantur tantum Cruces, conſecratur tamen tota Eccleſia. Et ideo cum remaneat idem altare cum ſua forma artificiali, licet quoad aliquam integritatem diminuta, manebit ſubiectum conſecrationis, atque adeo etiam conſecratio. Sic etiam licet deſtruantur Cruces in Eccleſia conſecratæ, aut etiam pars illa fabricæ, cui adhærent, vt contingit quando interpolatè per partes reficitur tota Eccleſia, non perit conſecratio vt ſuo loco cum communi ſententia dictum eſt. 4

QVÆSTIO 691.

An pereat conſecratio, ſi frangatur ſigillum altaris.

SVMMARIVM.

1. *Fracto ſigillo perire conſecrationem communiter ſentiunt.*
2. *Doctores hoc ſentientes.*
3. *Doctores qui oppoſitum tradunt.*
4. *Duobus tantum modis perit conſecratio altaris motione, & fractura enormi.*
   Fractio ſigilli non eſt enormis fractura.
5. *Ex fractione ſigilli non perit altare.*
6. *Explicatur cap.1. de conſecrat. Eccleſ.*
7. *Execratio altaris ex fractura ſigilli non eſt introducta ex conſuetudine.*

Conſue

Consuetudo fundata in errore non habet vim.

1 HÆc difficultas est communis altari fixo, & portatili si vtrumque sit consecratum cum reliquiis. In *decis.* autem *moralib.* 44. *num.* 1. Supposui cum communi sententia. Altare amittere consecrationem, si frangatur notabiliter sepulchrum, seu sigillum, sub quo repositæ sunt reliquiæ propter text. Cap. *Ad hac, de consecrat. Eccles.* in quo fundant hanc sententiam. Postea tamen obseruari, illum text. habere alium sensum, nec in ipso fundari posse hanc sententiam, ideo modo difficultas est examinanda.

2 Prima sententia asserit, altare amittere consecrationem, si sigillum, seu sepolchrum notabiliter frangatur. Ita Canonist. *in cap. 1. de consecrat. Eccles.* Abbas antiquus, Butr. Ioan. Andr. Ancharan. in cap. *Si motum, de consecrat. distinct.* 1. Angel. *verbo* Altare, *num.* 2. Syluester *quæst.* 8. Miranda *tom.* 2. *Manual. quæst.* 39. *art.* 3. *conclus.* 1. Fusch. *lib.* 1. *de visit. cap.* 22. *num.* 2. Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 27. *num.* 26. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 12. Reginal. *lib.* 29. *praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 6. *num.* 192. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 3. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 10. *num.* 5. Viuian. *lib.* 3. *ration. iur. Pontific. tit.* 40. *cap.* 1. Rodriquez *in compend. quæst. regul. resolut.* 9. *de Altari, num.* 10. Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vnic. punct.* 9. *num.* 15. Palaus *part.* 4 *oper. moral. tract.* 22. *disput. vn. punct.* 9. *num.* 6. vers. *Verum.* Hæc sententia fundatur in dicto cap. 1. *de consecrat. Eccles.* quem tamen textum non probare hanc sententiam obseruant Layman. & Palaus *citati.* Et ipsi ita asserunt, quia sic introductum est consuetudine.

3 Secunda sententia docet, non amitti consecrationem, licet sigillum frangatur. Ita Coninch *de sacrament. quæst* 83. *art.* 3. *dub.* 2. *num.* 140. Lugo Cardin. *disp.* 20. *de Eucharist. sect.* 2. *num.* 75. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 7. *quæst.* 3. *num.* 25. Tamburin. *Opusc. de sacrific. Missæ, lib.* 1. *cap.* 5. §. 1. *num.* 15. Quartus *in Rubric. Missal. part.* 1. *titul.* 20. *dub.* 5. *in fine.*

4 Dicendum est. *Altare, siue fixum, siue portatile non amittere consecrationem, quando frangitur sigillum, seu sepulchrum.* Ratio est. Quia in iure duo tantum modi assignantur, quibus altare amittit consecrationem, nempe, si motum fuerit, aut enormiter fractum. Ita in cap. *Quod in dubijs, de consecrat. Eccles.* ibi: *Altare vero, in quo tabula, cui consecrationis benedictio Pontificali ministerio adhibetur, si mota, vel enormiter fracta fuerit, debet non immeritò consecrari.* Ex quibus constat, quod vterque modus motionis, & fracturæ versatur circa tabulam, non circa sigillum. Rursus fractio sigilli non est motio, vt per se constat, nec est enormis, quia est modica fractio, & alias remanet altare cum sua forma artificiali: ergo non erit sufficiens ad delendam consecrationem. Nec dici potest, quod sit enormis secundum qualitatem, quia contingit in parte principali, licet non secundum quantitatem, quia contingit in parte principali, licet non secundum quantitatem; quia hoc supponit quod in sigillo consistat essentia consecrationis quod est falsum, cum reliquiæ non sint necessariæ pro consecratione, vt constat ex supradictis. Deinde text. loquitur de fractura mensæ seu tabulæ, & hanc resultare enormem, & ideo intelligit de fractura secundum quantitatem.

5 Confirm. Non perit consecratio rei consecratæ, nec benedictio rei benedictæ, nisi pereat res ipsa consecrata, aut benedicta, quia non perit, nisi ad destructionem subiecti, vt inductione constat in omnibus. Quia nec dependet in conseruari ab alia causa, quam à subiecto; nec habet contrarium, à quo destruatur: licet autem frangatur sigillum, non destruitur altare, sed remanet adhuc idem cum sua forma artificiali: ergo adhuc conseruatur consecratio. Et si altare consecrari potest, absque sigillo, quando non reconduntur reliquiæ, poterit etiam conseruare consecrationem, licet remoueatur sigillum.

Ad text. cap. 1. *de consecrat. Eccles.* Resp. Non loqui de fractione sigilli, sed de fractione tabulæ, cui inhæret sigillum, ita enim habet, *Si altare motum fuerit, aut lapis ille solummodo suprapositus, qui sigillum continet confractus.* Quod autem per lapidem intelligat tabulam altaris ex eo constat, quod ipsi tribuitur adiectiuum *suprapositus.* Lapis autem, qui in altari est suprapositus est ipsa tabula, quæ superimponitur altari fixo. Rursus, quia loquitur de lapide qui sigillum continet; hæc autem est ipsa tabula, quia in ea reconduntur reliquiæ, & sigillantur. Et hic sensus fit apertus comparando hunc text. ad cap. *Quod in dubijs*, vbi eædem causæ amissionis consecrationis traduntur, vbi exprimitur clarè fractura ipsius tabulæ, ibi: *In quo tabula, cui consecrationis benedictio Pontificali ministerio adhibetur, si mota, vel enormiter fracta fuerit.* Vnde cum vtrobique ponatur fractura enormis, debet etiam vtrobique intelligi eadem fractura, & text. obscurus debet per clarum explicari. 6

Hinc autem fit, quod neque dici possit, quod deperditio consecrationis ex fractura sigilli sit introducta ex consuetudine, vt volebant Layman. & Palaus considerantes inefficaciam text. nam ista consuetudo ortum habuit, quia cœperunt Doctores tradere, tanquam decisum in dicto text. quod fractura sigilli tolleret consecrationem, vnde cum text. id non habeat remanet consuetudo fundata in errore, quæ proinde non habet vim, *l. Quod non ratione, ff. de legib.* & *l. Si per errorem, ff. de iurisd. om. iud.* & cap. *Consuetudo, distinct.* 8. & obseruant Gloss. *in cap. fin. verbo* Legitimè, *vers. Item quod, de consecrat.* Abbas *num.* 12. Syluester *verbo* Consuetudo, *quæst.* 4. Tabiena *num.* 17. Henriquez *lib.* 4. *sum. cap.* 13. *littera N.* Salas *disp.* 19. *de legib. sect.* 6. Ioan. Sanchez *in select. de sacrament. disp.* 54. *num.* 33. vbi alios citat Rota *in Treuirensi Abbatia S. Maximini* 24. *Ianuarij* 1625. coram Coccino. 7

QVÆSTIO 692.

An per additamenta apposita altari pereat consecratio.

SVMMARIVM.

1. *Additamenta altaris instar ornamentorum non delent consecrationem.*
2. *Si additamentum mutet formam, perit consecratio.*
3. *Additamentum ordinatum ad augmentum non tollit consecrationem.*
4. *Additamentum non mutat præexistens altare.*
5. *Eadem est ratio de additamento Ecclesiæ, & altaris.*
6. *Additamentum etiam si conglutinetur cum altari non tollit consecrationem.*
7. *Si additamentum altaris sit diuersa materia non aufert consecrationem.*
8. *Diminutio altaris quando non auferat consecrationem.*

SVpponendum est. Quod si additamenta se habeant instar ornamentorum, quantacunque sint, 1 non

non peribit consecratio, vt obseruat etiam Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.10. num.53.* Nam huiusmodi ornamenta sunt veluti extrinseca, & accessoria altari, & proinde non mutant eiusdem formam artificialem, sicut ornamenta addita vesti, non mutant vestem, sed ornant. Vnde difficultas est, quando additamenta non sunt per modum ornamenti, sed ordinata ad augendum altare.

2 Quod tunc altare amittat consecrationem, quando per additamentum mutatur forma, tradit Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.10. num.53.* Quia cum forma det esse rei, ac sublata perit etiam consecratio, pro quo plura allegat, sed hoc videndum est, an pereat forma altaris. Fuschus tamen *lib.1. de visit. cap.22. num.1.* sentit non amittere consecrationem, quod mihi probabilius videtur.

3 Dicendum est. *Per additamenta altare non amittere consecrationem, etiamsi ordinentur ad solum augmentum.* Suppono autem, quod de præsenti structura altaris non immutetur aliquid. Ratio est. Quia per huiusmodi additamenta, neque mouetur altare, neque enormiter frangitur, imò remanet in seipso, sicut erat prius immutatum, & solum recipit additamentum per coniunctionem: ergo non amittit consecrationem, cum per motionem solum, & fractionem amittatur, vt decernitur in iure.

4 Dices, amittere consecrationem, quia non remanet idem altare. Contra. Additamentum non est per intrapositionem, itavt incorporetur altari, sed per iuxtapositionem, & proinde non conuertitur in formam præexistentem: ergo non mutatur præexistens altare in suo esse intrinseco, sed solum extrinsecè per iuxtapositionem aliarum partium, & proinde ex defectu subiecti non perit consecratio; præsertim, quia semper ostendi possunt partes superadditæ tanquam quid extrinsecum altari.

5 Confirm. Ecclesia consecrata per additamentum non amittit consecrationem, quando quod additur est minor pars: ergo idem continget etiam in altari; quia ratio, quæ militat in Ecclesia, militat etiam in altari. Imò maior difficultas est, quoad Ecclesiam, quia quod additur communicat in eodem corpore, & figura in altare, cum additamentum sit solum per iuxtapositionem. Quod autem Ecclesia non amittat consecrationem, tradunt communiter cum Gloss. *in cap. De fabrica, verbo* Innouata, *de consecrat. distinct.1.*

6 Et hoc extendendum est, etiamsi additamenta conglutinentur cum altari, nam adhuc sunt additamenta extrinseca formæ: nec in præexistenti altari fit alia mutatio propter susceptionem alicuius partis glutinis, quo additamenta conglutinantur. Quod etiam contingit in Ecclesia, quando fit ipsi aliquod additamentum, aut quando pars alicuius parietis restauratur. Et ideo si in hoc casu non perit consecratio, nec etiam peribit in casu altaris.

7 Ex quibus sequitur à fortiori, quod si additamentum, quod apponitur altari, non sit eiusdem materiæ, sed aut ligneum, aut alterius materiæ diuersæ, multo minus peribit consecratio, quia diuersitas materiæ, facit quod additamentum habeat maiorem repugnantiam ad incorporationem cum altari. Et proinde remanebit altare in sua forma eodem modo, ac prius, vt additamentum se habebit solum, vt quid ipsi adiacens, sicuti vestes adiacent corpori.

8 Sequitur 1. Quod si diminuatur altare per detractionem aliquarum partium, & ipsius tabulæ, seu mensæ consecratæ, non peribit consecratio, dummodo tamen detractio non sit tanta, vt non remaneat idem altare. Ratio est. Quia per hanc diminutionem non immutatur forma artificialis altaris, sed tantum diminuitur materia. Etsi reducatur ad fractutam, quamuis non sit propriè talis, non est tamen enormis, & ideo ex nullo capite sufficiet, vt inducat amissionem consecrationis.



DE ALTARI PORTATILI.



ABET altare portatile quædam peculiaria, quæ non conueniunt altari fixo, nedum quoad esse transferibile de loco ad locum, sed etiam quoad formam, & amissionem consecrationis, & ideo modo discutienda sunt.

QVÆSTIO 693.

An altare portatile constare possit duobus lapidibus inuicem coniunctis instar libri, itavt aperiri possit, & claudi.

SVMMARIVM.

1. *Altare portatile non posse construi ex duobus lapidibus, qui sentiant.*
2. *Altare significat Christum, qui est vna persona, & ideo debet esse vnum.*
3. *Qui sentiunt posse constare ex duplici lapide.*
4. *Materia altaris præscribitur tantum lapidea, & nihil aliud.*
5. *Altare non significat ratione materiæ.*
6. *Vnitas materiæ non erat antiquitus in altari ligneo.*
7. *Altare ratione significationis non potest requirere aliam vnitatem præter artificialem.*
8. *Significatio altaris est æquiuoca.*
   Quatenus significat Christum potest constare ex duobus lapidibus.
9. *Vnitas artificialis sufficit vt sacrificium totum offeratur in eodem altari.*
10. *Consuetudo conficiendi altare portatile ex vnico lapide non est allegabilis.*
    Non vsus non inducit consuetudinem.
    Consuetudo ex quibus constet.
11. *In materia indifferenti, quod non est prohibitum censetur permissum.*
    Ex actibus facultatiuis non inducitur restrictio liberæ facultatis.
    Allegare consuetudinem, quæ non sit firma, & vniformis est nihil allegare.
12. *Consuetudo debet allegari cum qualitatibus necessarijs, vt obliget.*

PRima sententia negat, constare posse duobus lapidibus licet inuicem colligatis, vt aperiri, & claudi possint. Ita Syluester *verbo* Altare, *quæst.5.* Vasquez *3. part. disp.233. cap.2. num.16.* Facundez *præcept.1. Eccles. lib.3. cap.22. num.9.* Azor. *part.1. lib.10. cap.26. quæst.1.* Fusch. *lib.1. de visit. cap.22. num.3.* Bonac. *disput.4. de sacrament. quæst. vltim. punct.9. num.12. & 14.* Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat. lib.5. tit.10. num.12.* Lugo *disput.10. de Eucharist. sect.2. num.67. in fine.* Dicastil. *de sacrament. tract.5. disp.4.* 1

disputatione quarta, dubio octauo, numero 145. Franciscus Lugo *libro quinto, de sacramentis, capite septimo, quæstione secunda, numero vndecimo.* Gaspard. Hurtad. *de sacramentis, disputatione quarta, de sacrific. difficult.* 8. vers. *Obseruandum est primò.* Leander *de sacrament. tractatu octauo, disputatione septima, quæstione quinta*, qui oppositum putat probabile.

2 Probat. 1. Quia esset contra mysterium; nam altare significat Christum, qui est vna persona, & ideo debet esse vnus lapis alioquin significaret in Christo plures personas. Secundò. Quia celebrando in tali altari eodem modo res se haberet, ac si hostia consecraretur in vna Ecclesia, & calix in alia. Tertiò. Quia hoc est contra consuetudinem Ecclesiæ.

3 Secunda sent. asserit, constare posse duobus lapidibus ita inuicē connexis, vt claudi, & aperiri possint. Ita Thomas Hurtad. *par. 1. resol. moral. tract. 2. cap. 6. resol. 23. numer.* 258. Garzia *in sum. tract. 3. difficul. 8. dub. 3. par. 1. numer. 3. in fine.* Et in hanc sententiam videtur inclinare Amicus *tomo septimo, Cursus Theologiæ, disputatione 33. sectione 12. numero* 355. Et ita etiam ego ipse tradidi antea *in decis. Moral. decis. 50. num. 3.*

4 Dicendum est. *Altare portatile construi posse ex duobus lapidibus inuicem colligatis, qui claudi, & aperiri possint tanquam liber.* Ratio est. Quia circa constructionem altaris, siue fixi, siue portatilis non est aliquid introducendum tanquam necessarium, nisi quod est ex institutione Ecclesiæ, quia cum altare sit ex eius institutione ab ipsa quoque pendent omnia necessaria. Ex institutione autem Ecclesiæ non habemus, nisi quod sit lapideum non autem, quod fiat ex pluribus, vel vno tantum lapide. Vnde habetur quod S. Syluester solùm sanciuerit, quod deinceps altaria non essent, nisi lapidea, & in cap. *Altaria* 1. De *consecrat. dist.* 1. solum dicitur. *Altaria si non fuerint lapidea Chrismatis vnctione non consecrentur.* Ergo non est introducendum, quod altare non possit constare ex vnico tantum lapide. Præsertim quia si esset hoc adeo necessarium propter significationem fuisset aliquo modo expressum.

5 Confir. Altare non habet significare rationem materiæ alioqnin omnis petra significaret Christum, nec etiam quia accōmodatus sit lapis, vt aptus sit pro altari, quia sicuti ante consecrationem non est altare ita nec habet etiam significationem altaris. Ergo fundamentum significationis non debet se tenere ex parte materiæ Ergo si requiritur vnitas pro fundanda significatione: non erit necessaria ex parte materiæ.

6 Confir. 2. Altaria lignea, aut ex alia materia, quæ construebantur in primitiua Ecclesia conueniebant in ratione altaris, cum altaribus huius temporis, & proinde etiam in ratione significationis, quia erant instituta ad eundem vsum, & finem, & tamen non habebant hanc vnitatem, quæ modo requiritur in lapideo: sed erant tantum vnum vnitate artificiali: ergo pro significatione altaris non requiritur ista vnitas. Nec dici potest, quod significatio fundetur etiam in materia, quæ tanquam petra significet Christum, qui est petra, nam significatio, quæ se tenet ex parte materiæ determinari debet per formam, vt fit etiam in sacramentis, & proinde siue sit vnus, siue multiplex lapis determinabitur forma, vt tali, vel tali modo significet.

7 Confir. 3. Vnitas naturalis consequitur tantum res naturales, sicut artificialis res artificiales: ergo cum Ecclesia instituerit altare tanquam quid artificiatum si in ipso requisiuit pro significatione aliquam vnitatē; non potuit requirere nisi artificialem, quia debuit requirere proportionatam rebus institutis. Quod etiam ex eo deducitur. Quia in altari fixo altare non importat solum mensam, nec sola mensa sanctificatur, sed totum altare, vt proinde si mensa separetur ad inferiori: structura pereat consecratio altaris. Vnde etiam significatio cum fundetur in toto altari, & non in aliqua tantum parte fundabitur, non in sola mensa sed in tota structura; altare autem fixum, vt tale est, non est vnum vnitate naturali, sed tantum artificiali, & proinde Ecclesia non requirit in ipso aliam vnitatem præter artificialem.

8 Ad 1. Resp. Significationem altaris esse æquiuocam, nam vt habet D. Thom. 3. *par. quæst.* 83. *art.* 3. *ad* 5. Altare significat Christum vel sepulchrum Christi, quod fuit lapideum. Ex significatione autem, & mysterio æquiuoco non potest sumi argumentum efficax. Imò videtur melius significare sepulchrum, quia in ipso reponitur Christus immolatus, qui non debet reponi in seipso. Vnde etiam corporale, quod immediatius se habet, significat syndonem, qua Christi corpus fuit inuolutum, & positum in sepulchro. Imo melius significaret crucem, quia sicut Crux fuit altare in quo Christus seipsum obtulit in sacrificium, ita cum in altari modo offeratur in commemorationem sacrificij cuius aptius altare significaret crucem, in qua fuit facta immolatio. Sed retento, quod altare significet Christum congruentius significabit si constet ex duobus lapidibus inuicem colligatis; nam sicut Christus est vna persona ex duabus, aut in duabus naturis, itaut naturæ vniantur in vna persona, ita etiam altare esset vnum altare ex duobus lapidibus, aut in duobus lapidibus, nec maior vnitas debet requiri in signo, quam sit in significato. Vnde cum in Christo sit vnio naturarum distinctarum, non video cur ab altari, vt significet Christum debeat excludi omnis compositio, & vnitas artificialis. Hinc in aliis rebus significatiuis non interueniat totalis correspondentia. Sic baptismus significat sepulchrum Christi, & tamen licet Christus semel sepultus sit, potest ministrari cum trina immersione.

9 Ad 2. neg. Sequel. & minus extra rem inferretur quod eodem modo res se haberet, ac si hostia in vno altari consecraretur, & calix in alio nam dicere quod eodem modo res se haberet, ac si hostia in vna, & calix in alia Ecclesia consecraretur, est omnino ridiculum, cum tota consecratio peragatur in eadem Ecclesia, & ad summum prætendi posset pluralitas altaris; sed neque hoc prætendi potest, quia adest vnitas artificialis, & totum est consecratum sub vnica forma consecrationis.

10 Ad 3. Non posse allegari consuetudinem, quia licet secundum ipsam construatur altare ex vnico lapide, non tamen constat, quod sit consuetudo taxatiua & prohibitiua, ne fiat ex duplici lapide. Quod autem adsit consuetudo, quod non constet ex duplici lapide non potest affirmari ex eo, quod soleat constare, quia non vsus non inducit consuetudinem vt cum Burgensi *ad l. 1. Tauri numero* 164. notat Vasquez 1. 2. *disp. 177. capite 6. numero* 164. Quod sequitur ex natura consuetudinis, quæ constat ex communi actuum repetitione, & moribus vtentium introducitur cap. *Consuetudo, distinctione tertia*, & cap. *Ita nos vigesimoquinto, quæstione secunda.* Vnde de eo, de quo non sunt actus, non potest prætendi consuetudo.

11 Vnde cum simus in materia indifferenti, in qua quod non est prohibitum, censetur permissum, *l. Necnon, post init. ff. Ex quib. caus. ma.* & *l. 1. ff. de testibus*, & *l. Mutus*, §. *Quæritur, ff. de procurat.* & *l. Statuas, Cod. de relig. & sumpt. fun.* &

Cap. 1. *de translat. Prælat.* vbi Gloss. *verbo Non inuenitur*, & cap. *Cum illorum, de sent. excommunicat.* & cap. *Cum apud, de sponsal.* itavt etiam in dubio facienda sit interpretatio, quod non sit probibitum, vt obseruant Crauera *consil.* 203. *num.* 2. *lib.* 1. Anebaran. *consil.* 344. Menoch. *præsumpt.* 16. *num.* 2. *lib.* 6. Mascard. *de probat. conclus.* 1237. Ceual. *com. contra com. quæst.* 227. Sequitur, quod saltem ab initio, antequam introduceretur consuetudo, fuerit in vniuscuiusque potestate construere altare ex vno, vel duplici lapide, atque adeo quod consuetudo sit circa actum facultatiuum, qui poterat fieri, & non fieri, quia altare poterat fieri ex vno, & non ex vno lapide. Ex actibus autem facultatiuis per quodcunque tempus etiam immemorabile, vt tradunt communiter Doctores Calderin. *consil.* 1. & 3. *de consuetudin.* Dec. *consil.* 175. *numero* 6. vers. *Præterea.* Roland. *consil.* 53. *numero* 28. *libro secundo.* Sittd. *consil.* 127. *numero* 81. Bart. *in l. Quominus, numero vigesimoseptimo, ff. de flumin.* Menoch. *de arbitr. cas.* 160. *numero sexto.* Thesaur. *decis.* 16. *numero tertio, in fine.* Ludouis. *decis.* 162. *numero decimo.* Coccin. *decis.* 402. *numero decimo.* Merlin. *decis.* 106. *numero octauo.* Rota *decis.* 778. *num.* 5. *part.* 1. *diuers.* & *decis.* 356. *num.* 4. *part.* 2. *Recent.* Ex quibus constat, quod non possit allegari consuetudo, quia allegare consuetudinem, & non probare, quod sit obligatoria, & quod sit firma, & vniformis est tanquam si nihil allegaretur, quia nisi bas qualitates habeat, nullam vim habet.

12 Semper enim, ac allegatur consuetudo, excipi potest, quod non sit consuetudo obligatoria, quia non habet qualitatem necessariam, & proinde cum suis qualitatibus est probanda ab allegante, vt tradunt Doct. *in l.* 2. *C. Quæ sit longa consuet.* & *in l. De quibus, ff. De leg.* Glos. *in l.* 1. verb. *Probatis, dict. C. Quæ sit lon. consuet.* Corn. *cons.* 174. *n.* 5. *lib.* 2. Riminal. Sen. *consil.* 307. *n.* 16. Patis *consil.* 25. *n.* 28. *lib.* 1. Natta *consil.* 574. *num.* 14. Molin. *decis.* 353. *num.* 54. Rota *decis.* 255. *num.* 4. & *decis.* 524. *num.* 3. *par.* 1. *Recent.* & *decis.* 497. *num.* 2. *par.* 2.

QVÆSTIO 694.

Quibus modis construi possit altare portatile ex duobus lapidibus.

SVMMARIVM.

1. *Primus modus construendi altare portatile ex duobus lapidibus.*
2. *Altare portatile non habens vnitatem, nisi ratione capsulæ deberet in ipsa consecrari.*
3. *Secundus modus formandi altare portatile ex duobus lapidibus.*
   Si pereat nexus lapidum, perit consecratio altaris portatilis, & quid si plures sunt nexus.
4. *Altare portatile constare potest ex duobus lapidibus amouibiliter vnitis.*

1 CVm pro altari non requiratur ex parte materiæ alia vnitas quàm artificialis, vt constat ex dictis *in præcedenti quæst.* sequitur quod altare portatile tot modis formari possit ex duobus lapidibus, quot coniungi possunt vnione aliqua artificiali. Primò igitur modo formari poterit, si capsula lignea babeat in se immobiliter insertos duos lapides, qui ratione capsulæ claudi, & aperiri possint instar libri, ita tamen, vt maneant contigui, quando aperiuntur, alioquin non se haberent per modum vnius. Hoc enim modo fient vnum ratione capsulæ, in qua continentur. Et hunc modum ponit Thom. Hurtad. *par.* 1. *resolut. moral. tract.* 2. *cap.* 6. *resolut.* 23. *num.* 257.

Circa quem modum est aduertendum, quod huiusmodi altare portatile deberet consecrari insertum in capsula alioquin, cum lapides non habeant vnitatem, nisi ratione capsulæ, cum sint duo, non consecrarentur, vt vnum, sed vt duo altaria. An autem amitteret consecrationem si lapides extraherentur à capsula affirmatiuè resoluendum est cum Hurtado, *num. præced. cit.* Quia cum non habeant aliam vnitatem quam ratione capsulæ, in qua coniungũtur, amitterent suam vnitaté artificialem, atque adeo non esset amplius idem altare; pereunte autem subiecto perit consecratio, vt toties dictum est. Nec obstat, quod vterque lapis esset tantæ quantitatis, vt capere posset pedem calicis, & hostiam; nam hoc tantum facit quod quilibet possit seorsim ab alio consecrari, non autem, quod retineat consecrationem, quia neuter illorum lapidum est illud altare, quod erat prius. 2

Secundo formari potest altare portalite ex duobus lapidibus ad modum libri, si aliquo nexu ferreo aut alterius materiæ permanenti inuicem connectantur, vt possint claudi, & aperiri. Talis enim connexio ponit vnitatem artificialem quæ sufficiens est, vt sint vnum artificialiter. Est tamen aduertendum, quòd ista connexio deberet præcedere consecrationem, vt illi duo lapides consecrarentur per modum vnius. Atque adeo sit, quod si rumpatur iste nexus, pereat consecratio, quia perit vnitas, & altare resoluitur in partes, & non est amplius idem, quod erat prius. Quod si plures sint nexus, quibus lapides coniungantur, & pereat vnus, aut etiam alter ex ipsis videndum est, an adhuc conseruetur coniunctio artificialis, ita vt adhuc censeri possint vnum artificiale, quamuis cum imperfecta, seu diminuta connexione. Nam si adbuc perseuerant vnum artificiale, perseuerabit etiam consecratio; quæ peribit, si non perseuerat. 3

Tertiò formari poterit, si lapides absque capsula lignea, sed se ipsis immediatè, coniungantur coniunctione amouibili eo modo proportionaliter, quo in calice tornatili cuppa coniungitur pedi sicut enim coniunctio amouibilis non impedit, quin calix tornatilis non possit consecrari, licet sine tali coniunctione non esset instrumentum aptum pro sacrificio. Ita nec etiam impediat, quin possit consecrari altare, quia dato, quòd constare possit ex duobus lapidibus, sicut talis coniunctio sufficiet pro calice, ita etiam sufficit pro altari. Vnde tunc per separationem partium non amittet consecrationem, quia per separationem non destrueretur forma altaris, siquidem forma ipsa exigit hanc separabilitatem, & separationem tendit ad destructionem formæ, sed est secundum naturam ipsius. 4

QVÆSTIO 695.

An altare portatile amittat consecrationem quando remouetur à Capsula lignea.

SVMMARIVM.

1. *Altare portatile amittit consecrationem, si enormiter frangatur.*
2. *Non amittit, si frangatur in quatuor cornibus.*
3. *Altare portatile an amittat consecrationem, si remoueatur à capsula,* & num. sequentib.

5. Si

5. *Si consecretur altare cum aliqua structura lignea, materia lignea non participat consecrationem.*
6. *Capsula lignea non est pars altaris portatilis.*
7. *Cur fixum altare amittat consecrationem, si amoueatur ab inferiori structura, & non portatile, si amoueatur à capsula.*
8. *Licet capsula sit necessaria, vt altare portatile inseruire possit, non amittit consecrationem per separationem ab ipsa.*
9. *Si sigillum sit in capsula lignea, non perit consecratio per separationem lapidis ab ipsa.*

1 SVpponendum est. Altare portatile amittere consecrationem, quando enormiter frangitur, vt tradunt communiter. Ita Abbas *in cap. Ligneis, num.2. de consecrat. Eccles.* Tabiena *verbo* Altare, *num.7.* vers. *Secundò modo.* Syluester *quæst.*8. Armilla *num.*11. Nauar. *cap.*25. *Manual. num.*83. Henriquez *lib.* 9. *cap.*28. *num.*1. Azor. *part.*1. *lib.*10. *cap.*27. *quæst.*12. Vasquez 3. *part. disputat.* 233. *capite* 2. *numero* 13. Reginald. *libro* 29. *praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.*6. *num.* 192. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.*5. *tit.*10. *num.* 54. Hic enim modus amittendi consecrationem est communis tam fixo, quàm portatili, quia facit perire subiectum consecrationis, nam si fractura est enormis, facit saltem, quod non habeat eandem formam, atque adeo non sit idem altare.

2 Secundo supponendum est. Neque altare portatile amittere consecrationem, si frangatur in quatuor cornibus, quia militat eadem ratio, ac in altari fixo, quia licet vngatur in ipsis, totum tamen consecratur, & ideò cornua non sunt speciales partes, à quibus dependeat consecratio. Si igitur fractura non fit enormis remanebit consecratio. An autem amittat consecrationem, si remoueatur à capsula.

3 Prima sententia asserit, amittere consecrationem, si lapis remoueatur a capsula. Ita Palud. *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *artic.* 4. *conclus.*2. Durand. *lib.*1. *de diuin. offic. capite* 25. Astens. *libro quarto, sum. titulo* 14. *articulo* 4. Suarez vocans hanc opinionem securiorem *disputatione* 81. *de Eucharist. sectione quinta,* vers. *Tertiò additur.* Cùm limitatione autem Abbas *in cap. Ligneis, num.2. de consecrat. Eccles.* Angelus *verbo* Altare, *num.*2. quando scilicet lapis est ita paruus, vt de se non possit capere calicem, & hostiam. Fundamentum huius sententiæ est, quia in Cap.1. *de consecrat. Eccles.* altare amittit suam consecrationem si remoueatur à sua structura, nec distinguit text. de portatili, aut fixo: ergo etiam portatile amittet, si remoueatur à sua structura lignea.

4 Secunda sententia asserit, non amittere. Ita Abbas antiquus *in cap. Ligneis, de consecrat. Eccles.* Ioan. Andr. *num* 2. Tabiena *verbo* Altare, *num.7.* Syluester *num.6.* Armilla *num.* 11. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.*18. *num.*1. Azor. *part.* 1. *lib.* 5. *tit.* 10. *cap.* 27. *quæst.* 12. *in fine.* Layman. *lib.*5. *Theol. moral. tract.*5. *cap.*6. *num.*3. Vasquez 3. *part. disputat.* 233. *cap.* 2. *num.*15. Rodriquez *part.*1. *sum. cap.*249. *conclus.*15. *in fine.* Reginald. *libro* 29. *praxis fori pœnit. cap.* 9. *sectione* 6. *numero* 192. vers. *Cæterum.* Coninch *de sacrament. quæstione* 83. *artic.*3. *dubio* 2. *numero* 239. Palaus *part.*4. *oper. moral. tractatu* 22. *disputat. vnic. punct.* 9. *numero decimo.* Villalobos *part.*1. *sum. tract.* 8. *difficult.* 25. *num.*3. Lugo Cardin. *disput.*20. *de Eucharist. sect.* 2. *num.*70. Hieron. Rodriquez *in compend. quæst. regul. resolut.* 9. *numero* 10. Tamburio. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.*1. *cap.* 5. §.1. *num.*13. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 7. *quæst.* 3. *num.* 24.

Dicendum est. *Altare portatile non amittere consecrationem, licet remoueatur à capsula, in qua continetur.* Desumitur ex cap. *Altaria, de consecrat. distinct.*1. vbi statuitur, quod altaria lignea non consecrentur, sed solum, quæ constant ex lapide, & ideo, quando consecratur altare lapideum, cum aliqua structura lignea, totum id, quod est ligneum, non participat consecrationem, & consequenter, cum tota consecratio sit in lapide ex destructione, aut separatione partis ligneæ non perit consecratio. Quod verum est, etiamsi lapis in capsula lignea sit consecratus. 5

Confirmatur. Capsula lignea non est pars altaris, nam solum adhibetur ad maiorem commoditatem, vel etiam ad ornatum: ergo per separationem à capsula non destruitur altare, sed adhuc remanet secundum se totum in suo esse: ergo nulla adest causa, cur debeat perire consecratio, cum tantum pereat, vel ex motione, nempe dissolutione, & ex enormi fractione. Quod etiam ex eo constat. Quia si capsula pertineret ad constitutionem altaris non posset consecrari solus lapis sine capsula. 6

Ad fundamentum in oppositum resp. Quod licet text. non distinguant de altari portali, & fixo, debent tamen recipi secundum capacitatem subiectæ materiæ. Altare autem portatile non est capax, vt amittat consacrationem per motionem ob inferiori structura, quia non habet structuram inferiorem, quæ participare possit in consecrationem, cum sit lignea, dum autem non participat, lapis erit seorsim ab ipsa consecratus, & proinde non amittet consecrationem ab inferiori structura separatum. 7

Ex dictis colligitur. Quod, etiamsi lapis non possit capere calicem, & hostiam, neque etiam quoad maiorem partem, & proinde structura lignea sit necessaria, vt altare inseruire possit, neque adhuc amittet consecrationem ex separatione ab ipsa, quia neque in hoc casu structura lignea erit pars altaris participans in consecratione. Deinde si lapis non sit tantæ quantitatis; vt possit se solo capere pedem Calicis, & Hostiam, saltem quoad maiorem partem non poterit saltem licitè consecrari. Quia totum altare, quatenus inseruire potest pro sacrificio, debet esse lapideum. 8

Colligitur 2. Quod, etiamsi sigillum sit in ligno, siue lapis inseruiat loco sigilli, siue lignum, non amittere consacrationem, etiamsi lapis separetur à ligno, vt docent omnes ij, qui volunt, quod ex fractione sigilli altare non amittat consecrationem, quos in superioribus citaui contra eos, qui volunt amittere. Et ratio clara est, quia si sigillum spectaret ad altare, itavt eius consecratio ab ipso dependeret, sequeretur, quod pars lignea tanquam necessaria ad conficiendum sigillum, & ad suscipiendam consecrationem esset pars constitutiua altaris, quod est contra prohibitionem Ecclesiæ, ne altaria fiant ex ligno, & quod non consecrentur nisi lapidea sint, Cap. *Altaria, de consecrat. Eccles. distinct.* 1. Nec dici potest, quod non est totum ligneum, quia sufficit, quod pars aliqua sit lignea, quæ pertinent ad constitutionem altaris: vnde non consecraretur altare lapideum in ligno, vt dicit Tabiena *verbo* Altare, *num.*7. vers. *Quidam dicunt,* sed consecraretur altare, quod ratione compartis esset ligneum.

Digitized by Google

QVÆSTIO 696.

Per qualem fractionem altare portatile amittat consecrationem.

SVMMARIVM.

1. *Quæ sit enormis fractio in altari portatili*, & num. seq.
3. *Si fractura sit tanta, vt non censeatur amplius idem altare portatile, perit consecratio.*
4. *Læsio quando dicatur enormis.*
5. *Si parietes Ecclesiæ destruantur secundum maiorem partem, destructio est enormis.*
6. *Res sacra quando censeatur destrui.*
7. *Quando remaneat, vel non remaneat idem numero altare.*

1 CErtum est, quod amittat consecratinnem per fractionem enormem. Sed difficultas est, quænam dicatur enntmis fractura in altari pnrtatili. Recenciores ferè communiter putant, illam esse fracturam enntmem, quandn nulla para altaris portatilis remaner apta, vt possit capere pedem calicis, & hostiam saltem, quoad maiorem partem; si autem remaneat pars, quæ possit capere, ipsa retinebit consecrationem, quia fractura non est enormis. ita Suarez *disput.* 81. *de Encharist. sect.* 5. vers. *Tertiò additur.* Vasquez 3. *part. disput.* 233. *cap.* 2. *num.* 13. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 27. *quæst.* 12. Rndriquez *part.* 1. *sum. cap.* 249. *conclus.* 15. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 28. *num.* 1. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tractat.* 5. *cap.* 6. *num.* 3. Reginald. *lib.* 23. *praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 6. *numero* 112. Coninch *de sacrament. quæst.* 123. *art.* 3. *dub.* 2. *num.* 239. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 4. Lugo Cardin. *disput.* 20. *de Encharist. sect.* 2. *num.* 67. Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.* 9. *num.* 15. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 11. *num.* 52. Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 27. *num.* 25. Palaos *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disput. vnic. punct.* 9. *num.* 7. Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 9. *num.* 139. Francisc. Lugn *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 7. *quæst.* 3. *num.* 23. Faustus *de Encharist. lib.* 2. *de sacrific. Miss. quæst.* 212. Marchio. *de sacram. Ordin. tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 12. *num.* 2.

2 Alij tamen vnlunt, quod tunc factura sit enormis, quandn est tanta, quod peteat forma altaris. Ita Abbas *in cap. Quod in dubijs, num.* 1. *not.* 2. *de consecrat. Eccles.* D. Antnnin. 3. *part. tit.* 12. *cap.* 6. §. 9. Tabiena *verbo* Altare, *num.* 7. Syluester *quæst.* 8. Sà *num.* 1. & alij.

3 Dicendum est. *Altare portatile amittere consecrationem ex fractura, quando est tanta, vt non censeatur amplius idem altare, etiamsi remaneat pars apta ad capiendum pedem calicis, & hostiam.* Ratio est. Quia altare portatile amittit consecrationem ex fractura enormi, ex cap. *Quod in dubys, de consecrat. Eccles.* potest aotem esse enotmis, etiamsi remaneat pars apta, vt de se inseruiat prn altari. Ponamus enim, quod altare pnrtatile sit tantæ magnitudinis, vt si lapis secaretur, possent fieri tria, aut quatuor altaria sufficientia, & qund frangatur in quatuor partes, aut æquales, ant inæquales, quatum singulæ capiant pedem calicis, & hnstiam, saltem quoad mainrem partem, tunc fractura esset enormis, & tamen nnn perderetdr cnnsecratin altaris, imò multiplicaretur, quia sicut fierent quatuor altaria, ita etiam essent quatuor consecratinnes.

4 Quod autem sit ennrmis fractura, patet ex proportione ad læsionem enormem, tunc enim læsio dicitur enormis, quandn est sopra sextam partem, *l. Vnde si Nerua, ff. Pro socio*, & notat Bar. *in l. Societatem, §. Arbitrorum, eodem tit.* Vel saltem si sit vltra dimidiam partem, *l.* 2. *Cod. de rescind. vendit.* vbi Bald. *init.* & rursus idem Bald. *in l.* 2. §. *Sed etsi quis, C. Communia de legat.* & communiter. Constat autem, quod, si lapis diuidatur in quatuor partes, licet remaneant apiæ prn sacrificio, læsio erit enormis, quia non remanebit integra medietas lapidis.

Cnnfirm. Si parietes Ecclesiæ destruentur secundum maiorem partem, est enormis destructio, per quam Ecclesia amittit cnnsecrationem, quamuis pars, quæ remanet, adhuc sit apta, vt in ea celebrentur nfficia diuina, quia non attenditur id, quod remanet, an sit aptum vsui, prn quo prius inseruiebat, sed id, quod destruitur. Sic etiam, si in altari fian mensa semoueatur à stipite amittitur consecratin, licet remaneat apta sicut erat prius pro sacrificiis nfferendis: ergo neque in altari attendi debet an quod remanet, possit amplius inseruire prn nfferendn sacrificio, sed quod per fractionem destruitur, an scilicet sit notabilia pars, ita vt reddat fracturam enormem. 5

Confirm. 2. Ea principio receptn in hac materia. Quando quocunque modo destruitur res sacra, aut benedicta perit etiam cnnsacratio, aut benedictin, quamuis remaneant partes aliquæ illius. Et tunc censetur perire, quando ita mutatur, vt nno habeatur amplius pro illa eadem, quæ erat prius: ergn quando fractin altaris portatilis est talis, vt non relinquat idem numero altare, peribit consecratio, licet remaneant partes aptæ, ad inseruiendum prn sacrificio. Quis enim dicat partem palmarem esse idem altare, quod prius, quaodo erat quadtipalmare. 6

Cæterum hic insurgit difficultas. Quando censendum sit remanere, vel non remanere idem numero altare. Et quamuis hoc potius relinquendum sit prudenti iudicin decernendum potest tamen tradi aliqua regula, vnde hoc dignosci possit. Et prima ex parte quantitatis, si enim ea fractione detrahatur tertia pars, aut vltra, cum hæc destructio importet notabilem mutationem in quantitate non relinquet idem numern altare, sed habebitur potius pro parte eiusdem altaris. Altera regula est. Qund nnn sic idem altare, quando est facta ratinne fractinnis talis mutatio, vt qui vidisset antea integrum, modo ex inspectione tntius non recognosceret pro eodem. Dixi ea inspectione tntius, quia fieri posset, quod recngnosceret ea inspectinne alicuius signi prænntati. Hæc autem regula in eo fundatur, quod si per factinnem est facta talis, & tanta mutatin, vt nnn possit pro eodem recognnsci, nportet, quod sit enormis, siquidem tollit speciem, & formam, vnde seorsim ab aliis cognoscebatur, quod importat quandam distinctinnem subiecti. 7

QVÆSTIO 697.

An polluta Ecclesia polluatur altare portatile.

SVMMARIVM.

1. *Si altare amittat consecrationem, non amittit Ecclesia: nec è contra.*
2. *Polluta Ecclesia polluuntur altaria fixa.*
3. *Polluta Ecclesia non polluitur altare portatile.*
4. *Altare portatile non communicat cum Ecclesia, vt pars ipsius.*

5. *Si*

Digitized by Google

5. *Si Altare portatile sit firmatum in structura Altaris neque adhuc polluatur polluta Ecclesia.*
6. *Polluto altari portatili intra Ecclesiam, polluitur etiam Ecclesia.*

1 SVpponendum est tanquam certum. Quod si altare amittat consecrationem, non per hoc eam amittit Ecclesia, vt expressè decernitur in cap. 1. *de consecrat. Eccles.* Et etiam è contra, si Ecclesia amittet consecrationem non amittet altare, dummodo non moueatur, nec enormiter frangatur. Ratio verò est, quia diuersa est vtriusque consecratio, & separabiliter consecrantur, & ideò consecratio vnius non dependet à consecratione alterius. Quod habet locum etiam in Altari Maiori quando simul consecratur cum Ecclesia; nam licet consecratio vnius intermisceatur consecrationi alterius, adhuc tamen est diuersa secundum propriam formam.

2 Supponendum 2. Quod polluta Ecclesia polluitur quoque altare, siue vnum, siue plura in ipsa existant, vt docent communiter Abbas *in cap.1.num.1.de consecrat. Eccles.* & *in cap. Propofuisti, num.*10. *eod. titul.* Tabiena *verbo* Altare. *num.*9. Angel. *num.* 4. Syluest. *num.*7. Armilla *num.*12. Azot. *part.* 1. *lib.*10. *cap.*10. *quæst.*14. Lezana *in sum. verb.* Altare. *num.* 11. Pax Iordan. *tom.*1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 10. *num.* 55. Franc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 7. *quæst.* 3. *num.* 31. Hoc autem inde prouenit. Quia consecratio afficit materiam immediatè, & ideò non perit, nisi pereat res consecrata. At pollutio, cum consistat in actu irreuerentiali contra sanctitatem loci, non afficit materiam, sed ipsum locum per modum vnius, atque adeò se extēdit ad omnes partes loci, quatenus communicant cum ipso, altare autem fixum est pars Ecclesiæ. Hinc etiam ad reconciliationem Ecclesiæ remanet reconciliatum. Difficultas ergo superest de altari portatili.

3 Dicendum est. *Polluta Ecclesia non pollui Altare portatile.* Ita Tabiena *verbo* Altare. *n.*9. Syluest. *n.*7. Angelus *n.*4. Armilla *n.* 12. Miranda *tom.*2. *Manual. quæst.* 39. *art.*7. Fusch. *lib.*1. *de visit. c.*22. *n.*7. Barbos. *de potest. Episc. alleg.*27. *n.*16. Franc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. c.*7. *q.*3. *n.*31. Pax Iordan. *tom.*1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.*10. *n.*55. *verf. Portatile verò.* Panorm. *in cap. Propofuisti. de consecrat. Eccles.* & cæteri Canonistæ cum Gloss. *in cap. Ecclesia. de consecr. dist.*1. Vnde polluta Ecclesia, potetit extra ipsam Ecclesiam in ipso celebrari.

4 Ratio est, quia eò ipso, quod est portatile, non est incorporatum loco, sed habet ex sua institutione, quod possit huc, & illuc transferri. Et ideò cum non communicet cum corpore Ecclesiæ tanquam pars illius, nec etiam subiacet accidentibus, quibus subest Ecclesia, sed se habet tanquam quid extraneum, quod per accidens tunc reperiatur in Ecclesia, sed ad ipsam non pertineat; præsertim quia non inseruit Ecclesiæ, sed inseruit offerenti sacrificium.

5 Hanc doctrinam limitat Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 10. *num.* 56. vt non habeat locum, quando altare portatile reperitur inclusum in altari, ac in eo firmatum plumbo, aut alia materia. Quia tunc non videtur adesse per accidens, sed principaliter, & perpetuò. Verum non est admittenda limitatio. Quia, quamuis ita firmatum sit in altari non consecrato, id tamen non est factum publica auctoritate, & ex vi consecrationis, vt contingit in altaribus fixis, sed tantum priuato modo. Et proinde non censetur incorporatum Ecclesiæ tanquam pars illius, quia priuata auctoritas non præualet eius publicæ consecrationi, qua consecratum est tanquam mobile, & transferibile de loco ad locum, & ideò ratione suæ consecrationis semper retinet, quod non possit incorporari certæ Ecclesiæ.

Est tamen aduertendum, quod licèt Polluta Ecclesia non polluatur altare portatile, polluto tamen huiusmodi altari, si intra Ecclesiam existat, polluitur etiam Ecclesia, non quia pollutio altaris redundet in Ecclesiam, quia cum non communicet cum ipsa, nec etiam potest refundere pollutionem, sed quia actio polluitiua ita fit circa altare, vt tamen fiat intra Ecclesiam; & ideò immediatè se extendit ad Ecclesiam, & altare, & circa vtrumque parit suum effectum. Vt enim polluatur Ecclesia, sufficit, si actio polluitiua intra ipsam contingat, vt dictum est suo loco. 6

QVÆSTIO 698.

An si excommunicatus, denunciatus, degradatus Schismaticus celebret super Altare polluatur.

SVMMARIVM.

1. *Altare non polluitur ex celebratione super ipso ex excommunicatis, &c.*
2. *Pollutio Ecclesiæ, aut Altaris non habet locum, nisi quando ius eam inducit.*

DIcendum est. *Altare siue portatile, siue fixum non pollui ex eo, quod in eo offerat sacrificium quicumque Sacerdos prohibitus offerre siue excommunicatus denunciatus, siue Schismaticus, siue degradatus.* Ita Gloss. *in cap. A nobis.* verbo *Altaria. de sacram. non iterandis.* Tabiena *verbo* Altare. *num.*11. Syluester. *num.* 6. Armilla *num.* 11. Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 4. *casu* 4. *in fine.* 1

2 Ita autem statuitur in dict. cap. *A nobis, de sacramentis non iterandis:* nam cum Archiepiscopus Londonens. requisisset ab Honorio III. Quid faciendum de altaribus, in quibus degradati Presbyteri celebrauerant. Respondet non deberi ob hanc causam altaria reconsecrari. Ratio autem est. Quia pollutio est introducta de iure Ecclesiastico, & ideò non debet admitti, nisi in casibus, in quibus est expressa. Non est autem expressum, quod polluatur Ecclesia ex eo, quod aliquis ex supradictis in ea celebret, quia nullus text. pro hoc afferi potest, & in textibus in quibus agitur de pollutione, non fit aliqua mentio de hac causa. Et consequenter neque etiam locum habebit, quoad altare, quia polluitur tantum ex iis causis, quibus polluitur Ecclesia, vt notant Syluester *verbo* Altare. *quæst.* 11. *in fine.* Armilla *num.* 12. *in fine.*



DE NECESSITATE ALTARIS PRO OFFERENDO sacrificio.



CVM ea, quæ spectant ad constitutionem, & consecrationem Altaris explicata sint superest, vt de illius necessitate in ordine ad sacrificium tractemus, vsus autem Altaris pro sacrificio est antiquissimus nam ortum habuit in lege naturæ sub lege Scripta, & sub lege noua Euangelica vsque ad hæc nostra tempora.

QVÆSTIO 669.

An Altare sit necessarium pro oblatione sacrificij.

SVMMARIVM.

1. *Altare est necessarium pro oblatione sacrificij.*
2. *Et ita statuitur in iure.*
3. *Necessitas Altaris pro sacrificio habet fundamentum in dictamine naturæ.*
4. *Offerre sacrificium, & non in Altari est peccatum mortale.*
5. *Et contra honorem debitum Deo.*
6. *Celebrare in Altari notabiliter fracto est peccatum mortale.*

Quid si sit fractum, sed non notabiliter.

1 Diceodum est. *Altare esse necessarium pro oblatione sacrificij.* Ita communiter D.Thom. 3. *part. quæst.*83. *art.*3. *ad* 2. *in fine.* Arcbidiacon.*in cap. Missarum. de consecrat. distinct.*1. Innocent. *in cap.* 1. *de consecrat.Eccles.*Abbas *in cap.fin. num.* 3. *eodem. tit.* Palud. *in* 4. *distinct.*13. *quæst.*2. *art.*4.*conclus.*2. Scot. *quæst.*2. *art.* 2. §. *Hinc autem.* Sotus *quæst.* 2. *artic.* 3. *argum.*2. *dict.*5. Tabiena *verbo* Missa. *num.*8. Angel. *num.*4.Syluester. *quæst.* 5. Armilla *verbo* Altare. *n.*4. Azor.*part.*1.*lib.*10. *cap.*27. *quæst.*1. Henriquez *lib.*2. *sum.cap.*28 *n.*1. Vasquez 3.*part.disput.*233.*cap*.... *dict. num.* 12. *in fine.* Suatez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.*5. §. *vltimo* Rodriquez *part.*1 *sum. cap.*239. *conclus.* 16. Reginald. *lib.*29. *Praxis fori pœnit.cap.*9.*sect.*6. *n.*188. Palans *part.* 4. *oper. moral. tractat.* 22. *disputat. vnica punct.* 9. *quæst.*1. Dicast. *de sacrament. tractat* 5. *disp.*5. *quæst.* 10. *dub.*3. *num.*44. Caspens. *tom.*2.*Curs. Theol. tractat.* 23. *disp.* 3. *sect.* 4.*num.*75. Trullench. *lib.* 3. *de sacrament. cap.*8. *dub.*16.*num.* 2. & alij infraciraudi *num.*4.

2 Hoc autem desumitur ex iure in cap. *Concedimus. de consecrat. dist.* 1. vbi in necessitate conceditur facultas extra Ecclesias, aut subdio, aut in tentoriis, si tameo adsit tabula consecrata, ibi. *In itinere verò positis si Ecclesia defuerit sub dio, seu in tentoriis si tabula altaris consecrata cæteraque necessaria adfuerint Missarum solemnia celebrari concedimus, aliter omnino intercedimus.* Ex quibus constat, quod licet dispensetur celebrare Missam extra loca deputata, non tamen dispensatur, vt celebretur sine altari.

3 Dicendum 2. *Licet necessitas altaris proueniat ex iure positiuo, habet tamen fundamentum in dictamine naturæ.* Quatenus scilicet dictat, quod ad decentiam illius cultus, qui defertur Deo, post sacrificium requiritur altare. Quod sit institutione Ecclesiæ, constat tam ex text.citat. *num. praceden.* tam ex aliis præsertim cap. *Altaria* 1. *&* 2. *ead. distinct.* 1. *de consecr.* & constat etiam ex praxi: Quod autem hæc institutio habeat fuodamentum in dictamine oaturæ, etiam ex eo constat, quod sub lege naturæ, vbi nulla fuit institutio, præter illas, quas dictabat lumen naturale, institutum fuit altare pro offerendo sacrificio. Fundatur aotem dictamen naturale in eo, quod Deo est debitus omois honor possibilis, & proinde est necessarium quod quaodo illi exhibetur supremus cultus sacrificij, exhibeatur eo honorificentiori modo, quo exhiberi potest; locus autem & instrumentum super quo offeratur sacrificium honorificentiori modo se habet, si sit ad hunc specialiter deputatum, quàm si etiam inseruiat aliis vsibus, quia hoc pacto osteoditur, Deom magoi fieri ab omni alio vsu, imò cederet in contemptum Dei, si extra necessitatem in loco vili, vt super tabula, aut alio instrumento inseruiente vsibus vilibus offerretur sacrificium. Coofirm. Si quis offerret Principi muous aliquod, ipsumque deferret vili aliquo vase offeoderetur Princeps, & eò magis, quo pretiosius esset munus, quia offerens ostenderet, parui facere Principem: ergo offenderetur etiam Deus, si offerretur sacrificium super vili, & sordido instrumento. Et proinde pertinet ad honorem, si offeratur super altari specialiter deputato.

Dicendum 3. *Esse peccatum mortale, & graue offerre sacrificium sine altari consecrato.* Ita communiter Sotus *in* 4.*dist.*13.*quæst.*2.*art.*3.*argum.*2.*dict.*5. Nauar. *cap.*25. *Manual.num.*83. D.Antonin. 3.*part.tit.*13.*c.*6. §.6. Syluester *verbo* Missa, *quæst.* 2. ver. *Tertium* Tabiena *num.*11. Angel.*num.*36. Armilla *n.*6. Rodriquez *part.*1.*sum.cap.*249. *conclus.*16. Henriqoez *lib.*9.*sum. cap.*18. *num.*1. Vasquez 3.*part. disput.*237.*cap.*2. *n.*12. Suarez *disput.*81.*de Eucharist. sect.*5. §.*vlt.* Faeundez *precept.*1. *Eccles.lib.*3.*cap.*22. *num.*4. Reginald. *lib.*29. *Praxis fori pœnit.cap.*9.*sect.*6.*num.*188. Palaus *part.*4. *oper. moral. tractat.* 22. *disput. vnic. punct.* 4. *num.* 1. Bannes *tom.*4. *disp.* 5. *quæst.* 10. d[illegible] 3. *num.* 44. Caspens. *part.*2. *Curs. Theol.tractat.*23.*disp.*3.*sect.*4. *n.*75. Faust. *de Eucharist. lib.* 2. *de sacrific. Miss. quæst.*211. Garzia *in summ. tractat.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 3. *punct.*11. *num.*5. Fernandez *part.*3. *examin.Theol. moral.cap.*5. §. 11. Leander *de sacrament. quæst.* 83. *art.* 3. *dub.* 2. *num.*238. Tamburin. *opusc. de sacrif. Miss. lib.* 1. *cap.* 5. §.1. *num.*1. Quartus *in Rubr. Miss.part.*1. *tit.*20. *dub.* 1. ver. *Dico secundò.* 4

Ratio autem est. Quia in rē graui fieret contra institutionem Ecclesiæ; & quæ inuiolabiliter seruatur, ita vt quisque apprehendat tanquam graue crimen celebrare sine altari. Rursus fieret contra honorem debitum Deo in offerendo sacrificio; quia cum modo, non solùm debeatur ex dictamine naturæ, vt dictum est *num.*3. sed etiam ex determinatione Ecclesiæ, eò grauius læditur Deus, quò magis obseruantia exigitur; si quidem voluntas esset adeò peruicax, vt neque ex dictamine naturali, neque ex prohibitione Ecclesiæ cobiberi posset. Vnde peccatum esset ex pura malitia, & ex pura dispositi ooe erga diuinum cultum. 5

Ex dictis colligitur eum Nauarro *cap.* 25. *Manualis, num.*83. Henriquez *lib.*9. *summ.cap.*28. *num.*1. Faeundez *precept.*1.*Eccles.lib.*3. *cap.*22.*n.*4. Fausto *de Eucharist.lib.*2.*de sacrif. Miss.quæst.*212. & aliis ex citatis supra *num.*1. *&* 4. Esse peccatum graue celebrare in altari ootabiliter fracto. Qoia idem est, ac si celebraretur in altari non coosecrato. Celebrari autem io altari non consecrato, quamuis non sit adeò graue, ac si celebraretur, omnino sine altari, est tameo mortale, quia adhuc est contra præceptum Ecclesiæ, & contra honorem debitum Deo in illa actione. Quod autem idem esset, ac si celebraretur in altari oon consecrato, ex eo constat, quia altare per notabilem, seu enormem fractionem amittit consecrationem, vt dictum est suo loco. 6

Ao autem, si altare sit quidem fractum ootabiliter, sed oon vsque adeò, vt amiserit consecrationem, vt in singolis cornibus esset fractum turpi fractura, esset peccatum mortale celebrare in ipso, videtur affirmatiuè resoluendum ex eo, quod sit peccatum mortale celebrare eum vestibus sacris notabiliter laceris, quamuis non amiserint formam, atque adeò nec consecrationem, Credo tamen non esse peccatum mortale, quia est diuersa ratio, ac de vestibus; nam vestes laceræ redundant in ignominiam inducentis, atqoe adeò etiam Dei, Saeerdos coram Deo se sistit in tanto ministerio sic vestitum, sicut si quis coram Principe compareret io aliqua principali, & publica functione, 7

functione, laceris vestibus indutus. At quia altare tegitur tabuleis, & proinde absconditur facture, non resultat talis igoominia.

QVÆSTIO 700.

An antequam Sacerdos celebret prima vice in Altari; teneatur explorare, an sit consecratum, integrum, &c.

SVMMARIVM.

1. *Celebrans prima vice in aliquo Altari, non tenetur explorare, an sit consecratum.*
2. *Altare expositum celebrationi præsumitur habere necessaria requisita.*
3. *Quid si Altare non habeat consueta ornamenta.*
4. *Non facile celebrandum in altaribus sita in Capellis prope aliqua diuersoria.*

1 HOc contingere potest, quando Sacerdos celebrat in aliquo altari, in quo non amplius celebrauit, nec habet notitiam de consecratione, integritate, &c. Dicendum est, *Non teneri explorare an Altare sit consecratum, aut integrum, &c. sed sufficere si sit expositum celebrationi, atq; adeò quod ij ad quos pertinet cura Ecclesiæ faciant in ipso celebrare.* Ita Sotus *in 4. dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 3. *in fine.* Victoria *in sum. tit. de . euchariſt. num.* 98. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 27. *quæst.* 11.

2 Ratio est. Quia eo ipso, quod altare est expositum, vt in ipso possit celebrari, debet præsumi, quod habeat necessaria requisita, vt in eo possit offerri sacrificium: nam cum in exponentibus, nec ignorantia præsumatur, nec malitia, præsumendum quoque est, quod non exponant altare, in quo offeratur sacrificium, nisi habeat necessaria requisita. Imò oppositum sentire, esset temere indicare de ipsis, quia non adest fundamentum ad ita sentiendum.

3 Ex dictis colligitur, quod si aliqua altaria, licet in Ecclesia sita, non haberent consuetum ornamentum, quod inseruit pro celebratione, & præcipuè mappas, non deberet quis in iis offerre sacrificium, nisi prius exploraret, an essent consecrata. Quia defectus ornamenti præberet sufficiens motiuum dubitandi, an essent destinata.

4 Colligitur 2. Non esse de facili celebrandum in altaribus constitutis sub aliquibus Cappellis, quæ erectæ sunt prope aliqua diuersoria; cum fieri possit, quod consecrata non sint, aut patiantur aliquem alium defectum, ratione cuius in ipsis celebrari non possit. Et ideò in tali casu necessaria erit exploratio, quia locus præbet motiuum sufficiens dubitandi, præsertim cum vt plurimum hæc altaria sint sub cura cauponum, aut aliarum similium personarum.

QVÆSTIO 701.

An ex metu liceat celebrari sine altari consecrato.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium offerri in altari consecrato est solum de iure Ecclesiastico.*
2. *In contemptum religionis ex nullo metu licet celebrare sine altari.*
3. *Secluso contemptu religionis, an liceat celebrare sine altari.* & nom. seq.
5. *Pro vitando periculo mortis aut alio graui damno licet celebrare absque altari.*
6. *Lex humana non potest obligare ad ea, quæ sunt contra ius naturalis defensionis.*
7. *De iure naturali seruanda lex licèt cum aliquo leui damno.*
8. *Concurrente obseruantia legis non notabili damno, non obseruare cessat esse peccatum.*
8. *Concurrente obseruantia legis non notabili damno, non obseruare cessat esse peccatum.*
9. *Lex humana quomodo obliget in ordine ad bonum commune.*
10. *Celebrare sine altari ex metu an contineat irreuerentiam.*
11. *Ad vitandum graue damnum potest offerri sacrificium sine calice consecrato, corporali, vestibus benedictis, &c.*

SVpponendum, quod quamuis præceptum offerendi sacrificium sit de iure diuino, quod tamen offeratur cum hoc, vel illo ritu, prouenit ex institutione Ecclesiæ, & ideò, quod offeratur in altari consecrato, est solum de præcepto Ecclesiastico; licèt enim dictamen naturale ostendat, quod debeat offerri in loco ad hoc specialiter deputato ita exigente reuerentia, & honore debito Deo, quod tamen ista deputatio fiat per consecrationem, & ex institutione Ecclesiæ, & proinde nihil participat de obligatione diuina. 1

Supponendum 2. Quod si quis metu induceretur ad celebrandum sine altari in contemptum Catholicæ Religionis, deberet potius mortem subire, quàm ita celebrare, vt communiter docent in generali, quod non liceat facere prohibita, quando exiguntur in odium Religionis. Ita Sotus *lib.* 1. *de Iust. & Iur. quæst.* 6. *art.* 4. *in fine corp.* Medina t. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. Aragon. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. *dub.* 1. *circa solut. ad* 4. Suarez *disput.* 5. *de censur. sect.* 6. *num.* 7. & *lib.* 3. *de legib. cap.* 30. Azot. *lib.* 1. *cap.* 11. *quæst.* 11. *tom.* 1. Sanchez *lib.* 1. *sum. cap.* 18. *num.* 6. & alij præsertim infra citandi, qui loquuntur in hoc casu speciali. Ratio autem est, quia tunc non vrget solum præceptum contra quod procedit, quod metu incusso exigitur, sed etiam aliud præceptum negatiuum obligans ad non facienda ea, quæ cedunt in contemptum Religionis, nam hæc contionet quandam virtualem, seu interpretatiuam negationem fidei in actu exteriori. In dubio tamen an exigeretur in contemptum fidei, cessaret huiusmodi obligatio, quia præsumi posset, quod non exigeretur in fidei contemptum. 2

Prima sententia asserit, non licere ex metu celebrare Missam absque Altari, Calice, Corporali, lumine, vestibus Sacerdotalibus, aut aliis requisitis de iure positiuo, Ita Caiet. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. §. *Sed hanc opinionem. vet. Similiter Sacerdos*, qui hoc vniuersaliter docet in quatumcumque alia materia, quæ sit de iure positiuo fundamentum est. Quia lex humana obligat ad mortale; & proinde facit, quod actus sit peccatum mortale: ergo magis obligat ad vitandum talem actum, quam mortem corporalem. Secundo. Quilibet homo tanquam pars communitatis est propter bonum communitatis: ergo cum lex respiciat bonum communitatis, habet potestatem supra quemlibet hominem, & potest obligare vitam ipsius propter bonum communitatis. 3

Secunda sententia asserit, ex metu mortis, aut alterius grauis damni posse celebrari sine altari, & in genere, quod lex humana non obliget cum periculo vitæ, 4

vitæ, aut alterius grauis damni, quando est lex pure humana, tradunt communiter. In præsenti autem casu ita sentiunt Axor. *tom. 1. lib. 1. cap. 11. quæst.* 11. Vasquez 1. 2. *disput.* 161. *cap.* 3. *num.* 65. Becan. *tractat.* 3. *cap.* 6. *quæst.* 4. *num.* 8. Valent. *tom.* 2. *sum. disput.* 7. *quæst.* 5. *punct.* 6. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 20. *dub.* 7. ver. *Respondeo & dico secundo.*

5 Dicendum est. *Ad vitandum periculum mortis, aut aliud graue damnum, licere celebrare sine altari consecrato.* Nomine autem damni grauis in præsenti materia intelligitur, non cuiuscunque grauitatis, sed grauitatis extraordinariæ, vt est mutilatio, amissio fortunarum, aut maioris partis, deiectio à statu aut quid æquipollens. Rursus etiam intelligitur, dummodo non offeratur sacrificium cum irreuerentia, vt si offerretur super tabula immunda aut in loco immundo, quia irreuerentia tanquam intrinsecè mala non potest ex aliquo capite honestari.

6 Ratio autem est. Quia ius naturale dat vnicuique facultatem tuendi propriam vitam, & auertendi à se omne malum, & consequenter non potest lex humana priuare aliquem tali facultate; vnde, vt omnia iura clamant, non potest lex humana prohibere defensionem, quod vis vi non repellatur: ergo non potest exigere aliquid, quòd aliàs non sit debitum ex iure diuino, aut naturali, nec prohibere, quod aliàs non sit malum contra hanc facultatem concessam à iure naturali. Quia percipiendo, aut prohibendo, excluderet vsum d. facultatis & se opponeret iuri naturali, quod facere non potest; quia in tantum habet vim, in quantum descendit à iure naturali: ergo in omni præcepto, & prohibitione non intendit obligare contra dictam facultatem, alioquin excederet terminos propriæ potestatis, & proinde nulliter procederet: ergo cum lex de vsu altaris consecrati sit purè Ecclesiastica, atque adeò humana non obligabit in casibus, in quibus ius naturale dat facultatem auertendi à se notabile damnum.

7 Dices. Cum de iure naturali auerti possit quodlibet damnum etiam minimum, sequeretur, quod etiam pro vitando minimo damno, posset celebrari sine altari consecrato. Resp. neg. sequel. Quia licèt ius naturale det facultatem auertendi à se quodlibet damnum, etiam minimum, & proinde auerti possit, nisi aliud obstet, adhuc tamen obligat singulos tanquam membra communitatis ad cooperandum in iis, quæ concernunt bonum communitatis, qualis est obseruantia legum, & ideò concurrente dicta obseruantia cum damno non multum graui, ius naturale obligat ad præferendam obseruantiam. Si autem damnum sit notabile, non obligat, quia tunc lex venit ad casum in quo non potest obligare, nam ita debet respicere bonum communitatis, vt tamen non tendat ad destruenda membra communitatis, quia tunc non esset in commodum, sed in destructionem communitatis. Tendit autem quoties seruari non poterit absque periculo vitæ aut alterius damni notabilis, etiam quoad bona externa; quia sicuti hæc faciunt ad conseruationem membrorum, ita eorum destructio facit ad ipsorum, destructionem.

8 Ad 1. Resp. procedere ex falso præsupposito. Quod scilicet concurrente obseruantia legis, cum notabili damno, adhuc sit peccatum mortale illam non obseruare, & quod lex obliget in tali casu. Constat autem ex dictis, quod nec obligat, nec potest obligare, & ideò non obseruantia in tali casu non est peccatú mortale. Certum est enim, quod tam de iure diuino, quàm de iure naturali mors est potius obeunda, quàm committendum peccatum mortale; & falsum est, quod peccatur mortaliter non seruando legem, quando seruari non potest, sine notabili damno, & præsertim sine expositione propriæ vitæ.

Ad 2. Legem humanam posse obligare homines 9
in ordine ad bonum commune, sed secundum mensuram exigentiæ eiusdem boni. Bonum autem communitatis non exigit, quod propter obseruantiam cuiuscumque legis, & in omni casu exponant homines propriam vitam, aut habeant notabile damnum; nam & ipsi homines sunt propter bonum communitatis, itavt sine ipsis non possit subsistere dictum bonum, & proinde exigit eorum vitas, & fortunas conseruari. Quod satis ex eo constant, quod omnes ferè leges feruntur propter ipsorum, vitas & fortunas conseruandas in bono statu. Vnde exigit vitam hominum, & eorum fortunas præferri obseruantiæ legis, quando maius bonum in ipsis conseruatur communitati, quam proueniat ex obseruantia legis. Quod quando contingas non potest certa regula definiri, sed diuersimodè est discurrendum iuxta diuersitatem legum, & damni ex ipsarum obseruantia emergentis.

Obiicies. Celebrare sine altari consecrato, & mul- 10
tò magis sine altari continet irreuerentiam: ergo cum hæc sit intrinseca mala, nunquam euadet licita, & proinde nunquam licebit celebrare sine altari. Resp. neg. quod in tali casu contineat irreuerentiam positiuam, seu actum irreuerentem. Nam actus de se solum caret illa reuerentia, & honore, qui in modo offerendi sacrificio est Deo exhibendus, ex determinatione Ecclesiæ: hæc autem carentia in his circunstantiis non est irreuerentia, quia institutio Ecclesiæ eam non iniunxit hic, & nunc, & ideò non permittitur aliquid debitum, atque adeò actus nó caret aliqua perfectione sibi debita, vnde in ipso consurgat irreuerentia aliqua.

Ex his sequitur, quod ob eandem causam offerri 11
poterit sacrificium absque Calice consecrato, & à fortiori absque corporali benedicto, & vestibus sacris benedictis, quia militat eadem ratio, quod lex humana non obliget, in his casibus, & à fortiori id habet locum quoad vestes, & corporale, quia tantum simplici benedictione benedicuntur; vnde in ipsis omittitur aliquid minus, quàm omittatur in altari, & calice. An autem liceat sine vestibus Sacerdotalibus offerre sacrificium suo loco examinabitur.

QVÆSTIO 702.

An ratione necessitatis liceat offerre sacrificium sine altari, vbi non est liberum exercitium Religionis Catholicæ.

SVMMARIVM.

1. *Necessitas celebrandi sine altari est diuersa in locis Catholicis, ac in aliis.*
2. *Vbi non est liberum exercitium Religionis Catholicæ, licet offerre sacrificium sine altari, &c.*
3. *Lex non obligat, nisi quatenus est possibilis.*
4. *Deficiente altari an potius abstinendum ab oblatione sacrificij.*
5. *Cultus exhibendus Deo per sacrificium præualet reuerentiæ, quæ consurgit ex oblatione in altari consecrato.*

NEcessitas huiusmodi considerari potest, & prout 1
occurrit in loco, in quo adest liberum exercitium Religionis Catholicæ. Et prout occurrit in loco,

loco, in quo non est liberum huiusmodi exercitium. Adest enim inter vtrumq; locum notabile discrimen; nam cum necessitas huiusmodi oriatur ex carentia altaris, in loco, in quo adest liberum exercitium fidei Catholicæ, potest breui durare, quæ facile prouideri potest de altertari,& ideò non potest oriri necessitas, nisi ex aliquo inopinato casu. At in locis, in quibus exercitium Religionis Catholicæ non est liberum, vt in locis Infidelium, & Hæreticorum potest longo tempore durare,& non solum per menses, sed etiam per annos, cum non sit facilè posse habere altare. Casus autem huius posterioris necessitatis modo est resoluendum.

2 Dicendum est. *In locis, in quibus non est liberum exercitium Catholicæ Religionis, deficiente altari potest offerri sacrificium in quocunque altari omni meliori modo erecto.* Hoc autem est intelligendum vniuersaliter, ita vt possit offerri sacrificium, sicut posset cum altari, quousque haberi possit altare consecratum. Nullo adduco Doctorem quia apud nullum reperi hunc casū in specie examinatum, nam solum agunt de necessitate, in genere, nec considerant in ordine ad loca, quæ tamen consideratio valde variat casum.

3 Ratio est Quia lex nō obligat, nisi quatenus est possibilis eius obseruantia, vnde inter alias conditiones, quas lex debet habere est, vt sit possibilis, vt tradunt communiter DD. in materia de legibus,& habetur ex c. *Erit autem, dist.*4. Quod adeò verum est, vt neque Deus, qui habet supremum dominium, impossibilia non iubeat, vt habet Concil. Trid. *sess.6.c.*11. transcribens verba D. August. Quod enim est impossibile, cum non sit in potestate subditi, nec etiam potest ab illo exigi. Lex autem de vsu altaris, in sacrificij oblatione in locis, vbi non est liberum exercitium Religionis Catholicæ, si ibi non sint altaria, fit impossibilis, quia non adest modus, quo obseruari possit: ergo definit obligare.

4 Nec dici potest quòd in tali casu sit potius abstinendum ab oblatione sacrificij. Nam oblatio sacrificij est de iure diuino naturali. Et proinde Sacerdotes, vt ministri deputati habent ius ad ipsum offerendum ratione officij, & potestatis sibi à Christo collatæ, vt à principali ordinante. Imò etiam populus ex iure naturali, & diuino habet ius vt ipsum per Sacerdotes offeratur: ergo concurrente hoc iure cum lege purè Ecclesiastica debet hæc cedere tanquam inferioris conditionis,& quæ non possit sine culpa præcedere priuare aliquem tali iure. Præsertim quia quæ ab Ecclesia instituta sunt propter honorem,& reuerentiam sacrificij, non debent causare priuationem sacrificij, quia præsumuntur instituta, vt habeant locum, quando sine priuatione sacrificij seruari possunt.

5 Præterea. Ex vna parte concurrit illæ honor, & reuerentia, quæ consurgit ex eo, quod sacrificium offeratur in altari consecrato. Ex altera autem parte concurrit cultus, qui exhibetur Deo per sacrificium, qui est omnium supremus, vtilitas, quæ inde prouenit Ecclesiæ,& singulis fidelibus per applicationem virtutis sacrificij Crucis, quæ fit per hoc sacrificium, vt habet Concil. Trid. *sess.22.c.1. de sacrif. Miss.* Et denique excellentia sacrificij, quod nedum æquiualet omnibus sacrificiis simul sumptis veteris legis, sed etiam superat: ergo cum carendum sit, aut illo honore,& reuerentia, quæ consurgit ex oblatione in altari consecrato, aut cultu supremo Dei,& fructibus, atque excellentia sacrificij, potiùs carendum est illa reuerentia, & honore, quia nullum prudens iudicium dictare potest, quod tot, atq; adeò excellētia bona, non debeat præferri bono mediocri; nec est vllo pacto verisimile, quod velit Ecclesia tot excellentia bona postponenda esse bono ordinatio,& mediocri,& proinde præsumi debet, quod nolit in tali casu suam legem obligare.

QVÆSTIO 703.

An vbi est liberum exercitium Religionis Catholicæ offerri possit sacrificium sine Altari ratione necessitatis.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium non esset apud Catholicos offerendum ratione necessitatis sine Altari, qui sentiant.*
2. *Qualibet lex humana non obligat cum magno detrimento.*
3. *Lex humana non intendit priuare maiori bono.*
4. *Per cessationem ab oblatione sacrificij non obtinetur aliquod bonum; sicut econtra.*
5. *Publica vtilitas quomodo exigat offerri sacrificium in Altari.*
6. *Necessitas non subest legibus.*
7. *Quando necessitas non praualeat legi de offerendo sacrificio in Altari.*
8. *Praualet necessitas, quæ oritur ex iure diuino, aut naturali.*
9. *Præceptum de viatico an obliget Sacerdotem ad offerendum.*
10. *Præceptum viatico obligat independenter à ritibus Ecclesiæ.*
11. *Reuerentia offerendi in Altari cedit necessitati certæ ex iure diuino, &c.*
12. *Præceptum celebrandi in Altari est minus graue, quam conficiendi in Azimo.*
13. *Necessitas facit licitum, quod per dispensationem non concederetur.*

Hæc necessitas non potest esse alia ratio, quæ oriatur ex aliquo inopinato casu, in quo non potest procurari altare, vt dictum est in præcedenti, qualis esset necessitas ministrandi viaticum. Quam difficultatem vix tactum inuenio apud DD. solum Quartus *in Rubr. Miss. part.*3.*tit.*10.*dub.*7. Vaticel *de Mission. Apost. tit.*15.*q.*161.*ver. Aduerte autem*; de hoc tractant in terminis,& asserunt, nōn licere offerre sacrificium sine altari consecrato, stante necessitate saltem non extrema,& proinde non licere ad satisfaciendum præcepto de audienda Missa. Probatur, quia cum non sit necessitas medij, sed solum præcepti, præualere debet reuerentia sacrificij, ne indecenter tractetur absque debito cultu, & ritu ab Ecclesiam præscripto, præsertim quia hic est ritus grauissimus, atque summo rigore præceptum. Secundò. Quia est grauis irreuerentia sacrificij offerre ipsum super loco profano,& deputato cæteris vsibus. Tertiò. Præceptum conficiendi sacrum in altari consecrato non est minus graue, quam conficiendi in Azimo: ergo sicut non potest ratione necessitatis confici in fermentato, ita nec sine altari. Quartò, nunquam Pontifices dispensatum, vt sine altari offeretur sacrificium, neque quis ausus est affirmare id fieri posse, cum tamen plures docuerint confici posse à non ieiuno, quod signum est, quod habet maiorem connexionem cum altari, quam cum ieiunio. 1

Verum contra hanc sententiam militat ratio generalis, quod leges positiuæ humanæ non obligent in casu extraordinariæ necessitatis, & cum incommodo notabili, quæ proinde tanquam vniuersalis descendit ad omnes leges purè humanas, quæ non habent aliquod adminiculum iuris naturalis, & diuini, & cum lex de vsu altaris consecrati sit purè humana; siquidem iuxta cap. *Altaria* 5. *de consecrat. dist.* 5. 2

dist. 1. non possunt consecrari altaria, nisi sint lapidea, vnde supponitur, quod tunc adhuc adessent altaria, quæ non essent lapidea, & proindè non possent consecrari, & nihilominus super ipsis offerretur sacrificium descendet quoq; ad ipsam ratio prædicta.

3 Secundò potest occurrere talis necessitas, quod maius bonum consurgat ex oblatione sacrificij sine altari, quàm sit honor, & reuerentia sacrificij ex eo eo, quod offeratur super altari consecrato; ergo in tali casu lex non obligat ad prætermittendum sacrificium ex eo, quod non possit offerri super altari. Consequentia probatur. Quia omnis lex humana fundatur in dictamine naturali rectæ ratioois, nullum autem dictamen prudens dictat, quod lex humana iotendat priuare maiori booo & inducat minus, nam cum sit essentiale legi, vt ordinetur ad bonum commuoe, non esset vera lex, quæ priuareret maiori bono, vt induceret minus; nam hoc esset contra ratiooem boni communis. Potest autem contingere talis casus, quod si seruetur inuiolabiliter lex de vsu altaris consecrati, absque exceptione alicuius casus priuetur communitas quoad sua membra maiori bono; quàm sit reuerentia sacrificij ea eo, quod offeratur in altari non consecrato.

4 Quod præsertim verum est, quia si vrgente necessitate, deficiente altari, non offeratur sacrificium, non obtineretur aliquod bonum; sed solum habetur, quod obtineatur à sacrificio ea eo, quod offerri non possit cum tota illa reuerentia, cum qua solet offerri, contra verò si offeratur, deficit solum illa specialis reuerentia, quæ prouenit ea oblatione in altari consecrato. Econtra verò vltra bonum sacrificij, quod est longè maius in ratione cultus, Religionis, & reuerentiæ erga Deum, cum per ipsum homines summum se totos deuoueant Deo; consurgit etiam bonum, quo occurritur necessitati vrgenti, quod etiam præponderat illi reuerentiæ, quæ omittitur in offerendo in Ara noo facta.

5 Nec potest dici, quod agatur de publica vtilitate, cuius interest, quod sacrificium offeratur cum tali reuerentia, quæ priuatæ præferri debet; nam publica vtilitas exigit quidem offerri cum tali reuerentia; sed quando non sequitur aliquod incommodum, non autem exigit, quod quando seruari oon potest talis reuerentia, abstineatur à sacrifi.io com graui incommodo suorum membrorum; imò exigit in tali casu proferri commodum suorum membrorum, quia semper exigit id quod vtilius est.

6 Tertiò facit Regula communiter recepta, & stabilita tam in iure Ciuili, quàm in Canonico, quod necessitas oon subest legibus; sed ipsa facit legem, *l. Tutor, qui repertorium, in::. ff. de admin. tutor.* & *l. Vt grauatim. §. 1. ff. de muner. & honor.* & cap. *Sicus non alij de consecrat. titul.* 1. & cap. *Concilium. de obseruat. ieiunij.* & cap. *fin. de ferijs.* & cap. *Non minus. de immunit. Eccles.* & cap. *Exiit. de verb. significat. in 6.* & cap. *Nemo. de reg. iur. in 6.* Ergo etiam in præsenti locum habebit hæc regula; quia agitur de lege humana, quæ natura sua posterior est necessitate, quæ oritur ex rerum natura, cum non adsit ratio specialis cur ista lex subiiciat sibi etiam necessitatem, & non potius necessitas sit ab ipsa exempta.

7 Itaqoe censerem distinguendum de necessitate, quæ oritur ex præceptis; quæ sunt imposita ab Ecclesia; aut ex obligatione imposita ab homine, vt est necessitas audiendi Missam, satisfaciendi cultai Ecclesiæ, obligatiooi offerendi sacrificium. Et in his casibus non videtur necessitas præualere legi de celebrando in altari consecrato, imò non videtur adesse necessitas, qoia huiusmodi obligationes, & præcepta tanquam posteriora determinatione ritus, cum quo est offerendum sacrificium, non habent locum, nisi secundum mensuram cum qua inata determinationem Ecclesiæ offerri debet sacrificium, atque adeò obligant solum quando secundum ritum consuetum offerri potest.

Si verò loquamur de necessitate; quæ oritur ex iure diuino, aut naturali, vt quando vrget obligatio iuris diuini ministrandi alicui Eucharistiam aut obligatio iuris naturalis offerendi sacrificium; si modo potest vrgere, sine dilatione quousque procurari possit altare, censerem præualere necessitatem legi de offerendo sacrificio in altari consecrato. Ratio est, quia lex humana non potest præualere contra ius dioinum, & naturale tanquam iofetioris ordinis, & quæ habet legislatorem subiectum legislatori iuris naturalis, & diuini; ergo quando imposita est huiusmodi lex de non offerendo sacrificio, nisi in altari consecrato; quia debet præsumi lata intra terminos potestatis legislatoris, præsumi etiam debet, quod non sit lata pro casu necessitatis, qui de iure diuino exigat celebrationem, quando in tali casu non potest haberi altare consecratum, alioquin legislator intenderet detrahere iuri diuino; aut naturali, vt in casu, in quo nisi celebraretur absque altari, non posset mioistrari viaticum de quo extat præceptum diuinum. 8

Dices. Præceptum de Viatico obligare solum moribundum, non autem Sacerdotem ad celebrandum contra moribundus habet ius ad Viaticum fundatum in præcepto diuino, & proinde necessitas ministrandi Viaticum, atque adeò celebrandi pro ipso ministrãdo oritur ex iure diuino, & habens ius ad vsum, habet etiam ius ad aliud. Rursus ij, ad quos spectat cura Animarum tenentur ex officio ministrare, vnde cum munus Pastoris deriuet à Christo, & ex natura rei, necessitas ministraodi oriatur in ipsi ex iure diuino naturali. 9

Dices 2. Hoc præceptum non obligare, nisi quando secuodum Ritum Ecclesiæ seruari debet, vnde non obligat, quando ratione vomitus oriretur irreuerentia sacramenti contra hoc proceptum est positum antequam institoerentur Ritus Ecclesiæ concernentes sacrificiom Missæ, & proinde est independens à tota hac institutione; & omnibus præceptis in ipsa contentis, quæ sunt merè humana: ergo obligat independenter ab ipsis, & ipsa obligant, saluo semper tali præcepto, cui derogare non possunt, & obligationibus inde consurgentibus. Si enim non obligaret, nisi quando ritus consueti seruari possunt, esset dependens à lege Ecclesiastica, quod dici noo potest. Deinde est etiam Ritus Ecclesiæ, quod Eucharistia non sumatur, nisi à ieiunis; quod non conficiatur, nisi à ieiunis, & tameo hi Ritus cessant ratione necessitatis, ideo rationem necessitatis posse offerri sacrificium sine altari tenet Thom. Hurt. *p.* 1. *resol. mor. tract.* 2. *c.* 1. *res.* 2. *n.* 22. 10

Ad 1. Resp. Non solum necessitatem medij, sed etiam necessitatem vnius præcepti præualere alteri præcepto, etiam in legibus eiusdem Ordinis, quando vnum strictius obligat, quàm alterum, vnde à fortiori præcepto humano præualebit oecessitas iuris diuini, & oaturalis. Deinde reuerentia, quæ consurgit sacrificio ex eo, quod offeratur io altari consecrato, non est reuerentia debita ea natura rei; sed ex institutione Ecclesiæ, & ideò eam omittere, non est irreuerentia; sed minor reuerentia, & cedit necessitati, cui etiam cedit præceptum humanum. Quod autem iste ritus sit grauissimus, & summo rigore præscriptus, oon facit, quod excedat institutionem humanam, & proinde quod non cedat necessitati, cui cedunt leges humanæ. Hinc solutum manet etiam secundum argumentum; quia necessitas facit, quod non sit irreuerentia offerre in loco prophano; quia prohiberur tantom iure humano, & proinde irreuerentia esset de iure humano, quod cum cedat, cedit etiam irreuerentia. 11

Ad 3.

12 Ad 3. Præceptum conficiendi sacrificium in altari consecrato esse minus graue, quam conficiendi in Azimo, quia licèt tam Azimus quàm fermentatus sit materia sufficiens, quia licet Christus in vno tantum confecerit, attamen instituit ex declaratione Ecclesiæ panem vsualem in tota sua latitudine, Ecclesia tamen latina proposuit Azimum tanquam eum in quo Christus confecit, & ideò præceptum conficiendi in Azimo non est purè præceptum humanum; sed habet admixtam institutionem Christi, quatenus expressam in eiusdem facto; & ideò est diuersa ratio, ac de præcepto altaris consecrati.

13 Ad 4. Quod non legatur, Pontifices dispensasse, vt sine altari consecrato offerretur sacrificium, non reddere certum, quod non dispensauerint, cum possit esse, quod dispensauerint; sed perierit memoria dispensationis. Quicquid tamen sit, quia ad dispensationem non requiritur necessitas; quæ soluat obligationem legis de se, seu potiùs quæ non sinat ipsam extendi ad casum; sed sufficit causa rationabilis, quæ relinquat in suo vigore obligationẽ legis; ideò ex eo, quod non dispensauerint, non licet in casu necessitatis prædictæ inferre, quod non possit.

QVÆSTIO 704.

An Episcopus dispensare possit, vt celebretur sine Altari.

SVMMARIVM.

1. *Pontifex dispensare potest, vt sine altari celebretur.*
2. *Episcopus non potest dispensare vt sine altari offeratur sacrificium.*
3. *Ius non remittit, quod celebrari possit sine Altari.*
4. *Vbi sunt Episcopi, non potest adesse necessitas celebrandi sine altari.*
5. *Licet non possit locum habere dispensatio, potest tamen necessitas soluere legem.*

1 SVpponendum tanquam certum Summum Pontificem dispensare posse, vt sine altari offeratur sacrificium, quia, vt constat ex dictis in superioribus, quod adhibeatur altare consecratum, est tantum ex institutione Ecclesiastica, quæ subiicitur Iurisdictioni & potestati summi Pontificis, quia tamen est verum dictamen rectæ rationis, quod exigit vt ob reuerentiam, erga Deum offeratur sacrificium in loco ad id specialiter deputato, & ab aliis vsibus segregato, ideò non posset licitè dispensare, nisi concurrente rationabili causa, quæ sufficiat, vt dispensatio rationabilis sit; solum ergo difficultas est de Episcopo, an sicut potest dispensare, vt celebretur extra Ecclesiam; ita etiam dispensare possit, vt celebretur absque altari.

2 Dicendum est. Non posse Episcopum dispensare, vt celebretur absque altari consecrato. Ita Sotus *in quart. distinctione decimatertia, quæstione secunda, articulo tertio, argumento secundo, dicto quinto*, Vasquez *tertio puncto, disputatione 233. capite secundo, numero duodecimo*, Suarez *disputatione 81. de Eucharistia, sectione quinta, §. vltimo*, Rodriquez *parte prima, summ. cap. 249. conclus. 15.* Reginaldus *lib. 29. Praxis foripænit. cap. 9. sect. 9. n. 188. in fine.* Garzia *in sum. tractat. 3. difficult. 8. dub. 3. punct. 1. num. 5.* Et desumitur etiam ex D.Thom. *3. part. qu. 83. art. 3. ad 3.* vbi cum dixisset, quod Missa celebrari potest in necessitate in locis non consecratis de consensu Episcopi, subdit; non tamen sine altari portatili consecrato, subintelligitur pariter de consensu Episcopi.

Desumitur ex cap. *Concedimus. de consecrat. dist. 1.* vbi statuitur, quod destructis Ecclesiis, liceat extra ipsas in capellis, cum tabula tamen consecrata celebrare. Rursus quod in itinere positi, licet sub dio, vel in tentoriis; si tabula altaris consecrata adsit, celebrare. Ex quibus constat, quod licet ratione necessitatis possit celebrari extra loca deputata, de iure tamen non remittitur, quod sine altari celebretur; vnde si ius non remittit, & facit veluti reseruatum, nec etiam poterunt Episcopi remittere. 3

Ratio autem est, quia vbi Episcopi exercere possunt iurisdictionem, non potest adesse necessitas dispensationis; nam dispensatio deberet aut præuenire necessitatem, aut necessitas deberet per aliud tempus durare. Hoc autem facit, quod non sit necessaria dispensatio, quia sicuti adest tempus dispensationem petendi, ita etiam adest pro altari procurando. Non possunt autem Episcopi dispensare in Iure Pontificio, nisi vrgente necessitate, quia cum inferior non possit dispensare in lege superioris conceditur Episcopis solum dispensare in iure communi, quando necessitas vrget; aut quando iis, expressè conceditur posse dispensare. Confirmatur. Quia non potest adduci Praxis, quæ introduxerit facultatem dispensandi, ergo cum neque ratione necessitatis, neque ratione consuetudinis conueniat Episcopis facultas dispensandi, non poterunt dispensare; sed dispensatio remanebit omnino reseruata. 4

Dices. Ex hoc sequi quod ratione necessitatis non liceat sine altari consecrato celebrare quia, si liceret; posset etiam Episcopus dispensare pro casu necessitatis. Respondeo. Hoc minimè sequi, quia cum dispensatio habeat locum, quando lex obligat, vt proinde sit relaxatio obligationis legis, ex eo, quod reseruata sit, sequitur, quod non possit celebrari sine altari absque dispensatione Pontificia; sed omninò seruanda sit lex in quocunque casu, in quo viget obligatio ipsius. Quando verò lex non habet locum ratione necessitatis, subintrat regula, quod necessitas non habet legem nec contra hæc aliquid determinatur. 5

QVÆSTIO 705.

An liceat celebrare in quocunque Altari consecrato.

SVMMARIVM.

1. *In quocunque altari fixo consecrato an liceat celebrare.* & nom. seq.
2. *Altare fixum consecratum habet ius, vt in ipso celebrari possit.*
3. *Execratio Ecclesia non impedit, quia in eius altari consecrato celebrari possit.*
4. *Altare est pars Ecclesia & cum ipsa communicat in eodem loco.*
5. *Celebrans in altari consecrato non celebrat extra loca deputata, licet Ecclesia neque etiam sit benedicta.*
6. *Quid intendat Ecclesia prohibens celebrari extra Ecclesiam consecratam.*

QVia contingere potest, quod Altare consecratum non sit intra Ecclesiam; vt si Ecclesia sit dire- 1

cta, & altare ibi manserit integrum, aut quod Ecclesia sit etiam reædificata; sed nondum consecrata, aut benedicta, ideò dubitatur, an sine licentia celebrari possit in tali altari. Partem negantem tradunt Suarez *disput.* 81. *de Eucharist. sect.* 5. §. *vltimo*. Reginald. *lib.* 19. *Praxis fori pœnitential. cap.* 9. *sect.* 6. *num.* 191. *in fine*. Fundamentum est, quia sine licentia non potest celebrari extra Ecclesiam consecratam, aut saltem benedictam, vt statuitur cap. *Hic ergo*, & in cap. *Nullus Presbyter* 1. *de consecrat. distinct.* 1. Tunc autem celebraretur extra Ecclesiam consecratam, aut saltem benedictam, vt statuitur in cap. *Hic ergo*, & in cap. *Nullus Presbyter*. 1. *de consecrat. distinct.* 1. Tunc autem celebraretur extra Ecclesiam consecratam, & benedictam.

2 Secunda sententia asserit, licere celebrare in quocunque Altari consecrato, etiamsi non sit in Ecclesia consecrata, aut benedicta; dummodo tamen sit fixum, & integrum; ita Rodriquez *part.* 1. *summ. cap.* 149. *conclus.* 2. cum qua tenendum est *Quod absque alia licentia liceat celebrare in altari fixo consecrato integro, vbicumque sit positum.* Ratio est. Quia altare fixum acquirit sua vnctione consecrationis, vt super ipso in illo loco celebrari possit, & quandiu conseruat consecrationem; conseruat etiam hoc ius, quia fundatur in ipsa consecratione: ergo potest in ipso celebrari absque licentia; quia stante dicto iure consurgit in vnoquoque facultas celebrandi.

3 Confirmatur. Quando altare amittit consecrationem, non impedit, quin in Ecclesia celebrari possint officia, non secus ac antea; ergo etiam quando Ecclesia illam amittit, non impedit, quin in altari offerri possit sacrificium, cum per destructionem Ecclesiæ non amittat aliquid ex iis, quæ ex parte ipsius requiruntur, vt in ipso offerri possit sacrificium.

4 Confirmatur secundo altare est pars Ecclesiæ, vt proinde polluta Ecclesia, polluatur etiam altare, & non solum ipsi incorporatur tanquam eius pars, sed etiam communicat cum ipsa in loco Et proinde destructa Ecclesia, remanet altare; in eodem loco, & in loco Ecclesiæ deputato pro celebratione; vnde non celebraretur omnino extra loca deputata, & extra Ecclesiam. Præsertim quia altare est locus proximus sacrificij, & cum sit para Ecclesiæ, & loci illius, importat partialiter Ecclesiam, & partem loci illius.

5 Ex hoc à fortiori habet locum, si Ecclesia fuisset reparata; quamuis nondum consecrata, & benedicta; & proinde esset locus deputatus tantum diuino cultui, vnde iuxta dispositionem Concilij Tridentini *sess.* 22. *in decreto de seruandis, & vitandis in celebratione Missar.* posset in ipsa celebrari, etiamsi non adesset altare fixum consecratum; quia Concilium solum iniungit, quod Episcopi non sinant celebrari Missas omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata Oratoria. In tali autem casu celebratio esset intra Ecclesiam, licet non consecratam, aut benedictam, neque his temporibus, est necessaria consecratio, aut benedictio loci, sicut constat in Oratoriis, quæ neque consecrantur, neque benedicuntur. Neque hinc fit quod possit quisque constituere sibi priuatum Oratorium, aut celebrare vbi voluerit. Quia cum altare fixum sit erectum auctoritate Episcopi, celebrabitur in loco destinato publica auctoritate, non autem vbi voluerit.

6 Et ex his soluitur fundamentum oppositæ sententiæ. Nam illa prohibitio de non celebranda Missa extra loca consecrata non est in vigore, vt constat ex praxi, & sufficit quod celebretur in loco deputato tantum ad diuinum cultum. Deinde dum celebraretur in altari consecrato, non celebraretur omnino extra illam Ecclesiam, quæ prius aderat; quia sicuti remanet, quoad sui partem, nempe altare, ita etiam celebraretur aliquo modo in Ecclesia. Præterea Canones prohibentes celebrationem extra Ecclesiam consecratam intendunt solum prohibere ne celebretur in locis prophanis, & non deputatis diuino cultui siquidem tunc deputabantur solum per consecrationem, non autem per solam auctoritariuam designationem.

QVÆSTIO 706.

An in quacumque Ecclesia celebrari possit à quocunque Sacerdote cum Altari portatili.

SVMMARIVM.

1. *Altare portatile non posse adhiberi in Ecclesiis consecratis, qui sentiunt.*
2. *In quacunque Ecclesia celebrari potest absque licentia cum altari portatili.*
3. *Solum prohibitio extenditur, ne celebretur in locis prophanis.*
4. *Priuilegium altaris portatilis in quo consistat.*
5. *Explicatur cap.* fin. de priuileg. in 6.

Prima sententia asserit, requiri licentiam Episcopi, vt in Ecclesiis consecratis vti possit Sacerdos altari portatili; in locis verò non consecratis, neque cum licentia Episcopi vti posse; ita Archidiacon. *in cap. Missarum. de consecratione distinctione prima*, Panormit. *in Rubrica de consecratione Ecclesiæ, numero primo*. Fundamentum est. Quia vsus altaris portatilis est priuilegium Episcoporum. cap. *final. de priuileg. in* 6. & aliorum priuilegiatorum: ergo secluso priuilegio, aut licentia, non licet illo vti. 1

Secunda sententia asserit, posse celebrare cum altari portatili absque alia licentia tam in Ecclesiis consecratis; quàm benedictis; Ita Innocent. *in cap.* 1. *de consecrat. Eccles.* Tabiena *verbo* Altare *numero* 3. Armilla *num.* 4. Vasquez 3. *part. disput.* 233. *capite secundo, numero decimo*, Suarez *disput.* 81. *de Eucharistia sectione quinta*, §. *vltimo*. Reginaldus *libro vigesimonono Praxis fori pœnitent. cap.* 9. *sect.* 6. *num.* 191. 2

Dicendum est. *Absque vlla licentia, aut priuilegio celebrari posse à quocunque cum altari portatili in quocunque loco destinato pro celebratione; siue sit Ecclesia consecrata, siue tantum benedicta, siue Oratorium ad diuinum tantum cultum deputato.* Hoc melius probatur ex praxi, quam aliunde; nam etiam in Oratoriis absque aliqua licentia eriguntur altaria cum mensa portatili, in quibus quilibet Sacerdos celebrat. Ratio autem est, quia nulla adest prohibitio, quod non celebretur in altari portatili, sed solum, quod non celebretur extra Ecclesiam, vt in cap. *Hic ergo*. & cap. *Nullus presbyter. de consecratione, distinctione prima*, Et Concilio Tridentino *sessione vigesimasecunda, in decreto de seruandis, & vitandis in celebratione Missarum*, reducit licitam celebrationem ratione loci ad Ecclesias, & Oratoria ad diuinum tantum cultum deputata: Ergo vsus altaris portatilis erit licitus in quocunque loco, in quo aliàs est concessum posse celebrari Missas. 3

Ad fundamentum in oppositum resp. Vsum altaris portatilis non esse priuilegium secundum se cum non adsit lex, vt dictum est, quæ ipsum prohibeat. Sed priuilegium consistere in eo, quod celebrari possit in quocunque honesto loco. Vsus autem altaris portatilis est in defectum altaris stabilis, & est conditio requisita, vt priuilegium possit habere exequutionem. Vnde quando in Cap. *fin. de priuileg. in 6.* conceditur Episcopis, vt cum altari viatico possint vbiq; celebrare, priuilegium consistit, quod possint celebrare vbique, vsus verò altaris portatilis est conditio; sub qua conceditur priuilegium, quia scilicet non conceditur posse celebrare sine altari, nec in omni loco adest altare fixum.

Instabis. In *Cap. final. C. de priuileg. in 6.* dicitur, *indulgemus eisdem, vt altare possint habere viaticum, & in eo celebrare*, ergo priuilegium consistit in habere, & celebrare in altari viatico. Respondeo subsequentia verba declarare sensum præcedentium sequetur enim, *ac facere celebrari vbicunque, &c.* Vnde habere altare viaticum conceditur tanquam medium ad celebrandum, aut faciendum celebrare vbicunque, quia autem media indicant rationem finis, ideo tota concessio gratiosa resoluetur in finem, & altare secundum se remanet tanquam medium, sine quo, seu tanquam conditio necessaria, vt vbicunque celebrari possit, vel facere celebrare.



DE ORNATV
ALTARIS.

PRO necessitate oblationis sacrificij conseruanda, & ipsi reuerentia concilianda, Ecclesia plura instituit, quæ in tali functione adhibentur, inter quæ locum præcipuum obtinet ornatus altaris instructus secundum certam formam. Quamuis enim altare lapideum sit præcipuum instrumentum, super quo offeratur sacrificium, & proinde solemni ritu consecretur, attamen instituit quoddam ornamentum eiusdem, quod esset veluti ipsi accessorium, & conferret ad honorem sacrificij. Et de hoc in præsenti agendum est.

QVÆSTIO 707.

Quot, & quales mappæ requirantur pro altari.

SVMMARIVM.

1. *Mappæ necessariæ pro ornatu altaris.*
2. *Duæ mappæ pro altari secundum plures sufficiunt.*
3. *Tres alij requirunt.*
4. *Rubrica requirunt tres mappas.*
5. *Quid de consuetudine.*
6. *Vna mappa inseruire potest pro duabus.*

1 SVpponendum est. Ab initio Ecclesiæ institutum fuisse, vt altare, in quo erat offerendum sacrificium, mappa seu palla cooperiretur, vt desumitur ex Epistola Clementis Papæ, *ad Iacobum Hierosolomitanum Episcopum*, relata in cap. *Altaris palla de consecrat. dist.* 1. Et ex concilio Rhemensi apud Burchallum *lib.* 3. *cap.* 95. ibi. *Et mundissimis linteis, ac pallis cooperienda*, & ex Concil. Toletan. XIII. cap. 7. vbi prohibetur altare vestibus sacris ex vi, vt refertur in cap. *Quicumque* 26. *quæst.* 5. solum dubitatur, quod debeant mappæ aleæ adhiberi.

2 Prima sententia asserit, ad minus debere imponi altari duas mappas, & eas sufficere ita Gabriel. *lect.* 13. *in Can. Miss. littera. N.* Paludan. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 6. *conclus.* 1. Scotus *quæst.* 2. *art.* 2. *vers. Hæc etiam* Durand. *quæst. item* 2. *num.* 8. D. Antonin. 3. *part. tit.* 13. *cap.* 6. §. 5. Syluester *verbo.* Missa 1. *quæst.* 2. *vers. secundum* alios citans Armilla. *numer.* 6. Sà *numer.* 7. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 28. *quæst.* 8. *vers. quæres* Graf. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 47. §. 6. *num.* 6. Rodriquez *part.* 1. *summæ cap.* 249. *conclus.* 17. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 28. *num.* 3. Vasquez *disp.* 233. *cap.* 3. *num.* 21. Suarez *disp.* 81. *de Eucharist. sect.* 6. *dicto* 1. Facundez *præcep.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 21. *numer.* 10. Reginal. *lib.* 29. *Praxis fori pœnit. cap.* 9. *sect.* 7. *num.* 194. Filliuc. *tract.* 5. *num.* 24. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 11. Bonae. *disp.* 4. *de sacram. quæst. vlt. punct.* 9. *num.* 25. Franciscus Lugo. *lib.* 5. *de sacram. cap.* 4. *quæst.* 4. *num.* 37. Garzia *lib.* 2. *de sacrific. Miss. cap.* 14. *num.* 8. Villalob. *part.* 1. *sum. tract.* 8. *difficul.* 26. *num.* 1. Marchin *de sacram. Ordin. tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 11. *num.* 3. Ludouic. à S. Ioan. *in sum. quæst.* 11. *de Eucharist. art.* 3. *dub.* 1. Faustus *de Eucharist. lib.* 2. *de sacrific. Miss. quæst.* 214. Palaus *part.* 4 *oper. moral. tract.* 21. *disp. vn. punct.* 10. *num.* 1. Fernandez *part.* 3. *exam. theol. mor. cap.* 5. §. 11. *num.* 7. & alij. Fundamentum huius sententiæ est, quia, licet de iure antiquo requirerentur tres mappæ præter corporale, hodie tamen consuetudine introductum est, vt sufficiant duæ.

3 Secunda sententia asserit, esse necessarias tres mappas. Ita Angelus *verbo* Missa *num.* 35. in fine Tabiena *num.* 10. vers. *quinto* Garzia *in sum. tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 3. *pun.* 1. *numer.* 10. Dicastil. *de sacram. tract* 5. *disp.* 4. *dub.* 9. *num.* 153 Quartus *in Rubr. Miss. part.* 1. *tit.* 20. *dub.* 8. *init.* Lugo Cardin. *de Eucharist. disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 16. Gauant. *in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 20. littera R. Hurtad. *de sacrament. disp.* 4. *de sacrific. Miss. difficul.* 9. vers. *Primo pro.* Leander. *de sacrament. tract.* 8. *disp.* 1. *quæst.* 10. vers. *sed certissimè.*

4 Dicendum est. *Altare esse cooperiendum tribus mappis.* Desumitur ex cap. *si per negligentiam de consecrat. dist.* 1. Et ita statuitur in Rubr. Missal. iuxta nouissimam reformationem Clementis VIII. & Vrbani VIII. *tit.* 20. *num.* 1. vbi sic habetur. *Hoc altare operiatur tribus mappis, seu tobaleis mundis ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictis superiori saltem oblonga, quæ vsque ad terrã pertingat duabus aliis breuioribus, vel vna duplicata.* Ex quibus patet, quod certum sit, requiri tres mappas, si spectemus Ecclesiæ institutionem.

5 Si autem spectemus consuetudinem, videndum est, an sit legitimè præscripta, ita vt possit præualere contra legem. Sumus enim in casu, in quo rationabiliter potest introduci consuetudo præsertim ob paupertatem Ecclesiarum, & ideo talis consuetudo potuit præualere contra legem, aut consuetudinem veterem. Præsertim quia ratio vtendi tribus mappis fuit, quia cum ministraretur Eucharistia sub vtraque specie facile erat, quod spargeretur aliquid de sanguine, & ideo tot mappæ, adhibebantur, ne facilè perueniret ad mensam altaris. Quæ ratio cum cessauerit, possit introduci dicta consuetudo. Ne-

que huic consuetudini obstet Rubrica Missalis, quia non tollit consuetudinem in contrarium sed tantum præscribitur iuxta legem, aut consuetudinem antiquam, cui alia consuetudo derogauerit, derogat etiam Rubricæ, quæ non continet, nisi antiquum ius.

6 Est tamen aduertendum. Quod vt dicitur in Rubrica allata *numer.* 4. potest vna mappa inseruire pro duobus, si videlicet duplicetur. Ex quo fit, quod possit vna etiam inseruire pro tribus, si sit tantæ longitudinis, vt possit implicari saltem quo ad illam partem altaris, in qua est repositus lapis consecratus. Imò si est altare fixum, & tota eius mensa sit consecrata, quod ea pars tripliciter operiatur eadem mappa, in qua reponitur calix, & patens; & superior pars mappæ operiet totum altare decidens vsque ad terram. Et quamuis in Rubrica dicatur, quod superior mappa pertingere debet vsque ad terram, hoc tamen non est de necessitate, sed de decentia ordinatum solum ad meliori modo ornandum altare. Imò neque vbique est in vsu.

QVÆSTIO 708.

Ex quanam materia constare debeant mappæ altaris.

SVMMARIVM.

1. *Mappæ altaris constare debent ex linteo lineo.*
2. *Ex canape quoque confici possunt.*
   Canapis est species lini.
3. *Mappæ altaris confici possunt ex linteo gossipio.*
   Gossipium est species lini.
4. *Sufficit pars mappæ, quæ tegit altare constet ex linteo lineo.*

1 COmmuniter docent, constare debere ex linteo lineo nō vero laneo, aut serico, aut ex alia materia, quæ debent esse albæ in suo naturali colore, non autem colore aliquo tinctæ. Quod ex eo deducunt, quod repræsentant linteamina, quibus corpus Christi fuit inuolutum. Ita Durand. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *num.*8. Palud. *quæst. item* 2. *art.*6. *conclus.* 1. Tabiena *verbo.* Missa *numer.*10. Syluester *quæst.*2. vers. *Secundum.* Armilla *num.*6. Azor. *part.*1. *lib.*10. *cap.*28. *quæst.* 8. Henriquez *lib.*9. *sum.cap.*28. *num.*3. in fine Rodriquez *part.*1. *sum. cap.*249 *conclus.*17. Suarez *disp.* 81. *de Eucharist. sect.* 6. *dicto* 1. *in fine* Vasquez 3. *part. disp.* 233. *cap.*2. *num.*21. Facundez *præcept.*1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 22. *numer.*10. Reginal. *lib.*29. *praxis fori pænit. cap.*9. *sect.* 7. *numer.*194. *in fine* Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 7. *quæst.* 4. *numer.* 40. Hieronymus Garzia *in sum. tract.* 3. *difficul.* 8. *dub.* 3. *punct.* 2. *num.*10.

2 Difficultas autem est, an confici possit ex canape, *& affirmatiuè resoluendum est, vt tradunt* Tabiena, Armilla, Azor. *num. praced.* citati. Bonac. *disp.*4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.* 9. *num.*24. Reginal. *lib.*29. *praxis fori pæniten. cap.* 9. *sect.*7. *num.*195. Gauant. *in Rubr. Missal. part.*5. tit. de *mensur, &c.* vers. *Mappa* Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. lib.*5. *cap.* 5. §.3. *n.* 3. Vericel. loquens de corporali, *de Miss. Apost. tit.* 25. *quæst.* 262. Ratio est, Quia Canapis est species quædam lini, & progignitur in eosdem vsus, in quos progignitur linum. Vnde solum periti distinguere possunt inter linteos ex canabi, & ex lino, cum vtrioque habeant eosdem vsus, & in morali æstimatione pro eodem linteo habeantur. Hinc vt meliores euadant solent alicubi confici lintei ex lino canabi mixto.

3 Maior difficultas est, an constare possint ex linteo gossipio. *Et affirmatiuè resoluendum est.* Ita Azor *par.* 1. *lib.* 10. *cap.*28. *quæst.* 8. Tamburin. *Opus. de sacrific. Miss. lib.* 1. *cap.*5. §.3. *num.*3. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.*7. *quæst.* 4. *num.* 43. Vericel. *de Apost. Mission. tract.* 1. *quæst.* 262. Quartus *in Rubricæ Missal. part.* 7. *tit.*20. *dub.* 8. vers. *Dico tertio.* Lopus autem, & Vericel. loquuntur de corporalio, quod à fortiori locum habet in mappis. Ratio est, quia etiam gossipium est species lini ex terra procreati, sicut sunt aliæ species, & proinde Plinius *lib.* 19. *Natural. hist. cap.*1. ponit gossipium inter species lini ita enim habetur *superior pars Egypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui gossipium vocant, plures Xilon, & ideo lina inde facta Xilina.* Accedit etiam, quod huiusmodi lintea ratione candoris conseruant magis mondiciem, puritatem, & ideo videntur magis apta, vt inseruiant sacrificio.

4 Est autem aduertendum, quod quando dicitur, mappas altaris constare debere ex linteo, intelligitur quò ad eam partem, quæ tegit mensam altaris, nam partes, quæ deuoluuntur super terram possunt esse sericæ, & auro intextæ, & alia quauis decenti materia, vt notat etiam Garzia *in sum. tract.* 3. *difficul.* 8. *dub.* 3. *punct.* 7. *num.* 10. & declarat praxis, præsertim vbi altaria curiosiori apparatu ornantur, quod etiam habet locum quoad partem superioris mappæ quæ à parte anteriori propendet. Nam mappæ introductæ sunt tantum ad tegendam mensam altaris; partes autem propendentes sunt tantum propter ornatum altaris, & ideo non refert, ex qua materia constent, dummodo sit decens.

QVÆSTIO 709.

An mappæ altaris debeant benedici.

SVMMARIVM.

1. *Mappæ altaris non necessario benedicendæ secundum aliquos.*
2. *Qui sentiant esse benedicendas.*
3. *Rubricæ præscribunt, quod benedicantur.*
4. *Ne adsit obligatio sub mortali vtendi mappis benedictis.*
5. *Auctorisatio Rubricarum non eas extrahit ordine suo.*

PRima sententia asserit non esse necessario benedicendas. Ita Syluester *verbo* Benedictio, *quæst.* 5. Sà *verbo.* Missa. *numer.*7. Azor. *part.*1. *lib.*10. *cap.* 28. *quæst.* 8. *in fine.* Vasquez 3. *part. disp.* 233. Suarez *disp.*81. *de Eucharist. sect.*6. *dicto* 1. Facundez *præcep.* 1. *Eccles. lib.*3. *cap.*22. *num.* 10. Reginal. *lib.* 29. *Praxis fori pænit. cap.*9. *sect.*7. *num.*194. Rodriquez *part.*1. *sum. cap.*249. *conclus.*11. Filliuc. *tract.*5. *num.*124. *disp. vn. punct.*10. *num.*1. Villalob. *part.*1. *sum. tract.* 8. *difficul.* 26. *num* 1. Ludouic. à S. Ioan. *in sum. quæst.* 11. *de Eucharist. art.* 3. *dub.*1. Garzia *in sum. tract. difficul.* 8. *dub.* 3. *punct.* 1. *num.*12. Tanner. *tom.*4. *disp.*5. *quæst.*10. *dub.* 3. *num.* 48. *in fine* Trullench. *lib.* 3. *de sacram. cap.* 8. Lessius *de sacrament. quæst.*83. *art.* 2. *num* 87. Zanarol. *direct.* Theol. *part.*1. *cap.* 14. *de sacrament. Eucharist.* Basseras *in Florib. Theol. mor. verbo.* Missa 5. *numer.*4. Fernandez *part.* 3. *Theol. moral. cap.* 5. §. 1. *numer.*9. Tuliers. *in idea Theol. sacrament. cap.* 26. *resol.* 2. Vuigers. 3. *part. quæst.* 83. *dub.* 15. *num.*14. Ledesma *part.*1. *sum. cap.*20. *de Eucharist. conclus.*6. Fundamentum

Digitized by Google

tum huius sententiæ est, quia nullibi in iure legitur, quod debeant esse benedictæ.

2 Secunda sententia asserit esse benedicendas. Ita Gabr. *lect.* 3. *in Can. Miss. littera N.* Scot. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 2. §. *Hec etiam* Graf. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 46. §. 6. *n.* 6. Bonac. *disp.* 4. *de sacrament. quæst. vlt. punct.* 9. *num.* 25. Francisc. Lugo *lib.* 5. *de sacramenti cap.* 7. *quæst.* 4. *numer.* 41. Lugo Cardinal. *disp.* 20. *de Eucharist. sect.* 2. *numer.* 76. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 13. vers. *Rursus requiruntur* Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 9. *numer.* 154. Gaspar Hurtad. *de sacrament. disp.* 4. *de sacrific. Miss. difficul.* 9. vers. *Corporale autem* Caspens *part.* 2. *curs. theol. tract.* 25. *sect.* 4. *num.* 78. Leander *tract.* 8. *de sacrament. disp.* 7. *quæst.* 11.

3 Dicendum est. *Mappas altaris esse benedicendas.* An autem sub graui obligatione, constabit ex dicendis. Hoc autem certum fit ex Rubricis Missal. *part.* 1. *tit.* 20. vbi præscribitur hoc modo. *Hoc altare operiatur tribus mappis, seu tobaleis mundis ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictis.* Et ideo certum est, quod in executionem Rubricarum mappæ altaris sunt benedicendæ, & proinde hoc permanet ad ritus proprios, cum quibus Missa celebranda sit. Et cum Missale, atque ipsius Rubricæ emanauerint auctoritate summi Pontificis, dubium non est, quin sint auctorizatæ, & seruandæ sint.

4 Dicendum 2. *Non adesse obligationem sub mortali vtendi mappis benedictis in sacrificio Missæ.* Ita Doctores allati pro prima sententia, dum volunt, quod possint, sed non debeant necessario benedici. Nec dissentiunt auctores secundæ sententiæ quia, quamuis asserant, esse benedicendas, attamen non dicunt esse mortale adhibere non benedictas; imò aliqui expresse excludunt peccatum mortale. Ratio, est quia quod sint benedicendæ prouenit ex præscriptione Rubricæ. Certum est autem, & communiter docent, quod non omnia, quæ præscribuntur in Rubricis obligant ad mortale, quia Rubricæ continent tantum directionem in ordine ad celebrandam Missam, & ideò quæ præscribuntur in ipsis non habent vim obligandi, nisi aliunde proueniat obligatio, vel scilicet ex aliqua lege, vel ex natura rei, sed sunt tantum directiua, quæ dirigunt ad peragendum sacrificium cum debita decentia, & decore. Non habetur autem ex aliqua lege positiua, quod mappæ sint benedicendæ, neque etiam ex natura rei, quia non deputantur, vt immediate inseruiant pro sacrificio, sed solum pro ornatu altaris, vnde plura alia, quæ inseruiunt pro eius ornatu non benedicuntur.

5 Nec obstat, quod Rubricæ sint auctoriaatæ à summo Pontifice, qui auctorizatio non extrahit ipsas ab ordine suo, sed solum facit, quod intra ordinem suum censeantur, rectè procedere. Et ideo cum in ordine suo sint quædam collectio eorum, quæ in ordine ad oblationem sacrificij concurrere debent, vt decenti modo fiat, quorum aliqua cadant sub obligatione aliunde proueniente, alia verò sunt solum de decentia, ideo relinquit intra ordinem talis collectionis, & auctorizatio solum operatur, quod huiusmodi collectio rectè procedat.

6 An autem sit peccatum veniale non benedicere has mappas existimo, quod neque sit veniale, si concurrat aliqua rationabilis causa, vt si vrgeret necessitas ornandi altare, nec esset in promptu qui benediceret, aut aliqua alia huiusmodi. Deinde cum hæc benedictio sit præmittenda solum ex aliqua decentia, & ex directione Rubricarum, & vt potius segregetur à linteis profanis, quam vt possint inseruire altari, nisi accedat aliqua negligentia circa cultum diuinum non videtur ex natura actus interuenire peccatum, quia satis segregantur à linteis prophanis per deputationem ad vsum altaris; vt constat etiam in Oratorijs, & Capellis etiam publicis, quæ absque vlla benedictione deputantur in locum, in quo offeratur sacrificium,

---

QVÆSTIO .710

An possint adhiberi mappæ prophanæ & postea reduci etiam ad vsus prophanos.

SVMMARIVM.

1. *Mappæ quæ inseruierunt altari, non posse, reduci ad vsus prophanos, qui sentiant.*
2. *Qui sentiant posse reduci, nisi fuerint benedictæ.*
3. *Vt adhiberi possint mappæ prophanæ pro altari sufficit rationabilis causa.*
4. *Quando mappæ prophanæ, ex vsu pro altari non deputentur in illius seruitium.*
5. *Eadem est ratio de mappis, ac de loco in quo celebratur quoad conuersionem in vsus prophanos.*
6. *Functio spiritualis quando dedicet officiis diuinis.*
7. *Functio sacra super re prophana quando dedicet obsequiis diuinis.*

Deficiente fundamento non habet locum dedicatio ad vsus sacros.

SVpponendum est: Ex Rubricis nihil colligi posse, qui vt visum est, *quæst. præced. numer.* 3. solum habent, quod altare operiatur tribus tobaleis ab Episcopo benedictis, in quo non præcipiunt, sed solum dirigunt, sicut nec præcipiunt in cæteris, quæ ibi subduntur, vt, quod superior tobalea sit oblonga vsque ad terram, quod altare ornetur pallio, &c. Ratio dubitandi oritur ex eo, quod dum inseruiant altari tempore oblationis sacrificij, ita videntur addici vsui sacro, vt remaneant aliquo modo sacræ atque per oblationem sacrificij ita sanctificatæ, vt non possint amplius inseruire vsubus prophanis. Et ideò si adhibeantur non posse amplius ad vsus prophanos conuerti, docent Facundex *præcep.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 13. Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 19. *num.* 14. Franeisc. Lugo *lib.* 5. *de sacram. cap.* 7. *quæst.* 4. *num.* 41. *in fine.* 1

Seconda sententia asserit, posse adhiberi mappas prophanas, & postea reduci ad pristinos vsus. Ita Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 28. *quæst.* 8. *in fine* Sà *verbo Missa num.* 7. Lalmam *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 11. *in fine.* Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disput. vn. punct.* 10. *num.* 7. Trullench. *libr.* 3. *de sacram. cap.* 8. *dub.* 16. *numer.* 8. Basseus *in Florib. Theol. moral. verbo* Missa 5. *num.* 4. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 13. vers. *Rursus requiritur* Tanner. *tom.* 4. *disp.* 5. *quæst.* 10. *dub.* 3. *num.* 48. Bonac. *disp.* 4. *de sacram. quæst. vlt. punct.* 9. *num.* 24. Leander *de sacrament. tract.* 8. *disp.* 7. *quæst.* 11. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 2. *tit.* 26. *dub.* 8. vers. *Addunt consequenter.* Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 225. 2

Dicendum est. *Adhiberi posse mappas prophanas, & postea restitui pro vsibus prioribus.* Non requiretur autem necessitas, vt id licitum sit, vt nonnulli ex citatis Doctoribus *num. preced.* sentire videntur, sed sufficit rationabilis causa, vt esset solemnitas Ecclesiæ, aut altaris, vt scilicet altare melius preciosioribus mappis ornaretur, si non adessent ex deputatis pro altari mappæ mundæ, aut si essent laceræ, aut ex aliqua alia huiusmodi causa. 3

Ratio

4 Ratio est. Quia in hoc casu non transfertur dominium illarum in Ecclesiam, & proinde non deputantur in vsum sacrum, seu pro ornatu altaris, sed solum conceditur ad certum tempus remanente dominio apud eum, cuius sunt, quod impedit, vt non possint per huiusmodi vsum deputari seruitio altaris, & dedicari obsequiis diuinis, quia talis deputatio, & dedicatio supponit dominium rei, cum non possit Ecclesia deputare talibus vsibus, quod suum non est: ergo postquam Ecclesia vsa sit huiusmodi mappis, potest eas Domino restituere pro vsibus prophanis, quia non remanent destinatæ pro vsibus sacris.

5 Confir. Quando eriguntur Oratoria, vt in ipsis celebretur Missa, vt contingat in Grangiis Regulariom absque eo, quod benedicantur, eo ipso, quod desinit celebrari in ipsis, possunt conuerti ad vsus prophanos non alia ratione, nisi quia assumptus tantum fuerat vsus loci pro oblatione sacrificij, non autem dedicatus locus obsequiis diuinis: ergo cum in præsenti casu assumatur tantum vsus mapparum, & non destinentur ipse in vsus sacros, poterunt redire ad vsus prophanos. Præsertim, quia non obstante, quod de iure non possit celebrari extra Ecclesias consecratas sine licentia, cap. *Missarum de consecrat. dist.* 1. potest nihilominus celebrari in Oratoriis etiam non benedictis, & postea conuerti ad vsos prophanos: & nulla adest prohibitio iuris quod non celebretur nisi cum mappis benedictis.

6 Ad fundamentum in oppositum resp. Vt aliquid inseruiens alicui functioni sacræ ex vi ipsius dedicetur obsequiis diuinis, requiri, quod præcedat destinatio, quoad temporalitatem, per quam dominiom rei transferatur in Ecclesiã in ordine ad vsus sacros. Siquidem functio sacra dedicat tantum spirituali modo, & spiritualis dedicatio requirit pro fundamento temporalem dedicationem. Vnde non obstat, quod applicata vsibus sacris, non debeant postea conuerti in vsus prophanos. Cap. *Ligna, de consecrat. dist.* 1. Quia dictæ mappæ, vt constat ex supra dictis, non sunt applicatæ vsibus sacris, sed solum ipsarum vsus concessos ad tempus pro functione sacra.

7 Instabis. Exorcitium functionis sacræ super re prophana ipsam sanctificat aliquo modo, vt dictum est de oblatione sacrificij super altari non consecrato; ergo oblatio sacrificij super altari cooperto mappis non benedictis eas sanctificabit æquipollenter, ac si essent benedictæ, & ideo non poterunt conuerti amplius ad vsos prophanos. Resp. neg. conseq. Quia huiusmodi sanctificatio, sicut sanctificatio altaris non consistit in alio, quam in dedicatione pro vsu sacrificij. Hæc autem dedicatio, vt dictum est, requirit pro fundamento destinationem secundum temporalitatem, vnde altare debet esse erectum in ordine ad sacrificium. Qua deficiente cum deficiat fundamentum, non potest habere locum dedicatio spiritualis, seu sanctificatio quia super ipso fundari debet *l. Nam origo, ff. Quod vi aut clam.* Et cap. *Cum Paulus.* 26. *quæst.* 1. & c. 3. *de presbit. non baptiz.* Vnde in non baptizatis cætera sacramenta non habent locum quia deficit baptismus, qui est fundamentũ ipsorum.

QVÆSTIO 711.

An, & quale peccatum sit vti mappis immundis aut laceris.

SVMMARIVM.

1. *Vti mappis immundis aut laceris est peccatum iuxta qualitatem immunditiæ.*
2. *Mappa sordida detrahunt de reuerẽtia debita Deo.*
3. *Sordes mapparum quando fundent peccatum mortale.*

Dicendum est. *Esse peccatum vti mappis immundis aut laceris, aut veniale, aut etiam mortale iuxta quantitatem immunditiæ, aut lacerationis.* Ita loquutes de vestibus sacris Syluester *verbo.* Missa 1. *quæst.* 2. Suarez *disp.* 81. *de Eucharist. sect.* 1 ver. *Secunda dubit.* Bonac. *disp.* 4. *de sacram. quæst. vlt. punct.* 9. *n.* 23. Auersa *de Euchar. quæst.* 11. *sect.* 13. ver. *Rursus in Can.* Est autem eadem ratio de mappis, quia ipsæ quæque inseruiunt in ordine ad sacrificium. Et in his terminis de mappis. Quartus *in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 20. *dub.* 8. *ver. Resp. certum esse.* 1

Ratio est. Quia de iure naturali diuino tenemur colere Deum, & ipsum habere in veneratione: & consequenter etiam ea omnia, quæ ad ipsius cultum concurrunt ita tractar, vt seruetur debita reuerentia erga ipsum. Hæc autem non seruatur, si adbibeantur in eius seruitio, & cultu mappæ sordidæ, aut laceræ: siquidem per hoc ostenditur, cultum Dei parui fieri, dum ita tractatur, quod detrahit de veneratione, & reuerentia Dei. Sic etiam in ciuilibus censeretur parui fieri, & contemni eum, qui exigeretur ab aliquo induto vestibus laceris, & sordidis, aut cum apparatu sordido, aut si illi exhiberetur aliquis honos sordido modo. 2

Quomodo autem laceratio, & surdes sint tales, vt fundent peccatum mortale, & quando veniale, non potest certa regula definiri, sed prudentis arbitrio id relinquendum est. Solum est obseruandum, quod erit peccatum mortale, si notabilem indecentiam præseferant, ita vt quis eas conspiciens statim indicet esse indecentes, quia dum statim indecentia prima facie se detegit, oportet quod sit considerabilis, atque adeo grauis. 3

QVÆSTIO 712.

An, & quale peccatum sit sine mappis celebrare.

SVMMARIVM.

1. *Vrgente necessitate posse sine mappis celebrari qui sentiant.*
2. *Celebrare cum vna tantum mappa etiam sine necessitate esse tantum veniale sentiunt plures.*
3. *Offerre sacrificium sine nudo altari sine necessitate est peccatum mortale.*
4. *Licèt tamen offerre in graui necessitate.*
5. *Vsus mapparum in oblatione sacrificij non præualet necessitati offerendi.*
6. *Oblatio sacrificij ex iure naturali diuino quam reuerentiam requirat.*
7. *Ornatus altaris ad quem ritum pertineat.*
8. *Vti vnica tantum mappa in celebratione secluso contemptu est tantum peccatum veniale.*
9. *Rubrica præscribens plures mappas est tantum directiua.*
10. *Qua necessitas requiratur, vt liceat vti vnica tantum mappa etiam sine peccato veniale.*

Prima sententia asserit, vrgente necessitate non esse peccatum celebrare cum vna tantum mappa præter corporale. Ita Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *c.* 28. *q.* 8. Facundez *precep.* 1. *Eccl. lib.* 3. *c.* 32. *n.* 13. Tanner. *t.* 4. *disp.* 5. *q.* 10. *dub.* 5. *n.* 48. Voigers. 3. *p. q.* 83. *dub.* 15. *n.* 44. Faustus *de Euch. lib.* 1. *de sacrific. Miss. q.* 214. Marchinus *de sacram. Ordin. tract.* 3. *p.* 3. *c.* 14. *n.* 2. Tamburin. *opusc. de sacrific. Miß. lib.* 2. *c.* 5 §. 2. *n.* 1. Præposit. 3. *p. q.* 83. *ar.* 3. *dub.* 4. Quartus *in Rubr. Missal. p.* 1. *tit.* 20. *dub.* 8. ver. *Addit præpositus.* Fundamentum huius sententiæ est, Quia necessitas excusat, si non seruetur huiusmodi ritus, cum non sit ex principalibus. 1

Secunda sententia asserit, quod sit peccatum mortale celebrare sine vlla mappa, sit autem tantum 2

veniale celebrare cum vnica tantom extra casum etiam necessitatis, secluso tamen contemptu. Ita Garzia *in sum. tract. 3. difficul. 8. dub. 3. punct. 1. num. 11.* Ludouic. à S. Io. *in sum. quæst. 11. de Eucharist. art. 13. dub. 2. apped. 1.* Fernandez *part. 3. examin. theol. moral. c. 5. §. 11. n. 51.* Leander. *de sacram. tract. 8. disp. 7. quæst. 15.* Et ita videtur etiam sentire Suarez *disp. 81. de Eucharist. sect. 3. ver. Secundo præter pallas.*

3 Dicendum 1. *Offerre sacrificium absque necessitate super nudo altari, absque vlla mappa esse peccatum mortale.* In hoc omnes conueniunt, quamuis nō ita expressè se explicent. Quia, quamuis non reperiatur aliquod præceptū, nam iura, quæ aliquid circa hoc inouunt, supponunt plures mappas adhiberi, consuetudo tamen antiquissima Ecclesiæ viget, quæ cum sit ex institutione Ecclesiæ non est vnicuique facultatiua, vt liceat eam sequi, vel non sequi. Et ideo seclusa necessitate facere contra ipsam, erit peccatum graue; quia in re graui, quæ concernit reuerentiam sacrificij, & honorem cultus diuini, fiet contra vniuersalem vsum Ecclesiæ.

4 Dicendum 2. *In graui necessitate licere celebrare super nudo altari absque vlla mappa.* Per grauem autem necessitatem intelligo illam, quæ fundetur in aliqua obligatione maioris momenti, & cui præualere non possit preceptum purè Ecclesiasticum, vt esset necessitas ministrandi viaticum, aut aliqua alia huiusmodi. Ratio est quia ex duplici capite prouenit necessitas adhibendi mappas, nempe ex institutione Ecclesiæ, vt iuncta cōsuetudine, & ex iure diuino naturali tractandi oblationem sacrificij cum reuerentia, & honore debito. Institutio autem Ecclesiæ, & consuetudo non præualet contra necessitatem, nec contra eam, quæ sunt de iure diuino naturali, quia tanquam inferioris auctoritatis non potest tollere quæ statuta, aut concessa sunt superiori auctoritati: & ideo quando concurrit necessitas fundáta in iure naturali, aut diuino cessat huiusmodi institutio.

Dices Ecclesiam habere facultatem relictam à Christo statuendi circa sacramenta, atque adeo etiam circa sacrificium, quæ magis expedire iudicauerit salua eorum substantia, vt habet Concil. Trident. *sess. 21. cap. 2. de Communione*, & ideo potuisse instituere, quod non offeratur sacrificium, nisi seruatis ritibus ab ipsa institutis, & proinde neque absque mappis. Resp. Ita esse, dummodo sint tales ritus ipsi, at expediat potius omittere sacrificium, quam ritus. Verum noo constat, quod ita instituerit vsum mapparum super altari vt noluerit vrgente necessitate graui offerri, quando non haberentur mappæ ad operiendum altare. Imò cum id non expresserit, præsumendum est, quod noluerit, sed reliquerit suam institutionem in ordine suo, quod eò quod solum haberet locum extra grauem necessitatem.

5 Neque etiam obstat ius diuinum, & naturale de tractanda cum reuerentia, & hooore oblatione sacrificij. Quia ex hoc iure nihil determinati habetur, sed reducitur potius ad præceptum negatiuum, de non tractando irreuerenter sacrificium. Et proinde, ex hoc capite non sequitur alia reuerentia & honor, nisi ille, quem permittunt circonstantiæ loci, & temporis; & ideo, quando offerens seruat ea, quæ propter honorem, & reuerentiam sacrificij instituta sunt, quatenus habita ratione circumstantiarum seruari possunt, satisfacit huic iuri diuino naturali, & quod aliquod totum non seruetur, non causat irreuerentiam, sed quod noo exhibeatur tota illa reuerentia, quæ aliàs exhiberetur, si non impediretur.

6 Dices. Quod altare sit aliquo modo ornatum, pertinet ad ritum publicum sacrificij: ergo quia publica priuatis præualere debent, nunquam poterit ob priuatam necessitatem offerri sacrificium sine aliqua mappa. Resp. Ornatum altaris noo pertinere ad ritus, cum quibus debet offerri sacrificium, sed pertinere ad præparatoria, in quo ordine neque principaliter se habet, sed vt quid accessorium, quia ornatus est accessorius rei ornatæ. Vnde considerari debet solum, quantum referat ad oblationem sacrificij, & vnde trahat originem, vt arbitrari possit, an cedat, vel non cedat necessitati fundatæ in iure diuino, aut naturali. In præsenti autem ornatus mapparum cedit, vt constat ex dictis cum ex sola institutione humana originem trahat.

Dicendum 3. *Extra causam necessitatis offerre sacrificium super altari vnica tantum mappa cooperato secluso contemptu esse solum peccatum veniale.* Vnde 7 hoc etiam peccatum cessare potest, si concurrat aliqua rationabilis causa. Ratio est quia multiplicatio mapparum nō inseruit pro ornatu altaris, quod æque ornatur cum vna, ac cum pluribus, cum cæteræ subterponantur, & solum introductum fuit, vt non facile, si effunderetur sanguis, flueret ad mensam altaris; & ideo non est necessarium, quod tegant totam mensam altaris, sed sufficit, quod tegant partem, supra qua imponitur Calix, & patena. Cum autem his temporibus moraliter, cessauerit periculum effusionis sanguinis, nisi fortè succedat aliquis fortuitus casus, qui rarus admodum esse potest, siquidem consecratur solum vinum, quod sufficit pro offerente non autem pro Laicis, vt antiquitus, cessauit etiam finis, ob quem plures mappæ adhibentur, & ideo non adest obligatio grauis eas adhibendi.

Accedit etiam. Quod Rubrica Missalis præscribens altare cooperiri pluribus mappis, est tantum 8 intra terminos directionis, quia neque continet verba importantia præceptum, neque dirigit secundum aliquam legem, quæ in corpore iuris, aut alibi reperiatur. Et proinde non imponit nisi illam obligationem, quam secundum se offert modus decens offerendi sacrificium, qui in genere, est de iure naturali diuino. Verùm multiplicitas mapparum parum admodum confert ad decentiam obligationis, & est materia, & ideo non fundans, si omittatur peccatum graue.

Supposito aut, quod requiratur necessitas, vt liceat 9 vti vnica tantum mappa, etiam absque peccato veniali dubitatur, quæ, & quanta esse debeat huiusmodi necessitas. Quartus *in Rubr. Miss. part. 1 tit. 20. dub. 8. ver. Addit Prepositus*, putat, sufficere necessitatem audiendi sacrum respectu totius populi. Alij verò putant sufficere quamcumque necessitatem etiam priuatam, vt necessitas audiendi, & celebrandi sacrum die festiuo feruor deuotionis, amissio eleemosynæ respectu sacerdotis diuitis, & aliis huiusmodi causis. Ita Marchin. *de sacram. Ordin. tract. 3. part. 3. cap. 14. num. 2.* Garzia in *sum. tract. 3. difficul. 8. dub. 3. punct. 1. num. 11.* Tamburio. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 5. num. 1.* Et ratio est. Quia, vt vitetur peccatum veniale sufficit quæcumque rationabilis causa, quæ honestet actionem. Quia, cum sit peccatum veniale defectu debiti finis, quia scilicet, non tendit in vltimum finem, dum apponitur finis honestus ratione ipsius tendit in illum saltem virtualiter. Si quidem cum omnis finis honestus, sit quædam participatio honestatis increatæ ipsi subordinatur, & seruat debitum ordinem cum vltimo fine, & ideo operatio; cuius est finis, ipso mediante connectitur cum vltimo fine, & respectu illius seruat ordinem debitum.

QVÆSTIO 713.

An altare ornandum ſit pallio.

SVMMARIVM.

1. *Altare ornandum pallio.*
2. *Si altare non ornetur pallio, dum offertur ſacrificium, an ſit peccatum.*
3. *Omiſſio ornamenti non neceſſarij circa altare non cauſat irreuerentiam.*

1 IN Rubr. *part. 1. tit. 20. num. 1.* ita circa pallium altaris præſcribitur. *Pallio quoq. ornetur.* (Altare) *coloris, quoad fieri poteſt diei Feſto, vel officio conuenientis.* Quæ tamen præſcriptio reſpicit tantum decorem conſurgentem ex puro ornatu altaris, vt conſtat ex eo, quod ſi frons altaris, ſeu pars anterior ſit marmorea, aut alio modo ornata; ſiue picturа, ſiue alio opere, non ſolet adhiberi pallium, nec eſt neceſſarium, vt notat etiam Gauant. *in Rubr. Miſſ. part. 1. tit. 10. litera l.* Solum ergo difficultas eſt, an ſecluſo ornatu partis anterioris, ſeu frontis altaris ſit neceſſarium pallium.

2 Dicendum eſt. *Nullum eſſe peccatum non adhibere pallium in altari, quando offertur ſacrificium, præſertim ſi deficiat ratione paupertatis Eccleſiæ.* Eſt contra Quartum in *Rubricas Miſſal. part. 1. tit. 20. dubio. 9.* vet. *Dico ſecundo*, qui vult eſſe peccatum veniale, ſi pars anterior altaris ſit rudis, &c. Quod autem non ſit neceſſarium, ſentit Silueſter *verbo.* Benedictio. *quæſt. 9. in fine.* Ratio eſt. Quia pallium inſeruit ad merum ornatum altaris, non autem propter ſacrificium. Hic autem ornatus non eſt neceſſarius, ſed ſolum ad quandam decentiam, neque Rubrica præſcribens, quod altare ornetur pallio intendit imponere aliquam obligationem, ſed ſolum dirigere ad ea, quæ ſunt de decentia.

3 Dices. Adeſt præceptum naturale tractandi res ſacras cum reuerentia, & decentia conuenienti. Non tractaretur autem, ſi altare non ornaretur pallio. Reſp. neg. quod tractaretur cum irreuerentia, ſi altare non ornaretur pallio, quia non eſt irreuerentia minus ornare altare; alioquin etiam quando omitterentur pretioſiora ornamenta, eſſet irreuerentia. Solum ergo poteſt conſurgere irreuerentia, ſi omittatur aliquod ex ornamentis neceſſariis. Vnde feria ſexta in Paraſceue celebratur illud officium ſuper nudo altari; nec recurri poteſt ad myſterium, quia quod eſt irreuerentia, non poteſt tranſire in myſterium.

QVÆSTIO 714.

An altare ornari debeat Cruce in medio poſita.

SVMMARIVM.

1. *Crux collocanda in medio altari dum celebratur. An debeat eſſe cum imagine crucifixi.*
2. *Non ſufficit Crux impoſita ſummitati Tabernaculi Euchariſtiæ.*
3. *Qui aſſerant adhibendam Crucem ſub mortali in altari, dum celebratur.*
4. *Qui negent.*
5. *Non eſt inducenda obligatio ſub mortali, niſi de ipſa conſtet de conſuetudine iudicandum ſecundum eius originem.*
6. *Rubricæ non præcipiunt, ſed ſupponunt adeſſe Crucem.*

SVpponendum eſt. Tempore oblationis ſacrificij collocandam eſſe crucem in medio altaris ex Præſcriptione Rubricarum *part. 1. tit. 20. num. 1.* ibi, *ſuper altare collocetur Crux in medio, & candelabra ſaltem duo, &c.* Et conſtat etiam ex praxi vniuerſali. Non eſt tamen neceſſarium, vt putat Gauantus *in Rubr. Miſſal. part 1. tit. 20. littera*, vt Cruci ſit affixa imago Crucifixi, ſed ſufficit nuda Crux vt obſeruat Quartus *in Rubr. Miſſal. part. 1. tit. 20. dub. 10.* vet. *Dubitatur ſecundo.* Et ratio clara eſt. Quia non dicit Rubrica quod ponatur ſuper altari crucifixus, aut Crux cum imagine crucifixi, ſed ſolum, quod ponatur Crux; nomine autem Crucis venit ſola Crux, quæ ſufficit verificandum quod ſit impoſita Crux ſuper altari. 1

Supponendum 2. Quod ſi in ſummitate tabernaculi, vbi conſeruatur Euchariſtia, ſit impoſita Crux, non ſufficit pro obſeruantia Rubricæ, vt notat etiam Quartus *in Rubr. Miſſal. part. 1. tit. 20. dub. 10. in fine.* Ratio eſt; Quia cum ſit in loco ſatis eminenti, non inſeruit fini, ob quem Rubrica illum requirit, & cum ſit impoſita tabernaculo, non cenſetur coniungi, cum altari, ita vt ſit pars ornatus ipſius. Solum ſufficere poſſet, ſi tabernaculum eſſet paruum ita vt cenſeretur, quod moraliter Crux eſſet in altari circa hanc autem partem ornamenti dubitatur an adſit obligatio ſub mortali adhibendi Crucem. 2

Prima ſententia aſſerit, adeſſe obligationem ſub mortali adhibendi Crucem. Ita Pax Iordam, *tom. 1. Lucubrat. lib. 4. tit. 1. de ſacrific. Miſſ. numer. 233.* loquendo extra caſum neceſſitatis, ſubdit tamen, quod auctoritas Doctorum oppoſitum ſentiētium, ſufficit ad excuſandum à peccato. Fundamentum huius ſententiæ eſt. Quia communis conſuetudo habet vim legis. Tum quia id præſcribitur in pluribus Rubricis præceptiuis, in quibus ſupponitur exiſtentia crucis, & præcipitur aliquid aliud, vt quod ſacerdos in fine Collectæ inclinet caput verſus Crucem. 3

Secunda ſententia aſſerit, non adeſſe obligationem ſub mortali, ſed ad ſummum ſub veniali. Ita Saurez *diſp. 81. d. cap. 3. num. 26.* Reginal. *lib. 29. de Euchariſtia ſect. 6.* ver. *Quarto.* Vaſquez *3. part. diſp. 233. Praxis pœnit cap. 9. ſect. 1. numer. 197.* Bonac. *diſp. 4. de ſacrament. quæſt. vlt. punct. 9. numer. 29.* Villalob. *part. 1. ſum. tract. 8. difficul. 26. numer. 6.* Homobon. *part. 1. Examin. Eccleſ. tract. 4. cap. 15. quæſt. 143.* Lugo Cardin. *diſp. 20. de Euchariſt. ſect. 2. nu. 79.* Facundez *præcep. 1. Eccleſ. lib. 3. cap. 21. num. 32.* addens, nec etiam eſſe peccatum veniale. Franciſc. Lugo *lib. 5. de ſacram. cap. 7. quæſt. 6. num. 48.* Laiman. *lib. 5. theol. moral. tract. 5. cap. 6. numer. 17.* Palaus. *part. 4. oper. moral. tract. 22. diſp. vn. punct. 10. numer. 5.* Garzia *in ſum. tract. 3. difficul. 8. dub. 3. punct. 1. numer. 20.* Fauſtus *de Euchariſt. lib. 2. de ſacrific. Miſſ. quæſt. 217.* Tanner. *tom. 4. diſp. 5. quæſt. 10. dub. 3. numer. 52.* Caſpenſ. *part. 2. curſ. theol. tract. 23. diſp. 3. ſect. 4. numer. 81.* Gaſpar Hurtad. *de ſacram diſp. 4. de ſacrific. Miſſ. difficul. 9.* ver. *Tertio pro ornatu* Trullench. *lib. 3. de ſacram. cap. 8. dub. 16. numer. 12.* Dicaſtil. *de ſacrament. tract. 5. diſp. 4. dub. 9. numer. 182.* Marchin. *de ſacram. ordin. tract. 3. part. 3. cap. 12. numer. 5.* Petrus Ledeſma *part. 1. ſum. cap. 20. de Eucariſt. concluſ. 8.* Leander. *de ſacram. tract. 8. diſp. 7. quæſt. 23.* Quartus *in Rubrica Miſſal. part. 1. tit. 20. dub. 10.* ver. *Oppoſita ſententia* Tamburin. *opuſc. de ſacrific. Miſſ. lib. 1. cap. 5. §. 6. num. 1.* 4

Dicendum eſt. *Non adeſſe obligationem ſub mortali adhibendi Crucem in altari tempore oblationis ſacrificij.* Ratio eſt. Quia non eſt includenda obligatio ſub mortali, niſi de ea cōſtet, vt habet D. Th. *quod l. 9. a. 15.* 5

quia

Digitized by Google

quia cum debeat induci ab aliqua lege, quæ sit posita, non est fingenda. In præsenti autem non adest aliqua lex quæ iubeat, adhiberi crucem in oblatione sacrificij, præter Rubricam, quæ non imponit præceptum, cum non habeat verba præceptiua, sed solum dirigit quoad ea, quæ sunt de cõgruentia. Nec obstat, consuetudo, quia habet titulum, ratione cuius est introducta, nempe vt impleatur directio Rubricæ, vnde de ipsa iudicandum est secundum eius originem, *l. Tutor datus. ff. de fideiuss.* & *l. Qui id quod, ff. de donat.* & *l. Qui in aliena*, *§. Si is qui, ff. de Aquiren. hæred.*

6 Ex quibus solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ. Cum autem additur, quod id præcipitur in plurib. Rubricis. Respond. Nequaquam præcipi, sed supponi, quod adsit Crux, & iuxta hanc præsuppositionem præscribi alios ritus, vt sunt inclinationes, quæ si non adsit, erunt faciendæ versus imaginem altaris, autem si hæc etiam non adsit, erit tantum caput inclinandum absque noua conuersione ad aliam partem.

QVÆSTIO 715.

An Crux sit necessaria in altari, vbi conseruatur Eucharistia.

SVMMARIVM.

1. *Crucem non esse necessariam, quando in altari seruatur Eucharistia nonnulli sentiunt.*
2. *Non requiri, quando publicè est exposita Eucharistia.*
3. *Crucem esse semper necessariam tradunt alij.*
4. *Lex vbi non distinguit, nec nos debemus distinguere.*

Crux cur ponatur super altare, dum celebratur.

1 Difficultas est, an sit necessaria pro implemento Rubricæ; nam aliàs constat, non esse necessarium. Prima sententia asserit; non esse necessariam. Ita Lugo Cardin. *disp. 10. de Eucharist. sect. 2. num. 19.* Vasquez 3 *part. disp. 233. cap. 3. num. 26.* Quia, vbi est figuratum, debet cessare figura, & ideo cum in altari sit ipse Christus sub speciebus Eucharisticis; non debet ibi adesse imago eiusdem.

Secunda sententia asserit. Non requiri, quando publicè est expositum Eucharistiæ Sacramentum, secus autem quando non est expositum. Ita Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 13.* ver. *Tertio alterius.* Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 5. §. 6. numer. 4.* Quartus *in Rubrica Missal. part. 1. tit. 20.* ver. *Dubitatur primò.*

2 Tertia sententia asserit, esse necessariam crucem pro obseruantia Rubricæ siue in eo conseruetur Eucharistia, siue non, siue ibi sit exposita, siue non. Ita Gauant. *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 29 litter. V.* Francisc. Lugo *lib. 5. de sacram. cap. 7. quæst. 6. num. 49.*

3 Dicendum est. *Requiri crucem in altari quocumque etiamsi ibi adsit exposita publicè Eucharistia.* Ratio est. Quia Rubrica loquitur vniuersaliter de Cruce in altari, nec excipit altare, in quo sit Eucharistia. Vnde nec etiam nos debemus excipere, quia non adest ratio excipiendi, & vbi lex non distinguit, nec nos debemus distinguere, *l. 2. §. 5. ff. De vi bon. rap.* & *l. A procuratore. C. Mandati.* & cap. 2. *de coniug. Lepros.* Præsertim. Quia Crux præscribitur à Rubrica, non autem imago Christi crucifixi: vbi autem est Eucharistia, ibi non est Crux. Nec Crux est figura Christi cruxifixi, vt debeat cessare ad præsentiam figurati.

Accedit etiam, quod Crux ponitur super altari ad repræsentandum Crucis altare, in quo Christus seipsum obtulit Patri, quod non præstat, Eucharistia, quia repræsentat Christum iam immolatum.

QVÆSTIO 716.

An Crux sit adhibenda, quando Icon altaris continet Crucem, aut Crucifixum.

SVMMARIVM.

1. *Crux in altari an necessaria; quando Icon altaris eam continet.* & num sequent.
3. *Quando in altari non sit necessaria Crux, si Icon eam contineat.*
4. *Finis collocandi Crucem in altari.*
   Non interest quid ex æquipollentibus fiat.
5. *Si Icon altaris contineat imaginem B. Virginis pietatis, an Crux necessaria.*

Qvando altare dedicatur crucifixo, aut Cruci, solet pingi in Icone crucifixus, aut Crux, aut etiam loco picturæ poni crucifixus sculptus, aut ex ære, aut Crux sola magna, dubitatur autem, an tunc sit adbuc alia Crux necessaria inter Candelabra. Partem affirmatiuam tradit Gauant. *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 20. littera V.* quia Rubrica absque limitatione illam præscribit. 1

3 Secunda sententia asserit, sufficere Crucem pictam, vel sculptam in Icone altaris. Ita Francisc. de Nigro *in addit. ad Rub. 12. par. 1. præsup. 3. num. 2.* qui citat Trimarchi, & alios. Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 5. §. 6. num. 2.* Quartus *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 20. dub. 10.* ver. *Dubitatur tertiò.*

5 Dicendum est. *Non esse necessariam aliam Crucem quando pro Icone altaris adest Crux picta, seu sculpta; aut alio quocumque modo fabrefacta.* Hoc autem ita accipi debet, vt Crux Iconis sit per se primo in ipsa Icone, itavt principali modo se habeat, & non aliter, atque quod tali modo sita sit, vt censeatur exposita pro adoratione. Vnde si esset pictus Christus, aut sculptus deferens Crucem ad Caluarium, non sufficeret, quia non censeretur Crux exposita in ordine ad adorationem, nec repræsentaretur, provt in ipsa crucifixus est Christus, sed provt in ea debeat crucifigi, sicut si repræsentaretur Crux nondum erecta, sed quando in ea offerens fuit Christus.

4 Ratio est. Quia finis Rubricæ est, quod in altari adsit Crux adoranda, & ad repræsentandum. Altare Crucis, in quo Christus se obtulit in sacrificium. Et ideo Crucis Iconis præstat totum id, quod præstaret alia Crux posita inter candelabra, & saltem ad ipsam æquipollenter se haberet. Quando autem sumus in æquipollentibus non refert, quidquid fiat ex ipsis *l. 3. C. de instit. & subsistit.* & *l. fin. C. de donat. quæ sub mo.* & *l. Mulier. ff. Ad Trebell.*

5 Ex his colligitur. Quod si pro Icone altaris adsit imago B. Virginis pietatis, nempe vt pingi, aut sculpi solet, B. V. sedens ante Crucem cum Christo crucifixo super genua, non erit necessaria alia Crux, quia tunc stat erecta; & repræsentat Crucem, quando ab ea depositus fuit Christus: & proinde tanquam adorabilem, & præstantem saltem æquipollenter totum quod intendit Ecclesia, dum præscribit crucem super altari.

QVÆSTIO 717.

Quid requiratur, vt in omißione Crucis vitetur etiam peccatum veniale.

SVMMARIVM.

1. *Si ex qualibet rationabili causa non adhibeatur Crux in altari in oblatione sacrificij, cessat peccatum veniale.*
   Actus peccaminosus venialiter quomodo ex honesto motiuo cesset esse tale.
2. *Potius quam omittenda oblatio sacrificij, celebrandum sine Cruce.*
3. *Quacunque causa, ad quam ordinatur sacrificium, sufficit, vt possit offerri sine Cruce.*

1 Dicendum est. *Ad vitandum peccatum veniale in oblatione sacrificij absque Cruce super Altari sufficere quamcunque rationabilem causam.* Ita Layman. *libro quinto, Theolog. moral. tractatu quinto, capite sexto, numero decimoseptimo.* Franciscus Lugo *libro quinto, de sacrament. cap.7. quæst.6. numero 49.* Quod locum habet, etiam quoad cætera, quæ requiruntur pro celebratione Missæ absque graui obligatione. Ratio est. Quia tunc illa omissio crucis inducitur honestate illius causæ rationabilis, quæ se babet per modum finis inducens ad celebrandum absque Cruce. Et proinde non consideratur amplius vt omissio peccaminosa, sed vt actus habens rationabile motiuum, atque adeo honestatus ex tali motiuo. In tantum enim peccaminosus est venialiter, in quantum non auertit ab vltimo fine, sed neque tendit in ipsum. Dum autem coniungitur cum tali motiuo, ratione ipsius, quod tanquam honestum seruat debitum cum vltimo fine, ipse quoque respectu vltimi finis ordinatè se habet, & consequenter exuit rationem malitiæ venialis, quam aliàs haberet secluso tali motiuo.

2 Ex dictis sequitur, quod non solum quando vrget præceptum audiendi Missam, aut celebrandi; sed etiam, quando esset omittenda celebratio, aut consecrandum sine Cruce, posset licitè celebrari, vt notant Layman. & Franciscus Lugo *num. precedent. citati.* Nam oblatio sacrificij, cum sit supremus cultus, qui Deo exhibetur, est bonum adeo magnum, vt debeat præferri ornamento Crucis super altari; neque fit verisimile, quod Ecclesia velit ita præferi ipsum Crucis, vt nolit potius sine ipsa offerri sacrificium, & priuare Deum tanto cultu; præsertim, cum non sit quid necessarium pro reuerentia sacrificij.

3 Secundò sequitur. Quod erit sufficiens etiam quæcunque alia causa, ad quam ordinari possit, sacrificium. Nam cum sufficiat solum sacrificium, quod potius sine Cruce est celebrandum, quam omittendum, à fortiori sufficiet quæcunque alia causa ad quam ordinetur sacrificium; quia supra ipsum additur hæc quoque causa, atque adeo motiua ampliantur extensiuè. Non ex hoc tamen fit, quin debeat adhiberi, quando præsto adesset, obseruandam Rubricam, sed solum, quid si præsto non sit, non per hoc debeat permitti oblatio sacrificij.

QVÆSTIO 718.

An, & qualiter Missale sit necessarium.

SVMMARIVM.

1. *Tabella secretorum, & cuscinus non sunt necessarij pro celebratione Missæ.*
2. *Celebrare Missam absque Missali est peccatum mortale.*
3. *Ob periculum, cui celebrans se exponit.*
4. *Missale an solum quoad Canonem sit necessarium sub mortali.*
5. *Celebrare an liceat sine Missali tenenti Missam memoriter,* & num. seq.
7. *Quando finis potest obtineri sine tali medio, cessat obligatio ad ipsum.*
8. *Non legere, & non adesse Missale, quando paria sint.*
9. *Propter adstantes an adhibendum loco Missalis alter liber.*
10. *Sacerdos memoriter tenens Missam, posse celebrare, licet non possit legere ob debilitatem visus.*

In Rubric. *part.1. tit.20.* fit mentio de Missali adhibendo in celebratione Missæ. De tabella secretarum, & de cuscino supponendo Missali, & vsus Missalis præscribitur in Rubr. 10. *tit. de defect. in minist.* Est autem supponendum, quod quamuis pro obseruantia Rubricæ sit necessaria dicta tabella, & cuscinus, absolutè tamen non sunt ex necessariis: vnde absque ipsis posset sine peccato Missa celebrari, vt notat etiam Quartus *in Rubric. Missal. part.1. tit.20. dub.12.* quia præscribuntur pro commoditate celebrantis; nam dicta tabella non continet aliud, nisi quod est in Missali, & cuscinus est solum ob commodè collocandum Missale. Solum difficultas est de Missali, an scilicet adsit grauis obligatio vtendi ipso. 1

Dicendum est. *Esse peccatum mortale celebrare Missam absque Missali.* Ita Syluest. *verbo* Missa *1. quæst.2.* Tabiena *num. 12.* Angelus *num. 35. & 37.* Armilla *num.6.* D. Antonio. *3. part. tit.13. cap.6. §.6.* Nauar. *cap.25. Manual. num.84.* Henriquez *lib.9. sum. cap.26. num.3. & cap.27. num.7.* Azor. *part.1. lib.10. cap.29. quæst.4.* Rodriquez *part.1. sum. cap. 249. conclus. 19.* Suarez *disput. 81. de Eucharist. sect.6. ver. Quartò requiruntur.* Facundez *precept. 1. Eccles. lib.3. cap.21. num. 23.* Reginald. *lib. 29. praxis fori pœnit. cap. 9. sect.7. num. 197.* Bartholom. ab Angelo *Dialogo 5. §.408.* Coniuch *de sacrament. quæst.83. art.3. dub.2. num.251.* Pitigian. *in 4. distinct. 13. quæst.2. artic. 3.* Graff. *part. 1. decis. lib. 2. cap. 43. num.3.* Bonacina *disput.4. de sacrament. quæst. vlt. punct.9. num.30.* Sotus *in 4. distinct.13. quæst.2. art.4.* Filliuc. *tractat.8. cap. 5. num.127.* Tanner. *tom. 4. disput. 5. quæst. 10. dub.3. num.51.* Layman. *lib.5. Theol. moral. tract.5. cap. 6. num.17.* Villalob. *part. 1. sum. tract. 8. difficult.16. num. 5.* Ledesma *part.1. sum. cap.20. de Eucharist. post 8. conclus.* Faost. *de Eucharist. lib. 2. de sacrific. Miss. quæst. 125. ver. Respondeo.* Garzia *in sum. tract.3. difficult. 8. dub.3. punct. 1. num. 19.* Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib.4. tit.1. num.311. & 312.* qui tamen limitat, quoad Canonem Hurtad. *de sacram. disp.4. de sacrific. Miss. difficult.9. ver. Quartò.* Lublinus *in sum. verbo* Missa, *num.6.* Præpos. *3. part. quæst. 83. artic. 3. dub. 4. num.168.* & alij *infrà* citandi. 2

Ratio est. Quia celebrans sine Missali se exponeret 3

neret periculo committendi aliquem grauem errorem, præsertim omittendi aliquam partem, quæ in Canone, aut aliis partibus Missæ sit notabilia, & proinde omissio voluntaria sit peccaminosa mortaliter. Rursus se eaponit periculo generali scandali ea omissione, præsertim quia adstantes iudicare possunt, quod cum incuria, atque adeo quodam contemptu tractet huiusmodi mysterium. Et ideo ex hoc capite esset peccatum mortale.

4 An autem hæc obligatio, quoad mortale adsit tantum quoad Canonem, vt volunt Pax Iordan. *num.2. cit.* & Leander *de sacrament. tract.* 8. *disput.*7. *quæst.*1at. non puto, posse absolutè admitti, quia etiam in reliqois partibus Missæ potest contingere talis error, qui sit peccatum mortale, & faciliùs, quàm contingat in Canone, quia Canon in quolibet sacrificio recitatur; at reliquum Missæ variatur ferè quotidie. Vnde id ad summum censeo posse habere locum, quoad illas Missas, quæ frequenter recitari solent, vt sunt Missæ de Requiem, & aliquæ ex votiuis.

5 Maior difficultas est. An liceat celebrare sine Missali, quando quis ita memoriter tenet Missam, & præsertim Canonem, vt non adsit morale periculum errandi. Prima sententia negat esse licitum, sed adhuc esse peccatum mortale. Ita Syluester *verbo* Missa 1. *quæst.* 2. Tabiena *num.* 1. Azor. *part.* 1. *lib.*10. *cap.*19. *quæst.*4. Sotus *in* 4. *distinct.*13. *quæst.*2. *art.*4. Henriquez *lib.9. sum. cap.*19. *num.*7. Nauar. *cap.*25. *Manual. num.*84. Facundea *precept.*1. *Eccles. lib.*3. *cap.*21. *num.*13. & alij.

6 Secunda sententia asserit, in tali casu celebrari posse Missam sine Missali. Ita Vasquez 3.*part. disputat.*233.*cap.*3. *in fine*. Rodriquez *part.*1.*sum.cap.*249. *conclus.*19. Laymān. *lib.*5. *Theol. moral. tract.*5.*cap.*6. *num.*18. Ledesma *part.* 1.*sum. cap.*20. *de Eucharist. post conclus.*8. Præposit. 3.*part. quæst.*83. *art.*3. *dub.*4. *num.*168. ver. *Requiritur etiam*. Ludouic. à S. Ioan. *in sum. quæst.*11. *de Eucharist. art.*14. *dub.*1.*conclus.*2. Coninch *de sacrament. quæst.*83. *art.*3. *dub.*3. Villalob. *part.* 1. *sum. tom.* 8. *difficult.* 26. *num.* 5. Faustus *lib.*2. *de Eucharist. quæst.*225. ver. *Dixi notanter*. Dicastil. *de sacrament. tract.* 5. *de Eucharist. disputat.* 4. *dub.* 9 *num.* 161. Garzia *in sum. tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.*3. *part.*1. *num.*19. Marchin. *de sacrament. ordin. tract.*3. *part.*3. *cap.* 12. *num.* 6. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 2. *moral. lib.* 2. *tract.* 16. *de Eucharist. num.* 6. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disputat. vnic. punct.* 10. *num.* 4. Filliuc. *tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 127. Lugo Cardinal. *disput.*20. *de Eucharist. sect.*2. *num.*78. Caspens. *tom.*2. *Curs. Theol. tract.*23. *disput.*5. *sect.*4. *num.*80. Trullench *lib.*3. *de sacrament. cap.*8. *dub.*26. *num.* 10. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 13. vers. *Requiritur quoque*; qui addit, faciliùs hoc posse admitti, quando Sacerdos solitariè celebrat, quàm quando coram multis, siqoidem in hoc casu timora orandi auget periculum erroris. Quartus *in Rubric. Missal. part.*2. *tit.*2. *sect.*4. *dub.*2. ver. *Secunda sententia*. Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib.*1. *cap.*5. §.5. *num.*1. Francisc. Lugo *lib.*5. *de sacrament. cap.*7. *quæst.*6. *num.*51.

7 Dicendum. *Posse ex iusta causa celebrari sine Missali, si celebrans ita memoria polleat, vt non adsit probabilis timor errandi.* Ratio est. Quia obligatio Missalis oritur ex fine, ob quem est introductum, nempe ad subministrandam Missam memoriæ celebrantis: & ideò est obligatio medij, & præscriptio Rubricarum facit ipsum necessarium, quatenus est medium pro obtinendo fine: ergo cum medium non sit necessarium, nisi quatenus sine ipso non potest obtineri finis, quando poterit obtineri sine tali medio cessabit obligatio ipsum adhibendi, *l.*2. §. *fin. ff. de donat.* & *l.* 1. §. 5. *ff. de post.* vbi Gloss. & Bar. & *l. Sed si mors*, §. *fin. ff. de donat. inter vir. & vxor.* & cap. *Et si Christus, de iureiur.* & cap. *Cum infirmitas, de pœnit.* & cap. *Cum cessante, de appellat.*

Confir. Celebrans non tenetur legere in Missali, quæ memoriter tenet, vt constat etiam ex praxi: vnde quamplures recitant Canonem memoriter, & absque eo, quod legant in Missali: ergo poterunt etiam celebrare sine Missali cessante periculo erroris, nam pona sunt, non legere in Missali, & non adesse; quia quando in ipso non legitur, eius præsentia nullum sortitur effectum. Nec obstat, quod Missale inseruiat ad succurrendum memoriæ, si contigat obliuio, quia in casu, in quo timetur, non poterit celebrari sine Missali, & resolutio posita procedit solum, quando non timetur obliuio. 8

An autem si non adsit Missale adhiberi propter adstantes alter libet, existimo, negatiuè respondendum. Quia vel celebrans voluit paginas, vt solet fieri, quando adhibetur Missale, & tunc erit causa celebrantis magnæ distractionis. Vel non voluit, & tunc adstantes cognoscent, quod non vtitur Missali, sed memoriter recitat. Si igitur etiam memoriter recitaret sine Missali, & ita confidenter, vt non apponat periculum labendi, non mirarentur adstantes, quia optimè sciunt, quod Missale adhibetur ad subministrandum memoriæ, quæ recitanda sunt. 9

Ex dictis colligitur cum Vasquez 3.*part. disp.*232. *cap.* 3. *num.*16. Lugo Cardinalis *disp.*20. *de Euchar. sect.*2. *num.*78. Leandro *de sacrament. tract.*8. *disp.*7. *quæst.* 21. *in fine*. Quarto *in Rubric. Missal. part.* 2. *tit.*2. *sect.*4. *dub.*2. ver. *Colligitur primo excusari*. Sacerdotem patientem debilitatem visus, itavt non possit legere, posse celebrare Missam, si eam memoriter teneat, etiamsi non ita memoriæ confidat, vt non possit irrepere obliuio; quia cum habeat Missale præsens, poterit in casu obliuionis ad ipsum recurrere; quia cum aliquo modo videat, poterit subuenire memoriæ. Si tamen ita parum videat, vt non possit percipere fragmenta, tunc erit necessarium, quod aliquis Sacerdos aut Diaconus ipsi adsistat, vt possit esse auxilio pro colligendis fragmentis. 10

QVÆSTIO 719.

Quanta debeat esse confidentia memoriæ, vt celebrari possit sine Missali.

SVMMARIVM.

1. *Celebrans sine Missali peccet mortaliter, aut venialiter iuxta periculum, cui se exponit.*
2. *Ad vitandum mortale in celebrante sine Missale, non debet moraliter adesse periculum grauis erroris.*
3. *Errores leues ex inaduertentia non imputantur, si celebretur cum Missali: secus, si absque ipso.*
4. *Cum periculo erroris leuis an possit celebrari sine Missali ex iusta causa.*

QVia est peccatum celebrare sine Missali, ob periculum errandi, cui celebrans se exponit, ideo etiam peccatum erit mortale, vel veniale iuxta quantitatem periculi, cui se exponit; nam si periculum sit committendi grauem errorem, qui si voluntariè committeretur, esset grauis error peccatum erit mortale: si verò vt solum periculum leuis erroris, qualis etiam aliquando contingit, cum adhibetur Missale peccatum erit veniale. 1

2 Dicendum est. *Vt euitetur peccatum mortale ex eo, quod sine Missalis celebretur Missa, requiritur talis fidentia memoria, vt moraliter non adsit periculum grauis erroris*; & ex eo quod immineat periculum leuis erroris, non potest insurgere peccatum mortale.

3 Maior difficultas est, an si stante iusta causa vitetur peccatum veniale, si adsit periculum leuis erroris. In qua re certum est, quod licet contingant errores leues, etiam quando adhibetur Missale, quia tamen huiusmodi errores sunt inuoluntarij, quia proueniunt ex inaduertentia, ideò non imputentur. At quando proueniret, quia non adhibetur Missale, quia præuiderentur, essent voluntarij in causa, & possent vitari.

4 Dicendum 2. *Stante iusta causa celebrandi, nec habere possit Missale, celebrari posse etiam cum aliquo periculo erroris leuis.* Ratio est. Quia tunc se exponere periculo erroris leuis honestatur ex causa, ob quam celebratur; siquidem, vt dictum est etiam in superioribus; peccatum veniale est tale, quia licet non auertat ab vltimo fine, non tendit tamen in ipsum; & ideò quando apponitur motiuum honestum, quia inducit honestatem ipsius, inducit etiam ordinem saltem virtualem ad vltimum finem, atque adeò suppletur defectus, ratione cuius erat peccatum veniale. Et ideò cum se exponere periculo errandi leuiter, sit peccatum veniale, si succedat honestum motiuum iustæ causæ, cessabit hoc peccatum.

QVÆSTIO 720.

An Missale sit benedicendum.

SVMMARIVM.

1. *Missale esse benedicendum asserunt nonnulli Canonistæ.*
2. *Non est tamen benedicendum.*
3. *Sequentes Ritum Romanum tenentur vti Missali Romano.*
4. *Quæ regula seruanda circa Missalia, quæ non sunt secundum Ritum Romanum.*

1 NOnnulli ex Canonistis affirmant esse benedicendum. Ita Apostilla *ad Glos.* 1. *in cap.* 1. *de Pignor.* Abbas, & Ioan. Andr. Imola, Hostiens. *ibid.* Syluester. *verbo* Benedictio *num.* 5. *in fine.* Asserentes quod in Pontificali adsint Orationes ad hunc effectum. Verum in hodierno Pontificali, nec in Rituali aut ipso Missali adest benedictio Missalis, aut aliorum librorum. Vnde solum fortè antiquitus solebat benedici, vt colligitur ex eo, quod habent citati Doctores.

2 Dicendum est. *Nequaquam Missale esse benedicendum.* Ita Angelus *verbo* Benedictio. *num.* 9. Tabiena *num.* 6. Armilla *verbo* Benedictæ *num.* 1. Fusch. *lib.* 1. *de visitati. cap.* 23. *num.* 3. *in fine.* Pax Iordan. *tom* 7. *Lucubrat. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 313. & communiter cum Gloss. *in dict. cap.* 1. *verbo* Librum *de pignor.* Hoc autem constat ex praxi quæ in hoc facit legem; communiter enim Missalia non benedicuntur. Ratio verò esse potest, quia non inseruiunt sacrificio, neque inseruiunt Sacerdoti, quatenus Sacerdos est, vt inseruiunt vestes sacræ, quæ characterizant personam Sacerdotis quoad suam dignitatem; sed sunt tantum instrumenta ad ea subministranda memoriæ, quæ recitari debent, quod ex genere suo non est munus sacrum, sed commune vnicuique libro.

Denique est aduertendum, quod sequentes Ritum Romanum, tenentur vti Missali Romano, & proinde, si alio vterentur, peccarent mortaliter; quia Constitutio Pij V. præfixa eidem Missali id grauiter vetat. Solum difficultas est, an peccent non vtentes Missali Romano iuxta recentem reformationem. Resp. Peccare venialiter, si absque causa rationabili vtuntur: non autem mortaliter, quia recens reformatio non infert considerabilem diuersitatem, & ideò non est materia peccati mortali. Si autem vtantur ex causa rationabili, vt ob paupertatem, quia non possunt emere nouum Missale, aut ex aliqua alia, neque etiam peccant venialiter, quia talis causa est sufficiens, vt excuset ab obligatione. 3

Quod autem spectent ad Missalia, quæ non sunt secundum Ritum Romanum, hæc regula seruanda est ab iis, qui tenentur sequi Ritum Romanum, vt nimirum, si celebrent in Ecclesia quæ habent alium Ritum, possint vti Missali illius Ritus, vt si celebrarent in Ecclesia Cathedrali Mediolanensi, vti possent Breuiario Ambrosiano, quia possunt se conformare Ritui loci, in quo celebrant Breuiarium in diuersum à Romano sit concessum personis, non poterunt illo vti, qui tenetur sequi Ritum Romanum, quia tunc concessio non egreditur personas, nec se communicat loco, & ideò ratione loci non potest extendi ad alios vltra concessionarios. Credo tamen quod ex iusta causa posset vti, vt si non haberet aliud Missale, quia S. Rituum Congregatio apud Garziam *de Benefici. part.* 3. *cap.* 1. *numero* 156. declarauit, tunc peccari mortaliter, quando id scienter, & absque iusta causa fit. 4

QVÆSTIO 721.

An & qualiter candelabra sint necessaria in apparatu Altaris.

SVMMARIVM.

1. *Duo Candelabra cum candelis accensis adhibenda in Missa.*
2. *Non est determinata materia, ex qua constare debeant.*
3. *Celebrans sine Candelabris, cum lumine tamen, non peccaret.*
4. *Vicarij Generales licet Protonotarij non possunt in Missa adhibere nisi duo Candelabra.*
5. *Quot Candelabra in Missis solemnibus adhibenda.*
6. *Episcopi dum solemniter celebrant adhibent septem Candelabra.*
   Septimum Candelabrum non potest adhiberi ab Abbatibus dum solemniter celebrant.

IN Rubrica *part.* 1. *tit.* 20. *num.* 20. Præmittitur, quod adhibeantur duo saltem Candelabra cum candelis accensis in lateribus altaris posita. Ita enim habet: *Super altare collocetur Crux in medio, & Candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc, & inde in vtroque eius latere.* Quod etiam tradit Innocent. III. *lib.* 2. *de Myster. Miss. cap.* 21. *in fine.* Addens, quod Crux inter duo Candelabra significat, quod Christus in Ecclesia est mediator inter duos populos, nempe Iudæos, & Gentiles. 1

Est autem aduertendum, quod neque est determinata materia ex qua constare debeant, sed possunt constare ex quacunque, neque etiam debent benedici. Imò possent adhiberi Candelabra communia, & posteà etiam adhiberi pro communibus 2

vsibus,

vsibus, itavt eadem candelabra pro altari, & pro communibus vsibus inseruiant, vt notaut Pax Iordan. *tom. 1. Lucubrat. lib. 4. tit. 1. num.* 247. Quia scilicet inseruiunt solum, vt substentacula luminis, quod adhibetur, & ideò cum non habeant aliquem vsum sacrum, non est necessarium, quod sint destinata tantum pro hoc munere.

3 An autem peccaret, qui celebraret sine candelabris, videtur negatiuè resoluendum, dummodo tamen adhiberet lumen, quia candelabra non adhibentur, neque præscribuntur à Rubrica ratione sui, sed ratione luminis, vt super ipsis imponi possit. Vnde quod saluo lumine deficiant candelabra, non multum refert. Et ideò Rubrica quoad hoc mere directiuè se habet, vt scilicet adhibeatur lumen congruentiori modo, & proinde non continet materiam cuius trangressio fundet peccatum saltem graue.

Quia autem Rubrica habet, quod adhibeantur
4 duo saltem candelabra relinquit in facultate plura adhibere. Hinc tamen insurgit difficultas, quomodo S. Rituum Congregatio declarauerit, quod vicarij Generales, etiam si sint Prothonotarij, non possint adhibere in Missa, nisi duo candelabra. Ita 7. *August.* 1627. apud Gauant. *in Manuali verbo* Missæ Ritus *num.* 11. & *in Rubr. part.* 1. *tit.* 20. *littera T, in fine.* Videtur enim hæc declaratio contraria Rubricæ. Verum considerandum est, quod hæc declaratio procedit stante consuetudine introducta, quod in Missis priuatis adhibeantur duo tantum candelabra, & quod Episcopis celebrantibus adhibeantur quatuor in signum cuiusdam præeminentiæ, quo stante S. Congregatio declarauit, quod Vicarij Generales, licet Prothonotarij, non possint sibi vsurpare hanc præeminentiam. Vnde Rubrica concedit quidem plura, quam duo Candelabra non tamen in signum alicuius præeminentiæ.

In Missis autem solemnibus consuetudo obtinuit,
5 quod adhibeantur sex candelabra, hoc est tria hinc inde & in medio Crux. Quod etiam ipsa Rubrica supponit vbi agit de incensatione altaris. Hic tamen numerus non est ita necessarius, vt non possit esse minor, aut maior. Imò alicubi obseruaui, quod in Ecclesiis, quæ potius pauperes sunt, quam diuites quatuor tantum adhibentur, aut etiam duo, dum celebratur diebus profestis Missa Conuentualis. Alibi autem in festo alicuius solemnitatis vidi plura, quam sex adhiberi super altare, vt Venetiis obseruaui, vbi vsque ad triginta solent aliquando poni quod obseruat etiam Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 244. Quem tamen morem non approbat, quia inquit redolet fastum verum non mihi videtur damnandus, quia cum tendat in cultum diuinum & ordinetur ad solemnizandum diem festum est ex obiecto laudabilis, & etiam ex fine. Quod si adsit ex parte alicuius intentio fastus, hic est finis extrinsecus, & concomitans, nec vitiat opus, seu cultum secundum se.

Episcopi autem dum solemniter celebrant, adhi-
6 bent septem candelabra, quorum septimum post Crucem, in medio est collocandum, vt præscribit Cærem. Episcop. *lib.* 1. *cap.* 12. & constat ex praxi. Verum hoc septimum, non debet adhiberi in Missis Defunctorum nec in Vesperis, nec quando Episcopus, suffraganeus celebrat, declarauit S. Rituum Congregatio *in Bracharensi* 1. *Septemb.* 1607. Est tamen aduertendum, quod hoc septimum candelabrum non potest adhiberi ab Abbatibus, quando solemniter celebrant, vt instante Cardinali Carafa Archiepiscopo Neapolitano, & auditis partibus declarauit S. Rituum Congregatio *die* 18. *Martij* 1617. & voluit, quod hoc Decretum ab omnibus Abbatibus vbique seruaretur.

QVÆSTIO 722.

An, & qualiter lumen sit necessarium in oblatione sacrificij.

SVMMARIVM.

1. *Lumen sub peccato mortali adhibendum in sacrificio.*
2. *Omittere lumen in oblatione sacrificij est materia grauis.*
3. *Lumina in quolibet numero possunt in Missa adhiberi, dummodo non sit numerus superstitiosus.*
4. *Quinam numerus sit superstitiosus.*
5. *Nullus numerus de se superstitiosus, sed solum ratione finis.*

LVmen esse adhibendum in oblatione sacrificij s
constat non solum ex Rubrica *part.* 1. *titul.* 20. *num.* 1. sed etiam ex cap. *Litteras. de celebrat. Miss.* Vnde dicendum est, *Lumen in oblatione sacrificij esse adhibendum, necessario, itavt si omittatur, sit peccatum mortale.* Ita Gloss. *in cap. fin. verbo sine lumine. de celebrat. Missar.* Hostiens. *ibidem* Panorm. *num.* 1. Durand. *in* 4. *distinct.* 13. *quæst.* 2. *num.* 9. Sotus *quæst. item* 2. *artic.* 4. Palud. *quæst.* 2. *articul.* 7. *conclus.* 2. Syluester *verbo* Missa 1. *quæst.* 2. Armil. *num.* 6. Angel. *num.* 35. Tabiena *num.* 10. ver. *Secundo.* D. Antonin. 3. *part. tit.* 13. *cap.* 6. §. 5. Rodriquez *part.* 1. *summ. cap.* 249. *conclus.* 12. Nauar. *cap.* 25. *Manual. n.* 85. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 26. *num.* 3. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 28. *quæst.* 15. Vasquez 3. *part. disput.* 233. *cap.* 3. *num.* 25. Præposit. *quæst.* 83. *art.* 3. *dub.* 4. *num.* 168. Chellison. *dub.* 5. Suarez *disputat.* 81. *de Eucharist. sect.* 6. ver. *Tertiò requiritur.* Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 15. Reginaldus *lib.* 29. *Praxis fori pænit. cap.* 9. *sect.* 7. *num.* 196. Ledesma *part.* 1. *sum. tractat.* 5. *de Eucharist. cap.* 20. *conclus.* 7. Dicastil. *de sacrament. tractat.* 5. *disput.* 4. *dub.* 9. *num.* 159. Gabr. *sect.* 13. *in Can. Miss.* Faustus *lib.* 2. *de Eucharist. quæst.* 218. ver. *Respondeo.* Gataia *in sum. tractat.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 3. *punct.* 1. *num.* 17. Ludouic. à S. Ioan. *in sum. quæst.* 11. *de Eucharistia, art.* 13. *dub.* 2. *difficult.* 3. Marchin. *de sacrament. ordin. tractat.* 3. *part.* 3. *cap.* 12. *num.* 4. Gaspar Hurtad. *de sacrament. disput.* 4. *de sacrificio Miss. difficult.* 9. ver. *Secundò pro ornatu.* Martin. à S. Ioseph *tom.* 1. *moral. tractat.* 16. *de Eucharistia, num.* 4. Villalob. *part.* 1. *summ. tractat.* 8. *difficult.* 26. *num.* 4. Auersa *quæst.* 11. *de Eucharist. sect.* 13. ver. *Requiritur etiam* Franc. Lugo *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 7. *quæst.* 5. *num.* 44. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tractat.* 5. *cap.* 6. *num.* 17. Bonac. *disput.* 4. *de sacrament. quæst. vltim. part.* 9. *num.* 31. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *disput. vnic. punct.* 10. *num.* 3. Salzedo *in Addit. ad pract. crim.* Diaz. *cap.* 57. *in fine.* Lugo Cardin. *disput.* 20. *de Eucharist. sect.* 2. *num.* 77. Quintanaduen. *tom.* 1. *sing. tract.* 4. *singul.* 1. *num.* 2. Leander *de sacrament. tract.* 8. *disput.* 7. *quæst.* 17. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 248. Caspens. *part.* 2. *Curs. Theol. tract.* 13. *disp.* 3. *sect.* 4. *sum.* 79. Trullench. *lib.* 3. *de sacrament. cap.* 8 *dub.* 16. *num.* 11. Quartus *in Rubr. Miss. part.* 1. *tit.* 20. *dub.* 11. *inst.*

Hoc autem probari solet ex cap. *Litteras de cele-* 2
brat. Miss. vbi quidam Sacerdos punitur pœna depositionis, quia celebrauerat sine lumine. Quare cum pœna sit grauis, delictum quoque censendum est graue. Verum ex hoc text. non colligitur intentum, quia non punitur dicta pœna Sacerdos ex eo solum

ſolum, quod non adhiberent lumen, ſed etiam quia vino conſectando non miſcuerit aquam cum autem certum ſit hoc eſſe graue delictum, potuit tali pœna, puniti intuitu huius ſolius delicti, & non quia lumen non adhibuerit. Solum ergo ex eo conuincitur, quod in communi æſtimatione cenſetur materia grauis, & propterea etiam grauis erit transgreſſio. In his enim rebus plurimum poteſt Iudicium Doctorum, qui conueniunt in hoc, quod materia ſit grauius; & licet hoc indicium videatur ortum traxiſſe ex prædicto tex. cap. *Litteras*, eo tamen præciſo, adhuc habet locum, quia moti ſunt ad accipiendem pœnam depoſitionis impoſitum in illo text. fuiſſet impoſitam ob celebrationem ſine lumine, quia apprehenderunt delictum dignum graui pœna, atque adeò in ſe ipſu graue.

3 Quod autem ſpectat ad numerum luminum Rubr. *part.* 5. *tit.* 20. *num.* 5. ſicut præſcribit, quod duo ſaltem candelabra adhibeantur, ita etiam præſcribit de luminibus, quia vult candelabra adhiberi, cum candelis accenſis vnde eodem modo diſcurrendum eſt de luminibus, ac de candelabris; & proinde quæ de ipſis dicta ſunt *in quæſt. præcedent.* hic applicari poſſunt. Solum aduertendum eſt, quod licet plura lumine adhiberi poſſint, non tamen in aliquo, numero, qui redoleat ſuperſtitionem, vt ſtatuit Conc. Trident. *ſeſſ.* 22. *in Decret. de ſeruan. & vitan. in celebrat. Miſſ.* iniungens Epiſcopis, vt non permittant in celebrat. Miſſarum numerum ſuperſtitioſum.

4 Verum ſtatim difficultas inſurgit, quinam ſit numeros ſuperſtitioſus. Pax Iordan. *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 4. *n.* 256. putat numerum excedentem præſcriptum iuxta Rub. aut eſſe ſuperſtitioſum, aut ambitioſum, ſed non rectè quia Rubrica dicit, quod adhibeantur duo ſaltem Candelabra cum Candelis accenſis, & proinde relinquit in poteſtate adhibere plura: Vnde neque, erit ſuperſtitio, neque ambitio plura adhibere. Et quamuis conſuetudo induxerit in miſſis priuatis vſum duorum, hoc tamen non taxat, vt non poſſint adhiberi plura, quia talis conſuetudo eſt circa facultatiua, quæ non induit obligationem.

5 Itaque exiſtimo nullum numerum de ſe eſſe ſuperſtioſum, quia de ſe non eſt magis determinatus ad ſuperſtitionē, quàm ad cultum, ſed tunc ſolū fieri ſuperſtitioſum, quando adhibetur in finem ſuperſtitioſum: & proinde erit ſemper reſpiciendum ad finem adhibentis, vt iudicari poſſit, an adſit, vel non adſit ſuperſtitio. Secluſo autem fine ſuperſtitioſo, adhiberi poterit quicunque numerus, dummodo non fiat in ſignum alicuius præminentiæ, quæ non conueniet celebranti. Tunc enim iuxta vſurpationem præeminentiæ iudicandum eſſet, an peccaret; an vero non peccaret.

QVÆSTIO 723.

An liceat celebrare cum vnico lumine.

SVMMARIVM.

1. *Celebrare an liceat cum vnico lumine.*
2. *Vnicum lumen in oblatione ſacrificij ſufficit ad implendum præceptum.*
3. *Quia ſolum requirit lumen.*
5. *An & quale priuatum adhibere vnicum tantum lumen.*
5. *Rubrica præſcribit duo lumina habita ratione conuenientia.*

1 CErtum eſt, quod ſi ſpectemus decentiam, & præſcriptionem Rubricarum, quæ ad eandem decentiam reſpicit, & communem conſuetudinem, requiruntur duo lumina vnum à dextris & alium à ſiniſtris Crucis. Vnde ſolum difficultas eſt, an ſufficiat vnicum lumen pro implendo præcepto. Quod autem non liceat celebrare, cum vnico tantum lumine tenet Nugn. 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 3. *dub.* 5. qui in caſu quoque neceſſitatis putat eſſe peccatum veniale.

Dicendum tamen eſt. *Ad ſatisfaciendum præcepto de adhibendo lumine in obligatione ſacrificij, ſufficere vnicum lumen.* Ita communiter Ledeſma *part.* 1. *ſum. cap.* 20. *de Euchar. in dub. poſt concluſ.* Laiman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 17. Suarez *diſp.* 81. *de Euchariſt. ſect.* 6. verſ. *Tertio requiritur.* Bonac. *diſput.* 4. *de ſacram. quæſt. vlt. punct.* 9. *num.* 31. Coninch. *de ſacram. quæſt.* 83. *art.* 3. *dub.* 2. *concluſ.* 3. Auerſar. *quæſt.* 12. *de Euchariſt. ſect.* 53. verſ. *Requiritur etiam* Dicaſtil. *tract.* 5. *de ſacram. diſput.* 4. *dub.* 9. *num.* 159. Villalob. *part.* 1. *ſum. tract.* 8. *difficult.* 26. *n.* 4. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 28. *quæſt.* 15. *in fine.* Vaſquez 3. *part. diſput.* 233. *cap.* 3. *num.* 26. Reginal. *lib.* 29. *praxis fori pœnit. cap.* 9. *ſect.* 7. *num.* 196. Rodriquez *part.* 1. *ſum. cap.* 249. *concluſ.* 12. Facundez *præcep.* 1. *Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 18. Marchin. *de ſacram. Ordin. tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 12. *num.* 4. Merin. à S. Ioſeph *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 16. *de Euchariſt. num.* 4. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 22. *diſput. vn. punct.* 10. *num.* 3. Graff. *part. deciſ. lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 1. Fernandez *part.* 3. *Exam. Theol. moral. cap.* 5. §. 12. *num.* 13. Ludouic. à S. Io. *in ſum. quæſt.* 21. *de Euchariſt. art.* 13. *dub.* 2. *difficult.* 5. Gaſpar Hurtad. *de ſacram. diſput.* 4. *ſacrific. Miſſ. difficult.* 9. verſ. *de numero* Trullench. *lib.* 3. *de ſacram. cap.* 8. *dub.* 16. *num.* 21. Fauſtus *lib.* 2. *de Euchariſt. quæſt.* 212. Garzia *in ſum. tract.* 3. *difficul.* 8. *dub.* 3. *punct.* 5. *num.* 18. *in fine* Tamburin. *opuſc. de ſacrif. Miſſ. lib.* 1. *cap.* 5. §. 4. *num.* 1. Filliucius *tract.* 5. *num.* 126. Franciſc. Lugo *lib.* 5. *de ſacram. c.* 7. *quæſt.* 7. *punct.* 45. Ludouic. autem à Io. & Dicaſtil. teſtatur, quod ſit in vſu, adhibere vnicum lumen.

Ratio autem eſt. Quia de iure tantum habetur, quod in oblatione ſacrificij ſit adhibendum lumen, hoc autem ſufficienter ſaluatur, ſi adhibeatur vnicum tantum lumen. Quod autem Rubrica dicat, eſſe adhibenda duo ſaltem candelabra cum candelis accenſis, hoc non dicit, vt inducat obligationem; ſed vt præſcribat, quod eſt ſecundum decentiam, præſertim quia duplex lumen incenſit, quod ſi vnum extinguatur, aliud remaneat.

Maior difficultas eſt, an adhibere vnicum tantum lumen ſit peccatum. Et quidem nullum eſſe peccatum adhibere vnicum lumen concordant communiter. Quia neceſſitas cauſa ſufficiens omittendi, quod exigitur tantum à decentia, ſiquidem neceſſitas præualet contra decentiam ſecluſa autem neceſſitate, eſſe peccatum veniale offerre ſacrificium cum vnico tantum, lumine docent Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 28. *quæſt.* 5. Gauant. *in Rubr. Miſſal. part.* 2. *tit.* 20. *littera T.* Leander *de ſacram. tract.* 8. *diſp.* 7. *qu.* 18. ver. *Sed ego.* Quartus *in Rubr. Miſſal. par.* 2. *tit.* 20. *dub.* 51. *difficul.* 1. Alij verò volunt, quod ſufficiat quæcunque cauſa, licet non valde grauis ad excludendum peccatum veniale. Ita Layman *l.* 5. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 6. *n.* 17. Auerſa *quæſt.* 11. *de Euchariſt. ſect.* 13. ver. *Requiritur etiam* Franciſc. Lugo. *lib.* 5. *de ſacram. cap.* 7. *quæſt.* 5. *num.* 45. *in fine* Quia reuera violatur Rubrica. Sed in re leui, & proinde leuis quoque; cauſa excuſare poteſt. 2

Mihi tamen videtur, quod ratione obiecti nullum interueniat peccatum. Quod ſentire tenentur ij, qui volunt, quod Rubricæ merè directiuæ neque obligēt ſub veniali, quos in ſuperioribus ſuo loco citaui. Talis autem eſt Rubrica, quæ præſcribit duo lumina quia determinet ſolùm quoad conuenientiam, quod de iure, requiritur. Cum enim de iure requiritur lumen, vt conuenienti modo adhibeatur, etiam aliqua 3

ſpeciali

speciali decentia, præscripsit duo lumina à dextris, & sinistris Crucis: relinquere autem, quod solum est de conuenientia, non est ex obiecto peccatum. Fateor tamen quod facillime interuenire potest peccatum veniale, vel ratione finis, vel ratione alicuius circunstantiæ, quod tamen excludetur, quoties ex aliqua rationabili causa vnicum lumen adhibetur.

QVÆSTIO 724.

An cœptum sacrificium prosequi possit, si lumen extinctum non possit reaccendi.

SVMMARIVM.

1. *Si incœpta consecratione extinguatur lumen, est prosequenda Missa.*
2. *Et complenda ad finem.*
3. *Quid si extinguatur ante consecrationem, nec reaccendi possit.* & num. seq.
5. *Extincto lumine non desinit obligare præceptum complendi Missam.*
6. *Præceptum de complenda Missa præualet præcepto adhibendi lumen.*
7. *Si lumen non possit reaccendi cessat vrgere præceptũ. Quod lex non asserit, nec nos debemus asserere.*
8. *Non adhibere lumen an detrahat de reuerentia debita sacrificio.*
9. *Extincto lumine, si reaccendi possit, an expectandum.*
10. *Quid si neque adesset lampas accensa.*

1 SVpponendum est tanquam certum. Quod si incœpta consecratione extinguatur lumen, prosequenda & celebratio, vt notant Doctores præsertim infra citandi. In hoc enim casu concurrunt duo præcepta, vnum de adhibendo lumine in oblatione sacrificij. Quod est purè humanum Ecclesiasticum; alterum, quod est de complendo sacrificio, quod est diuinum. Certum est autem, quod in hoc concursu debet præualere diuinum tanquam altioris ordinis, & proueniens ab illa potestate, cui omnis alia subordinatur præsertim quia potest. Eccles. humana nõ se extẽdit ad obligandum cõtra præcepta diuina, & ideò præcepta humana cẽsentur posita sub tacita conditione, quod non se extendant ad obligandũ in cõcursu cũ diuinis.

2 An autem sit prosequenda Missa vsque ad consumptionem tantum sacrificij inclusiuè, an verò etiã absolutè complenda, maiorem habet difficultatem. Nam consumpto sacrificio, cessat præceptum diuinũ, quod solum obligat, vt consumẽtur sacrificium: & ideò videtur cessare ratio, ob quam liceat continuare Missam sine lumine. Attamen tenendum est, quod Missa absolutè sit complenda. Quia licet, quod superest post cõsumptum sacrificium, sit solum de iure Ecclesiastico, & proinde concurrat vnum præceptum Ecclesiasticũ cum alio, attamen quià, quæ supersunt consumpto sacrificio pertinent ad intrinsecum complementũ Missæ, & lumen solum ad extrinsecum honorem, & ideò satius est, cõplere Missam absolutè sine lumine, quàm incompletam relinquere, quia defectus extrinseci minoris sunt momenti, quam intrinsei. Vnde difficultas remanet, quãdo lumẽ extinguitur ante consecrationẽ.

3 Quod autem quando lumen extinguitur ante consecrationem, nec reaccendi potest, non liceat Missam continuare tradunt Facund. *præcep. 1. Eccles. lib. 3. c. 22. n. 19.* Faust. *de Euchar. lib. 2. de sacr. Mis. q.* 224. Tamb. *opus. de sacr. Mis. lib. 1. c. 5. §. 4. n.* 1. & addunt, neque licere continuare Missam ob ministrandum viaticum. Et videtur hanc sententiam approbare Quartus *in Rubr. Mis. p. 1. tit. 20. dub. 11. diffic. 3.* ver. *Respondeo, & dico. in fin.* Fundamentum est. Quia debet potius omitti celebratio Missę, quam continuari cum irreuerentia. Est autem magna irreuerentia continuare sine lumine.

4 Ab his autẽ dissensit Leand. *tr.* 8. *de sacr. disp. 7. q.* 20. ver. *Ego tamen.* asserens, si lumen deficiat post offertorium, esse continuandam Missam cum iam sint oblata, quæ consecranda sunt. Imò quocunq; modo incœptã Missam esse continuandam quãdo esset necessaria pro ministrãdo alicui viatico. Et Quintanad. absolutè docet, Missã esse continuandã. Ita *t. 1. tr. 2. sing. 13. n. 3. & 7.*

Dicendum tamen est. Quod cœpto sacrificio cum lumine, si contingat extingui, nec possit reaccendi, debere cõtinuari sacrificium. Ratio est. Quia dum sacrificium incipit cum lumine, seruatur ritus præscriptus ab Ecclesia; quod autẽ cõtingat extingui, per accidens est, & præter intentionẽ, etsi nõ possit reaccẽdi, deuenitur ad casũ impossibilẽ, in quo cessat obligatio legis, quia nulla lex obligat ad impossibilẽ, cũ inter alias essentiales conditiones legis ea sit, quod sit possibilis, hoc est de re, cuius executio sit possibilis. c. *Erit autem. dist.* 4. Rursus ex alia parte vrget præceptum complendi Missam incœptã, quod nõ fit impossibile quoad suam materiam, seu obiectum, sed tãtum fit impossibilis aliquis ritus ipsius extrinsecus: ergo non desinit obligare; nam in tantũ desineret obligare, in quantum requireret ritum extrinsecũ luminis, & non posset habere: non requirit autem, quando sit impossibilis, quia sicut impossibilia non possunt à lege iniungi, ita neque ex vi legis ab aliquo exigi. Lumen autem non exigitur à sacrificio ex natura rei, sed tantum ex vi legis Ecclesiasticæ. 5

Confir. in casu præsenti concurrunt duo præcepta, alterum de complenda Missa inchoata, quod prouenit ex natura rei, quatenus res quælibet exigit suũ complementum. Et adeò grauiter iniungitur, Missam inchoatam perficere, vt contra facientibus imponatur pœna excommunicationis in c. *Nihil contra. 7. q.* 1. per Conc. Tol. VII. & in c. *Nullus Episcopus. de consecr. dist.* 5. suspendatur à participatione corporis, & sanguinis Christi ex Decr. Zachar. Pap. in Conc. Rom. Alterum verò præceptum de adhibendo lumine non prouenit ex natura rei, sed tantũ ab extrinseca ordinatione Ecclesiæ, nec ita expressum reperitur, sicut reperitur præcedens: ergo in concursu horum præceptorum debet præualere, quod fortius ligat. Illud autem fortius ligat, quod prouenit ex natura rei, & habet assistentiam potestatis Ecclesiasticæ, quàm, quod solum ligat ex assistentia potestatis Ecclesiasticæ. 6

Confir. 2. Quamuis Ecclesia pręcipiat, quod in oblatione sacrificij adhibeatur lumen, non tamen præscribit, quod si incœpta Missa extinguatur lumen, nec possit reaccendi, debeat intermitti: ergo cum hoc pręceptum non possit impleri, & aliàs vrgeat aliud præceptum de incœpta Missa prosequenda, debemus implere illud præceptum, quod impleri potest, nec possumus asserere, quod Ecclesia nolit impleri, quãdo non potest impleri cum lumine, quia quod lex non asserit, nec non debemus asserere *l. Si seruum.* §. *Non dixit. ff. de acquir. hæred.* & *l. 2. §. 1. ff. de iudic.* & c. *Illa. Ne sede vacante.* & c. *Inter corporalia. de translat. Episcop.* 7

Ad fundament. in opposit. resp. Quod sicut celebrare cũ lumine nõ exigitur ex natura sacrificij, sed tantũ prouenit ex instit. Eccles. ita etiã reuerẽtia, quæ cõsurgit ex vsu luminis, nõ est necessari[illegible] natura sacrificij, sed tantũ ex instit. Eccles. Et ideò hinc fit, quod nõ adhibere lumẽ, nõ importet irreuerentiã, quę detrahat dignitati sacrificij, quasi nõ exhibeatur illa reuerẽtia, quã ex se exigit, sed solũ minorẽ reuerentiã, quatenus nõ tractatur cũ tota illa reuerẽtia, quæ est secundũ instit. Eccles. Cum autẽ institutio non obliget, nisi ad reuerentiã, quatenus possibilis est, cessabit obligatio adhibendi lumen, quãdo iam cœpta Missa extinguitur, nec reaccendi potest; neq; hinc consurget aliqua irreuerẽtia, ratione cuius inchoata Missa sit amittenda. 8

An autem, si reaccendi possit lumen expectandum sit, & non prosequenda celebratio. Resp. Quintanad. *tom. 1. tr. 2. singul. 13. n. 2. & 3.* Quod si ad altare ardeat lampas olet, non esse interrumpendam celebrationem, 9

neque ad exiguum tempus. Quia in necessitate adhiberi potest lumen ex oleo. Verum cum statim, è lampade reaccendi possit, non videtur casus habere difficultatem, quia ad summum breuissimo tempore durabit celebratio absque lumine. Quod si lampas alitè pendeat, itavt non sine aliqua mora reaccendi possit tunc idem est ac si non arderet lampas, quia non esset in altari, & ideò lumen non posset inseruire sacrificio.

10 Verum, etiamsi nullum adesset lumen, & esset diu expectandum, asserit Quintanad. ante consecrationem esse diutius expectandum, nempe per horam dimidiam, aut horam circiter, ne consecratio fiat sine lumine. Post consecrationem verò, nec per quadrantem esse expectandum. Cæterum cum interruptio Missæ sit contra vnitatem ritus sacrificij, non videtur posse interrumpi, nisi ex causa valde graui: nam interruptio Infert deformitatem intrinsecam, & continuatio sine lumine minorem reuerentiam extrinsecam: vnde videtur præualere continuatio cœremoniæ extrinsecæ luminis. Præsertim, quia si exiguo tempore expectandum sit, exiguo etiam tempore durabit celebratio sine lumine. Et proinde ratione paruitatis materiæ secundum se non esset, nisi veniale, stante autem rationabili causa non interrumpendi, neque erit veniale.

QVÆSTIO 725.

An ex causa necessitatis possit offerri sacrificium absque lumine.

SVMMARIVM.

1. *Ex nulla necessitate posse offerri sacrificium sine lumine, qui sentiant.*
2. *Seclusa institutione nulla esset irreuerentia offerre sacrificium sine lumine.*
3. *Lex habet pro exceptis casus necessitatis.*
4. *Ritus adhibendi lumen non fundatur in præcepto negatiuo, sed positiuo.*
5. *Obligatio altioris ordinis præualet præcepto adhibendi lumen in sacrificio.*

1 STante quacunque necessitate nunquam offerri posse sacrificium sine lumine, tradunt Henriquez *lib. 9. sum. c. 26. n. 4.* Bellarm. *lib. 2. de sacrif. Miss. c. 14. §. De cereis.* Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 3. c. 22. n. 19.* Lugo Card. *disp. 20. de Euchar. sect. 3. nu. 77.* Tambur. *opus. de sacrif. Miss. lib. 1. c. 5. § 4. n. 1.* Quattus *in Rubr. Miss. p. 1. tit. 20. dub. 11. diffic. 3.* Fundamentum est, quia vsus luminis est ritus valde grauis, & eius omissio vergeret in grauem irreuerentiam sacrificij.

2 Huc tamen mihi difficile videtur, præsertim quia fundatur in falso præsupposito. Quod non adhibere lumen ex causa necessitatis sit irreuerentia. Nam, vt dictum est, sacrificium non exigit, vt ob reuerentiam adhibeatur lumen seclusa enim institutione Ecclesiæ, nulla esset irreuerentia offerre sacrificium sine lumine, quia ex nullo capite requireretur. Supposita autem institutione Ecclesiæ est quidem reuerentia adhibere, lumen, vt tamen, non sit irreuerentia non adhibere, quando non potest adhiberi, sed tantum minor reuerentia.

3 Accedit, quod licet iste ritus sit valdè grauis, adhuc tamen est ex sola institutione Ecclesiæ, atque adeò obligat solum secundum mensuram potestatis Ecclesiasticæ. Potestas autem Ecclesiastica non obligat, nisi humano modo, & ex genere suo obligatio non se extendit ad casus necessitatis, sed semper habentur pro excepti tanquam legi non subiecti. *l. Ait Prætor. §. Si debitorem. ff. Quæ in fraud. credit,* & *l. Aliquando. C. de oper. libert.* & cap. *Ad limina 30. q. 1.* & cap. 1. *Causa 4. q. 1.* & cap. *Consilium. de obseruat. ieiun.* & c. *fin. de Feriis.* & c. *Non minus. de immunit. Eccles.* & c. *Nemo. de regul. Iur. in 6.* Et ideò etiam institutio luminis tanquam innixa potestati Ecclesiasticæ, ita suscipienda est, vt non debeat præualere; sic etiam ritus sumendi Eucharistiam à ieiunis est valdegrauis, & tamen non præualet contra necessitatem

Quod præsertim locum habet, quia ritus adhibẽdi lumen nõ fundatur in præcepto negatiuo, quod prohibeat offerre sacrificium, etiam quando sine lumine offerri non potest: sed in præcepto positiuo, quod scilicet offeratur cum lumine. Vnde cum in hoc differant præceptum negatiuum, & positiuum, quod illud obligat semper & ad semper. Positiuum verò obligat solum cum occurrit materia, & est possibile seruari, vt docent communiter Theologi cum D. Thom. & proinde non obligat ad semper, sequitur, quod præceptum adhibendi lumen in oblatione sacrificij, tanquam affirmatiuum, obliget solum, quando possibile est seruari. 4

Præterea hoc præceptum adhibendi lumen concurrere potest cum alio præcepto, quod admixtam habeat obligationem iuris naturalis, aut diuini. Ve si obligetur Sacerdos ministrare viaticum, aut ratione muneris aut etiam ratione, charitatis, aut in aliquo alio casu, vbi adsit obligatio ex iure diuino, aut naturali. In hoc autem casu ex natura rei præualere debet obligatio, altioris ordinis, qualis est radicata in iure naturali, aut diuino, quia inferius non potest præualere contra superius, & ideò obligatio inducta ab Ecclesia tanquam de Iure solo humano, atque adeò inferioris ordinis non poterit præualere contra obligationem de iure diuino, aut naturali. Dicere autem, quod Ecclesia ratione suæ potestatis, habet circa sacrificium, & sacramenta, quod velit præualere, est sine fundamento, quia nullo pacto constat de hac intentione. Etsi volumus vti præsumptionibus, & coniecturis, verisimile est, quod voluerit hanc suam institutionem cùm habere iuxta mensuram potestatis Ecclesiasticæ ordinariç, cum aliud non expresserit. Et ideò posse offerri sine lumine docet Thom. Hurtad. *part. 1. resol. mor. tractat. 2. c. 1. resol. 2. num 22.* 5

QVÆSTIO 726.

Ex quanam materia lumen accendi debeat in oblatione sacrificij.

SVMMARIVM.

1. *Ritus adhibendi lumen, ex cera in sacrificio Missæ est antiquissimus.*
2. *Lumen ex alia materia non esse adhibendum qui sentiant.*
3. *Posse adhiberi lumen ex oleo alij sentiunt.*
4. *Etiam ex adipe tradunt alij.*
5. *De iure non adest obligatio adhibẽdi lumen ex cera.*
   Ex actibus frustratiuis non inducitur quocunque tempore consuetudo obligans.
6. *Introductio luminis ex cera pro Missa habet titulum voluntarium.*
7. *Ex alia materia, quàm ex cera adhibere lumen in Missa, est peccatum veniale.*
8. *Adhiberi potest lumẽ ex oleo, &c. deficientib. cereis.*
9. *Lumen ex oleo, an potius adhibendũ, quàm ex adipe.*
10. *Accendere lumen, quando in Missa eleuatur Eucharistia, an cadat sub obligatione.*

RItus adhibendi lumen ex cera accensum est antiquissimus in Ecclesia, vt constat ex Conc. Carthag. 4. *cas. 6.* vbi dicitur, quod Acolytus in sua ordinatione accipit cerofutariũ cum cereo, vt sciat, se mancipari ad accendenda Ecclesiæ luminaria, & SS. Isid. *lib. 7.* 1

Digitized by Google

lib.7. Etymol.c.12.& epist.ad Ludifred. vt refertur in c. *Perlectis. hist.25.* & hic ritus continoatur semper fuit saltem apud Ecclesias ditiores. Vnde solum difficultas est, an liceat, vti lumine accenso ex alia materia, vt oleo, aut materia, qualis est sebacea.

2 Prima sententia asserit, non licere vti lumine ex alia materia, quam ex cera accensa. Ita Henriquez *lib.9. summ. cap. 26. num. 4. & cap. 29. num. 7.* Bellarmin. *lib.2. de sacrific. Miss. cap. 14. §. de cereis.* Facondez *precept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 22. num. 17.* qui tamen concedit, in magna necessitate posse adhibere lumen ex oleo, subdens nunquam tamen hoc consulendum ante factum, sed factum tolerandum. Vnde volunt, quod sit peccatum mortale adhibere aliud lumen, quàm ex cera; atque adeò quod iste ritus obliget sub mortali.

3 Secunda sententia docet in defectu cereorum posse adhiberi lumen ex oleo, non autem, ex adipe, seu seuo. Ita Suarez *disp.81. de Eucharist. sect. 6. ver. Te tio requiruntur.* Vasquez *3.part.disp.233.cap.3.n.25.* Rodriquez *part.1.sum.cap.249.concl.12.* Reginaldus *lib.29. Praxis fori pœnit.cap.9.sect.7.num.196.* Ledesma *part.1.sum.cap.20. de Eucharist. in dub. post 7. conclus.* Villalob. *part.1.sum.tract.8.difficult.26.n.4.* Filliucius *tractat.5.cap.4. n.126.* Faust. *de Eucharist. lib.2. de sacrific. Miss.quæst.221.* Præposit. *3.part. quæst.83. art.5. dub 4.num.168.* Chellison. *dub. 5.* Fernandez *part.3. Examin.Theo moral.cap.5.§.13. n.12.* Molfes. *part.1. sum. tract.3.cap.12.n.57.* Barthol.ab Angel. *Dial.5.de Missa. §. 423.* Coninch. *de sacrament. quæst.83. art.3. dub.2.in fine.* Riccius *decis.213.num.1.part.3.* Ludouic. à S.Ioan. *in sum.quæst.11.de Eucharist. artic.13. dub.2. difficult.4.conclus.3.* Garzia *in sum. tractat.3.difficult.8. dub.3.punct.1.n.18.* Bautius *part.1. Theol.moral.tr.10. quæst.19 in fine.* Leander *de sacrament. tractat.8.disp.7. quæst 19.in fine.* Fundamentum tam huius, quàm prioris sententiæ desumitur ex indecentia, illi dicunt esse indecens celebrare tam cum lumine ex oleo, quam ex seuo, isti verò esse tantum indecens celebrare cum lumine ex seuo, vnde totum reducitur in apprehensionem, quæ diuerso modo apprehendit.

4 Tertia sententia vult, deficientibus cereis celebrare posse cum lumine tam ex oleo, quam ex adipe. Ita Giass. *part.1.decis.lib.2.cap.43.num.1.* Layman. *lib. 5. Theol.moral.tract.5.cap.6.n.17.in fine.* Zanard. *part.1. Direct.cap.14.de Eucharist.ver. Sextum est.* Marchin. *de sacrament.ordin tractat.3.part.3.c.12.n.4.* Pitigian. *in 4.dist.13.quæst.2.art.3.* Nugn. *3.part. quæst.83. art.3. dub.5.* Azor. *part.1.lib.10.cap.28. quæst.15.* Homobon. *part.1.Exam.Eccles.tractat.4.cap.15. quæst. 143.* Bonac. *disput.4.de sacrament.quæst.vltim.punct.9.n.31.* Martin. à S.Ioseph *tom.1.moral.lib.1. tract.16. de Euchar. n.4.* Tolet. *lib.2.cap.2. num.14.* Gaspar Hurtad. *de sacram. disput.4.de sacrific.Miss. difficult.9. ver.2.* Diastil. *de sacrament.tract.5.disput.4. difficult.9.n. 160.* Caspens. *tom.2.Curs.theol. tract.23.disp.3.sect.4.num.79.* Auersa *quæst.11.de Eucharist.sect.13.ver. Requiritur item.* Pasqual. *part.4.oper.moral.tract.22.disp.vnic.punct.10.n.3.* Trullench *lib.3.de sacram.cap.8.dub.16.n.11.* Barbosa *de Parochis.part.1.cap.11.n.44.* Franc. Lugo *lib.5. de sacrament.cap.7.quæst.5.num.46.& 47.* Lugo Cardin. *disp.20.de Eucharist.sect.3.n.77.* Tamburin. *opus. de sacrific.Miss.lib.1.cap.5.§.4.n.2.* Pax Iordan. *tom.1. Lucubrat.lib.4.titul.1.num.254.* Quartus *in Rubr.Missal. part.1. tit.20. dub.11.difficul.3.*

5 Dicendum 1. *De iure non adesse obligationem adhibendi lumen ex cera in oblatione sacrificij.* Ratio est, quia ex Iure habetur solum, quod sit adhibendum lumen in oblatione sacrificij: non autem ex hac, vel illa materia, neque Rubrica quando præscribit, quod adhibeantur duo saltem candelabra, cum candelis accensis, præscribit materiam ex qua candelæ, constare debeant. Vnde relinquitur in facultate accendere ex quacunque materia. Et solum consuetudo determinauit, quod accendatur ex cera. Hæc autem consuetudo tanquam in materia facultatiua non videtur multum releuare: quia ex actibus facultatiuis non inducitur consuetudo obligatoria stante etiam quocunque lapsu temporis, vt obseruant communiter Doctores Decius *consil. 175. num. 6. ver. Præterea.* Roland. *cons.53.num.38.lib.2.* Calderin. *consil.1.& 3. de cosuetud.* Surd. *consil.127.num.81.* Ludouis. *decis. 162. num.10.* Rota *decis.778. num.5. part.1. diuerser.& decis. 536. num.4. part.2. Recent.*

6 Quod præsertim ex eo constat, quia introductio luminis cerei habet titulum voluntarium, siquidem non fuit introductum ex aliquo iure ita statuente, sed ex animo seruādi maiorem munditiam in oblatione sacrificij; & ideò non videtur processisse ex animo se obligandi; sicut etiam, si plura lumina adhiberentur, quàm duo, non per hoc introduceretur consuetodo obligatoria. Sic etiam quia corporalia conficiuntur ex linteo valde subtili, non tamen hoc cadit sub obligatione, cum sufficiat quod linteus sit lineus, quamuis satis crassus, dummodo sit mundus.

7 Dicendum 2. *Adhibere lumen ex alia materia quam ex cera, quando ex hac materia adhiberi potest erit peccatum veniale.* Ratio est. Quia licet consuetudo adhibendi lumina cerea non sit grauiter obligatoria, quia tamen coadiuuat munditiam, quæ ex natura rei requiritur in oblatione sacrificij, ideò inducit ex hoc capite vim obligandi iuxta qualitatem subiectæ materiæ; itavt licet id non habeat ex qualitate actus, vtpotè facultatiui, habent tamen ex materia, circa quam versatur, nempe munditia, quæ cum ex genere suo sit necessaria in oblatione sacrificij, requiritur, quod tanta sit obligatio proportionaliter, quanta est necessitas. Quia autem hæc munditia, quæ insurgit ex vsu luminis cerei, non est admodum considerabilis, ideò nec etiam importat materiam, quæ fundare possit obligationem grauem.

8 Dicendum 3. *Deficientibus cereis adhiberi posse lumen, ex oleo, seu candelis ex adipe, seuo, &c.* Ratio est. Quia sumus in materia facultatiua, & in qua nulla ex iure consurgit obligatio, & ea, quæ habetur ex consuetudine, leuis est, vt dictum est *num.præced.* cum oriatur solùm ex aliqua maiori munditia. Et ideò censetur cessare, quando non suppetunt cerei, quia tunc obseruatio consuetudinis fit suo modo impossibilis, & consequenter etiam in hoc imitatur legem, quæ cessat obligare, quando venit ad casum impossibilem. Confirm. deficientibus cereis deuenitur ad casum impossibilitatis, itavt non sit possibile obseruare hunc ritum, ergo si in tali casu cedunt ritus maioris ponderis, cedet etiam ritus præsens. Confirm. 2. Ritus exigit per se lumen; materiam vero ex qua nutriatur non exigit per se, sed tantum in consequentiam ad manutentionem luminis: ergo non exigit, nisi materiam nutritiuam luminis, vnde quod sit hæc, vel illa materia, non est de exigentia ritus: sed per accidens se habet.

9 An autem potius adhibendum sit lumen ex oleo, quàm ex seuo Doctores pro secunda sententia allegati, cum amittant lumen olei, & non ex seuo, in hac difficultate consequenter asserunt, quod potiùs ex oleo adhibendum. Ex eo verò, quod asserunt Doctores pro tertia sententia allati, nihil certi colligi potest. quia æquè admittunt vtrumque mihi tamen videtur magis expedire adhiberi lumen ex seuo. Tum quia habet similitudinem cum cera. Tum quia lumen ex oleo plerumque emittit grauem odorem. Tum quia lumen ex seuo magis confert ad munditiam. Tum quia etiam in vsibus prophanis honorificentius est lumen ex seuo, quam ex oleo.

10 Ex dictis colligitur, quod quamuis laudabile, & valdè decens sit accendere specialem cereum, quando eleuatur Eucharistia, & ostenditur populo adoranda, non tamen hoc cadit sub præcepto, vt obseruant etiam Tamburin. *opusc. de sacrific. Miss. lib. 1. cap. 5. §. 4. num. 4.* Quartus *in Rubr. Missal. part. 1. titul. 20. dub. 11. difficult. 4.* Nam quamuis Rubrica id præscribat est tamen mere directiua, ostendens, quod est conueniens. Et quamuis Quartus cit. putet esse veniale sine causa rationabili id omittere, mihi tamen non probatur, quia non est contra præceptum naturale tractandi reuerenter res sacras, nisi quod contineat aliquam irreuerentiam, non autem omissio alicuius maioris reuerentiæ, vt in præsentia. Vnde minister omittens accendere, quando cereus est altus, quia non videt tam longè excusatur. Sequitur etiam quod istud lumen accendi possit ex oleo, seu seuo, vt de lumine pro celebratione dictum est.

QVÆSTIO 728.


Quanta debeat esse necessitas, vt possimus vti in celebratione lumine ex oleo, seu seuo.

SVMMARIVM.

1. *Quæ necessitas requiratur, vt in Missa possimus vti lumine ex alia materia, quam ex seuo.*
2. *Solus defectus ceræ an sufficiat.*

1 NOn requiri causam valdè grauem, censent Reginaldus *lib. 29. Praxis fori pœnit. cap. 9. part. 3 sect. 7. num. 196.* Fillius *tract. 5. cap. 4. num. 126.* Layman. *lib. 5. Theol. moral. tractat. 5. cap. 6. numero 17.* Lugo Cardin. *disp. 20. de Eucharist. sect. 3. num. 77.* & idem videtur sentire Quartus *in Rubrica Missalis, part. 1. titul. 20. dub. 11. difficultat. 3. ver. Colligitur.* Quæ scilicet agitur tantum de consuetudine, quæ non strictè obligat.

2 Sufficere autem solum defectum ceræ tradunt Suarez *disput. 81. de Eucharist. sect. 6. ver. Tertio requiritur.* Palaus *part. 4. oper. moral. tractat. 22. disput. vnic. punct. 10. num. 3.* Dicastil. *de sacrament. tractat. 5. disput. 4. dub. 9. num. 160. in fine.* & proinde posse celebrari sine lumine ex cera, quoties libuerit, si cerei deficiant. Quod mihi magis placet, quia non sumus in tali materia, quæ exigat omitti sacrificium, quando consuetudo seruari non potest. Nam sufficit, si seruetur citus de lumine, qui non exigit, quod ex hac potius, quam ex illa materia ardeat, vt dictum est *in præced. quæst.*



DE SACRIFICIO OBLATO IN ALTARI Priuilegiato.



VIA sacrificium oblatum in Altari priuilegiato habet speciale m efficaciam pro animabus purgantibus, ideò hæc materia subnectenda est, vt pertinens ad valorem sacrificij, siquidem sacrificium oblatum in his altaribus habet specialem valorem quoad liberandas animas purgantes à pœnis.

QVÆSTIO 728.

In quo consistat efficacia specialis sacrificij oblati in Altari priuilegiato.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegium altaris priuilegiati redundat in sacrificium.*
2. *Qua potestate vtatur Pontifex concedendo altaria priuilegiata.*
3. *Indulgentia conceduntur & per modum absolutionis, & per modum suffragij.*
4. *In quo consistat priuilegium altaris priuilegiati.*
5. *Sacrificij satisfactio augetur, dum offertur in altari priuilegiato.*
6. *Quomodo vrgeatur.*
7. *Concessio indulgentiæ per modum absolutionis quam potestatem requirat.*
8. *Potestas Ecclesiæ non plus extenditur, quam potestas ordinis.*
Animæ Purgatorij non sunt sub potestate Ecclesiæ.
9. *Satisfactio adiuncta sacrificio oblato in altari priuilegiato est per modum suffragij.*
10. *Ecclesia quomodo absoluat defunctum excommunicatum.*
11. *Pontifex priuilegiando sacrificium in tali altari quem actum exerceat.*

SVpponendum est Priuilegium, quod conceditur Altaribus, esse potius priuilegium sacrificij in iis celebrati, quam altaris. Cum enim in eo consistat, quod habent vim liberandi animas à pœnis Purgatorij, & hoc præter celebrationem sacrificij, priuilegium erit concessum sacrificio, quamuis sit concessum ratione altaris, in quo offertur. Quod etiam ex eo patet, quia huiusmodi priuilegia non sunt semper absoluta, sed aliquando limitata ad certos dies, & etiam aliquando ad certas personas, quod est signum non esse proprium altaris, quia si esset proprium, se haberet sicut priuilegium locale, quod semper permaneret, & valeret respectu quorumcunque. Hoc autem est factum ad determinanda sacrificia, quibus conceditur talis efficacia, vnde ad magis restringenda, facta est coarctatio ad dies, & ad personas. 1

Supponendum 2. Quod Pontifex concedendo Altaria priuilegiata, seu potius priuilegiando sacrificia, vtitur potestate clauium distribuendo satisfactiones, quæ sunt in Thesauro Ecclesiæ. Et proinde concedit, quod quotiescunque offeratur sacrificium in tali altari iuxta mensuram suæ determinationis, tali oblationi addantur satisfactiones de Thesauro Ecclesiæ, quibus mediantibus liberetur anima purgans, pro qua offertur. 2

Supponendum 3. Indulgentias duplici modo concedi posse, vt desumitur ex decretali Leonis X. apud Caiet. *3. part. quæst. 48. art. 5. §. Ad hoc dicitur.* Nempe per modum absolutionis, & per modum suffragij, seu solutionis. Tunc conceditur per modum absolutionis, quando conceditur Iurisdictionali modo, & proinde concessio est actus iurisdictionis supra eum, cui fit concessio: nam absoluitur à pœna soluenda, & tanta satisfactio de thesauro Ecclesiæ exhibetur Deo, quanta æquiualeat pœnæ, à qua absoluitur. Per modum autem suffragij, seu solutionis conceduntur, quando de thesauro Ecclesiæ tantum exhibetur Deo, quantum æquiualet pœna, à qua concedens intendit liberare mediante illa solutione, nam Deus acceptans illam satisfactionem remittit tantumdem pœnæ. Et hic modus non requirit iurisdictionem in eum, cui conceduntur indulgentiæ, sed sufficit, quod sit de illis, quibus dispensari possit thesaurus Ecclesiæ. 3

Ecclesiæ. Vtrque autem modus desumitur ex illo Matth.16. *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram erit ligatum, & in cælis: & quocunque solueris super terram, erit solutum, & in cælis.* Claues enim significant potestatem apetiendi Cœlum, & claudendi tollendo impedimenta, quæ impediunt ingressum, culpam mediante absolutione Sacramentali, & pœnam mediante indulgentia, vt declarat idem Leo X. in dicta Decretali. Et retinendo iuata illud Inan. 20. *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Quia claues sunt concessæ etiam ad ligandum, vt docet Concil. Trident. *sess.14. cap.8. de pœnit.*

4 Dicendum 1. *Priuilegium sacrificij oblati in altari priuilegiato in eo consistere, quod habeat annexam ex concessione Summi Pontificis tantam satisfactionem de thesauro Ecclesiæ, quæ pœnam luendam ab anima pro qua offertur vel se sola adæquet, vel simul cum satisfactione, quæ prouenit ex sacrificio.* Diai, *Vel se sola, vel simul cum satisfactione, &c.* vt comprehendatur duplex modus, quo potest indulgentia concedi: cum possit concedi, vel absolutè independena à satisfactione sacrificij, vel solum tanta, quanta deest sacrificio ad adæquandam pœnam.

5 Ratio est. Quia cum sacrificium producat fructum satisfactionis secundum certam mensuram, non potest extinguere pœnam luendam ab anima, pro qua offertur secundum se totam, si aliàs excedat talem mensuram satisfactionis, sed solum extinguet partem: ergo, vt liberetur anima à pœnis, debet exhiberi Deo tanta satisfactio, quæ vel se sola, vel simul cum satisfactione ex sacrificio adæquet. Hoc autem præstat Pontifex dum concedit, quod per sacrificium oblatum in tali altari liberetur anima à pœnis; nam cum habeat potestatem dispensandi thesaurum Ecclesiæ in beneficium fidelium, & præcipuè ad compensandas pœnas debitas peccatis, potest coniungere cum sacrificio vtroque modo supradicto tantam satisfactionem de thesauro Ecclesiæ, quæ adæquet pœnam soluendam à quacunque anima purgante, & hoc pacto eam liberare.

6 Dicendum 2. *Has satisfactiones adiungi sacrificio non per modum absolutionis, sed per modum suffragij, seu solutionis.* Est contra Michaëlem Medinam *disputat.1. de Indulgent. cap.34.* & *disput.8. cap.4.* qui vult, Summum Pontificem habere iurisdictionem supra animas Purgatorij, atque adeo impendere ipsis posse indulgentias per modum absolutionis iurisdictionali modo. Ita autem tradunt communiter Doctores, præsertim Gabr. *sect.54. in Canon. Miss. littera K.* & *in Supplem. in 4. distinct. 43. quæst.3. artic.1. notab.12.* Nouat. *de Indulgent. not.19. & seqq.* Corduba *in quæst. lib.5. quæst. 15.* Richard. *in 4. dist. 20. art.3. quæst.3.* Maior *quæst.2.* Sotus *dist. 21. quæst.2. artic.3. conclus.3.* Bellarmin. *lib.2. de Purgat. cap.16.* Suarez *de pœnit. disput.53. sect.2. num.10.* Ludouic. à Cruce *in Bull. Crucinta, disp.2. dub.3. num.10.* Trullen. b *lib.4. in eandem Bull. dub.9. num.3.* Lugo Cardinal. *disput. 27. de pœnit. sect. 5.* Viuald. *in Candel. tit.10. de Purgat. num.27.* Valent. *tom. 4. disputat. 7. quæst.10. punct.1. & 5. ver. Neque verò.* Coninch *disput.11. de pœnit. lib.30. num.45.* Reginald. *libro 7. praxis fori pœnit. num.152. & 153.* Filliuc. *tractat.8. cap.8. num.202.* Sanctarel. *de Iubil. cap.3. dub.6.* Bonac. *disput.6. de sacrament. quæst.5. punct. 6. num.6.* Isambert. *3. part. tom.3. disput. 3. de Purgat. artic.3. ver. Melior tamen.* Quintanaduen. *in Append. ad tom.1. de sacrament. tract.1. singul.14. num.2.* Rutena *lib. 3. de fructu sacrific. disput. 3. quæst. 1. num. 4.* Et desumitur ex dicta Decretali Leonis X. de qua *num.3.* dum ponit illum duplicem modum concedendi indulgentias per modum absolutionis, & per modum suffragij, & hunc posteriorem modum ponit quoad animas Purgatorij.

7 Ratio est. Quia concessio Indulgentiæ per modum absolutionis, nedum fundatur in potestate super thesauro Ecclesiæ, sed etiam in potestate, & iurisdictione in eum, cui fit concessio; nam absolutio à pœna est actus iudicialis potestatis. Pontifex autem non habet iurisdictionem in animas Purgatorij, nec potest in illas exercere iudicialem potestatem, vt desumitur ex Gelasio Papa cap. *Legatur 24. quæst.2.* ibi, *Et qui certè hoc faciendi solus habuit potestatem B. Petro principaliter mandat Apostolo, Quæ ligaueritis super terram, ligata erunt, & in cælis, & quæ solueritis super terram, inquit. Nam in hac ligatione defunctum vnquam dexit absolui.* Et rursus idem Pontifex, cap. *Nec quisquam,* eod. tit. *Absolutionem, quam superstes nec quæsiuit omninò, nec meruit, mortuus iam non potest impetrare. Siquidem ipsis Apostolis Christi iure delegatum est quæ ligaueritis super terram, &c. Cæterum iam de eo qui in diuino est iudicio constitutus, nobis fas non est aliud decernere præter id, in quo eum dies supremus inuenit.*

8 Quod etiam ratione constat. Tum quia cum Ecclesia sit visibilis, solum visibili modo potest exercere suam iudicialem potestatem, atque adeo solum in eos, qui visibiliter eius tribunali subiici possunt. Tum quia potestas iurisdictionis consequitur ad potestatem ordinis, atque adeo non plus extenditur, quàm ipsa, potestas autem ordinis non extenditur extra Ecclesiam visibilem. Tum quia licet animæ purgantes pertineant ad Ecclesiam pertinent tamen solum, quatenus vnitæ per fidem, & charitatem, & vt nondum translatæ ad Ecclesiam triumphantem, non autem in ordine ad regimen, quia non habet amplius eas regere, atque adeo quoad iurisdictionem, & iudicialem potestatem. Tum quia iam steterunt ad tribunal Dei, apud quod sententiatæ sunt, & proinde subtractæ sunt à iurisdictione Ecclesiæ, & factæ subiectæ immediatè iurisdictionis diuinæ; vnde intrat regula, quod quando Princeps manum apposuit non potest inferior amplius se ingerere; & ideo Ecclesia non potest amplius se ingerere circa iudicandas animas defunctorum, cum Deus iam eos iudicauerit, absolutio autem siue à culpa, siue à pœna pertinet ad potestatem iudicatiuam.

9 Dicendum 3. *Pontificem priuilegiando sacrificium addendo de satisfactionibus Ecclesiæ, quantum sufficeat pro adæquanda pœna luenda, vti potestate clauium, etiamsi se habeat per modum suffragij, seu solutionis.* Ita etiam Ruteus *lib. 3. de fructu sacrific. disputat. 3. quæst. 1. num. 6.* desumitur etiam ex Decretali Leonis X. apud Caiet. de qua *num.3.* vbi declarat Pontifex, quod ex eo, quod Summus Pontifex habet potestatem clauium quarum est aperire regnum cœlorum tollendo in Christi fidelibus impedimenta, potest concedere de thesauro Ecclesiæ, indulgentias per modum absolutionis, vel suffragij. Vnde vterque modus concedendi est auctoritatiuus fundatus in potestate clauium. Ratio est. Quia non potest has indulgentias concedere, nisi dispensando thesaurum Ecclesiæ, siue concedat per modum absolutionis, siue per modum solutionis. Dispensatio autem thesauri Ecclesiæ est actus potestatis, quia fundatur in facultate dispensandi. Rursus cum hæc dispensatio conferat ad tollenda impedimenta impedientia ingressum in regnum cœlorum erit potestas tollendi hæc impedimenta, atque adeo potestas clauium.

10 Dices. Ecclesia potest absoluere defunctum excommunicatum ab excommunicatione: ergo habet iurisdictionem in defunctos: ergo poterit etiam ipsis concedere indulgentias per modum absolutionis.

Resp. Non posse propriè absoluere absolutione directa; quæ cadat supra ipsos, sed solum declarare, quod antequam decederet ex hac vita, recessit à contumacia, qua erat contumax contra Ecclesiam. Nã decedẽdo ex hac vita, subtrahitur Iudicio Eccles. & reseruatur Iudicio Dei, vt habet Gelasius Papa in cap. *legatur*. 24. *quæst*. 2. Vnde tunc solum potest absoluere, quando defunctus, antequam decederet instauit reconciliari Ecclesiæ, aut saltem aliquo signo ostendit se recedere à contumacia. Ex eo autem, quod declarat recessisse à contumacia, tollit etiam prohibitionem orandi pro ipso & concedit, quod admittatur ad participationem suffragiorum.

11 Ex dictis colligitur, quod Pontifex priuilegiando sacrificium pro defunctis, sicut etiam concedendo quaslibet alias indulgentias pro ipsis, exercet actum iustitiæ commutatiuæ, per quam ad æquiualens fit commutatio alicuius portionis satisfactionum, quæ sunt in thesauro Ecclesiæ, cum pœna soluenda ab anima purgante. Pontifex enim, exhibet Deo huiusmodi portionem satisfactionis, & Deus remittit pœnam æquiualentem; quam erat exacturus ab anima purgante. Vnde remissio pœnæ solum à Deo est auctoritatiuè compensatio verò facta per satisfactiones de Thesauro Ecclesiæ, est auctoritatiue à summo Pontifice, per potestatem clauium, vt dictum est.

QVÆSTIO 729.

An sacrificium oblatum in altari priuilegiato habeat effectum infallibilem.

SVMMARIVM.

1. *Indulgentia requirit effectum infallibilem, vt prosit defunctis.*
2. *Sacrificium priuilegiatum an habeat effectum infallibilem,* & num. seq.
3. *Defuncti consequuntur indulgentias concessas ipsis.*
5. *Sacrificium priuilegiatum non prodest defunctis infallibiliter.*
   Infallibilitas indulgentiarum quoad defunctos vnde excludatur.
6. *Indulgentia, quia per modum suffragij, non prosunt defunctis infallibiliter.*
7. *Concedere indulgentias per modum absolutionis quid dicat.*
8. *Defuncti non possunt liberari à pœnis iurisdictionali modo à Pontifice.*
   Ecclesia quomodo possit soluere debitum defunctorum.
9. *Defuncti non semper consequuntur indulgentias ipsis concessas.*
   Modus concedendi indulgentias viuis, & defunctis.
1. *Formula in concessione altaris priuilegiati quid importet.*
11. *Suffragium offertur in ordine ad liberam acceptationem.*
11. *Infallibilitas non pertinet ad potestatem dispensatiuam thesauri, sed ad acceptationem Dei.*
13. *Suffragia sua non prosunt defunctis infallibiliter.*
14. *Deus an semper acceptat missas priuilegiatas.*

1 SVpponendũ est, quod vt indulg. prosint defunctis, de quibus est eadem ratio ac de sacrificio priuilegiato, non est necessarium, quod habeant effectum infallibilẽ, sed sufficit quod quocũque modo prosint, quod continget, etiamsi non habeant infallibilem effectum; nam si satisfactiones Deo oblatæ pro defunctis acceptentur ab ipso ex sua benignitate, adhuc proderunt indulgentiæ posita acceptatione non secus, ac si haberent effectum infallibilem, & solum discrimen erit inter sortiri semper effectum, & non semper sortiri. Nec quando Pontifices declararunt, Indulgentias prodesse defunctis, voluerunt, quod infallibiliter prodessent, sed solum, quod prodessent, cum aliud sit prodesse, & aliud infallibiliter prodesse. Quod ex eo constat, quia Hæretici, contra quos id declarant, absolutè negabant, quod prodessent, & ideo Pontifices oppositum declararunt nempe quod prodessent Nec etiam aliud intendit Concil. Constantiense docens contra Vuiclef. Erroneum esse negare valorem indulgentiarum, quia non negat valorem, qui dicit prodesse viuis infallibiliter, & etiam defunctis, non infallibiliter, sed ex Dei benignitate.

Prima sententia asserit. Sacrificium priuilegiatum habere effectum infallibilem, sicut etiam alias indulgentias pro defunctis. Ita Sotus *in 4 dist.* 21. *quæst.* 2. *art.* 3. ver. *Est tamen.* Nauar. *de Indulg. Notab.* 22. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 10. *punct.* 5. Coninch. *De indulgent. disp.* 12. *dub.* 10. Suarez *de pœnit. disput.* 53. *sect.* 3. Filliuc. *tract.* 8. *cap.* 8. *quæst.* 6. *conclus.* 2. Benxon. *lib.* 2. *de Iubil. cap.* 52. Palaus *part.* 4. *oper. Moral. tract.* 24. *punct.* 10. *num.* 4. Tannet. *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 8. *conclus.* 3. Mercer. *ibid. dub.* 2. Villolob. *part.* 1. *sum. tract.* 26. *difficul.* 7. *num.* 3. Granad. 3. *part. controuer.* 12. *tract.* 3. *disp.* 5. *numer.* 10. Ruteus *lib.* 3. *de fruct. sacrific. disput.* 2. *quæst.* 2. *num.* 2. Lessius *ad* 3. *part. D. Th. tract. de Indulgent. cap.* 3. *dub.* 3. *num.* 41. Sanctarel. *de Iubil. cap.* 4. *dub.* 11. Lugo Card. *disp.* 27. *de pœnit. sect.* 2. *num.* 59. Isambert. 3. *part. tom.* 3. *disp.* 3. *de Purgator. art. vlt.* 2

Prob. Ex decretali Leonis X. apud Caietum 3. *part. quæst.* 48. *art.* 5. §. *ad hoc dicitur.* in qua videtur daclarare hanc infallibilitatem, illis verbis. *Omnes tam viuos, quàm defunctos: qui veraciter omnes Indulgentias huiusmodi consequuti fuerint à tanta temporali pœna secundum diuinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessa, & acquisita indulgentia æquiualet.* In quibus est obseruandum, quod eodem modo dicuntur viui, ac defuncti indulgentias consequi. Rursus quod vtrisque eadem auctoritate clauium cõceditur, & proinde erit pro defunctis infallibilis, sicut est pro viuis. 2. Quia in concessione altarium priuilegiatorũ solent Pontifices vti hac, vel simili formula, *quandocunque Sacerdos Missam defunctorum pro anima cuiuscunque fidelis, quæ Deo in charitate coniuncta ab hac luce migrauerit ad præfatum altare celebrabit, anima ipsa de Thesauro Ecclesiæ per modum suffragij indulgentiam consequatur ita vt, eiusdem Domini nostri Iesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ Sanctorumque omnium meritis suffragantibus à Purgatorij pœnis liberetur concedimus, & indulgemus,* quomodo loquendi indicatur res certa, & infallibilis. Tertio. Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, tàm in viuentibus, quàm in defunctis. Ergo quo ad totum effectum illis infallibiliter applicantur, quia sonant certum, & infallibilem effectum. Quarto. Facultas dispensandi Thesaurum Ecclesiæ conuenit summo Pontifici tàm in ordine ad viuos, quàm in ordine ad defunctos. Ergo, si potest pro viuis dispensare cum infallibilitate, poterit etiam pro defunctis. Quinto sacrificia, & suffragia prosunt defunctis infallibiliter, ergo etiam indulgentiæ. 3

Secunda sententia negat prodesse infallibiliter, sed tantum ex Dei benigna acceptatione. Ita Alens. *part.* 4. *quæst.* 83. *mem.* 5. D. Bonauent. *in* 4. *disp.* 20. *part.* 20. *art. vn. quæst.* 5. Durand. *quæst.* 4. *num.* 12. Richar. 4

art. 3.

Digitized by Google

art 3. quæst. 3. Caiet. *tom. 1. opusc. tract. 16. de Indulgent. quæst. 5. & 6.* Corduba *in quæst. lib. 5. quæst. 15.* Henriquez *lib. 7. sum. cap. 7. numer. 4* Canus *lib. 12. de locis Theolog. c. 13. ad 9.* Petrus Sotus *lect. 3. de indulg.* Layman *lib. 5. Theol. moral. tract. 5. cap. 7. num. 2.* Bonac. *disp. 6. de sacram. quæst. 1. part. 6. numer. 15. ver. Tertio quia.* Dicastill. *de sacram. tract. 9. disp. 2. dub. 18. num. 247. iuncto 250.* Amicus *tom. 8. Curs. Theol. disp. 20. sect. 7. num. 177.*

5 Dicendum est. *Sacrificium Priuilegiatum sicut, & Indulgentias non prodesse defunctis infallibiliter, sed solum ex Dei benigna acceptatione.* Ratio est. Quia non potest induci infallibilitas effectus, nisi fundetur in diuina promissione acceptandi satisfactiones thesauri Ecclesiæ oblatos pro dafunctis, & similiter constet de hac promissione. De hac autem promissione non constat, quia verba illa Christi Matth. 16. *Tibi dabo Claues regni Cælorum, quodcunque ligaueris super terram, &c.* In quibus auctores oppositæ sententiæ fundant promissioné, eam non continent quoad defunctos, nam Gelasius Papa cap. *Legatur*, & cap. *Nec quisquam 24. quæst. 2.* ita explicat quoad viuos, vt noluit extendi ad defunctos, vt constat ex illis verbis cap. *Legatur* ibi *præcipuè super terram inquit, nam in hac ligatione defunctum nusquam dixit absolui.* Imò etiam decretalis Leonis X. videtur excludere infallibilitatem, ut constabit ex solutione argumentorum. Et facit grauem coniecturam, quod Caiet. ad quem Pontifex misit huiusmodi decretalem, tenuit, quod non prodessent indulgentiæ infallibiliter, quod certè non tenuisset, si Pontifex in illa decretali aliter declarasset.

6 Secunda. Certum est Indulgentias prodesse viuis per modum absolutionis, & defunctis solum per modum suffragij, vt constat ex eadem decretali Leonis X. & ex praxi summorum Pontificum, qui, dum concedunt Indulgentias pro defunctis explicant concedere per modum suffragij: ergo pro defunctis non habent effectum infallibilem, nec adest promissio diuina de acceptatione. Conseq. prob. quia si haberent effectum infallibilem ex promissione diuina essent per modum absolutionis, sequel. prob. Esse per modum absolutionis non dicit aliud, quam absoluere, seu liberare à pœna, & in tantum Pontifex viuentes liberat, in quantum compensat pœnam exhibendo Deo de thesauro Ecclesiæ æquiualentem satisfactionem, sine qua non potest absoluere, seu liberare, & quia Deus ex pacto, & promissione acceptat compensationem, quia si non teneretur acceptare, Pontifex non absolueret, seu liberaret à pœna, sed Deus, quia sicut ex benignitate sua dependeret acceptatio compensationis, ita etiam ipse acceptando liberaliter absolueret, & liberaret. Et econtra, eo ipso, quod tenetur acceptare compensationem, Pontifex illam exhibens liberat, & absoluit, quia ex natura rei stante pacto sequitur liberatio, & absolutio: ergo si tenetur Deus acceptare etiam pro defunctis, ex natura exhibitionis satisfactionis, sequitur liberatio, & absolutio à pœna, atque adeo se habet per modum absolutionis.

7 Confirmatur. Concedere indulgentias per modum absolutionis non dicit potestatem diuersam à potestate dispensandi thesaurum Ecclesiæ, sed solum modum specialem concedendi, nam dicit, quòd ita concedantur, vt simul etiam per concessionem fiat absolutio à pœna. Hic autem modus nihil aliud dicit, nisi quod indulgentia habeat effectum infallibilem, & quod Deus teneatur illam acceptare, quia eo ipso, quod Deus teneatur acceptare, habet de se vim extinguendi debitum pœnæ, atque adeo absoluendi ab ipsa.

8 Dices. Indulgentiam per modum absolutionis nedum dicere, quod satisfactio habeat stante obligatione acceptandi vim de se extinguendi debitum pœnæ, sed etiam, quod Pontifex mediante indulgentia extinguat iurisdictionali modo, quod non contingit respectu defunctorum. Contra debitum pœnæ relictæ post peccatum est respectu Dei, ita vt ipse sit creditor habens ius ad eam exigendã: ergo non potest remitti ab aliquo iurisdictionali modo nisi à Deo, quia tale debitum est in ordine ad iustitiam vindicatiuam, quam non potest exercere, nisi iudex, qui habet ius exigendi, aut alios superioris auctoritatis. Nec talis potestas est in Ecclesia, quia si eam haberet, posset relaxare condonando absolutè. Deinde Ecclesia non potest liberare, & absoluere à pœna, nisi modo instituto à Christo. Modus autem institutus à Christo, quod absoluat satisfaciendo Deo ad æquiualens de satisfactionibus thesauri Ecclesiæ cum obligatione ex parte Dei acceptandi satisfactionem, non est remittere iurisdictionali modo pœnas, quasi potestas iurisdictionali modo se extendat immediate ad pœnas remittendas, sed solum iurisdictionali modo soluere debitum per æquiualens, & hoc pacto liberare à pœna: & in tantum iurisdictionali modo soluitur debitum in quantum habet ius soluendi stante institutione Christi, & pacto Dei. Hoc autem totum haberet locum quoad defunctos, si indulgentiæ infallibiliter acceptarentur à Deo, quia adesset pactum, & proinde essent per modum absolutionis.

Ad 1. Resp. Illam decretalem loqui de defunctis, 9
qui veraciter consequuntur indulgentias, & sic liberantur à tanta pœna, quanta correspondet indulgentiæ. Vbi est aduertendum, quod Pontifex non dicit, quod defuncti, quibus conceduntur indulgentiæ liberentur à pœna, sed qui veraciter illas consequuntur. Vnde aliud est concedi indulgentias, & aliud consequi; quia enim fieri potest, quod Pontifex concedat, & defunctus non consequatur, ideo effectus non est infallibilis, & proinde Pontifex loquitur de indulgentiis consequutis; & infra etiam dicit, *quanta concessa, & acquisita indulgentia æquiualet.* Deinde est etiam ad notandum, quod quando Pontifex loquitur quoad viuos, habet, quod potest *indulgentiam ipsam conferre*, quod significat concessionem immediatam, factam viuentibus, quando vero loquitur de defunctis, inquit, *vel per modum suffragij illam transferre.* Transferre autem non est immediatè concedere; sed potius transmittere concedendam. Denique intentio Pontificis in illa decretali est solum declarare, quod summus Pontifex habet potestatem dispensandi thesaurũ Ecclesiæ, tam pro viuis quam pro defunctis non autẽ, quod in defunctis habeat infallibilem effectum. Nec obstat, quod vtrisque auctoritate clauium concedantur indulgentiæ, quia ex hoc solum fit, quod Pontifex æque dispensare possit thesaurum Ecclesiæ tam pro viuis, quàm pro defunctis: non autem quod eodem modo in vtrisque sortiatur effectum.

Ad 2. Pontifices in concessione altarium priuile- 10
giatorum vti illa formula loquendi, quod scilicet concedunt, & indulgent quod anima defuncti consequatur indulgentiam, & liberetur à pœnis, &c. ad significandum, quod concedunt indulgentiam sufficientem, qua liberari possit, & concedunt quod consequatur indulgentiam, si scilicet Deo placuerit accepta, ad significandum, quod, quantum est de se, intendunt consequutionem mediante Dei benignitate, & quod de satisfactionibus thesauri Ecclesiæ tantas dispensant, quantæ sufficiunt, vt anima defuncti talem consequatur indulgentiam, vt liberetur à pœnis, si Deus acceptet, & sensus est, quod talem, ac tantam indulgentiam consequantur, qualis, ac quanta

potens

Digitized by Google

potens sit ad liberandum, si Deus velit acceptare, sic etiam mors Christi dicitur ordinata, vt omnes salutem consequerentur, licet non omnes beneficium ipsius percipiant, vt habet Concil. Trident. *sess. 6. cap. 3.*

11 Ad 3. neg. conseq. Imò ex illo antecedenti sequitur oppositum. Nam si indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, dum indulgentiæ pro defunctis sonant per modum suffragij, debent valere per modum suffragij. De ratione autem suffragij est, quod offeratur in ordine ad liberam acceptationem, quia si offerretur supposita promissione acceptationis, quia offerretur cum obligatione acceptandi offerretur per modum iustitiæ, seu cum iure ad obtinendum id, pro quo solueretur, & non per modum suffragij.

12 Ad 4. neg. conseq. Quia infallibilitas effectus non pertinet ad potestatem dispensatiuam thesauri Ecclesiæ, sic potens dispensare bona communia communitatis, si dispenset pro redimendis captiuis, non habet dispensatio infallibilem effectum, sed pendet à libera acceptatione illius, apud quem sunt captiui. Quare Pontifex auctoritatiuè quidem dispensat, thesaurum Ecclesiæ, sed iuxta modum institutæ dispensabilitatis. Est autem institutum, quod dispensatur quoad viuos per modum absolutionis, atque adeo infallibiliter: & quoad defunctos per modum suffragij, atque adeò dependenter ab acceptatione Dei.

14 Ad 5. sacrificia quidem prodesse defunctis infallibiliter. De suffragiis autem est eadem ratio ac de indulgentiis, & proinde non prodesse infallibiliter, tradunt Caiet. *tom. 1. opusc. tract. 16. quæst. 5.* Sotus *in 4. disp. 14. quæst. 2. art. 4.* & *lib. 3. de natura, & grat. cap. 6.* Canus *lib. 12. de locis Theol. cap. 13. ad. 9.* & *relect. de pœnit. part. 5.* Angles *quæst. de indulgent. art. 2. difficul. 4.* & *art. 3. difficul. 6.* & alij plures. Ratio autem diuersitatis est, quia sacrificium est institutum à Christo etiam pro defunctis, & ideo ex pacto inito cum Deo prodest ipsis infallibiliter, at indulgentiæ prosunt tantum per modum suffragij, atque adeo dependenter, à libera Dei acceptatione sicut etiam contingit in suffragijs pro defunctis quia non constat de aliqua promissione Dei, quod se obligauerit ad acceptandas alienas satisfactiones pro compensatione pœnæ personaliter soluendæ ab animabus defunctorum, & alias habet ius ad eam exigendam ab ipsis.

15 An autem Deus semper acceptet Missas priuilegiatas pro ijs, pro quibus celebrantur, licet non teneatur acceptare. Resp. Amicus *tom. 8. Curs. Theol. disp.* 20. *de indulg. sect. 7.* semper ex benignitate, & misericordia acceptare, vel in totum, vel in parte: & si non pro quibus offerantur, saltem pro quibus decreuerit, cum hoc sit piè credendum de diuina benignitate. Verum mihi videtur nihil in hac materia esse certi. Et quod non semper acceptet ex illo videtur deduci, quod si voluisset acceptare, iniisset etiam de hoc pactum cum Christo, sicut iniuit pro oblatione sacrificij. Rursus etiam mihi videtur valde probabile, quod si non acceptat indulgentiam pro eo, cui applicatur nec etiam acceptet pro alio quia acceptatio est in ordine ad oblationem, & ideo non habet locum acceptatio pro eo cui non applicatur, alioquin Deus ipse applicaret & fieret distributor thesauri Ecclesiæ, quod non potest dici, quia finit Ecclesiam suam visibilem ministrari per suos ministros, & thesaurum ipsius dispensari per summum Pontificem, nec inuertit ordinem à se institutum. Præterea quod totam indulgentiam aut acceptet aut totam non acceptet, ex eo etiam videtur deduci, quando acceptatio est in ordine ad oblationem; vnde cum oblatio sit cum certa mensura, videtur acceptanda aut respuenda sub eadem mensura. Quare videtur probabilius quod non semper quidem acceptet, cum non sint infallibiles indulgentiæ, vt plurimum tamen acceptet, quod sufficit ad saluandum quod indulgentiæ possint defunctis, vt dictum est etiam supra. Et hoc valet quoad omnes indulgētias.

QVÆSTIO 730.

An, vt Missa priuilegiata habeat effectum liberandi animam, debeat ipsi applicari etiam fructus Sacrificij.

SVMMARIVM.

1 *Quando fructus sacrificij necessariò applicandus, vt Missa priuilegiata habeat suum effectum.*

2. *Effectus Missæ priuilegiatæ dependet à voluntate Pontificis.*

3. *Fauorabilius est pro defunctis quod in Missis priuilegiatis applicetur etiam fructus sacrificij.*

4. *Quando celebrans possit ad libitum applicare indulgentiam altaris priuilegiati non applicato sacrificio.*

COmmuniter docent. In hoc attendendam esse mentem Pontificis concedentis Indulgentiam pro liberatione animæ à pœnis Purgatorij. Nam si in concessione, dicat, quod de thesauro Ecclesiæ concedit per modum suffragij tantam indulgentiam quæ sufficiat pro liberanda vna anima, quoties quis pro ipsa celebrauerit in tali altari, proculdubio sacrificium erit offerendum pro ipsa quia id requiritur à Pontifice. Si vendicat, quod concedit indulgentiam, quæ liberet vnam animam quoties celebrabitur in tali altari; siue singulis diebus, siue certis diebus, tunc non erit necessarium, quod fructus sacrificij applicetur animæ liberandæ. Ita Suarez *disp. 53. de pœnit. sect. 4. num. 3.* Nugn. *quæst. 25. supplem. art. 1. diffic. 3.* Fillinc. *tract. 8. cap. 8. quæst. 9.* Rutens *de fructu sacrif. lib. 3. disp. 2. quæst. 2. dub. 5. num. 9.* Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 24. disp. un. punct. 10. num. 9.* Quintanad. *s. 1. sing. de sacram. in append. tract. 1. dub. 15. num. 3.* 1

Huius rei ratio desumitur, tum ex voluntate Pontificis, tum etiam ex parte indulgentiæ; quia enim indulgentiæ important satisfactiones quæ sunt in thesauro Ecclesiæ distributas in beneficium fidelium, sequitur, quod stante infinitate thesauri, possint vniculque animæ purganti applicari eam quantitatem satisfactionum, quæ se sola compensare possit totam pœnam soluendam, atque adeo, quod, non sit necessarius fructus sacrificij ad satisfaciendum. Et hæc applicatio dependet à voluntate Pontificis. Rursus potest velle Pontifex, quod applicetur fructus sacrificij & ipse supplere de thesauro Eccles. quidquid requiritur ad compensandam totam pœnam & proinde tunc erit offerendum etiam sacrificium pro anima liberanda. 2

Ex dictis colligitur fauorabilius esse pro defunctis, si concedatur, quod celebrando pro ipsis eorumdem Animæ liberentur à pœnis, quàm si concedatur, quod celebrando in tali altari vigore indulgentiæ liberentur. Ratio est, quia hoc posteriori modo indulgentia non necessariò retinet naturam suam, & dependet omnino ab acceptatione Dei. Et priori modo indulgentia coniungitur cum fructu satisfactionis, qui est ex sacrificio, qui cum habeat effectum infallibilem, vt in superioribus suo loco dictum est, videtur ipsam trahere ad eamdem infallibilitatem: vnde videtur reddi certa acceptatio sicut est, certa acceptatio satisfactionis ex sacrificio. Vel saltem proderit sacrifi- 3

cium

Digitized by Google

cium tanquam specialiter directum ab Ecclesia ad talem animam liberandam.

4 Colligitur 2. Quod quando conceditur, quod celebrandu in altari celebrans liberet vnam animam à Pergatorio, poterit aliàs obligatus celebrare, sed non in altari priuilegiato, siue obligatio sit ex stipendio, siue ex alio capite applicare sacrificium pro illo, pro quo tenetur offerre, & de indulgentia disponere ad libitum applicando cui soluerit. Quod etiam locum habet indulgentiis concessis quibusdam Medagliis S. Caroli. Quinque Sanctorum, &c. Nam concessum est habentibus aliquam ex dictis Medagliis, quod celebrando possint liberare vnam ex animabus purgantibus, nec requiritur, quod pro ipsa offeratur sacrificium.

QVÆSTIO 731.

An sacrificium priuilegiatum debeat esse Missa de Requiem.

SVMMARIVM.

1. *Missa de Requiem celebranda, quando ita exprimitur in concessione altaris priuilegiati.*
2. *Quid si non exprimatur*; & num. seq.
4. *Mens principis præsumitur conformis iuri.*
5. *Id habendum pro expresso, quod disponens verisimiliter respondisset.*
   Nisi exprimatur non censetur concessum, quod sufficiat alia Missa, quàm de Requiem in altari priuilegiato.
6. *Si ex vi priuilegij non requiritur applicatio sacrificij, non requiritur Missa de Requiem.*
7. *Non est necessaria Missa de Requiē, quando virtute numismatū liberanda est anima à Purgatorio.*

1 COnueniunt communiter, & est extra controuersiam, quod si in concessione indulgentiæ exprimatur, quod celebranti Missam de Requiem in tali altari conceditur, vt liberet animam à pœnis Purgatorij, necessariò sit celebranda Missa de Requiem, quia iam constat de mente Pontificis, quæ cum si priuilegiare altare, quoad tales Missas non extenditur priuilegium ad alias, quia non extenditur vltra intentionem concedentis, & hoc tradunt Doctores infra citandi pro vtraque sententia. Rursus etiam est certum, quod si concedat Pontifex, quod si celebretur quæcunque Missa, siue de Requiem, siue currens in dies, siue votiua, quod tunc non erit necessarium celebrare Missa de Requiem, quia constat, quod Pontifex intendit priuilegiare quamcumque Missam. Vnde solum difficultas est, quando Pontifex nihil exprimit, sed solum dicit, quod in tali altari celebranti concedit liberare animam à Purgatorio.

2 Prima sententia docet, si Pontifex nihil exprimat celebrari potest quæcunque Missa. Ita Nau. *conf.* 37. *de pœnit.* Zerola *part.* 2 *Praxis.verb.* Missa.*n.*7. Nald.*in sum.verb.* Missa. *n.*21. Bariola *in Aphorism. pro vtroque foro verb.* Missa.*n.*5. Lauor.*p.*2.*de Indulg.c.*30.*n.*114. Facund.*præcept.*1.*Eccles.lib.*3.*c.*9.*n.*7. Philipp. à Cruce *in Thesauro Ecclesiæ, tr.*2.§.6.*n.*7. Marchin. *de sacram. ordin.tr.*3.*part.*2.*c.*16.*n.*2. Perez *de anniuers. & Capell. lib.*2.*c.*8.*n.*34. Graff.*conf.*3.*de celebrat.Miss.tom.*2. Homobon.*p.*1.*Exam.Eccl.tr.*4.*c.*13.*q.*123. Rodriq. *quæst. Regul.*96.*art.*6.*tom.*2. Alter Rodriq. *in Compend.quæst. Regul.res.*77.*n.*70. Zipeus *tom.*2. *Respon.Can.resp.*5.*de pœn.n* 5.*lib.*3. Garzia *in sum.tr.*3.*difficult.*11.*dub.vltim. n.*1. Quintanad.*tom.*1.*singul.de sacram. in append tr.*4. *dub.*2.*n.*6. Trullench.*in Bull.defunct.dub.*5.*n.*6. Fragos. *tom.*2.*de Regim.Christ. Respub. p.*2.*lib.*8.*disp.*19.*n.*19. Bord.*in Consil.Regul.tom.*1.*res.*91.*n.*6. Syluius *in resol. moral.*6.*verb.* Altare Priuileg.1.*tom.*2. Pellizar. *tom.*1. *Manual.tr.*5.*cap.*9.*sect.*3.*n.*81. Tamb.*opus.de sacrific. Miss.lib.*2.*c.*6.§.6.*n.*2. Qui in eo fundatur, quod cum non exprimatur Missa dicenda, relinquitur arbitrio celebrantis, cum aliàs non minus satisfactoria sit quælibet alia Missa, quam de Requiem.

Secunda sententia asserit, etiamsi in concessione hoc non exprimatur, esse celebrandam Missam de Requiem. Ita Franc. Niger *in Addit. ad Petrum Ruiz de sacrif. Miss.p.*2.*reg.*8.*n.*2. qui citat etiam Trimarch. Lezana *in sum.verb.* Altare. *n.*19. asserens S. Congregationem ita declarasse. Et has declarationes S. Rituum Congreg. affert Barb. *in decis. Apost. Collect.*478. *n.*1. Quarrus *part.*1.*in Rubr.Miss.tit.*5.*dub.*11.*ver. Respondeo* Gobat. *de Indulgent.part.*2.*cap.*26. *num.*524. 3

Dicendum est. *Quando in concessione non exprimitur aliqua specialis Missa, sed tantum dicitur, quod celebrando pro aliquo defuncto eius anima liberetur, à pœnis Purgatorij, tunc celebranda est Missa de Requiem.* Ratio est. Quia in tali casu mens Pontificis recipit interpretationē à iure. Mens enim præsertim Principis, si oppositum non constet, præsumitur esse conformis iuri vt obseruant Ias. *in l.Causas.n.*6.*de transact.* Gozadin.*cons.*101.*n.*10. Dec.*cons.*64.*n.*7. Grammat. *cons.*34. *n.*3. Et proinde censetur præscribere celebrationem pro defuncto iuxta præscriptionem Ecclesiæ. Ecclesia autem præscribens celebrationem pro defuncto, præscribit specialem Missam. Et licet non obliget absolutè ad illam celebrandam, quando est offerendum sacrificium pro defuncto declarat tamen suam intentionem, & disponit, quod sit illa specialis Missa, quæ pro defunctis celebranda est. Præsertim quia intelligitur de celebratione pro defunctis secundum modum concessum Ecclesiæ, qui consistit, in Missa de Requiem, quia alio modo celebrare prouenit ex priuata electione celebrantium. 4

Confit. Ex regula iuris. Quod id habendum est pro expresso, quod disponens interrogatus verisimiliter repondisser, vt obseruant DD. *in l.Tale pactum.* §.*fin. ff.de pactis,* & *in l.Titius.*§.*Lucius* 1.*ff.de liber. & posth.* Bald.*in l.*1.*n.*2.*C.qua res oblig.pos.* Socin.iun. *consil.*78. *n.*31.*vol* 3. Ias.*in l.*3.*C.de liber.præter.* Salicet.*in l* 1. *C. Quæ res pign.liber.* Decian.*resp.*44 *n.*79.*vol.*3. Si autem Pontifex interrogaretur, an intenderet celebrari Missæ de Requiem, vt habeat locum indulgentia, certè affirmaret; quod ex Felicis recordat. Vrban. VIII. colligo. Nam cum sacellum ab ipso dum Cardinalis esset, ædificatum in nostra Ecclesia Andreæ de Valle Clericor. Regulat. de orbe obtineret priuilegium perpetuum, vt quotquot in altari ipsius pro defunctis celebrarent, toties, quoties eximerent animam à pœnis Purgatorij cum maxima difficultate declarauit, quod priuilegium haberet locum, etiamsi Missæ non essent de Requiem. Vnde cum in hoc concedendum adsit specialis difficultas, & vix altari proprij sacelli concesserit, non est censendū concessum, nisi in specie exprimatur, & proinde non sufficit generalis concessio facta de celebratione Missæ, cum requiratur specialis c.*Qui ad agendum.de procurat.in* 6. Præsertim quia concessiones per modum priuilegij debent strictè accipi, vt inter alios obseruant Dec. *in c.*1.*ver. Secundo limitatur.de rescript.* Sotus *cons.*422.*n.*12.*lib.*3. 5

Dicendum 2. *Si concessio non requirat, quod sacrificium offeratur pro defuncto; sed simpliciter concedat, quod celebrando in tali altari liberetur anima à Purgatorio per applicationem tanta Indulgentia, quanta sufficiat pro pœna soluenda, tunc non est necessariū celebrare Missam de Requiem, sed sufficiet quæcunque alia Missa.* Vnde declarationes sacræ Rituum Congregationis de quibus apud Barbosam supra *numero* 3. accipiendæ sunt in sensu prioris conclusionis. Ratio est. Quia cum sacrificium non sit offerendum pro anima, quæ 6

est liberanda, qualitas Missæ relinquitur dispositioni celebrantis. Et cum Pontifex non præscribat oblationem sacrificij pro consequutione indulgentiæ pro liberanda anima, nec etiam censendus est, quod præscribat qualitatem Missæ celebrandæ.

7 Ex dictis colligitur, quod ob obtinendam liberationē animæ à pœnis Purgatorij virtute indulgentiarum, quæ conceduntur Medaglijs, non sit regulariter necessarium celebrare Missam de Requiem, quia non requirunt Pontifices, quod offeratur sacrificium pro anima liberanda; sed solum imponunt celebrationem tanquam opus iniunctum, sub cuius conditione concedunt Indulgentiam applicandam Defunctis, & proinde obtinetur liberatio virtute solius Indulgentiæ, non autem virtute sacrificij, cuius fructus remanet sub libera dispositione celebrantis.

QVÆSTIO 732.

An status gratiæ sit necessarius in offerente, vt sacrificium priuilegiatum suum effectum habeat.

SVMMARIVM.

1. *Vt sacrificium priuilegiatum suum effectum obtineat, non est necessarius status gratiæ in offerēte.*
2. *Satisfactio Indulgentiæ, quæ coniungitur cum satisfactione sacrificij, sequitur eius naturam.*
3. *Indulgentia pro defunctis non requirit statum gratiæ in acquirente.*
4. *Cur in exequente opus iniunctum pro indulgentia pro Defunctis non requiratur status gratiæ.*
5. *Opus iniunctum non tribuit Indulgentiæ aliquem valorem.*
6. *Status gratiæ offerentis Indulgentiam potest exhibere speciale motiuum, vt acceptetur.*
7. *Status gratiæ lucrantis indulgentiam pro Defunctis potest requiri per accidens.*
8. *Pontifex non intendit concedere indulgentias sub iniunctione operis peccaminosi.*

1 DIcendum est. Statum gratiæ non esse necessarium in offerente, vt sacrificium priuilegiatum suum effectum habeat, quoad liberationem animæ purgantis. Ita specialiter Puteus *lib. 3. de fructu sacrificij disput.2.quæst.2.dub.5. n.8.* Et loquentes generaliter, quoad omnes Indulgentias pro Defunctis Gabr. *in Can. Missæ, in addit.ad sect.57.* Layman. *lib. 5. Theol. moral. tract.7.cap.7. num.1.* Rodriquez *quæst. Regul.96. art.4.tom.1.* Suar. *de pœnit.disp.53.sect.4. n.6.* Conineb. *disp.12.dub.6.n.39.* Palaus *part.4. oper.moral. tract.14. disp.vnic.punct.10.num.10.* Nauar. *de Indulgent.not.17. num.4.* & *not.19.num.6.* Corduba *in quæst. lib.5. qu.26. propos.7.* Reginaldus *lib.7. Praxis fori pœnit. num.183. & 195.* Henriquez *lib.7.sum.cap.9. num.6.* Bonac. *disput.6.de Indulgent.quæst.1.punct.6.num.11.* Graff. *in append.lib.2.de Indulgent.cap.4.num.21.* Granad. *3.part. controuer.1a tract.5.disput.6.n.1.* Amicus *tom.8.Cursus theol.disp.20.sect.8.num.203.* Bard. *in Bullam Cruciata, part.4.tract.3. cap.2.sect.3. num.23.* Quintanaduen. *in append.ad tom.1.singul. de sacram. tract.2. §. 6. num.5.* Gobat *de Indulgent. part. 2. cap. 25. num.515.* & alij communiter. Dissentit tamen Sà *verbo* Indulgentia. *num.2.* quatenus vult, quod excepto sacrificio, quoad cæteras indulgentias requiratur status gratiæ in applicante.

2 Ratio autem est. Quia si loquamur de Indulgentia, quæ requirit oblationem sacrificij hæc coniungitur cum fructu satisfactionis sacrificij, & fit vna completa satisfactio adæquans pœnam soluendam ab anima, pro qua offertur, vnde indulgentia fit accessoria ad satisfactionem ex sacrificio quatenus est complementum ipsius pro adæquatione pœnæ: & proinde sequitur naturam ipsius, & est independens à statu gratiæ illius, qui applicat.

Si verò non requirit oblationem sacrificij, est eadem ratio, ac de cæteris indulgentijs pro defunctis, quæ non requirunt gratiæ statum in lucrāte pro ipsis. Et ratio est. Quia in ordine ad indulgentias requiritur solum status gratiæ ad remouendum impedimentum impediens consequutionem, & ideò solum requiritur in eo, qui est consequuturus effectum indulgentiæ, non autem in lucrante pro alio. Quia lucrans habet solum determinare animam, cui est conferenda indulgentia, & implere opus iniunctum, sub cuius conditione conceditur. Hæc autē non requirunt gratiam, quia non debent esse opera dignificata, nec meritoria. 3

Confir. Indulgentiæ offeruntur Deo per modū suffragij ab Ecclesia mediante eius capite visibili pro defunctis, & ille, qui determinat animam, quæ debet illas participare, & exequitur opus iniunctum se habet merè ministerialiter, sicut se habet Sacerdos in applicatione fructus sacrificij: ergo non requiritur status gratiæ in applicante indulgentias, quia Ecclesia est principalis offerens; & oblatio dependet solū ministerialiter ab applicante, sicut depēdet oblatio sacrificij. 4

Confir. 2. Opus iniunctum non conuenit ad indulgentiam seu effectum ipsius contribuendo aliquem valorem, cuius autem intuitu fit relaxatio pœnæ, sed solum tanquā pura conditio, nam totus valor habetur ab indulgentia, quæ consistit in satisfactionibus thesauri Ecclesiæ exhibitis pro compensatione pœnæ. Vnde est valor ex opere operato independens à bonitate lucrantis indulgentias pro Defunctis: ergo non requiritur gratiæ status, cum à lucrante non sit communicandus valor aliquis, nec exhibere debeat motiuū, ratione cuius Deus acceptet satisfactiones oblatas.

Ex dictis colligitur, quod licet status gratiæ non sit necessarius vt indulgentia sortiatur suum effectum in Defunctis, supposito tamen, quod Indulgentiæ, non acceptentur infallibiliter à Deo, potest exhibere speciale motiuum acceptandi. Nam applicatio facta à persona grata, sicut est opus virtutis, ita ab ipsa dignificatur, & est Deo accepta tāquā opus amici, & proinde exhibet Deo aliquod motiuū in ordine ad acceptationē indulgentiæ: vnde etiā nos libētius acceptamus, quæ nobis ab amicis offeruntur, quàm ab inimicis. 5

Secundo colligitur. Quod licet de se non requiratur status gratiæ in lucrante indulgentias pro Defunctis, potest tamen requiri per accidens, quando scilicet opus iniunctum ipsum requirit, vt si concedatur, quod sumentes Eucharistiam liberent animam à Purgatorio. Quia secluso statu gratiæ cōmunio esset mortiferè peccaminosa. Opus autē mortiferè peccaminosum non sufficit pro lucranda indulgentia, vt tradunt communiter Doctores Caiet. *opusc.de indulgent. cap.2.* Adrian. *in 4.quæst.de indulg.concl.4.* Nauar. *de indulg. not.18.n.19.* & *not.82.n.45.* Rodriq. *p.1.sum. c.186.n.4.* Vega *p.2.sum.c.7.casu 3.* Zerola *lib.2. de Iubileo. c.12. q.4.* Bossius *sect.4.de Iubil.casu 12.n.15.* Alph. de Leone *p.2.de Iubil. n.141.* Fabr. *de Iubileo, c.35.dub.8.* Palaus *sect.41.de Iubil.n.27.* Gratian. *p.2.de Iubil. c.6.* & late ostendi *in tract.de Iubil.q.46.n.3.& sequent.* & *qu.76. n.4.* vbi in specie de cōmunicatione. Et ratio est. Quia quando Pontifices concedunt indulgētias sub iniunctione alicuius operis intendunt, illud opus tanquam continens aliquod obsequium Dei, & cum se gerant tanquā dispensatores Thesauri Ecclesiæ à Christo instituto, & cōmissi ipsorum dispensationi, necesse est, quod in dispēsando habeant talē intentionē, vt velint dispēsare dispēsatione à Christo approbāda; nā huiusmodi debet esse intētio cuiusq; dispēsatoris prudentis, 6

&

Digitized by Google

& fidelis, qui aliena bona dispensat. Huic autem intentioni repugnat, quod velint dispensare indulgentias sub iniunctione operis indecentis, siue cum peccato impleatur, siue sine peccato, & præsertim communionis etiamsi sacrilegæ fiat. Nam hoc non esset dispensare, sed dissipare thesaurum Ecclesiæ. Confir. Si Pontifex expressè intenderet concedere indulgentias sub iniunctione operis mortaliter peccaminosi aut communionis sacrilegæ, peccaret mortaliter, quia non solum se gereret infideliter in dispensatione, sed etiam quia esset fidelibus scandalo, & implicitè vellet peccatum: ergo quando concedit indulgentias sub iniunctione operis, quod benè, & malè impleri potest, dicendum est, quod intendat solum opus benè impletum absque peccato mortali, quia eius intentio censenda est recta, & proinde ab ipsa excludendum totum id, quod in specie, & expressè non possent sine peccato intendere.

QVÆSTIO 733.

An, vt sacrificium priuilegiatum sortiatur effectum pro defunctis, requiratur in ipsis aliqua specialis dispositio.

SVMMARIVM.

1. *In defunctis an necessaria aliqua dispositio vt sacricrificium altaris priuilegiati obtineat effectum,* & num. seq.
3. *Indulgentia non requirunt nisi capacitatem in defunctis.*
4. *Dispositio in defunctis pro obtinenda indulgentia ex nulla iure requiritur.*
5. *Actus huius Missæ non disponunt defunctos ad percipiendas indulgentias.*
6. *Carentia actuum absque culpa non potest priuare defunctos fructu indulgentiarum.*

1 Difficultas non procedit quoad fructum proprium sacrificij, nam de hoc dictum est in superioribus, sed de fructu, seu indulgentiæ annexæ an nimirum præter statum gratiæ in qua sunt omnes animæ purgantes, requiratur aliqua alia specialis dispositio. Prima autem sententia requirit pro dispositione, quod dum viuerent habuerint deuotionem erga claues, & quod fuerint sollicití satisfacere pro peccatis, & quod consueuerint orare pro defunctis. Ita Caiet. *Opusc. de indulgent. quæst.* 5. ver. *Quoad tertium.* Gandauens. *quodlib.* 11. *quæst.* 26. Nauar. *de indulgent. notab.* 22. *num.* 42. & nonnulli alij.

2 Communis tamen sententia docet, non requiri aliquam specialem dispositionem. Ita Suarez *disp.* 53. *de pænit. sect.* 4. *num.* 9. Henriquez *lib.* 7. *sum. cap.* 8. *num.* 3. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 7. *num.* 4. *in fine.* Valent. *tom.* 4. *disput.* 7. *quæst.* 20. *punct.* 5. *in fine.* Coninch *disp.* 12. *de indulgent. dub.* 11. *num.*.... Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 24. *disp. vn. punct.* 10. *num.* 11. Granad. 3. *part. controuers.* 12. *tract.* 5. *disp.* 6. *num.* 2. Lessius *ad* 3. *part. cap.* 3. *de indulgent. dub.* 3. *num.* 41. Lanor. *de indulgent. part.* 2. *cap.* 30. *num.* 118. Philip. à Cruce *in Thesaur. Eccles. tract.* 2. §. 6. *n.* 5.

3 Dicendum est. *Præter statum gratiæ, in quo sunt animæ purgantes, nullam aliam requiri dispositionem, vt fruantur effectu sacrificij priuilegiati quoad indulgentias.* Quod habet locum etiam respectu cuiuscunque indulgentiæ. Ratio est. Quia indulgentiæ se habent per modum liberalis donationis, quæ fit independenter à quocunque merito, vt proinde requirat in recipiente illam solam dispositionem, per quam fiat capax talis donationis, nempe status gratiæ; præsertim, quia conceduntur defunctis per modum suffragij, atque adeo ex liberalitate Ecclesiæ dispensantis suum thesaurum.

Confir. In viuentibus præter statum gratiæ non requiritur alia dispositio, vt fruantur indulgentiis: ergo nec etiam in defunctis. Quia si semel indulgentiæ non requirunt aliquam aliam dispositionem, iam ex natura sua non requirunt; sed neque etiam ex aliqua ordinatione, quia de diuina non constat, & absque certo fundamento non est inducenda Nec etiam de Ecclesiastica, quia ad summum posset Ecclesia requirere huiusmodi dispositionem, si non intenderet concedere indulgentias, nisi pro illis animabus, quæ habent talem dispositionem. Verum non est talis Ecclesiæ intentio, cum indifferenter pro omnibus concedat, & relinquat facultatẽ applicandi, cui libuerit. 4

Confirm. 2. Hæc dispositio fundaretur in actibus virtuosis huius vitæ: ergo est dispositio fictitia, cum non possint huiusmodi actus introducere pro statu Purgatorij aliquam dispositionem. Conseq. probat. Non possunt inducere dispositionem per modum qualitatis præparantis subiectum, quia animæ purgantes ratione status sunt præparatæ ad recipiendam gloriam, & nihil deest, nisi satispassio pro pœna. Subiectum autem præparatum ad recipiendam gloriam est etiam præparatum ad omnia media, quæ conducunt ad gloriam. Nec per modum meriti, quia omne meritum viæ ordinatur ad præmium obtinendum in termino aut gloriæ essentialis, aut gloriæ accidentalis. Medius autem status Purgatorij non admittit præmium, cum sit solum status satispassionis. 5

Confir. 3. Carentia huius dispositionis prouenit solum ex defectu aliquorum actuum in via, qui potuerunt omitti sine peccato, & saltem probabile est, quod omittantur ab aliquibus etiam absque peccato veniali, vt in iis, qui non longè post Baptismum susceptum moriuntur, aut non longè post vsum rationis, itavt in illo tempore, in quo peccare poterant, nequidem cogitauerit de his actibus. Horum autem animæ punientur in Purgatorio pœna carentiæ indulgentiæ absque vlla eorum culpa, quia priuarentur capacitate percipiendi indulgentias, atque adeò iure, quod habent ad ipsos, si offerantur Deo, & ipse velit acceptare. 6

QVÆSTIO 734.

An obligatus celebrare in altari priuilegiato satisfaciat applicando solam indulgentiam, itavt possit alteri sacrificium applicare.

SVMMARIVM.

1. *Quando indulgentia requirit sacrificium non satisfacit applicans solam indulgentiam.*
2. *Quid si concedatur indulgentia pro liberanda anima Purgatorij celebranti in tali altari.*
3. *Petens Missam in altari priuilegiato petit etiam fructum.*
4. *Nec potest petitio accipere interpretationem à voluntate dubia.*
5. *Obligatus celebrare pro defuncto non satisfacit applicando indulgentiam solam altaris priuilegiati.*

SI indulgentia sit concessa sub tali, vel simili forma, quod celebrando pro defuncto concedatur per indulgentiam de thesauro Ecclesiæ liberari à pœnis Purgatorij, itavt indulgentia requirat oblationem sacrificij pro anima liberanda, certum est, non satisfacere, si applicet tantum indulgentiam. Quia 1

nihil proficit eum indulgentia non sit applicabilis seorsim ob applicatione sacrificij: nam cum sit concessa sub conditione oblationis sacrificij, itavt tam ipsa, quam sacrificium ordinentur coniunctim ad liberationem, frustratur indulgentia, nisi etiam applicetur sacrificium. Et dato quod seorsim posset applicari, non sufficeret ad liberationem, quia adæquat pœnam solum, & coniuncta cum satisfactione, quæ est ex sacrificio. Vnde solum difficultas est, quando conceditur, quod celebrando in tali altari liberetur anima à Purgatorio, nec requiritur applicatio sacrificij.

2 Dicendum est. *Non satisfacere, sed teneri etiam applicare sacrificium.* Ita etiam Bordon. *tom.1. consil. regul. resolut.91. num.4.* Quartus *in Rubric. Missal. part.1. tit.5. dub.17. init.* Ratio est. Quia dans eleemosynam, aut alio pacto obligans ad offerendum in altari priuilegiato intendit prodesse de facto omni meliori modo, quo potest, & in hunc finem obligat sibi operam Sacerdotis ad exhibendum in eumdem finem suum ministerium, & proinde dum Sacerdos acceptans obligationem, remanet obligatus ad cooperandum eidem fini iuxta intentionem petentis: ergo si applicet solum indulgentiam non satisfaciet obligationi assumptæ.

3 Confir. Fieri potest, quod Deus non acceptet indulgentiam oblatam pro illa anima, aut saltem potest esse dubium, an acceptet, eum sit in opinione, an teneatur acceptare. Fructus autem sacrificij infallibiliter acceptatur à Deo: ergo illa anima defraudaretur fructu certo, & solum reciperet incertum, quod est contra substantiam petitionis illius, cui se Sacerdos obligauit.

4 Dices. Petens Missam in altari priuilegiato intendit tantum liberare animam à Purgatorio eo modo, quo potest liberari per indulgentias: ergo cum petitio sit mensuranda ex fine, non censetur obligare ad aliud, quàm ad applicationem indulgentiæ, cum hæc sufficiat tanquam adæquans totam pœnam. Et saltem, si id sciret, nihil aliud peteret. Resp. neg. anteced. Nam intendit prodesse illi animæ, quantum potest, vt dictum est. Quod colligitur ex eius petitione; nam non petit tantum, quod applicetur indulgentia, sed quod offeratur sacrificium pro illa anima, & quod offeratur in tali altari; & ideò cum petitio sit clara, non patitur aliam explicationem. Quod si sciret pœnam adæquari per indulgentiam, & proinde sufficere pro liberatione, dubium est, an contentus esset applicatione solius indulgentiæ; non potest autem petitio certa & expressa interpretari ex voluntate dubia interpretatiua. Imò si sciret, non esse certum, quod Deus acceptet indulgentias, procul dubio non esset contentus sola applicatione ipsius.

5 Ex dictis colligitur. Quod obligatus celebrare pro defuncto non satisfaceret, si loco sacrificij applicaret solam indulgentiam sufficientem pro liberatione à Purgatorio; etiamsi non teneretur celebrare in altari priuilegiato. Quia licet indulgentia sufficiens sit ad extinguendam totam pœnam, quam fortè non poterit extinguere satisfactio, quæ prouenit ex sacrificio, & consequenter videatur exhiberi per æquivalentiam aliquid amplius, quia exhibetur, quod certò est sufficiens pro eo, quod non est certò sufficiens; attamen id non potest fieri, quia sacrificium habet certum effectum, & indulgentia non habet; melius est autem quid minus certum, quàm maius incertum. Rursus quando certa res cadit sub obligatione in specie, non satisfit obligationi, si alia, licet maior, soluatur. Sacerdos autem tenetur in specie offerre sacrificium.

QVÆSTIO 735.

An obligatus celebrare Missam de Requiem, si celebret in altari Priuilegiato, possit alteri applicare indulgentiam.

SVMMARIVM.

1. *Obligatus ad Missam de Requiem, si celebret in Altari priuilegiato, an possit alteri applicare indulgentiam.*
2. *Indulgentia altaris priuilegiati separabiliter applicabilis potest applicari alteri ab eo, pro quo tenetur Sacerdos offerre.*
3. *Obligatus ad solam obligationem sacrificij disponit liberè de indulgentia altaris priuilegiati, &c.*
4. *Opus iniunctum pro indulgentia quatenus satisfactorium non necessario applicatur simul cum indulgentia.*
5. *Exequens opus iniunctum pro lucranda indulgentia, potest alteri applicare satisfactionem illius operis.*

NVgnus *tertia parte, quæst. 25. supplement. artic.1. quæstione tertia, ad 2. post. 3. conclus. 5. Sed tamen.* vers. *Vnde per*, videtur sentire, quod simul debeat applicare sacrificium, & indulgentiam; quia tamen potat, quod sacrificium oblatum pro pluribus æquè valeat, ac si pro vno tantum offerretur, ideo subdit, quod potest offerre pro eo, à quo accepit stipendium, & etiam offerre pro alio applicando indulgentiam. Suarez autem *disput.53. de pœnit. sect.4. num.3.* ait, quod verba rescripti considerata sunt; quia si dicant, quod offerendo pro defuncto, liberetur eius anima à Purgatorio, tunc applicanda est fructus sacrificij. Si verò dicant, quod celebrando Missam liberetur, tunc erit necessarium applicare fructum sacrificij. Ita etiam Ruteus *lib.3. de fruct. sacrific. disp.3. quæst.2. num.9.* Quintanaduen. *in singul. de sacram. tract.1. Append. dub.15. num.3.* Quartus *in Rubr. Miss. part 1. tit.5. dub.12.* 1

Itaque dicendum est, quod *Quotiescumque indulgentia est separabiliter applicabilis à sacrificio, poterit celebrans ad applicationem sacrificij obligatus applicare sacrificium iuxta obligationem suam, & si celebret in altari priuilegiato applicare alteri indulgentiam. Secus autem, non poterit.* Tunc autem indulgentia est separabiliter applicabilis, quando conceditur sub conditione sacrificij, vt operis iniuncti, nec exprimitur, quod debeat applicari sacrificium, seu offerri pro defuncto. 2

Ratio est. Quia obligatus offerre sacrificium cum Missa de Requiem pro defuncto, non tenetur celebrare in altari priuilegiato, cum possit offerre in quocunque altari: ergo si offerat in altari priuilegiato, quod inde acquirit, remanet sub libera eius dispositione, & si est independens à sacrificij applicatione, poterit cuicunque applicare. Confir. In tali casu sacrificium est merè opus iniunctum, sub cuius conditione conceditur indulgentia, & proinde requiritur solum ad effectum indulgentiæ, vt opus pium tendens in obsequium Dei: ergo non requiritur fructus ipsius, vt coniungendus cum indulgentia. 3

Ex dictis colligitur cum Suarez *disp.53 de pœnit. sect.4. n.3.* Quod quando iniungitur aliquod opus pro acquirenda indulgentia pro defunctis, quamuis necesse sit illud opus fieri tanquam conditionem fundamentalem indulgentiæ: non est tamen necessarium, quod quoad propriam satisfactionem applicetur illi, cui applicatur indulgentia, nam indulgentia de se est 4

adæquata

adæquata pro pœna, nec requirit superadditionem satisfactionis ex tali opere. Et ideo remanet in potestate acquirentis indulgentiam, vt possit talem satisfactionem, vel sibi, vel etiam alteri defuncto applicare. Quod etiam locum habet, etiamsi aliàs tale opus requireretur ad supplementum causæ pro indulgentia, quia non complet ratione satisfactionis, sed vt opus pium est.

5 Secundò colligitur cum eodem Suarez *disp.53. de pœnit. sect. 4. n. 4.* Quod exequens opus iniunctum, vt sibi acquirat indulgentiam, potest illod opus, quatenus satisfactorium per modum suffragij alteri applicare, siue defuncto, siue viuenti. Quia tota indulgentia, quæ conceditur sub conditione talis operis, non fundatur in satisfactiooe ipsius, sed tota extrahitur de thesauro Ecclesiæ; & proinde requirit opus merè, vt conditionem, noo vt partem satisfactionis. Vnde etiam, quando conceditur, quod celebrando acquiratur indulgentia siue plenaria, sioe quæcunque alia, quia sacrificium est opus merè iniuoctum, remanet liberum applicare fructum ipsius, cui libuerit.

QVÆSTIO 736.

An sacrificium sit æquè priuilegiatum, si offeratur in quolibet altari cum applicatione indulgentiæ liberantis animam à Purgatorio; ac si celebretur in altari priuilegiato.

SVMMARIVM.

1. *Indulgentia altaris priuilegiati, & numismatis, &c. an æquipolleat,* & num. sequent.
3. *Æquipollet, si oblatio sacrificij sit merè opus iniunctum.*
4. *In quo consistat æquipollentia.*
5. *Quid si indulgentia altaris priuilegiati requirat oblationem pro defuncto.*
6. *Coniunctio indulgentiæ numismatis cum sacrificio nititur auctoritati clauium.*
7. *Missa in altari priuilegiato compensari potest alia Missa cum indulgentia.*
8. *Si tamen Missa altaris priuilegiati obtinetur solum in fauorem defuncti.*
9. *Concessio, & obligatio concordat petitioni.*
Missa cum indulgentia quomodo satisfaciat pro Missa in altari priuilegiato.

1 EX resolutione huius quæstionis pendet etiam resolutio illius, an obligatus celebrare in altari priuilegiato satisfaciat celebrando in non priuilegiato, applicando tamen indulgentiam plenariam simul cum sacrificio. Prima autem senteotia negat satisfacere. Ita Bonac. *tom. 1. disp. 4. de sacrament. quæst. vlt. punct. 7. §. 4. n. 5. in fine.* Homobon. *tract. 4. exam. Eccles. cap. 13. quæst. 123.* Ganant. *in Rubr. Missal. tit. 12. n. 5.* Diana *part. 1. tract. 14. resol. 19.* Fraxinel. *de oblig. Sacerd. sect. 4. concl. 4. §. 9. num. 1.* Lugo Cardio. *disp. 10. de Eucharist. sect. 2. num. 39.* Auersa *quæst. 11. de Eucharist. sect. 18. ver. Specialiter.* Quartus *in Rubr. Miss. part. 1. tit. 5. dub. 20.* Tamburin. *Opusc. de sacrific. Miss. lib. 3. cap. 2. §. 11. num. 11.* Lezana *in sum. verbo* Missa, *n. 45.* Fundamentum est. Quia celebrans io alio altari violat fidem cum detrimento alterius, quia magis prodest Missa celebrata in altari priuilegiato, quàm indulgentia aliunde exquisita. Deinde quia indulgentia concessa Medagliis non est adeo certa, sicut indulgentia altaris priuilegiati.

2 Secunda sententia asserit æquipollere sacrificio oblato in altari priuilegiato, & proinde Sacerdotem satisfacere obligationi celebrandi in altari priuilegiato. Ita Alphons. de Leone *de offic. & potest. confessar. temp. Iubil. part. 3. num. 29.* Megal. *tom. 2. var. resolut. resol. 187. num. 10.* Marchin. *tract. 3. de sacram. Ordin. part. 2. cap. 24. n. 8.* Fraxinel. *de obligat. Sacerd. sect. 4. concl. 4. §. 9. num. 2. in 8. edit.* idem Diana *part. 4. tract. 4. resol. 40.* quas ego sequutus sum *in decis. moral. decis. 427. n. 5.* Et postea sequuti sunt etiam Garzias *in sum. tract. 3. difficul. 11. dub. vlt. n. 15.* Pellizar. *tom. 1. Manual. tract. 5. cap. 9. sect. 3. num. 80.* Gobat. *de indulg. part. 2. cap. 25. num. 511.* Bardus *in select. moral. lib. 10. quæst. 9. num. 12.* Idem Diana *part. 9. tract. 2. resol. 12.* Leander *de sacram. tract. 8. disp. 7. quæst. 70.* Thomas Hurtad. *tom. 1. Manual. tract. 2. cap. 4. resol. 10.*

Dicendum est. *Quando conceditur, quod celebrando in tali altari liberetur anima à Purgatorio; sacrificium celebratum in altari non priuilegiato, & cum applicatione indulgentiæ plenariæ æquipollet sacrificio celebrato in priuilegiato, & Sacerdos satisfacit propriæ obligationi ita celebrando.* Hoc aotem procedit, quando Missa in altari priuilegiato noo requirit applicationem fructus sacrificij, sed tantum tanquam opus iniuoctum debet esse coniuncta cum sacrificio. 3

Ratio autem est. Quia sacrificium in altari priuilegiato importat, & fructum satisfactionis ex opere operato, & indulgentiam, quæ ex concessione Pontificis coniungitur cum illo sacrificio in ordine ad liberandam animam à Purgatorio, itavt sacrificium se habeat, vt opus iniunctum: ergo qui petit sacrificium in altari priuilegiato duo tantum petit, nempe applicationem indulgentiæ concessæ ratione celebrationis io tali altari. Sed qui celebrat in alio altari, & applicat indulgentiam plenariam, hoc totum exhibet cum hoc solu discrimine. Quod indulgentia in primo casu applicatur vt coniuncta sacrificio ex concessione, & in secundo casu applicatur vt coniuncta ex voluntate celebrantis, quam iuxta coocessionem Pontificis potest iniungere, dum potest applicare, cui applicat fructum sacrificij: ergo per æquipolleotiam exhibet idem; imò etiam per identitatem, quia sacrificium est idem, indulgentia est eadem, quia vtroque modo dicit plenariam applicationem satisfactionis de thesauro Ecclesiæ, & solum adest diuersitas ratione altaris, quæ est materialis. 4

Difficultas aliqua nunc superesse videtur, quando indulgentia concessa pro defunctis requirit simul applicationem sacrificij, nam, vt dictum est in superioribus, tunc videtur acceptatio indulgentiæ esse certa apud Deum ex eo, quod tanquam complementum coniungitur cum sacrificij effectu, nempe satisfactione, & videtur trahi ad naturam ipsius. Vnde videtur fieri concessio indulgentiæ certò acceptanda. Verum idem quoque io hoc casu tenendum est; & ratio est, quia indulgentia in tantum euadit acceptabilis, in quantum coniungitur cum satisfactione, quæ est ex sacrificio. At etiam, quando est concessa seorsim ab applicatione sacrificij coniungi potest, quia dum offertur sacrificium, & illi superadditur indulgentia, consurgit ista coniunctio, nam lucrans indulgentiam illam ad augendam satisfactionem sacrificij vsque ad adæquationem pœnæ, & ideo trahitur ad naturam satisfactionis sacrificij. 5

Dices. Hanc coniunctionem esse priuatæ personæ, non autem fieri auctoritate clauium, sicut fit, quando conceditur offerenti sacrificium pro tali anima. Resp. Adhuc fieri auctoritate clauium. Quia sicuti indulgentiæ offeruntur Deo per modum suffragij auctoritate clauium, & dicitur Pontifex tollere impedimenta ad regnum Cœli assequendum concedendo indulgentias per modum suffragij, vt habet Leo X. *in Decret. apud Laert. 3. part. quæst. 48. art. 5. §. Ad hoc dicitur.* Quamuis non ab ipso, sed à lucrantibus applicentur, 6

quia scilicet habent potestatem à Pontifice applicandi, & proinde applicant ministerialiter. Ita etiam dicitur Pontifex coniungere indulgentias cum sacrificio virtute clauium, quando coniunguntur ob applicante, itavt semel applicetur fructus sacrificij, & indulgentia, & simul, & semel offeratur Deo per modum vnius suffragij. Siquidem neque Pontifex aliud facit concedendo liberationem animæ offerenti sacrificium pro ipsa, quàm offerre Deo per modum vnius suffragij satisfactionem sacrificij,& indulgentiam de thesauro Ecclesiæ.

7 Ex dictis colligitur. Missam in altari priuilegiato posse compensari per Missam in alio altari cum applicatione plenariæ indulgentiæ acquirendæ ex alio opere iniuncto, & non ex ipso sacrificio, dummodo tamen eodem tempore moraliter applicetur, itavt possit moraliter habere rationem vnius suffragij, sicut se habet Missa in altari priuilegiato, quæ petitur,quia licet probabile sit,quod quãdo indulgentia exigit oblationem sacrificij pro eadem anima infallibiliter à Deo, & proinde videatur aliquid minus certum exhiberi, si seorsum à sacrificio applicetur indulgentia; attamen quia est etiam probabile,quod omnes indulgentiæ acceptentur infallibiliter à Deo pro defunctis, ideo vna probabilitas compensatur cum alia; & alioquin cum totum id, quod petitur, exhibeatur, sufficienter impletur obligatio.

8 Colligitur 2. cum Garzia *in sum. tract.*8. *diffic.*11. *dub.vlt. num.*15. Traditam doctrinam habere locum, quando obligatio celebrandi in altari priuilegiato est tantum in eum finem, vt liberetur anima à Purgatorio, quia si imponens obligationem, alios fines haberet non satisfaceret, vtpotè si intenderetur cultus altaris, aut aliquis alias finis; quod solet contingere quando obligatio celebrandi est titulo Capellaniæ, secus autem in missis manualibus, aut ex legato pro vnâ vice tantum, nam hic finis solet esse tantum liberatio à Purgatorio.

9 Ad fundamentum in oppositum constat ex dictis, quia cum magis prosit Missa in altari priuilegiato, quàm in alio altari cum plenaria indulgentia, non violatur fides. Quia obligatio fidei est secundum intentionem petentis, siquidem concessio, & obligatio concordat petitioni Cap. *Inter dilectos*, § *Caeterum*, *de fide instrument.* vbi Felin. Ias. *in l. Gallus*, §. *Idem credendum*, *num.* 40. *ff. de lib. & posth.* Roman. *consil.*133. Dec. *consil.*10. *num.*8. Petens autem non rogat Missam in altari priuilegiato ratione altaris, sed ratione indulgentiæ, & ideo satisfacit eius intentioni cum alia indulgentia. Cum autem subditur, quod indulgentia concessa Medagliis non est adeo certa. Resp. Quod supponitur, quod concessio sit certa, quia saltem à fide dignis id habeatur, quia si esset incerta, non posset supplere. Deinde huiusmodi incertitudines se possent tenere etiam ex parte altaris priuilegiati, nam potest esse dubium an tempus concessionis expirauerit, an concurrant omnes illæ conditiones, cum quibus facta est concessio. Vnde cum sumus in rebus humanis, & moralibus, sufficit ex vtraque parte illa certitudo, quæ humano modo, & moraliter haberi potest.

QVÆSTIO 737.

An magis prosit defunctis Missa in altari priuilegiato, quàm indulgentia Bullæ Cruciatæ.

SVMMARIVM.

1. *Defunctis an magis prosit Missa in altari priuilegiato, an verò indulgentia Bullæ Cruciatæ.*
2. *Indulgentia altaris priuilegiati non præponderat in effectu indulgentiæ Bullæ Cruciatæ.*
3. *Causa concessionis altarium priuilegiatorum excedit causam concessionis Bullæ Cruciatæ.*
4. *Defunctis magis prodest sacrificium oblatum in altari priuilegiato, quam qualibet indulgentia seorsim à sacrificio.*

AD hanc difficultatem respondet Trullench *libro* 4. *in Bullam Cruciat. dubio* 12. *numero* 4. cæteris paribus magis prodesse Missam in altari priuilegiato, quàm indulgentiam Bullæ Cruciatæ,quia præter indulgentiam, quæ potest liberare à Purgatorio continet etiam illam specialem satisfactionem quæ prouenit ex sacrificio ex opere operato. Quia tamen concessio indulgentiæ per Bullam Cruciatæ est certior, & euidentiùs sufficiens, quia habet causam certiorem,& euidentiorem, nempe subsidium pro bello contra infideles, quam certitudinem causæ non habent semper altaria priuilegiata, regulariter ex hoc capite magis prodest indulgentia Bullæ Cruciatæ. Et citat pro hoc Caril. *in Bull. Cruciata, part.*2. *cap.*9. *ver. A certa, num.*4. 1

Verum hæc doctrina non satisfacit, quia, si indulgentia requirit applicationem sacrificij, adæquat tantum pœnam soluendam ab anima purgante semel cum satisfactione,quæ est ex sacrificio. Vnde non superest illa portio satisfactionis sacrificij, ratione cuius superabundet. Si verò indulgentia non requirit applicationem sacrificij, tunc cum non sit applicandum sacrificium adhuc indulgentia erit æqualis. 2

Quod autem dicitur de causa, neque videtur omninò subsistere, nam ex parte altarium priuilegiatorum vniuersaliter in ordine spirituali excedunt causam concessionis indulgentiæ Bullæ Cruciatæ, Siquidem sunt magis vniuersales, & potioris considerationis. Nam in primis recta gubernatio Ecclesiæ requirit, quod animæ defunctorum admittantur ad participandum de Thesauro Ecclesiæ, quo secluso fieret contra institutionem Christi. Congruentius autem est, quod admittantur ad participandum mediante sacrificio tanquam eo quod institutum est vniuersale medium pro omnibus necessitatibus. Rursus cum Thesaurus Ecclesiæ constet principaliter ex satisfactionibus Christi, & sacrificium sit institutum ad communicandum fructum passionis Christi, vt habet Concil. Trident. *sess.*22. *cap.* 2. *de sacrific. Miss.* debent per ipsum communicari hæ satisfactiones animabus Purgatorij, & ideo causa altarium priuilegiatorum est secundum institutionem Christi, vnde resultat ipsi sacrificio specialis prærogatiua, atque etiam specialis honor Dei, dum etiam ad communicandum Thesaurum Ecclesiæ adhibetur sacrificium, & honorificentiori modo offeruntur Deo indulgentiæ per modum suffragij. 3

Itaque absolutè tenendum, quod magis prosit defunctis sacrificium priuilegiatum, quam qualiber indulgentia plenaria, quia quamuis ex parte vtriusque adsit sufficiens compensatio, & adæquata pro pœna quam tenentur soluere, & quoad acceptationem indulgentiæ sit eadem ratio, attamen ex parte sacrificij adest fructus satisfactionis, qui saltem infallibiliter sortitur suum effectum. Ex parte quoque causæ indulgentiæ validitas concessionis certior est, quia maius motiuum concurrit pro concessione altaris priuilegiati, quàm aliarum indulgentiarum, vt constat ex dictis. 4

* * *

QVÆSTIO

QVÆSTIO 739.

An sacrificium priuilegiatum prosit defunctis Catechumenis.

SVMMARIVM.

1. *Catechumeni viuentes nō sunt capaces indulgentiæ.*
2. *Catechumeni defuncti an capaces indulgentiæ per modum suffragij*, & num. seq.
4. *Catechumeni participant fructum passionis Christi.*
5. *Catechumeni admissi à Christo ad soluendas pœnas eo modo, quo alij soluunt.*
6. *Catechumeni in gratia sunt membra viua corporis Christi.*
7. *Dispensatio thesauri Ecclesiæ per modum suffragij non dicit iurisdictionem super eos, in quorum fauorem dispensatur.*
8. *Remissio pœnæ per indulgentias non requirit characterem baptismalem.*
9. *Concessio indulgentiæ per modum suffragij non requirit in subiecto, nisi quod sit ordinatus ad gloriã.*
10. *Ecclesia concedit implicite indulgentias pro defunctis Catechumenis.*

Catechumeni in Purgatorio veniunt nomine fidelium.

1 POsse pro defunctis Catechumenis offerre sacrificium, dictum est supra, cum ageretur de iis, qui sunt capaces fructus sacrificij; vnde solum remanet difficultas, quoad indulgentiam anneaam, & resolutio pendet ex eo, an Catechumeni sint capaces indulgentiarum, Quod autem spectat ad Catechumenos viuentes certum est, non esse capaces, & in hoc conueniunt omnes præsertim infrà citandi. Et ratio clara est, quia indulgentiæ conceduntur viuentibus per modum absolutionis, vt habet Leo X. in Extrau. apud Caiet. 3. *part. quæst.* 48. *art.* 5. §. *Ad hoc dicitur*, atque adeo iurisdictionali modo. Vnde non possunt concedi, nisi subditis, vt habetur ex cap. *Quod autem de pænit. & remis.* Catechumeni autem non sunt subditi Ecclesiæ neque in illos exercere potest iurisdictionem quia non potest exercere iurisdictionem, in aliquem, nisi prius per baptismi ianuam ingressus fuerit, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. iuxta illud Apostoli 1. *Ad Corinth.* 12. Quid *mihi de iis, qui foris sunt iudicare.* Vnde remanet difficultas quoad defunctos, cum ipsis non concedantur indulgētię per modum absolutionis, sed solum per modum suffragij.

2 Prima sentētia negat, Catechumenos defunctos esse capaces indulgentiarum, atque adeo, necesse capaces priuilegij, quod conceditur altaribus priuilegiatis. Ita Nung. 3. *part. quæst.* 23. *supplement. art.* 1. *quæst.* 3. *post.* 3. *Conclus.* ver. *Sed tamen, in fine*, Menet. *quæst.* 26. *einsd. supplement. dub.* 2. *num.* 19. Coninch. *disp.* 12. *de indulg. dub.* 10. *in fine* Filliuc. *tract.* 8. *cap.* 8. *quæst.* 10. *num.* 214. Bonac. *disp.* 6. *de indulgent. quæst.* 1. *punct.* 5. *num.* 2. ver. *Ego verò* Sanchez *lib.* 4. *sum. cap.* 37. *num.* 36. D. Antonin. 3. *part. tit.* 21. *cap.* 51. §. 6. August. de Ancona *de potest. Eccles. quæst.* 33. *art.* 2. Turrecrem. *cap. Quando, de consecrat. dist.* 4. Et in hanc sentent. magis propendet Suarez *disp.* 51. *de pœnit. sect.* 4. *num.* 8. Prob. Actus clauium non possunt exerceri nisi in eos, qui sunt, vel fuerunt subiecti, & Ecclesiæ membra, tales autem sunt Catechumeni. Secundò. Quia ante baptismum nemo est capax effectus remissionis culpæ ex opere operato: ergo nec remissionis pœnę indulgentiæ autē causant suum effectum ex opere operato. Tertiò, Pontifex, cum potest concedere indulgentias per modum suffragij, potest concedere etiam per modum absolutionis. Catechumenis autem non potest concedere per modum absolutionis. Quartò. Quia non est recepta consuetudo concedendi indulgentias Catechumenis, neque enim veniunt nomine fidelium, cum non sint professi fidem per characterem Baptismalem.

Secunda sententia asserit, Catechumenos esse capaces indulgentiarum per modum suffragij, atque adeo priuilegij concessi sacrificio in altari priuilegiato oblato. Ita Nauar. *De indulgent. notab.* 31. *in fine* Henriquez *lib.* 7. *sum. c.* 18. *num.* 3. Benzon. *de iubil. lib.* 5. *cap.* 15. *dub.* 28. Sà, *verbo.* Indulgentia. *numer.* 2. Isambert. 3. *part. tract. de purgator. disp.* 3. *art.* 2. *in fine*, Amicus *tom.* 8. *Curs. Theol. disp.* 20. *de indul. sect.* 8. *numer* 157. Ricciul. *de person. extra Eccles. grem. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 3. 3

Dicendum est. *Catechumenos defunctos in gratia esse capaces indulgentiarum per modum suffragij, atque adeo priuilegij seu indulgentiæ concessis altaribus priuilegiatis.* Prob. Catechumeni sunt capaces applicationis virtutis sacrificij Crucis, & participationis fructuum passionis Christi: ergo etiam eorum omnium, quæ inde veniunt, nisi aliquid speciale obstet communicationi: ergo etiam indulgentiarum. Anteced est certum, nam de facto participant fidem, & gratiam ratione cuius facti sunt filij Dei, & hæredes regni cælestis. Conseq etiam prima constat. Quia eo ipso, quod quis est admissus ad participandum fructum passionis Christi, potest quoad omnia participare, nisi aliquid speciale obstet. Conseq. etiam secunda prob. Quia cum sint in statu gratiæ nihil obstat, quominus ipsis applicari possint satisfactiones Christi per modū suffragij, quia sunt in illo statu medio, qui admittit hanc capacitatem; & sicuti defectus characteris baptismalis non impedit finem, ad quem ille status medius est ordinatus tanquam via ad ipsum, ita nec etiam impedit applicationem mediorum, quæ ordinata sunt ad consequendum finem, vbi enim est capacitas finis, ibi etiam est capacitas mediorum. 4

Confir. Thesaurus Ecclesiæ constat principalissimè ex meritis Christi, & est sub dominio ipsius, ita vt Pontifex sit tantum dispensator: Ergo cum Christus admiserit defunctos Catechumenos ad participanda merita suæ passionis, & velit ipsos introducere ad requiem suam, postquam soluerint pœnas debitas peccatis, & admiserit ad soluendum per satispassionem, atque adeo per commune medium, quo admittuntur etiam baptizati, dicendum est, quod admiserit etiam ad soluendas pœnas omni alio modo, quo cæteri sunt admissi, atque adeo quod admiserit etiam ad indulgentias per modum suffragij percipiendos Non huic tamen fit, quod sint admissi etiam viuentes, quia non sunt capaces, vt in eos exerceatur iurisdictio, vt dictum est *num.* 1. Indulgenitiæ autem non possunt concedi viuentibus, nisi per modum absolutionis. 5

Confir. 2. Defuncti Catechumeni sunt mēbra viua Christi, & ipsi vniti per fidem, Charitatem tanquam capiti, ita vt æquè sint vniti, ac alij defuncti, quia character Baptismalis non poscit specialem vnionem, sed tantum est signum distinctiuum, & dans capacitatem ad alia sacramenta: ergo debent participare influxus capitis ratione vnionis, quos participãt cæteri defuncti, atque adeo debent esse capaces indulgentiarum per modum suffragij, quia Christus instituit dispensationem indulgentiarum tanquam influxum capitis in membra pro defunctis. 6

Ad 1. in oppositum, resp. In dispensatione indulgentiarum potestatem clauium dupliciter exerceri, & supra thesaurum Ecclesiæ, & super eos, quibus dispensatur. Exercetur supra thesaurum, quia cum summus Pōtifex sit iuridicus dispensator iuridico modo dispensat, 7

Digitized by Google

dispensat. Exetceretur autem in eos, quibus fit dispensatio, quando dispensantur per modum absolutionis, nam absoluere est actus iurisdictionis. Quando verò dispeosaotur per modom suffragij, non exercetur iurisdictio in eum, eui conceduntut, quia tantum offeruntur Deo pro ipso, & ideo supra ipsum non tequiritur iurisdictio aliqua, sicuti non habet Pontifex in aolmas Purgatorij. Quod autem defuncti baptizati fuerior subditi iurisdictioui ipsius, non facit ad rem, quia, cum desierint esse subditi, desiit etiam omnis iurisdictio in ipsos, & ideo si dispensatio requireret aliquam iurisdictionem, non sufficeret prætetiia. Sic si minister Principis haberet dispensare bona commuoia ciuitatis ciuibus solis, non posset amplios dispensare iis, qui desierunt esse ciues, nam quando dispensatio non potest incipere, vt fiat non subdito nec etiam potest continuari, si subditus deueniat non subditus, quia deuenit, ad statum, à quo non potest incipere. *l. Existimo posse 98. de verbor. obligat.* Quando ergo indulgentiæ dispensantur, non requiritur nec præictita iurisdictio in eos, quibus dispensantur sufficit, quod sint eorum communitati incorporati, pro quo est instituta dispensatio, quia tunc de voluntate Domini dispensantur. Talis autem est communitas animarum purgantium, cui animæ Catechumenorum sunt iocorporatæ.

8 Ad 2. Distiog. cooseq. Non est capax remissionis pœnæ est opere operato, quæ consequitur remissionem culpæ, vt est remissio pœnę æternæ; secus autem si non consequatur, sed disparatè se habeat, vt est remissio per indulgentias. Nam remissio per indulgentias, licet sit ex opere operato, nou requirit tamen characterem Baptismalem, quia nou fit sacramentali modo, sed per modum suffragij compensatiui pœnarum; & ideo solum requiritur, quod pœnæ compensari possint, & quod Deus acceptet. At remissio culpæ ex opere operato fit tantum per sacrameota, & ideo requirit characterem Baptismalem, quia ex institutione sua habet, quod siut efficacia circa insignitos hoc charactere.

9 Ad 3. neg. assumptum, vt constat ex dictis. Qnia concessio per modum suffragij est indepedens à concessione per modum absolutionis: & solum requirit in subiecto ordioationem ad gloriam æternam, quia hoc ipso fit capite omnium mediorum, quæ à Christo instituta sunt ad tolleoda impedimenta impedieotia ingressum in ipsum, Pontifex autem potest dispensare indulgentias iuxta institutionem Christi.

10 Ad. 4. Nihil obstare, quod Ecclesia non concedat in specie iodulgentias pro Catechumenis: nam concedit vniuersaliter pro omnibus fidelibus defunctis, qui in Christo quieuerant: nec tamen excludit Catechumeros. Deiode cum concedat indefioitè liberatiooem animarum purgantium, & relinquat io potestate lucrantis applicare cui voluerit, concedit etiam Catechumeois, oam veniunt sub hac generalitate, præsertim cum concessio non exprimatur sub hac generalitate, præsertim cum concessio non exprimatur sob nomine fidelium, sed sub oomine animarum Purgatorij. Accedit etiam, quod licet in Ecclesia militanri nomine fidelium veniant solum insigoiti charactere Baptismali, id prouenit, quia per baptismum fit professio publica fidei, & ideo ante ipsum non censetur quis fidelis cum nondum sit professus publicè fidem. At in Purgatorio noo habet locum hæc publica professio fidei, & ideo per ipsam, seu characterem Baptismalem non ponitur distinctio fidelium, sed cum omnes sint in statu fidei, & gratiæ consummato, etiam Catechumeni veniunt nomine fidelium.

QVÆSTIO 739.

An sacrificia priuilegiata ratione altaris, in quo offeruntur prosint viuentibus.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificia in altari priuilegiatio prosunt viuentibus, quatenus sacrificia.*
2. *Sacrificia priuilegiata non prosunt viuentibus quoad indulgentiam.*
3. *Actus non operatur vltra intentionem patientis.*
4. *Effectus sacrificij priuilegiati non potest suspendi pro tempore, in quo poterit habere locum.*

SVpponendum est tanquam certum, quod prosint quatenus sacrificia suot, atque adeo secundum triplicem suum fructum propinationis, satisfactioois, & impetrationis, si applicetur sacrificium absolutè, vode ex hoc capite sacrificium magis prodest ipsis, quam prosit defunctis. Nec oblatio in altari priuilegiato coarctat sacrificium, vt possit solum secundum satisfactionem, quia hæc limitatio non potest fieri, nisi ob offerente, cum sub eius tantum potestate sit dispooere de fructu sacrificij. Solum difficultas est, an prosit secundum iodulgentiam annexam. 1

Dicendum est. Sacrificia priuilegiata non prodesse viuentibus quoad indulgentiam annexam. Ita Megal. *tom. 1. variar. resol. 19.* Fraxinel. *de obligat. sacerdot. sect. 3. prænot. 4. §. 3. num. 5.* Suarez *3. part. de pœnit. sect. 1.* Philip. à Cruce *in Thesauro Eccles. tract. 2. §. 6. num. 7.* Trullench. *in Bulla defunct. dub. 9. num. 6.* Garzia *in sum. tract. 3. difficul. 10. dub. 7. numer. 9.* Bordon. *tom. 2. consil. regul. resol. 91. quæst. 2. num. 4.* itavt neque suspendi possit effectus iodulgentiæ vsque ad mortem illius pro quo celebratur sacrificium. 2

Ratio est. Quia indulgentiæ non prosunt vltra intentionem coocedentis, com omnis actus operetur tantum iuxta intentionem facientis, *l. Non omnis. ff. si cert. pet.* & *l. In agris ff. De aquiren. rer. domin.* & *l. Multum interest. C. si quis alteri, vel sibi.* Constat autem de intentione summi Pontificis in concessione priuilegij pro Altaribus, habere suam intentionem directam ad animas Purgatorij, cum expressè pro earundem liberatione dispenset indolgentias, & concedat per modum suffragij, & non absolutionis. 3

Ex quo fit quod neque suspendi possit effectus harum indulgentiarum in tempus habile, nempe in tempus, in quo viuens purgaturus sit peccata, quoad pœnas in Purgatorio. Tum quia ex natura sua effectus indulgentiæ non suspenditur neque in futurum tempus transfertur, sed statim habet locum, ac completur opus iniunctum. Tum quia, vt suspenderetur effectus, debeat iodulgentia esse concessa illi, pro quo offertur sacrificium, non est autem concessa, quia conceditur tantum pro animabus Purgatorij, vt clarè verba sonant, nec à celebrante potest ipsi applicari, quia conceditur tantum quod possit applicari defunctis. Tum quia conceditur per modum suffragij, viuens autem non est capax participationis indulgentiarum per modum suffragij. Nec potest Pontifex concedere indulgentias alicui, nisi pro statu, in quo est de præsenti; non autem, in quo sit futurus, quia non potest anticipatè satisfacere pro pœna in futuro luenda, nisi de præsenti eam extinguendo debita compensatione indulgentiarum. 4

QVÆSTIO

QVÆSTIO 740.

An possit celebrari Missa de Requiem in altari priuilegiato, quando in diebus destinatis pro indulgentia occurrit festum duplex.

SVMMARIVM.

1. *In festis duplicibus, & Dominicis non celebrantur Missa de Requiem.*
2. *Rubrica si sunt praceptiua, non continent grauem obligationem circa qualitatem Missa.*
3. *In duplicibus non posse celebrari Missam de Requiem in altari priuilegiato.*
   Declaratio S. Congregat. circa celebrat. Missa de Requiem in duplicibus.
4. *Declaratio non inducit nouum ius.*
5. *Missas de Requiem celebrari posse in duplicibus in altari priuilegiato.*
6. *Si duplex non sit festum de pracepto.*
   Prohibitio Rubrica circa Missas de Requiem in duplicibus cessat stante priuilegio altaris.
7. *Prohibitio cessat si impediat bonum commune.*
   Prohibitio Rubrica circa Missas de Requiem in duplicibus an extenditur ad altaria priuilegiata.
8. *Priuilegium altaris extenditur ad singulos dies expressos.*
   Concessum intelligitur, quidquid est necessarium, vt concessio sortiatur effectum.
9. *Priuilegium altaris derogat Rubrica circa Missas de Requiem.*
10. *Si indulgentia altaris non requirat applicationem sacrificij, non derogat Rubrica circa Missas de Requiem.*

1 Difficultas oritur ea Rubricis Missalis, nam in Titulo *de Missis defunctorum* præscribit, quod Missæ de Requiem dici possunt singulis diebus, præterquam in festis duplicibus, & Dominicis. Vnde cū ij dies sint excepti, remanet sub prohibitione celebratio Missæ de Requiem occurrente festo duplici, & in diebus Dominicis.

2 Est tamen aduertendum, quod Rubricæ quatenus præscribunt qualitatem Missæ, si sunt præceptiuæ nō continent grauem obligationem, sed solum sub veniali, & proinde neque obligant sub veniali concurrente causa rationabili; nā tunc causa cessare facit illam leuem obligationem, vt tradunt Henriquez *lib. 9. sum. c. 23. n. 5.* Villalob. *p. 1. sum. tr. 8. diffic. 31.* Miranda *t. 1. Manual. q. 41. ar. 21.* Garxia *in sum. tr. 3. diffic. 8. dub. 6. punct. 2. n. 23.* Dicastil. *de sacr. tr. 5. disp. 4. dub. 14. n. 273.* Tamburin. *opusc. de sacr. Miss. lib. 2. c. 6. §. 1. n. 6.* Zanard. *p. 1. direct. Theol. c. 12. de Euch. q. 14.* Llamas *part 3. Meth. cap. 5. §. 14.* Diana *par. 2. tr. 14. resol. 30.* Tanner. *tom. 4. disp. 5. q. 10. dub. 1. n. 6.* Io. Henriquez *in sum. sect. 22. q. 16.* Imò neque obligare sub veniali, sed esse tantum directiuas tenent Suarez *disp. 83. de Euch. sect. 3. circa med.* qui alios citat. Fillioc. *tract. 5. cap. 5. n. 140.* Pottel. *in dub. regul. verb.* Missa *n. 1.* Niger. *in addit ad Ruiz. part. 1. precep. 1. q. 17.* qui alios citat Brunus *de priuileg. par. 2. tr. 8. c. 7. propos. 3.* Quia, inquiunt, sicut non adest obligatio celebrandi Missam, ita etiam liberum manet celebrare, quam quisque voluerit ex approbatis, quod resoluitur in id, quod qualitas Missæ præscribitur pro quacunque die, vt sit conformis officio diuino, atque adeo secundum exigentiam officij diuini. Cum autem officium diuinum non exigat sibi connecti Missam secundum substantiam, nec etiam exiget connecti secundum qualitatem, quia substantia est fundamentum qualitatis, quæ corruit eo corruente. Vnde potest assumi alia Missa non in consequentiam ad diuinum officium, sed ea mera voluntate, ita vt non celebretur vt pertinens ad ipsum, sed vt disparatè se habens.

Prima sententia asserit, non posse in altari priuilegiato celebrari Missas de Requiem iis diebus, qui sunt destinati pro indulgentia, si occurrat duplex. ita Gauant. *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 5. n. 2. ver. Sacra tamen* Diana *part. 4. tr. 4. resol. 233. ver. Notandum est*, & in hanc opinionem videtur magis inclinare Garzia *in sum. tr. 3. difficul. 8. dub. 6. punct. 2. n. 22.* & fundatur in declaratione S. Rituum Congregat. quam refert Barbosa *in Collect. Bullar. verbo* Missa defunctorum, *n. 5.* sub *die 24. April.* 1627. tenoris sequentis. *Missa de Requiem in altari priuilegiato non potest dici in die festo duplici, & de pracepto, qui incidit in diem assignatum pro dicto altari priuilegiato.* Quidquid tamen est an hæc declaratio sit germana, cum declarationes relatæ à Barbosa in illo opere sint suspectæ, si quidem prohibitum fuit, quia pluribus adulterinis scatebat, & proinde admissa pro vera, est aduertendum, quod non loquitur de omnibus festis duplicibus, sed de iis, quæ sunt duplicia, & de præcepto, & proinde debet copulatiuè concurrere vtraque qualitas, vt locum habere possit. 3

Deinde cum declaratio non inducat nouum ius, sed quid statutum sit, ostendat *l. Asse toto ff. de hered. instit.* & *l. Vnum ex familia §. si de Falcidia ff. de leg. 2.* & *l. Heredes palam. §. si quid post. ff. de testamen.* ibi, *Nil enim nunc dat, sed totum significat*, & notant communiter Doctores, quos plena mano citaui *in quæst. Can. 61. num. 7. Centur. 1.* Hæc declaratio accipienda est tanquam inhærens Rubricis, ita vt non habeat aliam vim supra vim Rubricæ, quæ disponit de Missis defunctorum: & proinde habeat tantum vim directiuam, nec obliget sub peccato aliquo, aut ad summum habeat vim obligandi sub veniali iuxta dicta *numero 2.* 4

Secunda sententia tenet celebrari posse Missas de Requiem etiam si occurrat festum duplex. Ita Franc. de Nigro, *in Addit. ad Ruiz. part. 1. pref. 1.* Gobat. *de de indulg. part. 2. cap. 26.* & à fortiori sequitur ex iis, quæ tradit Siluius. *tom. 2. Variar. resolut. verbo.* Altare, priuilegiatum, *num. 1.* dum vult, quod etiam in Dominica infra octauam omnium defunctorum dici possit Missa de Requiem in altari pro tota octaua priuilegiato; & etiam ex iis, quæ tradunt Doctores *num. 2.* citat, dum volunt Rubricam de qualitate Missæ, aut non esse præceptiuam, aut si est, non obligare nisi sub veniali, & neque sub veniali concurrente, causa rationabili. 5

Dicendum est. *In diebus, in quibus altare est priuilegiatum posse celebrari Missas de Requiem etiamsi occurrat festum duplex*, intelligitur aut de duplici, quod non sit de præcepto Ratio est. Quia tota prohibitio celebrandi Missas de Requiem in diebus, in quibus occurrit festum duplex, habetur tantum ex Rubricis. Cessat autem quando agitur de sacrificio priuilegiato, cum quo non potest obtineri indulgentia, nisi Missa sit de Requiem: ergo cum cesset prohibitio Rubricæ poterit celebrari. Quod cesset hæc prohibitio ex eo constat, quia si esset tantum directiua, non solum non obligat, verum etiam directio in ratione directionis non amplius habet vim, si quidem ius dirigendi in eo consistit, quod conueniens est, Missam congruere officio, vt etiam in ipsa celebretur festum. At quando agitur de liberandis animabus à Purgatorio, magis conueniens est, & vtile Ecclesiæ tā triumphāti, quàm militanti, quod liberētur animæ, quàm quod exhibeatur sancto ille honor, quia illa 6

augetur lo consortio Ciuium cœlestium, bæc verò proficit in transmittendo suos ciues ad regnum & patriam: & ideò bæc maior conuenientia cessare facit conuenientiam, & directionem Rubricæ. Si verò est etiam præceptiua, cum non obliget, nisi sub veniali & adsit tam rationabilis, & vrgens causa, qualis est liberare animas à pœnis Purgatorij, cessabit probibitio, quia neque etiam prohibitio sub mortali obligat cum magno incommodo. Esset autem magnum incommodum non posse liberari animas à Purgatorio. Siqoidem consisteret in tota illa pœna, quàm paterentur quousque celebretur Missa priuilegiata.

7 Confir. Omnis prohibitio, quæ fit per legem, qualis est etiam, quæ fit per Rubricas, quia quo modo habent rationem legis. Saltem directiuè, est ita accipienda, vt seruet naturam legis, & proinde respiciat bonū commune, ita vt quando venit casus, quod non solum non sit vtilis, sed etiam noxia desinat obligare, tanquam contraria fini, ad quem ordinatur. Si autem Rubrica prohibens Missas de Requiem in Festis duplicibus obligaret quando coincidit dies altaris priuilegiati, esset noxia, tum quia impediret Ecclesiam, ne priuilegium concessum suffragaretur Defunctis; tanquam impediret exercitium charitatis quoad cooperantes sacrificio erga Defunctos. Tum quia præferret minus bonum, quale est ille bonor Sancti, cuius festum celebratur, maiori bono, nempe liberationi animarum à Purgatorio, quod neque ipse sanctus approbaret; quia, cum sit vnitas perfecta charitate cum Deo vult omnia bona ordinato modo, atque adeò magis amat proximi bonum maius, qualis est acceleratio beatitudinis in animabus Purgatorij, quàm proprium minus, qualis est honor ex celebratione Missæ præscriptæ pro proprio Festo.

8 Confir. 2. In tenore priuilegij, pro altaribus priuilegiatis habetur, quod singulis talibus diebus celebrantes liberent animam à Purgatorio, & proinde priuilegium est concessum pro singulis diebus expressis: ergo censetur concessum pro iisdem diebus celebrare Missas de Requiem, licet occurrat festum, quia cum concessio indulgentiæ requirat tanquam opus iniunctum talem specialem Missam, nisi priuilegium boc concederet, non potest sortiri effectum, sed esset inane. Quia autem intentio concedentis est, quod babeat effectum, ideò intelligitur concessum, quicquid est necessarium, vt sortiatur effectum *l. Si stipulatus. ff. de verbor signific.* & *l. 3. §. fin. ff. de seruit. rustic. præd* & notat Narbon. *in l. 25. gl.* 8. *numer. 3. tit. 21. libr. 4.*

9 Ea dictis colligitur; quod, quando priuilegium altaris est pro singulis diebus, & requirit celebrationem Missæ de Requiem poterit quocunque die celebrari occurrente Festo duplici. Militat enim eadem ratio; & quod prohibitio celebrandi Missas de Requiem in Festis duplicibus non se extendat ad Missas in altari priuilegiato. Et quod, si extenderetur per priuilegium censeatur ipsi derogatum, cum concedat totum id, sine quo effectus priuilegij obtineri non potest. Si enim priuilegium est pro singulis diebus, pro singulis quoque diebus debet esse concessum, quod est necessarium pro obtinendo effectu priuilegij. Et hoc habet locum, etiamsi in concessione priuilegij non exprimeretur, quod debeat celebrari Missa de Requiem; nam cum sit celebranda ex natura concessionis, etiamsi non exprimatur, venit celebranda de Requiem iuxta dicta in superioribus.

10 Colligitur 2. Quæ modo dicta sunt, locum babere, quando sacrificium est offerendum pro anima liberanda; nam si indulgentia non requireret applicationem sacrificij, sed tantum, quod celebraretur in tali altari, nisi concessio expressè requireret Missam de Requiem, deberet celebrari Missa de festo currenti, quia in tantum intelligitur concessa Missa de Requiem, in quantum censetur iniuncta non est autem iniuncta, nisi exprimatur, aut nisi sit celebrandum pro Defuncto.

QVÆSTIO 741.

An si Altare sit priuilegiatum per totam Octauam Defunctorum, possit in die Dominico incidente celebrari Missa de Requiem.

SVMMARIVM.

1. *In festis de præcepto infra Octauam omnium Defunctorum, an possit celebrari Missa de Requiem in altari priuilegiato.*
2. *In priuilegio concesso per totam octauam nullus excipitur dies.*
3. *Dum nullus excipitur dies octaua omnium Defunctorum, omnes censentur inclusi.*
4. *Speciale priuilegium derogat generali.*
5. *In festis de præcepto peculiaribus infra octauam omnium Defunctorum an possit celebrari Missa de Requiem in Altari priuilegiato.*
6. *Declaratio S. Congreg. non derogat, sed derogatur priuilegio octaua omnium Defunctorum.*

1 Difficultas procedit, supposito, quod sit necessaria Missa de Requiem. Qui autem tenent, quod possit celebrari in diebus, in quibus occurrit festum duplex, quos *in præced. q. n. 3.* citaui, à fortiori tenebunt quod non liceat in illo die Dominico celebrare Missam de Requiem, quia videtur magis obstare solemnitas festiuitatis de præcepto quàm festiuitas officij duplicis. Attamen posse celebrari, tradit in terminis Syluius *tom. 2. variar. resol. verb.* Altare priuilegiatum. *n. 1.* Et Franc. Niger *in addit. ad Ruin. p. 1. precept. 1. q. 13.* docet, Missas de Requiem, sicut & alias votiuas celebrari posse quocunque die, modo non sit festum Domini Sabbaoth. Idem admittit Gobat. *de indulg. p. 2. cap. 26. num. 526.*

2 Dicendum est. Posse in dicto die Dominico celebrari Missas de Requiem in altari priuilegiato pro tota octaua. Ratio est. Quia si non posset celebrari Missa de Requiem, non posset priuilegium babere locum pro illo die, siquidem, vt habeat locum, & effectum, requirit Missas de Requiem: ergo priuilegium non esset concessum pro tota octaua, quia tota octaua includit etiam diem Dominicum, cum constet octo diebus. Est autem contra tenorem priuilegij, quia supponitur exprimere totam octauam. Et proinde si alias est probibitum celebrare Missas de Requiem, priuilegium derogat prohibitioni, iuxta dicta *in præced. n.* 8.

3 Confir. Pontifex optimè scit, quod infra octauam Defunctorum occurrit festum Dominicæ, & nihilominus concedit priuilegium pro tota octaua, & iniungit Missas de Requiem: ergo aut dicendum est, quod deroget prohibitioni, si qua adest, celebrandi Missas de Requiem in illo die, aut quod nolit priuilegium habere effectum pro illo die, quod dici non potest, quia si haberet hanc voluntatem, illam exprimeret excipiendo dictum diem, & non exprimeret voluntatem oppositam concedendo expressè pro tota octaua.

4 Confir. 2. Cum in illo tempore Ecclesia celebret commemorationem omnium defunctorum Pontifex afficit illos dies speciali priuilegio in ordine ad suffragandum defunctis: & proinde regulariter in concessione altarium priuilegiatorum solet priuilegiare totam illam octauam: ergo dato, quod aliàs dies Dominicus esset priuilegiatus, quod non possent in ipso celebrari

Digitized by Google

celebrari Missæ de Requiem, præualeret speciale priuilegium concessum pro illa octaua, quia speciale priuilegium derogat priori generali cap. 1. *de rescript.* & cap. *Quamuis* 2. & cap. *Dudum*, §. *Nos igitur, de præbend. in* 6. & obseruant Dec. *consil.* 141. *numer.* 4. ver. *His præmissis.* Aretin. *cons.* 16. *n.* 4. Abbas *in cap.* 1. *n.* 10. *de rescrips.* Barbat. *ibid. n.* 35. Felin. *n.* 3. Ripa *num.* 49.

5 Ex dictis colligitur. Quod si infra octauam incidat aliquod festum de præcepto peculiare alicuius loci, poterunt etiam in illo die celebrari in altari priuilegiato Missæ de Requiem etiam in loco festi. Cum enim illud tempus octauæ sit specialiter destinatum ad suffragandum defunctis, & sit specialiter priuilegiatum, præualet hoc speciale priuilegium, aut prohibitioni, si adest, non celebrandi de Requiem Missas, aut priuilegio diei, seu festi, ita vt ipse deroget quoad celebrationem in altari priuilegiato iuxta superius dicta.

6 Solum obstare videtur declaratio S. Congregat. de qua *quæst. præced. n.* 3. *&* 4. Quod scilicet in altari priuilegiato non possit celebrari Missa de Requiem in festis de præcepto. Verum hæc declaratio accipienda est in eo sensu, de quo ibi dictũ est, deinde cum octaua defunctorũ omnium sit specialiter priuilegiata, & priuilegium altaris sit expressè pro singulis diebus octauæ, dicta declaratio tanquam generalis non extenditur ad festa de præcepto intra dictam octauam, ob speciale priuilegium illius, quod derogat dictæ declarationi iuxta vulgata iura. *l. in toto iure ff.* de *reg. iur.* & *l. sanctio. ff.* de *pœnis* & cap. *Pastoralis.* §. *Quoniam,* de *rescript.* & cap. 1. *de reg. iur. in* 6.

QVÆSTIO 742.

An in Festis de præcepto celebrari possit Missa de Requiem in altari priuilegiato.

SVMMARIVM.

1. *Celebrare Missam de Requiem in festis de præcepto non est peccatum mortale.*
2. *Declaratio. S. Congregat. quod non liceat celebrare in altari priuilegiato Missas de Requiem in festis de præcepto quomodo accipienda.*
3. *Præscindendo à declaratione sacræ Congregat. an liceat in festis de præcepto celebrare Missas de Requiem in altari priuilegiato.*
4. *Priuilegiatus vtitur priuilegio contra pariter priuilegiatum, quando agitur de damno vitando.*
5. *In concursu priuilegiorũ quodnam sit præferendũ.*
6. *Bona Ecclesiæ alienari possunt pro redimendis captiuis.*
7. *In die obitus in festis de præcepto celebrari possunt Missa de Requiem in altari priuilegiato.*

1 ADhuc difficultas procedit, quando est necessaria talis Missa de Requiem pro obtinenda indulgentia. Est autem supponendum iuxta communem sententiam, quod non erit peccatũ mortale celebrare Missam de Requiem in altari priuilegiato in festis de præcepto. Quia Rubricæ de qualitat. Missæ nõ obligant sub mortali, vt tradunt specialiter Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 27. *n.* 5. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 41. *art.* 11. Villalob. *part.* 1. *sum. tract.* 8. *difficult.* 35. Llamas *part.* 3. *Method. cap.* 1. §. 14. Zanard. *part.* 1. *direct. Theol. cap.* 12. *de Eucharist. quæst.* 14. Garzias *in sum. tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 6. *punct.* 2. *num.* 23. Dicastil. *de sacram. tract.* 5 *disp.* 4. *dub.* 14. *num.* 273. Tanner. *tom.* 4. *disp.* 5. *quæst.* 10. *dub.* 1. *n.* 6. Io. Henriquez *in sum. tract.* 22. *quæst.* 16. Imò neque obligare sub veniali, sed esse tantum directiuas asserunt Suarez *disp.* 83. *de Euchar. sect.* 3. *circa med.* Filliuc. *tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 140. Portel. *in dub. regul. verbo* Missa, *n.* 1. Niger. *in addit ad* Ruiz *part.* 1. *præc.* 1. *quæst.* 17. Brunus *de priuileg. part.* 2. *tract.* 8. *cap.* 1. *propos.* 3. Vnde cum adest causa rationabilis, cessabit quoque peccatum veniale, & conuenientia directionis. Quia licet solemnitas festi videatur exigere Missam currentem, videtur cessare hæc exigentia in altari priuilegiato, quia ibi cõcurrit specialis causa: & proinde videtur sufficere pro festo, si in aliis altaribus celebrentur Missæ currentes. Et hæc causa videtur etiam sufficere ad excludendum scandalum, ratione cuius potest aliquando esse peccatum mortale celebrare aliam Missam, à currente in die festo, vt obseruãt Auersa *q.* 11. *de Euchar. sect.* 12. ver. *Si quis autẽ.*

2 Supponendum secundo est. Quod stante declaratione S. Congregat. Rituum quam refert Barbosa *in Collect. Bullar. ver.* Missa defunctorũ, *n.* 1. emanata *sub die* 24. *Aprilis* 1624. tenoris sequentis. Missa de Requiem in altari priuilegiato non potest dici in die festo duplici, & de præcepto. Et in hoc sensu loquutus sum in *quæst. can.* 340. *centur.* 4. dum dixi in altari priuilegiato non posse celebrari Missas de Requiem in festis de præcepto, qui incidit in diem assignatum pro dicto altari priuilegiato, non poterunt in diebus festis celebrari Missæ de Requiem in altaribus priuilegiatis. Non quod esset peccatum mortale, quia dicta declaratio tanquam inhærens Rubricis non plus obligat, quàm obligent ipsæ Rubricæ, atque adeo non obligat, nisi ad summum ad peccatum veniale, sicut obligant Rubricæ; nam solum declarat quod Rubrica de qualitate Missæ seruanda sit etiam quoad celebrationem in altari priuilegiato, sed solum secundum præscriptionem Rubricarum præscindendo tamẽ à dicta declaratione, videndũ est quid de iure.

Dicendum est. Præscindendo à declaratione S. Cõgregat. posse in altari priuilegiato in diebus festis celebrari Missas de Requiem, si tales Missæ sint necessariæ pro obtinenda indulgentia. Debent tamen excipi festa solemniora, quia cum hæc celebrẽtur speciali solemnitate, sunt etiam speciali nota digna, & per generalem concessionem celebrandi Missas de Requiem, aut singulis diebus, aut singulis talibus diebus, non videtur concessum etiam pro his diebus tanquam speciali nota dignis, & ideo non comprehensis, nisi in specie exprimantur, neque enim videtur Pontifex velle detrahere eorundem solemnitati. Ita Franc. Niger. *in addit ad Ruiz part.* 2. *præcep.* 5. *quæst.* 57. Et vbi adest consuetudo admittit etiam Gobat *de indulgent. part.* 2. *part.* 2. *cap.* 26. *num.* 528. Quia declaratio S. Congregat. non tollit consuetudinem. Et sequitur ex supradictis quia cũ in concessione altaris priuilegiati exigatur Missa de Requiem ista quoque habetur pro concessa, dum conceditur indulgentia. 3

Ratio autem est. Quia sumus in concursu duorum priuilegiorum. Ex vna enim parte concurrit priuilegium festi quod in ipso non celebrẽtur Missæ de Requiem, ex alia verò parte concurrit priuilegium altaris, quod celebrando in ipso Missas de Requiem liberentur animæ à Purgatorio. In concursu autem horũ priuilegiorum est præferendum altare, quia nisi præferatur, priuatur sacerdos illa facultate, quam habet ratione altaris liberãdi animas defunctorum à pœnis Purgatorij, & proinde ex hac parte agitur de damno vitando. Ex parte verò festi agitur de acquirenda ratione priuilegij aliqua maiori solemnitate, quatenus intuitu solemnitatis, neque in altari priuilegiato celebrantur Missę de Requiẽ; & proinde agitur de lucro captando. Quando autẽ agitur de dãno vitando priuilegiatus vtitur priuilegio contra pariter priuilegiatũ qui ex priuilegio captaret lucrũ, *l. fin. ff. Ex quibus caus. maior.* vbi Glos. & *l. Verum* §. *fin.* & *l. Si minor. ff. de minor.* & *l. Scire,* *C. de priuil. dot.* vbi Glos. *verbo Ad heredem.* Roman. *consil.* 166. *num.* 14. Castrens. *consil.* 4

37. *lib.*2. Alex.*concil.*55. *num.*146. *lib.*5. Marsil.*singul.* 99. Mantica *de coniectur. vlt. volum. lib.*6. *tit.*2. *num.*11. Cancer.*part.*2. *variar. resol. cap.*2. *tit.*25. *de minor. num.* 241. Duran.*decis.*402. *num.*18. Ludouis.*decis.*473. *num.* 13. Penia *decis.* 606. *n.*7. *part.* 1. Rota *in Romana vinea de scapuc. die* 10. *Martij* 1578. coram Blancherto.

5 Confir. in concursu priuilegiorum debet præferri, quod est potentius, *l. verum.* §. *fin. ff. de minor.* & notant Bald.*ibid.* Bart. Authen. *Quas actiones de sacros. Eccles.* Abbas in cap. *in præsentia, de probat.* Dec. *ibid. numer.* 51. ver. *Secunda conclusio supradicta.* Potentius est autem priuilegium altaris priuilegiati, quod io ipso possint celebrari Missæ de Requiem pro liberandis animabus, quàm priuilegium festi, de præcepto, quod solemnizetur absque admixtione Missarum de Requiem, iuxta obseruationem Leonis *decis. Valent.* 90. *numer.* 26. quia continent maiorem vtilitatem, si quidem agitur de liberatiune à pœnis purgatorij, & acquireoda beatitudine, & in aliu solum de aliqua gloria accidentali illius saocti, cuius festum celebratur. Et est maior vtilitas, quæ redundat in bonom publicum, si quidem concernit ad vtilitatem publicam Ecclesiæ, qood sui ciues bene se habeaot, & transmittantur ad regnom cœleste.

6 Confirm. 2. Quando agitut de operibus pietatis cessant leges, quæ cuncernunt bona Ecclesiæ tanquam ea, quæ sunt inferioris ordinis, operibus pietatis: vnde possunt bona Ecclesiæ alienari pro redimendis captiuis cap. *Apostolicus.* cap. *Sacrorum Canonum* cap. *Sicut omnino* 12. *quæst.* 2. Pro alimonia pauperum, vel coostructiune sepulturæ communis cap. *Aurum* 12. *quæst.* 2. Et proinde alienari poterunt, quæ pertinent ad ornatum, etiamsi inseruiant ad cultum: ergo cum liberatio aolmarum à Purgatorio sit causa omoium pijssima, cessabunt leges, quæ disponunt de solemnitate Festorum, vt pote de eo, quod est inferioris ordinis, nam illa maior solemnitas, quæ excludit celebrationem Missarum in altari priuilegiato, est inferioris ordinis, quàm sit liberatio; nam illa continet tantum partem cultus erga illom sanctum, ex quo resultat aliqua gloria accidentalis ipsius: hæc verò importat liberationem animæ à Purgatorio, ex qua ipsi resultat gloria essentialis, & circa quam exerceretur actus charitatis.

7 Ex dictis colligitur. Quod etiam stante declaratione S. Congregat de qua supra *num.* 2 poterit celebrari in altari priuilegiato in die obitus etiamsi corpus non sit præsens, siue alila sequentibus diebus, quando primum habetur nuncius de morte, etiamsi sit ex illis diebus in quibus iuxta dictam declarationem non potest celebrari Missa de Requiem in altari Priuilegiato. Ratio est. Quia dicta declaratio potest accipi, quod non possit celebrari regulariter; non autem, quod non possit occasione obitus cum enim declaret id, quod seruari debet attendendo Robricas, de qualitate Missæ non obliget, nisi ad veniale, & proinde cesset obligatio concurrente rationabili causa in oppositum, eodem modo accipienda est declaratio. Et proinde non fuisse mentem sacr. Congregationis excludere omnino Missas de Requiem, sed solum regulariter. Causa autem maxime rationabilis est obitus de recenti, vt anima defuocti quam primum liberetur à Purgatorio.

QVÆSTIO 743.

Ad quid teneatur obligatus celebrare in altari Priuilegiato, si alibi celebret.

SVMMARIVM.

1. *Obligatus celebrare in altari priuilegiato, ad quid teneatur, si in ipso non celebret.*
3. *Quando excusetur à peccato mortali.*
4. *Obligatus celebrare in altari priuilegiato ad quid teneatur.*
5. *Omittens per aliquos vicem celebrare in altari priuilegiato ad quid teneatur.*
6. *Subsequentes celebrationes in altari priuilegiato supplent, &c.*
   Obligatio sacrificij, & applicatio indulgentiæ quomodo debita.
7. *Obligatus ratione Manualis eleemosyna celebrare in altari priuilegiato, si omittat ad quid teneatur.*
8. *Promissio quando inducat obligationem ex iustitia.*
9. *Omissio celebrationis in altari priuilegiato non infert certum damnum.*
10. *Omittens celebrare in altari priuilegiato non lædit iustitiam.*
11. *Omissio celebrationis in altari priuilegiato difficile compensari potest.*

PRima sententia est illorum, qoi volunt, quod obligatus celebrare in certo altari, siue priuilegiato, siue non priuilegiato, teneatur rursus celebrare in illo altari supplendo omnia sacrificia, quæ prætermisit. Ita Grass.*part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 59. *num.* 9. Azor.*part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 24. *quæst.* 7. Facundez *precept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 2. Palaus *part.* 2. *tract.* 13. *disp.* 1. *punct.* 6. *n.* 27. Quia facit contra obligationem io re graui, nec adimplet voluotatem fundatoris. 1

Secunda sententia quamuis teneat, quod non teneatur ad aliqoam restitotionem, qoi celebraoit in alio altari, vult tameo teneri, quando erat celebrandum in altari priuilegiato. Ita Bonac.*disp.* 4. *de sacram. quæst. vlt. punct.* 7. §. 4. *num.* 5. vers. *Mihi tamen*, qui citat Nauar. Azor. Fraxinel. non tam explicat, ad quid teneatur Garzia *in sum. tract.* 3. *difficult.* 21. *dub. vlt. n.* 51. qui vult teneri ad compensationem per alia opera satisfactoria, non autem ad repetendum sacrificium. 2

Et quidem non satisfacere propriæ obligationi; certum est. Quia non exhibet proprium ministerium sacerdotale secundum mensoram, secundum quam tenetur exhibere, cum defraudet animas, pro quibos offert sacrificium, suffragio iodulgentiarum, & cum sit res grauis, non excusatur à peccato mortali, solum videtur posse excusari à mortali, si obligatus celebrare quotidie in altari priuilegiato, aut pluries in hebdomada, omitteret aliquut pancis vicibus in anno. Nam tunc omissiones illæ haberent rationem paruitatis materiæ respectu totius collectionis celebrationum. Quia obligatio celebraodi in altari priuilegiato non se habet per modum plurium obligationum, quarum singulæ correspondeant singulis diebus, sicut se habet præceptũ ieiunandi in quadragesima; obligatio recitandi horas canonicas, quæ coalescunt ex pluribus præceptis quorum singula correspondent singulis diebus, sed se habet pure per modum vnius obligationis quæ consequitur ad onus assumptom, quod consistit io obligatione proprij ministerij ad ita celebraodum, ea fere proportione, qua solent homines obligare operas suas ad aliquid peragendum; & ideo io subtractione ministerij obligati admittitur paruitas materiæ, quamuis quod subtrahitur sit ministerium vnius, aut alterius diei, vt si obligatus ad præstandum alicui operam suam v.g. seroiendo, associando, aut aliquo alio ministerio per annum iotegrum, subtraheret per doos, aut per tres dies, talia enim subtractio esset paucitas materiæ. 3

Quod autem spectat ad obligationẽ celebrandi in altari priuilegiato est aduertendum, quod in hac obligatione duo includuntur, primũ obligatio ministerij 4

sacerdotali

Sacerdotalis ad offerendum sacrificium iuxta intentionem imponentis obligationem. Alterum offerendi in tali altari, quæ est circumstantia obligationis sacrificij. Vnde alibi celebrans satisfaceret obligationi propriæ secundum substantiam, sed deficeret in circumstantia deficiendo tamen in hac circunstantia, est causa, ne anima pro qua offertur sacrificium, percipiat suffragium indulgentiæ.

5 Dicendum 1. *Obligatus ad celebrandum quotidie, aut plures in hebdomada in altari priuilegiato, si omittat celebrare in ipso pluribus vicibus præsertim interpolatis etiamsi faciant notabilem materiam, non tenetur ad aliquam compensationem, si postea sequatur celebrare.* Prob. Qui suscipit onus celebrandi Missas in altari priuilegiato, etiamsi non statim celebret, sed differat per aliquot dies, non tenetur ad aliquam compensationem, imò nec peccat, quamuis differatur exhibitio suffragij, quo anima illa potest liberari à pœnis purgatorij, atque adeò patiatur damnum sustinendi per plures dies illas pœnas: ergo neq. omittens celebrare per aliquot dies in altari priuilegiato, quia cum rursus celebret ex hoc solum fit, quod differatur applicatio suffragij indulgentiæ, quæ postea per subsequentia sacrificia applicabitur.

6 Dices. Non solum differri, sed etiam fieri, quod non applicetur tot vicibus, quod applicaretur, si celebraret toties, quoties tenetur. Contra. Licet non applicetur tot vicibus, quot alias applicaretur, dum postea applicatur suppletur totum id, quod est prætermissum, quia applicatur indulgentia sufficiens ad liberandam illam animam; nam non minus sufficiens vna indulgentia plenaria, quam plures, & intentio obligantis alia non est, quam quod per indulgentiam liberetur anima. Etsi pro pluribus animabus esset offerenda, supplent eodem modo aliæ applicationes subsequendæ. Vnde res eodem modo se habet, ac si differetur applicatio. Deinde non venit in contractum oblatio sacrificij, aut applicatio indulgentiæ; quia hæc spiritualia sunt; sed solum datur Eleemosyna, aut fructus beneficij, seu Cappellaniæ sub conditione, quod offerat sacrificium, & ideò obligatio sacrificij, & applicatio indulgentiæ non est debita ex iustitia propriè dicta, sed solum ratione tacitæ promissionis, & ideò si non impleat, ad summum tenetur restituere fructus, seu stipendium ratione iustitiæ, quia non facit suum, cum non impleuerit conditionem. Sed neq. hoc tenetur restituere, quia impleuit conditionem secundum substantiam, cum obtulerit sacrificium.

7 Dicendum 2. *Neque teneri ad aliquam compensationem, si ratione eleemosyna manualis teneatur pro diuersis vnum, aut plura sacrificia offerre in altari priuilegiato, & non offerat in ipso, sed in alio.* Prob. Obligatio recompensationis non oritur, nisi ex læsione Iustitiæ, quando scilicet læditur ius alienum, in hoc autem casu non læditur, quia indulgentia, qua defraudatur anima defuncti, non fit debita ex iustitia, cum non veniat in contractum, nec pro illa detur stipendium; sed tantum ex promissione, & ideò si defunctus defraudatur non defraudatur aliquo debito ex iustitia.

8 Dices. Saltem promissione, & acceptatione ipsius fieri debitum ex iustitia. Contra tunc promissio accepta potest inducere obligationem iustitiæ, quando versatur circa res, quæ possunt venire in contractum, modo autem agitur de re, quæ, tanquam spiritualis, non potest tantum fieri debita ratione promissionis ex fidelitate.

9 Confir. In materia quoque iustitiæ tunc tantum oritur obligatio compensandi, quando constat de damno illato, & quod remaneat læsum ius alterius; in dubio verò non adest obligatio. In casu autem præsenti sumus in dubio, vt anima pro qua in altari priuilegiato erat offerendum sacrificium, sit damnum passa, aut læsa, tum quia est dubium an si oblata fuisset indulgentia acceptata fuisset Deo. Tum quia est dubium, an sit in statu capaci, seu in Purgatorio; tum quia est dubium; an sit iam liberata ex aliis sacrificiis, ex quibus etiam sit dubium, an sit damnum passa. 10

Dices. Quamuis sit dubium de damno animæ purgantis, esse tamen certum, quod Sacerdos non exhibet id, ad quod se obligauit danti Eleemosynam, & ideò teneri ad recompensationem. Contra. Licet sit certum Sacerdotem non implere totum, ad quod se obligauit; est tamen etiam certum, quod non deficit in obligatione ex iustitia, quia sicut celebratio in altari priuilegiato non venit in contractum, tanquam quid spirituale, ita nec venit in obligationem iustitiæ ratione stipendij accepti, sed tantum in obligationem ex fidelitate; & ideò non consurgit obligatio recompensationis, quia prouenit tantum, quando læditur Iustitia. 11

Ex dictis colligitur. Quod si esset facienda recompensatio, difficile esset regulariter recompensare per opera satisfactoria; quia hæc regulariter nō pertingerent ad adæquandam pœnam animæ purgantis, sicut adæquat Indulgentia altaris priuilegiati. Et ideò esset facienda recompensatio cum aliqua indulgentia plenaria concessa pro defunctis, quia tunc ad æqualitatem redderetur, quod esset subtractum. Et cum pro hac acquirenda sufficiat implere opus iniunctum non reddetur incerta, quia constat, an impleatur, an verò non impleatur.

QVÆSTIO 744.

An obligatus celebrare in altari priuilegiato, si non possit, teneatur ad aliquid.

SVMMARIVM.

1. *Quid attendendum in obligatione celebrandi, in altari priuilegiato.*
2. *Impedito altari cessat obligatio celebrandi in ipso, si sit ratione loci.*
3. *Si obligatio sit intuitu indulgentiæ quid faciendum.*
4. *Si impedimentum sit extrinsecum, tenetur Sacerdos alibi celebrare.*
5. *Obligatus celebrare in altari priuilegiato, si non potest in vno tenetur in alio.*
6. *Impeditus voluntariè tenetur supplere per alium celebrationem in altari priuilegiato.*
7. *Impedimentum voluntarium non excusat.*
   Casus fortuiti non suscipiuntur in obligatione, nisi exprimantur.
8. *Indulgentia altaris priuilegiati non est ex necessitate compensanda operibus satisfactoriis.*

DVpliciter potest quis obligari ad celebrandum in altari priuilegiato, vel materialiter, si nimirum obligatio respiciat altare, ex intuitu ipsius sit posita, vel formaliter, si respiciat altare, quatenus priuilegiatum est, itavt sit imposita intuitu priuilegij atque adeò in eum finem, vt acquiratur indulgentia pro defunctis. Si se habeat primo modo rursus videndum est, quid intenderit, qui eam imposuit, an nimirum tantum cultum altaris, itavt voluerit oblationem sacrificij esse addictam illi loco: an vero intenderit etiam fructum sacrificij. 1

Si enim intendisset tantum, quod sacrificium esset addictum loco, cum sit obligatio localis, cessat, si in illo loco non potest celebrari, vel quia altare dirutum, 2

tum, vel quia Ecclesia sit violata, vel ex aliquo alio capite; vel etiam superueniat aliquod aliud impedimentum, vt latius *suo loco*. Quia fit impossibilis solutio obligationis, & proinde cessat, cum non sit ad impossibile, vt aduertunt etiam Lezana *in sum. verbo* Missa *num.* 45. Marchin. *de sacrament. ordin. tractat.* 3. *part.* 2. *cap.* 24. *num.* 9. Garaia *in sum. tractat.* 3. *difficult.* 11. *dub. vlt. num.* 5. Barbosa *de potest. Episc. part.* 2. *alleg.* 24. *num.* 35. Secus autem, si non intendit tantum cultum, sed etiam sacrificij fructum, vt notant iidem Doctores nam subintrat regula, quod quando non potest solui totum, quod debetur solui debet quod potest.

3 Quando tamen obligatio est ad celebrandum intuitu priuilegij, tunc certum est, quod cadit sub obligatione, oblatio sacrificij, quia intenditur fructus priuilegij, qui non potest obtineri sine oblatione sacrificij: & proinde, si non potest celebrari in altari priuilegiato, remanet sub obligatione oblatio sacrificij, iuxta dicta *in num. præcedenti*. Tunc autem censetur imposita obligatio intuitu priuilegij, quando imponitur obligatio offerendi sacrificium pro defunctis, quia tunc, cum priuilegium sit pro ipsis, censetur electum.

4 Dicendum 1. *Si obligatio sit celebrandi in altari priuilegiato certo, & determinato, si contingat, quod non possit in ipso celebrari ex impedimento extrinseco, non tenetur Sacerdos ad aliud, nisi ad offerendum alibi sacrificium.* Dixi, ex impedimento extrinseco, ad excludendum impedimentum, quod trahit originem ab ipso Sacerdote, vt si Sacerdos discederet è loco, vbi est altare, sequitur ex dictis cum citatis Doctoribus *n.* 2. Et ratio est. Quia, dum determinatur altare, in quo est celebrandum, censetur electus locus priuilegij, non autem præcisè ipsum priuilegium, sed priuilegium, vt affixum tali loco: ergo si non potest impleri obligatio præscripta, cessabit, quia tanquam affixa loco non extenditur extra locum.

5 Dicendum 2. *Si obligatio sit celebrandi in altari priuilegiato non determinato, tunc ex quocunque impedimento non possit in illo celebrari, tenetur celebrare in alio si adsit.* Ratio est. Quia obligatio celebrandi in altari priuilegiato tunc est indeterminata, & proinde se extendit ad quodcumque altare, ita vt remaneat in electione Sacerdotis eligere, quod voluerit: ergo quando non potest in vno, tenetur celebrare in alio, quia adhuc viget obligatio tanquam indeffinita. Hoc autem ita est intelligẽdum, si nimirum sit in illo loco aliud altare, quia si esset valde distans, non teneretur, nam non censetur imposita obligatio cum tanto onere, nisi exprimatur, siquidem censetur imposita consuetudo modo, & cum onere ordinario, quod solet interuenire in ea adimplenda.

6 Dicendum 3. *Quando impedimentum prouenit ab ipso, ita vt ei reddatur impossibile celebrare, aut in altari priuilegiato designato, aut in quocunque alio, si impedimentũ sit purè voluntarium, tenetur supplere per alium, si verò non sit purè voluntarium, sed necessarium, tenetur supplere omni meliori modo quo potest.* Hoc autem debet intelligi de iis impedimentis, quæ non eximunt absolutè ab obligatione celebrandi obligatum celebrare, nam si cessaret obligatio celebrandi à fortiori cessaret etiam obligatio celebrandi in altari priuilegiato.

7 Ratio est, quia si impedimentum est purè voluntarium ipse vbi reddit impossibilem adimpletionem obligationis: ergo eodem pacto res se habet, ac si nollet adimplere: & proinde non extinguitur obligatio: ergo aut tenetur tollere impedimentum, aut supplere per alium propriæ obligationi. Si verò impedimentum sit ita voluntarium, vt tamẽ sit innctum cum necessitate, vt si propter negotium valde vrgens pergere deberet ad locum, vbi non est altare priuilegiatum, excusatur quidem ratione necessitatis, sed non extinguitur obligatio, nisi secundum mensuram necessitatis, & proinde tenetur supplere omni meliori modo, quo potest applicando pro eo, pro quo erat celebrandum vltra applicationem sacrificij indulgentias præcipuè plenarias, & proinde tenebitur exequi opera iniuncta pro ipsis requirendis. Quod autem non obligetur, nisi ad id, quod tunc est in sua potestate, ex eo deducitur. Quia cum impedimentum non sit voluntarium, sed mixtum cum necessitate, oportet, quod voluntarium habeat radicem ex necessitate prouenniente, atque adeò ex aliquo casu fortuito, qui inducat necessitatem. In impositione autem, & susceptione obligationis non imponuntur, nec suscipiuntur casus fortuiti, nisi exprimantur *l. Sed & si. §. Quæsitum. ff. si quid cau. ind. sit.* & notat. Euerard. *loco à vi euerg. num.* 34. & proinde censentur excepti, atque adeò cessare obligationem quatenus exigit necessitas allata à casu.

8 Ex dictis colligitur. Quod non tenebitur compensare indulgentiam altaris priuilegiati aliis operibus satisfactoriis. Tum quia, cum sit obligatio ad certam speciem suffragij, nempe indulgentiæ, non extenditur ad aliam, & ideò si fiat impossibilis species, quæ venit in obligationem, non succedit alia loco illius. Tum quia cum indulgentia altaris priuilegiati sit plenaria quamuis fieri possit, quod vnico etiam opere satisfactorio adæquetur eo, quod anima, pro qua erat applicanda, exigua satisfactione indigeat: fieri tamen etiam potest, quod plura; & plura non possint adæquare, vnde stante hac incertitudine, non potest agnosci quid debitum esset pro compensatione. Vbi autem deficit notitia debiti, cessat etiam obligatio. Deinde quia opera satisfactoria sunt valde onerosa, obligatio compensationis euaderet multò onerosior, quàm esset prior obligatio, & ideò non potest succedere, quia iustitia non patitur, quod maius onus imponatur loco minoris.

QVÆSTIO 745.

An sit peccatum graue non celebrare Missas in Altari Priuilegiato, quando in magno numero veniunt celebranda.

SVMMARIVM.

1. *Si numerus Missarum celebrandarum in Altari Priuilegiato sit magnus, an sit peccatum graue non celebrare omnes.*
2. *Si omnes Missæ non possint commodè celebrari in Altari priuilegiato excusantur, qui dirigunt celebrationem.*
   Suscipiuntur sub tacita conditione, si commode celebrari poterunt.
3. *Quid si intercesserit promissio.*
   Superfluum resecandum à promissione.
4. *Dans maiorem Eleemosynam vt celebretur in Altari priuilegiato, obligat præcisè.*
5. *Obligatio satisfaciendi refunditur in eum, qui Missarum celebrationem dirigit.*
6. *Curans celebrari Missas in Altari priuilegiato, quantum fieri potest implet obligationem quoad omnes.*

FRequenter occurrit apud Ecclesias, in quibus sunt Altaria priuilegiata, quod tantus numerus Missarum adsit pro Altari priuilegiato, vt non sit possibile omnes in eo celebrari, quia scilicet omnes, qui petunt Missas pro defunctis, petunt, vt celebrentur in Altari priuilegiato. 1

priuilegiato. Dubitatur modo, an si non celebrentur committatur peccatum graue Diana *part.9. tractat.2. resol.19.* ait se olim *part.3. tractat.6. resol. 62.* respondisse, quod exercentur; si non celebrent in altari priuilegiato, quando, qui susceperunt onus Missæ, non promiserunt celebrare in tali altari. Verum in eo loco nihil de hoc dicit, sed solum, quod excusetur Sacerdos, si non celebret Missam de Spiritu Sancto, de B. Virgine, aut aliis huiusmodi si se obligauit, quod est quid valdè diuersum; nam in hoc non consistit, variatio substantialis rei promissæ, sicut consistit, quando pro Missa in altari priuilegiato dicitur alia Missa: nam exhibetur solum sacrificium absque indulgentia, quæ valet ad liberãdam animam à Purgatorio. Hanc tamen opinionem tanquam à se traditam, citato loco *part.9. reaffirmat*, & eam etiam tenet Garzia *in sum. tract.3. difficult.11. dub. vlt. num.3.* addens quod etiamsi sequuta sit promissio, non est peccatum mortale non celebrare in altari priuilegiato, nisi fortè ad hunc finem sit exhibita maior Eleemosyna.

2 Dicendum est. *Quod ij, ad quos spectat dirigere celebrationem Missarum, non peccent saltem grauiter si non faciant celebrare in altari priuilegiato omnes Missas, quæ petuntur, si non sit possibile commodè celebrari posse.* Dixi saltem grauiter, quia difficile est, quod non interueniat aliqua saltem negligentia, atque adeò aliquod peccatum veniale. Dixi commodè, vt indicarem potentiam celebrandi esse attendendam habita ratione commoditatis, & seruitij Ecclesiæ. Ratio autem est quia quando acceptantur Eleemosynæ pro Missis in altari priuilegiato, acceptantur sub hac tacita conditione, si commodè celebrari possint, quia cum ij, ad quos spectat, teneantur habere rationem seruitij Ecclesiæ, & se velle obligare vltra id, quod possunt, censentur acceptare sub tali conditione. Imò etiam petentes censentur, sub hac eadem conditione petere, quia nec rationabiliter velle possunt, quod postponatur seruitium Ecclesiæ, nec quod se obligant Rectores vltra id; quod possunt, & ideò non consurgit alia obligatio vltra explicatam.

3 Et hoc locum habet, etiamsi accesserit promissio, quæ saltem tacitè censetur semper intercedere; dum acceptatur Eleemosyna oblata sub conditione celebrandi in altari priuilegiato. Et ratio est eadem, quia promissio quoque censetur facta sub eadem conditione, si commodè celebrari poterunt; alioquin si excluderetur talis conditio, promissio esset de eo, quod aliquo modo esset impossibile, & proinde esset vltra debitam mensuram, & contineret aliquid superfluum, quod veniret reseruandum *l. 8. & sequent. ff. de constit. pecun.* & *l.3. §. fin. ff. Mandati.* & *l.18. de verbor. obligat.* Præsertim quia non est verisimile, quod acceptans Eleemosynam velit se obligare cum incommodo ad onus vltra ordinarium, cum stipendium sit tantum ordinarium.

4 Excipiendus est tamen casus, in quo petens Missam in altari priuilegiato exhiberet maiorem Eleemosynam solita vt excipit etiam Garzias *tract.3. difficult.11. dub. vltim. n.3.* Nam dando maiorem Eleemosynam declarat suam præcisam voluntatem, quod Missa celebretur in altari priuilegiato: & intendit obligare ad executionem cum aliquo incommodo, ad quod proinde respicit, & vult compensare illa maiori Eleemosyna. Quæ dum acceptatur, suscipitur saltem tacitè obligatio adimplendi mentem dantis cum incommodo necessario.

5 Ex dictis colligitur, quod quando aliquis deputatus est ad dirigendam celebrationem Missarum, tota obligatio circa adimplendam voluntatem dantium Eleemosynas, refundi in ipsum non solum quoad forum internum, sed etiam quoad externum, quia quamuis hæc obligatio sit principaliter penes superiorem, seu rectorem Ecclesiæ, dum tamen deputat, qui præsit celebrationi Missarum transfundit in ipsum onus satisfaciendi obligationibus, & proinde si committantur aliqui defectus, ipsi imputari debeant, & superior immunis erit. Verum si non adimpleantur obligationes, semper tenetur superior, seu Rector, tanquam ille, qui est principalis debitor.

Colligitur 2. Quod in illis Ecclesiis, in quibus notabilis numerus Missarum celebrari solet, vt plures petuntur in altari priuilegiato, is, ad quem spectat dirigere celebrationem, satisfaciat suæ obligationi, si curet celebrari, quamplures possunt in dicto altari, quamuis non omnes celebrarentur, quæ sunt petitæ. Ratio est. Quia, dum celebrantur illę, quæ possunt celebrari, exhibetur totum, quod est possibile: vnde cum obligatio non sit sumpta, nisi intra terminos possibilitatis, remanet ipsi satisfactum. 6

QVÆSTIO 746.

An quando ex dispensatione testatoris celebranda est Missa in Altaribus Priuilegiatis loci, sit celebranda etiam in Altaribus successiuè erigendis.

SVMMARIVM.

1. *Missæ celebranda in altaribus priuilegiatis loci an comprehendant erigenda.*
2. *Se extendant ad omnia extantia tempore mortis testatoris.*
   Dispositio testatoris fauorabilis amplè accipienda est.
3. *Missa celebranda in altaribus priuilegiatis, quando se extendant ad erigenda.*
   Dispositio quando se extendat ad futura.
4. *Dispositio fauorabilis extenditur ad futura quando verba dispositionis non repugnant.*
   Dispositio fauorabilis amplissimè est interpretanda.

POsita dispositione alicuius testatoris, quod in altaribus Priuilegiatis celebrentur certæ Missæ vel in perpetuum, vel ad certum tempus, dubitatur, an si contingat postea erigi noua altaria priuilegiata, dispositio se extendat ad ipsa. Et partem affirmatiuam tradit Pellizar. *tom.1. Manual. tract. 5. c.9. sect.5. n.14.* Quia inquit celebratio Missarum in nouis altaribus conducit ad finem intentum à testatore; nam facilius eius anima, vel illæ, pro quibus disponit celebrari liberantur à pœnis Purgatorij. Et quia legata facta pauperibus intelliguntur etiam de futuris. 1

Sed non ita absolutè pronuntiandum est, sed consideranda verba dispositionis. Et illud certum esse debet, quod dispositio se extendat ad omnia altaria priuilegiata extantia tempore mortis, quia disponens in sua dispositione contemplatur tempus mortis, post quod legatum debet incipere sortiri suum effectum: vnde cum dispositum sit relatiuum ad altaria facit, quod dispositio contempletur etiam illa altaria, quæ extabunt, quando sortietur effectum; nisi aliunde ex aliquo verbo sit restricta, & comprehendat solũ altaria existentia tempore dispositionis, quia tanquam fauorabis, vel sibi ipsi Defuncto, vel aliis Defunctis, & procedens ex speciali affectu, vel erga se ipsum, vel erga illos Defunctos, amplè accipienda est dispositio iuxta doctrinam, quam tradunt Bart. *in l. si ita legatum. vet. Hæc verba. ff. de auro & argent. leg.* & *in l. Si cognatis. ff. de reb. dub.* Gabr. *consil. 170. num. 10. lib. 1.* Beroius *consil. 44. num. 22. lib. 7.* Socin. *in l. 1. not. 5. ff. de reb. dubiis.* Grassus *in §. Legatum. quæst. 26. num. 2.* 2

Quod

3 Quod autem spectat ad altaria priuilegiata erigenda post mortem successu temporis, considerenda sunt verba dispositionis, an sint capta ea comprehendere; quia si apta sint, proculdubio extendent dispositionem etiam quoad ipsa. Tunc autem comprehendent si connotabant tempus futurum, quia tunc respicient altaria in futuro tempore, sicut etiam respiciunt tempus iuxta ea, quæ tradit Socin. *cons.98.n.29.lib.1.* Aut si sint verba modi subiunctiui, siue temporis præsentis, siue præteriti imperfecti, nam tunc comprehendunt etiam tempus futurum *l.Si ita quis.§.Seia.ff. de verb.oblig.*& notant Bart.*in l.1.n.11.ver.In contrariam.ff.de iure Cod.*Bald.*in l.fin. n.21.C.de iure codicil.* Peregr.*de fideic.art.46.n.29.* Surd.*cons.362.n.27.lib.3.*

4 Insuper quamuis verba non extenderentur ad altaria in futurum erigenda, dummodo tamen non repugnet extendi, erunt extendenda, quia sumus in dispositione fauorabilissima, quæ proinde quàm amplè fieri potest amplissimè est interpretanda iuxta ea, quæ tradit Rota *decis.41.n.7.& sequent.part.3.Recent.* Tunc autem non repugnabunt extendi, quando non habent aliquam restrictionem, per quam coarctentur ad altaria tantum tunc temporis extantia.

QVÆSTIO 747.

An numerus Sacerdotum expressus in diplomate Altaris priuilegiato sit necessarius ad validitatem priuilegij.

SVMMARIVM.

1. *Numerus Missarum expressus in litteris altaris priuilegiati an sit necessarius pro validitate.*
2. *Conditionem sufficit semel fuisse impletam.*
   Conditio habetur pro impleta si per impleturum non stetit.
3. *Numerus Missarum expressus non est conditio sub qua concedatur altare priuilegiatum.*
   Concessum sub conditione, sub opposita censetur ademptum.
   Si conditio ex impotentia non impleatur deficit concessum sub ipsa.
   Conditio est de genere indiuisibilium, & debet in totum impleri.
4. *Numerus Missarum est causa finalis concessionis altaris priuilegiati.*
   Causa finalis quaenam sit.
5. *Numerus Missarum debet verificari tempore concessionis altaris priuilegiati.*
   Causa finalis debet interuenire tempore concessionis.
   Error excludit consensum.
6. *Diminuto numero Missarum non cessat altare priuilegiatum.*
   Effectus non cessat quandiu remanent reliquia causa finalis.
7. *Priuilegium concessum ratione dignitatis non cessat ea cessante.*
8. *Numerus Missarum pro altari priuilegiato sufficit quocunque modo verificari.*
   Forma quando possit impleri per aquipollens.
9. *Sacerdotes pro numero requisito pro altari priuilegiato possunt alibi aliquando celebrare.*
10. *Numerus Missarum pro altari priuilegiato quando verificari debeat.*
11. *Cessante numero requisito Missarum cessat altare priuilegiatum.*
    Paria sunt non adfuisse causam ab initio, & adfuisse, sed cessasse.

1 IN concessione altaris priuilegiati solet apponi clausula, quod tot Sacerdotes, nempe duodecim, decem, septem, &c. celebrent in Ecclesia cuius altari conceditur priuilegium. Dubitatur modo, an iste numerus Sacerdotum expressus sit necessarius ad validitatem priuilegij, itavt si non adsit nulla sit concessio. Talem numerum esse necessarium ad validitatem priuilegij tenent. Lau. *de Indulgent. part.2.c.3.n.115.* Syluius *tom.2. resolut. moral. verbo* Altare priuilegiatum *2.qu.2.& sequent.* Zipeus *tom 2. resp. lib.5. resp.3. n.2.de pœnit.& remis.* Addunt tamen hæc accipienda esse moraliter, & proinde non deficere priuilegium, si aliquando fortuito contingit non celebrari tot Missas.

Econtra vero Bord.*t.2.cons.Regul. resol.91.n.8.* putat regulariter numerum expressum Sacerdotum non esse conditionem substantialem, quia videtur stare narratiuè desumptum ex supplicatione; & proinde non facit conditionem, neque ius ex cap *Ex litteris 3. de fide instrum.* Secundò. Quia si esset conditio substantialis, si deficeret talis numerus, altare perderet priuilegium iam ritè acquisitum. Tertiò. Quia sufficit, quod ab initio, quando obtineretur priuilegium adfuerit numerus expressus, quia sufficit conditionem semel impletam fuisse *l.Si quis heredem. ff. de instit. & subst.* Quartò. Quia sufficit pro quiete conscientiæ, quod superior localis petat à suo superiore numerum expressum Sacerdotum. Quod si non fuerit prouisum nihil aliud curare debet, quia per ipsum non stetit, quin conditio adimpleretur & proinde haberi debet pro impleta *l.Iure ciuili.ff.de cond.& demonst.* Quintò. Quia finis Pontificis requirentis talem numerum Sacerdotum est, vt possit satisfieri obligationibus altaris priuilegiati, & ordinariis: & ideò si obtineatur iste finis nihil refert, quod non adsit numerus expressus Sacerdotum. 2

3 Hæc tamen, quæ allata sunt à B. Bordono patiuntur difficultatem, nec videntur congruere menti Pontificum omisso tamen examine. Imprimis non videtur requiri numerus expressus Sacerdotum tanquam conditio, sub qua valeat priuilegium, nam si esset conditio, à qua dependeret validitas, cum priuilegium habet tractum successiuum, requireret etiam tractum successiuum in conditione, & proinde quoties contingeret non celebrari Missas expressas in diplomate, non haberet locum priuilegium, quia sub aliqua conditione concessum sub opposita censetur ademptum *l.Si legatur purè.ff.de adim.legat.*& *l.Aliquando.ff.de condit.& demon.*& *l.Quod purè.ff.Quando dies leg.ced.* & *l Pecuniam quam. ff. Si cer.pet.* & obseruant Ruin. *cons.37.n.3.* Natta *cons.200.n.1.* Cephal.*cons.17. n.20.* Osasc.*decis.Pedem.166.n.4.* Surd.*cons.157.n.9.* Imò si adesset numerus requisitus, & contingeret, quod aliquis Sacerdotum pro aliquo die infirmaretur, deficeret pro illis diebus priuilegium, quia concessum sub conditione deficit, etiamsi conditio ex impotentia non impleatur, vt notant Paris *cons.94.n.8.lib.4.* Puteus *decis.429.in fine lib.1.* Veral.*decis.150.n.5.p.1.* Rota *decis.194.n.3.par.3. Recent.* Non est autem verisimile, quod Pontifex velit, priuilegium esse adeò instabile, vt modo valeat, modo non valeat, & quod ita præcisè requirat numerum expressum Missarum, vt nihil vnquam deficiat, sicut requireret, si vellet ipsum tanquam conditionem. Quia conditio est de genere indiuisibilium, quæ debet impleri in totum *l. Qui duobus.*& *l.Cui fundus.ff.de condit.& demonst.* & notant Cuman.*cons.38.circa fin.* Surd.*cons.156.n.15.* Tiraquel *de retract.consang. §.1. Gloss.21. num. 13.* vbi alios citat.

Vnde videtur potius numerus Missarum esse causa finalis concessionis priuilegij, non quidem secundum substantiam, sed quoad locum. Nam priuilegium, prout dicti substantiam, nempe indulgentiam plenariam pro defunctis habet aliam causam finalem: quod verò præ cæteris concedatur huic Ecclesiæ 4

habet

Digitized by Google

habet pro causa finali specialem cultum, qui io ipsa per celebrationem Missarum solet Deo exhiberi: & ideò eum ex hoc capite sit aliquo modo spectabilis, habet vim mouendi Pontificem ad concedendum priuilegium. Quod autem hæc sit causa finalis modo explicato, colligitur ex tenore diplomatum; nam non concedit omnibus Ecclesiis hoc priuilegium, sed solum insignioribus, & eæ censentur insignes, in quibus competens numerus Missarum celebratur. Rursus quò magis, vel minus insignes sunt, seu quò maior, vel minor numerus Missarum in iis celebratur, magis vel minus auget priuilegium, nam concedit tantum pro vnico die in singulas hebdomadas, vel pro pluribus, quando maior numerus Missarum solet celebrari. Vnde eum priuilegium commemoretur quoad amplitudinem numero Missarum consuetarum, manifestum fit, quod iste numerus est causa motiua concessionis secundum ampliationem, vel restrictionem, atque adeò certus numerus est causa motiua concessionis Illa enim est causa finalis, quæ principaliter à concedente consideratur, vt aduertunt Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 30. *init.* Merol. *tom.* 2. *Theol. moral. disp.* 4. *cap.* 1. *num.* 322. Burat. *decis.* 110. *num.* 155. & *decis.* 341. *num.* 4. Rota *decis.* 587. *num.* 4. *part.* 1. *Recent.* Causa enim finalis est dux mentis, & regulat actum iuxta ea, quæ notat Baldus *consil.* 312. *n.* 2. ver. *Tertiò vt causa. lib.* 4.

5 Ex quibus sequitur. Quod numerus Missarum qui exprimitur in diplomate, debeat verificari tempore concessionis priuilegij, alioquin erit subreptitium. Causa enim finalis debet interuenire tempore concessionis, vt sumitur ex cap. *Quia circa. de consanguin.* & cap. *Si eo tempore. de rescript. in* 6. vbi Gloss. *verbo Cum tempore.* & tradunt Hostiens. *in* *in dict. cap. Quia circa post. init.* verbo *Impressa.* Butrius *ibid. num.* 3. Alexand. de Næuo *num.* 4. Ioan. Andr. *num.* 3. Abbas *num.* 4. Præpos. *num.* 1. *not.* 3. Mascard. *de probat. conclus.* 1128. *num.* 22. & communiter. Et ratio est. Quia cum Pontifex in concedendo moueatur ex causa finali talis numeri Missarum, si tunc non verificatur, moueror ex causa falsa, atque adeo ex errore, qui excludit consensum *l. Si procurator. ff. de acquir. rer. domin.* & *l. Non idcirco. C. de iur. & fact. ignor.* Vnde defectu intentionis concessio erit nulla. Rursus cum talis numerus Missarum contempletur à Pontifice, cui commensurat priuilegium, si non verificatur tempore concessionis, deficit fundamentum, cui innititur concessio secundum suam modificationem, & substantiam, & proinde deficit etiam concessio.

6 Sequitur secundò. Quod si processu temporis minuatur numerus Missarum expressarum in diplomate, non per hoc cesset priuilegium, etiamsi per notabile tempus talis numerus deficiat. Ratio est. Quia licet cesset causa finalis concessionis, non cessat tamen concessio, si aliquæ eius reliquiæ permaneant, etiamsi concessio habeat tractum successiuum. Ita tradunt Gloss. *in cap. Decet. verbo* Decet. *de reg. iur. in* 6. Dinus *ibid. num.* 3. Roland. *consil.* 52. *num.* 55. *lib.* 2. qui alios citat. Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. disput.* 30. *num.* 8. Coninch. *tom.* 2. *disput.* 33. *in fine.* Merol. *tom.* 2. *Theol moral. disput.* 4. *cap.* 6. *num.* 324. Quare cum causa finalis concessionis altaris priuilegiati duret, quandiu durat pars notabilis numeri Missarum expressa in diplomate, durabit etiam concessio.

7 Quod etiam ex eo confir. Quia priuilegium concessum ratione dignitatis non extinguitur cessante dignitate, vt desumitur ex *l. Eos. & l. Maximarum.* & *l. Eam legem. C. de excusat. mun. lib.* 10. & notant Gloss. *in d. l. l. Eam legem.* Bart. Platea Angel. *ibid.* Dinus *in cap. Decet. de reg. iur. in* 6. Ioan. Andreas & Franc. *ibid.* Bald. *in cap. Sedes Apostolica. de rescript.* Marsil. *singul.* 107. verbo *Priuilegium.* Tosch. *littera B. conclus.* 49. *num.* 4. Guido Papa *decis.* 367. Ergo cum istud priuilegium altaris priuilegiati sit concessum Ecclesiæ ratione illius dignitatis, quam habet ratione celebrationis notabilis nomen Missarum non cessabit, quamuis cesset talis dignitas, præsertim si remeneat notabiliter, ita vt aliquo modo durare censeatur.

8 Sequitur tertiò. Quod nisi aliter io diplomate exprimatur, nihil referat, quod numerus Missarum expressus sit ex deputatis ad celebrandum in illa Ecclesia, an verò sit ex aduentitiis pro Eleemosyna, quæ ipsis exhibeatur; nam hoc materialiter se habet, & solum veniat in considerationem cultus Ecclesiæ, qui consurgit ex numero Missarum; qui æquè obtinetur siue celebrantes sint deputati, siue sint aduentitij. Quando autem aliquid requiritur ad certum effectum, aut finem, etiam si se haberet per modum formæ, sufficit impleri per æquipollens, vt tradunt Mantica *de tacit. & ambig. libr.* 2. *tit.* 4. *num.* 45. afferens decisiones Rotæ Seraphin. *decis.* 309. *num.* 1. & *decis.* 1413. *num.* 3. Merlin. *decis.* 558. *num.* 5. Rota *in Portugalliensi. decimar.* 11. *Februarij* 1591. coram Orano & *in Aurien. Parochialis* 7. *Aprilis* 1598. coram Cardin. Lancelloto.

9 Sequitur. Quartò. Quod ij Sacerdotes, qui conficiunt numerum pro Missis celebrandis expressum in diplomate non tenebuntur celebrare semper in Ecclesia, cui sunt deputati; sed poterunt, quando occasio se obtulerit, in alia Ecclesia celebrare. Quia cum in concessione priuilegij ratio habeatur cultus Ecclesiæ, qui consurgit ex tali numero Missarum, & iste cultus perseueret, etiam in aliquibus diebus non adsit talis numerus, nam consideratur cultus secundum id, quod regulariter fit, permanet adhuc causa contemplata in concessione. Quamquam licet non permaneret in totum neque adhuc corrueret concessio, vt constat ex dictis *num.* 6.

10 Sequitur quinto, Numerum Missarum expressum in diplomate nedum verificari debere tempore concessionis, quando scilicet Pontifex concedit, sed etiam tempore exequutionis, quando scilicet priuilegium incipit habere exequutionem iuxta ea, quæ de dispensatione tradunt quamplures, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. disput.* 30. *num.* 14. Ratio est. Quia ante exequutionem, quamuis priuilegium sit concessum, non tamen habuit effectum: quando autem Pontifex contemplatur numerum Missarum, quia contemplatur in ordine ad cultum, in quo fundat rationabilitatem suæ concessionis, ideò ipsum contemplatur etiam tanquam fundamentum exequutionis; siquidem non minus intendit, quod exequutio sit rationabilis, quam fuerit concessio.

11 Sequitur sexto. Quod si durante tempore priuilegij cesset omnino causa ista finalis, cessabit etiam priuilegium, quia habet tractum successiuum, & & constat successiue concessione; vnde nisi aliquo modo à sua causa sustentetur, non poterit subsistere, quia venit ad illum casum, à quo non posset incipere. Paria enim sunt, nullam adfuisse causam ab initio, & adfuisse, sed omnino cessasse. *l.* 1. *ff. de condict. sine cau.* & *l. Nihil interest. ff. de necessit. pænit.* Et ita in simili tradunt quamplures, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 30. *num.* 14. Verum si contingat, quod durante eadem tempore priuilegij, reuiuiscat causa, valebit de nouo priuilegium, vt tradit idem Sanchez loco modo citat. *n.* 16. Suarez *lib.* 6. *de legibus, c.* 20. *n.* 14. & *lib.* 8. *c.* 30. *n.* 22. Gutierrez *de matri. cap.* 126. *n.* 2. Bonac. *disputat.* 1. *de legibus quæstione* 2. *punct.* 10. *numero* 3. Merol.

tom.2.Theol.moral.disp.4.cap.6.num.335.in fine. Et ratio est quia cum priuilegium altaria sit concessum ad certum tempus, aut in perpetuum si contingit deficere causam,cui innititur, suspéditur solum exequutio, non autem desinit concessio, vtpote obligata tempori,& habens totum illum tractum successiuum, quod
8 importatur per tempus successionis. Vnde si contingat, quod ab incursum hostilem , contagionem , aut aliqua alia de causa non possit in Ecclesia celebrari per aliquod tempus , si postea reassumatur celebratio,reuiuiscet priuilegium,si tempua pro quo est concessum , nondum sit elapsum, vt obseruat etiam Gobat.*de indulgent.part.2.cap.26.num.521.*

QVÆSTIO 748.

An si clausula numeri Sacerdotum ponatur cum dictionibus Dummodo, *&* Quotidie *va-*
9 *leat concessio priuilegij, nisi quotidie celebretur expressus numerus Missarum.*

SVMMARIVM.

1. *Si numerus Missarum in concessione altaris priuilegiati exprimatur per modum conditionis , qualificatur concessio.*
2. *Non existente numero expresso Missarum per modum conditionis,non valet concessio.*
3. *In concessione altaris priuilegiati dictio ,* Dummodo, *induceit modum.*
4. *Si numerus Missarum expressus in concessione altaris priuilegiati non impleatur,non corruit concessio,sed solum potest resolui.*
5. *Si tamen interueniat interpellatio.*
6. *Quando modus deficit non corruit dispositio.*
Non corruit concessio altaris priuilegiati , si non impleatur celebratio Missarum , &c.
7. *Modus est causa finalis dispositionis.*
8. *Numerus Missarum pro altari priuilegiato potest quocunque modo impleri.*
Sufficit, quod modus quacunque via obtineatur.
9. *Numerus Missarum pro altari priuilegiato sufficit quocunque modo impleri.*
Consuetum dicitur, quod pluries fieri solet.
10. *Si numerus Missarum aliquo modo impleatur , non cessat concessio.*

1 SOlet in quibusdam formulia concessionis altaria priuilegiati poni clausula , *Dummodo in ea septem Missæ quotidie celebrentur* , vnde insurgit dubium, quod operetur dictio illa, *Dummodo.* In qua difficultate illud certom est , quod hæc clausula qualificat, & coarctat concessionem ad existentiam celebrationia Missarum secundum numerum expressum, secundum ea quæ obseruant Merlin. *decis.390.n.26.* Rota *decis.777.n.6.part.2.Recent.* & *decis.247.n.26.part.5.* & *decis. 329. num.31. part.6.*

2 Et proinde operatur , quod non existente numero expresso Missarum concessio sit nulla , vt obseruant Paris. *consil.95.n.44. vol.2.* Dec. *consil.661.n.12. ver. Secundò.* Alciat. *consil.211. n.3.* Ancharan. *consil.169. n.2.* ver. *Sine tamen.* & Rota coram Achille *decis.18. num.2. de probat.* & coram Durano *decis.306.n.9.* & *decis.610.in fine,part.4.in nouiss.* & *in Fauentina Monasterij 15. Decembr.*1603. coram Seraphino , & *in Placentina Caprllaria 29. Martij* 1596. & *in Aquilana beneficij 6. Februar.* 1604 coram Ludouisio , & *in Collonensi Canonicatus* , coram Pamphilio apud Garziam *de benefic. part.1. cap.10. numero* 14. & *in Cameracensi Canon. 4. Decembr.* 1573. coram Aldobrandino , & *in Hispalensi , & in Corduben. præstim.20.Iunij* 1601. coram Lancelletto , & *in Vercellensi beneficij* 28. *Ianuar.* 1601. coram Litta. Hæc enim clausula sicut coarctata dispositione ad expressa per ipsam, ita remouet quoque intentionem concedentis à concessis , si contingat , deficere , quod in eadem clausula exprimitur , & proinde concessio defectu intentionis redditur nulla.

Modo autem dubitatur , quomodo debeat imple- 3
ri celebratio numeri Missarum expressarum. In quo illud in primis certum est , quod dictio , *Dummodo* in dicta clausula induceit modum quia requirit id, quod post concessionem priuilegij implendum est iuxta *l. Cum tali , §. 1. ff. de condit. & demonstrat.* vbi Bart Gloss. *in l. 1. Cod. de his , quæ sub modo,* vbi etiam Doctores Bald. *in Authent. Cui relictum, num.22. C. de indic. viduit. tollen.* Bart. *in l. Quibus diebus , §. Terminus , num.1. ff. de condit. & demonstrat.* & communiter Doctores , & quia etiam ex natura sua importat modum , & non conditionem , vt obseruant Bart. *in dict. l. Quibus diebus, § fin.num.4. ff. de condit. & demonstrat.* Corneus *consil. 162. numero 17. lib.2.* Dec. *consil.327. numero 3.* Craueta *consil.10. num 14.* Gabr. *consil.5. num.2. lib. 1.* Menoch. *consil.134. num.36.* Surd. *consil. 186. num. 11.* Ancharan. *quæst.31. num. 15. part. 2.* Seraphin. *decis.338. num. 5.* Rota *decis.231. aliàs decis.1.de condit. oppos.in Nouis.*

Ex quo sequitur. Quod si non adimpletur dicta 4
celebratio , non propterea cesset priuilegium , quia modus non impedit acquisitionem, sed tantum operatur, quod possit resolui. *l. Libertus, §. Hac scriptura,ff.de manumis.* Bat.*in l. Quibus diebus , §. Terminus, num.13.ff. de condit.& demonstr.* Dec. *in l.Cum mota, n.6.C.de trans.* Peña *decis.920.n.14. tom.2.*& communiter DD.cum Gloss.*in l.1.C. de his, quæ sub modo.*

Secundò sequitur , quod si non impleatur cele- 5
bratio Missarum,non resoluatur priuilegium, nisi interueniat interpellatio ; quia sibi agitur de modo implendo , vt locum habeat resolutio , est necessaria interpellatio,vt obseruant Craueta *consil.59. n.7.* Ruin. *consil.100. num.4. lib. 5.* Menoch. *consil.131.num.6.* Duran. *decis.146. num. 9.* & *de condit. & modis impos. part.5. cap.1. n.8.* Franchin.*part.1. decis.conclus.119.*

Tertiò sequitur. Quod si casu contingat,quod non 6
possint celebrari Missæ secundum numerum expressum , neque adhuc resoluatur priuilegium , quia non corruit dispositio, quando modus casu deficit , *l. 1. C. de legat.* & tradunt Io.Baptista à S.Seuer. *cons.69. n.4.lib.1.*apud Sociu.Sen.Corneus *cons.311.n.4.lib.1.* Duran.*de condit.& mod.impos. par.5. cap.1.n.5.* Neque enim voluntas disponentis est obligare ad impossibile, & proinde si modus fiat impossibilis , habetur pro non apposito,*l.Si fundum. § Iulian.ff.de leg.1.* Bart. *in l.Cod.mit.ff de legat.2.*Albert.*in l.vn. §.Pro secundo. C. de cadne. tol.* Sarmien. *lib.2. select. interpr. cap.3. n.6.* Molin. *lib.2. de primogen.cap.2.n.42.* Duran.*de condit. & mod.impos. part.5. cap.1.n.14.* & communiter cum Gloss.*in l.1.C.de condit.instit.* Vnde si ratione infirmitatia, aut mortia aliquorom, aut necessariæ absentiæ, aut quia superiores non assignent illum numerum sacerdotum , fiat impossibilis celebratio illius numeri Missarum , non per hoc resoluatur priuilegium.

Hinc autem insurgit aliud dubium , quomodo ad- 7
implenda sit obligatio expressi numeri Missarum.Pro cuius resolutione est præmittendum. Quod modus est quædam causa finalis dispositionis , seu quod resoluitur in causam finalem , vt determinetur ex *l.17. §.fin.ff.de condit.& demonstr.* & *l.1. C. de his , quæ sub modo.*Gloss.& Azo *in sum. C.eod.* Craueta *con.59.n.4.* Faber.*lib.6. C.tit.22.defin.4.n.3.* quia scilicet dispositio ordinatur ad id, quod per dictũ modũ intenditur.

Hinc

8 Hine autem fit primo. Quod obligatio celebrandi expressum numerum Missarum potest impleti quocunqne modo,siue per Sacerdores depuraros sernirio Ecclesiæ, siue per conductirios, siue per aduentantes ex propria electione,siue quacunque alia via.Qusndo enim conditio, & modus respiciunt cestum aliquem finem,sufficit,quod quocnnque modo habeatur *l.3.C. de leber.prater.*& *l.3.§.Condstio.ff. de adim.leg.* Rebuf. *in l.Quod iussit in Prafat.n.20.ff.de re ind.*Tiraq.*lib.1. Retract.§.3.glos.1.n.11.*Brun.*de forma,& solem.in rubr. Ex quibus.const.forma solem.* Durand.*decis.*286.*n.*8.

9 Secundo fit.Quod cum celebratio Missarum in rali numero fit causa finalis concessionis, & intendarur quatenus ex eo resulrat specialis culrus Ecclesiæ,sufficiat impleri morali modo,iravt plurimum ralis numerus Missarum celebtatur,quamuis aliquando desiciat,vt norat eriam Gobat.*de indnlg.p.2.c.26.n.520.* Quia etiam secundum communem vsum dictio,*celebrentur*,sonat,*consueuerint celebrari*. Vt autem verificetur, quod consueuerint celebrari, sufficit si regulasiter, & vt plurimum celebrentut, quia illud dicitur consuetum,quod pluries fieri solet *l.3.in fin. de Episc. audien.*& *l.1.*ver.*Freqnenter. C.Qna sit longa consnetudo.* & notant Bart.*in l. Quomodo,& quando index.* Castrens.*in dict. l. 1. C. Qna sit.lon.consuet.* Alexander. *cons.5.circa fin.vol.5.*Corneus *cons.28.in fin.vol.3.* Aogel. *in §. Ex non scripto.in fine. Instit. de iure naturali gent.& ciuil.*Rocbus de Cutte *de consues.in prafat.q.5. n.3.*Nec obstar,quod in dicta clausula sit dictio, *Quotidie*,quia accipitur motali modo;nam trahitur ad significationem dictionis, celebrentut: & non colligit singulos dies,sed distribuir celebrationem singularem ad dies, & sensus est, quod vt plurimum in singulis diebus consueuerint celebrari.

10 Terriò fit.Quod cum modus inducat causam finalem,eo non impleto, non ideò cessabit priuilegium si aliquo modo implestur, quia cessante causa finali secundum partem, & remanente secundum reliquias, non cessat effectus,vt dicebatur *in praced.q.n.6.* Vnde licet non celebretur numerus expressus ex defectu Sacerdotum, non idcircò cessabit priuilegium altaris. Præserrim quia numerus Missarum requiritur, vt Ecclesia ratione illius cultus reddatur digna priuileglo, & proinde est cansa finalls concessionis,quoad talem locum,quæ cum sortita sit suum effectum,non debet resolui,vt in specie de priullegio loquentes obseruant Soc.*cons.84.n.9.vol.3.* Modest.Pist. *cons.11.n.26.vol.2.*

QVÆSTIO 749.

An si in diplomate exprimatur numerus Sacerdotum, & concedatur quod omnes de familia celebrantes in altari lucrentur indulgentiam, possint lucrari religiosi hospites.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegium altaris priuilegiati quando non suffragetur exteris.*
2. *Religiosi hospites an fruantur altari priuilegiato concesso pro iis, qui sunt de conuentu.*
3. *Generales in tota religione, & Prouinciales in Prouincia fruuntur altari priuilegiato.*
4. *Generales sunt incorporati vnicuique conuentui. Et prouinciales quoad prouinciam.*
5. *Hospites religiosi fruuntur altari priuilegiato conuentus.*
6. *Hospites religiosi veniunt appellatione familia.*
7. *Qua requirantur ad fundandam familiaritatem.*
8. *Aliud incorporari familia conuentus, & aliud Capitulo.*
9. *Sacerdotes vnius conuentus non fruũtur altari priuilegiato alterius in eodem loco si concessum sit pro familia.*

1 SOlent sliqusndo summi Pontifices postquam expresserint numerum Sacerdotum,qui celebrant ra Ecclesia, concedere priuilegium, quod omnes de familia celebrantes io altari priuilegiato consequantur indulgentiam pso mostuis, qua cõcessione stanre certum est, quod exteri quamuis celebrẽt in dicto altari, non possunt consequi indulgenriã,quia priuilegiũ oon est concessum pro ipsis, sed tãrum pro illis religiosis, aut sæculatib. qui sunr deputati ad celebrandũ in illa Ecclesia. Vnde difficultas est de religiosis,qui tanquã hospires morantur in alio conuenru per aliquot dies.

2 Et partẽ negatiuam tradunt Zipeus *to.2. resp.lib.5. tit.de pœn.& rem.resp.5.n.2.*Syluius *t.2.res.verb.* Altare Priuilegiatũ. *q.3.* Quia licet huiusmodi religiosi sint subiecti superiori locali, cum tamen non sint destinari ad ibi residendum,non sunt capaces actuũ,qui proprij sunt religiosorum conuentus, vt exercitij vocis capitularis,& similiũ.Vnde cũ priullegiũ sit restrictũ ad religiosos cõuentus,non se extẽdet ad hospites.

3 Bordoous autem *t.1.Conc.res.15.n.2.*asserit generales in tota religione,& Prouinciales in Prouincia frui priuilegio altarium priuilegiatorum, quia in singulis conuentibus habent domicilium, cum non repugnet domicilium obtineri in pluribus locis.Idem eriam reperit *t.2.res.91.n.1.*vbi in probatione extẽdit ad omnes religiosos hospites. Quia numerus expressus Sacerdotum requiritus, vt possit commodè satisfieri obligationibus contractis non autem ponitur ad excludendos superuenienres.

4 Er quidem,quosd Generales,& Prouinciales nullã puto adesse difficulratem,quia cum sint capira totius Religionis,aut Prouinciæ,sunt incorporati vnicuique familiæ vniuscunque Conuenrus, sibi subiecti; vnde eriam possunt exercere iurisdictiones actus; & non solum sunt membra illius Conuentus, sed criam principalissimum nempe caput; nam cum sint caput totius Religionis, aut Prouinciæ, sunt etiam caput singulorum conuentuum. Vnde cum priuilegium sit concessum iis, qui sunt de familia, erit etiam ipsis concessum solum difficultas est quoad subditos.

5 Dicendum est. *Subditos quoq; hospites,dum morantur in conuentu frui beneficio altaris priuilegiati.* Ratio est. Quia priuilegium est pro omnibus iis,qui sunt de tali familia,seu cõuentu,& proinde extẽditur ex proprietare verborum etiã ad hospites;nam ipsi quoq; licet, nõ quoad omnia incorporãtur tamen eidẽ corpori, & fiunt mẽbra illius,quamdiu ibi permanent;quod ex eo cõstat,quia incorporatio inducitur per vnionẽ membrorũ sub eodẽ capite. Illi autẽ religiosi, licet hospites,hoc pacto vniuntur,quia subiciuntur simul cũ ceteris eidẽ capiti,seu superiori,à quo diriguntur.

6 Confir. Religiosi hospites, qusmuis non incorporentur capitulo,incorporantur tamen familiæ, siquidẽ sunt cõmensales;manent in illo seruitio, quod per regulam exigitur in religiosis.Quia ipsi quoq; obseruant disciplinam regularẽ, & obediunt eidẽ capiti, & proinde veniunt appellatione familiæ,iuxta. *l.2.Ædiles.ff.de adilit.edict.* & *l.1.§.Familia,ff.de vi,& vi arm.* & norata per Alex.*cons.128.init. lib.6.* Afflict. *de iurepatron. §.3.n.5.* Boër.*dec.213.§.3.n.5.* Ergo cum priuilegium sit concessum iis, qui sunt de familia, erit etiam concessum hospitibus.

7 Confir.2. Ad fundandam familiaritatem duo tantum requiruntur,nempe manere in seruitio,& viuere expensis Domini iuxta cap.*Sicut nobis,de verb.significat.in 6.* vbi Franc.*num. 4.* ver. *Sextò.* notat Bellam. *consil.20. n.90.* ver. *de familiaritatibus* Gomez *in Regul.de impetrat.benefic.vacantis per obit.famil.quæst.13. init.*Anchatan.*cons.398.n.2.* Mascard. *de probat. con-*

clus.755. Hæc autem duo concurrunt in hospitibus religiosis, nam sunt commensales, cum viuant expensis monasterij & manent inseruitio, cum exhibeant in suis personis obseruantiam regularem. Et ideò participabunt priuilegia regularium de familia, atque adeo altaris priuilegiati.

8 Ad fundamentum in oppositum resp. Aliud esse incorporati familiæ Conuentus, & aliod incorporari capitulo Conuentus; plures enim sunt incorporati familiæ, qui non sunt incorporati Capitulo, vt sunt, qui non sunt admissi ad Capitularem, qui non sunt incorporati Capitulo, nec sunt capaces actuum capitularium, vt lectionis, &c. Et tales sunt hospites, qui verò sunt incorporati familiæ, licet non sint incorporati capitulo, sunt capaces actuum, qui sunt proprij religiosorum de familia, atque adeò etiam altaris priuilegiati, cum prioilegium sit concessum iis, qui sunt de familia, non autem solis capitularibus. Ideò autem priuilegium est restrictum ad religiosos conuentos vt excludantur sæculares, & religiosi aliorum ordinū.

9 Ex dictis colligitur, quod si contingat aliquas religiones habere plures Ecclesias in aliquo loco cum altaribus priuilegiatis pro iis, qui sunt de familia, non poterunt Sacerdotes vnius Conuentus frui priuilegio altaris priuilegiati alterius Ecclesiæ, quia licet sint eiusdem ordinis, seu religionis, non sunt tamen eiusdem conuentus, seu familiæ, & ideò priuilegium tanquam coarctatum ad religiosos conuentus non se extendet ad ipsos.

QVÆSTIO 750.

An valeat priuilegium altaris impetratum, antequam expiret tempus præcedentis Priuilegij.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegium altaris an subsistat, si nondum expirauerit primo impetratum.* & num. seq.
2. *Quando petitio, & mens concedentis concordant, gratia non est subreptitia.*
3. *Clausula quod non adsit aliud simile altare, quando verificari debeat.*
   Indulgentia quomodo strictè interpretanda.
   Ratio ob quam indulgentia erant strictè interpretanda, modo non habet locum.
   Nec in indulgentiis pro defunctis.
4. *Si in petitione altaris priuilegiati explicetur, quod Ecclesia non habet aliud priuilegium, sufficit verificari tempore publicationis.*
5. *Paria sunt fieri tempore habili, & fieri tempore inhabili, sed conferri in tempus habile.*

1 DIfficultas oritur ex clausula, quæ solet apponi in diplomate concessionis nempe, quod conceditur priuilegium, dummodo in eadem Ecclesia non sit aliud simile priuilegium. Et quod non subsistat secundum priuilegium, si nondum expirauit tempus primi, & proinde non sit securum illud publicare, sentit Zipeus *t.m.2.respons.lib.5.respons.5. de pœnit. & remis.n.*4. Fundamentum est. Quia tempora concessionis non verificatur clausula requirens, quod in eadem Ecclesia non reperiatur simile priuilegium, cum reuera adhuc reperiatur simile priuilegium; & proinde gratia est subreptitia. Accedit quod indulgentiæ debent interpretari, quia licet videantur fauorabiles, sunt tamē odiosæ, quia per nimias indulgentias satisfactio sacramentalis eneruatur c. *Cum ex eo. de pœnit. & remis.* & ideò valor ipsarum strictè accipiendus est.

2 Verum oppositum declarat Praxis, & sensus virorum Doctorum. Nam tunc tantum interuenit subreptio gratiæ, quando petitio impetrantis, & mens concedentis non concordant, & proinde sequitur, quod concessio contineat aliquid quod non esset de mente concedentis, si natum haberet id, ex cuius ignorantia procedit concessio. Sed in hoc casu petitio impetrantis, & mens concedentis concordant in re concessa, & petita, nec clausula illa est contraria petitioni; & proinde nulla interuenit subreptio. Hoc autem constat ex eo. Quia mens Pontificis est, quod in eadem Ecclesia non sint duo altaria priuilegiata simul, & semel; & proinde adhibet in diplomate illam clausulam. Rursus mens impetrantis non est obtinere duplex altare priuilegiatum, sed solum obtinere continuationem prioris, vt proinde expirante priori priuilegio possit statim substitui secundum, nec aliud intendit, quàm obtinere anticipatè substitutionem secundi priuilegij. Vnde cum in priuilegiis non tam verba sint attendenda, quàm mens concedentis, vt tradunt Mohed. *decis.*13 *de præbend.* Durand. *decis.*48. *n.*15. fit, quod valeat concessio altaris, cum mens Pontificis per illam clausulam explicata, non sit alia, nisi, quod eadem Ecclesia non fruatur simul duplici altari priuilegiato,

Neque obstat fundamentum in oppositum. Quia 3 illa clausula, quod in eadem Ecclesia non reperiatur aliud simile priuilegium, non respicit tempus concessionis, sed tempus exequutionis. Quia cum de mente Pontificis constet, quod solum nolit in eadem Ecclesia esse duo altaria priuilegiata, sufficit, quod verificetur tempore exequutionis, quo scilicet obtinetur publicatio ab ordinario. Ad confir. Quod indulgentiæ strictè debeant interpretari, non facit ad rem, quia dato, quod strictè sint interpretandæ, hoc solum habet locum quoad ipsarum esse, non autem quoad validitatem concessionis, quia quando agitur de hac, fit interpretatio de validitate, quæ est communis omnibus concessionibus, & eodem modo semper est interpretanda, non autem de indulgentia. Deinde modo non habet locum illa ratio quod sint odiosæ, quia eneruatur satisfactio sacramentalis per nimias indulgentia; nam in his temporibus non fit compensatio satisfactionis sacramentalis per indulgentias: & textus loquitur de nimiis indulgentiis, & proinde non potest extendi ad validitatem concessionis, cum non sit nimia indulgentia. Denique dato, quod hæc ratio valeret, non haberet locum in præsenti, quia agitur de indulgentia pro Defunctis, in quibus non habet locum eneruatio satisfactionis sacramentalis.

Ex dictis colligitur, quid dicendum si in supplicatione pro altari priuilegiato explicetur, quod Ecclesia non habet simile aliud priuilegium, & nihilominus nondum, quod obtinet expirauerit. Resp. enim, quod non obstante clausula diplomatis, *similis ad præsens priuilegio vt accipimus minimè decorata*, adhuc valida erit cōcessio. Ratio est. Quia hæc clausula continet causam impulsiuam ad decorandā Ecclesiam priuilegio, qua impellitur Pontifex, & refertur ad tempus, in quo Ecclesia illa decoratur. Vnde dictio, ad præsens explicat tempus, quo Ecclesiæ impenditur priuilegium. Hoc autem priuilegium non impenditur quando Pontifex signat supplicationem, aut quando expeditur diploma, sed quando cum licentia Ordinarij publicatur, nam cum de iure communi pro publicandis indulgentiis requiratur licentia Ordinarij per Concii. Trident. *sess.* 21. *cap.*9. *de reformat.* ita vt non possit sortiri effectum, nisi præmissa dicta licentia, & Pontifex hoc sciat, in concedenda respicit tempus in quo debet sortiri effectum, seu exequutionem, & in ordine ad ipsum ponit clausulam, *similis ad præsens priuilegio minimè decorata.* Quod ex eo etiam constat, quia cum in quadam supplicatione expressum fuisset, 4

fuisset, quod priuilegium altatis cuiusdam Ecclesiæ expiraret infra breue tempus, & petita fuisset continuatiu ad aliud septennium, emanauit diploma cum formula consueta, & cum prædicta clausula.

5 Quod etiam ex eo deducitur. Quia patia sunt fieri tempore habili, & fieti tempore inhabili, sed conferre in tempus habile *l. In tempus, ff. de hered. instit.* & notant Cagnol. *in l. fin. num. 5. in noua edit.* C. *de pact.* Dec. *num. 7.* Ias. *num. 8.* Purpurat. *num. 10.* Bolognet. *num. 61.* quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 7. sum. cap. 2. num. 14.* Vnde, licet quando conceditur priuilegium altaris, quamuis sit tempus inhabile stante illa clausula *simili ad præsens priuilegio minimè decorata*, quia tamen confertur executio in tempus habile, quando tali priuilegio non erit amplius decorata, ideo eodem modo res se habet, ac si concederetur tempore habili. Ad tollendum tamen omnes scrupulos, satius erit petere in supplicatione continuationem priuilegij.

QVÆSTIO 751.

Quando incipiat septennium, aut simile tempus pro quo conceditur altare priuilegiatum.

SVMMARIVM.

1. *Septennium altaris priuilegiati à quo die computandum,* & num. seqq.
4. *Septennium non incipit nisi à die publicationis.*
 Ea interpretatio sumenda, quæ resultat ex iis, quæ solent seruari.
5. *Effectus altaris priuilegiati debet durare toto tempore expresso.*
 Quod necessario sequitur ab expresso habetur pro expresso.
6. *Septennium incipit à die publicationis, & si adsit clausula. Ad proximum septennium.*
 Verba debent intelligi cum effectu.
7. *Si in concessione altaris priuilegiati non adsit clausula proximum septennium, potest differri publicatio absque eo quod currat tempus.*
8. *Publicatio altaris priuilegiati potest differri.*
9. *Imò debet differri, si non sit elapsa prima concessio.*
 Continuatio per plures concessiones non inducit perpetuitatem indulgentiarum.
10. *Altare priuilegiatum expirat morte Pontificis, si nō sit publicatum.*
 Gratia, quæ non est sortita plenum effectum expirat morte concedentis.

1 IN hac difficultate non concordant Doctores Zipeus *tom. 2. respons. canon. lib. 5. de pænit. & remiss. num 6.* Docet septennium, seu aliud tempus non esse computandum à die publicationis; sed à die datæ. Quia inquit mens Pontificis est expressa, ne valeant vltra septennium, & vt expleant totum septennium, non est expressum, & ideo inchoandum est tempus à die concessionis, quia tunc gratia est facta.

2 Econtra verò Rodriquez, *tom. 2. quæst. regul. 99. art. 3.* Syluius, *tom. 2. varior. resol. verbo.* Altare priuilegiatum, *in resp. ad* 1. volunt, quod incipiat à die publicationis, quia mens Pontificis est; quod per septem annos priuilegium sortiatur suum effectum: non potest autem sortiri nisi præcedat publicatio.

3 Alij verò procedunt cum distinctione, & volunt, quod quidē incipiat à die publicationis; verum, quod non sit semper necessarium, quod priuilegium publicetur, sed considerandas esse clausulas diplomatis. Quia si adsit tantum clausula, *præsentibus ad septennium valituris*, poterit differri publicatio per vnum, aut etiam alterum annum, & tunc quando publicabitur incipiet septennium. Si verò ponatur clausula. *Ad septennium proximum*, aut similis non poterit differri publicatio. Ita Gobat *de indulgent. part. 2. cap. 36. numer. 661.* Quintanaduen. *tom. 1. singular. tract. 2. Append. dub. 3. num. 3. & 4.*

In hac difficultate primo loco tenendum est. *Quod septennium non incipiat, nisi à die publicationis.* Hoc mihi omnino certum videtur. Primò, quia in aliquibus diplomatibus solet addi clausula. *A die publicationis illarum computando*, per quam expressè disponitur, quod septennium sit computandum à die publicationis. Et ideo quando non ponitur talis clausula concessio recipit declarationem à diplomatibus, in quibus ponitur quia ex ipsis de mente Pontificis constat; & proinde talis præsumitur, qualis alia solet esse. Ea enim interpretatio sumenda est, quæ resultat ex iis, quæ in eodem genere solent seruari, *l. Labeo. ff. De statu liber.* & *l. An in totum.* ibi. *Quæ frequenter in eodem genere controuersiarum seruata sunt, C. de ædific. priuat.* 4

Confir. Ex ipsis verbis dictæ clausulæ. Dum enim Pontifex dicit. *Præsentibus ad septennium duntaxat valituris*, expressè declarat, quod gratia concessa sit duratura per septennium, & quod litteræ priuilegij sint habituræ valorem ad septennium: ergo cum non possint habere valorem, & effectum, nisi præmissa publicatione, & Pontifex id sciat, eo ipso, quod vult habere valorem, vult etiam, quod septennium incipiat à die publicationis, alioquin nollet habere valorem ad septennium, si vellet incipere septennium à die datæ: & alias vellet, quia id exprimit, quare dicendum est, quod eo ipso, quod vult valituras ad septennium, tacitè etiam velit, quod septennium incipiat à die in quo incipit valor. Hoc enim sequitur necessario ex eo, quod est expressum, & ideo habetur pro expresso. *l. Cum quod. ff. Si cert. pet.* Bald. *in l. 1. circa finem. 6. de his. qui an. aper. tab. test.* Crauetta, *consil. 149. numer. 11.* Paris. *consil. 97. num. 107. vol. 1.* Rolan. *consil. 27. num. 37. lib. 4.* & iuxta notata per Glos. & Doctor. *in l. Prætor: init. vet. Expressum. ff. De noui oper. nunc.* 5

Secundo tenendum. *Quod si in clausula adsit dictio*, Proximum, *nempe ad proximum septennium valituris, adhuc septennium non incipiet, nisi à die publicationis.* Ratio est. Quia dictio *Proximum*, intelligitur de proximitate habili, in qua scilicet concessio possit sortiri suum effectum, quia verba debent intelligi cum effectu cap. *Relatum de Cleric. non residen.* & cap. *Si à iudice de appellat. in 6.* Cum igitur non possit concessio sortiri effectum, nisi post publicationem, solum septennium, incipiens à publicatione, erit habile, vt ad ipsum coarctetur gratia. 6

Tertio tenendum est. *Quod si non adsit dictio*, Proximum, *aut æquiualens, non erit necessarium statim publicare concessionem altaris priuilegiat, sed poterit differri per aliquod tempus.* Ratio est. Quia est gratia, & priuilegium concessum ad instantiam petentis; nec in litteris ponitur aliqua clausula, quæ cogat ad statim publicandum, non etiam solet aliquando poni, sicut ponitur in litteris Iubilæi vniuersalis, quod conceditur ex motu proprio: ergo sicut relinquitur in potestate obtinentis vti, vel non vti tali priuilegio, ita etiam relinquitur differre executionem. 7

Ex dictis colligitur. Quod tempus, in quod differri potest publicatio, non potest esse determinatum, quia cum vti gratia concessa sit in potestate concessionatij, erit etiam in potestate, vti quando voluerit, & proinde non potest, præfigi certus terminus, vltra quem non possit amplius differri publicatio, quia 8

neque, ex voluntate concedentis coarctatur publicare intra aliquem certum terminum, nec ea natura rei, quia scilicet communitas priuetur aliqua gratia, vt contingit in iubileis vniuersalibus, sed sumus in facultatiuis, in quibus potest concessionarius vti priuilegio, quando libuerit.

9 Colligitur 2. Quod à fortiori differri poterit publicatio altaris priuilegiati, quousque expiret septennium currens, itavt incipiat septennium die sequenti ad vltimum præcedentis septennij. Imò quod ita deferratur, est necessarium quia, vt notat etiam Quintanaduen. *tom. 1. singul. tract. 2. Apend. dub. 3. num. 4. in fine*, non est concessum durante priuilegio alias concesso, & proinde non nisi pro septennio subsequenti stante clausula, quod Ecclesia non habeat aliud altare priuilegiatum. Nec obstat, quod vnum septennium continuetur cum alio, quia hoc non est contra mentem Pontificis, quia concedendo ad tempus determinatum, intendit solum excludere perpetuitatem, quæ non inducitur per continuationem vnius septenij cum alio, quia aliud est indulgentiam esse perpetuam, & aliud plures indulgentias successiuas continuari, nam iste adhuc sunt plures, & singulæ temporales, quæ semper extinguuntur elapso tempore præfixo, sic etiam licet sit prohibita perpetua, & etiam ad longum tempus locatio bonorum Ecclesiasticorum, possunt tamen locationes triennales ita sibi immediatè succedere, vt continuentur inuicem.

10 Tertio colligitur. Quod si contingat, ante publicationem mori Pontificem, expirabit concessio priuilegij. Quia cum gratia huiusmodi non sit sortita plenum effectum, si quidem publicatio est necessaria, vt incipiat valere, & habere effectum expirat morte concedentis cap. *Si gratiosè, de rescript. in 6.* & iuxta ea, quæ tradunt Glos. *in cap. si cui, not. 1. de preben. in 6.* Archidiacon. *ibid circa finem, ver. Secus facienda.* Bald. *in l. fin. num. 3. ff. De constit. in 1. lectura.* Ancharan. *in cap. si super gratia, num. 1. de offic. deleg. in 6.* Abbas *in cap. quoniam. num. 12. de offic. deleg.* Decius *in Rubr. de constit. num. 41. in prima lectura.* Ripa *num. 50.* Riminal. *num. 119.*

QVÆSTIO 752.

An septennium altaris priuilegiati sit necessario continuum.

SVMMARIVM.

1. *Septennium altaris priuilegiati est necessario continuum.*
2. *Tempus determinatum à lege intelligitur de continuo.*
3. *Quid si altare priuilegiatum non possit pro aliquo tempore sortiri effectum.*
4. *Priuilegium affixum tempori non potest habere effectum in alio tempore.*

1 Dicendum est. *Septennium, altaris priuilegiati esse necessario continuum, non verò septem annos interpolatos.* Ita etiam Quintanaduen. *tom. 1. singul. tract. 2. Append. dub. 3. num. 5.* Ratio autem est. Quia priuilegium non conceditur pro septem annis, in quo casu dubitari potest an septem anni sumi possint interpolati: sed ad septennium. Per septennium autem importatur vnicum tempus septem annorum, atque adeo septem anni continuati; iste enim numerus designat in tempore vnam, & certam portionem annorum, atque adeo partem temporis continui. Accedit etiam, quod sicut numerus pluralis importat in re significante discretionem, ex qua consurgat pluralitas, ita singularis importat vnitatem, seu coniunctionem, ea qua consurgat singularitas.

Confir. Tempus determinatum à lege, vel statuto intelligitur de continuo, *l. Genero. ff. De his qui not. infam.* & *l. 3.* vbi etiam Glos. & *l. Naturaliter*, & *l. Nunquam 2. §. 1. ff. de vsucap.* & obseruant Lappus *alleg. 43. num. 3.* Bart. *in l. fin. §. Quoties. ff. De public. & vectig.* Albert. Brun. *tract. de perman. & perseuer. num. 4. tom. 17. tract.* Anton. Bard. *de tempore vtili, & cont. cap. 3. num. 9. tom. 6. tract.* Vela *discep. Hispalens. 18. num. 3. lib. 1.* Bordon. *tom. 2. consil. regul. resol. 99. num. 28.* & *resol. 54. num 188.* Villalob. *tom. 2. sum. tract. 25. difficul. 5. num. 7.* Vecchius *in praxi nouitior. disp. 11. dub. 3. num. 2.* Peirin. *de Pralato Regul. quæst. 3. cap. 1. §. 4. num. 100.* Tamburin. *de iure Abbat. tom. 3. disp. 6. quæst. 7. num. 10.* Cum ergo tempus septennij præscribitur in litteris pro altari priuilegiato ex voluntate summi Pontificis, & generali regula, debet accipi continuum, non verò interpolatum, & ita etiam praxis declarat concessionem. 2

3 Remanet tamen difficultas, quid dicendum, si casu aliquo contingat, quod pro aliquo anno non possit priuilegium ad praxim reduci, vel quia ab hostibus capta sit ciuitas, qui expellant sacerdotes, vel non sinant celebrare, vel quia Ecclesia sit interdicta, vel quia testauetur Capella seu altare, vel ex aliquo alio simili impedimento, an scilicet tempus, in quo non potuit priuilegium inseruire, possit superaddi septennio. Gobat in casu simili *cap. 10. de cubil. num. 55. & seq.* loquens de indulgentiis, habet, quod ob suspensionem, quæ fit in anno sancto iilie annus non peritque, quia non computatur in septennio, sed assumitur post septennium, vt indulgentia verè duret per septem annos; vnde videtur quoque idem dicendum in casu præsenti.

Sed oppositum omnino tenendum. Ratio est. Quia priuilegium est affixum tempori vnius septennij: ergo semel inchoato septennio, debet continuo decurri vsque ad finem, cum per accidens sit, quod in aliqua parte illius septennij non possimus vti priuilegio, hoc enim non prouenit defectu priuilegij quia ex se durat etiam pro illo tempore, sed ratione extrinseci impedimenti. Confir. Quod semel est affixum alicui tempori, non potest transferri in aliud tempus, & si in illo non potest impleri, non habet amplius locum adimpletio, sed euanescit: ergo cum priuilegium altaris sit affixum septennio iam inchoato, non poterit transferri vltra illud septennium ex eo, quod pro aliquo tempore non potuit percipi beneficium ipsius. Accedit etiam quod septennium interrumperetur, quod fieri non potest, vt dictum est. 4

QVÆSTIO 753.

An si detur aliquid ratione literarum pro altari priuilegiato, concessio sit nulla

SVMMARIVM.

1. *Pro quibus actionibus nihil exhiberi possit sub pœna nullitatis pro indulgentiis.*
2. *Sollicitatoris labor pro obtinenda indulgentia compensari potest.*
3. *Ex pacto pro obtinendis indulgentiis nihil dari potest scriptoribus, &c.*
4. *Quomodo accipienda prohibitio dandi aliquid pro obtinendis indulgentiis.*
Ex quibus titulis possit aliquid dari.

5. Omnes

5. *Omnes tituli an excludantur.*
6. *Pontifex prohibens dari aliquid pro indulgentiis intendit remouere suspicionem quæstus.*
7. *Obtentio indulgentia subijcitur declarationi Alexandr. VII. de datis, & promissis, &c.*
8. *Concessio indulgentia non est beneficium Officialis. Nemo cogitur conferre beneficium.*
9. *Ex liberalitate potest dari aliquid Officiali expedienti indulgentias, &c. Liberalitas excitat ad obsequium.*
10. *Pro dictio importat causam finalem.*
11. *Esculenta pocultenta, &c. excluduntur in Bulla de datis, & promissis.*
12. *Quisque præsumitur velle valere quod facit.*

1 HOc dubium excitatur pro intelligentia illius clausulæ, quæ solet in litteris indulgentiarum apponi, nempe *volumus autem, vt si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione aliquid vel minimum detur vel sponte oblatum accipiatur; Præsentes nulla sicut eo ipso.* Per quam clausulam pro quatuor actionibus prohibetur sub pœna nullitatis impendi aliquid, nempe pro impetratione, quæ Romæ fit, præsentatione, quando scilicet litteræ præsentantur apud Cancellariam Ordinarij Admissione, cum scilicet apud eandem Cancellariam recognitæ admittuntur, Publicatione hoc est pro licentia publicandi dictas litteras, seu indulgentias.

2 Hinc autem statim clarum fit, quod sub hac prohibitione non includitur dare aliquid in recognitionem laboris sollicitatoris, vulgò *speditionere*, pro labore, & opera, quam in porrigenda supplicatione, & procuranda expeditione litterarum, vt obseruat etiam Gobat *de indulgent part. 2. cap. 16. num. 417.* Et ratio est. Quia hæc actio procurationis non est ex illis, pro quibus prohibetur aliquid impendi, & alias de se est pretio æstimabilis: vnde procuratores isti ob lucrum hoc munus exercent, & ideo ratione laboris digni sint mercede sua. Difficultas autem est, an reddatur vlla cessio, si detur aliquid scriptoribus litterarum, quæ Romæ expediuntur.

3 Gobat *de indulgent. part. 2. cap. 16. num. 418.* asserit quod seclusо pacto etiā virtuali non redditur nulla, & id asserit etiam de publicatione. Et hanc esse opinionem virorum grauium Romæ florentium, subiungit sibi per litteras testatum fuisse Romanum Theologum. Fundatur in eo, quod dictio, *Pro*, sonat pactum, saltem virtuale, & hæc erit benigna interpretatio, qualis adhiberi debet in odiosis & restringendis. Et est conformis Constitutioni Gregorij XIII. de datis, & promissis pro gratia, & iustitia obtinenda apud Romanam Curiam. Vnde cum Pontifex sequi soleat vestigia suorum Antecessorum cap. *Verum, de iureiur.* dicendum est, quod etiam in his litteris indulgentiarum eodem modo procedat.

4 Quintanaduen. autem *tom. 1 singul. tract. 6. Append. dub. 5. num. 3.* vult, quod per hanc clausulam, quæcunque ex orsio, solutio, lucrum, quæstus quouis modo redolens emptionem, aut venditionem, prohibeatur, sicut prohibetur in iure *c. 1. de Simon.* aliquid dari ab eo, qui ordinatus, & cap. *sicut Episcopum 1. quæst. 2.* Quod Episcopus, aut ministri eius aliquid petant. In his autem, & similibus non prohibetur quælibet datio, & acceptio, sed ista tantum, quæ fiat intuitu religionis, & iustitiæ. Et fundatur in eo quod Pius IV. in Bulla, *Decret. Romanorum Pontificum 382. tom. 1. Bulla.* & Pius V. *in Bulla. Et si Dominici Gregis 30. huius Pontif.* in quibus habetur eadem prohibitio, adhibentur verba nempe exactionis, lucri, quæstus ipsæ important quoddam genus pretij, emptionis, aut solutionis. Atque ex hoc infert, quod pluribus titulis potest aliquid dari. Primò titulo gratitudinis, quia me volo exhibere gratum Officiali, qui alacriter, sine mora petitionem meam impleuit. Secundo titulo laboris impensi in scribendo præsentando, publicando. Tertio ratione sustentationis, si solatium aliunde non habeat. Qui tamen titulus non potest habere locum, cum officiales aliunde habeant sustentationem, & scriptores Romæ habeant prouisionem vnde congruam; vnde cassat omninò ista titulus assignatus à Quintanaduen. Quarto titulo redimendæ vexationis, quia officialis, nisi speret aliquid acceptaturum, aut litteras non expediet, aut impediet, aut in longum protrahet, & erit causa, quod accedens pro obtinenda expeditione sustineat longum laborem denique subdit non esse credendum, quod Pontifex ob auaritiam, & inuitiam officialis velit priuata fauore indulgentiarum, & quod res magni momenti pendeat ex re ita exigua, qualis est largitio aliqua, aut ex improba officialis voluntate nolentis munus suum exequi, nisi ei aliquid donetur.

Verum Duualius. *t. 2. tract. de indulgent. qui est in fine oper. q. vn. art. 8. in fine. vet.* Et etiam. asserit absolutè non esse licitum aliquid dare vel accipere aliter concessio indulgentiæ fit nulla. Tum quia adhibet dictionem *nihil omnino*, quæ est vniuersalis, & quiduis præmium, siue pecuniam, siuè aliquid aliud licet exiquum etiam sponte oblatum excludit. Tùm quia mens Pontificis est quod sicut gratis indulgentiæ expediuntur, ita etiam cætera omnia gratis procedant. 5

Et quidem, si inspiciamus mentem Pontificis, non solum intendit excludere simoniam, sed etiam remouere omnem suspicionem quæstus, & auaritiæ, & obscurare hæreticorum ora, quod Ecclesia Romana captandi lucri causa dispenset indulgentias, & proinde vult, vndique concedi gratis, & quod quæcunque indulgentia nulla, vt si occasione illius interueniat aliqua quæstuatio, vt declarat suam intentionem, quod sit tantum prodesse fidelibus non autem ex indulgentiis lucrum captare. 6

Atque difficultatem auget nouissima constitutio Alexandri VII. in qua confirmat, ampliat, & declarat constitutionem Gregorij XIII. *De datis, & promissis pro gratia, vel iustitia obtinenda apud Romanam curiam.* Si quidem in ea declarat, quæ non liceat aliquid dare etiam pro redimenda in iuxta vexatione, aut pro celeri expeditione. Vnde, cum indulgentia sit gratia obtinenda apud Romanam sedem, ipsius quoque concessio sub eadem prohibitione continebitur, atque adeo sub iisdem declarationibus Atque ex his manent exclusi, secundus, tertius, & quartus titulo allati à Quintanaduen. nam excluditur secundus ab ipsa clausula, quia labor impensus est intrinsecus actionibus pro quibus prohibetur aliquid dari. Tertius excluditur, quia adest salarium, & quartus ex declaratione Alexandri VII.

Accedit etiam quod excluditur primus titulus ab eodem assignatus nempe ex gratitudine nā gratitudo supponit beneficium acceptum. Beneficium autem concessæ indulgentiæ non est ab officiali, sed à Pontifice: si quidem officialis expediendo litteras præsentando admittendo, publicando, aut aliquid aliud hic muneris exercendo, nō impedit aliquod beneficium, sed exhibet id, ad quod ex iustitia tenetur nam ex iustitia tenetur præstare ea, quæ sunt sui muneris; quando autem exhibetur, quod est debitum ex iustitia, non habet locum beneficium, quia beneficium, est actus liberalitatis vnde nemo cogitur conferre beneficium cap. *Precarie 10. quæst. 2.* Et quod fit ex debito, non habetur pro beneficio. *l. Proxime. ff. De vitu nuptiarum.* & *l. Si seruo. ff. De hæred. instit.* & *l. 1. §. penult. ff. De aqua quot.* 7

Econtra verò cum mos inoleuerit, quod aliquid pecuniæ detur scribenti litteras indulgentiarum, si

hoe staret validitati, vtplurimum oollæ essent iodulgentiæ. Itaque nulla alia via remanet ad saluandam validitatem, nisi titulus meræ liberalitatis, quæ adhibeatur ad acquirendum obsequium officialis non vt exhibeat suum munus, nam tenetur exhibere; sed vt instar amici iuuet in negocio adhibendo peculiares diligentias, si opus sit; liberalitas enim excitat ad obsequium *l.1. ver. Nam qui, C. de reuocan. donat.* & conciliat amicitiam, vt notant Azeuedo *ad l. Hispan. lib.5. tit. 10. lib. 1. num.* 1. Rayn. Corset. *de indag. iur. lib.3. cap. 13. num.* 13. Thomas Actiua *de Ludo. Sac. quæst.* 11. *num.* 3. Huc autem intelligi debet, modo non interueniat pactum siue tacitum, siue expressum.

9 Atque hoc pacto saluatur quod oon detur aliquid pro illis quatuor actionibus pro quibus vetat dari præfata clausula; nam noo datur pro impetratione, præsentatione, admissione, aut publicatione, sed pro sibi recuncilianda beneuoleotia, & obtinendu speciali obsequiu officialis vbi opus fuerit, quod est quid omnino diuersum à prædictis actionibus. Quod etiam colligitur ex dictione, *pro*, adhibita in ipsa clausula quæ significat causam finalem, & obseruant Decius *cons.41. num.1. vol.1.* Ruin. *cons.23. num.19 lib. 2.* Alexand. *consil.79. num.3.* Gozadin. *cons.58. num.* 11. Gabr. *consil.178. num.15. lib.* 1. Menoch. *consil.* 352. *num.* 2. Honded. *consil.53. num.7. vol.2.* Surd. *cons.445. num.* 29. Cened. *sing.81. num.3.* Vnde prubibitio dictæ elausulæ eo tendit, vt non detur aliquid in finem obtinendi impetrationem, præsentationem, admissionem, aut publicationem, ideo non remanet prohibitum, si aliquid detur in alium finem, & consequenter pœna nullitatis oon habebit locum, nisi datio, & acceptio habeat pro fine aliquam ex illis actionibus.

10 Quod etiam confir. Ex nouissima Constitutiooe Alexandri VII. confirmâtis, & declarantis Constitutionem Gregorij XIII. de datis & promissis. Nam licet rigorosè interdicat omne promissum pactum, dationem, &c. sub pœna nullitatis gratiæ, declarat tamen, quod hæc prohibitio oon comprehendit xenea, esculenta, & poculenta. Quæ ideo permittuntur, quia sunt exercitium liberalitatis, & ordinantur ad acquirendam alienam beneuolentiam: ergo eodem pacto in præsenti noo erit per dictam clausulam prohibita liberalitas erga officialem,

11 Nec dici potest. Quod hoc quoque inducat aliquam suspicionem auaritiæ, & lucri ex indulgentiis; quia quod datur est in ordine ad finem extrinsecum expeditioni indulgentiarum, & proinde, nec intuitu ipsius. Et cum ex prædicta clausula constet de prohibitione, illa datio non potest inducere talem suspicionem, oam debet præsumi, quod nolit ioualidare impetrationem indulgentiæ, quia quisque præsumitur velle valere, quod facit *l. quoties. ff. de verbor. obligat.* & *l.3. ff. de milit. testam.*

QVÆSTIO 754.

An præter altare priuilegiatum generale possint esse in eadem Ecclesia alia altaria priuilegiata specialia.

SVMMARIVM.

1. *Altare priuilegiatum generale, & speciale non se inuicem impediunt.*
2. *Clausula exclusiua aliorum altarium priuilegiatorum intelligitur de simili priuilegio priuilegiatis.*
   Dictio, Aliud, *refertur ad similia.*
   Importat vniuersalitatem in eodem genere.
3. *Existente altari generaliter priuilegiato non est superfluum priuilegiatum specialiter.*

NOmine altaris priuilegiati generaligiter intelligitur illud, quod habet priuilegium pro omnibus defunctis: nomine verò altaris priuilegiati specialiter illud, quod habet priuilegium tantum pro aliquibus determinatis personis vt pro defunctis alicuius Confraternitatis, pro defunctis alicuius Religioois. Dicendum est. *Hæc altaria non se inuicem impedire, & proinde vbi est generale posse etiam esse speciale, & contra.* Vnde quando sunt in Ecclesia vnum, aut etiam multiplex altare priuilegiatum speciale, poterit etiam obtinere valide generale pro eodem, & vbi est generale, specialia quoque subsistent, si obtineantur. Ita etiam Gobat. *de indulgent. part.2. cap. 26. numer.* 519. asserens, Nuncium Viennense ita rescripsisse ad Parochum Halensem, & luquens vniuersaliter de iodulgentiis Quintanaduen. *tom.1. singul. tract.2. Append. dub.4. num.2.* 1

Ratio autem est. Quia clausula exclusiua aliorum altarium priuilegiatorum, quæ ponitur io concessione non excludit quæcunque altaria priuilegita, sed priuilegiata eodem simili priuilegio, seu priuilegiata eiusdem rationis; nam in dicta clausula ponitur dictio, *Aliud*, quæ appellat similia, & eiusdem ratioois iuxta *l. fin. 6. de his quæ à non dom.* & obseruant. Glos. *in l.3. verbo.* Alia. *C. de ser. fugit.* Bald. *in dict. l. fin.* Ancharan. *cons.361. num.3.* Aret. *cons.* 116. *num.3.* Ruin. *cons.* 181. *num.3. lib.2.* Quod etiam haberet locum, si dictioni, *Aliud*, adderetur dictio, *quodcunque*, quia adhuc hæc dictio refertur ad altaria similia, seu eodem priuilegio ornata; nam intelligitor de quocunque alio simili, itavt importet voiuersalitatem in eodem genere, vt obseruant Caprâ. *consil.* 19. *num.* 12. Rota. *decis.375. num.4. part.3.* Altare autem priuilegiatum specialiter est diuersum io ratione priuilegij à priuilegiato generaliter. 2

Dices. Existente altari priuilegiato generaliter est superfluum altare priuilegiatum specialiter, cum per generale obtineri possit quod conceditur per speciale: ergo non est, verisimile, quod Pontifex velit ipsum concedere, quando in Ecclesia, reperitur generaliter priuilegiatum. Resp. Non esse superfluum tum quia inseruit, vt Pontifex se gratuitum ostendat erga Confraternitatem, aut alios, quorum fauore conceditur. Tum quia speciale priuilegium pluris æstimatur à priuilegiato: Tum quia fieri potest, quod in communi altari priuilegiato difficulter possint celebrari omnes Missæ quæ essent celebrandæ, & proinde, aut impediatur, quod non celebrentur pro communiter concurrentibus, aut quod non eelebrentur pro iis, qui suot, de Confraternitate, &c. 3

QVÆSTIO 755.

An celebrans in altari priuilegiato cum medaglia benedicta possit liberare plures animos à Purgatorio.

SVMMARIVM.

1. *Celebrans in altari priuilegiato cum numismate benedicto an possit liberare plures animas.*
2. *Liberare potest, si numisma requirat tantum celebrationem, vt opus iniunctum.*
3. *Eadem celebratione non potest quis acquirere duas indulgentias vnam pro se, & aliam applicabilem defunctis.*
   Indulgentia multiplex non conceditur sine multiplicatione operis.

4. Habens

4. *Habens plura numismata an possit acquirere pluras indulgentias celebrando.*
Eodem opere iniuncto an diuersis viis lucrari possimus plures indulgentias.

6 Contingere potest quod celebrãs io altari priuilegiato habeat vnã ant plures Medaglias cum indulgentia plenaria pro defunctis, aut ipsi applicabili. Quæritur ergo an tunc possit lucrari singulas indulgentias pro diuersis animabus, & præsertim quando habet plures huiusmodi Medaglias v. g Sancti Caroli, Quinque Sanctorum, &c. Partem affirmatiuam tradit Gobat *de indulg. part. 3. cap. 25. num. 513.* asserens, quod potest tot animas liberare, quot habet titulos acquirendi pro ipsis indulgẽtiam plenariam, & cum Madaglia quinque Sanctorum posse liberare tres animas vnam ratione priuilegij altaris, alteram consequendo indulgentiam plenariam pro defunctis quæ conceditur indulgentia quinque Sanctorum, & tertiam applicando illi indulgentiam plenariam quã pro se acquirere potest virtute eiosdem Madagliæ, quæ conceditur, vt applicabilis pro defunctis.

2 Verum nonnulla ex his apud me difficilia sunt. Vnde dicendum 1. *Habentem Medagliam cum indulgentia plenaria pro defunctis sub conditione operis iniuncti celebrationis potest liberare duas animas à Purgatorio.* Nempe vnam ratione priuilegij altaris, & aliam ratione indulgentiæ affixæ in Medaglia. Ratio est quia interuenit concessio duplicis indulgentiæ plenariæ pro defunctis, & proinde applicabilis duabus animabus. Rursus cum indulgentia noo requirat quod sacrificium offeratur pro anima liberanda, sed solum requirat celebrationem tamquam opus iniunctum, potest idem sacrificium inseruire pro lucranda vtraque indulgentia, nam vt oblatom in persooa Christi inseruiet pru obtinenda indulgentia altaris, quæ requirit, quod sacrificium pro ipsa offeratur. Rursus, cum indulgentia Medagliæ requirat solũ, vt opus iniunctum, non requirit, quod offeratur pro anima liberanda atque adeo ipsum requirit solum, vt opus celebrantis, & ideo optimè inseruire potest pro vtraque indulgentia; nam vt opus Christi, vt principalis offerentis inseruiet pro anima, pro qua sit offerendũ, & vt opus celebrantis inseruiet pro alia anima.

3 Dicendum 2. *Non posse cum eadem Medaglia acquirere duas indulgentias vnam pro defunctis, & aliã pro se, & applicabilem defunctis, vno, & eodem opere iniuncto.* Ratio est. Quia quando Pontifex concedit plures indulgentias eiusdem rationis intuitu eiosdem operis iniuncti concedit sub disiunctione, stante ideotitate operis, itavt vna, aut alia aquiratur, aut com multiplicatione eiusdem operis, itavt cum multiplicatione ipsius possit acquiri modo vna, modo alia. Nam licet possit concedere indulgentias absque aliquo opere iniuncto, dum tamen exigit tale opus, quod præscribit, & tali, vel tali operi annectit talem, vel talem indulgentiam, satis declarat suam mentem, qood nolit concedere indulgentiam sine multiplici opere, & ideo concedens indulgentiam iotuito talis operis, non intendit multiplicare, nisi multiplicato opere.

4 At autem habens Numismata plura diuersis iodulgentiis insignita v. g. Sancti Caroli, Quinqoe Sanctorum &c. celebrando in altari priuilegiato liberare possit plures animas vltra illam, quã liberat ratione priuilegij altaris, pendet ex resolutione illius difficultatis, an eodem opere iniuocto possint acquiri plures indulgentiæ diuersis viis concessæ, & supposito, quod non possint acquiri, vt docent Suarez *disp. 52. de pœnit. sect. 8. num.* 10. Coninch. *de sacram. disput.* 12. *dub.* 9. *n.* 42. Filliuc. *tract.* 8. *cap.* 6. *n.* 168. Villalob. *part. 1. sum. tr. 26. diffic.* 19. *n.* 2. Bonac. *disp. 6. de sacr. quæst. 1. punct.* 5. *n.* 19. Lugo Card. *de pœn. disp.* 17. *n.* 92. & alij plures, neque etiã poterit eadem celebratione liberare plures animas à Purgatorio, quamuis habeat plura numismata, quorum singula annexam habeat indulgentiam sufficientem. Et quidem hæc videtur Mens Pontificis non exigendo opus iniunctũ & sub illius onere cõcedens iodulgeotias, videtur etiam exigere multiplex onus, & opus iniunctum, vt moltiplex indulgentia obtineatur, nam exigit tanquã continens obsequium, & cultum Dei, & interuenit pactum cum tali conuentione, ratione cuius Pontifex dat indulgentias, si alteri exhibeat opus iniuctum. Non potest autem, quando in conuentione aliquid exigitur idem solui ex debito plurium concessionum, sed quod soluitur pro vna conuentione, non potest solui pro alia.

Tom. I.

QVÆSTIO 756.

An fiat communicatio altarium priuilegiatorum inter Religiones.

SVMMARIVM.

1. *Altaria priuilegiata non communicantur inter Religioaes.*
2. *Ratio ob quam conceditur altare priuilegiatum est commune omnibus Religionibus.*
3. *Quando per communicationem trahantur omnia priuilegia.*
4. *Altaria priuilegiata non sunt de difficilibus, quæ concedantur.*
5. *In communicatione priuilegiorum veniunt etiam indulgentiæ.*
6. *Cur altaria priuilegiata non veniant in communicatione priuilegiorum.*
   Quæ indulgentiæ non veniant sub communicatione.
7. *Priuilegium altarium est in fauorem defunctorum non autem Religiosorum.*
8. *Religiosis conceditur posse applicare, vt quid accessorium priuilegio.*
9. *Inter Religiosos non fit communicatio indulgentiarum quoad defunctos.*

Difficultas procedit quoad eas Religiones, quæ habent commmunicationem priuilegiorum, an scilicet participent etiam per commonicationem altaria priuilegiata. Et negatiuè respondent Lezana *in sum. verbo.* Altare *n.* 19. Peirin. *tom. 2. de priuilegio ad const. 8. Pauli III.* not. . . . . Bordon. *tom. 2. consil. regul. resol. 52. a.* 85. Roman. *de priuil. relig. lib. 2. cap. 2. n.* 13. Diana *par. 9. tract. 2. resol.* 2. Tamburin. *de iure Abbat. tom. 1. disp. 17. quæst. 2. num.* 4. Merol. *tom. 3. Theol. moral. disp. 6. cap. 4. dub. 7. num.* 64. Gobat. *de indul. par. 2. cap.* 26. *num.* 535. Fundantur io eo, quod ex speciali ratione conceditur altare priuilegiatum, quæ non militat, respectu communicationis. Tum quia priuilegium locale intelligitur communicabile sub ratione totius conuentus, aut Ecclesiæ. Altaria autem priuilegiata non sunt totius Ecclesiæ, sed Capellæ. Tum quia io generali concessione non veniunt, quæ quis non esset io specie verisimiliter concessurus. 1

Sed hæc non cooincunt, & nullo negotio dissolui possunt. Quia specialis ratio, ob quam petitur, & conceditur altare priuilegiatum, vel est specialis respectu altaris vel respectu Religionis. Si primum non potest esse ita propria vnius, vt non sit etiam communis aliis altaribus quiã finis concessionis vnius, est etiam finis concessionis alterius. Si secundum non impedit communicationem, quia priuilegia, communicantur, etiam si non militet illa specialis ratio; nam militat ratio, ob quam concessa est communicatio, quæ sufficit, vt trahat omnia priuilegia aliis concessa 2

Hæc secunda ratio subsistit. Quia cum pars conti-

neatur in toto,& Capella,& altare sint partes Ecclesiæ,priuilegium altaris ratione partis est prioilegium Ecclesiæ: & ideo conuenit toti,& sub ratione totius commuoicati potest,deiode stante amplissima communicatione, priuilegiorum cum prægnantissimis clausulis trahuntur omnia priuilegia, quomodocunque conueniant, siue ratione totius siue ratione partis;præsertim,si loquatur de quomodolibet cooceſsis; & cum clausula plenarij effectus,& aliis huiusmodi, quæ de seapta suot cōptehendere omoia genera priuilegiarum,etiam quæ non soleot venire in geoerali communicatione,qualia sunt tertio præiudicialia, vt obseruauit Rota *in Bononiensi exeptionis 25.Maij* 1618. coram Verospio *decis.30.p.4.Recent.to.2.* & *in Melibensi Collect.7.Maij.*1627. corā Vbaldo quæ est *d.63.n.4.par.5.Rocent.* & *in Iannensi priuilegiorum 28.Iunij* 1619.coram Eminentiss.Cortado.

4 Nec etiam tertia ratio vim habet. Tum quia altaria priuilegiata non suot de difficilibus, quæ conceduntur, com concedantur cuilibet Ecclesiæ Regularium,io quibus certus numerus Missarū soler celebrari. Tum quia communicatio priuilegiorum est facta aliquibus Religionibus,cum talibus clausulis, quæ euideoter ostendunt voluotatē summi Pontificis,omnia indistinctè complectendi,itavt includat etiam ea, quæ difficiliter conceduntur,quæcunque, & qualiacunque sint,vt suot clausulę concessionis,*In omnibus, & por omnia,Pariformiter,* claosola abrogans defectū citationis,concensus interesse habentium,& aliæ huiusmodi,vt *nnm.praced.* cum Rota dicebatur.

5 Et quamnis dici posset,quod sub communicatione priuilegiorum nō veniāt indulgentiæ, hoc tamen excluditur, quia à Leone X. facta est communicatio, etiam indulgentiarum,vt habetur in ipsius *Constit.32. tom.1.Bullary* vbi §.habet.*Hos ad singulos ordines prædictos* (Mendicatorum) *singulasque ipsorum ordinum domos vbi riligiosè viuitur indifferēter absque acceptione personarum deuotionis affectū aqua lnnce gerētes omnes,& singulas gratias,concessiones,indulgentias,pecentorum remissiones,prarogatiuas,fauores immunitates exemptiones,facultates, priuilegia, indulta tam spiritualia, quàm temporalia,qualiacunque illa essent qua Pradicatorum,Minorum,Eremitarum S.Augustini,Carmelitarum,seruorum B.Mariæ,ac Minorum Fratrum in domibus,& illorum Ecclesiis,Oratoriis,ac Ecclesias ipsas, & Oratoria pro tempore visitantibus,cuiuscunque status, ac sexus existerent,seu pro eorum manutentione,& ornatu contribuentibus, necnon domibus,& præsidentibus,non solum Generalibus,& Prouincialibus, Fratribusque, & Sororibus; necnon Monialibus, & conuersis,oblatis, ac vtriusque sexus personis de pænitentia,seu tertij habitus nuncupatis à dictis Prædecessoribus, aut à nobis,ipsisque successoribus, aut alias auctoritatem habentibus, coniunctim,vel diuisim in genere,vel in specie concessa fuerunt, aut imposterum concedentur illa, & omnia singula, ac si nominanter exprimerentur pro sufficienter expressis tunc habētur singulis Ordin.prædictis illorū Ecclesiis,& Oratoriis,& Ecclesias,& Oratoria visitātibus,cuiuscūq; status, ac sexus existerent, seu pro eorum manutentione, & ornatu cōtribuentibus,necnon domibus,& Cōuentualibus Fratribus,& etiam Sororibus,vel Monialibus,conuersis quoque, & oblatis, ac vtriusque sexus personis de pænitentia nuncupatis,& aliis singulorum ordinum prædictorum,motu proprio,ex eo mera nostra scientia,& liberalitate de Apostolica auctoritatis plenitudine communicamus. Illaque omnia,& singula inter dictorum,ordinē,personas pariformiter communia fuisse,ne esse volumus,prout in singulis litteris prædictis plenius cōtinetur*. Ex quibus satis liquet, quod facta est communicatio etiam indulgentiarum non solum tunc cōcessarum, sed etiā concedendarum. Et quamuis hæc communicatio compreheodat tantum religiones mendicantes, attamen cæteræ vt plurimom obtinuerunt cōcessionem, & cōmunicationem amplissimam priuilegiorum,&c. omnium mendicantium,atque adeo etiam priuilegiū huius communicationis. Et in specie Clemens VII. communicauit nobis Clericis Regularibus indulgētias omnes cæteris Religiosis quorumque Ordinum in geoere,vel in specie, etiam communicatiuè coocessas,& cencedendas,vt habetur *in const.38. ipsius §.12.tom.1. Bullar.*

6 His tamen non obstaotibus tenendum est. Quod non fiat communicatio altarium priuilegiarorum. Et ratio est, quia indulgentia, quæ conceditur altaribus priuilegiatis est in ordine ad sæculares, quia est vniuersalis pro omnibus defunctis fidelibus. Imò est tātū in ordine ad defunctos. Indulgentiæ autem communicate religiosis non extenduntur ad sæculares, vt declarauit Leo X. dicta Constit.de qua *num. praeced.* nam postquam communicauit indulgentias §.2. subiungit. *Et deinde,sicut accepimus,nōnulli fratres dictorū Ordinum volentes sapere, plusquam oportet, atque ad ipsorum nutum verba ipsa interpretantes, diuersis tam sacularibus,quam etiam aliis personis publicè & priuate suggesserint, quod ipsi saculares visitande vnam dictorum Ordinum domum omnes, & singulas indulgentias, & remissiones peccatorum tam per dictos Pradecessores nostros,quā per nos domus B. Maria de populo de Vrbe concessas consequi potuerint perinde ac si dictam domū S.Mariæ de Populo visitarent,quod prater ipsorū Pradecessorum mentem fuisse,& esse dignoscitur. Attendentes igitur, quod indulgētia intuitu Religionis concessa ad saculares extendi non debet, volentes mentem dictorum pradecessorum,& nostrū declarare; & omnem ambiguitatem,& occasionem tollere,motu proprio,& ex certa nostra scientia volumus, & auctoritate Apostolica declaramus. Quod vniuersi,& singuli dictorū Ordinum Fratres, & Moniales, tertijque Ordinis vtriusque sexus,& familiares dumtaxat omnibus,& singulis indulgentiis,& gratiis per eosdem Pradecessores,& nos domui B.Maria de Populo de Vrbe,vt prafatis concessis, & concedendis vtantur,potiantur,& gaudeant,ac vti,potiri,& gaudere possint quomodolibet in futurum perinde, ac si, ipsi dictā domum B.Mariæ de Populo his diebus,& festiuitatibus, quibus indulgentia huiusmodi concessa,dignoscuntur,personaliter visitarent,quodque vigore prædictarum litterarum saculares gratiis, & indulgentiis huiusmodi, vti & gaudere non possint.* Ex qua declaratione generaliter constat, qoud indulgentiæ concessæ Religiosis per communicationem, oam extenditur ad sæculares atque adeo quod nec altarium priuilegiatorū fiat cōmunicatio,com contineant indulgentiā pro sęcularibus.

7 Et militat specialis ratio quuad altaria priuilegiata; siquidem indulgentia, qua suot insignita, non est concessa religiosis,neque loco, seu altari:sed est concessa defunctis,itavt celebrans habeat tantum determinare indulgeotiam, & illam offerre per modum suffragij,altare autem solum se habeat tanquam locus designatos ad offerendum pro acqoirenda indulgentia pro defunctis:ergo cum non sit priuilegium, nec indulgentia concessa personis Regularium Ordioum, locis ipsorum, non venit in communicatione quantumuis amplissimis,& pręgnantissimis clausolis concepta,quia hæc se extendit solum ad ea,quę sunt propria personarum viuentium, & locorū, & quia habet communicare solum viuentibus Religiosis, quibus fit commooicatio,non aotem defunctis.

8 Dices.Quamuis indulgentia sit concessa pro defunctis,attameo posse illum applicare,& offerre per modum suffragij est concessum celebranti,sicut etiam est altari cōcessum, quod debeat in ipso offerri sacrificium, vt obtineatur indulgentia: ergo cum hæc sine priuilegia altaris, & personarum, contioebaotur in communicatione.Resp.Hæc priuilegia esse accessoria

ad

ad indulgentiam, nam quod primò intenditur, est indulgentia pro defunctis; cætera autem tanquam media pro ipsa obtinenda, & ideo iuxta regulam iuris in cap. *Accessorium, de reg. iur. in 6.* sequuntur naturam sui principalis: & ideo cum principale non veniat in communicatione, nec etiam veniunt ista accessoria.

9 Ex dictis tamē oritur difficultas, an scilicet altaria priuilegiata cōmunicentur quoad defunctos Religiosos. Cū enim per supradictam cōmunicationē Leonis X. fiat communicatio omnium indulgentiarum concessarum, & concedendarum Religiosis, Ecclesiis, Oratoriis, &c. quoad ipsos Religiosos communicantes, videtur quoque, quoad eosdem communicari altaria priuilegiata. Resp. Neque quoad ipsos communicari. Ratio est, quia, vt dictum est, communicatio cadit supra indulgentias, quæ conceduntur Religiosis cuiuscunque Ordinis, non autem supra eos, quæ conceduntur defunctis. Rursus non vocātur ad communicationem, nisi religiosi, quibus fit communicatio, non autem defuncti, & ideo communicatio non se extendit ad indulgentias directè concessas pro defunctis, quales sunt altarium priuilegiatorum. Quod etiam constat ex natura communicationis. Quæ est quoddam singulare priuilegium eorum, quibus conceditur: non enim etiamsi sit indulgentiarū est indulgentia, sed priuilegium participandi indulgentias: priuilegium autem nam conceditur defunctis, sed religiosis talis, & talis Ordinis.

QVÆSTIO 757.

An Regulares possint erigere altaria Priuilegiata in suis Ecclesiis.

SVMMARIVM.

1. *In quibus altaribus celebrando Religiosi liberent animam à Purgatorio.*
2. *Priuilegia liberandi animam à Purgatorio, an communicabilia.*
3. *Priuilegium deputandi altare priuilegiatum.*
4. *Venit sub communicatione pragnanti priuilegiorum.*
5. *Deputatio superioris an necessaria pro altari priuilegiato, si extent altaria expressa in priuilegio.*
6. *Superior an possit aliud à nominatis designare, si non extent nominata.*
   Dictio, vel, est alternatiua.
   Per alternatiuam conceditur electio.
7. *Stante altari priuilegiato erecto vigore priuilegij an possit aliud obtineri.*
   Dictio aliud *refertur ad similia in qualitate.*
8. *Negatiua altaris priuilegiati in supplicatione excludit quodcunque altare.*
   Dictio aliquid *coniuncta negatiuæ, fit vniuersalis, & negat totum.*

1 HOc dependet ex eo, an adsit aliquod priuilegium speciale in ordine ad altaria priuilegiata. Et nōnulla refert Io. à Cruce *de statu relig. lib. 2. de priuil. in fine post indicem in editione Matritensi anno* 1628. desumpta ex compendio priuileg. P.P. Prædicatorum nondum typis mandato. Et primo. Quod Religiosus conuentualis liberat animam à Purgatorio pro eo celebrando in altari crucifixi ex concessione Gregorij XIII. Bulla 2. Secundo. Quod Religiosus conuentualis liberat animam Religiosi à Purgatorio pro ea celebrando in altari maiori Ecclesiæ: & animam Monialis celebrando in altari maiori chori ex concessione Innocentij VIII. *Bulla* 8. Tertio. Quod quilibet sacerdos celebrādo pro aliqua anima in altaribus Crucifixi, P.P. Prædicatorum, eam liberat à Purgatorio ex concessione Clementis VII. *Bulla* 4. Vel celebrando in altaribus Spiritus Sancti, vel B. Virginis ex concessione Gregorij XIII. Bulla 5. & 6.

Verum constat, an hæc sint priuilegia communicabilia, an verò non communicabilia iuxta dicta in præcedenti: & ideo inspiciendus esset tenor concessionis, vt posset ferri iudicium; nam si contineant indulgentias per se primò, & directè concessas defunctis, aut erectionem altarium priuilegiatorum, non veniunt sub communicatione iuxta dicta in *præcedenti quæst.* si verò continent gratias personales, per quas per se primo concedatur facultas applicandi indulgentias, quam Pontifex intendit concedere tunc venient in communicatione. 2

Alterum priuilegium sanè singulare *ibid.* refert, nempe, quod Prior Conuentus possit semel pro semper deputare altare, in quo Religiosus conuentualis celebrans Missam de Requiem pro aliqua anima eam liberet à Purgatorio ex concessione Gregorij XIII. facta Prædicatoribus vt in *Compendio Priuilegiorum P.P. Prædicatorum nondum edito Bulla 7. & 9.* Et hoc priuilegium communicari cæteris religiosis habentibus communicationem, tenet Thomas Hurtad. *tom. 1. resol. moral. tract. 2. cap. 4. resol. 10. n. 104.* 3

Et quidem stante dicto priuilegio, vt refertur, non videtur, excludendum à communicatione priuilegiorum, præsertim concepta prægnantibus verbis, & amplissimis clausulis, quæ exprimant communicationem fieri quoad omnia, & per omnia, & pariformiter. Nam modo non agitur de indulgentia, sed de facultate erigendi altaria priuilegiata ministeriali modo, quibus Pontifex, facta à superiori locali designatione, ex tunc etiam pro nunc intendit concedere, quod illæ celebrationes habeant nunquam indulgentiam plenariam pro defunctis: vnde cum hoc sit priuilegium, veniet sub communicatione priuilegiorum: & altare remanebit priuilegiatum etiam pro defunctis sæcularibus. 4

Verum quia in dicto priuilegio relato *num.* 3. dicitur, vt refert *ibid.* Ioan. à Cruce quod Religiosus conuentualis celebrans in altari Crucifixi, vel B. Virginis, vel Spiritus Sancti, vel Magdalenæ, vel in alio deputādo &c. Dubitatur, an si hæc altaria extent in Ecclesia, locum habeat, statim priuilegium, an verò adhuc requiratur deputatio superioris. Et quamuis difficile sit id resoluere non perspecto tenore concessionis, credo tamen, quod sit necessaria deputatio Superioris. Quia cum priuilegium procedat sub disiūctione, est tantum in ordine ad vnicum altare, quia Pontifex intendit vnicum tantum concedere in qualibet Ecclesia, & quia contingere posset, quod in eodē sint plura altaria ex nominatis, ideo necessaria erit deputatio, quia, si semel est necessaria semper erit necessaria, cum hæc necessitas proueniat ab ipso priuilegio. Deinde si Pontifex non requireret deputationem, non dixisset, vel alio deputando, sed admisisset deputationem in defectum eorum, quæ nominauerat, & cum plura nominauerit assignasset ordinē, cum quo essent eligendi, & vnum substituisset in defectum alterius. 5

Hic autem dubium insurgit an si in Ecclesia adsit aliquod ex altaribus nominatis, possit superior aliud à nominatis designare, stante dicta clausula, vel alio designando. Respondetur. Posse aliud ex nominatis designare, quia Pontifex vtitur dictione, *vel*, & cum nominatis implicat, etiā quodcunque aliud non nominatum. Dictio autem, *Vel*, est alternatiua vt obseruant Doctores præsertim Paris. *consil. 91. num. 29. lib.* 2. Menoch. *consil. 3. n. 21.* Honded. *consil. 15. n. 11. vol. 1.* Surd. *consil. 393. n. 8.* Per alternatiuam autem conceditur illi electio, cuius fauore est inducta. *l. Plerumq. ff. de iure dot.* vbi Glos. *verbo. Electio.* & cap. *In alternatiuis, de reg. iur. in 6.* Menoch. *consil. 1100. n. 3.* Merlin. *decis.* 841. *n. 7.* Rota *decis.* 207. *n. 5. par. 5. Recent.* 6

7 Rursus dubium est, an pro Ecclesia, in qua adest huiusmodi altare deputatũ, possit obtineri aliud ad septennium, vt solet concedi. Et quidem si in supplicatione exprimatur, quod non adsit altare priuilegiatum, concessio erit nulla vtpote subreptitia, cum explicetur falsum; nam dictio negatiua negat existentiam cuiuscunque altaris, atque adeo erectum ex vi cuiuscunque priuilegij, & proinde cum negetur existentia illius altaris, quam si Pontifex sciret, non concederet, concessio redditur nulla. Si autem solum supplicetur pro altari priuilegiato, & nihil exprimatur, quod extet, vel non extet, aliud altare, & Pontifex concedat cum clausula, *quod non sit in eadem Ecclesia aliud altare priuilegiatum*, tunc videndum est, quale sit altare quod concedit. Nam si sit eiusdẽ qualitatis cum eo, quod conceditur, hoc est pro iisdem diebus, & quo ad eosdem celebrantes, & cum oblatione sacrificij pro anima liberanda, cõcessio non tenebit, nam clausula posita in litteris concessionis excludit simile altare, seu eiusdem qualitatis, quo existente remouet intentionem Pontificis à concessione. Si verò sit diuersæ qualitatis, concessio tenebit, quia dictio, *Aliud*, refertur ad similia etiam in qualitate. *l.fin.* §. *Cui dulcia ff. de vino trit. ol. leg.* & obseruant Paris. *consil.* 145. *num.* 25. *vol.* 4. Roman *consil.* 485. *num.* 5. Cephal. *consil.* 13. *n.* 11. *vol.* 1. Ruin. *consil.* 181. *n.* 2. *vol.* 2. Barbatia *cons.* 33. *n.* 26. *vol.* 2. Alex. *consil.* 204. *n.* 4. *lib.* 1. Cened. *sing.* 4. *n.* 2. Vnde cunquæ dissimitudo in qualitate sufficiet, vt teneat concessio. Vt si concessio sit etiam pro sacerdotibus aduentãtibus, & aliorum ordinum; nam per illud, de quo dictum est, solum pro Religiosis eõuentualibus conceditur aut si sit absque obligatione offerendi sacrificium pro anima liberanda, aut aliquo alio modo.

8 Dices. Si in concessione dictio, *Aliud*, excludit tãtum similia in qualitate, excludet etiam in supplicatione, non autẽ quæcunque altaria priuilegiata. Resp. Esse disparem rationem quia si in supplicatione explicetur, quod non extet in Ecclesia altare priuilegiatum, negatiua est indeterminata, & absoluta, ideo absolutè excludit existentiam cuiuscunque altaris non autem tantum similis in qualitate. Si verò apponatur in supplicatione dictio, *Aliud*, tunc hæc dictio stat diuerso modo, ac in concessione, & importat generalitatẽ, vt obseruant Curt. Iun. *consil.* 38. Capota quon. *decis.* 296. *n.* 6. nam tunc negatiua huiusmodi proponitur, vt motiuum pro concessione, atque adeo secundũ illam significationem, quæ potest mouere, quæ est secundũ generalitatem; vnde resoluitur in dictionem, *Aliquod*, quæ coniuncta negatiuæ fit vniuersalis, & gat totum, vt notant Glos. *in cap. dilectus* vet. *A susp. de consuetud.* Ruin. *consil.* 60. *n.* 11. *vol.* 3. Natta *consil.* 125. *n.* 6. *vol.* 4. Cened. *sing.* 5. *n.* 8.

QVÆSTIO 758.

An altaria priuilegiata suspendantur in anno sancto.

SVMMARIVM.

1. *Altaria priuilegiata nõ suspendũtur in anno sancto.*
2. *Finis suspendendi indulgentias in anno sancto non habet locum quoad altaria priuilegiata.*
3. *Indulgentiæ per quas celebrando liberantur animæ à Purgatorio, non suspenduntur in anno sancto.*

1 Dicendum est. *Altaria priuilegiata non suspendi in anno sancto.* Ita Faustus *lib.* 3. *de iubil. quæst.* 86. ver. *Secundo infero.* Leon. *part.* 1. *de iubil. n.* 248. Peirin. *to.* 1. *de priuil. ad constit.* 6. Leon. X. §. 3. *num.* 4. Lezana *in sum. verbo* Altare *n.* 19. Quartus. *c.* 3. *de Iubileo punct.* 2. *dub.* 2. *illat.* 1. Diana. *part.* 9. *tract.* 2. *de altar. priuileg. resol.* 23. Gobat. *de Iubil. cap.* 9. *n.* 43. Quos citaui, & sequutus sum *in Praxi Iubilei quæst.* 150. *n.* 5. Quibus nunc addo Bordon. *tom.* 2. *consil. regular. resol.* 91. *n.* 12. Quintanaduen. *tom.* 1. *singul. tract.* 8. *append. dub.* 14. *num.* 3.

Ratio autẽ est. Quia finis suspendendi indulgentias in anno sancto, est, vt fideles frequentiores accedant ad vrbem, & visitent Ecclesias, designatas, quemadmodum explicant Pontifices in suis dispositionibus suspensiuis indulgentiarum, ita præcipuè Innocentius X. pro anno sancto anni 1650. *Cupientes vt Christianæ nationes ex omnibus terrarum orbis locis in Alma Vrbe nostra in fides, ac religionis vnitate congregata eodem pietatis, ac deuotionis spiritu Basilicas, & Ecclesias prædictas, quo maximo fieri poterit concursu durante eodem iubileo visitent, & frequentent, &c.* Hæc autem ratio, quæ est tota ratio suspensionis, cessat quoad altaria priuilegiata, quia per ipsa viuentes non acquirunt indulgentiam aliquam, nec visitando Ecclesias Vrbis acquirere possunt pro defunctis: ergo debet quoque cessare suspensio horum Altarium. *l. Quod dictum. ff. de pact.* & *l. Adigere.* §. *Quamuis. ff. de iure patron.* & *l. In omni. ff. de adopt.* vbi Bart. & cap. *Et si Christus de iureiuran.* & declarant Tiraquel. *tract. cessante causa part.* 1. *numer.* 11. Esetur. *in Topica iur. loco.* 85. 2

Ex his sequitur. Quod neque suspendantur illæ indulgentiæ concessæ Medaglijs, per quas celebrando liberantur à Purgatorio animæ defunctorum: & proinde anno sancto adhiberi, vt de omnibus indulgentiis pro defunctis tradunt Zech. *de casib. reser. cap.* 4. *num.* 5. Alphons. de Leone, *part.* 1. *de iubil. n.* 246. Faust. *lib.* 3. *de iubil. quæst.* 86. Laiman *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 7. *cap.* 8. *num.* 3. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 24. *disp. vnic. punct.* 12. §. 1. *num.* 7. Lezana *verbo* Iubileum, *num.* 5. Gauant. *in Addit. ad Manuale. Episcop. verbo.* Indulgentia, *num.* 9. Peirin. *tom.* 1. *de priuileg. ad constit.* 7. *Leon. X.* §. 3. *num.* 4. Quintanaduen. *tom.* 1. *singul. tract.* 1. *Append. dub.* 15. *num.* 7. Gobat. *de iubil. cap.* 9. *num.* 45. & illi, qui volunt, quod in generali suspensione non veniat indulgentiæ pro defunctis. Ratio autem est eadem. Quia duratio harum indulgentiarum non obstat fini suspensionis, & ideo suspensio non extenditur ad ipsas, cum extendatur solum ad tollendas, quæ possunt obstare fini præintento, & cesser vbi ratio, finalis locum habet iuxta cap. *meminimus*; & iuxta cap. *suggestum de appellat.* 3

QVÆSTIO 759.

An priuilegiata altaria suspendantur per Bullam Cruciatæ.

SVMMARIVM.

1. *Altaria priuilegiata an suspendantur per Bullam Cruciatæ* & num. seq.
3. *Neque ex verbis, neque ex fine Bullæ Cruciatæ colligitur suspensio altarium priuilegiatorum.*
Dispositio non locum, habet si non habet locum causa finalis.
4. *Indulgentia altaris priuilegiati quibus sit concessa.*
Vbi verba dispositionis non habent locum, nec etiã locum habet dispositio.
5. *Suspensio indulgentiarum per Bullam Cruciatæ quomodo accipienda.*
6. *Suspensio indulgentiarum restringitur ad loca pro quibus conceditur Bulla.*
7. *Indulgentia non suspenditur, nisi sit de expressis in suspensione.*

8. *Indulgen*

8. *Indulgentia concessa pro defunctis non suspenduntur per Bullam Cruciatæ.*

1 PRima sententia asserit, altaria priuilegiata suspendi per Bullam Cruciatæ. Ita Fernandez *part.3. Examinis Theol. moral. cap.9. sect.11. §. 19. num.2.* qui citat Rodriquez, Villalobos *part. 1. sum.tract.17. clauf. 12. num.3.* Diana *part. 1. tract. 11. resol 86.* Fundamentum est. Quia suspenduntur omnes similes, & dissimiles indulgentiæ, gratiæ, facultates, Indulta concessa quibuscunque Ecclesiis, Hospitalibus, locis piis, Vniuersitatibus, Confraternitatibus, singularibus personis, &c. Altaria autem priuilegiata important similem indulgentiam nempe plenariam.

2 Secunda sententia negat suspendi. Ita Trollench *In Bull. Cruciata, lib.1. quæst. 9. cap.3. dub. 4. num.3. poster. edit.* Lezana *verbo* Bulla Cruciatæ *num. 41.* Martin Catillus *in Bull. defunct. part. 2. cap.9.* Quiotanaduen. *tom. 1. singul. tract. 1. append. dub. 15. num. 7.* Bordon. *tom. 2. Consil. Regul. resol. 41. numero 12.*& idem Diana *in addit.post 3. part. resol.xx.*

3 Dicendum est. *Altaria priuilegiata non suspendi per Bullam Cruciatæ.* Probat. Talis suspensio non potest induci neq; ex fine suspensionis Bullæ Cruciatæ, neque ex verbis suspensionis. Non ex fine suspensionis, quia in eum finem suspenduntur indulgentiæ, vt vnusquisque ob illas lucrandas accipiat Bullam Cruciatæ, siquidem cum ipsa potest acquirere,& sine ipsa non potest. Hic autem finis non exigit suspensionem altarium priuilegiatorum, quia iis permanentibus adhuc singulæ personæ sunt in eadem indigentia Bullæ. Et ideò cum ratio finalis non habeat locum quoad altaria priuilegiata, nec etiam locum habere debet dispositio *l. Si ita. ff. de manumis. testament.* & *l. Seruum. ff. de Statu liber.* & *l. Inter stipulantem §. Sacram. ff. de verber. significat.* & notant Dec. *consil. 394. num. 3.* Sutd. *consil. 67. numero 19.* Ancharan. *consil. 47. num. 4.* Euetar *in Topica iur. loco 80. num. 4.*

4 Sed neque ex verbis suspensionis, induci potest. Quæ ita habent. *Suspendimus omnes indulgentias per dicta Regna, Dominica, Insulas quibuscunque Ecclesiis Hospitalibus, & locis piis, Vniuersitatibus, & Confraternitatibus,& & singularibus personis concessas.* Indulgentiæ autem altarium priuilegiatorum, non sunt concessæ alicui ex dictis locis,neque vniuersitatibus, not Confraternitatibus neque personis singularibus, sed defunctis; nam vt prosint defunctorum animabus,debent esse concessæ specialiter pro ipsis, & speciali modo, nempe per modum suffragij, & non per modum absolutionis,sicut conceduntur viuis, & ideò concessio debet esse facta ipsis. Animæ autem defunctorum non veniunt appellatione personæ nam per mortem fit dissolutio personæ: Vnde etiam cessant, quæ personalia sunt, vt iura, priuilegia, &c. Vnde cum verba dispositionis non habeant locum in altaribus priuilegiatis, nec etiam locum habebit dispositio *l. Quod constitutum. ff. de milit. test.* & notant Roman.*consil.199.init.*Gemin.*consil.65.init.* ver. *Secunda pars* Decian. *consil. 9. num. 24. lib.1.* Alexan. *consil.17.num.8.lib.2.*

5 Confir. suspensio indulgentiarum venit in consequentiam ad ea,quæ conceduntur in Bulla Cruciatæ, & est in subsidium eiusdem Bullæ: ergo non potest suspensio habere terminos ampliores, quàm habeat dispositio Bullæ quoad concessionem, itavt latius se extendat ipsa dispositio principalis, quæ regulare debet ea, quæ propter se ipsam fuit disposita. eum ergo concessio sit facta solis viuentibus, etiam suspensio indulgentiarum erit quoad indulgentias concessas viuentibus.

Confir.2.Suspensio indulgētiarum,sicut etiam ipsa Bulla est restricta ad illa loca, pro quibus conceditur Bulla,vt constat ex illis verbis.Per dicta Regna, Dominia, Insulas,& proinde afficit tantū personas existentes in illis regnis,&c. itavt sicut non potest extra ipsa se extendere,ita nec etiā ad eos,qui sunt extra dicta loca, præsertim si nullo pacto pertineat ad ipsa: ergo quando suspenduntur indulgentiæ concessæ singularibus personis,etiamsi nomine personæ venirent animæ defunctorum, non suspenderentur altaria priuilegiata,quia defuncti nō sunt personæ loci,pro quo fit suspensio, accedit etiam, quod cum indulgentia altaris priuilegiati sit communis omnibus defūctis, remaneret suspensa etiam pro iis,qui non fuerunt de loco, in quo suspenduntur indulgentiæ, & dispositio Bullæ operaretur circa eos, qui nullam habent relationem ad locum,pro quo est concessa,& pro quo facta est suspensio.

Ex his solutum manet fundamentum oppositæ sententię.Nā vt suspendatur indulgētia,non sufficit,quod sit similis,vel dissi milis, alioquin suspenderentur indulgentiæ totius Orbis, cum omnes sint similes, vel dissimiles, sed requiritur etiā,quod sit de expressis in suspensione,qualis non est indulgentia altaris priuilegiati, cum nec sit concessa locis, nec personis siue fictis, siue veris pertinentibus ad loca, pro quibus fit suspensio. 7

Ex his sequitur. Neque etiam cæteras indulgentias concessas pro defunctis suspendi per Bullam Cruciatæ: nam militat eadem ratio,quia si semel suspensio non se extendit ad aliquam ex his indulgentiis,neque etiam ad alias se extendet quia ratio prohibens extensionem,est generalis quoad omnes.Imò neq; etiam se extendet ad indulgentias concessas viuentibus quatenus applicabiles defunctis, vt in simili cum pluribus Doctoribus dixi in *Praxi Iubilæi q.151.* Ratio est. Quia,vt indulgentia possit applicari defunctis requirit distinctam concessionem ab ea quę conceditur viuis,nam his conceditur per modum absolutionis, & defunctis per modum suffragij:& proinde debent specialiter concedi defunctis. Suspensio ergò licet suspendat concessionem per modum absolutionis factā viuis, non se extendit ad alteram concessionem ob allatas rationes; cum enim sint concessiones separabiles,potest tolli vna absque altera. 8

QVÆSTIO 760.

An altaria priuilegiata concessa pro religiosis sint reuocata per Bullam Pauli V reuocantem Indulgentias concessas Regularibus.

SVMMARIVM.

1. *Altaria priuilegiata pro Religiosis non sunt reuocata per Bullam Pauli V.*
2. *Quæ Indulgentiæ reuocentur per Bullam Pauli V. Deficiente qualitate expressa deficit dispositio.*
3. *Reuocatio concessionis est relatiua ad concessionarios.*
4. *Indulgentia pro Regularibus defunctis non sunt reuocata licet exigant opus iniunctum per Regulares exequendum.*
5. *Indulgentia concessa defunctis ordinis de Carmelo,&c.non est reuocata.*
6. *Indulgentia concessa Regularibus quatenus applicabiles pro defunctis non sunt reuocatæ.*
7. *Indulgentia concessa defunctis attinentibus ad Religiosos non sunt reuocata.*

Dicendum. *Altaria priuilegiata concessa pro religiosis defunctis non fuisse reuocata per constitutionem Pauli V. in qua reuocat indulgentias concessas Re-* 1

gularibus. Ita Peirin. *tom 2. de Priuileg. ad constit.4. Clement. VIII. n.2.& ad constit.8. Pauli V.n.5.* Lezana *tom.1.quæst.Regul.c.3.n.19.* Peregrin.*in compen.Priuileg.Cler.Reg.verbo* Indulgentia,*n.9.* vbi asserit Paulum V. viuæ vocis Oraculo declarasse Cardin. Bandino. *die 23. Februarij* 1609. se non reuocasse indulgentias pro defunctis. Quintanaduen. *tom. 1. singul. tractat. 4. Append.num.5.& 6.* Diana *part.9.tractat.2. resol. 21.*

2 Ratio autem est. Quia in dicta Bulla reuocantur indulgentiæ concessæ Regularibus, vt constat, ex §.11. *constit.* quæ est 21.Paul. V. *tom. 3. Bull.* ibi. *Cæterum omnes, & singulas indulgentias. Quibuscunque Ordinibus, & institutis regularibus huiusmodi, etiam mendicantibus, quibuslibet personis Regularibus tam vigore priuilegiorum, & litterarum Apostolicarum, quàm viuæ vocis oraculo aut alias quouis modo per quoscunq; Romanos Pontifices prædecessores nostros, & hos, & Apostolicam sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas, & innouatas auctoritate, & tenore prædictis reuocamus, cassamus, annullamus, & abrogamus, & ad præsentium nostrarum litterarũ præscriptum reducimus, & moderamur.* Nomine autem personarum Regularium non veniunt animæ defunctorum, quia neque sunt personæ, neque habent qualitatem expressam regulariter, quæ adiicitur personis, quos afficit reuocatio, cum nõ sint sub aliqua religiosa Regula. Vnde cum deficiat, qualitas personæ expressa à dispositione, non habebit locum dispositio c.*Indemnitatibus.§.pen.de elect.in 6.* & notant Glos.*in l. Mancipia.verb.* Auocandum *de seru. fugit* Pauin.*lib.2.de probat.c.14.num.8.* Menoch. *Præsump.15.num.47.lib. 6.*

3 Confit. Reuocatio indulgentiarum est quoad eos, quibus facta est concessio nouarum indulgentiarum, nam venit in consequentiam ad concessionem nouam, si quidem Pontifex dicit de Indulgentiis reuocatis. *Ad præsentiam nostrarũ litterarum præscriptum reducimus, & moderamur.* Concessio autem est facta solum viuentibus, vt constat ex toto tenore constitutionis, in qua nulla fit mentio defunctorum: & tamen conceduntur ipsis indulgentiæ, nisi id in specie exprimatur. Rursus conceduntur ipsis Regularibus indulgentiæ intuitu actuum ab ipsis exercendorum, & exprimitur, quod ipsis talis, & talis indulgentia conceditur absque facultate applicandi pro defunctis. Vnde cum Pontifex nihil disposuerit in concessione circa defunctos, nec etiam disposuit in reuocatione.

4 Ex dictis colligitur. Non esse reuocatas indulgentias, quæ conceduntur pro religiosis defunctis dependenter à ministerio Regularium, quatenus scilicet exigeret Pontifex opus iniunctum exequendum à Regularibus ipsis. Nam, vt obseruat etiam Quintanaduen.*tom.1.singular.tract.4. Append.dub.2.n.5.* Istæ indulgentiæ, quamuis consequendæ, per ipsos Regulares, non sunt tamen pro ipsis concessæ, sed pro defunctis, & proinde sunt concessæ per modum solutionis, seu suffragij; non autem per modum absolutionis; suspenduntur autem solum indulgentiæ concessæ Regularibus, & pro ipsismet Regularibus.

5 Secundò colligitur. Non esse reuocatam illam indulgentiam, quam Hieronym. Rodriq. *in Compendio quæst. Regul.resol.77. n.71.* refert concessam fuisse defunctis ordinis B. Mariæ de Carmelo à Ioan. XXII. confirmatam ab Alexandro V. Greg. XIII. & Clemente VIII. Quod scilicet animæ ipsorum Patrum Monialium, & Confratrum sequenti Sabbatho post obitum, meritis, & intercessione B. Virginis liberentur à Purgatorio, vt obseruat Quintanad.*tom.1.singul. tract.4. Append.dub.2. n.6.* Quia hæc quoque indulgentia est per modum suffragij & solutionis, & non est concessa Regularibus viuentibus. Circa quam est aduertendam, quod indulgentia fundatur in satisfactionibus quæ de thesauro Ecclesiæ offeruntur Deo, in quo etiam reperiuntur satisfactiones B. Virginis intercessio autem ipsius B. Virginis interponitur, non auctoritatiuè, sed deprecatiuè implorata ad effectum, quod satisfactio exhibita de thesauro Ecclesiæ acceptetur à Deo.

6 Colligitur tertio. Neque suspendi indulgentias concessas viuis Regularibus applicabiles pro defunctis, & proinde quatenus applicabiles pro defunctis, & proinde quatenus ipsis viuentibus prodesse possunt. Nam, vt dictum est in superioribus, hæ indulgentiæ continent duas concessiones inuicem separabiles, vnam per modum absolutionis, seu suffragij pro defunctis, alioquin nisi adesset hæc secunda concessio, non possent applicari pro defunctis, nam pro ipsis concedi possunt solum per modum suffragij. Per dictam autem suspensionem aufertur prima concessio, & remanet secunda, quia aufertur tantum concessio facta viuentibus regularibus.

7 Colligitur quarto. Quod illa indulgentia plenaria quæ conceditur parentibus, Benefactoribus, Fratribus Minorum, ac hospitantibus ipsos, si pro eis celebretur Missa defunctorum in conuentu, in quo moratur filius religiosus, aut in oppido benefactoris, aut hospitantis, de qua Rodriquez *in Compend. quæst. Regul.resol.77. num.55.* non esse reuocatam, vt obseruat etiam Quintanaduen.*tom.1.singul. tractat.4. Append. dub.2. num. 4.* Quia hæc quoque est indulgentia concessa defunctis, & pro ipsis defunctis per modum suffragij, licet obtinenda ministerio Regularium.

QVÆSTIO 761.

An destructo Altari priuilegiato destruatur priuilegium.

SVMMARIVM.

1. *Indulgentia altaris priuilegiati est ipsi affixa quoad assequutionem.*
   Indulgentia altaris priuilegiati non amittitur, si paulatim destruatur & reficiatur.
2. *Non amittitur per destructionem, quæ non destruit consecrationem.*
3. *Quod si ita destruatur, vt amittat consecrationem, & reædificetur.*
4. *Si remaneat secundum maiorem partem non amittit priuilegium, licet amittat consecrationem.*
5. *Consecratio altaris non est fundamentum indulgentiæ, vt subsistat.*
6. *Perit priuilegium mutata dedicatione altaris, si sit concessum altari talis dedicationis.*
   Pereunte qualitate fundamentali, perit, quod ipsi innititur.
7. *Non potest variari altare priuilegiatum etiamsi ad instantiam partis indulgentia sit concessa altari talis dedicationis.*

1 QVamuis indulgentia altaris priuilegiati sit concessa animabus Purgatorij per modum suffragij, assequutio tamen ipsius ratione operis iniuncti est affixa loco, nempe altari, à quo dependet tanquam à fundamento, cum in ipso pro assequutione sit offerendum sacrificium: vnde minus propriè dicitur concessa altari. Est autem eadem ratio, ac de cæteris indulgentiis, quæ sunt dependentes à certo loco. Conueniunt autem communiter, quod destructo loco, cesset indulgentia. Quod si paulatim destruatur,

&

& simul repararetur,non cesset indulgentia quia remanet semper idem altare , seu locus. Ita loquentes vel de altari, vel de Ecclesia Palud. *in* 4. *dist.* 20. *quæst.*4. *num.*25. D.Anton. *part.*1. *titul.*10.*cap.*5. §. 3. *in fine.* Vulpes *in praxi fori Eccles.c.*42. *n.*30. Corduba *lib.*4. *q.*56.*nit.*Suarez *disp.*57.*de pænit. sect.*2. *n.*11. Filliuc, *tr.*8.*c.*6.*q.*3.*n.*134.*&* 244. Nugn. *q.*23. *supplem.art.*4. *dub.penult.*Bonac.*de sacrament. disp.*7. *de indulg. q.*1. *punct.*8. *num.*4.

2 Verum difficultas remanet, si destruatur altare secundum partem, nec secundum eandem partem reficiatur, aut si taliter destruatur,vt amittat consecrationem,atque præterea de nouo consecretur.Et quidem, si ita destruatur secundũ partẽ,vt tamen non amittat consecrationem,quamuis nõ reficiatur, certum debet esse,quod non amittitur indulgentia,quia si remaneat altare in tali statu,vt adhuc in ipso celebrari possit,an verificetur,quod sit destructum altare,quia adhuc remanet secundum substantiam, & solum secundũ aliquam partem integralem petit;& si reficitur, itavt nõ indigeat noua consecratione,adhuc est idem altare & ita sentit etiam Gobat *de indulg.p.*2.*c.*26. *num.* 542.

3 Si verò ita destruatur, vt amittat consecrationem, & necessariũ sit facta reparatione,quod de nouo consecretur, Gobat modo citatus nihil expressè resoluit; videtur tamen sentire,quod non remaneat indulgentia,dum permanentiã coarctat ad casum, in quo non sit necessaria noua consecratio. Et ita sentiunt etiam illi,qui volunt,quod destructa Ecclesia, si ædificetur in eodem loco non remaneat indulgentia vt Layman. *lib.*5.*Theol.mor.tr.*7.*c.*3.*n.*5.Bonac.*de sacram.disput.*7. *de indulg.q.*1.*punct.*8.*n.*5.& alij.Econtra verò,qui volunt, quod nõ pereat indulgentia destructa Ecclesia,si statim in eodẽ loco reædificetur , vt Suar.*disput.*52.*de precat.sect.*1.*n.*9.& alij dicent, quod neque indulgentia altaris priuilegiati peribit, si statim reædificetur.

4 Dicendum 1. *Quamuis altare ita destruatur secundum aliquam sui partem,vt amittat consecrationem, non tamen peribit priuilegium,seu indulgentia,dummodo tamen remaneat secundũ maiorẽ sui partem.* Prob.Quãdo designatur altare,in quo acquirenda sit celebrãdo indulgentia pro defunctis,non cõsideratur altare secundum formam consecrationis,sed secundum rationem loci destinati celebrationi,atq; adeò secundum totum suum esse materiale;quod ea eo patet, quia si non totum lapideum,sed tantum ex lapide adsit altare portatile,quantum possit capere Calicem, & Hostiam,& proinde non sit consecratum,& mutetur altare portatile,seu lapis consecratus, & substituatur aliud , non censetur amitti indulgentia : ergo quandiu altare secundum suum esse materiale manet secundum maiorem sui partem,durabit indulgentia, licèt ita frangatur , vt amittat consecrationem.

5 Dices. Indulgentia est concessa altari in ordine ad celebrationem : ergo ratione consecrationis:ergo ea cessante cessabit indulgentia,quia cessat fundamentũ. Resp. Esse concessam indulgentiam in ordine ad celebrationem,atq; adeò ex fundamento altaris, quatenus est locus aptus celebrationi;cum autem sit aptus nedũ ratione consecrationis,sed etiã secundum se totum,quia totum inseruit celebrationi,venit etiam sub designatione secundum se totum, atque adeò secundum esse materiale , & solum consecratio requiritur non vt fundamentum indulgentiæ , ad hoc vt subsistat ; sed vt fundamentum exequtionis iniuncti operis pro indulgentiis.

6 Dicendum 2. Si in concessione indulgentiæ deporetur altare,vt dicatum tali,vel tali sancto,si mutetur dedicatio , & loco illius ponatur alius sanctus , perit indulgentia. Ratio est. Quia,dum in concessione exprimitur sanctus,cuius dicitur esse altare,fit,quod indulgentia concedatur tali altari in specie seu erecto in cultum talis sancti: ergo si moueror sanctus , non erit amplius illud altare , quod contemplatus est Pontifex in concessione indulgentiæ , siquidem contemplatus est qualitatem dedicationis in honorem talis sancti, & proinde concessio ipsius nititur tali qualitati,qua deficiente, deficit quoq; cõncessio inata , ea quæ notant Crauet. *cons.* 435.*n.* 31. Riminal. *cons.*550.*n.*2.Beroius *cons.*14.*n.*1.*vol.*1. Sigoor.*cons.*92. ver.*Præterea ad hoc.*Martin.Andr.*dec.*96.*n.*11.Seraph. *dec.*1058.*n.*9.Puteus *dec.*22.*n.*6.*lib.*3.Coccin.*dec.*117. *n.*1.Merlin.*dec.*894.*n.*2.Rota *dec.*100.*n.*2.*p* 2.*diuer.*& *dec.*234.*num.*13.*part.*1.Recent. & *decis.* 106 *num.* 7. *part.*3.& *decis.* 8. *num.*11. *part.*7.

Ex dictis colligitur , quod etiamsi ad instantiam 7 partis concedatur indulgentia cum designatione altaris talis sancti non potest fieri variatio , destinando altare non dicatum tali sancto,aut altari erecto in honorẽ illius Sancti substituendo alium Sanctum. Quia cum iam sit facta concessio iuxta petitionem. Pontifex habuit suam intentionem in concedendo coarctatam ad qualitatẽ altaris expressam:& ideò deficit respectu alterius altaris,& concessio remanetet nulla defectu intentionis.

QVÆSTIO 762.

An semel destinato Altari Priuilegiato possit mutari.

SVMMARIVM.

1. *Facta semel designatione non potest mutari altare priuilegiatum.*
2. *Quia expirat facultas amplius designandi.*
3. *Facultas designandi altare priuilegiatum est pro vnica vice.*
4. *Nec potest aliud designari,si contingat destrui primum designatum.*
5. *Non potest destinari altare priuilegiatum vnum pro vna parte temporis , & aliud pro alia.*
6. *Mutatio altaris priuilegiati etiam bona fide non tenet.*
7. *Pro designatione altaris priuilegiati requiritur externa declaratio.*
Post designationem sola mente conceptam posset aliud altare designari.
Voluntas mente retenta nihil operatur.

QVia in concessione altaris priuilegiati contingere potest ; quod Pontifex ipsum non designet, sed relinquat designandum , dubitatur , an postquam facta est designatio , possit mutari & designari aliud altare.Dicendum est. *Facta semel designatione non posse amplius mutari.* Ita Nauar. *de hor.Can.c.*5.*n.*11.Lauor.*de indulgent.p.*2.*c.*30.*n.*112.Habet enim locum in hoc regula illa. Quod semel placuit,amplius displicere non potest. 1

Et ratio est. Quia in hoc ille,ad quem spectat designatio , se habet veluti delegatus summi Pontificis in illa designatione,quis spectaret ad ipsum Pontificem,qui cum eam relinquat Rectori Ecclesiæ,aut alteri censetur tacitè ipsum delegare ad hoc munus, & proinde pro vnica vice tantum. Vnde facta semel designatione expirat eius facultas iuxta c. *In litteris. de offic. deleg.* 2

Confir. Quia sumus in casu, in quo dispositio restringitur ad certum casum,& proinde accipienda est de prima & vnica vice , iuxta *l. Bonæ. §. Hoc sermone.ff. de verb.signif.* vbi Titaquel.Iason *in l.Duobus*, §.*Si ei, qui ff. de iureiur.* Alex. *cons.*16.*per tot.lib.*4. Burrius *cons.*30.*n.*1. Lappus *alleg.*12. ver.*Tertiò.* Et ideo facta semel designatione,non habebit locũ alia designatio. 3

Sed

4 Sed quid si contingat casu destrui altare designatum, aut ab hostibus fidei euerti, aut corruere Capellam, aut ex aliqua alia causa necessaria non posse amplius celebrari in illa Capella, vt esset causa fabricæ, aut similis, poteritne tunc designari aliud altare, si adhuc duret tempus indulgentiæ? Resp. non posse, quia militat eadem ratio. Nam per accidens est, quod non possit celebrari in altari destinato, quod non tollit, quia priuilegium affixum sit altari per primam destinationem, qua sequuta nihil amplius
5 remanet facultatis circa destinationem.

Colligitur 2. Neque ab initio posse ita destinari altare vt pro parte temporis, quo durat priuilegium, destinetur vnum altare, & pro altera parte alterum, quasi duplex sit destinatio partialis componens vnam totalem. Nam distinatio non habet tractum successiuum, quasi componi possit ea pluribus partibus, nec est in ordine ad tractum successiuum durationis indulgentiæ; sed in ordine ad ipsam indulgentiam, quia respicit affixionem indulgentiæ, & ideo statim, ac est facta designatio, indulgentia remanet affixa, & extincta facultas designandi vlterius; to altera parte temporis, quia hoc esset mutare designa-
6 tionem iam factam, quod non est concessum.

Colligitur 3. Quod si Rector Ecclesiæ putans sibi licere mutare designationem altaris, aliud designaret, licet bona fide procederet, non tamen teneret secunda designatio, vtpote facta absque facultate, & ideo celebrantes in altari posteriori loco designato non lucrarentur indulgentiam. E contra verò indulgentia duraret in altari primo loco designato, & in eo celebrantes iuxta tenorem concessionis, lucrarentur indulgentiam. Vt tamen sortiretur effectum, necesse esset, quod applicaretur alicui tali animæ, nam absque determinata applicatione offerretur Deo in confuso suffragium, atque adeo carens conditione necessaria in ordine ad acceptationē. Deus autē non supplet quæ præstāda sunt per causas secundas, & humano modo.

7 Colligitur 4. Pro designatione altaris non sufficere designationem mente conceptum, sed requiri aliquam externam declarationem, per quam innotescere possit, qualis esset affixio inscriptionis, ea qua priuilegium innotescere possit, qualis esset affixio inscriptionis, ea qua priuilegium innotescere posset, Initium celebrandi in exequutionem priuilegij, notificatio facta Sacerdotibus celebrantibus, aut Sacristæ, vel quid simile. Hæc enim designatio cum sit in ordine ad oblationem, debet aliquo sensibili signo perfici. Ex quo fit, quod si mente fuisset designat[illegible] vnum altare, possit aliud postea per declaratione[illegible] externam designare, quia prima designatio, vtpote sola mente concepta, non valet. Vnde subintrat [illegible] quod voluntas mente retenta nihil operatur, [illegible] *petendi, C. de condit. ob caus.* & *l. Quidam cum filium, ff. de hered. instit.* vbi Batt. & Imol. Surd. *cons. 321. n. 56.* Bald. *consil. 68. num. 32. vol. 3.* Rota *decis. 364. num 6. part. 1. Recent.*

QVÆSTIO 763.

An impetrato priuilegio pro vno altari possit pro alio impetrari, si primum non adhibeatur.

SVMMARIVM.

1. *Nouum altare priuilegiatum potest impetrari, si primum non habeat exequutionem.*
2. *Seclusa exequutione priuilegium altaris non sortitur effectum.*
   Quod non sortitur effectum, se habet, ac si non esset.
3. *Impetrans altare priuilegiatum potest pœnitere, & pro alio impetrare priuilegium.*
4. *Cedendo vsui prioris an possit nouum altare priuilegiatum impetrari.*
   Non esse, & esse sine effectu æquiparantur.
   Nihil refert, quid fiat ex æquipollentibus.

Contingere potest, quod obtineatur priuilegium pro altari determinato, & antequam exequutioni mandetur, seu publicetur, insurgat motiuum nouū mutandi altare, vnde dubitatur an relicta hac concessione, possit vna concessio obtineri pro alio altari. 1
Dicendum est. *Posse obtineri, itavt valida sit non obstante priori concessione.* Ita etiam Pellizar. *tom. 1. Manual. Prælat. tractatu quinto, capite 9. sectione 5. numero 14.*

Ratio autem est, quia nihil aliud obstare potest 2
nouæ concessioni, nisi clausula apponi solita, quod non sit in eadem Ecclesia aliud simile altare priuilegiatum. Hæc autem clausula non obstat, quia adhuc verificatur, quod non sit aliud altare priuilegiatum in Ecclesia, nam quamuis sit concessum, dum tamen non est publicatum, & exequutioni mandatum, non dicitur adesse, quia, adesse, importat existentiam in ordine ad vsum, quæ non adest, seclusa exequutione, & publicatione, quibus seclusis concessio non sortitur effectum, & proinde se habet, ac si non esset facta, *l. Si quis sub conditione, ff. de test. tut.* & *l. Ex consensu, §. 1. ff. de appellat.* & notant Surd. *consil. 3. n. 29.* Giurba *ad consuet. Messan. part. 1. cap. 10. gloss. 6. num. 31.*

Et hoc locum habet, nedum in casu, de quo Pelliz. 3
num. 1. citat. nempe quando tertius insciis iis, ad quos pertinet, impetrat priuilegium, sed etiam, quando impetratur ab iis, ad quos spectat Ecclesia, aut ad ipsorum instantiam. Quia cum simus in gratiosis, non coguntur vti gratia concessa, sed possunt ipsi renunciare, seu non acceptare, quia nemo cogitur inuitus vti priuilegio.

Maior difficultas est, an postquam priuilegium 4
mandatum est exequutioni, & in destinato altari per aliquod tempus est oblatum sacrificium pro liberandis animabus possit obtineri nouum priuilegium pro altero altari cedendo vsui prioris priuilegij. An verò obstet clausula solita apponi, quod non sit aliud altare simili priuilegio decoratum. Resp. *Non videri obstare, & proinde posse valide obtineri relinquendo omnino vsum prioris priuilegij.* Et ratio est, quia illa clausula ponitur ad declarandam mentem Pontificis, quæ est, quod in eadem Ecclesia non sint simul plura altaria priuilegiata, dum autem ceditur vsui vnius, non adsunt secundum effectum plura altaria priuilegiata, nam illud, cuius priuilegio ceditur, se habet, ac si non adesset; æquiparantur enim non esse, & esse sine effectu, vt obseruant Surd. *cons. 179. n. 49.* Anton. Monach. *decis. Bononien. 40. part. 7. n. 20.* Et idem sufficit ad verificandam dictam clausulam, quod priuilegium prioris altaris ex non vsu ipsius non habeat effectum. Præsertim, quia non adhibere priuilegium, & non habere æquipollentia sunt; nihil autem refert, quid fiat ex æquipollentibus, *l. fin. C. de donat. quæ sub modo,* & *l. Mulier. ff. Ad Trebell.* & obseruat Socin. Iun. *in l. Gallus. ff. At quid si tantum, num. 28. ff. de lib. & posth.*

FINIS TOMI PRIMI.

IND

AUT 1742263


Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

RILEGATORIA
E. GIANNINI
NAPOLI

Digitized by Google





Digitized by Google